MONITUM LECTORI.

IN calce totius operis monendos eruditos lectores censeo, iterumque facio certiores nihil hic omissum esse ex iis quæ P. Natalis Alexander in Parisiensibus editionibus dederat. Unice amotum caput illud est, in quo Joannem Tanquerellum, & Florentium Jacobum inter Hæreticos accensuerat, quia supremam etiam temporalium potestatem Romano Pontifici assertam voluere; at omissum non miraberis, quia & ipse P. Natalis, dum secundis curis suam historiam recensuit, expungendum duxit. Vale & pro Notarum, Animadversionumque Authoribus ad Deum preces fundere non desinas.

INDEX

CAPITUM, DISSERTATIONUM, QUÆSTIONUM, Articulorum, Propositionum, Voluminis noni Historiæ Ecclesiasticæ XV. & XVI. Sæculum continentis.

Art. VI.

HISTO-

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ SÆCULI XV. ET XVI. SYNOPSIS.

CAPUT PRIMUM

De Romanis Pontificibus.

ARTICULUS I.

De INNOCENTIO VII. & GREGORIO XII. Romæ, & BENEDICTO XIII. Avenione sedentibus.

JUSTIS *Bonifacio Nono* persolutis, Obedientiæ illius Cardinales Conclave ingressi, nuncupato sacramento de consiliis studiisque omnibus ad schismatis extinctionem adhibendis, etiamsi Pontificatu cedere opus foret ei qui mox eligeretur, oculos conjecerunt *in Cosmatum de Melioratis*, patria Solmonensem, (Est autem Sulmo provinciæ Aprutii in Regno Siciliæ oppidum) doctrina, rerum agendarum experientia, morum etiam integritate, quam natalibus clariorem. His enim dotibus per omnes dignitatum gradus provectus, ex Bononiensi Episcopo Cardinalis, & Archiepiscopus Ravennas a *Bonifacio Nono* creatus, in Cathedram Pontificiam ascendit, 16. Kalendas Novembris, anno 1404. nomenque sumpsit *Innocentii VII.* Se ad extinctionem schismatis propensissimum significavit, datis ad Prælatos literis, quas edidit *Odoricus Raynaldus* num. 12. Obicem tamen insuperabilem posuit Ecclesiasticæ paci, cum *Ladislao* Regi Neapolitano pollicitus est Constitutione data, se numquam Ecclesiæ unioni consensurum, nisi regnum Siciliæ ipsi adversus *Ludovicum* Andegavensem assereretur, cui conditioni Rex Christianissimus nunquam consensurus erat. Istud pro *Ladislao* Decretum exhibet *Odoricus Raynaldus* numer. 14. *Ladislai* in Siculas Ecclesias ac Monasteria tyrannidem non solum dissimulavit *Innocentius*, sed maximis ipsum beneficiis cumulavit, pro quibus insignes ille reposuit injurias. Ad Urbis enim Imperium aspirans, Romanos in Pontificem concitavit: deinde se pacis interpretem ac sequestrem constituens, auctor fuit Pactionum, quæ apud *Odoricum Raynaldum* Num. 16. & sequentibus leguntur, quibus Urbanorum Magistratuum circumscripta auctoritas, perduellio, cæteraque flagitia populo condonata. Hæc indulgentia popularis furoris irritamentum fuit. Vulgus enim insolens domari tantum, non blanditiis mulceri poterat. Pontifici cum primis infesti Columnenses importunis & iniquis petitionibus ejus patientiam fatigabant, at *Theodoricus Niemus* lib. 11. cap. 37. testatur. Cum *Tamerlanes* victo Bajazethe, Regnoque Turcico expugnato, ingentem exercitum in Europam traducere meditaretur, & Constantinopolitano Imperio immineret, *Emanuel* Græcorum Imperator missis ad *Innocentium* Oratoribus, ejus ac omnium Occidentalium opem imploravit. Bellum sacrum adversus Tamerlanem indixit Pontifex, profusis in eos qui nomen darent, aut pecunias in bellicos sumptus conferrent, Indulgentiis. Qua de re ejus extant ad *Emanuelem Palæologum* literæ apud *Odoricum Raynaldum*, ad annum 1405. Num. 11. *In Albericum e Barbiano* Ecclesiæ Romanæ clientem, Equitum in Sicilia Magistrum, qui nonnulla Bononiensis Agri oppida castraque occupaverat, & Bononiam invadere tentabat, spretis *Balthassaris Cossæ* Cardinalis Legati monitis, Status Ecclesiastici Proceres concitavit, jussitque eum armis coercerent. Novis interim tumultibus ac seditionibus Roma conflagravit. *Columnenses* populum spe libertatis ad rebellionem impellebant, *Ursini* Pontificem inconcussa fide tuebantur. Rex *Ladislaus* Urbis inhians dominationi, copias rebellibus submisit. Romani Pontem Milvium Pontificio præsidio munitum noctu occupare tentarunt. *Ludovicus de Melioratis* Innocentii Nepos, temerarius juvenis, undecim e Romanorum Primoribus e Palatio redeuntes immaniter trucidari jussit: quod facinus *Innocentium virum mitissimum* exsecratum fuisse, Deumque invocasse innocentiæ suæ testem, *Leonardus Aretinus*, *Theodoricus Niemus*, & *S. Antoninus* testantur. Interim populus ad arma concurrit, *Joannes Columna* Palatium occupat, plebs Pontificiam supellectilem diripit, Regesta lacerat, *Innocentii* stemmata injecto luto commaculat, expungit. Rex *Ladislaus* copias immisit, Duce *Perreto* Trojæ Comite, quæ a conjuratis exceptæ, & in suburbana admissæ; sed cum in urbem penetrare, ac eam *Ladislai* imperio subjicere conarentur, a Romanis propulsatæ sunt, & a *Paulo Ursino* Pontificii Exercitus Duce dissipatæ, Ecclesiasticæ, quod præ se ferebat, studio pacis, Pontifex Viterbii agens, quo fugere compulsus fuerat, Concilium antea indictum celebrare vehementer optabat, sed illius celebrationem ad Kalendas Majas anni sequentis 1406. ob seditiones urbanas prorogare necesse fuit, ut constat ex ipsius literis apud *Odoricum Raynaldum* ad annum 1405. Num. 15. *Petrum de Candia* Tituli SS. 12. Apostolorum Cardinalem, Sedis Apostolicæ Legatum in Liguria, Insubria, & in Patriarchatibus Aquilejensi & Gradensi creavit eodem anno *Innocentius*. Pragensi Archiepiscopo *Sbinkoni* jussit ut Provincialem Synodum congregaret, ac in eos qui Pontificibus Avenione sedentibus adhærebant, velut in schismaticos animadverteret. In auctores necis *Richardi Scropi* Eboracensis Archiepiscopi, qui conjurationis adversus *Henricum VI.* Angliæ Regem convictus, capite damnatus fuerat, Censuras Ecclesiasticas distrinxit, jus Ecclesiæ violatum esse arbitratus, quod Ecclesiæ judicio permittendus fuisset, secundum Canonica Instituta puniendus. Id con-

Innocentius VII.

Indictio Belli sacri.

Factiones Romæ.

ſtat ex *Gregorii XII.* literis, qui Cenſuras illas ſuſtulit, ab *Odorico Raynaldo* deſcriptis ad annum 1405. Num. 21.

Romani ad officium & Innocentii VII. obedientiam reverſi.

II. Lætior *Innocentio* fuit annus Chriſti milleſimus quadringenteſimus ſextus, quo Romani ad Officium reverſi in ejus verba juraverunt, multiſque legationibus ipſum in Urbem revocaverunt. Miſit ille *Bartholomæum* Cremonenſem Epiſcopum deſignatum, qui Capitolii, portarum, pontium, caſtrorum, præſidiorum omnium, Pontificio nomine poſſeſſionem iniret. Romam reverſus, & ſumma populi gratulatione exceptus, Academiam excitavit, & doctiſſimos omnium Facultatum Profeſſores evocavit, qui Philoſophiam, Theologiam, Jus Canonicum & Civile in Urbe docerent. In *Columnenſes*, in *Perretam* Trojæ Comitem, in *Antonellum Thomacellum* Arcis Sancti Angeli Præfectum, alioſque conjurationis reos, in ipſumque *Ladiſlaum* Regem judiciaria ſeveritate animadvertit. Ei Campaniæ & Maritimæ Præfecturam, qua ad Romanam Eccleſiam opprimendam fuerat abuſus, abrogavit; Regno terriſque, quas in feudum ab eadem tenebat Eccleſia, privavit, in Cenſuras omnes & Sententias olim contra Carolum de *Durachio* latas ipſum incurriſſe declaravit, ut *Theodoricus Niemus* commemorat. Pontificio fulmine proſtratus *Ladiſlaus*, veniam pacemque exoravit. *Paulum Urſinum* & *Ludovicum Melioratum* Nepotem ſuum pacis arbitros conſtituit *Innocentius*, Conditionibus Pontifici Regique commodis conciliata eſt. Arx Sancti Angeli *Innocentio* reſtituta, Cenſuræ ac Sententiæ latæ in *Ladiſlaum*, ejuſque fœderatos diſſolutæ, nuncupato fidelitatis ſacramento, priſtinis honoribus reſtitutus eſt, & nova dignitate Vexilliferi Romanæ Eccleſiæ auctus. Pacta conventa Diplomate Pontificio confirmata legere eſt apud *Odoricum Raynaldum* ad annum 1406. N. 7. Pax diu duratura non erat, *Ladiſlao* fidem violante, novaſque injurias pro acceptis beneficiis referente; ingratumque Principem novis Cenſuris ac Sententiis *Innocentius* coercuiſſet, ut ſcribit *Niemus*, niſi mors ipſum oppreſſiſſet. Obiit ex apoplexia die ſexta Novembris anno 1406. ut *Gregorius XII.* ejus Succeſſor in literis encyclicis teſtatur. Severiſſimas in Simoniacos ſanctiones edidit, ut refert *Gobellinus* in *Coſmodromio*, Ætate ſexta, cap. 88. Regulam Fratrum & Sororum Tertii Ordinis de Pœnitentia *S. Dominici* approbavit anno 1. Pontificatus, Conſtitutione quæ incipit, *Sedis Apoſtolicæ*, quæ in Bullario Romano edita eſt.

Innocentii VII. Cardinales.

III. Cardinales creavit lectiſſimos viros, *Conradum Caracciolum* Nobilem Neapolitanum, Epiſcopum Melitenſem, & Nicoſienſis Archiepiſcopatus Adminiſtratorem; *Jordanum Urſinum* Nobilem Romanum, *Franciſci Urſini* Urbis Præfecti fratrem, Neapolitanum Archiepiſcopum; *Angelum Corarium* Venetum, ex gente Patritia, virum eximiæ probitatis Conſtantinopolitanum Patriarcham, qui poſt ipſum Pontifex fuit *Gregorius XII.* in ſua Obedientia nuncupatus; *Joannem Melioratum*, Nepotem, Juris Pontificii doctiſſimum interpretem, Archiepiſcopum Ravennatem; *Petrum Philargum*, in ſacra Facultate Pariſienſi Doctorem, Archiepiſcopum Mediolanenſem ex Ordine FF. Minorum aſſumptum; *Antonium de Calvis*, Nobilem Romanum, primo Imolenſem, deinde Tudertinum Epiſcopum; *Antonium Archionem*, Romanum, Aſculanum Epiſcopum; *Petrum Stephaneſcam de Hannibaldis*, & *Othonem*, *ſeu Odonem Columna*, Nobiles Romanos, quorum poſtremus in Concilio Conſtantienſi electus eſt Summus Pontifex *Martinus IV. Joannem Ægidii*, Gallum, e Neuſtria oriundum, Leodienſis Eccleſiæ Præpoſitum, Rotæ Romanæ Auditorem, qui Concilii Piſani congregandi præcipuus Auctor fuit; *Franciſcum de Aguazonis*, Italum, in utroque Jure peritiſſimum, Burdegalenſem Archiepiſcopum.

Gregorius XII.

IV. Poſt *Innocentii VII.* obitum, ab illius Obedientiæ Cardinalibus Pontifex electus eſt *Angelus Corario* Titulo *S. Marci* Presbyter Cardinalis pridie Kalendas Septembris anni 1646. ea lege jurejurando firmata, ut primo quoque tempore Pontificatu ſe abdicaret, ſi idem *Benedictus XIII.* quemadmodum ſe facturum juraverat, præſtitiſſet: ita ut magis Procurator ad deponendum Pontificatum, quam Pontifex factus cenſeretur. Virum priſca ſeveritate & ſanctimonia reverendum, quaſi agnum innocentem & ſine felle columbam, *Leonardus Aretinus* & *S. Antoninus* prædicant. Addit Sanctus Archipræſul Florentinus, ipſum Eccleſiæ unionem & reformationem ſemper optaſſe. Verum convenientia ad eam procurandam & promovendam media non ſemper aſſumpſit. Savonam enim vero ſe conferre noluit prout condictum erat, ut ex mutua ceſſione cum Æmulo ageret; quamvis doctiſſimi Juris interpretes, *Paulus a Caſtro*, *Antonius de Buttio*, *Matthæus de Mattaſſelanis*, & alii ipſum proprio Juramento, Pactiſque Maſſilienſibus ad id teneri reſpondiſſent. Davidicum illud vere uſurpare potuit: *Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero:* Ipſius ſiquidem egregias cæteroquin virtutes & vitam integerrimam nimius propinquorum amor infuſcavit, commaculavit. Perſuaſerunt enim optimo Seni, ipſi paratas eſſe inſidias, illum cedere non debeſe, niſi reipſa cederet Æmulus; tergiverſationis & colluſionis, de qua cum *Petro de Luna* certavit, quamvis ipſum his artibus vicerit *Petrus*, auctores fuere.

Cardinalium Seceſſio.

Schiſmatis extinguendi ſtudio ſeceſſerunt ab ipſo Cardinales & cum adverſæ Obedientiæ Cardinalibus conjuncti, Piſanum Concilium indixerunt, celebrarunt; ipſum cum Æmulo exauctorarunt, alterum Pontificem elegerunt *Alexandrum V.* Piſanum Concilium diſturbare ac evertere conatus eſt, indicto altero atque celebrato Auſtriæ in Aquilejenſi Provincia anno 1409. quod Univerſale dixit, quamvis pauciſſimi Prælati adeſſent, & Conciliabulum potius dicendum fuerit.

Piſanum Concilium.

Synodus Auſtriæ.

Electiones *Urbani VI. Bonifacii IX. Innocentii VII.* & ipſius *Gregorii XII.* Canonicas fuiſſe & eſſe, ipſoſque veros & legitimos Pontifices pronuntiavit. Electiones vero *Roberti Gebennenſis*, *Petri de Luna*, & *Petri de Candia*, nullas, temerarias, illicitas, injuſtas, & de facto ſacrilege præſumptas: ipſoſque *Petrum de Luna* & *Petrum de Candia* fuiſſe & eſſe notorios Schiſmaticos, Cardinalibus, qui a ſe defecerant, diem dixit *Gregorius*, in eoſque tulit exauctorationis Sententiam, cujus nulla ab Eccleſia habita ratio eſt. Legi poteſt apud *Odoricum Raynaldum* ad annum 1409. Num. 1. Perturbatis Eccleſiæ rebus Romam occupavit *Ladiſlaus* Siciliæ Tyrannus, & alias pleraſque Status Eccleſiaſtici civitates & caſtra invaſit, ſed longa non fuit ejus dominatio, qua ſcilicet illum intra annum depulit *Paulus Urſinus* Romanæ Libertatis vindex.

Gregorii XII. ceſſio.

Prioris colluſionis *Gregorius XII.* maculam eluit, ceſſione liberrime facta in Concilio Conſtantienſi Seſſione 14. per *Carolum de Malateſtis* Arimini Dominum, anno 1415. Obiit Cardinalis Epiſcopus Portuenſis, & perpetuus Marchiæ Anconitanæ Legatus, Recaneti anno 1417. Congregationem Canonicorum Regularium *S. Salvatoris* Sylvæ Lacus prope Senas, a *Stephano* Senenſi Ordinis Eremitarum *S. Auguſtini* inſtitutam, confirmavit Conſtitutione data Nonis Aprilis anno 1408. quæ incipit his verbis *Excitat noſtræ mentis arcanam:* quam Tom. 1. Bullarii Romani pag. 306. legere eſt. Confirmavit etiam Inſtitutionem Canonicorum Sæcularium *S. Gregorii* in Alga Venetiarum, & Congregationem Fratrum Eremitarum *S. Hieronymi de Feſulis*. Diplomata ibidem edita ſunt. Monaſteriorum etiam Ordinis *S. Benedicti* Reformationem in Italia edidit, *Ludovicum Barbum* Patricium Venetum, Congregationis *S. Georgii* in Alga tunc Præfectum, Abbatem Monaſterii *S. Juſtinæ* Patavienſis inſtituens. Unde celebris *S. Juſtinæ* Congregatio ſumpſit originem.

Gregorii XII. Cardinales.

Contra fidem in Conclavi juramento firmatam quatuor primum Cardinales creavit, *F. Joannem Dominici* Raguſinum Archiepiſcopum, ex Ordine FF. Prædicatorum aſſumptum, Regularis Obſervantiæ in Italia Reparatorem, Concionatorem ferventiſſimum, Auctorem Eccleſiaſticum, multis ipſius *Gregorii*, & *Martini V.* Legationibus perfunctum, ſanctimonia & miraculis clarum, *Antonium Corarium*, Nepotem, Epiſcopum primo Bononienſem, mox Patriarcham Conſtantinopolitanum, pietatis & Doctrinæ fama celebrem, unum ex conditoribus Congregationis S. Georgii in Alga, *Gabrielem Condulmerium*, Nepotem alterum, Senenſem Epiſcopum, Summum poſtea Pontificem *Eugenium IV.* cujus mater *Bartola Coraria* raro felicitatis exemplo fratrem *Gregorium XII.* filium ipſum Gabrielem *Eugenium IV.* & Nepotem ex *Polixena* filia *Nicolao Barbo* matrimonio juncta *Paulum II.* Romanos Pontifices vidit. *Jacobum Utinenſem* Protonotarium Apoſtolicum, cujus Religionem *S. Antoninus* commendat. Poſt veterum Cardinalium ad Piſanum Concilium ſeceſſionem, nova creatione partes ſuas munivit. *Angelum* civem Recanatenſem, Decretorum Doctorem, *Ludovicum Bonitum*, natione Siculum, Panormitanæ, Antibarenſis, Theſſalonicenſis, Bergomenſis, Piſanæ, ac Tarentinæ Eccleſiæ ſucceſſive Præſulem: *Angelum Barbadicum*, Chimenſem primo, deinde Veronenſem Epiſcopum; *Bandellum de Bandellis*, Lucanum, Juris utriuſque Doctorem, Tiphernatem primum, deinde Ariminenſem Epiſcopum: *Philippum*

pum

pum Repindenam, Doctorem Theologum Oxoniensem, Lincolniensem Episcopum, ex Ordine Canonicorum Regularium S. Augustini assumptum: *Matthæum*, Wormatiensem Episcopum, *Roberti* seu *Ruperti* Romanorum Regis Oratorem, Auctorem Ecclesiasticum: *F. Lucam Manlium*, alias *Ognisuati*, Florentinum, Ordinis Humiliatorum, Professorem, Fesulanum Episcopum, magni consilii, probitatis, doctrinæque virum, *S. Antonino* teste, Auctorem pariter Ecclesiasticum: *Octavianum de Octavianis* Nobilem Florentinum: Petrum *Maurocenum* Patricium Venetum: *Vincentium Valentinum Rivum*, in Jure Canonico Doctorem, ex Ordines *S. Benedicti*, cooptavit. Illi porro a *Gregorio XII.* creati Cardinales, ab Ecclesia recepti non fuerunt ante illius abdicationem.

Benedictus XIII. dubius primum Pontifex, tum Antipapa.

V. *Petrus de Luna*, nobilissimo genere in Aragonia natus, Juris utriusque Doctor, & quondam apud Montempessulanum Professor ac Præposito Valentinæ Ecclesiæ a *Gregorio* XI. Diaconus Cardinalis *S. Mariæ in Cosmedin* creatus, post *Clementis* VII. Avenione sedentis obitum, in Schismata electus est Pontifex ab illius Obedientiæ Cardinalibus, seditque Avenione, & Peniusulæ, *Bonifacii* IX. *Innocentii* VII. *Gregorii* XII. *Alexandri* V. *Joannis* XXIII. & *Martini* V. Romæ sedentium Æmulus. Violata spretaque Jurisjurandi Religione, qua se ad cedendum Pontificatu obstrinxerat, si Cardinalibus Obedientiæ suæ pro bono pacis & Ecclesiæ expedire videretur, Dignitatis insignia invicta pertinacia retinuit. Ad Pisanum usque Concilium & latam a Sacri illius Conventus Patribus in ipsum, Æmulumque *Gregorium*, Sententiam, dubius fuit Pontifex, deinceps vero Antipapa. Conciliabulum Perpiniani celebravit, quo se adversus Pisanam Synodum muniret anno 1409. de quo *Zurita* in Indicibus Rerum Aragonensium. A Sacro Concilio Constantiensi Sessione 37. lata in ipsum peremptoria Sententia est velut in perjurium, Schismaticum, Hæreticum, & Articuli *Unam Sanctam Ecclesiam Catholicam*, violatorem pertinacem, *die* 26. Julii anno 1417. Obiit Peninsulæ in Regno Valentino pene nonagenarius, non absque suspicione veneni ipsi a *Thoma* Monacho ejus familiari propinati, ut *Ludovicus Pansunus & Marinus* lib. 20. de Regibus Hispaniæ, cap. 14. referunt. Adeo persuasum habebat se legitimum esse Pontificem, quamvis Ecclesia tota ipsum ceu Antipapam execraretur, ut moriens duobus Cardinalibus, qui ipsi adhuc adhærebant, sub interminatione maledictionis æternæ jusserit, ut alium Pontificem post obitum suum eligerent. Nec Pisani, neque Constantiensis Concilii Decretis se teneri arbitrabatur, ex illius sententiæ præjudiciis, quam edito etiam Tractatu propugnaverat: *Summum Pontificem superiorem esse Concilio*. Corpus ejus a *Joanne de Luna* ejus Nepote Illuecam Aragoniæ oppidum suæ ditionis, translatum, sacra sepultura caret, incorruptum nihilominus perseverans si qua vulgi rumoribus fides: quod, si ita res habet, naturali causæ, quamvis ignotæ, non miraculo tribuendum. Post ejus obitum duo Cardinales Schismatici, secundum suprema ipsius mandata, *Ægidium Sancii Muniosis*, Aragonensem, Barcinonensis Ecclesiæ Canonicum, Antipapam elegerunt, favente *Alphonso* Aragonum Rege: qui post annus quinque, anno scilicet 1429. die 26. Julii, abdicavit.

Cardinales Benedicti XIII.

Quod Cardinales spectat a *Benedicto* XIII. creatos, hi ab iis qui de Cardinalibus scripserunt, recensentur: *Petrus Blani* Gallus, Diœcesis Mimatensis, Juris utriusque Doctor; *Ferdinandus de Calviello*, Hispanus, Tarraconensis Episcopus; *Gaufridus* Hispanus, Referendarius Apostolicus; *Petrus Serra*, Martini Regis Aragoniæ sobrinus, Catanensis in Sicilia Episcopus; *Berengarius Anglesola* Hispanus, Gerundensis Episcopus; *Bonifacius Amanatus* Pistoriensis, Jurisprudentiæ consultissimus, Protonotarius Apostolicus; *Ludovicus de Burro*, Gallus, Regum Christianissimorum sanguine progenitus, filius Roberti Ducis Barrensis, & *Mariæ*, Joannis Regis Francorum filiæ, Virdunensis Episcopus; *Antonius de Calanto*, Comitis Sabaudiæ Cancellarius, Lausanensis Episcopus; *Michael de la Salva*, Legum Doctor, Navarrus, Episcopus Pampilonensis; *Petrus de Fuxo*, Gallus, ex illustri Comitum Fuxensium domo, primum Episcopus Lascarensis, deinde Convenarum, tum Lomberiensis, deinde Aquensis, tandem Arelatensis Archiepiscopus, ex Ordine FF. Minorum assumptus, a *Martino* V. Pontifice Maximo missus in Hispanias Legatus, ubi Castellæ & Aragoniæ Reges conciliavit, Schismatis reliquias sustulit: *Carolus de Urries*, & *Alphonsus Carrilius*, Hispani; *Petrus Fonseca* Lusitanus, &c. Qui ex istis Cardinalibus ad Concilium usque Constantiense vixerunt, *Benedictum* in Schismate pertinacem deseruere, plures etiam ante Pisanam Synodum. Qui ad Concilium Constantiense, aut post ejus celebrationem ad *Martini V.* obedientiam statim accesserunt, legitimi Cardinales sunt habiti. Qui vero ab eodem *Benedicto* creati, in ejus obedientia & post Synodum Constantiensem permanserunt, *Eubiminus Dabæ*, *Julianus Dobla*, *Dominicus de bona spe*, Carthusianus, *Joannes Carrerias* Pseudo-Cardinales & Schismatici. Annos triginta sedit *Benedictus* XIII. seu dubius Pontifex, seu Antipapa, annis pene quindecim ante Concilium Pisanum, duobus & viginti ante Constantiense: unde non minus verum est quod hucusque est observatum, nullum Pontificem vidisse annos *Petri*, seu tot annos in *S. Petri* Cathedra sedisse, quot Romæ sedit *S. Petrus*. Quamvis falsissimum sit, quod a nonnullis leviter scriptum aut creditum est, Romano Pontifici in solemni Coronationis ejus titu acclamari: *Non videbis annos Petri*; ut constat ex *Augustino Patricio* lib. 1. Sect. 2. cap. 3. Rituum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ & ex *Andrea Victorello* in Notis ad *Ciaconium*.

Tom. IX.

ARTICULUS II.

De ALEXANDRO V. & JOANNE XXIII.

Alexander V.

PEtrus *Philargus*, vulgo *de Candia* nuncupatus, quem alii ex Insula Cratensi in Græcia, alii ex Candia oppido Papiensis Territorii, ex gente *Philarga* ejus Urbis civilitate ornata, quæ & Chursnallum oppidum Novariensis ditionis fiduciaria potestate teneret, oriundum scripsere, Theologus eximius, in sacra Facultate Parisiensi Doctor, & in Fratrum suorum Minorum Collegio quondam Professor, a *Galeatio Vicecomite* Insubrum Principe in familiaritatem ascitus & summo in honore habitus, primum Vicentinus, postea Novariensis Episcopus, mox Archiepiscopus Mediolanensis; ab *Innocentio* VIII. Sanctorum duodecim Apostolorum Cardinalis Presbyter creatus, *Benedicto* XIII. & *Gregorio* XII. sacri Concilii Pisani Sententia exauctoratis, Cardinalium viginti quatuor concordibus suffragiis legitimus Pontifex electus est, die 15. Junii anno 1409. nomenque sibi sumpsit, *Alexander Quintus*. Concilii Pisani Decreta confirmavit; Christianos Principes ad sacram Militiam contra Turcas excitavit. Constitutionem edidit in favorem Religiosorum Mendicantium, quæ incipit his verbis, *Regnans in excelsis*: contra quam reclamavit Parisiensis Academia; Fratres nostri Prædicatores, & Carmelitæ palam professi sunt hanc se insciis impetratam fuisse, nec eam approbare, seque Privilegiis præcedentium Pontificum esse contentos. Cum enim non ita pridem Academiæ restituti essent, a qua ob *Joannis de Montesono* errores diu exules fuerant, Privilegiis uti noluerunt, quæ ipsos cum Episcopo & Universitate Parisiensi committerent. Quæ in re laudanda ipsorum prudentia fuit. Fratres vero Minores de *Alexandri Quinti* Exaltatione intemperantius exultantes, ejusque in Ordinem suum amore & benignitate abusi, pertinaciores fuerunt, quibus juncti Augustiniani, cum Privilegiis nova illa Constitutione collatis cedere nollent, Edicto Regio publica Præconum voce, Parochis prohibitum est gravi mulcta, ne ipsos in Ecclesiis suis Confessiones audire, aut Conciones habere sinerent. Ita refert Sandionysianus Monachus in Historia *Caroli Sexti*. Idemque in MS. Codice Victorino legitur, quem laudat *Spondanus* ad annum 1409. Num. 21. In *Ladislaum* Neapolitanum Regem judicio egit, savitque *Ludovico* Andegavensi. Romam e *Ladislai* tyrannide vindicatam ad *Alexandri Quinti* obsequium traduxit *Paulus Ursinus*. Sbinkoni Archiepiscopo Pragensi jussit idem Pontifex, ut adversus Wickleffi errores a *Joanne Hus* per Boemiam propagatos invigilaret, adhibitisque in Concilium Doctoribus, illos in Ecclesiis, Scholis, & quibuslibet locis doceri prohiberet; & Hæreticos eorumque fautores juris remediis coerceret. *Alexandri* ad *Sbinkonem* literas exhibet *Odoricus Raynaldus* ad annum 1409. Num. 89. Obiit Bononiæ, die quarta Maii anno 1410. Venenato clystera extinctum *S. Antoninus* testatur. Varia doctrinæ monumenta transmisit ad posteros. Fuit is magno erectoque animo, summa prudentia, incredibili in pauperes præcipue liberalitate; quibus levandis ita studuit, ut nihil

hil omnino sibi reservaret, nec videri sibi sapientes ajebat, qui cum summam gloriam eroganda pecunia comparare possint, summam aut colligenda infamiam, aut asservanda invidiam conflant. Nam cum triplex sit ea in re errandi ratio, eorum qui, onde fas non est, aurum comparant; qui obi compararerint, nemini dant; qui dant quidem, sed non quibos dare maxime oporteret: primos raptores, alteros lucifugos, postremos dilapidatores appellabat: feliciter eos summum sibi locum adipisci, qui faciliorem inde sibi sternunt ad cœlos viam. Ita refert *Ægidius* Cardinalis *Viterbiensis* in Historia MS. Per jocum dicere solebat, Se divitem Episcopum fuisse, pauperem Cardinalem, mendicum Pontificem, ut *Platina* commemorat. Sedit menses decem & dies octo. Nullos creavit Cardinales, sed veterum Titulos primos Pontificum mutavit, ut Ciaconius, *Petrus Rodulphi*, & *Andreas Victorellus* observant.

Joannes XXIII. & ejus mores.

II. *Alexandro Quinto* sexdecim Cardinalium suffragiis suffectus est, *Ludovici Andegavensis* Siciliæ Regis commendatione, *Balthassar Cossa* Neapolitanus, Titulo *S. Eustachii* Presbyter Cardinalis, Bononiæ Legatus, *Vir quidem in temporalibus magnus, in spiritualibus nullus omnino atque ineptus*; ut *Leonardus Aretinus*, *Theodoricus Niemus*, & *S. Antoninus* testantur. His *Platina* consentit: *In homine*, inquit, *plus ferociæ, plusque audaciæ & sæcularitatis (ut ita dicam) erat, quam ejus professio requirebat. Militaris prope habebatur ejus vita, militaris mores; adeo ut multa etiam quæ loqui fas non erat, sibi licere arbitraretur.* Audito *Ruperti* Imperatoris obitu, *Sigismundum* Hungariæ Regem Electoribus ad successionem Imperii commendavit. *Ludovicum* Andegavensem & *Paulum Ursinum* in *Ladislaum Regem* Ecclesiæ hostem & *Angeli Corrarii* Pseudo-pontificis fautorem immisit. Certamine commisso fugatus est *Ladislaus*, magna suorum strage, præcipuorumque Procerum captivitate: sed Ducibus a prosecutione victoriæ cessantibus, animos viresque resumpsit, & *Ludovicum* Regni aditu prohibuit. *Ludovico Andegavensi* in Gallias reverso, Pontifex de potentia sua diffidens, factum bellum in *Ladislaum* velut in Ecclesiæ hostem indixit. Quo territus pacem Rex init cum *Joanne*, ad ejus obedientiam accedens, relicto *Gregorio XII.* quem hucusque tuitus fuerat. Id factum anno 1412. quo vertente, Concilium Romæ celebravit, ut Pisano Concilio morem gereret, quod Generale Concilium triennio post iterum celebrandum statuerat; sed cum Prælati tanto numero non convenissent, quantum rerum gerendarum gravitas postulabat, nec universalem Ecclesiam Synodus illa repræsentaret, Œcumenica dici non potuit. In ea VVicklefi errores librique damnati sunt. Anno sequenti perfidus *Ladislaus* Romam aliasque Ditionis Ecclesiasticæ urbes & castra occupavit. Compulsus in fugam Pontifex, Florentiam venit, indeque Cardinales duos ad *Sigismundum* Romanorum Regem tunc in Italia agentem Legatos misit, tum ut ejus opem contra *Ladislaum* implorarent, tum ut de Concilii Œcumenici proxime celebrandi loco cum ipso agerent. De Constantia ad Rhenum convenerunt, quam paulo post *Joannes* Laudæ cum Rege congressus, ad totius orbis Catholici Comitia celebranda designavit. Concilium itaque Constantiense indixit ad Kalendas Novembres anni proximi 1414. Mortuo interim *Ladislao*, Italiaque ab ejus tyrannide liberata, cum Pontifex Romam reverti decrevisset, ipsum ab eo consilio Cardinales dimoverunt, ne Synodi Œcumenicæ celebratio Ecclesiæ paci adeo necessaria intempestivo ipsius reditu disturbaretur, ipsique persuaserunt ut negotia spiritualia & Ecclesiastica per seipsum, temporalia per Vicarios & Legatos gereret, ut Acta MSS. Concilii ab *Odorico Raynaldo* laudata, *Leonardus Aretinus*, & *S. Antoninus* testantur. Prioribus duabus Concilii Sessionibus præfuit *Joannes XXIII.* Tum Concilii dissolutionem meditatus, ne cessionem promissam juramento ac voto confirmatum exequi cogeretur, Schaffusiam aufugit. Sessione 12. lata in ipsum exauctorationis Sententia, cui se parere humiliter professus, Pontificiæ Dignitatis insignia deposuit. Nihilominus *Ludovico* Comiti Palatino Rheni commendatus, *Haidelbergam* primum, deinde ad castrum *Gorlevem* ductus est, & triennio diligentissime custoditus. Tandem cum ad *Martinum V.* duceretur, fuga evasit: At liber suique juris factus, meliori consilio, suaque sponte Florentiam venit, ubi *Martinus V.* agebat & ad ejus pedes procumbens, eum ut legitimum Pontificem veneratus est, omniaque a Concilio Constantiensi de se Decreta rursus approbavit & rata habuit, 9. Kalendas Julii. A Pontifice Cardinalis Episcopus Tusculanus & Sacri Collegii Decanus renuntiatus est, ac sedes ipsi prope Pontificiam paulo eminentior quam cæterorum Cardinalium posita, ob memoriam Romani Pontificatus, quem aliquando justa ac legitime gesserat. Obiit Florentiæ die 22. Decembris ejusdem anni 1419. Cardinales creaverat *Franciscum Landum* Patritium Venetum, Juris utriusque Doctorem, Gradensem primum, deinde Constantinopolitanum Patriarcham, *Antonium Panciarinum de Portogruario*, Aquilejensem Patriarcham; *Joannem*, Lusitanum, Ulissiponensem Archiepiscopum; *Alamannum Adimarum* Nobilem Florentinum, suæ primum urbis Episcopum, deinde Tarentinum, tandem Pisanum Archipræsulem, Sedis Apostolicæ Legatione in Galliis functum; *Petrum de Alliaco*, Gallum, Compendiensem, in Sacra Facultate Parisiensi Doctorem Theologum, Regii Collegii Navarrici quondam Gymnasiarcham, *Carolo VI.* Regi Christianissimo ab Eleemosynis, Regii Sacelli Thesaurarium, auctorem Ecclesiasticum, Aniciensem, deinde Cameracensem Episcopum: *Georgium Rosco* seu *Ruscu*, Tridentinum Episcopum & Principem: *Brandam Castellionium*, Placentinum Episcopum: *Thomam Brancacium*, ex sorore nepotem, Tricaricensem Episcopum: *Thomam Langles*, alias *Armellinum*, natione Anglum, Dunelmensem Episcopum: *Robertum Alun*, Anglum Sarisberiensem Episcopum: *Ægidium de Campis*, Theologum Parisiensem, *Carolo VI.* Regi Christianissimo a Confessionibus, Constantiensem in Neustria Episcopum: *Franciscum Zabarellam* Patavinum, Juris Canonici Doctorem ac Professorem celeberrimum, qui summam eruditionem variis Operibus prodidit, Florentinum Archiepiscopum: *Lucidum*, seu *Lucium de Comitibus*, Nobilem Romanum: *Guillelmum Philasterum*, alias *Filastrum*, Gallum, Cœnomanum, Juris utriusque Doctorem insignem, ex Decano Ecclesiæ Metropolitanæ Remensis, Aquarum Sextiarum Archipræsulem: *Simonem de Cramaudo*, Gallum, Episcopatu Pictaviensi, aliisque ornatum, ad Remensem Archiepiscopatum translatum, & Alexandrino Patriarchatu adauctum: *Jacobum Insulanum*, Nobilem Bononiensem; *Guillelmum Carbonum* Neapolitanum, Episcopum Theatinum.

Concilium Romanum.

Concilii Constantiensis indictio & celebratio.

Joannis XXIII. exauctoratio.

Joannis XXIII. Cardinales.

SCHOLION.

In hoc Articulo, pag. 15. Edit. primæ Religiosi Censores hanc Propositionem notant; *Prudenter Dominicani noluerunt acceptare Privilegia sibi data a Papa qui exules remanserant ob errores Montesoni.*

R. *Alexander Quintus*, Pontifex Maximus Constitutionem ediderat in favorem Religiosorum Mendicantium, contra quam reclamavit Parisiensis Academia. Fratres Prædicatores professi sunt atque declararunt hanc se inscus impetratam fuisse, nec Privilegiis per eam collatis uti velle, quæ illos committerent cum Episcopo & Universitate Parisiensi, a qua ob errores Joannis de Montesono diu exules fuerant. Historiæ res est. Hac in re laude dignam censui Fratrum nostrorum prudentiam, qui & Ecclesiæ Parisiensis, & Universitatis paci sua cessione consuluerunt. Sane cum Privilegia Religiosis Ordinibus concedantur ab Apostolica Sede in Ecclesiæ bonum ac ædificationem; religiosæ ac generosæ prudentiæ fuit novis privilegiis non uti, quæ pacem perturbatura videbantur, & eximios salutis animarum fructus quæ Religiosi Viri concionibus ac lectionibus suis in Diœcesi & Academia Parisiensi producturi erant Dei gratia adjuvante, impeditura, nisi cum Episcopo & Universitate Parisiensi concordessent.

ARTICULUS III.

De MARTINO V.

I. PETRO *de Luna* & *Joanne* XXIII. exauctoratis, cum & *Gregorius XII.* sponte Pontificis infulas posuisset, Sessione 41. Concilii Constantiensis de legitimo Pontifice eligendo actum est. Triginta viri spectatissimi ex universis Nationibus delecti, una cum Cardinalibus, qui antea vel *Joanni*, vel *Gregorio*, vel *Benedicto* adhæserant, numero viginti tribus, die 8. Novembris anni 1417. Conclave ingressi, die 11. *Sancto Martino* sacra Summum Pontificem concordibus suffragiis elegerunt *ODONEM DE COLUMNA*, Romanum, ex nobili Columnensium familia, Sancti Georgii ad Velum Aureum Diaconum Cardinalem, qui *Martinus V.* appellatus est. „ Tanta fuit de ejus

„ crea-

„ creatione omnium lætitia, ut præ gaudio vix loqui homines poſſent. Effuſus nimio gaudio Imperator, nullo habito dignitatis ſuæ diſcrimine, conclave ingreſſus, & gratias omnibus egit, qui tantum virum & tam neceſſarium Reipublicæ Chriſtianæ prope extinctæ delegiſſent: & ante Pontificem proſtratus, cum ſumma veneratione ejus pedes eaoſculatus eſt; quem contra Pontifex amplexus, non ſecus ac fratrem in pratio habuit, eique gratias egit, quod ſua opera & induſtria pax tandem Eccleſiæ reddita eſſet. Ad hunc honoris apicem tum cæteræ virtutes, tum eximia præcipue moderatio ipſum eatulere. Nam cum in Conventu Conſtantienſi multæ in utramque partem altercationes haberentur propter diverſa factionum ſtudia, ipſe medium quoddam tenuit quo in alterutram partem inclinare nullo modo videbatur, communi utilitati ſemper conſulens. In conſultationibus autem miræ prudentiæ vir eſt habitus. Nam & quid agendum, & quid vitandum eſſet, ſtatim re propoſita acutiſſime dijudicabat. Brevis in dicendo, cautior in agendo, adeo ut prius rem factam cernerent homines, quam ab eo excogitatam putarent. Ejus autem ſermo plenus ſententiis erat. Ex ore ejus nullum verbum tam crebro, quam juſtitiæ nomen prodibat. Ad ſuos perſæpe converſus maxime ad eos qui provincias & civitates gubernabant, his vocibus utebatur: *Diligite juſtitiam qui judicatis terram*. Indigebat tum profecto tali Pontifice Eccleſia Dei, qui naviculam *Petri*, ſchiſmatis & omnium ſeditionum fluctibus quaſſam, redigere in portum ſalutis, gubernaculo admotus ſciret ac poſſet." Verba ſunt *Platinæ*. Reliquis Synodi Conſtantienſis præfuit Seſſionibus.

[*Martini V. elogium.*]

[*Acta Martini V. contra Hæreticos.*]

Conſtitutionem edidit 3. Kalendas Martias anni 1418. contra *Wickleffi*, *Joannis Hus*, & *Hieroaymi de Praga* peſtilentiſſimas hæreſes, quæ in Regno Bohemiæ & Marchionatu Moraviæ graſſabantur, qua Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis juſſit, ut hæreticos, eorumque fautores & defenſores, ex præſcripta judiciorum forma coercerent; eorumque mentem circa Fidei Catholicæ dogmata, damnatis a ſacra Synodo Conſtantienſi Articulis oppoſita explorarant, ſecundum ſubjectam Formulam in triginta quinque capita diſtinctam. Iſta Conſtitutio, quæ incipit his verbis, *Inter cunctas*, promulgata in Concilio Conſtantienſi Seſſione 45. in Bullario etiam Romano Tom. I. pag. 309. edita eſt. *Joannem Dominici* Cardinalem Raguſinum ex Ordine FF. Prædicatorum aſſumptum, in Bohemiam & Hungariam Legatum miſit ad exſcindendas hæreſes, & Hæreticos ad veritatem Catholicæ Fidei, ad unitatem Eccleſiæ, & Sedis Apoſtolicæ obedientiam revocandos. Mandata ampliſſima Legato data exhibet *Odoricus Raynaldus* ad annum 1418. num. 9. Sacram adverſus Huſſitas expeditionem indixit, miſſo eam ob rem *Branda* Cardinali Sedis Apoſtolicæ Legato, cum *Joannes Dominici* in Hungaria pie defunctus eſſet. Mandata *Brandæ* Legato data legere eſt apud *Odoricum Raynaldum*, ad annum 1421. num. 6. Ad *Sigiſmundum* Romanorum Regem, & Septemviros, Nuremburgæ Comitia Imperii celebrantes, ſcripſit ut Expeditionem Bohemicam urgerent. Germaniæ Clero ſubſidiaria ſtipendia in ſacri belli ſumptus imperavit. Pontificias ea de re literas edidit *Odoricus Raynaldus* ad annum 1422. num. 19. & 20. *Alexandrum* Lithuaniæ Ducem ab auxilio hæreticis ferendo deterruit. Cumque nefaria hæreſis in Poloniam penetraſſet, Gneſnenſis Archiepiſcopi, & Plocenſis, Cracovienſis, Poznanienſis Epiſcoporum vigilantiam zelumque excitavit, ut exitiales illius propagines ex agro dominico evellerent.

[*Ibid. Num. 21.*]

Latam ab Apoſtolico Legato excommunicationis ſententiam in *Sigiſmundum* Lithuaniæ Principem, Regis Poloniæ nepotem, qui ſpe Regni Bohemici delinitus, hæreticorum patrocinium contracto exercitu ſuſceperat, confirmavit, datis ad Præſules Hungariæ, Bohemiæ, Poloniæ, & Germaniæ literis 10. Kalendas Januarii anno 1424. *Wladislao* Polonorum Regi gratulatus eſt, quod oblatam ab hæreticis Bohemici Regni coronam reſpuiſſet, ac nepotem ipſis fœderatum hoſtis loco ſe habiturum profeſſus eſſet.

[*Num. 25.*]

[*Apud Odoricum Raynal. Num. 21.*]

Conradum Pragenſem Archiepiſcopum Apoſtatam, qui Huſſitis ſe adjunxerat, coactoque conciliabulo errores confirmaverat, propagaveratque, anathemate confixit, Archiepiſcopali Dignitate dejecit, omnique dignitate, honore, ordine, ſtatu, beneficio, Privilegio, ac libertate Eccleſiaſticis & mundanis privatum edixit; Germaniæque juſſit Epiſcopis ut illum caperent, & in cuſtodiam traderent. Sententiam 4. Nonas Januarii anno 1426. latam Annalibus ſuis inſeruit *Odoricus Raynaldus* ad eumdem annum num. 11.

[*Ibid. Num. 9.*]

Quia vero *Conradus* in Pſeudo-ſynodo ſua Decretum de Communione ſub utraque ſpecie Laicis exhibenda ediderat, *Martinus V.* Concilii Conſtantienſis Decretum de Euchariſtia ſub ſpecie panis dumtaxat iiſdem porrigenda confirmavit, & Germaniæ, Hungariæ, & Poloniæ Præſulibus & Inquiſitoribus juſſit, illud executioni mandari curarent, & illius tranſgreſſores velut hæreticos coercerent. Pontificiæ Literæ apud Auctorem modo laudatum extant ad eumdem annum N. 13. *Jordanum* Cardinalem *De Urſinis*, Albanenſem Epiſcopum in Germaniam, Hungariam, & Poloniam Legatum Apoſtolicum miſit, ut ſacram expeditionem adverſus Bohemos hæreticos promoveret. *Witoldum* Magnum Lithuaniæ Ducem hortatus eſt, ut ad hæreſim delendam pro viribus incumberet, Fidei Orthodoxæ ſuccurreret. Anno Chriſti 1427. Bohemicam Legationem *Henrico* S. Euſebii Presbytero Cardinali ad hæreſim debellandam impoſuit Pontifex. Teſtes ſunt ejus literæ ab *Odorico Raynaldo* editæ num. 1. 2. 3. & 6. Cum vero Catholicus exercitus ingentem ab hæreticis cladem, Deo ita permittente, accepiſſet; eaque conterriti Pilzinenſes, inducias cum hæreticis ea conditione pepigiſſent, ut in Natali Domini publica diſputatio de Controverſiis Fidei cum ipſis fieret, periculoſum congreſſum *Martinus V.* diſſuaſit, prohibuitque. Quidquid enim agunt (inquit) *non eo ſpectat ut ipſi converti velint ad ſanam doctrinam, ſed ut mentes veſtræ ſubvertantur. Ideo devotionem veſtram rogamus, vobis nihilominus injungentes, ut cum fide ſtetis firmi, fundati ſupra petram, quæ eſt Chriſtus, nolitis ingredi vias lubricas, ne cadatis; ſed fugiatis hanc convocationem, & diſputationes inutiles, quæ nihil valent niſi ad ſubverſionem animarum veſtrarum. Satis probata, immo comprobata eſt Fides Catholica tot Martyrum ſanguine, & dilucidata tot Conciliis, tot SS. Patrum Sanctionibus, tot SS. Doctorum Scripturis, tot expoſitionibus excellentium virorum, ut ſuperfluum ſit ſuper ea diſputare amplius, ſalutare autem ſequi quæ ab illis nobis ſunt tradita.*

[*Apud Odoricum Rayn. ad an. 1427. Num. 7.*]

Nec animos deſpondit magnanimus Pontifex, ſed ut bellum ſacrum ad exterminandam hæreſim ferventius urgeretur, Viris Eccleſiaſticis toti orbi Chriſtiano contributiones ac decimas imperavit, quintam ipſe redituum Ærarii Apoſtolici partem attribuit, Diplomate dato 8. Kalendas Novembris anno 1427.

II. Nec VVickleffiſtarum & Huſſitarum dumtaxat Hæreſes abolere curavit Pontifex vigilantiſſimus, ſed in Fraticellorum, qui vulgo *Fratres de Opinione* in Italia vocabantur, excidium incubuit. Ejus literas ad Præſules & Inquiſitores ea de re datas anno 1428. exhibet *Odoricus Raynaldus* Num. 11. Albanenſi & Portuenſi Epiſcopis Cardinalibus ampliſſimam dedit ad eoſdem Hæreticos exſcindendos auctoritatem an. 1421. Iiſdem oppoſuit *B. Joannem Capiſtranum* Ordinis Minorum Profeſſorem ſanctiſſimum, *Jacobum Antonii a Monte Brandone* ejuſdem Ordinis Concionatorem egregium, & *Bernardum e Bryandis* Ordinis FF. Prædicatorum Doctorem, ut Barcinonenſem, Gerundenſem & Uticenſem Diœceſes ejuſmodi hypocritarum lue expurgaret. Teſtes ſunt Literæ ex *Martini V.* Regeſto indicatæ ab *Odorico Raynaldo* ad ann. 1426. Num. 8. *Nicolai Sorurarii*, Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, damnavit errores, qui Sacramenta ab impiis Sacerdotibus & concubinas publice foventibus valide confici, & Sanctos religioſe coli negabat.

III. *Alphonſum* Aragonum Regem, qui ægre ferens *Ludovici* Andegavenſis Jura in Regnum Neapolitanum ex *Joannæ* Reginæ adoptione, immo Jura Eccleſiæ Romanæ, quæ uſurpare molitus fuerat ipſe *Alphonſus*, a Summo Pontifice vindicari, ab Obedientia Sedis Apoſtolicæ defecerat, & *Ægidio Munione* Antipapa poſt obitum *Petri de Luna* a duobus Pſeudo Cardinalibus eligi juſſo Schiſma continuabat, in Jus vocavit *Martinus V.* anno 1426. eodemque ſcelere obſtricto *Joanni* Armaniaci Comiti diem dixit: ac demum ad Sedis Apoſtolicæ Obedientiam, ad Schiſmatis delendas reliquias, ad Eccleſiarum Immunitatem & Libertatem aſſerendam, ad Regni Neapolitani infeſtationem remittendam, *Petri* Cardinalis Fuxenſis Legati Apoſtolici prudentia & virtute compulit, ut Legationis ejus Acta teſtantur.

[*Acta Martini V. contra Schiſmaticos.*]

Joannem vero Comitem Armaniaci domuit lata in ipſum Sententia, qua non modo Sacrorum uſu, ſed etiam temporali Principatu ipſum privatum edixit, jubens Regi Chriſtianiſſimo, ſeu aliis Principibus ac Dominis, quorum intererat, ut infra annum ejus Comitatus, Vi-

ceco-

cecomitatus, Baronias, Dominia, terras, vel jura, bonaque occuparent; Hac Sententia, quam ad annum 1419. Num. 11. descripsit *Odoricus Raynaldus*, fractum *Joannem* ad *Martini V.* obedientiam rediisse, ejusdem Pontificis Literæ ad ipsum datæ testantur. Græcis a Schismate revocandis curas Apostolicas impendit optimus Pontifex, datis ad *Manuelem* & *Joannem Palæologum*, Græcorum Imperatores, Literis, missisque Nuntiis, qui de conjunctione Ecclesiarum cum ipsis & *Josepho* Patriarcha Constantinopolitano, unionis studiosissimo, agerent; ac Latinorum auxilia contra Turcas ipsis Pontificio nomine pollicerentur, ut primum sacrum fœdus instauratum esset. Hanc Provinciam imposuit *Antonio Massano* Ordinis Minorum Professori, qui cum Imperatore *Joanne Palæologo* & Patriarcha congressus est, Octobri mense, anno 1422. Hujus congressus Acta in Concilio Senensi habentur pag. 307. Tom. XII. Conciliorum Editionis Parisiensis. Respondit Imperator, se non expetivisse unionem simpliciter sub ea fide quam Romana profitetur Ecclesia, nec Oratoribus suis id in Mandatis dedisse, sed ut Concilium Universale *secundum Ordinem & Consuetudinem Sanctorum septem Universalium Conciliorum* celebraretur, & quod concessisset Spiritus Sanctus ad pacem, illud firmaretur & teneretur. Nullum aptiorem esse locum Constantinopoli. Necesse non esse ut omnes Episcopi ad illud conveniant. Fervente bello Turcico indici non posse, sed illius metu depulso missurum se ad Romanum Pontificem Oratores, ut quamprimum congregetur. De unione tractatum iri, cum Cardinalis Legatus Constantinopolim appulerit. Cæterum sanctum opus promoveri non posse, nisi auxilia contra Turcas mittantur. Imperatoris ad *Martinum* V. Literas exhibet *Odoricus Raynaldus* Num. XV.

IV. Concilium Œcumenicum Ticini ex Decreto Synodi Constantiensis celebrandum, ac ibidem inchoatum, cum pestifera lues in ea Urbe grassaretur, Senas transtulit *Martinus V.* ibique celebravit annis 1423. & 1424. Sed Apostolici Legati Concilii Præsides ipsum justis de causis dissolverunt, & Concilium Basileense ad septennium, ex prædicti Concilii Constantiensis Decreto indixerunt. Quam dissolutionem, indictionemque Pontifex confirmavit, ut docent ejus Literæ in Actis Concilii Senensis & ab *Odorico Raynaldo* ad annum 1424. Num. 5. editæ. Ne vero propter ejusdem Concilii dissolutionem Reformatio universalis Ecclesiæ & Romanæ Curiæ negligi aut differri videretur, selectis Cardinalibus Provinciam commisit inquirendi, & consulendi ea de re, & a quibuslibet recipiendi Monita & consilia in scriptis circa Reformationis istius capita, ut tandem omnibus in unum collectis tam sanctum negotium conficeretur. Utque ad restaurandam disciplinam efficacius ac felicius collaborarent Domini Cardinales, has ipsis Leges imposuit, quas ex Vaticanæ Ecclesiæ Tabulario descripsit *Felix Contelorius* in ejus vita: *Cardinales munditie vitæ alios præcellant, ac sobrie, juste, pieque vivant; non solum a malo, sed a specie mali abstineant, pœnam in aliorum exemplum subituri, si vitam suo statui minime congruentem ducere comperti fuerint. Humilitatem continuo exerceant, Prælatosque benigne ac honorifice pertractent. Domus suæ sic bene præesse studeant, familiamque, tam Clericorum quam Laicorum honestam, honestisque vestibus incedentem induant; Sacerdotesque & Levitas in testimonium bonum secum habeant. Protectiones Regum, Principum, Comitum, aliarumque Personarum Sæcularium non assumant, assumptasque non exerceant, ut liberius ipsi Sanctissimo in Consiliis ac aliis actibus valeant assistere, &c.* Narbonensem Ecclesiam Metropolitanam Viennensis ac Bituricensis Primatus jure & imperio solutam dixit anno 1418. Simoniacos, & omnes qui ipsos non detulerint, Censuris Ecclesiasticis percussit. Sedis Apostolicæ Nuntiis in Anglia dedit in mandatis, ut Cantuariensis Archiepiscopi temeritatem coercerent, qui Romanorum Pontificum auctoritatem æmulatus, Jubilæi statis temporibus recurrentis speciem quamdam effinxerat, Ecclesiamque Cantuariensem visitaturis plenariam proposuerat Indulgentiam, qualem Apostolorum limina Romæ lustrantes Jubilæi tempore consequuntur: quin & Pœnitentiarios instituerat, qui ab omnibus peccatis, nulla exceptione facta, nullove habito discrimine, ipsos absolverent. In dandis Beneficiis mira prudentia usus est. „ Non enim unicuique petenti ea conferebat, sed statim mente agitabat quis potissimum as„ set idoneus cui talis cura demandaretur. Quod si ho„ mines Provinciarum non nosset, in quibus vacaro „ Beneficia contigisset, statim peritos regionum consu„ lebat, quis aut in Curia, aut Gymnasiis publicis, „ esset doctrina, nobilitate, moribus tanta provin„ cia dignus. Atque hac quidem ratione & Ecclesiis, „ & hominibus honore dignis pariter consulebat cum „ maxima celebritate nominis sui. Verba sunt *Platinæ* in ejus Vita.

Leges Cardinalibus posita.

Literas Martini V. ea de re datas apud Odoric. Raynald. legere est ad annum 1439. Num. 21.

V. Apostolicam in Christianos Principes beneficentiam explicuit, dissidentes conciliare studuit, Ecclesiæ Jura & Libertates adversus ipsos generose fortiterque defendit *Martinus V.* Magnis auxit Privilegiis VVLADISLAUM Poloniæ Regem propter bella in Barbaros præclare gesta, susceptos pro Græcis ad unitatem Ecclesiæ revocandis labores, Samogitas populos ad Christi fidem traductos: eumque in Polonia, Novagroda, Pliskouvia, & Russia Vicarium instituit ad Infidelium & Schismaticorum conversionem. Siciliæ Regnum, Sedis Apostolicæ Beneficiarium, *Joannæ* Reginæ contulit, ejusque jura adversus *Alphonsi* Aragonum Regis tyrannidem tuitus est. *Henricum, V.* & *Henricum VI.* Angliæ Reges ad pacem *Carolo VII.* Regi Christianissimo concedendam pluribus Legationibus est adhortatus. A *Carolo* obtinuit ut Leges Ecclesiasticæ Libertati, & Sedi Apostolicæ incommodas, de Beneficiorum collatione, & causarum Ecclesiasticarum judicio, tempore Schismatis a Patre latas rescinderet, vel emendaret, eumque solvit juramenti religione, quo se ad illarum observantiam, cum junior Delphinus esset, quondam obstrinxerat. Ipsius Majestatem, id præstaret, verbis amantissimis obsecravit. *Multa sunt* (inquit) *magna & gravia officia, ad quæ te nunc strictius obligavit Regiæ Dignitatis auctoritas, quibus satisfacere sine magna difficultate non potes: sed ipsa Regalis Amplitudo nihil tibi efficacius commendavit, & quod possis adimplere facilius, quam defensionem Ecclesiæ, & conservationem Ecclesiasticæ Libertatis. Nam in cæteris Regni muneribus obeundis plerumque armatis exercitibus indigebis, & consensu ac voluntate auxilioque multorum, quæ plerumque non facile comparantur; ad hoc unum pium opus & debitum Dignitati Excellentiæque Regali tuæ, sola vox sufficit, ut tuo beneficio corrigatur, quod aliena culpa peccatum est. Quare, Fili charissime, cum ad hoc teneraris, & facile implere possis, cum suave Chirographum nobis dederis tuæ erga nos constantissimæ devotionis & fidei, sine ulteriori dilatione velis nunc illud auctoritate Regia comprobare, abolendo statim atque cassando omnia interdicta contraria Ecclesiasticæ Libertati, ut omnes intelligant Te, sicut Regem decet, & Regem de Christianissima Domo Franciæ procreatum, venerari Ecclesiam Dei, & Te penitus inserere in sinu charitatis nostræ.* VVintoniensi Episcopo *Henrico* dedit in Mandatis, ut Edictum Pontificiæ Dignitati, & Libertati Ecclesiasticæ contrarium a Rege Angliæ promulgatum, in proximo Parlamento rescindi curaret. Regios Consiliarios conveniret, ipsis ostenderet hujusmodi Legem, Conciliorum, SS. Patrum, Summorum Pontificum Decretis & Universalis Ecclesiæ observantiæ adversari: exponeret eos Anathemate devinciri, qui Jus Ecclesiasticum lædunt. Idipsum initio Parlamenti significaret. Edicti istius acerbitatem Literæ Pontificiæ his verbis exprimunt: *Perlege Statutum illud Regium, si tamen Statutum, si tamen & Regium dici fas est. Nam quomodo Statutum, quod Statuta Dei & Ecclesiæ destruit? Quomodo Regium, quod justitiam perimit, contra id quod scriptum est,* Honor Regis judicium diligit? *Imprimis per id execrabile Statutum ita Rex Angliæ de Ecclesiarum provisione & administratione disponit, quasi Vicarium suum Christus eum instituisset: Leges condit super Ecclesias, Beneficia, Clericos & Ecclesiasticum Statum. Ad se suumque Laicalem Curiam Causas Spirituales & Ecclesiasticas jubet introduci; quasi Ecclesiæ claves in manibus haberet... Impias quasdam contra Clericos adjecit pœnas, quæ ne quidem contra Judæos vel Saracenos per ullum de suis Statutis promulgatæ inveniuntur. Possunt ad Angliæ Regnum cujuslibet generis homines libere proficisci: soli acceptantes Beneficia auctoritate Summi Pontificis Vicarii Jesu Christi jubentur exulare, capi, carcerari, omnibusque bonis exui; Executoresque Literarum Apostolicarum, Procuratores, Notarii, & quicumque alii censuram seu processum ab Apostolica Sede in Regnum mittentes aut deferentes, ultimo supplicio deputantur,* &c. In Castella, Aragonia, Lusitania, Polonia, Ecclesiæ Jura pariter tuitus est *Martinus V.* Plurimas Ecclesiasticæ Ditionis urbes castraque recepit, Principum aut Magnatum quorumdam tyrannide, fervente Schismate, occupata. Bononia, quam invaserant Bentivoli, precibus & industria Beati *Conradini* Ordinis Prædicatorum potitus est, qui pro Imperii Pontificii defensione

Martini V. acta cum Principibus.

Ibid. ad ann. 1426. Num. 10.

Ann. 1427.

Apud Odor. Rayn. ad ann. 1426. N. 19.

ne carcerem pertulit, ad subeundum etiam Martyrium paratissimus, ut *Leander* commemorat lib. V. De Viris Illustribus Ordinis Prædicatorum. *Urbani IV.* Decretum de Festo Sanctissimi Corporis Christi celebrando novo Diplomate confirmavit, novisque propositis Indulgentiis Fidelium pietatem excitavit anno 1429. Fratrum Minorum Ordinem reformavit, editis Declarationibus singulorum Capitum Regulæ, quam profitentur a Joanne *S. Petri* ad Vincula Presbytero Cardinali, quem ad Capitulum Generale Assisii celebrandum Legatum a Latere miserat: quas Declarationes Pontifex confirmavit anno 1430. Editæ sunt Tom. I. Bullarii Romani, pag. 328.

Martinus V. a calumnia vindicatus.

VI. *Martinum V.* perperam accusant Hæretici quod cuidam veniam fecerit Matrimonii cum sorore germana contrahendi. Non enim ita se res habet, sed dispensavit dumtaxat cum homine, qui fœminam duxerat, cujus sororem constupraverat. Cujus affinitatis impedimentum solvere posse Summum Pontificem, cum nec Juris naturalis sit, nec divini, omnes Theologi & Canonici Juris Interpretes docent. Quamquam *S. Antoninus II.* P. Summæ Tit. I. Cap. X. testetur ea de re varie tunc a Doctoribus fuisse disceptatum: ideoque dispensasse *Martinum V.* quod fornicatio esset occulta, & vir ille Monasticæ Professioni aut longinquæ peregrinationi impar esset, & gravia ex divortio scandala secuta fuissent. Hæreticis occasionem hujus calumniæ præbuit *Angelus de Clavasio*, qui in hujus facti relatione erravit, & *S. Antoninum* commenti sui testem falso appellavit, ut observat *Spondanus* ad annum 1431. Num. III. Cæterum quanto examine, quam matura deliberatione Dispensationes concederet *Martinus V.* constat ex ea quam concessit *Joanni* Comiti Fuxensi, ut cum prioris uxoris, filiæ *Caroli* Regis Navarræ, sorore nuberet, Navarreni Regni suæ stirpi afferendi spe, & firmandæ pacis Navarros inter & Fuxenses. Quæstionem de Romani Pontificis potestate respectu Dispensationis hujusmodi, virorum doctissimorum examini commisit *Martinus V.* Jure concedi posse Gallicani Doctores, & plerique aliarum Nationum Deputati in Concilio Constantiensi responderant; non solum utilem, sed necessariam fore Inquisitio facta in partibus probaverat; Cardinalium Consilium concedendam esse dixerat, cum nec potestatis Pontificiæ finea excederet, publicique boni ratio id postularet. Nihilominus ad majorem cautionem duobus S. R. E. Cardinalibus commisit, ut quæstione iterum a viris eruditis discussa, dispensationem si fas esset, concederent. *Ad hæc*, inquit, *procedere consultissime intendentes, licet per prius vicibus repetitis multorum peritissimorum tam in Sacra Pagina quam Jure Magistrorum pariter & Deliberatione potissime dilectorum Filiorum Gallicanorum, ac majoris partis Commissariorum aliarum Nationum Sacri Generales Constantiensis Concilii, asserentium hujusmodi dispensationem de Jure concedi posse, & a pluribus notabilibus Dominis & Prælatis illarum partium informatione suscepta intellexerimus, plenarie asserentibus dispensationem ipsam non solum utilem, sed summe necessariam fore, & si non fiat, exinde maxima scandala & horrenda verisimiliter discrimina emersura: consultatione demum per nos habita cum nonnullis ex Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus super his: Nihilominus ut circa præmissam materiam exactissima diligentia & consultius procedatur, circumspectioni vestræ tenore præsentium committimus, quatenus habitis per vos prius super dispensatione hujusmodi facienda, an de Jure divino pariter & humano fieri possit, a peritissimis in Sacra Pagina Magistris, necnon in Jure Doctoribus, consiliis, nec-non Informatione plenaria a fide dignis, quod ex hujusmodi dispensatione ac matrimonio, si sequantur, inter Regem & Comitem, Prælatos, Nobiles, Universitates atque Dominia, partesque prædictas & subditos pax & concordia sint verisimiliter jugiter permansura: de præmissis omnibus & eorum circumstantiis universis auctoritate nostra vos informetis: & si per consilia & informationem hujusmodi inveneritis dispensationem ipsam de jure concedi posse, ac etiam inter partes ipsas pacem & concordiam propterea duratura, super quibus vestras conscientias oneramus; cum ipsis Joanne Comite & Blanca primogenita & herede dicti Regis Navarræ, ut impedimento quod ex affinitate hujusmodi quomolibet provenit non obstante, matrimonium inter se contrahere, & in eo, postquam contractum fuerit, remanere libere & licite valeant, eadem auctoritate dispensetis.* Qui tanta cautione usus est in dispensationibus concedendis, hunc alicui veniam fecisse ducendæ germanæ sororis, ab omni specie veri alienum est.

Martini V. cautio in Dispensationibus concedendis.

VII. Obiit ex apoplexia *Martinus V.* die 20. Februarii, anno 1431. cum annos 13. tres menses, diesque duodecim sedisset, *Temporum suorum felicitas* appellatus in inscriptione sepulchri, quod in Lateranensi Basilica ipsi positum est. Huic (inquit *Spondanus*) Ecclesia unionem, Italia quietem, Roma restaurationem debuit, cæteræ nationes eximiam de omnibus bene merendi voluntatem. Cardinales creavit præstantissimos viros, *Dominicum Ram* Hispanum, Tarraconensem Episcopum, *Damianum Capranica*, Firmanum Episcopum, doctrina, religione, & sanctis operibus admirabilem, XIII. Apostolicis Legationibus clarum, quem *S. Antoninus* Chronici P. III. Tit. XXII. Cap. XVI. impense commendat, ejusque Vitam scripsit *Baptista Poggius*, quam *Baluzius* V. C. edidit lib. III. Miscellaneorum. *Joannem de Rupescissa*, Gallum, Bituricensem quondam Archiepiscopum Constantinopolitanum Patriarcham, Ecclesiæ Parisiensis perpetuum Administratorem, ac demum Rothomagensem Archipræsulem: *Ludovicum Alamandum*, Gallum, Arbencio apud Burgesios illustri genere ortum, Lugdunensis primum Ecclesiæ Canonicum & Comitem, deinde Magalonensem Episcopum, demum Archiepiscopum Arelatensem, virum sanctissimum, quem miraculorum gloria post obitum conspicuum *Clemens VII.* Pontifex Maximus in Beatorum numerum retulit, *Henricum Beaufort*, Anglum, e Regio Sanguine, Cantuariensem Archiepiscopum; *Joannem Pragensem*, Olmucensem in Bohemia Episcopum: *Antonium Casinum*, Senensem Episcopum, Juris utriusque Doctorem, Cameræ Apostolicæ Clericum: *Nicolaum Albergatum*, Bononiensem, suæ urbis Episcopum, ex Carthusiensium Ordine assumptum, Nuntii Apostolici munere in Galliis functum ad pacem inter Francorum & Angliæ Reges componendam, virum eximiæ sanctitatis, Auctorem Ecclesiasticum: *Raymundum Mayrosium*, Gallum, Castrensem Episcopum: *Hugonem Lusignanum*, filium Jacobi Regis Cypri, Nicosiensem Archiepiscopum: *Joannem Cervantes*, Hispanum, Hispalensem Archipræsulem: *Julianum Cæsarinum*, Romanum, scientia & fama probitatis insignem, postea in Concilio Basileensi *Eugenii IV.* Legatum, in Florentino præcipuum Catholicæ Fidei vindicem adversus Græcos: *Prosperum Columnam*, Romanum, ex Fratre Nepotem: *Joannem Casanova*, Hispanum, Regi Aragonum quondam a Confessionibus, Sacri Palatii Magistrum, deinde Elnensem Episcopum: *Guillelmum de Monteforti*, Gallum, Macloviensem Episcopum: *Leonardum Statium*, Florentinum, totius Ordinis FF. Prædicatorum Generalem Magistrum.

Martini V. Cardinales.

ARTICULUS IV.

De EUGENIO IV.

I. Justis *Martino V.* persolutis Cardinales in Conclavi congregati in Conventu *S. Mariæ super Minervam* Ordinis Fratrum Prædicatorum, quinto Nonas Martii anno 1431. in Summum Pontificem elegerunt *Gabrielem Condulmerium*, Venetum, *Gregorii XII.* ex sorore nepotem, *S. Clementis* Presbyterum Cardinalem, qui sibi nomen sumpsit *Eugenius IV.* Statim atque coronatus fuit, juratos a se & Cardinalibus reliquis in Conclavi Articulos diplomate confirmavit; 1. De Reformatione Romanæ Curiæ in capite & in membris, secundum consilium majoris partis Cardinalium. 2. De Romana Curia non transferenda absque eorum assensu. 3. De Concilio Generali loco & tempore debitis celebrando, & de Universalis Ecclesiæ Reformatione in ea sancienda. 4. De Cardinalibus juxta formam a Concilio Constantiensi præscriptam curandis, de consilio & assensu majoris partis Sacri Collegii. 5. De bonis Cardinalium morientium non occupandis, & de libertate condendi testamenti eis relinquenda, exceptis illis qui ex Religiosis Ordinibus sunt assumpti, &c. Pontificatus initio cum a Columnensibus *Martini V.* nepotibus thesaurum pro Ecclesiæ necessitatibus congregatum severe exegisset, civilem seditionem passus ab ipsis est. Sed eorum audaciam Legibus armisque fregit, subsidiariis Florentinorum ac Venetorum copiis in ipsos immissis. Sententiam in ipsos latam apud *Odoricum Raynaldum* ad annum 1431. Num. 10. legere est. *Juliano* Cardinali *Cæsarino* creditam a *Martino V.* Legationem cum ad sacram expeditionem contra Hussitas promovendam, tum ad Œcumenicam Synodum Basileæ celebrandam, confirmavit. Infelix eo anno

Juratos in Conclavi articulos Eugenius confirmat.

fuit

Concilii Basileensis infelix exitus.

fuit belli Bohemici exitus, præcipiti Germanorum fuga, & Cardinalis ad Exercitum contra illos ducendum ac regendum aptioris, incuria. Nec feliciorem habuit exitum Synodus Basileensis, die 23. Julii inchoata, quam statim dissolvere, ac Bononiam transferre frustra conatus est *Eugenius*. Immo precibus Principum, ipsaque rei æquitate, dissolutionis Decretum rescindere, Concilii celebrationem & continuationem approbare, Censuras in Patres Basileenses latas irritas dicere compulsus est Diplomate dato XVIII. Kalendas Januarii, anno 1434. quod Basileæ Nonis Februarii, Sessione XVI. promulgatum est. Novis subinde Synodum inter & Pontificem ortis dissidiis, ipsaque Synodo duas in partes discissa XXV. Sessione, *Eugenius* Translationem Concilii Ferrariam edixit Diplomate dato XIV. Kalendas Octobris anno 1437.

Conciliarium in Eugenium molitiones.

Hinc novi Conciliarium in *Eugenium* motus, quem ab omni administratione Pontificatus IX. Kalendas Februarii 1438. Sessione 31. suspendere, & in eum exauctorationis sententiam Sessione XXXIV. ferre sunt aggressi VII. Kalendas Julii anno 1439. & III. Kalendas Novembris *Amedæum* Sabaudiæ Ducem sub *Felicis V.* nomine Papam salutarunt.

Concilium Ferrariam primum, tandemque Florentiam ab Eugenio translatum.

Synodum Ferrariæ aperuerat *Eugenius* Januario mense anni 1438. Ibi de Græcorum cum Ecclesia Latina conjunctione agi cœptum. Cum vero pestilentia Ferrariæ grassaretur, Synodum Florentiam transtulit anno ineunte 1439. Ibi Constitutionem edidit pridie Nonas Septembris contra Patres Basileenses, eorum Acta & Decreta post Synodi translationem irrita declaravit, illosque ut Schismaticos habendos atque puniendos.

Unio Ecclesiæ Græcæ cum Romana.

Unio utriusque Ecclesiæ feliciter consummata est pridie Nonas Julii, anno 1439. Armenorum Jacobitarumque ad Ecclesiæ Romanæ gremium accessione aucta lætitia est. Decretum de Unione Armenorum, cui Formulam Fidei inseruit *Eugenius*, quam ipsi summa reverentia susceperunt ac professi sunt, post discessum Græcorum editum est IV. Idus Decembris anno 1439. Jacobitæ anno 1441. suscepti.

Unio Armenorum.

Unio Jacobitarum.

Unionis ipsorum Literæ, quæ incipiunt his verbis, *Cantate Domino*, datæ sunt Florentiæ in publica Sessione Synodali, pridie Nonas Februarii, anno 1441. Porro de Conciliis Basileensi & Florentino proprias Dissertationes instituemus.

Sigismundi Imp. coronatio.

II. Sigismundo Romanorum Regi Coronam Imperii solemni ritu Romæ imposuit *Eugenius IV.* sacro die Pentecostes, ultima Maji anno 1433. cum se Catholicam Fidem, & Romanæ cæterarumque Ecclesiarum jura ac privilegia illibata servaturum jurasset. Anno sequenti Romanorum conjuratione, qui Nepotem ipsius S. R. E. Cardinalem in custodiam tradiderant, Romamque *Philippo Mariæ* Duci Mediolanensi dedere meditabantur, fugam capessere, ac Florentiam se recipere compulsus est, ut narrat *Blondus* ejus Notarius lib 6. *VVladislao* Poloniæ Regi plenariam in articulo mortis Indulgentiam concessit, ea lege, ut sacra Exomologesi conscientiam expiaret, & singulis per annum sextis feriis jejunaret.

Eugenii & priscorum Pontificum in concedendis Indulgentiis moderatio.

Tunc scilicet hujusmodi gratiarum parciores adhuc erant Pontifices, cœlestisque thesauri dispensationem ita moderabantur, ut pœnitentialis disciplinæ satisfactionisque necessarium officium non penitus negligeretur: sed *Pœnitenti, operanti, oranti*, (ut ait *S. Cyprianus*, lib. de *Lapsis*) concederet Deus & in acceptum ferret, quod pro eo Pontifices Christi Vicarii decrevissent. *Nicolaum Albergatum* S. R. E. Cardinalem Sedis Apostolicæ Legatum anno 1435. in Gallias misit *Eugenius*, ut in Conventu Attrebatensi pacis inter *Carolum VII.* Regem Christianissimum & *Henricum* Angliæ Regem, Pontificio nomine interpres esset.

Alia Eugenii cum Principibus Christianis.

Conditiones æquissimas Angli respuerunt. Synodi Basileensis, Eugeniique Legati pacem Regem inter & *Philippum* Burgundiæ Ducem conciliavere, Anglis frustra frementibus. Pactorum formula edita est in Appendice Concilii Basileensis, cap. 7. pag. 805. Editionis Parisiensis. Beneficiarium Ecclesiæ Romanæ Neapolitanum Regnum defuncta *Joanna* Regina *Renato* Duci Andegavensi contulit idem Pontifex, & contra *Alphonsum* Aragonum Regem, qui in illud irruperat, jura ipsius tuitus est. *Renatus* a *Philippo* Burgundiæ Duce detinebatur, quem ut a custodia solveret, *Eugenius* rogavit, datis ad ipsum literis; impositaque provincia Cardinali *Albergato* Sedis Apostolicæ Legato, ut hocce negotium promoveret. Hæc gesta ipso anno 1435. Seminarium Clericorum Florentiæ instituit, teste *S. Antonino* 3. parte Chronicorum, tit. 22. cap. 1. §. 6. *Eduardum* Lusitaniæ Regem de libertate Ecclesiastica servanda admonuit, illumque reprehendit, quod causas de jure Patronatus suum ad Tribunal traheret, Præsulesque in jus vocaret. Pontificias ea de re literas exhibet *Odoricus Raynaldus* ad annum 1435. n. 28.

Pragmaticam Sanctionem Eugenius improbat.

Pragmaticam Sanctionem in Conventu Bituricensi editam, & a *Carolo VII.* Rege Christianissimo confirmatam die 7. Julii anno 1438. improbavit, literis ad ejus Majestatem datis anno sequenti, quas apud laudatum Annalium Ecclesiasticorum Continuatorem Num. 28. legere est: Eamque aliis hortatus est Literis ut illam abrogaret, quas anno 1440. Num. 1. refert idem Auctor. Sed Ecclesia Gallicana Rexque Christianissimus, hanc a Romano Pontifice convelli non posse sentiebant, quæ sacri Basileensis Concilii Decretis tota constaret.

Cardinalium præeminentia.

Cardinalibus primum in sedendo locum honoremque supra quosvis Episcopos & Archiepiscopos asseruit, scripta ad Henricum Cantuariensem Archiepiscopum Epistola, quæ dignitatis illius exponit Eminentiam. Ibidem ad annum 1439. Num. 40. edita est, & Tom. 1. Bullarii Romani pag. 351. Civilibus in Castella discordiis motibusque sedandis operam dedit. De miraculis editis a *S. Francisca* Vidua Romana quæ anno 1450. die nona Martii in cœlum migravit, inquiri jussit.

Regis de Paschali Communione explicatio.

Excitata quæstione an Ecclesiæ præcepto de Paschali Communione satisfecissent, qui ipsa die Dominicæ Resurrectionis Eucharistiam non suscepissent; declaravit optimo jure satisfactum esse præcepto, si in hebdomada Sancta vel infra Octavam Paschæ *præparatione debita* Sanctum Eucharistiæ pignus accepissent. Constitutio ea de re edita die 8. Julii 1440. habetur Tom. I. Bullarii Romani pag. 359. *Alphonso* Aragonum Regi qui Neapolitanum Regnum injuste occupaverat, pulso legitimo Rege *Renato*, Andegavensi, ejusdem Regni investituram concessit; rerum suarum necessitate compulsus, cum illius jam in Regno confirmata potentia facile frangi non posset, ejus auxiliis ad *Franciscum Sfortiam* Ecclesiasticæ Ditionis hostem edomandum indigeret, ipsumque *Alphonsum* a *Felice V.* ac Basileensis Concilii partibus abstrahere operæ pretium esset. Pacta inter eos conventa & Diplomata *Eugenii* hoc spectantia negotium suis inseruit Annalibus *Odoricus Raynaldus* ad annum 1443. Eodem anno Romam reversus Pontifex, sacram Expeditionem contra Turcas in Hungaria urgendam decrevit *Juliani* Cardinalis *Cæsarini* Legati Apostolici opera, & *VVladislai* Poloniæ & Hungariæ Regis virtute, missa ex Italia Classe 50. triremium cui *Franciscum Condulmerium*, Nepotem, S. R. E. Cardinalem Camerarium, & Vicecancellarium præfecit.

Expeditio sacra.

Uvarnensi prælio, cui *Amurathes* ipse Turcarum Imperator interfuit, profligatum Christianorum Exercitum, cæsum Polonorum Regem, *Julianum* Cardinalem interemptum luxit Pontifex, anno 1454.

Syri ac Mesopotameni in Ecclesiæ gremium ab Eugenio recepti.

Syros ac Mesopotamenos, quorum Patriarcha *Abdalam* Edessenum Archiepiscopum suo totiusque Orientis nomine in Urbem miserat incorruptæ Fidei regulam ab Ecclesia Romana petiturum in ejusdem Ecclesiæ gremium recepit in Synodo Lateranensi, cum Fidei Professionem secundum formulam ab *Eugenio* sibi traditam edidisset, ejuratis erroribus de Processione Spiritus Sancti a solo Patre, & de una in Christo natura & voluntate, suo Patriarchæ, totiusque Nationis nomine, pridie Kalendas Octobris anno 1444. ut docet Instrumentum ea de re editum, quod III. P. Actorum Concilii Florentini ab *Horatio Justiniano* collectorum legere est. Ad tuitionem Rhodii contra Soldani Ægipti impetus, *Marcum* Patriarcham Alexandrinum amplissima Legatione ornatum, cum valida Classe misit anno 1445.

Chaldæorum & Maronitarum ad Ecclesiæ Fidem & communionem reditus.

Eodem anno Chaldæi & Maronitæ suo ad Ecclesiæ fidem & Communionem reditu *Eugenium* recrearunt, *Timotheus* Metropolitanus Chaldæorum, qui in Cypro versabantur. Tarsensis nimirum Archiepiscopus, & *Isaac*. Nuntius *Eliæ* Maronitarum Episcopi, Gentis utriusque nomine Fidem Catholicam professi sunt, damnatis *Nestoris*, *Eutychetis* & Monothelitarum, quibus antea imbuti erant, erroribus, & Spiritus Sancti Processione a Patre & Filio, nec-non Romanæ Ecclesiæ & Summi Pontificis Primatu approbatis. Id in solemni Sessione Lateranensis Concilii peractum 7. Kalendas Augusti, Pontificiæ Literæ testantur, in Actis Concilii Florentini ab *Horatio Justiniano* collectis relatæ, P. 3. *Friderici III.* Romanorum Regis, Principumque Germanorum Oratores, quorum unus erat *Æneas Sylvius*, anno 1447. suscepit.

Germani ad Eugenii obedientiam reversi, ejurata Neutralitate.

Hi Neutralitatem ejurarunt, quam anno 1438. die 7. Martii amplexi fuerant, & in ea octo annis perseveraverant, Synodum Basileensem reveriti, nec tamen ab *Eugenio* penitus deficientes, sed suspensa veluti obedientia, donec in altero Concilio concordia iniretur. Hac (inquam) ejurata Neutralitate, Germani Principes ac Præsules *Eugenio* ceu vero, unico, & indubitato Pontifici debitam reverentiam & obedientiam per Oratores suos exhibuerunt,

ratores suos exhibuerunt, teste *Gobalino*, & S. *Antonino*, qui in Consistorio, cum hæc gesta sunt, præsens erat. Quatuor conditionibus pacem obtulerunt, postularuntque Germani, 1. Ut Generale Concilium tempore ac loco designando convocaretur. 2. Ut Professio potestatis, auctoritatis, & præeminentiæ Generalium Conciliorum, a Legatis Apostolicis facta, Pontificis ipsius Diplomate confirmaretur. 3. Ut Nationis Germanicæ Gravamina relevaret. 4. Ut quæ contra Coloniensem & Treverensem Archiepiscopos & Electores decreverat, ejus Sanctitas clementer revocaret, illosque pristinum in statum restitueret. His conditionibus ac postulatis annuit *Eugenius*, tribus Diplomatibus quæ apud *Odoricum Raynaldum* habentur, ad annum 1447. num. 5. 6. & 7. Actis omnibus Ecclesiasticis Neutralitatis tempore factis, auctoritatis Apostolicæ robur adjecit: Censuras omnes Ecclesiasticas, mulctas & pœnas, ejus Neutralitatis, aut adhæsionis Concilio Basileensi post ejus dissolutionem atque translationem occasione latas abrogavit Diplomate, quod incipit: *Inter cætera*: quod Tom. I. Bullarii Romani, pag. 372. editum est. Pacis Ecclesiasticæ studio de severiori disciplina & rigidiori exactione Juris aliquid interdum remittendum, maxime si cum populosissimis Ecclesiis, & potentissimis Principibus agatur, œconomia illa sua tam prudenti ac laudabili docuit *Eugenius* IV. Germanici illius fœderis Interpretes ac Promotores fuerant *Thomas* Sarzanensis, Bononiensis Episcopus, & *Joannes Carvajal* Hispanus, Legati Apostolici, qui ob rem bene & feliciter gestam Cardinalitias Infulas promeriti sunt & consecuti. Cæterum prudentissimus Pontifex metuens ne forte in Sedis Apostolicæ detrimentum cederent, quæ, necessitate & Ecclesiæ utilitate exigentibus, Germanis concedebat, publicis Literis contestatus est, se hujusmodi responsis & concessione *non intendere in aliquo derogare doctrinæ SS. Patrum aut præfatæ Sedis Privilegiis & auctoritati; & habere pro non responsis & non concessis, quæcumque talia a se contigisset emanare*. Beatum *Nicolaum Tolentinatem*, Ordinis Eremitarum S. Augustini, virtutibus & miraculis clarum, in Sanctorum numerum retulit Kalendis Februarii anno 1447. Rescissis, quæ de Pontificis electione latæ fuerunt a Synodo Basileensi Legibus, *Gregorii X.* in Concilio Lugdunensi, & *Clementis V.* in Viennensi Decreta servari jussit, cum Pontifex post obitum suum foret eligendus. Obiit ex febre 7. Kalendas Martias ejusdem anni, decimi sexti Pontificatus, ætatis sexagesimi sexti, integro sensu atque aspectu, ut *S. Antoninus* testatur 3. 3. P. Tit. 11. C. 11. §. 17. qui & hoc ipsi cap. 10. scribit Elogium: *Eugenius statura fuit procerus, gratiosus aspectu, nec animo minor, liberalissimus ad pauperes, ad reparationem Ecclesiarum munificus, Religiosos Deum timentes eximio fovebat affectu pariter & effectu, cultus divini & Christianæ Religionis dilatandæ zelator præcipuus*. Vitæ ejus Auctor, cujus MS. a *Ferdinando Ughello* secum communicatum laudat *Odoricus Raynaldus*, testatur ipsum raro vinum bibisse, & unico ferculo contentum fuisse, quod urgente fame, nulla stata hora afferri jubebat, contemptorem auri eximium extitisse: Nepotes Laicos in Pontificio Palatio aluisse, nullo ab aliis Pontificiæ Familiæ Equitibus discrimine, ascivisse in Cubicularios quatuor Religiosos Viros, duos nimirum ex Ordine *S. Augustini*, totidemque ex Monasterio *S. Gregorii de Alga*, in quo olim se Deo devoverat, nec non Clericum, hosque omnes pietate conspicuos, cum quibus Divinum persolvebat Officium: in vili & aspero lecto dormivisse, & abrupto somno lectioni incubuisse; in pauperes fuisse beneficentissimum: ita constantem, ut nullis Principum precibus ab æqui tramite deflecteret: Morti proximum, ad quam susceptis religiose Sacramentis se comparavit, verso ad Viros Religiosos quibus cinctus erat, vultu dixisse: *O Gabriel, quanto magis conduxisset saluti animæ tuæ, ut numquam Cardinalatum vel Pontificatum obtinuisses, sed in tuo Monasterio Religiosam Disciplinam coluisses!* „ Vir fuit aspe-
„ ctu insignis (inquit *Platina*) gravis in dicendo po-
„ tius quam eloquens, modicæ literaturæ, multæ co-
„ gnitionis, Historiæ præsertim; liberalis in omnes,
„ tum maxime in literatos, quorum familiaritate de-
„ lectatus est. *Nam Leonardum Aretinum*, *Carolum*
„ *Poggium*, *Blondum*, Viros doctissimos, Secretis suis
„ admisit. Neminem ad se accedentem dimittebat,
„ quin diligenter sciscitatus esset quid ageretur in Ur-
„ be: hac industria maximos interdum emendavit er-
„ rores. Cum in viros doctos beneficia profunderet,
„ *Non modo eorum Eruditionem amandam, sed indi-*
„ *gnationem quoque formidandam, cum impune offendi*
„ *non soleant, & iis telis sint armati, quæ vitari fa-*
„ *cile nequeant*. Dictum Platonis non contemnendum
„ arbitrabatur, ajentis: *Satius esse Imperatorem vel*
„ *Exercitum armatum, quam Poetam vel Oratorem ira-*
„ *tum hostem habere: Exercitum Exercitu refringi, ho-*
„ *rum stylum studio nullo deleri posse*. Ita refert Ægi-
„ dius Cardinalis Viterbiensis. Humili sepulchro condi voluit, sed *Franciscus* Cardinalis *Condulmerius* ejus Nepos, marmoreum tumulum ipsi posuit cum eleganti Epitaphio, in Vaticana Basilica, ex qua deinde ejus ossa ad *S. Salvatoris in Lauro* translata sunt, ipsique magnificum Mausoleum ibi erectum est. Ipsum eleganti Oratione celebravit *Laurentius Valla*.

Gobel. in Comment. Pii II. Lib. II. S. Antonin. III. P. Chron. Tit. XXX. C. II. §. 27.

Eugenii prudens declaratio.

Eugenii Quarti Elogium.

De Eruditorum amore & commendatione præclara Eugenii IV. sententia.

III. Cardinales creavit meritissimos, *Franciscum Condulmerium*, Nepotem, Bisuntinum olim Archiepiscopum & Patriarcham Constantinopolitanum, demum Veronensem Episcopum: *Angellotum* Fuscum, *Patricium Romanum*, *Joannem Vitelleschum*, patria Cornetanum, Patriarcham Alexandrinum, cui ob Tyrannos & hostes Ecclesiæ subactos, equestrem statuam, in Capitolio cum honorificentissima inscriptione S. P. Q. R. decrevit; in ejusque gratiam Cives omnes Cornetanos Romanorum Civium juribus ac privilegiis donavit; Virum sane meliori fato dignum: *Reginaldum de Carnuto*, Remensem Archiepiscopum, Galliæ Cancellarium: *Joannem Tagliacotium*, Tarentinum Archipræsulem: *Joannem Kemp*, Anglum, Cantuariensem Archiepiscopum, Angliæ Cancellarium: *Nicolaum de Acciapacio*, Italum, patria Surrentinum, Capuanum Archiepiscopum: *Ludovicum de Luxemburgo*, *Gallum* Rothomagensem Archiepiscopum: *Isidorum Thessalonicensem*, Græcum, Ruthenorum Archiepiscopum, auctorem Ecclesiasticum: *Georgium Fliscum*, Genuensem Archiepiscopum: *Bessarionem*, Græcum, Nicænum Archipræsulem, Auctorem Ecclesiasticum, unionis Ecclesiæ Græcæ cum Latina in Concilio Florentino præcipuum Promotorem: *Gerardum Landrianum de Capitaneis*, Mediolanensem, Comensem Episcopum, *Sbigneum Olesnicium*, Polonum, Cracoviensem Episcopum: *Petrum Schombergum*, Germanum, Augustanum Episcopum: *Antonium Martini de Clavibus*, Lusitanum, Eborensem Episcopum: *Joannem Juvenem*, Gallum, Ambianensem, Morinensem Episcopum, *Dionysium Zechum*, Hungarum, Agrigensem Episcopum, postea Strigoniensem Archiepiscopum: *Guillelmum de Estoutevilla*, Gallum, Normannum, Rothomagensem Archiepiscopum, ex Congregatione Cluniacensi assumptum, consanguinitate Regibus Francorum junctum, doctrina Pontificii Juris insignem: *Joannem de Turrecremata*, Hispanum Ordinis FF. Prædicatorum Professorem, Sacri Palatii Magistrum: *Albertum de Albertis*, Nobilem Florentinum, Cameriensem Episcopum: *Ludovicum de Mediarata*, Patavinum, Patriarcham Aquilejensem, Pontificiarum copiarum, post casum Cardinalis *Vitteleschi* Ducem, qui *Piccininum* Philippi Mediolanensis Præfectum, Hetruriam longe lateque vastantem, apud Anglarium vicit, fregit, fugavit: Agrum Picenum a *Francisci Sfortiæ* tyrannide ereptum Romanæ Ecclesiæ recuperavit; Turcas sub *Calixto Tertio* navalibus præliis contudit: *Petrum Barbum* Venetum, ex Sorore Nepotem, Patavinum Episcopum, qui postea fuit Summus Pontifex Paulus II. *Alphonsum Borgia*, Hispanum, Valentinum Archiepiscopum, *Thomam Sarzanensem*, Italum, Bononiensem Episcopum, postea Summum Pontificem Nicolaum V. *Henricum de Sancto Allosio*, Terdonensem primo, deinde Papiensem Episcopum; tandem Mediolanensem Archiepiscopum: *Joannem Siculum*, patria Messanensem, Monachum Congregationis *S. Justinæ* Patavii, & Abbatem *S. Pauli* extra Muros Urbis: *Joannem Carvajal*, Hispanum, Juris peritissimum, ex Rotæ Auditore Placentinum Episcopum, maximis Legationibus ipsius *Eugenii IV. Nicolai V. Calixti Tertii*, & *Pii Secundi* triginta duabus cum insigni laude perfunctum, in quibus *B. Joannis de Capistrano*, Ordinis Minorum, viri sanctissimi opera plurimum usus est.

Eugenii Cardinales.

SCHOLION I.

In hoc Articulo Religiosi Censores hanc propositionem notant, pag. 41. *Olim Indulgentiarum parciores erant Summi Pontifices, cælestisque thesauri dispensationem ita moderabantur, ut Pœnitentiæ effectum non penitus negligeretur*.

R. *Eugenii Quarti* gesta commemorans observavi,

ipsum VVladislao Poloniæ Regi plenariam in articulo mortis Indulgentiam concessisse ea lege ut sacra Exomologesi conscientiam expiaret, & singulis per annum sextis feriis jejunaret. Historiæ res est, cujus occasione scripsi Summos Pontifices tunc Indulgentiarum parciores fuisse. Quid porro in ea observatione Fidei aut Christianæ morum Disciplinæ repugnat? Quid non Concilii Tridentini doctrinæ sanctissimisque Decretis consentaneum est, quod Sessione 25. *In indulgentiis concedendis moderationem, juxta veterem & probatam in Ecclesia consuetudinem adhiberi cupit; ne nimia facilitate Ecclesiastica Disciplina enervetur.*

SCHOLION II.

In eodem Articulo, pag. 41. Religiosi Censores hanc velut meam propositionem notant: *Ecclesia Gallicana & Rex senserunt, Papam non posse Pragmaticam abrogare Sanctionem, approbatam a Concilio Basileensi.*

R. Pragmaticam Sanctionem approbatam a Concilio Basileensi non scripsi, sed ex Basileensis Concilii Decretis conflatam. Quod vero ita senserit olim Ecclesia Gallicana & Rex Christianissimus Carolus VII. facti veritas est nemini ignota qui Historiam legerit. An vere senserint, non expendi eo loci. Cæterum summum Pontificem potestatem novas leges condendi & veteribus substituendi, cum Ecclesiæ necessitas & utilitas evidens id exposcunt, agnosco & fateor. Quid in eo genere possit Apostolica Sedea, Concordatorum in locum Pragmaticæ Sanctionis abrogatæ substitutio a Leone X. facta, ostendit, & a Rege Christianissimo Francisco I. *Tam pro bono obedientiæ, in qua magnum meritum vere consistit, quam pro communi & publica Regni sui utilitate acceptata*, ut loquitur Leo X. in eorumdem Concordatorum Præfatione. S. Cæsarii Arelatensis Episcopi verba in Libello Symmacho Papæ oblato repetimus Sanctissimo Pontifici nunc in S. Petri Cathedra, utinam ad multos annos sedenti: *Sicut a persona Beati Petri Apostoli Episcopatus sumit initium, ita necesse est ut disciplinis competentibus Sanctitas vestra singulis Ecclesiis quid observare debeant evidenter ostendat.* Gallicanorum Episcoporum ad Nicolaum I. scribentium verba usurpamus: *Apostolicis documentis & Pontificalibus Decretis multipliciter informamur, ut vestri sanctissimi Apostolatus apicem, Principis Apostolorum fide & nomine consecratum, quoties sancta Ecclesia aliqua novitate pulsatur, humiliter adeamus, ibique veri consilii saluberrima instituta sinceriter hauriamus, ubi mitis Magister Christus, & Summum Caput nostrum fundamentum Ecclesiæ posuit.* Censemus & credimus, *Romanum Episcopum esse unum jure divino summum in Ecclesia Pontificem, cui omnes Christiani parere tenentur*, ut loquitur sacra Facultas Parisiensis. Denique Hincmari Remensis Archiepiscopi ad Hincmarum Laudunensem scribentis verba sincere & ex animo usurpo: *Ego Decretales Epistolas Sedis Apostolicæ diversis temporibus pro diversorum Patrum consolatione vel consultatione ab ejusdem Sedis Pontificibus datas, & venerabiliter suscipiendas dico & scribo, & sacrosanctorum Conciliorum Canones cum Decretis Apostolicæ Sedis ex iisdem sacris Canonibus promulgatis, & recipiendos, & custodiendos, & servandos profiteor.*

Tom. 3. Concil. Gallia, p. 152.

Oper. Hincm. Tom. 2. Num. 36.

SCHOLION III.

In eodem Articulo, p. 45. Religiosi Censores hanc propositionem notant: *Approbavit Papa summam Concilii auctoritatem.*

R. Mera facti quæstio est, cujus veritas ipsius *Eugenii Quarti* Diplomatibus probata est. *Concilium autem Generale Constantiense*, inquit, *Decretum* FREQUENS, *ac alia ejus Decreta sicut cætera alia Concilia Catholicam militantem Ecclesiam repræsentantia, ipsorum potestatem, auctoritatem, honorem,* EMINENTIAM, *sicut & cæteri Antecessores nostri, a quorum vestigiis deviare nequaquam intendimus, suscipimus, amplectimur, & veneramur.*

Apud Odoricum Raynaldum ad an. 1447. n. 5.

Nota.

SI intenderit Natalis Eugenium IV. ita probasse Concilii œcumenici auctoritatem eminentiamque, dum suscipere Concilium Constantiense professus est, ut agnoverit ejusdem auctoritatem indubitati Pontificis potestati superesse, illi adnuendum non est; nec desinam infra ostendere.

ARTICULUS V.

De NICOLAO V.

I. EUGENIO IV. legitimis suffragiis suffectus est *Thomas Sarzanensis*, Tit. *S. Susannæ*, Presbyter Cardinalis, & Bononiensis Episcopus, cui *B. Nicolaus* Cardinalis, *Albergatus*, cujus in obsequiis ac familiaritate fuerat, Pontificatum prædixerat. In cujus memoriam nomen sibi sumpsit *Nicolaus V.* Ubi nuntium de ipsius electione in Germaniam perlatum est, *Fridericus* Rex Romanorum in solemni Ordinum Imperii Conventu confirmata neutralitatis abrogatione & omni cum *Felice V.* & Basileensibus Patribus communicatione vetita, obedientiam ab omnibus Imperio subditis illi exhiberi jussit Lege lata, cujus hæc præclara verba: *Et non potuimus laudabiliorem, possibiliorem, ac magis Deificum excogitare modum pro Ecclesiæ Dei unione, quam Sanctæ Romanæ Sedi associari, & a communione Christi Fidelium minime segregari.* Rex Christianissimus *Carolus VII.* indicto Lugduni Conventu, cui Treverensis Archiepiscopus, Coloniensis item, atque Ducis Saxoniæ Electorum Imperii, Regum Angliæ & Siciliæ Oratores, *Felicis V.* & Patrum Basileensium Legati adfuerunt, in dissidii extinctionem toto studio incubuit. *Felicem* conveniri placuit Gebennæ tunc agentem, eique cessionem persuadere. Certi compositi sunt articuli, quibus si *Nicolaus* assensum præberet, *Felix* abdicaturus esset. Rex misit Romam Oratores, cum *Nicolao V.* ea de re collaturos. Pontifex plenam potestatem dedit ejus Majestati procurandi pacem Ecclesiæ, & cum *Felice* eique adhærentibus paciscendi, secundum modum a *Roberto* Aquensi Episcopo, Sedis Apostolicæ Legato explicandum, ut constat ex ejusdem Pontificis Literis, apud *Odoricum Raynaldum* ad annum 1447. Num. 19. Anno 1448. *Joannes* S. Angeli, Diaconus Cardinalis, Sedis Apostolicæ in Germania Legatus, cum *Friderico* Cæsare, Principibusque Pactiones quasdam iniit, quibus modus conferendi Ecclesiasticas Dignitates ac Beneficia, & Annatas exigendi, in Germania constitutus est. His *Concordatorum Germanicorum* nomen inditum, quæ *Nicolaus V.* confirmavit Constitutione data Romæ Kalendis Aprilis ejusdem anni quæ incipit: *Ad sacram Petri Sedem*: quam Tom. 1. Bullarii Romani pag. 301. legere est. Annus 1449. faustissimus Ecclesiæ fuit, cessione *Felicis*, & Concilii Basileensis Lausanam translati dissolutione. Publicas tabulas cessionis exhibet *Odoricus Raynaldus* Num. 3. Basileenses Patres *Nicolaum V.* in Summum Pontificem elegerunt, ac *Amedæum* cen concordiæ zelatorem, & Ecclesiasticæ pacis Auctorem commendantes, iisdem honoribus ac privilegiis ornarunt, quibus ut ornaretur, inter *Nicolaum V.* & Christianissimi Regis Oratores convenerat, Sabiensem nimirum Episcopum, S. R. E. Cardinalem, & Sedis Apostolicæ in ditionibus Ducis Sabaudiæ, aliisque in eorum Decreto expressis, Vicarium & Legatum perpetuum renunciarunt. Hæc acta Lausanæ in solemni Sessione 7. Kalendas Maji. Decretum habetur apud *Odoricum Raynaldum* Num. 5. *Nicolaus* Diplomate dato Kalendis Julii promotiones omnes, electiones, confirmationes, provisiones quarumcumque Ecclesiarum ac Beneficiorum, consecrationes, absolutiones, dispensationes bonorum, jurium ac subventionum Sedis Apostolicæ administrationes, & cætera tam justitiam quam gratiam spectantia, seu in foro contentioso, seu in foro conscientiæ, in personis & locis quæ tempore concessionis obediebant *Felici* aut congregatis Basileæ & Lausanæ, nec-non omnia & singula per Ordinarios in iisdem locis eorum auctoritate facta, pro bono pacis & unionis Ecclesiæ de Apostolicæ Potestatis plenitudine approbavit & confirmavit. Hæc *Nicolai V.* Constitutio edita est post Sessionem 45. Concilii Basileensis, Tom. 12. Conciliorum Editionis Parisiensis pag. 663. Altera Constitutione omnes personas cujuscumque dignitatis, ordinis & conditionis, quæ ratione adhæsionis *Felici* & Concilio, Beneficiis aut Jurisdictionibus ab *Eugenio IV.* privatæ fuerant, in integrum restituit. Demum tertia Constitutione omnia contra eumdem *Felicem*, & Basileæ vel Lausanæ Congregatos, vel eis adhærentes, odiose dicta vel scripta, nulla & irrita declaravit; eaque omnia ex *Eugenii* Regestis & aliis quibuscumque locis expungi jussit. Editæ sunt hæ *Nicolai V.* Constitutiones in libro cui titulus est *Amedæus pacificus*. Ad quas si attendisset Annalium *Baronii* Continuator *Odoricus Raynaldus*, & *Nicolai* V. mentem

Ecclesiæ Pax & unitas a Carolo Rege Christianissimo procurata.

Concordata Germanica.

Amedæus in sua obedientia Felix V. appellatus, & Basileensis Concilii reliquiæ ad Nicolai V. obedientiam revocata.

Odoricus Raynaldus notatur.

paci-

pacificam induisset, infinitis injuriis, probris ac conviciis Basileensem Synodum, & *Amedaum* in sua Obedientia *Felicem V.* Papam quondam nominatum non vexasset.

II. Restituta Ecclesiæ pace, *Nicolaus V.* repullulantem in Bosna Manichæorum hæresim eascindere satagit, Sedis Apostolicæ Legatione propterea commissa *Thoma* Pharensi Episcopo. Jubilæum indixit, anno quinquagesimo recurrente, secundum *Clementis* VI. Constitutionem, quod incredibili Fidelium ex toto orbe Christiano Romam concursu anno 1450. celebratum est. Quo etiam anno *S. Bernardinum Senensem* in Sanctorum numerum retulit nono Kalendas Junii. De Bohemis ad fidem revocandis solicitus Nuntios misit in Bohemiam, & inter alios *Æneam Silvium*, qui cum ipsis congressus est: Illuc etiam misit *B. Joannem de Capistrano* Concionatorem Apostolicum Ordinis FF. Minorum, qui multos ad Ecclesiam traduait. *Friderico* III. Coronam Imperii imposuit anno 1452. Classem instruxit Græcis adversus Turcas Constantinopolim obsidentes laturam auxilium, cui *Jacobum* Ragusinum Archiepiscopum, Sedis Apostolicæ Legatione auctum præfecit. Sed ante Constantinopolis a *Mahomete* expugnata est, quam Pontificia Classis appulisset. Quæ etiam a Turcis intercepta est, anno 1453. Christianos Principes ad sacrum bellum confœderare conatus est, decimasque generales Clero Catholico ad hoc opus imperavit. *Stephani Porcarii* conjurationem favente Numine, evasit, dissipavitque. Post excidium Constantinopolitanum, libros Græcos tum Patrum cum Auctorum profanorum conquiri jussit, ac Latinitate donari, teste *Jannozio Manetto* in ejus Vita. Italicam pacem composuit opera *Simonetæ Camers*, Augustiniani, doctrina & pietate insignis, ad eamque firmandam *Dominicum Capranica* Sedis Apostolicæ Legatum Neapolim misit ad *Alphonsum* Aragonum & Siciliæ Regem. „ Viros Doctos sui temporis quotquot invenit, „ toto Pontificatus sui tempore in Libris conquirendis, eascribendis, interpretandis exercuit, neminem„ que qui aliquid Librorum aut invenisset solertia, „ aut ingenio elaboratum edidisset, indonatum abire „ passus est: quamobrem tantum bonorum ingenio„ rum numarum excitavit, ut primus Auctor fuerit „ suis temporibus eloquii & eruditionis. De ipsius li„ beralitate commendanda prædicandaque soli Viri Do„ cti, Pauperes, Pupilli, Virgines datæ nuptui, de„ fensæ Viduæ, instaurata mœnia, refecta Templa, „ & omne genus hominum egentium afflictorumque „ certabant (inquit *Ægidius* Cardinalis *Viterbiensis* in Historia MS.) Obiit Pontifex Maximus & Religiosissimus qua pietate vixerat, die 24. Aprilis anno 1455. Pontificatus VIII. Ipsum commendaverunt *S. Antoninus* P. III. Chronicorum Tit. 22. Cap. 12. *Æneas Sylvius* de Statu Europæ; & in Commentario de Rebus Basileæ statutis, vel dissoluto Concilio gestis, *Franciscus Philelphus* in Epistola ad Callixtum III. *Poggius* in Oratione Panegyrica, &c.

Sacra Expeditio.

Nicolaus Virorum Eruditorum fautor & remunerator.

III. Cardinales creavit maximo delectu, *Antonium Cerdanum*, eximium Theologum, Archiepiscopum Messanensem, ex Ordine Sanctissimæ Trinitatis de Redemptione Captivorum assumptum: *Astorgium Agnensem*, Nobilem Neapolitanum, Archiepiscopum Beneventanum: *Latinum Ursinum*, Domicellum Romanum, Juris utriusque Doctorem, Barensem primo, deinde Tranensem Archiepiscopum: *Alanum de Coettivo*, Nobilem Armoricum, ex Dolensi & Corisopitensi Episcopo Avenionensem Archiepiscopum: *Joannem Raulinum*, Ludovico Delphino, qui postea Rex fuit hujus nominis Undecimus, a Confessionibus, Æduensem Episcopum: *Philippum Calandrinum* ex matre fratrem, Bononiensem Episcopum: *Nicolaum de Cusa*, Virum doctissimum, Archidiaconum Leodinensem, Auctorem Ecclesiasticum, magnis Legationibus pro Sede Apostolica perfunctum: *Amedæum* olim Sabaudiæ Ducem *Felicem V.* in sua Obedientia nuncupatum: *Joannem de Arsiis*, Gallum, Tarentasiensem Archiepiscopum: *Ludovicum de Paluda*, Gallum, Dominum de Varambone: *Hugonem Guillelmum de Stagno*, Virdunensem, *S. Vitoni* Ordinis S. Benedicti Abbatem Metensem & Virdunensem Archidiaconum: qui *Felici* adhæserant, & ab eo inter sui Collegii Cardinales fuerant cooptati.

Nicolai V. Cardinales.

ARTICULUS VI.

De CALLIXTO III.

Nicolao V. successit *Alphonsus Borgia*, SS. Quatuor Coronatorum Cardinalis Hispanus, IV. Idus Aprilis Canonice electus, septuagenario major, ingentium in tanta senectute vir animorum, qui *Callixtus Tertius* appellari voluit. Ut primum coronatus est, ad bellum sacrum contra Turcas promovendum gerendumque voto se obstrinxit, ut *S. Antoninus* III. P. Tit. 22. Cap. 14. & *Eneas Sylvius* lib. de Europa, cap. 58. testantur. Immo votum ea de re ipsum ante Pontificatum nuncupasse, se *Callixtum Pontificem* in ejus Formula scripsisse (certa spe ex Prophetia *S. Vincentii Ferrerii* concepta, qui supremam ipsi dignitatem a Deo fuerat auguratus) *Platina* in Vitis Pontificum, & *Cochlæus* Historiæ Hussitarum Libro 11. commemorant. Missis ad Christianos Principes Legatis, qui ad fœdus contra hostes Christiani nominis ipsos hortarentur, valida instructa Classe, indictis ad signum campanæ meridianum precibus, ac supplicationibus publicis prima cujusque mensis Dominica, Christianos ad Bellogradum de Turcis victoriam insignem reportasse audivit, 24. Barbarorum millibus interfectis, ducentis ferme tormentis captis, Turcarum Tyranno vulnerato. Ad sacram illam Expeditionem promovendam propensissimo Pontifici novos stimulos addidit *S. Antoninus* Florentinus Archiepiscopus, ejusdemque Reipublicæ ad ejus Sanctitatem cum aliis Legatus, erudita illa & eleganti Oratione, quam ad ipsum habuit, quam tacito nomine suo modestiæ causa, Chronico suo inseruit Tit. 22. Cap. 16. in qua Summi Pontificis dotes his verbis exprimit: *Decet talem ac tantum Pontificem pro hominibus assumptum in iis quæ ad Deum sunt, normam fore justitiæ, sanctimoniæ speculum, pietatis exemplum, veritatis Assertorem, Defensorem fidei, Doctorem gentium, Ducem Christianorum, amicum Sponsi, Sponsæ Paranymphum, Ordinatorem Cleri, Pastorem plebium, Magistrum insipientium, oppressorum refugium, Advocatum pauperum, spem miserorum, tutorem pupillorum, Judicem viduarum, oculum cæcorum, linguam mutorum, baculum senum, ultorem scelerum, metum malorum, gloriam bonorum, virgam potentium, malleum tyrannorum, patrem Regum, moderatorem legum, canonum dispensatorem, Orbis terræ lumen, Vicarium Christi, Christum Domini, Deum Pharaonis. Quæ quidem data optima & dona perfecta in Te esse, in populis prædicatur.* Belli etiam adversus Mauros Granatenses gerendi *Henrico* Castellæ Regi Auctor fuit *Callixtus* III. & ad Christianos sub ejus signis cogendos amplissimas delictorum Indulgentias, iis qui sacræ militiæ nomen darent, aut pecuniam conferrent proposuit. Magnanimi Pontificis fuit illa vox, in ejus etiam literis exarata: *Confidimus, quod si ex Francia auxilium nobis non defuerit, cum adjutorio Altissimi Sectam illam Mahometi, & alios infideles, funditus delere, & omnino perdere poterimus.* Anno 1455. die SS. Apostolis *Petro & Paulo* sacra, *B. Vincentium Ferrerium*, Virum Apostolicum, inter Cœlites retulit. Cum nullas ea de re Literas *Callixtus* vulgasset, *Pius* II. sanxit exhibendos illi Sanctorum honores a Decessore suo decretos, ac si publicas de illius canonizatione literas edidisset. *Pii* II. Diploma datum Kalendis Octobris anno 1458. habetur Tom. 1. Bullarii Romani. Ecclesiæ jura & immunitatem *Callixtus* III. tuitus est, promulgato in eos Anathemate qui Clericos ad sæcularia Tribunalia traherent contra *Friderici* II. & *Caroli* IV. Imperatorum Edicta. Vetuit ne quis inconsulto Sacri Palatii Magistro in Sacello Pontificio orationem haberet, & nisi prius ostenso ipsi Sermone, ab eoque diligenter examinato, & si opus fuerit, emendato. Si qui vero correctionem hujusmodi ea qua par est humilitate recipere recusaret, eidem Magistro liceret Sermonis habendi munus alteri committere, nisi temporis obesset angustia; alioquin Concionem pro ea die prohibere. Si quis vero ea pronuntiare ausus esset, quæ a Magistro emendata fuissent, excommunicationem incurreret, a Magistro palam argueretur etiam in conspectu Summi Pontificis, & a Concionibus in eodem sacello habendis in perpetuum repelleretur. Diploma *Callixti* datum Idibus Novembris anno 1456. apud *Odericum Raynaldum* num. 70. legere est. Tunc Sacrum Magistratum gerebat *F. Jacobus Ægidii* Ordinis Prædicatorum. Anno 1451. Magnanimus Pontifex novam classem adversus Turcas instruxit, & Principum Christianorum vires ad commu-

Sacra Expeditio.

Insignis de Turcis victoria.

S. Antonini ad Callixtum III. Oratio.

Bellica Gallorum fortitudinis elogium.

Magistri Sacri Palatii auctoritas.

Expeditio contra Turcas altera.

nem hostem propulsandum conjungere studuit variis Legationibus ac literis. Pontificia classis insignem de Turcica victoriam ad Mitylenen Insulam retulit, teste *Ænea Sylvio*, in historia Asiæ Minoris. Ægerrime tulit Pontifex, quod Parisiensis Academia, & Provinciæ Ruthomagensis Clerus de exactione Decimæ ratione belli Turcici ad futurum Concilium appellassent, jussitque *Alano* S. R. E. Cardinali, Sedis Apostolicæ in Galliis Legato ut Parisios se conferret, Virosque Academicos ad revocandam Appellationem compelleret, maxime cum Rex Christianissimus, & Ecclesia reliqua Gallicana, collationi Decimæ in tanto Christianæ rei discrimine consensissent. Pontificium Diploma exhibet *Odoricus Raynaldus* ad annum 1456. num. 56. Regem Christianissimum Decimæ exactioni in subsidium exercitus contra Turcas consensisse, docent *Callixti tertii* Literæ, Tomo 7. *Spicilegii*, & Tom. 13. Conciliorum Editionis Parisiensis editæ, pag. 1393. quibus ea de re illius Majestati gratias egit. Gallicanam Ecclesiam ingentem pecuniam ad sumptus belli sacri contribuisse constat, ex qua viginti quatuor triremium Classem Legatus Apostolicus instruxit, ut narrat *Gobellinus* in Commentariis lib. 4. Sed Libertatum antiquarum tuendarum studio a nonnullis, a quibusdam forte ex avaritia peccatum est. Cæterum majoris partis Ecclesiæ ipsius Gallicanæ, Regisque consensus necessarius semper fuit ad hujusmodi Decimarum exactionem a Summis Pontificibus; oblationesque suas gratuitas omnino, non coactas aut imperatas esse voluerunt. Gravius, at inique omnino adversus *Callixtum* III. Germani expostularunt cum de pecuniarum extorsione, tum de Concordatorum violatione. Sed has criminationes diluit Pontifex, datis ad *Fridericum* Imperatorem Literis pridie Kalendas Septembris, quæ apud *Odoricum Raynaldum* leguntur, ad annum 1457. Num. 40. Objectiones vero de Concordatorum violatione injustas esse ac inanes ostendit *Æneas Sylvius* Cardinalis Senensis Epistola 338. aliisque ad *Martinum Mayer* Jurisconsultum, Archiepiscopi Moguntini Cancellarium, datis, necnon Tractatu de Moribus & conditione Germaniæ scripto. Festum diem Transfigurationis Christi, in gratiarum actionem ob victoriam de Turcis ad Bellogradum reportatam, non instituit, ut *Platina*, *Ciaconius*, & *Genebrardus* lib. 5. Chronicorum commemorant: siquidem ante ea tempora institutum invicte probat Cardinalis *Baronius* in Notis ad Martyrologium Romanum 8. Idus Augusti, sed instauravit, & celebrius esse jussit amplissimis Indulgentiis erogatis Fidelibus, qui ejusdem Solemnitatis Officio recens edito interessent. Pontificium ea de re Diploma datum Romæ anno 1457. octavo Idus Augusti, quod incipit his verbis: *Inter divinæ dispensationis arcana*, legere est apud *Odoricum Raynaldum* Num. 73. *B. Osmundum* Sarisberiensem Episcopum sacris Fastis adscripsit, Kalendis Januarii anno 1456. Diploma ea de re promulgatum edidit *Odoricus Raynaldus* ad annum 1457. Num. 81. *Mathiæ*, filio *Hunnadis* invictissimi Turcarum debellatoris, Hungarorum Regi electo gratulatus est, effecitque ut e Bohemico carcere, in quo a *Georgio Podiebracio* Bohemiæ Gubernatore, & mox Rege detinebatur, ad Regnum capessendum educeretur. Negotium illud feliciter confecit Cardinalis *Joannes Carvajal* Sedis Apostolicæ in Hungaria Legatus. *Alphonso* Rege Aragonum & Siciliæ defuncto, anno 1458. *Ferdinandum* ejus Nothum, intentato Anathemate, a Regni adeunda possessione depulit, Regnumque ad Sedem Apostolicam devolutum declaravit: Sed *Eugenii IV.* arcano Diplomate fultus *Ferdinandus*, ab Edicto *Callixti* appellavit ad futurum Concilium, & se Regem nihilominus dixit, ut *S. Antoninus* refert Tit. 22. cap. 16. §. 1. Ortam Lugdunensem Archiepiscopum inter & Rothomagensem de Primatu controversiam cum *Dominicus Cardinalis a Capranico* Sedis Apostolicæ in Galliis Legatus diremisset, Rothomagensem a Lugdunensis Primatus Imperio liberum pronuncians, ac nihilominus Lugdunenses litem instaurare ad sæcularium Judicum tribunalia ausi essent, Magistratibus quibuscumque sub pœna excommunicationis prohibuit, ne hujusmodi causæ mere Ecclesiasticæ, & Majoris, cognitionem sibi arrogarent; Archiepiscopo vero, Capitulo, Officialibus, & Procuratoribus Lugdunensis Ecclesiæ, ne Archiepiscopo Rothomagensi, ejusque Suffraganeis, Procuratoribus vel subditis molesti essent; omniaque, contra Rothomagensis Ecclesiæ Jura, & Legati Apostolici decretoriam Sententiam gesta in irritum misit, Diplomate dato VIII. Idus Julii, anno 1458. quod ab *Odorico Raynaldo* ad eumdem annum Num. 37. editum est. Obiit *Callixtus tertius* octavo Idus Augusti Festo Dominicæ Transfigurationis, quod instauraverat, cum annos tres & menses quatuor Ecclesiam rexisset; optimus Pontifex, in victu parcus, in sermone modestus, in pauperes liberalis, in Christianos Principes benevolus & munificus, quorum tamen precibus aut postulatis ab honesto abduci numquam potuit. Eam ob rem cum *Alphonso* Aragonum & Siciliæ Rege simultates exercuit, quod is peteret Episcopatus interdum his dari, quibus vel propter ætatem, vel ignorantiam tum literarum, tum rerum humanarum, committi numquam debebant. Summa ejus laus est, quod dum Episcopus esset aut Cardinalis, nullum Beneficium commendatum habere voluerit, dicens; *Se una Sponsa, & quidem Virgine contentum esse*; hoc est Ecclesia Valentina. Ita refert *Platina* in ejus Vita. Moriens centum & quinquaginta aureorum millia reliquit, in sumptus belli sacri contra Turcas comparata. Unam tot virtutibus maculam aspersit, nimium Nepotum augendorum studium. Has Sententias in ore frequenter habebat: *Ignavorum esse pericula formidare; cum sint ager ex quo messis & fructus gloriæ colliguntur. Se natura liberum, adulandi studio servum non futurum. Falsa effingentes hominibus servire, vera referentes imperare. Principes suas quidem laudes amare, at falsos laudatores irridere.* Ita refert *Ægidius* Cardinalis *Viterbiensis* in Historia MS. *Callixtum tertium* Oratione funebri laudavit *Joannes Antonius Companus*, Episcopus Aprutinus.

Festum Transfigurationis Christi.

Rothomagenses Archiepiscopi a Lugdunensi Primatis imperio absoluti.

Callixti Tertii Elogium.

Callixti Tertii præclare Sententiæ.

II. Cardinales ab ipso creatos legimus *Joannem Ludovicum Milan* seu *Milanum*, ex sorore Nepotem, Segobiensem Episcopum electum: *Jacobum* Lusitaniæ Principem, qui Medicis consulentibus ut lethalem qua decumbebat ægritudinem actu impudico depelleret, generose respondit: *Malo mori, quam fœdari*: alterum ex sorore Nepotem *Rodericum Lenzolium Borgiam* cognominatum, qui Summus postea Pontifex inmeritus fuit *ALEXANDER VI.* *Raynaldum Piscicellum*, Juris Canonici Doctorem, Neapolitanum Archiepiscopum: *Joannem de Mella*, natione Hispanum, Zamorensem Episcopum: *Joannem Castellionem*, patria Mediolanensem, Papiensem Episcopum: *Jacobum Thebaldum*, Romanum, Episcopum Montis Feretri: *Riccardum Olivierium*, Gallum, Constantiensem in Normannia Episcopum: *Æneam Silvium Picolomineum*, Civem & Episcopum Senensem, pietate & varia eruditione conspicuum.

Callixti Tertii Cardinales.

SCHOLION I.

In hoc Articulo Religiosi Censores hanc propositionem notant pag. 60. *Clerus Gallicanus suas oblationes vult esse liberas, non imperatas.*

R. Et hæc mera facti quæstio. De Romani Pontificia potestate summa non disputo, nec disputare velim. *Sed is modus pietati Christianæ congruentior est*, (inquit Auctor Tractatus De Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ, Leodii editi anno 1684. & Romæ magno applausu recepti, lib. 6. cap. 11. n. 21.)

SCHOLION II.

In eodem Articulo pag. 61. Religiosi Censores hanc propositionem notant: *Ferdinandus appellavit ad Concilium.*

R. Ferdinandum Alphonsi Regis Aragonum filium nothum, & Regi Apuliæ heredem ab illo institutum, Callixti III. Pontificis Maximi Diplomate ab adeunda Regni possessione sub pœna Anathematis prohibitum, ad Concilium appellasse scripsi. Facti veritas est, cujus testes S. Antoninus 3. P. Tit. 22. Cap. 16. & Surita lib. 16. Annalium cap. 50. & alii. Refert Odoricus Raynaldus ad annum 1458. num. 34. Justam appellationem fuisse non scripsi, nec sentio. Regnum Neapolitanum, quod Alphonsus jure fiduciario a Sede Apostolica tenebat, ad eamdem Sedem post ejus obitum summo jure devolutum erat: Siquidem ipse Alphonsus in Literis quibus Regnum Eugenio IV. acceptum retulit, hunc articulum juraverat: *In Regno & Terra prædictis nullus succedat, qui non fuerit de legitimo Matrimonio procreatus.*

Nota.

CUm Papa sit omnium Ecclesiarum Primas, omniumque solicitudinem gerat, quomodo ex Ecclesiarum redditibus possit congruam portionem capessere,

fere, explicat Gerson, *lib. de vit. spirt. anim. lect.* 3. ubi hæc habet: *Quarta potestas naturaliter Papæ conveniens habet, & requirit, ut tamquam Superior, & tutor, atque Conservator honoretur, & juvetur ab omnibus. Habet præterea tamquam Caput, & Præpositus invigilans totius Ecclesiæ incolumitati posse cogere bona Ecclesiastica possideates ad ea suppeditanda, quæ ipsius Ecclesiæ defensioni, seu fidei propagationi sunt necessaria; eo maxime quia membrorum affectiones & officia sunt, ut unum alteri opem ferre teneatur, dicente Apostolo 1. ad Cor. 12. Id ipsum pro invicem solicita fiat membra. Et si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra: sive glorietur unum membrum, congaudent omnia membra.* Ne proinde in hujusmodi caussis morosi essent Ecclesiastici in aliqua suarum opum parte tribuenda, Concilium Lateranense IV. præcepto usum est, ut Clericos reluctantes ad hujusmodi cogeret subsidia; & Lugdunense I. Censuram adjecit: *Sciantque*, ait, *se omnes ad hoc fideliter observandum per excommunicationis sententiam obligatos, ita quod illi qui super hoc fraudem scienter commiserint, sententiam excommunicationis incurrunt.* Similiter Urbanus IV, natione Gallus non solum secundi ordinis Clericos, sed Archiepiscopos ipsos Remensem, Senonensem, & Bitoticensem renuentes ad hujusmodi præstanda subsidia coegit, ut apud Raynaldum ad an. 1256. n. 13. Cum vero an. 1267. Clemens IV. e Gallia oriundus, pietate atque integritate conspicuos S. Ludovico Francorum regi omnium Ecclesiasticorum reddituum decimam ad triennium ob expeditionem in terram sanctam concessisset, Capitula hujusmodi subire onus detrectantia graviter increpavit, ac excommunicationem beneficiorumque privationem minitando, ad obedientiam coegit, ut ex Raynaldo ad an. 1263. n. 63. Ita ostenderunt Romani Pontifices & Concilia ex beneficiorum redditibus posse detrahere, quæ ad Ecclesiæ defensionem, seu fidei dilatationem &c. sunt necessaria. Quando vero largitio esset spontanea, christianæ magis congrueret pietati.

ARTICULUS VI.

DE PIO II.

Articuli in Conclavi a Cardinalibus jurati.

I. CALLIXTO III. substitutus est *Æneas Sylvius* Tituli *S. Sabinæ* Presbyter Cardinalis, 14. Kalendas Septembris, qui *Pius II.* appellari voluit. Jurata prius ab ipso Cardinalibusque cæteris in Conclavi Capitula quædam, de sacra in Turcas Expeditione urgenda; de Romanæ Curiæ Reformatione; de Sede non transferenda sine purpuratorum Patrum consilio; de Cardinalibus non creandis, nisi de consilio & assensu majoris partis Sacri Collegii, singulorum suffragiis consistorialiter, non auriculariter rogatis; de centum florenis quolibet mense cuilibet Cardinali non habenti quatuor millia florenorum tribuendis; de Beneficiis Consistorialibus absque eorumdem Cardinalium consilio non conferendis; de non alienandis Ecclesiæ juribus, &c. Compositis Italiæ rebus, Regnoque Siciliæ *Ferdinando* confirmato, solemnem Conventum Mantuæ indixit, celebravitque, in quo de bello contra Turcas gerendo deliberatum est. Adfuerunt Regum Christianorum, Principum, Rerumque publicarum Oratores: Pontifex, & *Bessarion* Cardinalis habita Oratione omnium animos ad sacram Expeditionem commoverunt. Christianissimi Regis *Caroli VII.* Oratores, Turonensis nimirum Archiepiscopus, Episcopus Parisiensis, *Thomas Coursellus* Theologus Parisiensis, & Ballivus Rothomagensis, audientiam a Pontifice prius non obtinuerunt, quam Regis nomine Obedientiam ejus Sanctitati præstitissent. Eo functus est officio Parisiensis Episcopus, & eleganti Oratione habita de laude Pontificis, de Sedis Apostolicæ dignitate, de Regis Regnique gloria & egregiis in Romanam Ecclesiam meritis, *obedientiam filialem* Regis nomine se præstare professus est, ut servilem excluderet. Post dies aliquot, de injuria *Renato* Siciliæ Regi, ac Regiæ Francorum a Pontifice facta, apud ipsummet conquesti sunt quod *Ferdinandum* Nothum ALPHONSI Aragonum Regis, eo spreto depulsoque, Regem confirmasset: Rogarunt ut inconsulte facta meliori consilio revocaret, rescinderet, *Renato* Regnum decerneret. His Oratione vehementi respondit Pontifex, factum excusavit suum, ostenditque nec jure, nec ratione carere. Francorum querelas injustas esse dixit, quorum juri non esset derogatum: *Immo injurios ipsos esse, qui Legem in Regno suo promulgassent Apostolicæ Sedi adversam, quæ multas animas in gehennam raperet:* Idest, Pragmaticam Sanctionem. Ita refert *Gobelinus* Lib. 3. Commentariorum de Gestis Pii II. Ne vero hæc illius responsa, sane duriora, Regem offenderent, ad ejus Majestatem literas dedit, quibus exposuit habitum Mantuæ cum ipsius Oratoribus tractatum, rogavitque ne contrariis relationibus fidem adhiberet. Has literas descripsit *Odoricus Raynaldus* ad annum 1459. num. 69.

Mantuanus Conventus.

Pii secundi Orationes, quibus Regis Christianissimi Oratoribus respondit, nec-non eorumdem Oratorum Responsa, legere est in Appendice Tom. 13. Conciliorum Editionis Parisiensis *Labbei & Cossartii* pag. 1776. De Francorum ad hostes fidei debellandos animo hæc Pius II. *Quid tam proprium Franciæ, quam semper ad omnes pia fide paratas expeditiones tenere arma, quibus protegi valeat Christianus populus, vel impetere fidei hostes, vel se ulcisci lacessitum? Nulla certe legitur expeditio adversus infideles acta insigniter, in qua Francorum non polleat nomen, fulgeat fortitudo, multaque perenimia gesta, &c.* Legenda est & altera Pontificis *Pii* prolixa & elegans Oratio ad eosdem Christianissimi Regis Oratores, qua Regum nostrorum de Ecclesia merita ob debellatos fidei hostes, Saxones, Bohemos, Hungaros, Longobardos, Græcos, Saracenos, & Sedem Apostolicam a Tyrannorum oppressione vindicatam commendat. In Pragmaticam Sanctionem quæ a *Pio* dicta, quid a Regis Christianissimi Oratoribus responsum, alias exponemus. Neque enim obmutuerunt illi, ut *Gobelinus* scribit. Horum porro Responsiones editæ sunt Tom. 9. *Spicilegii Dacheriani*, & in Appendice Tomi 13. Conciliorum Editionis Parisiensis.

Francorum ad hostes Fidei debellandos promptus animus.

Sacram adversus Turcas expeditionem, consentientibus Imperatoris, Principumque cæterorum Oratoribus indixit *Pius II.* In sumptus bellicos redituum omnium trigesimam Laicis Fidelibus, vigesimam Judæis, decimam Clericis imperavit. Decretum illud Italiæ Principes, nec-non Siculi, Sardi & Corsi admiserunt. Id *Pii* Diplomata ab *Odorico Raynaldo* edita, & *Gobelinus* testantur. Idem Conventu Mantuano prohibuit Lege lata, ne a Censuris, Sententiis, aut Mandatis Apostolicis *ad futurum Concilium* quis appellaret quod privati quique homines audebant, & passim frequentabant. Sic appellantes Excommunicationem ipso facto incurrere declarat, a qua nisi per Romanum Pontificem, extra mortis articulum absolvi non possint. Pœnas omnes in hujus Legis violatores decernit, quas rei Majestatis & hæreticæ pravitatis incurrunt. Appellationes ipsas ut *erroneas & detestabiles* reprobat, irritasque & inanes pronuntiat. De appellationibus, quas in casibus quibusdam extraordinariis Ecclesiæ populosissimæ summo consensu interjicerent, ad fidem, disciplinam, & antiquam libertatem tuendas, illa *Pii II.* Constitutio non loquitur, sed de iis quæ passim fiebant ea tempestate ad correctionem canonicam vitandam. *Pauperes*, (inquit) *a potentioribus multipliciter opprimuntur, remanent impunita scelera, nutritur adversus primam Sedem rebellio, libertas delinquendi conceditur, & omnis Ecclesiastica Disciplina & Hierarchicus ordo confunditur.* Editum est Pontificium istud Diploma lib. 3. Commentariorum *Gobelini*, & Tom. I. Bullarii Romani. Contra illius tenorem *Sigismundus* Austriæ Dux, ob Jus Ecclesiasticum in *Nicolao* Cardinali *Cusano*, Brixiensi Episcopo violatum, censuris confixus, a *Pio II.* ad futurum Romanum Pontificem, vel Generale Concilium institutum vel instituendum, ac tandem ad universum populum Christianum appellavit: quem propterea læsæ Majestatis, & fautoriæ hæreseos reum Pontifex declaravit.

Sacra expeditionis indictio.

Pii secundi Consistorio contra appellantes ad futurum Concilium.

II. Pacem inter Christianos Principes variis Legationibus procurare studuit *Pius II.* ut contra communem hostem arma jungerent. Trium Patriarcharum Orientalium, Alexandrini, Antiocheni & Hierosolymitani Legationem suscepit, admissa abs se Concilii Florentini Decreta significantium, rogantiumque Latinos, ut ab eorum cervicibus Turcicæ tyrannidis jugum depellerent. Monobassienses, olim Spartani dicti, missis ad *Pium* Pontificem Oratoribus, se Romanæ Ecclesiæ dediderunt, fideique sacramentum præstiterunt anno 1460. ut *Gobelinus* lib. 4. & *Phrantzes* lib. 3. cap. 24 commemorant. *Carolo VII.* Regi Christianissimo ægre ferenti repulsam Tornacensis Episcopatus, quem pro Cardinali Constantiensi postulaverat, ipsique antepositum Episcopum Tullensem a Duce Burgundiæ commendatum, gravissimas scripsit Literas, quibus ad omnia querelarum ipsius capita respondit, & cum ipso de Pragmatica Sanctione expostulavit, quam observari jubebat. Eodem anno Persarum & Mesopotamiæ Regum, aliorumque Principum Orientalium Legationem pro armorum societate contra Turcas

cas

cas ineunda suscepit. Dux Oratorum erat *Ludovicus Bononiensis*, Ordinis Minorum Professor, a Sede Apostolica in Orientem missus ut Principes Christianos in sacri belli societatem invitaret, quem sibi Patriarcham constitui rogarunt. De his prolixe *Gobelinus* Lib. 5. *Joannem* Armaniaci Comitem, qui incestum cum *Isabella* sorore conjugii nomine prætexens a *Carolo VII*, Rege Christianissimo fuerat propterea Comitatu spoliatus, & flagitii veniam absolutionemque rogaturus ad Sedem Apostolicam accesserat, eodem anno absolvit *Pius II.* congrua satisfactione injuncta; sed cavit imprimis ut ab occasionibus proximis peccati recederet, sororem deinceps non alloqueretur, per literas aut nuncios ipsam non conveniret, in eodem loco cum ipsa non versaretur, seque ad hæc omnia juramento obstringeret. Ipsum his conditionibus in sinum Ecclesiæ receptum Regi commendavit *Pius* Pontifex, ejusque rogavit Majestatem, ut clementia in miserum Principem uteretur, ipsumque in pristinos honores ac bona restitueret. Misericordia dignum qui Literis *Callixti III.* nomen præferentibus, ab *Ambrosio* Electensi Episcopo, & *Joanne de Vulteris* Scriptore Apostolico deceptus fuerat, dispensationem ipsi a Pontifice Romano concessam, ut cum sorore nuberet, imponentibus. Pontificias literas & documenta hancce Absolutionem spectantia ex Vaticano MS. edidit *Odoricus Raynaldus* ad eumdem annum Num. 112. & 113.

Incestuosus Princeps quibus conditionibus absolutus.

III. Picolomineæ familiæ amplificandæ spe *Ferdinando* Aragoniæ Notho plus æquo favit ipsum contra Principum Andegavensium, de Ecclesia optime meritorum, Jura in Regni Siculi possessione confirmans, & Pontificias in illius defensione adversus Gallorum potentiam vires exhauriens, quas utilius atque gloriosius contra Turcas convertisset, qui Trapezuntinum Imperium everterunt, Peloponesum expugnarunt, nonnullas Ægæi Maris insignes Insulas, quas *Calixtus III.* magna cum Religionis gloria pepererat, subegerunt. Publicæ rei Christianæ utilitatis studium vicit in *Pii* pectore Nepotis *Antonii Picolominei* immodicus amor, cui *Mariam* Ferdinandi Regis filiam cum Amalphitano Ducatu dotis nomine obtinuit. *Ursinos*, aliosque Romanos Proceres, intentato Anathemate a Gallorum partibus abstraxit, res Gallicas in Regno Neapolitano auctoritate sua pessumdedit. *Dietherum* Moguntinum Archiepiscopum, qui ob Simoniam & perduellionem in Sedem Apostolicam & Imperium excommunicatus, ad futurum Concilium appellaverat, exauctoravit. Eruditam & elegantem ad *Mahometum II.* Turcarum Imperatorem scripsit Epistolam de Christianæ Religionis veritate, & Mahometanæ falsitate anno 1461. sed tunc validum Exercitum consultius in ipsum immisisset, quam scripsisset Epistolam, ad confirmandos in fide Christianos, quam ad Turcas convincendos aptiorem. Hujus tamen cunctationis maculas tandem eluit, indicta contra Mahometanos expeditione, ad quam ipse proficisci decravit anno 1463. Et revera Anconam profectus est, ut triremem conscenderet, Classemque comitaretur, majoris pietatis & magnanimitatis quam prudentiæ laude. Plures copiæ ad eam expeditionem confluentes dissolutæ sunt defectu Ducis, & stipendiorum, Obiit Anconæ, Sacramentis omnibus procuratus, cum sacri belli promotionem Cardinalibus commendasset, decimo-nono Kalendas Septembris anno 1464. ætatis quinquagesimo-octavo, mense nono, die vigesimo-septimo, Pontificatus sexto minusquinque diebus, maximumque sui reliquit desiderium.

Nimium amplificando familia Pii favendi Andicam.

An. 1461.

Pii secundi Epistola ad Mahometum secundum.

Expeditionis contra Turcas apparatus.

IV. *Catharinam* Senensem Virginem sacris Fastis inscripsit 3. Kalendas Julii anno 1461. Coram ipso Quæstio de Sanguine Christi in triduo mortis, magna animorum contentione Minores inter & Prædicatores agitata est anno 1463. Minores Sanguinem pretiosum in triduo Passionis effusum & in terra jacentem ab unione hypostatica excidisse propugnabant; & propterea cultu Latriæ indignum fuisse, *Jacobus Marchianus*, Vir alioqui Sanctissimus, & ferventissimus Concionator, *S. Bernardini* quondam socius Brixiæ prædicaverat. FF. Prædicatores, quorum ex Ordine fidei Censor *Jacobum* in Jus vocaverat contrariam propositionem tuebantur, totum nihilominus Sanguinem in Passione fusum a Christo resurgente resumptum fuisse non asserentes, ne *Pii* Literis adversari viderentur, Tybure datis, quibus declaraverat, assertionem quæ portionem aliquam Sanguinis Christi in terris remansisse traderet, non esse Christianæ Religioni contrariam. Inter Prædicatores præcipuæ disputandi partes *Gabrieli Catalano* sunt attributæ; inter Minores *Francisco Savonensi*, Uterque Philosophus, uterque Theologus peritissimus habebatur. „ Adventaverat ex Gymnasio Pari- „ siensi, *Willelmus* quidam nomine, Ordine Minor, na- „ sione Gallus, quem sui gentiles, omnia supra ve- „ rum extollentes, *in doctrina Theologica Monarcham*, „ *& omnium Doctorum Doctorem appellabant*, ac ve- „ luti quoddam numen admirabantur, cui Theologi „ Italici generis comparati vix nomen Discipulorum „ mererentur. Hunc Minores qui de Sanguine dispu- „ taret, Triumvirum alegere. Ea res virum contem- „ ptibilem reddidit, cum nihil diceret audisu di- „ gnum, &c. Ita refert *Gobelinus* lib. 11. & quæ ab utriusque partis Theologis coram Summo Pontifice & Sacro Senatu disceptata sunt, quæ momenta ac rationes utrimque prolatæ. Soluto auditorio, Pontifex cum Cardinalibus plerisque diebus rem tractavit. *Major pars sententiam Prædicatorum approbavit, pauci cum Minoribus sensere. Pius quoque ex majori parte fuit: sed non est visum eo tempore fieri Decretum declarationis, ne multitudo Minorum cujus erat contra Turcas prædicatio necessaria, offenderetur: in aliud tempus decisionem referre placuit.* Ita refert *Gobelinus*. Interea ne ex Religiosorum Ordinis utriusque Virorum contentione scandalum oriretur, prohibuit Pontifex Diplomata Kalendis Augusti anni 1464. promulgato, ne ulli ex Minorum aut Prædicatorum Sodalitiis Fratres de ista controversia disceptarent, prædicarent, aut publice vel privatim verbum facerent, seu aliis suaderent: *Quod videlicet hæreticum, vel peccatum sit, tenere vel credere Sanguinem ipsius sacratissimum triduo Passionis ejusdem Domini nostri Jesu Christi ab ipsa Divinitate quomodolibet fuisse, vel non fuisse divisum vel separatum*: donec quid ea de re tenendum esset, a Sede Apostolica fuisset definitum. Plura ingenii monumenta posteris reliquit *Pius II.* inter quæ illa retractavit, quæ olim in minoribus positus pro Synodo Basileensi adversus *Eugenium* scripserat. Diploma Retractationis datum Romæ sexto Kalendas Maii an. 1463. habetur apud *Bzovium*, *Odoricum Raynaldum*, & Tom. 1. Bullarii Romani. A *Ludovico XI.* Rege Christianissimo Pragmaticæ Sanctionis abrogationem obtinuit, de qua in Dissertationibus dicemus. Caput *S. Andreæ* Apostoli ex Peloponesu allatum, ad Pontem Milvium excepit, suis manibus in Urbem portavit, in Vaticana Basilica deposuit. De ipsius Laudibus legendi *Gobelinus*, *Jacobus* Cardinalis *Papiensis* in Commentariis, & passim in Epistolis, *Campanus*, *Platina*, & alii. De ipsius Scriptis agunt præter *Trithemium*, *Platinam*, *Ciaconium*, *Ludovicus Jacobus a S. Carolo* in Bibliotheca Pontificia, & *Oldoinus* S. J. in Additionibus ad *Ciaconium*.

Quæstio de Sanguine Christi inter FF. Prædicatores & Minores coram Pio secundo disceptata.

Pragmatica Sanctionis abrogationem a Ludovico undecimo obtinuit Pius secundus.

V. Cardinales a *Pio II.* creati sunt *Angelus Capranica*, Nobilis Romanus, Reatinus Episcopus: *Gerardus*, Narniensis, ex Rotæ Romanæ Auditore Spoletanus Episcopus & Urbis Vicarius, vir doctissimus: *Nicolaus Fortiguerra*, Nobilis Pistoriensis, Theanensis Episcopus, cujus laudes *Jacobus* Cardinalis Papiensis celebrat in Epistola ad Cardinalem Spoletanum, *Brocardus* Præpositus Salisburgensis, *Friderici III.* Imperatoris ad ipsum *Pium II.* Orator. F. *Alexander de Oliva*, natione Italus patria Saxoferratensi, Ordinis Eremitarum S. Augustini Prior Generalis, doctrina & sanctitate illustris: *Franciscus Todeschinus Picolomineus*, ipsius *Pii II.* ex Sorore Nepos, Ecclesiæ Senensis Administrator, cujus præclaras dotes Cardinalis Papiensis passim in Epistolis suis prædicat; *Bartholomæus Roverella*, Ravennas Archiepiscopus: *Joannes Gofredus*, Atrebatensis, ac deinde Albiensis Episcopus, vir literatissimus, ex Monasterio Cluniacensi assumptus, quem acerbissimo stylo insectatus est Cardinalis Papiensis: *Jacobus Cardona* Hispanus, Episcopus Urgellensis: *Ludovicus de Alberto*, Gallus, Comitis Albreti Filius, ad preces Regis Christianissimi promotus, quem Sacri Collegii amorem ac delicias Cardinalis Papiensis appellat, & impense laudat in Epistolis ad *Franciscum* Cardinalem *Picolomineum* & ad *Gregorium Lollium*: *Jacobus Mensbona*, patria Lucensis, Papiensis Episcopus, elegantis vir ingenii, politioris literaturæ, summæqua in magnis rebus agendis dexteritatis, cujus Commentarios a *Pii II.* profectione Anconam, dum in Turcas Expeditionem pararet, usque ad obitum Carvajalis Cardinalis, annorum ferme quinque historiam complexos, nec-non plures Epistolas habemus: *Franciscus Gonzaga*, Mantuani Principis Filius.

Pii secundi Cardinales.

SCHO-

SCHOLION.

Ad hunc Articulum, pag. 67. Edit. primæ Religiosi Censores hanc notam apposuerunt. *De quibus Appellationibus intelligendu sit Pii II. Constitutio:* Displicera sibi significantes explicationem Pontificiæ Constitutionis a me allatam.

R. De Appellationibus, quas in casibus quibusdam extraordinariis Ecclesiæ populosissimæ summo consensu interjicerent, ad Fidem, Disciplinam, & antiquam Libertatem tuendas, illam Pii II. Constitutionem non esse intelligendam mihi visum ast, sed de iis quæ passim fiebant ea tempestate ad correctionem canonicam vitandam. Ipsius Constitutionis verbis, quæ descripsi, fultam ac probatam explicationem illam sum opinatus. Ecclesiam Gallicanam, Academiam Parisiensem, omnes Regni Christianissimi Ordines, qui in similibus casibus a Papa ad Concilium appellarunt, damnare non potui. Decretales Summorum Pontificum etiam in Corpus Juris relatas quotidie interpretantur in Scholis Juris Canonici Interpretes, & Teologi. Ut illi suam, sic & ego meam explicationem Sedis Apostolicæ judicio & auctoritati subjeci: Theologis enim & Canonistis doctrinalem dumtaxat Canonum & Decretalium interpretationem permissam esse fateor, judiciariam vero & auctoritativam (ut loquuntur) Sedi Apostolicæ servatam esse. Si Pii II. mentem non sim assecutus, nihil certe contra Fidem aut bonos mores peccavi ea in re. Appellationes ad Consilium legitimas esse non dixi, frequentandas non asserui. Auctor esse nollem ut in casibus etiam extraordinariis supra expositis interjicerentur. Immo consilium aliud non darem, quam quod dedit S. Ivo Carnotensis Episcopus, Epistola 59. ut *Ab ipsa* Romana Ecclesia & Sede Apostolica *ad ipsam confugiant & inde expetant levamen, unde se conqueruntur accepisse gravamen.* Ut enim scribit S. Bernardus Epistola 108. *Apostolica Sedes hoc solet habere præcipuum, ut non pigeat revocare, quod a se forte deprehenderit fraude elicitum, non veritate promeritum.* Si porro Leges evidenter injustas forte Summus Pontifex conderet, aut Mandata iniqua imponeret, vel ita gravia ut pia devotiona tolerari non possent, indeque vel Fidei, vel Disciplinæ vel Libertati Ecclesiæ, aut Reipublicæ tranquillitati periculum grave crearetur; in his casibus non parere fas esset, cum Leges, Mandata, & Sententiæ aperte injustæ non ligent. Dixi, *aperte injustæ*, quia in dubio de justitia Legis, Mandati, vel Sententiæ, non solum pro Summo Pontifice, sed pro quocumque Principe præsumendum, & interim obediendum est. Unde Nicolaus Cusanus S. R. E. Cardinalis, Epistola ad Rodericum de Trevino, Archidiaconum Oratorem Regis Castellæ, in Dieta Francofordiensi anno 1442. die 20. Maii scribit: *Ubi Princeps ea fieri manderet, quæ ad finem ædificationis Ecclesiæ illi creditæ non tenderent, non procederat jussio a Principatu: quare et tunc obedire non esset necesse. Si vero dubium esset, & de mente Sacri Principis non constaret: pro Sacro Principe præsumendum est, quod recta credita potestate utatur, & ipsi obediendum est.* In dubiis tutior pars eligenda. *Tene certum* (inquit S. Augustinus) *dimitte incertum.*

Nota.

Quicumque nullo præjudicio præventus Pii II. Constitutiones legerit, sane fatebitur absque ulla limitatione appellationes a Papa ad futurum Concilium prohibuisse, transgressores pœnis excommunicationis, læsæque majestatis divinæ & humanæ subjiciendo. Primo igitur ita appellando induci asserit abusum execrabilem, & pristinis temporibus inauditum, quem cohærere non posse supponit cum illis Christi verbis, quæ in persona D. Petri dicta etiam fuerunt Romano Pontifici: *Pasce oves meas — Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis.* Ubi vero istæ appellationes ab Ecclesia sint eliminandæ quia non licet ovi adversus Pastorem querelas intentare, nec fidelibus solvere quod Deus ipse ratum habuit fuisse ligatum, etiam populosissimis Ecclesiis ex hujusmodi rationibus interdicitur a judicio Papæ ad futurum Concilium provocare. Addit Pius has appellationes ridiculas esse non desinere, quia ad Concilium provocatur *quod nusquam est, neque scitur quando futurum sit*: quæ ratio cum exceptionem non patiatur, si populosissimæ appellent Ecclesiæ, non cessabunt earum appellationes ridicularum notam evitare. In secundo deinde ejusdem constitutionis paragrapho universaliter præcipitur, ut *nemo audeat quovis quæsito colore talem appellationem interponere, aut interpositæ per alium adhærere*; non excipiendo in tertio illos, qui *Imperiali, Regali, vel Pontificali præfulgerent dignitate*. Hæc autem verba aperte ostendunt cuicumque vetitum voluisse his appellationibus Papæ judicium declinare. Sed de hac Constitutione iterum alibi.

JOAN. DOM. MAN.

Nota.

Multus essem si mihi assumerem ea omnia colligere, quæ ad augendam historiam præcedentium Pontificum suppeditant monumenta post obitum P. Alexandri vulgata a P. Martene, sive in quinque Anecdotorum suorum, sive in IX. amplissimæ collectionis suæ voluminibus in lucem edita monumenta; cum præsertim id fuerit præter consilium P. Alexandri a quo ne recedam suadet impositum mihi non historici sed meri adnotatoris munus. Igitur cum de Innocentio VII. agit sermone inducto de Benedicto XIII. narrat a Pontificatu depositum a Concilio Constantiensi adhuc sibi inane nomen Romani Pontificis retinuisse usque ad exitum suum, quod contigisse anno 1424. ego in meis ad Raynaldum adnotationibus non levibus argumentis demonstravi. Post ejus obitum duo quidem veteres ejus Cardinales superfuerunt, sed & novi addendi sunt quatuor, quos idem Pontifex jamjam moriturus renunciavit. Ab his fere omnibus novum idolum in cathedra Petri stabilitum est, nempe Ægydius Sancius Munio, vir genere illustris, & ex Barcbinonensi Canonico Cardinalis S. R. E. ab eodem Benedicto renunciatus. Ejus tamen electio non fuit sine schismate; nam Joannes Carterius Gallus, qui alter erat ex vetustis Cardinalibus Benedicti Aquitanum quemdam extulit in Pontificem Benedictum XIV. appellatum. Verum ludrica hæc scena haud multum duravit, nam dignitate sua sese abdicante Ægydio æmulus alter disparuit. Hæc docent literæ ejusdem Joannis Carterii datæ ad Comitem Armeniaci, quas e Codice Fuxensi exhibet Martene Anecdot. tom. II.

Per quos vero dignitatis gradus Innocentius VII. ad Pontificium solium ascenderit, accuratius quam hic factum est a P. Alexandro, designat Anonymus Vaticanus in vita ejusdem a Muratorio Rer. Ital. to. III. par. 2. editus: Tempore Urbani VI., ait, factus est Clericus Cameræ; dein *factus in Anglia collector unde X. reversus est in Italiam, & idem Urbanus fecit eum Episcopum Ravennatem*, dein *Episcopum Bononiensem reservato sibi Archiepiscopatu in Commendam. Post obitum Urbani Papæ remansit Vicecamerarius ad custodiam conclavis. Cum electus fuit Bonifacius IX. in prima promotione fecit eum Cardinalem Bononiensem tit. S. Crucis in Hierusalem.*

Vix electo Innocentio Ladislaum copias suas in fomentum rebellium Romam submisisse scribit post multus P. Alexander; neque negaverim id quidem accidere potuisse; cum tamen ea de re sileat Antonius Petri, qui tunc res singulis diebus Romæ gestas scribebat, vix credendum est rumoribus per alias orbis provincias sparsis, & a credulis scriptoribus captatis.

De Alexandro V. addendum succurrit virum fuisse maxime religiosum, de quo hæc posteritati commendavit Frater Andreas Billius, Mediolanensis, ex Ordine Eremitarum S. Augustini Scriptor æqualis in historia vulgata a Muratorio Rer. Ital. tom. XIX. *Nihil vitiorum habuisse diceres, si non tanta cura invigilasset ventri, ut sæpe inhærens mensæ juberet ex mercato, quod forte in mentem venisset, emi, & concoqui. Ita fere dimidium temporis conviviis trahebatur. Levitatis ad modo notatum plus quadringenti vernaculi uno vestitu insignes in domo versabantur. Verum hæc imputanda Græcia, ex qua oriundus dicebatur. Cæteris enim rebus professam religionem in usque ultimum diem summa pietate coluit, etiam ingemuisse dicitur qua die factus Pontifex togam mutavit. Hinc hodie quoque Fratres sui Bononiæ sanctum colunt.*

Suspicio non inanis increbuit obiisse illum a Balthassare Cossa, qui ei successit in Pontificatu, *intoxicatum*, qua de suspicione hæc lege in Epistola scripta a Carthusiano quodam, qui tunc aderat Constantiæ, cum de gestis ejusdem Balthassaris judicialis inquisitio fiebat, quam Epistolam vulgavit Martene Anecdot. tom. II. col. 1634. *timeo quod probata sit simonia* (ejusdem, Balthassaris) *homicida & intoxicatio Alexandri*.

De Martino V. plura addi hic possent, quamquam & multa dantur a P. Alexandro; sed his omnibus omissis utpote quæ ex Annalibus & diffusioribus scriptis repeti possunt, unum tantummodo referam quod Carolus VII. Galliarum Rex, legatione sua ad illum instituta, quam gessit Episcopus Leonensis ab eo petiit, ut ab excessibus a subditis suis commissis *occasione guerrarum, ut incendia sacrorum locorum, violatio Ecclesiarum, & immunitatum Dominus Papa committeret confessario Regis & aliis usque ad tres vel quatuor annos facultatem illos absolvendi a sententiis, interdictis, excommunicationibus, & super irregularitatibus, &c.* hæc religiosa sont, & in exemplum trahenda. Instructiones hasce legas in Anecdotis Mart, to. I. pag. 1729. &c.

Ad gesta Martini V. pertinet institutio studii Lovaniensis, rogante Joanne Lotharingiæ Duce, & Comite Flandriæ, ut ex pluribus ea de re monumentis, a Martene ibidem vulgatis, eruimus.

Præter ea quæ in hoc articulo in fine historiæ hujus ecclesiasticæ in priori hujus operis editione a me adnotata sunt, juvat hic addere nonnulla, quæ me olim dum scriberem fugerunt. Institerat plus vice simplici Pius II. apud Ludovicum XI. Francorum Regem, ut pragmaticam sanctionem in regno suo aboleret, utpote juri Pontificio ex adverso oppositam. Parere Pontificiis jussionibus diu Rex recusat, tandem sæpe pulsatus obsequendum sibi esse statuit, ideoque solemni instituta legatione ad eumdem Pontificem pragmaticæ illi renuntiavit; qua de re adeo lætatus est Pontifex ut per epistolam gratias agendum illi duxerit, tum & rem hanc impetratam Cardinalibus in consistorio renunciaturus, luculenta oratione laudes ejusdem Regis prosequutus est. Hanc ego orationem in Codice Lucensi nactus evulgavi in collectione omnium Orationum Pii II. quam tribus comprehensam voluminibus per hos annos Lucæ evulgavi. Eamdem pariter orationem eruditissimi Bibliothecarii Taurinensis Universitatis in suo MS. Codice offendentes, dederunt in volumine secundo Codicum MSS. Bibliothecæ ejusdem Universitatis, quod opus lucem aspexit Taurini.

Fatendum est tamen gaudium Pontificium brevi durasse, cum haud diu post Ludovicus, instantibus maxime Gallis acceptationem suam revocaverit. In eadem pariter collectione opera mea evulgatæ sunt quamplures responsiones Pontificis datæ Oratoribus Regum ac Principum, obsequium suum novo Pontifici præstantibus, sicut & inter orationes jam luci expositas, sive a Dacherio, sive ab aliis plures quæ ad nostram usque ætatem in pluteis bibliothecarum latuerant cum publico communicatæ sunt. Insuper historica quædam Opuscula, nondum in publicam lucem extracta, eodem Pio II. auctore, ibidem prodierunt.

ARTICULUS VIII.

De PAULO II.

SAcris Novemdialibus *Pio II.* peractis Pontifex renunciatus est summo Cardinalium, seu eligentium seu accedentium consensu, *Petrus Barbus*, patria Venetus, *Eugenii IV.* ex Sorore Nepos, Tituli S. Marci Presbyter Cardinalis, & *Paulus II.* appellatus. Leges in Conclavi conditæ ad optimum administrationis Pontificiæ rationem, quibus Patrum quisque subscribens Jurejurando votoque promisit se illas religiose servaturum si ad Pontificatum assumeretur. Harum capita recenset *Jacobus* Cardinalis Papiensis Commentariorum lib. 2. „ Jurabat vovebatque Deo, Sanctisque Apostolis Petro & Paulo, quisque Patrum ad Pontificatum esset assumptus, inchoatam expeditionem in Turcas quantum Romanæ paterentur opes, continuare, proventumque aluminis ad eam integrum adhibere. Lapsos etiam Curialium mores ad Patrum disciplinam restringere. Curiam porro ipsam de Provincia in Provinciam, sine plurium ex Patribus, intra Italiam; extra Italiam sine omnium assensu, qui subscriptionibus pateret, non transferre. Concilium Generale intra triennium cogere, in quo & Principes sæculi ad tuendam Religionis causam accenderentur, ægræque partes Ecclesiæ communi medicamento sanitatem reciperent: Cardinales non ante creare, quam ii qui creati jam haberentur, ad numerum 24. essent redacti: Majoremque hoc numero non pati in Ecclesia esse: Neminem quoque assumere, qui non trigesimum annum excederet, quique non professus esset vel Pontificium Jus vel Civile, vel literas Sacras. Nec nisi unum, eumque hujus generis hominem ex cognatione sua eligere: In omnibus autem eligendis, sententias Patrum non tacitas in aurem, ut ante, sed ex subselliis, ad declinandos errores palam accipere. De majoribus insuper committendis Sacerdotiis, nonnisi in Consistorio, sententiis auditis decernere; Jus ad ea nominandorum nulli omnino permittere: Diplomata etiam non dare, quibus ad alienum arbitrium ea se collaturum promitteret: Si qua essent antea data, uno edicto adimere. Non destituere Sede sua Episcopum quemquam, Abbatemque, postulatione ulla Principum, nisi & talionem ex Juris forma ante in se reciperent, auditique rei solemni judicio essent. Non Cardinalem remve suam apprehendere, nisi ea Patrum sententiis: Non damnare etiam, nisi ex Synodali Constitutione, cujus est initium: *Sanctissimus Præsul*: Nisi ea omni Ecclesiæ patrimonio, quod paulo insignius esset, in quemquam distrahere, aut ejus censum minuere, nisi & assenserint Patres, & concessioni subscripserint. Iisdem quoque non consulentibus, nulli non subdito bellum inferre, aut ad inferendum fœdus quoddam inire. Testamenta defunctorum Curialium libera sinere. Portoria nova nulla inducere, nec veteru augere, Principi Potentatuive tributum de Clericis sine ratione nullum concedere. Arcium Custodes jurejurando vadimoniisque adigere de iis vacante Sede Collegio reposcenti tradendis, Eas quæ essent momenti majoris, solis Clericis, qui tamen suæ cognationis non essent committere, Eumdem vero & Arcis Custodam, & Præsidem Civitatis non facere. Præsidibus Provinciæ decedentibus Administrationum omnium Judices dare. Ducem Ecclesiastici exercitus ex suo genere non constituere. Nil ex diplomatibus factum dicere ex Fratrum consilio quod revera consulentibus eis Decretum non esset. Demum primo quoque mensium Consistorio imperare has leges ad innovandam memoriam, ex scripto recitari. Additum est: ut bis quotannis, per Kalendas Decembres Majasque, Patres seorsim a Pontifice convenientes cognoscerent inter se, an servatæ illæ judicarentur. Id si minus factam intelligerent, charitate quæ filiis in parentes est debita, usque ad tertia rememorationis officia transgressionis & perjurii illum monerent, ad servandumque precarentur. Has Leges cum ante Cardinalis, jamque Pontifex factus, subscriptionibus duabus jurejurando votoque firmasset, delere nihilominus paulo post aggressus est, aliena magis instigatione, quam suo proposito. Erant inter ministros ejus domesticos Præsules duo Cardinalatum magnopere ambientes, *Stephanus* Ecclesiæ Mediolanensis Antistes, & *Theodorus* Tarvisinæ Episcopus: qui videntes desideria sua his Legibus impediri, quod numerus Cardinalium justo major nonnisi longa expectatione rediturus ad legitimum videretur, simulato in Pontificem affectu, agere cum eo de his abrogandis cœperunt, indignum ajentes, Vicariam Christi potestatem humanis conditionibus subdi: ipsumque non tam sui arbitrii, quam alienæ moderationi ministrum videri: quærendam libertatem esse, idque agendum, ut auctoritatem Ecclesiæ apud se, non apud Cardinales esse omnes agnoscerent. *Tarvisinus* summi ingenii vir, summæque doctrinæ qui multos jam annos ad tribunal Rotæ exercuisset judicia, fidemque veritatis haberet, facile insinuationibus hisce rem *Paulo* persuadet, cum Literis non multum imbuto, tum sui Juris admodum retinenti. Itaque ex amborum sententia novæ quædam Leges quasi ex persona Patrum scribuntur, quarum erat obtentus, quod priores illæ cognoscerentur inutiles. Induxisse eos has novas, quibus tantum obnoxium esse Pontificem vellent. Libellum quoque, in quo erant digestæ, sigillatim cuique ad secundam subscriptionem offerre cœperunt, imperiosius totam rem jam contendentes. Inventi inter eos nonnulli sunt qui gratiæ magis quam animæ obsecuti, manus statim requirentibus dederint. Qui vero & jurisjurandi magnitudinem, & voti sanius expendebant, sanctumque Ecclesiæ ministerium cupiebant, eam inconstantiam a Pontifice deprecabantur, nec dicto erant audientes: Pudendam rem ajentes, earum Legum damnatores eos mutatoresque videri, quarum nuper summo consensu constitutarum vix dum essent atramenta siccata. Quo loco commotiore jam animo ille factus, atque ad pervincendum firmato, agere in dies severius cum Patribus cœpit, nunc pollicitus multa, nunc vexans, nunc lacerans maledictis, nunc etiam liberius minitans; nec ullum erat tentandæ mentis tormentum, quod ad oppugnandum

Pauli II. inconstantia, Juramenti violatio & violentia.

„ dum

„ dum horis omnibus non adhiberet. Nicænum Cardinalem primæ sententiæ Petrem, fatigatum diu intra cubiculum, moxque insuperetum egredientem, manu intus retrexit foribusque occlusis, eo angustiarum aduxit, ut Anathema illum pronunciaret, si non statim subscriberet. Quin & poscentibus quibusdam ut perlegendi semel libelli ante acciperent potestatem, gravete admodum indulgebat, manu nonnumquem inter subscribendum Scripturam contegens totam, ne scriptorum vanitas eppareret, quæ callidi artificis formata ingenio, plena erant verborum effugiis, His atque hujusmodi molestierum assiduis machinis debiliteti Petres, tendem cesserunt, atque ad unum omnes non sine gemitu subscripsere, *Joanne Carvaial* tantum excepto, qui Portuensis Ecclesiæ Autistes, annosque jam septuagiute natus juvenem se non fecisse meminerat, ut ulle de causa mutaret sententiam, id jam ætatis nou commissurum respondit. Hæc *Jacobus Cardinalis Papiensis*, lib. secundo Commentariorum. Porro hæc violentia Cardinalibus illeta, Legumque optimarum abrogatio, maximam dedecoris labem *Pauli secundi* nomini inussit. Lege liberrimam Cardinalis *Papiensis* Epistolam ad ipsum ea de re datam 181.

Pauli secundi pro Christiana Republica sollicitudo.

II. Mox ut coronatus est, ad Christianæ Religionis contra Turcas defensionem curas omnes intendit, tres primos ex Cardinelibus delegit, qui ea de re cum Principum Italorum Oratoribus conferrent: vectigal ingens, quod ex alumine colligebatur, belli sacri sumptibus consecravit. *Eversi* Comitis *Angaillaris* filios tyrannidis patris successores, immissis in eos copiis oppressit, & ditionibus exuit. *Georgium* Bohemiæ Regem Hussitam, & catholicorum persecutorem damnavit, sententiaque lete exeuctoravit, enno 1466. Romanam Curiam a Simoniaca labe purgavit. Abbreviatorum sustulit Ordinem, quorum unus eret *B. Platina*, qui ob muneris ac lucri jacturam iratus, eum ipsi, Collegisque aditus ad Pontificem interclusus esset, insolentem ad eom scripsit Epistolam his verbis: „ Si tibi licuit indicta causa spoliare nos emptione nostre justa & legitima, debet & nobis licere conqueri illatam injuriam inustamque ignominiam. Rejecti a Te ae tam insigni contumelie affecti, dilabemur passim ad Reges, ad Principes, eosque edhortabimur, ut Tibi Concilium indicant, in quo potissimum rationem reddere cogaris, cur nos legitima possessione spoliaveris. Ideo in carcerem conjectus est, quem & alie postmodum occasione, ob leves de conjuratione suspiciones *Paulus* vexevit, eique & aliis Viris Clerissimis, communione studiorum cum ipso conjunctis, Hæreseos crimen impegit, quod de Deo & Animarum immortelitate, ut Philosophis, Theologisque mox est, disseruissent ac disputassent. Sed ab iis criminibus *Platina* se purgavit, & a Sixto IV. Peuli Soccessore in pretio habitus, Vaticenæ Bibliothecæ præfectus est. Pacem inter Polonos & Cruciferos Prussiæ Equites conciliavit. Italiæ quoque Principibus concordiam imperavit. *Joanni* Cardinali Attrebatensi Legationem Apostolicam in Galiis commisit, ut Pragmaticæ Sanctionis abrogationem, a *Ludovico* XI. decretam, in Supremi Senatus Parisiensis tabulas referri curaret, quod impetrare non potuit, repugnante *Joanne a S. Romano* Regio Cognitore, & intercedente Academia.

Cardinalium ornatus.

Rubris capitiis Cardinales ornavit *Paulus Secundus* quibus soli Pontifices Romani antea utebantur; pannoque ejusdem coloris equos ipsorum stratos esse jussit, dum equitabant, ut *Jacobus* Cardinelis Papiensis, & *Platina* testantur. Gemmis edmodum delectatus, conquisitis undique pretiosissimis. Mitram quæ tribus instructa Coronis Regnum appellatur, atque a Pontificibus multis ante sæculis gestari desierat, sibi paravit, qua ornatus tamquam alter *Aaron*, in publicum forma humana augustiore prodibat. *Fridericum* Imperatorem, quem voti Religio ad Apostolorum limine adduxerat, magnificentissime suscepit. Gubernatores locorum Ditionis Ecclesiasticæ munera accipere probibuit, Constitutione quæ incipit: *Munera*, data 15. Kalendas Aprilis, anno 1466.

Jubilæum.

Jubilæi celebritatem ad annum 25. revocavit Diplomate quod incipit, *Ineffabilis Providentia*, dato 13. Kalendas Maii anno 1470. Bona Ecclesiastica alienari, aut ultra triennium locari vetuit, Diplomate *Ambitiosa*, dato Kalendas Martii, anno 1467. Editæ sunt in Bullerio Romano.

Pauli secundi mores.

Noctes totas usque in primam lucem vigilabat, diebus tantum Senatus exceptis. Audientiam vix concedebat ante noctem: unde perpetim vigilare cogebantur, quibus erat in Curia negotium. Numismata sua imagine signata, fundamentis ædificiorum, quæ magnifica erexit, parietibusque admiscebat, & Titulus operibus jubebat incidi, gloriam & nominis immortalitatem hisce rebus quærens, quibus prisci Cæsares, non Sancti Pontifices gloriabantur. Bachanalium pompam, ludosque, quod indignissimum Pontifice jure meritoque visum est, auxit. Quibus de rebus ipsum libere monuit *Jacobus* Cardinalis *Papiensis*, Epistola 281.

Jacobi Cardinalis Papiensis libera ad Paulum secundum admonitio.

Ignosce (inquit) *Paule; veram laudem ista non habent. Sacerdotales non putantur officii. Vanitas est his immundissa. Sapiens nemo numismata, & titulos, & lasciva plebis detinimenta probavit. Peccatum enim continent. Videntes ea audientesque posteri, fabricatorem quemdam inanis gloriæ Te conjicient; Ita, quod minime quæris, ignominiam pro laude invenis.* Gloria nostra hæc est (*ait Apostolus*) testimonium conscientiæ. *Quære ergo ut conscientia tua satisfaciat Deo, & in illum respiciat. Parabis Tibi gloriam permansuram, quam nunc quærens non invenis. Opera autem æternitatis in Pontifice sunt: Vitam immaculatam præstare, lapsam Ecclesiæ Disciplinam erigere, restituendæ libertati Clericorum intendere; sic justitiæ cultorem esse, at tamen misericordiæ sit recordatio: In bonis causis intrepidum se præstare, non vultus, non minas Potentum timere; potiorem vita conscientiam ducere, ad publicam gregis salutem oculos semper intendere: Nihil suum credere, quod Christi non sit: Meditari jugiter de miseris Christianis, qui proximi Infidelibus sunt, præsidia his mittere: incitare Principes ad capessenda pro fide arma; ducatum, si opus sit, illis præstare; Thesauros in piam hanc causam effundere, parcitate non impedire: Missione Legatorum, profectione etiam propria, si expediat, pacare Regna; Nullibi ob causam privatam dissensiones optare. Conari ut Ministeriam Sedis ubique sit salutare. Domi quoque bene compositum esse, non iracundum, non impatientem, non male de Ministris qui probati jam sunt, æstimare. Partiri noctem & diem ad opus vicissim & quietem, naturam non invertere: Velle ut suo potius incommodo omnium consulatur commodis, quam ut unius quies aliorum paretur inquietudine, meminisse Gregoriani verbi, quod Literæ Apostolicæ præferunt:* Servus servorum Dei. *Si quando a curis vacet, lectionem sacram assumere, identidem scribere, colligere quæ memoratu sunt digna, laborare ad præsentem pariter & futuram utilitatem. His titulis, & numismatibus, & laudis, & opalis paratur solida & perennis gloria. Illa sæcularia, ut inania sunt, ita evanescunt quamprimum, nec fructum acceptabilem habent.* Qui gloriatur, *inquit Jeremias*, in Domino glorietur. *Et Apostolus Paulus:* „ Mihi absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.

e. Cor. 12. 12.

Hos audi, Paule, & in quærenda laude ante oculos pone. Suadebunt saniora quam vana Gentilitas. Quantum avidus gloriæ, tam pecuniæ liberalis erat. Omnem simoniacam licitationem ac pravitatem perinde atque pestiferum morbum oderat. Indulgentias etiam ipsas temporum necessitate concessas quoniam lucrariæ viderentur, magna ex parte abrogavit: Gratias expectativas ex quibus grandes Thesauri conflarentur, inhibuit, teste *Francisco Philelpho* lib. 35. Epist. 1. ad *Sixtum* IV. In Virginum Pauperum dotem, viduarum solatium, pauperum quorumvis levamen, Templorum ornamenta, Venetorum contra Turcas subsidia, opes profundebat, ut idem Auctor & *Platina* ipsi alias iniquior, testantur. Ob verbositatem, vanosque sermones, & quod Astrologiæ Judiciariæ credere videretur, a *Jacobo* Cardinali *Papiensi* vituperatus est Epistola 156. ad Rothomagensem, & Avenionensem Cardinales. Ut auditu difficilis; sic exoratu plerumque durus fuit, sed qui deinde præstaret longe plura quam aut vultu, aut oratione polliceretur. Justitiæ clementiæque laudem promeritus est, Monstra domi non aluit, nullam in familia insolentiam passus. Obiit ex apoplexia, cujus causa fuisse credita est peponum, pisciumque, cum aquæ frigidæ potu, ad cœnam comestio, 17. Kalendas Augusti anno ætatis 54. Pontificatus 7. Christi 1471.

Pauli secundi Cardinales.

III. Selectos variis Promotionibus creavit Cardinales, *Thomam Bourcherium*, Oxoniensis Academiæ Doctorem Theologum, Archiepiscopum Cantuariensem: *Stephanum de Varada*, Hungarum, Colocensem Archipræsulem: *Oliverium Carafa*, Nobilem Neapolitanum, suæ Urbis Archiepiscopum, qui gravissimis pro Ecclesia Legationibus sub *Sixto* IV. Pontificatu functus est, & pluribus *Jacobi* Cardinalis *Papiensis* Epistolis commendatur: *Marcum Barbum*, Patritium Venetum, patruelem suum, Vicentinum Episcopum, quem & Aquilejensi Patriarchatu postmodum auxit. *Joannem Balue*, Gallum, obscuro quidem loco natum,

ſed qui ingenio, ſagacitate, induſtria, aſtutia, viam ſibi ad majores Dignitates aperuit, ex Ærarii Quæſtore Beccenſem Abbatem Commendatarium, deinde & Fiſcanenſem, *Ludovico* XI. Regi Chriſtianiſſimo ab Eleemoſynis; Ebroicenſem primo, tum Andegavenſem Epiſcopum, fortunæ ludibrium, de quo alias ploradicemus: *Amicum Agnifilum*, Italum, patria Aquilanum, ex Juris Pontificii Profeſſore in Academia Bononienſi, ſuæ civitatis Epiſcopum: *Franciſcum de Ruvera*, Savonenſem, Ordinis FF. Minorum Miniſtrum Generalem, qui fuit Summus Pontifex Sixtus IV. *Theodorum Palæologum*, Marchionis Montisferrati filium, qui ad Imperatoriam Palæologorum Domum referebat originem: *Baptiſtam Zenonem*, Patritium Venetum, ex ſorore Nepotem, Vicentinum Epiſcopum: *Joannem Michaelium*, Nepotem alterum, Protonotarium Apoſtolicum, qui deinde Veronenſi, Patavinæ, Albanenſi, Præneſtinæ, Portuenſi Eccleſiis ſucceſſive præfuit, Patriarchatu etiam Conſtantinopolitano auctum, magni ingenii virum, doctrinæ & pietatis cultorem a Cardinali Papienſi, aliiſque hujus ætatis Scriptoribus impenſe commendatum. Præclara erat illa *Pauli* II. ſententia; *In rebus aliis hominem eſſe poſſe, in Eccleſiarum Rectoribus creandis Angelum, in Collegio augendo Deum, Pontificem eſſe oportere. Qui in altero peccet, impium, qui in altero dæmonem eſſe exiſtimandum. In illo unam Eccleſiarum proſtitui, ac viro alieno conjungi; in hoc Eccleſias univerſas periclitari, tum ob ea quæ quotidie per Senatum decernuntur, tum ob ipſos Dei Vicarios, qui a Senatu creari conſueverant: Quamobrem altera hac culpa non unum tantum, ſed plures ſimul peccandi, perdique Pontificatus.* Ita refert *Ægidius* Cardinalis *Viterbienſis* in Hiſtoria MS.

Præclara Pauli ſecundi ſententia.

SCHOLION.

Ad hunc Articulum, pag. 77. Editionis primæ, Religioſi Cenſores hanc notam appoſuerunt: *Multa mala dicit de Paulo* II. *quia non ſervavit juramenta*, pag. 81. *Bacchanalia* auxit, pag. 83. *Verboſus, Aſtrologiæ nimis credens.*

R. Quæ de Paulo II. ſcripſi, a coævis Scriptoribus memoriæ prodita ſunt, & ex Jacobi Cardinalis Papienſis Literis & Commentariis hauſta; Pactiones juratas in Conclavi *Paulum* II. diſſolviſſe; graviſſime a Cardinali Papienſi monitum, ut vota nuncupata ſervaret. Cardinales, partim blanditiis, partim terrore compuliſſe, ut Legum juratarum diſſolutioni conſentirent; Joannem Carvajalem, Cardinalem Hiſpanum, morum ſanctimonia illuſtrem, ſumma conſtantia hanc turpitudinem eſſe deprecatum; diſſolvendi voti Conſultores divina ultione percuſſos, ex Cardinali Papienſi pariter refert Odoricus Raynaldus ad annum 1464. Num. 58. 59. 60. 61. Cæterum ut *Pauli* II. vitia non taceo, ſed obiter perſtringo ex Jacobo Cardinali Papienſi integerrimo Scriptore, ſic nihil eorum prætermitto, quæ ad Summi Pontificis iſtius commendationem vel ab ipſo Jacobo Papienſi, vel ab aliis, & maxime ab Ægidio Cardinali Viterbienſi commemorata ſunt. Hiſtoriæ leges ſecutus ſum. Votum a ſe nuncupatum in Conclavi ante & poſt acceptum Pontificatum, pactiones juramento firmatas violaſſe Paulum II. certum eſt. Neſcio an id excuſari velint aut ſileri Religioſi Cenſores. Sileri vetant Hiſtoriæ leges, excuſari prohibet Lex divina. Suam ea de re ſententiam libere ſcripſit Jacobus Cardinalis Papienſis Epiſtola 421. ad Cardinalem Theanenſem: *Quamdiu* (inquit) *Paulus in eodem jurejurando manſit ac vota ſucceſſum præbuit Deus: non ut violavit, nec judicio æſtimationis & vitæ eſt facta jactura. Clamat Propheta*, Reddite *vota veſtra Domino Deo veſtro, terribili & ei, qui aufert ſpiritum Pauli, eique non modo vocem, ſed ne teſtem quidem interitus in morte miſerrima liquit.* Hæc ille, Jacobi Cardinalis Papienſis Literæ cum ejus Commentariis editæ ſunt; nec a Sede Apoſtolica improbatæ. Quæ de Paulo II. ſcribit, res geſtæ ſunt, mera facta, quorum teſtis fuit oculatus.

Nota.

CUM Paulus II. inter multa commendatione digna, alia admiſcuerit quæ illius ætatis Scriptores improbarunt, nec valde laudandum, nec vituperandum dixit Spondanus ad an. 1471. Monitum tamen hic volo Lectorem fidem Platinæ non præſtandam geſta hujus Pontificis deſcribenti. Cum ob patria crimina hic Auctor poſt diuturnum carcerem variis tormentis fuerit excruciatus, libidine ſe ulciſcendi abreptus Pauli famam denigrare non ceſſavit: quod tamen falſitatem præſeferre ex eo ſatis dignoſcitur, quod Cardinalis Papienſis huic Pontifici liberrime alia objecit, unde ſi vera fuiſſent quæ ſcripſit Platina, & hæc exprobrare non deſiiſſet. Multo magis cavendum a putido hæreticorum commento, quod Pleſſeus Mornæus in ſuo myſterio iniquitatis ſibi adoptavit, hunc nempe Pontificem in actu venereo a Diabolo ſtrangulatum obiiſſe. Non ſolum falſitatis tam enormis altum eſt ſilentium apud omnes, qui hujus Pontificis geſta ſcripſere, & apud ipſum Platinam eidem infenſiſſimum, ſed ipſius mortis cauſam deſcribens Franciſcus Philelphus in Epiſtola, quam ad Sixtum IV. Pauli ſucceſſorem dedit, ita ait: *Ex hujuſmodi eſcalentorum, peponum nempe, piſciumque cum potu aquæ frigidæ, mala, & turbulenta concoctione variis ſurgentibus Flatibus, cum ii meatus, per quos fit reſpiratio, illico ſunt obſtructi, tum mors continuo nervorumque omnium contractio conſecuta. Sed ii qui aut hujuſmodi cauſas naturæ ignorant, aut ſuos animi livore, atque odio in ſanctiſſimum Patrem illum exulcerati, alii inſcitia, alii malevolentia novas fabulas per Italiam diſpergunt.*

ARTICULUS IX.

DE SIXTO IV.

I. PAULO II. unanimi Cardinalium omnium electione ſuffectus eſt *Franciſcus de Ruvera*, alias *Roboreus*, Sancti Petri ad Vincula Presbyter Cardinalis, ex Ordine FF. Minorum aſſumptus, annum agens ætatis 57. qui ſibi nomen ſumpſit, *Sixtus* IV. Prima ipſi cura fuit de *Mahometo* Turcarum Tyranno a Chriſtianorum finibus propulſando. Quamobrem Legatos miſit ad Principes, qui pacem inter ipſos componere, eoſque ad communem Religionis hoſtem expugnandum hortari satageret. *Marco* Tituli S. Marci Cardinali Germanicam Legationem commiſit, ut pacem inter Hungarum & Polonum de Bohemiæ Sceptro certantes conciliaret: *Beſſarioni* Cardinali Nicæno Gallicam, *Roderigo Borgiæ* Hiſpanicam: *Oliverio Caraſæ* Neapolitano Cardinali, Claſſis Maritimæ Legationem & Præfecturam. Hanc porro ſacra prece luſtravit Feſto die Corporis Chriſti anno 1472. Ea Expeditione Attalia Pamphiliæ urbe conatu impugnata. *Smyrna* Joniæ civitas opulenta a Claſſe Pontificia expugnata eſt. Eodem anno *Ludovicus* XI. Rex Chriſtianiſſimus *Theobaldum Luxemburgium* Cenomanenſem Epiſcopum, ex Ordine Ciſtercienſi aſſumptum, ad *Sixtum* IV. Oratorem miſit. Is Regis nomine Concilium Lugduni celebrari petit, cujus opera & auctoritate pax inter Chriſtianos Principes ſanciretur, & communia ſubſidia contra Turcas decernerentur: Rogavit ut *Carolus Borbonius* Lugdunenſis Archiepiſcopus in Cardinalium cœtum cooptaretur: Gallorum nemo invito vel inſcio Rege ad eam promoveretur Dignitatem. Ut Eccleſiis Gallicanis Viri ejus Majeſtati grati præficerentur: Minorum Beneficiorum collatio ſaltem alternis menſibus penes Epiſcopos eſſet; Vacantium taxæ Conſtantienſis Concilii Legibus congruerent; prima cauſarum cognitio ad Curiam non traheretur: Clero Gallicano nova non imperaretur contributio: Leges quædam Sanctionem Pragmaticam ſpectantes ad trium Regni Ordinum petitionem explicarentur ac temperarentur. Concilium intempeſtive poſtulari Pontifex reſpondit; quippe rem eſſe quæ tempore indigeret, ac multis eſſet obnoxia difficultatibus, cum præſens eſſet Chriſtianæ rei diſcrimen, imminentibus graſſantibuſque Turcis. Regem Chriſtianiſſimum rem facturum ſua Majeſtate dignam ſi alios Principes æmulatus, ferret opem Religioni ſubſidiaque in Regno ſuo tum a Clericis, tum a Fidelibus reliquis conferri juberet: Ipſum Apoſtolicam benignitatem in aliis probaturum. Hæc ex Libro Expeditionum Sixti IV. refert Bzovius noſter num. 12. Gallis re vera favit, promulgata Conſtitutione, quæ incipit; *Ad Univerſalis Eccleſiæ regimen*: qua Ordinariis hujus Regni ad conferenda Beneficia ſex menſes conceſſit: Cauſarum Beneficialium primam cognitionem judiciumque in partibus permiſit, in iiſque ante finitivam Sententiam appellari prohibuit: Annatarum ſolutionem ſecundum veram æſtimationem fructuum Eccleſiæ ſeu Monaſterii, ad quæ promotus quis eſſet, moderatus eſt. Habetur lib. Extravagantium Communium Tit. I. *De Tregua & Pace.* Sacramenta Fidei, quæ Bohemi præſtiterant *Wladiſlao* Poloniæ Regis filio, reſcidit, quod Bohemicum Re-

Expeditio ſacra adverſus Turcas.

Ludovici XI. Regis Chriſtianiſſimi poſtulata.

Sixti Conſtitutio Gallis favens.

Regnum ad *Mathiam* Hungariæ Regem pertineret, qui Sedis Apostolicæ consilio sacrum bellum ad restituendam religionem in ea regione collapsam susceperat. Bohemos, Silesios, Moravosque *Wladislao* faventes, intentato Anathemate, *Mathiæ* Regi obsequi jussit. *Sixti* Diplomata his de rebus edita exhibet *Odoricus Raynaldus*, ad annum 1472. num. 32. & 33. Cum Ecclesiæ dispendio *Leonardi Ruverii* Nepotis sui rebus consuluit *Sixtus*, cui ut *Ferdinandi* Siciliæ Regis filiam collocaret, Soranum Ducatum, quem *Pius* II. Ecclesiasticæ Ditioni adjunxerat, ipsi reddidit, & condonavit Regni censum, tam qui debebatur, quam qui vivo illo poterat in futurum deberi; ut narrat *Jacobus* Cardinalis Papiensis Epistola 439. Eodem in propinquos affectu *Hieronymum Riarium* Nepotem alterum, cui Ecclesiastici Exercitus Supremum Imperium contulerat, Imolæ & Forolivii Toparchia donavit. *Joanni* ex sorore Nepoti filiam Urbinatis Comitis, quem titulo Ducis auxit, despondit, eumdemque Nepotem Senogalliæ & Mundani Dominum creavit, pernicioso exemplo ex spoliis Ecclesiæ suos ditans. In quosdam Ordinis FF. Carmelitarum Professores, qui impie asseruerant, non esse hæreticum & a veritate Fidei alienum Dæmonum expectare responsa, quæstionem haberi jussit a Vicario Episcopi Bononiensis, ad quem datæ ea de re Literæ extant post Directorium Inquisitorum *Nicolai Eymerici* pag. 82. *Alphonsum Bolanum* Ordinis Minorum Professorem Apostolica Auctoritate instruxit ad religionem in Canariis Insulis, & Africæ, Asiæque oris maritimis, propagandam: quod cum incredibili fructu præstaret, Pontifex concessit ut sexdecim socios ejusdem Ordinis, a quatuor Hispaniæ Provinciis in laborum societatem assumeret, quamvis petita a Præsulibus facultas negaretur. Ecclesiam Avenionensem Archiepiscopali Dignitate auxit, illique Cavallicensem, Carpentoratensem, & Vasionensem Episcopos, ab Arelatensis Archipræsulis absolutos Imperio; Suffraganeos addidit Diplomate dato 11. Kalendas Decembris anno 1475. Ad Deiparæ Virginis opem contra Turcas implorandam, Festum Visitationis ejusdem cum Officio proprio, quod ipse conscripsit, & Octava, toto orbe Christiano celebrari jussit, profusis ad fidelium pietatem excitandam Indulgentiis. Omnibus immaculatam Virginis Deiparæ Conceptionem devote celebraturis, & qui Officium a Magistro *Leonardo de Nogarolis* Clerico Veronensi compositum recitarent, vel Horis Canonicis aut Missæ interessent, in Festo ejusdem Conceptionis & per octavas, easdem Indulgentias concessit, quæ celebrantibus Officium & Missam, vel devote frequentantibus, in Solemnitate & per Octavas Corporis Christi, ab *Urbano* IV. *Clemente* V. & *Martino* V. concessæ fuerunt. Ea de re extat Constitutio, *Cum præ excelsa*; Lib. III. Extravagantium Communium, Tit. *De Reliquiis & Veneratione Sanctorum*.

Sixtus Quartus pernicioso exemplo ex Ecclesiæ spoliis Nepotes suos ditat.

Sixti studium pro fide propaganda.

Avenionensem Ecclesiam Metropolitica Dignitate ornat.

Deiparæ Virginis cultum auget,

Immaculatæ illius Conceptionis celebritas & Officium.

II. Pazzorum Florentinam familiam in Mediceorum odium fovit *Sixtus* IV. quibus nonnullis de causis temporalem Ecclesiæ Romanæ Statum, Nepotisque sui *Hieronymi Riarii* commoda spectantibus, eorumque causa toti civitati ab eorum nutu pendenti infensus erat. Tetra conjuratio in Mediceos facta anno 1478. pene ipsos oppressit. Sexto Kalendas Majas, in Ecclesia *S. Reparatæ*, inter Missarum Solemnia, conjurati *Julianum Medicæum* confoderunt: *Laurentii* natu majoris jugulum ferro petiere. Is levi vulnere saucius, in Sacrarium confugit, & Æditius portas æreas occludentibus evasit. Conjurati plerique omnes capti, & supplicio affecti. Quos inter *Franciscus Salviatus* Pisanus Archiepiscopus laqueo suffocatus. Cardinalis Legatus honesta custodia detentus est, donec ejus innocentia comperta fuit. *Sixtus*, quem hujus in Mediceos conjurationis participem fuisse tradunt *Angelus Politianus*, *Michael Brutus* Lib. VI. Historiæ Florentinæ, *Machiavellus* Lib. VIII. *Volaterranus* Lib. V. Geographiæ & Lib. XX. Anthropologiæ, *Stephanus Infessura*, in Chronico, & *Onuphrius Panvinus* in Vita ejusdem Pontificis; gravissimum Florentinis, Sacris omnibus interdictis, bellum intulit. *Ferdinandus* Rex Neapolitanos, & Senenses, a Pontificis partibus contra Florentinos steterunt: Florentini Regem Christianissimum, Venetos, Mediolanensium, Mantuanorum, & Ferrariensium Principes fautores habuere. Culpam omnem in Pontificem rejecere, cujus auctoritate conjurati coivissent, ab ipso ad Synodum provocavere; Sacerdotibus Etruscis jussere ut nihilominus Sacris operarentur. *Ludovicus* XI. Rex Francorum, indicto Aureliæ Præsulum procerumque Conventu, de Pragmaticæ restitutione & Annatis abrogandis deliberari permisit, quo Romanam Curiam terreret. Tum oratores misit ad *Sixtum*, qui Majestatis suæ nomine Sacra Florentinis restitui, Conjuratos plecti, vel Concilium Generale convocari postularent: Nisi Pontifex annueret, eodem nomine protestarentur, Regem cum aliis Principibus convocaturum Concilium, ad remedia mala Ecclesiam prementibus quærenda. Omnibus denique ac singulis Beneficia Ecclesiastica in Galliis habentibus, & Romæ tunc degentibus, jussit ut ad eaquamprimum redirent, alioqui fructibus privarentur. De hac Legatione, & de commotione Romanæ Curiæ ad ejus famam, legatur *Jacobi* Cardinalis Papiensis Epistola 677. ad *Sixtum* IV. data XVI. Julii 1478. Regis Oratoribus optimo consilio respondit Pontifex: Si Rex Christianissimus, justi & æqui amantissimus, observantissimus Ecclesiasticæ libertatis & totius Religionis Orthodoxæ, ut audivit *Laurentii Medicei* querelas, ita aliquem pro Pontifice respondente audivisset, numquam ejusmodi Legationem missurum fuisse: de consilio & assensu Cardinalium latas in Florentinos Censuras, indictumque bellum, quod si Regi perspectum fuisset, ea non dedisset suis Oratoribus Mandata. Non consuevisse Christianissimum Regem facile se committere judicio Dei, & pœnis quas Lex divina decernit in eos qui Summi Sacerdotis imperio restiterint. Decere ut Rex *Carolum Magnum imitetur*, cujus præclara illa verba sunt: *In memoriam B. Petri Apostoli honoremus Sanctam Romanam Ecclesiam, & Apostolicam Sedem, ut quæ nobis Sacerdotalis Mater est dignitatis, esse debeat Ecclesiasticæ Magistra rationis. Quare servanda est cum omni mansuetudine humilitas, & licet vix ferendam ab illa Sancta Sede imponatur jugum, tamen feramus, & pia devotione toleremus*. Pontificem nullum jugum Regi imponere, & si quod imponit, *Laurentio Mediceo*, quem Cognatum vocat, suave illud esse, leve & medicinale. Quamvis Summus Pontifex de Judiciis suis nemini rationem reddere teneatur; nihilominus de singulis querelarum capitibus se rationem redditurum ejus Majestati per Nuntium ad eam mittendum, ut nunc reddit ejus Oratoribus vivæ vocis oraculo; exemplo *Leonis IV.* qui ad *Ludovicum Pium* scribebat: *Nos si incompetenter aliquid egimus, & in subditis justæ legis tramitem non servavimus, Vestro ac Missorum vestrorum cuncta volumus emendari judicio*. Si concilium Generale facile congregari posset, nihil fore Pontifici hac in causa conducibilius, cum non Reges, sed Pontifex solus Concilio Generali præesse possit, tamquam universali Ecclesiæ caput. Præterea Concilii Patres libertatem Ecclesiasticam & jus fori servaturos atque defensuros quod nec ipse Romanus Pontifex tollere Sacerdotibus potest; neminemque futurum qui *Laurentii Medicei* facinus non improbet, qui Archiepiscopum Ecclesiæ servandum Judicio e medio sustulit: sed Concilii congregationem tempore & multa deliberatione indigere; fieri non posse Imperatore & aliis Regibus inconsultis. Tribus de causis Concilia celebrari solita, propter extirpationem hæresum, propter pacificationem Principum, & propter reformationem morum. Hæreses per Dei gratiam novas non grassari, quibus extirpandis necessaria sit Synodus, incertum esse an pax inter Principes ea via conciliari possit. Quamobrum satius visum esse Pontifici, qui de celebrando Concilio in ipsis Pontificatus exordiis cogitabat, id in tempus magis opportunum differre. Mirum videri quod Rex Pragmaticæ Sanctionis restitutionem meditaretur; Hac in re agi de ejus honore & conscientia: Si enim justa erat, cur eam abrogavit? Si injusta, cur eam repetit? Quod Regia Majestas vocationem Prælatorum sibi arroget ad ferendum de Viris Ecclesiasticis Judicium, esse contra dispositionem divini Juris & humani. Quod denique ejus Majestatis Prælatos in Curia degentes revocare velit, id nihil aliud esse quam a Summo Pontifice alienari velle. Si hæc attendisset Rex Christianissimus, suasurum potius *Laurentio Mediceo*, ut veniam criminis a Christi Vicario postulet, quam suis Oratoribus ista commissurum. Hanc responsionem Regis Christianissimi petitionibus datam ex MSS. Vaticanis retulerunt *Bzovius* noster, & *Odoricus Raynaldus* in Annalibus Ecclesiasticis ad annum 1478. Immane bellum a Pontifice & *Ferdinando* Neapolitano Rege in Florentino gestum, *Laurentii Medicei* prudentia finitum est, qui cum hostes Florentinis mœnibus jam imminere conspiceret, saluti publicæ consulens, *Ferdinandum* Regem adiit, pacem ab eo rogavit, impetravit annui census pactione. Pax ingrata Pontifici fuit, qui se neglectum graviter

Conjuratio in Mediceos.

Sixti bellum in Florentinos.

Gallicanorum Præsulum Conventus.

Ludovici XI. Christianissimi Regis Oratores ad Sixtum IV.

Quomodo se gessit erga Regem Christianissimum Sixtus IV.

Pax Florentinum.

ter ferebat. Auxiliis tamen destitutus, pacem facere & ipse coactus est. Quamobrem Oratores XII. ad eum missi, qui veniam præteritorum peterent, ac Populum Florentinum communi causa expiarent. Ita referunt *Raphael Volateranus* Lib. 5. *Onuphrius Panvinus* in Vita *Sixti IV.*

Petri Oxomensis errores damnati.

III. Fidei puritati conservandæ idem invigilans Pontifex, prædamnatas ab *Alphonso* Toletano Archiepiscopo, de Selectorum Doctorum consilio, *Petri Oxomensis* Salmanticensis Theologi, Hæreticas Propositiones confixit, Constitutione edita Romæ, quinto Idus Augusti, anno 1478. quam Tomo I. Bullarii Romani pag. 430. legere est. Subsidia Rhodiis misit adversus Turcas Insulam obsidentes, quæ *Petri Albussonii* Supremi Equitum S. Joannis Hierosolymitani Magistri bellica virtute servata est, pulsis Infidelibus anno 1480. Cum Turcica Classis in Calabriam invecta Hydruntem expugnasset, ac per Italiam fœde Barbari grassarentur, *Sixtus* curas omnes ad eos propulsandos adhibuit. Solemnes Conventus Romæ celebravit cum Regum ac Principum Christianorum Oratoribus, ut universi contra Religionis hostes conjunctis viribus insurgerent: Fœdus ad bellum sacrum sancitum est, *Ludovico XI.* Rege Christianissimo Interprete: ac sumptuum bellicorum onera, ad suppeditanda Militi stipendia, constandamque Classem, inter se partiti sunt. Pontifex ad triremes 25. instruendas se obstrinxit. *Ferdinandus* Rex Neapolitanus ad quadraginta ornandas: quinquaginta millia aureorum Hungariæ Regi Sixtus decrevit, *Ferdinandus* centum millia, cæteri Principes taxam eis convenientem, ad bellum contra Turcas gerendum. Omnibus placuit ut Rex Christianissimus eo fœdere comprehensus, ut illius Auctor ac præcipua Columna, pro arbitrio ad communem Religionis defensionem triremes pecuniasque contribueret. Sacri Fœderis tabulas edidit *Odoricus Raynaldus* ad annum 1481. Num. 4. ad imploranda in tanto Christianæ rei discrimine Cœlitum suffragia Octavam Festi omnium Sanctorum Pontifex instituit. Hydruntem a Turcarum tyrannide Christiana Classis vindicavit. Nuntio de *Mahometis Secundi* morte accepto, Turci ex Italia secessere. Eo metu liberati Italiæ Principes, opportuna hac occasione neglecta Turcici Imperii imminuendi, mutuis armis inter se certarunt, *Sixto* Pontifice nunc Venetis adversus Ferrariensem Ducem, & *Ferdinandum* Regem Neapolitanum, ac Florentinos & Insubres fœderatos favente, nunc Principibus adversus Venetos fœderatis. Tot bellorum sumptibus exhaustus Pontifex, non solum vectigalia nova induxit, veteraque auxit, & plures a sacratis hominibus decimas exegit, sed nova Collegia primus omnium Romanorum Pontificum excogitavit, quorum munera venalia essent: ac imprimis *Breviatores Minoris Præsidentiæ* a Pio II. creatos, a *Paulo Secundo* sublatos, restituit: addiditque *Solicitatores*, tum certos *Adstipulatores*, sine quibus nullæ possent confici tabulæ: deinde *Janizzarorum*, *Stradiotarum*, *Mamalucheram* officia induxit, non minus reipsa gravia Romanæ libertati quam barbaro nominum sono injucunda. Postremo Apostolici Fisci novem Notarios constituit quibus redditus unius assignavit, qui antea cunctis præerat. Primus etiam vendidit Officia Procuratoris Cameræ, Notariatus Apostolici, Protonotarratus Capitolii, Notariatus Gymnasii, Metiendi salis, & Cameriaratus Urbis. Ita refert *Panvinus* in ejus Vita: quamquam hæc seu temporum necessitati, seu verius proximis aut Ministris ejus tribuenda censeat; maxime cum nemo Pontificum nec animo ad munificentiam propensior, nec in dando hilarior, nec in promovendis hominibus promptior fuisse memoretur. Ejus magnificentiam ædificia, cum sacra, tum profana, seu a fundamentis excitata, seu instaurata, maximo Urbis commodo & ornamento prædicant. De quibus legendi *Onuphrius Panvinus* in ejus Vita, & *Augustinus*, *Oldoinus* in Additionibus ad *Ciaconium*. Inter hæc Pontem ab ejus nomine nuncupatum supra Tyberim erexit, & Bibliothecam Vaticanam construxit, ornavit, advectis ex omni Europa Libris, certosque proventus assignavit, in Custodum & Librariorum stipendia, necnon ad Libros comparandos; eidem Bibliothecæ præfecit *Platinam*, virum eruditum, cujus opera usus est in colligendis veteribus Monumentis Privilegiorum Ecclesiæ Romanæ. Quinque Martyribus Marrochitanis ex Ordine Minorum, *Berardo*, *Petro*, *Othoni*, *Accursio* & *Adjuto*, qui anno Domini 1220. decimo-septimo Kalendas Februarii a Tyranno Mahometano trucidati fuerant, sacros honores decrevit die 7. Augusti anno 1481. *B. Bonaventuram* Episcopum, Cardinalem, ac insignem Ecclesiæ Doctorem, in Sanctorum album retulit, 8. Kalendas Maii anno 1482. Sacrum Minimorum Ordinem a *S. Francisco de Paula* institutum confirmavit Constitutione edita sexto Kalendas Junii anno 1474. Item Congregationem Augustinianorum Excalceatorum a *Baptista Poggio* Genuensi, viro pietatis & doctrinæ laude insigni institutam. FF. Minoribus & Prædicatoribus amplissimas gratias & Privilegia concessit, quæ propterea *Mare Magnum* nuncupata sunt. Continentur Diplomatibus quæ incipiunt his verbis: *Regimen universalis Ecclesiæ*, editis in Bullarii Romani Tom. 1.

Bellum sacrum adversus Turcas promovit Sixtus.

Novorum Officiorum institutio ac venalitas.

Sixti magnificentia.

Bibliotheca Vaticana.

Controversia de Sacris Catharinæ Senensis Virginis Stigmatibus sub Sixti IV. Pontificatu excitata.

Controversiam de Sacris Stigmatibus Sanctæ *Catharinæ Senensis* inter FF. Minores & Prædicatores nostros ortam sopire conatus est. Negabant illi *Catharinam* Virginem his divini amoris characteribus fuisse insignitam, id Privilegii uni *S. Francisco* datum propugnantes: Nostri vero cum *Sancta Catharina Senensi* privilegium illud communicatum asserebant, quamvis in ejus corpore sacra Stigmata non ita apparuerint, uti in *S. Francisci* membris. Ipsius Virginis & *Raymundi Capuani* ejus Confessarii, Viri Sanctissimi testimonio nitebantur, in illius Vita Cap. 7. hæc narrantis. Et ipsa quidem Virgo Confessario suo ait: *Noveritis, Pater, quod Stigmata Domini Jesu misericordia sua ego jam in corpore meo porto.* Quo rogante quomodo id factum esset, respondit Christi Sponsa: *Dominum vidi Cruci affixum, super me magno cum lumine descendentem: propter quod ex impetu mentis volentis suo Creatori occurrere, corpusculum coactum est se erigere. Tunc ex sacratissimorum ejus vulnerum cicatricibus quinque in me radios sanguineos vidi descendere, qui ad manus, & pedes & cor mei tendebant corpusculi. Quapropter advertens Mysterium, continuo clamavi: Ita, Domine Deus meus! Non appareant, obsecro, cicatrices in corpore meo exterius. Tunc adhuc me loquente, antequam dicti radii pervenissent ad me, colorem sanguineum mutaverunt in splendidum, & in forma puræ lucis venerunt ad quinque loca corporis mei, manus scilicet, & pedes, & cor.* Secundo, testimonio *S. Antonini* III. P. Chronicorum Tit. 23. Cap. 14. §. 10. hæc ipsa referentis & approbantis. Tertio *Pii Secundi* Pontificis Maximi, qui *Catharinam Senensem* Sacris Fastis adscripsit, ac Officium in ejus Festo celebrandum composuit, in Hymno ad Vesperas ita Divam compellans:

Vulnerum formam miserata Christi,
Exprimis ipsa.

FF. Minores apud Pontificem ex eorum Ordine assumptum ita prævaluerant, ut etiam intentatis Censuris Ecclesiasticis prohibuisset, Sanctæ Virginis imagines cum Stigmatibus pingi. At Decretum istum mitigavit Censurasque sustulit anno 1483. Ea controversia sub *Clementis VIII.* Pontificatu renovata, Pontifex post maturum rei examen coram Sacra Rituum Congregatione institutum anno 1599. utrique parti silentium indixit. Tandem litem finivit *Urbanus VIII.* qui tertiam Lectionem Romano Breviario suis curis & auctoritate emendato inserendam propria manu conscripsit, & auctoritate Apostolica ex consilio Sacræ Congregationis Rituum approbavit, in qua hæc leguntur; *Hanc gratiam amantissimus Dominus nova gratia cumulavit, ut sentiret dolorem illapsa vi vulnerum, & cruenta signa non apparerent. Quod ita contigisse cum Dei Famula Confessario suo Raymundo retulisset; ut oculis etiam repræsentarentur, radios in imaginibus Beatæ Catharinæ ad dicta quinque loca pertingentes pia Fidelium cura pictis coloribus, expressit.* Quanto ea res totius Senensis civitatis applausu excepta sit; & quam celebri atque magnifico apparatu celebrata die 8. Maii, narrat *Franciscus Bonisignius* Senensis, in Tractatu Italico, quem decimo post anno vulgavit sub hoc Titulo: *Triumphus Stigmatum S. Catharinæ Senensis*. Sed in his diutius immorari non est opus, cum Franciscanos assentiri existimem illustri ac pio Annalium Ecclesiasticorum Continuatori *Henrico Spondano* Appamiarum Episcopo ad annum 1483. Num. 8. scribenti: *Satius longe ipsis esse humilitatem ac paupertatem sui Conditoris imitari, quam hujusmodi disputationibus gratiam Dei restringere velle ad suas æmulationes.*

Controversia de Immaculata Deiparæ Virginis Conceptione, a Sixto compesita.

Eodem anno controversiam alteram de Beatæ Virginis Immaculata Conceptione inter Theologos fervente compesuit *Sixtus IV.* Diplomate promulgato Nonis Septembris, quo Assertiones eorum qui affirmare præsumerent, credentes aut propugnantes *Dei Genitricem ab originalis peccati macula in sua Conceptione præservatam fuisse*, propterea alicujus *Hæresis labe* pollu-

pollutos fore, vel mortaliter peccare, aut hujusmodi Officium Conceptionis celebrantes, seu hujusmodi Sermones audientes alicujus peccati reatum incurrere, damnavit, ut *falsas, erroneas, & a veritate penitus alienas*: Librosque id continentes quoad hoc reprobavit; sanxitque ut *Prædicatores Verbi Dei, & quicumque alii, cujuscumque status, gradus, aut ordinis ac conditionis fuerint, qui de cætero ausu temerario præsumpserint in Sermonibus ad Populum, seu alios quomodolibet affirmare sic improbatas & damnatas Assertiones veras esse, aut dictos libros pro veris legere, tenere, vel habere, Excommunicationis Sententiam eo ipso incurrant, a qua ab alio quam a Romano Pontifice, nisi in mortis articulo nequeant Absolutionis Beneficium obtinere*. Simili Censura constrinxit eos, *Qui ausi fuerint asserere contrariam opinionem, tenentes videlicet, Gloriosam Virginem Mariam cum originali peccato fuisse conceptam, Hæresis crimen, vel peccatum incurrere mortale, cum nondum sit a Romana Ecclesia, & Apostolica Sede decisum.*

Sixti Quarti Opera. IV. Obiit *Sixtus IV.* Idibus Augusti anno Christi 1484. ætatis 71. inchoato, Pontificatus 13. accedente ad podagram animi dolore, quod Veneti jam pene Bello Ferrariensi attriti, pacem ab Italiæ Principibus in ipsos fœderatis, ipso neglecto, immo inscio, obtinuissent. Præter Constitutiones quamplurimas, alia reliquit doctrinæ Monumenta ante Pontificatum edita, nimirum Tractatus de Sanguine Christi; De futuris contingentibus; De Potentia Dei; De Conceptione Deiparæ Virginis; & contra errorem Carmelitæ cujusdam Bononiensis, qui procaciter affirmabat, Deum sua omnipotentia damnatum hominem salvare non posse. Aggressus fuerat longe difficillimum Opus, quo *S. Thomæ & Scoti* doctrinam atque placita conciliare nitebatur. Cardinales octo Promotionibus creavit, *Petrum Riarium* ex sorore Nepotem, Ordinis FF. Minorum Professorem, Tarvisinum Episcopum, de cujus præmaturo obitu legenda est Epistola 548. *Jacobi* Cardinalis Papiensis ad Cardinalem Mantuanum, & Epistola *Celsi Veronensis* ad Cardinalem Julianum *Ruverium*, Nepotem alterum, Carpentoratensem Episcopum, deinde primum Avenionensium Archipræsulem, tum Bononiensem Episcopum & Legatum: *Philippum de Levis*, Gallum, Auxitanum, ac deinde Arelatensem Archiepiscopum: *Stephanum Nardinum* Italum, patria Forojuliensem, Mediolanensem Archiepiscopum: *Auxiam de Podio*, Hispanum, Montis Regalis in Sicilia Archiepiscopum: *Petrum Gundisalvum de Mendoza*, Hispanum, Oxomensem Episcopum, Magnum Castellæ Cancellarium; qui & postea Hispalensis, & Toletanus Archiepiscopus fuit: *Antonium Jacobum Venerium*, patria Recinetensem, Conchensem Episcopum: *Joannem Baptistam Cybo*, Genuensem, filium *Aronis Cybo* Neapolitani quondam Proregis, Melfitanum Episcopum, qui postea Summus Pontifex fuit *Innocentius VIII. Joannem Arcimboldum*, Novariensem Episcopum, postea Mediolanensem Archipræsulem: *Philibertum Hugonetum*, Gallum, Matisconensem Episcopum, Juris Utriusque Consultissimum: *Georgium Costam*, Lusitanum, Ulyssiponensem Archiepiscopum: *Carolum Borbonium*, Caroli I. Burgundiæ Ducis Filium Archiepiscopum Lugdunensem: *Petrum Ferrici*, Hispanum, Jurisperitissimum, Tirasonensem in Aragonia Præsulem: *Joannem Baptistam Millinum*, Romanum, Urbinatem Episcopum: *Petrum Fuxensem*, Gallum, Venetensem in Britannia Minori Episcopum: *Christophorum de Ruvere*, Allobrogem, Tarentasiensem Episcopum: *Hieronymum Bassum de Ruvere*, Nepotem, Episcopum Recanetensem; *Georgium Hesler*, Germanum, Protonotarium Apostolicum, *Gabrielem de Verona* Ordinis FF. Minorum Professorem, ex Inquisitore Fidei contra Hussitas Hæreticos in Agriensem primum in Hungaria, deinde Albiensem in Transsylvania Episcopum, *Matthiæ* Hungariæ Regis & Sedis Apostolicæ Legationibus cum laude perfunctum: *Joannem Aragonium*, Ferdinandi Regis Siciliæ Filium: *Raphaelem Riarium*, Savonensem, quem Nepotem adoptaverat: *Dominicum de Ruvere*, Taurinensem, Ecclesiæ S. Petri Canonicum, ac suum Cubicularium, Christophori Cardinalis Tarentasiensis fratrem: *Paulum Fulgosium*, Ducem & Archiepiscopum Genuensem: *Cosmam de Melioratis*, Romanum, ex *Innocentii VII.* Familia cum Ursina conjuncta progenitum, ideoque *De Ursinis* etiam appellatum, Tranensem Archiepiscopum, ex Ordine S. Benedicti assumptum: *Ferricum de Clunaco*, Burgundum, Juris Utriusque Doctorem, Tornacensem Episcopum: *Joannem Baptistam Sabellum*, Nobilem Romanum: *Joannem Columnam*, Romanum, ex Principe Familia, Reatinum Episcopum: *Joannem de Comitibus*, Nobilem Romanum, Compsanum Archiepiscopum: *Eliam de Bourdeille*, ab Episcopatu Petragoricensi ad Archiepiscopatum Turonensem translatum, Ordinis FF. Minorum quondam Professorem nobilitate generis, vitæ sanctimonia, doctrinæ præstantia, zelo pro defensione Ecclesiasticæ Libertatis, miraculis etiam illustrem qui pro Sanctionis Pragmaticæ abrogatione scripsit: *Joannem Moles a Margaritis*, Hispanum, Regum Castellæ & Aragoniæ Legationibus gloriose functum, eloquentia, doctrina, ac pietate insignem: *Joannem Jacobum Sclafenatum*, Mediolanensem. Parmensem Episcopum: *Joannem Baptistam Ursinum*, Nobilem Romanum, Cameræ Apostolicæ Clericum: *Ascanium Mariam Sfortiam*, Francisci Ducis Mediolanensis filium: *Theobaldum de Lucemburgo*, Cenomanensem Episcopum, ex Ordine Cisterciensi assumptum.

Sixti Quarti Cardinales.

SCHOLION I.

In hoc Articulo, pag. 87. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc propositionem notant: *Sixtus Quartus pessimo exemplo suos ditavit, spoliando Ecclesiam.*

R. Historiæ res est ab Odorico Raynaldo minime dissimulata ad annum 1472. Num. 54. *Cum Ecclesiæ dispendio*, inquit, *suos promovet Sixtus*. Num. 59. *Ductus præterea humanis affectionibus Sixtus Hieronymum Riarium, cui Ecclesiastici Exercitus supremum contulerat imperium, Imola & Foroliviı toparchia donavit, sed male collatæ Ecclesiæ opes illi ac filiis exitum postea attulere.* Bartholomæum Platinam in MS. Vita Sixti Quarti quæ in Archivis Vaticanis asservatur, & Jacobum Cardinalem Papiensem Epistola 439. ad Angelum Episcopum Tudertinum testes appellat Odoricus Raynaldus. Ad annum denique 1484. n. 24. hæc habet: *Scripsit reliquas ejusdem Pontificis res gestas Raphael Volaterranus in Anthropologia, qui simulandi nescius nonnullos ejusdem Pontificis nævos perstringit, tum ejusdem virtutes in luce collocat. Suorum in primis ipsum fuisse amantissimum, nimisque in eos indulgentem, quorum causa magnam sibi creavit invidiam; Petrum Riarium Franciscani Ordinis Cardinalitio Dignitate donavit, juvenem luxui deditissimum ubi ex mendicitate emersit, qui que tabidus, voluptate decessit; Hieronymum autem Foroliviı Foricorneliique Principem creasse virum ferocioris ingenii, non sine rei Ecclesiasticæ damno.* Hæc Raynaldus.

SCHOLION II.

Ad eumdem Articulum, pag. 89. Edit. primæ hanc notam apposuerunt Religiosi Censores: *Citat Machiavellum asserentem Sixtum Quartum fuisse promotorem conjurationis in Mediceos.*

R. Non unum Machiavellum, sed Angelum Politianum, Michaelem Brutum, Raphaelem Volaterranum, Stephanum Infissuram testes hujus facti appello, ad quos accedit & Onuphrius Panvinius. Sed & Odoricus Raynaldus ad annum 1478. Num. 3. scribit: *Passim ab Historicis, etiam Pontificio nomini addictis carpitur Sixtus ut coitionis in Mediceos particeps, quamquam illum patrandi flagitii ratio ultimo a conjuratis concepta lateat; sed quod Mediceos, quos sæpius hostes senserat, Reipublicæ Florentinæ gubernaculis depelli percuperet.* Uni Machiavello non credidissem, cui tamen res omnes suo tempore gestas in Historia Florentina scribenti fidem omnem derogandam, quia impia quædam in aliis Operibus scripsit, non est consequens. Historiam Florentinam Machiavelli citat interdum Odoricus Raynaldus ad fidem rerum gestarum faciendam in his quæ ad Florentinam Rempublicam pertinent: Nemoque in Romana Curia inventus est, qui id ipsi vitio verteret.

SCHOLION III.

Ad eumdem articulum, pag. 91. Edit. primæ hanc notam apposuerunt Religiosi Censores: *Sæpe refert illud Caroli Magni, Ut vix ferendum jugum toleremus.*

R. Illud apposite refero eo loci, *Sixti Quarti* gesta recensens, qui Ludovico XI. Christianissimo Regi seu potius ejus Oratoribus respondit: Decere ut Rex Carolum Magnum imitetur: cujus præclara illa verba sunt: *In memoriam Beati Petri Apostoli honoremus sanctam Romanam Ecclesiam, & Apostolicam Sedem, ut quæ nobis Sacerdotalis mater est dignitatis,*

esse

esse debeat Ecclesiasticæ magistra rationis. Quare servanda est cum omni mansuetudine humilitas; & licet vix ferendum ab illa sancta Sede imponatur jugum, tamen feramus & pia devotione toleremus. Nunc autem sanctissimus Dominus noster eidem Regiæ Majestati nullum jugum imponit, & si quod imponit Laurentio, quem suum cognatum appellat, non est importabile; suave est enim jugum Ecclesiæ quando quidem palam est esse medicinale, &c. Sic habet Pontificium Responsum ad Gallicorum Oratorum postulata, ex MS. Vaticano editum ab Odorico Raynaldo ad annum 1478. Num. 20. Pia Sancti Imperatoris verba, & ad observantiam ac submissi animi devotionem erga Sedem Apostolicam promovendam conducibilia, quæ *Sixtus Quartus* Ludovico XI. in memoriam opportune revocavit, quæ Continuatuor Annalium Ecclesiasticorum refert, quod repetam mihi vitio vertunt Religiosi Censores,

Nota,

RE vera non pauci Scriptores Sixtum ex eo culpandum censent, & quod cum Ecclesiæ dispendio genti suæ nimis ditandæ incumberet, & quod conjurationis in Medicæos Principes particeps fuerit. Non illubenter tamen credendum, ut ex Raynaldo narrat Natalis in scholio secundo, Pontificem saltem ignorasse ultimam tetram illam conjurationem, qua 6. Kal. Maii 1478. Julianus Medicæus in Ecclesia S. Reparatæ cæsus fuit, vulneratusque Laurentius, quem in Sacrarium cum confugisset, æneæ portæ a Patre suo ibi positæ a morte præservarunt.

ARTICULUS X.

DE INNOCENTIO VIII.

Pacta conventa Cardinalium in Conclavi a novo Pontifice juramento confirmata.

I. POST obitum *Sixti IV.* Cardinales in Conclavi congregati quasdam Leges tulerunt, quibus futurum Pontificem obstrictum voluere. Pleræque ad Cardinalitiæ Dignitatis augendam amplitudinem, aliæ ad Christianæ rei defensionem editæ, quas ex MS. Codice *Joannis Burchardi*, Argentinensis Clerici Sacris Cæremoniis Præfecti descripsit *Odoricus Raynaldus* ad annum 1484. Num. 88. & sequentibus. His cum omnes & singuli Cardinales subscripsissent, consentientibus suffragiis elegerunt *Joannem Baptistam Cybo*, ex familia Genuensi, ortum ex Græcia trahente, cujus priscam nobilitatem *Onuphrius Panvinius & Leonellus* Concordiensis explicant, Tituli *Sanctæ Ceciliæ* Presbyterum Cardinalem, qui statim pacta conventa jurejurando confirmavit. Missis ad Principes Legatis, illos ad mutuam pacem, armaque in Turcas convertenda excitavit: ac inito cum S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus & Oratoribus Principum consilio, triremium sexaginta, & viginti navium majoris alvei classem, ad tutanda Italiæ Litora, arcendumque hostem, instruendam decrevit, & sumptuum collationem inter fœderatos Principes æqua & rata portione divisit, ut testantur ejus ad *Ferdinandum* Siciliæ Regem Literæ datæ die 12. Februarii, anno 1485. Alteri *Ferdinando & Elisabethæ* Castellæ Regibus, ad bellum contra Mauros Granatenses gerendum Decimas attribuit, ac Indulgentias proposuit Cruce signatis, aut subsidium ad illam expeditionem conferentibus. *Ferdinandum* Neapolitanum Regem Ecclesiæ Jura violantem, & tyrannidem in Sedis Apostolicæ clientes exercentem, bello fregit, & ad rogandam pacem compulit. Ad eum edomandum plurimum valuerunt formidanda *Caroli Octavi* Christianissimi Regis arma, qui ad Regni Neapolitani possessionem suæ Majestati jure debitam ab *Innocentio Octavo* vocabatur. Granatensis Regni expugnatione a *Ferdinando* Hispaniæ Rege, gloriosisque victoriis de Mauris reportatis; propagata in Regno Congitano & apud Jalophos Æthiopiæ Occidentalis Populos, nec-non in Benin Regno Religione, auctoritate & curis *Joannis* Lusitaniæ Regis; *Zizimi* Fratris *Bajazethis Secundi* Turcarum Imperatoris a custodia Gallica in Romanam translatione; Divino cultu in Regno Granatensi restituto; Tituli Crucis Christi Inventione Romæ facta in Basilica Sanctæ Crucis Jerusalem; ferri Lanceæ quo Christi latus perfossum est; (Cujus cuspis in Sacro Sacello Parisiis habetur a *S. Ludovico* redempta) oblatione ac receptione a *Bajazethe Secundo* lætus fuit *Innocentii VIII.* Pontificatus. Constitutionem contra Maleficos edidit, quæ incipit his verbis: *Summis desiderantes affectibus*; Nonis Decembris anno 1484. Extat in Bullario Romano.

Onuph. Panvin. in Vita Innocentii VIII. Leonellus in ejus Oratione Funebri.

Bellica expeditiones.

Religionis propagatio.

Leopoldum Austriæ Principem in Sanctorum numerum retulit, Diplomate, *Sacrosanctam*, dato octavo Idus Januarii, anno 1485. Ordinem Monialium sub titulo Conceptionis Beatissimæ Virginis, quem *Beatrix a Silva* Nobilis Virgo Lusitana ubi Regula Cisterciensis Ordinis, & Diœcesanorum Episcoporum obedientia instituerat, confirmavit anno 1484. Libellum Nongentarum Conclusionum *Joannis Pici*, Mirandulæ & Concordiæ Comitis damnavit anno 1487. & sub pœna Excommunicationis legere prohibuit, quod in iis Propositionibus Dialecticis, Physicis, Metaphysicis, Moralibus, Theologicis, Magicis, Cabalisticis, quas nobilissimus Juvenis annos dumtaxat 24. natus Romæ publice propugnaverat, nonnullæ *suspectæ & hæresim sapientes* visæ essent Episcopis & aliis Sacræ Theologiæ & Juris utriusque Professoribus, quos ad earum examen Pontifex ipse nominaverat: Quas tamen Conclusiones gratia tantum *Scholasticæ Disputationis*, ac *sub Apostolicæ Sedis correctione disputandas publicaverat*; & tales demum eas se habiturum professus erat, quales per Summum Pontificem judicarentur: Jurejurando promittens, se cuicumque Declarationi quam ipsum *Innocentium* super hoc facere contingeret, assensurum.

Ordo Monialium sub Titulo Conceptionis Beatæ Virginis.

Joannis Pici Mirandulæ Comitis propositiones damnatæ.

II. Hunc Pontificem Norvegis concessisse, ut absque vino Missæ Sacrificium Sacerdotes apud illos offerrent, falso refert *Volaterranus*. Nec id concedere potuit Pontifex, & in eo quod Juris Divini est dispensare, nec verisimile est concessisse; cum nullum ejus ea de re verisimile Decretum extet, nec ulla apud alios Auctores memoria; & falsa sit ratio ob quam hujusmodi dispensationem concessam *Volaterranus* scripsit, quod scilicet vinum in eam regionem importatum statim acescat; cum ibi vina generosissima conservari experientia comprobaverit.

Innocentius VIII. cum Norvegis Sacerdotibus non dispensavit, ut Missæ Sacrificium absque vino offerrent.

III. Cardinales creavit *Laurentium Cybo*, Nepotem Beneventanum Archiepiscopum: *Ardicinum de la Porta*, Novariensem, Episcopum Aleriensem; *Antoniottum Palavicinum*, Genuensem: *Andream Despinay* Gallum Armoricensem, Burdegalensem, ac deinde Lugdunensem Archiepiscopum: *Maphæum Gerardum*, Venetiarum Patriarcham, ex supremo Camaldulensis Ordinis Moderatore; *Petrum d'Aubusson*, Gallum, Equitum S. Joannis Hierosolymitani Magnum Magistrum Rhodi contra Turcas Defensorem invictum: *Joannem Medicæum*, filium *Laurentii* viri in Republica Florentina Principis, decimum quartum circiter ætatis annum agentem, magnæ expectationis adolescentem, qui postea fuit Summus Pontifex Leo X. *Fridericum Sanseverinatem*, Roberti Sanseverinatis, Comitis Cajazzæ, copiarum olim Ecclesiasticarum Ducis filium: *Pantaleonem Cybo*, consobrinum *Hermolaum Barbarum*, Venetum, Patriarcham Aquilejensem, virum optimis artibus excultissimum.

Innocentii Octavi Cardinales.

Nota.

SI excipiatur Volaterranus, nullus est qui scripserit Innocentium Norvegis concessisse calicem sine vino consecrare. Cum præterea hujus concedendæ dispensationis ea allata fuerit falsa ratio, quod vinum eo importatum statim acescat; id etenim experientia compertum est a veritate aberrare; ideoque Volaterrani narratio ab Eruditis ut putum commentum habetur. Sed & illud hic addendum ex Bzovio in Annal. ad an. 1490. fortasse alicubi hujus rei falsum diploma publicatum fuisse; ea etenim ætate pessimi quidam Sacerdotes Pontificia diplomata adulterare veriti non sunt, unde tandem combusti sceleris sui pœnas luerunt. Supposita autem, minime vero concessa illius dispensationis veritate, hæc habet Bellarminus l. 4. de Rom. Pont. cap. 14. „Innocentius octavus non „edidit decretum, quo universæ Ecclesiæ declarasset „licere sine vino sacrificium offerre. Itaque si erra„vit, erravit facto, non dogmate. Deinde non per„misit loco vini liquorem alium consecrari, quod „fuisset materiam sacramenti pervertere, sed id so„lum permisit ut in altera tantum specie Euchari„stiam consecrarent, idque ob extremam necessitatem, „cum in ea regione conservari non posset, quin sta„tim acescat. Quod quidem aut nullus error est, „aut certe exploratus error non est. Accedit mirum „videri posse, si eo tempore vini usum non habue„rint, cum hoc tempore adeo sit frequens, ut sine „illo ne communicare quidem velint.

A R-

ARTICULUS XI.

De ALEXANDRO VI.

Alexandri VI. mores.

I. DEfuncto *Innocentio* VIII. plerique Cardinales partim auro corrupti, partim amplissimorum Sacerdotiorum pollicitatione deliniti, quidam morum similitudine pellecti, Suffragia sua in *Rodericum Borgiam* Cardinalem Portuensem *Callisti* III. Nepotem contulerunt, qui ob effrænem lasciviam a *Pio* II. Pontifice Maximo quondam reprehensus, intemperantiam suam ac libidinem non occuluerat, sed justæ propemodum uxoris loco cultuque habuerat *Vanoziam* Romanam puellam, ex qua quatuor filios genuerat Cardinalis, *Petrum Ludovicum* natu maximum, *Cæsarem*, *Joannem*, *Gotifredum*, & filiam unam nomine *Lucretiam*. Cæterum vir erat ingenio ad quæcumque versatili, & ingenti animo, sermone facili, & ad persuadendum apto, literatura mediocri, natura callidus, miræ ad res tractandas industriæ, opibus potens, Regum ac Principum clientelis clarus. Creatus est Pontifex die 11. Augusti, anno 1492. sibique nomen sumpsit, *Alexander sextus*. Novi Orbis Insulas a *Christophoro Colambo* inventas, & Ferdinandi Hispaniæ Regis quæsitas imperio, eidem asseruit, Lusitaniæ Rege nequidquam reclamante; & *Bernardo Boil* Ordinis Minorum in Hispaniarum Regnis Vicario Generali potestatem dedit Evangelii in Orbe Novo prædicandi, cum aliquibus sociis, quos ipse vel Rex & Regina, ad hoc opus eligerent, seu ex Minorum Ordine, seu ex aliis Religiosis Sodalitiis. Mortuo *Ferdinando* Neapolitano Rege, *Alphonso* ejus filio Regni investituram concessit, posthabito *Carolo Octavo* Francorum Rege, qui Regnum illud hæreditario Andegavensium Principum jure repetebat. *Alexandri* ea de re Literas, *Alphonsi* clientelare Sacramentum, ejusque inaugurationis Solemnia ex *Burchardo*, qui sacris tunc præerat Cæremoniis, descripta legere est apud *Odoricum Raynaldum* ad annum 1494. *Sanctia* filiæ nothæ *Alphonsi* Regis, cum *Joffredo* Pontificis notho, nuptiis firmatum inter utrumque fœdus est. Christianissimi Regis Orator, vindicatis in Cardinalium Consistorio Domini sui juribus, a Sententia Pontificis qua violata erant, ad futurum Concilium appellavit. *Carolum* Regem a Neapolitana Expeditione deterrere frustra conatus est *Alexander*, misso ad ejus Majestatem Legato *Francisco S. Eustachii* Cardinali. Rex potentissimo cum Exercitu Alpes transgressus, ac Florentiæ receptus, sua in Regnum Neapolitanum jura Regiis Literis explicuit, ut iis ubique promulgatis, belli a se suscepti æquitatem demonstrarat. Legi possunt apud *Odoricum Raynaldum* ad annum 1494. N. 13. Ad Arma Christianissimi Regis tota tremuit Italia. Anxius *Alexander* quid facto opus esset, *Ascanium Sfortiam*, & *Sanseverinatem* Cardinales, Gallis faventes, in custodiam tradidit; *Ferdinandum Aragonium* Calabriæ Ducem in urbem recepit, quam tueri non poterat, cum Romani rerum suarum discrimen subire recusarent, Regemque potentissimum, a quo gratiam pacisque honestas conditiones referre poterant, ad serviendum alienis commodis in se concitare. Quamobrem compulsus est Pontifex cum Rege Christianissimo pacisci, captivos Cardinales libertate donare, Calabriæ Ducem ex Urbe dimittere, *Carolum* Regem recipere, quatuor Arces, nimirum Terracinum, Urbem veterem, Viterbium, Spoletumque ejus Majestati cedere, donec Neapoli abscessisset; *Zizimum* Turcarum Imperatoris fratrem ipsi tradere, ipsi Regni Neapolitani investituram coram polliceri. Rex Pontificem coluit, ipsique ut Christi Vicario obedientiam detulit solemni ritu; Pontifex honorificentissime Regem excepit, sed Neapolitano Regno ab ipso expugnato, fœdus cum Maximiliano Romanorum, *Ferdinando* Hispaniarum Regibus, & Venetiarum, ac Mediolanensium Ducibus contra Gallos init; Pactionum adhuc recentium fide violata *Carolo Octavo* in Gallias reduce, Neapolitanos ad excutiendum Gallicæ dominationis jugum concitavit, misso in Regnum *Joanne* Episcopo Amalphitano, cum Legationis Apostolicæ auctoritate; ac *Ferdinandum Aragonium* ad recuperandam Ditionem maximis præsidiis juvit. Quam iniquus Gallis, tam liberalis in Hispanos fuit *Alexander* VI. quibus & *Catholici* nomen tribuit: quin etiam *Christianissimi* titulum Regibus Francorum hæreditarium tribuere decreverat, nisi Cardinales aliqui obstitissent, ut *Philippus Comineus* tradit, & Regum Africæ titulum, si ipsam expugnarent, & Christi imperio subjicerent. *Alexandri* Literas refert *Odoricus Raynaldus* ad annum 1494. num. 26. & 27. Ad *Constantinum* Georgianorum Regem auxilia contra Turcas rogantem, & conjunctionis cum Romana Ecclesia cupidum, Decretum unionis Ecclesiæ Græcæ cum Latina in Concilio Florentino editum misit, ut in Regni sui Ecclesiis promulgaret. Equitibus *Militiæ Jesu Christi*, & *De Avis*, Cistarciensis Ordinis, rogante *Emanuele* Lusitaniæ Rege, concessit, ut deinceps castitatis voto se non obstringerent, sed matrimonium contrahere, in eoque permanere possent. Cum *Joannes Borgia Gandiæ* Dux, *Alexandri Sexti* spurius, cui Beneventanum Principatum cum Ducis titulo in posteros transfundendum contulerat, in media libidinum licentia trucidatus fuisset, Pontifex ad divinam iram placandam de Disciplina Ecclesiastica restituenda consilium init, idque munus demandavit sex Cardinalibus, ut *Petrus Delphinus* Epistola 37. lib. 1. ad *Franciscum* Cardinalem Senensem data, & *Guicciardinus* lib. III. testantur. Cum *Cæsare Borgia* filio notho, Diacono Cardinali dispensavit, ut deposita purpura cum *Carlota Alani Albreti* Reguli filia, ac sorore *Joannis* Regis Navarræ nuberet, cui Rex Christianissimus *Ludovicus* XII. Ducatum Valentinum in Delphinatu, & Alam centum Cataphractorum Equitum, cum annua pensione viginti millium librarum Francarum contulit. *Hieronymum Savonarolam* Ordinis FF. Prædicatorum concionatorem ferventissimum sanctitate vitæ, doctrina, Prophetiæ dono, miraculis insignem, iniuste (ut plurimis visum est) excommunicatum oppressit, missis Florentiam Romulino Antistite, & *F. Turriano* Dominicani Ordinis Generali Magistro, qui damnationem ipsius jam Romæ decretam urgerent, eumque exauctoratum Florentini Magistratus in ipsius perniciem conjurati potestati traderent. Quod anno 1498. præstiterunt, cujus quidem Magistratus iniquissimo judicio cum Sodalibus, patibulo affixus & combustus est. Causæ supplicii fuerunt vehementes in Cleri & præsertim Romanæ Curiæ corruptelam ac mores dissolutos in sacris Concionibus declamationes, Florentinæ libertatis adversus *Medicæos* defensio; civium in amicitia & expectatione *Caroli Octavi* Regis Christianissimi confirmatio *Alexandro* VI. & *Ludovico Sfortiæ* Duci Mediolanensi ingratissima, scriptæ ad Principes Literæ, quibus ipsos hortabatur ut concilium Generale ad reformandos mores in capite & in membris congregarent. Sed de *Savonarola* commodior erit postea disserendi locus, cum de Scriptoribus Ecclesiasticis agemus. Habito cum Principum Oratoribus consilio, bellum in Turcas Ecclesiæ nomine decrevit *Alexander VI.* & redituum Ecclesiasticorum Decimas in eum finem imperavit anno 1500. a quibus conferendis Cardinales quidem Immunes esse voluit. Venetorum, Gallorum & Rhodiorum fœderatorum Classem in Barbaros instrui procuravit: *Wladislaum* Hungariæ & *Joannem Albertum* Poloniæ Reges in belli sacri societatem addusit, decretis subsidiis, ac propositis indulgentiis iis qui nomen darent, ac illorum vexilla sequerentur. Pium etiam morem a *Callisto Tertio* institutum instauravit, ut campanæ meridie pulsarentur, quo Fideles ad Orationem Dominicam & Salutationem Angelicam repetendas excitarentur, ut divinum contra Turcas præsidium impetrarent. Ad VValdensium hæresim quæ in Bohemia & Moravia pullulabat, excidendam Præpositum Nuremburgensem, pietate & doctrina conspicuum, & *Henricum Institoris*, Ordinis FF. Prædicatorum professorem, Fidei Censores cum amplissima auctoritate instituit. Ordinem Sanctimonialium *Annunciationis Beatæ Mariæ Virginis*, a *Joanna Valesia*, *Ludovici* XI. Christianissimi Regis filia, *Caroli Octavi* sorore, *Ludovici* XII. conjuge repudiata, conditum confirmavit, ac Regulam quæ Deiparæ decem Beneplacita, seu Virtutes præcipuas sacris Virginibus proponit imitandas, approbavit pridie Idus Februarii anno 1501. Puritatis Fidei conservandæ studio, Typographis prohibuit sub pœna Excommunicationis, ne Libros, Tractatus, aut Scripta quævis typis mandarent sine Episcoporum licentia, prævio hujusmodi Operum examine concedenda. Cum de Ruthenorum Baptismate orta esset controversia, iis repetendum non esse sanxit, qui ejurato Schismate ad Romanæ Ecclesiæ sinum redirent. Pontificiam ea de re Constitutionem apud *Odoricum Raynaldum* legere est, ad annum 1501. num. 37. Regni Neapolitani juribus inter *Ferdinandum* Hispaniarum, & *Ludovicum* XII. Francorum Reges, divisis; *Ferdinando* scilicet Calabriæ & Apuliæ Duce, *Ludovico* Neapolitano & Hierosolymitano Rege appellato, *Fridericum Aragonium*, qui cum Bajazethe Turcarum Tyranno exitiale Christiano Im-

perio

Alexandri VI. Gesta in Carolum Regem Christianissimum.

Alexandri Sexti consilium de restauratione Disciplinæ.

Alexandri VI. gesta in Savonarolam virum religiosissimum.

Sacra in Turcas Expeditio.

Signum campanæ Meridianum ad Orationem Dominicam & Salutationem Angelicam.

Ordo Monialium B. M. Virginis Annuntiatæ.

Librorum editio.

Regni Neapolitani divisio.

perio fœdus inierat, exauctoravit. Apostolicas ea de re Literas datas Romæ 7. Kalendas Julii anno 1501. exhibet *Odoricus Raynaldus* ad eumdem annum num. 53. Turcarum in Venetos excursionibus cohibendis Classim instruxit, cui præfecit *Jacobum* Paphensem Episcopum, ann. 1502. Dum in rebus *Cæsaris Borgiæ*, Nothi sui, augendis totus esset *Alexander Sextus*, obiit 25. Kalendas Septembris anno 1503. veneno potatus, quod *Cæsar Borgia* vino miscenerat, ad *Hadrianum* Cardinalem Cornetanum, Pontifici summa familiaritate conjunctum, aliosque nonnullos e medio tollendos, ut eorum amplissimas opes invaderet: quod pocillatoris errore, Deique vindicis Decreto, ipsi *Cæsari*, & Pontifici propinatum est. *Cæsar* tamen vi remediorum, ætatisque robore mortem evasit. Sunt qui falsam de veneno præparato narrationem contendant, quod ex febre ad septimum diem continua obiisse omnibus Ecclesiæ Sacramentis procuratum Diaria quædam MSS. testentur. Sed *Anglerius* Epistola 264. ad Comitem Tendillæ & Archiepiscopum Granatensem, rem commemorans, prout ad *Ferdinandum* Hispaniæ Regem, apud quem agebat, delata est; *Raphael Volaterranus*, lib. 22. *Petrus* Cardinalis *Bembus* lib. 6. Historiæ Venetæ, *Guicciardinus* libro 5. *Panvinus* in *Alexandri Sexti* Vita, & alii, veneno sic parato extinctum testantur. „ In otio solutissimus, in mete constantissimus „ *Alexander*, numquam negotia voluptate omisit; res „ in multam noctem protrahebat, brevissimi somni cibi- „ que. Artes liberales si non colebat, admirabatur, „ & Juris præsertim scientiam. Salaria Doctoribus, „ stipendia militus, mercedem operariis, numquam „ est differre, nedum auferre visus; cujus rei gratia „ Exercitum, quem magnum ductore filio nutriebat, „ obsequentissimus habuit, brevique tempore ac par- „ vo negotio tantum ei imperium comparavit. Hæc „ animi ornamenta magnis infuscaverat vitiis, perfidia „ plusquam Punica, sævitia immani, avaritia immen- „ sa ac rapacitate inexhausta, parandi filio imperii per „ fas & nefas libidine. Si quando negotiis non preme- „ retur, omni se jucunditatis generi sine discrimine de- „ dit, mulieribus maxime addictus: Comœdias Plauti- „ nas, cæteraque ludrica libenter spectavit. In urbe „ gladiatorum & sicariorum numquam licentia ma- „ jor, numquam Populo Romano libertas minor, de- „ latorum ingens numerus, brevissimo maledicto pœ- „ na mortis erat. Grassatorum insuper omnia plena, „ nec noctu tutum per Urbem iter, nec interdiu ex- „ tra Urbem. Roma gentium profugium & asylum, „ jam carnificina facta erat. Quæ quidem omnia suo- „ rum causa, quibus omnia indulserat, permittebat. „ Quos etiam ut magnis clientelis sublevaret, domi- „ nationis præsidia in eo quoque iis paravit, ut ad „ quadraginta tres Cardinales variis electionibus, in „ his octodecim Hispanos creaverit. Hæc *Alexandri VI.* ab *Onuphrio Panvino* adumbrata effigies.

Alexandri VI. mors infausta.

Optima dotes ac vitia.

II. Cardinalitiis Infulis ornati ab ipso fuerunt *Joannes Borgia*, ex sorore nepos, Montis Regalis in Sicilia Archiepiscopus: *Joannes Mortonis*, Anglus, Juris utriusque Doctor, Cantuariensis Archiepiscopus, quem *Thomas Morus* in Vita *Richardi tertii* Angliæ Regis plurimum commendat, & ab *Henrico Septimo* Summus Angliæ Cancellarius creatus est: *Joannes Antonius de S. Georgio*, Juris utriusque Doctor, quod eruditis Commentariis illustravit, Alexandrinus Episcopus: *Joannes Langrolasius*, vulgo *de la Grolaye*, alias *de Vilariis*, appellatus, Gallus, Monachus, & Abbas *S. Dionysii* prope Parisios, & *S. Quintini* Bellovacensis, Lomberiensis Episcopus: *Bernardinus Carvajal*, Hispanus Carthaginensis Episcopus, Regis Hispaniæ quondam ad *Innocentium* VIII. Orator: *Raymundus Perault*, Gallus, Sanctonensis Episcopus, deinde Gurcensis in Germania, ex quo nomen illi adhæsit Cardinalis Gurcensis: *Cæsar Borgia*, ipsius *Alexandri VI.* filius nothus: *Hippolitus Estensis*, filius *Herculis* primæ Ferrariæ Ducis, Strigoniensis Archiepiscopatus Administrator: *Fridericus Casimirus*, Regis Poloniæ filius, Cracoviensis Episcopus: *Julianus Cæsarinus*, Nobilis Romanus, Protonotarius Apostolicus: *Dominicus Grimanus*, Nobilis Venetus, vir doctissimus: *Alexander Farnesius*, Nobilis Romanus, Cornetanus Episcopus: *Bernardinus Lunati*, Italus, patria Papiensi, Protonotarius Apostolicus: *Guillelmus Brisonettus*, Gallus, ex Ærarii Præfecto sub *Carolo Octavo* Macloviensis Episcopus; qui postea Remensem & Narbonensem administravit Ecclesiam; *Philippus Lucemburgius*, Gallus, Cenomanensis Episcopus, sanctimonia & miraculis post obitum conspicuus, qui in Martyrologio Gallicano die 22. Junii celebratur: *Bartholomæus Martinus*, Segobricensis Episcopus in Aragonia: *Joannes de Castro*, pariter Hispanus, Agrigentinus Episcopus: *Joannes Lopez*, Hispanus, Perusinus Episcopus: *Joannes Borgia*, ipsius *Alexandri VI.* Nepos, Melphitanus Episcopus, deinde Capuanus Archipræsul: *Aloysius Aragonius*, filius naturalis *Ferdinandi* Aragonum Regis: *Georgius de Ambasia*, Rothomagensis Archiepiscopus, Regni sub *Ludovico duodecimo* Administer, deinde Mediolani Prorex, Legatus Apostolicus in Galliis, vir antiqua virtute & fide, & ob id maxime laudatus, quod unius Rothomagensis Ecclesiæ Sacerdotio absque ullis Abbatiis contentus vixerit: *Didacus Hurtadus de Mendoza*, Nobilis Hispanus, ex Archiepiscopo Hispalensi Patriarcha Alexandrinus. *Amanenus Albretius*, Gallus, Convenarum Episcopus: *Ludovicus Borgia*, Alexandri Sexti Nepos alter; *Jacobus Serra*, Hispanus, Arbonensis Archiepiscopus: *Thomas Bacocius*, Hungarus, Strigoniensis Archiepiscopus: *Petrus Isualus*, patria Messanensis, Rheginus Archipræsul: *Franciscus Borgia*, Cosentinus Archiepiscopus: *Joannes Vera*, Hispanus, Juris utriusque consultissimus Salernitanus Archiepiscopus: *Antonius Trivultius*, Italus Mediolanensis, Episcopus Comensis; *Joannes Baptista Ferrarius*, Mutinensis, suæ civitatis & Capuæ Episcopus: *Marcus Cornelius*, Nobilis Venetus, Protonotarius Apostolicus: *Joannes Stephanus Ferrerius*, Italus, Bononiensis Episcopus: *Joannes Castellar*, Hispanus ipsi *Alexandro Sexto* affinis: *Franciscus Remolinus*, Hispanus, Surentinus Episcopus, *Franciscus Soderinus*, Florentinus, Volaterranus Episcopus; *Melchior Copis a Meckau*, Germanus, Brixinensis Episcopus: *Nicolaus de Flisco*, Genuensis, Forojuliensis Episcopus: *Franciscus de Sprata*, Hispanus, Legionensis Episcopus: *Adrianus Castellensis*, Italus, patria Cornetanus *Innocentii* VIII. ad Scotiæ & Galliæ Reges Nuntius, Erfordiensis, Bathoniensis & VVellensis Ecclesiæ successive Episcopus: *Jacobus Casanova*, Hispanus, patria Valentinus, Protonotarius Apostolicus, & Summi Pontificis Cubicularius: *Franciscus Iloris*, seu *de Loris*, Hispanus, ipsius *Alexandri* VI. affinis, Elnensis Episcopus.

Cardinales Alexandri Sexti.

ARTICULUS XII.

De PIO III. & JULIO II.

I. **A**LEXANDRO VI. suffectus est *Franciscus Todeschinus*, Picolomineo nomine & stemmate donatus a *Pio secundo* cujus erat ex Sorore Nepos, & ab eodem Senensis Archiepiscopus, & Cardinalis creatus anno ætatis circiter 20. Urbis ac Piceni Legatione integerrime functus, a *Paulo secundo* ad *Fridericum tertium* missus, ut Germanorum arma in Turcas concitaret, conventum frequentissimum habuit, qui Pontificis obitu dissolutus est. Sub *Innocentio octavo* dissidentes Umbros paravit, *Carolo octavo* Gallorum Regi in Italiam irrumpenti ab *Alexandro sexto* sero admodum obviam missus. Ut primum in *S. Petri* Cathedra collocatus est, de Christiana Disciplina restauranda serio cogitavit; utque id felicius exequeretur, Concilium Œcumenicum, quod unanimi consensu intra biennium celebrandum Patres in Conclavi decreverant, se quantocyus congregaturum significavit in solemni Consistorio ante suam coronationem habito: Sed præclarum ac sanctum propositum importuna mors disturbavit, quæ ipsi accidit ex cruris ulcere, non absque suspicione veneni, 15. Kalendas Novembris, anno Christi millesimo quingentesimo-tertio. Vixit annos sexagintaquatuor, menses quinque, eloquio, prudentia, religione, innocentia & gravitate domi forisque insignis. Diem Pontificatus dumtaxat vigesimum-sextum numeravit.

Pius III.

II. Justis *Pio tertio* persolutis, Pontifex, electus est *Julianus Ruvereus*, Sixti IV. Nepos, Cardinalis Episcopus Ostiensis, qui *Julius secundus* appellari voluit, intuitu potius Julii Cæsaris, cujus bellatorem animum æmulabatur, quam *Julii primi*, Sanctissimi Pontificis, cujus mansuetudinem & pacificam indolem non adeo imitari curabat. Certas leges futuro Pontifici proposuerant Cardinales in Conclavi congregati, quas unusquisque se servaturum promisit, juravit ac vovit, si Pontifex eligeretur. Præcipua illarum capita erant de bello nulli Principum temere inferendo sine consensu expresso duarum ex tribus partium Dominorum Cardinalium, præstando per calculos albos & nigros; De Cardinalium consensu in majoris momenti negotiis expectando, scilicet in creatione Cardinalium, in sententiis adversus eos ferendis, translationibus & Exauctorationibus Episcoporum, in missione Legatorum, in

Julius secundus.

Pacta conventa Cardinalium in Conclavi a Julio II. jure jurando firmata.

novo-

novorum Officiorum institutione, in generali decimarum impositione, &c. de Concilio generali intra biennium a creatione sua indicendo & celebrando in loco libero & tuto, determinando per eum, & duas partes Cardinalium, ad pacem Christianorum Principum, & Ecclesiæ reformationem, multarum exactionum moderationem, & sacram Expeditionem contra Turcas promovendam. Eo voto & juramento ita se Patres singuli obstrinxerunt, ut ab illo nec absolvere seipsum, nec alteri absolutionem committere futurus Pontifex posset, ejusque transgressor *tamquam perjurus, perturbator & scandalizator Ecclesiæ & totius Christianitatis* haberetur, & ex] nunc dabat & *concedebat facultatem & potestatem duabus partibus Collegii, congregandi Concilium Generale, cujus sententiæ in incursu pœnarum supradictarum, & aliarum de jure, propter dictorum, publicum & libertatem Sacri Collegii respicientium, transgressionem infligendarum, se subjiciebat & submittebat.* Hoc juramentum ac votum post electionem suam *Julius II.* confirmavit hac verborum formula, *Ego Julius II. electus in Summum Pontificem, præmissa omnia & singula promitto, juro & voveo observare & adimplere in omnibus & per omnia, pure & simpliciter & bona fide, realiter & cum effectu, & sub pœna perjurii & anathematis, a quibus nec me ipsum absolvam, nec alicui absolutionem committam. Ita me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia.* Hæc in Actis Pisani Conventus anno 1511. celebrati legere est: cui Conventui seu Synodo juramentum hujusmodi a *Julio secundo* violatum occasionem dedit, illius cum *Ludovico* XII. Rege Christianissimo dissidio roboratam. Enimvero *Julius*, qui toto fere *Alexandri sexti* ipsi infensissimi Pontificatu apud Reges Galliæ *Carolum octavum & Ludovicum* XII. versatus fuerat, eorum patrocinio securus; qui ipsos ad Expeditiones Italicas suscipiendas impulerat; qui inito cum *Ludovico* fœdere triumphalibus ejus armis Venetos Ecclesiasticæ Ditionis hostes debellaverat, Urbesque, Castra, & Terras Apostolicæ Sedi ab ipsis ereptas receperat, Faventiam scilicet, Ariminum, Ravennam, Cerviam, &c. paulo post receptis in gratiam Venetis, quos ad futurum Concilium appellantes Ecclesiastico mulctaverat Interdicto, se *Ludovici* Regis, Gallorumque hostem aperte professus est, Gallos Italia pellere decrevit, *Ferdinando* Hispaniæ Regi Neapolitani Regni possessionem ac investituram concessit, eodem censu, quo Galliæ Reges obtinuerant, violatis *Ludovici* Regis Christianissimi Juribus, cui ab *Alexandro* VI. pars ejus Regni confirmata fuerat, nomenque Neapolitani Regis attributum. Inanes iniquissimæ sententiæ causas *Julius* obtendit, quod nimirum Rex Christianissimus honorarium vectigal numquam repræsentasset, fœdusque cum *Ferdinando* absque Pontificis venia pepigisset. Grande scilicet crimen, & exauctoratione dignum! quasi id ipsum etiam *Ferdinandus* (si tamen peccatum fuit) non peccasset. Secundum hæc, *Julius* inquieti vir animi & pacis impatiens, Helvetiis, Venetis, Hispanisque in partes vocatis, conditiones æquissimas a *Ludovico* Rege pro ejus gratia obtinenda propositas rejecit, imperans ut ab *Alphonsi* Ducis Ferrariensis patrocinio abstineret, ac Genuæ protectionem dimitteret. Exercitum in Ferrariensem agrum immisit, Bononiam se contulit, ut rem præsentia sua acrius urgeret; *Alphonsum* Ducem, & quotquot ei opem ferrent aut tulissent, nominatimque *Clamontium*, Cardinalis de *Ambasia* Nepotem, *Ludovici* Christianissimi Regis vices in Italia gerentem cum omnibus Gallici Exercitus Ducibus, diris devovit. Qui nihilominus cum paulo post ab eodem *Clamontio* pene intra Bononiam obsessus fuisset, urgentibus Cardinalibus consensit, licet ægerrime, ut ad ipsum pro ineunda concordia mitteretur. Sed metu ac periculo liberatus, acceptis Venetorum & Turcarum militantium subsidiis, ad pristina consilia reversus, Regem Christianissimum apud omnes Christianos Principes accusavit, quod Pontificii Romani sanguinem sitiens, Exercitum ad eum cum universo Cardinalium Collegio obsidendum immisisset. Mox Exercitum suum ad obsidionem Ferrariæ progredi jussit, ac Mirandulam prius expugnari, quæ in clientela Regis erat. Cujus obsidionem cum lentius procedere videret ob hyemis asperitatem, validamque obsessorum propugnationem, in Castra profectus est, ibique Ducem agens, non absque sui periculo, tandem Oppidum ad deditionem compulit decimo tertio Kal. Februarii anni 1511. quæ *Guicciardinus* lib. 9. prolixe commemorat. Tractatum interim de pace, Gurcensi Episcopo Interprete, quem *Maximilianus* Imperator Oratorem ad *Julium* II. & ad Regem Christianissimum propterea miserat; sed pacis consiliis *Julii* pertinacia & odio in Regem dissipatis, Gurcensis Antistes, contemptis honoribus & Cardinalitiis infulis, quas illi Pontifex pollicebatur, si Imperatorem a Gallorum amicitia divelleret, re infecta in Germaniam rediit. Pacis spe sublata, ad quam se propensissimum Rex Christianissimus exhibuerat, *Stephano Poncherio* Parisiensis Episcopo, summæ auctoritatis, doctrinæ & prudentiæ viro ad Mantuanum Conventum misso Oratore, Gallicus Exercitus Duce *Trivultio* Polemarcho, Concordiam ac Bononiam expugnavit, Pontificias Venetasque copias dissipavit. Rex bellum in Pontificem, quamvis hostem, gestum nec decorum, nec utile Majestati suæ ratus, *Trivultio* Duci jussit, ut Bononia in Bentivolorum potestate relicta, & restitutis, si quæ occupasset, Ditionis Pontificiæ locis, Exercitum in Mediolanensium fines reduceret. Regiis Mandatis paruit *Trivultius*. Hac vero Christianissimi Regis moderatione *Julius* nequaquam delinitus, sed efferatus magis, omnes penitus concordiæ rationes abjecit. Adeo impotens ipsius erat in Regem, Gallosque odium. Pisano Conventui, sub nomine Concilii Generalis a novem Cardinalibus, *Maximiliani* Imperatoris, & *Ludovici* XII. Regis Francorum auctoritate fretis indicto, Concilium Lateranense Quintum opposuit, anno 1512. Utriusque Historiam in Dissertationibus exponemus. Nec vero bellum Ecclesiasticum quod oppositis Conventibus gerebatur, profani belli, quod gladio temporali conficiebatur impetum retardavit. *Gasto Fuxius* Dux Nemorsius Regis Sorore natus, viginti duorum annorum adolescens, copiarum Gallicarum Imperator, Bononiam, Brixiamque recepit, Ravennam oppugnare decrevit: Ad cujus auxilium accedente Fœderatorum Exercitu, celeberrima illa pugna Ravennas ipso die Paschatis 11. Aprilis anno 1512. commissa est, multa hostium strage, ipsius etiam *Fuxii*, victoris licet suoque sepulti triumpho, cæde cruenta. Captus a victore Exercitu Pontificius Legatus *Joannes Medicæus*. Ravenna expugnata ac direpta est. Victores in patriam remearunt, dicentes *Adversus pietatem non pugnandum: si quis illam vicerit, vel in ipsa victoria pœnas dare. Ita victoriæ suffragium temperavit Deus, ut uterque victus sit, uterque vicerit, ne plane vel superbiret victor, vel victus interiret; uti uterque disceret, hic Sacris, non armis fidere; ille Sacra armis non oppugnare; alter bellis, alter templis parceret, uterque ab injuria abstineret.* Verba sunt *Ægidii* Cardinalis *Viterbiensis* in Historia MS. 20. Sæculi. Ad *Julii* partes tandem accessit *Maximilianus* Cæsar, quibus etiam se adjunxit *Henricus* Angliæ Rex. Galli Mediolano pulsi post pugnam Ravennatem: *Julius* instituisse dicitur ut in Italia contra Gallos ad pulsum Angelicæ Salutationis Deiparæ, cum eadem Salutatione tres breves Orationes ad Virginem *Mariam* quas ipse dictaverat, recitarentur. Rex vero *Ludovicus* XII. ab Episcopis Regni sui obtinuit, ut quotidie ad elevationem Corporis Christi in Ecclesiis Cathedralibus, Collegiatis, & Conventualibus, inter Missarum solemnia Versiculus ille decantaretur:

O Salutaris Hostia,
Quæ cæli pandis ostium;
Bella premunt hostilia,
Da robur, fer auxilium.

Ad cujus finem loco illorum verborum, *fer auxilium*, Cantores Regii adjunxerant, *Serva Lilium*. Ita referunt *Urbanus Reversus* Doctor Theologus, Canonicus & Præcentor Senonensis, in Vitis Pontificum Senonensium, *Clichtoveus* lib. 1. Hymnorum Ecclesiasticorum, *Espencæus* lib. 1. *De Eucharistiæ Adoratione*, cap 10. *Saussæus* lib. de Rebus Eucharistiæ Repetit. 9. cap. 7. & *Pithæus* in Glossis ad Libros Capitularium.

Sententiam Excommunicationis in *Ludovicum* Regem Francorum promulgasse *Julium* in Consistorio, mense Junio anni 1512. refert *Paris de Grassis* in Diariis MSS. ab *Odorico Raynaldo* sæpe laudatis. Eodem anno 12. Kalendas Augusti, Diploma in eumdem Regem Christianissimum promulgavit, quo universis & singulis Christi Fidelibus, præsertim Bascis & Cantabris, seu Navarris, sub majoris Excommunicationis latæ sententiæ pœna, quam quilibet transgressorum, etiamsi Marchionali, Ducali, Regia, Pontificali, aut alia quavis Ecclesiastica vel mundana Dignitate præfulgeret, post triduum a die publicationis Literarum illarum in Cæsaraugustana, Calaguritana, Burgensi, & Elnensi Ecclesiis, vel aliqua ex eis, faciendæ compu-

Julii secundi in Regem Regnumque Galliæ inimicitia.

Gallici Exercitus cum Pontifice pugna ad Ravennam.

Ravenna expugnatio.

tandum, incurfuri effent ipfo facto; mandavit ne contra ipfum Pontificem, aut aliquem ex ejus ant Sedis Apoftolicæ confœderatis, arma fumere, aut ad *Ludovici* Regis, vel aliorum futorum ftipendium militare, feu fœdus aliquod cum ipfis inire præfumerent, & eie qui talia ftipendia forte recepiffent, feu arma fumpfiffent, vel fœdus percuffiffent; ut arma in ipfius Pontificis & Confœderatorum favorem, auxiliumque converterent, vel faltem eam illico deponerent, & a damnando fœdere difcederent. Qui vero contumaciter repugnarent, & Excommunicationis hujufmodi fenteotiam per alios tres dies fuftinerent, ipfos & eorum quemlibet fe anathematizare, maledicere, & perpetuo damnationis laqueo innodare, *omnique honore & dignitate* privare & exuere, eofque excommunicatos, anathematizatos, maledictos, privatos & exutos declarare; aliafque ad omnes actus legitimos omnino inhabiles & læfæ Majeftatis reos eadem auctoritate, & de Apoftolicæ plenitudiois poteftate denuntiare; eorumque omnia & fingula bona publicare, & ipfos capientium fervos effici velle, ftatuere atque decernere; civitatefque, oppida, & terras, loca quæcumque, Ecclefiaftico fupponere interdicto. Eodem anno, Idibus Augufti, Pontifex de Fratrum confilio, totum Franciæ Regnum, atque imprimis Lugdunum, quo translatus demum fuerat Pifanus Conventus Ecclefiaftico fubjecit Interdicto, Nundinafque Lugdunenfes Gebennam tranftulit, ut ipfe declarat Seffione 3. Concilii Lateranenfis, Conftitutione quæ incipit: *Sacro approbante Concilio*. De Interdicti æquitate hic non difputo, Romanum Pontificem Ecclefiafticas Cenfuras in Reges ipfos, & Regna integra ferre poffe, modo caufa fubfit, Canonefque ferventur, nec his quafi ultionis fuæ inftrumentis utatur, ut *Julius* II. ufus eft, nemo negaverit, qui Primatum ipfi a Chrifto in univerfa Ecclefia collatum agnoverit; ut agnofcere & credere Catholici omnes tenentur; fed poteftatem transferendi Nundinas ab una civitate in aliam, & privandi Regnum, Urbem, univerfitatem, Regem, vel fubditos, jure aliquo temporali extra Ditionem Ecclefiafticam, quis Romano Pontifici afferet, fi fecundum Scripturam Sacram & Traditionem fapiat? Jus igitur alienum ufurpavit *Julius*, cum Nundinarum translationem a Civitate Lugdunenfi in Gebennenfem fibi abrogavit. *Guicciardinus* Lib. 11. fcribit, Pontificem Regnum *Ludovici*, ejufque Fœderatorum ditiones, cuivis occupandi feciffe poteftatem, fed illud ita Diplomatibus contra *Ludovicum* Regem promulgatis non legimus, nec ab aliis Hiftoricis memoriæ proditum eft.

Julii fecundi in temporalia Regis Christianiffimi jura invafio.

III. Ea tempeftate *Ferdinandus* Hifpaniæ Rex Navarricum Regnum occupavit, quod auctoritate Pontificii Decreti ab ipfo factum Scriptores Hifpani tradunt, quo *Julius Secundus* ad plectendum *Joannem Albretum* Regem, Schifmatis (ut ajunt) fautorem, Navarram prædæ expofuerit. Ita *Zurita* lib. 10. *Mariana* lib. 30. cap. 8. *Sandovallius* in Vita *Caroli V.* Imperatoris lib. 1. §. 45. *Anglerius* Epiftola 496. *Antonius Nebriffenfis* lib. 1. de bello Navarrico, &c. Sed nullum hujufmodi Decretum a *Julio* II. datum ac promulgatum fuiffe, multa probant. Primo diffenfus Auctorum Hifpaoorum in affignando die quo datum fit; cum tamen Navarræ Regnum a *Ferdinando* menfe Julio anni 1512. occupatum effe confentiant. Nam *Mariana* & *Zurita* datum ajunt die 18. Februarii; *Sandovallius* die prima Martii; *Anglerius* qui tunc apud *Ferdinandum* agebat, Literas Pontificias menfe dumtaxat Augufto Roma allatas teftatur. Si datæ funt Februario aut Martio menfe, cur tamdiu Romæ retentæ, tuncque demum in Hifpanias miffæ, cum Regnum Navarræ a *Ferdinando* occupatum eft? Præterea, fi Navarram occupavit *Ferdinandus* menfe Majo, quomodo illam occupavit auctoritate Pontificii Diplomatis, quod Augufto dumtaxat menfe datum eft? Secundo, falfi fufpicionem auget, quod Hifpani fua tanta pompa oftentare folent, nufquam hujus Diplomatis autographum protulerint, nufquam apographum legitime collatum & authenticum exhibuerint, nullibi in fuis Hiftoriis ac Libris ediderint. *Sandovallius* ipfe, Pampilonenfis Epifcopus, cum certa occafione de finibus Regnorum ageretur, & ipfum inter a *Philippo* Rege Catholico delegatum, & Bajocenfem Epifcopum a Rege Chriftianiffimo quæftio de Navarræ occupatione difceptaretur, protulit quidem Diplomatis hujufmodi Pontifici exemplar, fed ita fufpectum, ut ad Monafteria Hifpaniæ dirigendum curarit, cum hac epigraphe, *Transfunto de Bulas paraqua fe bufca los Originales*: ut fcilicet apographum nancifci poffet, fieubi delitefceret. Quafi vero Pontificiæ hujufmodi Literæ quibus Jus Regis Catholici in Navarram niti volunt, in Monafteriis, & non potius in Regiarum Chartarum Thefauro fervarentur. Tertio, idem *Sandovallius* in Vita *Caroli* V. Imperatoris, *Julii* II. mentem per *Bullam*, *Breve*, aut *Sententiam* ejus apparere fcribit. Sane Hifpanos Scriptores nufquam Pontificium illud de Navarræ expofitione, & *Joannis Alberti* Regis exauctoratione Decretum legiffe compertum eft, qui ne quidem fciant quo nomine vocandum fit, an Bulla, an Breve, an Sententia, cum tamen hujufmodi Literarum ac Inftrumentorum forma longe diverfa fit. Quarto, *Sandovallius* Decretum iftud fuiffe datum fcribit Kalendis Martii, anno Pontificatus Julii decimo; cum tamen *Julius* mortuus fit nono Kalendas Martii, & Kalendæ Martiæ præcedentes in annum Pontificatus ipfius nonum inciderint. *Mariana* vero & *Zurita* die 18. Februarii datum fcribunt, quo tempore *Julius* lethali ægritudine oppreffus erat, qua poft triduum obiit, adeoque Confiftorium celebrare non poterat, in quo hoc Decretum conditum volunt: aut fi in lecto, non ex Cathedra, hoc Edictum tulerit, tribuendum potius fuerit deliquio hominis moribundi quam confilio & ratiocinationi viventis; ut recte sit illuftris & eruditus Annalium *Baronii* Continuator *Spondanus*, Appamienfis Epifcopus. *Guicciardinus* quidem Lib. 11. tradit *Ferdinandum* vi Diplomatis a *Julio* in *Ludovicum* Galliæ Regem promulgati, quo illum quotquot ab ejus partibus ftarent, cunctis Hæreticorum & Schifmaticorum pœnis damnabat, Navarrici Regni poffeffionem adiviffe. Verum cum acerba illa *Julii* II. adverfus *Ludovicum* Regem Decreta promulgata tantum fuerint menfe primum Augufti, deinde Decembri, qua ratione occupata dici poteft a *Ferdinando* Navarra menfo Julio vi hujufmodi Decretorum? Uni itaque *Ferdinandi* Regis impotenti ambitioni Navarræ invafio tribuenda eft, non *Julii Secundi* auctoritati. Quamquam fi Navarram prædæ expofuiffet, id feciffet injuria, cum Navarræ Regnum Romanæ Ecclefiæ feudum non effet, nec ulla fit prorfus Romani Pontificis in temporalia Regum qui Ecclefiæ Feudatarii feu Clientes non funt, auctoritas. Quinto, Diploma in *Ludovicum* Regem Chriftianiffimum promulgatum 12. Kalendas Augufti anno 1512. nec *Joanni* Navarræ Regi, nec ipfi *Ludovico* nocere potuit, utpote iniquiffimum, & contra rectam judiciorum formam datum a profeffo Regis utriufque hofte Hifpanis contra Gallos jam fœderato, & bellum atrox in Chriftianiffimum Regem movente, quo jam ipfum tum Italia reliqua, & Genuæ Protectione, tum Neapolitano Regno, & Mediolanenfi Ducatu hæreditario pepulerat, nec intra Regni fui fines pace frui permittebat, Imperatore, Hifpano, Anglo, Helvetiis contra ipfum concitatis. Quis immanem clavium abufum in illo Decreto non agnofcet, quo in re tanti momenti triduum dumtaxat ad commonendum datum eft, & triduum alterum ad pœnas incurrendas? Cujus publicatio in Meditullio Hifpaniæ fieri juffa eft, unde nec ad *Ludovicum* Regem, nec ad Regem Navarræ, qui jam relicto Regno ad Bearnenfem ditionem confugerat, hujus rei nuncius tam brevi ferri poffet? Præceps plane Judicium, & a Sedis Apoftolicæ gravitate, æquitate, moribus alienum, quæ femper in longe minoribus caufis, & adverfus inferioris conditionis homines mature, fervatifque formulis Juris, & ampliationibus atque comperendinationibus, procedere confuevit. Sexto, Decretum iftud comminatorium tantum fuit, nullam fecutam fententiam, nullam faltem contumaciæ *Ludovici* & *Joannis* Franciæ & Navarræ Regum declarationem videmus. Promulgatum quidem eft illud *Julii* Diploma in Ecclefia Calaguritana die Sabbati 21. Augufti, & fequenti Dominica anni 1512. poftulante *Petro Marta* Protonotario Apoftolico, Priore Ecclefiæ Granatenfis, & *Ferdinandi* Regis Hifpaniæ Capellano, Majeftatis ejus nomine: Sed nulla fententia damnationis apparet. Regnum itaque Navarræ auctoritate Pontificia non occupavit *Ferdinandus*, cum illud ante invaferit, quam *Joannes* Rex Navarræ pœnas generatim Literis Pontificiis expreffas incurriffet. Pœna enimvero fecundum illarum tenorem incurri non potuit, nifi poft fex dies a promulgatione, ac proinde non ante diem 27. Augufti Regno excidiffet *Joannes Albretus*. Propria itaque auctoritate, & impotentis ambitionis impulfu, non vi Pontificii Diplomatis, Navarram invafit Rex Catholicus: Si quidem Ducem Albanum nomine *Ferdinandi* die 21. Julii in Regnum Navarræ hoftiliter ingreffus tradit *Zurita*; & *Anglerius*, qui tunc apud *Ferdinandum* agebat, Pampelonem primariam Regni Civitatem fefe ei dediffe Kalendis Augufti, die Dominico teftatur; cum jam Rex Navarræ Re-

Julii fecundi Decretum aut fententiam falfo jactant Hifpani vi cujus Ferdinandus Hifpaniæ Rex Navarricum Regnum occupaverit.

Regnum suum deseruisset, ac in Bearnensem se recepisset, libertati consulens suæ, seque fortunæ servans meliori. Septimo, non solum defectu auctoritatis, quam in Regum non feudatariorum temporalia Summus Pontifex nullam habet; non solum ob defectum formæ, & præscripta Juris non servata; verum etiam ob defectum materiæ, *Joanni* Regi Navarræ nocere non potuerunt generales illæ *Julii* II. Literæ, cum nullius in Sedem Apostolicam criminis reus esset. Nequn enim Pisano Conventui adhæserat, ut *Anglerius* testatur Epistola 467. nec si adhæsisset, culpa hæc fuisset exauctoratione punienda (etiamsi hanc potestatem habuisset Pontifex) cum venialiter in eo errasset, quod Synodum legitimam arbitraretur, ita sentientibus magni nominis Theologis & Jure consultis, & Ecclesiæ Gallicanæ Præsulibus, secundi Ordinis Sacerdotibus, ac Doctoribus, qui ex Juramenti a *Julio Secundo* ante suam electionem præstiti, & post suam electionem confirmati verbis, Concilium illud legitime convocatum probabant. Fœdus quidem iniit *Joannes* Rex Navarræ cum *Ludovico* Rege propinquo suo 17. Julii, anni 1515. cum *Ferdinandum* & Anglos in suam perniciem armatos, & in procinctu invasionis Regni sui conspexit; verum fœdus contra Summum Pontificem aut Ecclesiam non iniit, sed pro defensione sua dumtaxat temporali. Nec ei jusserat nominatim Pontifex, nec jubere poterat, ut adversus Christianissimum Regem bellum gereret. Unde *Anglerius* Epistola 490. scribit, 15. Kalandas Augusti ejusdem anni, cum urgeretur *Joannes* Rex Navarræ a *Ferdinando* Hispaniæ Rege, ut in *Ludovicum* Francorum Regem arma converteret, alioqui hæreseos infamiam incursurus; ipsum respondisse: *Nihil hujusmodi sibi a Summo Pontifice imperatum*. Octavo, quamvis Rex Navarræ reus fuisset, *Catharina* ejus conjux, cujus Regnum erat proprium & hæreditarium, nullo crimine irretita, in viri sui condemnatione involvi minime debuisset. Nono, hunc aliosque occupationis Regni Navarræ ab Hispaniæ Regibus titulos adeo caducos agnovit *Carolus V.* Imperator, ut anno 1548. Augustæ Vindelicorum, mori timens, antequam filius ejus *Philippus* ad ipsum in Germaniam pervenisset, in Monitis eidem relictis scripserit; credere se quidem *Ferdinandum* Regnum Navarræ legitime adeptum, Seque, Matremque suam illud bona fide possidere; verum ad omnem conscientiæ scrupulum discutiendum, præcipere se filio, ut diligenter inquireret an restitui deberet; & si ita esset, vel omnino restitueret, vel congrua compensatione redimeret: Consiliumque illi dedit, ut cum *Joanna Albretana*, Nepte *Joannis* & *Catharinæ* postremorum Navarræ Regum, ejusdemque Regni hærede, Matrimonium iniret, ut Regni illius jura certo ac inconcusso titulo possideret. *Philippus* vero in Testamento suo, Patris Mandata, ob negotia quibus impeditus fuerat, implere se non potuisse excusans, filio suo *Philippo Tertio* pariter jussit, ut de Regni Navarriei restitutione serio cogitaret, eamque exequeretur, nisi certis documentis compertum haberet, post diligentem inquisitionem, *Ferdinandum* illud optimo jure occupasse. Decimo, *Pius Quartus* Pontifex Maximus, anno 1561. *Antonium* Regem ad obedientiam de Regno Navarræ, insuperhabita Hispanorum intercessione admisit; Nullum itaque contrarium *Julii Secundi* Decretum extare ipsi persuasum erat, aut certe nullius fuisse roboris.

Salubres Julii II. Constitutiones.

IV. Constitutiones aliquot Ecclesiæ admodum utiles edidit *Julius II.* Statuit scilicet, ut si in electione Romani Pontificis crimen simoniæ vel ab Electo vel ab Electoribus committatur, electio ipso facto nulla sit ac irrita, & contra ipsum uti Hæreticum agi possit, & brachii sæcularis auxilium implorari, & cum ipse, tum Simoniaci Electores privati sint Cardinalatu, aliisque omnibus Dignitatibus & Beneficiis Ecclesiasticis, feudis, bonis, honoribus, &c. & ad Cardinales qui simoniæ puri extiterint, jus electionem alteram, & Concilium etiam Generale celebrandi sit devolutum. Constitutio ista data est 19. Kalendas Februarii anno 1505. incipit: *Cum tam divino*; & habetur Tom. 51. Bullarii Romani, eamque in Concilio Lateranensi confirmavit. Sacro Minimorum Ordini a B. *Francisco de Paula* condito favit, eorum Regulam a Sancto Patriarcha reformatam, Regulamque alteram ab eodem Tertii Ordinis Personis utriusque Sexus præscriptam confirmavit; Mendicantium Privilegia cum ipsis communicavit, Constitutione data quinto Kalendas Augusti anno 1506. quæ incipit: *Dudum*; & altera quæ incipit: *Virtute*: quæ in Bullario Romano pariter habentur. Monachis etiam Congregationum Montis Oliveti & Vallis Umbrosæ Ordinis S. Benedicti, nec-non Eremitis S. Augustini, amplissima concessit Privilegia. Collegium Scriptorum Archivi Romanæ Curiæ instituit. Duella in Ecclesiastica Ditione prohibuit sub pœna Excommunicationis latæ sententiæ, quacumque de causa, etiam Legibus permissa committerentur; pugiles ubique impune capi & puniri posse pro homicidio aut vulnere, juxta juris communis dispositionem, nulla eis consuetudine suffragante, statuit, corporaque in duello morientium Christiana Sepultura privari. Sub eadem Excommunicationis & Interdicti Ecclesiastici pœna Ducibus, Comitibus, Marchionibus, Domicellis, Baronibus, & aliis temporalibus Dominis, Vicariis, Communitatibus, & Universitatibus Civitatum, Terrarum & Locorum Ecclesiæ Romanæ mediate vel immediate subjectorum prohibuit, ne deinceps, perpetuo futuris temporibus, aliquibus, cujusque dignitatis & nobilitatis essent, ex quacumque causa etiam a Legibus non improbata, locum seu campum liberum ad duellum concederent. Constitutio data 6. Kalendas Martii anno 1509. incipit: *Regis pacifici*. Bona naufragantium ad Litora Maris, civitatum, terrarum, & locorum Romanæ Ecclesiæ mediate vel immediate subjectorum pervenientia, a quoquam occupari prohibuit, sub pœnis tam a Lege quam a Canone statutis, nec-non publicationis propriorum bonorum.

Julii II. obitus.

V. Obiit *Julius* II. nono Kalendas Martii anno 1513. Sacramentis Ecclesiæ religiose perceptis; se Cardinalibus qui ab ipso defecerant; & Pisani Conventus fuerant Promotores, quos propterea exauctoraverat, injuriam omnium condonare professus ut privatam personam, ut Pontificem vero justitiam servari velle, nec eos ad electionem futuri Pontificis admitti. Dira adversus *Ludovicum* Francorum Regem moliebatur, a quo in Regem Angliæ, ejus hostem, titulum *Christianissimi* transferre decreverat, ipsumque Regia Dignitate spoliare, & Regnum proscribere ac prædæ objicere, ferale Decretum Concilii nomine promulgaturus, ut *Guicciardinus* Lib. 11. testatur; nisi illius orbisque Christiani in quo majora bellorum incendia concitasset, misertus Deus, tam præceps acerbumque consilium ipsius morte dissipasset. Ipsum *Joannem Maria de Monte* Sipontinus Archiepiscopus Oratione habita in Lateranensi Concilio, *Parisius de Grassis*, Cæremoniarum Sacelli Pontificii Magister, in suis Diariis, *Ægidius* Cardinalis *Viterbiensis*, ab illo Cardinalis creatus, *Ubertus Folieta*, aliique ipsi addicti, a studio Libertatis Ecclesiasticæ propugnandæ, & Ditionis Ecclesiasticæ conservandæ, a magnanimitate & constantia in adversis, ab odio Simoniacæ pestis, ab ædificiorum magnificentia prædicant. Contra, in ipsum alii ob ea præcipue quæ in Regem Regnumque Christianissimum attentavit, vehementius invehuntur, & inter alios *Budæus* Parisiensis, tum Regius Secretarius, postea Libellorum Supplicium Magister, Lib. 3. *de Asse & Partibus ejus*, Fol. 91. & 92. & *Petrus Bizarius* in sua Senatus Populique Genuensis Historia, ubi eum potius ad belli quam pacis artes tuendas & obeundas natum scribit. Qui *si tantum operæ acuendis Regibus ad bellum in Turcam decernendum, quantum ad Imperia & Respublicas conturbandas & inquietandas contulisset, nemini dubium esse potest, quin Respublica Christiana ejus præsidiis subnixa, meliore loco & conditione diutius suo tempore stetisset ac floruisset*.

Julii secundi Cardinales.

VI. Cardinalitiis Infulis a *Julio secundo* ornati fuere *Franciscus Guillelmus de Claromonte*, Gallus filius *Tristandi* Magni Franciæ Dapiferi, Agathensis, Valentinus, ac Senecensis Episcopus: *Joannes de Estanica* sive *De Zuniga*, Hispanus, Equitum de Alcantara Magnus Magistar, deinde Archiepiscopus Hispalensis: *Clemens Ruverius*, Sixti IV. ex Sorore Nepos: *Galeottus Franciottus Ruverius*, Nepos ipsius *Julii*, cui & Beneventanum Archiepiscopatum contulit: *Marcus Vigerius*, seu *Vignerius*, Savonensis, Ordinis FF. Minorum Professor eruditus, *Sixti IV.* Pronepos: *Robertus Brittus*, Gallus, Armoricus, Trecorensis primum, deinde Rhedonensis, demum Nannatensis Episcopus: *Leonardus Grossus Ruverius* Sixti IV. ex Sorore Nepos alter, Aginnensis in Gallia Episcopus, Juris utriusque scientia & morum integritate spectatissimus: *Carolus Dominicus de Carreto*, Genuensis, Thebanus Archiepiscopus, deinde Turonensis & Remensis: *Antonius Ferrerius*, Savonensis, Perusinus Episcopus, Domus Pontificiæ Magister: *Franciscus Alidosius*, Italus, Forocorneliensis, Papiensis primum Episcopus, deinde Bononiensis: *Fatius Santorius*, Viterbiensis, quondam *Julii secundi* Præceptor, Cæsenatum Episcopus, ac Datarius: *Gabriel de Gabriellibus*, Nobilis Fanensis, Episcopus Urbinas: *Sigismundus Gonzaga*, Mantuanus, suæ civi-

tatis Episcopus: *Joannes de Tremolia*, Gallus, Auscensis Archiepiscopus; *Renatus de Pria*, Gallus, Bajocensis Episcopus: *Ludovicus de Ambasia*, Gallus, Albiensis Episcopus: *Franciscus Ximenius*, Hispanus, Toletanus Archiepiscopus, ex ordine FF. Minorum assumptus, nobilitate, doctrina, sanctimonia clarissimus; Hispanici Regni Administratione, Orani Maurorum urbis munitissimæ expugnatione, Granatensium Maurorum conversione, Bibliorum Τετραγλώττων editione, Complutensis Academiæ erectione, ad posteritatis memoriam celeberrimus: *Sixtus Gara Ruverius*, Julii II. ex Sorore Nepos, Romæ Ordinis S. Joannis Hierosolymitani Prior: *Christophorus*, Anglus, Eboracensis Archiepiscopus, *Henrici Septimi* Magnus Britanniæ Regis ad *Julium Secundum* Orator: *Antonius Ciochi de Monte*, Jurisconsultus insignis, Archiepiscopus Sipontinus: *Matthæus Schiner*, Helvetius, Sedunensis Episcopus: *Petrus de Accoltis*, Aretinus, Anconitanus Episcopus; *Achilles de Grassis*, Bononiensis, ex Rotæ Auditore Tiphernas Episcopus, deinde ad Bononiensem translatus: *Franciscus Argentinus*, Venetus, Concordiensis Episcopus: *Bandinellus Saulius*, Nobilis Genuensis, Hieracensis Episcopus: *Alphonsus Petruccius*, Senonensis, Suanensis Antistes, qui postea cum in *Leonis X.* vitam conjurasset, purpura & omni Sacra Dignitate exutus, in Arce S. Angeli a carnifice jugulatus est anno ætatis 27. *Matthæus Langus*, Germanus Episcopus Gurcensis, vir singularis prudentiæ & doctrinæ, *Maximiliani* Cæsaris Legationibus magna cum laude functus.

SCHOLION I.

Hunc & præcedentem Articulum his notis confixerunt Religiosi Censores, pag. 106. 108. 109. 112. *de Alexandro VI. pessime loquitur: Pag. 117. & 119. pessime loquitur de Julio II.*

R. De his Pontificibus locutus sum ut probati quique Historici. Historiæ leges sum secutus, recte maleque gesta, virtutes ac vitia, quæ quidem in publica luce fuerunt, descripsi, nihil affinxi. De Alexandro Sexto locutus sum sicut locuti sunt Infessura, Volaterranus, Guicciardinus, Petrus Cardinalis Bembus, Onuphrius Panvinus, Mariana, Odoricus ipse Raynaldus ad annum 1492. num. 24. ad annum 1502. Num. 20. & 1503. numero 10. de Julio II. locutus sum, ut loquuntur Historici nullis adversus Ludovicum XII. Gallorum Regem præjudiciis occupati, & a studio partium alieni; nec silui quæ gessit commendatione digna. Non ne ita loquitur Palavicinus? *Indulsit Julius Militiæ studiis supra quam opus fuit, & supra quam tanti Capitis sanctitatem deceret . . . . . Erat Julius feraci animo atque iracundo*, &c.

Histor. Concil. Trid. lib. 1. c. 1.

SCHOLION II.

In Eodem Articulo pag. 124. Edit. primæ Religiosi Censores hanc propositionem notant: *Qui secundum Scripturam loquitur, non tribuit Papæ potestatem in temporalia Regum.*

R. Non singularis hæc opinio mea; sed sacræ Facultatis Parisiensis & Ecclesiæ Gallicanæ doctrina est.

SCHOLION III.

In eodem Articulo pag. 125. hæc verba notant Religiosi Censores: *Hispani qui sua tanta pompa ostentare solent*, &c.

R. Hæc gentis indoles. Mirum quod in his minutiis notandis Religiosi Censores immorentur.

SCHOLION IV.

Eidem Articulo pag. 125. & 129. hanc notam inurunt; *Pessima scribit auctoritate Papæ in temporalia.*

R. Nullam prorsus esse Romani Pontificis in temporalia Regum, qui Ecclesiæ feudatarii & clientes non sunt, auctoritatem, scripsi ex Sententia sacræ Facultatis Parisiensis & Ecclesiæ Gallicanæ Julii II. in Regis Christianissimi temporalia invasionem approbare non potui.

SCHOLION V.

In Eodem Articulo pag. 130. hanc propositionem notant Religiosi Censores: *Nec jusserat Pontifex, nec jubere poterat, ut adversus Regem Galliæ bellum gereret.*

R. Id utique Joanni Navarræ Regi non jusserat, nec jubere poterat Julius II. Auctoritatem regendi & pascendi universam Ecclesiam, Fideles omnes, Reges ipsos & Imperatores Christianos, S. Petro & Successoribus ejus Christus concessit: potestatem incendendi bellum & jubendi ut in Regem Christianum & Catholicum arma convertant alii Principes, Pontificibus Christus non contulit: ad S. Petri & Romani Pontificis primatum non pertinet. Arma ejus quatenus Christi Vicarius & Sancti Petri Successor est, spiritualia sunt potentiora magisque formidanda, quam temporalia. Reges ipsos exigentibus criminibus & pertinacia excommunicare & Satanæ tradere potest: sed post hæc non habet Ecclesia amplius quid faciat.

SCHOLION VI.

In hoc denique Articulo, pag. 133. Religiosi Censores hanc propositionem notant: *Julius II. ex Dei misericordia obiit.*

R. „ Dira adversus Ludovicum Francorum Regem „ moliebatur Julius II. a quo in Regem Angliæ ejus „ hostem titulum *Christianissimi* transferre decreverat, „ ipsumque Regia Dignitate spoliare, & Regnum „ proscribere ac prædæ objicere, ferale Decretum pro„ mulgaturos, ut *Guicciardinus* lib. 11. testatur: *Nisi illius orbisque Christiani misertus Deus tam præcipi acerbumque consilium ipsius morte dissipasset.* Hæc ego eo loci. Errorem ne putant Religiosi Censores, asserere quod Deus Julii II. misertus sit, misertus & orbis Christiani, in quo nova bella concitasset acerbioris executione consilii? Non ne misericordiæ Dei tribuendum est quod mala cujuspiam consilia dissipentur, in publicum exitium eruptura, sive illius morte, sive aliis mediis omnipotenti providentia ordinatis? Non ne in omni opere Dei misericordia ejus & justitia elucescunt? *Omnes viæ Domini misericordia & veritas.* Mors ipsa justorum misericordiæ simul & justitiæ Dei opus est. Quid mirum igitur si Julii II. mortem divinæ misericordiæ tribuerim? Quid in hac loquendi ratione censura dignum?

Ps. 24. 8. Thomas 1. p. q. 21. ar. 4.

Nota.

UBI Ignatius Hiacynthus Amat de Graveson de Alexandro VI. agere debebat, primo ponit sub oculos lectoris illam Melchioris Cani regulam, qua dicit viros bonos atque sinceros esse non posse, qui ficte fallaciterque Historiam Ecclesiasticam scribunt; deinde vero ita subdit: *In istud vitii genus referendo præcipua Alexandri VI. Pontificis maximi gesta non impingam, neque enim aliquid ficte fallaciterque dicam, sed solum habita ratione loci & temporis, attentisque prudentiæ christianæ legibus, ejus mores silentio omnino prætermittam. Sic enim S. Augustinus in lib. cont. mendac. excusat Abrahamum a fictione & mendacio dicens: non dixit aliquid falsi, sed tacuit aliquid veri. De moribus itaque Alexandri VI. penitus silebo, secutus consilium Apostoli dicentis 2. ad Cor. 5. 12. Omnia mihi licent; sed non omnia expediunt.*

Œconomiam Graveson amplectendam non putavit Natalis, ac in boni historici leges peccaturum credidit, depravatos Alexandri mores reticendo. An vero in aliquo excesserit facillime videre est, consulendo rerum ab Alexandro gestarum scriptores. Quamvis vero tot alii veneno obiisse dicant, febre sublatum volunt Bzovius & Odoricus Raynaldus ad an. 1503. ex manuscripto Diario Archivii Vaticani, quod fide dignissimum putant.

Nota.

JUlii II. simultates cum Ludovico XII. Galliarum Rege illius temporis scriptores pro uniuscujusque affectione varie describunt, aliis Gallorum in Italia dominationem execrantibus, aliis Julium accusantibus animi omnia ira adversus Gallum ebullientis, & Principes contra ipsum solicitantis; unde ipsius mortem speciali Dei erga Galliam providentiæ tribuunt. Illud indubitatum est a Ludovico pessimum initum consilium, dum una cum Maximiliano Cæsare Conciliabulum vocavit, ut Julium in ordinem redigeret: quapropter cum Pontifex infensissimum Ecclesiæ hostem, schismatisque fautorem judicaverit, hanc fortasse ob rationem de Ludovici viribus attenuandis, in illum varios Principes excitando cogitavit. Cum Alphonsus Ciaconius videret Julium passim traduci tamquam armis nimis addictum, quod universalem Pa-

storem

florem dedecere videbatur, hæc apologetica verba in ipsius vita conscripsit: *Nec probari ob id minus debet, seu Julius II. Pontifex Maximus quod tam infracta animi virtute contra Ecclesiæ dignitatis invasores pugnaverit, quando temporum ea conditio tantum virum religione, ac fortitudine vera maximum Pontificem postulabat. Neque sane ob alias causas tot bella gessit, nisi ut a pluribus occupatum Sacræ Sedis imperium recuperaret. Ad quod præstandum insita a natura invicto animo bellicæ virtutis semina cernebantur. Erat enim animo magnus, acer, constans, liberalis, contumacibus implacabilis, in calamitatibus se ipso semper excelsior. Irritari adversis, non enervari, virtus ejus poterat.* Non mirandum vero unusquisque judicabit, si etiam ad temporalia Principum indirectam potestatem extenderit, cum ea potius Romanum Pontificem non pauci tunc judicaverint, quod alibi animadvertere non omisi.

ARTICULUS XIII.

DE LEONE X.

I. JUlio II. Juniorum Cardinalium opera substitutus est *Joannes Medicæus*, Florentinus e Familia Principe, *S. Mariæ in Domnica* Diaconus Cardinalis annum agens ætatis trigesimum-octavum, Idibus Martii anni 1513. & *Leo X.* appellatus est. Cardinales ob Pisanum Concilium a *Julio* abdicati, ad novum Pontificem, ejus freti clementia, supplices accesserunt, ab eoque benigne suscepti, cum Pisanum Conventum seu Conciliabulum ejurassent, & Lateranensi Concilio se adhærere professi essent, in pristinam restituti sunt dignitatem. Actis Pisani Conventus rescissis, Lateranense Concilium continuavit, pacis præsertim Christianos inter Principes conciliandæ, & sacræ contra Turcas Expeditionis promovendæ causa; Regemque Christianissimum *Ludovicum XII.* Roberti Cardinalis Nannetensis, Sedis Apostolicæ Legati, industria adduxit ad Lateranensis Concilii reverentiam, improbatis Pisani Conventus Gestis. *Thomam* Titulo *S. Martini in Montibus* Cardinalem Strigoniensem, Legatum a Latere destinavit in Poloniam, Bohemiam, & Hungariam, ut sacrum bellum adversus *Selymum*, qui a Perside in Hungariam arma Turcica converterat, promulgaret, Reges ad mutuam concordiam ac fœdus hortaretur, Bohemos ad Fidem Catholicam revocaret. Pacem inter *Ludovicum* Francorum, & *Henricum* Anglorum Reges conciliavit. Pacem inter Moscovitas & Polonos conficere conatus est, ut in Turcam communem hostem arma verterent. A *Joanne de Lasko* Archiepiscopo Gnesnensi Regis Polonorum Oratore, de Ruthenorum erroribus monitus, de ipsis ad Ecclesiæ fidem & unitatem reducendis consilia agitavit: missa ad Regem Abyssinorum *Davidem* Legatione, Christianam Religionem apud illos propagare studuit; nec-non in America, novis Episcopatibus erectis.

Pacta Concordata inter Franciscum I. Regem Christianissimum & Leonem X.

Cum Rege Christianissimo *Francisco I.* Bononiæ congressus, Decembri mense anno 1515. unius anni Decimas a totius Regni beneficiis exigere ipsi permisit; omniumque ejusdem regni Archiepiscoporum, Episcoporum & Abbatum nominationem, vacantibus Ecclesiis, ejus Majestati ac Successoribus, in perpetuum concessit. Pragmaticæ Sanctionis abolitioni Rex consensit, pactis cum Pontifice Concordatis, de quibus in Dissertatione de Concilio Lateranensi agemus. Nominationem tamen ad Prælaturas, Regi gratis omnino *Leo X.* non concessit, siquidem ab eo obtinuit, ut Annatæ non ex veteri censu qui longe minor erat, sed ex vero & novo solverentur.

Leo X. pacis inter Francorum Hispaniæ Reges sequester.

Ortis inter *Franciscum I. & Maximilianum* Cæsarem dissidiis componendis omnem adhibuit operam: Eumdem Christianissimum Regem inter & *Carolum* Hispaniæ, qui postea evectus ad Imperium est, pacem composuit anno 1516. ut ipsorum arma in Turcas converteret. *Franciscum Mariam Ruvereum*, Julii II. nepotem, ob vetera crimina, recentemque defectionem, *Urbani* Ducatu, Pisaurique & Senogalliæ Dominiis exuit, eisque Principatibus auxit *Laurentium Medicæum* nepotem, ut *Parisius de Grassis* in Diariis, & *Guicciardinus* lib. 12. testantur.

Soluto Lateranensi Concilio, Congregationem instituit, in qua de sacra in Turcas Expeditione urgenda & exequenda deliberaretur. Deliberationum Capita ad Principes missa, & eorum examini correctionique subjecta, legi possunt apud *Odoricum Raynaldum*, ad annum 1517. Num. 33. Justitiæ clementiæque laudem conjunxit *Leo X.* cum Cardinales quosdam in ipsius vitam conjuratos Insulis ac Beneficiis omnibus exuit, conjurationis caput *Alphonsum Petrucium* Cardinalem Senensem, Rerum Capitalium Judicibus tradidit, quorum Sententia in carcere strangulatus est: consciis vero criminis *Bandinello Saulio* & *Raphaeli Riario* pepercit, eosque in pristinam restituit Dignitatem. *Thomam de Vio* Cardinalem *Cajetanum* in Germania Legatum misit, cum ut *Maximilianum* Imperatorem, cæterosque Germaniæ Principes ad bellum sacrum suscipiendum urgeret, tum ut Bohemorum reliquias ab Hussitica Hæresi ad Catholicam Fidem, & Ecclesiæ Romanæ Communionem reduceret: tum etiam ut *Lutherum* novam hæresim spargentem coerceret. *Bernardo de Bibiena*, S. Mariæ in Porticu Diacono Cardinali Gallicam Legationem commisit, ejusque opera *Franciscum Primum* Regem Christianissimum ad suppetias Christianæ rei contra Turcarum Tyrannum ferendas hortatus est anno 1518. Magnos ad sacram Expeditionem animos Rex ostendit, multa pollicitus est; cui propterea Gallicanorum Sacerdotiorum decimas Pontifex attribuit. *S. Franciscum de Paula* sacri Minimorum Ordinis conditorem in Sanctorum numerum solemni ritu retulit anno 1519. prima die Maii. Diploma ea de re datum, quod incipit his verbis: *Excelsus Dominus*: habetur Tom. II. Bullarii Romani pag. 607.

Lutheri damnatio.

Lutheranorum errorum 41. Capita confixit 17. Kalendas Julii anno 1520. Lutheri Libros ac Scripta, in quibus illi continebantur damnavit ac flammis tradi jussit: Hæresiarchæ ac Sectatoribus peremptoriam diem dixit, qua nisi errores ejurarent, velut Hæretici ab omnibus Fidelibus haberentur atque vitarentur: Tandem Archiepiscopis, Episcopis, Principibus ac Magistratis dedit in mandatis, ut eos caperent, & ex Legum præscripto in ipsos agerent. Diploma Pontificium, quod incipit his verbis: *Exurge, Domine*, habetur Tom. 14. Conciliorum Labbeanæ Editionis pag. 390. & Tom. II. Bullarii, pag. 614. Elapso termino, *Lutherum* & ejus Sectatores Patronos ac Defensores quoscumque, & cujuscumque Dignitatis, Excommunicatione feriit, in pœnas in hæreticos inflictas ipsos incurrisse declaravit: omnibusque & singulis tum Parochialium Ecclesiarum Rectoribus, cum Religiosis quorumcumque Ordinum Professoribus dedit in mandatis, ut e sacro suggestu damnatos *Lutheri* Articulos refellerent. Diploma ea de re datum 3. Nonas Januarii anno 1521. quod incipit: *Decet Romanum Pontificem*: habetur Tom. II. Bullarii, pag. 618.

Varia Leonis X. Decreta ac gesta.

Caroli V. Regis Catholici electionem in Regem Romanorum approbavit, permisitque ut Neapolitanum Regnum cum Imperio retineret, quamvis olim ejusdem Regni Investituram ab Apostolica Sede suscipiens, Sacramentum de illis non conjungendis præstitisset. Pactiones de Regno Neapolitano inter *Leonem* & *Cæsarem* initas apud *Odoricum Raynaldum* legere est, ad annum 1521. Num. 81. & sequentibus. Dubia quædam circa Regulam Monialium *Sanctæ Claræ* declaravit, Diplomate quod incipit: *Cum sicut nobis*: dato die 29. Maii anni 1515. Constitutione edita die 14. Novembris anno 1517. quæ incipit: *Intelleximus*. Declaravit *Omnes Christi Fideles utriusque sexus, qui non contenti proprio Sacerdote Parochiali, in Ecclesiis Fratrum Ordinum Mendicantium Dominicis & Festis diebus Missas audiunt, satisfacere Præcepto Ecclesiæ de Missa audienda, nec in aliquam labem mortalis peccati, pœnamve incurrere*. Julii II. Constitutionem contra pugnantes duello confirmavit X Kalendas Augusti, anno 1519. Communicationem Privilegiorum omnium inter Ordines Mendicantium edixit Constitutione, *Dudum*, data X. Decembris ejusdem anni. Statuit ut quæcumque supplicationes, etiam motu proprio sub quibusvis datis in posterum signandæ, dispensationum retentionum quorumcumque Monasteriorum & Beneficiorum Regularium, & Sæcularium, & quarumcumque Pensionum, & similium Beneficiorum vacantium, & Pensionum translatarum per Promotiones & Commendas Consistoriales, nullius sint roboris, nec in aliquo eisdem personis provisis suffragentur; sed hujusmodi Monasteria & Beneficia impetrari possint, ac Pensiones cassatæ & extinctæ intelligantur, nisi in Literis Provisionis expressa fuerit dispensatio. Decretum istud motu proprio edidit *Leo Decimus* die tertia Januarii anno 1520. Archiconfraternitatem *Caritatis* ad pauperum mendicare erubescentium, & Incarceratorum subventionem, Mortuorumque sepulturam, a *Julio* S. Laurentii in Damaso Presbytero Card. S. R. E. Vicecancellario institutam approbavit

quin-

quinto Kal. Februarii, anno 1520. Monasterium pro mulieribus ab incontinentia & turpi quæstu conversis sub Regula *S. Augustini*, & *S. Mariæ Magdalenæ* patrocinio erexit, sub administratione Rectorum Sodalitii, seu Confraternitatis Charitatis: ac eidem Monasterio omnia ac singula bona Curialium Meretricum, ab intestato & absque condendi Testamenti facultate morientium attribuit Constitutione data 14. Kalendas Junii anni 1520. Tertiam Regulam *S. Francisci*, a Seraphico Patriarcha pro utriusque sexus Fidelibus in statu sæculari manentibus conditam, Fratribus & Sororibus Tertii Ordinis in communi sub trium Votorum Professione viventibus accommodavit, Constitutione data die 15. Februarii anni 1521. quæ incipit, *Inter cætera*. *Henricum VIII.* Angliæ Regem, ob egregium Librum contra *Martini Lutheri* Hæresim editum, illustri titulo *DEFENSORIS FIDEI* donavit, Diplomate dato quinto Idus Octobris ejusdem anni. Has Constitutiones & Diplomata legere est Tom. II. Bullarii. Cum ob Mediolanum Gallis a *Carolo V.* ereptum impotentius exultaret, apoplexia oppressus est die prima Decembris, anno 1521. ætatis 46. Pontificatus nono. Ingenii acie, sermonis elegantia, facilitate, prudentia, morum suavitate ac benignitate qua omnes excipiebat, patientia qua audiebat, magnanimitate & munificentia in viros præsertim eruditos, laudem, amoremque plurimorum promeritus est. In Sacerdotiis conferendis se integerrimum præstitit. Libellos ab aliquo e suis Cubiculariis oblatos, quibus indecorum aliquid poscebatur, interdum laceravit. Romanam Academiam instauravit conquisitis undique viris doctrina excultissimis. *Sancto Pagnino* Versionis Scripturæ Sacræ ex Hebræo Textu edendæ auctor fuit, sumptus ad tantum opus necessarios liberaliter subministravit, Religioso ac Erudito Interpreti gratulatus est. Venationibus, aucupiis, luxui, splendidissimis conviviis, musicæ magis deditus fuit, quam Pontificem deceret. Moribus alias castissimis, famaque intaminata fuit, quam nec *Lutherus* Ecclesiæ infensissimus hostis ab ipso damnatus, violare ausus est. Bis per hebdomadam jejunabat, quarta feria temperabat a carnibus, sexta in memoriam Christi patientis herba tantum ac legumine vescebatur. De ipso legendi *Cabrera*, *Paulus Jovius*, *Onuphrius Panvinius*, & *Ciaconius*.

Leonis X. Elogium.

II. Inter Cardinales adlegit *Laurentium Puccium*, Florentinum, Protonotarium Apostolicum & Datarium: *Julium Medicæum*, fratrem patruelem, Archiepiscopum Florentinum: *Bernardum Divitium*, Bibiena Florentinæ Diœceseos oppido oriundum, Ærarii Pontificii Præfectum: *Innocentium Cybo*, Genuensem, ex sorore nepotem: *Thomam Wolsæum*, Anglum, Eboracensem Archiepiscopum, & Regni sub Henrico VIII. Cancellarium. *Hadrianum Gouffier de Boisi*, Gallum, Albiensem Episcopum, Magnum Franciæ Eleemosynarium: *Antonium Bohierium*, ex Ordinis Benedictini Monacho & Abbate Fiscanensi, Bituricensem Archiepiscopum: *Guilielmum Crojum*, Belgam, Cameracensem Episcopum, deinde Toletani Archiepiscopatus Administratorem: *Franciscum de Comitibus*, Nobilem Romanum, Compsanum Archiepiscopum: *Joannem Piccolomineum*, Pii II. Nepotem, Senensem Archiepiscopum: *Joannem Dominicum de Cupis*, Romanum, Tranensem Archipræsulem: *Nicolaum Pandulchinum*, Florentinum, Pistoriensem Episcopum: *Raphaelem Petruccium*, Senensem, Crossetanum Episcopum, Arcisque S. Angeli Præfectum: *Andream de Valle*, Romanum, Cancellariæ Apostolicæ Regentem, & Episcopum Militensem in Calabria: *Bonifacium Ferrerium*, Vercellensem Episcopum: *Joannem Baptistam Palavicinum*, Genuensem, Cavallicensem Episcopum: *Pompejum Columna*, Nobilem Romanum, Reatinum Episcopum, & Bononiæ Prolegatum, deinde Montis Regalis Archipræsulem: *Scaramutiam Trivultium*, Mediolanensem, Juris in Ticicensi Gymnasio quondam Professorem doctissimum, Comensem Episcopum: *Dominicum Jacobatium*, Patritium Romanum, pietate & Juris utriusque scientia spectatissimum, ex Rotæ Auditore Lucerinum Episcopum, qui de Concilii & Summi Pontificis auctoritate scripsit: *Laurentium Campegium*, Bononiensem, Juris peritissimum, ex Rotæ Auditore Feltrensem Episcopum, apud *Maximilianum* Imperatorem Nuntium Apostolicum: *Ludovicum Borbonium*, Regiæ Francorum stirpis Principem, Laudunensem Episcopum, Senonensem deinde Archipræsulem, Sorbonæ Provisorem: *Hadrianum Florentinum*, Belgam, Theologum Lovaniensem, Caroli V. Imperatoris, & Hispaniæ Regis Præceptorem, Dertusensem Episcopum: *Aloysium Rossum*, Florentinum, affinem Medicææ genti, Protonotarium Apostolicum. *Franciscum Armellinum*, Perusinum, Cameræ Clericum, *Medicæo* nomine & insignibus ab ipso *Leone* donatum: *Thomam de Vio Cajetanum*, Ordinis FF. Prædicatorum, virum pietate, doctrina, operibus celeberrimum, qui Legatione Apostolica in Germania ad coercendum *Lutherum*, nascentemque hæresim profligandam functus est: *Christophorum Numalium*, Ordinis Minorum Ministrum Generalem: *Ægidium Viterbiensem*, Ordinis Eremitarum *S. Augustini* Moderatorem supremum, virum doctissimum, qui multa ingenii sui ac eruditionis argumenta reliquit, & inter alia Historiam viginti sæculorum, quam ex MS. Angelicæ Bibliothecæ *S. Augustini* sæpe laudat *Odoricus Raynaldus*: *Guillelmum Raymundum de Vich*, Hispanum, Protonotarium Apostolicum: *Sylvium Passerinum*, Italum patria Cortonensem, Datarium: *Franciscum Ursinum*, Nobilem Romanum, affinem suum: *Paulum Æmilium Cæsium*, Romanum, Juris peritissimum, Cancellariæ Apostolicæ Regentem: *Alexandrum Cæsarinum*, Romanum, virum ingenio clarum, Juris & Sacrarum Literarum scientia conspicuum: *Joannem Salviatum*, Florentinum, ex sorore Nepotem; *Nicolaum Rodulphum*, familiarem suum, & Cubiculariorum Principem: *Augustinum Trivultium*, Patritium Mediolanensem, qui Romanorum Pontificum & Cardinalium Historiam scripsit, quam laudat *Onuphrius Panvinius*: *Franciscum Pisanum*, Nobilem Venetum, Narbonensem postmodum Archiepiscopum; *Alphonsum*, Lusitaniæ Infantem: *Albertum*, Joannis Marchionis Brandeburgensis filium, Magdeburgensem, ac Moguntinum Archiepiscopum: *Joannem a Lotharingia* Principem, Coadjutorem Metensem: *Herardum a Marcka*, Leodiensem Episcopum.

Leonis X. Cardinales.

III. Præter eos quos leviter perstrinximus *Leonis X.* nævos, vitio ipsi vertitur quod majori cura foveret ac promoveret viros humanioribus literis excultos, quam Theologos, magisque Poetica quam Ecclesiæ Historia ac Patrum doctrina delectaretur. Ac utriusque noxæ pœnas ipsum exolvisse *Palavicinus* observat. Si namque Theologis assuevisset, cautius in distributione Indulgentiarum eorum consilio se gessisset; & nisi virorum Ecclesiastica eruditione præstantium copia ipsi defuisset, eorum forte Scriptis nascentem *Lutheri* hæresim oppressisset. Profusas illas Indulgentias concessit causa colligendæ per eleemosynas pecuniæ, ut opus Vaticanæ Basilicæ a *Julio Secundo* inceptum perficeret. *Leonem X.* accusant *Guicciardinus*, & *Petrus Suavis Polanus*, in Historia Tridentini Concilii, quod pecunias ex Indulgentiis collectas in Saxonia, finitimisque regionibus, *Magdalenæ* sorori suæ dono dederit. Id tamen falsi suspicione non caret, cum in Vaticano Tabulario & Cameræ Apostolicæ libris, nulla hujusmodi concessionis mentio habeatur, teste *Felice Contelore*, ejusdem Tabularii Custode ac diligentissimo Scrutatore. Præterea *Leonis* excelsus animus operisque magnificentia persuadent, pias illas Fidelium collationes, longeque majores opes in illius Ædificii fabrica fuisse absorptas. Eumdem Pontificem accusant; quod hunc Indulgentiarum proventum privatis quibusdam divendiderit, ut Principes in vectigalibus constituendis facere solent. Atque id turpem faciem præ se tulisse fatetur *Palavicinus*, adeo ut satius fuisset quodcumque incommodum devorari quam hoc scandalum vel activum vel passivum Christianis populis afferri. At vix aliam iniri potuisse rationem, subdit, nec in cujusquam detrimentum id cessisse, cum voluntaria collatio esset ex Indulgentiis proveniens.

Leonis X. Nævi.

Palavicin. in Histor. Concil. Trident. lib. 1. c. 2.

Cap. 3. Lib. 3.

Calumniatur *Suavis* cum Indulgentiarum promulgationem fuisse demandatam ait Dominicanis, non Eremitis *S. Augustini*, ut mos erat, quo quid auctius exprimeretur. Falsum imprimis est quod Augustinianis hoc munus injungi consuevisset. Id enim *Julius II.* Minoribus imposuerat. Id Ministro Generali Minorum una cum Archiepiscopo Moguntino commiserat *Leo* in pluribus Germaniæ locis, Diplomate dato die ultima Martii, anni 1515. Equites Teutonici FF. Prædicatores elegerant ad promulgandas similes quasdam Indulgentias, ipsis ab eodem Pontifice in subsidium adversus Turcam collatas. Præterea *Leo* FF. Prædicatoribus hanc provinciam non demandaverat, sed *Alberto* Archiepiscopo Septemviro Moguntino, e Brandeburgensi familia, viro tunc in Germania præstantissimo. Hic vero Indulgentias promulgandas dedit *Joanni Tetzelio* Quæsitori Fidei, ex Ordine prædicatorum doctissimo viro, & Concionatori ferventissimo, qui pro Teutonicis Equitibus simili promulgatione antea functus fuerat,

P. Suavis Polanus refellitur

SCHOLION.

In hoc Articulo pag. 145. hanc Propositionem Religiosi Censores reprehendunt: *Si Leo X. Theologis assuevisset, cautius in distributione Indulgentiarum eorum consilio se gessisset.*

R. Verba sunt Palavicini lib. 1. Historiæ Concilii Tridentini, cap. 2. pag. 8.

Nota.

FAcile erit sub eruditorum oculos hæreticorum libros occurrere, ubi calumniis, injuriis, ac maledictis in Leonem V. insurgunt, hujus Pontificis vitam infamia aspergere enitentium, quia omnem operam industriamque contulit ut nascentem Lutheri hæresim in cunis ipsis suffocaret. Ad ipsorum calumnias contumeliasque retundendas, sufficit illis opponere Desiderium Erasmum Heterodoxis non invisum, & quem ab adulationis vitio procul fuisse omnes norunt. Hic igitur variis in Epistolis Leonem laudando mitissimo ingenio ac eximiis moribus ornatum prædicat, adeo ut pietate, integritate, benignitate, boni pastoris vigilantia, ac concrediti gregis procurando salutem Christum ipsum referret. Non silet quale illius fuerit in bonas artes literasque studium, in viros eruditos munificentia, in pace excolenda solicitudo, in utraque fortuna seu moderatio, seu constantia. Legesis ipsius Epistolas 144. 272. 453. 529. in editione illius Operum Lugduni Batavorum adornata, aliasque quibus ad varios amicos scribendo Leonem debitis laudibus non fraudat.

ARTICULUS XIV.

DE ADRIANO VI.

I. ADrianus, Batavus; Trajecti, quæ Urbs uni ex fœderatis Hollandiæ Provinciis nomen facit, patre *Florentino* aulæorum textore, seu ut alii volunt, cervisiæ coctore natus, in Lovaniensi *Portiorum* Collegio cum pauperibus Scholasticis gratis educatus, & optimis artibus institutus est. Theologicam Lauream in Academia Lovaniensi consecutus, cujusdam in Batavia Parochiæ administrationem, opera *Margaritæ*, Maximiliani Cæsaris filiæ, quæ tum Belgia imperabat, obtinuit. Deinde munus Cancellarii in celebri illa Universitate ipsi delatum est. Porro cum in Belgio, ubi natus erat *Carolus Austriacus*, Philippi I. Castellæ Regis filius, educaretur, ac patre defuncto *Maximiliani Augusti* Avi sui curæ relictus esset, *Adrianum* ipsi Præceptorem dedit *Maximilianus*. A *Carolo* minus ad studia propenso in Hispaniam ad *Ferdinandum* Regem Catholicum Orator missus, illi sibique ita conciliavit senioris Regis, cujus in Regna successurus erat, animum ob suspiciones quasdam subalienatum, ut Episcopatu Dertusensi ab ipso ornatus fuerit. Post hæc a *Leone X.* in Collegium Cardinalium commendatione Imperatoris, & ob egregia merita adlectus, cum *Carolus V. Ferdinando* in Regna successisset, ac paulo post ad Imperii coronam capessendam vocatus, in Germaniam proficisci decrevisset, *Adrianum* Regni Procuratorem creavit. Defuncto *Leone X.* Julii Medicæi Cardinalis studiis, & *Thomæ de Vio Cajetani* auctoritate, summo totius Collegii consensu, absens licet, paucisque Patrum ex facie notus, divino Consilio Pontifex electus est, retentoque nomine, *Adrianus Sextus* appellari voluit. Quamvis *Carolo Quinto* multis nominibus obstrictus, communem se parentem Principibus omnibus præstitit, ipsum inter & *Franciscum I.* Francorum Regem pacem conciliare studuit: Christianissimo Regi benevolentissimam explicuit voluntatem, Romam appulsus, ad componendam Aulam statim animum adjecit. Indulta Cardinalium, Reservationes, & Gratias Expectativas a die notitiæ Electionis suæ revocatas declaravit, deque illa revocatione inter alias Cancellariæ Sanctiones, Regulam edidit ac promulgavit, ad Curiæ reformationem viros doctrina, pietate, industria eximios accersivit. Ex eorum consilio modum adhibuit quæstuosæ in concedendis Indulgentiis ac Dispensationibus liberalitati. Nova Officia super ordinatiis Apostolicæ Cameræ proventibus a *Leone X.* instituta, ex quibus pretio datis plurimum emolumenti ejus ærario accesserat, paulatim abolebat; vacantia nulli pretio dabat, etiamsi ærarium Pontificium exhaustum esset.

II. Multos invenit obices perficiendæ Reformationis, quam ad Lutheranam Hæresim evertendam plurimum profuturam, immo necessariam noverat. *Ludovico* Hungariæ Regi suppetiæ adversus Turcarum impetum ferendæ Hierosolymitanis Equitibus in Insula Rhodo, a *Solimano* obsessis auxilia mittenda, vindicandum Ariminum a *Malatestis* subreptum. Ad hæc pestis gravissima justitium indixit. Immensis sumptibus in tanta rerum necessitate faciendis, nec parsimonia quam erga se adhibuit *Adrianus*, nec plenissima carnis & sanguinis oblivio suffecere. Ideoque illi necesse fuit severioribus modis pecuniam parare, quæ res apud populum avaritiæ illi opinionem, immerito licet, peperit. Invidiam auxit credita Belgis dumtaxat rerum administratio, cum Italorum artibus diffideret. *Franciscum Soderinum* Cardinalem, quicum arcana rerum communicare liberali fiducia solitus erat ceu ambiguæ fidei virum, propriis literis, arbitrariis notis conscriptis, convictum carceri tradidit. *Bernardino Carvajali*, & *Nicolao Flisco* Cardinalibus, cum forte quererentur, quod eos in consilium superiorum Pontificum more non adhiberet, respondit: Nemini vel Cardinali se temere credere, quod absque Reipublicæ periculo credere non posset.

Adriani VI. Mandata Francisco Cheregato in Germania Nuncio data.

III. *Franciscum Cheregatum* Episcopum Aprutinum, ad Conventum Norimbergæ, absente Imperatore coactum, Nuncium destinavit. Duo potissimum ipsi injuncta: Hungariæ a Turcarum incursibus defensio, & Germaniæ a Lutherana lue curatio. Ex mandatis illi datis intelligimus, quanta esset *Adriani* sinceritas, quantum restaurandæ disciplinæ studium Hæresim propter peccata populi dissolutosque Cleri mores ortam fatetur, se a Romana Curia reliqui Ordinis Ecclesiastici emendationem inchoaturum promittit, eo se consilio Pontificatum suscepisse declarat; Beneficia in Germania vacantia probis doctisque, & nihilominus tenuioris fortunæ viris distribuere statuit. Religiosissimi Pontificis verba temperare mihi non possum quin describam.

Apud Odoricum Rayn. Tom. 1. Annal. Ecclesiast. an. 1522. Num. 68.

Item dices, Nos ingenue fateri, quod Deus hanc persecutionem Ecclesiæ suæ inferre permittit propter peccata hominum, maxime Sacerdotum & Ecclesiæ Prælatorum. Clamant Scripturæ peccata populi derivari a peccatis Sacerdotum: propterea que (ut ait Chrysostomus) Salvator noster curaturus infirmam civitatem Jerusalem, ingressus est prius Templum, ut peccata Sacerdotum primo castigaret, instar boni Medici, qui morbum a radice curat. Scimus in hac Sancta Sede aliquot jam annis multa abominanda fuisse, abusus in spiritualibus, excessus in Mandatis, & omnia denique in perversum mutata: nec mirum si ægritudo a capite in membra, a Summis Pontificibus in alios inferiores Prælatos descenderit. Omnes nos (id est, Prælati & Ecclesiastici) declinavimus unusquisque in vias suas, nec fuit jam diu qui faceret bonum, non fuit usque ad unum. Quamobrem necesse est, ut omnes demus gloriam Deo, & humiliemus animas nostras ei, videatque unusquisque nostrum unde ciciderit, & se potius quilibet judicet, quam a Deo in virga furoris sui judicari velit. Qua in re quod attinet polliceberis nos omnem curam adhibituros, ut primum Curia hæc unde forte omne hoc malum processit, reformetur, ut sicut inde corruptio in omnes inferiores emanavit; ita etiam ab eadem sanitas & reformatio omnium emanet. Ad quod procurandum nos tanto arctius obligatos reputamus, quanto universum mundum avidius hujusmodi reformationem desiderare videmus. Nos uti alias tibi dixisse credimus, Pontificatum hunc numquam ambivimus, immo, quantum in nobis fuit, longe maluissemus privatam vitam agere, & in sancto otio Deo servire. Et profecto Pontificatum ipsum plane recusassemus, nisi Dei timor & sinceritas electionis nostræ modus, nec-non schismatis ex recusatione nostra imminentis metus nos acceptare illum coegisset. Subjicimus igitur colla summæ dignitati, non ob dominandi libidinem, neque ad ditandos propinquos nostros, sed ad divinæ voluntati parendum, ad deformatam ejus sponsam Ecclesiam Catholicam reformandam, ad subveniendum oppressis, & doctos & virtute præditos, qui multo jam tempore neglecti jacuerant, erigendum & ornandum; & denique ad omnia illa agendum, quæ bonum Pontificem & legitimum Beati Petri Successorem agere oportet. Quamquam nemo mirari debebit, si non statim omnia errata & abusus omnes per nos emendatos viderit. Inveteratus nimium morbus est; nec simplex, sed varius & multiplex, pedetentim in ejus cura procedendum est, & prius gravioribus magisque periculosis occurrendum, ne omnia pariter reformari volentes, omnia perturbemus. „ Omnea

„ subi-

„ subitæ mutationes (*inquit Aristoteles*) in Republica periculosæ sunt: & qui nimis emungit, elicit „ sanguinem.

Et infra: *Item quia intelleximus in Germania esse multos bonos & doctos viros pauperes, aliqua etiam præclara ingenia quæ ex indignitate Apostolicarum provisionum Histrionibus & Stabulariis, potius quam viris doctis fieri solitarum, a Sedis hujus devotione aversa; cupimus ut inquiras quinam illi sint, eorumque nomina ad nos transmittas, ut occurrente Beneficiorum Germanicorum vacatione, illos proprio motu providere possimus. Scimus enim quantum Dei honori & animarum saluti, ac ædificationi obfuerit, quod jam diu Beneficia Ecclesiastica data fuerunt hominibus indignis.*

Responsa Principum Germaniæ.

Pontificis Mandatis Conventus Nurimbergensis respondit. Moram in Pontificio Diplomate, Edictoque Cæsareo exequendis Principes excusarunt. Promissionem Pontificis de observandis *Concordatis Germaniæ* laudarunt, rogarunt ejus Sanctitatem ut postulationibus sæcularium Principum separato Libello ad eum mittendis satisfaceret. De Annatis expostularunt, ut a Cæsareo Fisco, non a Romano Pontifice deinceps exigerentur, quandoquidem earum exactioni ad tempus sub conditione consenserant Germani, dummodo in bella contra Turcas pecunia impenderetur, quod neutiquam præstitum fuerat. Cum vero ipsorum consilia Pontifex exposceret, quibus *Lutherus* ejusque Sectatores comprimerentur, responderant; Concilium intra annum a Summo Pontifice de consensu Cæsaris congregandum videri in aliqua Germaniæ urbe: in quo Concilio, amoto quovis obice obligationis jurisjurandi, libere quisque sententiam diceret de mediis ad sananda vel avertenda Christianæ Reipublicæ mala conducibilibus & opportunis. Interim se daturos operam, ut Saxoniæ Dux, in cujus ditionem *Lutherus*, ejusque nonnulli Asseclæ se receperant, eos quidquam scribere vel typis edere prohiberet. Comitiorum quoque Principes curaturos, ut ea tempestate in Concionibus purum Evangelium pie placideque prædicaretur, & Sacra Scriptura secundum interpretationem ab Ecclesia receptam & approbatam, subtilioribus quibuscumque, quæ populi captum superarent, prætermissis, explicaretur. Ad hæc, aliaque Conventus Responsa, nonnulla reposuit Apostolicus Nuncius, effecitque ut in Edicto, quod Nomine Cæsaris die sexta Martii anno 1523. editum est, illa temperarentur, vel omitterentur, quibus coarctari Summi Pontificis auctoritas, vel Ecclesiastica Jurisdictio imminui visa esset. Post Nuncii discessum conscriptus mandato Principum Libellus, & ad Pontificem missus hoc titolo: *Centum Gravamina Sedis Apostolicæ non ferenda Germanis*. Editus est apud *Goldastum* Tom. 1. Constitutionum Imperialium pag. 456. Lutherano veneno afflatos fuisse, qui illa Gravaminum capita scripserunt atque vulgarunt, ex lectione compertum est. Nuncii Apostolici conatus a *Friderico* Saxoniæ Duce elusi; quem Pontifex gravissimis Literis monuit ut Luthero favere desineret. Extant apud *Odoricum Raynaldum* ad annum 1522. Num. 73. & Tom. 11. Bullarii Romani.

Apud Goldastum Tom. 1. Constitutionum Imperialium, Pag. 452. & 453. Et apud Odoricum Raynaldum ad an. 1523.

Adrianus Sextus in Beneficiorum & dignitatum Ecclesiasticarum distributione nihil carni & sanguini concessit.

II. Naturæ necessitudini in Beneficiorum & Dignitatum Ecclesiasticarum distributione nihil usquam *Adrianus VI.* concessit, ne Sion in sanguinibus ædificaret. Cognatum quemdam suum in Lovaniensi Academia stadium Theologicum decurrentem, ingenioque, doctrina, & morum integritate maxime jam commendatum, rogantibus Germaniæ Proceribus Cardinalitiis Infulis ornare noluit. Patruelis sui filium Senis in Gymnasio studentem, quod Romam non vocatus venisset, statim equo meritorio impositam remisit, de animi levitate increpitum. Alios non remoto affinitatis gradu necessarios, qui spe celsioris fortunæ e Germania pedibus Romam venerant, verbis severioribus excepit, singulosque sagis laneis & frugi viatico donatos, pedibus in patriam redire jussit. Cum in Nepotem Beneficium annui census septuaginta Ducalium aureorum contulisset; illeque paulo post aliud pinguius; quod ad centum aureos ascendebat, postulasset, illum acerbissimis verbis corripuit, præcepitque ut cupiditati modum poneret: Prius enim Beneficium illius sustentationi sufficere; ac demum multorum precibus permotus assensit, ut posterius Sacerdotium opulentius consequeretur ea lege, ut priore se abdicaret: Neque enim pati velle ut quisquam duo Beneficia, quibus animarum cura demandata est, conjuncta gerat, sæpiusque id adagium in ore habebat: *Ecclesias Sacerdotibus, non Sacerdotes Ecclesiis ornare se velle.* Ita refert *Hieronymus Niger*, qui tum vivebat. In atrocissimæ pestilentiæ vastitate, quæ tum Romæ omnia depascebatur, in Urbe mansit impavidus. Quotidie Sacris operabatur. In mensa, frugalissima illa quidem, Sacram Lectionem semper audiebat. *Antoninum* Florentinum Archiepiscopum, ex Ordine Dominicano assumptum, & *Bennonem* Misnensem Episcopum, Sanctorum Catalogo adscripsit, ultima die Maii, anno 1523. Regibus Hispaniæ potestatem fecit nominandi Episcopos, Diplomate dato 8. Idus Septembris ejusdem anni. Dedit etiam ut trium Militarium Ordinum Præfectura, *S. Jacobi*, *Calatravæ*, & *Alcantaræ*, ab aliis Pontificibus ad tempus collata, deinceps Castellæ Regibus propria perpetuaque esset. In conficiendis negotiis aliquanto lentior timidiorque erat. Unde illa in eum *Hieronymi Baldi* Hungari libertas, qui a *Ferdinando* Cæsaris Fratre missus Orator, cum Lutheranis coercendis, Turcisque propellendis auxilium imploraret, & ille cunctantius perplexiusque in re petita ageret: *Sanctissime Pater* (inquit) *Fabius Maximus cunctando rem Romanam restituit, tu cunctando rem Romanam, atque adeo universam Europam perditurus videris.* Cardinalem creavit unicum *VVillelmum Enckenvoirtium* Brabantinum Dertusensem Episcopum & Datarium.

Jus nominandi Episcopos Regi

Canonizationes tribuit 2 Adrianus Sextus.

Adriani segnis cunctatio.

V. Obiit Religiosissimus Pontifex, sive ex renum dolore, quo multis diebus laboravit, sive ex veneno, ut suspicio fuit, mœrentibus bonis, exultantibus Aulicis, quibus ob severitatem & parsimoniam invisus erat, 18. Kalendas Octobris, anno ætatis sexagesimo quinto, cum annum unum, menses octo, & dies sex Ecclesiam rexisset. Ipsi in Vaticano sepulto Epitaphium istud positum est: *Adrianus Sextus hic situs est, qui nihil sibi infelicius in vita duxit, quam quod imperaret.* Ejus corpus postea translatum est ad Ecclesiam *S. Mariæ de Anima*, & magnificentiori tumulo conditum, curante Cardinali *Enckenvoirtio*. Ejus Vitam scripsit *Paulus Jovius*, ex cujus, & *Onuphrii Panvini* Commentariis, nec-non ex *Adriani Sexti* Itinerario hæc delibavi, per *Blasium Ortizium* in Decretis Doctorem, Canonicum Toletanum, ac Generalem Vicarium, ejusdemque Pontificis Domesticum scripto, quod Vir Clarissimus *Stephanus Balazius* ex veteri Codice MS. Navarrici Collegii publici juris fecit, Lib. 3. *Miscellaneorum*.

Obitus.

Epitaphium.

VI. Vivens mortuusque calumniam passus est *Adrianus Sextus*, teste *Ortizio* Cap. 40. *Heu* (inquit) *miseram temporis calamitatem! Antequam fastigium Pontificatus adipisceretur, erat exemplar virtutum: in Pontificatu vero non defuerunt detractores, critici & blaterones, qui illi detraherent. Post obitum vero a malevolis quasi vas contumeliæ fuit reputatus. Deus tamen qui cuncta per veras causas agnoscit, aliterque homines judicat, qui bene noverat mentem & opera piissimi Papæ, quem neque magnitudo status movit ut vitam mutaret, immo eadem frugalitas, eadem continentia, par in sacris eloquiis enucleandis ardor & studium, sibique per omnia similis in cultu & parsimonia, æqualis in omnes mansuetudine usus, nulli servivit desidiæ, nulli denique fuit perturbationi apud eum locus. Neque minus clementer ac leniter, ubi res postulabat, vel severe & rigide & dixit & fecit omnia, ut forsan clementior fuerit natura, quam Regnorum Gubernatores decet. Audacter fortissis asserere possem, ut domesticus testis, quod neque vidi, neque persensi, quamdiu in ejus obsequio & ministerio permansi, quidquam sinistrum aut minus grave in dictis aut factis; immo quasi speculum cunctarum virtutum, antequam Urbem ingrederetur, ut cuncti noverunt. Cujus orationi studium vehemens succedebat. Et studium interdum oratio interpellabat, ita ut ea solum tempora, quæ naturæ necessitas exigit, victui & quieti concederet, cætera omnia officiis divinis ac humanis ita distribuens, ut humani generis adversario nullum locum vacuum relinqueret. At quid moror in illius præconiis enarrandis, cum esset vir ex omni parte irreprehensibilis?*

Adriani Sexti elogium.

VII. Plerisque non satis æquum videtur quod de tanto Pontifice judicium tulit *Palavicinus* in Historia Concilii Tridentini, libro 2. cap. 9. *Fuit sane optimus Sacerdos*, inquit, *sed Pontifex revera mediocris: apud populum vero res ex eventu metientem, infra mediocrem, ob temporum iniquitatem. A Vaticanis Senatoribus supra meritum æque æstimatus, cum evexerunt ad Solium; ac supra noxam Aula invisus, cum in eo regnavit; ac supra veram incusatus, cum inde moriens descendit. Parsimonia ad Reipublicæ commodum adhibita, infamiam illi peperit, tamquam aurum avare cumulanti. Sed ab ea infamia eumdem liberavit in ejus obitu ipsa Quæstorum manus quæ ne tria quidem scutorum millia ex ipsius arca numeravit.* Quod *Adrianum VI. Pontificem revera mediocrem*, Palavicinus dixerit, viris

Adrianum Sextum mediocrem Pontificem falso vocat Palavicinus.

viris plerisque sapientissimis jure merito displicuit ac displicet, cum Pontificiis virtutibus in gradu heroico fulserit, fueritque sanctimonia, doctrina, Christiana prudentia & omnibus ad Ecclesiam sancte regendam necessariis dotibus clarissimus; etsi defuerit illi sæcularis illa Politica, dissimulandi, & fallendi artifex, & ambitio studiumque dominationem promovendi ultra fines Canonibus totius mundi reverentia consecratis præscriptos; quæ sane non modo mediocrem, sed pessimum Pontificem fecisset. Iniquum illud & imprudens *Palavicini* de *Adriano VI.* Judicium perstringit ac tesellit Vir Eruditus *Joannes Launojus* Theologus Parisiensis in Epistola ad *Henricum Barillonium* nunc Illustrissimum & Meritissimum Lucionensium Episcopum, P. IV. Epistolarum, ac prioris ævi Pontificibus coæquandum *Adrianum VI.* probat.

SCHOLION.

Ad hunc Articulum Religiosi Censores hanc notam apposuerunt, p. 157. *Lege quæ dicit de Adriano Sexto.*

R. Nil de *Adriano Sexto* scripsi, quod ad illius commendationem non pertineat. Minus æquum *Palavicini* de illo judicium non potui quin reprehenderem, Libro 2. cap. 9. de illo scribentis: *Fuit sane optimus Sacerdos, sed Pontifex revera mediocris: apud populum vero res ex eventu metiemtem, infra mediocrem.*

Nota,

ADrianum Sextum Papam fallibilem credidisse, ex eo quidam colligunt, quia cum esset Doctor Lovaniensis docuit *in 4. Sent. q. de Confirm. 9.* posse Pontificem hæresim *per suam determinationem, aut decretalem* asserere; neque hanc sententiam expugnandam curasse, quando jam Pontifex factus sua Commentaria edita voluit, Sed observandum cum Sapientissimo Cano *de Loc. Theolog. l. 6. c. 8.* etiam Innocentium IV. Commentaria in primum librum Decretalium edidisse, in quibus tamen si quid errari legeretur, non Pontifici ut definienti, sed ut privatæ personæ esset adscribendum; idem proinde sentiendum est de Adriano quod jam docuerat publicante. Illud insuper animadvertunt, jam etiam in Schola Lovaniensi docuisse, non potuisse S. Gregorium simplicibus Sacerdotibus Siculis concedere, ut Confirmationis Sacramentum conferrent, quam tamen opinionem in Pontificatu dimisit; cum eamdem potestatem ipse concesserit iis, qui ad convertendos infideles mittebantur. Idem proinde credendum est ab ipso præstandum fuisse, si quæ Lovanii docuit de Pontificis fallibilitate, novo examine introspexisset.

ARTICULUS XV.

DE CLEMENTE VII.

I. ADriano VI. post longa Comitiorum dissidia, summo Cardinalium consensu suffectus est *Julius Medicæus* Leonis X. patruelis, S. Laurentii in Damaso Cardinalis Presbyter, & Romanæ Ecclesiæ Vicecancellarius decimo tertio Kalendas Decembris, anno 1523. & *Clemens* VII. appellari voluit, nulla ejus habita ratione qui Avenione tempore Schismatis contra *Urbanum* VI. sederat. Anno sequenti ad Comitia Norimbergensia Legatum misit Cardinalem *Campegium*, Bononiensem Episcopum, qui Germaniæ Principes ad Catholicam Fidem retinendam, ad *Lutheri* Sectam opprimendam hortaretur, Religionis unitatem defenderet, postulata Principum in Libello *Centum Gravaminum* iniqua esse ostenderet; eorumque impetrationem frustra sperari quoad singula capita: Sedem tamen Apostolicam paratam esse ex honesti ac decori præscripto corrigere, immutare, minuere, restaurare quidquid prudentia postularet. Nulla soliciti Pastoris officia prætermisit Clemens, ut Lutheranæ hæreseos progressum impediret, qua Epistolis, qua Nuntiis Reges Academiasque urgens, ut ad immane incendium extinguendum operam omnem, hæ doctrina, illi salutaribus Edictis conferrent.

Legatus in Germaniam missus.

II. Gravissimis offensionibus inter *Clementem* II. & *Carolum* V. Cæsarem ortis, *Clemens* cum Gallis fœdus pepigit. Victoria deinde ad Ticinum a Cæsare reportata, captoque *Francisco* Rege Christianissimo, Cæsarianorum in Ditionem Pontificiam incursione ac prædationibus ad novum fœdus cum *Carolo* sanciendum compulsus est, anno 1525. Anno sequenti, cum *Franciscus I.* duris & iniquis conditionibus, utpote per vim a Rege captivo extortis, libertati restitutus esset, Pontifex ipsum a Sacramento Pactionis exsolvit, ab ea servanda dehortatus. Mox adversus Cæsarem fœdus sanxit cum Regibus Galliæ atque Angliæ, cum Venetis, cum Helvetiis & Florentinis, ad *Franciscum Sfortiam* Mediolanensem Ducem liberandum, redintegrandumque, a Cæsarianis in Arce Mediolanensi circumsessum, & perduellionis nomine a Cæsare Principatu exutum, nec-non ad alia perficienda, communi utilitati atque indemnitati opportuna; aditu etiam ad societatem fœderis Cæsari relicto; si eisdem conditionibus subscribere vellet. Cæsarei, *Hugone Moncada* Neapolis Prorege, & *Carolo Borbonio* Ducibus, *Columnis* ferentibus suppetias, Romam usque penetrarunt, Urbem expugnarunt ac diripuerunt, Pontificem in Arce Ælia, in quam confugerat, sub gravissima custodia detinuerunt. Periit in ipso Urbis ingressu Dux *Borbonius*, in Regem Christianissimum perduellis, in Romanum Pontificem impius, plumbeo globo minoris tormenti ictus. *Clemens* deditionem fecit *Philiberto* Arausicano Principi, qui *Borbonio* in Exercitus Imperium successerat, gravissimis conditionibus, ut scilicet quadringenta aureorum millia numeraret, quinque præcipuas Ecclesiasticæ Ditionis Arces una cum Ælia seu *S. Angeli*, ac Placentinam, Parmam, Mutinam civitates, Cæsaris potestati, quamdiu ei libitum foret, retinendas permitteret; Ipse cum tredecim Cardinalibus, quos secum habebat, donec pars pecuniæ soluta fuisset, in Arce captivus maneret, deinde Neapolim aut Cajetam iret, expectaturus quid Cæsar de ipso decerneret; Obsides Exercitui pro reliqua pecunia darentur: *Columnæ* Sacris & Dignitatibus Pontificia Sententia privati, restituerentur in integrum. Octo mensibus captivus *Clemens* fuit, cum interim *Carolus Quintus* dolorem de ipsius captivitate, ac Urbis direptione simularet, festiva Aulæ specie ob natum filium in vestes lugubres ob captivum Pontificem, quod tamen ipsi gratissimum acciderat, commutata. Ad eas angustias redactus est Pontifex, ut cum promissæ pecuniæ solvendæ non satis esset, Cardinales aliquot, partem collaturos, creare compulsus fuerit; ad reliquam, decimas in Regno Neapolitano indicere, Ecclesiæ bona alienare, sacra vasa conflare. Die 26. Novembris anni 1527. Pactiones cum Cæsareis composuit *Clemens*. Dies nona Decembris ejus liberationi condicta; sed Hispanorum, & *Hugonis Moncadæ* præsertim insidias veritus, mercatoris cultu e custodia evasit. In libertatem assertus, Francorum & Angliæ Regibus, necnon *Lautrechio* Gallici exercitus in Italia Duci, qui pro ejus liberatione arma contra Cæsarem commoverat, honorificis officiosisque literis gratias egit, quas apud *Odericum Raynaldum*, ad hunc annum, Num. 43. legere est. De hisce dissidiis, bellis, pactionibus, pluribus agunt *Guicciardinus & Paulus Jovius*, & ex recentioribus, Cardinalis *Palavicinus* lib. 11. Historiæ Concilii Tridentini, cap. 13. & 14. Amicitiam cum Cæsare ex tantis inimicitiis *Clemens* revocavit, eique solemni ritu Imperii Coronam imposuit Bononiæ anno 1530.

Clementis VII. cum Carolo V. Imperatore dissidium.

Clementis VII. captivitas.

Graves pacis cum Cæsareis conditiones.

III. Sub id tempus *Henricus* VIII. Angliæ Rex, *Thomæ Volsæi* Cardinalis Archiepiscopi Eboracensis, & Regni Cancellarii consiliis impulsus, & perditis in *Annam Bolenam* amoribus incitatus, contractum olim matrimonium cum *Catharina* Ferdinandi & Isabellæ Regum Catholicorum filia & sorore natu minore *Joannæ* Caroli V. Matris, a Summo Pontifice irritum declarari rogavit, causamque in Anglia committi duobus Legatis Pontificiis, Cardinali videlicet Eboracensi, & Cardinali *Campeggio*. Nupserat prius *Catharina* Arcturo Principi Henrici fratri natu majori: eo vero intra paucos menses extincto, ipsi *Henrico* tradita fuerat in Matrimonium, *Julio* II. Pontifice Maximo Legis Ecclesiasticæ connubium inter affines, in eo præsertim gradu jungi prohibentis, solutionem concedente. Dubitatum fuerat an per Summum Pontificem id liceret; cum Divina Lege cautum sit in Levitico, ne frater alterius Fratris turpitudinem revelet, & *Joannes Baptista* Herodem corripuerit ob injunctam sui fratris uxorem. Responsum fuerat, quod etsi maritalis conjunctio inter *Arcturum* & *Catharinam* intercessisset, quod illa pernegabat, Levitici prohibitio in eam sententiam trahi non poterat, cum in Deuteronomio jubeatur frater excitare semen fratris absque liberis demortui. Præterea, utcumque res esset, inter judicialia, quibus Judaicus dumtaxat populus obstringebatur, non inter Legis naturæ præcepta immutabilia contineri: alioqui Patriarcha Judas Onæ filio non præcepisset,

Gesta Clementis VII. in causa Henrici VIII. Angliæ Regis.

set, ut duceret Tamarim viduam ex obitu majoris natu fratris. Objurgationem vero Præcursoris eum spectare, qui veram fratris adhuc viventis uxorem sibi copulaverat. Regis Angliæ postulata auctoritate sua apud Pontificem sustentabat *Franciscus* Rex Christianissimus, cujus cum sorore, *Alencanii* Ducis vidua, *Henricum* novas Nuptias initurum spem faciebat *Volsæus* Cardinalis. Cum intelligerent Oratores Angli, Cardinalium, aliorumque Virorum Eruditorum cœtum, ad rem discutiendam a Summo Pontifice delectum *Catharinæ* Nuptias jure divino irritas non judicare, nec spem esse ullam ita judicatum iri, quod eo in judicio falsum dogma & Divinis Literis repugnans involveretur, & *Julii* judicium improbaretur, aliam iniere viam, & dispensationem ab ipso impetratam per fucatas rationes subreptitiam ostendere conati sunt. *Clemens* ea novi Cœtus Cardinalium & Theologorum sententia *Campeggio* Cardinali, quem Legatum in Angliam nominavit, una cum Eboracensi, causam demandavit. Arcana tamen *Campeggio* mandata dedit. Primum in Serenissimis Conjugibus ad pristinam benevolentiam revocandis studeret. Secundo, si nulla reconciliationis spes effulgeret, Reginæ suaderet ut Sanctimonialium claustra subiret, divinis tantum rebus vacatura. Si neutrum efficere posset, rem protraheret, nec Judicis personam assumeret. Cæsaris ac Ferdinandi Regis Oratores, & *Catharinæ* utriusque materiam, quodcumque in Anglia Tribunal tamquam suspectum repudiarunt. Pontifex causam ad se revocatam *Paulo Capisucchio*, Romanæ Rotæ Decano, cognoscendam commisit, sibi servata ferendæ Sententiæ potestate; palam tamen significans, velle se quantum fas esset, Regis causæ favere de se & de Religione optime meriti. At cum Angliæ Rex *Annam Bolenam* nuptias ei pollicitus, in Regiam induxisset, eique se reipsa nupturum ostentaret, *Clemens* edito Diplomate Regi & *Annæ*, seu cuicumque alteri fœminæ prohibuit, ne Matrimonium inirent: vel aliud quidquam ea in causa attentarent; alias totum irritum foret. Datum est die 22. Decembris, anno 1530. Cæsar ac *Ferdinandus* Rex Catholicus Pontificem ad ferendam Sententiam acerrime compellebant, Rex Christianissimus inducias flagitavit, deterruitque, quantum in se erat, ne Regem libidinis impotem una cum Regno præcipitem ageret. Toto pene triennio procrastinavit *Clemens*: sed effrænis Regis libido, & adversus Apostolicam Auctoritatem contumacia, Censuras a Pontifice extorserunt; cum *Guillelmus Cranmerus*, Cantuariensis Archiepiscopus connubium *Catharinæ* irritum lata sententia pronuntiasset, eaque nixus *Henricus* clandestinum cum *Anna* jam gravida conjugium contraxisset. Die itaque trigesima Julii anno 1533. *Clemens* in secreto Consistorio Sententiam tulit: qua declaravit Regem in Censuras incurrisse ob attentatum divortium, & *Annam* sibi adjunctam contra Pontificia Mandata: Matrimonium istud irritum, prolem ex eo susceptam, vel suscipiendam, illegitimam fuisse & esse. Reginam vero in pristina conjugii Regiæque Dignitatis jura, quibus injuste deturbata fuerat, restituendam edixit. Ad Septembrem usque proxime futurum sententiæ suspensus effectus est, ea temporis mora Regi concessa, si forte ad officium rediret, ac Apostolicæ Jussioni pareret. Hæc Sententia legitur apud *Sanderum* Lib. 1. de Schismate Anglicano, pag. 76. *Henrico* adeo non paruit, ut solemni ritu nuptias celebraverit cum *Anna* pellice: eamque Regia corona donaverit, *Catharinam* uxorem suam Reginamque vocari prohibuerit, *Mariam* filiam ex eo connubio natam titulo Principis VValliæ, & jure successionis in Regnum, ceu ex justo Matrimonio non susceptam, privaverit. Præcipuum causæ caput non attigerat Pontifex, an ratum esset *Catharinæ* Matrimonium, ut Rex metum inter spemque medius, Apostolicam Sedem obedientia promereri studeret. Massiliam interim appulit *Clemens*, ibique cum *Francisco* Rege Christianissimo congressus, *Catharinam Medicæam* neptem suam *Henrico* Duci Aurelianensi, secundo genito ejus filio collocavit. De Concilii celebratione, de bello in Turcas promovendo, de Angliæ Rege ad saniorem mentem revocando, eo in congressu actum est. Pontificem Romam reversum *Carolus* V. ad ferendam sententiam, finiendamque litem incitavit, validissimas copias ad executionem pollicitus. *Joannes Bellayus* Parisiensis Episcopus, Christianissimi Regis ad *Clementem* Orator, vir prudentia & doctrina illustris, Sanctitatem ejus lenire, ac litem protrahere satagebat, juxta Domini sui mandata. Demum per certum nuntium Angliæ Regi significavit *Bellayus*, mox ipsum ut contumacem damnatum iri, nisi per eumdem Nuntium missis literis, seu procuratorio libello, se judicio Summi Pontificis subderet. Nec; præscripto tempore Nuntius rediit, nec spes affulsit ulla obedientiæ ab *Henrico* exhibendæ; immo Romæ vulgatum est, Pontificem ac Purpuratos Patres, dum Comœdia coram Rege haberetur, ejus jussu in scenam ad ludibrium productos. Quamobrem Pontifex, audita relatione *Jacobi Simonettæ*, Episcopi Pisauriensis, Romanæ Rotæ duodecimviri, cui causam, absente *Capisuccho*, cognoscendam commiserat, pronunciavit matrimonium inter *Henricum* & *Catharinam* ratum esse, præcepitque Regi ut in eo persisteret, & *Catharinæ* litis impensas persolveret. Id actum 23. Maji anno 1534.

Clementis VII. cum Francisco Rege Christianissimo congressus.

IV. Apud eos qui ex eventu facta metiuntur imprudentiæ notam incurrit *Clemens* VII. judiciique præcipitis insimulatus est, quod paucis post latam Sententiam diebus Romæ redditæ sint *Henrici* literæ, quibus Pontificis judicio se pariturum pollicebatur, modo Fidelium communione minime submoveretur, & a Causæ cognitione excluderentur homines sibi suspecti; & Commissarii sibi non infensi Cameracum delegarentur, ea excepturi quæ pro Causa proferre cupiebat. Qui post menses unum & viginti contigit *Catharinæ* Reginæ obitus, opinionem auxit, quod Pontifex nimia festinatione Sententiam tulisset. Ea siquidem morte, si res integræ fuissent, finita controversia fuisset, cujus, inquiunt, præproperum Judicium Regem Regnumque in Schismatis voraginem submersit. Malum quidem illud Angliæ quam Romanæ Ecclesiæ longe funestius, *Clemens* divinare non potuit, quem excusat *Palavicinus* Cardinalis, lib. 3. Historiæ Concilii Tridentini, cap. 15. Sed etsi forte peccasset *Clemens* in præclaram illam *S. Augustini* Regulam: *Cum quisque fratrum, id est Christianorum intus in Ecclesia societate constitutorum, in aliquo tali peccato fuerit deprehensus, ut Anathemate dignus habeatur, fiat hoc, ubi periculum Schismatis nullum est*: Nihil tamen contra æquitatem peccasse dici posset, cum Regis indomita libido, despecta Matrimonii religio, abjecta reverentia in Ecclesiæ Caput, pœnam Anathematis mererentur. De gestis *Clementis* VII. hac in causa legendus *Sanderus* lib. 1. de Schismate Anglicano.

Lib. 3. Contra Parmenian. c. 2.

VI. De Concilio Œcumenico celebrando, quo Religionis rebus consuleretur, sæpe cum Principibus deliberavit *Clemens* VII. Ea de re Bononiæ egit cum Cæsare, anno 1533. & Nuncium legavit ad *Ferdinandum* Regem & Catholicos Principes *Hugonem Rangonium*, Rhegiensem Episcopum: ad Reges vero Galliæ & Britanniæ *Ubaldinum de Ubaldis*, sibi a Cubiculo, cum Diplomatibus 20. Februarii datis, qui Synodi convocandæ conditiones cum iis Principibus componerent. Sæpe etiam ea de re actum in purpuratorum Patrum consessu; at *Clementis* obitu hujusmodi consilia abrupta. Obiit Romæ die 26. Septembris, anno 1534. anno ætatis quinquagesimo sexto, Curiæ invisus, principibus suspectus, fama potius gravi, & odiosa, quam grata; existimatus avarus; ambigua fide & natura a beneficiis in mortales conferendis alienus; ac nihilominus in suis actionibus valde gravis, sagax, victor sui, maximoque ingenio, nisi sæpe metus judicium ipsius corrupisset (inquit *Guicciardinus* lib. 20. Historiæ). Literas dedit ad Senatum Parisiensem, ejusque studium ac vigilantiam in Fide, ac veteri Religione tuenda, comprimendisque Novatoribus, qui Lutheranæ doctrinæ virus in Galliis diffundere conabantur, laudavit. Diploma Canonizationis *S. Antonini* Archiepiscopi Florentini ab *Adriano VI.* celebratæ, promulgavit sexto Kalendas Decembris anno 1523. Congregationem Clericorum Regularium, qui *Theatini* deinceps vocati sunt, a *Joanne Petro Caraffa* Episcopo Theatino, & *Gabetano* Presbytero Vicentino institutam approbavit Diplomate dato die 24. Junii anno 1524. quod incipit, *Exponi nobis*; & Tom. 2. Bullarii editum est. Eisdem gratias & Privilegia concessit Diplomate dato 17. Martii, anno 1533. quod incipit, *Dudum*. Cum pro Ecclesiæ negotiis ad Imperatorem & ad Regem Francorum proficisci decrevisset, Constitutionem edidit de Romani Pontificis Electione in Urbe, & non alibi facienda, si forte ante suum in eadem reditum e vita migraret, ac *Alexandri Tertii*, *Gregorii* X. in Concilio Lugdunensi, & *Clementis* V. in Viennensi Constitutiones ac Decreta circa hujusmodi Electiones confirmavit pridie Nonas Octobris, an. 1529. & tertio Nonas Septembris, anno 1533. *Paulo Batigella* Ordinis FF. Prædicatorum Vicario Generali, & in Ferrariensi & Mutinensi Diœcesibus

De Concilii Generalis celebratione Clemens septimus deliberat.

Ejus obitus.

Mores.

Clementis VII. varia Constitutiones & Acta.

cesibus

cessibus Hæreticæ pravitatis Inquisitori, aliisque ex eodem Ordine Inquisitoribus potestatem fecit agendi ex Juris præscripto, contra Regulares cujuscumque Ordinis in causa hæreseos, quo facilius Lutheranæ pestis impediretur propagatio. Filios Presbyterorum, ex fornicatione genitos, in Patrum suorum Beneficia succedere prohibuit quocumque tempore, *Alexandri Tertii* Constitutione revocata, qui ipsos media intercedente persona, hujusmodi Beneficia obtinere permiserat. *Clementis Septimi* Diploma ea de re datum tertio Nonas Junii anno 1530. incipiens his verbis, *Ad Canonum Conditorem*, Tom. 11. Bullarii Romani editum est. Congregationem FF. Minorum Strictioris Observantiæ, 16. Kalendas Decembris anno 1532. Item Congregationem Clericorum Regularium *S. Pauli Decollati* in Diœcesi Mediolanensi a *Bartholomæa Ferraria* & *Antonio Maria Zacharia* institutam approbavit die 18. Februarii, anno 1533. Deiparæ Virgini devotissimus fuit, piumque Rosarii Sodalitium in ejus honorem institutum commendavit, & Indulgentias Sodalibus Rosarium recitantibus a *Sixto* IV. & *Leone* X. concessas ampliavit. Ejus de Rosarii devotione verba in Diplomate quod incipit: *Etsi temporalium*, quod in Bullario Romano habetur, consideratione digna sunt: *Considerantes* (inquit) *quam Religioni nostræ salubre ac fructuosum fuerit Rosarii Institutum, quantaque exinde provenerint, & quotidie proveniant bona; quamobrem tum Clerici, tum Laici, tam masculi, quam feminæ ad tantum devotionis fervorem devenerint, quod Deus & ipsa Virgo, ad cujus honorem fuit originaliter institutum, eosdem non solum gratiis decorare, verum etiam miraculis & signis quamplurimis illustrare non dedignatur*, &c.

Rosarii Deiparæ Virginis devotio.

VII. Cardinales variis Promotionibus creavit Clemens VII. *Benedictum Accoltum*, patria Florentinum, Ravennatem Episcopum: *Augustinum Spinula* Savonensem, Perusinum Episcopum: *Nicolaum Gaddium*, Florentinum Episcopum: *Herculem Gonzaga*, Mantuani Ducis fratrem, & Mantuæ Episcopum, qui Concilii Tridentini sub *Pio V.* Præses fuit: *Marinum Grimanum*, Venetum, Patriarcham Aquilejensem: *Antonium Sanseverinatem*, Neapolitanum, generis nobilitate & virtutum ornamentis illustrem: *Vincentium Caraffam*, Neapolitanum Archiepiscopum: *Andream Matthæum Palmerium*, Neapolitanum, Archiepiscopum Materanum & Acheruntinum; *Antonium a Prato*, ex Principe Senatus Parisiensis & Franciæ Cancellario, Abiensem primum, deinde Meldensem Episcopum, demum Senonensem Archipræsulem: *Henricum de Cardona*, Hispanum, Montis-Regalis Archiepiscopum: *Hieronymum Grimaldum*, Genuensem, Venafri in Regno Neapolitano Episcopum: *Pirrhum Gonzaga*, Mutinensem Episcopum: *Sigismundum Pappacoda*, Nobilem Neapolitanum, Tropejensem Episcopum: *Franciscum Quignonium*, Hispanum, Comitis de Luna filium, Ordinis FF. Minorum Supremum Moderatorem, Carolo V. Imperatori a Confessionibus: *Franciscum Cornelium*, Nobilem Venetum: *Hieronymum de Auria*, Patritium Genuensem: *Hippolytum Medicæum*, Nepotem: *Mercurium Arborensem de Gattinaria*, Pedemontanum, *Caroli V.* Imperatoris Cancellarium: *Franciscum Turnonium*, Ebredunensem primum, deinde Bituricensem Archiepiscopum, ex Ordine S. Antonii Viennensis assumptum, tandem Lugdunensem Archipræsulem; Religionis ad Reipublicæ præcipuum columen sub Christianissimis Regibus Francisco I. Henrico II. Francisco II. Carolo IX. *Bernardum Clesium*, natione Germanum, Tridentinum Episcopum: *Ludovicum de Gorrevode, de Chalante*, Allobrogem, Maurianensem Antistitem: *Garciam a Loaysa*, Hispanum, Ordinis FF. Prædicatorum Generalem Magistrum, *Carolo* V. Imperatori a Confessionibus, Regni Indiarum Consilii Præsidem, Hæreticæ pravitatis in Hispania Inquisitorem Generalem, Archiepiscopum Hispalensem: *Enricum de Esfuniga*, Hispanum, Burgensem Episcopum: *Gabrielem de Grandmont*, Tarbensem Episcopum, amplissimis Legationibus *Francisci* I. Regis Christianissimi ad Cæsarem, ad Angliæ Regem, & ad ipsum Pontificem *Clementem* VII. functum, qui & Pictavensis, Burdegalensis, & Tolosanæ Ecclesiæ Sacris successive præfuit: *Alfonsum Manricum de Lara*, Hispanum, Archiepiscopum Hispalensem: *Joannem de Tavera de Pardo*, Hispanum, Compostellanum Archiepiscopum, & Regii Castellæ Consilii Præsidem, Archipræsulem deinde Toletanum: *Antonium Puccium*, Florentinum, Sacrarum Literarum peritissimum, Pistoriensem Episcopum, Sedis Apostolicæ Legatione ad Galliæ Hispaniæque Reges functum, Episcopum deinde Venetensem in Gallia: *Stephanum Gabrielem Merinum*, Hispanum, Barensem Archiepiscopum: *Joannem Aurelianensem*, Francisci Ducis *A Longavilla* filium, Tolosanum Archipræsulem, & Aurelianensem Episcopum: *Joannem le Veneur*, Gallum, Episcopum Lexoviensem, & Abbatem Beccensem, Magnum Franciæ Eleemosynarium: *Claudium de Givry*, Matisconensem primum, deinde Lingonensem Episcopum ac Ducem, qui & Ambianensis & Pictaviensis Ecclesiæ Sacris præfuit, cujus illa præclara vox: VIX ESSE CHRISTIANI LITIGARE: *Odetum de Colligny*, Gallum, Bellovacensem Episcopum ac Comitem, qui postmodum ad Calvinianam Sectam defecit, & a *Pio* IV. exauctoratus est: *Philippum de Cameru*, Sabaudum, ex Monacho Benedictino & Abbate Corbejensi Bolonensem Episcopum.

Clementis septimi Cardinales.

ARTICULUS XVI.

Ex Paulo III.

I. NOvemdialibus *Clementi* VII. persolutis, Cardinales illius judicium secuti, primo comitiorum die, Octobris decimo tertio, concordibus suffragiis, *Alexandrum Farnesium*, Sacri Collegii Principem, Episcopum Ostiensem, ad Pontificatum evexere, qui *Pauli* III. nomen accepit. Præcipuas curas adhibuit in Christianis Principibus conciliandis, Cæsare præsertim & Christianissimo Rege, in Concilii celebratione promovenda; de extirpanda hæresi & coercendis Hæreticis; de morum emendatione & restauratione Disciplinæ. Legatos destinavit qui de pace & de Concilio agerent, *Jacobatium* Cardinalem ad Cæsarem, & Pium Cardinalem Carpensem ad Galliæ Regem. Ipse Niciam ad colloquium venit cum utroque Principe anno 1538. induciasque inter eos in decem annos firmavit. Anno sequenti, *Farnesium* Cardinalem, Nepotem, ad eosdem Reges Pacis & Religionis gratia Legatum destinavit, cui Legationis comitem & ducem adjunxit *Marcellum Cervinum* Politianum, purpura etiam ornatum. Is postea Legationem illam gessit, cum *Farnesius* Romam rediisset. *Cervino* datum in mandatis, ut curaret ne in Spirensibus & Haganoensibus Comitiis, aut in VVormatiensi Colloquio aliquid contra integritatem Religionis, aut contra reverentiam Romanæ Sedis tentaretur. Legationem deinde ad Ratisponentia Comitia, a Cæsare ad componendas Religionis discordias indicta, Pontifex *Gaspari* Cardinali *Contareno*, prudentia & peritia in civilibus negotiis, doctrina tam in profanis, quam in sacris disciplinis, studio Religionis, integritate vitæ spectatissimo commisit, anno 1541.

An. 1534.

Pauli tertii studia pro Religione & pace Reipublicæ Christianæ.

Eodem anno Pontifex cum Cæsare Lucæ congressus est, de Christianæ gentis pacificatione, de Religionis negotio, ac potissimum de Concilio acturus. Ubi vero Legatorum ac Nunciorum opera pacem confici non posse Christianæ rei adeo necessariam animadvertit, Buxetum adiit, quod oppidum est prope Padum, ut rursus cum Cæsare colloqueretur, eumque ad pacem cohortaretur, anno 1543. Anno sequenti *Farnesium* Cardinalem iterum delegavit ad pacem Cæsarem inter & Regem Christianissimum componendam. Pax feliciter confecta facilem Concilii celebrationi viam aperuit. Illud Mantuæ primum, deinde Vicentiæ indixerat, ob novas difficultates prorogatum, Tridenti tandem indixit, anno 1544. eique præfuit per Legatos. Octo Sessiones ea in Urbe celebratæ: nona & decima Bononiæ, quo ob contagiosum morbum Tridenti grassantem, translata Synodus fuerat, ex sententia Patrum, anno 1547. Tandem orta inter Patres ob eam translationem dissensione, Concilium a *Paulo* III. suspensum est anno 1549.

Concilii Tridentini indictio & celebratio.

Edictum Spirense Religioni periculosum, Sedis Apostolicæ dignitati indecorum, a Cæsare anno 1544. promulgatum, improbavit, Cæsaremque gravissimis Literis arguit, quas apud Cardinalem *Palavicinum* lib. 3. Historiæ Concilii Tridentini, cap. 6. legere est. Libellum pariter improbavit ab eodem Imperatore in Comitiis Augustanis, anno 1548. promulgatum, quem, INTERIM, nuncuparunt, quod in eo præscriberetur quidquid interim usque ad futuri Concilii Decreta credendum esset. In *Henricum* VIII. Angliæ Regem, in sceleribus, schismate, Sedis Apostolicæ, & Ecclesiæ Romanæ contemptu, Catholicorum persecutione obduratum, Sententiam tulit *Paulus* III. tertio Kalendas Septembris, anno 1535.

Cæsarea quædam Edicta Paulus tertius improbat.

Pauli tertii Acta in Henricum.

que

qua post ejus recensita crimina, & Leges quibus subditos suos compellebat ad Articulos quosdam schismaticos & hæreticos tenendos, quorum unus erat, *Romanum Pontificem Ecclesiæ Caput & Christi Vicarium non esse; ipsum vero Regem Supremum Caput Anglicanæ Ecclesiæ agnoscendum*: Illum ad errorum ac scelerum emendationem, Legumque revocationem hortatur. Complices vero & fautores monet, ne ipsi consilium, auxilium vel favorem in his præbeant: Si *Henricus* & ejus asseclæ vel fautores Monitis Pontificis non pareant, sub pœna excommunicationis latæ Sententiæ & amissionis Regni mandat, ut per se, vel per Procuratorem legitimum intra nonaginta dies, complices vero infra dies sexaginta, Romæ ad dicendam causam se sistant; alioqui *Henricum* Censuras & pœnam privationis Regni ipso facto incursurum denunciat: Omnia loca ad quæ ipse, vel ejus complices, vel fautores declinaverint Interdicto supponit; eorum filios omnibus Dignitatibus, gratiis & privilegiis, dominiis ac bonis privatos, ad quæcumque obtinenda inhabiles declarat: subditos a *Juramento fidelitatis jure vassalitico, & omni erga Regem & alias subjectione* absolvit; eisque sub Excommunicationis pœna præcipit: *Ut ab ejusdem Henrici Regis, suorumque Officialium, Judicum & Magistratuum quorumcumque obedientia penitus recedant, nec illos in Superiores recognoscant.* Cunctis Fidelibus sub pœna excommunicationis prohibet, ne ullum cum *Henrico*, aut cum hominibus, civitatibus, provinciis, & locis ipsi obedientibus commercium vel in civilibus negotiis habeant, omnesque cum illis contractus, factos aut faciendos, irritos facit. Prælatis, aliisque Viris Ecclesiasticis mandat, ut Regno Angliæ, aliisque *Henrici* ditionibus quantocyus exeant, Principibus Viris ac Ducibus Angliæ, cæteræque Nobilitati jubet, ut vi ac armis *Henrico* & ejus complicibus se opponant, eosque ex Regni finibus expellere nitantur: Regum ac Principum reliquorum fœdera cum *Henrico* dissolvit: sequaces in servitutem tradit capientibus, eorumque bona occupantibus addicit. Prælatis omnibus jubet, ut hancce Constitutionem promulgent; in eos qui promulgationem directe vel indirecte impediverint, easdem pœnas decernit. Executione Sententiæ, Principum, aliorumque virorum insignium precibus inflexus Pontifex, triennio pene supersedit. Verum cum Rex novo sacrilegio, novaque immanitate superiora cumulasset, in sacras *S. Thomæ Cantuariensis* Reliquias sævisset, in ipsum tamquam in perduellem Sententiam dicere ausus esset, ejus memoriam damnare, ossa igni, cineres fluvio, Templi ornamenta fisco Regio addicere: Pontifex latas in eumdem Regem Censuras ac mulctas promulgavit altero Diplomate, dato die 27. Decembris anno 1538. misso privatim *Polo* Cardinali ad Cæsarem & *Franciscum* Regem Christianissimum, qui eos ad abrumpendam quamcumque cum *Henrico* communionem inflammaret. Edita sunt hæc Diplomata Tom. II. Bullarii Romani, de quibus legendus *Sanderus* Lib. I. de Schismate Anglicano. Diris omnibus dignus erat *Henricus*; nulla in ipsum ferri poterat censura severior; juribus omnibus, privilegiis, gratiis ab Ecclesia concessis, a Romano Pontifice privari poterat; in Summi Pontificis erat potestate Anglos absolvere a Juramento fidelitatis in iis quæ Religionem spectarent; denuntiare quod nullo vinculo adstringerentur ad parendum Regi contra fidem, contra Ecclesiæ unitatem, contra pietatem, contra reverentiam Sedi Apostolicæ & *S. Petri* Successoribus debitam: sed utrum potuerit *Paulus III.* auctoritate clavium a Christo concessa regem exauctorare; subditos a juramento fidelitatis absolvere etiam quoad effectus politicos & civiles; Regnum tradere primo occupanti; inter omnes non convenit. Hanc potestatem in Ecclesia vel Romano Pontifice Theologi Parisienses & Ecclesia Gallicana non agnoscunt; ad mulctas temporales privationis Regnorum, proscriptionis bonorum, servitutis, infligendas auctoritatem ligandi & solvendi pertinere negant, secundum firmissima Scripturæ Sacræ ac Traditionis oracula: Ultramontani Theologi plerique ac Jurisconsulti hanc potestatem Romano Pontifici tribuunt. Ecclesiæ judicio nondum eliquata est hujusmodi controversia. *Paulus III.* Theologorum & Jurisconsultorum quorumdam Italorum improbabilem & falsam opinionem secutus, nec ad Dogmaticæ Theologiæ principia Regulasque, sed ad Prædecessorum quorumdam suorum facta; non ad Doctrinam & Traditionem Romanæ Ecclesiæ, sed ad stylum, usumque Romanæ Curiæ ex *Gregorii VII.* privata opinione & exemplo inductum, *Innocentii IV. Bonifacii VIII. Joannis XXII.* aliorum ævi recentioris Pontificum, auctoritate confirmatum, attendens: & forte persuasum habens Majorem Britanniam Regnum esse Romanæ Sedis Beneficiarium, sententiam privationis Regni in *Henricum VIII.* tulit, ejusque subditos a Juramento absolvit; quod præstare sane potuit, si Regnum Angliæ Romanæ Ecclesiæ Beneficium fuit; sicut Reges Dynastas sibi Beneficiarios ipsorum Ditionibus jure spoliant tamquam perduelles. Sed hæc Anglicani Regni subjectio in temporalibus Romanæ Sedi fictitia est; cui nihilominus in spiritualibus parere Jure Divino tenentur Angli, & omnium gentium Christiani, & Romanum Pontificem ut Christi Vicarium, *Sancti Petri* Successorem, ministeriale & visibile Ecclesiæ Caput, Summum Controversiarum Judicem, Christianorum omnium Patrem & Doctorem, Primatum in Ecclesia universa, & super omnes Ecclesias particulares ex institutione Christi habentem: Ecclesiam Romanam ut cæterarum Matrem & Magistram; Cathedram *S. Petri*, ut centrum Ecclesiasticæ unitatis, venerari; a cujus communione discedere, cujus obedientiam ejurare sine sacrilegio schismatis minime potuerunt.

Theologorum discrepatio de finibus Ecclesiasticæ potestatis.

III. Ad morum emendationem, & reformationem Curiæ Paulus III. Cœtum instituit quatuor Cardinalium, & quinque Præsulum in primis præstantium. Cardinales fuere *Contarenus, Carafa, Sadoletus, Polus*: Præsules, *Fridericus Fregosius* Archiepiscopus Salernitanus; *Hieronymus Alexander*, Archiepiscopus Brundusinus, *Joannes Matthæus Gibertus*, Episcopus Veronensis, *Gregorius Cortesius*, Abbas S. Georgii Venetiarum, Ordinis Benedictini; & *Thomas Badia*, Sacri Palatii Magister, Ordinis FF. Prædicatorum. Hi Consilium suum de re tanti momenti Summo Pontifici in scripta exhibuerunt, anno 1538. quod, ut eorum integritas, & *Pauli III.* ad restaurandam disciplinam studium innotescat, hic repræsento.

Selectorum Cardinalium & Prælatorum Consilium ejusque ad Paulum tertium Monitum.

IV. „ Beatissime Pater, tantum abest ut verbis explicare possimus quam magnas gratias Respublica „ Christiana Deo Optimo Maximo agere debeat, quod „ Te Pontificem hisce temporibus ac Pastorem Gregi „ suo præfecerit, eamque quam habes mentem, dederit: ut minime speramus cogitatione eas, quas „ Deo gratias debet, consequi posse. Nam Spiritus ille „ Dei quo virtus cœlorum firmata est (ut ait Propheta) labantem, immo fere collapsam in præceps „ Ecclesiam Christi per Te restaurare, & huic ruinæ „ manum, ut videmus supponere decrevit eamque erigere ad pristinam sublimitatem, decorique pristino „ restituere. Certissimam divinæ hujus sententiæ conjecturam nos facere valemus, quibus Sanctitas tua „ ad se vocatis mandavit, ut nullius aut commodi „ tui, aut cujuspiam alterius habita ratione, Tibi significaremus abusus illos, gravissimos videlicet morbos quibus jampridem Ecclesia Dei laborat, ac præsertim hæc Romana Curia; Quibus effectum prope „ est, ut paulatim sensim ingravescentibus pestiferis „ his morbis magnam hanc ruinam traxerit, quam videmus. Et quoniam Sanctitas tua Spiritu Dei erudita (qui, ut inquit Augustinus, loquitur in cordibus nullo verborum strepitu) probe noverat principium horum malorum inde fuisse, quod nonnulli „ Pontifices Prædecessores tui, prurientes auribus (ut „ inquit Apostolus Paulus) coacervaverunt sibi Magistros ad desideria sua, non ut ab eis discerent quid „ facere deberent, sed ut eorum studio, & calliditate „ inveniretur ratio qua liceret id quod liberet: inde „ effectum est, (præterquam quod Principatum omnem „ sequitur adulatio, ut umbra corpus; difficillimusque „ semper fuit aditus veritatis ad aures Principum) „ quod confestim prodirent Doctores, qui docerent, „ Pontificem esse dominum Beneficiorum omnium: „ ac ideo, cum dominus jure vendat, id quod suum „ est, necessario sequi in Pontificem non posse cadere „ Simoniam. Ita quod voluntas Pontificis, qualiscumque ea fuerit, sit regula, qua ejus operationes & „ actiones dirigantur. Ex quo proculdubio effici ut „ quidquid libeat, id etiam liceat. Ex quo fonte, „ Sancte Pater, tamquam ex equo Trojano, irrupere „ in Ecclesiam Dei tot abusus & tam gravissimi morbi, quibus nunc conspicimus eam ad desperationem „ fere salutis laborasse, & manasse harum rerum famam ad Infideles usque (credat Sanctitas vestra „ scientibus) qui ob hanc præcipue causam Christianam Religionem derident adeo ut per nos (inquimus) Christi nomen blasphemetur inter gentes. Tu „ vero Sanctissime Pater, & vere Sanctissime edoctus „ a Spiritu Dei, præter veterem illam tuam prudentiam, cum totus in hanc curam incubueris, ut sa-

Prolapsionis Ecclesiasticæ Disciplinæ origo indigitatur.

„ natis

natis ægritudinibus, Christi Ecclesia tuæ curæ commissa, bonam valetudinem recuperaret, vidisti, ac probe vidisti, inde iucipiendam medicationem, unde primum ortus est morbus; secutusque doctrinam Apostoli Pauli, vis esse dispensator, non dominus, & fidelis inveniri a Domino; imitatus etiam servum illum, quem in Evangelio Dominus præfecit familiæ suæ, ut det illis iu tempore tritici mensuram, ac propterea decrevisti nolle quod non liceat. Ideoque nos ad te accersivisti, imperitos quidem ac tam magno negotio impares, non parum tamen affectos cum honori & gloriæ Sanctitatis tuæ, tum præcipue instaurationi Ecclesiæ Christi, ac gravissimis verbis injunxisti, ut omnes hos abusus colligeremus, Tibiqua illos significaremus: obtestatus, nos reddituros essa rationem hujus negotii nobis demandati Deo Optimo, si negligenter ac infideliter ageremus. Atque ut omnia liberius inter nos tractari possent, Tibiqua a nobis explicari, jurejurando nos obstrinxisti, addita etiam excommunicationis pœna, ne cuipiam aliquid hujus nostri muneris proderemus. Nos igitur tuo imperio parentes collegimus, quanto paucioribus fieri potuit, hos morbos eorumque remedia ea (inquam) quæ tenuitate ingenii nostri excogimre potuimus. Tu vero pro tua bonitata ac sapientia omnia refarcies ac perficies, in quibus pro tenuitate nostra offenderimus. Verum ut omnia certis quibusdam finibus complectamur, cum Sanctitas tua & sit Princeps Provinciarum harum quæ subsunt Ditioni Ecclesiasticæ, & sit Pontifex universalis Ecclesiæ, sit etiam Episcopus Romanus, nihil nobis dicendum sumpsimus de bis quæ pertinent ad hunc Principatum Ecclesiæ, quem tua prudentia optime regi videmus; tangemus tantum ea quæ pertinent ad officium universalis Pontificis, & nonnulla quæ sunr Romaui Episcopi. Illud vero ante omnia, Beatissime Pater, putamus statuendum asse, ut dicit Aristoteles in Politicis, sicut in unaquaque Republica, ita & in hac Ecclesiastica gubernatione Ecclesiæ Christi hanc præ omnibus legem habendam, ut quantum fieri potest, leges serventur. Nec putemus nobis licere dispensare in legibus, nisi urgenti de causa & necessaria. Nulla namque perniciosior consuetudo in quavis Republica induci potest, quam hæc legum inobservantia, quas sanctas Majores nostri esse voluerunt, earumque potestatem venerandam & divinam appellaruut. Scis tu hæc omnia, Optime Pontifex, legisti jampridem apud Philosophos & Theologos. Illud vero non tantum huic proximum, sed longe prius & potius superiore putamus, non licere Pontifici & Christi Vicario in usu potestatis (clavium potestatis inquimus) a Christo ei collatæ, lucruin aliquod comparare; Hoc etenim est Christi mandatum: Gratis accepistis, gratis date. His primum statutis, cum Sanctitas vestra ita gerat curam Ecclesiæ Christi, ut ministros plurimos habeat, per quos hanc curam exerceat: (Hi autem sunt Clariei omnes, quibus mandatus est cultus Dei, Presbyteri præsertim, & maxime Curati, & præ omnibus Episcopi). Idcirco, ut gubernatio hæc sit recte processura, primo danda ast opera, ut hi Ministri idonei sint munari quo fungi debent.

Abusus emendandi.

„ Primus abusus in hac parte ast Ordinatio Clericorum & præsertim Presbyterorum, iu qua nulla adhibetur cura, uulla adhibetur diligentia: quod passim, quicumque sint, imperitissimi sint, vilissimo genere orti sint, malis moribus adulescentes admittantur ad Ordines sacros, & maxime ad Presbyteratum, ad characterem, (inquam) Christum maxime exprimentem: Hinc innumera scandala, hinc contemptus Ordinis Ecclesiastici, hinc divini cultus veneratio non tantum diminuta, sed etiam prope jam extincta. Ideo putavimus optimum fore, si Sanctitas tua primo in hac Urbe præficeret huic negotio duos aut tres Prælatos, viros doctos & probos, qui Ordinationibus Clericorum præessent. Injuogerent etiam Episcopis omnibus, adhibitis etiam pœnis Censurarum, ut id curarent in suis Diœcesibus. Nec permittat Sauctites vestra ut quispiam ordinetur, nisi ab Episcopo suo, vel cum licentia Deputatorum in Urbe, aut Episcopi sui. Insuper ut in Ecclesiis suis quisque Episcopus Magistrum habeat, a quo Clerici mioores & literis & moribus instruantur, ut Jura præcipiunt.

In ordinationibus.

In Collatione Beneficiorum.

„ Abusus alius maximi ponderis est in collatione Beneficiorum Ecclasiasticorum, maxime Curatorum, & præ omnibus Episcopatuum, in quibus usus invaluit ut provideatur personis, quibus conferuntur Beneficia, non autem gregi Christi & Ecclesiæ. Ideo in conferendis his Beneficiis, Curatis (inquam) sed præ aliis Episcopatibus, curandum est ut conferantur viris bonis, doctisque: ideo ut per se possint fungi illis muneribus ad quæ teneutur: insuper illis quos verisimile est Rasidentiam facturos. Non ergo Italo conferendum est Beneficium in Hispania aut in Britannia, aut e contra. Hoc servandum est tam in collationibus, cum vacant per decessum, quam in cessionibus, quibus nunc tantum habetur ratio voluntatis cedentis, nullius præteraa rei. In cessionibus his, si quispiam præficeretur probus, unus pluresve bene factum iri putaremus.

Pensionum abusus.

„ Alius abusus, cum Beneficia conferuntur, seu eum ceduntur aliis, irrepsit in constituendis super eorum fructibus Pensionibus: immo quandoque cedens Beneficio omues sibi fructus reservat. Qua in re illud est animadvertendum, nulla alia de causa alioque jare Pensiones constitui posse, nisi ut quasdam eleemosynas, quæ in pios usus & indigentibus concedi debent. Nam reditus sunt annexi Beneficio ut corpus animæ: ideo sua natura pertinent ad eum, qui Beneficium habet, ut possit ex eis vivere honeste pro suo ordine, simulque queat sustiuere impensas pro divino cultu, & templi, sacrarumque ædium reparatione, ut quod reliquum ast, impendat in pios usus. Hæc est enim natura eorum redituum. Verum sicuti in rerum oaturæ administratione nonnulla fiunt a natura particulari præter inclinatiocem universalis naturæ; sic in Poutifice, quoniam est universalis dispensator bonorum Ecclesiæ, si viderit eam fructuum portionem, quæ in pios usus expendi debet, aut ejus partem in pium quempiam alium usum, ut expendatur, magis expedire, potest proculdubio id facere. Ideo jure merito Pensionem ponere potest ut subveniat egeno, præsertim Clerico, ut honeste queat vitam ducere pro ejusdem ordine. Ideo omnes fructus reservari, adimique id omne quod divino cultui, sustentatiouique habentis Beneficium tribui debet, magnus est abusus. Itemque Pensiones dari Clericis divitibus, qui commode & honeste vivere queunt ex reditibus quos babent, magnus est abusus, tollendus uterque.

„ Alius item abusus in permutationibus Beneficiorum quæ fiunt cum pactionibus, quæ simoniacæ omnes sunt, nulloque respectu habito, nisi lucri.

„ Abusus alius omnino auferendus, qui calliditate quadam nonnullorum Peritorum jam invaluit in hac Curia. Nam cum lege cautum sit, Beneficia testamento legari non posse, cum non sint testatoris, sed Ecclesiæ, & ut res hæc Ecclesiastica servaretur communis bonorum omuium, non autem fieret privata cujuspiam, invenit humana, non tamen Christiana industria, plurimos modos quibus huic legi illudatur. Nam fiunt renuntiationes Episcopatuum aliorumque Beneficiorum primo cum regressu, addunt reservationem fructuum, addunt reservationem collationis Beneficiorum. Insuper cumulant reservationem administrationis faciuntque hoc pacto Episcopum, qui nullum jus habet Episcopi. Alterum vero cui jura omnia Episcopi competant: non tamen Episcopum. Videat Sanctitas tua quo processit assentatoria illa Doctrina, qua tandem effectum est ut id liceat, quod libeat. Quid, quæso, est hoc, nisi hæredem Beneficii sibi constituere? Alius præter hunc ioventus est dolus, cum scilicet Coadjutores dantur Episcopis petentibus, minus idonei, quam ipsi sint, ita ut nisi quispiam claudere oculos voluerit, liquido videat hæredem ea ratione institui.

„ Item lex est antiqua instaurata a Clemente, ne Filii Presbyterorum habeant parentum Beneficia, ne scilicet res communis boc modo fiat privata. Dispensatur tamen (ut audivimus) in hac veneranda lege. Nolumus tacere id quod verissimum esse quivis prudens per se judicaverit, nullam rem magis conflasse hanc invidiam Clericis, unde tot seditiones sunt ortæ, & aliæ instant, quam hanc aversionem commodorum & proventuum Ecclesiasticorum a communi ad rem privatam: antehac omnes sperabant, nuoc ad desperationem adducti, acuunt liuguas contra haoc Sedem.

Reservationum & Gratiarum expectativarum abusus.

„ Alius abusus est in Expectativis & Reservationibus Beneficiorum, quibus & datur occasio ut aliena mors dasideretur, & libenter audiatur. Præcludunt etiam aditum supremum dignioribus, cum vacant, dant litibus causam; Omnes has putamus tollendas.

Beneficiorum incompatibilium retentionum dispensatione.

„ Abusus alius est eadem calliditate inventus; nam quædam Beneficia incompatibilia jure sunt & appallantur, quæ ex ipsa vi nominis Majores nostri admonere nos voluarant, non debere ea uni conferri: nunc in bis dispensatur, non tantum duobus sed pluribus, &

„ quod

„ quod pejus est, in Episcopatibus. Hunc morem, qui ob avaritiam tantum invaluit, tollendum ducimus præsertim in Episcopatibus. Quid de eetionibus Beneficiorum ad vitam unius, ne scilicet obstet illa Beneficiorum pluralitas ab obtinenda incompatibilia, nonne est mera fraus legis?

„ Alius etiam abusus invaluit, ut Reverendissimis Cardinalibus Episcopatus conferantur seu commendentur, non unus tantum, sed plures: quem, Pater Beatissime, putamus magni esse momenti in Ecclesia Dei. Primo quidem quia officium Cardinalatus & officium Episcopi, incompatibilia sunt. Nam Cardinalium est assistere Sanctitati tuæ pro gubernanda universali Ecclesia: officium autem Episcopi est pascere gregem suum, quod præstare bene, & ut debet, haud potest, nisi habitet cum ovibus suis ut Pastor cum grege. Præterea, Pater Sancte, hic usus maxime obest exemplo; quomodo namque hæc Sancta Sedes poterit dirigere & corrigere aliorum abusus, si in præcipuis suis membris abusus non tollerentur? Nec ob id quod Cardinales sint, putamus eis magis licere transgredi legem, immo longe minus. Horum enim vita debet esse aliis lex; nec imitandi sunt Pharisæi, qui dicunt & non faciunt: sed Christus Salvator noster incœpit facere, & postea docere. Amplius hic usus nocet in consultationibus Ecclesiæ, non hæc licentia fomentum est avaritiæ. Ambiunt præterea Cardinales a Regibus & Principibus Episcopatus, a quibus postea dependent, ne possint libere sententiam dicere; immo si possent & vellent, fallerentur tamen passione animi in judicando perturbati. Ideo utinam hic mos tolleretur, & provideretur Cardinalibus, ut possent honeste pro dignitate vivere, omnibus æquales reditus: quod putamus facile fieri posse, si vellemus abjicere servitutem mammonæ, & Christo tantum servire.

Cardinalium vita lex animata aliis esse debet.

„ His castigatis, quæ pertinent ad constituendos Tibi Ministros, quibus veluti instrumentis & cultus Dei bene administrari, & populus Christianus in vita Christiana bene institui & regi possit, accedendum nobis est ad illa quæ spectant ad gubernationem Christiani populi. In qua re, Pater Beatissime, abusus ille primo & præ omnibus corrigendus est, ne scilicet Episcopi primum & præ omnibus aliis, deinde ne Curati abessent a suis Ecclesiis & Parochiis, nisi ob gravem aliquam causam; sed residentiam facerent, maxime Episcopi, ut diximus, quia sunt Sponsi Ecclesiæ ipsis demandatæ. Nam, per Deum Immortalem, quis miserabilior viro Christiano conspectus esse potest, Christianum orbem peragranti, quam hæc solitudo Ecclesiarum! Omnes fere Pastores recesserunt a suis gregibus, commissi sunt omnes fere mercenariis. Imponenda ergo esset magna pœna Episcopis præ aliis, deinde Curatis, qui absunt a suis gregibus, non tantum Censurarum, sed etiam ne reciperent redditus illi qui absunt, nisi impetrata licentia a tua Sanctitate Episcopi, Curati ab Episcopis, per breve aliquod temporis spatium. Leguntur in hoc aliqua Jura, aliquorum Conciliorum Decreta, quibus cautum erat, Episcopo non licere abesse a sua Ecclesia, nisi tribus tantum Dominicis.

Abusus non Residentiæ Pastorum.

„ Abusus etiam est, quod tot Reverendissimi Cardinales absint ab hac Curia, nec aliqua in parte faciant quidpiam ejus officii, quod spectat ad Cardinalem. Ideo etsi fortasse non omnes, quia expedire existimamus nonnullos habitare in Provinciis suis: (Nam per illos tamquam per radices quasdam in totum orbem Christianum sparsas, continentur populi sub hac Romana Sede:) plurimum tamen esset Sanctitati tuæ vocare ad Curiam, ut hic residerent. Hac enim ratione, præterquam quod fungerentur officio suo Cardinalatus, provideretur etiam amplitudini Curiæ, suppleretusque, si quid ei detractum fuisset per recessum multorum Episcoporum, qui ad suas Ecclesias se contulissent.

„ Alius abusus magnus & minime tolerandus, quo universus Populus Christianus scandalizatur, est ex impedimentis quæ inferuntur Episcopis in gubernatione suarum ovium, maxime in puniendis scelestis & corrigendis. Nam primo multis viis eximunt se mali homines, præsertim Clerici, a Jurisdictione sui Ordinarii. Deinde si non sint exempti, confugiunt statim ad Pœnitentiariam, vel ad Datariam, ubi confestim inveniunt viam impunitati, & quod pejus est, ob pecuniam præstitam. Hoc scandalum, Beatissime Pater, tantopere conturbat Christianum Populum, ut non queat verbis explicari. Tollantur, obtestamur Sanctitatem tuam per Sanguinem Christi, quo redemit sibi Ecclesiam suam, eamque lavit eodem Sanguine, tollantur hæ maculæ, quibus si daretur quispiam aditus in quacumque hominum Republica aut Regno, confestim aut paulo post in præceps rueret, nulloque pacto diutius constare posset; & tamen putamus nobis licere, ut per nos in Christianam Rempublicam inducantur hæc monstra.

Quod Episcoporum Jurisdictio impediatur.

„ Alius abusus corrigendus est in Ordinibus Religiosorum, quod adeo multi deformati sunt, ut magno sint scandalo Sæcularibus, exemploque plurimum noceant. Abolendos putamus omnes, non tamen ut alicui fiat injuria, sed prohibendo ne Novitios possint admittere. Sic enim sine ullius injuria cito delerentur, & boni Religiosi eis substitui possent. Nunc vero putamus optimum fore, si omnes pueri qui non sunt professi, ab eorum Monasteriis repellerentur.

Abusus in Ordinibus Religiosis.

„ Hoc etiam animadvertendum & corrigendum censemus in Prædicatoribus & Confessoribus constituendis a Fratribus, quod ab eorum Præfectis primum adhiberetur magna diligentia ut idonei essent: deinde ut præsentarentur Episcopis quibus præ omnibus cura Ecclesiæ est demandata, a quibus examinarentur, per se vel per viros idoneos, nec nisi eorum consensu admitterentur ad hæc peragenda.

„ Diximus, Beatissime Pater, non licere aliquo pacto in usu clavium aliquid lucri utenti comparari; est hac in re firmum verbum Christi: *Gratis accepistis, gratis date*. Hoc non tantum ad Sanctitatem tuam pertinet, sed ad omnes qui sunt participes hujus potestatis: ideo a Legatis & Nunciis vellemus idem servari. Nam sicut usus qui nunc invaluit, dedecorat hanc Sedem & conturbat populum, ita si fieret e contra, maximum decus huic Sedi compararetur, & ædificaretur mirifice populus.

Abusus in Legatis & Nunciis Apostolicis.

„ Abusus alius turbat Christianum populum in Monialibus, quæ sunt sub cura Fratrum Conventualium, ubi in plerisque Monasteriis fiunt publica sacrilegia cum maximo civium scandalo. Auferat ergo Sanctitas vestra omnem eam curam a Conventualibus, eamque det aut Ordinariis, aut aliis prout melius videbitur.

Abusus in Monialibus.

„ Abusus magnus & perniciosus est in Gymnasiis publicis, præsertim in Italia, in quibus multi Philosophiæ professores impietatem docent. Immo in Templis fiunt disputationes impiissimæ; & si quæ sunt piæ, tractantur in eis res divinæ coram populo valde irreverenter. Ideo putaremus indicendum Episcopis, ubi sunt publica Gymnasia, ut per eos admonerentur Lectores ne docerent adolescentes impietatem, sed ostenderent infirmitatem luminis naturalis in quæstionibus pertinentibus ad Deum, ad Mundi novitatem vel æternitatem & similia, eosque ad pietatem dirigerent. Similiter ne permitterent fieri publicas disputationes de hujusmodi quæstionibus, neque etiam de rebus Theologicis, quæ certe multum existimationis perdunt apud vulgus; sed privatim de his rebus fiant disputationes, publice de aliis quæstionibus Physicis. Idemque injungendum esset omnibus aliis Episcopis, maxime insignium civitatum, in quibus hujus generis disputationes fieri solent. In impressione etiam Librorum eadem adhibenda esset diligentia, scribendumque Principibus omnibus, ut caveant ne passim quivis Libri in eorum Ditione imprimantur; dandaque esset hujus rei cura Ordinariis. Et quoniam pueris in ludis solent nunc legi Colloquia Erasmi, in quibus multa sunt quæ rudes animos informant ad impietatem; ideo eorum lectio in ludis literariis prohibenda esset, & si qua alia sunt hujus ordinis.

Abusus in Gymnasiis.

Colloquiorum Erasmi periculosa lectio.

„ Post hæc, quæ ad instituendos Ministros tuos in hac universalis Ecclesiæ cura, & in ejus deinde administratione spectare videntur, animadvertendum est in gratiis quæ fiunt a tua Beatitudine, præter priores abusus, alios quoque abusus introductos.

Abusus in gratiarum concessione & dispensationibus.

„ Primus est in Fratribus, seu Religiosis Apostatis, qui post votum solemne a sua Religione recedunt, impetrantque ne teneantur gerere habitum sui Ordinis: immo nec vestigium habitus, sed tantum vestem honestam Clericalem. Prætermittamus nunc de lucro: jam enim diximus in principio, non licere ex usu Clavium, & potestatis a Christo traditæ comparare sibi lucrum, sed ab hac gratia abstinendum. Nam habitus est signum Professionis. Unde nec ab Episcopo potest dimitti cui tenentur hi Apostatæ: ideo hæc gratia eis concedi non deberet: neque etiam cum ipsi recesserint a voto, quo Deo se obligarant, eis permittatur ut habeant Beneficia neque Administrationes.

„ Alius abusus in Quæstuariis Sancti Spiritus, Sancti Antonii, aliisque hujus generis, qui decipiunt rusticos & simplices, eosque innumeris superstitionibus implicant. Tollendos nos Quæstuarios censemus.

„ Abu-

„ Abusus alius in dispensatione cum constituto in Sacris Ordinibus, ut possit uxorem ducere. Hæc dispensatio non esset ulli danda, nisi pro conservatione populi cujuspiam vel gentis, ubi esset publica causa gravissima: præsertim his temporibus, in quibus urgent Lutherani hanc rem maxime.

„ Abusus in dispensatione in Nuptiis inter consanguineos seu affines. Certe in secundo gradu non putamus faciendam esse, nisi ob publicam causam gravem. In aliis vero gradibus, nonnisi ob causam honestam & absque pecunia, ut jam diximus, nisi jam prius conjuncti essent; ubi liceret pro absolutione a peccato jam perpetrato imponi mulcta pecuniaria post absolutionem, & deputari ad pios usus, in quibus facit Sanctitas tua impensas. Nam sicut ubi non est peccatum in usu clavium, nihil exigi potest pecuniæ: ita ubi absolutio petitur a peccato, imponi mulcta pecuniaria potest, & deputari ad pios usus.

„ Abusus alius in absolutione simoniaci. Proh dolor, quantum in Ecclesiæ Dei regnat hoc pestilens vitium! adeo ut quidam non vereantur Simoniam committere, deinde confestim petunt absolutionem a pœna; immo eam emunt, sicque retinent Beneficium quod emerunt. Non dicimus Sanctitatem tuam non posse pœnam illam quæ est de Jure Positivo constituta, eis condonare: sed quod nullo pacto debeat, ut tanto sceleri resistatur, quo nullum perniciosius, nec magis scandalosum.

„ Licentia etiam testandi Clericis de bonis Ecclesiæ non esset danda, nisi pro causa urgenti: ne bona pauperum converterentur in privatas delicias, & amplificationes domorum.

„ Confessionalia autem cum usu Altaris portatilis non essent facile danda; sic enim vilescunt Ecclesiasticæ res, & Sacramentum omnium præcipuum.

„ Nec Indulgentiæ item dandæ essent nisi semel in anno, in unaquaque insignium civitatum.

„ Commutatio item votorum neque ita facile facienda, neque commutanda præterquam in æquivalens bonum.

„ Consuevere etiam mutari voluntates ultimæ testatorum, qui ad pias causas legant quampiam pecuniæ summam, quam auctoritate Sanctitatis tuæ transferunt ad hæredem vel legatarium, ob prætensam paupertatem &c. idque ob lucrum. Certe nisi facta sit magna mutatio in re familiari hæredis per obitum testatoris, ita quod verisimile sit ob eam mutationem testatorem mutaturum fuisse voluntatem, voluntates testatorum mutari impium est. De lucro jam toties diximus, quare putamus omnino abstinendum.

Abusus in Urbe emendandi.

„ Omnibus in summa explicatis, quæ pertinent ad universalis Ecclesiæ Pontificem, quantum animo potuimus comprehendere; restat ut nonnulla dicamus quæ pertinent ad Romanum Episcopum. Hæc Romana civitas & Ecclesiæ Mater est & Magistra aliarum Ecclesiarum. Ideo maxime in ea vigere debet divinus cultus & morum honestas. Ideo, Beatissime Pater, scandalizantur omnes exteri, qui ingrediuntur Templum B. Petri, ubi Sacerdotes quidam sordidi, ignari, induti paramentis & vestibus, quibus nec in sordidis ædibus honeste uti possent, Missas celebrant. Hoc magnum est omnibus scandalum: ideo injungendum est Reverendissimo Archipresbytero, vel Reverendissimo Pœnitentiario, ut hæc curent, & amoveant hoc scandalum: sicque in aliis Ecclesiis.

„ In hac etiam Urbe meretrices ut Matronæ incedunt per Urbem, seu mula vehuntur, quas assectantur de media die nobiles familiares Cardinalium Clericique. Nulla in Urbe videmus hanc corruptionem, præterquam in hac omnium exemplari. Habitant etiam insignes ædes; corrigendus etiam hic turpis abusus.

„ Sunt etiam in hac Urbe privatorum civium odia & inimicitiæ, quas componere, & cives conciliare præcipue interest Episcopi. Ideo per Cardinales quosdam Romanos præsertim, qui essent magis idonei, omnes hæ inimicitiæ componendæ essent, & civium animi conciliandi.

„ Sunt in hac Urbe Hospitalia, sunt pupilli, sunt viduæ. Harum cura maxime pertinet ad Episcopum & ad Principem. Ideo Sanctitas tua per Cardinales viros probos posset etiam commode hæc omnia curare.

„ Hæc sunt, Beatissime Pater, quæ in præsentia pro tenuitate ingenii nostri colligenda esse duximus, & quæ nobis corrigenda viderentur. Tu vero pro tua bonitate & sapientia omnia moderabere: Nos certe si non rei magnitudini, quæ nostras vires longe superat, conscientiæ tamen nostræ satisfecimus; non sine maxima spe, „ ut sub Te Principe videamus Ecclesiam Dei purgatam, formosam ut columbam, sibi concordem, in unum corpus consentientem, cum æterna tui nominis memoria. Sumpsisti tibi nomen Pauli, imitaberis, speramus, charitatem Pauli. Electus fuit ille ut vas quod deferret nomen Christi per Gentes; Te vero speramus electum ut nomen Christi oblitum a Gentibus, & a nostris Clericis, restituas in cordibus & in operibus nostris, ægritudines sanes, oves Christi in unum ovile reducas, amoveasque a nobis iram Dei & ultionem eam, quam meremur, jam paratam, jam cervicibus nostris imminentem.

Indultum Cancellariis Franciæ & Senatus Parisiensis Pauli III. acceptum refertur.

IV. Gesta *Pauli* III. reliqua memoria digniora ut breviter persequar, auctor ille est Indultorum Cancellarii Franciæ & Senatus Parisiensis quibus Rex Christianissimus vi Pontificiæ gratiæ hos Magistratus & Officiales, vel ab ipsis nominatos, Codicillis Regiis Ordinariis Collatoribus præsertim præsentat & nominat, ut Beneficia suæ collationi addicta, cum vacaverint, ipsis conferant, vel iis quos nominaverint. Ab *Eugenio IV.* Summo Pontifice concessum jam fuerat id privilegium *Carolo VII.* Galliarum Regi anno 1431. mense Majo. Ab Ecclesia tamen Gallicana nedum fuerat neglectum, sed contemptum penitus, eo quod Basileensis Concilii Decretis, quibus Reservationes & Gratiæ Expectativæ antiquatæ fuerant, vulnus gravissimum inferret. Quapropter *Francisci* I. Regis Christianissimi votis annuens Paulus III. *Eugenii* literas cum omnibus clausulis approbavit, innovavit, confirmavit Diplomate dato 29. Junii anni Domini 1538. Laudantur equidem vetustiores Pontifices, qui hanc gratiam Senatui Parisiensi fecerint, *Benedictus* scilicet *XII. Joannes* XXIII. & *Martinus V.* ut refert Commentator Libertatum Gallicanarum a *Pithæo* editarum ad Articulum 69. Sed quia gratiæ illæ perpetuæ non fuerunt, vel pro una & sola vice, certisque ex causis concessæ fuere; consultius ad *Paulum* III. refertur Indultorum origo, qui hanc gratiam *Francisco* I. (ut diximus) concessit in colloquio cum ipso habito extra muros Niciæ: quibus porro conditionibus subjaceat Indultaria Nominatio, alias exponemus. Idem Pontifex florentissimam *Societatem Jesu* maximo Ecclesiæ bono approbavit, primum vivæ vocis oraculo, anno 1520. tum publico Diplomate post relationem *Guidicciani* Cardinalis, cui hujus Instituti examen commiserat, quinto Kal. Octob. an. 1540. Confirmavit pariter congregationem Clericorum Regularium *S. Pauli Decollati* a *Clemente* VII. comprobatam; item Congregationem *Capucinorum* ab eodem Prædecessore suo susceptam, quam ob *Ochini* Vicarii Generalis ad *Calvinum* defectionem abrogare cogitaverat; item pium Sodalitium seu Confraternitatem sub invocatione Sanctissimi Corporis Christi in Ecclesia *S. Mariæ* super Minervam; alteram ad erigendum Hospitalia pro subventione pauperum orphanorum & mulierum conversarum. Academiam in civitate Maceratensi erexit. Monasterium & Hospitale pro Neophytis ex Judaismo ad Christianam Religionem conversis, & Archiconfraternitatem ad illius administrationem instituit. Sex Cardinalium Cœtum negotiis Inquisitionis amplissima cum auctoritate præfecit Diplomate dato 12. Kalendas Augusti anno 1542. quod incipit: *Licet ab initio*; & Tom. 2. Bullarii Romani, cum aliis ejusdem Pontificis Constitutionibus editum est. *Cosmum* Florentiæ Ducem, qui FF. Prædicatores ex urbe sua expulerat, quod *Savonarolæ* famam ac prophetias vindicarent: atque in eorum Domum Augustinianos intruserat, qui tum ob *Lutheri* hæresim maxime suspecti erant, gravissimis literis arguit, jussitque intentatis Censuris, ut homines nostros in integrum restitueret; tum si quam de ipsis haberet conquerendi causam, illam Sedi Apostolicæ exponeret. Sanguinis illicio nimium indulsit & amplificandæ familiæ supra modum studiosus, Parmam ac Placentiam Nobiles urbes a reliqua Ecclesiastica Ditione sejunctas, quas *Julius* II. acquisierat, & *Leo X.* postea recuperaverat, cum Nepa, quam a *Petro Farnesio*, & Camerino, quam ab *Octavio* accepit, urbibus in Ecclesiasticæ Ditionis umbilico sitis, commutavit, & *Aloysio* dedit. Immoderatam illam hominis affectionem in Pontifice acerbis molestiis Deus mulctavit in eo plane genere, in quo peccaverat. Etenim concessa *Petro Aloysio* urbium possessio, causa fuit, ut miserabilem illius cædem *Paulus* spectaret, ac Placentiam ab exterorum armis occupatam; & insuper tam graves inter ipsum & Nepotem *Octavium* offensiones attulit, ut ad illum Parma spoliandum adductus fuerit.

Paulus Tertius amplificandæ familiæ supra modum studiosus.

Pauli III. Elogium.

Obiit *Paulus* III. quarto Idus Novembris, anno 1549. ætatis octogesimo-primo, Pontificatus 15. subinde Davidicum illud ingeminans: *Si mei non fuissent*

sent dominati, tunc immaculatus essem, & emundarer a delicto maximo. Fuit hic Pontifex multis insignibus virtutibus clarus, humanitate, affabilitate, clementia, comitate, præcipuo vero prudentia singulari, per sexaginta fere annos, quibus publica munera obiit feliciter collecta, literisque apprime excultus. Et nisi gravioribus vectigalibus tributisque subditos onerasset, nemo ad eum diem per multos annos jucundiorem sui memoriam reliquisset. Et tamquam recens mortuus non admodum probaretur, insequentium temporum tamen infelici eventu maxime a Bonis omnibus, & ab infirma etiam multitudine desideratus est. Verba sunt *Onuphrii Panvini* in ejus Vita, Urbem situ & diverticulis viarum deformem & imperviam, disjectis male positis ædificiis, in meliorem formam redegit, viis areisque cum veteribus directis & ampliatis, tum novis constitutis auxit, ornavitque; quo nomine ipsi statua in Capitolio posita est.

Pauli III. Cardinales.

V. Sacrum Cardinalium Collegium viris ætatis suæ longe præstantissimis cohonestavit *Paulus III.* In his fuere, præter Nepotes *Alexandrum & Ranutium Farnesios, & Guidonem Ascanium Sfortiam*, quos præclaræ animi dotes & egregia merita non temere adlectos comprobarunt; *Nicolaus a Schomberg*, natione Suevus patria Misnensis, Capuanus Archiepiscopus, ex Ordine FF. Prædicatorum assumptus, virtute, doctrina, rerum peritia celebratissimus, qui in Comitiis post *Adriani VI.* & *Clementis VII.* obitum, nondum licet Cardinalis, suffragiorum parte prope majori ad Summum Pontificatum postulatus fuerat. *Joannes Bellayus*, Parisiensis Episcopus, vir genere, literis, facundia, magnarum rerum gerendarum capacitate insignis, *Francisci I.* Regis Christianissimi Legationibus amplissimis perfunctus: *Hieronymus Ghinuccius*, Italus, patria Senensis, laudatissimi vir ingenii, in Calabria Episcopus: *Jacobus Simonetta*, Nobilis Mediolanensis, ex Romanæ Rotæ Duodecimvir, Pisauriensis Episcopus, Auctor egregii Tractatus de Reservationibus Beneficiorum: *Joannes Fischerius*, Anglus, Roffensis Episcopus, pro Fide, unitate, & libertate Ecclesiastica ab *Henrico VIII.* Rege capite damnatus, qui Scriptis eruditis Catholicam Religionem propugnavit: In carcere Cardinalis renuntiatus est, & suo sanguine, gloriosus purpuratus ad martyrii coronam evolavit, antequam Infulas reciperet. *Gaspar Contarenus*, Nobilis Venetus vir integritate vitæ, Historiæ cognitione, Linguarum peritia, gestis in Republica sua summis Magistratibus insignis, Scriptis etiam clarus, inter quæ non infimum locum obtinet Liber *De Immortalitate Animæ*, quæ juvenis contra *Pomponatium* Præceptorem suum, quamquam modestiæ causa suppresso nomine, edidit. *Marinus Caracciolus* Pontificius ad *Carolum quintum* nuncius, cui primam coronam Aquisgrani imposuit, multisque ejusdem Cæsaris Legationibus functus, Episcopus Catanensis: *Joannes Maria de Monte*, Aretinus ex Apostolicæ Cameræ Auditore, Sipontinus Archiepiscopus, qui postea Summus Pontifex fuit Julius III. *Joannes Petrus Caraffa*, Neapolitanus, Hebraica, Græca, Latina linguis, bonisque disciplinis & Sacris Literis excultissimus, omnium virtutum splendore illustris, Theatinus Episcopus, Clericorum Regularium, qui Theatinorum nomen ab ipso sortiti sunt, cum *B. Cajetano Thienæo* Institutor, Summus postea Pontifex Paulus IV. *Ennius Philonardus*, Italus, Verulanus Episcopus, *Christophorus Jacobatius*, Romanæ Rotæ Auditor, *Carolus Hemord*, Gallus, Matisconensis Episcopus, *Francisci I.* Regis Christianissimi ad ipsum *Paulum III.* Orator, deinde Ambianensis Episcopus. *Jacobus Sadoletus*, Mutinensis, vir piissimus, doctissimus, & eloquentissimus, Carpentoratensis Episcopus, ingenii monumentis clarissimus. *Rodolphus Pius*, Carpensis, Faventinus Episcopus, a *Clemente VII.* Nuncius Apostolicus in Gallias destinatus. *Hieronymus Aleander de Motta*, e Comitibus Landri in Carnia, non longe a Foro Julio oriundus, Parisiensis Academiæ quondam ornamentum Rectorisque Dignitate in ea insignitus, *Ludovico XII.* & *Francisco I.* Regibus Christianissimis gratissimus, Bibliothecæ Apostolicæ Præfectus, vir omni literaturæ genere clarissimus, Brundusinus & Oritanus Episcopus, variis Sedis Apostolicæ Legationibus, præsertim in Germania, pro Fidei Catholicæ negotiis, præclare functus. *Reginaldus Polus*, Anglorum Regum sanguine procreatus, unitatis Ecclesiasticæ scriptis actisque defensor invictissimus, hæroicæ magnanimitatis Princeps, qui Pontificias Legationes obiit in Galliis, in Belgio, in Anglia, ubi Catholicam Religionem restituit, *Maria* regnante. *Rodericus* seu *Ludovicus Borgia*, Hispanus, Joannis Gandiæ Ducis filius. *Nicolaus Cajetanus Sermoneta*, Bonifacii VIII. gentilis. *Petrus Sarmientus*, Hispanus, Compostellanus Archiepiscopus. *Joannes Alvares*, Hispanus, *Friderici Alvarez* Albæ Ducis filius, Cordubensis primum, deinde Burgensis Episcopus, ex ordine FF. Prædicatorum assumptus, postea Compostellanus Archiepiscopus. *Petrus Manriquez*, Hispanus, Cordubensis Antistes. *Robertus de Lenocourt*, Gallus, Catalaunensis Episcopus. *David Betonius*, sanguine & cognatione Scotiæ Regibus propinquus, Jacobi Scotiæ Regis ad *Franciscum I.* Regem Christianissimum Orator, Mirapicensis in Occitantia Episcopus, deinde *S. Andreæ* in Scotia Metropolitanus. *Hippolitus Estensis*, Alphonsi Ferrariæ Ducis filius, a *Francisco I.* & *Henrico II.* Regibus Christianissimis multis Sacerdotiis ornatus. *Petrus Bembus*, Nobilis Venetus, vir Græcis Latinisque literis excultissimus, *Leoni X.* quondam ab Epistolis. *Ludovicus Fregosius*, Italus, patria Genuensis, Salernitanus Archiepiscopus, & Eugubinus Episcopus. *Petrus de la Baume*, Gallus, Gebennensis Episcopus, qui tuendæ fidei & auctoritatis Ecclesiæ causa in ultimum vitæ discrimen non semel adductus est, cum Genevenses ad Calvinianam superstitionem defecerunt. Præfuit deinde Bisuntinæ Ecclesiæ Sacris. *Antonius Sanguis de Meudun*, Gallus, Aurelianensis Episcopus. *Ubertus Gambara*, Brixiensis, Nuncii Apostolici munere in Lusitania, Gallia, Anglia, difficillimis temporibus perfunctus, Episcopus Dertonensis, *Ascanius Parisianus*, Tolentinas, Ariminensis Episcopus. *Petrus Paulus Parisius*, Cosentinus, utriusque Juris Interpres celeberrimus, Cameræ Apostolicæ Auditor, qui unus fuit e *Pauli* III. Legatis & Præsidibus Concilii Tridentini. *Marcellus Cervinus de Spanochiis*, Nobilis Politianus, Episcopus Eugubinus, ad *Carolum V.* Imperatorem & *Franciscum* I. Regem Christianissimum pro gravissimis Ecclesiæ & Reipublicæ negotiis Nuncius, in Concilio Tridentino Legatus ac Præses, postea Summus Pontifex Marcellus II. *Bartholomæus Guidiccionius*, Lucensis, Romanæ Curiæ Datarius, Aprutinus, ac deinde Lucensis Episcopus. *Dionysius Laurentinus*, Beneventanus, Ordinis Servorum Summus Moderator. *Henricus Borgia*, Hispanus, Alexandri VI. pronepos, *Jacobus Sabellus*, Nobilis Romanus, *Pauli III.* consanguineus & Cubicularius. *Michael Silvius*, Lusitanus, ex Comitibus de Portalegria, Visensis Episcopus, *Marcellus Crescentius*, Nobilis Romanus, Marsicanus Episcopus. *Joannes Vincentius Aquaviva*, Neapolitanus, Melphiensis & Rapollanus Episcopus. *Pomponius Cæcius*, Romanus, Nepesinus ac Sutrinus Episcopus. & Pontificis in Urbe Vicarius. *Robertus Puccius*, Florentinus, postquam summos in civitate sua Magistratus gessisset, Pistoriensis Episcopus. *Joannes Moronus*, patria Mediolanensis, vir Juris Consultissimus, Episcopus Mutinensis Nuncius Apostolicus in Germaniam missus, Sedis Apostolicæ in Sacro Concilio Tridentino & Præses. *Gregorius Cortesius*, Mutinensis, vir Græcis Latinisque literis, Jurisprudentia, studiis Theologicis ornatissimus, Ordinis S. Benedicti, Congregationis S. Justinæ Monachus, & Mantuanus Abbas, Scriptis celeberrimus. *Thomas Badia*, Mutinensis, Ordinis FF. Prædicatorum eruditione ac pietate clarissimus, Sacri Palatii Magister. *Christophorus Liber Madrucius*, Tridentinus Episcopus & Princeps. *Gaspar de Avalos*, Hispanus, Compostellanus Archiepiscopus, qui & Gerundensi & Granatensi Ecclesiis præfuit. *Georgius Armaniacus*, Gallus, Ruthenensis Episcopus, & Ecclesiarum Lescariensis & Vabrensis Adimistrator, Christianissimi Regis ad Venetos & ad Summum Pontificem Orator, Tolosanus deinde, ac demum Avenionensis Archiepiscopus. *Franciscus de Mendoca*, Cauriensis primum, deinde Burgensis Episcopus, vir eruditione spectatissimus. *Jacobus d' Annebaut*, Gallus, ex Normaniæ Provincia, Beccensis Abbas, & Lexoviensis Episcopus. *Otho Truchses de Watlburg*, Augustanus Episcopus. *Bartholomæus de la Cueva*, Hispanus, ex illustri Domo Ducum Albuquerquii. *Franciscus Sfondratus*, Cremonensis, Amalphitanus Archiepiscopus, qui & urbis suæ Sacris præfuit, Mediolanensium Ducum Legationibus functus, ab iisque ad Consilium adscitus; qui antequam Clero nomen daret, *Annæ Vicecomiti* lectissimæ fœminæ nupserat, ex eaque inter cæteros liberos *Nicolaum* susceperat, qui ob vitæ sanctimoniam & eruditionem Summus Pontifex evasit Gregorius XIV. *Fredericus Cæsius*, ex familia Romanas inter primaria, Tudertinus Episcopus. *Durantes de Durantibus*, Brixiensis, Juris peritissimus, Cassanus Episcopus. *Nicolaus Ardinghellus*, Forosemproniensis Episcopus, olim

olim in Galliis Apostolicus Nuncius, Juris utriusque Consultissimus. *Andreas Cornelius* Junior, ex Patritia stirpe Venetiis clarissima, Spalatensis Archiepiscopus. *Hieronymus de Capiteferrea*, Romanus, variis Curiæ Muneribus, ac Sedis Apostolicæ Legationibus cum laude perfunctus. *Tiberius Crispus*, Romanus, S. Petri Canonicus. *Georgius de Ambosia* junior, Gallus, Rothomagensis Archiepiscopus. *Henricus*, Regis Emanuelis Lusitaniæ filius, vitæ sanctimonia & eruditione, commendatissimus Princeps, Bracarensi primum, deinde primus Archiepiscopus Eborensis, & Academiæ ejusdem urbis Conditor, Generalis Fidei Inquisitor. Rex demum Lusitaniæ post *Sebastiani* Regis obitum, Cardinalitiis Infulis novum splendorem Diadematis accessione contulit. *Petrus Pathecus*, Hispanus, Giennensis Episcopus. *Carolus a Lotharingia*, Remensis Archiepiscopus, & Acadamiæ in eadem urbe conditor, qui & Merensis Diœceseos Sacris præfuit, & Mussipontanam Academiam erexit, cujus in Tridentino Concilio magnum nomen, & summa in Religionem ac Rempublicam merita sub Christianissimis Regibus Henrico II. Francisco II. & Carolo IX. *Julius Feltrius Ruvereus* Urbinatis Ducis filius, postmodum Ravennas Archiepiscopus. *Carolus Borbonius*, Vindocinensis Ducis cognominis filius, Ludovici Condæi Principis, & Antonii Navarræ Regis frater, Archipræsul Rothomagensis, & Bellovacensis Ecclasiæ Administrator, *Francisci* II. & *Caroli* IX. Regum Christianissimorum Tutor, ab *Henrico* III. primus Præsulum in Ordinem *S. Spiritus* adscriptus, Cœtus Cleri Gallicani Malodunicelebrati Præses, Catholicæ Religionis Defensor ac vindex accerrimus. Hæreseos, & Hæreticorum hostis infensissimus, per omnia laudandus Princeps, nisi conjurationis, quæ sacri fœderis nomine est adornata, se ducem præstitisset, Regiumque nomen affectasset. *Hieronymus Verallus*, Romanus, Casertanus Episcopus, & postea Rossanensis Archiepiscopatus perpetuus Administrator, ad *Carolum* V. Imperatorem in Germania Nuncius pro bello in Turcas promovendo, & Religione procuranda postmodum ad *Henricum* II. Galliæ Regem Legatus. *Joannes Angelus*, Mediolanensis, Archiepiscopus Ragusinus. *Philibertus Ferrerius*, Vercellansis, Episcopus Eborediensis. *Bernardinus Maffæus*, Nobilis Romanus, vir omnium scientiarum genere instructissimus, Theatinus Archiepiscopus.

Academiarum Remensis & Mussipontanæ erectio.

Primus Præsul in Ordinem Sancti Spiritus ab Henrico III. adlectus.

SCHOLION I.

Ad hunc Articulum, pag. 175. & 176. Religiosi Censores hanc notam apposuerunt: *Sententiam de exauctoratione Regum improbabilem & falsam appellat.*

R. Sententiam quæ potestatem directam vel indirectam exauctorandi Reges & Principes supremos Pontificibus asserit, improbabilem & falsam appellavi ex Sacræ Facultatis Parisiensis, & Ecclesiæ Gallicanæ Sententia.

SCHOLION II.

In eodem Articulo, pag. 193. Religiosi Censores hanc propositionem notant: *Neglectum & contemptum Indultum Papæ a Parisiensibus.*

R. Concessum ab Eugenio IV. Summo Pontifice Carolo VII. Francorum Regi Indultum Ecclesia Gallicana non solum neglexerat, sed contempserat penitus, eo quod Basileensis Concilii Decretis, quibus Reservationes & Gratiæ Expectativæ antiquatæ fuerant, vulnus gravissimum inferret. Historiæ res est. Nam merito contemptum fuisse Pontificium illud Indultum, absit ut scripserim vel dixerim. Quid gestum fuerit, non quid geri debuerit, commemoro.

Nota.

Quoad ea quæ dicit Natalis de Regum exauctoratione a Romanis Pontificibus intentata, lectorem remitto ad ea, quæ in rem præsentem plures adnotavi.

Nota.

Ochinus, Vergerius, Balæus, Sleidanus aliique hæretici, & apostatæ Pauli III. memoriam variis calumniis denigrare non omiserunt; illum etenim variniano odio insectati sunt, quia ad novas hæreses conterendas Concilium Tridentinum indixit. At nullam prorsus fidem ipsorum mendaciis præstandam, observat Spondanus ad annum 1549.

ARTICULUS XVII.

DE JULIO III, & MARCELLO III.

I. CUM Sedes Apostolica post obitum *Pauli* III. tribus pene mensibus vacasset, præter omnium expectationem ad Summum Pontificatum consentientibus suffragiis electus est sexto Idus Februarii, anno 1550. *Joannes Maria de Monte*, Aretinus, Cardinalis, Episcopus Prænestinus, qui *Julii* III. nomen sibi adscivit, ob collata in domum suam Beneficia a postremo hujus nominis Pontifice. Grati animi specimen exhibuit Familiæ *Pauli* III. & *Farnesii* Cardinalis, quibus universam amplitudinem suam debebat, Parmam *Octavio Farnesio* restituens, beneficiario jura possidendam. Incredibilem in subditos mansuetudinem & clementiam exercuit. *Ascanium Columnam* in gratiam recepit, redditis illi cunctis oppidis, honorumque ornamentis, quæ per annos plurimos *Paulus* abstulerat. Farsensem Abbatem *ex Ursina* familia absolvit, quem *Paulus* tamquam perduellem damnaverat. Adampta etiam a *Paulo* oppida *Rodulfo Bagliono*, aliisque primariis subditis restituit. Diploma de Concilio Tridenti resumendo promulgavit Kalendis Decembris, anni 1550. Præsidesque designavit *Marcellum* Cardinalem *Crescentium*, *Sebastianum Pighinum*, Sipontinum Archiepiscopum, & *Aloysium Lippomanum*, Veronensem Episcopum. Sex sub *Julio* III. Sessiones celebratæ. Parmense bellum inter Imperatorem & *Henricum* II. Regem Christianissimum, cujus in fidem & clientelam se contulerat *Octavius Farnesius* Dux Parmensis, a Cæsare bello petitus, Concilii suspensioni occasionem dedit. Cum enim Pontifex hujusmodi bello se nimium implicuisset, ac in Cæsaris gratiam Exercitum etiam adversus *Octavium*, & Gallicana auxilia conflasset: cum Cardinalis *Turnonii*, qui negotia Regis in Italia procurabat, & *Pauli Thermei*, Majestatis ejus Christianissimæ Oratoris, rationes, quibus Regem de suscepta *Octavii* tuitione excusabant, rejecisset: cum Regi Censurarum Ecclesiasticarum minas intentasset; Rex vero Pontifici Synodi Nationalis convocationem: cum ejus Majestas Gallicanos Episcopos Tridentum proficisci non permitteret pecuniam e Regno Romam deferri prohibuisset; Protestationas ad Concilium misisset; cum Septemviri Tridento discessissent ob Germanici belli apparatum: cum Regis Galliæ & fœderatorum Principum exercitus Œniponto immineret, ubi Cæsar degebat, & Tridentum urbem propinquam terrora implevisset, ac multi Episcopi non solum Itali, sed Hispani fugam arripuissent; cum insuper Marcellus Cardinalis *Crescentius*, Legatus Pontificius in morbum lethalem incidisset, Pontifex in cœtu Purpuratorum Patrum dia 15. Aprilis 1552. Concilii suspensionem decrevit, de qua & ipsa per se Synodus Decretum edidit promulgavitque in solemni Sessione, die 28. Aprilis. Interim, agente Cardinali *Turnonio*, Pontifex Maximus a belli Cæsarei societata recessit, pactis ad biennium induciis, quarum una conditio erat ut medium se inter Imperatorem & Regem Christianissimum gereret.

Julius III.

Tridentinum Concilium sub Julio III. resumptum.

Tridentini Concilii suspensio.

II. Anno 1553. *Julius* III. Syriæ Patriarcham *Simeonem Sulakam* Sancti Basilii Monachum, & suo nomine & legitimis literis eorum Populorum, qui Nestoriano Schismati diutius adhæserant, obedientiam exhibentem, & ad unitatem Ecclesiæ remigrantem suscepit. Extant Literæ ab Ecclesiasticis Laicisque Nationis illius ad *Julium* scriptæ, quas *Andreas Masius*, ex Syriaco Latinas fecit, quibus Patriarcham suum ab eo confirmari & consecrari postulabant, & una cum eo regressuro idoneos viros mitti, qui de Fidei rebus ipsos edocerent. Extat etiam in Actis Vaticani Senatus Fidei Professio, quam in Consistorio adidit idem Patriarcha. In quo divinæ Providentiæ dispositio & gratiæ œconomia eluxit, quæ Syros Schismaticos ad Romani Pontificis Primatum profiten-

Syri ad Ecclesiæ Romanæ fidem & unitatem reversi.

dum colendumque perduxit, cum Lutherani & Calvinistæ petulantius ipsum impugnabant. Post inducias Parmenses, *Julius* ad concordiam inter Cæsarem & Regem Christianissimum transigendam Nuntios legavit *Prosperum Sanctacrucium*, Romanæ Rotæ Duodecimvirum, ad *Henricum II.* & *Achillem Grassium* Montis Falisci Episcopum ad *Carolum* V. Demandatum est *Sanctacrucio*, ut certum redderet Regem de sincera Pontificis reconciliatione, quæ tametsi induciarum nomen haberet, perpetua pax reipsa futura erat, simulque commoneret quam oportuna foret inter ipsum Regem ac Cæsarem pacificatio, cum per eorum discordias incrementa caperent Turcæ atque Hæretici, quos postea coercere facile non esset: offerebatque seipsum accessurum ad pacem componendam, ubi ambo Principes in eam propenderent. Cum vero missio Nuntiorum inefficax esset, & in dies magis & arma & iræ inter *Carolum* V. & *Henricum* II. exasperarentur, experiri voluit, si forte ipsorum animi ad pacem inclinarentur, duorum Cardinalium Legatione, qui utriusque Aulæ negotia optime callebant, & utrique Principi erant in primis gratiosi. *Dandinum* ad Cæsarem, *Capiteferream* ad Galliæ Regem destinavit. *Polo* Cardinali Legationem in Angliam commisit, *Maria* Regina postulante, ut Religionem eo in Regno restitueret, Anglosque cum Ecclesia Romana reconciliaret. *Moronam* Cardinalem rogante Cæsare, ad Augustana Comitia, Legatum misit, in quibus de gravissimis Religionis rebus deliberandum erat. Utiles publico bono Constitutiones edidit, & inter alias Edicta severissima contra blasphemos & Hebræos. Pium *Societatis Jesu* Institutum, Regulamque accuratius & clarius explicatam iterum confirmavit, Diplomate dato duodecimo Kalendas Augusti, anno 1550. quod cum aliis editum est Tom. 2. Bullarii Romani. Obiit *Julius* decimo Kalendas Aprilis anno 1555. ætatis sexagesimo septimo, Pontificatus quinto. Tener fuit in amore, celer ad iram, sed non minus celer ad eam deponendam quam concipiendam, ad laxamenta pronior, quam ad negotia. Benefico fuit animo, sed interdum absque delectu: quædam illius libertas ac familiaritas, quæ ipsi privatam gerenti personam amorem inter æquales conciliaverant, in excelso postea Principis gradu venerationem minuerunt. Ejus moderatio in eo laudatur quod abstinuerit a transferendis in suos Apostolicæ Sedis bonis: unde *Ascanio Corneo* solum, quoad viveret, donavit pagum prope Perusiam, & germano fratri *Balduino*, itidem quoad viveret, Camerini Principatum concessit, qui postea a *Julii* Successore, compensatis aliunde proventibus, ablatus illi fuit.

Pacem inter Imperatorem & Regem Christianissimum componere conatur Julius III.

Julii III. virtutes & navi.

III. Cardinales creavit, *Innocentium* ignobilem adolescentem, quem, dum Sipontinus Archiepiscopus esset, e domestica servitute eductum, pietatis ergo de suo alendum, studiisque imbuendum curaverat: hunc, inquam, septemdecim dumtaxat annos natum, & a Balduino fratre suo adoptari jussum, tametsi nec tunc, nec postea dignum, quodam benevolentiæ fascino abreptus ad Eminentissimam Dignitatem proveait. *Georgium Utissenovichium*, Hungarum, Strigonensem Archiepiscopum, ex Ordine S. Pauli primi Eremitæ, ad Hungaricæ Reipublicæ Administrationem & pueri Regis tutelam assumptum. *Christopherum de Monte*, ipsius *Julii* III. patruelis fratrem, Montanæ familiæ nomine & insignibus donatum, Patriarcham Alexandrinum. *Fulvium Corneum*, patria Perusinum, suum ex sorore nepotem, Perusii Episcopum. *Joannem Michaelem Saracenum*, Neapolitanum, ex illustri familia, Acheruntinum & Materanum Archipræsulem. *Joannem Riccium*, Politianum, Sipontinum Archiepiscopum, & Clusinæ Ecclesiæ Administratorem. *Jacobum a Putea*, Gallum, patria Niciensem, ex Rotæ Romanæ Auditore, Barensem Archiepiscopum, Juris Consultissimum. *Alexandrum Campegium*, Nobilem Bononiensem, suæ civitatis Episcopum. *Joannem Andream Mercurium*, Siculum, Messanensem Archiepiscopum. *Petrum Bertanum*, Mutinensem, Theologum & Concionatorem eximium, Farnensem Episcopum, ex Ordine FF. Prædicatorum assumptum. *Sebastianum Pighinum*, Sipontinum Archiepiscopum, unum ex Tridentini Concilii Præsidibus. *Fabium Mignanellium*, Senensem, Lucerinum primo, deinde Grossetanum Episcopum. *Joannem Poggium*, Bononiensem, Episcopum Tropiensem, Sedis Apostolicæ ad Cæsarem Nuncium. *Joannem Baptistam Cicadam*, Genuensem, Juris Peritissimum, ex Cameræ Apostolicæ Auditore Albiganensem in Liguria Episcopum. *Hieronymum Dandinum*, Cæsenatem, Juris Utriusque Doctorem, Episcopum Imolensem, Sedis Apostolicæ Legationibus cum laude functum, *Aloysium Cornelium*, Patritium Venetum, Jaderensem Archiepiscopum, ex Ordine S. Joannis Hierosolymitani assumptum. *Petrum Taliaviam de Aragonia*, Panormitanum, suæ urbis Archiepiscopum. *Robertum de Nobilibus*, Montepolitianum, ipsius *Julii* III. pronepotem, sanctimoniæ singularis adolescentem. *Ludovicum a Guisia*, Gallum, Albiensem Episcopum, qui & Senonensis, & Metensis Ecclesiæ sacris successive præfuit. *Hieronymum Simoncellum*, Italum, Patria Urbevetanum, ipsius *Julii* III. pronepotem.

Julii III. Cardinales.

IV. *Julio tertio* concordibus suffragiis suffectus est die nona Aprilis 1555. *Marcellus Corvinus*, Politianus, Tituli S. Crucis in Jerusalem Presbyter Cardinalis, Legatus olim Apostolicus ad *Carolum* V. & in Concilio Tridentino, eodemque nomine appellatus *Marcellus secundus* ex pietate erga memoriam inclyti Pontificis ac Martyris *Marcelli primi*. Hac in electione nihil fortunæ datum, sed sanctimoniæ, doctrinæ, prudentiæ usu rerum consultissimæ, æquitati, moderationi, cæterisque virtutibus Summo totius Ecclesiæ Principatu dignis, quæ in *Marcello* eminebant. Moderationis ac circumspectionis specimen dedit, Senensium postulatione repulsa, negatisque ipsis auxiliis contra *Cosmum* Florentiæ Ducem, & Cæsarianos, a quibus obsidione premebantur, satis gnarus communem Christianæ Gentis parentem nullis partium studiis flecti debere. Cum ei oblata fuissent a Cardinalibus Capitula quædam in Conclavi de more condita, jurataque, ut ea jam Pontifex chirographo suo firmaret; respondit, se ante paucos dies in eadem ipsa jurasse, nunc vero sibi esse constitutum ea re ipsa præstare, non verbis tantum polliceri. Prima ejus consilia fuere de prosequendo Reformationis negotio: ad quod urgendum statim Purpuratos aliquot Patres destinavit, quibus a Successore idem postea munus confirmatum est. Falso persuasum Decessoribus suis fuisse ajebat, Reformationem ad Pontificiæ Auctoritatis Imminutionem spectare; cum nihil ad eam conservandam vel amplificandam sit conducibilius. Ea namque nihil solidum tolli, sed vana tantum, sumptuosa, & gravia. Addebat, quod operæ pretium fuisset in Concilio prius in Reformationem incumbere, ad os Hæreticis obstruendum. Se numquam permissurum contestabatur, ut quibus esset animarum cura credita, a suis abessent Ecclesiis, aut Politicæ Jurisdictionis munia tractarent. Quare viris profanis hujusmodi Officia committere decreverat. Carni & sanguini adeo nihil tribuit, ut neminem propinquorum Romam venire voluerit, ne fratrem quidem: duos Nepotes, quos in Urbe educabat, a nemine salutari passus fuerit, nec sui Pontificatus tempore in conspectum admiserit. Accitis Cæsaris & Regis Christianissimi Oratoribus jussit, ad Dominos suos scriberent, ni ad pacis consilia flecterentur, se non tantum Nuntios & Legatos missurum, sed ad ipsos concordiæ sanciendæ gratia profecturum. Catholici Regis Oratori veniam homicidii pro Nobili quodam Romano roganti respondit, se Pontificatum ab homicidæ absolutione auspicari nolle. Magnam de ipsius Pontificatu lætitiam, spem longe majorem extinxit, præciditque immatura mors, ex assiduis Sanctioris Hebdomadæ laboribus contracto morbo, qui apoplexiæ ictu illum perculit postremo die Aprilis, Pontificatus vigesimo secundo, anno ætatis quinquagesimo quarto.

Marcellus II.

Communis Christianorum parens nullis partium studiis flecti debet.

Marcelli II. in Ecclesia Reformationem studium.

Carni & Sanguini nihil tribuit Marcellus II.

Marcello vitio vertit *P. Suavis* magnam quamdam genethliacæ artis fiduciam, qua sibi Summum Pontificatum, de eo palam locutus, & in ipso postea diuturnitatem, rerumque, quas apud se digesserat, successum spopondisset; in quibus ab inopinato vitæ exitu illico se delusum agnoverit. Sed *Suavem* mendacii convincit Cardinalis *Palavicinus* L. 13. Historiæ Concilii Tridentini Cap. 11. tum ex *Marcelli* vita anteacta, quæ summis Christianæ Reipublicæ impensa negotiis, in quolibet curriculi sui vestigio nonnisi prudentiam, maturitatem, animique soliditatem ostendit: & quod in Narrationibus de brevi ipsius Pontificatu editis, ne una quidem vocula deprehendatur quæ hanc laudem offuscet; tum ex Epistola *Seripandi*, Salernitani Archiepiscopi ad *Camajanum*, Fesulanum Episcopum 9. Maii anno 1555. data. In ea Epistola is narrat cum sæpius intento animo res a *Cervino* gestas recoluisset, hanc secum ratiocinationem habuisse. Si *Cervinus* ad Pontificatum aspirabat, & simul ita se gerebat, omnium mortalium hebetissimus erat: si apicem illum ascendere hic curabat studio virtutis, non

P. Suavis mendacia convincitur; Marcellus II. a calumnia vindicatur.

tam

tam homo erat, quam Angelus humana specie indutus. Illi nimirum ea ætate quadrabat, quod olim de *Catone* dicebatur: *O te felicem Marce Porci a quo nemo audet quidquam inhonestum petere*! Atqui post longissimam cum *Corvino* familiaritatem, quo pacto potuisset ita ratiocinari *Seripandus*, si palam ille, ut pro certo *Suavis* assumit, per Astrologicas Observationes Pontificatum sibi prædixisset? Denique *Suavis* calumniam refellunt Scriptores Illustres, qui *Marcelli Secundi* sanctitatem prædicant, *Sadoletus* & *Bembus*, Cardinales in Epistolia ad ipsum datis, *Paulus Manutius* in ea, quam ad ipsum pariter scripsit, Epistola; *Onuphrius* in ejus Vita, *Bzovius* & *Spondanus* in Annalibus Ecclesiasticis; *Orlandinus* in Historia Societatis Jesu Lib. 15. *Theodorus Bibliander* adversæ Communionis Auctor, *Latinus Latinius* in literis ad Episcopum Cracoviensem, *Jacobi* Cardinalis nomine, V. Kalendas Maii 1555. datis; *Joseph Silos*, in Historia Clericorum Regularium; Antiqua Historia Lauretanæ Domus, Cardinalis *Bellarmini* manu descripta, quam apud se haberi ait *Oldoinus* in Additionibus ad Ciaconium; *Sylvester Petrasancta*, in Vita Cardinalis *Bellarmini*, &c. Observatione dignum est, quod de ipso, præter alia jam relata, scribit *Onuphrius Panvinus* in ejus Vita: „ Ea simplicitate, „ qua privatus cum esset, edebat, habebatque, sive „ privatim, sive publice convivaratur, Anagnostem „ in mensa, qui Sacros Libros, aut SS. Patrum Scripta legeret. Post longum in prandio silentium, recordatus aliquando ea Adriani VI. Papæ verba: „ ROMANO Pontifice nemo est miserabilior, conditione ejus nulla miserior. Totius enim vitæ lætitia „ & felicitas amaritudo est; Cathedra Romani Pontificis est spinosa, iter undique consertum aculeis, „ pondus tantæ molis, ut robustissimos premat & „ confringat humeros: manu mensam percutiens dixit: „ NON VIDEO, QUOMODO QUI LOCUM HUNC ALTISSIMUM TENENT, SALVARI POSSINT.

ARTICULUS XVIII.

DE PAULO IV.

I. JUstis *Marcello* II. de more persolutis, Cæsariana factione repugnante, & Cardinali *Francisco* Pauli III. Nepote, cum favore Gallorum prævalente, aliis demum cum *Truchsia* Cardinali Augustano accedentibus, Summus Pontifex electus est *Joannes Petrus Carafa*, Cardinalis, Episcopus Ostiensis, Sacri Collegii Decanus; Theatinus olim Archiepiscopus, illaque abdicata Dignitate, Ordinis Clericorum Regularium, qui Theatini ab ejus Archiepiscopatu vocati sunt, conditor, die 23. Maii Ascensionis Dominicæ memoriæ sacra, & *Paulus* IV. appellari voluit. Pontificatus initio Anglorum suscepit Oratores, superiorum erratorum veniam suorum Principum nomine rogantes, & obedientiam Sedi Apostolicæ exhibentes. Utque eorumdem Principum decus augeret, Diplomate VII. Idus Junii edito Hiberniam Regio titulo ornavit, quem *Henrico* VIII. post Schisma conflatum, illi Insulæ ex Ordinum sententia indiderat, seque tum ipse, tum ejus filius *Eduardus* Hiberniæ Reges dixerant. Cum vero Angliæ Reges opera Sedis Apostolicæ Hiberniam peperissent, eamque ad id usque tempus possedissent, mero nomine *Dominorum*, *Philippus* Rex & *Maria* Regina hunc sibi titulum & honorem a Summo Pontifice confirmari supplicarunt, ut in ipso Diplomate habetur, quod refert *Bzovius* ad annum 1555. Cum *Henrico* Rege Christianissimo fœdus iniit adversus *Carolum* V. Imperatorem. Erat enim alieno prorsus a Cæsare animo, tum ob privatas ipsius, communesque familiæ *Carafæ*, male sæpe ab impotenti Hispanorum dominatu habitæ, injurias; tum vero ob quasdam triremes in portu Centumcellarum captas; & maxime ob insidias in ipsum jam Pontificem, ejusque vitam & auctoritatem a Cæsarianis structas; quarum occasione multi viri primarii, & nonnulli etiam Cardinales carceri addicti, conscriptus Exercitus; *Columnenses* velut conjurationis conscii, perduelles declarati, eorumque oppida occupata. Bellum a *Philippo* Hispaniæ Rege sustinuit Pontifex, opem sibi ferente *Henrico* Rege Christianissimo, qui *Gusiam* Ducem cum fortissimo Gallorum & Helvetiorum Exercitu in Italiam misit. Pax demum inter

Bellum inter Philippum Hispaniæ Regem & Paulum Quartum.

Pax confecta.

Pontificem & Hispanos his conditionibus composita; ut Dux Albanus, Hispanici Exercitus Imperator, Catholici Regis nomine veniam a Pontifice supplex peteret, ejusque Sanctitati obsequium præstaret; Pontifex vicissim Regem uti filium in gratiam reciperet; Gallorum fœderi renunciaret, ac deinceps inter utrumque Regem medius, communis parentis personam gereret; arces, oppida, aliaque bello capta Pontifici restituerentur, complanatis munitionibus. Offensiones & injuriæ utrimque remitterentur, servata nihilominus Pontifici potestate animadvertendi in *Columnenses* belli auctores, aliosque perduelles. Pax confecta 18. Kalendas Octobris, anno 1557. *Ferdinandi* Romanorum Regis electionem ad Imperium, Francofurti factam anno 1558. post solemnem *Caroli* fratris abdicationem, approbare noluit, nec Oratorem ab ipso ceu Cæsare missum excipere, id absque detrimento Apostolicæ Auctoritatis, Fideique periculo fieri non posse arbitratus. Detrimentum quidem pro causa obtendebatur, quod Septemviri jus eligendi non haberent, nisi quando Sedes Imperatoria morte Cæsaris vacasset: quod abdicatio *Caroli*, & translatio Imperii in *Ferdinandum* absque Pontificis auctoritate & assensu fieri non potuisset; quod ex septem Electoribus tres, qui a Catholica Religione desciverant, suffragium nihilominus tulissent, quod si admitteretur, metuendum erat, ne in posterum eum eligerent, qui aut addictus, aut non infensus esset illorum Sectæ. Periculum vero ex electione *Ferdinandi* imminere videbatur, quod suam auctoritatem impertivisset tot Comitiorum Decretis Religioni perniciosis, & novissime Ratisponensi Conventui, & quod majorem natu filium *Maximilianum* pene inter Lutheranos educasset, a quibus sepiebatur & quorum Prædicantes libere sua in Aula permittebat.

Ferdinandi Romanorum Regis electionem ad Imperium post Caroli V. abdicationem approbare noluit Paulus Quartus.

II. Conservandæ vindicandæque Catholicæ Religioni in Anglia, in Scotia, in Gallia, in Germania, in Polonia, in Italia, & toto orbe Christiano, curas omnes impendit *Paulus* IV. missis ad Principes Legationibus subsidiariis Legionibus in Angliam ad *Mariam* Reginam destinatis, *Thoma Crammero*, Archiepiscopo Cantuariensi, hæretico & præcipuo Schismatis incentore exauctorato, concessis Ecclesiasticis proventibus *Mariæ Stuartæ* sapientissimæ Scotorum Reginæ, ut profligatis Hæreticis, firmataque Religione, ejus auctoritas erigeretur, missis in Poloniam viris doctis cum *Aloysio Lippomano* Sedis Apostolicæ Legato. Propagandæ Religionis studio *Nonium Barretum*, Lusitanum, Societatis Jesu Professorem, Patriarchali Dignitate adauctum, ad Regem Abyssinorum legavit. Novos Episcopatus in India Orientali instituit, sub Goana Ecclesia Archiepiscopali Dignitate donata; Novum Testamentum Syriaco idiomate characteribusque Romæ excudi, quo facilius Syri ad pietatem instituerentur. In Belgio quoque Episcoporum numerum auxit, rogante *Philippo* Rege. Tres Ecclesiæ in Metropoles erectæ, Cameracensis, Trajectensis, Mechliniensis; quibus recentes Episcopatus subditi Cameracensi quidem Tornacensis, Atrebatensis, Audomarensis, Namurcensis, Trajectensis, Harlemensis, Daventriensis, Leonardiensis, Gruvingensis, Gandavensis, Brugensis, Iprensis, Buscoducensis, & Ruremondensis. Jusque designandorum in illis Ecclesiis Præsulum *Philippo* Regi Catholico, & ejus Successoribus in perpetuum attribuit. Sacræ Inquisitionis Tribunali majorem auctoritatem dedit, statuens, ut non tantum de hæresi, sed de quibusdam aliis criminibus etiam cognusceret Cardinalium Cœtus a *Paulo* III. ad id institutus. *Michaelem Gislerium* Cardinalem Alexandrinum, qui postea Summus Pontifex fuit *Pius* V. Summum Inquisitorem creavit, idque munus perpetuum esse voluit. Inquisitionis causas semel in hebdomada, stata die, coram Pontifice Maximo referri statuit, ut ejus auctoritate firmaretur, quod a selectis Cardinalibus præjudicatum esset. Librorum prohibitorum Indicem anno 1550. promulgavit, ut fidei morumque integritate consuleret. Non solum Hæreticorum libros, sed etiam Catholicorum, quorum lectio fidelibus perniciosa esset, eujuscumque argumenti, etiam profani, vel a suspectis Typographis editos, eo Indice complexus est, quos sub pœna Excommunicationis ipso facto incurrendæ, & Summo Pontifici reservatæ, privationis & incapacitatis quorumcumque Munerum & Sacerdotiorum, perpetuæ infamiæ, a quoquam legi vel haberi prohibuit. Constitutionem edidit contra Hæreticos, præsertim qui Trinitatem, Divinitatem Christi, ejus Conceptionem de Spiritu Sancto, mortem ut nos redimeret, aut perpetuam Deiparæ virginitatem

Pauli Quarti studia & cura pro fide conservanda & propaganda.

Sanctæ Inquisitionis auctoritas a Paulo Quarto ampliata.

Librorum prohibitorum index ab eodem promulgatus.

inficiabantur. Censures & pœnas contra Hæreticos aut Schismaticos a superioribus Pontificibus latas innovavit, novasque decrevit in Prælatos & Principes a fide deviantes, Constitutione, *Cum ex Apostolatus*.

Pauli Quarti Decreta ad Morum Reformationem.

III. Totus ad tollendos abusus, quos superiorum temporum negligentia pepererat, incubuit *Paulus IV.* ut hac saltem ratione Lutheranorum voces contra Romanam Curiam obloquentium retunderet. Multa igitur summæ severitatis Edicta promulgavit, quæ ad mores emendandos pertinebant. Ob eam causam multis invisus fuit. Prædia & bona Ecclesiarum male & simoniace alienata, quæ a multis aut occupata aut temere empta fuerant, magno multorum damno, possessoribus deturbatis restitui jussit. *Hosio* antiquo familiari Datario declarato, Datariatus redditus suspendit, eumque severe admonuit, ut nullas pecunias pro impetrandarum quarumlibet rerum, quæ concessione parum dignæ viderentur, compositionibus acciperet, quousque a Cardinalibus quibusdam, quibus id munus demandavit, corrigerentur. Complures ea de re deliberationes habuit Theologorum & Juris Peritorum quærens, an hæ pecuniarum solutiones, quæ *compositiones* vocantur, legitimæ essent & a sponte offerentibus pecuniæ licite capi possent. Dum omnium sententias audit, graviter aliquando in eos invectus est, qui accipiendas probarent; ab omni avaritia alienum animum præ se ferens. Episcopis Residentiam imperavit, & quotquot Romæ degebant, ad suas redire jussit Ecclesias. Solemnem Fidei Professionem, quæ hodieque in usu est, ab iisdem fieri mandavit dum inaugurarentur. Dispensationes Matrimoniales inter affines secundo gradu aut raro aut nusquam concessit. Pœnitentiariæ Officium, item Cleri statum tam in vestitu quam victu emendari decrevit, nec ullius nomen recipi voluit inter Sacerdotiorum Candidatos, quorum ante acta vita non probata esset; ac ei quæstioni viros præfecit integerrimos. Monasticam Vitam semel professos, omnes in Monasteria, unde quacumque de causa exierant, redire compulit, moras nectentes in vincula, nonnullos in triremes conjecit. Contra eos qui pro obtinendis Beneficiis se ipsos pro aliis supponebant, vel annuas pensiones offerebant; aut Beneficia pro aliis impetrabant, ut ab eis aliquid consequerentur; vel pro se ipsis, ut aliis postea cum Pensione resignarent, Constitutionem edidit anno 1557. quæ incipit: *Inter cæteras causas*. Societates pecuniarum, quibus præscriptæ menstruæ usuræ persolverentur, præter eas quæ ex Officiis Romanæ Curiæ capiuntur uti usurarias altera Constitutione iisdem verbis incipiente prohibuit, & ne ultra dimidium valoris dictorum Officiorum hujusmodi Societates inirentur ab eorum Administris. Leges tulit in Judæos in Ditionibus Ecclesiæ degentes, sanxitque ut certis septis a Christianorum habitatione separatis concluderentur, pileum crocei coloris viri, velum ejusdem coloris fœminæ gerarent, quo signo internoscerentur; unicam haberent in singulis civitatibus Synagogam; nutrices ancillasve Christianas, seu Christianos famulos non haberent, Dominicis festisque diebus publice laborare non præsumerent: nec Christianos quoquomodo gravarent, aut contractus fictos vel simulatos celebrarent: ne cum Fidelibus luderent, comederent, aut ullam cum ipsis familiaritatem aut conversationem haberent: Ne mercaturam exercerent: Ne Medici Judæi, etiam vocati & rogati, ad Christianorum curam accederent, &c. In lenones & lenas certis in casibus pœnam capitis, alias fustium & exilii decrevit. Constitutionem edidit contra Summum Pontificatum ambientes, aut Summo Pontifice vivente, & inconsulto de Successoris electione tractantes, quos velut simoniacæ hæreseos, & læsæ Majestatis in primo capite reos, Anathemate, privatione omnium Dignitatum & Officiorum, proscriptione bonorum plectendos edixit. Decanatum Sacri Collegii ad Episcopum Cardinalem antiquiorem, in Curia tempore vacationis Sedis præsentem, aut ex causa publica absentem, & a Summo Pontifice extra eam destinatum, spectare declaravit. Lites & controversias quæ inter Cardinales ortæ essent, vel deinceps orirentur, ab uno Summo Pontifice, qualibet appellatione rejecta, dirimi voluit. Constitutiones Apostolicas circa solutionem Annatarum & Quindenniorum pro Beneficiis Ecclesiasticis Cameræ Apostolicæ debitorum, confirmavit & ampliavit. Archiepiscopos & Episcopos ex quibuscumque Ordinibus assumptos, ad claustra suorum Ordinum redeuntes, ad Dignitates & Officia suorum Ordinum assumi prohibuit.

Multa sancit Paulus Quartus ad divini cultus incrementum.

IV. Ad divinum cultum augendum multa sancivit. Abrogatis brevioribus precibus, quæ tunc in Curia frequentabantur, statas Deo laudes ex antiquioris Breviarii forma ab omnibus persolvi jussit. *S. Dominici* FF. Prædicatorum Institutoris Festum, die 4. Augusti sub Officio Duplici celebrari præcepit. Festivitatem Cathedræ *S. Petri Romæ*, quæ tunc quidem in Gallicana & Hispaniensi Ecclesiis, non tamen in ipsa Urbe celebrabatur, in eadem restituit, Solemnitate Cathedræ Antiochenæ, quæ sola Romæ celebris erat, servata. *S. Thomam Aquinatem*, civem suum, præcipua quadam veneratione prosequebatur, cujus in memoriam Sacra solemnia in Ecclesia *S. Mariæ super Minervam* a Sacro Collegio die Martii 7. ipsi dicata fieri statuit, & Concionem ad Purpuratos Patres in Sancti Doctoris laudem Latine habuit, cum primum ea celebritas peracta est. Ipsius Operum lectioni ad supremam usque ætatem tanta cum voluptate vacabat, ut ipsum appellare solitus esset *Baculum senectutis suæ*; de quo etiam aliquando dixit: *Extinctam in ipso pauperem Neapolim, cum extra Thomam est*. Qua sententia significavit, numquam fore ut alterum ingeniorum, doctrinæ, sanctitatisque miraculum par aut simile Urbs Neapolitana Orbi Christiano daret. Græcis Latinisque literis, sacris profanisque egregie excultus erat. Eloquentiam cum Theologica eruditione, munificentiam cum austeritate vitæ conjunxit.

Pauli Quarti cautio in Pontificia Potestatis usu.

V. A *Mommorantio* Duce rogatus, ut matrimonium in *Franciscum* ejus filium & *Joannam Halluinam Pisaniam*, Nobilem Virginem, per verba de præsenti contractum dissolveret, Cardinalibus ac Prælatis doctissimis in Consilium vocatis, jussit illos de potestate Pontificis hac in causa dicere sententiam: num scilicet matrimonium per verba de præsenti contractum, ejus auctoritate solvi posset, cum carnalis nulla intercessisset conjunctio; addiditque: *Ne quæso vos teneant Decessorum meorum facta & exempla, quæ eatenus sequi volo, quatenus Scripturæ auctoritas & Theologorum rationes vos ad illud agendum inducunt....... NON DUBITO QUIN EGO ET DECESSORES MEI ERRARE ALIQUANDO POTUERIMUS, NON SOLUM IN HOC, SED ETIAM IN PLURIBUS ALIIS RERUM GENERIBUS, & tamen plane condemnandi non sumus. Nam Deus suam ita regit Ecclesiam, ut illi certum ad tempus abscondat multa, quæ tum inde patefacit. Quod Christus ipse satis innuit, cum B. Petro dicebat:* „Quod ego facio, tu „nescis modo, scies autem postea. *Et in alio loco ajebat:* „Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non „potestis portare modo. Cum autem venerit Spiritus „Veritatis, docebit vos omnem veritatem. *Quis igitur scit modo, num quæ reliquis circa indissolubile Matrimonii vinculum ante fuerunt incognita, per Nos Deus apertam in lucem nunc prodi velit? Quamobrem, & fratres & Filii mei, studio omni incumbite in illud auxilium, quod a vobis hac in causa expecto: nec rationem habete ullam exempli, quod hic vel ille Decessor meus posteris reliquerit, ut jam admonui: perspicite an Decessores nostri id satis intellexerint, quod de indissolubili vinculo Matrimonii disquirimus. His confectis, ad Cusatinum Archiepiscopum, Apostolicum alias ad Imperatorem Nuncium, sermonem convertit, & ut deliberaret, præcepit. Cusentinus ingenii industriaque suæ nervos omnes contendit ut persuadeat, Matrimonium de quo agitur, dissolvi nequiquam posse. Pontifex sententiam hanc gratam sibi acceptamque esse indiciis pluribus ostendit...... Cusentinum opinando excepit Episcopus nomine Antoniellus, vir admodum senex & veneratione dignus, qui contrariam in sententiam discessit, & paucis pronuntiavit, Pontificem Matrimonium istiusmodi posse dissolvere: cui Pontifex respondit, Se pro attributa sibi potestate tanta gratias nullas agere. Sed quia Episcopus hic nonnullis Beati Thomæ testimoniis usus fuerat, subjunxit Pontifex: B. Thomam potuisse, cum esset junior, multa dicere, quæ factus cum ætate doctior revocaverat: Beatum insuper Paulum dicentem inducit:* „Cum essem parvulus, loquebar ut „parvulus, sapiebam ut parvulus, cogitabam ut par„vulus: quando autem factus sum vir, evacuavi „quæ erant parvuli. *Deinde addidit: Ego non sine causa vos hac de re moneo, sed ut ex his, qui deliberaturi sunt, nullus fundamentum sit rebus quas S. Thomas, cum esset junior docuerit, constituat.* Hæc memoriæ prodidit *Joannes Haya*, Parisiensis Theologus, qui rebus omnibus tum gestis interfuit, cujus narratio refertur ut *Michaelis Castelnavi Malvisserii*, Tom. II. Commentariorum, & in Lib. VI. Additionum

Pontifices in multis errare posse fatetur.

De Summi Pontificis potestate ex superiorum Pontificum factis & exemplis judicium ferendam esse negat; sed vult eam ad verbum Dei, & Canones expendi.

1. Cor. 13. 11.

nûm ad eosdem Commentarios, qui anno 1659. Lutetiæ Parisiorum in lucem prodierunt. Hæc observare operæ pretium fuit, ut omnes doctissimi Pontificis sinceritatem demirentur, qui indeficientis judicii privilegium sibi ac Decessoribus suis, ex Cathedra, id est, accedente Ecclesiæ consensu, non docentibus, respondentibus, vel decernentibus abjudicat, & illud Ecclesiæ tribuit a Spiritu Sancto illustratæ ac edoctæ. Prudenter etiam declaravit, de Romani Pontificis potestate judicium ferendum non ex superiorum Pontificum factis vel exemplis; sed ex auctoritate Scripturæ, ex Traditione, ex Canonibus, ex rationibus Theologorum, quæ his fundamentis innituntur. Noverat alioqui Legum & Canonum violationem pro Lege & Canone sæpe acceptum iri, quo nihil est ad regendam Ecclesiam periculosius, & perniciosius.

Pauli Quarti justa severitas in Nepotes.

VI. Cum ad se delata Nepotum vitia comperta habuisset, ea in Purpuratorum Senatu detestatus, Decretum edidit, quo ipsos jussit Roma secedere, cum suis cunctis familiis, intra duodecim dies, Cardinale in Lavinium relegato, & *Paliani Duce* in Gallesium, oppidum prope Romam, tunc ab eodem possessum, & Marchione *Montis belli* in suam Ditionem in Æmilia, singulis vetitis ne inde discederent, adscripta perduellionis pœna. Cunctis etiam Magistratibus ac Muneribus, seu militaribus, seu civilibus illos privavit. Quin & Cardinalibus & quibusvis aliis interdixit, ne umquam secum agerent de indulgenda ipsis venia, pœnaque remittenda, Unum apud se retinuit *Alphonsum* Cardinalem *Carafam*, filium Marchionis *Montis-belli* in exilium pulsi, Juvenem insigni probitatis laude, & prudentia supra ætatem conspicuum, in quo fiduciam regiminis collocavit, ita tamen ut a viris doctrina, peritiaque præstantibus res publicæ administrarentur. Ejus rei gratia Tribunal constituit, a quo illud originem traxisse, quod nunc Romæ *A consultatione* vocatur, ubi de communi Ditionis Ecclesiasticæ Regimine agitur, *Palavicinus* Cardinalis observat. Pulsis Nepotibus, ait: *Nunc dicendum & scribendum*, PONTIFICATUS ANNO PRIMO: Quasi illi anni ex tempore Pontificatus ipsius expungendi essent, quibus rerum summam indignis Nepotibus permiserat.

Pauli Quarti obitus.

Obiit 17. Augusti anno 1559. ætatis octogesimo-quarto, Pontificatus quinto. Sævit in ejus memoriam populus, ob ejus severitatem efferatus, ad Capitolium cæco impetu confluxit, ad Inquisitionis carcerem, vulnerato formidabilis Tribunalis Præside, seu Commissario ex Ordine Prædicatorum, convolavit, fores perfregit, captivos liberavit.

Populi Romani in ejus memoriam furor.

Inde converso furore ad Conventum nostrum *S. Mariæ super Minervam*, homines nostros in odium Inquisitionis contumeliis lacerarunt, facesque Cœnobio admovissent, nisi *Juliani Cæsarini* auctoritate fuissent prohibiti. Mox ad Capitolium regressi, Pontificis simulacro nasum ac brachium abscidere. Post biduum Edictum insolens promulgarunt, ut unusquisque stemmata tam inimicæ Populo Romano, ac tyrannicæ (ut inquiebant) familiæ Carafensis, quæ penes se essent dejiceret; alioqui tamquam proditor & infamis, ejusdem concremata domo, haberetur. At tanti Pontificis gloriam furor ille popularis obscurare non potuit. Vixit enim, vivetque semper ipsius memoria. De ipso legendi *Panvinus*, *Caracciolus & Castaldus* in ejus Vita, *Ciaconius* noster, & ejus Illustratores, *Joannes Paulus Flavius* in Oratione Panegyrica, *Sylvester Petrasancta* in Symbolis, *Joseph Silos* in Historia Clericorum Regularium, *Palavicinus* Cardinalis in Historia Concilii Tridentini, ubi & ejus nævos his verbis exprimit:

Pauli Quarti Nævi.

Studium pietatis non potuit in eo extinguere quosdam spiritus vel a patria, vel a familia, vel a temperamento haustos. A patria retinuit immoderatam quamdam solicitudinem in vestium concinnitate, splendoremque pompæ supra Ecclesiasticam in exteriori cultu: A familia nimium amorem sanguinis & in sanguine nimiam existimationem titulorum, amplitudinisque mortalis: A temperamento quamdam agendi rationem elatam, vehementem, iracundam, & quamdam severitatem, quæ animi tumorem præferre videbatur. Plus habuit pectoris ad punienda crimina, in quovis sublimi capite, quam prudentiæ ad eadem præpedienda. Amplitudinem omnem sacrosanctæ suæ potestatis habuit pro mensura eam sapienter exercendi, haud animadvertens rebus naturalibus, non civilibus effatum illud aptari: Frustra esse potentiam, quæ non reducitur ad actum.

Pauli Quarti Cardinales.

VII. Præter tres e familia sua, scilicet *Carolum*, *Diomedem*, & *Alphonsum Carafas* in Sacrum Collegium adscivit *Paulus IV.* lectissimos viros *Joannem Siliceum*, ex *Philippi II.* Regis Catholici Præceptore, Toletanum Archiepiscopum. *Joannem Bernardinum Scotum*, Italum, in Castro Malliani in Sabina natum, Ordinis Theatinorum Clericorum Regularem, Græcis, Hebraicis & Chaldaicis literis instructum, Canonumque peritissimum, Archiepiscopum Tranensem, postea Piacentinum Antistitem. *Joannem Suavium Reumanum*, Gallum, ex Novempopulaniæ pago oriundum, Romanæ Rotæ Auditorem. *Joannem Gropperum*, Germanum, Theologum & Jurisconsultum eximium, Coloniensis Ecclesiæ Archidiaconum, Fidei Catholicæ adversus Lutheranos propugnatorem acerrimum, ingenii Monumentis illustrem. *Joannem Antonium Capisuceum*, Nobilem Romanum, Romanæ Rotæ Duodecimvirum. *Thaddæum Gaddiam*, Florentinum, Archiepiscopum Cosentinum. *Antonium Trivultium*, Mediolanensem, Juris consultissimum, Tolonensem Episcopum, Avenionensem olim Prolegatum, & Sedis Apostolicæ in Galliis Nuncium. *Laurentium Strozzium*, Florentinum, *Catharinæ Medicææ* Galliarum Reginæ consobrinum, Biterrensem Episcopum. *Virgilium Rosarium*, Spoletanum, Juris utriusque Doctorem, Isclanensis Insulæ Antistitem. *Joannem Bertrandum*, Tolusanum, Senonensem Archiepiscopum, *Henrico II.* regnante Regiorum Sigillorum Custodem. *Michaelem Gislerium*, ex Bosco, Diœcesis Detornensis, agri Alexandrini oppido oriundum, doctrina & vitæ sanctimonia insignem, Ordinis FF. Prædicatorum, ex Commissario Generali Sanctæ Inquisitionis, Nepesinum & Sutrinum Episcopum; qui postea fuit Summus Pontifex Pius V. *Clementem Monilianum*, Ordinis FF. Minorum Ministrum Generalem, Theologum doctissimum. *Vitellotium Vitellium*, Jurisprudentia aliisque disciplinis excultissimum, Tiphernatem Episcopum. *Joannem Baptistam Baronem de Consiliariis* seu *Gisleriis*, Romanum, Apostolicæ Cameræ Præsidentem, *Guillelmum Perytoum*, Anglum, Sarisberiensem Episcopum, ex Ordine FF. Minorum de Observantia assumptum,

SCHOLION I.

Ad hunc Articulum, pag. 213. Religiosi Censores hanc notam appinxerunt: *De Hispanorum impotenti dominatu & machinatione contra Paulum Quartum male loquitur.*

R. „ De *Paulo Quarto* scripsi, illum cum *Henrico* „ Rege Christianissimo fœdus iniisse adversus *Carolum* „ *V.* Imperatorem, a quo alieno prorsus animo fuit, „ tum ob privatas ipsius, communesque familiæ Carafæ, male sæpe ab impotenti Hispanorum dominatu habitæ, injurias; tum vero ob quasdam triremes in Portu Centumcellarum captas: & maxime „ ob insidias in ipsum jam Pontificem, ejusque vitam „ & auctoritatem a Cæsarianis structas. Hæc plane historica sunt, non a me adinventa, sed ex probatæ Fidei Auctoribus accepta.

SCHOLION II.

Ad eumdem Articulum, pag. 121. Censorius Indiculus hæc habet: *Legenda quæ dicit de Papæ infallibilitate.*

R. *Pauli Quarti* Sententia verbisque de Pontificiæ potestatis usu relatis, observavi illum indeficientis judicii privilegium sibi ac Decessoribus suis, *Ex Cathedra*, id est, *accedente Ecclesiæ consensu*, non docentibus, respondentibus vel decernentibus abjudicasse, & illud Ecclesiæ a Spiritu Sancto illustratæ ac edoctæ tribuisse. Mera hæc facti questio. Non enim quæstionem moveo an Summus Pontifex sit infallibilis necne; sed occasione data observo quæ fuerit *Pauli IV.* ea de re sententia. Cæterum hac relicta quæstione, Fidei causas, sive dubia circa Fidem emergentia ad Sedem Apostolicam referenda esse censeo, & ad Ecclesiam Romanam in qua semper Fides intemerata servata est, & ex quæ est ab Apostolis Traditio, & illius Decretis, *Judiciis*, & *Constitutionibus* ita esse parendum, ut his obviare, plane sit *Hæreticæ pravitatis notam incurrere. Hæreticum enim esse constat, qui Romanæ Ecclesiæ* in Fide *non concordat*, ut scribit Yvo Carnotensis Epistola 8. Hincmari etiam Remensis Archie-

chiepiscopi verba ex animo usurpo, in Opusculo de Divortio Lotharii Regis; *De omnibas dabiis vel obscuris, quæ ad rectæ Fidei tenorem, vel pietatis dogmata pertinent, Sancta Romana Ecclesia, ut omnium Ecclesiarum Mater & Magistra, Natrix & Doctrix est consulenda, & ejus salubria monita sunt tenenda, maxime ab his qui in illis Regionibus habitant, in quibus divina gratia per ejus prædicationem omnes in Fide genuit, & Catholico lacte nutrivit, quos ad vitam præordinavit æternam.*

SCHOLION III.

In eodem Articulo, pag. 224. Religiosi Censores hæc verba reprehendunt; *Nævi Pauli Quarti.*

R. Pontificis istius nævos non aliis quam *Palavicini* approbati in Romana Curia Historici verbis descripsi, Libro 14. Historiæ Concilii Tridentini, Cap. 6. pag. 358. Versionis Latinæ.

Nota.

NOn desunt qui adlaboraverint pro Hispanis vindicandis ob res gestas in Paulum IV. in quem dicunt ut in hostem arma sumpsisse, qnia a Neapolitani Regni Imperio expellere cogitabat. Interim si sapiens lector judicem se velit constituere, non paucos illius ætatis scriptores legere necesse erit; sed sæpe offendet in illos, qui studio partium arrepri non omnino sinceritotis leges servasse conspiciet. Illud certum est, quod sicut quædam vere non probanda in Paulo IV. visebantur, ita quamplurima adfuere quæ meritis laudibus non sunt fraudanda; illius maxime cura in fide catholica tuenda, depravatisque moribus emendandis. Hæc perspiciens hoc nostro sæculo Clemens XI. Statuam Pauli IV. a furente populo dejectam, iterum in Capitolio erigi mandavit, atque in ejus basi hæc legitur inscriptio.

PAULO IV. PONTIF. MAX.
Scelerum Vindici Integerrimo
Catholicæ Fidei Acerrimo
Propugnatori
Statuam olim a S.P.R. in Capitolio erectam
ac diu obscuro loco jacentem
CLEM. XI. PONTIFEX MAX.
restitui jussit.
an. Sal. M. DCCVIII.

Nota.

PRæter rem utitur Natalis Pauli IV. verbis ut infallibilitatem a Romano Pontifice removeat, quoties Ecclesiæ consensus non accedat. Fatemur Romanos Pontifices ut Doctores privatos errori esse obnoxios ac re vera aliquando errasse; atque doctoris privati personam gerunt, dum ad particulares quorumdam expostulationes respondent, atque Ecclesiam universam instruere non intendere ostendunt. Id potissimum observandum, dum super iis, quæ ad fidem non pertinent, respondendum est, ac solum DD. auctoritati, rationibusque innixi aliquid Pontifices deliberant. Hujusmodi quæstiones apud Paulum agitabantur, unde nil mirum, si suos Prædecessores ac etiam seipsum errare posse pertimescebat. Cæterum quæ narrat Natalis unice habentur ex testimonio Michaelis Castelnavi Malvisserii: unde temerarium non esset de illius veritate narrationis dubitare.

ARTICULUS XIX.

DE PIO IV.

I. POST quatuor menses & sex dies vacationis Sedis, summo Cardinalium consensu, Pontifex creatus est *Joannes Angelus Medicæus*, Mediolanensis titulo S. Priscæ Presbyter Cardinalis, qui *Pius IV.* appellari voluit. A clementia Pontificatum auspicatus, Populo Romano condonavit quidquid injuriarum in *Pauli IV.* memoriam, familiam, simulacrum, stemmata, nec-non in Sanctæ Inquisitionis Tribunal intulerat, ea lege ut damna resarcirentur tum locis, tum hominibus injuriam passis; & in hanc postea sententiam Diploma vulgavit. Inito Pontificatu (inquit *Onuphrius Panvinius*, qui tum Romæ versabatur) statim alienam personam, alienos mores induisse visus est. Nam qui hactenus humanus, patiens, beneficus, gratus, mitis, pecuniæ minime cupidus existimatus fuerat, derepente naturam mutasse apparebat. Ante omnia igitur quæcumque *Paulus IV.* præter Curiæ Romanæ mores, & jam receptam a superioribus Pontificibus consuetudinem, publicis Edictis novaverat, disquirens ob multorum querimonias, qui se *Pauli* Sanctionibus male habitos lamentabantur, paulatim retractavit. *Ferdinando* Cæsari Imperatoriam confirmavit Dignitatem, ejusque Oratores perhonorifice suscepit. In patriam gratus, Collegio Doctorum Mediolanensium, cujus membrum olim fuerat, Duodecimviratum perpetuo concessit. *Joannem Moronum*, Cardinalem, & *Thomam Sanfelicium*, Episcopum Cavensem, quos *Paulus IV.* ob hæresis suspicionem in carcerem conjecerat, eorum causa a *Puteo* Juris Peritissimo, & *Gislerio* eximio Theologo, & supremo tunc Inquisitore, S. R. E. Cardinalibus, accurate discussa, absolvit, & in libertatem restituit, cuncta causæ acta iniqua & irrita fuisse pronuntians, nullumque in ipsis tenuem suspicionem Fidei non rectæ apparere. Quam juste *Moronum* liberavit, detersa nota quam enormis & publica criminatio præclaræ ejus famæ inusserat, tam inique *Carafas* damnavit *Pauli IV.* Nepotes. *Paliani Dux* in carcere *Turrisnovæ* una cum uxoris fratre *Comite Aliffensi*, & *Leonardo de Cardine* capite mulctatus est; *Carolus* Cardinalis strangulatur. Duci imputabatur cædes uxoris puerperæ & *Marcelli Capecii* ejus familiaris & consanguinei, subdola commutatio unius Epistolæ in alteram in causa Sfortianarum triremium. Cardinali, fuisse ab eo stimulatum dolo malo Patruum ad arma Cæsari inferenda: similiter stimulatos Gallos ad inducias perfringendas, cum eos cohortari debuisset ad pacem ex traditis sibi a Patruo Mandatis: excitos Turcas ad immittendam classem qua Cæsariani vexarentur: ictum fœdus cum Marchione Brandeburgico, præcipuo Protestantium ductore, defraudatos & Galliæ Regem, & Pontificem militari copiarum stipendio; affectos per calumniam capitali supplicio *Nannium & Spinam*. Damnati sunt denique ambo fratres, ut rei læsæ Majestatis ac perduellionis, Cardinalis Neapolitanus, Pauli IV. ex fratre pronepos, accusatus quod ad extremos Patrui dies pretiosa quædam ex Pontificia supellectile distraxisset, & curavisset obsignanda aliquot Diplomata in rem suam ab eo qui a Secretis Pontificis erat, injussu moribundi Pontificis, post miserabilem suorum patruorum exitum, centum aureorum millibus mulctatus est. Hac in causa deceptus est *Pius IV.* ab *Alexandro Pallantero* Fisci Procuratore *Carafis* infenso. Ceterum *Carafarum* causa jussu *Pii Quinti* retractata, qui post accuratum Auctorum examen pronuntiavit Cardinalem injuste fuisse damnatum; ac proinde ipsius memoriæ & hæredibus restituit quodcumque bonorum non irreparabilium genus, tum Dignitatis, tum pecuniæ quæ in cujusvis manum pervenisset. *Baldus Ferratinus*, Ameriæ Antistes, Romæ Gubernator, cui *Ducis Paliani* causam idem Pontifex commisit, per Sententiam a se pronuntiatam declaravit, Ducem male damnatum crimine perduellionis, & læsæ majestatis, reliquis silentio præteritis; ejus memoriam hæredesque redintegravit, ad ea omnia, quæ tunc reddi possent, recipienda, & cuncta detrimenta non irrevocabilia revocavit. *Alexander Pallanterus* Fisci Procurator, qui *Pio IV.* iniquæ *Carafarum* damnationis auctor fuerat, capite plexus est.

Pius IV. favit in Carafas.

De Concilio Tridenti restaurando, statim a coronatione sua deliberavit *Pius IV.* Nuntios ea de re misit, ad *Ferdinandum* Imperatorem, ad Regem Catholicum, ad *Franciscum II.* Regem Christianissimum, cæterosque Principes: intercessit, ne Synodus Nationalis in Galliis celebraretur, de cujus convocatione susceptum fuerat in Conventu *Fontisbelli* consilium, omnibusque difficultatibus perruptis, Universale Jubilæum per omnes Christiani orbis provincias promulgavit, & Synodum Oecumenicam indixit Tridenti, suspensione sublata, celebrandam ad diem Paschatis anni 1561. qua de re Diploma editum est in Purpuratorum Patrum Senatu, tertio Kalendas Decembris, anno 1560. Obedientia interim Pontifici exhibita est ab *Antonio Borbonio*, & a *Joanna Albretia* ejus conjuge tamquam a Rege ac Regina Navarræ, per utriusque Oratorem *Petrum Albretinum*, eorum consanguineum. Missi in Germaniam ad invitandos ad Concilium Principes, *Ofias Delphius & Commendonus*, Nuncii Apostolici. Prin-

Concilium Tridentinum restaurat.

Principibus Naumburgi congregatis, Brandeburgico Septemviro, qui a comitiis abfuerat, Duci Brunsvicensi, Septemviris Coloniensi ac Trevirensi, aliis Episcopis, Cliviensi Duci quibusdam liberis civitatibus cum indixisset Concilium *Commendonus*, missus est ad Daniæ Regem, a quo repulsus, ad Regem Sveciæ, a quo admisses. Ad Angliæ Reginam *Elisabetam* destinatus *Martinenghus*, Abbas *Canobius* ad Moscborum Ducem, sed alteri negatum colloquium, alteri transitus: Legati a Pontifice delecti, qui suo nomine Concilio præessent *Hercules Gonzaga*, Cardinalis, Mantuanus, *Jacobus Putæus* Titulo *S. Simeonis* Presbyter Cardinalis, *Hieronymus Seripandes* Titulo *S. Susannæ* Presbyter Cardinalis. His adjunctus est *Stanislaus Osius* VVarmiensis Episcopus, Titulo *S. Laurentii* Presbyter Cardinalis; quibus adjuncti sunt etiam ante Concilii celebrationem *Ludovicus Simonetta* Titulo *S. Cyriaci*, Presbyter Cardinalis, & *Marcus Siticus Altaempsius* Diaconus Cardinalis, ex sorore *Pii IV.* Nepos, defuncto demum Cardinali Mantuano, in locum ejus & *Altaempsii*, quem ad se vocaverat, duos alios legatos destinavit, *Joannem Moronum*, Cardinalem, Episcopum Prænestinum, & *Bernardum Navagerium Titulo S. Mariæ inter Imagines* Presbyterum Cardinalem. Novem sub *Pio IV.* Tridentini Concilii Sessiones celebratæ. Ab ipso confirmata Synodus Diplomate dato 7. Kalendas Februarii, anno 1564. secundum ipsius Synodi postulata altero Diplomate dato Idibus Novembris, formam Professionis Fidei præscripsit, ab Episcopis, Dignitatibus, Canonicis Cathedralium Ecclesiarum, aliisque Viris Ecclesiasticis, curam animarum habentibus, Abbatibus & quorumcumque Monasteriorum Præfectis edendæ. Incipit, *Injunctum nobis*; & promulgatum est Idibus Novembris anno 1564. Altero declaravit, quo tempore Concilii Decreta obligare inciperent. Altero demum octo Cardinales deputavit qui eorumdem observantiam Decretorum promoverent & circa eorum executionem invigilarent. Indicem Librorum prohibitorum a selectis Patribus in Synodo adornatum promulgavit. Episcopis Residentiam imperavit in suis Diœcesibus. Bona non residentium, ut spolia Sedis Apostolicæ vindicavit.

Restauranda disciplina studium.

III. Dum Concilium celebrabatur, Curiæ Romanæ disciplinam perturbatam & solutos Aulicorum mores restituere ac emendare studuit *Pius IV.* Constitutionibus Purpuratorum Patrum subscriptione firmatis, Conclavis & Comitiorum pro Romani Pontificis electionis rationem ad vetera Decreta moderatus est. Decrevit, ut si in Concilii celebratione Romana Sedes vacaret, novi Pontificis electio penes Cardinales tantum esset. Rotæ Romanæ, Pœnitentiariæ Apostolicæ, Correctoris Cancellariæ Apostolicæ, & Literarum minoris Justitiæ, Contradictarum nuncupatarum, Cameræ Apostolicæ, & Auditoris causarum ejusdem, Judicum ordinariorum Romanæ Curiæ, Advocati & Procuratoris pauperum, item Procuratoris Fisci Cameræ Apostolicæ, & Referendariorum utriusque Signaturæ Tribunalia & Officia severissimis Edictis emendavit. Græcos in Sicilia & aliis Ecclesiæ Latinæ locis degentes, Ordinariorum Jurisdictioni subditos esse voluit circa ea quæ Dei cultum, Sacramentorum administrationem, animarumque salutem, & hæresum extirpationem spectant. Sacerdotiorum & præsertim Cardinalatus ambitum prohibuit. Illicitas pecuniarum translationes, quæ *Cambiasicca* vocantur, damnavit. Libellorum famosorum auctores castigavit. Indulgentiis modum posuit. Latericia monumenta, quæ passim Ecclesiarum ornatum fœdabant, tolli jussit. *Philippo* Hispaniarum Regi ex redditibus omnium Hispaniæ Sacerdotiorum septingenta millia aureorum concessit, quibus 70. triremes contra Turcas parari, instrui, contineri possent septem millibus aureorum in singulas distributis. Anno 1563. *Odetum* Cardinalem *Castillioneum*, Bellovacensem Episcopum, & sex alios Præsules Gallicanos, quorum unus erat *Joannes Monlucius*, Valentinus Episcopus, secundum relationem Cardinalis Alexandrini Inquisitorum Principis deponere aggressus est propter Hæresis indicia; sed Rex Christianissimus per Oratorem suum *Doysellum*, qui tum Romæ agebat, graviter expostulavit apud ejus Sanctitatem, quod ipse contra Regni sui Jura & Ecclesiæ Gallicanæ Libertates, ejusmodi Causarum primam cognitionem ac judicium suscepisset. *Baptista du Mesnil* in Senatu Parisiensi Advocatus Regius Catholicus, *Caroli IX.* Regis Christianissimi jussu Commentaria his de Causis adornavit, quæ Romam ad Regium Oratorem transmissa fuere anno 1564. cum Papa communicanda. Edita sunt inter Probationes Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ Tom. 1. pag. 135. Uceticensis & Valeotinus Episcopi a Pontificis Judicio ad Auctoritatem Regiam, ob abusum, provocarunt, suasque utrique Literas provisionis ac tuitionis Rex concessit, quarum exempla Tom. 2. Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, legere est pag. 418. 419. & 420. Regius Orator apud Summum Pontificem effecit ne Acta Judiciaria contra illos Episcopos amplius urgerentur. Quod spectat Cardinalis *Castillionei* depositionem, Senatus Ecclesiæ Gallicanæ Libertates Decreto solemni vindicavit, quo sancitum est, ut ad Superiorem suum, id est, Metropolitanum Remensem, cui suberat, ut Bellovacensis Episcopus, pro crimine Hæreseos remitteretur, qui Metropolitanus, cum suæ Provinciæ Episcopis, ejus causam secundum Canones cognosceret ac judicaret. At ea de re paulo uberius infra differam, ubi de Ecclesiastica Politia sermo erit.

Acta in Præsules Gallicanos de hæresi accusatos.

Acta in Joannam Navarræ Reginam.

IV. Anno 1563. quarto Kalendas Octobris, *Pius IV.* valvis Basilicæ S. Petri aliisque locis publicis libellum affigi jussit, quo *Joanna* Regina Navarræ in jus vocabatur ob crimen Hæreseos, sex mensium spatio ad se purgandam concesso, intra quod temporis intervallum Romæ per seipsam sistere se deberet, *Sub pœnis excommunicationis latæ Sententiæ, & privationis Regni Navarræ, & Principatus, & cujuslibet Status & Dominii, vel Dominiorum directorum, vel utilium, vel quovis modo ad ipsum alias spectantium & pertinentium, & servitiorum a vassallis aliis sibi debitis, & quarumcumque gratiarum, & Privilegiorum a Sede Apostolica obtentorum, & confiscationis omnium Jurium, actionum, Privilegiorum, quæ vel quas in præfatis Regno & Principatu & Dominiis & vassallis habuit, habet, seu habere quomodolibet prætendit, omnium & singulorum feudorum ad se quomodolibet pertinentium & spectantium, omniumque & singulorum bonorum suorum feudalium seu allodialium, &c. Ita quod in contraventionis, quod Deus avertat, & contumaciæ casu, Regnum, Principatus, ac alia Dominia hujusmodi dentur & dari possint cuilibet occupanti, vel illi aut illis, quibus Sanctitati suæ & Successoribus dare & concedere magis placuerit.* Monitorii hujus & citationis exemplum legere est apud *Bochellum* Lib. VIII. Decretorum Ecclesiæ Gallicanæ, Tit. V. Cap. X. Adversus hanc Pontificis molitionem, secundum privatorum quorumdam Theologorum & Jurisperitorum opinionem & consilia, non secundum verbum Dei & Romanæ ac universalis Ecclesiæ traditionem Jurisque Regulas in hac causa agentis, Rex Christianissimus *Carolus* IX. intercessit, per *Henricum Clutinium Oisellium* Oratorem suum *Pio* IV. significans, se ad Reginæ defensionem suscipiendam multis rationibus obligari. Primo, quod causa ejus communis esset omnium Regum, in quos similia moliri & aggredi Pontifices possent. Secundo, quod vidua esset Regis, qui paulo ante in bello contra Hæreticos occubuisset, liberis pupillis relictis; & quod sibi ex utroque latere consanguinitate conjuncta. Tertio, quod sua interesset, ne quis ratione aut specie Religionis vicinis suis bellum inferret. Quarto, quod *Joannæ Reginæ* plurima Feuda in Galliis essent, adeoque secundum Regni leges in jus extra Regnum vocari quacumque de causa non posset, etiam ratione publici criminis vel accusationis; neque etiam sine insigni ipsius Regis injuria ea Feuda exponi in prædam, & occupantibus concedi. Quinto, quod omnes formulæ Juris in istius Monitorii promulgatione violatæ fuissent. Sexto, quod a Ministris Romanæ Curiæ erga Regem male affectis hac in causa obreptum esse Pontifici plura certissime persuaderent; maxime vero quod incredibile esset Pontificem Optimum, qui nuper tanto studio *Antonii* Navarræ Regis causam contra Regem Hispaniæ tuitus fuerat, ejus Viduam & Liberos opprimere velle: quod etiam verisimile non esset, æquissimum Pontificem propter Religionem in Reginam præsertim Navarræ agere velle, eique honoris, dignitatis, Regni, bonorum omnium privationem intentare, cum ab annis quadraginta in tot Principes, qui a Fide Catholica & ab Ecclesia Romana defecerunt, nusquam ea via ac severitate animadversum esset. Mirari se vehementer quod Summus Pontifex, quasi meritorum Regis, ac Majorum ipsius erga Sedem Apostolicam oblitus, nequidem ejus Majestatem monere dignatus esset, si quas haberet de Regina conquerendi causas, antequam tanta cum infamia ipsam damnare aggrederetur: Nec illam antea benevole fuisset adhortatus, & ex charitate arguisset, prout causæ gravitas, personæque dignitas postulabant. Meminisse debere Pontificem, pro salute animarum potestatem

Rex Christianissimus Navarrenæ Reginæ causam tuitus est.

sibi

sibi concessam, ut earum incolumitati, & Christianæ Reipublicæ tranquillitati consuleret, quibus eas vias haud idoneas esse, frequentibus exemplis demonstratum fuisset. *Dieu luy a donné Souveraine Auctorité spirituelle au gouvernement de son Eglise, pour le salut des ames & benefice commun de tous Chretiens: non pour la convertir & étendre a priver les Rois de leurs Etats, & disposer de leurs biens: chose qui ne peut apporter autre fruit qu'un tres grand mal à l'Eglise, & trouble a toute la Chretienté, Ce que sa Saintété connoitra clairement, si elle se veut representer les évenemens des autreprises autrefois faites par aucun Pape, pour spolier les Empereurs & Rois de leurs Etats & biens temporels, d'où sont toujours ensuevis de cruelles guerres, effusion de sang humain, calamitez & desolations incomparables à la Chretienté, décadence de la Dignité Papale, & du Siege Apostolique. Comme aussi les Papes qui ont telle chose attenté, demeurent en la memoire des hommes remarquez non pour pasteurs & Peres de paix, mais comme perturbateurs & autheurs des troubles, malheurs & calamitez du genre humain.* Regem igitur enixe rogare Summum Pontificem, ut vocationem in Jus sive Monitorium & Acta quælibet contra Reginam intentata Sanctitas ejus revocet, ne Rex adversus eam vim remedia a Majoribus suis olim usurpari consueta, & omnem potestatem a Deo sibi traditam in causa tam justa adhibere, ad idque omnium amicorum suorum auxilia implorare cogeretur. Commentaria & Mandata de his missa ad *D. Oisellum*, Regis Oratorem in Romana Curia, cum Protestationis a Rege factæ exemplo, edita sunt inter Probationes Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, Tom. 1. pag. 135. 154. & 161. ejusdemque Protestationis & expeditionis a Rege ad Summum Pontificem factæ exemplum editum est apud *Bochellum* Lib. VIII. Decretorum Ecclesiæ Gallicanæ, Tit. V. Cap. 9. Nullam potestatem, Auctoritatem aut Jurisdictionem, etiam indirectam, in temporalia Regum Summum Pontificem habere, Gallis certissimum erat, ut ex aliis Reginæ Matris *Catharinæ Medicææ* Regni Moderatricis literis ad Redonensem Episcopum, Regis Oratorem in Aula Cæsarea, compertum est: *Mais quand au fait de la dite Reyne de Navarre, qui est celui qui importe le plus, le dit Sieur Doisel aura charge de luy faire bien entendre, qu'il n'a nulle Auctorité ny Jurisdiction sur ceux qui portent titre de Roy ou de Reyne, & que ce n'est pas a luy de donner leurs Etats & Royaumes en proye au premier occupant, &c.* Quæ Regis Expostulatio, & *Doiselli* hominis impigri ac vehementis apud Pontificem diligentia, effecerunt, ut Christi Vicarius a Judiciariis Actis in Reginam Navarræ deinceps abstineret. Eidem Regis Christianissimi Oratori primum locum post Oratores Cæsareos, ante Regis Catholici Oratorem qui controversiam de prærogativa Consessus Romæ renovaverat, anno 1564. laudato more Majorum conservavit, cum de concordiæ forma consuluisset, nec ullam reperisset. In Tridentino quoque Concilio, quia Pontificis jussu utriusque Regis Oratori in Sacris thuris suffimenta simul oblata erant, magna discordia orta fuerat. Ob eam rem Hispanus Orator, *Ludovicus Requesenius*, publica Contestatione Regis sui nomine facta, quam Pontifex suscepit, & Judicium pollicitus est, Roma abiit. Nec ab eo tempore Hispani rem judicialiter persecuti sunt, quamvis jus suum magna semper ostentatione prædicent. At Summorum Pontificum æquitas, & diuturna Gallorum possessio (ut de juris ipsius titulis & rationibus nihil dicam impræsentiarum) potiorem ipsorum causam demonstrat. De *Pii* Judicio secundum Christianissimi Regis Oratores lato, legenda Relatio Cardinalis *Vitelli*, apud *Jacobum Valdesium*, Doctorem Hispanum, in Commentario de Dignitate Regum Hispaniæ, *Petrus Suavis Polanus*, *Onuphrius*, & *Papirius Masso* in Vita Pii IV. *Antonius Herrera*, Hispanus, Historiæ Generalis Lib. X. Cap. XVI. *Cæsar Campana* in Vita *Philippi* II. *Palavicinus* Cardinalis in Historia Concilii Tridentini.

Inter probationes Libert. Eccl. Gallic. Tom. 1.

Christianissimi Regis Oratori primus locus post Cæsareos Oratores datus Pii Quarti judicio.

VI. Obiit *Pius* IV. susceptis magna religione ac pietate a Sanctissimo Nepote *Carolo* Cardinali *Borromæo* Ecclesiasticis Sacramentis, verba Sancti Senis *Simeonis* proferens: *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace*; quinto Idus Decembris anno 1565. ætatis 66. Pontificatus quinto. Morum ei diversa tempora, ut *Panvinius* testatur. „ Egregius „ vita famaque fuit, quoad privatus, vel in Magistratibus prioribus sub Pontificibus vixit. Pontifex „ creatus dum Tridentinum Concilium viguit, multa „ optimi præclarique Pontificis documenta dedit. „ Concilio absoluto, suo ingenio libere utens, in multa, quæ non ita ab omnibus probabantur, prorupit. Inerat ei docilitas maxima ad omnes tum pacis tum belli artes; literarum scientia, ac negotiorum magna experientia, mira animi patientia „ atque in laboribus perseverantia, eloquentia non „ mediocris, memoria singularis, qui veterum Juri„ sconsultorum, Poetarum, & Historicorum accurate „ de improviso integras paginas memoriter recitaret. „ Ingenio fuit vivacissimus, ac mente firmissimus, „ sagax & astutus; sed simplex & hebetior haberi „ volebat: in jocis dulcis, in conviviis & domesticorum privata familiaritate comis, verbis & scommatibus acutus, cibi vinique avidus, in voluptates pronus. Erat palam iracundus, occulte invidus, in responsis aliquando acerbus, dominandi cupidus, pecuniæ avidus, ad aurum excipiendum etiam cum alieno detrimento attentus; ad servandum vero parum cautus. Nam quæ excepit, cuncta pene liberalissime absumpsit. Amicitias non ex re, sed ex „ commodo æstimabat. Sic eximias ejus virtutes non „ mediocres defectus obscurarunt.

Pii Quarti virtutes & vitia.

VII. Quadraginta-sex Cardinales creavit, *Joannem Antonium Sorbellonium*, Mediolanensem, amitinum suum, civili prudentia, & rerum publicarum tractatione spectatissimum, Fulginatem Episcopum. *Joannem Medicæum*, Florentini Ducis filium. *Carolum Borromæum*, Patritium Mediolanensem, ex sorore Nepotem, cui & Mediolanensem Archiepiscopatum contulit annum dumtaxat vigesimum-tertium agenti, quem ob heroicas virtutes & miracula *Paulus V.* in Sanctorum numerum retulit. *Hieronymum Seripandum*, insignem Theologum, ex Priore Generali Ordinis Eremitarum S. Augustini, Salernitanum Episcopum. *Bernardum Salviatum*, Catharinæ Medicææ Francorum Reginæ consanguineum, Claromontanum primo, deinde S. Pauli Episcopum. *Stanislaum Hosium*, Polonum, VVarmiensem Episcopum, piissimum doctissimumque, Lutheranæ Hæreseos debellatorem. *Petrum Franciscum Ferrerium* Vercellensem Episcopum. *Ludovicum Simonettam*, Jurisconsultum insignem, Pisauriensem Episcopum. *Antonium Perrenotum*, Vesontionensem, Mechliniensem Archiepiscopum. *Philibertum Naldium de la Bourdaisiere*, Engolismensem primo, deinde Autisiodorensem Episcopum, Regum Christianissimorum *Henrici II. Francisci* II. & *Caroli* IX. Legationibus ad *Paulum* IV. & *Pium* IV. Pontifices Maximos præclare functum. *Marcum Antonium Amulium*, Patritium Venetum, ac Serenissimæ Reipublicæ Oratorem. *Aloysium Estensem*, Ferrariæ Ducis filium, Ferrariensem primo Episcopum, tum Auxitanum in Gallia Archipræsulem. *Ludovicum Madrutium*, Germanum, civem & Episcopum Tridentinum. *Marcum Sitticum Altaempsium*, ipsius Pii IV. ex sorore Nepotem, Cassanensem Episcopum. *Franciscum Gonzagam*, Ducis Mantuæ filium, Aquæ Nigræ Abbatem. *Inicum Avalos de Aragonia*, Neapolitani Regni Cancellarium. *Alphonsum Gesvaldum*, Neapolitanum, Protonotarium Apostolicum, qui & Compsanæ, & Neapolitanæ Ecclesiæ Sacris præfuit. *Franciscum Pachecum*, Hispanum, Toletanæ Ecclesiæ Canonicum, post adeptam Purpuram, Burgensem Episcopum. *Joannem Franciscum de Gambara*, Brixiensem, Apostolicæ Cameræ Præsidentem. *Bernardum Navagerium*, Patritium Venetum, qui plures Serenissimæ Reipublicæ Legationes obierat, postea Veronensem Episcopum. *Hieronymum Austriacum de Carrigio*, Italum, ad Hispaniæ & Galliæ Reges Nuncium olim Apostolicum. *Fridericum Gonzagam*, Friderici primi Mantuæ Ducis filium, ejusdemque civitatis Episcopum. *Ferdinandum Medicæum*, *Cosmi Medicæi*, Ducis Hetruriæ filium. *Annibalem Bozzutum*, Nobilem Neapolitanum, Cameræ Apostolicæ Præsidentem, & Referendarium Apostolicum. *Marcum Antonium Columnam*, Romanum, ex nobilissimo Columniorum Procerum genere, Tarentinum Archiepiscopum. *Ptolomæum Gallium*, Novocomensem, Sipontinum Archipræsulem. *Angelum Nicolinum* Florentinum, Pisanum Archiepiscopum, Juris Peritissimum. *Aloysium Pisanum*, Patritium Venetum Patavinum Episcopum. *Prosperum Publiolam Sanctacrucium*, Nobilem Romanum, Palatinis Officiis, ac Pontificiis Legationibus præclare gestis, eruditioneque illustrem. *Zaccariam Delphinum*, Patritium Venetum, arduis pro Religione & Ecclesia negotiis feliciter perfunctum. *Marcum Antonium Bobam*, Augustæ Prætoriæ in Allobrogum finibus Episcopum, *Emmanuelis Philiberti*, Sabaudiæ Ducis, ad Tridentinam

Pii Quarti Cardinales.

Syno-

Synodum Oratorem. *Hugonem Boncompagnum*, Bononiensem, Juris Peritissimum, Vestanum Episcopum, qui strenuam Ecclesiæ in Tridentino Concilio navarat operam, & postea fuit Summus Pontifex Gregorius XIII. *Alexandrum Sfortiam*, Pauli III. Nepotem, Parmensem Episcopum. *Simonem Pasquam de Nigris*, Patritium Genuensem, Sarzanensem Episcopum. *Carolum Vicecomitem*, Mediolanensem, Vintimilliensem Episcopum, unum ex Tridentini Concilii Patribus. *Franciscum Abundum Castillionem*, Mediolanensem, Bobiensem Episcopum qui in Concilio item Tridentino doctrinæ, pietatis, & studii pro Catholica Religione specimen ediderat. *Guidonem Ferreriam*, Vercellensem Episcopum. *Antonium de Creqay*, Gallum, Ambianensem Episcopum. *Alexandrum Crybelliam*, Episcopum Gierontinensem & Cariatensem in Calabria, Sedis Apostolicæ in Hispania Nuncium. *Joannem Franciscum Commendonam*, Venetum, Zacinthi Episcopum, ad maxima Christianæ Reipublicæ tractanda negotia a *Julio Tertio*, *Paulo* IV. ipsoque *Pio* IV. adhibitum. *Benedictum Lombellinam*, Genuensem, Juris utriusque scientia præstantissimum, Cameræ Apostolicæ Clericum. *Flavium Ursinum*, Romanum, ex utriusque Signaturæ Referendario, & Cameræ Apostolicæ Auditore, Muranensem in Apulia Episcopum. *Franciscum Alciatum*, Jurisconsultum celeberrimum, *Gulielmum Sirletum*, Calabrum, Hebræis, Græcis, Latinisque literis, & omni Disciplinarum genere excultissimum, Protonotarium Apostolicum, *S. Carolo Borromæo* familiarissimum. *Gabrielem Paleotum*, Bononiensem, Romanæ Rotæ Duodecimvirum, virtutum fama & Scriptorum doctrina celebratissimum, præcipuum ipsius *Pii* IV. in Tridentino Concilio Administrum, qui ejusdem scribendis Decretis Actisqua præcipuam operam navavit, post adeptas Cardinalitias infulas Bononiensem Episcopum. *Franciscum Crassum*, ex Mediolanensi Senatore Protonotarium Apostolicum, & Bononiæ Moderatorem.

SCHOLION I.

Ad hunc Articulum, pag. 232. Edis. primæ refertur hæc Indiculi Censorii nota: *Aliqua dicit de Libertate Ecclesiæ Gallicanæ.*

R. Quæ de Ecclesiæ Gallicanæ Libertatibus a Rege & Senatu Parisiensi vindicatis scripsi eo loci, facta mere Historica sunt: Juris Quæstiones non expendo.

SCHOLION II.

Ad hunc & sequentem Articulum pertinet gemina hæc Indiculi Censorii nota, *pag.* 234. 235. 237. *Lege quæ dicit de exauctoratione Reginæ Navarræ . . . , pag.* 250. *Vide quæ dicit de facto Pii V. exauctorantis Elisabetham Angliæ Reginam.*

R. De Actis Pii Quarti in Reginam Navarræ, & Pii V. in Angliæ Reginam, historice scripsi; & obiter observavi ex hujusmodi factis argumentum trahi non posse contra supremam & a solo Deo dependentem in temporalibus Regum & Principum supremorum auctoritatem. Quæ sacræ Facultatis Parisiensis & Ecclesiæ Gallicanæ sententia est.

Nota.

PArisiensis Facultatis doctrinam ubique prædicans Natalis eam enervari non putat exemplis summorum Pontificum, qui Reges exauctorarunt, subditosque a fidelitatis juramento solutos voluere. Verum quamvis non exempla, sed rationes sapiens judex dabeat inspicere, nihilominus pontificiæ indirectæ potestatis assertores, non parum Pontificum gesta urgere contendunt. Cum atenim inter eos, qui eadem potestata usi sunt, aliqui fuerint sanctitata non minus, quam doctrina præstantes, temerarium saltem esse videtur credere aliquid egisse, quod Varbo Dei scripto, aut tradito adversaretur; qua censura passim Natalis inurit opinionem potestati Pontificis adfaventem.

ARTICULUS XX.

DE PIO V.

I. IN Ono ac vigesimo Interregni die *Michaelem Ghislerium*, Boscho oppido agri Alexandrini oriundum, ex Nepesino, ac Sutrino Episcopo *Sanctæ Mariæ ad Minervam* Presbyterum Cardinalem, Montis Regalis Archiepiscopum, Supremum Inquisitionis Moderatorem, ex Ordine FF. Prædicatorum assumptum, in perpetua illa sua animi æquitate ac moderatione conquiescentem, nihilque tale cogitantem, præter omnium expectationem, derepente divinitus conflato Patrum consensu, cum privatim singuli rejecturi viderentur, communiter universi 7. Idus Januarii anno 1566. Pontificem Maximum declaraverunt. Cujus suffragationis principes extitere *Farnesius* & *Borromæus*, Cardinales. Concessit id *Borromæi* Cardinalis precibus ut *Pii* V. nomen acciperet. Festo *S. Antonii*, ac natali suo die, annum iniens sexagesimum secundum, ante Vaticanam Basilicam ab Urbinate Cardinali coronatus est. Initio Pontificatus, omni cogitatione curaque statim incubuit ad purgandam & propagandam Religionem, ac restituendam vitæ morumque Disciplinam. Ipso etiam Pontificiæ creationis die, *Franciscum* Cardinalem *Commendonum* ex Polonica Legatione redeuntem Conventui Principum Germanorum, a *Maximiliano* II. Imperatore Augustæ Vindelicorum indicto, Apostolicæ Sedis nomine Legatum jussit interesse. Illustrissimam *Carafaram* familiam a *Pio* IV. mala mulctatam in integrum restituit. Nulla a sacris aut publicis muneribus intermissio, una ei voluptas erat cura omnis & cogitatio de utilitate ac salute communi. Quibus assiduis & laboribus & actionibus, in illa præsertim sanctitate, summam apud omnes admirationem & auctoritatem obtinebat, teste qui tunc florebat, & in *Pio* V. scribendi Vitas Romanorum Pontificum finem fecit, *Onuphrio Panvinio*, cujus hæc postrema verba sunt: *Dedit Pius V. Pontifex Maximus adhuc id Religionis, justitiæ, patientiæ, liberalitatis, grati animi specimen, ut, si ei tam longa dabitur vita, quam longam & ex admirabili quadam ipsius victus temperantia sperare debemus, & tempus Reipublicæ postulat, neque ad bene administrandam Dei Ecclesiam consequentibus deinceps Pontificibus exempla, neque eloquentibus viris ob laudem ingenii ab eo facta defutura videantur.* Episcopis omnibus Christiani Orbis, & universis quibus animarum cura injuncta esset, jussit ut ad suum quisque gregem aut Ecclesiam se conferrent infra certum tempus. Qua atiam da re ad eos Apostolicas literas Pastoralis Officii zelum spirantes transmisit. Lectissimos e Societate Jesu Sacerdotes ad Japonios & Sinas destinavit, propagandæ Religionis causa. Cum gravis morbus in Urbe grassaretur, pauperesque præsertim & artifices vexaret, pecuniam viritim distribuit, Medicos designavit, *Gamburam* Cardinalem, *Florebellum* Episcopum, ac duodecim primarios cives constituit, qui omnia charitatis officia erga illos exercerent, nihilque illis deesse curarent, quod ad animæ corporisve salutem opus foret. *Innocentii* III. Constitutionem confirmavit, qua sancitum est ut Medici infirmis suadeant, ut ante omnia Medicos advocent animarum, jussitque ut tertia die ad eos ulterius non accedant, nisi peccata sua confessi fuerint, idque eis per fidem Confessarii in scriptis factam constiterit: alioqui Medici gradu priventur, infamia notentur, pecunia ad arbitrium Ordinarii mulctentur. Concilii Tridentini observantiam totis viribus promovit. Constitutiones edidit saluberrimas de cultu divino, Festorum observantia, veneratione Templorum, Simoniacorum, blasphemorum, Sodomitarum & Concubinariorum punitione; de clausura & numero Monialium; de quæstuariis Indulgentiis abrogandis; de Parochialium Ecclesiarum collatione secundum Synodi Tridentinæ Decreta, de Residentia Parochorum, de Privilegiis Regularium, de justis Censuum conditionibus; de præsumptionibus & conjecturis legitimis, quibus Confidentia in Re Beneficiaria probari potest; de Cambiis illicitis; de pœnis eorum qui libellos famosos scripserint, dictaverint, retinuerint, vel transmiserint. Catechismum ex Concilii Tridentini Decreto editum a viris Eruditis, Breviarium item & Missale, necnon Officium B. Virginis, ex ejusdem Synodi præscripto emendata approbavit & promulgavit, cæteris Breviariis prohibitis, quorum usus a primæva institutione Ordinum a Seda Apostolica approbatus non esset, vel a con-

consuetudine supra annos ducentos, & nominatim Breviario Cardinalis *Quignonii*. Multorum Ordinum Religiosorum reformationem promovit. Humiliatorum Ordinem, quorum emendationem, tum *S. Carolus Borromeus*, Ordinis Protector, tum ipse Pontifex frustra tentaverant, & quorum nonnulli in Sancti Cardinalis necem conspiraverant, extinxit, anno 1571. Congregationem Fratrum *Joannis a Deo* nuncupatam, ad regimen Hospitalium, pro curandis infirmis nuper institutam, sub Ordinariorum correctione, & Regula *Sancti Augustini* approbavit. Clericis Regularibus Congregationis *Sancti Maioli*, sive *De Somascha*, facultatem concessit emittendi tria vota, paupertatis scilicet, castitatis, & obedientiæ, secundum Regulam *S. Augustini*.

Sixti Quarti Constitutiones de B. Mariæ Virginis Conceptione Pius V. confirmat.

II. *Sixti* IV. Constitutiones de *B. Mariæ* Virginis Conceptione, in Synodo Tridentina innovatas, confirmavit, & libera cuique facultate relicta *Opinandi hujus controversiæ partem, prout vel magis pium vel magis probabile esse judicaverit*: Statuit ut *Nemo cujuscumque Ordinis, Gradus, Conditionis, vel Dignitatis existat, in popularibus concionibus; vel ubicumque promiscua virorum & mulierum multitudo convenire solet de hujus controversiæ alterutra parte disputare, rationibus vel Doctorum auctoritate asserendo propriam sententiam, & contrariam refellendo, vel impugnando, vel de hac ipsa quæstione cujusvis pietatis aut necessitatis prætextu vulgari sermone scribere vel dictare præsumat. Qui contra fecerit, Suspensionis pœnam a Divinis, absque nova declaratione ipso facto incurrat, si fuerit in Sacris constitutus, & quocumque præterea gradu, sive dignitate, vel administratione fungatur, illis omnibus sit ipso jure privatus, & ad eadem vel similia munera obtinenda vel obeunda perpetuæ inhabilitatis censuræ ipso etiam facto sit obnoxius, super quibus, nisi a Romano Pontifice dispensari sive absolvi non possit*. Permittit nihilominus, *Quamdiu per Apostolicam Sedem altera pars definita non fuerit, oppositaque sententia condemnata, liceat viris doctis in publicis Academiæ disputationibus, sive Generalium aut Provincialium Capitulorum vel ubi alias intersunt, qui rem capere possunt, nec scandali ulla subest occasio, de illa quæstione disserere & argumentis utramlibet partem vel asserere, vel impugnare, dum tamen neutra veluti erronea prædicetur, serventurque omnia, quæ a Sixto IV. statuta sunt*. Angelici Doctoris festum diem sub Duplicis Majoris Officio in Regno Neapolitano, ex præcepto celebrari jussit: in aliis vero locis, ut festa quatuor Ecclesiæ Doctorum. Taurorum agitationes, aliaque cruenta spectacula, tamquam a Christiana pietate aliena prohibuit. Meretrices ab Urbe expulit; cumque Triumviri Urbis conservatores acriter resisterent, ob locandarum ædium detrimenta, *Pius* continuo silentium imposuit, dicens: *Ergo-ne Romani Senatus erit muliercululas has tueri, & impudicitiæ favere? Atqui nisi illæ Roma discedant, Nos cum universa Curia discedemus*. Cum severis Legibus Clerum emendare, Tribunalia omnia reformare, vitiosas consuetudines tollere satageret; plerisque conclamantibus, Romanam Curiam his innovationibus eversum iri: *Præstat*, inquit, *Curiam, quam Religionis & Ecclesiæ Catholicæ statum everti*. Judæos ab omni Ditione Ecclesiastica exulare jussit, urbe Roma & Ancona exceptis. Nemo ipso liberalior ac magnificentior, nemo gratiæ privatis quibusque pro acceptis olim beneficiis referendæ studiosior, nemo ad privatas injurias condonandas facilior, nemo ad promovendam pietatem propensior, nemo ad Hæresim exterminandam ardentior, nemo novitati & errori magis infensus hostis. *Michaelis Baii* 79. Propositiones damnavit, anno 1567.

III. *Mariam* Scotiæ Reginam in angustiis consolatus est; Regem Christianissimum, aliosque Principes ad ejus auxilium adhortatus, misso quoque Nuncio Apostolico in Scotiam *Vincentio Laureo*, Montis Regalis Archiepiscopo, qui consiliis suis ei adesset, scriptis ad eam sua manu literis, datisque viginti millibus aureorum ad subveniendum ejus necessitatibus, plura daturus, cum ferret occasio. Nuncius post longam in Galliis moram, cum Scotiæ aditum sibi per Hæreticorum ac Seditiosorum turbas clausum penitus videret, Reginam per literas ad constantiam sæpe cohortatus, in Italiam remigravit.

Acta in Elisabetham Angliæ Reginam.

Elisabetham Angliæ Reginam, quæ supremi Ecclesiæ Capitis locum & Auctoritatem ex in insula usurpaverat, Catholicæ Religionis usum Edicto prohibuerat, Catholicos Antistites, & Ecclesiarum Rectores, omnesque veræ Fidei Professores vexabat, Hæreticam & Hæreticorum fautricem, eique adhærentes in prædictis, Anathematis sententiam incurrisse, esseque a Christi corporis unitate præcisos declaravit. *Quin etiam ipsam prætenso Regni prædicti jure, nec-non omni & quocumque Dominio, Dignitate, Privilegioque privatam. Item Proceres, subditos, & populos dicti Regni a Juramento & omni prorsus obsequii ac fidelitatis debito absolutos*: lata in eos omnes qui ipsi obedirent Anathematis Sententia. Constitutio ea de re promulgata, quæ incipit: *Regnans in excelsis*: data 5. Kalendas Maii anno 1570. edita est a *Sanderi* Continuatore lib. 3. De schismate Anglicano, & Tom. 3. Bullarii Romani.

Anglos a juramento & omni debito fidelitatis ergo Elisabetham absolvit.

Elisabethæ crimina, quæ Pium Pontificem ad eam sententiam ferendam impulerunt ad hunc modum exponit: *Hæc, Regno occupato, Supremi Ecclesiæ Capitis locum in omni Anglia, ejusque præcipuam Auctoritatem atque Jurisdictionem monstruose sibi usurpans, Regnum ipsum jam tum ad fidem Catholicam & bonam frugem reductum, rursus in miserum exitium revocavit. Usu namque veræ Religionis, quam ab illius desertore Henrico VIII. olim eversam, claræ memoriæ Maria Regina legitima hujus Sedis præsidio reparaverat, potenti manu inhibito, secutisque & amplexis Hæreticorum erroribus, Regium Consilium ex Anglica Nobilitate confectum diremit, illudque obscuris hominibus Hæreticis complevit, Catholicæ Fidei cultores oppressit, improbos Concionatores, atque impietatum administros reposuit. Missæ Sacrificium, preces, jejunia, ciborum delectum, cœlibatum, Ritusque Catholicos abolevit, libros manifestam hæresim continentes toto Regno proponi, impia Mysteria & instituta ad Calvini præscriptum a se suscepta & observata etiam a subditis servari mandavit. Episcopos, Ecclesiarum Rectores, & alios Sacerdotes Catholicos suis Ecclesiis & Beneficiis ejicere ac de illis & aliis rebus Ecclesiasticis, in hæreticos homines disponere, deque Ecclesiæ causis decernere ausa; Prælatis, Clero & populo ne Romanam Ecclesiam agnoscerent, neve ejus Præceptis, Sanctionibusque Canonicis obtemperarent, interdixit; plerosque in nefarias Leges suas venire, & Romani Pontificis auctoritatem atque obedientiam abjurare, seque solam in temporalibus & spiritualibus Dominam agnoscere jurejurando coegit; pœnas & supplicia in eos, qui dicto non essent audientes, imposuit, easdemque ab iis, qui in unitate Fidei & prædicta obedientia perseverarunt, exegit. Catholicos Antistites & Ecclesiarum Rectores in vincula conjecit, ubi multi diuturno languore & tristitia confecti, extremum vitæ diem misere finierunt. Quæ omnia cum apud omnes Nationes perspicua & notoria sint, & gravissimo quamplurimorum testimonio ita comprobata, ut nullus omnino locus excusationis, defensionis aut tergiversationis relinquatur. Nos multiplicantibus aliis atque aliis super alias impietatibus & facinoribus, & præterea Fidelium persecutione, Religionisque afflictione impulsu & opera Elizabeth quotidie magis ingravescente, quoniam illius animum ita obfirmatum atque induratum intelligimus, ut non modo pias Catholicorum Principum de sanitate & conversione preces, monitionesque contempserit, sed ne hujus quidem Sedis ad ipsam hac de causa Nuncios in Angliam trajicere permiserit, ad arma justitiæ contra eam de necessitate conversi, dolorem lenire non possumus, quod adducamur in unam animadvertere, cujus Majores de Republica Christiana tantopere meruere.*

Pius V. excusatur.

IV. Quod superius de sententia a *Paulo* III. in *Henricum* VIII. lata dixi, id repetitum velim hoc in loco de *Pii* V. Sententia in *Elisabetham*, ne ex hujusmodi facto Sanctissimi Pontificis argumentum trahatur contra supremam & a Deo solo dependentem, in temporalibus dumtaxat, Regum & Principum supremorum Auctoritatem, & ex eo colligatur, Ecclesiæ aut Romano Pontifici potestatem indirectam in eorum temporalia convenire, qua ob hæresim falsem exauctorari possint. Hanc opinionem in Aula Scholisque Romanis tunc vigentem, & quorumdam e Superioribus Pontificibus exempla secutus *Pius* V. Reges hæreticos exauctorare se posse existimavit. Quam quidem opinionem Sacra Facultas Parisiensis & Gallicana Ecclesia respuunt ac improbant verbo Dei cum scripto tum tradito fretæ. Nihil tamen per hoc derogatur eximiæ Beati *Pii* V. sanctitati, quem excusare longe facilius & proclivius est quam *Gregorium* VII. Sanctissimum pariter Pontificem. Nam *Gregorius* VII. nullum exemplum habuit, quo Regum exauctorandorum potestatem sibi ac Sedi suæ tribueret: *Gregorii* VII. & aliorum quorumdam post ipsum Pontificum exempla, & inter alia *Pauli* III. in *Henricum*

ricum VIII. Angliæ Regem Judicium recens præ oculis habuit *Pius* V. Unde nihil novi sibi tribuit, sed jura dumtaxat a Decessoribus quibusdam suis Pontificiæ Sedi attributa. Quamquam æquitatem sententiæ in *Elisabetham* natalium ejus vitium manifeste probat. Spuria enim erat *Henrici* VIII. proles ex adulterio cum *Anna Bolena* suscepta, nec jure natalium, nec Regni Legibus capax erat successionis in Regiam dignitatem. Jus evidens erat *Mariæ*, Scotiæ Reginæ. *Henrici* quidem voluntate, & Cominorum Edicto, sed palam iniquo, regnabat *Elisabetha*. Id attendens *Pius V.* Reginam intrusam, quæ potestate male parta ad Catholicæ Religionis eversionem abutebatur, quæ tyrannidem in Catholicos Præsules & Sacerdotes, priscæque Fidei Professores exercebat, quæ subditos suos ad ejurandam Romani Pontificis obedientiam juramento obstringebat, quæ se unam pro Ecclesiæ Anglicanæ Capite seu Gubernatrice gerebat; *prætenso jure Regni privatam*, & subditos a juramento fidelitatis absolutos denuntiare se posse existimavit, seu declarare quod evidentissimum erat, nullum jus ipsius fuisse nec esse ad Regnum, nullumque esse vinculum juramenti, quo fidelitatem suam ac obsequium ipsi Angli obstrinxerant, nec teneri ad parendum impiis ejus Mandatis ac Legibus contra Fidem, Religionem, Ecclesiam Romanam, & Summi Pontificis Primatum. Hic Sententiæ a *Pio V.* latæ sensus est, unde & ipsam *Elisabetham prætensam Angliæ Reginam* vocat, *Mariam* vero cui successerat *Reginam legitimam*, ipsamque *Regnum occupasse*, id est usurpasse scribit. Qua de re *Sanderum* audire juvabit lib. II. De Schismate Anglicano. *Sæpe quidem* (inquit) *conata est Maria illam ab omni successionis sorte, vel propter hæresim, vel propter crimen læsæ Majestatis (Multa enim contra sororem & Rempublicam commiserat) vel, quod magis constabat, propter impurissimos natales excludere. Nam ex Clementis septimi Sententia juridica, prætensum Henrici cum Anna Matrimonium, & proles ex illa suscepta, expresse definiuntur esse illegitima. Idemque Henricus postea a perturbatione factus liberior in publicis Regni Comitiis decerni curavit, omnesque sibi subditos a juramento quod Annæ Bolenæ, vel ejus soboli prius præstiterant, absolvi jussit; porro contestatus in Senatu suorum, Annam illam nec fuisse, nec esse potuisse uxorem suam, propter certam causam, quam dixit se Cantuariensi Episcopo secreto insinuasse. Et licet Henricus anno trigesimo quinto Regni sui, impetrata potestate ab Ordinibus nominandi successores suos, voluerit etiam Elisabetham habere in ordine regnandi locum, quod & illorum Comitiorum Decreto approbari fecit (Ex quo solo Parlamentario Edicto, & nullo nativitatis jure ista est postea adepta imperium, & ita in hunc diem tenet) tamen nec ab Henrico Patre, nec a se ipsa, ullo Statuum Decreto, aut Matris cum Patre conjunctio, aut Natales ipsius fuerunt unquam postea approbati, aut facti legitimi. Quia & Ordines primo anno Reginæ Mariæ lege perpetua approbarunt conjugium Henrici cum Catharina, & prolem ex eo genitam omni divino & humano jure legitimam fuisse declararunt; omnia contraria Acta, Processus & Sententias abrogantes: ut proinde alteræ cum Anna, Catharina adhuc superstite, veræ nuptiæ esse non potuerint, nec ex illis suscepta soboles legitima, nec Anglicani Sceptri, secundum leges municipales, quæ Spurios non admittunt, vel natura, vel alia prærogativa capax esse: quod tamen Senatusconsultum nec ab ipsa Elisabetha rescissum est hactenus. Quæ licet jus regnandi vendicet, Regnumque sibi deberi ab omnibus in primis Regni sui Comitiis agnosci voluerit, tamen nusquam jus suum natura, sed Parlamento prædicto adscribit: hoc præterea variis postea Decretis cavens, ne quisquam sub pœna capitis affirmet, non esse in potestate Principis & statuum positum, ut quem velint Regem designent. De natalibus autem suis probandis aut reformandis nullus sermo, sed altissimum ubique silentium.* Sententiæ Depositionis in *Elisabetham* latæ nulla fuit utilitas. Nec enim Catholici Principes commercium cum ipsa propterea abruperunt, nec Orthodoxi Angli ab ejus obedientia recesserunt & graviorem persecutionem in veræ Fidei Professores hujusmodi sententia excitavit, ut *Sanderi* Continuator lib. 3. de Schismate Anglicano testatur. *Propter hujus*, inquit, *Apostolici Scripti publicationem ac defensionem, unus aut alter majori zelo præditi, mox Londini, ubi ejus Pseudo-Episcopi Palatii valvis affixum fuit, extremum supplicium læsæ Majestatis condemnati constanter subierunt; Catholicis cæteris, vel quia non agnoscebant juridice publicatum, observarentque vicinos Principes ac Provincias Catholicas ab assuetis cum illa commerciis non abstinere; vel quia paulo post Promulgatore Pio V. mortuo, non sciebant a Successore suo renovatum ac confirmatum; vel saltem (licet priora censerentur) propter metum in ipsius obedientia permanentibus . . . . . . Hac Ecclesiæ contra ipsam Sententia, & Catholicorum novis incrementis quotidianis non mediocriter offensa Elisabetha, convocatis Ordinibus, Leges valde iracundas & cruentas contra veteris Fidei cultores promulgat, &c.* Testatur ejusdem Auctoris Continuator, Bullam *Pii* V. occasionem dedisse *Elisabethæ* & impiis ejus Administris ut plerosque Sacerdotes & Religiosos Viros ceu Majestatis reos capite damnarent, quamvis unius re vera Catholicæ Religionis odio ipsos a medio tolli compertum esset, „ Cum, „ *inquit*, cæteras confictas criminationes in judicio facile depulissent, mox in ipsorum secretiores cogitationes & futura facta quibusdam copiosis interrogationibus super Bulla declaratoria Pii V. fit inquisitio, nimirum si Sententiam illam legitimam fuisse judicent? Si putent in Papæ esse potestate Reges exauctorare, ac subditos ab ipsorum obedientia liberos reddere? Quid sint facturi ipsi, aut aliis in conscientia præscriberent, si bellum a quoquam inferatur propter Religionem! ac hujus generis alia. In quibus, si quid pro Pontificia potestate, vel prudentissima rerum moderatione dixissent, continuo læsæ Majestatis, & non Religionis rei decernebantur. “ Denique ut se res habeat, nec *Pii* V. nec *Pauli Tertii*, nec *Innocentii* IV. nec *Bonifacii Octavi*, nec *Gregorii* VII. facta & exempla supremæ Regum auctoritati, Scripturæ Sacræ, & Traditionis auctoritate firmatæ, præjudicare possunt, aut indirectam Romani Pontificis vel Ecclesiæ auctoritatem in Regum temporalia stabilire, quia (ut Jure habetur) *Exemplis non est judicandum, sed Legibus.*

Sententia in Elisabetham lata æquitas, ob natalium ejus vitium.

Sententiæ sensus.

Sententia depositionis in Elisabetham lata inutilitas.

Pag. 326.

V. Nec in Anglia solum, sed in Germania & in Gallia, Catholicam Religionem tuitus est *Pius* V. *Maximilianum* Cæsarem, qui liberam Augustanæ Confessionis Professionem Proceribus & Nobilitati Austriacæ permittere decreverat, misso *Commendone* Legato, scriptisque gravissimis literis, & privatione Imperii intentata, ab eo consilio deterruit. *Carolo* IX. Regi Christianissimo adversus perduellium Calvinistarum Sectam consiliis, precibus, pecuniis, copiis præsto fuit. Quatuor millia, & quingentos Pedites, Equites mille, Duce *Sfortia* Comite *Sanctæ Floræ*, misit ad ejus Majestatem. His auxiliis Monconturiensis victoria a *Carolo IX.* reportata. *Sancta Floræ* Comes septem & viginti Signa hostibus a se erepta in Italiam triumphans retulit. *Pius* Pontifex solemnes per triduum supplicationes ad gratias Deo agendas celebravit, eamque victoriam insigni Monumento ad posteritatis memoriam commendari voluit, signis illis in Basilicam Sancti Joannis Lateranensis illatis; cum hac inscriptione: *Pius V. Pontifex Maximus. Signa. De. Carolo*. IX. *Christianissimi. Galliæ. Regis. Perduellibus. Iisdemque. Ecclesiæ. Hostibus. A. Sfortia. Comite. S. Floræ. Pontificii. Auxiliaris. Exercitus. Duce. Capta, Relataque. In Principe. Ecclesiarum. Basilica. Suspendit. Et. Omnipotenti. Deo. Tantæ. Victoriæ. Auctori. Dicavit. Anno.* MDLXX. Eodem anno equestria signa duodecim in celebri prælio Jarnacensi Hæreticis perduellibus ablata *Pius* in Basilica *S. Petri* suspenderat. Rege Christianissimo per Oratorem suum in publico Cardinalium consensu prædicante. Hanc se victoriam Sanctissimi Pontificis apud Deum precibus acceptam referre. Auxiliares etiam copias Christianissimo Regi suppeditaverat, instigante Pontifice, *Cosmus Medicæus* Florentiæ Dux, & centum aureorum millia illi mutuo dederat; quem ob rem præclare gestam, ob eximias dotes & magna in Sedem Apostolicam merita, ob potentiam & affinitatem cum maximis Regibus Magnum Etruriæ Ducem creavit, eodemque titulo Successores ipsius perpetuis futuris temporibus auxit, Constitutione data 6. Kalendas Septembris, anno 1569. exemplo (inquit) Decessorum suorum *Alexandri Tertii*, *Innocentii Tertii*, *Pauli* IV. & aliorum Pontificum, qui Portugalliæ & Bulgarorum, & VValachorum, nec-non Hiberniæ Reges, & ut tunc Dux Bohemiæ Rex in suis literis nominari posset, respective creaverant, constituerant, & concesserant: eumdem *Cosmum* Regali Corona donavit, qua tam ipse, quam Successores uti possent hac inscriptione insculpta. *Pius V. Pontifex Maximus. Ob. Eximiam. Dilectionem. Ac. Catholicæ Religionis.*

Pii V. Acta pro Religione.

Pii V. in Galliam merita & beneficia.

Magni Florentiæ Ducis titulum Cosmo Medices Pius V. tribuit.

Zelum. Præcipuumque. Justitiæ, studium. Salva nihilominut (ut addit in laudato Diplomate) in civitatibus & locis Etruriæ, ad Romanæ Ecclesiæ ditionem pertinentibus, ejusdem Ecclesiæ auctoritate, jurisdictione, & potestate, nec-non Imperatoris & Regum superioritate, jurisdictione, ac quibusvis juribus respective in locis mediate vel immediate eis subjectis, ac citra aliquod præjudicium civitatum, terrarum, & locorum in eadem Etruriæ Provincia consistentium, quæ non essent Ditionis dicti *Cosmi*. Ducem ritu solemni inauguravit *Pius* Pontifex III. Nonas Martij anno 1570. frustra per Oratorem intercedente Cæsare, cujus expostulationem his verbis repulit, quæ omnium gustui non sapiunt: *Quo jure Imperatores vel sunt, vel dicuntur, nisi auctoritate Apostolicæ Sedis?* Bullam in Cœna Domini quotannis promulgari solitam, cum per universum Christianum Orbem promulgari jussisset, eo maxime consilio, ut Ecclesiæ Ministri ubique a tributis, vectigalibus, aliisque oneribus, quæ subditi Regibus ac Principibus pendunt, liberi essent; pœna Excommunicationis proposita iis in quorum Ditionibus illa exigerentur, cum prohibitione absolutionis: id ægre admodum tulera *Philippus* Hispaniæ Rex, & Serenissima Venetorum Respublica, quod moribus in eorum Ditionibus receptis illa Constitutio repugnaret. Ipsis jure ac rationibus fecit satis *Pius* Pontifex, Ejus tamen jussa nec Hispani executioni mandaruut, nec Veneti. Quamobrem sacri Interdicti Legibus io eos agere decreverat, nisi gravissimum imminentis contra Turcas fœderis negotium a severiori consilio ipsum deduxisset.

Bullam in Cœna Domini promulgari jubet Pius V. Quo eventu.

VI. Sacrum illud fœdus cum *Philippo* Rege Catholico, & Serenissima Venetorum Republica contra Turcas iniit ac promulgavit *Pius V.* decimo-tertio Kalendas Junii anno 1571. *Joannem Austriacum*, Catholici Regis fratrem, universi Fœderatorum Exercitus Imperatorem declaravit. *Joannem Odeschalcum* Pennensem Episcopum, Messanam legavit, ut Christianæ Classi Pontificio nomine bene precaretur, Ducesque ad rem strenue gerendam excitaret. Ad Echinadas Insulas in sinu Chorintiaco, sive Naupacti, qui hodie Lepanticus, die 7. Octobris, quæ Dominica fuit, contra Turcas pugnatum. Victoria omnium quæ in Mari conspectæ, post hominum memoriam, maxima, *Pio* Pontifice orante, a Christiana Classe reportata est. Cæsorum hostium numerum triginta millium fuisse, aut certe viginti-quinque millium, certum est, captivos ter milla & quingentos, atque in iis insignes viros viginti-quinqua, cunctos fere Duces certamine periisse; imprimisque *Halim Bassam* Præfectum Maris; captas fuisse centum-septemdecim Turcarum triremes. Hanc victoriam terrorem tantum *Selimo* Turcarum Tyranno intulisse, qui tunc Adrianopoli erat, ipsique Urbi Constantinopoli, & universæ Thraciæ ac circumjacentibus Insulis, Peloponeso ad rebellionem proclivi, ut ne per suam absentiam res in Urbe mutarentur, eo se confestim citatis itineribus transtulerit. Victoriam ea ipsa hora qua reportata est, Sanctissimus Pontifex Deo revelante cognovit, Nuncio vero de tam felici eventu Romam perlato, gratiis solemnibus peractis, ad honorem Dei, Sanctissimæque Deiparæ Virginis *Mariæ*, cujus potissimum auxilio tantam victoriam partam profitebatur, instituit ut deinceps in perpetuum, Nonis Octobris, *Commemoratio Sanctæ Mariæ de Victoria* in Ecclesia Catholica Religiose recoleretur. Atque in Litaniis ejusdem Virginis inseri voluit: *Auxilium Christianorum, ora pro nobis*. Gregorius vero XIII. ejus Successor, in ejusdem victoriæ memoriam festum solemne sub nuncupatione *Rosarii*, prima die mensis Octobris, singulis annis celebrandum iostituit sub Duplicis Majoris Officio in iis Ecclesiis, in quibus Altare vel Capella *Rosarii* fuerit: *Gregorii XIII.* Constitutio, quæ incipit his verbis: *Monet Apostolus*; data die 1. Aprilis anno 1573. edita est Tom. III. Bullarii Romani. Christianos Principes, nec-non *Æthiopiæ* ac Persidis Reges Turcici perpetuos hostes nominis, Legationibus & literis ad Turcam lacessendum, & ad prosequendam victoriam, qua Imperii Ottomani vires multum erant imminutæ, hortatus est. Novum & majus fœdus contra Christianorum hostes meditabatur, cum ad calculi morbum accedente febre, sanctissime obiit, uti vixerat, die 1. Maii 1572. ætatis 68. Pontificatus sexto, miraculis & dum viveret, & post obitum clarus. Quamobrem Sacra Rituum Congregatio, ad Relationem Duodecimvirum Romanæ Rotæ anno 1615. censuit, ut anniversaria depositionis ejus die, Sacrum non amplius piaculare, seu pro Defuncto, sed de Sanctissima Trinitate, in gratiarum actionem ob ejus animam in consortium Beatorum receptam, deinceps celebraretur, *Urbano VIII.* Decretum confirmante, & *Clemens X.* illum solemni ritu in Beatorum numerum adscripsit, ejusque Festum certis in locis, præsertim Romæ, Boschi, in Diœcesibus Nepesina & Sutrina, & in toto Prædicatorum Ordine, die 5. Maii celebrari sanxit, anno 1672. Gratissimus *Selimo* Turcarum Tyranno accidit obitus ejus nuntius, quod ab ejus precibus, quibus cladem Lepantinam tribuebat, longe plus sibi timeret, quam a reliquorum Fœderatorum armis: adeo ut triduo exhibita fuerint Constantinopoli publica lætitiæ signa, facibus accensis, & displosione tormentorum. Boschum in Ecclesiam FF. Prædicatorum corpus suum deferri jusserat *Pius V.* sed cum totis quindecim annis id curatum non fuisset, *Sixtus V.* eo thesauro Urbem privari nolens, illud io splendidissimum Monumentum, in Basilica *S. Mariæ Majoris* ipsi erectum, ingenti celebritate deferri curavit. Ingens volumen scriberem, si *Pii V.* virtutes omnes, ac præclare gesta celebranda susciperem. Inter ejus virtutes non postrema illa fuit, quod ab omni ditandorum suorum cogitatione plane abhorruerit; se ad Summi Pontificatus apicem a Deo vocatum fuisse dicens, non ut consanguineorum commodis aut cupiditati, sed Ecclesiæ unius utilitati serviret. Decies centena millia nummorum aureorum in Ærario reliquit, & quinquaginta præterea millia in nominibus post tres inde menses exigenda, ad bellum Turcicum conficiendum. De illius Gestis legendi *M. A. Muretus* Lemovix, Orator præstantissimus in Oratione quam in ejus Funere habuit, *Augustus de Summa*, *Antonius Ciccarellus*, *Archangelus Caraccia*, *Franciscus Joannettus*, *Hieronymus Catena*, & *Gabutius* in ejus Vita, *Mutius Sfortia* in Poemate, *Ubertus Folieta* in libris de sacro Fœdere, *Ciaconius* & ejus Illustratores, *Spondanus* io Annalibus Ecclesiasticis, &c.

Bellum sacrum contra Turcas Pius V. promovet.

Lepantina victoria.

Pii V. obitus.

Sanctitas.

V. Cardinales 21. creavit *Pius V.* Prima quidem creatione *F. Michaelem Bonellum* ex sorore Nepotem, Ordinis FF. Prædicatorum Professorem, non tam ob sanguinis necessitudinem, quam ob egregias virtutes, & præstans ingenium ac vitæ cursum continenter actæ (inquit *Folieta*) idque Rege Catholico, & toto Purpuratorum Patrum Collegio rogantibus. Aliis Creationibus io Sacrum Ordinem adlegit *Didacum Spinosam*, Hispanum, Castellæ Præsidentem, & Inquisitorem Generalem in Hispania, Seguntinum Episcopum. *Hieronymum Sechierum*, Theologum Parisiensem, Cisterciensis Ordinis Professorem, Clarevallensem Abbatem, qui Ecclesiæ causam & Romanæ Sedis Dignitatem in Concilio Tridentino strenue defendit. *Joannem Paulum ab Ecclesia*, virum Jurisconsultissimum, Mediolanensem Senatorem. *Antonium Carafam*, Basilicæ Vaticanæ Canonicum, *Pauli IV.* consanguineum, Græcis Latinisque literis, & sacra doctrina excultissimum, cujus industria 70. Interpretum Editio, quæ pene videbatur extincta, *Sixto V.* Summo Pontifice quasi rediviva comparuit, & nostra emendari cœpta est; qui & nonnullas S. Gregorii Nazianzeni Orationes, & Commentaria Theodoreti in Psalmos latine reddidit. *Marcum Antonium Maffeum* Nobilem Romanum, Theatinum Archiepiscopum, Nuntii Apostolici munere in Polonia perfunctum, Pontificis in Urbe Vicarium & Datarium. *Gasparem de Zuniga*, Hispanum, Theologum Salmanticensem Archiepiscopum Hispalensem. *Gasparem Cervantem*, Hispanum, ex Inquisitore Generali, Messanensem primo, deinde Salernitanum, demum Tarraconensem Archiepiscopum. *Nicolaum de Pelleve* ex Libellorum Supplicum Magistro, Ambianensem primum Episcopum, deinde Senonensem Archipræsulem, ex qua demum Ecclesia translatus ad Remensem est. *Julium Antonium Sanctorium* Casernatem, *S. Severini* Archipræsulem, virtute & eruditione clarissimum, *Petrum Donatum Cæsium*, Romanum, Narniensem Episcopum, ad Italiæ Principes, ad Rempublicam Venetam, & ad *Carolum IX.* Regem Christianissimum Nuncium Apostolicum. *Carolum de Grassis*, Bononiensem, Montisfalisci & Cornati Episcopum, Romæ Gubernatorem. *Carolum d'Angennes a Rambovillete*, Gallum, Cenomanensem Episcopum. *Archangelum De Blanchis* ipsi *Pio V.* a Confessionibus, Inquisitionis Commissarium Generalem, deinde Theanensem Episcopum, ex Ordine FF. Prædicatorum assumptum. *Felicem Perretum* Picenum de Montealto, ex FF. Minorum Conventualium Generali Ministro, *S. Agathæ* Episcopum, qui postea Summus Pontifex fuit Sixtus V. *Paulum Aretinum*, Placentinum Episcopum, ex Ordine Clericorum Regula-

Pii V. Cardinales.

gula-

gularium Theatinorum assomptum, sanctimonia insignem, postea Neapolitanum Archiepiscopum. *Joannem Aldobrandinum*, Florentinum, ex Romanæ Rotæ Duodecimviro, Imolensem Episcopum. *Vincentinum Justinianum*, Genuensem, Ordinis FF. Prædicatorum Generalem Magistrum, cujus in primis judicio, opera, industria in rebusque ducendis lenitate, Legati Pontificii in Concilio Tridentino, in arduis rebus expediendis usi fuerant, eoque interprete quamplurima gravia & impedita negotia transegerant; quique Legationem ad *Philippum II.* Regem Catholicum de Mediolanensis Ecclesiæ rebus magna cum laude obierat. *Hieronymum Rusticacium* Italum, ipsius *Pii V.*, dum Cardinalis Alexandrinus esset, familiarem, & jam Pontifici ab intimis Secretis primum. *Julium Aquavivum*, Neapolitanum, utriusque Signaturæ Referendarium. *Joannem Hieronymum Albanum*, Bergomensem, Juris peritissimum, Protonotarium Apostolicum, & Piceni Gubernatorem.

SCHOLION.

Hunc Articulum pag. 257. Edit. primæ, nota illa spectat Indiculi Censorii: *Vide quæ dicit de Auctoritate Imperiali a Papa & de Bullæ Cœnæ*.

R. „ Eo loci observavi Pium Quintum solemni ritu „ Cosmum Medicæum Magnum Etruriæ Ducem inaugu„ rasse, frustra per Oratorem intercedente Cæsare, „ cujus expostulationem his verbis repulit, quæ omnium „ gustui non sapiunt: *Quo jure Imperatores vel sunt vel dicuntur, nisi auctoritate Apostolicæ Sedis?*

„ Bullam in Cœna Domini quotannis publicari soli„ tam, ejusdem Sancti Pontificis Mandatis per univer„ sum Orbem Christianum promulgatam fuisse comme„ moravi, eo maxime consilio ut Ecclesiæ Ministri „ ubique a tributis, vectigalibus, aliisque oneribus, „ quæ subditi Regibus ac Principibus pendunt, liberi „ essent, pœna Excommunicationis proposita iis in „ quorum Ditionibus exigerentur. Id ægre tulisse Phi„ lippum Hispaniæ Regem & Serenissimam Veneto„ rum Rempublicam, quod moribus in eorum Ditio„ nibus receptis illa Constitutio repugnaret. Ipsis jure „ ac rationibus fecisse satis Pium Pontificem. Ejus ta„ men jussa nec Hispanos executioni mandasse, nec „ Venetos. Hæc mere historica, nullique censuræ ob„ noxia, uti nec illud quod notant pag. 272. *Bullam in Cœna Domini in Galliis receptam non esse, Pragmatici passim observant*. Absit ut Summos Pontifices potestatem & auctoritatem non habere dicam vel sentiam in tota qua late patet Ecclesia statuendi & præcipiendi quæ ad Disciplinam pertinent, sine populi Christiani aut particularium Ecclesiarum consensu. *Hæc propositio in fide & moribus est erronea, & est error damnatus Waldensium*, ut declaravit Sacra Facultas Parisiensis in Decreto contra Lutherum, anno 1521. Fit tamen & factum est interim ut Summi Pontificis, sicut Legislatoris cujuslibet tacito consensu, tolerantia, dissimulatione, condescensu, Constitutiones illius ac leges non obligent particulares Ecclesias aut Provincias in quibus non sunt receptæ; cum eas non observari videns & intelligens, illarum executionem non urget pro potestate, sed inexecutionem & inobservantiam (ut ita loquar) pro benignitate sua & charitate in illas Ecclesias vel populos tolerat, bonum publicum, & salutem animarum spectans, quibus laqueum inducere veretur; & pacis Ecclesiæ ac Reipublicæ rationem habens, quam mutatione consuetudinum receptarum, quæ divinæ legi & Apostolicæ Traditioni non repugnant, perturbare metuit. *Ipsa enim mutatio consuetudinis etiam quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat* (inquit S. Augustinus Epist. 55. alias 119.) Et hæc Silvestri Prieratis, Doctoris Navarri, Angeli a Clavasio, Bartholomæi Fumi, omniumque pene Theologorum Sententia, necnon Auctoris Tractatus, *De Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ* Leodii editi anno 1684. & in Romana Curia recepti, lib. 11. cap. 7. Hac ratione factum est ut Bulla Cœnæ Domini in diversis Provinciis recepta non sit. Quæ igitur ea de re scripsi, non magis digna sunt animadversione censoria, quam hæc eruditi Cabassutii in Juris Canonici Theoria & Praxi lib. 5. cap. 15. *Reservationes* (inquit) *& Censuras Bullæ Cœnæ Domini in diversis Provinciis neque recipi, neque ligare, diversi Auctores approbati contestantur. In primis Bonacina in Romana Curia approbatissimus, in qua multos annos ad usque finem vitæ munus gessit Referendarii Apostolici; & Fillincius qui Romæ quoque permultis annis publice Theologiam moralem professus est, suosque ibidem libros omnes in lucem edidit; & cum his alii plerique scribunt de Rege Hispaniæ, & de Republica Genuensi, non teneri Excommunicatione hujus Bullæ, neque eorum Proreges, Gubernatores & Officiales, qui nomine illius Regis insulas Siciliam & Sardiniam, aut nomine illius Reipublicæ Corsicam occupant summo & independenti a Papa jure, quamvis illa Bulla trium illarum insularum occupatores & detentores anathemate ferit Articulo 72. ipseque Summus Pontifex, quo præsente quotannis Bulla illa publice legitur, nullam ejus Excommunicationis rationem habere videtur, cum notorios illos detentores in ipsa Alma Urbe admittat ad omnia Sacramenta, cæteraque Fidelium Privilegia, nulla præmissa ejus rei pœnitentia, vel restitutione, sed in ea retinendi voluntate pertinaces. Item nullatenus hac Bulla adstringi Germanos, apud quos nunquam admissa aut recepta fuit, testatur inter alios Becanus Tractatu de lege humana, Quæst. 8. De Belgis quoque hoc idem testatur cum aliis Bassæus. De Galliæ pariter Regno omnes fere Gallicani Jurisconsulti & Canonistæ*. Hæc Cabassutius.

ARTICULUS XXI.

De GREGORIO XIII.

Altera die a Conclavis ingressu, nempe tertio Idus Maii, anno 1572. concordibus quinquaginta duorum Cardinalium suffragiis *Pio V.* substitutus est *Hugo Boncompagnus*, patria Bononiensis, in eaque urbe & Academia olim Juris Antecessor celeberrimus, titulo *S. Sixti* Presbyter Cardinalis, qui *Gregorii XIII.* nomen sibi sumpsit, redintegrando contra Turcas fœdesi, & sacræ expeditioni promovendæ animum intendit, missis ad Christianos Principes Legationibus, instructoque validissimo Exercitu, qui Ducum discordia & cunctatione, Christianæ rei adversus Infideles promovendæ pene inutilis fuit. Magni Moschorum Ducis Oratores perbenigne excepit, missoque cum ipsis *Antonio Possevino* Societatis Jesu Professore, viro pietatis, eruditionis, prudentiæ laude insigni, Magnum Ducem *Joannem Basilii*, post gravissimum bellum, ad pacem cum *Stephano Bathorio*, Sarmatiæ Rege, reduxit, & ad Catholicam unitatem hortatus est, scriptis ad ipsum humanissimis literis, missisque piis muneribus, & Florentinæ Synodi exemplari. Japoniorum Regum Oratores, Obedientiæ & Fidei tesseram deferentes, perhonorifice & peramanter suscepit, scilicet *Francisci* Bongi Regis, *Protasii* Arimanorum, & *Bartholomæi* Omurenorum, anno 1575. Selectos e Societate Jesu Sacerdotes ad Japonios misit, ubi Christianam Religionem mirifice propugnarunt. Archiepiscopum Angamalæ Christianorum *S. Thomæ* in India, a Nestorianis erroribus per ejusdem Societatis Concionatores ad Catholicam veritatem adductum, literisque obedientiam Sedi Apostolicæ præstantem, sacris muneribus honestavit. Maronitarum Oratores, Patriarchæ nomine Dignitatis illius confirmationem postulantes audivit, unaque cum illis *Thomam Radium* & *Joannem* Baptistam *Elianum* Societatis Jesu Professores, ad Montem Libanum Maronitas edocturos allegavit. Regem Cocini Lusitanis amicum, qui pervagata ejus fama permotus, Legationem ad eum miserat, ad Christianam Fidem amplectendam, & Christi cultores tuendos, non sine fructo hortatus est. *Joanni* Regi Ceilan in India Orientali, cum viginti subditorum millibus FF. Minorum opera & prædicatione Christianis Sacris initiato, & hac de causa Regno spoliato auxilium tulit. Ejusdem Ordinis Sacerdotes ad propagandam colendamque Religionem in Indias misit. *Jeremiam* Græcorum Patriarcham, illum, qui Censuram Orientalis Ecclesiæ contra Lutheranos scripsit, Latinæ Ecclesiæ conciliare studuit. Fraticellorum, qui *Illuminati* dicebantur, Sectam repullulantem extinxit. *Michaelis Baii* Propositiones 79. iterum damnavit anno 1579. misso Lovanium *Francisco Toleto* Societatis Jesu viro doctissimo, qui Auctorem ad eas retractandas induceret, quod ille ex sententia confecit. *Bartholomæum Carranzam*, Toletanum Archiepiscopum, ex Ordine FF. Prædicatorum assomptum, a suspicione hæreseos absolvit. *Henricum III.* Galliæ Regem adversus Calvinistas cum Extraneis fœderatos pecunia copiisque juvit. Ad copias adventitias e Regno emittendas cum multa pecunia esset opus, exhaustumque esset Ærarium, *Gregorius* præter subsidium decies centum millium librarum Turonensium, quas ex fructibus Ecclesiarum istius Regni exigi permiserat, ad subveniendum Regis & Regni necessitatibus, potestatem concessit *Carola*

Gregorii XIII. cura de fide propaganda & conservando.

volo Tit. S. Apollinaris, *A Lotharingia*, & *Carolo* S. Chrysogoni *A Borbonio* Presbyteris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, & *Antonio Maria* S. Papulæ Nuntio Apostolico, & *Petro Gondia* Parisiensi, Episcopis, alienandi bona immobilia Ecclesiarum, etiam invitis possessoribus, pro Ecclesiæ cujusque statu, qualitate, & reditibus, ex quibus alia decies centena millia librarum Turonensium redigerentur, *Henrico* Regi persolvendas. Diploma *Gregorii* XIII. ea de re datum nono Kalendas Septembris 1574. habetur Tom. 4. Commentariorum Cleri Gallicani, pag. 750. Altero Diplomate dato decimo-quinto Kalendas Augusti anno 1576. potestatem dedit Cardinalibus Borbonio, A Guisia, & Estensi, Nuntio Apostolico & Episcopo Parisiensi, nec-non *Florentino Renard* Carnotensi, & *Bano Broe* Sanctæ Capellæ Regalis Parisiensis, Canonicis, alienandi bona Ecclesiarum ad summam annui reditus quinquaginta millium aureorum, cujuscumque qualitatis & naturæ, nec-non census, fructus, reditus, & jura, etiamsi bona feudalia essent, jurisdictionem annexam habentia, dummodo non essent primaria feuda, aut principales domus Beneficiorum, vel oppida mœnibus cincta, vel loca insignia; idque *etiam invitis & contradicentibus possessoribus*; Quam clausulam utpote Gallicanæ Ecclesiæ Libertati contrariam, Senatus Parisiensis non probavit, cum in eo Diploma Pontificium promulgatum est, ut constat ex Senatusconsulto dato septima die Septembris anno 1576. Vel hæc sola falsissimum esse probant, quod jactarunt hæretici, *Gregorium decimum tertium Guisiano fæderi*, quod tuendæ specie Religionis contra Regem ictum est, consensisse. Pro Anglia ab *Elisabetha* Reginæ tyrannide liberanda, milites & subsidia pecuniaria Regi Catholico obtulit. Cardinalem *Madrutium* Legatum a Latere ad Augustana Comitia direxit, ut Protestantibus aliquid concedi in Fidei Catholicæ & Pontificiæ Auctoritatis injuriam prohiberet. Cophtos, missis in Ægyptum Oratoribus, datisque ad eorum Patriarcham literis erudivit, & ad Romanam Ecclesiam colendam adduxit. *Joannem Baptistam Castellum*, Arimini Antistitem, pietate & doctrina celebrem, in Gallias legavit, curaturum ut Synodus Tridentina promulgaretur, & in mores induceretur. Neophytis, Græcis, Maronitis, Germanis, Anglis in alma Urbe Collegia erexit, annuisque censibus munificentissime dotavit. Romanum Collegium Societatis Jesu, totius Italiæ Seminarium, fundavit, ingentibusque Beneficiis ac Privilegiis auxit. Alia propagandæ ac tuendæ Religionis studio in variis Orbis Christiani regionibus, etiam apud Japonios, Collegia condidit & Seminaria, ut nulla regio fuerit, quæ optimi Pontificis munificentiam experta non sit. *Truchsesium* Coloniensem Archiepiscopum, a Fide Catholica transfugam, exauctoravit. Urbem Romam novis fontibus, Basilicis, inventis atque insigni pompa translatis Sanctorum corporibus, horreis, pontibus, palatiis, viis, porticibus, amplificavit, ornavit, quæ tamquam rerum mutarum linguæ *Gregorii* nomen in omnem loquentur æternitatem.

Gregoriani Kalendarii emendatio.

II. Non terras modo complexa est *Gregorii* XIII. providentia singularis, sed astrorum quoque cursus ad Ecclesiæ usum redegit, dum insignium Astronomorum opera, rogatisque Regnorum, ac Rerumpublicarum sententiis, ita *Julii* Cæsaris anno, & Nicænæ Synodi Decreto sequester intercurrit; ut indissolubili lege nobis cœli conversiones, & temporum celebritatumque recursus atque intervalla constarent. In celebri illa anni & Kalendarii emendatione, Cyclo *Aloysii Lilii*, magni nominis Mathematici, præcipue usus est, reque diu ac diligenter examinata, statuit, ut quo Vernum Æquinoctium, quod a Patribus Concilii Nicæni ad 12. Kalendas Aprilis fixum fuerat, ad eamdem sedem restitueretur, de mense Octobri subsequenti decem dies inclusive a tertio Nonas usque ad pridie Idus, eximerentur. Deinde ne in posterum a duodecimo Kalendas Aprilis Æquinoctium recedat, statuit Bissextum quarto quoque anno, ut moris erat, continuari, præterquam in centesimis annis, qui quamvis Bissextiles antea semper fuissent, qualem etiam esse voluit annum 1600. qui tamen deinceps consequentur, non omnes Bissextiles sint, sed in quadringentis quibusque annis primi quique tres centesimi sine Bissexto transigantur, quartus vero quisque centesimus Bissextilis sit. Quo item 14. Paschalis recte invenatur, statuit ut amoto Aureo Numero de Kalendario, ejus loco substitueretur Cyclus Epactarum. Denique cum partim ob decem dies anno ipso 1582. exemptos, partim ob ternos dies quolibet quadringentorum annorum spatio minime intercalandos necesse esset interrumpi Cyclum Literarum Dominicalium viginti octo annorum in Ecclesia Romana usitatum, voluit ejus in locum substitui Cyclum viginti sex annorum. Constitutionem ea de re publicavit sexto Kalendas Martii anno 1582. quæ incipit: *Inter gravissimas*. Kalendarium Gregorianum impugnarunt *Josephus Scaliger*, Commentariis de Emendatione Temporum, & Elencho Anni Juliani, & *Michael Mæstlinus* Tubingensis Mathematicus, in Examine Kalendarii Gregoriani: vindicarunt *Hugolinus Martellus*, Episcopus Glandatensis, in Assertione Sacrorum Temporum, & Clave Kalendarii Gregoriani, *Christophorus Clavius*, Germanus, Societatis Jesu, Matheseos & Theologiæ Professor, & post illum *Dionysius Petavius*, ejusdem Societatis lumen alterum: & ex Protestantibus *Bartholomæus Scultetus*, Gorliciensis Senator & clarus Mathematicus, qui & illud per universam Lusatiam recipi curavit.

Gratiani & totius Juris Canonici Emendatio.

III. *Gratiani* & totius Juris Canonici Emendationem sub *Pio IV.* & *Pio V.* cœptam, cui & ipse operam navarat, feliciter absolutam gavisus est *Gregorius*, totiusque Juris sic a mendis expurgati & restituti corpus, Romanis Typis edi curavit. Selectissimorum Virorum & Juris peritissimorum qui in id operis sub tribus Summis Pontificibus incubuerunt, indicem exhibet *Antonius Augustinus* in fine libri 1. *De Emendatione Gratiani*. Cardinales a *Pio IV.* adhibiti fuere *Hugo Boncompagnus*, Bononiensis, post *Gregorius XIII.* P. M. *Alexander Sfortia*, Romanus; *Gullielmus Sirletus* Calaber; *Franciscus Alciatus*, Mediolanensis. His additi sunt a Pio V. *Guido Ferrerius*, Vercellensis, & *Antonius Carafa* Neapolitanus. Doctores delecti fuere, *Felix Montaltus* Ordinis *S. Francisci*, postea Cardinalis & tandem Summus Pontifex *Sixtus* V. dictus; *Christophorus Patavinus*, Generalis Ordinis Eremitarum S. Augustini; *Thomas Manricus*, Ordinis S. Dominici, Sacri Palatii Magister; *Eustachius Locatellus*, Bononiensis, postea Regii Lepidi Episcopus; *Josephus Pamphilus*, Veronensis Ordinis S. Augustini Eremitarum, postea Sacrista Palatii, & Episcopus Signinus; *Franciscus Turrianus*, Hispanus, postea Societatis Jesu; *Marianus Victorius*, Reatinus, postea Episcopus Amerinensis; *Michael Thomasius*, Majoricensis, postea Episcopus Ilerdensis; *Hieronymus Parisetus*, Regiensis; *Antonius Cucus*, Mediolanensis; *Joannes Marsa*, Hispanus; *Franciscus Lea*, Hispanus, postea Societatis Jesu. His additi sunt *Melchior Cornelius*, Lusitanus; *Latinus Latinius*, Viterbiensis; *Arnaldus Pontacus*, Gallus, postea Vasatensis Episcopus; *Petrus Ciaconius*, Hispanus; *Franciscus Pegna* Hispanus. Idem Pontifex Sacris Bibliis etiam expurgandis animum adjecit, varios Codices MSS. ex diversis regionibus Romam advehi jussit, hominum linguarum peritia, & Theologica scientia insignium Congregationem ad id instituit: sed hujus Operis executionem *Sixto V.* & *Clementi VIII.* Deus Optimus Maximus servabat. *Cæremoniale Episcoporum* ejusdem *Gregorii* jussu editum est. Primis Congregationibus delectorum virorum ea de re habitis adfuit *S. Carolus Borromæus*.

De Sacrorum Bibliorum expurgatione Gregorius XIII cogitat. Cæremoniale Episcoporum.

Varia Gregorii XIII. Decreta.

IV. Certus quantum Ecclesiæ interesset optimos Pastores Ecclesiis præficere, Cæsarem & Galliæ Regem monuit *Gregorius XIII.* ut ad vacantia ditionum suarum Beneficia digniores promoverent. Metropolitanis jussit ut indicem virorum, moribus, literis, & prudentia insignium, quos quisque in finibus suis haberet, ad se mitterent; ne indignis Ecclesiarum regimen committeret. Carmelitarum Discalceatorum Congregationem a *S. Theresia*, & Societatem Oratorii a *S. Philippo Nerio* institutas approbavit. Militarem Ordinem *S. Mauritii* Martyris sub Regula Cisterciensis, & sub regimine *Emanuelis Philiberti*, Sabaudiæ Ducis, ejusque Successorum, ceu Summorum ejusdem militiæ Magistrorum instituit, novumque Ordinem cum antiqua *S. Lazari* Militia univit, sub nomine *SS. Mauritii & Lazari*, Constitutionibus editis anno 1572. Privilegia a *Pio V.* Religiosis Mendicantibus concessa ad Juris communis apices, & Concilii Tridentini Decreta reduxit, Constitutione quæ incipit: *In tanta*. Formam Professionis Fidei Græcis præscripsit. Religiosos Societatis Jesu Presbyteros, ob ministeriorum illius Instituti multitudinem, & in Ecclesia Dei utilitatem, ad publicas supplicationes cogi prohibuit, Constitutione, *Quæcumque* anno 1576.

Religiosorum Ordinum confirmatio.

Privilegia Regularium.

Immu-

Immunitatem a solutione & præstatione quarumcumque Decimarum & onerum, eidem Societati ejusque domibus concessit, Diplomate, *Pastoralis*, anno 1578. Ejusdem Societatis Institutum, Constitutiones, & Privilegia confirmavit, Diplomate, *Ascendents Domino* 1574. *S. Basilii* Monachos in unam Congregationem, sub unius Abbatis regimine redegit ac reformavit. Magistro Generali, Provincialibus, & reliquis Superioribus Ordinis FF. Prædicatorum prohibuit, ne ad preces quarumcumque personarum, tam Laicarum, quam Ecclesiasticarum extra Ordinem constitutarum, etiam Cardinalatus honore, & quacumque sæculari dignitate & excellentia, etiam Ducali, & Regali, & Imperiali fulgentium cuivis dicti Ordinis Religioso ullam gratiam concedere, vel pœnas aliquas remittere audeant seu præsumant. Quin immo quoscumque ejusdem Ordinis Fratres & Religiosos, qui contra Decreta suarum Constitutionum hac via & iis mediis per mendicatos favores & suffragia aliquid sibi procuraverint, ad alia & similia, & etiam Majora in eodem Ordine consequenda, Apostolica Auctoritate incapaces in perpetuum esse ac fore decernit, nisi veniam a Sede Apostolica impetrarint. Constitutio ea de re promulgata Kalendis Junii 1580. incipiens his verbis, *Cum nihil magis*, edita est cum aliis ejusdem Pontificis Diplomatibus, Tom. 2. Bullarii Romani. Ratio Decreti fuit, quod *Nihil magis Religiosorum statum perturbet, quam favorum & suffragiorum sæcularium occupatio, & conquisitio, quibus Superiorum æqua mens, quæ pro meritis suorum unicuique subditorum tribui debet, pervertatur*. Bononiensem Ecclesiam in Metropolin idem Pontifex erexit, Placentina, Parmensi, Regiensi, Mutinensi, Imolensi, Cerviensi, & Cremensi Ecclesiis ipsi addictis, anno 1582. Bullam in Cœna Domini promulgavit pridie Nonas Aprilis 1583. quam quidem in Galliis receptam non esse Pragmatici passim observant. Festum *S. Annæ* Matris Deiparæ Virginis, die 26. Julii Officio Duplici celebrandum edixit. Obiit Optimus Pontifex die 10. Aprilis, anno 1585. ætatis 84. Pontificatus 12. De ipsius Gestis plura habent *Annales Gregoriani*, & *Mucantius* in *Diariis*, ex quibus *Cabrera*, *Victorellus*, & *Oldoinus* hauserunt. Ipsi marmoream statuam in Capitolio erexit grata Civitas. Ejus virtutes hoc Elogio coronat *Ciaconii* Continuator: *Erat Gregorius in audiendis negotiis patiens, in transigendis solers, eloquio gravis, responsis opportunus, natura benignus & misericors, victu ac potu temperatissimus; in pauperes vero & doctos beneficus, & miram in modum liberalis*. Literarum studio, si quando per negotia licebat, numquam intermisit, dicere solitus: NULLUM MAGIS DECERE PLURA SCIRE, QUAM PONTIFICEM ROMANUM.

Gregorii XIII. elogium.

Præclara Gregorii XIII. sententia.

V. Triginta & octo Cardinales a *Gregorio XIII.* creati. *Philippus Boncompagnus*, & *Philippus Vastavillanus*, ejus Nepotes, eique virtutum non minus quam sanguinis affinitate conjuncti. *Andreas Austriacus*, Ferdinandi Archiducis Austriæ filius, *Maximiliani* Cæsaris nepos. *Albertus Austriacus*, Archidux Austriæ, *Maximiliani* II. Imperatoris filius. *Alexander Riarius* Bononiensis, a *Pio V.* Alexandrinus Patriarcha designatus, & ad gravissima negotia conficienda adhibitus. *Claudius de la Baume*, Gallus, Archiepiscopus Bisuntinus. *Ludovicus a Guisia*, Remensis Archiepiscopus, qui *Henrici* III. jussu in Comitiis Blesensibus infeliciter obtruncatus est. *Geraldus a Groisbeck* Leodiensis Episcopus & Princeps. *Renatus Biragus* Mediolanensis, Franciæ Cancellarius, & Regiorum Sigillorum Custos Lodovensis Episcopus, Hæreticorum Malleus, & Catholicæ Fidei Defensor, *Carolo* IX. & *Henrico* III. Regnantibus, nuncupatus. *Petrus de Deza*, Hispanus, Regni Granatensis Præses, vir bello paceque maximus. *Ferdinandus de Toleto*, Hispanus, Pontificii Juris Doctor, insigni vir sanctimonia, & modestia singulari, qui sacram purpuram raro exemplo recusavit. *Carolus a Lotharingia*, Vaudemontii Comitis filius, *Aloysiæ* Reginæ Franciæ frater, Tullensis primum, deinde Virdunensis Episcopus. *Joannes Vincentius Gonzaga*, Proregis Siciliæ filius, Mantuani Ducis consobrinus, Eques S. Joannis Hierosolymitani. *Gaspar de Quiroga*, Hispanus, Toletanus Archiepiscopus, Supremus Castellæ Cancellarius, & adversus Hæreticam Pravitatem Inquisitor Generalis, & Italiæ Præses. *Joannes Antonius Facchinetus*, Bononiensis, Hierosolymitanus Patriarcha. *Joannes Baptista Castaneus*, Rossanensis Archiepiscopus, præclaris Sedis Apostolicæ Legationibus perfunctus. *Alexander Medicæus*, Florentinus Archiepiscopus, *Cosmi* Magni Etruriæ Ducis consanguineus, ejusdem olim ad *Pium V.* Orator, Summus postea Pontifex Leo XI. *Rodericus de Castro*, Hispanus, Archiepiscopus Hispalensis. *Carolus Borbonius*, Ludovici Condæi Principis filius, *Henrici Magni* Galliarum Regis consanguineus, Rothomagensis Coadjutor, Catholicæ Religionis difficilimis temporibus Defensor. *Michael a Turre*, Italus, Cenetensis Episcopus & Princeps a Paulo III. & Julio III. ad Henricum II. a Pio V. ad Carolum IX. Reges Christianissimos Nuncius Apostolicus missus. *Julius Canaoius*, Ferrariensis, Adriensis Episcopus, deinde Mutinensis, qui Sacræ Synodo Tridentinæ cum magna pietatis, eruditionis, & sapientiæ laude interfuerat. *Nicolaus Sfondratus*, Mediolanensis, sub *S. Caroli Borromæi* disciplina institutus, Episcopus Cremonensis, unus e Concilii Tridentini Patribus. *Antonius Maria Salviatus*, Clericorum Apostolicæ Cameræ Decanus, olim Sedis Apostolicæ in Galliis Nuncius. *Franciscus de Joyeuse*, Gallus, Narbonensis primum, deinde Tolosanus, tandem Rothomagensis Archipræsul. *Augustinus Valerius*, patritius Venetus, omni literaturæ genere ornatissimus, Episcopus Veronensis, sacris ac profanis Operibus clarissimus, *S. Carolo Borromæo* amicissimus. *Vincentius Laureus*, Calaber, Montis Regalis Archiepiscopus, a Pio V. & ipsomet Gregorio XIII. ad Christianos Principes pro gravissimis Ecclesiæ & Reipublicæ negotiis Nuncius Apostolicus destinatus. *Philippus Spinula*, Genuensis, Nolanus Episcopus. *Albertus Bolognetus*, Bononiensis, Jurisprudentiam Bononiæ & Salerni summa cum laude professus, utriusque Signaturæ primum Referendarius, deinde Massæ Populoniæ Episcopus, Florentiam, Venetias, postremo ad Stephanum Poloniæ Regem Legatus. *Matthæus Contarellus*, Gallus, Datarius, probitatis & Jurisprudentiæ laude clarissimus. *Georgius Radzivil*, Lithuanus, Vilnensis primum, deinde Cracoviensis Episcopus. *Scipio Lancellottus*, Nobilis Romanus, Rotæ Duodecimvir, doctrina & rerum usu insignis. *Simon Tagliavia de Aragonia*, Siculus, Complutensis Academiæ Doctor, nobilitate generis, & morum integritate clarissimus. *Franciscus Sfortia*, Romanus, filius *Sfortiæ* S. Floræ Comitis. *Andreas Batthorius*, Stephani Poloniæ Regis ex fratre Nepos, & ad Romanum Pontificem *Gregorium XIII.* Orator.

Gregorii decimi-tertii Cardinales.

SCHOLION.

In hoc Articulo, pag. 266. Edit. primæ Religiosi Censores hanc propositionem notant: *Clausula libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ contraria in Gregorii XIII. Diplomate rejecta est a Senatu Parisiensi.*

R. Historiæ res est evidens ex Senatusconsulto.

ARTICULUS XXII.

DE SISTO V.

I. GRegorio XIII. duorum & quadraginta Cardinalium suffragiis substitutus est *Felix Perettus de Montalto*, Titulo *S. Hieronymi Illyricorum* Presbyter Cardinalis, ex Ordine FF. Conventualium S. Francisci assumptus die 24. Aprilis 1585. & *Sixti* V. nomen accepit. Sub ejus Pontificatu nova apparuit almæ Urbis facies, Basilicis ejus munificentia instauratis, viis in commodum publicum stratis, fontibus deductis, arcubus, obeliscis, columnis erectis, Vaticana Bibliotheca magnifice constructa & ornata. Nec tamen terrenis hisce operibus ita curas impendit, ut spiritualia propensius non curaverit. Vulgatæ Versionis Latinæ emendationem lectissimis aliquot Cardinalibus, aliisque tum Sacrarum Literarum, tum variarum linguarum peritissimis Viris demandavit, qui adhibitis MSS. Codicibus antiquissimis, Hebraicis quoque ac Græcis fontibus inspectis, veterum etiam Patrum consultis commentariis, Versionem illam pristino nitori restituerent. Atque in hoc Opus *Sixtus* ipse, studio tam ardenti, tantaque diligentia incubuit, ut eum jam excusum esset, animadvertens non pauca in Sacra Biblia præli vitio irrepsisse, quæ iterata diligentia indigere viderentur, totum Opus sub incudem revocandum censuerit atque decreverit. Primum ea de re consilium inierat *Pius quartus*. Idem institutum prosecutus erat *Pius* V. sed Conventum illum ob varias gravissimasque Sedis Apostolicæ occupationes jamdudum intermissum *Sixtus V.* revocavit: tandem sub initium Pontificatus *Clementis Octavi*, Opus in quod *Sixtus* intenderat, perfectum est. Ejusdem providentia Ponti-

Eruditorum virorum congregatio ad Latinam Versionis sacrorum Bibliorum, & Græcam 70 Interpretum emendationem a Sixto instituta.

Pontificis Versio Græca 70. Interpretum emendata cum Latina Interpretatione prodiit in lucem anno 1583.

II. Publicæ tranquillitati in Ecclesiastica Ditione restituendæ, procurandæ ubertati, supplendo ærario, promovendæ pietati, optimo Urbis Orbisque constituendo regimini animum adjecit *Sixtus V.* Exulum & Sicariorum licentiam compressit, Romanorum Pontificum Decessorum suorum Constitutionibus contra facinorosum illud hominum genus innovatis sumptoque de pluribus supplicio, Astrologiam Judiciariam damnavit, in hujus & cujuscumque divinationis Professores ab Episcopis & Inquisitoribus animadverti jussit, Libros omnes & singulos fallacium hujusmodi Artium prohibuit sub Censuris in indice contentis. Damnavit contractus societatis, quibus sors salva esset, Constitutione quæ incipit, *Detestabilis*. Capitalem contra adulteros & lenones quibusdam in casibus pœnam sanxit, Diplomate, *Ad compescendam*. Eunuchorum ac Spadonum conjugia prohibuit ac rescidit. Abortum quovis modo procurantes, seu fœtus immaturi, tam animati, quam inanimati, formati, vel informis ejectionem, & sterilitatis potiones dantes vel sumentes, homicidii voluntarii pœnis damnavit, decreta insuper in Clericos hujus criminis reos pœna privationis Beneficiorum & inhabilitatis ad ea, Constitutione, *Effrænatam*. Contra male promotos & promoventes ad Ordines Ecclesiasticos Constitutionem edidit, incipientem his verbis: *Sanctum & salutare*. Constitutionum *Pii IV. & Pii V.* contra fiduciariæ mancipationis Beneficiorum corruptelam, executionem in Gallia imperavit. Nimios vestium, dotium, conviviorum sumptus, luxumque in Urbe coercuit. Honestarum viduarum & puellarum Collegium Romæ instituit. Montisalti, Laureti, S. Severini, Tolentini oppida, civitatis & Episcopalis Cathedræ honore; Firmanam Ecclesiam Archiepiscopali Dignitate auxit. Congregationem Clericorum Regularium Ministrantium infirmis a *Camillo Lelio* Presbytero institutam, & Congregationem *B. Mariæ Fuliensis*, Ordinis Cisterciensis, a *Joanne Barrerio* Fuliensi Abbate institutam confirmavit. Festivitates *Præsentationis B. Mariæ Virginis, SS. Francisci de Paula, Antonii de Padua, Januarii & Sociorum, Nicolai Tolentinatis, Petri Martyris, Placidi, Eutychii, Victorini & Flaviæ* sancivit. *B. Didaco*, Ordinis FF. Minorum de Observantia, Sanctorum cultum; *S. Bonaventuræ*, Doctorum Ecclesiæ honores decrevit. De Cardinalium numero, ætate, ac dotibus Constitutionem promulgavit, quæ incipit: *Postquam*. Septuaginta dumtaxat creari statuit, sex Episcopos, Presbyteros quinquaginta, & Diaconos quatuordecim, eo usque quatuor saltem in Sacra Theologia Magistros ex Mendicantium Ordinibus assumendos ex omnibus Orbis Christiani Nationibus, ex legitimis & honestis natalibus exortos vitæ probitate, morum candore, doctrinæ ac eruditionis præstantia, ardenti erga salutem animarum studio, integritate, prudentia, constantia, auctoritate conspicuos, quibus nullus Cardinalium superstitum in primo aut secundo consanguinitatis gradu sit conjunctus. Præter Congregationem Inquisitionis, quam confirmavit, quatuordecim alias instituit S. R. E. Cardinalium, ad faciliorem universæ Reipublicæ Christianæ, Statusque Ecclesiastici, & Romanæ Curiæ negotiorum expeditionem. I. Pro Signatura Gratiæ. II. Pro erectione Ecclesiarum, & Provisionibus Consistorialibus. III. Pro ubertate Annonæ. IV. Pro Sacris Ritibus & Cæremoniis. V. Pro Classe paranda & servanda ad Ecclesiastici Status defensionem. VI. Pro Indice Librorum prohibitorum. VII. Pro executione & interpretatione Concilii Tridentini. VIII. Pro Status Ecclesiastici Gravaminibus sublevandis. IX. Pro Universitate Studii Romani. X. Pro Consultationibus Regularium. XI. Pro Consultationibus Episcoporum, & aliorum Prælatorum. XII. Pro viis, pontibus, & aquis curandis. XIII. Pro Typographia Vaticana. XIV. Pro Consultationibus negotiorum Status Ecclesiastici. Ad pacis securitatem, ad Christianæ Reipublicæ commoda, ad belli, si necessario gerendum esset, subsidium quinquagesies centena millia nummorum aureorum, ut *Ciaconius*, & alii scribunt, seu potius trigesies centena millia, ut ex ipsius Diplomatibus compertum est, annis 1586. 1587. 1588. datis in Arce S. Angeli, Successoribus reliquit, certis tantum casibus & sub præscripta forma insumenda. Præsidium ducentorum millium Scutorum pro ubertate Annonæ in Alma Urbe instituit. Ducentis millibus aureorum census annuos ad Virgines dotandas, æreque alieno oppressos e carceribus eruendos coemit.

Morum disciplinam saluberrimis Constitutionibus sancit Sixtus V.

Divinum cultum auget.

Constitutio de Cardinalium delectu.

Variæ Congregationes Cardinalium a Sixto V. institutæ.

Thesaurus Christianæ Reipublicæ necessitatibus & utilitate congregatus, & Successoribus relictus.

III. Non æque Christiano Orbi universo probata sunt, quæ *Sixtus V.* in Reges attentavit a *Gregorii XIII.* Mansuetudine alienus. *Henricum* Navarræ Regem, & alterum *Henricum* ejus Patruelem, Principem *Condæum*, ceu in hæresim relapsos, & Calvinistarum perduellium Duces ac protectores, Anathemata perculit, exauctoravit, omni jure successionis in Regnum Franciæ exclusos denuntiavit, ipsorum subditos Fidelitatis sacramento solvit: Regem Christianissimum ad istius executionem Sententiæ hortatus est: omnibus Archiepiscopis & Episcopis ejus promulgationem imperavit. Hanc Sententiam anno 1585. quinto Idus Septembris latam, quæ incipit, *Ab immenso*, legere est apud *Goldastum*, Tom. 3. *Monarchiæ*, pag. 24. Navvarrus & Condæus ea de re certiores facti, Programma in ipsa urbe Roma celebrioribus locis affigi curarunt 8. Idus Novembris, quo de Censuris ob crimen hæreseos, quod sibi falso affictum contestabantur, ad Concilium liberum & legitimum appellabant. De exauctoratione vero & privatione Jurium temporalium, ad Curiam Parium, seu ad Senatum Parisiensem, Rex Christianissimus suam omniumque Regum rem agi certus, Pontificiam Sententiam hoc in Regno promulgari prohibuit. Scripta contra ipsam variis ab auctoribus, variis etiam titulis edita sunt, & inter alia petulantissimus *Francisci Hotomani*. C. Liber quem inscripsit, *Fulmen Brutum*. Extant apud *Goldastum* Tom. 3. *Monarchiæ Sixti* ad *Guisium* Ducem literæ 15. Julii 1588. datæ quibus ipsum *Machabæo* comparabat, qui pro patria, pro Templo, pro Lege Dei immortali cum laude pugnarunt, animos addidere Fœderatis, Regique injuriosæ visæ sunt, quamvis conjurationem in Regem *Sixtus* nusquam approbasse dicatur.

Acta Sixti V. in Regem Navarræ, & in Condæum Principem.

IV. Cum Ducem & Cardinalem Guisios fratres in Blesensibus Comitiis trucidari jussisset *Henricus III.* anno 1588. in ipsum graviter commota Roma fuit. Rex per Marchionem *Pisanii*, suum in Aula Romana Oratorem, per Cardinalem *Joyosam* ibidem agentem, & *Claudium Angennum A Rambuliete*, Cenomanensem Episcopum, sanctimonia vitæ, eruditione, & rerum usu præstantem, ea de causa Romam Legatum, *Guisiorum* cædem excusavit. Pontifici exposuit Præsul prudentissimus, Regem erga Fidem Catholicam optime affectum, necessitate compulsum fuisse, ut *Guisios* fratres e medio tolleret, quibus superstitibus, nec ejus vita, nec Majestas, nec Regni tranquillitas in tuto esse poterant, cum in illam conjurassent, istam factione sua & molitionibus a longo tempore perturbarent. Attamen de Cardinalis nece, propter ejus Dignitatem, injectum Regi scrupulum; ideo petita a Confessario suo Absolutione, se tutum existimare. Siquidem Pontifex paucos ante menses arcano Diplomate ipsi concesserat, ut gravissimi cujuscumque peccati, cujus exomologesim apud Sacerdotem egisset, veniam & gratiam plenissimam consequeretur. Supplicare tamen Pontifici, ut sua Sanctitas illum sua benedictione solaretur. Id satis non esse respondit *Sixtus*, sed Regem gravissimis Censuris ob cædem Cardinalis irretitum, Absolutione Pontificia egere. Præsul Cenomanensis reposuit: De Cardinalibus quidem, Episcopis aliisque sacratis hominibus cognitionem in causis Fidei, Disciplinæ, aliisque Canonicis, ad Ecclesiasticos Ordines pertinere; sed in causis profanis, quæ temporalia & publicam tranquillitatem spectarent, & maxime ubi de crimine læsæ Majestatis ageretur, eos Principum Jurisdictioni subesse: ac propterea se Regis nomine Absolutionem non petere, sed Benedictionem dumtaxat Pontificiam. Dum negotium istud tractabatur, Pontifice novas difficultates ac moras ingerente, literas a Rege accepit Cenomanensis Episcopus, quibus mandabat, ut suo nomine Absolutionem a Summo Pontifice rogaret. Quod cum præstitisset Præsul, repulsam nihilominus passus est, nec flectere Pontificem potuit, ut Regi Absolutionem concederet, nisi prius ab ejus Majestate restitutis Cardinali Borbonio & Archiepiscopo Lugdunensi, aut certe Romam missis, ut Sedis Apostolicæ Judicium subirent. Rex de his ab Episcopo Cenomanensi certior factus, respondit: Se absque suo & publicæ tranquillitatis periculo Borbonium Cardinalem e carcere dimittere non posse, cum perduelles statim ipsum Regem creaturi forent. Dux *Mayenius*, Guisii Ducis & Cardinalis cæsorum frater, suo & fœderatorum Principum nomine apud Pontificem interim intercedebat, ne Absolutio Regi impertiretur, adversus quam se Protestationem objecturos minabantur. Ab his vehementius inflammatus Pontifex, in solemni Purpuratorum consessu, die 25. Maji anno 1589. Monitorium in Regem emisit, quo narrata Cardinalis *Guisii* nece, & *Bor-*

Sixti V. Monitorium in Henricum Tertium Regem Christianissimum, ob Guisiorum cædem.

Borbonii Cardinalis, ac Lugdunensis Archiepiscopi detentione, ipsum per viscera misericordiæ Dei hortabatur, & Auctoritate Apostolica primo, secundo, tertio monebat, præcipiebatque, ut dictos Cardinalem & Archipræsulem, intra decem dies ab hujusce monitorii publicatione numerandos, pristinæ libertati restituerent, & triginta post restitutionem diebus, id Sedi Apostolicæ significarent: ni pareret, Eum & omnes, & singulos, qui iis in rebus consilium, auxilium, aut favorem præstarent, in Censuras Ecclesiasticas incursuros, & a Fidelium cœtu præcisos fore. Ac præterea diem Regi dicebat ab hac in Jus vocatione sexagesimum, ut per se vel idoneos Procuratores Romæ se sisteret. Declarabat insuper a nemine, præterquam a Summo Pontifice Regem interea absolvi posse, extra mortis articulum; nec tunc quidem, nisi præstita cautione de parendo Ecclesiæ in iis, quæ ejus Majestati indicta essent. Addita derogatio omnibus Indultis, facultatibus, aut Privilegiis, seu Regi, seu ipsius Majoribus, quacumque forma & modo in contrarium concessis. Monitorium istud die 24. Maii promulgatum est, & pro more affixum ad valvas Basilicæ S. Petri, Cancellariæ Apostolicæ, & in Campo *Floræ*. Cumque in eo pariter juberetur, ut ad valvas duarum aut trium Ecclesiarum Cathedralium promulgaretur; id Meldis & Carnuti 23. Junii a Conjuratis peractum est.

V. Nulla Monitorii istius ratio in Galliis habita est. Regem enim Judicii in subditos perduelles, & Majestatis reos lati, etiamsi Episcopali vel Cardinalitia Dignitate fulgeant, soli Deo rationem reddere debere, Gallis a factione & conjuratione alienis persuasum erat. At *Guisios* in Regem conjurasse, hujusce conjurationis conscios fuisse Cardinalem Borbonium, & Lugdunensem Archiepiscopum exploratum habebatur: proinde justam fuisse, quamvis severam, Regis in ipsos animadversionem. Qua de re *Servinus* in Senatu Parisiensi Regius Advocatus Catholicus, in Vindiciis anno 1592. scriptis, quas apud *Goldastum* Tom. 3. *Monarchiæ* legere est, ait: *Hanc Monitionem & citationem non patrium fulmen esse, nec ab eo emissum, qui illud jacere potuerit. Nec enim Rex Franciæ a Sixto V. ita moneri debuit, cum solum Deum agnoscat eorum Judicem, quæ Auctoritate Regia & summi Imperii Jure ab eo gesta sunt.* Quod autem objiciebatur, Cardinalem *Guisium* occidi, & *Borbonium* in vincula conjici jussu Regis non potuisse, *Id Legibus Regni, & rerum judicatarum exemplis facile refutari posse* respondet, *Ægidii*, Remensis Archiepiscopi, *Prætextati*, Rothomagensis, aliorumque profert exempla ex Gregorii Turonensis Annalibus, qui se in causa capitali, & ubi crimine Majestatis accusati erant, Judicio Regis obnoxios agnoverunt. Id non solum sub prima & secunda, sed & sub tertia Regum nostrorum stirpe observatum, *secundum antiqua Legum Capitula ab Yvone* Carnotensi Episcopo recitata; quin etiam in Hispania locum habuisse, ut in Concilio Toletano XII. sancitum legimus, ubi cum Principibus sibi illatam injuriam summi imperii potestate vindicare liceat, ipsi eam soli remittere & condonare possunt. *Quin* (inquiunt illius Concilii Patres) *Remissis talium, qui contra Regem, gentem, vel patriam agunt, per Definitiones antiquorum Canonum in potestate solum Regia ponitur, cui & peccasse noscuntur, ab eis nulla deinceps abstinebit Sacerdotum Communio; sed quos Regia Potestas, aut in gratiam benignitatis receperit, aut participes mensæ suæ effecerit, hoc etiam Sacerdotum & populorum conventus suscipere in Ecclesiasticam Communionem debebit, ut quod jam Principalis Pietas habet acceptum, nec a Sacerdotibus Dei habeatur extraneum.* Tum *Ludovici XI.* exemplum profert, qui Cardinalem *Balvam* in carcerem conjectum, quod Majestatis reus esset, precibus & intercessione Romani Pontificis liberavit: Pontificem, & Legatum ea de causa missum, decretorium stylum non adhibuisse, sed meras preces. Ipsos nimirum agnovisse, Regem Francorum in omnes suos subditos, cujuslibet conditionis, & status, & gladii & meri imperii jus habere. Se non nescire a quibusdam Pontificibus, scilicet a *Bonifacio Octavo* & *Clemente* V. statutum, ut qui Romanæ Ecclesiæ Cardinalem hostiliter fuerit insecutus, vel ipsum percusserit, infamis perpetuo censeatur. Sed has Constitutiones Regio Juri, summoque Imperio nocere non posse, & Canonici Juris Interpretes ad Bonifacianam, quæ est in *Sixto* sub Titulo *De Pœnis*, & ad Clementinam, *Si quis suadente*, distinguendum observasse, *Jure-ne an injuria* Cardinalis cæsus sit. „Sed (*inquit Servinus*) ut Reges nostri eorum quæ faciunt, rationem reddere non tenentur, neque nos pro ipsis, quos in orbe terrarum neminem superiorem agnoscimus. Dicam tamen, si in Cardinalem Guisium, & alios, quorum sese Pontifex in Bulla sua Judicem dicit, acerbe & severe ab Henrico III. at certe juste ac merito statutum fuisse. Cum enim Ecclesiasticis Legibus Clerici Sacra tantum tractare debeant, quod ab illis contra eos factum, in quos Rex animadvertit, satis notum est ex iis quæ diximus in Svessionum Urbe, Lutetiæ, & Blesis a Guisianis gesta, ubi Cardinalis Guisius & Lugdunensis Archiepiscopus in caput Regis sui conjuraverant.

Servini Regis Advocati Catholici Apologia pro Rege.

Profert subinde Vir Clarissimus Constitutionem *Clementis* III. Tit. *De sententia Excommunicationis*, cujus hæc sunt verba: „Perpendimus ex literis tuis, quod quidam Sacerdos pro eo, quod se filium Regis nominare præsumpsit, & armis acceptis seditionem fecit & guerram, a B. Comite jussus est fustigari, qui postea ejus mandato traditus patibulo expiravit. F. T. duximus respondendum, quod si memoratus Sacerdos tali modo excessit, & non propulsando, sed inferendo injuriam fuit occisus, non videtur nobis quod interfectores ejus propter hoc, ad obtinendam Absolutionem, Apostolicam Sedem adire cogantur. Eum qui Clericum armatum in seditione interfecerat, Panormitanus Episcopus auctoritate ordinaria absolvere potuit, non expectata Romani Pontificis Sententia. Itaque si in Sicilia, quam vindicabat *Clemens*, noluit tamen Jurisdictionem exercere; cur in Francia tentavit *Sixtus* V. cur in Regem nostrum, qui solum Deum in temporalibus agnoscit, quod sibi a Deo non datum, sed prohibitum fuit, usurpare conatus est?

„At a Guisianis, & Hispanis, & eorum fautoribus objicitur, Cardinalem *Guisium* cum purpurea veste procedentem a Militibus Regis occisum. Sed etsi vestem non mutasset, tamen ut Dux *Guisius*, quod in Regem & Borbonios juraverat, ut eversa eorum sobole, Franciæ Regnum adipisceretur, jubente Rege interfectus fuerat: ita expediebat mori illum Prælatum, qui in Regem ipsum Dominum suum insultaverat, licet Ecclesias multas ipsius verbo teneret: qui Trecas & alias multas urbes Regias invaserat. Publica namque utilitas Regis animum pellebat, ut duos illos fratres e medio tolli juberet, cum certo sciret aliter Rempublicam salvam fieri non posse. Sane fatendum est id Christianis utile demum videri debere, quod non injustum sit. At quis justum negabit, quod a Rege factum est, non pœnæ festinatione, sed præveniendi periculi causa?

Sed dicunt *Guisii* „Non observatas a Rege *Henrico Tertio* solemnes & consuetas quæstionum & judiciorum formulas. Verum cum promptum ad aspera Principibus ingenium esse oporteat, commotis seditionibus Leges accelerandum monent, & ut quisque præcipuus turbator conquiri, ac cœdi intra tabernacula, & ubicumque obrui debet. Non prætermittit *Servinus* exemplum *Pii* IV. qui Cardinalem *Carafam* tamquam Majestatis reum comprehendi & strangulari jussit, quod clam atque extra ordinem fecit, ne ulla seditio moveretur. Quod si id potuit, cur Regi nostro non liceat, qui in Regni sui territorio neminem agnoscit superiorem præter Deum, & in his causis Legibus solutus est? Hæc & alia *Servinus*, qui de *Sixti* V. Monitorio ita concludit: „Quamobrem Sixti Bulla vim Legis in Francia habere non potest, maxime adversus Regem & suos, qui non ex Privilegio tantum, sed summi Imperii Jure, a Jurisdictione Pontificia (*in temporalibus*) liberi sunt, ita ut Jus summum & Regni Leges a Sixto V. tolli non potuerint.

Occupat demum quorumdam Guisianæ factionis Theologorum objectionem, dicentium: *Sixtum* ultima suæ Monitionis clausula Pontificum Bullis derogasse, & Pactionibus cum illis initis, quibus Regum nostrorum & Franciæ Jura ab iis confirmabantur. His opponit verba *Gersonii*, qui in Tractatu *De Potestate Ecclesiastica* dixit: *Non licere Papæ facere tot & tales Nonobstantias, eorum, quæ in Generalibus Conciliis statuta & a Patribus universalis Ecclesiæ approbata sunt, tollendorum gratia.* „Non igitur potest (*inquit Servinus*) subditos, a fide erga Principem, & a debita obedientia liberare. Nam quamvis *S. Petrus* habuerit a Deo concessam ligandi & solvendi potestatem, hoc jus de vinculis peccatorum scriptum est, non ut solvantur Sacramenta Divinarum Scripturarum.„ Hæc ille. Quæ quidem historice dumtaxat,

taxat, nec alio animo a me relata sunt, quam ut palam fiat quæ fuerit Gallorum Regi (ut par erat) addictorum, & a factionibus alienorum, de Monitorio *Sixti* V. Sententia; utque *Henricus* III. a calumnia, & suprema Regum nostrorum Auctoritas, ab iis qui ex *Sixti* IV. facto argumentum ad eam oppugnandam ducunt, vindicetur. Quamquam *Henrici* III. factum omnino purgare nolim, sed quid alii senserint, referre dumtaxat in animo habuerim.

Sixtus V. a calumnia vindicatur.

VI. Sed & *Sixtum* a calumnia etiam vindicare æquum est, & cum Clarissimo *Servino* observare affictam fuisse Optimo Pontifici Orationem, qua nefandissimum parricidium in *Henricum* III. perpetratum laudabatur, & (quod dictu horrendum) cum Incarnatione & Resurrectione Christi comparabatur. Denique (ut idem *Servinus* observat) *Sixtus* paucis ante obitum suum diebus aures suas Gallici Regni ac nominis hostibus dedere desierat, ut probat ejus erga *Henricum Magnum*, cum ad Regnum capessendum accessit, moderatio. Nam & improvidam Cardinalis *Cajetani*, Sedis Apostolicæ Legati, agendi rationem improbavit, qui non sequestrem pacis, quod ei *Sixtus* in mandatis dederat, sed factionis fautorem & incentorem belli se gerebat, cum solis agens Fœderatis: nec *Philippi* Regis Hispaniæ precibus annuit, ipsum per *Olivarium* Comitem, & Suessanum Ducem vehementer urgentis, in Gallicum Fœdus adversus *Henricum Borbonium* auctoraret ac tueretur; ipsius successionem in Regnum nusquam se probaturum promitteret; Ecclesiasticos Viros qui *Henrici* partes sequebantur, Anathemate confoderet.

VII. Obiit *Sixtus* V. die 27. Augusti, anno 1590. ætatis 69. Pontificatus VI. per quatuor menses & tres dies inchoato. Ei viventi cum S. P. Q. R. Statuam in Capitolio collocasset, eam Romani Nobiles aliquot severius forte ab ipso tractati, cum plebejorum manu quos tributis gravaverat, impetu facto dejicere conati sunt; & reipsa deturbassent, nisi Proceres a Sacro Collegio missi furentem multitudinem auctoritate sua compescuissent. Ea tamen occasione sancitum est, ne in posterum viventi Pontifici statuas erigere liceret.

Sixti V. Cardinales.

VIII. Cardinales lectissimos creavit *Sixtus V.* scilicet *Alexandrum Perettum de Montealto*, Nepotem. *Henricum Caetanum*, Romanum, ex Referendario utriusque Signaturæ Patriarcham Alexandrinum. *Georgium Drascovitium*, Hungarum, eximiæ doctrinæ & eloquentiæ virum, Quinqueecclesiensem primum Episcopum, & unum e Synodi Tridentinæ Patribus, deinde Colocensem Archipræsulem. *Joannem Baptistam Castruccium*, Lucensem, ex Vaticanæ Basilicæ Canonico & Supplicum Libellorum Præfecto, Theatinum Archiepiscopum. *Federicum Cornelium*, Bergomansem primo, deinde Patavinum Episcopum, ex Ordine S. Joannis Hierosolymitani assumptum, qui inter Synodi Tridentinæ Patres magna cum laude sederat, *Dominicum Pinellum*, Genuensem, Firmanum Episcopum ac Principem, gravissimis in Curia Muneribus sub Pio IV. Pio V. & Gregorio XIII. cum opinione virtutis & industriæ singulari, perfunctum. *Hippolytum de Rubeis*, Parmensem, Theologum & Jurisconsultum insignem, Ticinensem Episcopum, qui in Concilio Tridentino magnam sibi nominis celebritatem pepererat. *Decium Azzolinum*, Firmanum, cujus integritas, virtus, & industria, ipsi *Sixto* probata fuerat, cum ipsi adhuc Cardinali esset a Secretis, Cerviensem Episcopum. *Hippolytum Aldobrandinum*, Fanensem, Jurisperitissimum, Datarium. *Hieronymum de Ruvere*, Taurinensem Archiepiscopum. *Philippum de Lenoncourt*, Gallum, Catalaunensem primo, tum Autissiodorensem Episcopum, Regiorum Ordinum Commendatorem, postea Remensem Archiepiscopum. *Hieronymum Bernerium* Corrigiensem Ordinis FF. Prædicatorum eximium Theologum, Asculanum Episcopum. *Antonium Mariam Gallum*, Auximanum, Perusinum Episcopum. *Constantium Buccafocum*, Italum, Ordinis FF. Minorum Conventualium Theologum doctissimum. *Hieronymum Matthæjum*, Nobilem Romanum, Cameræ Apostolicæ Clericum Præsidentem, ac Generalem Auditorem. *Benedictum Justinianum*, Patritium Genuensem, utriusque Signaturæ Referendarium: *Ascanium Columnam*, Nobilem Romanum. *Gulielmum Alanum*, Anglum, de Fide Catholica optime meritum, qui extorris a patria, multa Seminaria Anglis ob Religionem exulibus condidit, & doctrinam orthodoxam Scriptis luculentis propugnavit. *Scipionem Gonzagam* Mantuanum, Patriarcham Hierosolymitanum, vitæ integritate, literarum scientia, rerum usu, atque elegantia singulari, non minus quam nobilitate conspicuum, *Antonium Mariam Saulium*, Nobilem Genuensem, Urbis suæ Archiepiscopum Cosentinum. *Petrum Gondinum*, Comitem Juniacensem, Lingonum primo, tum Parisiorum Episcopum. *Stephanum Bonuccium*, Tridentini Concilii olim Theologum, & Ordinis Servorum B. Mariæ Supremum Moderatorem, Aliminensem primo, tum Aretinum Episcopum. *Joannem de Mendoza*, Hispanum, ex nobilissima familia, Toletanum Canonicum, & Talaveræ Archidiaconum. *Hugonem Verdalam de Lonbens*, Ordinis S. Joannis Hierosolymitani Magnum Magistrum. *Federicum Borromæum*, Mediolanensem, *S. Caroli Borromæi* nepotem, virtutumque ipsius sedulum æmulatorem, postea Mediolanensem Archiepiscopum. *Joannem Franciscum Maurocenum*, Venetum, ex Reipublicæ Serenissimæ Senatore, & ad varios Principes Oratore, Brixiensem Episcopum & ad *Henricum* III. Regem Christianissimum, difficillimis temporibus Nuncium. *Augustinum Cusanum*, Mediolanensem Jurisconsultum insignem, Cameræ Apostolicæ Clericum & Auditorem. *Franciscum Mariam*, ex Marchionum Montis S. Mariæ Illustrissima familia, Referendarium Apostolicum. *Marianum Perbenedictum*, Marturanum Episcopum, & Almæ Urbis Præfectum. *Gregorium Petrochinum*, Picenum, Ordinis Eremitarum S. Augustini Priorem Generalem. *Carolum a Lotharingia*, Caroli Lotharingiæ Ducis filium, Metensem Episcopum. *Guidonem Populum*, Bononiensem, Cameræ Apostolicæ Thesaurarium.

SCHOLION.

Ad hunc & sequentem Articulum referuntur istæ Indiculi Censorii notæ. Pag. 279. hæc improbat: *Non æque Christiano orbi probata, quæ Sixtus V. in Reges attentavit, &c.* Pag. 285. *Lege* (inquiunt Religiosi Censores) *quæ dicit de Monitorio Sixti V. contra Regem Henricum* III. *qui non agnoscit superiorem.*

Pag. 294. 295. 297. *Vide quæ dicit de exauctoratione Henrici Quarti facta a Gregorio* XIV.

R. De istorum Pontificum Actis adversus jura temporalia Regum iis in locis locutus sum secundum Sacræ Facultatis Parisiensis & Ecclesiæ Gallicanæ Sententiam. Quod dixi Regem Christianissimum *Superiorem in temporalibus non recognoscere*, docuit me Innocentius III. cap. *Per venerabilem* Extra, *Qui filii sint legitimi*. Hæc Monitoria & Diplomata Sixti V. Contra Henricum III. Gregorii XIV. contra Henricum IV. Romano Bullario inseri noluit Apostolica Sedes, cujus ea in re æquitas & prudentia Auctori recentiori documento esse debuerant, ne tam invidiosa instrumenta suo Operi insereret.

Nota.

ALibi adnotavi, quomodo intelligenda sint verba Innocentii III. asserentis Reges superiorem in temporalibus non agnoscere.

Cæterum animadvertendum, omnia ea quæ in hoc sæculo, cujus historiam describit Natalis, Pontifices aggressi sunt, ut reges hæresi infectos in ordinem redigerent, etiam Ecclesiam Gallicanam ac Facultatem Parisiensem probasse, immo iisdem Gallis sollicitantibus acta esse. Audiatur quomodo Peranda anno 1592. 16. Aprilis scripserit ad Patriarcham, & Legatum Cajetanum: *Sorbona hujus sententiæ est, urgetque Pontificem, ut ipse regem Galliæ pronunciet, declaretque, alioquin Gallia conclamata est, experſque remedii; & esse hanc potestatem Pontifici, regem declarandi, rationibus plane evidentibus, multisque exemplis ostendunt. Immo adjungunt, ubi Pontifex regem pronuntiaverit, isque in Gallia denuntiatus fuerit, continuo & a Clero, & a populo receptum iri.*]

ARTICULUS XXIII.

DE URBANO VII. GREGORIO XIV. ET INNOCENTIO IX.

Urbanus VII.

I. POstquam *Sixto V.* solemni ritu parentatum est, Cardinales Conclave ingressi *Joannem Baptistam Castaneam*, Titulo *Sancti Marcelli* Presbyterum Cardinalem, in Summum Pontificem elegerunt, qui *Urbanus septimus* appellari voluit. Ob Imperii brevitatem coronatus non fuit, improviso morbo correptus; & ad Coronam immortalem vocatus, quinto Kalendas Octo-

Octobris anno 1590. ætatis 78. Pontificatus die 12. Tantom Christiani animi robur extremo in morbo præ se tulit, ot diem mortis adesse prospiciens, diem illum salutis eppellaret, curisque eliis amandatis, in eo sibi diceret cogitationes omnes deligandas; gratiasque Deo ageret, quod tam oppurtuno tempore eb ipso vucaretur, quo de onore Pontificetus non esset redditurus retionem. Omnie bona sua, etiem paterna, ad æstimatiunem aureorum triginta millium, Sodaliteti Beatæ Virginis Annontiatæ legavit, in dotes calemitosarum Virginum confereuda. In ejos funere elegantem Orationem hebuit *Pompejus Ugonias*, qoam *Oldoinus* in Additionibus ad *Ciaconium* edidit.

Gregorius XIV.

II. Defuncto *Urbano*, in Summum Pontificem electus est *Nicolaus Sfondratus*, Mediolanensis ea Episcopo Cremonensi, quo nomine Tridentino Concilin interfuit, Titulo S. Cæciliæ Presbyter Cardinalis e *Gregorio XIII.* creatus, qui *Gregorii* XIV. nomen sibi sumpsit, castissimæ vitæ leude & Christiana modestia spectatissimus. Urbem annonæ difficultate laborantem profusa beneficentia sublevavit. Constitutionem *Pii* V. de non alienandis & infeodandis terris ac locis Sanctæ Romenæ Ecclesiæ confirmavit. Omnes sponsiones, quæ vulgo *excommissæ* vocabentur, de vita, morta, & futura electione Summi Pontificis, eut Promotionibus Cardinalium, damnevit ac prohiboit. De forma promovenui ed Ecclesias Cathedrales, aliesque Dignitates Cunsistoriales, secundum præscriptum Tridentini Concilii, Constitutiunem edidit, quæ incipit: *Onus Apostolicæ servitutis*. Ecclesiarum immunitatem sanxit. Constitotinnem *Sixti* V. contra procurantes abortum moderatus est, & pœnas procurantium excussionem fœtus inanimis ad terminos Juris communis & Tridentini Concilii dispositionem reduxit. Sacrum Societetis Jesu Iostitutum rursus cunfirmavit, Constitutione quæ incipit: *Ecclesiæ Catholicæ*: eique permisit ut Nuvitios reciperet, non serveta forma Sixtinæ Constitutionis. Regulam Congregarionis Clericorum Regulerium ministrentium infirmis approbavit. Petribus Capucinis interdiait ne Laicorum & Clericorum Coofessiones audireot, quo facilius vacarent cœlestiom rerum contemplationi. Biretum rubrum concessit Cardinalibos ex Ordinibus Regularium assumptis. Ad tollendas lites, jurgiaque sedanda, qoæ inter Brundusinos cives & Uritanos quotidia oriebantur, Catholico Rege rogante Ecclesierum illerum unionem dissolvit, relicto Brundusinis antiquo Archiepiscopatus titulo, & Uritanis novo Episcopo sob Tarentino Metropolita concesso. Catholicæ fidei in Gallius conservandæ zeln, sed non secundum scientiam ac prudentiam, incensus, & Hispanorum suggestione incitetus, Exercitum in Gallias misit in euxilium Fœderetnrom, contra *Henricum IV.* Regem, nondum ab hæresi conversum, Duce *Herculo Sfondrato*, nepote, eui *Marsilium Landrinnum* Referenderium, Nuncium Apostolicum præmisit, anno 1591. Is Diplome Duplex attulit Kal. Martus datum. Altero omnibus Ordinis Ecclesiastici viris præcipiebat, ut infra quindecim dies eb obedientia & comitetu *Henrici Borbonii* recederent, sub pœna Anathematis; & si infra alios quindecim dies eum non deseruissent, sub pœna exauctorationis & privationis Dignitatum ac Beneficiorum. Ipse vero *Henricus Borbonius* uti Hæreticus & relapsos, excommunicatus denunciabatur, omnibusque Regnis & ditionibus privatus. Quæ Diplomata cum Nuntius Remis Typis excudi, & ubique publicari curesset, majus incendium in Galliis exciterunt. Qui enim ad Jus divinum, Scripturis & Traditiune contentum attendebant, certissimum habebant, Pontificem e Gellici nominis hostibus specie Religionis deceptum, potestatem in Regum temporalia sibi præter jus & fes vendicare; nec Regiis eacidere Juribus, etsi Hæreticos, etsi relapsos, etsi Ethoicos; aut iis ab ulle Ecclesiastica Potestate eaoi posse, quæ suis circumscriptam finibos, ligandi quidem & solvendi eoctoritetem a Christo collatem exercere potest, non vero omnia miscere, Regna evertere, aut transferre, Reges in ordinem redigere, subditos fidelitatis & obsequii vinculo solvere, quos Regibus parere, & debitis in Cæsarem officus fungi, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam, Christus & Apostoli jubent. Quo circa Suprema Camere Catalaunensis, quæ pars erat Senatus Parisiensis ibi ad majus commodum Cempaniæ constituta, pustolante Procuratore Regio Catholico pronuntiavit die 5. Junii, Libellos in furma Bullarum monitorierum Remis excusos, ut injuriosos, scandalosos, & famosos, ad seditionem & eversionem Status, Coronæ, & Domus Franciæ spectantes, de facto, non de jure datos in Foro lacerandos esse; sub pœna capitis quibuscumque prohibuit, ne illos publicarent, iisve seu directe seu indirecte abuterentur: omnibus Regis subditis, Urbibus, communibus, collegiis, & Capitulis, ne publicationem hujusmodi permitterent: eoruinque latores cap jussit, ut in eos ceu contra Fautores hustium Regni publicæque tranquillitatis perturbatores ageretur. Altero Senatusconsulto Catalauneosi 29. Augusti dato sancitum est, Monitorie & Diplomata contra *Henricum tertiam* bonæ memoriæ & *Henricum quartum* tunc Regnantam præter jus & fas data & impetrete fuisse ac Jure a Regin cognitore eppelletum. Irritas dixit, nullusque roboris literas, excommunicationes & fulminum jactus contra ipsorum Majestatem attentatos. Diplomata hujusmodi per ebusum data, scandaluse, seditiose, mendeciis calumniisque scatentia, contra Sacra Decreta, Constitutiones Canonicas, Concilia approbata, Jure & Libertates Ecclesiæ Gallicanæ pugnantia. Hujusmodi literæ, Actaque omnia Judiciaria vi illerum facta, in foro comburi jussa. Statutum ut *Landrinnus* pro Nuntio se gerens, furtim & absque venia Regis Gallias ingressus, comprehenderetur, & in Regis carceres conjiceretur: ni comprehendi posset, trinondinn vocaretur, præmio decem millium nummum statuto ai qui illum traderet: pœna capitis in ipsius receptetores statute. Archiepiscopis, Episcopis aliisque Ecclesiasticis Viris crimen læsæ Majestatis intentatum, qui Diplomate ab eo allata prumulgarent, aut promulgari paterentur. Qui Cardinales, Prælati, aliive, Romæ consilium dedissent aut consensum in parricidium contra Regem *Henricum tertiam* omni jure Beneficiurum quæ in Regno possidebant, excidisse declarati. Prohibitum ne pecuniæ Romam mitterentur, eut pro Sacerdotiorum Diplomatibus, aliisve de causis Romana Curia adiretur, donec Rex aliter sanxisset. Deinum Regio Cognitori Instrum ntum appellationis de *Sfondrati* Cardinalis *Gregorii decimi quarti* intrusione (ut ajebat) in Sedem Apostolicam, ad futurum Conciliom legitima congregandum interpositæ, datnm. Idem Senatusconsulto Turonensi in *Landrianum* & *Gregorii decimiquarti* Diplomate, majori etiam acrimonia decretum est, die 5. Augusti. Idem a Senatu Burgundiæ Flaviniacum translato præjudicetum fueret, die 29. Julii. Idem a Senatu Normanniæ Cedomi sedente, 13. Augusti. Quæ Senatusconsulta edita sunt inter probationes libertetum Ecclesiæ Gallicanæ, peg. 43. & sequentibus. In quibus certe ut nonnulle fuot in *Gregorium decimum quartam* optimum elioqui Pontificem acerbiora, injuriosa, & falsa, verbi gratia quod unitetis Ecclesiæ Catholicæ, Apostolicæ & Romanæ inimicus, in Sedem Apostolicam intrusus, execrandi parricidii in *Henricum tertium* Regem Christianissimom perpatrati reus pronuntiatur; ita fatendum est in *Gregorii* literis ac Diplomatibus multa fuisse amariora, & Regi injuriosa, quem Ecclesiæ persecutorem falso appellabat, cum Religionis Catholicæ conservationi ac libertati Edicto irretractabili consuluisset, seque veram Religionem edoceri magnopere desiderere significaret. Fatendom hæc Diplomata nec justa, nec prudenter data, missa, & publicata fuisse. Læsa justitia est, quoniam Regni Successorem legitimum Pontifex nullam in Regum nostrorum tempuralia jurisdictionem habens, Regni possessione dejicere tenteret, subditos ad defectionem & perduellionem excitare, hostibus aditum in Regnum patefacere. In prudentiem vero peccetum est, qoia perturbatissimis temporibus ea non erant emittenda Diplomata, quæ ad perturbationem augendam quam sedandam erent aptiore, & Magnanimi Regis animus charitate paternaque benignitate monitis, adhortationibus, in Ecclesiæ gremium invitandus erat; non minis, censuris, pœnis, hostili insultu exasperandus. Sed non tam culpandus optimus cæteroquin Pontifex, cui obreptum est, quam Hispani, & Fœdereti sub Religionis nomine Galliæ perduelles, qui fraudolenter obrepsere.

Acta Gregorii XIV. in Henricum IV. Francorum Regem.

Supremarum Curiarum senatusconsulta pro Regiorum Jurium defensione.

Henrici IV. Moderatio.

III. Insignis moderetionis & prudentiæ exemplum Rex Magnus hac occasione præbuit. Edictum namque seu declarationem condidit ac promulgavit Meduntæ, die quarta Julii: quo repetitis, quæ de sua ad Catholicam Religionem conservandam, & ad quærendam, amplexandemque veritatem propentione ac voluntate publicaverat, iisdemque confirmetis, de *Gregorio Decimo quarto* querebatur, quod suis & Gallici Regni hostibus aures commodasset, falso & per calomniam jactantibus suem Majestatem multa in religione novalle, nec de vera Fide ullatenus edoceri velle, & quod Nuncium cum acerbissimis mandatis ad

Principes, Antiſtites, Magiſtratus a ſe alienandos legaſſet. Qui quidem Nuncius injuſſu ſuo Regnum ingreſſus, ad perduellium partes, nulla adventus ſui ſignificatione facta tranſierat. Quæ cum ad ſuæ Majeſtatis injuriam non ſolum pertinerent, ſed etiam Regni jura, Libertates Eccleſiæ Gallicanæ, ac ſecuritatem publicam ſpectarent, nolle ſe hac in cauſa quippiam auctoritate propria ſtatuere profeſſus eſt, ſed eam integram Supremis Regni curiis relinquere, quæ ſecundum Regni leges de illa decernerent. Se inſuper Gallicanos Præſules hortari, ut quamprimum Conventum haberent, in quo de Cenſuris contra Juris formam decretis ſtatuerent quod æquum videretur.

IV. Senatus Pariſienſis, fœderatis contra Regem tunc addictus, Caralaunenſia & Turonenſia Senatuſconſulta, ceu hæretica & Schiſmatica, & ab hominibus poteſtatem non habentibus lata, igne damnavit: Pontificiis mandatis reverentiam & obedientiam præſtari juſſit, *Gregorium Decimum Quartum* tamquam legitimum Chriſti Vicarium & Eccleſiæ Caput honorari.

Gallicanorum Præſulum erga Regem fidelitas, prudentiaque & conſtantia in difficillimo negotio.

V. Gallicani vero Præſules, qui a Rege ſtabant, Meduntæ primo, deinde Carnuti congregati, die 21. Septembris Decretum ediderunt, ad omnes Ordines, Civitates, & Catholicos Regni directum, quo ſignificarunt, ſe intellexiſſe *Gregorium XIV.* Romæ ſedentem, Status Regni & Ordinis Eccleſiaſtici in Galliis neſcium, & malis artibus hoſtium ejuſdem Regni perſuaſum ac incitatum, Mandata quædam, Monitoria, Suſpenſiones, Interdictiones, Excommunicationes miſiſſe non ſolum contra Præſules, ſed etiam in Principes, Nobiles, Populumque Gallicum, qui perduellium partes ſequi nollent. Ideo re in conſultationem adducta, & accurate examinata ex auctoritate Sacræ Scripturæ, Sanctorum Decretorum, Conciliorum Generalium, canonicarum conſtitutionum; perpenſis Sanctorum Patrum exemplis, Juribuſque & Libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ; ac quod horum executio mandatorum innumeris eventibus periculoſis in religionis perniciem vergentibus implicata eſſet: ſn interdictiones hujuſcemodi tam ratione formæ quam materiæ irritas, injuſtas, & ſuggeſtione hoſtium Gallici nominis ac Regni factas declarare; neque iis Clerum populumve Gallicanum obligari ullatenus poſſe: idque ſalva reverentia Romano Pontifici debita. Atque ut omnis ſcrupulus e Catholicorum Regni fidelium animis eximeretur, ſe quamprimum Oratores ad Summum Pontificem miſſuros, quo ejus Sanctitatem de Regis, Regni & Eccleſiæ Gallicanæ Jure plenius edocerent, eique in omnibus quantum in ſe eſſet ſatisfacerent. A quo idem reſponſum ſperare liceret, quod olim *Alexander tertius* ad Ravennatem Archiepiſcopum ſcribens his verbis dederat: *Patienter ſuſtinebimus, ſi non feceris quod prava nobis fuerit inſinuatione ſuggeſtum*. Interim admonere ſe Dei nomine vere Catholicos & Gallici nominis ſtudioſos, præſertimque Sacratos Viros, ut ferventiſſimis votis ac precibus pro Regis converſione Deum exorarent. Tandem Curionibus, eorumque Vicariis mandarunt, ut hujus Declarationis exempla pro foribus Templorum ſuorum affigi, & publice inter Sacra promulgari curarent. Declarationi ſubſcripſere *Barbonius* & *Lenoncurius* Cardinales, Bituricenſis Archiepiſcopus, Nannetenſis, Carnotenſis, Bellovacenſis, Malleacenſis, Cenomanenſis, & Catalaunenſis Epiſcopi, aliique Viri Eccleſiaſtici, qui conventui interfuerunt. Quod vero Legationem ſpectat ab illis ad Summum Pontificem decretam, miſſa illa non eſt, tum ob interceſſionem Senatus, tum ob ſecutum *Gregorii decimiquarti* obitum. Hac tempeſtate multa hinc inde pro Diplomatum *Gregorii* defenſiona & damnatione ſcripta in publicum emiſſa ſunt, & pro ſingulorum ſtudiis æſtimata & accepta. Extat apud *Goldaſtum* Tom. 3. *Monarchiæ* Liber inſcriptus: *Pium conſilium ſuper Papæ Sfrondrati, dicti Gregorii decimi-quarti monitorialibus, ut vocant, Bullis &c.* A *Tuſſano Berchetæ* Lingonenſi e Gallico in Latinum ſermonem converſus & *Henrico quarto* dicatus. Extant & *Servini* advocati Regii *Vindiciæ*: quibus in libris, eſto nonnulla ſint minime probanda, quæ nunc diſcutere non eſt hujus inſtituti, multa tamen approbanda ſunt, & a bonis omnibus laudanda, Supremæ ſcilicet Regum Auctoritatis aſſertio, ac defenſio, conjurationum in Sacras eorum Perſonas & Majeſtatem execratio, Libertatum Eccleſiæ Gallicanæ, Juriumque Regiorum contra peregrinas opiniones vindiciæ, Auctoritatis Pontificiæ ad Scripturam Sacram, tradiſionem, & Canones conformandæ neceſſitas, &c. Hæc ad Hiſtoriam *Gregorii decimi-quarti* & jactorum ab eo fulminum illuſtrandam obſervare operæ pretium fuit.

VI. Obiit *Gregorius* die 15. Octobris anno 1591. ætatis 57. Pontificatus menſe decimo ac die decimo, ex calculo & alvi fluxu, cum accerſitis ad ſe Cardinalibus, apud eos modeſtiſſime excuſaſſet, ſi quid minus convenienter in Pontificatu adminiſtraſſet, adverſa valetudine ſemper impeditus, eoſque adhortatus eſt, ut abſque contentione & mora poſt ſuum obitum, optimum digniſſimumque Pontificem eligerent. De poſtremo illo *Gregorii decimi-quarti* Sermone ad Cardinales habito, *Auguſtinus* Cardinalis Veronenſis Opuſculum ſcripſit. In ejus funere peroravit *Vincentius Blaſius Garcia*, Valentinus, cujus orationem *Oldoinus* edidit in Additionibus ad *Ciaconium*. Quinque Cardinales creavit, *Paulum Æmilium Sfondratum* Nepotem, eximia pietate & munificentia in pauperes commendatiſſimum. *Octavium Palavicinum*, Romanum, Alexandrinum Epiſcopum. *Odoardum Farneſium*, Parmenſis Ducis *Alexandri* filium. *Octavium Aquavivam Aragonium*, Neapolitanum, genere, eruditione, & rerum uſu clariſſimum, ſuæ poſtea urbis Archiepiſcopum. *Flaminium Platum*, Mediolanenſem *Sfondratæ* gentis affinem, Romanæ Rotæ Judicem.

Gregorii XIV. Cardinales.

VII. Juſtis *Gregorio XIV.* pro more perſolutis, altera Comitiorum die ſummo Patrum conſenſu Pontifex electus *Joannes Facbinettus*, Bononienſis, morum integritate, eruditione, civili prudentia ſpectatiſſimus, Titulo SS. Quatuor Coronatorum Cardinalis Presbyter a *Gregorio XIII.* creatus, ad preces *F. Mirandæ* Ordinis Prædicatorum, Sacri Palatii Magiſtri, *Innocentii IX.* nomen accepit. *Pii V.* Conſtitutionem de non alienandis Eccleſiæ bonis, confirmavit. Nihil habuit antiquius, quam ut laxatis populo Romano nuper impoſitis vectigalibus, de Barbaris ad fidem convertendis, deque Hæreticorum perfidia tollenda, pie ac ſapienter cogitaret; neque cogitaret ſolum, ſed reipſa perficere aggrederetur. Japoniorum Eccleſiam, impii ac nefarii Tyranni immanitate vexatam, ſua liberalitate recreavit. Ut Turcarum converſioni, Chriſtianorum ſolatio, commodiſque conſuleret, Byzantii Collegium fundare decreverat. Sacerdotia nonniſi probatiſſimis viris diſtribui volebat; quoque id eſſet perpetuum, certa quædam capita & quaſi Canones propediem evulgaturus erat, quibus caveretur, ne deinceps niſi pii, prudentes, atque eruditi ad Eccleſiaſtica Beneficia promoverentur: ſed præclara Pontificis optimi conſilia mors intercepit die 30. Decembris anno præcipitante 1591. cum duos tantummodo menſes in Cathedra S. Petri ſediſſet. In ejus Funere peroravit *Benedictus Juſtinianus*, Societatis Jeſu vir doctiſſimus & eloquentiſſimus. Duos creavit Cardinales, *Philippum Segam*, Bononienſem, ampliſſimis Sedis Apoſtolicæ Muneribus triginta amplius annos egregie functum, Placentinum Epiſcopum; & *Antonium Facbinettum*, Nepotem.

Innocentius nonus.

Innocentii Noni præclara conſilia.

Innocentii Noni Cardinales.

SCHOLION.

Ad hunc Articulum refertur illa Indiculi Cenſorii nota, pag. 300. *Vide quid dicit de auctoritate Papæ.*

R. Pontificiæ Auctoritatis uſum ad Scripturam ſacram, Traditionem, & Canones conformandum ſcripſi eo loci; quod Sanctiſſimi quique Pontifices ſenſerunt & profeſſi ſunt, ut conſtat ex Profeſſione Fidei olim ab iis edita, quæ in Libro Diurno Romanorum Pontificum legitur. Romanum tamen Pontificem Canonum Spiritu Dei conditorum, & totius mundi reverentia conſecratorum, non ſolum cuſtodem, vindicem, diſpenſatorem, ſed ſummum Interpretem agnoſco auctoritate Primatus S. Petro a Chriſto collati, & in ejus Succeſſores transfuſi.

Nota.

SUmmum Pontificem ſacris Canonibus præeſſe oſtendi alibi.

ARTICULUS XXIV.

DE CLEMENTE VIII.

I. POST *Innocentii IX.* obitum in Pontificiam Cathedram evectus eſt *Hippolitus Aldobrandinus*, Florentinus, Titulo *S. Pancratii*, Presbyter Cardinalis, tertio Kalendas Februarii, anno 1592. & *Clemens VIII.* appellari voluit. Patriarchæ & Chorepiſcopi Alexandrini Oratores anno 1595. ſuſcepit, qui Fidei Profeſſionem eorum nomine ediderunt, & obedientiam *Clementi* præſtiterunt. Patriarchæ literas Fideique Profeſſionem apud *Baronium* legere eſt in Appendice Tomi 6. Anna-

Ruthenorum ad Fidem & Communionem

Ecclesiæ Romanæ redditur.

Annalium. Ruthenos Catholicam Fidem professos, & obedientiam Sedi Apostolicæ pollicitos, ad Ecclesiæ Romanæ Communionem admisit, de quorum Legatione & receptione legendus idem *Baronius* in fine Tomi 7. Annalium. *Henrico IV.* Franciæ & Navarræ Regi Absolutionem ab Hæresi & Censuris per *Jacobum Davy Perronium* Ebroicensem Episcopum designatum, & *Arnaldum Ossatum*, Procuratores suos humillime postulanti, facta ab iisdem, ejus nomine, Fidei Professione, concessit, 17. Septembris ejusdem anni. Nonnulli Cardinales, factionis præsertim Hispanicæ, conditiones quasdam proponebant, aut pro tempore impossibiles, aut Regiæ Auctoritati ac Regno noxias & indecoras, vel nova bella parituras, nempe ut Edicta a Rege in gratiam Calvinistarum concessa, omnino revocarentur, nullaque alia Religio præter Catholicam in Regno permitteretur; omnia cum Principibus Hæreticis fœdera dissolveret: Rex assentiretur se omni Regni Jure privatum iri, si in hæresim relaberetur. Absolutio non Romæ a Pontifice, sed in Regno per Legatum tribueretur, in cujus præsentia Rex denuo errores ejuraret, denuo inungeretur, & Regni, quasi antea usurpati, insignia sumeret. Has conditiones cum Regii Procuratores rejecissent, in mitiores alias sexdecim conventum est. Clementiam cum disciplina & Sedis Apostolicæ Auctoritate, in hac Absolutione Summus Pontifex prudentissime temperavit. Absolutionem enim ab Archiepiscopo Bituricensi anno 1593. de aliorum Prælatorum consilio, ad *S. Dionysii*, Regi impertitam fuisse, & esse nullam, ac nullius roboris vel momenti prius declaravit: omnes nihilominus actus Religionis, alioqui Catholicos & approbabiles, in consequentiam illius Absolutionis factos validos, ratos, & firmos pronuntiavit, ac si tunc fuisset ab ipso Romano Pontifice absolutus. Ista constant ex Actis Absolutionis *Henrici IV.* quæ inter Literas *Petreaii* Cardinalis edita sunt, pag. 162.

Henrici IV. Francorum Regis Absolutio.

Pax inter Reges Galliæ & Hispaniæ.

Pacem inter Catholicum Regem *Philippum III. & Henricum IV.* Regem Christianissimum conciliavit, inito ad Vervinum Tractatu, cui præfuit *Alexander* Cardinalis Florentinus, Legatus Apostolicus, anno 1598. Eodem anno Ferrariam, totamque ejus Ditionem, bello *Petri Aldobrandini* imperio feliciter gesto, atque incruenta prorsus victoria, a Cæsare Mutinensium Duce recepit *Clemens Octavus*. Terror armorum *Henrici Magni* Regis Christianissimi, qui Jus Ecclesiæ Romanæ tuebatur, Ducem ad cedendum Summo Pontifici compulit, quod Censurarum metus non fecerat. Eam Urbem sua præsentia illustravit & recreavit Pontifex, anno 1598.

Ferraria a Duce Mutinensi recepta.

Nuptiæ Principum.

Ibi duo nobilissima conjugia, alterum *Margaritæ Austriacæ* præsentis, cum *Philippo Tertio* Hispanorum Rege absente: alterum *Alberti Archiducis*, præsentia, cum *Isabella Clara Eugenia*, absente, Pontifice Sacris operante, celebrata sunt. Cardinalem *Aldobrandinum* Nepotem, a Latere Legatum anno sexcentesimo in Gallias misit, eum ut pacis Regem Christianissimum inter & Sabaudiæ Ducem sequester esset, tum ut Nuptias ejusdem Regis & *Mariæ Medicææ* benediceret. Anno superiore conjugium a Rege cum *Margarita Valesia* olim contractum, ob præcedens consanguinitatis in tertio gradu, dispensatione sufficienti non sublatum impedimentum, defectumque mutui consensus, dissolverat, causa accurate discussa per Judices in partibus delegatos, Cardinalem *Ascoyosa*, *Horatium de Monte*, Arelatensem Archiepiscopum & Episcopum Mutinensem Nuncium Apostolicum. *Henricum* Cardinalem *Cajetanum*, Apostolicæ Sedis Legatum in Poloniam misit, ut *Sigismundum* Regem & Poloniæ Proceres ad fœdus contra Turcas cum Imperatore sanciendum inflammaret. *Joannem Franciscum Aldobrandinum*, Ecclesiasticæ Militiæ summa cum potestate Præfectum, copiasque validissimas ad Turcarum impetum sistendum, ter in Hungariam & Croatiam ære Pontificio misit, aluitque; Cæsari ingens auri pondus in belli subsidium subministravit; Strigonium a Turcarum tyrannide vindicavit.

Sacrorum Bibliorum Editio emendatissima.

II. Alia longe plurima pro Ecclesiæ bono egit decrevitque *Clemens Octavus*. Sacrorum Bibliorum editionem *Sixti V.* auctoritate adornatam perfici & castigatissimam prodire curavit. Beatos *Raymundum* & *Hyacinthum* Ordinis FF. Prædicatorum, virtutibus & miraculis claros, in Sanctorum numerum adscripsit, hunc 55. Kalendas Maii, anno 1594. illum tertio Kalendas Maii, anno 1601. *B. Ambrosium* Senensem ejusdem Ordinis, Martyrologio Romano adscribi jussit, *Agneti e Monte Politiano* Virgini, *Laurentio Justiniano*, *Joanni Gualberto*, Congregationis Vallis Umbrosæ Conditori, *B. Coletæ* Ordinis Sanctæ Claræ, *Stanislao Kostka* Polono, Societatis Jesu, sacros honores decrevit. *S. Stanislai* Episcopi & Martyris, & *S. Romualdi* Abbatis Festa Officio Duplici sanxit celebrari. Qui Græcorum Ritus liciti, qui illiciti sint, explicuit, in gratiam Episcoporum Latinorum, in quorum Diœcesibus Græci vel Albanenses Græco Ritu viventes degebant, anno 1595. Indicem Librorum prohibitorum, a *Pio IV.* promulgatum, cum supplemento; Pontificale Romanum, & Cæremoniale Episcoporum, auctoritate sua recognita & emendata approbavit & Vaticanis Typis excudi curavit. Pace Gallis restituta, ad universos Gallicanæ Ecclesiæ Præsules literas dedit quibus ipsos hortatus est ut Fidei Catholicæ augmento, divini cultus restitutioni, disciplinæ restaurationi diligenter incumberent. Pristinum fervorem in Religiosis Ordinibus exsuscitare, & Regularem observantiam Sanctissimis Decretis restituere studuit, quæ Constitutione, *Nullus*, data die 20. Martii, anno 1601. continentur. Eodem spectant ipsius Decreta de Novitiorum receptione, institutione, ac professione anno 1602. & 1603. promulgata.

Regularis Disciplina in Religiosis Ordinibus instauratio.

Utriusque sexus Regularibus largitiones munerum interdixit, Constitutione quæ incipit: *Religiosæ* data 53. Kalendas Julii, anno 1594. *Gregorii XIII.* Constitutionem FF. Prædicatoribus prohibente, ne favore cujuscumque personæ extra Ordinem constitutæ ad honorum gradus aditum sibi patefaciant, confirmavit, Diplomate quod incipit; *Religiosos Viros*, dato 23. Martii 1592. Monasterium *Refugii B. Virginis* in tres partes divisum, ad Virginum, honestarumque Viduarum, & Mulierum Pœnitentium receptionem, educationem, probationem instituit & erexit. Domum *Puellarum Dispersarum*, piis curis Cardinalis *Baronii* erectam, & Monasterium sub Regula *S. Claræ* ipsi adjunctum, in quo pauperes illæ puellæ ad Religiosam Professionem recipi possent, approbavit, & Apostolica protectione dignatus est. Collegium pro Natione Scotica Romæ fundavit. Supremis Ordinum Mendicantium Moderatoribus permisit, ut Religiosos Viros spectatæ vitæ & eruditionis ad Japonios, Sinas, & alias Indiarum Orientalium Gentes, Religionis Christianæ propagandæ & excolandæ causa mitterent, cum necessitas postularet. Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis Regulam explicuit. Leges Judæis a *Paulo IV. & Pio V.* impositas confirmavit; Talmudicos & Cabalicos Libros prohibuit, pœnis gravissimis constitutis. *Pii V. & Innocentii IX.* Decretis de non alienandis Civitatibus & Locis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ novum robur addidit. *Sixti V.* Constitutiones de conservatione pecuniarii præsidii trigesies centenum millium nummum aureorum in Arce S. Angeli depositorum innovavit & confirmavit. Archiconfraternitatem *B. Mariæ de suffragio*, ad orandum pro liberatione animarum in Purgatorio detentarum, approbavit. Alias Litanias, præter antiquissimas & communes in Breviariis, Missalibus, Pontificalibus ac Ritualibus contentas, ac Litanias de Beata Virgine in Æde Lauretana decantari solitas, edi, vel in Ecclesiis, Oratoriis, Supplicationibus usurpari prohibuit, absque licentia & approbatione Congregationis Sacrorum Rituum. Capuccinos Sacerdotes temperata *Gregorii* XIII. Constitutione, ad Confessiones audiendas admisit. Annum millesimum sexcentesimum, Jubilæo celebrem, multis admirandæ pietatis documentis, exemplisque consecravit Religiosissimus Pontifex. Viros eruditos fovit, Beneficiis honestavit, ad Eminentissimam Dignitatem promovit.

Congregatio De Auxiliis.

III. Ferventissimarum *De Auxiliis Divinæ Gratiæ* Concertationum inter doctissimos Societatis Jesu & Ordinis FF. Prædicatorum Theologos spectator esse voluit & auditor, gravissimas illas controversias, si Superis placuisset, finiturus. Quam in partem propenderet, Scripto quodam suo veluti præjudicio palam fecit, ac celeberrimæ Congregationis Acta, quæ Romæ in Bibliotheca Angelica Eremitarum S. Augustini & Lutetiæ Parisiorum in Colbertina Bibliotheca MSS. servantur, satis produnt, sed alia sunt hominum, alia Dei consilia, controversias nondum definitioni maturas & quæ etiamnum salva Fide, utinam & salva semper charitate ingenia Theologorum exercent, Divina Providentia *Clementis* obitu, qui inter hæc accidit, suspensas manere voluit. His tandem disputationibus, & Congregationi eo de argumento habitæ finem imposuit *Paulus V.* Clementis VIII. Successor, anno 1606. ineunte, scholasticis hisce controversiis eodem in statu relictis, in quo ante Congregationem *De Auxiliis* erant.

Non

Non idem fuit alterius controversiæ, circa Confessionem absenti Sacerdoti per literas seu internuntium factam & Absolutionem ab eodem absente obtentam, exitus. Auditis enim Theologorum suffragiis, & re cum Dominis Cardinalibus contra Hæreticam Pravitatem Generalibus Inquisitoribus mature ac diligenter considerato, Clemens VIII. die 20. Junii 1602. *Hanc Propositionem, scilicet, Licere per literas seu internuncium Confessario absenti peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente Absolutionem obtinere, ad minus uti falsam, temerariam, & scandalosam, damnavit, ac prohibuit. Præcepitque ne deinceps ista propositio publicis privatisve lectionibus, concionibus & congressibus doceatur, neve unquam, tamquam aliquo casu probabilis, defendatur, imprimatur, aut ad praxim quovis modo reducatur. Quod si quis illam docuerit, defenderit, imprimi fecerit, aut de ea etiam disputative tractaverit, (nisi forsan impugnando) vel ad praxim directe seu indirecte deduxerit, præter excommunicationem latæ sententiæ, quam ipso facto incurrat, & a qua non possit, (præterquam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam Dignitate fulgente, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Majori Pœnitentiario, nisi a pro tempore existente Romano Pontifice absolvi, aliis etiam pœnis arbitria infligendis subjaceat.* Sic habet Decretum Congregationis Inquisitionis aditum Tom. 3. Bullarii Romani pag. 132. & a *Clemente VIII.* approbatum.

Opinio de Confessione per literas absenti Sacerdoti facta, & Absolutione ab eodem absente data a Clemente VIII. damnatur.

IV. Obiit Maximus Pontifex die tertia Martii anno 1605. ætatis 69. seu 70. Corpus ejus temporario tumulo in Vaticana Basilica conditum, *Paulus V.* in monumentum, quod ipsi grati animi ergo magnificentissime extruxerat, transtulit. Viros meritis excellentes in Sacrum Collegium adlegit *Clemens VIII.* scilicet *Lucium Saxum*, Neapolitanum, Ripætransonis Episcopum, amplissimis in Aula Muneribus sub Julio III. Pio IV. Pio V. Gregorio XIII. Sixto V. Urbano VII. Gregorio XIV. & Innocentio IX. cum laude functum. *Franciscum Toletum*, Hispanum, patria Cordubensem, Societatis Jesu Theologum doctissimum, Concionatorem ferventissimum, probatissimæ pietatis ac prudentiæ virum. *Petrum Aldobrandinum*, in quo cursum virtutum ætatis cursu velociorem fuisse testatur Arnaldus Cardinalis Ossatus. *Cynthium Passerum*, ex Sorore Nepotem, utriusque Signaturæ Referendarium. *Silvium Sabellum*, primo Archiepiscopum Rossanensem, deinde Patriarcham Constantinopolitanum & Avenionensem Prolegatum. *Laurentium Priulum*, Patriarcham Venetum. *Franciscum Marium Taurusium*, Politianum, pietate, doctrina, & sacra facundia præstantem, Avenionensem Archiepiscopum, ex Congregatione Presbyterorum Oratorii Romani assumptum. *Octavium Bandinum*, Florentinum, multiplici doctrina excultum, Firmanum Archiepiscopum. *Franciscum Cornelium*, Patritium Venetum, Episcopum Tarvisinum. *Annam d'Escars de Givry*, Gallum, in Sacra Facultate Parisiensi Doctorem Theologum, Lexoviensem Episcopum, ex Ordine *S. Benedicti* & *S. Benigni* Abbatia assumptum, postea Metensem Præsulem. *Joannem Franciscum*, ex Comitibus *Blandratæ* & *Sancti Georgii*, qui *Pio V.* Pontifice Maximo utriusque Signaturæ Referendarius, cum Cardinali Alexandrino Legato insigniores Christiani nominis regiones peragraverat, sub eodem & *Gregorio XIII.* plurimas Ecclesiasticæ Ditionis urbes, Norciam, Camerinum, Bononiam, Provinciasque, semel Umbriam, bis Flaminiam, bis Picenum, ipsam denique Romam egregie administraverat, & a *Sixto V.* ad Aquensem in Insubribus Episcopatum promotus fuerat, Faventium postea Præsulem. *Camillum Burghesium*, Nobilem Romanum, Apostolicæ Cameræ Auditorem, a *Gregorio XIV.* in Hispanias Legatum. *Cæsarem Baronium*, Soranum, morum sanctimonia & eruditione illustrem, *S. Philippi Neri* in Oratorio Romano discipulum, ipsi *Clementi VIII.* a Confessionibus, Annalium Ecclesiasticorum Parentem, Protonotarium Apostolicum. *Laurentium Blanchettum*, Nobilem Bononiensem, Romanæ Rotæ Duodecimvirum, Cardinalis Aldobrandini in Germanico Legatione comitem & adjutorem, virum Juris Consultissimum. *Franciscum de Avila*, Hispanum, Toletanum Archidiaconum, ejusdem civitatis Apostolicum Inquisitorem, & Commissarium Generalem *Cruciatæ*, in Sacris Literis egregie eruditum. *Ferdinandum Ninum de Guevara*, Hispanum, claritate generis, studiis literarum, & civilium rerum usu insignem, Regni Granatensis Præsidentem, postea Hispalensem Archipræsulem & Generalem per Hispaniam Inquisitorem. *Bartholomæum Cæsium*, Nobilem Romanum, Apostolicæ Cameræ Thesaurarium Generalem. *Franciscum Manticam*, Utinensem, Juris utriusque peritissimum Apostolici Palatii Auditorem, qui Romanæ Rotæ Decisiones conscripsit. *Pompejum Arigonium*, Romanum, Causarum Apostolici Palatii Auditorem, postea Beneventanum Archiepiscopum. *Andream Perettum de Montalto*, *Sixti V.* affinem. *Philippum Willelmum*, Ducis Bavariæ filium, Ratisponensem Episcopum electum. *Bonifacium Bevilaquam*, Ferrariensem, ex utriusque Signaturæ Referendario, & Camerini Gubernatore, Constantinopolitanum Patriarcham. *Bernardum de Sandoval & Roias*, Hispanum, Rodriocopolitanum Episcopum, deinde Toletanum Archipræsulem, Summum Castellæ Cancellarium, & Generalem Inquisitorem. *Alfonsum Vicecomitem*, virum scientia Juris Præstantissimum, Cerviensem Episcopum summo Christianæ Reipublicæ bono ad Imperatorem, aliosque Principes Nuncium Apostolicum. *Dominicum Tuscum*, Jurisperitissimum, Tiburtinum Episcopum, & Almæ Urbis Gubernatorem. *Arnaldum Ossatum*, Gallum, Cassanaberii Auxitanæ Diœcesis pago natum, *Henrici IV.* Galliæ Regis ad ejus Absolutionem a *Clemente VIII.* postulandam, cum Illustrissimo *Perronio* Procuratorem; Episcopum Rhedonensem, deinde Bajocensem. *Paulum Æmilium Zacchium*, Ligurem, inter sui temporis Jurisperitos vix ulli secundum, Protonotarium ex participantibus, Apostolicæ Cameræ Commissarium, & ad Hispaniarum Regem Nuncium Apostolicum. *Franciscum a Dietrichstain*, Nobilem Bohemum, exquisiti ingenii, & singularis honestatis virum, ipsius *Clementis VIII.* familiaritate dignissimum, postea Marcomannorum in Moravia Antistitem, ac sacri Romani Imperii Principem. *Silvium Antonianum*, Romanum, Pontificii Cubiculi Magistrum, & Secretis Brevibus Præfectum, politioris literaturæ, constantis pietatis, prudentiæ & industriæ in rebus agendis singularis, moderationis eximiæ laude conspicuum. *Robertum Bellarminum*, Politianum, *Marcelli II.* Nepotem, Societatis Jesu Professorem, pietate & doctrina admirabilem, Fidei Catholicæ propugnatorem acerrimum, Hæreticorum Malleum, Capuanum deinde Archiepiscopum. *Bonvisonem Bonvisium*, Patritium Lucensem, utriusque Signaturæ Referendarium, Cameræ Apostolicæ Duodecimvirum, Provinciæ Patrimonii Prolegatum, Exercitus Pontificii in Pannonia Quæstorem Summum, deinde Barensium Archiepiscopum. *Franciscum Descoubltan de Sourdis*, Gallum, Burdegalensem Archiepiscopum. *Alexandrum Estensem*, Cæsaris Mutinensis Ducis fratrem. *Joannem Baptistam Detum*, Patritium Florentinum, *Silvestrum Aldobrandinum*, Florentinum, ipsius *Clementis VIII.* Pronepotem. *Seraphinum Olivarium Razalium*, Gallum, patria Lugdunensem, ex Romanæ Rotæ Decano Patriarcham Alexandrinum. *Dominicum Ginnasium*, Bononiensem, Jurisperitissimum, pluribus in Curia Muneribus præclare gestis, Archiepiscopum Sipontinum, & in Hispanias Apostolicum Nuncium allegatum. *Antonium Zapatam*, Hispanum, Burgensem Archiepiscopum. *Philippum Spinellum*, ex Ducibus Seminariæ, & Principibus Cariatii Archiepiscopum Colossensem, Episcopum Policastrensem primum, tum Aversanum, Apostolicæ Cameræ Clericum, & Legatum apud Cæsarem, apud Ferrarienses summa cum potestate Prolegatum, aliisque egregia cum laude Muneribus administrandis clarissimum. *Carolum de Comitibus*, Romanum, Anconitanum Episcopum, Nuncium Apostolicum ad Cæsarem, Legatum Avenionensem. *Bernardum Macziejowski*, Polonum, *Sigismundi III.* Polonorum Regis, quondam ad *Sixtum V.* Oratorem, Gnesnensem Archiepiscopum. *Carolum Madrutium*, Tridentinum Episcopum & Principem. *Jacobum Davy Perronium*, Gallum, sacræ prodigium eruditionis, Ebroicensem Episcopum, Hæreticorum debellatorem, Scriptis doctissimis in posterorum memoria victurum, Conversionis *Henrici IV.* Francorum Regis ad Catholicam Fidem adjutorem præcipuum, ejusdemque reconciliationis & expiationis apud *Clementem VIII.* sedulum fidelemque Promotorem. *Innocentium Bubalum de Cancellariis*, Nobilem Romanum, Camerinum Episcopum, Sedis Apostolicæ ad *Henricum Magnum*, Regem Christianissimum, Nuncium. *Joannem Delphinum*, Nobilem Venetum, Serenissimæ Reipublicæ apud Sedem Apostolicam Oratorem, Divi Marci Procuratorem, tunc Vicentinum Episcopum. *Jacobum Sannesium*, Camerinum, in utroque Jure peritum, Protonotarium Apostolicum, in gravissimis negotiis expediendis industrium. *Erminium Valentem*, Trivii in Umbria natum, Legum Doctorem *Petro* Cardinali *Aldobrandino Clementis VIII.* Nepoti a Secretis Basilicæ S.

Clementis VIII. Cardinales.

Petri

Petri Canonicum, postea Faventinum Episcopum. *Hieronymum Agucchium*, Bononiensem, utriusque Signaturæ Referendarium, qui Sedi Apostolicæ triginta fere annos variis in locis operam strenue navaverat. *Hieronymum Pamphilium*, Rutæ Decanum, & Pœnitentiariæ Regentem. *Ferdinandum Tabernam*, Nobilem Mediolanensem, Almæ Urbis Præfectum, deinde Novariensem Episcopum. *Anselmum Marzatum*, Monopolitanum, Ordinis Capucinorum Professorem, Concionatorem Apostolicum. *Joannetinum Doria*, Genuensem, postea Panormitanum Archiepiscopum. *Carolum Emmanuelem Pium*, primariæ apud Ferrarienses Nobilitatis.

CAPUT II.

DE HÆRESIBUS XV. ET XVI. SÆCULI.

ARTICULUS I.

DE HÆRESI HUSSITARUM.

§. I.

De illius Origine, Auctore, primisque Defensoribus, & variis Factionibus.

CUM acerbi schismatis incendio Romana conflagraret Ecclesia, regnante in Bohemia *VVenceslao*, cui vinum cæteræque voluptates dominabantur magis, quam ipse subditis, anno circiter millesimo quadringentesimo-octavo, Hussitica Hæresis Pragæ erupit ex *Joannis VVickleffi* libris pestilentissimis a *Joanna Hus* Presbytero, & in Academia Pragensi Magistro Artium, deinde Rectore, excitata: cujus prædicationi orta inter Academiæ Magistros æmulatio occasionem dedit, ut *Æneas Sylvius*, *Dubravius*, & *Cochlæus* commemorant. Rexerant Scholam Pragensem usque in ea tempora Teutones: id molestissimum Bohemis fuit, hominibus natura ferocibus atque indomitis. Ex quibus vir quidam genere nobilis, ex domo quam *Putridi Piscis* vocant, Oxonii in Anglia studens, cum *Joannis VVickleffi* librum offendisset, *De Realibus Universalibus* inscriptum, aliosque De Jure civili & Divino, De Ecclesia, De diversis quæstionibus contra Clericum, eorum exemplaria velut pretiosum thesaurum patriæ suæ intulit. Venenata Scripta pleraque damnati Hæresiarchæ eodem pene tempore attularat *Petrus Payne*, VVickleffista, ex Anglia profugus. Multa descripta sunt exemplaria, & cum Academicis Bohemis, qui Teutonicos odio immani prosequebantur communicata. Hos inter eminebat Magister *Joannes*, obscuro loco natus, ex vila *Hus*, quod *anserem* significat, cognomentum mutuatus. Hic cum esset ingenio peracri, & lingua diserta, multumque Dialecticis oblectaretur, & peregrinas opiniones amaret, avide admodum VVickleffianam doctrinam hausit, novisque dogmatibus Teutonicos Magistros vexare cœpit, qui in Academia prævalebant, ut importune lacessiti discederent, & Scholæ regimen Bohemis relinquerent. *XLV. Wickleffi* Articulos damnaverat Pragensis Academia, primo in Generalibus Universitatis Comitiis, deinde in Comitiis Facultatis Theologicæ, tertio in Congregatione totius Nationis Bohemicæ in Domo ad Nigram-Rosam celebrata. Deliberationi ac Sententiæ tam solemni, cui & ipse subscripserat, contradicere non audebat *M. Joannes Hus*, in privatis tamen congressibus non destitit VVickleffico veneno plurimos inficere, cumque flagraret vehementi in Teutonicos odio & invidia, quos velut aggerem suis oppositum molitionibus removere cogitabat, Bohemis suis persuasit, ut *Wenceslao* suggererent, operæ pretium esse ut Pragensis Academia juxta Parisiensis Institutum moresque regeretur. In quatuor Nationes ab initio divisa erat Pragensis universitas, Bohemicam, Saxonicam, Bavaricam, & Polonicam, quæ honoribus, privilegiis, & emolumentis æquo jure fruebantur. A Rege facile impetratum est, ut Bohemica cæteris anteferretur; ipsaque una tantum juris haberet, quantum reliquæ tres simul junctæ, & sub Nationis Teutonicæ nomine deinceps confundendæ. Vexati Bohemorum violentia Teutonici, una die supra duo millia Pragam relinquere, nec multo post ad tria millia secuti, Lipsiam, trium dierum itinere a Praga distantem, adiere, ubi novam Academiam, faventibus Lantgravio Thuringiæ, & Marchione Misnæ, religiosissimis Principibus, erexerunt. Hinc Pragensis Academiæ simul & Religionis apud Bohemos ruina. Scilicet *M. Joannes Hus* virus VVickleffianum, quod animo hauserat palam effundere cœpit. Cum enim esset sermone potens, & mundioris vitæ opinione clarus, concionandi munus obtinuit in celebri Templo, quod sub nomine SS. Apostolorum *Matthæi & Matthiæ* Pragæ conditum, *Bethleem* vocabatur. Qui cum se libenter audiri animadverteret, multa ex libris *Joannis VVickleffi* in medium attulit, asserens in eis omnem veritatem contineri, adjiciensque crebro inter prædicandum, se postquam ex hac luce migraret, in ea loca proficisci cupere, ad quæ *VVickleffi* anima pervenisset, quem virum fuisse bonum, sanctum, cœloque dignum non dubitaret. Nec ore tantum, sed & calamo impia illius Hæresiarchæ Dogmata propagavit *Hussus*, aliquot ejus libris in linguam Bohemicam translatis, quos vel magni muneris loco mittebat ad potentiores Laicos. Et quidem non solum ad proceres Bohemiæ, sed etiam ad vicinos ejusdem linguæ peritos Moravos: atque adeo ad Moraviæ Principem Marchionem *Jodocum*, quatuor libros *Trialogi* vernaculo idiomate donatos transmisit. *Hussum* Clerici plerique ære alieno gravati, sceleribus ac seditionibus insignes sequebantur, qui rerum novitate se pœnas evasuros confidebant. His & nonnulli doctrina celebres sunt adjuncti, qui cum in Ecclesia consequi Dignitatem non potuissent, iniquo animo ferebant Sacerdotia majorum censuum his committi, qui quamvis nobilitate præirent, scientia tamen inferiores viderentur. Excæcavit eos invidia, ut qui viderant, non viderent; & qui intellexerant, non intelligerent. Proruperunt in blasphemias, cumque in quosdam vitiosos & indoctos Sacerdotes jure fursan invehi possent, odio & invidia perciti in omnes latrare cœperunt, adeo ut nec Sedi Apostolicæ parcerent. Hos inter doctrina & eloquentia eminebant *Hieronymus Pragensis*, & *Jacobellus Misnensis*, qui ad *S. Michaelis* per id tempus Conciones magno cum populi plausu habebat. Cum illo congressus *Petrus Dresdensis* mirari se ait doctum piumque virum, qui Sacra Eloquia plebibus exponeret, errorem illum non animadvertisse, qui circa Eucharistiæ Communionem in Ecclesiam irrepsisset, in qua sub una tantum specie Corpus Christi populo ministraretur, cum apud Joannem Evangelistam sub duplici specie sumi jubeatur, dicente apud eum Salvatore: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*. His affectus *Jacobellus*, cum evolutis SS. Patrum Codicibus, *Dionysii* præsertim & *Cypriani*, Communionem Calicis laudatam invenisset, commovere populum cœpit, ne deinceps Communionem sub utraque specie, sine qua nemo salvari posset, negligeret. Huic *Joannes Hus*, ejusque asseclæ consensere, incredibili gestientes lætitia, quod Articulum invenissent in Evangelio (ut putabant) fundatum, per quem Romanæ Sedi vel ignorantiæ vel nequitiæ labem inurere possent. Hunc errorem Hussitæ Bohemi pertinacissime semper propugnarunt, quamvis cæteros plerosque deseruerint, maxime VVickleffiticos, & propterea *Calixtini* etiam appellati fuere.

Dresda Misniæ oppidum ad Albim situm.

II. Verum in retinendis *Joannis Hus* erroribus, & *VVickleffi* Articulis ab ipso approbatis, constantiores fuere *Thaboritæ*, sic a loco quodam natura munitissimo appellati, quem ad Lusinitium amnem *Joannes Zischa* Dux Hussitarum occupavit, mœnibus cinxit, extructisque domibus, Civitati *Thabor* nomen indidit, comitesque suos fratres *Thaboritas* appellari voluit, tamquam cum tribus Apostolis Transfigurationis Christi in Monte testes fuissent, ibique sua dogmata didicissent, quæ Fidei veritates appellabant. Hi post *Hussi* mortem bellum in Catholicos immane gessere, Templa & Monasteria eripientes, evertentes, incendentes. Viros Ecclesiasticos & monachos contrucidantes. Tyrannidem arripuit *Zischa*, mortuo *VVenceslao* Rege, cum *Sigismundus* Imperator Regnum Bohemicum adiisset, quem multis prælils lacessivit, & ad pacem compulit indecoram. *Thaboritis* crudelitate non impares *Orebitæ*, factio altera, adversus quam *Martinus V.* Pontifex Maximus nominatim bellum sacrum decrevit. Neque tamen in plures annos extirpari potuit. Hujus Sectæ homines quoties Sacerdotes nostros intercepere, aut igne cremaverunt, aut nudos rigenti hyeme super glaciem colligatos dimisere: quos parvi momenti existimarunt, dissectis virilibus abire permiserunt. Hi territorium Gresense præsertim, vicinasque gentes Romanæ Ec-

clesiæ

clesiæ cultum observantes, magnis cladibus affecera. Mortuo *Zischa*, scissi sunt in duas factiones *Thaboritæ*. Alii *Procopium Magnum*, quem *Rasum* quoque vocavere, sibi Ducem præfecerunt. Alii nullum inveniri posse dictitantes *Zischæ* parem, selectis paucis qui communi consilio rem bellicam administrarent, sese *Orphanos* appellavere, quos inter potior habitus est *Procopius* cognomento Minor. Atque ita *Thaboritæ* in duos Exercitus divisi; alii vetus nomen retinuere, alii, ob mortem Ducis, *Orphanorum* inditum nomen. Qui etsi aliquando inter se dissentirent, ubi tamen extrinsecus vis ingruit, junctis viribus in unis castris se defenderunt. Egrediebatur ille in Silesiam, iste Moraviam populabatur, vicinasque regiones assiduis excursionibus infestabat. Theutones per circuitum habitantes, alios *Philistæos*, alios *Idumæos*, & *Moabitas* vocabant. Bohemiam *Terram Promissionis* esse dicebant. Tertium *Orebitarum* Exercitum duxit *Bredricus*, Presbyter Strasmicensis, natione Moravus, qui spreta Religione Catholica, calcatoque Pontificio Jure, uxorem publice duxit. Horum omnium testes sunt *Æneas Sylvius* in Historia Bohemica, *Joannes Dubravius* Olomucensis Episcopus lib. 23. & *Joannes Cochlæus* lib. 5. Historiæ Hussitarum.

JOAN. DOM. MAN.

Nota.

CUm in Lectione historiæ Patris Alexandri hucusque pervenissem succurrit mihi ut legerem opuscula Ven. Stephani, Prioris Carthusiæ Olomucensis, vulgata in tomo IV. par. II. Anecdot. P. Pez, adversus WiKleffum & Hussum, in quibus cum nonnulla offendissem ad historiam Hussiticam pertinentia, alioquin minus nota, haud ingratum futurum lectoribus meis censui, si eorum excerpta hic darem. Ac principio quidem in opusculo inscripto *Epistola ad Hussitas* p. IV. cap. VI. hæc lego: *Ab anno Domini* 1410. *vel citra pestis ista ex libris WiKleffi in Bohemia & Moravia cœpit a suæ sortis filiis excrescere*. In altero Opusculo inscripto *contra medullam tritici libelli cujusdam a VVikleffo olim vulgati*, affert edictum Sbinkonis Pragensis Archiepiscopi latum omnibus Verbi Dei præconibus, ut in publicis ad populum concionibus die solemni Corporis Christi docerent populum in confectione Eucharistiæ, absoluta forma verborum, *ex tunc in hostia substantiam panis non remanere, sed solum verum Christi corpus. Sic similiter completa forma verborum super calicem substantia vini non remanere, sed sanguinem Christi*. Edictum hoc promulgatum dicitur anno 1406.

In opusculo inscripto *Antihussus* statim occurrit Epistola Joannis Huss, qua se apud auctorem excusat, cur vocatus a curia non paruerit, id enim egisse se caussatur, quod non sine suo periculo ante judicem sibi infensum sese sistere potuisset.

Datur in fine *Copia instrumenti* nomine Magistri Joannis Hussynecz a publico Tabellione confecti, quo tria proponit solvenda: *primum dubium quæsitum est istud, utrum in papam sit credendum. Secundum dubium: utrum possibile est aliquem hominem salvari, qui non confitetur ore mortali Sacerdoti. Tertium dubium; utrum aliquis Sanctorum Doctorum sentit, aut dicit, quod aliqui de Pharaonis populo submersi in mari rubro, & ex Sodomitis subversis sint salvati*. Ad singula aptas responsiones subjungit, allatis in medium Ecclesiasticorum Doctorum testimoniis, Signatur hæc charta anno 1415. die 3. Martii Indict. V. Dubia hæc ideo proposita ab Husso credo ad fallendos simplices, quod & Stephanus prodidit his verbis cap. XV. *Sodomitarum ergo salus per Magistrum Huss, ut clarius elicitur, ideo ab eo affirmatur, ut & ille hæresiarca VVikleffi amplius præ illis prædicetur*. Addit insuper Stephanus cap. XIII. *ex quorum* (nempe dubiorum diffamatione) *relatu plurimorum, vox intonat, si homines idololatræ & tam nequissimi brevissima, & ad ictum pene oculi, ducta pœnitentia gratiam, quam nunquam quæsierunt, invenerunt, & hoc per Magistrum Huss assertive probatur & dicitur; quare nos habentes fundamenta rectæ & catholicæ fidei sub spe veniæ non peccamus liberius, valentes æque cum illis, immo & præ illis, in extremorum nostrorum momentaneis temporibus salutis invenire gratiam?*

Dein cap. XVI. adnotat Sbinkonem Archiepiscopum cum aliis *collateralibus suis monuisse, immo mandasse ex apostolico decreto, ut libros & apostaticas lectiones hæresiarchæ VVikleff suæ diœcesis clerici debeant fugere & declinare; & eccu de contrario actum est, & agitur per Magistrum Huss & suos socios usque modo*. Tum post pauca subdit: *Reverendus Pater Dominus Archiepiscopus olim Sobinko, sancto insistens labori pro illorum malorum, & principaliter pro illius venenati capitis malorum, VVikleff, ex ejusdem sacrilegarum doctrinarum extermínio factus fuit ex* inobedientia & rebellione illius *magistri Huss, velut contemptibilis & pene fabula in populo, ita ut plerique insolentes vulgares ac ironicas de eodem viro Dei confingerent, & decantarent cantiones Sbynyek Knyhes Spalil &c, publice per plateas .... cujus cum frequentationem, & irreverentiam Christi, odiosam multiplicationem lenocinantis cantici didicisset serenissimus & magnificus Princeps Romanorum, & Bohemiæ Rex VVenceslaus regio publicæ vocis statuit decreto, ut nequaquam quis amplius eamdem dementiæ cantilenam, non solum sub facultatum forensium, sed & sub capitalis sententiæ pœna audeat decantare*. Capite etiam eodem V. scribit eumdem VVenceslaum regio edicto vetuisse ne contra Papæ indulgentias quis pro concione & etiam privatim declamaret. Addit cap. VI. Archiepiscopum eumdem, *magno examine* Doctorum prævio, & consensu Pontificis Alexandri V. libros quosdam ejusdem VVikleff hæretici sacrilegos in Praga combussisse. Verumtamen defensores ejusdem hæretici palam dictitasse: *Combussit Archiepiscopus quosdam libros famosissimos Magistri VVikleff, nec tamen omnes: Habemus enim adhuc plurimos, & undique etiam requirimus alios ad rescribendum habituros*. In cap. V. historialem hanc narrat: *In Ecclesia Fratrum Carmelitarum, quæ vocatur in arena, Pragensis civitatis, sedente aliquo fratre cum reliquiis & quibusdam monstrantiis, & ad fabricam Ecclesiæ mendicante, accessit quidam tuæ sortis* (nempe Hussi) *discipulus, & cum sedenti diceret: quid hic agis Frater? quo respondente, cum reliquiis capellæ beneficium eleemosinarum. At ille per superbiam: mentiris, inquit, esse sacrorum reliquias, ossa mortuorum cadaverum hic retines, & christianos decipis cupide mendicando. Quo dicto, tamquam equus insolens pede repedans evertit mensam a terra cum reliquiis.*

Quod viro per Fratres eosdem comprehenso, & de tanta nequitia tento, & ad verba posito, venerunt tuæ sortis armati plurimi, & excussa Fratrum illorum habitacula maxima fit strages & confusio, & scandalum manifestissimum est factum; ut etiam Prior Fratrum illorum cum suis pluribus comprehensi, non solum verbis turpibus; sed etiam verberibus inhonestissime tractarentur.

Quid Sbinkoni Pragensi Archiepiscopo acciderit eodem cap. VI. narrat his verbis: *Qui Reverendus Pater, etsi ætate satis juvenis, morum tamen honestate canus & gravis, desuper admonitus pro temporis congruentia furori cedens persequentium affectus, non confectus tædio, nequaquam autem convictus in accusatis pro parte VVikleff criminationibus, dimissa sui Episcopatus Pontificali cathedra exivit de terra, & diœcesi propria Bohemia, & peregrinus effectus, peragrata terra Moraviæ, ut venisset in Hungariam, visitaturus serenissimum Principem ejusdem terræ, & Hungariæ Regni Sigismundum antequam ad ejus pervenisset conspectum obiit.*

De Husso vero quis fuerit homo, qualem de se hominibus opinionem præbuerit hæc habet in dialogo, quem inscripsit, *Volatilis* cap. X. *Ubi ergo allegas austeritatem vitæ tuæ in jejuniis, vigiliis, victu parco, & sobrio amictu placere te dicis Deo & hominibus; utinam addidisses in charitate non ficta.... propterea dicis te placere Deo & hominibus; sed non Episcopis & Sacerdotibus, sed nec Papæ, quorum peccata arguis. Ex quorum fastu etsi juste & legitime citatus Romam tamen rebellis ad expurgandum te, & ad declarandam tuam innocentiam, quam te habere prætendis, horrendo factus contumax parere noluisti*. Et cap. XVII. *Vide ergo quantam & quam magnam excitasti superbiam pro modica tibi per Summum Pontificem imposita disciplina, ut scilicet a prædicatione in capella Bethleem præter alias capellas per Civitatem Pragensem pro tempore conquiesceres ex causa scholæ & scholarum VVikleffistarum, quæ ibidem agebantur, nec forte, & nunc conquiescunt; sed tu contempto Summi Pontificis mandato audire noluisti.*

Qui fuerint subinde Hussitarum mores & ritus Ita ab eodem describuntur in Epistola ad Hussitas cap. IV. *Factum est in Praga anno præterito 1416. ut quidam Hussita peracta prædicatione de Ambone descenderet, & illico sine omni intervallo ascendit quædam mulier eumdem Ambonem ferens in manu librum, & aper-*

& aperto libro declamatorio ad populum prædicabat in Ecclesia, cui tanto major dabatur audientia, quanto in hoc antea minus solitum in Ecclesia agebatur. At ille qui prior docuit, ut mulieris efficeretur discipulus mulieri locum dedit. Tum ejusdem libri ab eadem muliere *scripti fragmentum affert, quod eo tendit ut Magistri Hussi doctrina teneatur, & contemnatur Ecclesia catholica.* Et ibidem cap. VIII. *Novas vobis Sanctæ Romanæ & universalis Ecclesiæ contrarias confingitis adulterinas populi regulas non solum de perceptione venerabilis Sacramenti sub utraque specie; & sic per laicos & laicas etiam conjugatos & vestras beguttas cogitis quotidie suscipere; & adhuc nova & inaudita ribaldia missas in Bohemico sermone cantatis & legitis Juvantibus vos concantare beguttis & rebeccis mulieribus.*

Plura alia ejusdem saporis in iis opusculis sparsim leguntur; sed hæc sufficiant ad specimen. Cæterum hæc Stephanus scribebat nonnulla ante obitum Hus, alia vero eo quidem interfecto, sed Concilio Constantiensi nondum peracto. Postremum opusculum signatur anno 1417. mense Octobris.

§. II.

De Erroribus Joannis Hus & Hussitarum.

I. TRiginta præcipuos errores *Hussus* propugnavit, docuit, prædicavit, ut constat ex ipsius Scriptis, & ex Concilio Constantiensi, Sessione 15. ubi his verbis referuntur.

1. *Unica est Sancta universalis Ecclesia, quæ est Prædestinatorum universitas . . . Universalis Sancta Ecclesia, tantum est una, sicut tantum est numerus unus omnium Prædestinatorum.* Utramque propositionem expresse habet in Tractatu *de Ecclesia*, edito an. 1413. Cap. 1. & 2. Præscitos tamen in Ecclesia esse fatetur, quamvis de Ecclesia tamquam partes esse neget, sicut phlegmata sunt in humano corpore, non de corpore.

2. *Paulus numquam fuit membrum diaboli, licet fecerit actus quosdam actibus Ecclesiæ malignantium consimiles.* „ Habet - in eodem libro cap. 3. Præmittit „ tamen quod duplex est gratia; scilicet prædestinationis vitæ æternæ, a quo præordinatus non potest „ finaliter excidere. Alia gratia est secundum præsentem justitiam, quæ nunc adest, & alio tempore „ abest, quia nunc accidit, & nunc excidit. Et prima gratia facit filios Ecclesiæ Sanctæ universalis, „ & facit hominem quodammodo in infinitum perfectiorem quam secunda: quia infinitum bonum confert ad perpetuo fruendum, & non sic secunda. Et „ prima facit filios hæreditatis æternæ, sed secunda „ facit Deo acceptos Officiales temporales. Unde videtur esse probabile, quod sicut *Paulus* fuit simul „ blasphemus secundum præsentem injustitiam, & de „ sancta Matre Ecclesia, & cum hoc fidelis atque in „ gratia ferendum prædestinationem vitæ æternæ: sic „ *Iscarioth* fuit simul in gratia secundum præsentem „ justitiam, & numquam de Sancta Matre Ecclesia secundum prædestinationem vitæ æternæ, cum defuit „ sibi illa Prædestinatio.

3. *Præsciti non sunt partes Ecclesiæ, cum nulla pars ejus ab ea finaliter excidat, eo quod prædestinationis charitas, quæ ipsam ligat, non excidit.* Legitur loco mox laudato.

4. *Duæ naturæ divinitas & humanitas, sunt unus Christus.* Legitur conceptis terminis in eodem libro. cap. 4.

5. *Præscitus etsi aliquando sit in gratia secundum præsentem justitiam, tamen numquam est pars Sanctæ Ecclesiæ, & prædestinatus semper manet membrum Ecclesiæ, licet aliquando excidat a gratia adventitia, sed non a gratia prædestinationis.* Legitur cap. 5. ejusdem libri in responsione ad quintam confirmationem.

6. *Sumendo Ecclesiam pro convocatione Prædestinatorum, sive sint in gratia, sive non, secundum præsentem justitiam, isto modo Ecclesia est Articulus fidei.* (Cap. 7. ejusdem libri.)

7. *Petrus non fuit, nec est Caput Ecclesiæ Sanctæ Catholicæ.* „ (Cap. 9. ejusdem libri) Quod eo sensu „ se negare significat, quo solus Christus est Caput „ Ecclesiæ Prædestinatorum, sicut ipse solus est per„ sona in illa Ecclesia dignissima, conferens ei & mem„ bris ejus motum & sensum in vitam gratiæ. Fate„ tur nihilominus *Petrum* fuisse Capitaneum Apostolo„ rum, fundamentum Ecclesiarum, primum inter & „ Apostolos, secundum aliquam prærogativam & fuisse „ Caput totius Ecclesiæ, quam regebat doctrina & e„ xemplo. Addit *Petrum* non ausurum se asserere Ca„ put Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ, eo quod nec totam „ rexit, nec totam dignitate præcessit, nec Sponsus ip„ sius Ecclesiæ Catholicæ fuit. Christum autem con„ stituisse *Petrum* post se Capitaneum & Pastorem, „ ob præeminentiam virtutum ad regendam Eccle„ siam. Aliter enim Sapientia Patris improvide eum „ constituisset Ecclesiæ suæ Episcopum. Tres autem „ commendat virtutes in quibus *Petrus* præcelluit, fi„ dem, humilitatem, charitatem.

8. *Sacerdotes quomodolibet criminose viventes Sacerdotii polluunt potestatem, & sicut filii infideles sentiunt infideliter de septem Sacramentis Ecclesiæ, de Clavibus, Officiis, Censuris, moribus, cæremoniis & sacris rebus Ecclesiæ, veneratione Reliquiarum, Indulgentiis, & Ordinibus.* (Cap. 2. ejusdem Libri.)

9. *Papalis dignitas a Cæsare inolevit, & Papæ præfectio & institutio a Cæsaris potentia emanavit* (cap. 13. ejusdem Libri.) Ibidem sex istas propositiones velut *indoctorum nugas* sugillat. Primam: *Papa est Caput Sanctæ Romanæ Ecclesiæ.* Secundam: *Collegium Cardinalium est corpus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ.* Tertiam: *Papa est manifestus & verus Successor Principis Apostolorum Petri.* Quartam: *Cardinales sunt manifesti & veri Successores Collegii aliorum Apostolorum Christi.* Quintam: *Pro regimine Ecclesiæ per universum mundum oportet semper manere hujusmodi manifestos veros Successores in tali Officio Principis Apostolorum Petri, & aliorum Apostolorum Christi.* Sextam: *Non possunt inveniri vel dari super terram alii tales Successores, quam Papa existens Caput, & Collegium Cardinalium existens corpus Ecclesiæ Romanæ.* „ Quas „ propositiones hoc ratiocinio refellere sibi videtur. „ Omnis veritas in Religione Christi sequenda, „ & solum ipsa, vel est veritas a sensu corporeo co„ gnita, vel ab intelligentia infallibili inventa, vel „ per revelationem cognita, vel in divina posita Scri„ ptura. Sed nullus sex punctorum est veritas a sen„ su corporeo cognita, vel intelligentia infallibili in„ venta, vel per revelationem cognita vel, in divi„ na posita Scriptura. Igitur nullus sex punctorum est „ veritas in Christi Religione sequenda.

10. *Nullus sine revelatione assereret rationabiliter de se vel alio quod esset caput particularis Sanctæ Ecclesiæ: nec Romanus Pontifex est caput Romanæ Ecclesiæ.* (Ibidem.)

11. *Non oportet credere, quod iste, quicumque est particularis Romanus Pontifex, sit Caput cujuscumque particularis Ecclesiæ Sanctæ, nisi Deus eum prædestinaverit.* (Ibidem.)

12. *Nemo gerit vicem Christi, vel Petri, nisi sequatur eum in moribus, cum nulla alia sequela sit pertinentior, nec aliter a Deo recipiat procuratoriam potestatem: quia ad illud Officium Vicarii requiritur & morum conformitas & instituentis auctoritas.* (Cap. 14. ejusdem Libri.)

13. *Papa non est manifestus & verus Successor Principis Apostolorum Petri, si vivit moribus contrariis Petro, & si quærit avaritiam, tunc est Vicarius Judæ Ischariotis. Et pari evidentia Cardinales non sunt manifesti & veri Successores Collegii aliorum Apostolorum Christi, nisi vixerint more Apostolorum, servantes Concilia & Mandata Domini Jesu Christi.* (Ibidem.)

14. *Doctores ponentes quod aliquis per Censuram Ecclesiasticam emendandus, si corrigi noluerit, Judicio sæculari est tradendus, pro certo sequuntur in hoc Pontifices, Scribas & Pharisæos, qui Christum nolentem eis obedire in omnibus, dicentes,* Nobis non licet interficere quemquam, *ipsum sæculari Judici tradiderunt, eo quod tales sunt homicidæ graviores, quam Pilatus.* (Cap. 16. ejusdem Libri.)

15. *Obedientia Ecclesiastica, est obedientia secundum adinventionem Sacerdotum Ecclesiæ præter expressam auctoritatem Scripturæ*, (Cap. 17. ejusdem Libri.)

16. *Divisio immediata humanorum operum est, quod sint vel virtuosa, vel vitiosa: quia si homo est virtuosus & agat quidquam, tunc agit virtuose, quia sicut vitium quod crimen dicitur, sive peccatum mortale inficit universaliter actus hominis vitiosi, sic virtus vivificat omnes actus hominis virtuosi.* (Cap. 19. ejusdem Libri.)

17. *Sacerdos Christi vivens secundum Legem ejus, & habens notitiam Scripturæ, & affectum ad ædificandum populum, debet prædicare non obstante prætensa Excommunicatione . . . Quod si Papa vel alius Prælatus mandat Sacerdoti sic disposito non prædicare, non debet obedire subditus.* (In [illegible])

18. *Quilibet Prædicantis officium de mandato accipit, qui ad Sacerdotium accedit, & illud mandatum debet exequi prætensa Excommunicatione non obstante* (ibidem.) Duas istas postremas propositiones pariter propugnat in *Determinatione de Prædicatione & Auditione verbi Dei*, facta anno 1413. seu in *Defensione quorumdam Articulorum Joannis Wicklef*.

19. *Per Censuras Ecclesiasticas Excommunicationis, Suspensionis & Interdicti, ad sui exaltationem Clerus Populum Laicalem sibi suppeditat, avaritiam multiplicat, malitiam protegit & viam præparat Antichristo. Signum autem evidens est, quod ab Antichristo tales procedant Censuræ quas vocant in Processibus suis fulminationes, quibus Clerus principalissime procedit contra illos, qui denudant nequitiam Antichristi, quam Clerus maxime pro se usurpavit* (in Tractatu *De Ecclesia*, cap. 23.)

20. *Si Papa est malus, & præsertim si est præscitus, tunc ut Judas Apostolus est diabolus, fur, & filius perditionis; & non est Caput sanctæ militantis Ecclesiæ, cum nec sit membrum ejus.* Habetur in Responsione *Joannis Hus* ad Scripta Magistri *Stephani Paletz*, Decani Theologicæ Facultatis Pragensis p. 258. hoc excepto quod sic enunciatur propositio: *Quomodo est Caput sanctæ militantis Ecclesiæ?* &c. sed idem est sensus propositionis prout a Concilio refertur & ab *Husso* asseritur.

21. *Gratia prædestinationis est vinculum, quo corpus Ecclesiæ & quodlibet ejus membrum jungitur Christo capiti insolubiliter.* (Idem pag. 257.)

22. *Papa vel Prælatus malus & præscitus, est æquivoce Pastor, & vere fur & latro.* (Ibidem pag. 258.)

23. *Papa non debet dici Sanctissimus, etiam secundum Officium, quia alias Rex etiam dici deberet Sanctissimus secundum Officium; & tortores & præcones dicerentur sancti; immo etiam diabolus deberet dici sanctus, cum sit Officiarius Dei.* (Ibidem, fol. 58. verso) Romanum Pontificem *Antichristum* appellavit, Libro *De Antichristo & membrorum ejus Anatomia*, quem edidit ac Luthero dicavit *Otho Brunfelsius*, anno 1524. & in Sermonibus *De Antichristo*.

24. *Si Papa vivat Christo contrarie, etiamsi ascenderet per ritam & legitimam electionem secundum Constitutionem humanam vulgatam, tamen aliunde ascenderet quam per Christum, dato etiam quod intraret per electionem a Deo principaliter factam. Nam Judas Ischarioth rite & legitime est electus a Deo Jesu Christo ad Apostolatum, & tamen ascendit aliunde in ovile ovium.* (Ibidem pag. 259.)

25. *Condemnatio XLV. Articulorum Joannis Wicklef per Doctores facta est irrationabilis, & iniqua, & male facta, & ficta est causa per eos allegata, videlicet ex eo quod nullus eorum sit Catholicus, sed quilibet eorum aut est Hæreticus, aut erroneus, aut scandalosus.* (Ibidem, pag. 260. & in Actu pro Defensione Libri Joannis VVicklef *De Trinitate Sancta*, publice celebrato anno 1410. Dominico die post Festum S. Jacobi: in *Replica contra Joannem Stokes Wickleffi calumniatorem*, anno 1411. & in Defensione quorumdam Articulorum *Joannis Wickleff*, anno 1412.) Ægre fert nihilominus quod *Stephanus Paletz* ipsum & Symmistas *Wickleffistas* appellasset: *Ego enim* (inquit) *fateor quod sententias veras, quas M. Joannes Wicklef Sacræ Theologiæ Professor posuit, teneo non quia ipse dicit, sed quia dicens Scriptura vel ratio infallibilis dicit. Si autem aliquem errorem posuerit, nec quemcumque alium intendo in errore quantumlibet modice imitari.* Sic loquitur in Responsione ad Scripta *M. Stephani Paletz*, pag. 264.

26. *Non eo ipso quo Electores, vel major pars eorum consenserit viva voce secundum ritus hominum in personam aliquam; eo ipso illa persona est legitime electa, vel in eo ipso est verus & manifestus Vicarius vel Successor Petri Apostoli, vel alterius Apostoli in Officio Ecclesiastico. Unde sive Electores, bene vel male elegerint, operibus Electi debemus credere. Nam eo ipso quo quis copiosius operatur meritorie ad profectum Ecclesiæ, habet a Deo ad hoc copiosius potestatem.* Habetur in Responsione *Joannis Hus* ad Scripta Magistri *Stanislai de Znoyma*, Doctoris in Theologica Facultate Pragensi, ipsius quondam Magistri, cap. 2. p. 271. in fine.

27. *Non est scintilla apparentiæ, quod oporteat esse unum Caput in spiritualibus regens Ecclesiam, quod semper cum ipsa Militante Ecclesia conversetur & conservetur* (Cap. 5. ejusdem Libri pag. 277.)

28. *Christus sine talibus capitibus monstruosis, per suos veraces Discipulos sparsos per orbem terrarum, melius suam Ecclesiam regularet.* ((Ibidem fol. 277. verso.)

29. *Apostoli & fideles Sacerdotes Domini strenue in necessariis ad salutem regularunt Ecclesiam, antequam Papæ Officium foret introductum: sic facerent deficiente, per summe possibile, Papa, usque ad diem Judicii.* (Cap. 8. ejusdem Libri, fol. 283. verso.)

30. *Nullus est Dominus Civilis, nullus est Prælatus, nullus est Episcopus, dum est in peccato mortali* (Initio Libri contra *Stephanum Paletz*, fol. 256. & in Tractatu *De Decimis*, fol. 128. & sequentibus.) Hos omnes Articulos ut legitimos fœtus agnovit & propugnavit *Joannes Hus* in Quæstione contra ipsum habita Constantiæ, ut probant ejus Acta ab aliquo Bohemo ipsius Discipulo, qui se omnibus interfuisse ait, scripta.

II. Hos præterea *Wickleffi* Articulos expresse propugnavit. 1. *Illi qui dimittunt prædicare, sive verbum Dei audire, propter Excommunicationem hominum, sunt excommunicati, & in die Judicii traditores Christi habebuntur.* Hunc tuetur in Defensione quarumdam Articulorum *Joannis VVicklef*, seu in Determinatione de Prædicatione & Auditione verbi Dei facta anno 1412. 2. *Licet alicui Diacono vel Presbytero prædicare verbum Dei absque auctoritate Sedis Apostolicæ, sive Episcopi Catholici.* (Ibidem) 3. *Domini temporales possunt ad arbitrium suum auferre bona temporalia ab Ecclesiasticis habitualiter delinquentibus.* Hunc propugnavit in secundo Actu eodem anno habito, seu in Tractatu *De ablatione bonorum temporalium a Clericis*. 4. *Decimæ sunt puræ eleemosynæ.* Hunc defendit in tertio Actu anno eodem, post Festum *S. Viti* seu in Tractatu *de Decimis*. 5. *Si Episcopus vel Sacerdos existat in peccato mortali, non ordinat, non conficit, non consecrat, nec baptizat ....* (Ibidem, fol. 154. verso) At fatendum, quod res est, hunc Articulum in sensum Catholicum a *Joanne Hus* flecti, scilicet quod Episcopus vel Sacerdos in peccato mortali existens hæc non facit *digne*. Quo sensu etiam explicat in Libro *De Corpore & Sanguine Christi*. Ad hæc, Christum potestatem, qua ejecit e Templo vendentes & ementes, laicæ potestati ad corrigendum Clerum tribuisse docuit *Joannes Hus*, in *Replica contra occultum Adversarium*, anno 1411. in die *S. Scolasticæ* edita. 7. Item, *Libros Hæreticorum legendos, non comburendos*. Hanc propositionem propugnavit singulari Libro, *De Libris Hæreticorum legendis*.

III. Contra Indulgentias concionatus est, scripsitque, cum *Joannes* XXIII. contra *Ladislaum* Apuliæ Regem Ecclesiasticæ Ditionis urbes, oppida, castra, territoria infestantem, bellum decrevisset, Plenaria Indulgentia proposita his, qui ad tuendam Ecclesiam arma induerent, anno 1412. Extat inter *Joannis Hus* Opera Disputatio hoc anno habita *adversus Indulgentias Papales*. Quo in Opere has Propositiones statuit ac propugnat 1. „ Sacerdotes Christi habent potestatem vere pœnitentes absolvere a pœna & a „ culpa. 2. Non tamen debent absolvere sub hac forma, nec absolvendi debent illud expetere, nisi hoc „ specialiter fuerit revelatum. 3. Nemo est capax Indulgentiæ, nisi fuerit, & de quanto fuerit dignus „ vel dispositus per gratiam apud Deum. 4. Omnis „ recipiens tales Indulgentias, de tanto eas recipit, „ de quanto fuerit habilior quoad Deum. 5. Nullius „ Papæ vel Episcopi prodest Indulgentia homini, nisi de quanto prius se disposuerit apud Deum. 6. „ Episcopi Indulgentia de tanto recipienti proderit, „ de quanto Episcopus eum in Fide Christi instruxerit, & in devotionem & in amorem Dei accenderit, vel quandocumque habilem ad Indulgentiam „ Dei fecerit. 7. Sacerdotes Christi non habent potestatem donandi Indulgentias, secundum quantitatem „ temporis, nisi eis specialiter fuerit revelatum. 8. „ Prælati Ecclesiæ debent in ista veritate Catholica „ subjectos instruere, ne Laici infideliter occupati circa minus utilia attendant. 9. Licet sæculari brachio pugnare, & sibi subsidia ad bellandum præstare, habitis conditionibus XVI. charitatis. 10. „ Non licet Romano Pontifici, nec expedit sibi, vel „ cuicumque Episcopo vel Clerico pro dominatione „ sæculari, vel mundi divitiis pugnare. 11. Quamvis „ non litigare pro terrenis sit inferioribus Christianis „ consilium, Sacerdotibus tamen pro loco & tempore „ transit in præceptum. 12. Non potest homo salvari „ qui peccaverit, sine pœnitentia competenti. 13. Non „ est pertinens Papæ, subducta revelatione, cuilibet

„ core

„ corde contrito, & ore confesso, dare & concedere plenissimam remissionem omnium peccaminum a pœna & a culpa. 14. Papa multis talibus concedit Indulgentias; qui ex sibi dubio sunt præsciti, & Deus nulli tali concedit tales Indulgentias, ergo Papa in talibus extollitur supra Christum. 15. Papa inconcessione Indulgentiæ usurpat quod Deo proprium est, scilicet donare vel remittere injuriam ipsi factam. 16. Positis Indulgentiis Papalibus a pœna & a culpa, videtur quod potest Papa Purgatorium destruere. 17. Temerarie Sacerdotes præconizant, sine revelatione affirmantes Crucis erectionem esse licitam. 18. Non invenitur in Scriptura, quod aliquis Sanctorum diceret alicui: Ego tibi peccata dimisi, ego te absolvi. Nec etiam inveniuntur Sancti qui donassent Indulgentias sub annorum vel dierum numero, vel a pœna vel a culpa: unde quæsivi & usque hodie requiro, quis Sanctorum donavit Indulgentias, & non invenio. „ Contra Indulgentias etiam debacchatur Sermone XXII.

Cum Bohemiæ Rex *Wenceslaus*, Pontificiatum Indulgentiarum promulgationem Edicto sanaisset, tres Hussitæ, sordidæ artis homines, Sacerdoti Indulgentias promulganti publice obstrepere ausi sunt, & Papam Antichristum vocare, qui contra Christianos Crucem decerneret. Eos a vestigio Senatus in carcerem rapi jussit. Populus vero arreptis armis dimitti omnes petiit. Sed pacatus Oratione Senatus, tamquam vita captivorum in tuto esset, suam quisque domum rediere. De illis clam supplicium sumptum. At cum sanguis extra Prætorii januam defluens indicium necis fecisset, iterum occurrens populus interemptorum corpora rapuit, & aureo circumvoluta panno per omnes Urbis Ecclesias detulit, clamantibus ejusdem Sectæ Sacerdotibus: *Isti sunt Sancti, qui pro Testamento Dei corpora sua tradiderunt*. Exin cadavera in Sacrario apud *Bethleem* reposita, quasi Martyrum Reliquiæ aromatibus condita. Ita referunt *Æneas Sylvius* Historiæ Bohemicæ Cap. 26. *Dubravius* Lib. 23. *Cochlæus* Lib. 5. *Historiæ Hussitarum*. Suos illos diabolique Martyres *Joannes Hus* celebrat Libro *De Ecclesia*, Cap. 21.

IV. Hussitarum errores aliter refert *Æneas Sylvius*, Historiæ Bohemicæ Cap. 35. Hujus, inquit, pestiferæ ac jampridem damnatæ factionis dogmata sunt: „ 1. Romanum Præsulem reliquis Episcopis parem esse. 2. Inter Sacerdotes nullum discrimen: Presbyterum non dignitatem, sed vitæ meritum efficere potiorem. 3. Animas e corporibus excedentes, aut in æternas e vestigio pœnas mergi, aut perpetua consequi gaudia: Purgatorium ignem nullum invenire: vanum esse orare pro mortuis, & avaritiæ Sacerdotalis inventum. „ At *Joannes Hus* Libro *De Ecclesia* cap. 2. & in *Fidei suæ Elucidatione*, Purgatorium profitetur. „ 4. Dei & Sanctorum Imagines delendas. „ Id non docuit *Joannes Hus*, sed tantum non esse adorandas latria, Lib. contra Imaginum Adorationem. „ 5. Aquarum palmarumque benedictiones irridendas. 6. Mendicantium Religiones malos dæmones invenisse: „ In Religiosos Ordines totis viribus debacchatur *Joannes Hus*, Lib. De Sacerdotum & Monachorum abominatione. „ 7. Sacerdotes pauperes esse debere, sola contentos eleemosyna: *seu* Non licere Clero tempore Legis Gratiæ super bonis temporalibus sæculariter dominari. 8. Liberam cuique prædicationem verbi Dei patere. „ Hunc & sequentem Articulum Hussitæ Bohemi Concilii Basileensis tempore acerrime propugnabant, sicut & præcedentem de Cleri paupertate, ut Acta Synodi probant. „ 9. Nullum Capitale peccatum, quantumvis majoris mali vitandi gratia tolerandarum. 10. Qui mortalis culpæ reus sit, eum neque sæculari, neque Ecclesiastica Dignitate potiri, neque parendum ei. 11. Confirmationem, quam Chrismate Pontifices inducunt, & Extremam-Unctionem, inter Sacramenta minime contineri. „ At *Joannes Hus* in explicatione Epistolæ *S. Jacobi*, ad hunc locum capitis 5. Infirmatur quis in vobis, *&c.* Sacramentum Extremæ-Unctionis agnoscit. „ 12. Auricularem confessionem nugacem esse: sufficere sua quemque Deo in cubili suo confiteri peccata. „ Attamen & in Commentario Epistolæ S. Jacobi, eo quem mox indicavimus loco, & in Libello *De Pœnitentia*, Confessionem Sacerdoti factam partem esse Pœnitentiæ perfectæ docet, eamque *plenam & integram* esse debere. „ 13. Baptisma fluvialis undæ, nulla interjecta sacri olei mixtura recipiendum. 14. Cœmeteriorum inanem usum, quæstus causa repertum: quacumque tegantur tellure humana corpora, nihil distare. 15. Templum Dei late patentis ipsum mundum esse: coarctare Majestatem ejus, qui Ecclesias, Monasteria, Oratoriaque construunt, tamquam propitior in eis divina bonitas inveniatur. *Non sic* Joannes Hus, *qui ad* Bethleem *Pragæ Sacris operabatur*. 16. Sacerdotales vestes, Altarium ornamenta, pallas, corporalia, calices, patenas, vasaque hujusmodi, nihil habere momenti. 17. Sacerdotem quocumque loco, quocumque tempore sacrum Christi Corpus conficere posse, petentibusque ministrare; sufficere si verba sacramentalia tantum dicat. 18. Suffragia Sanctorum in cœlis cum Christo regnantium frustra impetrari, quæ juvare non possunt. *Contrarium asserit* Joannes Hus *in Fidei suæ Elucidatione, quam Constantiæ proponere intendebat*. 19. In Canonicis Horis cantandis dicendisque frustra tempus teri. 20. Nulla die ab opere cessandum, nisi quæ Dominica nunc appellatur. 21. Celebritates Sanctorum prorsus rejiciendas. 22. Jejuniis quoque ab Ecclesia institutis nihil inesse meriti.

V. Pleraque hujusmodi dogmata, quæ toti Sectæ tribuit *Æneas Sylvius*, nec *Joannes Hus*, nec Hussitæ Pragenses, Nobilesque Bohemi, & Calliatini Clerici, docuerant aut propugnarunt, sed *Thaboritæ* ut ipsemet exponit in Epistola *ad Joannem* S. R. E. Cardinalem *De Carvajal*, suam cum illis collationem referens. „ Permisimus (*inquit*) qui Thaboritas accederent, atque ab his jus hospitalitatis expeterent. Acceperunt hæc latis animis Thaboritæ, dederuntque fidem, atque obviam venerunt. Res spectaculo digna fuit, rusticanum & incompositum vulgus, quamvis urbani videri velint. Frigus erat, pluviale tempus. (Nam Bohemia sæpe miscet æstati hyemem) Ex illis aliqui nudi erant, solis tectis camisiis, alii pelliceas tunicas induerant, alii sella carebant, alii fræno, alii calcaribus: alteri crus ocreatum fuit, alteri nudum; Huic oculus defuit, illi manus, & (ut Virgilianis utamur verbis) Fœdum videre fuit Populataque tempora raptis Auribus & truncas inhonesto vulnere nares. Incedendi nullus ordo, loquendi nulla modestia, barbaro & rusticano ritu nos exceperunt. Obtulerunt tamen xenia, pisces, vinum, cervisiam. Sic oppidum ingressi, locum vidimus. Quem nisi Hæreticorum arcem aut asylum vocem, nescio quo appellem nomine. Nam quæcumque deteguntur inter Christianos impietatis ac blasphemiarum monstra, huc confugiunt, tutamentumque habent ubi: tot sunt hæreses, quot capita; & libertas est quæ velis credere. In exteriori civitatis porta duo fuerunt scuta: in altero pictura erat Angeli Calicem tenentis, quasi Communionem sub specie vini suaderet Populo: in altero Zischa pictus fuit, homo senex & utroque lumine cassus. Hic olim dux Thaboritarum fuerat, & alterum oculum in pueritia perdiderat, alterum hostili sagitta confixus amisit. Ab hoc sæpe victos Fideles ajunt, sæpe Christianorum cædes factas, complures civitates exustas, diruta Monasteria, sacras Ædes incensas, prostitutas Virgines, Sacerdotes occisos. Quem Thaboritæ non solum monoculum, sed cæcum quoque secuti sunt Ducem, neque absurde. Nam tali populo, qui nihil divinitatis intelligit, nihil religionis tenet, nihil æqui rectique videt, quis ducatum præbere debuit, nisi cæcus? Impletum est illud Salvatoris in eis: *Si cæcus cæco ducatum præbeat, ambo in foveam cadunt*. Hic dum morti proximus esset, consultarentque Thaboritæ quem post se Principem designaret: *Postquam*, inquit, *animus a me fugerit, excoriate corpus meum, & carnes date volucribus: ex corio vero tympanum facite, atque hoc in prælio Ducem habete. Nam quovis locorum Teutones sonum ejus audierint, mox terga dabunt*, Zischam in *tympano formidantes*. Hic postquam obiit, Thaboritarum alii Procopium sibi Ducem elegerunt: alii in tantum illius memoriam dilexerunt, ut neminem dignum existimarent qui tanto Duci succederet: aspernatique Principem, Orphanos sese vocabant, quasi patre carentes atque orbatos, ut qui cæcitatem non vivam tantum, sed mortuam quoque colendam censebant, & inferos usque sequendam. Hunc autem veluti Numen Thaborensem habent. Et quamvis picturas omnes abominentur, hujus tamen picturam religiose colunt, & honorem quem Christo negant, concedunt Zischæ. Horum secta pestifera & abominabilis est, ac summo digna supplicio. Romanam Ecclesiam nolunt habere Primatum, aut proprii Clerum habere

Ep. 122.

Matth. 15. 14.

„ quidquam, Imagines Christi, Sanctorumque delent:
„ ignem Purgatorium inficiantur: Nihil Sanctorum
„ preces jam cum Christo regnantium prodesse morta-
„ libus asseverant. Festum diem præter Dominicam &
„ Paschalem non agunt: Jejunia spemunt, Horas Ca-
„ nonicas objiciunt. Eucharistiam sub specie panis &
„ vini & parvulis & dementibus præbent: Conficien-
„ tes, nihil præter Orationem Dominicam, & verba
„ Consecrationis dicunt, neque vestimenta mutant,
„ neque ornatus assumunt aliquos. Quidam vero eo
„ usque desipiunt ut non verum Christi Corpus in Sa-
„ cramento Altaris, sed repræsentationem quamdam
„ esse contendant, errantis Berengarii, non conversi,
„ sequaces. Ex Sacramentis Ecclesiæ Baptismum, Eu-
„ charistiam, Matrimonium Ordinemque recipiunt.
„ De Pœnitentia parum sentiunt: De Confessione &
„ Extrema-Unctione nihil. Monachorum Religionibus
„ infestissimi sunt, inventionesque diabolicas asserunt
„ esse: Baptisma simplicis undæ volunt. Nullam aquam
„ benedicunt. Cœmeteria non habent consecrata: Ca-
„ davera mortuorum in campis, & (ut digna sunt)
„ cum bestiis sepeliuntur, vanumque censent orare pro
„ mortuis. Ecclesiarum Consecrationes derident, & in
„ omnibus locis passim conficiunt Sacramentum. Nulla
„ major his cura est, quam Sermonis audiendi. Si quis
„ negligens est, domique torpet aut negotio ludove
„ vacat, dum Sermo est, virgis cæditur, & jurare ut
„ verbum Dei audiat, compellitur. Est illis domus
„ quædam lignea, similis horreo rutis, hanc Templum
„ appellant. Hic populo prædicant, hic Legem per
„ omnes dies exponunt: hic Altare unicum habent,
„ neque consecratum, neque consecrandum, ex quo
„ Sacramentum plebibus exhibent. Sacerdotes neque
„ coronas ferunt, neque barbas tondent. His Thabori-
„ tæ frumento, cervisia, lardo, leguminibus, lignis
„ & omni suppellectili necessaria publice domum com-
„ plent, & addunt in singula capita singulis mensibus
„ sexagenam, ex quo pisces, carnes recentes, & (si
„ velint) vinum emant: in Altari nihil offerunt:
„ Decimas omnes damnant: Primitiarum neque no-
„ men, neque rem tenent. Non tamen concordes sunt
„ in una Fide: sed aliter isti, aliter isti sentiunt: Vel-
„ le suum cuique est, nec voto vivitur uno.

Joannes Dubravius, Lib. 36. de Thaboritarum & Pragensium Hussitarum dissensionibus sic loquitur:
„ Thaboritæ nihil horum ferre poterant, ut se quis-
„ quam, qui populum doceret, Artium Magistrum,
„ aut Civilis Canonicique Juris Doctorem appellaret,
„ quod ejusmodi vocabula doctrinam a Lege Divina
„ prorsus alienam præ se ferrent. Deinde ut quis SS.
„ Patrum Scripta tamquam authentica citaret, aut
„ ullum aliud quam Veteris & Novi Testamenti ver-
„ bum in ore haberet; nec alias vestes Missam cele-
„ braturus, quam suas; non verticem rasum, non
„ manus Chrismate unctas, non Calices argenteos au-
„ reosque, sed obvios quosque, sive luteus, sive li-
„ gneos ... Eademque sine ullis ceremoniis, quemad-
„ modum & Baptismum sine sale & oleo conficie-
„ bant, nullas Imagines, nulla organa musica, nullas
„ aquæ aspersiones, nullas auriculares Confessiones,
„ nullum Eucharistiæ aut mortuorum hominum cul-
„ tum noverant. Ad hanc regulam Pragensium quo-
„ que Sacerdotes esse dirigendos clamabant. Contra
„ illi Ritum Ecclesiæ veterem strenue defendebant,
„ ac pro solo Calice obtinendo soliciti erant, passim-
„ que illum in parietibus, in vexillis, in templis pin-
„ gebant, ut haud inscite quidam adscripsit:

Tot pingit Calices Bohemorum terra per urbes,
Ut credas Bacchi Numina sola coli.

Theologus quidam Germanus vaticinari visus est, qui *Jacobello* erroris de utraque specie necessario sumenda primo Prædicatori exprobravit: *Non tu Calicem salutis, sed cyathum furoris, & poculum ruinæ Bohemis suppeditasti, at illo haustu furiant, vomant, insaniant, & mutuis ad extremum præliis inter se dimicent.*

VI. Errorem de Communione sub utraque specie non invenit quidem *Joannes Hus*, sed a *Petro Dresdensi* inventum & a *Jacobello* prædicatum non improbavit. Quæstionem conscripsit Constantiæ priusquam in carcerem conjiceretur, sub hoc titulo: *Utrum expediat Laicis Fidelibus sumere Sanguinem Christi sub specie vini?* Qua id unum docet: *Licere & expedire Laicis Fidelibus sumere sanguinem Christi sub specie vini: Quia licet Corpus & Sanguis Christi sit sub utraque specie Sacramentali, tamen Christus non sine ratione, nec gratis instituit utrumque modum Sacramentalem suis Fidelibus, sed ad magnam profectum.* Joannem Hus ad Bohemos e carcere rescripsisse, *Illos tandem reperisse poculum, quod sibi mortem accelararet*, refert *Dubravius* Lib. 23. Historiæ Bohemicæ. Certum nihilominus est, *Hussum* Epistola 16. Constantiæ scripta e carcere, *Gallum* e discipulis suis primarium hortatum esse, ne Communionem sub utraque specie impugnaret, ne scissio fieret inter suos. „ Noli (*inquit*)
„ resistere Sacramento Calicis Domini, quem Christus
„ per se, & per suum Apostolum instituit: Quia nul-
„ la Scriptura est in oppositum, sed sola consuetudo
„ quæ (ut æstimo) ex negligentia inolevit. Jam
„ non debemus consuetudinem sequi, sed Christi exem-
„ plum & veritatem. Modo Concilium allegans con-
„ suetudinem damnavit Communionem Calicis quo ad
„ Laicos, ut errorem, & qui practicaverit, nisi resipi-
„ scat, tamquam Hæreticus puniatur. Ecce malitia
„ Christi institutionem jam ut errorem damnat. Rogo
„ propter Deum, ut non impugnes Magistrum Jaco-
„ bellum, ne fiat scissio inter Fideles, de qua gaudet
„ diabolus. Etiam charissime, præpara te ad passionem
„ in manducatione & Communione Calicis & sta for-
„ titer in veritate Christi, timore illicito postposito,
„ confortans fratres alios in Evangelio Domini Jesu
„ Christi. Motiva pro Communione Calicis, æstimo
„ quod dabunt tibi quæ scripsi in Constantia. *Idem ad*
„ *quemdam Sectæ suæ Sacerdotem scribebat Epistola 9.*
„ Hortare ad Confessionem Fidei & Communionem
„ utriusque speciei Corporis & Sanguinis Christi, ut
„ qui de peccatis suis vere pœnitentiam egerunt, eo
„ sæpius ad Communionem accedant.

Realem Corporis & Sanguinis Christi præsentiam in Sacramento Eucharistiæ & Transsubstantiationem Joannes Hus propugnavit.

VII. Apud Sacram Synodum Constantiensem accusatus fuit *Joannes Hus*, quod *Panem materialem vel substantiam Panis, post consecrationem Hostiæ in Altari manere docuisset*, quod multis testimonis probatum est Sessione 15. Sed id se tenere, aut aliquando tenuisse vel docuisse constantissime negavit, ac mendaces testes palam appellavit. Et ad *Brodæ* accusationem respondens ait; *Dius, & dico, quod in Hostia remanet ille Panis qui dicit*: Ego sum panis vitæ. Et *Apostolus*
„ *dicit*: Probet autem se ipsum homo & sic de pane
„ illo edat, & de calice bibat. *De quo dicit quilibet*
„ *Sacerdos in Missa*: Panem cœlestem accipiam, &
„ nomen Domini invocabo ... *Verum est quod panis manet in Hostia, sed non mortalis.* Et Cardinali Cameracensi *Petro de Alliaco* objiciente: *Positis Universalibus a parte rei, tunc sequitur quod facta consecratione manet ibi panis materialis; alioquin ad desitionem singularis desineret universale*: Respondit Joannes Hus: *Quod universale desinit esse in hoc singulari, scilicet Pane materiali desinente, cum ille mutatur & transit in Corpus Domini. Sed nihilominus in aliis singularibus substantiatur.* Et cum reponeret Cardinalis, *Panem non annihilari*, respondit Joannes Hus: *Quod non annihilatur, sed ibi ille singularis panis desinit esse per Transsubstantiationem in Corpus Christi.* Item respondens ad Articulos in carcere sibi oblatos, prope diem mortis suæ, & primo ad illum, *Quod post Consecrationem Hostiæ in Altari, maneret panis materialis vel substantia panis*, respondit: *Non est verum.* Quas responsiones propria manu in carcere exaravit, & ex ejus autographo exscripsit *M. Joannes Przibram*, magnæ quondam inter Hussitas auctoritatis, sed ad Catholicam Fidem feliciter conversus, Lib. *De non Remanentia panis*, contra VVickleffistas adito; ex quo refert *Cochlæus*, Lib. 2. Historiæ Hussitarum.

Idem *Hus* in Tractatu *De Sacramento Corporis & Sanguinis Domini*, in Carcere edito Constantiæ, Catholicum Dogma Transsubstantiationis expresse professus est. *Cum enim* (inquit, *credant simplices quod ex potestate & institutione Christi veri Dei & veri hominis per ministerium Sacerdotum est in Sacramento venerabili verum Corpus suum, quod conceptum est, & natum ex Maria Virgine castissima potestate Sancti Spiritus, quod passum est in Cruce; quod jacuit in sepulchro per triduo, quod ascendit in Cælum, & sedet ad dexteram Dei Patris: Illud & non aliud, sine nova sui substantiali inceptione est in ipso Sacramento Venerabili. Similiter Sanguis, qui effusus est in Cruce in remissionem peccatorum de eodem Corpore.* Nam dixit *Christus Jesus*: „ Accipite & comedite, Hoc est Cor-
„ pus meum quod pro vobis tradetur. Bibite, Hic est
„ Sanguis meus, qui pro vobis effundetur in remis-
„ sionem peccatorum. *Item credendum est quod tam bonus quam malus Sacerdos, habens fidem rectam circa Sacramentum venerabile, & habens intentionem sic facere ut præcepit Christus, & dicens verba in Missa secundum institutionem Ecclesiæ, conficit, id est, virtute verborum Sacramentalium facit ministerialiter esse*

sub

sub specie panis verum Corpus Christi. Similiter sub specie vini facit ministerialiter esse verum Sanguinem Christi. Et dico, facit ministerialiter, quia tamquam Minister Christi, qui potestate & verbis Christi facit, quod facit Christus potestate propria & verbis propriis, transsubstantians panem in Corpus suum, & vinum in Sanguinem suum. Unde canit Ecclesia: „ Dogma datur Christianis, quod in Carnem transit panis, & vinum in Sanguinem. *Et iterum*: Verbum caro panem verum, verbo Carnem efficit: fitque Sanguis Christi merum: & si sensus deficit, ad firmandum cor sincerum sola fides sufficit.

In Hymnis Sanctissimi Sacramenti.

Et cap. 3. ejusdem Libri: „ Dixi ulterius supra, quod Christus virtute propria & verbis propriis transsubstantiat panem in Corpus suum, & vinum in Sanguinem suum, juxta Canticum Ecclesiæ istud: *Verbum caro panem verum Verbo carnem efficit, &c.* Verbum caro, id est, Filius Dei existens homo efficit verbo per Transsubstantiationem verum panem carnem: & merum, id est vinum, fit per Transsubstantiationem sanguis. Patet ista materia, De Consecrat. Dist. 11. per Sanctos Ambrosium, Eusebium, & per alios. Unde cantum supra dictum, approbatum ab Ecclesia ab anno quo cœpi cantum discere, cantavi in Scholis & in Ecclesiis. Post legi in Officio, & in Missis, & prædicavi in Sermonibus, & numquam prædicavi quod in Sacramento Altaris manet substantia panis materialis, de quo me veritatis inimici mendaciter accusarunt.

Idem confirmatur ex Epistola *Joannis Hus* ad *Joannem XXIII.* Pontificem Maximum data, quam refert *M. Joannes Przibram* in libro *De non Remanentia panis in Sacramento Altaris*, qua Fidem suam hunc in modum professus est: „ Ad reverentiam Jesu Christi, Ecclesiæ, supremoque ejus Pontifici exhibendam paratus semper ad satisfactionem omni poscenti de ea Fide, quam teneo, rationem reddere: Confiteor corde integro Jesum Christum Dominum esse verum Deum & verum hominem, totamque Legem ejus tam firmæ veritatis existere, quod nullum jota vel apex ipsius fallere potest. Domum suam sanctam Ecclesiam fundatam tam firmiter supra firmam Petram, quod portæ inferi non possunt adversus eam quandolibet prævalere. Promptusque in spe ipsius capitis Jesu Christi Domini, mortis dire potius sustinere supplicium, quam elective dicere vel asserere quod foret Christi suæque Ecclesiæ contrarium voluntati. Ex his fidenter, veraciter, & constanter assero, quod a veritatis æmulis sinistre Sedi Apostolicæ sum relatus. Falso siquidem detulerunt & deferunt, quod docuerim populum, quod in Sacramento Altaris remaneat substantia panis materialis. Falso, quod quando elevatur Hostia, tunc est Corpus Christi; & quando ponitur, tunc non est. Falso quod Sacerdos in peccato mortali non conficit. Falso, quod Domini a Clero auferant temporalia; quod Decimas non solvant. Falso, quod Indulgentiæ nihil sunt. Falso, quod gladio materiali suaserim Clerum percutere. *Hæc Joannes Hus*. Quam quidem literam atque Professionem suam (inquit M. Joannes Przibram) Prædictus M. Joannes Hus, introgressus in medio Doctorum & Magistrorum Universitatis Pragensis in pleno Concilio congregatorum, cum duobus Notariis publicis, & coram multis testibus, petiit sibi Sigillo Universitatis præcipuo & magno eamdem sigillari. Quod & factum est cum subscriptione duorum Notariorum. Quam quidem literam nuper in Audientia publica manifeste coram omnibus Adversariis legi & ostendi. Et tandem eam Consulibus Pragensibus in plenum eorum Concilium deferri & exhiberi procuravi. Ubi & visa est ab omnibus, & lecta & transcripta, præsentibus pene omnibus Sacerdotibus Thaboritarum, prædictæ Professioni valde invidentibus, & punctis prædictis in ea animo toto & tota vita repugnantibus.

In altero quidem *De Corpore Christi* Tractatu, Christum esse panem propugnat *Joannes Hus*, sed panem vivum qui de cœlo descendit, non materialem. Unde sibi objicit. *Si Christus est panis, ergo est panis materialis ex farina factus, non transsubstantiatus.* Quam objectionem sic diluit: *Sed quis scitulus non respueret tam rudem & deliram consequentiam? Per illam enim decipiuntur Trutanni, qui nec sciunt quid sit consequentia, nec discernunt inter panem per Christum, & panem per Clericum pistum.* Et *Berengarii* sententiam Hæresim appellat: *Ecce*, inquit, *magna hæresis fuit Berengarii, de qua fuit infamatus, quia scilicet tenuit, quod panis qui in Altari ponitur, ante Consecrationem est panis non consecratus, & per consecrationem est solum panis consecratus, non verum Corpus Christi.*

Libro de Sanguine Christi: *Corpus Christi cum omnibus partibus suis solum in Cœlo est localiter & dimensive, licet in Sacramento Altaris sit realiter & vere.*

Hieronymus Pragensis, antequam combureretur, interrogatus quid sentiret de Sacramento Eucharistiæ, respondit: *A natura panem, in Consecratione, & post verum Christi Corpus, & reliqua secundum fidem. Tum quidam: Atqui ajunt te dixisse post Consecrationem remanere panem. Cum* (inquit) *apud Pistorem remanet, remanet panis.* Ita refert *Poggius* in Epistola ad *Leonardum Aretinum*.

Confessionis Sacramentalis necessitas, a Joanne Hus agnita.

VIII. Confessionis Sacramentalis necessitatem *Joannes Hus* non negavit, immo partem esse Pœnitentiæ docuit, in Tractatu *De Pœnitentia* pro Jacobo. „ Sunt autem (*inquit*) Pœnitentiæ perfectæ, ut dicunt Doctores, tres partes: scilicet Contritio, Confessio & Satisfactio. *Et infra*: Secunda pars Pœnitentiæ est Confessio, quæ est coram Deo & coram Sacerdote peccatorum recognitio; quæ debet esse plana & integra; plana, ut Sacerdos intelligat: integra, ne confitens aliquod peccatum scienter abscondat. Qui enim abscondit scelera sua, non dirigetur. *Et infra*: Tu ergo appropinquante Quadragesima, quæ est speciale tempus Pœnitentiæ, ut vere pœniteas, dole cordialiter de peccato. Noli amplius peccare. Confide de Dei misericordia. Confitere peccata tua Sacerdoti non tardans. *Et libro* De Cœna Domini, *Cap. V. exponens hæc Apostoli verba*: Probet autem seipsum homo, & sic de Pane illo edat, & de Calice bibat, *ait*: Probet se in Contritione, si dolet cordialiter de peccatis; in Confessione, si bene de omnibus est confessus: in Satisfactione, si pœnitentiam facit, & vult perficere. *Et in Epistola ad Magistrum Martinum*: Cautus sis dum Confessiones mulierum audis, quod per mulierum hypocrisim Satanas te non decipiat. *Et in Responsione ad Scriptum octo Doctorum, Cap. VIII.* Baptismus baptizato non ponenti obicem tollit culpam & pœnam Inferni & Purgatorii; sed in Sacramento pœnitentiæ non sic est universaliter, cum tres sint partes ipsius Pœnitentiæ, scilicet Contritio, Confessio, & Satisfactio. *Et Commentario in Epistolam* S. Jacobi *explicans illa verba Capitis V.* Confitemini alterutrum peccata vestra, *ait*: Et quia remissio peccati non fit sine Confessione, si locus est confitendi: non sufficit inducere Presbyteros, nisi confiteatur infirmus; propter hoc subdit Glossa: *Ergo confitemini alterutrum*: id est, homo homini peccata vestra, non tantum Deo, sicut tempore Legis, quando offerebant Hostias, & sic se peccasse innuebant, non confitentes genus vel speciem peccati: quia in Lege non erat perfecta justitia. Et sic patet quod præceptum est confiteri. Et Dominus implicite Confessionem præcepit. Matt. 4. *Pœnitentiam agite*. Et Apostoli postmodum explicare præceperunt & distincte, ut hic. Intelligitur autem de venialibus, & sic est consilium, *Confitemini alterutrum*, alter alteri; id est homo homini, alter alteri coæqualibus levia & quotidiana. Si de mortalibus, tunc sic; *Confitemini alterutrum*, id est, homo homini, scilicet majori. Unde Glossa, & est Venerabilis Bedæ; *Gravioris lepræ immunditiam Sacerdoti pandamus, & quanto jusserit tempore purgare curemus*. Ita alia Glossa: *Peccata quæ fiunt ex ignorantia, vel ex infirmitate humana committuntur, dicit & præcipit alterutrum confiteri, quia facile dimittuntur. Quæ vero cum deliberatione, nonnisi per Pœnitentiam majorem, & a Sacerdote susceptam.*

Joannes Hus Extremæ Unctionis Sacramentum admittit.

IX. Extremæ Unctionis Sacramentum agnovit, ibidem explicans illa verba: „ Infirmatur quis in vobis, *&c.* Fuit autem (*inquit*) hoc Sacramentum institutum ad alleviationem infirmi & remissionem peccati: Unde & unctio ibi est, & oratio. Oratio autem non semper impetrat, quia non semper expedit infirmo quod petitur. Ideo non semper alleviatur. Sed si in peccatis est, indigne suscepit Sacramentum, quod semper impetrat remissionem peccati, quantum est de se. Quia est Sacramentum novæ Legis; ideo efficit quod figurat. Unctio autem facta de oleo, quod est sanativum, signat remissionem. Sic patet quod alleviatio non est res hujus Sacramenti, sicut remissio peccati, *&c.* Et si objicitur, quod est Sacramentum no-

„ væ

æ Legis: ergo ſemper efficit quod figurat, igitur ſemper alleviat. Solutio: quod cum dicitur: Sacramentum novæ Legis efficit quod figurat, litera, *quod*, ſumitur particulariter, quia non omne quod figuratur efficit, ſed aliquod: ſicut patet in Sacramento Euchariſtiæ, ubi ſunt duæ res Sacramenti, id eſt, quæ ſignificantur, ſcilicet Corpus Chriſti myſticum, & Corpus Chriſti naturale. Sed quare hoc Sacramentum non datur niſi a Sacerdotibus? Solutio. Quia eſt ſupplementum pœnitentiæ, quæ a ſolis Sacerdotibus imponitur. Eadem ratio eſt quare non datur niſi infirmis, & in ſtatu in quo deſperatur de ipſis, ubi deeſt auxilium naturæ, quæratur auxilium gratiæ, quæ datur in Sacramento. In hoc Sacramento non imprimitur character. Aut enim eſt diſtinctionis, & hic imprimitur in Baptiſmo, aut ſtrenuitatis, & hic imprimitur in Confirmatione; aut excellentiæ & dignitatis, & hic imprimitur in Sacramento Ordinis. Unde hoc Sacramentum iterari poteſt, illa autem non iterantur, quæ relinquunt in ſuſcipiente characterem, ut Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo. Cætera vero quatuor non relinquunt „. Ibi plura ex Eccleſiæ ſenſu docet *Joannes Hus*. 1. Septem eſſe novæ Legis Sacramenta. 2. Ipſa efficere quod figurant. 3. Tria imprimere Characterem, 4. Extremam Unctionem unum ex ſeptem illis Sacramentis eſſe.

Joannes Hus Purgatorium confitetur.

X. Purgatorium, & orationes, ſacrificia, eleemoſynas viventium, Animabus in eo detentis prodeſſe, *Joannes Hus* confeſſus eſt, Sermone *De Exequiis*, habito Pragæ in Synodo ad Clerum. „ Cauſa laudabilis Exequiarum, (*inquit*) conſiſtit in tribus. Primo, ut de morte Chriſti turpiſſima & graviſſima, & de peccato noſtro quod fuit cauſa mortis ſuæ, cogitemus. Secundo, ut attendendo ad miſerias mortui, nos ipſos in miſeriis corrigamus. Tertio, devotius orando pro mortuis, dormienti Eccleſiæ, id eſt Sanctis in Purgatorio adjutorium impendamus. *Et infra*; Animæ defunctorum habent poſt exitum a corpore triplicem manſionem. Aliquæ quidem, ut Sanctorum, Martyrum, & Confeſſorum ſic accenduntur pro articulo mortis in amore Chriſti, quod ſtatim ponuntur in patria, non relicta macula expurganda. Secundæ vero Animæ habentes amorem diſperſum ad temporalia, licet amor Chriſti in eis præponderat, habent venialia expurganda. Tertiæ vero Animæ, quæ finaliter diligunt temporalia plus quam Chriſtum, ſtatim perpetuam damnationem recipiunt. Et primæ ergo Animæ, vel primi homines, ſecundum Auguſtinum, vocantur valde boni: Secundi vero non valde mali: Tertii valde mali. Unde dicit Beatus Auguſtinus: cum Sacrificii ſive Altaris, ſive quarumcumque eleemoſynarum, pro baptizatis omnibus offeruntur, pro valde bonis gratiarum actiones ſunt; pro non valde malis propitiationes ſunt; ſed pro valde malis etiamſi nulla ſint adjumenta mortuorum, tamen qualeſcumque ſunt vivorum conſolationes. Ex jam dictis habetur, quibus defunctis proſunt ſuffragia ad celeriorem liberationem a pœnis: quia illis qui non ſunt valde boni, nec valde mali, ſed medii, qui nec ſunt æternaliter damnati, nec actualiter in Patria beatificati, ſed Militantis Eccleſiæ ſuffragio expurgandi. „

Et infra: „ Quoad tertium, ſcilicet, quæ ſunt ſuffragia defunctorum, reſpondet S. Thomas in Lib. 7. De Veritate dicens, quod Animæ defunctorum quatuor modis ſolvuntur: Aut oblationibus Sacerdotum, aut eleemoſynis charorum, aut precibus Sanctorum, aut jejunio cognatorum. Proſunt autem eis, ſecundum eumdem Doctorem, non ad meritum vitæ æternæ quia illud meruerunt, dum vixerunt; ſed proſunt ad mitigationem pœnæ, ad accelerationem gloriæ. „

Et in Fidei ſuæ Elucidatione: „ Univerſalis Eccleſia (*inquit*) principaliter tripartitur: in Eccleſiam triumphantem, militantem & dormientem. Eccleſia triumphans, eſt Beati quieſcentes in Patria. Eccleſia militans, dum hic viant ad Patriam. Eccleſia Sancta dormiens eſt numerus Prædeſtinatorum in Purgatorio patiens. *Et infra:* Sanctorum Communio eſt bonorum participatio, quæ omnibus membris Corporis Chriſti myſtici, dum ſunt in gratia, congruit, ita quod quilibet Juſtus Prædeſtinatus poteſt in ſpiritu humili cum Pſalmiſta dicere: *Particeps ergo ſum omnium timentium te, & cuſtodientium mandata tua.* Ex quibus ſequitur, quod Sancti in Patria juvant Electos in Militante Eccleſia, gaudentque de eorum pœnitentia & vita meritoria. Beati etiam viantes ſuis orationibus, jejuniis, atque eleemoſynis, & aliis ſanctis operibus, Sanctos dormientis Eccleſiæ, ut a pœnis Purgatorii exeant, & in patria citius collocentur. Et iſta Fide de Communione Sanctorum corde habita, & jam ore palam expoſita, rogo piiſſimum Jeſum Chriſtum, qui vere pœnitentibus non denegat gratiam, ut dignetur illis culpam dimittere, qui de me dicunt vel dixerunt privatim vel publice, quod ego negarem Sanctorum ſuffragia, & reſpectu viantium, & reſpectu in gratia mortuorum.

Et Libro *De Eccleſia*, *Cap.* 11. „ Eccleſia dormiens, eſt numerus prædeſtinatorum in Purgatorio patiens. Et dicitur dormiens, quia ibi exiſtens jam beatitudinem non promeretur, eo quod Dei prævenieute & juvante gratia in præſenti meruit, ut poſt ſatisfactionem Purgatorii in patria præmietur. *Addit in ſignum triplicis partis univerſalis Eccleſiæ, Sacramentum Euchariſtiæ dividi in tres partes, ut Doctores exponant.* Primam partem immerſam Sacramento liquido dicunt ſignificare Eccleſiam triumphantem, quæ abſorpta & inebriata eſt intinctione divinæ eſſentiæ. Per illas duas partes, quas Sacerdos tenet in manibus, major ſuppoſita ſignificat Eccleſiam Militantem, & minor ſeniꝰ ſuppoſitæ ſignificat Eccleſiam in Purgatorio expectantem. Ipſa enim initiatur ſuffragiis Militantis Eccleſiæ. Et pro iſtis duabus partibus geminamus preces Agno, qui eſt Caput Eccleſiæ, ut miſereatur nobis. Sed pro tertia parte, ad cujus locum & requiem aſpiramus, petimus ut idem Agnus triplicis naturæ donet finaliter nobis pacem.

Joannes Hus Sanctorum in Cœlo regnantium invocationem nobis ſalutarem eſſe profitetur, eoſque pro nobis apud Deum intercedere.

XI. Sanctorum in Cœlo regnantium interceſſionem eorumque invocationem nobis ſalutarem eſſe profeſſus eſt *Joannes Hus*, in Elucidatione Fidei ſuæ. „ Scio, *inquit*, quod Chriſtus docet, quod unumquodque membrum prodeſt cuilibet membro, dum ſanat puerum Centurionis a paralyſi ad rogatum ejus, antequam domum veniat. Nam Matth. 8. dicit: *Vade & ſicut credidiſti, fiat tibi.* Et juxta fidem mulieris Chananeæ filiam ejus ſanavit, Matth. 15. Si igitur homo adhuc mortalis peccatis irretitus venialibus, poteſt apud Chriſtum Deum alteri, immo toti Eccleſiæ militanti pia oratione obtinere ſuffragium, quis ſtultus auderet dicere, quod exiſtens cum Chriſto in gloria illud non poſſet? Etenim foret minoris potentiæ & acceptationis apud Regem gloriæ in gloria, quam fuit in miſeria dum viavit. Rogo etiam pro meis ejuſdem accuſatoribus Virginem caſtiſſimam, Genitricem Salvatoris, reparatricem humani generis, Reginam Cœli, quæ ex titulo gratiæ naturæ ſuperadditæ Angelicam naturam ſuperat, quæ inter omnes Beatos circa ſuum Filium eſt beatior, ſingulari privilegio glorioſior, gratia & dotibus gloriæ fœcundior: de cujus plenitudine, ait Bernardus, accipiunt univerſi, ægri curationem, triſtes conſolationem, peccatores veniam, juſti gratiam, Angeli lætitiam, Filius Dei humanæ carnis ſubſtantiam, tota Trinitas gloriam. *Et infra*: Mariam Virginem Advocatam, & Mediatricem, & quodammodo cauſam Incarnationis, Paſſionis, & Reſurrectionis Jeſu Chriſti, & per conſequens & cauſam ſalvationis totius omnium ſalvandorum *prædicat*. „

B. Virginem Mariam invocat, & præconiis extollit.

Joannes Hus venerationem Sacris Imaginibus debitam agnoſcit.

XII. Religioſum cultum latria inferiorem Imaginibus tribuit *Joannes Huſſus*, doctrinam *Holcot* in Cap. Sapientiæ 13. approbans, dicentis: „ Nulla adoratio debetur imagini, nec licere adorare imaginem. Vera enim adoratio conſiſtit in ſpiritu, devotione, & amore ſummo, & iſta nullo modo debemus in aliquam creaturam dirigere. Quia tamen propter Imaginem Chriſti excitamur ad adorandum Chriſtum, & coram imagine adorationem noſtram facimus, dicitur large ſumendo, quod imaginem adoramus. Unde videtur mihi, quod nec adoro imaginem Chriſti, quia ſignum, nec quia Imago Chriſti, ſed adoro Chriſtum coram Imagine, quia eſt Imago Chriſti, & excitat me ad adorandum Chriſtum. Et ſic expono Joannem Damaſcenum, lib. 4. Sententiarum capit. 8. ubi videtur docere, quod Imagines Sanctorum debent adorari. Hoc intelligo ſic, quod propter Imaginis repræſentationem, licet mihi coram Imagine Sanctum cujus eſt, orare. Et eodem modo intelligo S. Thomam & Baſilium, & totum Eccleſiæ Ritum. Nec video bene eſſe dictum quod eodem honore honoretur Imago, & Deus cujus eſt Imago. *Et infra: Ex quo patet* (*inquit Huſſus*) quod quamvis coram Imagine Chriſti, vel alia cujuſcumque Sancti, licite poſſunt homines genuflectere & orare, offerre, candelas ponere, & ſic faciunt: non tamen in nomine Imaginis, ſed in nomine illius, cujus Imago eſt, illa debent facere, ſicut & Imago, non propter ſe, ſed propter imaginatum eſt coram hominibus ſculpta, poſita, vel depicta. Secundo patet, quod non ſequitur: Ille homo coram

„ Ima-

„ Imagine orat: igitur Imaginem orat. Similiter non sequitur: Ille osculatur Imaginem, igitur ille osculo adorat Imaginem. Unde licet tale osculum sit materia latriæ, non tamen ipsa latria vel dulia. Sicut licet distributio, qua homo distribuit uno tempore virtuose, & alio vitiose temporalia, sit materia operis virtutis, non tamen ipsa est virtus, cum omnis virtus sit per sa bona. Ex quo tertio patet, quod falsum est quod adorans Salvatorem, osculando Imaginem ejus eadam adoratione, quæ est osculum, adorat Salvatorem & Imaginem ejus, cum nullum tala osculum sit adoratio, licet sit materia adorationis. Quarto patat, quod licet Fideli multa signa adorationis axteriora coram Imagine Christi, vel alicujus Sancti facere, quibus non licet eas adorara, vel quæ non licet eis exhibera. *Hæc* Joannes Hus *in Libro* Da Imaginum Adoratione.

Lutherus in Scripto quod inscrib. Literarum Joannis Hus anno 1537. aditarum legitur.

XIII. Hæ de *Joannis Hus* doctrina, deque ejus cum Ecclesia Romana consensu circa dogmata Transsubstantiationis, numerum & efficaciam Sacramentorum, Confessionem Sacramenralem, Purgatorium & Orationes pro defunctis, intercessionem & invocationem Sanctorum, venerationam Imaginum, Observationes, palam ostendunt *Luthers* & *Calvini* doctrinam circa eadem capita ab eo damnatam, quem *Lutherus* ipse *Magnis & excellentibus Spiritus Sancti donis ornatum* prædicat, *& Scriptis dictisque suis Doctrinæ Christianæ consensisse, & mortem pro assertione veritatis tolerasse*. Qui *si pro Hæretico habendus est, haud facile quisquam omnium, quos umquam Sol vidit, vere Christianus haberi poterit*. Eumque *Magnanimum & fortem Christi Martyrem* appellat. Viderint Lutherani & Calvinistæ, quomodo cum eo conveniant, quem ceu testem veritatis venerantur. Qua fide suarum falsi nominis Ecclesiarum origines aut successionem a *Joanne Hus* & *Hieronymo Pragensi* deducant, quibuscum in præcipuis Fidei suæ dogmatibus non consentiunt. Quomodo illos pro Hæreticis habendos esse negant, & Christianam Doctrinam Scriptis asseruisse ajunt; & hanc ipsam doctrinam ab illis assertam, in Ecclesia Romana damnant, ab ejusque communione propter hæc ipsa capita discesserunt, quæ *Joannes Hus*, quem Christi Martyrem, & donis Spiritus Sancti plenum appellare non verentur, propugnavit?

Hussitarum dogmata Lutheranis & Calvinianis dogmatibus maximam partem opposita.

XIV. Sed aliis momentis demonstratur quam parum cum Hussitis Lutherani & Calvinistæ conveniant; maximeque ex Pragensi Hussitarum Synodo, an. 1421. die VII. mensis Julii celebrata Præsidentibus *Joanne Przibram*, *Procopio de Pilzna*, *Jacobo de Misna*, seu *Jacobella*, & *Joanne de Nova Civitate*, Præmonstratensis Ordinis Apostata, qua in Synodo confitentur, *In divinissimo Eucharistiæ Sacramento tam sub forma panis, quam sub forma vini totum Dominum Jesum Christum verum Deum & hominem, cum suo proprio Corpore & Sanguine nobiscum esse sua præsentia reali: Ordinem & Ritum Missæ a Sanctis primitivæ Ecclesiæ approbatum, ab omnibus & singulis Sacrificantibus observandum: Confessionem auricularem non illicitam.* Consecrationem Fontis Baptismatis, Oleum Sacrum cum Chrismate, Exorcismos, interrogationes & responsiones, unctiones omnino retineri debere. Quemlibet Sacerdotem ad Horas Canonicas obligarum esse. Quatuor dumtaxat Articulos Ecclesiæ Fidei ac moribus contrarios asseruerunt. Primum, de Communione sub utraque specie. Alterum, quod nullus Sacerdos Christi super prædiis, agris, domibus, censibus, aut quibuscumque aliis proventibus & possessionibus civili & sæculari jure dominetur. Tertium, de Lege Domini ab omnibus Sacerdotibus prædicanda. Quartum, da peccatis mortalibus non tolarandis.

Pragensium Hussitarum Articuli contra Thaboritas.

XV. Idem confirmatur ex Articulis XXIII. Pragensium Hussitarum contra Thaboritas, quos *Joannes Lukauvitz* Thaborita Presbyter, & *Cochlæus*, lib. V. Historiæ Hussitarum referunt. Primus est da veritate Corporis Christi in Eucharistia, his verbis conceptus: „ Credimus & tenemus, ad quod singulos Christianos adhortamur, ut credant & teneant, quod Christus, verus Deus & verus homo est in Sacramento visibili Eucharistiæ secundum suam propriam naturam & substantiam corpoream, & secundum ejus naturalem essentiam, aamdem penitus in numero quam sumpsit de Virgine Maria, & secundum quam residet in Cœlo in daxtera Patris. Cui in eodem Sacramento honor, cultu, genuflexione, adoratione, luminum accensione, & aliarum venerationum exhibitione debet exhiberi.

Secundus de septem Sacramentis: „ Credimus & tenemus, quod septem Sacramenta, videlicet, Baptismus, Confirmatio, Pœnitentia, Sacrosancta Eucharistia, Ordo, Matrimonium, Unctio-sacra sunt ex Fide Catholica necessaria, & salubria antidota animarum, ab omnibus promovenda & tenenda.

Tertius de Baptismo: „ Itam tenemus, quod Sacramentum Baptismatis more Ecclesiæ cum Exorcismis, & cum Patrinis, cum Chrismato & oleo sacris, ac cum trina immersione in aqua benedicta, ac aliis ritibus consuetis est exercendum: dum ad illa adest opportunitas loci, tamporum, & personarum.

Quartus, de Confirmatione: „ Item credendum, & tenendum, & instandum est, quod baptizati a proprio Episcopo, juxta formam & statuta Ecclesiæ primitivæ cum Chrismate sunt confirmandi.

Quintus, de Pœnitentia & Confessione: „ Item tenemus, quod pro remedio animarum lapsarum & labentium, ac pœnitere volentium, Confessiones auriculares idoneo Sacerdoti sunt exercendæ, & remedia salutifera, scilicer jejunia, Eleemosynæ, & Orationes, ac cætera opera satisfactionis, pro modo culpæ, sunt eis injungenda.

Sextus, de Sacramento Ordinis: „ Item credendum est & tenendum est, quod Sacramentum Ordinis dumtaxat ab Episcopo vel Episcopis est conferendum.

Sepeimus, de Clavibus Ordini annexis: „ Item credendum est quod Sacramento Ordinis soli dumtaxat annexæ sunt Claves Ecclesiæ, & potestas solvendi, & conficiendi, & vasa sacra contrectandi: sic quod non alteri statui vel personæ.

Nonus, de Sacramento Extremæ-Unctionis: „ Item credimus & tanemus, quod Sacramentum Extremæ-Unctionis, poscentibus ægris & infirmis, juxta formam & ritum Ecclesiæ sanctæ est ministrandum & exercendum. Et nos hortamur omnes, & de post volumus adhortari, ut cum in gravem infirmitatem inciderint, illud Sacramentum non omittant, aut quovis modo contemnant. Quia contemptores illius & aliorum Sacramentorum sunt castigandi, & juxta Censuram Ecclesiæ corrigendi.

Decimus-tertius, de Invocatione Sanctorum: „ Credimus, & ex Scriptura comperientes tenemus, quod Sancti in Cœlis, Christianis ac Fidelibus suis orationibus, charitativis auxiliis, pro capacitata siva eorum dispositione suffragantur, quos Fideles possunt licite postulare & exorare pro auxilio & intercessione.

Decimus-quartus, de Purgatorio, & de Orationibus pro Defunctis: „ Item tenemus, & ex multis Scripturis Sanctorum comperientes, in Lege Domini fundatis credimus, quod Animarum a corpore exutarum locus Purgatorii post hanc vitam est ponendus, quæ non ad plenum hic in via pro peccatis satisfecerunt, post hanc vitam purgatæ salvabuntur: quodque Fideles hic in via, talibus propter vinculum Charitatis & Spiritus, possunt & debent jejuniis & Orationibus, Eleemosynis, & sanctis operibus pie suffragari.

Decimus-quintus de ritu sacrificandi & orandi: „ Item tenemus, & firmiter observare intendimus, quod ritus & ordo sacrificandi in Missis, & Vesperis, & circa alia Officia Divina, in signis & habitu consuetis, est legitimus & debitus: prout circa Missationem est Humerale, Alba, Stola, Mappula, Cingulus, & ornatus more sanctæ Ecclesiæ ordinatus, &c.

Decimus-sextus, da jejuniis Ecclesiæ: „ Item jejunia in Vigiliis Sanctorum ipsi Deo facienda, & alia jejunia debita, in Ecclesia sancta hucusque legitime observata, ipsi volumus observare, & nobis subjectos ad observandum tenere.

Decimus-septimus, de Festivitatibus Sanctorum: „ Item tenemus quod Festivitatas Sanctorum, præsertim Domini nostri Jesu-Christi, & quæ sunt Beatæ Virginis Mariæ; Apostolorum Christi Jesu, Martyrum, Sanctorum, & cætaræ antiquæ in Ecclasia Dei, in calebratione ab antiquo observatæ modo debito, non solum ab opere servili corporalis laboris, sed & abstinendo a peccatis festivandæ.

Vigesimus-primus, da Horis Canonicis: „ Quilibet Christi Sacerdos, cui tempus & locus facultatem dant, ad Horas Canonicas sit obligatus.

Vigesimus-tertius, de obedientia Episcopis præstanda: *Item tenendum & fideliter observandum, pro unitate & societate Catholica in nobis perpetuo conservanda, & pace Ecclesiæ custodienda, juxta Decretum Clementis: Omnes Sacerdotes & alii Christi Fideles subjecti teneantur Episcopis, etiam discolis, & aliis*

Præ-

Præpositis, in omnibus præceptis licitis & honestis obedire, etiamsi ipsi aliter agant quam debeant. Et quod tales Episcopi non leviter sunt arguendi, sed potius supportandi, nisi in fide erraverint. His XXIII. Articulis totidem alios opposuerunt Thaboritæ, ac super iis longissimum contentionis funem duxerunt. Post multas concertationes, causa Religionis Arbitris ab utraque Factione electis commissa, qui contra Thaboritas pronuntiaverunt. Nec tamen victa ipsorum pertinacia est, sed armis Schisme suum ac errores defenderunt, ut ex *Ænea Sylvio*, *Dubravio*, Belli Hussitici Historia, & ex *Cochlæo* constat.

XVI. *Calixtinorum* & *Thaboritarum* discrimen rursus confirmatur ex protestatione publica e Capitaneis, Consulibus, totaque Communitate Civitatis Pragensis edita anno 1421. Qua de quatuor dumtaxat Articulis propugnandis conjurant. „ *Primo*, Quod verbum Dei, per „ Regnum Bohemiæ, libere & sine impedimento or„ dinate a Sacerdotibus Domini prædicetur & nuncie„ tur. *Secundo*, Quod Sacramentum Divinissimæ Eu„ charistiæ, sub utraque specie, scilicet panis & vini, „ omnibus Christi Fidelibus, nullo peccato mortali in„ dispositis libere ministretur. *Tertio*, Quod Dominium „ sæculare super divitiis & bonis temporalibus, quod „ contra præceptum Christi Clerus occupat, in præju„ dicium sui Officii, & damnum brachii sæcularis, ab „ ipso auferatur, & ipse Clerus ad Regulam Evangeli„ cam & Vitam Apostolicam, quam Christus vixit cum „ suis Apostolis reducatur. *Quarto*, Quod omnia pecca„ ta mortalia, & specialiter publica, aliæque deordi„ nationes Legi Dei contrariæ, in quolibet statu rite „ & rationabiliter, per eos ad quos spectat prohibean„ tur & destruantur „. Præter hanc vero sententiam si quis aliqua ipsis affinxerit, hunc tamquam falsum & iniquum testem a Christi Fidelibus haberi volunt. Hi sunt celebres Articuli, de quibus post annos 12. in Concilio Basileensi latissime tractatum ac disputatum est, anno 1433.

Quæstiones a Joanne Hus animo hæretico propositæ, ejusdemque Responsa.

XVII. Catholicos Doctores, eruditosque viros suis erroribus adversos acutis & variis quæstionibus interim *Joannes Hus* exagitabat, ut eruditionis gloriam aucuparetur, & censoriam auctoritatem sibi arrogaret. Ingenii ea in re sui malitiæque specimen præbuit publico Instrumento, & Tractatu De tribus Quæstionibus, propositis in *Holomutz*, anno 1412. Prima erat. „ Utrum in Papam esset credendum? *Secunda*: Utrum „ possibile esset aliquem hominem salvari, qui non con„ fiteretur ore mortali Sacerdoti? *Tertia*: Utrum ali„ quis Sanctorum senserit aut dixerit, quod aliqui de „ Pharaonis populo submersi in Mari Rubro, & de „ Sodomitis subversis sint salvati?

Ad primum respondit negative, oblique Prælatos & Doctores calumniatus, quasi plebem docuisset, in Papam esse credendum.

Ad secundum affirmate respondit ex Magistro Sententiarum in IV. Dist. XVII. Cap. 2. dicente: *Quod sine Confessione oris, & solutione pœna exterioris delentur peccata per contritionem & humilitatem cordis.* Locum Magistri Sententiarum fœde mutilavit, & in contrarium sensum (quod Hæreticorum proprium est) detorsit. Hæc siquidem verba Magistri omisit: „ Nonnulli in „ vita peccata confiteri negligunt, vel erubescunt, & „ ideo non merentur justificari. Sicut enim præcepta est „ nobis interior Pœnitentia; ita & oris Confessio, & „ exterior Satisfactio, si adsit facultas. Unde nec vere „ pœnitens est, qui Confessionis votum non habet. *Et* „ *in eadem Distinctione probat, ex testimoniis SS. Pa-* „ *trum* Indubitanter ostendi oportere Deo primum & „ deinde Sacerdoti offerri Confessionem: nec aliter posse „ perveniri ad ingressum Paradisi, si adsit facultas „.

Ad tertium respondit ex *S. Hieronymo* Commentar. in *Naum* Prophetam dicente: „ Quod Deus genus hu„ manum diluvio, Sodomitas igne, Ægyptios Mari, „ Israelitas in Eremo prodidit; scitote ideo temporali„ ter eos pro peccatis punivisse, ne in æternum puni„ rentur: quia non judicat Deus bis in idipsum. Quia „ ergo puniti sunt, postea non punientur. Alioquin „ mentitur Scriptura, quod nefas est dicere „. Et Magistri Sententiarum in IV. Dist. XV. cap. III. verba quædam ad idem probandum attulit. Qua in Responsione & *S. Hieronymi*, & Magistri loca truncavit. Vera enim *S. Hieronymi* sententia est: „ Deum ut omnium rerum, „ ita suppliciorum quoque scire mensuras, & non præ„ veniri Sententiam Judicio, nec illi in peccatorem e„ xercendæ de hinc pœnæ auferri potestatem & ma„ gnum peccatum magnis diuturnisque lui cruciatibus. „ Levem vero culpam præsenti compensari supplicio; „ qualis fuerat illius qui in Sabbato ligna collegerat, „ Alioquisi magna peccata præsenti compensarentur sup„ plicio, optandum foret adulteris, ut impræsentiarum „ brevi & cita pœna cruciatus frustrarentur æternos „. Dissimulavit etiam *Hus* Magistrum Sententiarum aperte dixisse loco laudato, illam Prophetæ *Naum* Sententiam: *Non judicabit bis Deus in idipsum*, vel secundum aliam Versionem, *Non consurget duplex tribulatio*; de his tantum intelligi debere, qui temporalibus suppliciis commutantur in bonum, & sic perseverant. Qui vero inter flagella duriores & deteriores fiunt, ut *Pharao*, præsentibus æterna connectunt; ut temporale supplicium sit eis æternæ pœnæ initium, secundum *S. Augustinum* super illud Deuteronomii XXXII. *Ignis succensus est in furore meo, & ardebit usque ad Inferni novissima.*

JOAN. DOM. MAN.

Nota.

QUid senserit Joannes Huss circa dogma de transubstantiatione e nullo alio melius colligitur quam ex Stephano, de quo in nota superiori egimus, qui in Opusculo inscripto: *Medulla tritici* par. 4. cap. 3. uni tantum VVikleffo impugnationem hujus dogmatis tribuit, ac ne verbo quidem Hussum perstringit, quod sane non omisisset, siquidem posterior iste hæreticus aliquid contra doctrinam catholicam mussitasset. Hoc opusculum scribebat Stephanus anno 1408. & absolutum est anno 1411. Porro hoc caput tertium ita inscribit venerabilis Auctor: *de hoc sacramento nulla est impanatio, quam vocem primus fabricavit Wikleffus*, laudatque in decursu ejusdem capitis trialogum illius, ex quo hæretici verba superius data descripta sunt. In aliis vero opusculis, in quibus dogmata ab Husso impugnata defendit, ne verbo quidem illi impanationem exprobrat.

Non ita vero excusandus est in dogmate de Confessione sacramentali, nam in tractatu ejusdem Stephani inscripto Antihussus necessitatem Sacramenti Pœnitentiæ non uno capite adversus eumdem hæreticum defendit, indicatque hæresim hanc de ableganda necessitate Sacramenti Pœnitentiæ ab Husso non propositam tantummodo, sed & adductis veterum Patrum testimoniis firmatam fuisse.

§. III.

De Hussiticæ Hæreseos ipsiusque Joannis Hus, & Hieronymi de Praga Damnatione.

Joannes Hus a Pragensi Archiepiscopo damnatus.

I. CUm *Joannem Hus* Catholici Pragensis Academiæ Doctores pia fraterna admonitione incassum, & sine correctionis fructu increparent, & frustra rogarent, ut damnatæ *VVickleffi* doctrinæ patrocinari cessaret, Magister *Andreas de Broda* Facultatis ejusdem Baccalaureus *Subinconum* cognomento *Leporem*, Pragensem Archiepiscopum Raudnicii tunc degentem per Literas monuit ac obtestatus est, ut malo in Provincia sua ac Pragæ præsertim grassanti, ac ex Librorum *VVickleffi* disseminatione & lectione magis invalituro, Pastorali vigilantia occurreret. His excitatus Archipræsul consilio & animo illustris, Libros *Joannis VVickleffi* ad se deferri, omnesque Doctorum Virorum consilio adhibito publice concremari jussit. Supra ducenta volumina fuisse traduntur pulcherrime conscripta, bullis aureis, tegumentisque pretiosis ornata. *Joannis* Prædicatio interdicta, & adjectæ minæ, si quando priores in populum errores vulgare audiret. Ipse Praga excedens, in Villam unde illi origo fuit & cognomen, permittente loci Domino, qui ejus insaniæ favebat, convocare plebem ac docere non destitit; multa in Romanum Pontificem, multa in reliquos Ecclesiæ Præsules maledicta congerens, & contumeliosas in Pragensem Archipræsulem cantiunculas a suis componi & cantari permittens, quousque *VVenceslaus* Bohemiæ Rex eas sub pœna capitis prohiberet. Mox pellifices, sartores, sutores & id genus Mechanicos auctoravit, qui concionandi munus usurpantes, & Sacras Literas in Linguam Vernaculam translatas fervide legentes, cum Sacerdotibus coram plebe disputarent: Nec solum viri, sed & mulieres aliquæ, eo audaciæ & inverecundiæ proruperunt, ut de Sacris Literis disserere, & Presbyteris certamina movere præsumerent; quin etiam Libros de Religionis dogmatibus componere.

Joannes Hus ab Alexandro V. damnatus.

II. De *Joannis Hus*, Asseclarumque protervia certior factus *Alexander* V. Pontifex Maximus ipsum-

in

in Jus vocavit, scripsitque Pragensi Archiepiscopo, ut Auctoritate Apostolica prohiberet Conciones ad populum fieri, nisi in Cathedralibus, Collegiatis, Parochialibus, aut Monasteriorum Ecclesiis seu earum Cœmeteriis: & Articulos *Wickleffi* publice vel occulte doceri: ac de consilio quatuor in Theologia, duorumque in Jure Canonico Doctorum adversus eos qui damnata hujusmodi dogmata docerent, defenderent, aut approbarent, velot contra Hæreticos ageret. Nisi errores publice ac solemniter ejurarent, Librosque *Wickleffi* traderent, carceri addicerentur, invocato (si opus esset) brachii sæcularis auxilio. Adversus istud *Alexandri* V. Diploma insolenter expostulavit *Joannes Hus*, Pontificia Mandata factis & verbis Christi & Apostolorom contraria esse effutiens: cum Christus in Mari, in Deserto, in loco campestri, in domibus, in Synagogis, in vicis, in plateis, ad populum Sermones habuerit, & Apostoli prædicaverint ubique Domino cooperante. Objiciebat præterea Mandatum istud in detrimentum Capellarum cedere; quæ ad hoc erant exstructæ ut in illis verbum Dei libere prædicaretur. Ecclesiæ denique esse incommodum & exitiale, cum Dei verbum alligaret. Quocirca de ipso Diplomate ad ipsum Romanum Pontificem melius consultum appellavit. Ita *Hus* ipse refert lib. *De Ecclesia* Cap. XVIII.

III. Hæc *Wenceslao* Regi minime quidem grata, sed desidia tamen corruptus & inertia torpens impune debacchari sinebat Hæreticos. *Subinco* Archiepiscopus, ubi nullum adversus tantum emergens malum in *Wenceslao* præsidium invenit, ad *Sigismundum* Hungariæ Regem confegit, obsecrans ut negligentiam fratris emendet, neque labefactari Orthodoxæ Fidei Sacramenta permittat. Dat fidem *Sigismundus*, petiturum se brevi Bohemiam, Ecclesiæ Catholicæ consulturum. Sed, cum dies die ducitur, *Subinco* in Hungaria obiit, eique sufficitur *Albicus* Natione Bohemus, arte Medicus, & *Sigismundo* proprerea charus, fœdissimum avaritiæ monstrum, qui cellæ vinariæ claves nemini credebat, animalia viventia dono accepta vendebat, nullos præter abjectam anum domesticus ac ministros habebat; qui aliquando interrogatus, sonorum omnium quem molestius audiret? *Maxillarum* (inquit) *ossa frangentium*. Idoneus profecto Pontifex, qui nascenti fomentum hæresi præberet, (inquit *Æneas Silvius*.)

Joannes Hus a Joanne XXIII. damnatus.

IV. Qui *Alexandro V.* successit *Joannes* XXIII. *Wickleffi* errores in Synodo Romæ celebrata damnavit anno 1413. *Wickleffi* defensoribus diem dixit, Librosque illius interim aboleri jussit & cremari; contra hujus Mandati violatores seu contra viros de fide suspectos, & Hæreticorum fautores, ex Legum severitate animadverti. Hussitæ Pontificium Diploma spreverunt, glossisque & observationibus petulantibus proscinderunt. Christianissimi Regis, & Sacræ Facultatis Parisiensis operam ac auctoritatem ad Bohemos ab Hæresi revocandos Pontifex adhibuit. Pragensi Archiepiscopatu in gratiam *Conradi*, Olomucensis Episcopi, Regni Bohemiæ Subcamerarii, cesserat *Albicus*, Regis, Pragensisque Capituli accedente consensu, seu potius vendiderat, infame avaritiæ mancipium. Ad hunc Venerabilis *Gersonius* literas dedit, quibus consulebat, siquidem miracula ad revocandos ab errore Hæreticos expectanda non erant, & inutiles disputationes forent, ad ipsorom edomandam proterviam brachii sæcularis auctoritas adhiberetur. Misit una Regis & Academiæ Parisiensis literas, ad exterminandam Hæresim adhortatorias. Verum cum Pragensis Archipræsul *Husso* conniveret, *Joannes* XXIII. Sacrorum celebrationem Pragæ suspendit, quamdiu *Joannes Hus* ibi versaretur, cui nominatim concionandi & Sacris operandi munere interdixit, quod Romæ non comparuisset, in Jus vocatus, & Procuratores ab eo missi petulantius causam ejus agerent. A Summi Pontificis Sententia ad Christum appellavit Hæresiarcha; *S. Joannis Chrysostomi*, *S. Andreæ Pragensis* Archiepiscopi, *Roberti* Lincolniensis Episcopi exemplis tam insolitam Appellationem defendit: contumaciam excusavit quod loco minime tuto, scilicet Romæ comparere non potuisset, Judicemque ac testes habuisset inimicos. In gratiam *Hussi* Rex *Wenceslaus*, Bohemique Nobiles scripserant, *Sophia* Regina procurante, cui illum a Confessionibus fuisse tradunt, ut Romani itineris necessitate ipsum Pontifex liberaret, Legatumque mitteret in Bohemiam ad causæ cognitionem. Ipsi Regem præsto futurum ad coercendos, qui violatæ per aliquos errores fidei rei deprehensi essent. Verum Legationem decernere necesse non judicaverat Summus Pontifex,

Joannes Hus a Sententia Pontificis ad Christum appellat.

nec vero expedire, cum a *Wenceslao*, cellam vinariam, quam Rempublicam, & Religionem magis curante, jam abalienatis Bohemorum voluntatibus, nihil boni sperandum esset, sed cognitionem causæ selectis Cardinalibus commiserat, qui auditis *Hussi* Procuratoribus, ipsum contumaciæ reum pronuntiaverant, & diris omnibus devovendum. Ex quorum Sententia Pontifex istud, cujus meminimus, Diploma contra *Joannem Hus* in Bohemiam miserat.

Facultatis Theologica Pragensis Consilium contra Hussiticam Hæresim.

V. Officio suo non defuit Facultas Theologica Pragensis, quæ *Wenceslai* Regis mandato Consilium sapientissimum dedit de mediis ad novam Hæresim extirpandam opportunis, cujus hæc summa erat: Ut sub Pœnis gravissimis Ecclesiasticis & Civilibus provideretur, ut nullus e Regno Bohemiæ, de Sacramentis, Clavibus, Officiis, Censuris, Cæremoniis, Indulgentiis, Religiosis Ordinibus, aliisque Catholicæ Doctrinæ capitibus aliter teneret aut doceret, quam Ecclesia Romana: *Cum in omni materia Catholica & Ecclesiastica standum sit Fidei, Sententiæ & determinationi Sedis Apostolicæ & Ecclesiæ Romanæ*. Si quis de Clero Bohemico faveret sententiis, aut scriptis *Wickleffi* vel alterius, circa præmissa Romanæ Ecclesiæ Fidei ac Declarationi contrariis, ea defendendo, tenendo, vel asserendo, Censuris Ecclesiasticis emendaretur; si corrigi nollet, sæculari Judicio traderetur. Nullus sic errantem & Romanæ Ecclesiæ contrarium, quovis modo defenderet. Damnatos ab Universitate Pragensi, a Natione Bohemica, a Theologica Facultate ejusdem Studii 45. *Wickleffi* Articulos, & Regia etiam Auctoritate prohibitos, nemo asserere vel docere auderet sub pœna Excommunicationis latæ Sententiæ, quam Romani Pontifices inflixerant, & exilii a Regno quam Rex decreverat. Processus contra *M. Joannem Hus* factos, latasque Sententias, de voluntate Regis ab Archiepiscopo, Capitulo, & Clero Pragensi receptas, magna veneratione suscipiendas esse, illisque parendum: cum non sit Cleri Pragensis judicare si justa vel injusta sit *M. Joannis Hus* Excommunicatio & aggravatio a Curia Romana. Quamvis autem Consilium istud Pragensium Theologorum, a Doctoribus etiam Consultissimæ Facultatis approbatum, immo & publica receptum auctoritate, & in Bohemicam linguam translatum, Regisque jussu palam in Prætorio recitatum fuerit; tanta tamen fuit partis adversæ pervicacia, tam pertinax contradicendi studium, ut non solum in Concionibus clamitaverit inique *Joannem Hus* ejici, maleque contra eum Romanæ Curiæ Sententiis pareri; verom etiam variis Libris & Scriptis Consilium istud Theologicæ Facultatis impugnarint. Nam & Jurisconsultos quosdam invenerunt, qui causa ipsorom suscepta, non solum Scriptis, sed & publicis disputationibus, Pontificia simul & Academica contra *Hussum* & ejus Asseclas Decreta convellere tentarunt, atque refellere; maxime vero *Joannes de Jessenitz* Doctor Juris Canonici in Bononiensi Universitate, & *Fridericus Epinge* Baccalaureus, quos eo nomine *Joannes Hus* in Libro suo *De Ecclesia*, Cap. 22. commendat. Theologorum Pragensium consilium adversus Hussitas, Hussitarum contra illud Objectiones, & eorumdem Responsa Doctorum, legesis apud *Joannem Cochlæum* Lib. 1. Historiæ Hussitarum. Catholicos inter Doctores Pragæ eruditione & fidei tuendæ studio eminebant *Stephanus Paletz*, *Stanislaus de Znoymo*, & *Andreas Broda*, qui adversus *Joannem Hus* scripserunt.

Joannes Hus a Sacra Facultate Parisiensi damnatus.

VI. Sacra etiam Facultas Parisiensis, auctore *Gersone* Cancellario, *Joannis Hus* errores ex illius Tractatu de Ecclesia excerptos damnavit anno 1413. Hos Articulos & Censuram singulis inustam refert Auctor Hæreticus Historiæ *Joannis Hus* initio ejus Operum editæ. Primus, „ quod nullus præscitus est verus Papa, „ vel Dominus, vel Prælatus: *Error in fide & moribus, pridem & pluries condemnatus, tam contra Pauperes de Lugduno, quam Waldenses & Picardos. Cujus erroris assertio est temeraria, scandalosa, perniciosa, & in seditionem cujuslibet humanæ Politiæ vergens, cum nemo sciat an amore vel odio dignus sit, & in multis offendamus omnes. Ac proinde redderetur incertissima & instabilissima dominatio, si in Prædestinatione vel Charitate fundaretur: Nec recte jussisset Petrus servos subditos Dominis esse debere, etiam discolis.*

2. „ Quod nullus existens in peccato mortali, ex „ quo non est membrum Christi, sed diaboli, est „ verus Papa, vel Prælatus, vel Dominus. *Error ut prius*.

3. „ Nullus præscitus, vel existens in peccato mor-

„ tali, sedet in Apostolica Sede Petri, nec habet Potestatem Apostolicam in populo Christiano, *Error ut prius*.

4. „ Quod nulli præsciti sunt de Ecclesia, neque similiter qui non imitantur vitam Christi. *Error contra communem Doctorum acceptionem de Ecclesia*.

5. „ Illi soli sunt de Ecclesia, & sedent in Sede „ Petri, habentes Auctoritatem Apostolicam, qui Christum & Apostolos ejus imitantur in vita. *Error in fide & moribus, sicut in primo Articulo, plus arrogantiæ & temeritatis habens*.

6. „ Quod omnis bene vivens secundum vitam Christi potest, & debet docere palam & prædicare, etiam non missus, immo etiam si prohibitus sit a „ quocumque Prælato, vel excommunicatus; sicut „ eleemosynam dare deberet & posset, quia bona vita & scientia sufficienter mittunt eum. *Error temerarius, scandalosus, & totius Ecclesiæ Hierarchiæ confusivus*.

7. „ Quod Papa Romanus, alius a Christo, non est „ universalis Episcopus, nec Ecclesia Romana habet „ Primatum super alias, nisi forsan a Cæsare, non a „ Christo. *Error pridem & expresse reprobatus*.

8. „ Quod Papa non debet vocari Sanctissimus nec „ pedes ejus beati, nec sunt osculandi. *Error temerarius, irreverenter & scandalose publicatus*.

9. „ Quod secundum doctrinam Christi, non esset „ infligenda mors Hæreticis etiam incorrigibilibus, nec „ fulminandum est Interdictum. *Error Donatistarum, temerarie & scandalose assertus adversus Ecclesiasticæ Disciplinæ Leges datas, sicut arguit Augustinus*.

10. „ Quod subditi & plebei possunt & debent palam & publice detegere & redarguere vitia superiorum, veluti habentes potestatem a Christo, & „ exemplum a Paulo istud faciendi. *Error perniciosus, scandalosus, totius rebellionis & inobedientiæ, & seditionis, & maledictionis Cham inductivus*.

11. „ Quod solus Christus, non Papa, est Caput „ Ecclesiæ. *Error juxta communem Doctorum acceptionem, si omnis a Papa ratio Capitis excludatur*.

12. „ Quod sola Ecclesia, quæ continet Prædestinatos & bene viventes, est universalis Ecclesia, cui „ debetur obedientia a subditis. *Error, ut in prioribus Articulis continetur*.

13. „ Quod decimæ & oblationes Ecclesiæ factæ „ sunt publicæ eleemosynæ. *Error scandalosus, & contra determinationem Apostoli 1. ad Corinthios 9. positus*.

14. „ Quod Ecclesiastici male viventes possunt & „ debent per Laicos coerceri per subtractionem decimarum, & aliorum emolumentorum temporalium. *Error perniciosissimus & scandalosus, ad sacrilegia perpetranda sæculares inducens, & Ecclesiasticam subjiciens libertatem*.

15. „ Quod Benedictiones Ecclesiasticorum præscitorum, vel male viventium, sunt maledictiones & „ execrationes apud Deum, juxta illud: Maledicam „ benedictionibus vestris. *Error pridem a Divo Augustino contra B. Cyprianum & sequaces ejus reprobatus. Immo nec Magister Sententiarum, pro quanta favere videtur Articulo huic, tenetur a Magistris*.

16. „ Quod istis & multis temporibus nullus fuit „ verus Papa, nulla vera Ecclesia aut fides, quam „ Romanam dicimus, quibus esset obediendum; sed „ fuerunt & sunt Antichristi, & Synagoga Satanæ. *In hoc Articulo error, pro quanto in illis prioribus deductus est & fundatus*.

17. „ Quod omnis datio pecuniæ Ministris Ecclesiæ „ facta in ministratione spiritualium, reddit Ecclesiasticos hujusmodi Simoniacos. *Error scandalosus & temerarius; quoniam potest aliquid dari talibus Ecclesiasticis titulo sustentationis Ministri, absque venditione & emptione spiritualis rei*.

18. „ Quod excommunicatus a Papa, si appellet „ ad Christum, præservatur, ut excommunicationem „ non timeat, sed spernat. *Error temerarius & arrogantia plenus*.

19. „ Quod omnis actus extra charitatem est peccatum. *Error alias Parisiis reprobatus & revocatus, præsertim si intelligatur de mortali peccato. Non enim oportet quod carens gratia peccet assidue noviter, licet assidue sit in peccato*.

Addebant Theologi Parisienses: „ Asserimus quod „ Articuli prælati notorie sunt hæretici, & ut tales „ judicialiter condemnandi, & ne cæteros inficiant, „ sunt diligentissime cum doctrinis suis scandalosissimis extirpandi. Etsi enim videntur habere zelum „ contra vitia Prælatorum & Clericorum, nimis, proh „ dolor! abundantium, non tamen secundum scientiam. Zelus itaque discretus ea peccata quæ videt „ in domo Dei se non posse tollere, tolerat & gemit. „ Non possunt autem per vitia & errores bene tolli „ vitia, quia non in Beelzebub ejiciuntur Dæmonia, „ sed in digito Dei, qui est Spiritus Sanctus, volens „ ut in corrigendo modus habeatur prudentiæ. Prælati & Principes obligentur sub pœnis Juris gravibus & expressis, vigilanter se habere adversus errores prædictos & similes, & suos assertores. Attendatur quod error, cui non resistitur, approbatur, „ nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto „ facinori desinit obviare.

Joannes Hus ad Concilium Constantiense proficiscitur.

VII. Ad Constantiense Concilium, pridie Idus Augusti anno 1414. congregatum se conferre decrevit *Joannes Hus*, Sigismundi Romanorum & Bohemorum Regis mandato, suaque de propriis opinionibus, & ingenii viribus, ad earum defensionem, confidentia incitatus. Jamjam autem abiturus, ad Basilicas omnes, Monasteria, Collegia, Pontemque Pragensem, Programma affigere ausus est Latina, Bohemica, & Germanica lingua, quo significabat, se Concilio adstiturum, ibique doctrinæ suæ rationem redditurum: si tamen Archiepiscopus juberet, se in Provinciali Synodo compariturum, & Episcoporum aliorumque Virorum Ecclesiasticorum Pragensis Provinciæ Sententiam auditurum. Secundum hæc, ad Regem, Reginam, Aulæque Proceres ac Magistratus literas dedit, quibus ipsis notum fecit, se ab Archiepiscopo petiisse ut audiretur, & quæstio de Hæresi, quam sui æmuli affingebant, haberetur. Porro inventum esse neminem, qui ipsum *Hus* accusaret; Ideoque jussisse Archipræsulem, ut ille cum suis in pace abiret. Proinde rogabat Regiam Majestatem, Reginam, eorum Consiliarios, & reliquos Magistratus, ut ejus rei testimonium sibi concedere dignarentur. Nullum hujusmodi testimonium, sed Salvum-conductum dumtaxat obtinuit. Mox a *Nicolao* Nazareno Episcopo, in urbe Diœcesique Pragensi Fidei Inquisitore, per *Joannem de Jessenitz* Procuratorem suum petiit, ut indicaret, an ipsum *Joannem Hus* alicujus Hæreseos Auctorem aut Defensorem nosset. Episcopus respondit, Se cum illo sæpius collocutum, ipsum Virum Fidelem & Catholicum probavisse, nihilque in eo animadvertisse, quod hæresim saperet vel errorem. Quocirca publicum ea de re instrumentum a Notario fieri curavit *Hussi* Procurator. Qui deinde ad generalem Cleri Conventum in Curia Archiepiscopali congregatum se contulit: petens ut eum in Cœtum admitteretur, ab omnibus & singulis Regni Prælatis quæsiturus, an hæresim ullam aut errorem ipsi imputare vellent aut possent: cum vero ipsi negatus fuisset ingressus, solemnem Protestationem coram Notariis edidit, ejusque juridicum Instrumentum sibi tradi petiit. Congregatis eodem tempore Pragæ Comitiis, *Joannes Hus* ab Equitibus, ac Civitatum Deputatis impetravit, ut Archipræsulem in suum Nationisque totius honorem interrogandum curarent, an ipsum Magistrum *Joannem* Hæresim docere aut docuisse compertum haberet. Si affirmate responderet, se ad satisfactionem & obedientiam comparatum. Archipræsul ab Ordinibus rogatus, respondit; *Joannem Hus* alicujus hæreseos erroris*ve* reum se nescire, sed Romani Pontificis Excommunicatione devinctum, a qua absolvi ipsum necesse esset. De quo Archiepiscopi Responso Patentes Literas Barones aliqui ipsi tradiderunt. Instrumenta, quorum hic mentionem fecimus, legere est in Historia *Joannis Hus* ab Anonymo Hæretico edita, & ejus Operibus præmissa. His Instrumentis præsidiisque munitus *Hussus*, lætus itineri se commisit, libero regioque comitatu, data ad suos asseclas Pragæ relictos Epistola sexto Idus Octobris, quæ inter ejus Epistolas secunda est. Cum Norimbergam pervenisset, Programma affixit, quo se Constantiam tendere significabat, Fidei suæ rationem redditurum, & omnibus, qui ipsum erroris accusare vellent, responsurum. Idemque præstitit in omnibus civitatibus quas pertransiit. Constantiam appulit tertio Nonas Novembris. Die sequenti, *Joannem Chlumæum*, & *Henricum Lazembogium* ad Summum Pontificem misit, qui *Joannem Hussum* Cæsareo munitum Diplomate, quo tutus esset, ad Concilium Œcumenicum a se deductum nuntiarunt: proinde a sua Sanctitate petere, ut ille absque periculo & impedimento Constantiæ degere posset. Annuit Pontifex *M. Stephanus Paletz* & *Michael de Causis*, contra *Hussum* causæ Promotores adfuerunt.

Ejus audacia & artes.

VIII.

VIII. Undecimo Nonas Decembris, *Joannes* XXIII. Pontifex Maximus *Joanni* Patriarchæ Constantinopolitano, *Joanni* Lubecensi, & *Bernardo* Civitatis Castelli, Episcopis, in Synodo Constantiensi præsentibus, Causæ *Joannis Hus* cognitionem sua & Synodi auctoritate commisit, ut habita quæstione, de re universa ad Concilium referrent, a quo Decretoria Sententia ferenda esset. Pontificias literas refert *Odoricus Raynaldus* ad annum 1414. Num. 10. *Husso* prohibitum a Judicibus ne urbe excederet. Tum ille animadvertere cœpit, longe aliam ibi esse disceptandi rationem in Cœtu Doctissimorum ex omni Natione Hominum, quam Pragæ in Capella *Bethleem* coram Laicis novarum rerum cupidis, aut in Aula coram Nobilibus Ecclesiasticorum censuum avidis, aut etiam in foro coram minaci & Clero infesta plebe. Vidit item a Clero Bohemico adversarios, ad accusandum paratos & instructos. Quocirca fugam meditari cœpit, facile considerans, se Patribus de tot excitatis in Bohemia adversus Clerum & omnem Religionem malis satisfacere non posse nisi per publicam revocationem & pœnitentiam, ubi adversariis suis liceret libere, & absque omni metu & furentis plebis terrore, dicere & testari contra ipsum de omnibus injuriis Clero, Templisque, & universæ Religioni Catholicæ per ejus Prædicationes illatis. Accessit altera fugiendi causa. Sacrum in hospitio sæpe faciebat *Hussus*, licet excommunicatus; plebs frequens eo concurrebat. Id ubi ad Episcopum Constantiensem relatum est, ipse pro sui muneris ratione illi prohibuit ne Sacris operaretur. Non paruit superbus Hæresiarcha. Populo diras intentavit Præsul vigilantissimus, si ejus Missam audiret. Tum de fuga cogitavit, & Dominica tertia Quadragesimæ, celebrata Missa, in curru straminibus undique tecto, & ea die ex urbe educendo se abscondit. De illius fuga monitus Consul civitatis, Equites misit, qui fugientem insequerentur, & Constantiam reducerent. Repertus est in curru latitans, & ab *Henrico Latzenbok* equo impositus, ad Pontificem in Palatium adductus. Illa vero liberi commeatus literis fretus vinciri se ac detineri posse negabat, nisi publica fide violata. Cui Vir Nobilis respondit: *Ita Decretum est ut causam tuam justifices, ne sit hæreticus, aut moriaris ni revoces*. Tum *Hussus* ex equo desiliens, in circumstantem Bohemorum multitudinem se proripuit. At ab Apparitoribus Papæ & Cardinalium comprehensus, in Palatium adductus est: ac post octo dies in Ædibus FF. Prædicatorum custodiæ traditus. Quem Viri eruditi, qui Synodo frequentes aderant, sæpe convenerunt, ut eum ad saniorem mentem revocarent, & errorum ejurationem illi suaderent. Ita referunt *Ulricus Reichental* in Historia Concilii Constantiensis Teutonice scripta, *Joannes Nauclerus* Præpositus Tubingensis, Parte 2. Chronici, Generatione 48. & *Joannes Cochlæus*, Lib. 2. Historiæ Hussitarum.

Joannis Hus fuga.

IX. Apud Fratres Prædicatores detentus *Joannes Hus*, quinto Nonas Martii pene evasit, unde in alium carcerem translatus, ad diem usque Mercurii proximam ante Dominicam Palmarum, pii argumenti quosdam libellos conscripsit, scilicet *De Decalogo*, *De Dilectione & Cognitione Dei*, *De Matrimonio*, *De Pœnitentia*, *de Tribus hostibus hominis*, *De Oratione Dominica*, *De Cœna Domini*, &c. Eo die *Joannes* XXIII. clam mutatis vestibus Constantia se subduxit, Judicium metuens, quo post fugam, propter plura accusationum capita exauctoratus est. Hæc causa fuit *Joannem Hus* in alium carcerem transferendi. Ministri enim Pontificii, quibus illius custodia demandata fuerat, Dominum secuti, claves carceris *Sigismundo* Romanorum Regi & Synodo reddiderunt. *Joannes Hus* in Constantiensis Episcopi potestatem traditus, in Arcem quamdam trans Rhenum deportatus est, diligentius custodiendus.

X. Interea *Hieronymus* Pragensis pridie Nonas Aprilis 1415. Constantiam pervenit, cum ut doctrinam ostentaret, tum ut Magistro suppetias ferret: Programmaque affixit, quo *Sigismundo* Imperatori & Synodo significabat, se comparatum esse ad doctrinam suam coram universo frequentique Concilio defendendam, & Adversariorum sibi hæresim affingentium calumniam diluendam. Mox a Concilio sextum considente in Jus vocatus est, data fide publica, die XVII. Aprilis, dictaque ipsi dies ab hinc decima quinta, infra quam Synodo se sisteret, ad ea quæ ipsi in causa Fidei objicerentur, responsurus, recepturus & facturus in omnibus justitiæ complementum. Die 18. Aprilis qua Synodus septimum considebat, Literæ Citationis Magistri *Hieronymi* valvis Conventus FF. Minorum, Ecclesiæ Sancti Stephani & Beatæ Virginis affixæ sunt, & publicum ea de re confectum Instrumentum, agente *Henrico de Piro* Concilii Promotore. Sessione VIII. die Sabbati quarta Maii celebrata, universi damnandæ doctrinæ ac memoriæ *Joannis VVickleffi* Defensores iterum in Jus vocati. XLV. illius Articuli, nec non alii 260. Librique, Dialogus præsertim & Trialogus, Concilii Sententia damnati: *VVickleffi* ut pertinacis Hæretici nomen ac memoria diris omnibus devota: decretum ut ipsius ossa exhumarentur & comburerentur. Commissarii a Concilio deputati, qui *Joannis Hus* doctrinam contraherent. Dum hæc aguntur, *Hieronymus Pragensis* fugam arripit, a Præfecto *Joannis* Comitis Palatini in itinere intercipitur, vinctus Constantiam devehitur, in carcerem conjicitur. Bohemi Proceres ad Cæsarem, & ad Synodum scribunt pro *Hussi* libertate, ipsum inauditum carcere damnatum conqueruntur, violatam Salvi-conductus fidem. Orant Patres ut hanc ipsi servari curent; in causam illius diligenter incumbant, nec moras trahant incommodas: Imperatori supplicant ut Fidei publicæ *Husso* datæ memor, efficiat, ut a carcere eductus, publice audiatur. Meræ calumniæ Bohemorum literis continebantur. *Husso* fides violata non fuerat, Concilii Judicio sese fuga subtraxerat, Sacris contra Ecclesiæ interdictum fuerat operatus. Errores *VVickleffi* plerosque pertinaciter defendere pergebat; nec spes affulgebat ulla correctionis. Præsens subversionis Fidei ac Religionis in tota Bohemia, Moravia, & Polonia periculum metuebatur, si redire sineretur *Hussus* non ejuratis erroribus, nec finita causa. Ideo arctiori carcere detentus est. Nonis Junii, septimoque & sexto Idus, testes legitimi contra ipsum audiri, libri ipsi exhibiti: Errorum capita ex Libris de Ecclesia, contra *Stephanum Paletz*, & *Stanislaum Znoyma* excerpta, ipsi oblata; ejus ad singula responsiones auditæ. Cardinalium Cameracensis & Florentini, aliorum Præsulum, ac eruditorum virorum, *Sigismundi* Imperatoris mandatis, consiliis, precibus, adhortationibus adduci non potuit ut errores ajuraret. Tum Imperator his verbis Patres est allocutus: „ Quos errores hic homo docuerit, audivistis, qui omnes, quantum quidem judicare possum, „ & immo & singuli, morte digni sunt. Nisi eos adjurarit, comburendum curate; si ejuraverit, nolite „ committere, ut in posterum suggestum conscendat, „ neve in Bohemiam revertatur; ab errore namque „ suo non recedet, sed suorum ope plura capita inveniet. Tum vero Capitum suorum refutationem, „ addito simul Mandato de iis extirpandis, totaque „ illa doctrina prorsus delenda, in Bohemiam & Poloniam mittendam: Denique & Asseclas sive Sectatores suos, imprimis Hieronymum, severe puniendos censeo. Hussus in carcerem reductus, Epistolas quasdam ad Bohemos suos scripsit, quæ Latinitate donatæ, etiamnum inter ejus Opera, Tom. I. leguntur.

Causa Joannis Hus examinatur.

XI. Die Sabbati sexta Julii, Hæresiarcha ad Synodum decimum quinto considentem adductus est, sententiam damnationis excepturus. Ejus Articuli recensiti, probationes ac testimonia contra ipsum allata publice lecta. Tum Sacra Synodus lata Sententia hujusmodi Articulos, quos ipse in publica Audientia coram Patribus confessus fuerat in suis Libris & Opusculis contineri, non esse Catholicos, nec ut tales docendos pronuntiavit, *Sed ex iis plures esse erroneos, alios scandalosos, aliquos piarum aurium offensivos, plurosque eorum esse temerarios, & seditiosos, nonnullos notorie Hæreticos, & jamdudum a Sanctis Patribus & Generalibus Conciliis reprobatos & damnatos*: Ipsosque prædicari, doceri, aut quovis modo approbari prohibuit. Libros ejusdem quocumque Idiomate conscriptos igne damnavit, contra damnatæ istius doctrinæ defensores & fautores ab Inquisitoribus hæreticæ pravitatis ex Canonum severitate agi præcepit. Ipsum vero *Joannem Hus* pronuntiavit ac declaravit fuisse & esse verum & manifestum Hæreticum, *pertinacem & incorrigibilem*, ideoque ipsum ab *Ordine Sacerdotali, cæterisque Ordinibus deponendum & degradandum*. Quod munus Archiepiscopo Mediolanensi, Feltrensi, Astensi, Alexandrino, Bagarensi & Vaurensi Episcopis demandatum est. Qua profanatione & execratione solemni ritu peracta, ipsum Curiæ seculari relinquendum Synodus decrevit his verbis: *Hæc Sancta Synodus Constantiensis Joannem Hus, attento*

Joannis Hus damnatio, & supplicium.

quod Ecclesia Dei non habeat ultra quid gerere valent Judicio sæculari relinquere, & ipsum Curiæ sæculari relinquendum fore decerait. Solemniter exauctoratus, & chartacea mithra redimitus, in qua dæmones depicti erant, cum hac inscriptione, *Hæresiarcha*, Civili Potestati relictus est. Tum Imperetor *Ludovico* Bavariæ Duci jussit, ut *Joannem Hus* ab Episcopis receptum lictoribus traderet. A quibus cum ad locum supplicii duceretur, pro foribus Templi Libros suos comburi cernens, subrisit. Cum ad locum supplicii pervenisset, Psalmos trigesimum & quinquagesimum-primum læto & hilari vultu recitavit, versum illum non semel repetens: *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum*. His scilicet adulterinæ pietatis signis se insontem persuadere, sectatores suos in hæresi confirmare, Martyris nomen apud ipsos consequi studebat, ambiebat. Priusquam bustum incenderetur, Dux Bavariæ & Dominus *De Popenheim* adequitarunt, ipsum admonentes, ut tandem errores ajuraret, vitæque suæ parceret. Qui cum operam perderent, ignis admotus est. Ubi ardere cœpit, hunc versum cecinit: *Jesu Christe Fili Dei vivi, miserere mei*: quem vix flamma & fragor ignis intercipere potuit. Cineres ejus in Rhenum projecti, ne ab ejus Sectatoribus in Bohemiam superstitiose deferrentur, & colerentur.

In Hieronymum Pragensem habita quæstio.

XII. Sumpto de *Joanne Hus* supplicio, Synodus in causam *Hieronymi de Praga*, Magistri Artium, Laici, ejusdem *Hus* discipuli, sed ipso longe facundioris, incubuit. *Petrus de Alliaca* Cardinalis Cameracensis, aliique a Concilio Deputati, ipsum ad Ecclesiæ Fidem revocare conati sunt, & ad errorum abjurationem adducere. Nec infelices eorum conatus aut inutiles labores videbantur, siquidem sese paratissimum exhibuit ad abjurandam omnem hæresim, præsertim VVickleficam & Hussiticam, de quibus accusabatur, & ad Fidei Professionem edendam, quam ipsi Judices a Synodo deputati descripserunt. Id præstitit Sessione 19. celebrata die 23. Septembris 1415. sub hac formula:

Ejus Retractatio.

„ Ego Hieronymus de Prags, Artium liberalium
„ Magister cognosceas veram Catholicam Ecclesiam,
„ & Apostolicam Fidem, anathematizo omnem hæresim, præcipue eam de qua hactenus infamatus fui,
„ & quam præteritis temporibus dogmatizaverunt &
„ tenuerunt Joannes VVicklef & Joannes Hus in suis
„ Opusculis, Libellis, seu Sermonibus ad Clerum &
„ ad populum, propter quam causam prædicti cum
„ suis erroribus & dogmatibus damnati sunt ab hac
„ dicta Constantiensi Synodo tamquam Hæratici, &
„ eorum doctrina prædicta sententialiter damnata,
„ maxime in nonnullis Articulis expressis in Sententiis per hoc sacrum Concilium contra ipsos latis.
„ Consentio autem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ & Apostolicæ Sedi, & huic Sacro Concilio, & ore ac corde profiteor in omnibus & per omnia, & præsertim
„ de Clavibus, Sacramentis, Ordinibus, Officiis, &
„ Censuris Ecclesiasticis, Indulgentiis, & Reliquiis
„ Sanctorum, & Ecclesiastica libertate, ac etiam de
„ Ceremoniis, & aliis omnibus ad Religionem Christianam pertinentibus, pront ipsa Romana Ecclesia
„ & Apostolica Sedes, & hoc sacrum Concilium profitantur; & specialiter quod prædictorum Articulorum plures sunt notorie hæretici, & dudum a Sanctis Patribus reprobati: quidam vero blasphemi, alii
„ erronei, alii scandalosi; quidam vero etiam piarum
„ aurium offensivi, & ipsorum nonnulli temerarii &
„ seditiosi; & pro talibus fuerunt prædicti Articuli
„ per hoc sacrum Concilium & nuper condemnati &
„ inhibitum omnibus & singulis Catholicis sub Anathematis interminatione, ne de cætero dictos Articulos, seu eorum aliquem aliquis prædicare, dogmatizare, vel tenere præsumeret „. Porro se *Joanni Hus* adhæsisse, & favisse declaravit, quod existimaret, virum bonum esse, nec in aliquo obviare Traditionibus Sanctæ Matris Ecclesiæ ac Sanctorum Doctorum; immo cum sibi fuissent oblati Articuli ab *Husso* asserti, & a sacro Concilio damnati, prima fronte non crediderat illius esse saltem in ea forma. At Libris ipsius sibi exhibitis damnatos Articulos, sub ea forma, qua damnati fuere, se propria illius manu conscriptos reperisse. Quamobrem se compertum habere, ipsum, & ejus doctrinam, cum eorum Sectatoribus, ab hoc sacro Concilio fuisse jure damnatam & reprobatam *tamquam hæraticam & insanam*. Et hæc omnia se pure & sine conditione asserere professus est, ut plene persuasum de Sententiarum a Sancta Synodo in *Joannem VVicklef* & *Joannem Hus* latarum æquitate: seque illis Sententiis tamquam devotum Catholicum, in omnibus & per omnia humiliter consentire & adhærere. Insuper juravit per Sanctam Trinitatem, & Sancta Evangelia præsentia, se *in veritate Ecclesiæ Catholicæ semper & sine dubio permansuram, & omnes qui contra hanc Fidem venirent*, eum dogmatibus suis æterno Anathemate dignos pronuntiavit. Tandem se *Canonum severitati, & æternæ pœnæ* obnoxium ac obligatum fore, *si aliquid contra sentire aut prædicare aliquando præsumeret*. Quam Abjurationem ac Professionem propria manu conscripsit, & subscriptione firmavit. Eadem Professione veniam erroris deprecatus est, quod Ecclesiæ Triumphanti fidem tribuisset. Cum etiam in propugnanda Universalium realium opinione figuram triangularem induxisset quam *Scutum Fidei* appellabat, ita rem in Catholicum sensum traxit, ut Divinam Essentiam in tribus personis adumbraret: qui Articulus Catholicæ veritatis Clypeus sit & fundamentum.

Hieronymi Pragensis ceu relapsi damnatio, & supplicium.

XIII. Die 27. Aprilis, anni 1416. habito omnium Nationum Cœtu *Hyeronymus Pragensis* in hæresim relapsus, a Concilii Promotore ob pestiferam *VVicklessi* doctrinam in Hungaria, Bohemia, Polonia, Germania disseminatam delatus est. Multa ipsi crimina primum objecta, quæ partim negavit, partim variis effugiis eludere visus est. Alia addita criminationum capita, scilicet quod profectus in Angliam, *VVicklessi* libros exscripsisset, juventutem infecisset, lectione damnatorum hujusmodi librorum commendata; Bohemiam ac Moreviam ad spargendam hæresim lustrasset; *Joanni Hus, Christannio, & Jacobella*, impiis hominibus se adjunxisset, asseclas in Clerum & alios Catholicos Pragenses summo fidei damno, & piorum offensione insigni concitasset; *VVicklessum* ut Sanctum coluisset, ejusque imaginem gloriæ diademate redimitam proposuisset adorandam. Accusatus est præterea quod Concionatores Catholicos crudelissima persecutus esset, Carmelitas onerasset vinculis, *Nicolaum* Ordinis FF. Prædicatorum Professorem e Monasterio raptum, vinctumque in Mulraviam flumen præcipitasset. Quod Pragæ & in aliis Bohemiæ locis prædicasset in Sacramento Altaris post consecrationem remanere panem materialem, nec in eo esse vere Christum, sed ut signatum in signo. Quod doctrinam *VVicklessi* ut verum Evangelium coluisset; eam tenentibus cœlestem felicitatem promisisset. Quod verba Consecrationis in cantilenas, quibus Laici conficere se se posse Corpus Christi gloriabantur; Quod Scripturam Sacram in Rithmos redegisset ad factionis ostentationem. Quod Sacramentorum confectionem & administrationem Laicis tribuisset, contemnendam Excommunicationem docuisset, Indulgentiarum vim impugnasset, easque a Summo Pontifice concedi posse negasset, Laicis licere docuisset ubique sine Papæ, Episcopi, Curati, aut cujuscumque alterius licentia & missione verbum Dei publice prædicare; & hanc sibi auctoritatem Laicus ipse arrogasset. Ob crimina & errores Jussione Regia captus evasisset, Pontificia Indulgentiarum Diplomata meretricum uberibus per ludibrium appendi, & publice comburi curasset. Contra sacratum Imaginum picturam cultumque declamasset. Quod imaginem Crucifixi stercoribus fœdasset; Reliquias Sanctorum conculcasset. Quod VVicklessitarum & Hussitarum conventicula veram esse Ecclesiam asseruisset; scelestos Hussitas, ob seditiosam pertinaciam supplicio affectos, ut Martyres coli procurasset. Addidit Concilii Promotor nullam ejus promissis fidem adhibendam, qui fidem fallere, Judicibus illudere, priores errores capta fuga repetere solitus esset. Vocatum olim in Judicium ab Academia Parisiensi, cum ibi Deo redigendæ in nihilum alicujus creaturæ potentiam detraheret, erroremque revocare jussum, fuga evasisse: Fuga simili delusisse Heidelbergenses, cum refertas hæresibus Theses proposuisset. A Cracoviensibus etiam Academicis ob pestiferum doctrinæ virus quæsitum, inde avolasse: Profectum postea Viennam, atque hæresis infamia inustum, & in custodiam traditum: cum ad meliorem frugem se rediturum simulatis verbis spopondisset, violata fide Pragam abiisse. Ut suos in perfidia confirmaret publicis Scriptis propositis Pragæ, & in aliis Bohemiæ locis, vulgasse se Constantiam iturum ad *VVicklessi* ejusque Sectatorum doctrinam defendendam: Nec alia de causa Constantiæ inscriptis Romanorum Regi & Concilio literis sparsisse ad purgandam suspicionem hæreseos, & incorruptæ fidei puritatem illustrandam se accessisse, quam ut fictæ Religionis umbram consectaretur, ad suosque reversus victoriam se de piis viris reportasse, ac *VVicklessi* Sectam Catholicam esse jactaret. Quod denique post revocatos anno superiori in Sessione publica errores, cum esset pollicitus literas ad *Venceslaum*

lum Regem, Reginam & Academiam Pragensem se daturom, quibus *Joannem Hus* & *VVickleffum*, una cum ipsorum impia doctrina jure damnatos profiteratur, promissis defuisse; immo postea *Joannem Hus* in Cœlum laudibus axtulisse; ad hæreses autum objectas, etsi publico Scripto se responsurum jam antea vulgasset recusasse præstito juramento respondere.

XIV. Diebus 23. & 26. Maii *Hieronymus Pragensis* in Judicium adductus, & legitimis testimoniis, quin & propria confessione de plerisque errorum & criminum capitibus convictus est: solo enim incendii metu se *VVickleffi* & *Joannis Hus* errores ejurasse, injuriaque & contra conscientiam se illorum doctrinam & personas damnasse professus est, cum doctrina *Joannis Hus* sancta, & justa esset ejus vita, cui vellet inhærere, uamque constanter tueri. *VVickleffi* tamen opiniones sa probare ac tenere negavit quoad Sacramentum Altaris, immo quatuor Ecclesiæ Doctorum, & totius Ecclesiæ communem de Transsubstantiatione panis & vini in corpus & Sanguinem Christi sententiam tenere se & propugnare contestatus est.

XV. Sessiona vigesima prima Concilii Constantiensis, quæ trigesima-prima die mensis Maii, anno 1416. celebrata est, post Orationem ab Episcopo Laudansi habitam, quam apud Cochlæum Lib. 3. Historiæ Hussitarum legere est, lata fuit in *Hieronymum* Pragensem damnationis sententia, oua ipsum Sancta Synodus *Hæreticum & in hæresim relapsum, excommunicatum, anathematizatum pronuntiavit, & declaravit, atque damnavit*. Observationa dignum est quod ea in Sentantia habetur, *Hieronymum de Praga* da Sacramanto Altaris & Transsubstantiatione cum Ecclesia, non cum *VVickleffo* sensisse. *Unde idem Hieronymus de Sacramento Altaris, & Transsubstantiatione panis in Corpus, professus est se tenere & credere, quod Ecclesia tenet; dicens, se plus credere Augustino, & cæteris Ecclesiæ Doctoribus quam Joanni VVicklef, & Joanni Hus*. Addunt acta MSS. Congregationum Generalium, ipsum professum esse *se tenere ceremonias Missarum, Officiorum, Jejuniorum*. Item ad objecta de Sacrarum Indulgentiarum contemptu, ipsum respondisse tradunt; *Indulgentias Papæ & Cardinalium esse rite datas & concessas, & fieri posse. Sed Indulgentias* execratus ust *prout* (inquiebat) *Papa communiter mittit Quæstuarios suos ad partes alienas, ad extorquendum denarios S. Petri*, illasque *non Indulgentias, sed abusiones Indulgentiarum asserebat*.

XVI. Lata Sententia, Potestati sæculari traditus *Hieronymus* Pragensis, & ipsa die combustus est, non minoribus adulterinæ pietatis signis datis, quam dederat *Hussus*. De utriusque supplicio scribit *Æneas Sylvius* Historiæ Bohemicæ Cap. XXVI. *Pertulerant ambo constanti animo necem, & quasi ad epulas invitati, ad incendium properarant, nullam emittentes vocem, quæ miseri animi posset facere indicium. Ubi ardere cœperunt. Hymnum cecinere, quem vix flamma & fragor ignis intercipere potuit. Nemo Philosophorum tam forti animo mortem pertulisse traditur, quam isti incendium.*

De morte *Hieronymi Pragensis* elegantem *Epistolam ad Leonardum Aretinum* scripsit *Poggius* Florentinus. „ Stabat, (*inquit*) impavidus, intrepidus, mortam „ non contemnens solum, sed appetens, ut alterum „ Catonem dixisses. Non laudo, si quid adversus Ec„ clasiæ instituta santiabat: doctrinam admiror rerum „ plurimarum, scientiam, eloquentiam, dicendi sua„ vitatem, & argutiam respondendi. Sed vereor, ne „ hæc omnia in pestem suam sibi fuerint a natura „ concessa. Datum deinde spatium pœnitendi biduo. „ Multi ad aum accessere Viri Eruditissimi, ut ipsum „ a Sententia sua dimoverent; inter quos Cardinalis „ Florentinus eum adiit, ut eum flecteret ad rectam „ viam; sed cum pertinacius in erroribus persevera„ ret, per Concilium hæresis damnatus est, & igne „ combustus. Jucunda fronte, & alacri vultu ad exi„ tum suum accessit: non ignem expavit, non tor„ menti genus, non mortis, Nullus umquam Stoico„ rum tam constanti animo, tum forti mortem per„ pessus, quam ipse appetiisse videtur. Cum venisset „ ad locum mortis, sa ipsum exuit vestimentis; tum „ procumbens flexis genibus, veneratus palum ad quem „ ligatus fuit, primum funibus madentibus cum cate„ na nudus ad palum constrictus fuit: Ligna deinde „ circumposita pectore tenus, non minuscula, sad „ grossa, paleis interjectis: tum flamma adhibita, ca„ nere cœpit Hymnum quamdam, quam fumus & „ ignis via interrupit. Hoc maximum constantis ani„ mi signum cum lictor ignem post tergum (*ne id* „ *videret*) injicere vellet: *Huc*, inquit, *accede, & in conspectu accende ignem*: si enim illum timuis„ sem, numquam ad hunc locum, quem effugiendi „ facultas erat, accessissem. Hoc modo vir (præter „ fidam) egregius ast consumptus. Vidi hunc exitum, „ singulos actus inspexi. Sive perfidia sive pertinacia „ id egerit; certe ex Philosophiæ Schola interitum „ viri descripsisses. *Epistola* Poggii *data* Constantiæ „ III. Kalendas Junii, qua die hic Hieronymus hæ„ resis pœnas luit. *De qua* Poggii *Epistola* Aretinus „ *ad ipsummet prudenter rescribit Lib. IV.* Nudius ter„ tius exemplum habuimus litararum tuarum a Bar„ baro missum de Hieronymi supplicio; quarum ele„ gantiam valde probo; tu illi tamen plus tribuere „ videris quam ego vellem, atsi judicium tuum sæpe „ purgas . . . Ego cautius hisce de rebus scribendum „ puto „. Hæreticus Auctor *Belli Hussitici* ipsum damnationis tempore vaticinatum fuisse scribit his verbis: *Ad justissimum Jesu Christi Tribunal appello, ut centesimo ab hinc anno mihi ad hæc respondentis*. Quidam similia ab *Husse*, cippum Septentrionem versus vidente, his verbis prædicta asserunt: *Hodie Anserem assatis, centum ab hinc annis aiveus Cygnus veniet, quem occidere non valebitis*: Idque vaticinium in *Luthero* impletum. Verum hujusmodi vaticinia falsa esse probat silentium coævorum Scriptorum, *Poggii*, *Æneæ Sylvii*, Hussitæ Historici, qui Vitam *Joannis Hus* initio ejus Operum editam scripsit, & Ralationum de illius & *Hieronymi Pragensis* morte, quæ in fine eorumdem Operum editæ sunt.

XVII. Subdit *Æneas Sylvius* cap. XXVI. Historiæ Bohemicæ: „ Cineres exustorum, ne raperen„ tur a Bohemis, in lacum * projecti. Discipuli „ eorum ea eo solo terram abstulere, in quo ignis „ fuit, eamque veluti sacram secum attulere in pa„ triam. *Joannes* ac *Hieronymus* apud Bohemos Mar„ tyrum honores meruare, nec minores quam *Petrus* „ & *Paulus* apud Romanos habiti. Nuntiatis enim „ in Bohamia, quæ Constantiæ gasta fuerunt de *Joanne* ac *Hieronymo*, discipuli eorum sequacesque omnes „ in unum convenientes, mamoriam in primis de„ functorum consecrant, calabrandamque quotannis „ decernunt. Exin per amicos nonnullas sibi Eccle„ sias a Rege tradi poscentes extorquent, in queis „ suæ prædicare plabi, Sacramentaque ministrare li„ bere possint. Neque hoc modo contenti, apud „ Sclavoniam nobile Monasterium FF. Prædicatorum „ extra mœnia oppidi situm a fundamentis dejiciunt: „ eaque prima Ecclesiarum ruina in Hussitarum novi„ tate facta, decurritur in Ecclesia Monasteriaque „ passim; nobilissima Superis dicata Templa ferro „ atque igne vastantur.

* *Alii in Rhenum projectos scribunt.*

XVIII. Hussitarum hæresim damnavit rursus *Martinus V.* seu damnationem a Synodo Constantiensi factam promulgavit & aaccutus ast, formamque habendæ in ipsos quæstionis Archiepiscopis, Episcopis, & Inquisitoribus hæreticæ pravitatis Encyclicis Literis, quæ incipiunt, *Inter cunctas*, datis Constantiæ octavo Kalendas Martii, anno 1418.

§. IV.

De Gestis a Synodo Basileensi in Causa Bohemorum, & de Compactatis Pragensibus.

I. POst immane bellum a Thaboritis *Zischa* Duce, & Orphanis Duce *Procopio Rasa*, in *Sigismundum* Imperatorem & Catholicos gestum, post sacram expeditionem a *Martino V.* Pontifice Maximo in ipsos institutam, & prælium contra illos infeliciter commissum, Julianus Cardinalis, Sedis Apostolicæ Legatus, a Bohemia cum Exercitu fugatus, Basileam se contulit, ibique Concilium Œcumenicum a Concilio Senensi, nec-non a Summis Pontificibus *Martino V.* & *Eugenio IV.* indictum calabravit anno 1431. *Sigismundus* Imperator scriptis ad Bohemos literis, ipsos hortatus est ut eo proficiscerentur; nec plus sapere vellent, quam Ecclesia Catholica. Auditurum benigne Conventum rationes eorum; operam darent ut cum Synodo Ecclesiam universam repræsentante de Religione convenirent. Scripsit & ipsa Basilensis Synodus Bohemis, ut Oratores mitterent, fidei suæ rationem expossituros, plenissimamque itineris in eundo, manendo, ac redeundo securitatem, qualem optare poterant, ipsis concessit; nec-non & libertatem in Generali Concilio proponendi Articulos quatuor, quorum elucidationem urgebant, Scripturis Sacris, Sanctorumque Doctorum verbis, sententiis, & rationibus

nibus eos declarandi, astruendi, persuadendi, & (si opus esset) etiam ad objecta Concilii Generalis respondendi; vel cum aliquo vel aliquibus de Concilio super eisdem disputandi, aut conferendi; servatis modis & forma, de quibus inter Legatos Synodi & Bohemorum Oratores in Egrensi Civitate convenerat; maxime quod in causa quatuor Articulorum ab eis proponendorum, Lex Divina, praxis Christi, Apostolica & Ecclesiæ Primitivæ, una cum Conciliis, Doctoribusque fundantibus se veraciter in eadem pro verissimo & indifferente Judice in ipso Basileensi Concilio admitterentur. Salvum-conductum & Epistolam Concilii ad Bohemos legere est sessione IV. De his inter Bohemos duæ fuerunt Sententiæ. Orphani, & Thaboritæ, & plebs ferme omnis, eundum ad Concilium esse negabant, *Joannis Hus* & *Hieronymi Pragensis* exemplum in medium afferentes, qui Constantiam ad Synodum profecti sub fide *Sigismundi*, publice combusti fuissent. Nobilitas vero *Mainardum* sequuta, Novæ-Domus Dominum, petendum esse Concilium prorsus ajebat: nec *tolerandos videri, qui novas peregrinasque de Fide sententias, novumque Ritum Religionis invenissent, nisi dictorum factorumque rationem universali Ecclesiæ redderent, & quæ vulgo inculcaverant, coram doctis defenderent*. Vicit hæc sententia. Legatio 300. Equitum Basileam missa, cujus principes fuere *Guillelmus Cosca*, non tam equestri dignitate, quam Ecclesiarum direptione insignis; *Procopius* cognomento *Rasus*, multis victoriis, magnisque sceleribus nobilitatus; *Joannes Rokysana* Pragensium Hussitarum Rector; *Nicolaus Galecus*, Thaboritarum Presbyter; & *Petrus Anglicus*, patria profugus, ac solis elenchis in disputatione confidens.

II. Bohemorum Oratores anno ineunte 1433. a Synodo Basileensi honorifice & perhumaniter excepti, quos *Julianus* Cardinalis Concilii Præses benigne allocutus, & longa ac luculenta Oratione ad ea quæ pacis & unionis essent, adhortatus est. Audita est Cardinalis Oratio summo Patrum consensu. Bohemi pauca respondere, quibus par facundia non esset. Audientiam circa quatuor de Religione capita rogantibus Synodus annuit, diemque designavit Januarii 16, qua die quatuor Articulos proposuere, in quibus a Romana Ecclesia dissentirent. 1. De Communione divinæ Eucharistiæ, quam sub specie panis & vini his qui salvi esse velint necessario sumendam affirmabant. 2. De Civili Dominio, quod Clericis interdictum divina Lege dicebant. 3. De Prædicatione Verbi Dei, quam liberam permissamque passim omnibus arbitrabantur. 4. De publicis delictis, quæ nulla ratione toleranda putabant, etiam majoris mali vitandi gratia. Nam quamvis plurima essent, quæ Hussitarum perfidia adversus Catholicæ Fidei veritatem astruere ac prædicare non dubitaret, coram Concilio tamen doctorumque Patrum Cœtu hæc tueri tantummodo se posse arbitrati sunt (inquit *Æneas Sylvius*) eaque Regni nomine dicta. Verum cum Legatus alia quoque de Bohemis accepisse se affirmaret, quæ Christianas aures offenderent: inter quæ illud esset, quod Religiones Mendicantium inventum esse diabolicum prædicarent; assurgens Procopius: *Neque hoc falsum est* (inquit) *Nam si neque Moyses, neque ante eum Patriarchæ, neque post eum Prophetæ, neque in nova Lege Christus Dominus, neque Apostoli Mendicantes instituere: quis non intelligit diaboli tenebrarumque opus esse?* Excepta est ingenti auditorum cachinno *Procopii* vox. Legatus argumentationem indocti hominis placide dissolvit. *Neque enim Patriarcharum, Prophetarumque placita, & quæ Christus instituit, quæ sanxerant Apostoli, duntaxat a Deo esse docuit, verum Ecclesiæ quoque Decreta, quæ Sancto dirigente Spiritu dicitur, opera Dei esse monstravit: quamvis & alia inde Mendicantium vita ex Evangelio sumpta videri possit*. Selegerunt Bohemi quatuor Magistros, qui suos Articulos ex Divina Lege sumptos ostenderent. Qui eos confutarent, ex Cœtu Patrum totidem assumpti viri præstantes, & ad dicendum parati. Disputatum est quinquaginta diebus: multa in utramque partem adducta.

Quatuor Bohemorum Articuli synodo Basileensi propositi.

Ad primum Bohemorum Articulum De Communione sub utraque specie octo diebus, horis antemeridianis respondit *Joannes de Ragusio* Ordinis FF. Prædicatorum Procurator Generalis, Natione Dalmata, postea S. R. E. Cardinalis. Ad secundum Articulum De punitione peccatorum publicorum, per quatuor dies respondit *Ægidius Carlerius*, Ecclesiæ Cameracensis Decanus. Ad tertium De libera Prædicatione verbi Dei, tribus diebus respondit *Henricus Kalteisen*, Ordinis FF. Prædicatorum, in Academia Coloniensi Doctor & Professor, ac hæreticæ pravitatis Inquisitor. Ad quartum De civili Dominio Clericorum, diebus totidem respondit *Joannes de Polemar* Archidiaconus Barcinonensis, Causarum Sacri Palatii Auditor. Eorum Orationes in Collectionibus Conciliorum post Acta Concilii Basileensis editæ sunt. Postremo cum victa Hussitarum perfidia vinci nollet, ad Tractatus ventum, tentatumque si fortasse amice trahi possent, Missi & Oratores in Bohemiam viri doctissimi, & qui gentis versutiam nossent, scilicet *Philibertus* Constantiensis in Normannia Episcopus, *Petrus* Augustensis Episcopus, *Joannes de Polemar* Barcinonensis Archidiaconus, *Fridericus Parsberger*, Præpositus Ratisponensis, *Ægidius Carlerius* Decanus Cameracensis, *Alexander Sparus* Jurisconsultus Anglus, *Thomas Haselbachius* Theologus Viennensis, *Henricus Tockius* Magdeburgensis Canonicus, *Martinus Bernerius* Decanus Turonensis & *Joannes Gelhusius* Monachus Mulbrunensis. Synodi Legatis Principum etiam Oratores sunt adjuncti. Multa cum Bohemis agitata, nunc pacis spes facta, nunc belli metus.

III. Pragensis Academiæ Theologi a Bohemiæ Baronibus rogati ut suam de quatuor Articulis sententiam aperirent, Schedulam Oratoribus Concilii porrexerunt, eorum explicationem continentem. *De libertate Verbi Dei dixerunt, ut sub potestate Diœcesani, & jure ejus libere prædicetur.*

Pragensium Theologorum de quatuor Articulis sententia.

De evellendis peccatis dixerunt: Ut spirituales in spiritualibus, sæculares in sæcularibus, secundum potestatem a Deo eis concessam, extirpent publica mala.

De bonis Ecclesiæ dixerunt: Quia non debeat Sæculares vel alii bona Ecclesiæ (quia sunt communia, & quia sunt Patrimonium Crucifixi, ejus Ecclesiæ & pauperum) sibi appropriare, quoniam sacrilegium esset. Quia tamen pro opposito quasi semper objicitur, quod talia bona sint superflua, ad hoc dixerunt: Si sunt superflua, tunc illi qui habeant super ea potestatem dispensatoriam, convertant in usus pios & communes. Ad nos talia non pertinet diffinire. Ac civiliter non debere super his dominari dixerunt, quia Dominium civile (ut videtur) præsupponit pro subjecto bona temporalia per modum proprietatis possessa.

De Communione utriusque speciei dixerunt; Quia est a Christo tradita & instituta, ab Apostolis, & sua Ecclesia practicata. Et ideo est animæ utilis, meritoria, & salubris, dummodo fuerit in charitate, juxta limites SS. Patrum, practicata. Ad præceptum vel necessitatem ejus dixerunt: quia adhuc est eis dubium an cadat sub præcepto, aut sub quali præcepto; qualisve pœna illum sequeretur qui hoc præceptum omitteret, aut quovis modo non impleret. Hæc autem nesciunt per aliquod Concilium alicubi fore diffinita. Sed ex quo Concilium Basileense nunc congregatum dicit & offert se velle ferre judicium in talibus, juxta doctrinas Sacræ Scripturæ & SS. Patrum authenticas, ideo volunt definitionem expectare.

IV. Cæterum post diversos Tractatus, multasque Oratorum Concilii adhortationes ad pacem, quas vana loquacitate per spinosas & aculeatas responsiones ludificabant Hussitarum & Thaboritarum Sacerdotes, cum pertinaciter quatuor Articulis insisterent, ne spes pacis omnino evanesceret; utrique parti visum est denuo mittere Legatos ad Concilium, pro illorum Articulorum declaratione. Transmissa igitur a Concilio pro Bohemorum Oratoribus nova securitate ac Salvo-conductu, venerunt illi Basileam una cum Synodi Legatis. Quatuor Articulos Patribus obtulerunt, rogaruntque ut intuitu Ecclesiasticæ unitatis ac pacis ipsos libere doceri; & irrevocabiliter observari in Regno Bohemiæ, & Marchionatu Moraviæ, locisque illis adhærentibus, permitteret. Erat porro hic Articulorum tenor: Primo, *Ut Communio divinissimæ Eucharistiæ utilis & salubris, sub utraque specie, scilicet panis & vini, universis Christi Fidelibus in Regno Bohemiæ, & Marchionatu Moraviæ, & locis eis in hac parte adhærentium constitutis; per Sacerdotes libere administretur*. Secundo, *Ut omnia peccata mortalia & præsertim publica, per eos quorum interest rationabiliter & secundum legem Dei cohibeantur, corripiantur, eliminentur*. Tertio, *Ut Verbum Dei a Sacerdotibus Domini, & Levitis idoneis libere & fideliter prædicetur*. Quarto, *Ut non liceat Clero tempore Legis Gratiæ super bonis temporalibus sæculariter dominari*. Formam vero Unionis hanc obtulerunt: *Parati sumus uniri & esse unum, quomodo omnes Christiani Fideles uniri secundum Legem Dei obligantur; & adhærere ac obedire* qui-

quibuscumque nobis legitime præfectis in omnibus Ecclesiasticis, quaecumque nobis secundum Legem Dei mandaverint. Quod si quidquam Concilium, aut Papa, aut Prælati, quod a Domino prohibitum est, determinaverint faciendum, aut facere jusserint; vel quod in Canone Bibliæ scriptum est, prætererint, aut præteriri mandaverint: cum Canones tales dicant execrabiles & anathema, obedire non obligamur nec obediemus. Præterea istud per Ambasiatores nostros eandem ad Concilium pro finali unione facienda mittendos, volumus propter confirmationem & conservationem unitatis & pacis obtinere, ut unione facta, Concilium suis literis præcipiat omnibus Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, Regibus, Principibus, & universis utriusque status sibi subjectis, quatenus nos & nobis in hac parte adhærentes & adhærere volentes amplius palam vel occulte hæreticare, aut quovis modo infamare, aut etiam hostiliter invadere non præsumant propter aliquem prædictorum Articulorum, & præsertim propter primum, &c. Unionis formula Patribus non placuit. *Hæc* (inquiebant) *non unitas, sed duplicitas est. Non est in Christiana unitate dicere, Nos & Vos, sed tantum, Nos. Unus est Populus Christianus; purus, simplex, & perfecta debet esse unitas Ecclesiastica, non ambagibus, non duplicitatibus involuta. Tandem quia materna viscera negare non potest pia Mater, quin exhibitione uberum ad vita provocet alimentum: Decrevit Sacrum Concilium iterum destinare ad vos, & iterum ad veram, puram & simplicem unitatem & pacem hortari: quam si acquieveritis acceptare, prioribus omnibus abolitis eritis Charissimi Filii, nec aliter habiti quam Regna cætera, Potentatusque & Provinciæ Populi Christiani.* Ita refert *Joannes de Polemar* in Oratione quam in secundo suo in Bohemiam adventu Pragæ habuit ad Bohemos, & ex eo *Cochlæus* Libro 7. Historiæ Hussitarum.

Compactata Pragensia Bohemorum. V. Secundum hæc, Basilea Pragam cum tribus Oratoribus Bohemorum reversi sunt quatuor Synodi Legati, qui antea in Bohemiam missi fuerant, *Philibertus* Episcopus Constantiensis in Normannia, *Joannes de Polemar*, *Henricus Tockins*, & *Martinus Bernerius*. Inter ipsa Conventorum tempora, dum adhuc penderent omnia, *Procopius Rasus* ex iis unus qui paulo ante Legati ad Concilium venerant, perditæ audaciæ homo, victoriisque nonnullis adversus Catholicos celebris, collecto Hæreticorum exercito, *Pilznam* oppidum obsidere graviter cœpit, a sulit Fidelibus habitatum. Cumque operibus undique circumventi, eo angustiarum adducti essent oppidani, ut cedendum obsessoribus brevi tempore videretur, opem a Synodo, impendenti periculo, postulavere. Patres vero, etsi ærarium nullum eis esset, raptim tamen pecuniam in capita collatum ad *Marvardum* misere, Bohemicæ Nobilitatis Principem, præcipuum & mittendæ prius Legationis, & accipiendorum post Conventorum auctorem, qui jam ad idipsum delectu Militum habito, ducere in *Procopium* properabat. Commissæ acies, Thaboritarum Orphanorumque ex plebe collecti exercitus, invicti ad illud tempus, cum scelerato Duce deleti sunt. Secundum hanc victoriam, Pragæ Catholicorum res facta superior est, Hæreticorum audacia cecidit. Legati in publico Nobilium & Plebejorum conventu trium Articulorum Declarationem proposuerunt, quam si Bohemi suscipere vellent, de quarto Articulo, hoc est de Communione sub utraque specie, res per concordiam transigeretur.

Primum, de cohibitione & correptione omnium peccatorum mortalium, & præsertim publicorum, sic restrinxere & exposuere: *Dicimus quod secundum Scripturæ Sacræ sententiam, Sanctorumque documenta Doctorum, sic Catholice est tenendum: Quod omnia peccata mortalia, præsertim publica, quantum rationabiliter fieri potest, secundum Legem Dei, & Sanctorum Patrum instituta, sunt cohibenda, corripienda, & eliminanda. Potestas autem puniendi criminosos, non ad privatas personas, sed ad eos tantummodo pertinet, qui Jurisdictionem habent in eos, fori distinctione, juris & justitiæ ordine observatis.*

Secundum Articulum de libera Prædicatione verbi Dei sic declaravere: *Dicimus quod secundum Scripturæ Sacræ sententiam, Sanctorumque documenta Doctorum, sic Catholice est tenendum: Quod verbum Dei a Sacerdotibus Domini, & Levitis ad hoc idoneis, & per Superiores, ad quos pertinet, approbatis & missis libere; non tamen passim, sed ordinate & fideliter prædicetur; salva auctoritate Pontificis, qui est præordinator in cunctis, juxta SS. Patrum Instituta.*

Articulum tertium de sæculari Dominio Clericorum in bona temporalia, sic explicuerunt. „ Meminimus „ quod dum in Sacro Concilio super hoc disputatio „ geretur publica & solemnis, ille qui ad disputandum „ per Sacrum Concilium extitit deputatus, duas Con„ clusiones posuit sub his verbis: *Prima*, Quod Cleri„ ci non Religiosi, seu qui voto se ad hoc non obliga„ runt, licite possunt habere & possidere quæcumque „ bona temporalia, hæreditates paternas aut aliorum, „ si eis relinquantur, & alia bona juste acquisita, ex „ causa donationis vel alterius liciti contractus, vel ar„ te licita. *Secunda*, Quod Ecclesia potest licite habere „ & possidere bona temporalia, mobilia & immobilia, „ domos, prædia, villas, oppida, castra, civitates, & „ in eis habere privatum & civile Dominium. Ille si„ quidem ex vestris Ambasiatoribus, qui disputabat, „ concessit easdem, dicens; Illas sensui sui Articuli be„ ne intellecto non contradicere; cum ipse Articulum „ suum intellexerit de Dominio civili formaliter intel„ lecto. Ex quo & aliis satis possit intelligi, quod ver„ ba, *Sæcalariter dominari*, in præinserto Articulo posi„ ta, ad aliquem specialem dominandi modum vel u„ sum videantur referri. Sed Quoniam Doctrina Ec„ clesiæ non est verbis ambiguis pertractanda, sed pla„ ne, propterea illud quod secundum Legem Dei, & „ Sanctorum documenta Doctorum Catholice tenendum „ est, duximus exprimendum, videlicet: Præmissas duas „ Conclusiones esse veras: Quodque Ecclesiastici Viri „ bona Ecclesiæ, quorum sunt Administratores, debent „ fideliter administrare, juxta SS. Patrum salubria In„ stituta. Ipsaque bona Ecclesiæ ab aliis injuste non „ debent detineri, vel occupari. „ Hanc declarationem Comitia suscepere.

Circa IV. Articulum hæc ratio concordiæ inita est: *Ut Bohemis ac Moravis suscipientibus Ecclesiasticam unitatem & pacem realiter & cum effectu, & in omnibus aliis quam in usu Communionis utriusque speciei, Fidei & Ritui universalis Ecclesiæ conformibus, illi & illæ, qui talem usum haberent, communicarent sub duplici specie, cum auctoritate Domini nostri Jesu Christi & Ecclesiæ sponsæ ejus. Et hunc Articulum in Sacro Concilio discussum iri, quoad quæstionem de præcepto, & constituendum quid circa illum Articulum pro Catholica veritate sit tenendum, & agendum ad utilitatem & salutem Populi Christiani. Et omnibus mature pertractatis, si nihilominus in desiderio Communionis sub duplici specie perseveraverint, Sacrum Concilium Sacerdotibus dictorum Regni & Marchionatus, communicandi sub utraque specie populum, eas videlicet personas, quæ in annis discretionis constitutæ reverenter & devote postularent, facultatem in Domino, pro eorum utilitate & salute concessuram. Hoc semper observato, quod Sacerdotes sic communicantibus semper dicerent: Ipsos firmiter credere debere, quod non sub specie panis caro tantum, nec sub specie panis sanguis tantum, sed sub qualibet specie est integer & totus Christus.*

VI. Hanc reducendæ unitatis formam *Compactata* illi vocavere: hujusque obtentu nominis & tutati aliquando se sunt, & Catholicus oppugnare tentarunt. Concepta sunt Pragæ anno 1433. die ultima Novembris, & postmodum Iglaviæ consummata & firmata, anno 1436. In Concilio Basileensi pronuntiatum est: *Calicem quantum ad Laicos pertinet, ex præcepto Christi non esse, moremque sub specie tantum panis ministrandi populo a Sanctis Patribus institutum, & sane institutum videri, & servandum ab omnibus Fidelibus esse, nec licere cuiquam suo judicio hunc declinare.* Legi possunt *Compactata* apud *Joannem Cochlæum* lib. 7. Historiæ Hussitarum. De vocatione Bohemorum ad Concilium Basileense, & de Tractatibus cum ipsis initis, extat etiam Historica narratio, quæ ab *Ænea Sylvio* scripta videtur, edita ab *Ortwino Gratio* in *Fasciculo Rerum Expetendarum*, & Historiæ Bohemicæ ejusdem *Æneæ Sylvii*, Editionis *Freheri* post Caput L. inserta, ac tandem relata in Tomum 12. Conciliorum Editionis Parisiensis anni 1672. De iisdem legendus *Jacobus* Cardinalis Papiensis, Libro 6. Commentariorum. Addit ille: Non petiisse ex illo tempore Calicem Bohemos, non indulsisse Synodum ultro, a Romano etiam Præsule tale quidquam nec postulatum esse, nec comprobatum. Ipsos etiam, qui ad omnem Catholicorum contentionem *Compactata* velut clypeum defensionis objiciebant, illa eadem contempsisse verius quam non servavisse. Etenim pueris passim & dementibus non de Pane tantum, sed de Calice ministrasse. Invitos quoque & non postulantes ad Calicem adegisse, Sacra-

cramenta Ecclesiæ, & sepulchra publicosque honores Iis, qui illum non vellent, per injuriam adimentes: De Mysterio etiam tam panis quam vini nil plebibus juxta condictum annuntiasse. Postremo nec Romanæ Sedis Institutis, a qua longe errabant, in cæteris assensisse. *Quoram omnium* (inquit) *si præstita ab illis fuisset fides, vix nunc post annum quadragesimam exorti mali ostenderentur vestigia, iis videlicet in renovata ætata defunctis quibus tantummodo, quod usum jam haberent, Calix esset indultus.*

ARTICULUS II.

De SECTA HOMINUM INTELLIGENTIÆ.

HÆc Secta Auctores habuit G. *Guillelmum de Hildernissen*, Ordinis B. Mariæ De Monte Carmelo Sacerdotem & Concionatorem, & *Ægidium Cantoris*, Laicum, Belgas. Asserebat *Ægidius*, 1. Se esse Salvatorem hominum, qui per ipsum visuri Christum essent, sicut per Christum Patrem. 2. Diabolum, omnesque homines tandem salvandos fore. 3. Actus carnalis copulæ delectationes Paradisi vocabant homines spurcissimi, & sine peccato exerceri docebant. 4. Omnes actus nefarios ad divinam referebant voluntatem * 5, Tempus Veteris Legis; tempus fuisse Patris ajebant; tempus novæ Legis Filio; tempus proximum Spiritui Sancto attributum; quod tempus *Eliæ* appellabat, quo reconciliabantur Scripturæ, ut quæ prius tamquam vera habebantur, jam refutarentur; sicuti & Catholicæ veritates, quæ consueverant prædicari, de paupertate, continentia, obedientia, quarum oppositum tempore Spiritus Sancti prædicandum esset. Afflatum Spiritus Sancti in rebus etiam inhonestis & nefariis jactitabant. Orationes, Jejunia, Ecclesiæ præcepta, castitatem & continentiam summopere oderant, nullam esse in mundo virginem effutientes, præter unam, cui *Sapientiæ* nomen. Circa Purgatorium quoque & Infernum contraria Doctrinæ Ecclesiæ dogmata tradebant. *Guillelmus* præter hæc affirmabat; Quidquid agit homo, illi non cedere ad salutem vel damnationem; quod Passio Christi satisfaceret pro omnibus. 2. * Hominem exteriorem non maculare interiorem. 3. Deum esse ubique, in lapide, in membris hominis, In inferno, sicut in Sacramento Altaris. 4. Resurrectionem amplius sperandam non esse, quod jam facta sit in Christo, cujus membra sumus, cum Caput sine membris non surrexerit. Hos aliosque errores ejuravit coram *Petro de Alliaco* Episcopo Cameracensi, & Priore FF. Prædicatorum Conventus *S. Quintini* in Picardia, Hæreticæ pravitatis inquisitore, die 12. Junii, anno Christi 1412. illosque deinde Cameraci & Bruxellis publice revocavit.

*Hunc errorem renovarunt Quietistæ.

* Hunc errorem Quietistæ adoptarunt.

JOAN. DOM. MAN.

Nota.

HÆresum quas Guillielmus de Hildernissem ejuravit capita sunt XVIII. eaque in publicas tabulas de ejuratione hac confectas ac signatas die 12. Junii anno 1411. non 1412. ut est hic in P. Alexandro redacta sunt. Tabulas illas integras evulgavit Baluzius Miscell. tom. 2. pag. 277. Errores vero suos Guillelmus revocavit primo quidem Cameraci coram Petro de Alliaco Cameracensi Episcopo, & Priore Conventus PP. Prædicatorum S. Quintini in Viromandia Noviomensis diœcesis Inquisitore. Inter hos errores quidam Ægidium habent auctorem; alii vero nonnullis ejus sectatoribus inter quos eminet quædam puella, cui nomen *Seraphin* imposuerunt. Alios vero tamquam a se prolatos idem Willelmus revocat. Insuper idem F. Guillelmus negat se unquam docuisse ut factæ Sacerdoti confessiones negligerentur; addit enim: *hoc falsum est de persona mea; hoc etiam scio esse falsum de illis, qui solent mihi confiteri.* Negavit insuper se scire quidquam de valato actu carnalis copulæ sub honesto nomine paradisi, vel *acclivitatis*; sicut etiam professus est nunquam sibi venisse in mentem ut *actus suos omnino nefarios* ad divinam voluntatem referret. Diffitetur etiam nihil sibi excidisse, ut tempus veteris legis esse Patris diceret, tempus novæ lagis esse Filii &c. Alia insuper interrogatus in judicio sensisse se vel dixisse negavit; sicut vicissim alia a se dicta fassus est & ejuravit, quæ videri in eisdem publicis tabulis cuique pronum est.

ARTICULUS III.

De ADAMITIS.

I. ANno circiter 1420. nefariam *Adamitarum* hæresim exsuscitavit *Pikardus* quidam nomine, qui ex Gallia Belgica, transmisso Rheno, per Germaniam in Bohemiam penetravit. Is præstigiis quibusdam fidem sibi concilians, brevi tempore non parvam mulierum, virorumque plebem ad se traxit, quos nudos incedere jubens, *Adamitas* vocavit: & occupata Insula quadam amne Lusinicio cincta, Filium Dei se dixit, & *Adam* appellavit. Connubia eis promiscua fuere: Nefas tamen ipsis injussu *Adam* mulierem cognoscere: sed ut quisque libidine incensus in aliquam exarsit, eam mano prehendit, & Sectæ Principem adiens: *In hanc*, inquit, *Spiritus meus concaluit.* Cui respondebat ille: *Ite, crescite, multiplicamini, replete terram.* Ajebat quoque cæteros homines servos esse, se vero, & qui ex eis nascerentur, liberos. Ex iis quadraginta viri Insula exire, & intrantes vicinas villas evaginatis gladiis supra ducentos agrestes interfecere, quos diaboli filios asserebant. *Zisca* Dux Thaboritarum, quamvis sceleratus, scelus tamen exhorruit, ductoque in eos exercitu, & expugnata insula Adamitas omnes gladio delevit, duobus tantum reservatis, ex quibus gentis superstitionem cognosceret. Ista constant ex *Ænea Sylvio*, Cap. 41. Historiæ Bohemicæ.

II. Revixit rursus execranda illa hæresis decimosexto sæculo, Auctore *Adamo Pastoris*, qui Christum insuper merum hominem professus, eum eum *Theotime* negabat natura Deum esse. Matrimonium etiam quasi per se malum damnabat. Fuere & alii secta Anabaptistæ, qui quod nuditatem *Adami* æmulari gestirent, *Adamitarum* nomen mutuati sunt. De his *Lindanus* Ruremondensis Episcopus, eo in Libro quem *Dubitantium* inscripsit, Dialogo II. *Tales*, inquit, *fanaticos vidit Amstelodamum nostra: Hos loco honestissimo natos, & rebus lautis opulentissimos, vidit nudos discursitare nostra Hollandia anno 1535. Horum quidam tam fuere insani capitis, ut conscensis arboribus, nudi cœlestem panem frustra expectantes, in terram deciderint semineces.*

ARTICULUS IV.

DE ERRORE JOANNIS PARVI, ET EJUS DAMNATIONE.

I. CUm *Joannes* Burgundiæ Dux *Ludovicum*, Ducem Aurelianensem *Caroli VI.* Christianissimi Regis Fratrem, Patruelem suum, postquam in signum absolutissimæ cum ipso reconciliationis in Sacrificio Missæ Sacratissimum Domini nostri Jesu Christi Corpus una cum ipso percepisset die Dominica 20. Novembris, anno 1407. immani proditione occidi curasset, immissis in eum sicariis, die 22. ejusdem mensis, & crimen confessus in Belgium aufugisset: *Joannes Parvus*, natione Normannus, Theologus Parisiensis (quem nonnulli Franciscanum, alii Dominicanum falso ac perperam faciunt, cum sæcularem fuisse *Joannes Juvenalis de Ursinis*, & alii Historici testentur) venalis homo, & ingenii ad assentationem fœde projecti, parricidium horribili impudentia defendendum suscepit, defuncti Principis manes crudelius insectatus, quam fuerat corpus a sicariis confossum. Aurelianensem scilicet Ducem Regnum affectasse. Magos adhibuisse, variasque incantationes ac sortilegia ad Regem de medio tollendum, item ad fœminas suæ libidini subjiciendas, calumniatus est tentasse apud *Benedictum XIII.* ut Rex e solio deturbaretur ob mentis impotentiam, ipseque in ejus locum substitueretur: atque etiam fœdus ad id exequendum cum Angliæ Rege pepigisse; aliisque atque aliis modis Regis vitæ, & totius Stirpis Regiæ insidiatum esse; gravia exegisse vectigalia, quibus se adversus Regem exaltaret: aliaque ejusmodi plurima tyrannica perpetrasse. Quare non solum pœna dignum esse Burgundiæ Ducem, quod eum occidisset, sed contra gratia, honore, divitiis, aliisque præmiis cumulandum, tamquam tyrannidis depulsorem, & tyranni peremptorem. Execrandum libellum inscripsit *Justificationem Ducis Burgundiæ*: octo momentis quæ Veritates vocabat, probare satagens, fas esse ac meritorium cuilibet homini privato propria auctoritate Tyrannum hujusmodi opprimere; nec potuisse Burgundum

gundum absque gravissimo speccato id facinoris non perpetrure.

II. Anno 1414. Februario mense, immanes *Joannis parvi* Articoli, qui hactenus ob summam Burgundiæ Ducis potentiam absque Censura manserant, mortuo *Parvo*, & Rege Burgundum Edictis & armis lacessentu, a *Geraldo de Montecnuse* Episcopo Parisiensi & F. *Joanne Poleti* hæreticæ pravitatis Inquisitore Ordinis FF. Prædicatorum, prævia Sacræ Facultatis Censura damnati sunt. Censuræ, damnationisque Promotor fuit *Joannes Gersonias*, ejusdem Academiæ Cancellarius; qui eu libro *Joannis Parvi* novem Assertiones excerpsit, quas cum censura legere est Tom. 5. Operum *Gersonis*, pag. 409. hoc tenore.

Censura Articulorum Joannis Parvi a sacra Facultate Parisiensi edita.

1. „ Licitum est unicuique subdito, absque quocumque „ præcepto vel mandato, secundum Leges, naturalem, „ moralem, & divinam, occidere, vel occidi „ facere quemlibet Tyrannum, qui per copiditatem, „ fraudem, vel malum ingenium, machinatur contra „ salutem corporalem Regis sui & Superiorum om- „ nium, pro auferendo sibi suam nobilissimam & altissimam „ dominationem: Nedum licitum, sed honora- „ bile, & meritorium, maxime quando est potentiæ „ tantæ, quod justitia non potest bono modo fieri per „ Superiorem. *Erronea in fide, & in moribus, multipliciter scandalosa.*

2. „ Leges naturalis, moralis, & divina, auctori- „ zant unumquemque subditum de occidendo, vel „ occidi faciendo dictum Tyrannum. *Erronea in fide & moribus, ac legibus, naturali, morali, & divinæ injuriosa.*

3. „ Licitum est unicuique subdito, honorabile, me- „ ritorium, occidere, vel occidi facere supra nomina- „ tum Tyrannum proditorem, & infidelem suo Regi „ & supremo Domino, per euplorationes & insidias. „ Et ust propria mors quu debent mori Tyranni. Et „ est licitum dissimulare & silere voluntatem suam de „ sic faciendo. *Falsa, erronea, & scandolosa.*

4. „ Jus est, ratio, & æquitas, quod omnis Tyran- „ nus occidatur per explorationes & insidias, & est „ propria mors qua mori debent Tyranni & infideles. *Erronea, crudelis, & impia.*

5. „ Ille qui occidit, vel occidi facit Tyrannum mo- „ dis prædictis, non debet de aliquo reprehendi, & „ Rex non debet solum esse contentus; sed debet ha- „ bere factum acceptabile, & auctotizare, quantum „ opus vel necessitas esset. *Erronea in fide & moribus, ac Regiæ Dominationi injuriosa.*

6. „ Rex debet præmiare vel remunerare illum, „ qui occidit modo qui dictus est, vel occidi facit „ Tyrannum supra nominatum, in tribus rebus, sci- „ licet in operibus, honoribus, divitiis; exemplo re- „ munerationum factarum *S. Michaeli* Archangelo pro „ expulsione *Luciferi* a Regno Paradisi, & *Phinees* pro „ occisione Ducis Zambri. *Erronea in fide & moribus, scandalosa, ac Regiæ Dominationi injuriosa.*

7. „ Rex debet plus amare quam prius illum qui „ occidit, vel occidi facit Tyrannum supra nomina- „ tum modis supra dictis; & debet facere prædicari „ suam fidem, & bonam fidelitatem suam per Regnum „ suum, & extra facere publicari per literas. *Erronea in fide, & moribus, scandalosa, ac Regiæ Dominationi injuriosa.*

8. *Litera occidit, spiritus autem vivificat*; „ hoc est „ dicere, quod semper sensum literalem servare in „ Scriptura Sacra, est occidere animam suam. *Expositio distorta, & erronea.*

„ In casu societatis, juramenti, promissionis, seu „ confœderationis factarum ab uno Milite ad alterum, „ quocumque modo illud fiat, aut fieri possit, si con- „ tingat quod illud vertatur in præjudicium unius pro- „ mittentium ad confœderationem, sponsæ suæ, aut „ suorum liberorum: ipse da nullo tenetur eas obser- „ vare. Hoc probatut ex ordine charitatis, quo quili- „ bet tenetur se ipsum plus diligere, uxorem, & li- „ beros. *Falsa, erronea, seditiosa, & perjuriis viam præbens.*

Episcopi Parisiensis & Inquisitoris Fidei sententia in Articulos Joannis Parvi.

III. Secundum doctrinale Magistrotum Sacræ Facultatis Judicium, Parisiensis Episcopus, & Inquisitor hanc tulere Sententiam. „ Nos Girardus, Miseratione divi- „ na Parisiensis Episcopus, & F. Joannes Poleti Ordi- „ nis FF. Prædicatorum sacræ Theologiæ Professor, „ Inquisitor hæreticæ pravitatis in Regno Franciæ Au- „ ctoritate Apostolica deputatus, &c. Evocato vicibus „ repetitis Magistrorum & Licentiatorum in Theologia „ Parisius existentium, & aliorum peritorum saluber- „ rimo sapientissimoque Consilio diu multumque deli- „ beratum. Christi nomine invocato, ad ejus lau- „ dem, gloriam & honorem, ac fidei exaltationem, „ decrevimus & decernimus per Præsentes, quod an- „ tedicta Propositio Magistri Joannis Parvi in sese & „ suis Assertionibus principaliter intentis, & in ea con- „ tentis, ac in Processu latius declaratis, est abolenda „ atque damnanda tamquam erronea in fide & bonis „ moribus, ac multipliciter scandalosa; & eam sic „ abolemus & damnamus, & cremandam solemniter „ decernimus, cremarique præcipimus ac jubemus. „ Monentes omnes subditos nostros cujuscumque sta- „ tus, gradus, ordinis, conditionis, aut præeminentiæ „ existant, primo, secundo, tertio, ac una Canonica „ monitione pro omnibus, sub pœna Excommunicatio- „ nis, quam in ipsos in his Scriptis ferimus, nisi fe- „ cerint quod mandamus, ut ipsi infra sex dies post- „ quam Præsentes ad eorum pervenerint notitiam, „ quorum sex dierum duos pro primo, duos pro se- „ cundo, & reliquos duos pro tertio & peremptorio „ termino assignamus eis, si quos haberent penes ∫se „ quaternos hujusmodi Propositionum in se continen- „ tes, nobis afferant seu afferri faciant, ut de eis dis- „ ponere valeamus juxta & secundum formam & mo- „ dum nostræ condemnationis hujusmodi. Inhibentes „ nihilominus & interdicentes omnibus & singulis su- „ pra dictis sub eisdem, ne deinceps quisquam ipsorum „ audeat prædictam Propositionem asserere, prædicare, „ publicare, defendere, seu dogmatizare publice, vel „ occulte. Quod si quis audierit, vel sciverit aliquem „ in hac parte culpabilem, nobis infra octo dies, vel „ Cancellario Parisiensi, denuntiare teneatur. Datum „ & actum in Aula Episcopali Parisiensi, anno ejus- „ dem Domini 1413. secundum morem & consuetudi- „ nem Gallicanæ Ecclesiæ, Indictione 7. Pontificatus „ Sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri Joan- „ nis divina providentia Papæ 23. anno quarto, præ- „ sentibus ad hæc RR. in Christo Patribus & Domi- „ nis Henrico Nannetensi, Gaufrido Xantonensi, & „ Joanne Cabilonensi, Episcopis, Philippo Sancti Dio- „ nysii in Francia; & Petro Sancti Mauentii Abbati- „ bus, ac venerabilibus & circumspectis viris DD. & „ Magistris Joanne de Templis, Almæ Matris Univer- „ sitatis Parisiensis Rectore, Nobili Viro Jacobo de „ Borbonio Sacræ Capellæ Regiæ Parisiensis Thesau- „ rario, &c. „ Hæc Sententia die 23. Februarii lata, & die 25. publice promulgata est, damnatique Articuli cremati, ut Monachus Sandionysianus in Vita *Caroli VI.* & *Monstreletus* Tom. 1. Cap. 114. & 117. testantur. Edita est in Historia Universitatis Parisiensis, ad annum 1415. Cum vero id in opprobrium & dedecus Ducis Burgundiæ vergere videretur, Ducis nomine ad Sedem Apostolicam provocatum est.

Appellatio ad Summum Pontificem.

IV. *Joannes* XXIII. latam contra *Joannis Parvi* Assertiones ab Episcopo Parisiensi & Inquisitore Sententiam, appellante Burgundiæ Duce, tribus Cardinalibus examinandam commisit, scilicet Cardinali Episcopo Albano, *Antonio* Cardinali Aquilejensi, & *Francisco* Cardinali Florentino, qui illam irritam & nullam pronuntiavere, ut *Joannes Juvenalis de Ursinis*, & *Monstreletus* referunt. At nulla ipsorum Judicii habita ratione, res ad sacrum Synodum Constantiensem delata est, agente *Gersonio* Parisiensis Academiæ Cancellario, & Christianissimi Regis Oratore. Burgundiæ Dux datis ad Synodum literis quæstus est, quosdam esse Constantiæ qui honori suo detraherent, præsertim in materia Fidei: rogavit Patres, attenderent Se e gloriosissima Franciæ Domo originem ducere, quæ Dei gratia nulla umquam hæreseos labe contaminata fuisset: se Theologum non esse, ac subtilitatum Fidei peritum, firmiter tamen credere quod Ecclesia crederet, & credendum decerneret, idque ad effusionem usque sanguinis defendere paratum. Ideoque non posse dici approbasse errores, quos numquam cognovisset, vel intellexisset. Negare tamen plurimos sinceram *Joannis Parvi* Propositionem ullos errores continere, quos forte contineret alia ejusdem *Parvi* nomine Parisiis confecta ab æmulis & inimicis ipsius Ducis. Obsecrare itaque Patres ut si quid hac in causa proferretur, præsentibus Oratoribus suis discuteretur, ut evidenter constaret de Propositionibus a *Parvo* prolatis, non aliæ ipsi affingerentur.

Res ad Concilium Constantiense a Gersonio delata.

Rex in Synodo Constantiensi magna partium contentione agitata est. *Martinus Porræus* Attrebatensis Episcopus objecit Gersonio, quod parum sinceræ fidei fuisset in exhibendis Theologicæ Facultati Propositionibus & Articulis novem, quos & Concilio obtulerat velut *Joannis Parvi*. Gersonianos Articulos sub *Parvi* nomine vulgatos, illius esse negabat. Damnandos fatebatur, sed non prout a Magistro *Parvi* conscripti fuerant, & in illius sensu.

V. Octo Propositiones *Joannis Parvi* Judicibus a Synodo Constantiensi deputatis oblatæ (e quorum numero Cardinalem *De Alliaco* expungi Burgundi Oratores obtinuere, quod olim *Gersonii* Magister fuisset) ex MS. Victorino editæ sunt apud *Spondanum*, in Annalibus Ecclesiasticis ad annum 1415. & in Historia Universitatis Parisiensis Sæculo 7. quas & hic subjicio, ut ex earum cum Gersonianis collatione bona fides & sinceritas Christianissimi Doctoris appareat.

I. „ Quilibet subditus & vassallus, qui per cupiditatem, fraudem, sortilegia, & malum ingenium machinatur contra salutem corporalem sui Regis & Superioris Domini pro tollendo sibi & subtrahendo ab illo suam altissimam dominationem peccat tam graviter, & committit crimen tam horribile, sicut est crimen læsæ Majestatis in primo gradu; & per consequens est dignus duplici morte prima & secunda. Quia quilibet subditus & vassallus sic faciens est Tyrannus, peccatque mortaliter. *Probavit auctoritate B. Gregorii dicentis*: Tyrannus est proprie qui in Republica non jure principatur, aut principari conatur.

II. „ Licet in casu prædicto quilibet subditus & vassallus sit dignus duplici morte, & committat tam horribile crimen quod non posset nimis puniri: tamen plus puniendus est unus Miles, quam unus simplex subjectus; & isto casu unus Baro quam unus Miles simplex, unus Comes quam unus Baro, unus Dux quam unus Comes, cognatus Regis quam extraneus, Frater Regis quam cognatus, & Filius Regis quam Frater. „ Probavit hanc ex majoritate obligationis feudalis, naturalis & gradualis. Item, ratione majoris scandali. Tertio, ratione majoris periculi Regi imminentis propter propinquitatem talis Tyranni.

III. „ Item, casu prædicto licitum est unicuique subjecto, sine quocumque mandato aut præcepto, secundum Leges, moralem, naturalem, & divinam, occidere, vel occidi facere illum eumdem Proditorem & infidelem & Tyrannum: & non solum est licitum, sed honorabile & meritorium; maxime quando est tam grandis potestatis, quod justitia non potest de eo fieri bono modo per Superiorem, & quando perseverat in sua malitia, nec se vult corrigere, nec emendare; & specialiter quando est periculum in mora. „ Probavit hanc duodecim rationibus (falsissimis) quarum tres primæ erant fundatæ in auctoribus solemnium Doctorum in Theologia (male intellectis) scilicet *S. Thomæ* in II. Sententiarum Dist. ultima, *Joannis Sarisberiensis* Policratici Lib. 3. Cap. 16. *Alexandri Alensis*, *Richardi de Mediavilla*, & Astensis in suis Summis. Tres aliæ fundabantur in tribus auctoritatibus trium Philosophorum, scilicet *Aristotelis* in Politicis, *Tullii* in Officiis, & *Bocatii*. Tres aliæ rationes fundabantur super tribus auctoritatibus Legum Civilium. Prima, *De Desertoribus militiæ*; secunda, *De Insidiatoribus viarum publicarum*; tertia, *De Fure nocturno*. Tres rationes ultimæ fundabantur super tribus exemplis Scripturæ Sacræ. Primum est de *Moyse*, Exodi 21. Secundum de *Phinees*, Num. 26. Tertium de *Michaele* Archangelo, Apocal. 7.

IV. *In casu supradicto, magis honorabile, licitum & meritorium est, quod ille Tyrannus infidelis sit occisus, aut fiat occidi per unum de parentibus & subditis dicti Regis, quam per unum extraneum.* Probavit hanc ratione majoris obligationis: tum quia in hoc magis reluceret amor, & obedientia, atque potentia Regis prædicti.

V. *In casu alligantiarum, juramentorum, promissionum factarum Militiæ ad alterum, quocumque modo sit, aut esse possit, si contingat quod eas servare vergat in præjudicium sui Principis, aut sponsæ, suorum liberorum, aut Reipublicæ, non tenetur talis Miles eas servare: immo in tali casu eas servare, esset facere contra Leges, moralem, naturalem, & divinam.*

VI. *Si contingat quod dictæ alligantiæ vergant in præjudicium animæ, aut alterius promittentium & confæderatorum, suæ sponsæ, aut suorum infantium, in nullo tenetur eas servare.*

VII. *In casu prædicto licitum est unicuique subjecto, honorabile, & meritorium, occidere seu occidi facere supra dictum Tyrannum, Proditorem, & infidelem suo Regi, & Superiori Domino, per astutias, cautelas, & insidias. Et est licitum dissimulare, & tacere voluntatem suam sic faciendi.* Probavit auctoritate *Bocatii*, Lib. 4. *De Casibus illustrium Virorum*, Cap. 5. Item exemplis Sacræ Scripturæ, de Rege *Jeroboam*, 4. Regum Cap. 6. & *Judith*, quæ occidit *Holofernem* per insidias, & de hoc laudatur Cap. 13.

8. *Quilibet subditus aut vassallus, qui proposito deliberato machinatur contra salutem sui Regis, & Superioris Domini, pro faciendo ipsum mori in languore, cupiditate habendi suam Coronam & dominationem, facit consecrari, aut magis proprie loquendo, execrari in nomine dæmonum enses, pugiones, cultellos, virgas, & annulos aureos, facitque dedicari in nomine dæmonum per Necromanticos, &c. Ille, & omnes qui faciunt, non solum committunt crimen læsæ Majestatis humanæ in primo gradu, & sicut proditores & infideles Regi suo, & Deo suo Creatori; sed sicut Idololatræ, & corruptores, ac falsarii Fidei Catholicæ sunt digni duplici morte, prima scilicet & secunda; maxime quando dicta sortilegia, & superstitiones & maleficia sortiantur suum effectum in persona Regis.*

VI. Ad calumnias eorum qui a Burgundo stabant, & *Parvi* Propositionem secundum sensum Auctoris damnandum non esse contendebant, luculente respondit *Gersonius* Christianissimi Regis Orator, in Propositione facta coram Concilio Constantiensi, quæ Tom. I. Operum ipsius, p. 375. edita est. Extant ejusdem sermones coram Commissariis Fidei Constantiæ habiti, *De erroribus contra fidem & mores*, circa præceptum *Non occides*: sed tum illa Propositio facta, cum Sermones ipsi habiti sunt anno 1416. jam damnata *Joannis Parvi* Assertione a sacra Synodo Constantiensi.

Joannis Parvi propositio de cædo Tyranno per quemcumque ejus subditum ut hæretica damnatur a Concilio Constantiensi.

VII. Damnata quippe fuit Sessione XV. celebrata die 6. Julii, anno 1415. absque ulla mentione Auctoris, aut Libri ex quo fuerat excerpta; ne quæstio facti intempestive agitata novas turbas excitaret, utque Ducis Burgundiæ honori parceretur. His porro verbis sacri Concilii Decretum conceptum est: *Præcipua sollicitudine volens hæc Sacrosancta Synodus ad extirpationem errorum & hæresum in diversis mundi partibus invalescentium providere, sicut tenetur, & ad hoc collecta est; nuper accepit, quod nonnullæ Assertiones erroneæ in fide, & bonis moribus, ac multipliciter scandalosæ, totiusque Reipublicæ statum & ordinem subvertere molientes, dogmatizatæ sunt, inter quas hæc assertio delata est:* „ Quilibet Tyrannus potest & debet „ licite & meritorie occidi per quemcumque vassallum „ suum, vel subditum, etiam per clanculares insidias, „ & subtiles blanditias, vel adulationes, non obstante „ quocumque præstito juramento, seu confœderatione „ factis cum eo, non expectata sententia vel Mandato Judicis cujuscumque, „ *Adversus hunc errorem satagens hæc sancta Synodus insurgere, & ipsum funditus tollere, præhabita deliberatione matura, declarat, decernit, & definit, hujusmodi doctrinam erroneam esse in fide, & in moribus, ipsamque tamquam hæreticam, scandalosam, & ad fraudes, deceptiones, mendacia, proditiones, perjuria, vias dantem reprobat & condemnat. Declarat insuper, decernit, & definit, quod pertinaciter doctrinam hanc perniciosissimam asserentes, sunt hæretici, & tamquam tales juxta Canonicas Sanctiones puniendi.*

Ducis Burgundiæ mittuntur contra Gersonium.

VIII. Cum damnatam a sacra Synodo Constantiensi *Parvi* Propositionem Burgundiæ Dux accepisset, *Joannem Montleonem*, Eleemosynarium suum Parisios misit cum literis ad Nationem Picardiæ, Parisiensis Academiæ portionem sincerissimam, quibus de Magistro *Joanne Gersonio* vehementer conquerebatur, quod Propositionem a se confictam, a Synodo velut *Joannis Parvi* errorem damnari procurasset. Id in summum hujus Regni dedecus vergere exponebat, cum vulgo Constantiæ diceretur, *Hæresim Franciæ damnatam esse*; licet a nemine hujusmodi Propositio propugnata esset iis verbis, quibus in Schedula *Gersonii* concepta erat, & a Patribus damnata. Proinde sincerissimam Nationem rogabat, Serenissimum Aquitaniæ Ducem *Ludovicum* Franciæ Delphinum adiret, ab eoque literas obtineret ad Concilium, ne inde labes aliqua Regno inureretur: ageret etiam ut *Gersonii* actio hac in causa improbaretur, eique Oratoris Christianissimi Regis munus abrogaretur. Literas ad Synodum scripsit Dux Aquitaniæ, sed *Gersonii* Legationem, qua tanto cum gentis honore fungebatur, non attigit, nec ejus curas in urgenda parricidalis Propositionis damnatione improbavit. Miserat interim doctissimus Cancellarius Schedulam Parisios contra Ducem Burgundiæ, & ejus fautores, his verbis conceptam: „ Præstans scienter impedimentum, commissive vel omissive, consilio, vel „ auxilio, ne Dux Burgundiæ recognoscat publice & „ absolute, quod peccavit in Fide & bonis moribus „ justificando, aut justificari faciendo notorie & scandalose interfectionem Ludovici quondam Ducis Aurelianensis, & circumstantiam necis illius, omnis talis est inimicus dicti Ducis Burgundiæ, & salutis „ suæ, & peccat adeo taliter, quod si in hoc sit pertinax,

Gersonii Schedula contra Burgundiæ Ducem & ejus fautores.

„ tinax, condemnandus est ot fautor hæreticæ pravitatis. Redditurus est insuper rationem de omnibus damnis, tam spiritualibus, quam temporalibus, inde provenientibus vel faturis. Recogitet idcirco quilibet sive Doctor, sive Prælatus, aut alius, quemadmodam dissimulavit in hanc materia, vel dissimulabit, favore, vel timore, vel negligentia, prout quilibet scit vel scire debet, qualiter obligatur ad correctionem fraternam vel doctrinalem, aut judicialem, præcipue Summus Pontifex cum sacro Cardinalium Collegio, aut atiam Generali Concilio. Attento, quod evidentia patrati sceleris, clamore non indiget accusantis. Denique talis, qualis prædictus est censendus impeditor pacis, & boni tractatus in hac parte, quoniam circa hunc errorem versatur principalis ratio belli in Franciæ Regno. „ Refert *Joannes Juvenalis de Ursiait*, Remensis Archiepiscopas in Historia *Caroli VI.* ad aonum 1415. pag. 293. Editionis Regiæ.

Sententia Parisiensis Episcopi & Inquisitoris in Articulos erroneos Joannis Parvi, Regio edicto in Tabulas supremi Senatus Parisiensis relata est.

VIII. Non omnibus placuit œconomia Concilii, quss *Jannis Parvi* nomini ac memoriæ pepercerat. Id cum accepisset Senatus Parisiensis, Literas Regias triennio ante datas, die scilicet 16. Martii, anno 1413. quibus executionem Sententiæ ab Episcopo Parisiensi & Inquisitore in *Joannem Parvi* latæ ejus Majestas imperabat, in Commentarios seu Regesta Coriæ retulit, dio quarta Junii 1416. Hujus porro tenoris erant.

„ Carolus Dei Gratia Francorum Rex, dilectis & fidelibus Consiliariis, Gentibus nostrum præsens Parlamentum tanentibus, & quæ futura nostra tenebunt Parisius Parlamenta, salutem in Eo per qoem Reges regnant, & Legum conditores justa decernunt. Quoniam omnis potestas a Domino Deo est, sceptrumque Regiæ Dignitatis de manu Domini suscepimas, dignom est ut in lege ejus jugiter ambulemus, & nostrorum Progenitorum imitatione Nos Evangelicæ Veritatis constituamus defensores, *&c.* Nuper igitur tam ex insinuatione charissimæ Filiæ nostræ Universitatis Parisiensis, quam aliunde, cognovimus, quod qoidam errores contrarii nostræ Fidei, bonisque moribus qoam plurimum adversantes, humanam confundentes pietatem, pacemque cujuslibet Politici Regiminis conturbantes, ac multipliciter scandalosi, citra paucos annos fuerunt in hac Urbe Regia, & per totum Regnum nostrum seminati, & specialiter in quadam Propositione, quam Magister Joannes Parvi *JUSTIFICATIONEM DUCIS BURGUNDIÆ* fecit appellari: in qua quidem propositione dictus Auctor in suis Assertionibus principaliter intentis Legem immaculatam homanis divinitus inspiratam cordibus hæreticali quamplurimom labe perfudit, pestiferam horridamque doctrinam in agro dominico seminando, spiritoalibusque alimentis venenom immiscens lethiferum; unde, proh dolor! tantus error cæcis animis invaluit, ut simplex populus, gensque facile credula, a viris Domini procul abjecti, per devia in perditionem ambulabant. Quamobrem dilectum ac fidelem Consiliarium nostrum Episcopum Parisiensem, ac dilectum nostrum Inquisitorem pravitatis hæreticæ diligenter commonuimus, ut tam æstuanti morbo salubriter occurrerent. Qui animadvertentes hanc labem in ovili dominico jam gravem intulisse jacturam, post diligentem ac solemnem negotii examinationem per egregios Sacræ Theologiæ Professores, ac Licentiatos tam numerose tamque solemniter super hoc convocatos, diu multumque deliberantes, dictam Propositionem tamquam erroneam in fide & bonis moribus, ac multipliciter scandalosam, abolendam atque condemnandam asse decreverunt, eamque per celeberrimum Fidei Concilium judicialiter condemnari procurarunt, cremandamque publice, proat decet, ordinarunt: prout ex inspectione Sententiæ seu condemnationis super hoc per dictos Episcopum & Inquisitorem promulgatæ; quam una cum Præsentibus sub Contrasigillo nostro vobis mittimos obligatam, præmissa possent latius apparere. Nos itaque considerantes, quod jam dicta Propositio inventa est in suis Assertionibus non solum divinam, & æternam sed etiam temporalem offendere Majestatem, & ob hoc desiderantes, ut non solom id Ecclesiasticis Curiis, sed etiam per totum Regnum nostrum, & potissime in nostra capitali Curia, ipsius pestiferæ Propositionis abolitio ac condemnatio divulgetur, ejusdemque (prout decet) concrematio subsequatur: Vobis præcipimus & mandamus, quatenus dictam Episcopi & inquisitoris Sententiam jodicialemqoe condemnationem, faciatis coram vobis in nostra Curia solemniter publicari, ac in Registris seu Libris dictæ Curiæ ad memoriam perpetuam registrari: ipsamque damnatam Propositionem, seu ejus quaternos & particulas, ubicumque & apud quemcumque reperiri poterunt, faciatis in vestro Auditorio palam & publice tamquam nobis injuriosam, & læsivam nostræ Regiæ Dignitatis lacerari; inhibendo, præcipiendoque ex parta nostra sub pœna confiscationis corporis & bonorom, ne quis deinceps cujuscumque statua, dignitatis, præeminentiæ, aut conditionis existat, dictam Propositionem aut nefariam doctrinam in ea contentam, verbo aut alias fovere, publicare, defendere, sustinere, seu dogmatizare audeat publice vel occulte: quodque si quis aliquem sciverit contrarium facientem, illud Procoratori nostro Generali, quam citius & commode fieri poterit, sub jam dictis pœnis denuntiare teneatur.

ARTICULUS V.

DE ERRORIBUS F. MATTHÆI GRABON.

FRATER *Matthæus Grobon*, Ordinis Prædicatorum Professor, Conventus VVismariensis, Merseburgensis Diœcesis, Provinciæ Saxoniæ, Fratres *Vitæ Communis*, seu eorum Institutum, quo Religiosorum instar, nullam tamen Regulam, nullumque Ordinem ex approbatis ab Ecclesia professi vivebant, impugnando, in plures errores lapsus est. Hos edito Libello expressit, qui cum ad Conciliom Constantiense delatus esset, *Martinus V.* Pontifex Maximus ejus examen ac censuram commisit Cardinali Aquilejensi, *Petro de Alliaco* Cardinali Cameracensi, aliisque Prælatis & Doctoribus, quorum unus erat *Joannes Gersonius* Ecclesiæ & Academiæ Parisiensis Cancellarius. Judices Deputati, *Fratris Matthæi* propositiones damnarunt, quasdam ut hæreticas, alias ut erroneas, nonnullas ut scandalosas, & piarum aurium offensivas: ipsumque *F. Matthæum Grabon* ad illarum abjurationem lata Sententia compulerunt, quam Summus Pontifex confirmavit. Erant autem hujusmodi propositiones ex *Grabons* Libello excerptæ.

1. *Proprietas temporalium rerum statui sæculari essentialiter est annexa.*

2. *Nullus sine peccato potest illud abjicere, quo retento potest convenienter vivere secundum statum suum.*

3. *Omnes peccant, qui bona sua simpliciter in eleemosynam largiuntur propter Christum.*

4. *Abdicationem omnium propter Christum nullus facere potest extra veras Religiones manendo sine peccato mortali; & dico veras Religiones per Sedem Apostolicam approbatas.*

5. *Papa non potest dispensare cum sæcularibus, ut omnibus in singulari careant.*

6. *Si Papa posset alicui concedere hoc, tunc posset ei concedere propriæ vitæ subtractionem, quod est contra Præceptum Decalogi:* Non occides.

7. *Religiosus non potest sine peccato mortali abdicare voluntatem habendi communia, quando actu talia non habet.*

8. *Quod aliquis sit voluntarie pauper propter Christum, in sæculo manens, omnino nihil habendo in singulari, nec etiam ipsam voluntatem habendi propria, includit omni tempore contradictionem.*

9. *Nullus potest paupertatis consilium meritorie observare, nisi fuerit in statu spiritualis perfectionis, sive veræ Religionis. Dico autem veram Religionem, secundo modo dictam Religionem.*

10. *Reputantes se bene facere assumendo paupertatem, quæ est Salvatoris consilium, remanendo in Statu sæculari, peccant mortaliter.*

11. *Abdicare omnia etiam propter Christum, nisi veram & approbatam Religionem ingrediatur, est sibi & suis, quorum cura sibi incumbit, vitam subtrahere, quod est homicidium committere tot hominum, quot ejus curæ subduntur.*

12. *Credentes se mereri vitam æternam abdicatione, credunt se posse mereri vitam æternam mortaliter peccando.*

13. *Effundi omnes opes simul ab his qui volunt in sæculo manere, reducitur quasi immediate ad illud præceptum:* Non occides.

14. *Dicens omnia meritorie esse abjicienda propter Christum, remanenti in sæculo, est hæreticus judicandus.*

15. Nul-

15. *Nullus potest meritorie & secundum Deum, obedientiæ, paupertatis, & castitatis consilia extra veras & approbatas Religiones manendo, adimplere.*

16. *Tria Salvatoris consilia sic sunt concatenata, ut ubi paupertas meritoria, in quantum est Salvatoris consilium, invenitur, oportet ut necessario alia duo, scilicet castitas & obedientia inveniantur, quæ a paupertate separari non possunt.*

17 *Matronæ seu mulieres communem vitam ducentes, in simul commorantes, Beguttæ vulgariter nuncupatæ, quascumque errores non tenentes aut prædicantes, seu alias de erroribus vel hæretica pravitate non suspectæ, æternæ damnationis sunt filiæ; & earum status est prohibitus & damnatus.*

18. *Peccant, qui propria sua resignant, non intrantes Religionem approbatam.*

19. *Non licet Presbyteris & Clericis communem vitam ducere, nisi in Religione approbata, sub pœna peccati mortalis.*

20. *Peccant omnes qui fovent consilio & auxilio communem vitam ducentes extra Religionem approbatam.*

21. *Excommunicati sunt omnes communem vitam ducentes extra Religionem approbatam.*

22. *Similiter excommunicati sunt illi, qui vitam communem extra Religionem approbatam ducentibus præbent eleemosynas. Et qui tales fovent consilio & auxilio, vel defensione, similiter sunt & sunt in statu perpetuæ damnationis; & nisi de hujusmodi excessibus eorum magna contritione pœnituerint, ad vitam æternam non possunt pervenire, neque solvi permanere.*

23. *Omnes vitam communem ducentes extra Religionem approbatam, sunt illi a quibus Salvator noster præcipit esse abstinendum, & tamquam a falsis Prophetis attendendum.*

24. *Quilibet faciens contra Jura Canonica peccat mortaliter.*

25. *Nullus corpore validus, absque communi utilitate & necessitate potest extra veras Religiones sine peccato eleemosynas Christi Fidelium tollere.*

Istæ propositiones cum Censuris *Petri de Alliaco* & *Gersonii*, ejusdemque *F. Matthæi Grabon* Revocatione & Abjuratione, habentur inter ipsius *Gersonii* Opera Tom. 1. pag. 628. & sequentibus

ARTICULUS VI.

De ERRORIBUS AUGUSTINI DE ROMA.

AUgustinus de Roma, Nazarenus Archiepiscopus, ex Ordine FF. Eremitarum S. Augustini assumptus, Librum *De Christo & Ecclesia* conscripsit, cujus primus Tractatus *De Sacramento unitatis Jesu Christi & Ecclesiæ, sive de Christo integro* inscribebatur: Secundus, *De Christo Capite, & ejus inclyto Principatu*: Tertius, *De Charitate Christi erga Electos, & ejus infinito amore*: multis propositionibus erroneis scatentem, quarum præcipuas in Actis Concilii Basileensis, Sessione 22. legere est.

1. *Christus quotidie peccat, & ex quo fuit Christus, quotidie peccavit.* Quam tamen assertionem non de Christi persona, sed de membris ejus se intelligere declarabas, quæ cum Capite unum Christum esse asserebas.

2. *Non omnes Fideles Justificati sunt membra Christi, sed soli electi, finaliter in perpetuum regnaturi cum Christo.*

3. *Secundum ineffabilem præscientiam Dei sumuntur membra Christi, ex quibus constat Ecclesia, quæ tamen non constat nisi ex eis qui secundum propositum electionis vocati sunt.*

4. *Non sufficit Christo uniri vinculo charitatis, ut aliqui efficiantur membra Christi, sed requiritur alia unio.*

5. *Humana natura in Christo vere est Christus: Humana natura in Christo est Persona Christi: Ratio suppositalis determinans humanam naturam in Christo, non realiter distinguitur ab ipsa natura determinata.*

6. *Natura humana assumpta a Verbo ex unione personali, est veraciter Deus naturalis & proprius.*

7. *Christus secundum voluntatem creatam tantum diligit naturam humanam unitam personæ Verbi, quantum diligit naturam divinam.*

8. *Sicut duæ Personæ in divinis sunt æqualiter diligibiles, ita duæ naturæ in Christo, divina & humana, sunt æqualiter diligibiles propter Personam communem.*

9. *Anima Christi videt Deum tam clare, & intense, quantum clare & intense Deus videt seipsum.*

Has propositiones, & alias ex eadem radice procedentes, in prædicto libello contentas, *tamquam erroneas in fide* damnavit Synodus Basileensis Sessione 22. Librum & Tractatus ejus defensorios damnavit, reprobavit, prohibuit: Auctoris vero personæ præjudicare noluit, quia etsi debite vocatus fuisset, causas tamen absentiæ allegaverat, & in aliquibus suis scriptis, & alias doctrinam suam Ecclesiæ Judicio subjecerat.

JOAN. DOM. MAN.

Nota.

AUgustini de Roma libros de Christo & Ecclesia examini suo commissos a Basileensi Concilio discussit Cardinalis de Turrecremata, celebris ætate illa Theologus, plenamque eorum censuram suam Concilii Patribus de scripto dedit. Scriptum hoc ego in Lucensi Codice nactus evulgavi in Supplemento meo ad Concilia Labbei tom. 4. pag. 1203.

ARTICULUS VII.

De ERRORIBUS VIRORUM QUORUMDAM RELIGIOSORUM EX MENDICANTIUM SODALITIIS.

ANNO 1443. quidam ex Ordinibus Mendicantium Religiosi homines, Ecclesiasticæ Disciplinæ prorsus ignari, in Taurinensi præsertim & Astensi Diœcesibus erroneas quasdam, scandalosas, & Sacræ Hierarchiæ perturbatrices propositiones docebant & prædicabant, quarum tenorem *Augustinus Patricius* in Historia Conciliorum Basileensis & Florentini exhibet, cap. 137.

1. *Parochiani non tenentur de Jure Dominicis diebus & solemnibus Missas in propriis Ecclesiis Parochialibus audire, sed ubi pro sua devotione maluerint, prætermissis suis Parochiis: neque hæc libertas ipsis adimi potest a Synodalibus Constitutionibus.*

2. *Parochiani suis Curatis illis diebus non tenentur ad oblationem faciendam, sed in voluntate dantis est cui velit, oblationem facere.*

3. *Obnoxius quavis causa ut Missas celebrari curet pro vivis & defunctis, non satisfacit debito suo si per Curatum Sacerdotem id fieri curet; quoniam ratione Beneficii ad id est obligatus.*

4. *Decimarum solutio, etsi de præcepto sit; non tamen de præcepto est cui sit solvenda: liberum igitur est omnibus cui velint eas solvere, vel in opera pietatis pro arbitrio impendere.*

5. *Morientes in habitu & Professione Ordinis Minorum, ultra annum pœnas Purgatorii non patiuntur; quoniam B. Franciscus ex divino privilegio quotannis ad Purgatorium descendit, Professoresque omnes sui Ordinis ad Cœlum secum deducit.*

6. *Fratres Mendicantes, etiam non præsentati Ordinariis, omnium Confessiones audire possunt; & qui apud eos sunt confessi, non tenentur etiam semel in anno confiteri proprio Sacerdoti, nec petere confitendi veniam.*

7. *Episcopi Diœcesani, etiam in suis Synodis, non possunt sibi reservare absolutiones aliquorum criminum præter casus in Jure expressos.*

Has propositiones ut falsas & erroneas damnavit Synodus Basileensis Decreto edito pridie Idus Februarii, anno millesimo quadringentesimo quadragesimoquarto, ut refert *Augustinus Patricius*.

ARTICULUS VIII.

DE PETRO OXOMENSI.

PETRUS *De Osma sive Oxomensis* Theologiæ in Urbe Salmanticensi Professor, audaci vir ingenio, Librum vulgavit anno 1479. quo inter alios errores asserebat, Non a Christo institutam, sed ab hominibus invectam Confessionem Sacramentalem, peccataque mortalia una cordis contritione; pravas cogitationes sola displicentia deleri. Hos errores *Alfonsus Carillius*, Toletanus Archiepiscopus Compluti, jussu *Sixti*

Sixti IV. Pontificis Maximi, convocatis viris doctissimis post accuratum examen damnavit; Auctoremque, nisi retractaret, Anathematis ignominia notavit, lata Sententia ad nonum Kalendas Junii, quam paulo post *Sixtus* Romæ confirmavit edita Constitutione V. Idus Augusti; plures alias ejusdem *Petri* erroneas Assertiones; propter earum enormitatem (ut loquitur) silentio premens, ut ex hominum memoria delerentur. *Petrum Oxomensem* justo volumine confutavit *Joannes Prexanus*, nobilis ea ætate Theologus. Narrat vero *Bannes* Commentario in Secundam Secundæ, *S. Thomæ* Quæst. 1. Art. X. *Petri Oxomensis* Librum simul cum Cathedra, in media Schola igni traditum.

ARTICULUS IX.

De FOSSARIIS.

TUrpissimæ *Fossariorum* Hæresis Annales Ecclesiastici ad annum millesimum quingentesimumprimum meminerunt, sic nuncupatorum, quod in fossis & speluncis noctu convenirent, & promiscua libidine more brutorum se commiscerent, ut docet *Trithemius* in Chronico Spanheimensi. In Bohemia præsertim grassabatur hæc pestis, in qua ad undeviginti millia crevisse dicebantur: qui & Ecclesiam Dei & ministros ejus contemnebant, Sacramenta irridebant, infinitosque alios errores profitebantur. Errores suos miro subtilitate defendebant, certis superstitionibus & execrationibus spiritum erroris, quem ipsi quidem divinum appellabant, recipientes, haustu grandis muscæ, quæ in os eorum ingrediebatur, qui nefariæ Sectæ nomen darent. Ad hunc modum in hæresi confirmabantur, adeo ut nec disputationibus, nec suppliciis ad Catholicam Fidem revocari possent.

ARTICULUS X.

DE HERMANO RUISSVICH.

H*Ermanus Ruissvich*, natione Batavus, cum in multos lapsus olim errores, palinodia cantata, perpetuo carcere damnatus esset anno 1499. inde evasit, ac in priorem insaniam relapsus, pejores quam antea blasphemias evomuit; propter quas Hagæ captus anno 1512. per Hæreticæ Pravitatis Inquisitores sæculari Magistratui traditus, vivus exustus est. Hi porro ejus errores fuere: 1. Angelos e Deo creatos non esse. 2. Animam simul cum corpore interire. 3. Nullum esse infernum. 4. Materiam ex qua elementa facta sunt, non esse a Deo factam, sed ipsi coæternam. 5. Christum fuisse stultum, & simplicem, phantasticum ac seductorem hominum; damnasse universum mundum, & neminem salvasse. 6. Quæcumque Christus gessit, humano generi & rectæ rationi esse omnino contraria: proindeque ipsum omnipotentis Dei Filium non esse. 7. *Mosen* a Deo modo visibili Legem non accepisse; nec facie ad faciem cum eo locutum. 8. Fidem nostram fabulosam esse, fatuam Scripturam, ficta Biblia, delirum Evangelium. 9. Evangelium falsum esse, quod qui potuit creare mundum sine incarnatione, eumdem quoque salvare sine Incarnatione potuerit. Hos & consimiles Articulos coram Inquisitore confessus vir impiissimus, addidit: Se Christianum natum esse, sed jam a Christianismo descivisse, quod Christianos omnes ementissimos judicaret. Ita referunt *Bernardus Lutzemburgus*, & *Prateolus*, Lib. 8.

ARTICULUS XI.

DE LUTHERANA HÆRESI.

§. I.

De Luthero ejusque moribus, & Hæreseos initiis.

I. HÆreseos ac Sectæ Auctor *Martinus Lutherus* Islebii in Saxonia plebeis parentibus natus est anno 1483. *Luder* familiæ nomine appellatus, quod in *Lutheri* nomen mutavit ob vocabuli significationem minus honestam. Humanioribus literis imbutus, Erfordiam se contulit, insignem Thuringiæ urbem, ubi celebris erat Academia, in qua Lauream Artium consecutus est, anno ætatis suæ vigesimo. Juris deinde studium aggressus, cum rure esset, fulminis in sodalem immissi ictu perterritus, Ordini Eremitarum *S. Augustini* nomen dedit, anno ætatis vigesimo-secundo, et ipse ad *Parentem* scribit in Præfatione Libri De Votis Monasticis: *Memini* (inquit) *cum jam placatus mecum loquereris, & ego de cœlo terroribus me vocatum assererem. Neque enim libens & cupiens fiebam Monachus, multo minus vero ventris gratia, sed terrore & agone mortis subitæ circumvallatus, emisi coactum & necessarium Votum. Utinam, ajebas, non sit illusio & præstigium!* In Cœnobio Erfordiensi mansit annis quatuor, speciem quamdam pietatis præ se ferens, Fratribus tamen nonnihil singularitatis habere visus, seu ex occulto cum dæmone commercio, seu ex morbo comitiali. Quodam enim die cum in Missa legeretur Evangelium de dæmonio a surdo & muto per Christum ejecto, subito concidens, clamavit: *Non sum, Non sum*. Nefarii ipsius cum dæmone fœderis auxere suspicionem, quæ postea dixit scripsitque. In quodam enim ad populum Sermone, se diabolo familiarem esse ait, seque cum ipso plusquam unum modium salis comedisse. Et in libro *De Angulari* (ut vocat) *Missa*, Disputationem diaboli noctu secum habitam commemorat. VVittembergam anno 1508. translatus, post Actus Academicos Lauream Doctoralem obtinuit, ac Theologiæ Professor creatus est. In disputando acer erat & vehemens, humanæque gloriæ percupidus.

II. Accidit interea ut *Leo X.* Pontifex Maximus novas Indulgentias profunderet ac per orbem prædicari curaret occasione Fabricæ Templi *S. Petri* Romæ, quam *Julius II.* inceperat. Archiepiscopo Moguntino & Magdeburgensi S. R. Ecclesiæ Cardinali *Alberto*, Marchioni Brandeburgensi, promulgandarum in Germania Indulgentiarum provincia demandata est. Is Septemvir delegatus munus id commisit *Joanni Tetzelio* Ordinis FF. Prædicatorum professori doctissimo, Quæsitori Fidei, fervido Concionatori, qui paulo ante similem delegationem pro Teutonicis Equitibus administraverat. Id Augustinianorum promovit invidiam, quibus Vicarii generalis nomine præerat in Germania *Staupitius*, apud Saxoniæ Ducem *Fridericum* perquam gratiosus. Eo favente Ordinis Eremitani moderatore, *Lutherus* contra Indulgentias declamare cœpit ac debacchari, scripta primum Epistola ad *Albertum* Moguntinum Archiepiscopum, qua conquerebatur de Indulgentiis Pontificiis, sub ejus Excellentiæ nomine promulgatis. Se Concionatores, quos non audierat, minime reprehendere ajebat; sed per vulgus serpere audacem fiduciam suadentem, quicumque eleemosynam quæsitam conferret, æternæ gloriæ certum esse, nec alia satisfactione indigere, ut culpa simul & pœna solvatur: nihil cogitari posse Scripturæ Sacræ repugnantius ea persuasione; cum *S. Petrus* doceat *vix justum esse salvum*, & apud *Amos* & *Zachariam* æquiparentur electi torribus e medio incendio subtracta. Vim aliam Indulgentiis non inesse, nisi a pœnis Canonicis liberandi, quas imponit Ecclesia. Denique opera pietatis & charitatis esse in infinitum Indulgentiis meliora. Ipsius Archipræsulis nomine circumferri libellum; in quo affirmabatur, unam principalium gratiarum esse donum illud Dei inæstimabile, quo reconciliatur homo Deo & omnes pœnæ deleantur Purgatorii. Item quod non sit necessaria contritio sive ad Indulgentias impertiendas defunctis, seu ad absolutionem obtinendam ab eo, quem sibi ex privilegio delegissent ad peccatorum suorum Confessionem excipiendam. Se a Septemviro suppliciter postulare, ut hujusmodi libellum prohiberet, aliamque formam Indulgentiarum Prædicatoribus præscriberet, ne forte aliquis libellum ipsum confutaret, ad summum Celsitudinis ipsius vituperium. Scripta est hæc Epistola in Vigilia omnium Sanctorum, anno 1517. Ad Epistolæ calcem adjecit nonaginta-septem Conclusiones, quas, non expectato responso, eodem die proposuit in Templo magnifico, Deo sub omnium Sanctorum invocatione VVittembergæ a Saxoniæ Duce dicato; typisque mandatas per omnem Germaniam dispergendas curavit. Utque non solum apud Studiosos, verum etiam apud plebem Indulgentiarum Religionem elevaret, solemnem super eodem argumento Concionem in eodem Templo habuit, ac typis mandavit. Adversus *Lutheri* Theses *Tetzelius* alias exposuit Francofurti, ubi Quæsitorem Fidei agebat, quibus Novatoris fallacias detexit, & Romanum Pontificem Concionatoresque a calumnia vindicavit. Verum, quod objicerentur ab æmulo, pertinaciam *Lutheri* magis in sententia obfirmarunt. Addit *Melanchton* in vita *Lutheri*, Theses ejus

Lutheri contra Indulgentias declamatio.

Tom. 1. Operum Lutheri fol. 92. verso.

Lutheri Theses contra Indulgentias.

ejus a *Tetzelio* igni traditas ut hæreticas. Parem contumeliam VVittembergæ octingentis exemplaribus Thesium *Tetzelii* inferi procuravit *Lutherus*. Quod etsi in foro publice peractum fuerit, Duce tamen, Magistratibus, ac se inscio, immo ægre ferente patratum fuisse scribit Epistolis 42. & 47. Hæc turbulentæ contentionis exordia, quæ anno sequenti in apertum efflagravit incendium. Hæresim propagavit favente *Friderico* Saxoniæ Septemviro.

Lutheri Mores.

III. *Lutheri* petulantiam, superbiam, ambitionem, impudentiam, scurrilitatem, irreverentiam in Principes, propensum ad seditiones concitandas animum, impudicitiam, impietatem, blasphemias, mendacia, calumnias, ipsa ejus Scripta, Actaque a *Joannes Cochlæo* fideliter conscripta testantur. *Lutheri* asseclæ, ipso probante ac laudante, novem Virgines genere Nobiles & Deo sacras, ipsis diebus quibus Ecclesia anniversariam Dominicæ Passionis memoriam celebrat ex Monasterio Nimicensi VVittembergam ad stupra rapuerunt. *Leonardum Koppen* raptorem incestuosum Panegyrica oratione *Lutherus* celebravit, illud facinus in Deum refudit, illumque cum Christo animas ex Inferorum Potestatibus eripiente contulit, anno 1523. *Fecisti* (inquit) *opus novum, de quo Provinciæ hominesque cantabunt & loquentur; quod multi velut ingens incommodum proclamabant: qui autem cum Deo sentiunt, velut ingens commodum glorificabunt, ut sis certus Deum ita ordinasse, & non esse hoc opus aut consilium tuum proprium. Ne dixeris, Hic in me concitatur totum Cœnobium Nimicense, quando jam audiunt me illum fuisse raptorem. Respondeo*, inquit Lutherus, *immo vero felicem raptorem, sicut & Christus raptor erat in mundo, quando per mortem Principis mundi auferebat arma & vasa sua, ipsumque ducebat captivum, ita & tuas miseras animas ex carcere humanæ tyrannidis eduxisti; & quidem opportunissimo tempore, in Pascha, quo Christus suorum quoque captivitatem captivam duxit*. O sacrilegas voces! Infelicium illarum Monialium unam *Catharinam de Borè*, jam gravidam incesto matrimonio sibi copulavit: Conjugium vocat, hoc prætexit nomine culpam. Tres ex ea reliquit liberos. Obiit anno 1546. die decimaseptima Februarii, Islebii, noctu, cum sero præcedenti opipare cœnasset, & facetiis pro more indulsisset. Varios de illius obitu libellos emisere præcipui ejus discipuli, *Jonas*, *Philippus Melancthon*, & *Joannes Pomeranus*. Jonas morti ejus subitaneæ & improvisæ interfuit, ac funebris postea pompæ contexuit historiam. Alii duo funebres habuere Conciones: *Pomeranus* Germanicam ad populum, Latinam ad Scholasticus *Melancthon*, qui & vitam ejus scripsit præfationis loco adtextam Operum suorum Tomo I. Ejus cadaver stanneo loculo inclusum VVitembergam delatum est, comitante *Catharina* pellice carpento vecta, una cum tribus filiis, *Joanne*, *Martino* & *Paulo*, & magna equitum peditumque suæ superstitionis prosecutione. Insanam ejus superbamque sententiam celebrat, ejusque tumulo inscribendam ait Pomeranus: *Pestis eram vivus, moriens mors ero tua, Papa*.

§. II.

De Lutheri Erroribus, ac Scriptis quibus illos adstruit & tuetur.

Tomo I. Operum Lutheri, Pag. 55.

I. NOn statim suos omnes errores evomuit *Lutherus*, sed successione quadam prout data est occasio illos publicandi, in disputationibus, in Concionibus vel libris. Ab Indulgentiis & Purgatorio errandi initium fecit: De quibus conclusiones istas proposuit disputandas VVittembergæ anno 1517. *Papa non vult nec potest ullas pœnas remittere, præter eas, quas arbitrio, vel suo, vel Canonum imposuit*.

„ 2. Papa non potest remittere ullam culpam, nisi „ declarando & approbando remissam a Deo, aut cer- „ te remittendo casus reservatos sibi.

„ 3. Imperfecta charitas, seu charitas morituri, ne- „ cessario secum fert magnum timorem, qui satis est „ se solo ut pœnam Purgatorii faciat, cum sit proxi- „ mus desperationis errori „. Hic Articulus quartus est e damnatis a Leone X.

„ 4. Non videtur probatum ullis aut rationibus aut „ Scripturis quod Animæ in Purgatorio sint extra sta- „ tum meriti, seu augendæ charitatis, & quod sint de „ sua beatitudine certæ & securæ, saltem omnes „. Est trigesimus-secundus e damnatis a *Leone X*.

„ 5. Thesauri Ecclesiæ non sunt merita Christi & „ Sanctorum.

Tom. I. Operum Lutheri, Ædit. VVittemb. fol. 53. verso.

II. Eodem anno Conclusiones alias quinquaginta proposuit, in quibus hi errores extant.

„ 6. Remissio culpæ non innititur contritioni pec- „ catoris, nec officio aut potestati Sacerdotis. Inniti- „ tur potius fidei, quæ est in verbum Christi dicen- „ tis: Quodcumque solveris, &c. Verum est enim quod „ non Sacramentum fidei, sed fides Sacramenti, id est, „ non quia fit, sed quia creditur, justificat „. Est undecimus e damnatis a *Leone X*.

„ 7. Quantumlibet incertus sit, tam Sacerdos, quam „ peccator de contritione, rata est absolutio, si credit „ se absolutum. Certum est ergo remissa esse pecca- „ ta, si credis remissa, quia certa est Christi Salvato- „ ris promissio „. Est decimus Articulus a *Leone X*. damnatus. Idem repetit in Concionibus: *Nullo modo te confidas absolvi propter tuam contritionem, sed propter verbum Christi, qui dixit Petro: Quodcumque solveris, &c.* fol. 61. verso.

„ 8. Super contritionem ædificantes remissionem, su- „ per arenam, id est, super opus hominis, fidem Dei „ ædificant.

„ 9. Injuria est Sacramenti, & desperationis ma- „ china, non credere Absolutionem, donec certa sit „ contritio.

„ 10. Finge casum per impossibile: sit absolvendus „ non contritus, credens tamen sese absolvi, hic est „ vere absolutus „. Pars est Articuli 12. a *Leone X*. damnati.

„ 11. Sacerdos etiam levis ac ludens, vere tamen „ baptizat & absolvit. „ Pars est ejusdem Articuli. Idemque repetit in Concionibus: *Esto per impossibile quod confessus non sit contritus, aut Sacerdos non serio sed joco absolvat: si tamen credat se absolutum, vere est absolutus*.

Fol. 61.

„ 12. Sacramenta Novæ Legis, non sic sunt effica- „ cia gratiæ signa, quod satis sit in percipiendis non „ ponere obicem „. Est primus Articulus a *Leone X*. damnatus.

Tom. I. fol. 61.

„ 13. Sicut venialia peccata non pertinent ad Con- „ fessionem & Absolutionem clavium, ita non omnia „ mortalia. Si homo teneretur omnia peccata mortalia „ confiteri, & ab eis absolvi, teneretur simpliciter ad „ impossibile „. In Sermonibus idem asserit. *Nullo modo* (inquit) *præsumas confiteri peccata venialia, sed nec omnia mortalia, quia impossibile est ut omnia mortalia cognoscas. Unde in primitiva Ecclesia solum manifeste omnia peccata mortalia confitebantur*. Est Articulus 8. a *Leone X*. damnatus.

„ 14. Nullus hominum cognovit quoties peccet mor- „ taliter, etiam in bonis operibus, propter vanam glo- „ riam. Est Articulus 13. a *Leone X*. damnatus.

Tom. 6. fol. 34. verso.

III. Alias Conclusiones proposuit *Heidelbergæ* sexto Kalendas Maji ejusdem anni, in quibus hi leguntur errores.

„ 15. Opera hominum, ut semper sint speciosa, „ bonaque videantur, probabile tamen est ea esse pec- „ cata mortalia. Justorum opera essent mortalia, nisi „ pro Dei timore ab ipsismet justis ut mortalia time- „ rentur. Tunc vere sunt peccata apud Deum venia- „ lia, quando timentur ab hominibus esse mortalia „. Sunt Articuli vigesimus-sextus & vigesimus-septimus a *Leone X*. damnati.

„ 16. Liberum arbitrium post peccatum res est de „ solo titulo, & dum facit quod in se est, peccat mor- „ taliter. Est articulus trigesimus-primus a *Leone X*. damnatus.

„ 17. Non ille justus est qui multum operatur, sed „ qui sine opere multum credit in Christum.

IV. Concionibus eodem anno habitis VVittembergæ hos errores asseruit.

„ 18. Novi Auctores, ut Magister Sententiarum, S. „ Thomas, & horum imitatores, tres partes faciunt Pœ- „ nitentiæ, nempe Contritionem, Confessionem, & Sa- „ tisfactionem. Quæ distinctio deduci non potest ex Scri- „ ptura, neque ex antiquis Religionis Christianæ Aucto- „ ribus „. Est Articulus quintus a *Leone X*. damnatus.

„ 19. Ex nulla Scriptura colligi potest, divinam Ju- „ stitiam sive pœnam sive satisfactionem exigere de „ peccatore.

„ 20. Illius imaginariæ pœnæ nomen, quam Indul- „ gentiæ excludunt, nemo explicare potest, neque „ quisquam novit quidnam sit.

„ 21. Frivolum est, quod dicunt, numerum pœna- „ rum & operum, quibus satisfaciendum pro peccatis, „ esse majorem, quam homo in omnem vitam tum „ facere tum perferre queat, ob exiguum vitæ spa- „ tium, eoque necessarias Indulgentias.

„ 22. Fœdus est error, quod quispiam de peccatis se

„ putet

„ putet satisfacturum, quæ Deus gratis remittit, nihil e nobis requirens, quam ut in posterum bene vivamus.

„ 23. Indulgentiæ admittuntur propter inertes & pigros Christianos, qui nolunt animose neque bona facere, neque mala sustinere. Nam Indulgentiæ nihil promovent in melius: Ideoque non est licitum ad eas adhortari.

„ 24. Indulgentiæ neque præcepti, neque consilii sunt, sed ex illarum rerum numero, quæ sub permissionem cadunt.

Fol. 59. verso.

„ 25. Contritio, quæ paratur per discussionem, collectionem, detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum gravitatem, damnum, fæditatem, multitudinem, amissionem æternæ beatitudinis, ac æternæ damnationis acquisitionem, & alia quæ possunt tristitiam & dolorem excitare, spe satisfaciendi per bona opera, facit hypocritam, immo magis peccatorem „. Est Articulus sextus a *Leone X.* damnatus.

Fol. 60. verso.

„ 26. Verissimum est Proverbium, & omni doctrina de contritionibus hucusque data præstantius; Deceтero non facere optima pœnitentia, nova vita. „ Est Articulus septimus a *Leone X.* damnatus.

„ 27. Dum volumus omnia pure confiteri, nihil aliud facimus, quam quod misericordiæ Dei nihil relinquere volumus ignoscendum „. Est nonus Articulus a *Leone X.* damnatus.

Fol. 62. verso.

„ 28. Plus est a confitente requirendum an credat se absolvi, quam an sit vere contritus.

„ 29. Excommunicatio est dumtaxat eternæ privatio communionis, non spiritualium Ecclesiæ bonorum, communiumque orationum „. Est Articulus decimus-octavus a *Leone X.* damnatus.

„ 30. Excommunicatio amanda est „. Decimus-nonus Articulus a *Leone X.* damnatus.

Fol. 64. verso.

„ 31. Magnus & perniciosus error est, si quis accedat ad Sacramentum ea nixus fiducia, quod confessus est, quod non est sibi conscius peccati mortalis, quod orationes & præparatoria sua præmiserit. Omnes hi judicium sibi manducant & bibunt, quia his omnibus non fiunt digni neque puri, sed si certissime confidant se gratiam consecuturos. Hæc fides sola & summa ac proxima dispositio facit vere puros & dignos „. Articulus duodecimus a *Leone X.* damnatus.

Fol. 73.

„ 32. Baptismus non totum peccatum tollit & abluit. Cœpta tantum in eo Christiana innocentia est non absoluta.

Fol. 75.

„ 33. Ab impiis Doctoribus persuasi, sentimus nos e Baptismo seu Contritione sine peccatis esse. Item, quod bona opera non ad mortificanda peccata, sed ad cumulanda merita, & ad satisfaciendum pro peccatis, valeant. Confirmant autem impiam hanc opinionem, qui Vitas & opera Sanctorum impudenter prædicant, quasi ea proposita sint exempla, quæ nos imitari conveniat.

Fol. 74. verso.

„ 34. Tum vim suam Baptismus obtinet, & certo mihi remissa sunt peccata, cum credo Deo promittenti quod nolit mihi imputare, quamvis maxima earum pars adhuc in carne remaneat.

Fol. 76.

„ 35. Quod si sentis, si a peccatis recedas, & fœderis quod in Baptismo cum Deo junxisti sis memor, tum remissa tibi esse peccata, in eo quidem non falleris, & recte sentis.

Ibidem.

„ 36. Longe illi errant, & peccant quoque graviter, qui cogunt homines sub peccato mortali, in Paschatis Festo, Sacramento uti.

Fol. 77.

„ 37. Confessionem auricularem, quæ fit coram Sacerdote, Deus non præcepit, verum Papa ad eam coegit homines „. Sic autem de ea censet: *Quamquam ad eam nemo sit cogendus; non tamen ideo contemnendam propter absolutionem*; id est, *Evangelii verbum, quod ex Sacerdote auditur*. Absolutionem ergo nil aliud esse quam verbum Sacerdotis, *remissionem peccatorum Dei nomine peccatori annuntiantis*. Præter quam quod autem in Confessione *ad unum* peccatorem *verbum dicitur, & refertur*, hoc in ea esse commodi, quod ipsi liceat *tute Sacerdoti dicere quibus in rebus maxime laboret, & consilium ab eo, vel quovis alio, quisquis tandem fuerit, petere*. Neque enim multum referre, sive is sit Sacerdos, aut publicus Ecclesiæ Minister, *sive alius quilibet Christianus*.

Fol. 79.

38. *In communione Eucharistiæ*, „ una species nemini exhibenda, sed is qui Sacramento uti volet, aut integrum Sacramentum, ut a Christo institutum est, accipiat, aut prorsus abstineat.

„ 39. Jus interpretandi Scripturas, æque Laicis concessum atque doctis.

Lutherus Librum De Indulgentiis Leoni X. dicare ausus.

V. Eodem anno 1518. *Resolutiones Disputationum de virtute Indulgentiarum*, id est, Errorum suorum probationes scripsit, & *Leoni X.* Summo Pontifici dicare ausus est. In Epistola ad ipsum data his verbis eum compellat, maximam Sanctæ Sedis reverentiam & animi submissionem præ se ferentibus. „ Quare Beatissime Pater, prostratum me pedibus tuæ Beatitudinis offero, cum omnibus quæ sum & habeo. Vivifica, occide, voca, revoca, approba, reproba ut placuerit: Vocem tuam vocem Christi in Te præsidentis & loquentis agnoscam. Si mortem merui, mortem non recusabo. *Hanc vero Protestationem Lib. suo præmisit*. Protestor me prorsus nihil dicere aut tenere velle, nisi quod in & ex Sacris Literis primo, deinde Ecclesiasticis Patribus, ab Ecclesia Romana receptis, hucusque servatis, & ex Canonibus ac Decretalibus Pontificiis habetur, & haberi potest. Quod si quid ex eis probari vel improbari non potest, id gratia disputationis dumtaxat, pro judicio rationis & experientia tenebo; semper tamen in his salvo Judicio omnium Superiorum meorum.

Eo in Libro, cum præcedentes circa Pœnitentiæ Sacramentum, & Indulgentias, errores confirmat, tum istos expressius asserit.

„ 40. De Sacramentali Pœnitentia nullum habetur preceptum Christi, sed est per Pontifices & Ecclesiam statuta, saltem quoad tertiam sui partem, scilicet satisfactionem, ideo & mutabilis arbitrio Ecclesiæ.

Fol. 111.

„ 41. Per Scripturas probatur non requiri aliquam satisfactionem pro peccatis.

„ 42. Sextuplex hominum genus non eget Indulgentiis: primo, mortui seu morituri; secundo, infirmi; tertio, legitime impediti; quarto, qui non commiserunt crimina; quinto, qui crimina sed non publica commiserunt; sexto, qui meliora operantur. „ Est Articulus decimus-septimus a *Leone X.* damnatus.

„ 43. Solum inertibus, frigide pœnitentibus, delicatis scilicet peccatoribus, Canonicæ Pœnitentiæ sunt impositæ, ideo solummodo duris & impatientibus Indulgentiæ proprie concedi videntur „. Est Articulus decimus sextus a *Leone X.* damnatus.

Fol. 128. 125. 130. 131.

„ 44. Indulgentiæ sunt remissiones bonorum operum, sunt nullius pietatis, nec meriti, nec præcepti, sed licentia tantummodo quædam, videtur quæstus augeri per eas magis quam pietas. Sunt de numero eorum quæ licent, non quæ expediunt; quomodo in Veteri Lege Libellus repudii, & Sacrificium Zelotypiæ. Sunt vilissimum bonum omnium bonorum Ecclesiæ, nec nisi vilissimis Ecclesiæ donandum „. Pars est decimi tertii Articuli a *Leone X.* damnati.

Fol. 132.

„ 45. Thesaurus Ecclesiæ, unde Papa dat Indulgentias non sunt merita Christi & Sanctorum „. Est pars Articuli decimi-tertii a *Leone X.* damnati.

Fol. 118. verso.

„ 46. Romana Ecclesia tempore B. Gregorii non erat super alias Ecclesias.

Ibidem.

„ 47. Fomes peccati, etiamsi nullum adsit actuale peccatum, moratur exeuntem e corpore Animam ab ingressu Regni cœlestis „. Est tertius Articulus a *Leone X.* damnatus.

Fol. 124.

„ 48. Etiamsi Papa cum magna parte Ecclesiæ sic vel sic sentiret, nec etiam erraret, adhuc non est peccatum aut hæresis contrarium sentire, præsertim in re non necessaria ad salutem, donec fuerit per Concilium Universale alterum reprobatum, alterum approbatum „. Est Articulus vigesimus tertius a *Leone X.* damnatus.

Ibidem.

„ 49. Seducuntur qui passim Indulgentias non aliter intelligunt quam salutares, & ad fructum spiritus utiles „. Est Articulus decimus quintus a *Leone X.* damnatus.

Fol. 132.

„ 50. Absolutio est efficax, non quia fit, sed quia creditur.

Fol. 128.

„ 51. Nullus Sanctorum in hac vita implevit mandata Dei.

Fol. 133

„ 52. Opus bonum optime factum est veniale peccatum „. Articulus vigesimus septimus a *Leone X.* damnatus.

T. 1. Operum.

VI. Eodem anno 1518. probationes Conclusionum Heidelbergæ disputatarum edidit.

Fol. 140. verso.

VII. Adversus *Lutherum* brevissimas notas edidit *Joannes Eckius*, Ingolstadii Procancellarius, & Augustæ Concionator, vir doctrina & eloquentia præpollens. Obeliscis *Eckii* „ Asteriscos seu Notas adversarias *Lutherus* opposuit.

Fol. 145. verso.

VIII. Eodem tempore, *Sylvester Prierias*, Ordinis FF. Prædicatorum Professor, Sacri Palatii Magister *Lutheri* Sophismata detexit potius quam confutavit Dialogo summo Pontifici dicato. Huic statim respondit *Lutherus*, Scholasticam & Thomisticam Theologiam, in qua exercitatissimus erat *Prierias*, contemners,

nens, seque in errore pertinacius obfirmans, quod Sacrarum Literarum, SS. Patrum, veterum Conciliorum testimoniis ad Adversario non satis promeretur. Epitomen Responsionis edidit *Sylvester*, quæ *Lutherum* magis exasperavit: & ob errorem contra Summum Pontificem, Ecclesiamque Romanam jaciende fundamenta impulit. In Præfatione Editionis hujus Epitomes Silvestrinæ, quam venenatis ad Marginem Notis fœdatam Tom. 1. Operum ipsius fol. 189. legere est, sic blasphemare incipit: „ Si Romæ sic sentitur & docetur scientibus Pontifice & Cardinalibus (quod non spero) libere pronuntio his Scriptis: Antichristum illum verum sedere in Templo Dei, & regnare in Babylone illa purpurata Roma; & Curiam Romanam esse Synagogam Satanæ . . . . Si sic Roma credit, beata Græcia, beata Bohemie, beati omnes qui sese ab ea separaverunt, & de medio istius Babylonis exierunt. Damnati vero omnes qui ei communicaverint. Et ego quoque si Pontifex & Cardinales hoc os Satanæ non compescuerint, & ad palinodiam adegerint, his testibus confiteor me dissentire Romanæ Ecclesiæ, & negare eam cum Papa & Cardinalibus, tamquam abominationem stantem in loco sancto. Extincta est in ea jamdudum fides, proscriptum Evangelium, exul Christus.

Eodem anno Librum edidit contra Scholasticorum sententiam, quo Propositionem illam erroneam tuitus est: *Justus etiam inter bene operandum peccat*. Eodem anno edidit Acta Augustæ apud Cardinalem *Cajetanum* Sedis Apostolicæ Legatum. Ibi fassus est, *Thesaurum Indulgentiarum esse merita Christi, non formaliter & proprie, sed effective & improprie; quia Papa non dat merita Christi; id est, per Claves merita Christi Ecclesiæ donatas.*

IX. Anno 1519. Fratres Minores Conventus *Juterbocensis*, strictioris Observantiæ, scripta ad Episcopum Brandeburgensem Epistola *Lutherum* Hæreseos in nonnullis capitibus accusarunt, quæ ipse pertinacius propugnavit Epistola contumeliosissima ad ipsos data. Hi porro sunt errores (Tom. 1. fol. 238.)

„ 53. Deus præcepit homini impossibilia.

„ 54. Deus exigit a quolibet Christiano summam perfectionem & totum Evangelium.

„ 55. Nulla sunt consilia, sed omnia Evangelii sunt præcepta.

„ 56. Laico habenti auctoritatem Scripturæ plus est credendum quam Papæ, quam Concilio, immo quam Ecclesiæ.

„ 57. Petrus non erat Princeps Apostolorum.

„ 58. Papa solum Jure humano est Vicarius Christi.

Theses Lipsiæ contra Eckium. X. Eodem anno Theses proposuit Lipsiæ contra *Eckium* publice disputandas, in quibus hi præsertim errores continentur.

„ 59. In bono opere peccare hominem, & peccatum veniale non natura sua, sed Dei misericordia solum esse tale: aut in puero post Baptismum peccatum remanens negare, hoc est Paulum & Christum semel conculcare.

„ 60. Qui opus bonum, aut pœnitentiam a peccatorum detestatione ante dilectionem justitiæ incipi, nec in eo peccari asserit, hunc inter Pelagianos Hæreticos numeramus.

„ 61. Deus mutat pœnam æternam in temporalem, cujus Canones aut Sacerdotes, nec statuendæ, nec auferendæ habent ullam potestatem.

„ 62. Quilibet Sacerdos debet absolvere Pœnitentem a pœna & culpa, aut peccat.

„ 63. Quod Deus a morituro plus quam voluntariam mortem requirat, vanissima temeritate asseritur.

„ 64. Neque quid fides, neque quid contritio, neque quid liberum arbitrium sit ostendit se nosse, qui liberum arbitrium actuum sive bonorum, sive malorum dominum esse balbutit; aut non sola fide verbi quem justificari; aut fidem non tolli quolibet crimine somniat.

„ 65. Merita Christi & Sanctorum esse thesaurum Indulgentiarum, nemo nisi fœdus adulator, extravagantes a veritate, & fictæ quædam Ecclesiæ praxes, aut usus simulant.

„ 66. Dicere Indulgentias esse bonum Christiano, est insanire: sunt enim verissime operis boni vitium, & improbare Indulgentias debet Christianus ob abusum.

„ 67. Papam posse remittere omnem pœnam pro peccatis debitam, hujus & futuræ vitæ, & quod Indulgentiæ prosint non criminosis, somniant securè indoctissimi Sophistæ.

„ 68. Romanam Ecclesiam esse omnibus aliis Superiorem, probatur ex frigidissimis Romanorum Pontificum Decretis intra quadringentos annos natis, contra quæ sunt Historiæ approbatæ mille & centum annorum, textus Scripturæ Divinæ, & Decretum Nicæni Concilii.

Hos errores propugnavit in Lipsiensi Disputatione inter ipsum & *Eckium*, cœpta die quarta Julii ejusdem anni, cujus Acta legere est Tom. 1. Operum ipsius *Lutheri*, pag. 243.

In hac Disputatione alios præterea errores asseruit.

Fol. 252. „ 69. Certum est inter Articulos Joannis Hus vel Bohemorum multos esse plane Christianissimos & Evangelicos, quos non possit Universalis Ecclesia damnare, velut ille: Non est de necessitate salutis, credere Romanam Ecclesiam esse aliis superiorem „. Est vigesimus quintus Articulus a *Leone X.* damnatus. Hunc pariter *Hussi* Articulum approbat: *Papalis Dignitas a Cæsare inolevit*.

„ 70. Concilium potest errare. *At postea hoc dictum temperat, fol. 247. verso*: Ut meo sensu loquar, credo Concilium & Ecclesiam numquam errare in his quæ sunt Fidei, in cæteris non est necesse non errare.

„ 71. Primatus Romani Pontificis non est Jure Divino. *Hunc in tota Disputatione passim tuitus est.*

Fol. 267. „ 72. Sanctus Petrus Primatum dumtaxat honoris, non Primatum potestatis habuit supra cæteros Apostolos.

Fol. 268 „ 73. Divina Scriptura tota prorsus nihil habet de Purgatorio.

Quod Indulgentias spectat, ait illas a se vocatas *Vitium operis, non quod sint malæ & noxiæ, sed quod abusus perversus nocet dum tale opus non facerent, nisi veniæ essent.* Numquam se Indulgentias contempsisse, aut contemnendas docuisse, *Nisi contemptus intelligatur hoc modo, quod incomparabiliter meliora possumus eisdem expensis facere, quibus Indulgentiæ redimuntur, vel quam sunt Indulgentiæ ipsæ. Quare prærogativa melioris, non est contemptus deterioris.*

XI. Paulo post Resolutiones edidit super Propositionibus suis Lipsiæ disputatis, *Georgio Spalatino* inscriptas *Friderici Saxoniæ* Septemviro a Libellis & Sacris, in quibus rursus asserit Concilium Constantiense male damnasse hunc Articulum Joannis Hus: *Papa non est Jure divino super omnes Ecclesias*; & hanc damnationem esse alteri ejusdem Concili Decreto contrariam, qua declaratum est, *Concilium esse supra Papam*. Alios item errores in eodem Opere propugnavit, scilicet.

„ 74. Nullum esse peccatum natura sua veniale, sed omnia damnabilia: quod autem venialia sunt, Dei gratiæ tribuendum est.

Tom. 1. fol. 307. „ 75. Certum est in manu Ecclesiæ aut Papæ prorsus non esse Articulos fidei statuere, immo nec Leges morum seu bonorum operum „. Est Articulus vigesimus-secundus a *Leone X.* damnatus. Articulorum tamen *declarandorum potestatem* ibi Pontifici concedit.

Fol. 318 Specialem Resolutionem edidit super Propositione de potestate Papæ, in qua ad id unum controversiam omnem revocat, Jure-ne divino Primatum habeat Jurisdictionis? „ Ego (*inquit*) omnia admisi quæ Romano Pontifici hodie tribuuntur, rem non nego, facto non contradico; sed de Jure ejus disputo, & sentio, quod non Jure divino, sed Decretis hominum talia tribuantur . . . . Duplex est Primatus, honoris & potestatis. Quod Petrus primus fuit in ordine, nemo negat. Nam & inter Cardinales, Episcopos, Sacerdotes, Doctores, Principes, etiamsi nullus alteri subjectus est, tamen necesse est in Conventu aliquem primo loco sedere. Ita Petrum fatemur Principem Apostolorum primum Ecclesiæ membrum, Caput Collegii Apostolici, & alia quæ de eo SS. Patres dixerunt. Alter autem Primatus potestatis numquam fuit Petro datus „. Idem tractat argumentum in Epistola contra *Hieronymum Emserum*, & in Apologia contra *Joannem Eckium*, ubi hos Articulos non esse erroneos propugnat, quamvis a Concilio Constantiensi damnati sint. *Fol. 322.*

„ Papa non est immediatus Vicarius Christi & Apostolorum.

„ Non est de necessitate salutis, credere Romanam Ecclesiam esse supra alias.

„ Petrus non est nec fuit Caput Ecclesiæ sanctæ Catholicæ.

„ Nullus

„ Nullus sine revelatione assereret rationabiliter de „ se vel de alio quod esset Caput Ecclesiæ particularis sanctæ, vel Romanus Pontifex Caput Romanæ „ Ecclesiæ.

„ Obedientia Ecclesiastica, est obedientia secundum „ adinventionem Sacerdotum Ecclesiæ, propter expressam auctoritatem Sacræ Scripturæ.

In eodem Libro propugnat *Confessionem Sacramentalem non esse de Jure divino*: solum nomen liberi arbitrii superesse. *Sicut civitas vastata, vel collapsa domus habet quidem nomen & titulum quem prius habuit, & posterius habebit, non tamen idem potest quod prius; ita liberum arbitrium*. Bonorum operum necessitatem simpliciter se rejecisse negat, sed solum *opera legis, quæ noxia sunt*. Quæ Propositio duabus aliis nititur, quas docuerat; *Bona opera quæ extra gratiam fiunt, nihil esse*: Deinde, *Soli fidei sine operibus Legis, juxta Paulum, tribui justitiam*. Stare ergo hanc sententiam: *Non sunt necessaria, immo sunt noxia opera Legis cujuscumque. Sed necessaria sunt & salubria opera bona quæcumque*. Tum asserit *Mandata Dei etiam levissima & minima, esse homini impossibilia*, quia *non valet nisi peccare*. Propositionem tamen ibidem explicat: „ Sunt (*inquit*) homini impossibilia „ per seipsum, sed cum gratia Dei sane facillima, ut „ Apostolus; Possum omnia in eo qui me confortat. „ *Christum* nihil sibi meruisse *affirmat*. *Porro* Mereri, „ non esse animo merendi bona facere, sed simplici „ corde nullo meriti aut præmii respectu, solo gra„ tuito affectu gratis divinæ voluntati obtemperare. „ Charitas enim non quærit quæ sua sunt. Merita „ vero & præmia sua sponte sine nostro studio se„ quuntur ad obedientiam divinæ voluntatis.

Tom. VI. Edit. VVittemb. p. 281.

De Justificatione per solam fidem loquens, Commentario in Cap. 22. Geneseos, *S. Jacobum* Cap. 2. Epistolæ suæ Canonicæ dicentem: „ Quoniam ex „ operibus justificatur homo, & non ex fide tantum: „ *ore sacrilego sic proscindit*. Abraham fuit justus fide, „ antequam cognoscitur a Deo talis. Igitur male con„ cludit Jacobus, quod nunc demum justificatus sit „ post istam obedientiam: per opera enim tamquam „ per fructus cognoscitur fides & justitia. Non autem „ sequitur, ut Jacobus delirat: Igitur fructus justifi„ cant. Sicut non sequitur: Ego agnosco arborem ex „ fructu, igitur arbor ex fructibus fit bona. Facessant „ itaque a medio adversarii cum suo Jacobo, quem „ toties nobis objiciunt.

XII. Hos etiam errores ante annum 1520. *Lutherus* prædicavit & docuit, quos & in Libro quem inscripsit *Adversus execrabilem Bullam Antichristi*: & in Assertione Articulorum a *Leone X.* damnatorum pertinaciter tuetur.

75. *Indulgentiæ his qui veraciter eas consequuntur, non valent ad remissionem pœnæ pro peccatis actualibus debitæ apud divinam justitiam*. Est Articulus 14. a *Leone X.* damnatus.

76. *Romanus Pontifex Petri successor, non est Christi Vicarius super omnes totius mundi Ecclesias ab ipso Christo in Beato Petro institutus*. Est Articulus vigesimus a *Leone X.* damnatus.

77. *In Sacramento Pœnitentiæ ac remissione culpæ non plus facit Papa, aut Episcopus, quam infimus Sacerdos: immo ubi non est Sacerdos, æque tantum quilibet Christianus, etiamsi mulier aut puer esset*. Est Articulus duodecimus a *Leone X.* damnatus.

78. *Verba Christi ad Beatum Petrum*, Quodcumque solveris super terram &c. *extenduntur dumtaxat ad ligata ab ipso Petro*. Est Articulus vigesimus-primus a *Leone X.* damnatus.

79. *Via nobis facta est enervandi auctoritatem Conciliorum & libere contradicendi eorum gestis, & judicandi eorum Decreta, & confidenter confitendi quidquid verum videtur, sive probatum fuerit, sive reprobatum a quocumque Concilio*. Est Articulus vigesimus-quartus a *Leone X.* damnatus.

80. *Hæreticos comburi est contra voluntatem Spiritus*. Est Articulus vigesimus octavus a *Leone X.* damnatus.

81. *Præliari adversus Turcas, est repugnare Deo visitanti iniquitates nostras per illos*. Est Articulus vigesimus-nonus a *Leone X.* damnatus.

82. *Nemo est certus se non semper peccare mortaliter, propter occultissimum superbiæ vitium*. Est Articulus trigesimus a *Leone X.* damnatus

83. *Purgatorium non potest probari ex Sacra Scriptura quæ sit in Canone*. Est Articulus trigesimus-primus a *Leone X.* damnatus.

84. *Animæ in Purgatorio peccant sine intermissione, quamdiu quærunt requiem & horrent pœnas*. Est Articulus trigesimus-tertius a *Leone X.* damnatus.

85. *Animæ ex Purgatorio liberatæ suffragiis viventium, minus beantur, quam si per se satisfecissent*. Est Articulus trigesimus-quartus a *Leone X.* damnatus.

86. *Prælati Ecclesiastici, & Principes Sæculares non male facerent, si omnes saccos Mendicitatis delerent*. Est Articulus trigesimus-quintus a *Leone X.* damnatus.

Lutheri Liber De Reformatione.

XIII. Anno millesimo quingentesimo vigesimo, *Lutherus* ad *Carolum V.* Cæsarem electum, & ad Christianam Nobilitatam Germaniæ Librum *De Reformatione* Lingua Theutonica scripsit: in quo, ut omnium mentes a Romano Pontifice alienaret, quam diligentissime recensuit pompas & abusus Romanæ Curiæ, odiosissime traducens quidquid ibi reprehensioni obnoxium esset, aut videretur; addens præterea calumnias non leves in Romanos Pontifices. Utque sensum omnem venerationis erga Summum Pontificem, Episcopos, Sacerdotes, Clerumque reliquum in Laicorum animis extingueret, nonnisi fictitiam inter Laicos & Clericos differentiam, præterquam in officio esse asserebat; adeo ut quisquis baptizatus est gloriari possit se jam Presbyterum, Episcopum, & Papam esse: licet cuilibet ejusmodi functiones non conveniant. Ad hæc Summo Pontifici auctoritatem adimit declarandi sensum Scripturæ Sacræ, & indicendi Concilium Generale: in mores ususque Romanæ Curiæ acerrime invehitur: Annatas, Episcoporum Confirmationes, Archiepiscoporum Pallia, Romanas Excommunicationes, Bullas, Sigilla, Jus Canonicum, præsertim vero Decretales, penitus aboleri debere suadet. Paulo post facinus execrandum, & omnibus retro sæculis inauditum perpetravit. Totum nempe Jus Pontificium publice VVittembergæ combussit decima die Decembris, una cum *Leonis X.* Diplomate, quo ejus Errores 40. paulo ante damnati fuerant, his verbis prolatis cum illud in ignem conjecit: *Quia tu conturbasti Sanctum Domini, ideoque te conturbet ignis æternus*. Mox sacrilegum facinus edito Libello excusavit, Articulos triginta ex Decretorum volumine velut absurdos & impios traducens, ipsisque pravum sensum per calumniam affingens, quasi omnes eo tendant *Ut Papa sit & Deo, & omnibus hominibus superior, ipsique etiam Deus & Angelus sint subjecti*. Hanc totius Juris Canonici summam esse ait: *Papa est Deus in terris, Superior omnibus cælestibus, terrenis, spiritualibus & sæcularibus; & omnia Papæ sunt propria, cui nemo audeat dicere, Quid facis?* Deinde Romanum Pontificem *Antichristum*; Romanam Ecclesiam *Synagogam Satanæ, Babylonem, Lupanar, Sedem Antichristi* vocavit Hæresiarcha perditissimus, omnique abjecto pudore & timore, Ecclesiæ Romanæ Summique Pontificis sacrosanctæ Auctoritati bellum indixit. Articulos a *Leone X.* damnatos defendit Libellis duobus, scilicet Libro inscripto, *Adversus execrabilem Bullam Antichristi*; & altero, cui titulus est, *Assertio Articulorum a Leone X. damnatorum*. Tertium Libellum edidit ludicro stylo, inscriptum: *Articuli Martini Lutheri quare damnati sint*; in quo joculares damnationis rationes, velut a *Simone Husso* Sedis Apostolicæ Protonotario perscriptas, sed revera confictas profert.

Lutherus totum Jus Pontificium comburit.

Sacrilegum facinus edito Libello excusat.

Tom. II. Operum pag. 119.

Tom. II. Operum Lutheri, Edit. VVittemb.

Responsio Lutheri ad Librum Catharini.

XIV. Eodem anno prodiit Responsio *Lutheri*, blasphemiis, conviciis, contumeliisque referta, ad Librum *Ambrosii Catharini* Dominicani Theologi, postea Episcopi Minoritani, quod Pontificium Primatum egregie tuitus fuerat. Circa idem tempus prodiit *Lutheri* Liber *De Captivitate Babylonica*, cujus in limine se pœnitere profitetur, quod *Indulgentias non penitus rejiciendas* esse senserit; seque beneficio *Sylvestri* & Fratrum, qui illas strenue tutati sunt, intellexisse, *eas aliud non esse quam meras adulatorum Romanorum imposturas, quibus & fidem Dei, & pecunias hominum perderent*. Moderationem etiam sibi displicere ait, qua Papatum, quem divini Juris esse negaverat, humani saltem Juris agnovit; nunc vero se scire & certum esse, *Papatum esse Regnum Babylonis, & potentiam Nembrath robusti venatoris*. Scripserat olim conveniens fore, ut de utraque specie Sacramenti Laicis porrigenda Concilium Generale statueret; hic errorem ulterius provehit solo æmulationis & negotii Catholicis facessendi animo. Sic enim loquitur: „ Dabo operam „ ut negotium scribendi habeant copiosum. Præcur„ ram enim, ut dum gloriosissimi victores, de una „ aliqua mea hæresi (ut eis videtur) triumphant, „ ego interim novam moliar. Itaque dum illi murmu„ rant a me laudari utriusque speciei Communionem; „ ego procedam, & jam conabor ostendere, omnes „ esse impios, qui utriusque speciei Communionem

Lutheri Liber De Captivitate Babylonica.

„ Laicis denegant; sub altera specie non esse integrum & legitimum Sacramentum. Et contra Christi Institutionem agere, qui utriusque speciei Sacramentum liberum non permittunt. *Alios errores in eo Libro adstruit, scilicet.*

„ 87. Non esse septem Sacramenta, & tantum tria pro tempore ponenda, Baptismum, Pœnitentiam, Panem; & hæc omnia per Romanam Curiam in miserabilem captivitatem ducta. Quamquam si usu Scripturæ loqui velit, nonnisi unum Sacramentum sit, & tria signa Sacramentalia.

„ 88. In Altari verum panem, verumque vinum absque hæresi credi posse; Transsubstantiationem nulla Scriptura, nulla ratione niti. Ecclesiam ultra mille ducentos annos recte credidisse, nec usquam de ista Transsubstantiatione (portentoso scilicet vocabulo & somnio) meminisse Sanctos Patres, donec cœpit Aristotelis simulata Philosophia in Ecclesia grassari.

„ 89. Impiissimum esse illum abusum quo factum est, ut fere nihil sit hodie in Ecclesia receptius ac magis persuasum, quam Missam esse opus bonum, & Sacrificium. Evangelium non sinere Missam esse Sacrificium. Manifestum & impium errorem esse, Missam pro peccatis, pro satisfactionibus, pro defunctis, aut quibuscumque necessitatibus suis vel aliorum offerre, seu applicare.

„ 90. Missam, secundum substantiam suam nihil aliud esse, quam verba Christi: *Accipite & manducate*, &c. seu Christi promissionem.

„ 91. Ad Missam digne habendam aliud non requiri quam fidem, quæ huic promissioni fideliter nitatur.

„ 92. Periculosum errorem esse, quo Pœnitentia secunda post naufragium tabula creditur & dicitur: perniciosum (*inquam*) errorem esse, putare per peccatum excidisse vim Baptismi. Baptismum esse Pœnitentiam. Promissionem divinam, quæ dicit: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit*, sic observandam, ut prorsus nos esse salvos, postquam sumus baptizati. Nam nisi hæc adsit aut paretur fides, nihil prodesse Baptismum, immo obesse, non solum tum cum suscipitur, sed toto post tempore vitæ.

„ 93. *Impie asseri*, Quod Sacramenta signa sint efficacia gratiæ; nisi hoc modo efficacia dicantur, quod si adsit fides indubitata, certissime & efficacissime gratiam conferant.

„ 94. Numquam irritum fieri Baptismum, donec Baptizatus desperans, redire ad salutem noluerit. Baptizatum, etiam volentem, non posse perdere salutem suam quantiscumque peccatis, nisi nolit credere.

„ 95. Neque Papam, neque Episcopum, neque alium hominum, habere jus unius syllabæ constituendæ super Christianum hominem, nisi id fiat ejusdem consensu; quidquid aliter fit tyrannico spiritu fieri. *Ecclesiæ Legibus* veram Ecclesiæ libertatem non modo captivari, sed pessundari penitus. Christianis nihil ullo jure posse imponi Legum, sive ab homine, sive ab Angelis, nisi quantum volunt. Nullam Rempublicam Legibus feliciter administrari, Orationes, jejunia, devotiones & quæcumque tandem Papa in universis suis Decretis tam multis quam iniquis statuit, & exigit, prorsus nullo jure statuere aut exigere, peccareque in Ecclesiæ libertatem.

„ 96. Vota prorsus omnia tollenda atque vitanda, sive sint Religionum, sive peregrinationum, sive quorumcumque operum, & manendum in libertate Baptismi.

„ 97. Deus ulturus ingratitudinem & superbiam votariorum facit ut vota sua non servent, aut cum ingenti labore servent. *Vota tamen privatim facta penitus non damnat, sed commendari publicam rationem vivendi in votis*, perniciosum esse Ecclesiæ asserit.

„ 98. Votum est Lex quædam ceremonialis, & humana traditio, seu præsumptio, a qua Ecclesia per Baptismum liberata est.

„ 99. Christianus nulli legi addictus est, nisi divinæ.

„ 100. Vota nullum habent in Scripturis testimonium & exemplum; Fideique & Baptismo detrahunt.

„ 101. Opera quantumlibet sacra & ardua Religiosorum & Sacerdotum in oculis Dei prorsus nihil distant ab operibus rustici in agro laborantis, aut mulieris in domo sua curantis.

„ 102. Si votum dispensari potest, quilibet frater cum proximo, & ipse secum dispensare potest. Sin dispensare proximus non potest, nullo jure Papa potest.

„ 103. Matrimonium non dirimitur, si conjugum alter altero invito Monasterium ingrediatur, nondum consummato Matrimonio.

„ 104. Necesse non esse occulta peccata confiteri Prælato aut Sacerdoti, sed sufficere ut frater fratri confiteatur.

„ 105. Eum esse a peccatis suis occultis absolutum, quisquis sive sponte confessus, sive correptus, veniam petierit & emendaverit coram quovis privatim fratre.

„ 106. Omnibus & singulis Christianis dictum esse, *Quodcumque ligaveritis super terram, ligatum erit & in Cœlis, & quodcumque solveritis super terram, erit solutum & in Cœlis.*

„ 107. Pontifices & Episcopos non habere jus reservandi sibi casus.

„ 108. Circumstantias peccatorum, cum matribus, filiabus, sororibus, affinibus, locorum, temporum, dierum, personarum, esse penitus contemnendas. Apud Christianos quippe unam esse circumstantiam, quæ est peccasse in fratrem.

„ 109. Veram satisfactionem esse innovationem vitæ.

„ 110. Nullam esse causam ut Confirmatio inter Sacramenta divinitus instituta numeretur: Satis esse pro Ritu quodam Ecclesiastico seu ceremonia Sacramentali ipsam habere.

„ 111. Matrimonium Novæ Legis Sacramentum non esse.

„ 112. Nullum esse impedimentum Matrimonii, quod non est in Scriptura expressum. Contracta contra Leges Ecclesiæ Matrimonia dirimi non posse. Impedimenta spiritalis affinitatis, disparitatis cultus, criminis, Ordinis, meras esse nugas & hominum commenta.

„ 113. Inter Sacerdotem & uxorem, verum esse & inseparabile Matrimonium, mandatis divinis probatum.

„ 114. Urgente amore juventutis, & quavis alia necessitate propter quam dispensat Papa, dispensare etiam posse quemlibet fratrem cum fratre, aut ipsum cum seipso.

„ 115. Conjuges, facto divortio, ad cœlibatum non cogendos.

„ 116. Sacramentum Ordinis Ecclesiam Christi ignorare, inventumque esse ab Ecclesia Papæ.

„ 117. Concilium Constantiense omnium impiissime errasse. In novissimis trecentis annis multa perperam determinata esse, quale est, Essentiam divinam nec generare, nec generari, & Animam esse formam substantialem corporis humani.

„ 118. Characterem indelebilem, qui Ordinatis imprimatur, figmentum esse.

„ 119. Christianos omnes esse æqualiter Sacerdotes, hoc est, eamdem in verbo & Sacramento quocumque habere potestatem. Sacramentum Ordinis nihil aliud esse, quam Ritum quemdam eligendi Concionatoris in Ecclesia; & eum, qui non prædicat verbum, nequaquam esse Sacerdotem. Quare eos, qui tantum ad Horas Canonicas legendas, & Missas offerendas ordinantur, esse quidem Papisticos, sed non Christianos Sacerdotes.

„ 120. Ordinare Sacerdotes, & Ecclesias & Campanas consecrare, pueros confirmare, posse Diaconum vel quemlibet Laicum.

„ 121. Unctionem-Extremam Sacramentum non esse.

„ 122. Epistolam in qua scriptum est, *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros*, &c. probabiliter asseri non esse Apostoli Jacobi, nec Apostolico spiritu dignam.

„ 123. Duo tantum esse in Ecclesia Sacramenta, Baptismum, & Panem.

„ 124. Pœnitentiæ Sacramentum, quod antea his duobus accensuit, signo visibili & divinitus instituto carere; & aliud non esse quam viam & reditum ad Baptismum.

Librum de Captivitate Babylonica his verbis conclusit: *Audio paratas esse denuo in me Bullas, & diras Papisticas, quibus ad revocationem urgear, aut hæreticus declarer. Quæ si vera sunt, hunc Libellum volo partem esse revocationis meæ futuræ, ne suam tyrannidem frustra inflatam querantur. Reliquam partem prope diem editurus sum talem, Christo propitio, qualem hactenus non viderit nec audierit Romana Sedes, obedientiam meam abunde testaturus*. Denique Carmen hoc Sacrum adjecit:

Hollis

Hostis Herodes impie,
Christum venire quid times?
Non arripit mortalia,
Qui Regna dat cœlestia.

Innuens Romanum Pontificem *Herodi* similem, propter terrenum Imperium persequi Hæreticos, immo Evangelium Christi. Partem porro, de qua minas intentabat, reliquam edidit postea contra *Ambrosium Catharinum*, eamque inscripsit, *De Visione Danielis*: In qua duodecim facies Romani Pontificis ita appinxit, ut per eas omnem Dei in Ecclesia cultum in ludibrium verteret.

XIV. Anno 1521. *Lutherus* plerosque Libros tum Latina, tum Theutonica lingua edidit, ut eruditionis, pietatisque laudem, & apud alios Principes aucuparetur, scilicet *Expositionem decem Præceptorum*: *De Libertate Christiana*: *Thessaradecadem Consolatoriam*: *Explanationem Orationis Dominicæ*: *Commentarium in Epistolam Pauli ad Galatas*: *Enarrationes Epistolarum & Evangeliorum per Dominicas Adventus*: *Operationes in XX. Psalmos*: *Expositionem VII. Psalmorum Pœnitentialium*: *Expositionem Cantici*, Magnificat: *De bonis operibus*, ad Ducem Saxoniæ. Eodem anno post VVormatiensia Comitia, eorum Acta conscripsit, fide parum integra, falsa veris admiscens, in suique gloriam omnia referens. (*Tom. 2. Fol. 163. verso*. In Comitiis VVormatiensibus audacter propugnavit, *Concilia errasse, potissimum Constantiense, quod Verbum Dei damnavit in hoc Articulo Joannis Hus*: *Ecclesia Christi est Universitas Prædestinatorum*. Eodem anno Librum edidit *De Confessione Secreta*, Theutonice. Item, Librum contra *Jacobum Latomum*, Theologum Lovaniensem, qui inscribitur: *Rationis Latomianæ pro incendiariis Lovaniensis scholæ Sophistis reddita confutatio*. In quo impurissimus Hæresiarcha Papam vocat *Antichristum*, Universitates *Synogogas Satanæ*, Theologos *Sophistas*, *Porcos*, *Asinos*. Confessionem nihil aliud esse propugnat, quam *Tyrannicam exactionem Pontificum, nullis radicibus Scripturæ nitam*. Hunc præsertim errorem a *Latomo* nervose impugnatum tuetur: *Omne opus bonum est peccatum*. Concupiscentiam post Baptismum superstitem *vere peccatum* esse propugnat, non quidem *regnans*, sed *regnatum, captum, judicatum, infirmatum*. *Theologiam Scholasticam nihil aliud esse ait, quam ignorantiam veritatis & scandalum juxta Scripturas positam*. Auctor est adolescenti ut vitet Philosophiam & Theologiam Scholasticam, *ut mortem animæ suæ*. De *Thoma Aquinate* se dubitare profitetur, *an damnatus vel beatus sit*, *citius Bonaventuram crediturus Beatus Thomas*, (inquit) *multa hæretica scripsit, & Auctor est regnantis Aristotelis, vastatoris piæ doctrinæ*.

Lutheri Liber contra Latomum.

XV. Eodem anno edidit Librum, *De abroganda Missa privata*, ad Fratres suos Augustinianos Cœnobii VVitembergensis: in cujus Præfatione illos in audacia sua confirmat qui primi omnium Missas abrogaverant, suoque exemplo omnes conscientiæ stimulos retundere docet. „ Quot (*inquit*) Medicamentis, quam robusta resina Galaad, quam potentibus & evidenti-„ bus Scripturis meam ipsius conscientiam vix dum „ stabilivi, ut auderem unus contradicere Papæ, & „ credere eum esse Antichristum, Episcopos esse ejus „ Apostolos, Academias esse ejus Lupanaria? Quoties „ mihi palpitavit tremulum cor, reprehendens objecit „ eorum fortissimum & unicum argumentum: Tu „ solus sapis? Tone errant universi? Tanta sæcula „ ignoraverunt? Quid si tu erres, & tot tecum in er-„ rorem trahas damnandos æternaliter? Et tandem „ confirmavit me verbis suis Christus, ut jam nec tre-„ mat, nec palpitet, sed insultet cor meum his Pa-„ pisticis argumentis, non aliter atque tutissimum lit-„ tus minaces & tumidas procellas ridet. „ Hunc librum scripsit in *Alstat* oppido munitissimo Turingiæ, quod *Pathmum* suam appellat.

Lutheri Liber D. Missa privata abroganda.

XVI. Ibidem, eodemque anno in publicum emisit Librum *De Votis monasticis*, ad Parentem suum. Fatetur *Divinitus institutum Jus reddendi Voti*; nec se in quæstionem vocare, an reddendum sit *Votum*, sed impia tantum & Deo displicentia Vota se impugnare. Tum probandum sibi sumit, Vota monastica non niti verbo Dei, immo illi adversari; Fidei, libertati Evangelicæ, præceptis Dei, charitati, rationi repugnare. Ait *S. Hieronymum* de Virginitate contra *Jovinianum* scribentem, hoc argumentum pro dignitate „ non tractasse, raptum impetu & fervore humano, „ & nimio studio obsequendi amicis, & fore imprimis

Lutherus Vota Monastica impugnat.

„ Eustochio: magis premere Jovinianum auctoritate „ quam solida eruditione. Id quod probat parum con-„ sideratus ardor corradendi undique testimonia Scri-„ pturarum congrua & incongrua, magno ludibrio fu-„ turus, si paris auctoritatis Antagonistam sortitus fuis-„ set. „ Sanctorum exemplis, qui Monasticos Ordines condiderunt, & in iis Vota emiserunt, & servarunt cum premeretur, illos excusatos se velle profitetur. „ Non disputo (*inquit*) ut Sancti vixerunt sub Insti-„ tuto isto, sed de ipso Instituto. Non ut tres pueri „ in fornace Babylonis vixerint, sed an passim omni-„ bus liceat in eamdem fornacem ruere, aut auream „ Regis statuam adorare.. Non disputo an Paulus cæ-„ lebs vixerit, sed an exemplum suum sit in jus & „ formam doctrinæ trahendum. Idem Paulus totam „ Legem Mosis servabat, & tamen nolebat doceri & „ audiri eam ad servandum. Ita Bernardus sub Voto, „ sine Voto ceu Apostolus sub Lege sine Lege agebat; „ sed non ideo Votum aut Lex in doctrinam & for-„ mam vitæ redigi, sed aboleri debet... Bernardus, „ & alii, qui pia opinione voverunt & vixerunt in „ votis, comparandi sunt ducentis illis viris, qui cum „ Absalom iverunt de Jerusalem in Hebron, molien-„ te seditionem adversus Regnum Patris sui David. „ Nihil enim sciebant de causa Absalom, & simplici „ corde ibant, quos certum est re cognita resipuisse. „ At si in media re intercepti fuissent, poterant ac-„ cusari læsæ Majestatis rei, si opus eorum & viam „ spectes, sed secundum animum judicati absolveren-„ tur. *Docet*, Votum castitatis, & totius monasticæ, „ si pium est, debere necessario secum involvere liber-„ tatem rursus omittendi, & in hanc sensum sententiam interpretari. Voveo tibi obedientiam, castita-„ tem, paupertatem servandam cum tota Regula S. „ Augustini usque ad mortem, libere, hoc est, ut mu-„ tare possim, quando visum fuerit.

XVII. Eodem anno, cum Sacra Facultas Parisiensis doctrinali judicio *Lutheri* Propositiones damnasset, *Philippus Melancthon* præcipuus Lutheranæ doctrinæ defensor, *Apologiam pro Luthero* edidit *adversus furiosum Parisiensium Theologastrorum Decretum*, inscriptam, in qua de hujusmodi Censura, & de Schola celeberrima sic loquitur: *Liber est, qualem Lutetiæ scribi posse, nemo facile crederet, siquidem ita vulgo persuasum est, in ea Schola, velut in arce quadam, regnare Christianas Literas. Neque negari potest, inde prodiisse olim gravissimos homines, adeoque proximo sæculo Gersonem illum plenum (ut apparet) Christiani Spiritus*. Addit ibi *pro Theologis Sophistas*, *pro Christianis Doctoribus calumniatores regnare*. Non tunc primum peccare Lutetiam, cum ibi profana illa *Scholastica* nata sit, *qua admissa nihil salvi reliquum est Ecclesiæ, Evangelium obscuratum est, fides extincta, recepta operum doctrina*. Apologiam *Philippi* in Theutonicam linguam transfudit *Lutherus*, judiciumque suum interposuit, in quo Scholam Parisiensem *omnium hæresum fontinam*, *Papæ veri Antichristi maximam fornicationis cubiculum* appellat, qui a tribus annis Augustæ coram Cardinali *Caietano*, unino a duobus annis Lipsiæ coram Deputatis Ducis *Georgii* judicium expetierat *Parisiensis Studiorum Parentis*, *& ab antiquo semper Christianissimæ ac in Theologia florentissimæ Universitatis*; ut ipsemet in Actis Augustanis testatur. Eodem tempore prodiit ridiculus contra Theologos Parisienses Libellus ab Anonymo Factionis Lutheranæ editus, sub hoc titulo: *Determinatio Almæ Facultatis Theologiæ Parisiensis super Apologiam Philippi Melancthonis*.

Melancthonis Apologia pro Luthero contra Parisienses Theologos.

Hanc Apologiam in Theutonicam linguam vertit Lutherus.

XVIII. Anno 1522. *Lutherus* a Pathmo sua, reversus VVittembergam, etsi propter abrogatam Missam Fratres suos ante collaudasset, facinus illud publice pro Concione Dominica prima Quadragesimæ improbavit, quod absque mandato suo factum esset. Coarguit etiam *Carlostadii* audaciam qui sacras Imagines privata auctoritate sustulerat, quamvis ipse earum cultum improbaret, non tamen Imaginis Crucifixi, ad cujus pedes flexis genibus repræsentatur, manibusque junctis, rogantis habitu, cum *Friderico* Saxoniæ Duce, in limine Operum suorum Editionis VVittembergensis anni 1562. Ad eumdem annum 1521. pertinet Liber *Lutheri* contra Bullam Leonis X. in Cœna Domini publicatam, in qua cum cæteris Hæreticis *Lutherus* ipse, & ejus Sectatores diris devovebantur. Item, Liber *Adversus falso nominatum Ordinem Episcoporum* inscriptus, in quo Presbyteros Episcopis pares facit, multisque convitiis, calumniis, blasphemiis, execrationibus, adversus or-

Sacræ facultatis Parisiensis judicium appetierat antea Lutherus.

Lutheri Liber contra Episcoporum Ordinem.

dinem Sacratissimum, totamque Ecclesiæ Hierarchiam debacchatur. Libro pestilentissimo Bullam reformationis interseruit, seditiones spirantem, cujus hæc sunt verba: „ Omnes quicumque eo rem, honorem, sanguinem, vitam impendunt, ut hi Episcopatus pompatici & aulici, tam remoti & alieni ab omni functione Apostolica præsertim ministerio verbi, totumque hoc Satanicum Regnum evertatur & extinguatur: aut si reipsa extinguere eis non licet, contra clamant, damnant & tamquam abominationem vitant, hi sunt filii Dei, & veri Christiani, pugnantes, & decertantem fidem Evangelii adjuvantes contra portas Inferi. Contra qui Regno Episcoporum tam impio, tam tyrannico & Satanico favent, obediunt, ac subditi sunt, hi Satanæ Ministri sunt, contra verbum, leges & sanctiones Dei hostiliter pugnantes.

Lutheri Liber contra Henricum VIII. Angliæ Regem.

XIX. Eodem anno Librum edidit contra *Henricum VIII.* Angliæ Regem, qui Captivitati Babylonicæ ipsius Lutheri *Assertionem Septem Sacramentorum* opposuerat, e fastigio Regali in arenam literariam pro fidei defensione descendens, ac propterea *Defensoris Fidei* illustre nomen consecutus. In præfatione ad Comitem *Sebastianum Schlik* Bohemos & *Joannem Hus* vindicat. *Justissima causa* (inquit) *Bohemi homicidas istos & Antichristos Papistas deseruerunt, postquam innocentem virum Joannem Hus ipsi septies Hæretice exusserunt, & alteramque speciem a Christo institutam sacrilege damnaverunt:* Ita secum ipso *Lutherus* pugnat, qui in Disputatione Lipsica *Eckio* ipsi Bohemicæ factionis labem inurenti responderat: *Numquam mihi placuit, nec in æternum placebit quodcumque Schisma. Inique faciunt Bohemi, quod se auctoritate propria separant a nostra unitate, etiamsi jus divinum pro eis staret: cum supremum jus divinum sit charitas & unitas Spiritus.*

Secum ipse Lutherus pugnat.

Omni contumeliarum, probrorum, conviciorumque genere Majestatem Regiam lacessit ac proscindit. *Nescias* (inquit) *an ipsa mania sic insanire possit, aut ipsa stoliditas tam stolida sit, quam est caput hoc Henrici nostri: Fecit ut verum faciat Proverbium: Aut Regem, aut fatuum nasci oportuit..... Cum prudens & sciens mendacia componat adversus mei Regis Majestatem in cœlis, damnabilis putredo ista & vermis, jus mihi erit pro meo Rege, & Majestatem Angelicam luto suo & stercore conspergere, & Coronam istum blasphemam in Christum pedibus conculcare.* Hæc novi Evangelii præconem, hæc Reformationis auctorem decent; Sic Paulus, sic Christus, Regibus insultare docuit, sic superbe sapere; Et sua tamen Dogmata se de Cœlo habere gloriatur. „ Certus sum (*inquit*) Dogmata mea habere me de Cœlo, quæ etiam adversus eum triumphavi, qui in ungue novissimo plus habet virtutis & astutiæ, quam omnes Papæ, & Reges, & Doctores: Ut nihil agant, qui Bullas nominum & titulorum contra me jactant, & Libellos sub Regiis inscriptionibus venditant. Dogmata mea stabunt, & Papa cadet, invitis omnibus portis inferi, & potestatibus aeris, & terræ & maris. Ipsi me provocaverunt ad bellum, bellum igitur habebunt: Pacem oblatam contempserunt, pacem igitur non habebunt. Deus videris, uter primo fessus defecerit, Papa an Lutherus. Sic placet in Christo in dies magis ac magis superbire adversus insulsos istos & ineptos Basiliscos, quo magis ipsi furunt. *Quo spiritu* Lutherus *ageretur, & hæc verba ostendunt in eodem Libro:* Hæc sunt arma, quibus Hæretici vincuntur hodie, ignis & furor & insulsissimorum asinorum, & Thomisticorum porcorum. Sed pergant porci illi, & si audent, exurant me. Hic sum, & expectabo eos, cineribus suis post mortem etiam in mille maria projectis, prosequar & fatigabo hoc abominabile vulgus. Summa, vivens Papatus hostis ero, exustus bis hostis ero. Facite, porci Thomistæ, quod potestis, Lutherum habebitis ursam in via, & leenam in semita, undique vobis occurret, & pacem habere non sinet, donec ferreas vestras cervices & æreas frontes contriverit.

Lutheri convitia in Regem.

Novi Testamenti in linguam Germanicam Lutherana Translatio.

XX. Eodem anno 1522. prodiis Novi Testamenti fœdissime interpolati in linguam Germanicam Lutherana Translatio; in qua supra mille errores viri Catholicæ ac Romanæ Communionis eruditi notarunt, quos inter *Hieronymus Emser* præcipuam laudem promeritus est, qui & propriam Versionem cumprimis accuratam, & Latino Textui ab Ecclesia recepto & probato consonam, velut antidotum contra *Lutheri* venena vulgavit. Ex novi Testamenti Canone audacter expunxit *Lutherus* Epistolam ad Hebræos, Epistolam *S. Jacobi*, Epistolam *S. Judæ*, & Apocalypsim *S. Joannis*. Ea Translatio Lutheranæ Sectæ vires addidit, cum nemo ex ea factione Novum Testamentum non legeret, ac memoriæ commendaret: quo factum est ut Lutherani Catholicis Theologis & Concionatoribus passim insultarent, etiam mulieres ipsæ, tamquam mera mendacia aut figmenta hominum pro concione dixissent. Accedebant & alia incommoda. Nam cum antiqui Theologi multis retro annis peritiam linguarum, & politiores literas neglexissent, Lutherus mox ab initio per *Melanchthonem*, *Zuinglium*, *Oecolampadium & Bucerum*, antequam ab eo in nonnullis articulis dissentire cœpissent, totam Juventutem eloquentiæ literis, Linguarumque studio deditam, in partem suam traxit. Juvenes vero & ingenio alacres, & laboris patientes mox in Sacris Literis (quibus Lutherus unicum tribuebat sensum; eumque literalem) ita profecerant literaliter, ut vel triginta annorum Theologi tam prompti in Scripturæ locis proferendis non viderentur, quam illi: qui & de peritia linguarum, & de styli elegantia superbientes, mox quoslibet veteris farinæ Theologos non solum contemnere, verum etiam provocare cœperunt, maxime quando ad populum verba faciebant; ut refert *Cochlæus* Libro *De Actis & Scriptis Lutheri*. Post aliquot annos priorem suam Editionem in plerisque locis mutavit, adeo ut ea solo S. Matthæi Evangelio loca 33. nonnulli observaverint, in quibus Editio secunda aliter habet ac prima, quæ posteriorem annis quinque præcesserat. Nec his Versionibus contentus, Latinam quoque Editionem a propria sua Theutonica in multis diversam adjecit anno post primam Editionem septimo. *Bucerus* Dialogo contra *Melanchthonem* ait, *Lutheri* lapsus in vertendis explanandisque Scripturis, manifestos esse, nec paucos. Quin etiam Osiandrici *Luthero* non verentur objicere loca ab ipso magna falsitate & dolo reddita. Inter alia Novi Testamenti loca, interpolavit illud *S. Pauli* ad Romanos tertio Oraculum: *Arbitramur enim justificari hominem per fidem sine operibus Legis:* Vertit siquidem, *Justificari hominem per solam fidem sine operibus Legis*. De qua exclusivę dictionis additione cum in Conventu Augustano anno 1530. expostulatum esset, *Lutherus* respondit amico ea de re interroganti: *Si Papista tuus multa vult garrire de hac voce, sola, ei confestim dicito sic: Doctor Marthinus Luther vult sic habere, & dicit, Papistam & asinum esse rem unam. Sic volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas. Nolumus enim Papistarum Scholares aut Discipuli esse, sed Magistri ac Judices*. Plura alia Interpolationum *Lutheri* exempla recenset *Prateolus*, Lib. 10. Elenchi Alphabetici omnium Hæresum.

Plura Novi Testamenti loca interpolavit.

Eodem anno 1522. Libellum edidit Lutherus *De Vitandis hominum doctrinis*; in quo damnat omnia præcepta & instituta Ecclesiæ, quæ in Sacris Literis expressa non sunt, qualia sunt, de abstinentia ab ovis & carnibus Quadragesimali tempestate, de Jejuniis Quatuor Temporum & Vigiliarum, de Religioso habitu nusquam a Monachis abjiciendo, & libertate redeundi ad sæculum ipsis adempta, &c. Item Librum alterum Germanico pariter idiomate, *De Vita Conjugali:* In quo Sacerdotes, Monachos, & Moniales teneri ad ineundum conjugium docet, votis insuperhabitis, quod tam necessaria sit res uxoria, quam cibus, potus, somnus, aliaque naturæ officia.

Eodem anno Sermonem de Matrimonio VVittembergæ habuit, in quo cœlibatum & continentiam, sive custodiam virginitatis penitus impossibilem esse hominibus asserit, atque ita Christi & Apostoli consilium frustratur: „ Ut (*inquit spurcissimus & salacissimus Hæresiarcha*) non est in meis viribus situm ut vir non sim, tam non est etiam mei juris, ut absque muliere sim. Rursum, ut in tua manu non est ut femina non sis, sic nec in te est ut absque viro degas. Nec enim libera est electio aut consilium, sed res natura necessaria, ut marem feminæ, feminam mari sociari oporteat. Verbum enim hoc quo Deus ait, *Crescite & multiplicamini* non est præceptum, sed plusquam præceptum divinum, puta opus, quod non est nostrarum virium vel ut impediatur, vel ut omittatur, sed tam est necessarium, quam ut masculus sim, magisque necessarium quam edere, bibere, purgare, mucum emungere, somno & excubiis intentum esse. Insita est natura & indoles, æque ac membra, quæ eo pertinent. *Rursus asserit*, Omnes tum Monachos, tum Nonnas, qui de suo Cœlibatu & Ordine gloriantur, indignos esse qui baptizatum infantem in soporem collocent, aut pulmentum illi conficiant, etiamsi nothus sit. Reli-

Lutheri spurcities & salacitas Tom. V. Edit. VVittemb.

gio

„ gio enim & vita eorum nullum Dei verbum profe „ hebet, nec gloriari possunt quod sua opera Deo grata sint, ut mulier, etiamsi nothum in utero ferat „. Multos alios errores ibidem adstruit circa impedimenta, & indissolubilitatem Matrimonii: illudque per alterutrius conjugum fornicationem omnino solvi quoad vinculum propugnat.

Lutheri Liber De Formula Missæ & Communionis.

XXI. Anno 1523. cum Catholici Germaniæ Principes Editionem Novi Testamenti a *Luthero* translati & interpolati prohibuissent, edidit ille Theutonicum Librum *De sæculari potestate*, in Principes maledicentissimum. Itam *Epithalamiam* lascivum contra virginitatem. Item Librum de *formula Missæ & Communionis* pro Ecclesia VVittembergensi, adeo imperiosum ut arrogeverit sibi jus constituendorum rituum, quod nec Romano Pontifici, nec ipsis Conciliis Œcumenicis permittit. *Missas & Communionem panis & vini Ritum esse a Christo divinitus institutum*, ait, *qui sub ipse Christo primum, deinde sub Apostolis, simplicissime atque piissime absque nllis additamentis observatus fuit*. Missam dumtaxat sub ratione Sacrificii, Canonemque Missæ sugillat & explodit. Introitus Dominicales, & in Festis Christi, nempe Paschatis, Pentecostes, Nativitatis, probat & observat. Virginis, Apostolorum, aliorumque Sanctorum Introitus, e Psalmis, aut aliis Scripturis sumptos non improbat. VVittembergæ omnia Sanctorum Festa abrogat. Festa Purificationis & Annunciationis pro Festis Christi, sicut Epiphaniam & Circumcisionem vult haberi. Loco Festi *S. Stephani* & *S. Joannis* Evangelistæ, Nativitatis Officium substituit. Festa *S. Crucis* Anathemate damnat. Quid aliud ab inimico Crucis Christi expectandum? Aliis tamen permittit, ut pro sua conscientia, vel aliorum infirmitate faciant, quod Spiritus suggesserit: *Kyrie eleison*, *Gloria in excelsis*, Orationem seu Collectam unicam, Lectionem Epistolæ amplectitur, sed ex Epistolis *S. Pauli* eas optat eligi partes, in quibus fides docetur, potius quam morales & exhortatorias. Missam lingua vernacula haberi cupit. Graduale duorum versuum cum *Alleluja*, admittit. Alios ritus in Quadragesime, in Hebdomada Sancta, aut Feria sexta in Parasceve, non vult usurpari. Sequentiam, & Prosas rejicit, præter brevem illam in Nativitate Christi. *Grates nunc omnes*: & illas de Spiritu Sancto, *Sancti Spiritus*, & *Veni Sancte Spiritus*, quas sive sub Vesperis, sive sub Missa cantari permittit. Sequitur Lectio Evangelii, ad quam nec cereos, nec thurificationem prohibet, sed nec exigit. Symboli Nicæni cantum non improbat. Tum parari jubet panem & vinum ad benedictionem ritu solito, omnibus illis repudiatis, quæ oblationem sonent. Hæret circa mixtionem aquæ, eo potius propendet ut merum vinum paretur, quamquam id liberum relinquit. Tam Præfationem subjungit Ritu nostro. Deinde: *Qui pridie quam pateretur, accepit panem, gratias agens, fregit, deditque Discipulis suis, dicens: Accipite, comedite, Hoc est Corpus meum, quod pro vobis datur.*

Similiter & Calicem, postquam cœnavit, dicens, Hic Calix est Novi Testamenti in meo Sanguine, qui pro vobis & pro multis effunditur in remissionem peccatorum. Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis.

XXII. Hæc verba Christi vult modica post Præfationem interposita pausa in eo tono vocis recitari, quo canitur alia Oratio Dominica in Canone, ut a circumstantibus possint audiri. Quamquam liberum relinquat vel silenter, vel palam ea verba recitare. Finita panis & vini benedictione, Lutherano Ritu canitur *Sanctus*, & dum canitur *Benedictus*, elevatur Panis & Calix *Ritu hactenus servato, vel propter infirmos, qui hac repentina hujus insignioris in Missæ Ritus mutatione forte offenderentur*. Post hæc legitur Oratio Dominica: *Oremus, Præceptis salutaribus moniti*, Omissa Oratione sequenti, omissis signis super Hostiam, & cum Hostia super Calicem, ejusque fractione, & in Calicem mixtione. Sed statim post Orationem Dominicam dicitur: *Pax Domini*, &c. quam Lutherus Publicam *Absolutionem Communicantium a peccatis* esse ait, *vocem plane Evangelicam, annuntiantem remissionem peccatorum, unicam & dignissimam ad Mensam Domini præparationem, si fide apprehendatur, non secus atque ea ore Christi prolatam*. Ideoque vellet eam nuntiari verso ad populum vultu. Sequitur Communio Celebrantis & Populi. Interim canitur *Agnus Dei*. Orationes illas, *Domine Jesu Christe*, &c. &: *Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam meam*, vel *tuam in vitam æternam*, Lutherus probat. Communionem cani permittit. Sed loco ultimæ Collectæ, quæ sane Sacrificium sonat, legi præcipit in eodem tono Orationem illam: *Quod ore sumpsimus*, &c. Loco *Ite Missa est*, substituit, *Benedicamus Domino*. Benedictionem solitam dari jubet, vel alias ex Scripturis desumptas. Liberum esse vult Episcopo, quo nomine Ministrum quemlibet intelligit (Lutherani *Superintendentem* vocant, qui pluribus Ecclesiis falsi nominis præest) quo ordine velit, utramque speciem vel sumere vel ministrare: ita ut possit utrumque, nempe panem & vinum continuo benedicere, antequam panem sumpserit, vel inter Benedictionem panis & vini statim sese, & quotquot voluerint, pane communicare: deinde vinum benedicere, ac demum omnibus bibendum dare. Vestium usum permittit, sed eas consecrari aut benedici vetat.

XXIII. Nullam Missam privatam relinqui vult in Ecclesia, *nisi toleretur & hic infirmitas ad tempus*. Hunc vero Communionis Ritum præscribit, ut Ministro significetur qui futuri sint Communicantes, ut eorum nomina & vitam cognoscere queat. Deinde petentes non admittet, nisi rationem fidei suæ reddiderint, & interrogati responderint, quid sit Cœna Domini, quid præstet, quo usu illa velint potiri, &c. Vitam & mores eorum probari jubet; ut si Minister viderit aliquem scortatorem, adulterum, ebrium, lusorem, usurarium, maledicum, aut alio crimine manifesto infamem, eum a Cœna excludat donec manifesto argumento vitam se mutasse testatus sit. Communicaturos seorsim uno loco stare jubet, dum Missa celebratur. *Confessionem privatam, nec necessariam, nec exigendam, utilem tamen & non contemnendam* esse docet. Vult *utramque speciem peti & ministrari*. Matutinas trium Lectionum, & Horas, tum Vesperas, & Completorium, de Tempore, exclusis Sanctorum Festis, & Officiis approbat. Hi Ritus VVittembergæ a *Luthero* instituti, qui ægre admodum ferebat, quod in Ecclesia sub omnium Sanctorum memoria Deo dicata Ritus Catholicæ & Romanæ Ecclesiæ, volente *Friderico* Saxoniæ Septemviro, perseverarent, ut ipse in ejusdem Libri fine queritur. Eodem anno Librum edidit *De piis Cæremoniis*. Item Librum contra Canonem Missæ, seu *De Abominatione Missæ privatæ*.

Lutheri Liber ad VValdenses & Bohemos. Ejus inconstantia.

XXIII. Ad annum 1523. pariter pertinent Libri *Lutheri* ad VValdenses, & ad Bohemos, quos antea velut Hæreticos & Schismaticos etiam publicis Scriptis fuerat insectatus. Sic enim in Resolutionibus suis, (Tom. 1. pag. 110.) *Mihi certissimum est Purgatorium esse. Nec multum me movet quid blaterent Hæretici, quando jam mille & plus centum anni fuat, quod B. Augustinus in sacrum Confessionum IX. pro Matre sua orat & orandum petit. Et eadem Sancta Mater ejus moriens (ut ibi scribit) memoriam sui fieri optaverit ad Altare Domini. Sed & a B. Ambrosio id factum narrat. Quod si etiam tempore Apostolorum non fuisset Purgatorium (ut superbit fastidiosus Pighardus) numquid ideo credendum est Hæretico vix quinquaginta annos nuper nato, & fidem tot sæculorum falsam fuisse contendendum? Maxime cum ipse nihil aliud facias, quam quod dicit: Non credo; & sic probavit omnia sua, & improbavit omnia nostra, quasi non & lignum, & lapis non credant.* Quod contra Pighardos *Lutherus* scripserat, contra ipsummet retorqueri jure merito potuit. Idemque dicendum est de his quæ scripserat contra Bohemos in Commentario ad Galatas, cap. 6. quod tamen in prima tantum Editione habetur, in sequentibus omissum est. *Consequens est* (inquit) *quod Bohemorum dissidium a Romana Ecclesia nulla possit excusatione defendi, quin sit impium, & Christi omnibus Legibus contrarium: quia contra charitatem, in qua omnes Leges summantur, prostat. Nam hoc quod unice allegant, sese timore Dei & conscientiæ defecisse, ne inter malos Sacerdotes & Pontifices viverent, hoc eos maxime omnium accusat.*

XXV. Eodem anno edidit Libros Theutonicos, *De formula baptizandi*; *De Institutione Cultus divini*; *De communi Fisco*: Cui addicebat Episcopatuum, Capitulorum, Monasteriorum campestrium Ordinis Benedictini, Cisterciensis, & Beneficiorum omnium bona, census & reditus. Cœnobia vero Fratrum Mendicantium in Civitatibus, jubebat converti in Scholas puerorum & puellarum, aut in alios publicos usus civitatis. In distributione vero primam partem Pastoris & Concionatoris esse voluit, atque Præpositorum Fisci, & custodum Templi: Alteram.

teram, Rectoris Scholæ utriusque sexus. Tertiam senibus & pauperibus invalidis. Quartam, pro infirmis. Quintam, pro plebe oberata. Sextam, pro Mercenariis adventitiis. Septimam, pro ædificiis. Octavam, pro coemenda siligine tempore fertilitatis.

XXVI. Anno 1524. cum Episcopus Misnensis Beati *Bennonis* ejusdem olim Urbis Præsulis, ab Adriano VI. Pontifice Maximo inter Cœlites recens adscripti corpus e vetusto tumulo eductum, in loco sublimiori ac honestiori collocare decrevisset, annuumque ejus memoriæ Festum auctoritate Sedis Apostolicæ instituisset, *Lutherus* ira invidiaque accensus, impium Libellum Germanico idiomate edidit, *Adversus novum Idolum, & antiquum Diabolum, qui Misnæ exaltandus est*, ut populus ab ea devotione averteret. Eodem anno Libellum Theutonice edidit, Inscriptum, *Duo contraria & inter se pugnantia Edicta Cæsarea de Lutheri negotio*. Scilicet Wormatiense anno 1521. & Norimbergense hoc anno datum; in quo seditiosus Hæresiarcha furiosissimis conviciis in Cæsarem & Catholicos Principes debacchatur.

Lutheri Liber contra Carlostadium.

XXVII. Orto inter *Carlostadium* & *Lutherum* de Cœna domini dissidio, cum *Lutherus* aureo nummo velut arrhabone *Carlostadium* ad certamen provocasset, ac Libellos aliquos ea de re in vulgus emisisset, *Carlostadius* realem Corporis Christi in Eucharistia præsentiam impugnans, & pronomen, *Hoc*, in verbis institutionis, non panem, sed Corpus crucifigendum demonstrare contendens, ipsis *Librum contra cœlestas Prophetas seu Fanaticos*, Lutherus opposuit: quem duabus partibus complectitur. In Prima tractat de imaginibus & Missa. De Imaginibus docet: „ In Lege „ Moysi nullas alias Imagines, quam Dei, prohiberi „ ne adorentur: Crucis autem, vel alicujus Sancti I„ magines prohibitas non esse. In Evangelio autem ne„ minem teneri Imagines, ne Dei quidem, vi abro„ gare; nam ibi omnia libera esse, Christianos Moy„ sen audire non debere. Abrogatores imaginum Mo„ saicos Doctores esse. Christum ipsum approbasse I„ magines, eo quod denarium acceperit, cui Cæsaris „ Imago impressa erat. Si Judæis licuerit in moneta „ sua habere imagines Cæsarum, multo magis licere „ Christianis habere etiam in Templis Cruces, & Ma„ riæ Imagines. *De Missa docet*, Posse hoc vocabulum „ in Ecclesia Christi retineri, & Eucharistiam sic no„ minari; elevationem Sacramenti rem liberam esse, „ quod neque Christus, neque Apostoli eam prohibue„ runt. Liberum quoque esse, sive in vulgari, sive in „ peregrina lingua celebrare.

Anno 1525.

Apud Hospinianum. p. 31. Historia Sacramentaria p. 25.

In altera parte Libri, agit de Sacramento Altaris; docetque, verba hæc: „ Corpus Christi tam magnum, „ latum, crassum, & longum in Sacramento contine„ ri: rationi quidem humanæ, non autem verbo Deo „ adversari. Pronomine demonstrativo, *Hoc*, in ver„ bis Cœnæ Panem demonstrari. Christum vere & car„ naliter Corpore suo esse in Cœna. Communicationem „ Corporis Christi, de qua Paulus loquitur, esse Cor„ pus Christi in Pane edere: Communicationem illam „ non esse naturalem tantum, sed corporalem. Que„ madmodum ferrum & ignis, licet duæ substantiæ „ sint, tamen in ferro ignito miscentur, sic etiam Pa„ nis & Corpus conjunguntur in Pane, ut de eo re„ cte dicere possis, Panem simul & corpus esse. *Hanc„ que suæ sententiæ rationem affert*: Quia sicut se ha„ bet res in ipso Christo propter personalem unionem „ sic quoque de Sacramento sentiendum esse, in quo „ Panis & Corpus unum quiddam constituant, & præ„ ter omnem rationis captum una sint essentia seu „ massa. Unde sicut Homo Deus est, ita etiam Panis „ dicatur Corpus, & e contra.

Lutheri Liber De Servo arbitrio.

Eodem anno, cum *Erasmus Roterodamus* vir exquisitæ facundiæ & eruditionis errorem *Lutheri* Diatriba *De Libero Arbitrio*, luculente & diserte impugnasset, quem *Emserus* & *Cochlæus* in Germanicam Linguam transfuderant, *Lutherus* Librum *De Servo Arbitrio* contra ipsum, & contra Ecclesiæ doctrinam, quam ille defenderat, edidit.

XXVIII. Anno 1527. Libellum in Angliæ Regem edidit, qui gravem & eruditam ad ipsum Epistolam scripserat, ut ipsius *Lutheri* Literis responderet, quibus ejus Majestati significaverat, se pœnitere eorum quæ in ipsam scripsisset atque ad canendam palinodiam paratum, quod Regem *Evangelio*, (ita suam Hæresim vocabat) favere didicisset. Librumque sub ejus nomine contra se editum Majestatis ejus non esse. Eo in libro non solum adversus Ecclesiam, & Catholicos Principes, quos *Sylla* & *Herodi* comparat; quos *Leu-*

Pugna Lutheri contra Sacra-

des appellat, qui necdum *Pedicali* evaserint; sed etiam adversus Sacramentarios stylum acuit: *Hic ego* (inquit) *idem Sacramentarius Papista; Papistis Sacramentariis traducor, cum tamen ut hi Christum, sic illi Sacramentum Cœnæ Domini Ecclesiis eripere conentur. Et hi quidem sese solos Christiam prædicare jactant; cujus tamen Sacramenta in Ecclesia nihil nisi signa & velut tesseras militares faciunt. Quasi vero Christiani externis signis tantum a reliquis gentibus discerni debeant, quemadmodum diversi ovium greges diversis notis signisve dignosci solent . . . . Multiplices quidem & insidiosas machinationes sum hactenus expertus; sed hæc Sacramentariorum hypocrisis, ob inusitatum prætextus fucum, superat omnem vafritiem, & omne genus fraudum.*

mentarios quos velut Hæreticos insectatur.

Ad eumdem annum refert *Hospinianus* Sermonem *De Sacramento Corporis & Sanguinis Christi* VVittembergæ *contra Fanaticos Sacramentariorum Spiritus habitum*: In quo Sacramentarios ceu Hæreticos insectatur: „ Cæterum (*inquit*) ille ipse Diabolus de cujus „ virtutibus nobis jam sermo fuit, nos hodie per fa„ naticos homines oppugnat blasphematione Cœnæ Do„ mini nostri Jesu Christi, qui somniant in ea solum Pa„ nem & Vinum dari in signum aut symbolum Chri„ stianæ Professionis, nec volunt concedere ibi Corpus „ & Sanguinem Christi esse; cum tamen expressa & „ clara sint verba: Comedite, Hoc est Corpus meum. „ Quæ quidem verba adhuc firmiter subsistunt, nec pos„ sunt ab iis labefactari. Equidem contra Carlostadium „ rem istam adeo diligenter tractavi, ut nisi quis vi„ dens sciensque errare vellet, facile posset contra ista „ Diaboli phantasmata se tutari. *Et infra:* Nec quid„ quam hanc hæresim magis promovet, quam novi„ tas. Nam nos Germani tales homines sumus: ea quæ „ nova sunt affectamus, & avide arripimus, & insani „ mordicus retinemus, & quo quis nos vehementius re„ primit, eo furiosiores reddit. Si vero nemo se nobis „ opponit, prope diem satietate & tædio affecti, spon„ te abjicimus, & ad alia nova inhiamus. Hæc res „ Diabolo magnam affert occasionem, ut nullum adeo „ monstruosum somnium, aut commentum possit pro„ ferre, cujus non inveniat assertores, & hoc quidem „ eo citius, quo id quod affert est absurdius & inep„ tius. Verumtamen solum Dei verbum manet in æ„ ternum, hæreses vero prope id oriuntur & rursus „ occidunt. Quamobrem non possum mihi persuadere, „ hanc hæresim fore diuturnam. Nimis enim crassa & „ effrænis est, & non impugnat incertas opiniones, & „ dubia Scripturæ testimonia, sed planas & explicatas „ Scripturæ sententias.

Rem levem esse ajebant Sacramentarii, ob quam Christiana concordia, charitas, & pax non essent dissolvendæ. Contra quos Lutherus: „ Maledicta sint in „ omnem æternitatem illa charitas & concordia, eo „ quod talis concordia non solum Ecclesiam misere di„ lacerat, verum etiam more diabolico irridet, & tam „ illiberaliter aspernatur . . . . Si cui parentes, uxo„ rem, liberos interfecissem, & de eo quoque occiden„ do cogitarem, & tamen dicerem: Amice bone, „ securo sis animo, & otioso, diligemus nos mutuo, „ res non est tanti ponderis, ut ob eam inimicitias „ suscipiamus, & bellum geramus. Quid is, quæso, „ respondeat? Censeone illum mecharum habiturum? „ Ita Sacramentarii mihi Dominum meum Jesum Chri„ stum, & Deum Patrem in verbo suo trucidant; & „ Matrem suam Sanctam Ecclesiam una cum fratribus „ meis mactant, meque jugulare quærunt, & adhuc „ dicunt, Me tranquillo & bono animo esse debere; „ sed mecum familiaritatem & amicitiam juncturos & „ conservaturos.

Et infra: *Hic manifestum & notum est, quod de verbis Christi, de Cœna Dominica contendamus, & confitetur utraque pars, quod sint Christi & Dei verba. Deinde nos clare affirmamus, quod (ut verba sonant) verum Corpus Christi, & Sanguis adsit, cum ait:* Accipite, comedite, Hoc est Corpus meum. *Si perperam credimus & docemus, quid quæso, facimus? Deum mendacii arguimus, & asseveramus quod illa verba non protulerit, sed contrarium dixerit. Quod sit sit, reipsa probamus nos in Deum mendaces, in Spiritum Sanctum blasphemos, Christi proditores & parricidas, & mundi seductores esse. Nostri vero Adversarii plane affirmant, solum Panem & vinum, & non Corpus & Sanguinem Christi adesse. Si hæc non recte creduntur & docentur, tum revera Deum blasphemant, Spiritum Sanctum mendacii accusant, produnt Christum, & mundum seducunt. Alterutram partem a Diabolo excogitari contra Deum necesse est, ter-*

tium

tium nullum esse potest. Judicent nunc singuli Christiani utrum causa hæc sit levis, & an Verbum Dei pro joco sit ducendum.

Verba vero institutionis contra ipsos expendens, ipsos Scripturam *propriis verbis & genuina sententia exuere, & in suum sensum & verba transmutare* probat: ac *Zuinglium* asserentem verbum, *Est*, idem valere quod verbum, *significat*; & *Oecolampadium* scribentem verbum, *Corpus meum*, idem esse quod, *Signum Corporis mei*, similes esse illi, qui hæc verba Moysis, *In principio creavit Deus cælum & terram*, contra errorem Philosophorum Ethnicorum de Mundi æternitate objecta, sic exponeret: *Deus, id est, cuculus, creavit, id est, devoravit, cælum & terram id est currucam totam & integram, non cum assibus & plumis.* Vel hæc verba *Joannis I.* neganti Filium Dei hominem factum opposita, *Verbum caro factum est* ita interpretaretur: *Verbum* significat *baculum curvum & caro milvum*: & sensus est, *Baculus curvus factus est milvus.*

„ Hoc itaque hujus rei caput est, quod nos ex partibus nostris habemus Scripturam expeditam & claram quæ sic sonat: *Accipite, comedite, Hoc est Corpus meum*: Nec nobis opus est, nec debet a nobis a quoquam postulari, ut hunc textum Scriptura confirmemus, licet abunde satis præstare possimus. Sed illis necesse est Scripturam afferre in medium, quæ sic habeat. „ Hoc significat Corpus meum: *Aut*, Hoc est Corporis mei signum.

Eodem in Libro Sacramentariorum pugnas hoc modo exponit, *Carlostadius Corpus finit esse Corpus, & in sua vitro perseverat. Alii textum sic macerant*: Accipite, comedite; Corpus meum pro vobis datum est hoc: „ intellige; spiritualis esca. Hi vocabulum, *Corpus*, intactum relinquunt, & tamen cum iis consentiunt: Alii verba illa pretiosissima hoc modo crucifigunt: *Accipite, comedite; quod pro vobis datur, Hoc corpus meum est.* Tot capita & tot sensus hæc unica Secta habet, qui in re principali omnes congruunt, & Spiritum Sanctum singuli jactitant. Ie vero Spiritus Sanctus in probando & fundamenta jaciendo, non solum multiplex, sed etiam sibi contrarius & inconstans reperitur: quod eam ob causam fieri mihi persuasum est, ut Spiritus Sanctus palam coarguat, quod isti singuli æque errent, cum nullus eorum Scripturam sic, ut sonat, accipiat, neque demonstrare possit quod aliter ac sonat, intelligenda sit.

Et infra: *Doctor Carlostadius ex his sacrosanctis vocabulis*; Hoc est Corpus meum, *misere distorquet pronomen*: Hoc. *Zuinglius autem verbum, substantivum*, Est, *macerat. Oecolampadius nomen*, Corpus, *torturæ subjecit. Alii totum textum excarnificant & invertunt vocabulum*, Hoc, *ex primo in postremum locum deturbantes, & dicunt*: Accipite, comedite, Corpus meum, quod pro vobis tradetur, est hoc. *Alii dimidiam partem textus crucifigunt, & vocem*, Hoc, *in medium locum collocant, & inquiunt*: Accipite, comedite, quod pro vobis datur, Hoc est Corpus meum: *Alii textum sic obtruncant*: Hoc est Corpus meum ad mei commemorationem: *Hoc est Corpus meum hic non debet adesse reipsa, sed tantum commemoratio mei Corporis, ut textus ita sonet*: „ Accipite, comedite, Hoc est Corporis mei commemoratio, quod pro vobis datur. *Præter hos alii accedunt, ut septenarius numerus compleatur, qui dicunt, Non esse Articulos fidei, ideoque non esse de his contendendum: Liberum enim cuique esse ut hic sentiat quidquid velit. Hi omnia pedibus conculcant & destruunt. Veruntamen Spiritus Sanctus est in his singulis, & nullus vult erroris argui in his tam diversis contrariis probationibus, & textus ordinationibus; cum tamen unam tantum textus collocationem veram esse oporteat. Adeo crasse & manifeste diabolus nos nasa suspendit.*

Ad ratiunculas tandem & blasphemias *Oecolampadii*, Deum nostrum vocantis pistum & coctum, panaceum, carneum, &c. sic respondet: *Equidem si rationis nauseam & consilium sequi velim, singulos fidei Articulos æque ac illi, fœdissimis ructibus ac vomitibus inquinarem. Non est igitur quod putent isti blasphemi ex Spiritu Sancto omnia sua sputulica proficisci. Quærunt de Deo, Ad quid opus sit ut Deus sit homo? Quare tam difficilia credamus? Quare Apostoli eum non adorent in Cœna? Quomodo deceat tantam Majestatem a sceleratissimis hominibus crucifigi? O Deum carneum! o Deum sanguineum! o Deum mortuum! & sic deinceps. Boni ergo Sacramentarii scite sua nausea aditum parant ad Christum, & Deum ipsum, & omnes Articulos abnegandum. Et quidem magna ex parte jam incœperunt nihil omnino credere. Nam in rationis compitu sese conferunt, quibus recta ducuntur ad interitum.*

Hæc paulo prolixius retuli, aliaque referrem luculentissima, quibus Sacramentariorum hæresim refellit, eorumque argumenta dissipat ac frangit *Lutherus*, si id instituti mei ratio pateretur, ut omnibus innotesceret Lutheranos, qui communionem & fraternitatem cum Calvinistis inierunt, cum *fanaticis, hæreticis, Christi proditoribus, blasphemis in Spiritum Sanctum, seductoribus mundi*, Luthero judice, communione conjunctos esse: Calvinistas, qui ipsos ut fratres agnoscunt, suæ damnationi hoc facto subscribere, siquidem non minus ab ipsis habentur ut Hæretici, quam Romanæ Communionis homines. Sed de his alias. Ad Historiæ seriem redeundum.

Lutheri Liber contra Anabaptistas.

XXIX. Anno 1528. *Lutherus* Libellum Theutonico idiomate scripsit *contra Anabaptistas*, probans non tam fidei baptizantis, aut baptizati, aut Patrinorum fidendum esse, quam promissionibus Christi, & susceptioni Baptismi. Fidem enim esse incertam: Sacramentum autem certum. Cumque Rebaptizatores dicant, Nusquam haberi in Scripturis quod parvuli habeant fidem propriam, aut quod baptizari debeant, ipse in hunc modum respondet: „ Quod parvuli credant, nullo Scripturæ loco demonstrare possumus, qui clare his aut similibus verbis dicat: Parvulos baptizate, nam & ipsi credunt. Si quis nos urgeat ad demonstrandam ejusmodi literam, huic nos credere oportet ac victoriam dare: Nusquam scriptam invenimus. Boni autem & ratione præditi Christiani tale a nobis non exigunt: contentiosi & cervicosi Sectarum Duces id faciunt. At contra neque ipsi ullam afferent literam quæ dicat; Adultos baptizate, & nullos parvulos. Sic Traditionum auctoritatem volens nolens admittit, quam alias impugnat. Sic sibi contradicit, qui ad VValdenses olim scripserat: *Præstare prorsus omittere Baptismum in parvulis, quam baptizare sine fide*: Et in eis hunc Articulum reprehenderat, *Quod parvulos baptizarent ad futuram fidem, quam adulti consequuturi essent.*

Lutheri Confessio de Cœna Domini, contra Zuinglium & Oecolampadium.

XXX. Eodem anno Librum alterum contra *Zuinglium & Oecolampadium* edidit *Lutherus*, Theutonico idiomate, qui inscribitur *Confessio magna de Cœna Domini*, in qua postquam triplicem modum essendi in aliquo loco distinxit, *localem vel circumscriptivum, definitivum, & repletivum*, secundum tribuit Corpori Christi in Pane Eucharistiæ. „ Quemadmodum, *inquit*, consignatus sepulchri lapis, & clausa janua immutata manserunt; & tamen simul Corpus Christi ibi fuit, ubi lapis & lignum fuerunt; ita quoque in Sacramento Corpus & Sanguis Christi sunt ubi panis & vinum sunt, quæ immutata manent. *Docet*, per prædicationem identicam, Panem esse realiter & proprie loquendo Corpus Christi. *Errare Sacramentarios, æque ac Glossatorem Juris Canonici*, Cum Nicolaum Papam reprehendunt, propterea quod coegerit Berengarium ad Confessionem illam, qua dicit, se premere & atterere dentibus verum Christi Corpus. Atque utinam (*inquit*) omnes Papæ tam Christiane egissent, ac iste Papa cum Berengario in sua illa Confessione egit. Utque explicet quomodo per Sacramentalem unionem panis dici possit Christi Corpus, ex omni genere sermonis usitato exempla profert, scilicet de sacco & pecunia, ac si quis diceret, *Hoc sunt centum floreni.* Item, de vase seu cantharo & vino, ac si quis diceret: *Hoc est vinum Rhenense.* Item, de vitro & aqua, ac si quis diceret: *Hoc est aqua.* Item, de ferro & igne, ac si quis diceret: „ Hoc est ferrum, Hoc est ignis. In his omnibus locutionibus, *inquit*, quoniam saccus & pecunia, cantharus & vinum, vitrum & aqua, ferrum & ignis, quodammodo una sunt massa, ideo pronomen hoc simul ad utrumque refertur: Eodem modo & in verbis Christi, *Hoc est Corpus meum*, Pronomen Hoc, non simpliciter de pane, sed de pane carneo oportet intelligi.

Lege Hospinianum Historia Sacrament. Ep. 2. p. 86. & seq.

Transsubstantiationis dogma in medio relinquit Lutherus.

In eadem illa Confessione, Transsubstantiationis dogma in medio relinquit. Scribit enim: *Se hactenus docuisse, & adhuc docere, parum referre, nec magni momenti quæstionem esse, sive quis panem in Eucharistia manere, sive non manere & transsubstantiari credat.* Ubiquitatem Corpori Christi affingit, & per absurdum illud & erroneum dogma Sacramentalem Christi præsentiam in quovis pane Eucharistico probat. Non ita tamen infensus semper fuit errori Sacramentario *Lutherus* ut *Hospinianus* probat cum ex

pi:-

plerisque aliis locis, tum maxime ex Præfatione ad Syngramma Suevicum, anno 1525. editum. Tandem *Bucero* concessit, Christi Corpus & Sanguinem extra usum in Eucharistia non esse, in Concordia VVittembergensi, anno 1526

In tertia parte ejusdem Confessionis, se rejicere profitetur ac damnare omnem doctrinam, quæ liberum nostrum arbitrium jactitat. Asserit Vigilias, Missas ac Anniversarios dies pro Defunctis, esse inutiles, ac *nundinas diaboli*. Item quod Sancti invocandi non sint. Item quod Extrema Unctio, Matrimonium, & Ordo Sacerdotalia, Sacramenta non sint. Missam denique sacrilegis his verbis execratur: *Super omnes vero abominationes teneo esse Missam, quæ pro Sacrificio et bono opere prædicatur ac venditur.*

Alium Librum Theutonico idiomate eodem anno edidit *De Communione sub utraque specie adversus Papistas* seu Romanæ Communionis homines.

XXXI. Anno 1529. Cum Turcarum Tyrannus Germaniæ immineret, Librum Theutonicum *Lutherus* edidit, *De Bello contra Turcas*, in quo queritur, inique damnatum a Papa *Leone* illum Articulum suum: *Pugnare adversus Turcas, est repugnare Deo visitanti iniquitates nostras per illos*. Nefaria illa dicta evomit: *Tam malus est Papa quam Turca: Et e converso: Tam bonus est Turca quam Papa.*

XXXII. Anno 1530. prodiit in lucem Lutheri *Catechismus*. Hoc anno Comitia Imperii Augustæ celebrata: Augustana Confessio edita est, de qua inferius dicemus. Soluto conventu, *Lutherus* Libellos suos seditiosos contra Imperatorem edidit, quorum unum inscripsit: *Glossam in prætensum Edictum Imperiale*, quo scilicet Cæsar Lutheranis Augusta recessuris certos Articulos præscripserat: Alterum inscripsit: *Præmonitionem ad Germanos suos dilectos*: De quibus *Cochlæus* in Actis & Scriptis Lutheri,

Lutherus Diaboli Discipulus.

XXXIII. Anno 1534. Libellum Diabolicum *De Missa Angulari, & Unctione Sacerdotum*, Germanico idiomate *Lutherus* edidit: In quo celebrem illam refert cum Diabolo Magistro suo disputationem. „ Ego, *inquit*, „ coram vobis Reverendis & Sanctis Patribus Confessionem faciam. Date mihi absolutionem bonam, „ quæ vobis opto, quam minimum noceat. Contigit „ me semel sub mediam noctem subito expergefieri, „ ibi Satan mecum cœpit hujusmodi Disputationem. „ Audi, inquit, Luthere, Doctor perdocte. Nosti „ etiam te quindecim annis celebrasse Missas privatas „ pene quotidie? Quid si tales Missæ privatæ horrenda essent Idololatria? Quid si ibi non adfuisset Corpus & Sanguis Christi, sed tantum panem & vinum adorasses, & aliis adorandum proposuisses? Cui „ ergo respondi: Sum unctus Sacerdos, accepi Unctionem & Consecrationem ab Episcopo, & hæc „ omnia feci ex mandato & obedientia Majorum. Quare non consecrassem, cum verba Christi serio pronuntiarim, & magno serio Missas celebrarim? Hoc nosti. Hoc totum, inquit, est verum; sed Turcæ & „ Gentiles etiam faciunt in suis Templis omnia ex obedientia, & serio Sacra sua faciunt. Sacerdotes Jeroboam faciebant etiam omnia certe zelo & studio „ contra veros Sacerdotes in Jerusalem, Quid si tua „ ordinatio & Consecratio etiam falsa esset sicut Turcarum & Samaritanorum falsi Sacerdotes, falsus & „ impius cultus est? Diaboli objecta recenset, approbatque: Patrem mendacii a mendacio excusat.

XXXIV. Anno 1544. *Lutherus* Librum maledicum & obscœnum edidit adversus *Pauli III.* Epistolam ad Cæsarem post Spirensia Comitia datam. Item, Libellum alterum, Germanico pariter idiomate, in quatuor partes tributum. Prima inscribitur: *De Principalibus Articulis Christianæ Fidei contra Papam & Inferorum portas sustinendis*. Secunda continet ejus Confessionem. Tertia est, *De vera & falsa Ecclesia*. Quarta, *De tribus Symbolis*, aut Confessionibus Catholicæ Fidei.

Lutheri in Sacramentarios declamatio.

Eodem anno *Parvam Confessionem* edidit *Lutherus*, qua Sacramentarios vehementius & acerbius quam ante insectatur. Ait, Se in Marpurgensi Colloquio ne in uno quidem Articulo in illorum partes concessisse, sed ipsos Lutheranorum sententiam in omnibus complexos. *Ac mallem*, inquit, *centies discerpi vel comburi, quam illorum doctrinæ consentire*. Se de reali Corporis & Sanguinis Christi præsentia cum Romanæ Communionis hominibus sentire profitetur. „ Ex instinctu, *inquit*, diaboli nos vocant carnivoros & „ sanguipotores: Nam ne Papistæ quidem sic umquam „ docuerunt. Ad hunc enim modum sub Papatu traditum est, quemadmodum & nos statuimus, atque „ docemus adhuc, veluti vera & prisca Ecclesia ante „ mille quingentos annos statuit & docuit. Si de Altari panem accipis, & comedis, non brachium a „ Corpore Christi avellis, aut nasum vel digitum „ ejus voras; sed totum Corpus ejus accipis tu, & „ qui te sequuntur omnes, juxta illud quod canitur „ in Corporis Christi Festo: Sumit unus, sumunt „ mille, quantum isti, tantum ille, nec sumptus „ absumitur. *Item*, Hoc modo docent etiam Papistæ, „ immo non Papistæ, sed Ecclesia (non enim Papa „ Sacramentum instituit) & nos cum iis, quod Corpus Christi non sit localiter in Sacramento, sed „ definitive; id est, certo est ibi corporaliter & vere. „ *Zuinglianos vocat* panivoros, vinibibones, animarum latrones. Neminem pro illis orare posse *ait*, „ peccare enim eos ad mortem. *Illos vocat* blasphemos in Deum & Christum, damnatam Sectam, „ mendaces homines, maledictos, superbos & arrogantes spiritus, Sacramentorum profanatores & hostes, contra propriam conscientiam agentes: ut nullius fanatici, sive is sit Scuvenkfeldius, sive Carlostadius sive quisquam alius Hæreticus ἀπροφάγος, „ ὀνοπότης consortium recipere, ne c literas, libros, „ salutationes, benedictiones, scriptiones aut nominationem, intra animi sui penetralia admittere, „ nec visu vel auditu dignari decreverit. " Lege *Hospinianum* P. 2. *Historiæ Sacramentariæ*, pag. 326. & sequentibus.

Anno 1545. *Lutherus* contra Lovanienses Theologos Theses edidit, in quibus contra Sacramentarios hæc habet, Thesi 28. *Hæreticos serio censemus, & alienos ab Ecclesia Dei esse Zuinglianos & omnes Sacramentarios, qui negant Corpus & Sanguinem Christi ore carnali sumi in Venerabili Sacramento*. Hæc postrema Lutheri sententia fuit. Qui pleniorem desiderat Operum *Lutheri* cum latinorum, tum Theutonicorum Indicem, illum habet ad calcem Operis Joannis Cochlæi, *De Actis & Scriptis Lutheri.*

§. III.

De Carolostadio, Zuinglio, Oecolompadio Philippo Melancthone, Martino Bucero, Scuvenkfeldio, Joanne Agricola, Osiandro, Brentio, Matthia Flacco Illirico, & Stancharo.

De his breviter agendum, quod in Lutheranæ Hæreseos Historia frequenter occurrant, & novando in Religione vel cum *Luthero*, vel contra *Lutherum* nomen sibi fecerint.

Id legere est apud Joannem Cochlæum, in Lib. De Actis & Scriptis Lutheri.

I. Andreas Carlostadius, Archidiaconus VVittembergensis, postea factus Agricola, postquam ejurato Christiano Sacerdotio primus Reformatorum uxorem duxit: cujus sacrilegas nuptias VVittembergenses Lutherani proprio Missæ Officio prosecuti sunt, quod impietatis & lasciviæ impudentissimæ monumentum aut trophæum jure dixerim: dum absens Vittemberga esset *Lutherus*, eo inconsulto Missam abrogavit, sacrum habitum abjecit, Eucharistiam profanis manibus contrectari permisit, concitandæque plebis auctor fuit, ut quasi portis effuse patentibus, infesta signa Templis & Aris inferret, & ex illis Imagines ejiceret. Mox Christi Corpus & Sanguinem reipsa & secundum substantiam in Eucharistia adesse negavit, quod propugnabat *Lutherus*, & sepultam olim Sacramentariorum Hæresim excitavit, affirmans Christum cum dixit: *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis traditur*; istud pronomen, *Hoc*, non in panem direxisse, sed in seipsum: ut sit sensus: *Accipite & comedite; nam ego hoc Corpus meum sum vobis traditurus*. Libellis *De Cœna Domini* Orlamundæ, ubi Ministrum agebat, editis, hunc suum errorem tueri conatus est. De quo fusius scribit *Zuinglius*, in Epistola ad *Matthæum Alberum* Reutlingensium Ministrum. Ejus sententiam nec probat omnino, nec penitus improbat. Ipsum laudat, quod senserit *verbis Christi alium oportere subesse sensum, quam prima fronte promittant: verum ut illum explicaret, non satis claro vidisse*. Illique idem accidisse *quod tyroni, cui animus & arma ad pugnandum non desunt, sed armorum peritia*. Hoc ipsi tribuit elogium *Philippus Melancthon* in Epistola ad *Fridericum Myconium*, quam Testimoniis Patrum *De Cœna Domini* a se collectis præfixit: *Carlostadius primus excitavit hunc tumultum, homo ferus, sine ingenio, sine doctrina, sine sensu communi, quem nullum unquam humanitatis officium aut intelligere, aut facere animadvertimus, tantum abest ut in eo significatio aliqua Spiritus Sancti animadversa sit; immo extant manifesta signa impietatis.*

Sacrilegæ Carlostadii Nuptiæ.

Carlostadii error.

tati: • Damnabat omnes Leges ab Ethnicis conditas, contendebat in foro jus ex Moyse dicendum esse, non intelligens vim & naturam Christianæ libertatis: totam illam fanaticam Anabaptistarum doctrinam statim toto amplectebatur, cum cœpisset eam in Germania serere Nicolaus Stork: controversiam de Cœna Domini tantum odio Lutheri, non aliqua pietatis opinione movit. Bona pars Germaniæ testari posset, me nihil in hac causa fingere. Quamquam si testibus opus sit, Libelli ipsius adversus Auctorem, dicent certissimum testimonium. In his apparet hominem ne ratione quidem aliqua in speciem probabili motum esse ad scribendum. Quam suaviter nugatur de demonstratione vocis τῦτο? Quod affert ad causam tantam Ecclesiæ veteris, aut illius magni Auctoris testimonium? Quæ non est in tota disputatione, ea qua sit aliqua pietatis significatio? Tantum vociferatur, ut nunc solent homines fluimoei inter pocula, qui nullis fabulis, nisi maxime profanis, delectantur. Ad hæc, magnam Librorum partem consumit in conviciis, & homo insulsus studet etiam urbanitatis laudem auferre . . . . . Meo quidem judicio magna est temeritas, dogmata serere non consulta Ecclesia veteri. Exul e Saxonia *Carlostadius*, in Helvetiam venit; & a Tigurinis Diaconus creatus est. Post *Zuinglii* demum obitum, Basileam profectus, ad Ministerium assumptus est, ibique obiit.

II. HULDRICUS ZUINGLIUS, in Pago Doggiorum in Helvetia natus, Glaronensis primum, postea Eremitanæ Ecclesiæ Pastor, ad urbis Tigurinæ Parochialem administrandam vocatus, cum multos ibi privatis colloquiis pervertisset, contra Indulgentias & Romani Pontificis Primatum anno 1519. prædicare cœpit; aliosque errores contra Fidem Catholicam Tigurinis afflavit. Senatus populusque Tigurinus Pseudosynodum indixit ad diem vigesimam nonam Januarii. *Zuinglius* in eo Conventu summam doctrinæ suæ 68. Articulis comprehensam proposuit examinandam; ad disputationem omnes, qui contradicere vellent provocavit. *Joannes Faber* Constantiensis Episcopi Vicarius Generalis, ipseque Præsul, intercessere ne quid in Religione novaretur. Inter *Zuinglii* Articulos hi leguntur.

Zuinglii Articuli.

1. *Missa non est Sacrificium, sed Sacrificii in Cruce semel oblati Commemoratio, & quasi sigillum redemptionis per Christum exhibitæ.*

2. *Nobis extra hanc vitam intercessore præter Christum nullo opus est.*

3. *Christus est nostra justitia. Hinc consequitur opera nostra eatenus esse bona, quatenus sunt Christi, quatenus vero nostra, non esse vera bona.*

3. *Christianorum nullus ad ea opera quæ Christus non præcepit, adstringitur. Quolibet tempore quolibet cibo vesci potest.*

5. *Quidquid Deus non vetat & permittit, juste fit. Ex quo discimus Matrimonium ex æquo omnibus convenire.*

6. *Qui Ecclesiastici vulgo seu Spirituales vocantur, peccant dum postquam senserint castitatem sibi a Deo negatam, non uxores ducunt, aut nubunt.*

7. *Qui vovent castitatem, stulta præsumptione, & pueri arrogantia tenentur. Qui ergo ab eis vota hujusmodi vel exquirunt, vel oblata recipiunt, injuriam eis faciunt, & tyrannidem in simplices exercent.*

8. *Potestas, quam sibi Papa & Episcopi, cæterique, quos spirituales vocant, arrogant, ex Sacris Literis & doctrina Christi firmamentum non habet.*

9. *Confessio quæ Sacerdoti aut proximo fit, non pro remissione peccatorum, sed pro consolatione haberi debet.*

10. *Opera Satisfactionis a Sacerdote imposita, humanæ sunt Traditionis.*

11. *Scriptura Sacra Purgatorium post hanc vitam nullum novit.* Preces tamen pro Defunctis *Zuinglius* damnare non audet. *Si quis*, inquit, *pro Mortuis sollicitus, apud Deum gratiam eis implorat aut precatur, non damno.*

12. *De Charactere, quem postremis hisce temporibus excogitarunt Sacrifici, nihil novit divina Scriptura.*

13. *Scriptura alios Presbyteros aut Sacerdotes non novit quam eos qui verbum Dei annuntiant.*

Tigurinus Magistratus audito *Zuinglio*, omnibus Pastoribus urbis & ditionis suæ mandavit, ne quid posthac aliud Ecclesiis suis proponerent, & annuntiarent, quam purum Dei verbum, Prophetarum & Apostolorum Libris comprehensum. Conventus alter postmodum indictus, habitusque. Eucharistiæ circumgestatio solemni pompa Senatusconsulto prohibita; Sanctorum Reliquiæ sublatæ; Helvetiorum Tribus reliquæ ad 26. diem Januarii Lucernam convenientes, quidquam in Religione novari suis in ditionibus prohibuerunt. Missis ad Tigurinos Oratoribus, dolorem suum de sacrilega novitate apud ipsos introducta, hæresique suscepta significarunt. Nulla tam justæ expostulationis habita ratio. A Senatoribus & Ædili urbis sacræ Imagines eversæ, mense Junio anni 1524. Ad Constantiensis Episcopi Monita, Librumque pro Catholicæ Religionis defensione ab ipso præscriptum, aures obturarunt, oculos animi clauserunt Tigurini. *Zuinglio*, ejusque Symmistis rogantibus, undecima die Aprilis 1525. Missa, & Eucharistiæ adoratio Senatusconsulto abrogatæ sunt. Novus Sacramentariæ Cœnæ Ritus institutus. Duodecimo post die cum *Zuinglius* diu cogitasset qua ratione figuram in verbis Christi Eucharistiam instituentis explicare posset, ipsi in somnis visus est Monitor. (*Ater an albus fuerit*, se non meminisse profitetur in Libello *De Subsidio Eucharistiæ*, fol. 249. Editionis Tigurinæ anni 1581.) qui ipsi suggessit locum Exodi: *Est Phase, hoc est, transitus Domini*. Quo fretus, conceptum dudum errorem, & lectione Epistolæ Batavi cujusdam *Honii* confirmatum vulgavit in Responsione ad Confessionem *Lutheri*, anno 1528. edita, & *Joanni* Duci Saxoniæ ac *Philippo* Hessorum Lantgravio dicata; in qua his verbis suam de Eucharistia fidem exponit:

Figura alavon ad explicanda verba Christi Eucharistiam instituentis a quo accepit Zuinglius?

„ Credo quod in Sacra Eucharistia, hoc est gratiarum „ actionis Cœna, verum Christi Corpus adsit, fidei „ contemplatione: hoc est, quod ii qui gratias agunt „ Domino pro beneficio nobis in filio suo collato agnoscunt, illum veram carnem assumpsisse, vere in illa passum esse, vere nostra peccata Sanguine suo „ abluisse, & sic omnem rem per Christum gestam „ illis fidei contemplatione velut præsentem fieri: Sed „ quod Christi Corpus per essentiam & realiter, hoc „ est, Corpus ipsum naturale in Cœna aut adsit, aut „ ore dentibusque nostris mandatur, quemadmodum „ Papistæ, & quidam qui ad ollas Ægyptiacas respectant, perhibent, id vero non tantum negamus, „ sed errorem esse qui verbo Dei adversatur, constanter asseveramus.

Error Zuinglii de Eucharistia.

De Sacramentis, profitetur ipsa gratiam non conferre. „ Credo, *inquit*, immo scio omnia Sacramenta „ tam abesse ut gratiam conferant, ut ne afferant „ quidem aut dispensent . . . . . . Sacramenta dari in „ testimonium publicum ejus gratiæ, quæ cuique privato prius adest. Sic dari Baptismum coram Ecclesia ei, qui priusquam illum recipiat, Religionem „ Christi aut confessus est, aut promissionis verbum „ habet, quo scitur illum ad Ecclesiam pertinere. „ *Adultos fidem profiteri antequam Baptismum recipiant, pueros promissionem Dei habere*, qua ipsos non „ minus reputat de Ecclesia, quam Hebræorum. Cum „ enim, *inquit*, hi offerunt, qui de Ecclesia sunt, „ jam baptizatur infans hac lege, quod quandoquidem „ ex Christianis natus sit, intra Ecclesiæ membra divina promissione reputetur. Baptismo igitur Ecclesiam publice recipere eum, qui prius receptus est „ per gratiam. Non ergo Baptismum afferre gratiam, „ sed Ecclesiam testari gratiam factam esse ei cui Baptismus datur.

De peccato originali censet, „ Ipsum, ut est in filiis Adæ, non proprie peccatum esse, sed morbum „ & conditionem. Morbum, quia sicut ille ex amore „ sui lapsus est, ita & nos labimur: conditionem, „ quia sicut ille servus factus est & morti obnoxius, „ sic & nos servi & filii iræ nascimur, & morti obnoxii. *Fatetur tamen hunc morbum & hanc conditionem, juxta Pauli morem*, appellari peccatum: „ immo tale esse peccatum, ut quicomque in eo nascuntur, hostes & adversarii Dei sint: Huc enim „ trahere illos nativitatis conditionem, non sceleris „ perpetrationem, nisi quantum hoc semel perpetravit Primus Parens. Veram igitur perduellionis & „ mortis causam esse perpetratum ad Adam crimen ac „ nefas, atque hoc vere esse peccatum. At peccatum „ istud, quod nobis adhærescit, & vere morbum, & „ conditionem, immo necessitatem esse moriendi. *Suum de peccato originali errorem magis explicat in Declaratione ad* Urbanum Rhegium *Augustanum Ministrum*: Sic ergo diximus, originalem contagionem „ morbum esse, non peccatum, quod peccatum cum „ culpa conjunctum est: culpa vero ex commisso vel „ admisso ejus nascitur, qui facinus designavit. Exemplum do: servum nasci, misera conditio est, non

Error Zuinglii de peccato originali.

„ culpa ejus qui sic nascitur, neque crimen: qui enim nascitur nondum quidquam admisit aut commisit. Si ergo dicat quis: At majores ejus commiserunt, ut in servitutem redigerentur tam ipsi, quam ex se se prognati: ergo crimen fuit ex quo culpa, quam deinde servitus seu mulcta seu pœna sequuta est. Recte sane. Hoc ipsum volo, culpam originalem non vere, sed metonymice a primi Parentis admisso culpam vocari: asse autem nihil aliud quam conditionem, miseram quidem illam, at multo leviorem quam crimen meruerat, &c. *Consequenter ad hunc errorem, alterum asserit:* Quod Baptismi lavacro nullum prorsus peccatum tollitur; & durius definiri, Christianorum liberos, si tincti non sint, æternæ damnationi alligari; & quod nullo Scripturæ testimonio nititur, Baptismo tolli peccatum originale, aut gratiam eo conferri, nisi Baptismi signo Christum, qui eo signatur, intelligas: & Baptismum Ecclesiæ Christi signum esse, non aliter quam exercitus aliquis signatur, non quod signum hoc conjungat Ecclesiæ; sed qui ei jam conjunctus est publicam tesseram accipit: sicut nemo in exercitum scribitur eo quod signum induit (alioquin & hostes & proditores, qui nonnumquam signa per insidias variant, de exercitu essent) sed is qui in exercitum jam scriptus est, signo publico dignus ducitur, quo omnibus manifestus fiat nomen dedisse Duci ei, sub quo militaturum promisit. *Eosdem errores asserit Libro* De Baptismo & Catabaptismo. *Purgatorium ignem, ceu* figmentum, & tam contumeliosam in gratuitam redemptionem per Christum donatam, rejicit in eadem Responsione ad Confessionem *Lutheri*.

Error Zuinglii de Baptismo.

Anno 1528. habita Bernæ Disputatione ex Decreto Laici Magistratus, Bernates, & Constantienses a Catholica Religione ad *Zuinglii* Sectam defecerunt. Hos secuti sunt deinde Basileenses, Schaffhusiani, Santgallenses, Mulhusani, & Bielenses.

Zuinglius Confessionem Fidei, immo perfidia sua scribit ad Regem Christianissimum.

Paulo ante obitum Confessionem Fidei suæ scripsit *Zuinglius* ad Galliæ Regem, mense nimirum Februario anni 1531. in qua & Sacramentarium errorem exponit, realemque & substantialem Corporis Christi in Eucharistia præsentiam, & manducationem rejicit, & virtutem eximiam se Sacramentis tribuere profitetur, quibus tamen nullam tribuit efficaciam, sed meram significationem, excitationem fidei, & quod Juris jurandi vices suppleant. Nihil enim aliud importat virtus illa septuplex, quam ipsis attribuit. Prima, *Quod res sanctæ ac venerandæ sint, utpote a Summo Sacerdote Christo institutæ & susceptæ.* Secunda, *Quod testimonium rei gestæ præbeant.* Tertia, *Quod vice rerum fiat, quas significant, unde & nomina earum sortiuntur.* Quarta, *Quod res arduas significent.* Quinta, Analogia symbolorum & *rei significatæ*. Sexta, *Quod auxilium opemque afferant Fidei.* Septima, *Quod vice jurisjurandi sint.* Tum de Eucharistia hunc in modum colligit: *Cogimur ergo, velimus, nolimus, agnoscere hæc verba,* Hoc est Corpus meum, *&c. non naturaliter, ac pro verborum proprie sensu esse intelligenda, sed symbolice, sacramentaliter, denominative aut μετωνυμικῶς hoc modo.* Hoc est Corpus meum: *id est: Hoc est Sacramentum Corporis mei; sive, Hoc est Corpus meum Sacramentale, sive Mysticum: id est, ejus quod vere assumpsi, mortique objeci, symbolum sacramentale vicarium.*

Zuinglius in acie casus.

Obiit *Zuinglius* in acie adversus Catholicas Helvetiorum Tribus, die 11. Octobris 1531. annum agens ætatis 48. cujus cadaver a Victoribus inventum, & in quatuor partes sectum, in ignem conjectum est ac in cineres redactum. De illius exitu tam vere quam eleganter scribit *Stanislaus Hosius* Cardinalis in Judicio & Censura De adoranda Trinitate: „ De vestro (*inquit*) Tigurini, Papa Zuinglio, quid dicam? Qui Lutheri fastum alio majori fastu calcabat, ac minus etiam quam ille tolerabilis fuisse videbatur: cum nullum illius dictum celebretur magis quam illud: Evangelium sitit sanguinem. Tartaream hanc esse vocem Poeta diceret: Verum talis Evangelii, quod ex immo Tartaro profectum est, præconem non alia vox magis decebat. Neque vero dictis magis, quam ipsis etiam factis Evangelium, quod ipse prædicabat, sitire sanguinem demonstravit. Statim enim ut se Papam esse vestrum constituit, cœpit *Ære ciere viros, Martemque accendere cantu.* Quem quidem cantum ille verbum Dei, Christique vocabat Evangelium. Bellonam videres sanguineo flagello armatam. Illo ductore complerunt campos acies: cumque futurum prædixisset, ut omnes eorum, qui stabant ex adverso, bombardæ atque lanceæ, ac alia tormenta bellica, in propria ipsorum viscera converterentur, evenit illud quod est apud Poetam. *Primusque cadit Tolumnius Augur.* Cujus Evangelium sanguinem sitiebat alienum, suum ipse sanguinem in acie prior cum vita profudit. Et quam verum fuit Evangelium quod prædicabat, tam erat illius vera prædictio. Nec obscuro signo Deus tum declaravit, quinam essent illi qui suum defenderent Evangelium, cum paucis admodum, & eis inopia rerum omnium pressis, victoriam concessit de suis & Evangelii sui hostibus: quos & numero militum, & viribus, & armis, & rebus omnibus ad bellum gerendum necessariis, multo fuisse constat instructiores: ut non homines, verum ipse Deus pro suis Fidelibus in aliquot illis præliis pugnasse videretur.

Oecolampadius in modo tantum explicandi Sacramentariam hæresim a Zuinglio diversus.

III. *Joannes Oecolampadius*, Linguarum peritia clarus, Ordinis S. Brigittæ Apostata, *Zuinglii* fidus Achates, eamdem hæresim Basileæ prædicavit, quamvis in modo explicandi ab eo differret. Permisit scilicet verbum, *Est*, pro verbi substantivi natura in sua genuina & propria significatione manere, accipique ut verbum veritatis & existentiæ; Metonymiam vero collocavit in verbo *Corporis*, ut hic sensus reddatur: *Hoc est Corpus meum*; id est, *Hoc est figura Corporis mei.* Hunc errorem propugnavit in Libro *De genuina verborum Domini*, Hoc est Corpus meum, *juxta vetustissimos Auctores Expositione*: Item in *Antisyngrammate* seu libro contra *Syngramma Suevicum*: Item in Responsionibus ad *Lutherum*, & ad Epistolam *Theobaldi Billicani* ad *Urbanum Rhegium*: Item, in Responsione ad *Bilibaldum Bilkeimerum*: In Epistola Apologetica ad *Philippum Melancthonem*; cujus fragmentum describit *Hospinianus* secunda parte Historiæ Sacramentariæ, pag. 115. in Dialogo Sententiarum ex Patribus, & in Sermone *De Dignitate Eucharistiæ*. Se S. Augustini auctoritate hac in causa fretum falso gloriatur. Obiit Basileæ anno 1531. ætatis anno 49. sive ex ulcere super os sacrum erumpente, ut quidam tradunt, & inter alios *Simon Grynæus* in ejus Vita, sive a fœmina, quam incestis polluerat nuptiis, & ex qua tres liberos reliquit, vel a dæmone suffocatus, aut alio quocunque modo exanimis in lecto repertus, ut alii scripserunt.

IV. *Philippus Melancthon*, Germanus Bretæ inferioris Palatinatus oppido natus, qui *Melancthon* Græce voluit appellari, cum proprio nomine & patrio idiomate *Schuartzerd* diceretur, viginti quatuor circiter annorum juvenis, humaniorum literarum elegantia superbus, anno circiter 1521. *Luthero* nomen dedit, merendique apud ipsum initium fecit, scribendo petulantissimam & injuriis scatentem pro ejus doctrina Apologiam adversus Theologos Parisienses. Pleraque *Lutheri* dogmata mollivit, præsertim immanem illum contra libertatem arbitrii errorem: immo hac in controversia discessit tandem a sententia *Lutheri*, quem in *Locis Communibus* VVittembergæ anno 1520. editis secutus fuerat, nec non in Annotationibus in Epistolam ad Romanos. Liberum (inquam) arbitrium agnovit & professus est in iisdem locis anno 1526. Argentorati, 1528. & 1543. VVittembergæ 1546. Lipsiæ, denique 1555. VVittembergæ excusis. Negatque Deum esse causam peccati, velle peccatum, & impellere voluntatem ad peccandum, aut approbare peccatum. Augustanæ Confessionis anno 1530. editæ Auctor fuit, unde illius Sectatores *Confessionistæ* nuncupati sunt & ob emollita *Lutheri* duriora quædam dogmata, *Molles Lutherani*: ob Ritus plerosque Ecclesiasticos admissos, & Constitutiones legitimas Conciliorum & Ecclesiæ ita receptas & approbatas, ut liberum esset cuique iis uti, vel non uti, absque salutis discrimine, dicti sunt *Adiaphoristæ*, sive *Indifferentes*. In tradendis Dogmatibus, præsertim de Cœna Domini, & (ut quidam ajunt) de Justificatione, varius fuit & anceps. In Confessionis Augustanæ Articulo X. Editionis VVittembergensis, doctrina de Eucharistia his verbis exprimitur: „ De Cœna Domini sic docetur, quod verum Corpus & Sanguis Christi vere sub specie panis & vini adsint in Cœna Domini, & in ea distribuantur, & sumantur: Quare & contraria doctrina rejicitur. „ Quæ verba nihil nisi Catholicum sonant. At in Editione Latina VVittembergensi ejusdem anni 1530. his verbis conceptus est idem Articulus: „ De Cœna Domini docent, quod Corpus & Sanguis Christi vere adsint, & distribuantur vescentibus in Cœna Domini, & improbant secus docentes. „ In ejusdem vero Confessionis Apologia

Melancthon Augustanæ Confessionis Auctor.

Melancthon in Dogmate de Eucharistia tradendo varius & anceps.

quam

quam anno 1531. edidit contra Scripta Catholicorum Doctorum ipsam confutantia, de Articulo 10. sic habet: „ Decimus Articulus approbatus est, in quo confitemur, nos sentire, quod in Cœna Domini vere & substantialiter adsint Corpus & sanguis Christi, & vere exhibeantur cum illis rebus quæ videntur pane & vino, his qui Sacramentum accipiunt. Hanc sententiam constanter defenderunt nostri Concionatores. Et comperimus non tantum Romanam Ecclesiam affirmare corporalem præsentiam Christi, sed idem & nunc sentire, & olim sensisse Græcam Ecclesiam ut testatur Canon Missæ apud Græcos.

SS. Patrum testimonia de Cœna Domini collegit *Philippus Melancthon* anno 1530. quibus præmisit Epistolam ad *Fridericum Myconium* in hæc verba: „ Mitto tibi locos veterum Scriptorum de Cœna Domini qui testantur illos idem sensisse quod nos sentimus: videlicet Corpus & Sanguinem Domini vere adesse in Cœna Dominica. Quamquam autem non pendeat fides ab humana auctoritate, sed a verbo Dei: tamen cum Scriptura imbecilles a fortioribus confirmari velit, juvat habere Ecclesiæ testimonium in omni genere tentationum. Ut enim vivos libenter consulimus, quos judicamus usum aliquem habere spiritualium rerum: Ita & Veteres, quorum Scripta probantur, censeo consulendos esse. Sunt & aliæ causæ cur Veterum testimonia non contemnam. Existimo enim hoc communiter sensisse Ecclesiam quod isti scripserunt. Neque vero tutum est a communi sententia veteris Ecclesiæ discedere. *Et in Epilogo hujus libelli:* Clare, *inquit*, & aperta sunt testimonia Hilarii & Cyrilli; quæ affirmant Corpus Christi adesse in Cœna. Neque ego ullam satis firmam rationem invenio, cur ab hac sententia discedamus. Fieri potest ut alia sententia blandiatur otioso animo, quæ est magis consentanea humano judicio, præsertim sic instructa & ornata argumentis erudite cogitatis. Sed quid fiet in tentatione, cum disputabit conscientia, quam habuerit causam dissentiendi a recepta sententia in Ecclesia? Tunc ista verba, *Hoc est corpus meum*, fulmina erunt. Quid his opponet mens perterrefacta? Quibus Scripturis, qua voce Dei muniet se, ac sibi persuadebit necessario fuisse hic interpretandam metaphoram? . . . . Ego itaque sequor veteris Ecclesiæ sententiam, quæ affirmat adesse Corpus Christi in Cœna: ac judico hanc habere Scripturæ testimonium. Non enim invenio firmam rationem, cur nomine Corporis in verbis Cœnæ oporteat tantum absentis corporis signum intelligi. Quamquam enim sermo in sacris Literis plenus sit figurarum omnis generis, tamen plurimum inter narrationes rerum gestarum interest, & inter ordinationes divinas seu dogmata de natura seu voluntate Dei. In narrationibus exponuntur res inter homines gestæ, ubi series factorum subjecta sensui, cogit nos absurde dicta figurate interpretari. Si in præceptis seu dogmatibus, quæ de natura & voluntate Dei loquuntur, idem conemur facere: quid consecuturum sit facile possunt homines eruditi existimare. Hic cum absurditas impingit in alios clariores Scripturæ locos, seu Fidei Articulos, corrigenda est beneficio figurarum: sed si tantum in rationem impingat, non in Scriptura, convenit præferre verbum Dei judicio rationis. Necesse est enim certam esse sententiam illorum locorum, unde Dogmata seu Articuli sumuntur. *Profert exemplum* Abrahæ, *cui mandatum est ut circumcideret præputium, quod etsi Gentes irriderent*, non tamen licuit illi, cum institueretur Ritus, aliud suspicari, quam quod verba sonant. Homo astutus poterat disputare, rem tam ridiculam nullo modo præcipi a Deo; sed significari, libidines esse coercendas ac frænandas.

Anno 1536. in Formula Concordiæ initæ inter Lutheranos, & superioris Germaniæ Protestantes, procurante *Bucero*, approbavit *Melancthon* quod profitebantur: *Nullam fieri localem inclusionem* Corporis *Christi in Pane; aut durabilem aliquam conjunctionem extra usum Sacramenti: tamen concedunt Sacramentali unione panem esse Corpus Christi, hoc est sentiunt, porrecto pane, simul adesse & vere exhiberi Corpus Christi.*

Anno 1539. Augustana Confessio a *Philippo Melancthone* recognita, emendata, aucta & locupletata est. Ex Articulo X. verba illa expungit, *adsint & distribuantur*, & pro illis unum, *Exhibeantur*, substituit. Hæc etiam verba delevit: *Et improbant secus docentes.* Atque illum Articulum his verbis expressit: *De Cœna Domini docent, quod cum pane & vino vere exhibeantur Corpus & Sanguis Christi vescentibus in Cœna Domini.*

In Confessione doctrinæ Saxonicarum Ecclesiarum scripta anno 1541. ut Synodo Tridentinæ exhiberetur, veram & substantialem Christi præsentiam in usu tantum agnoscit: *Docentur etiam homines* (inquit) *Sacramenta esse actiones divinitus institutas, & extra usum institutum res ipsas non habere rationem Sacramenti, sed in usu instituto in hac Communione vere & substantialiter adesse Christum, & vere exhiberi sumentibus Corpus & Sanguinem Christi.* Item asserit in Epistola ad *Vitum Theodorum*, die 25. Octobris anno 1543. data. Quam ob causam inter *Lutherum & Melancthonem* ortum dissidium est, cujus meminit *Camerarius* in *Melancthonis* Vita. Idem asserit *Melancthon* in Responsione contra Clerum Coloniensem & in Judicio de controversia excitata Heildebergæ in negotio Cœnæ Dominicæ inter *Hesbusium & Klebitium*.

In Articulo de Missa, non minus *Lutheri* doctrinam emollivit *Melancthon*, ut constat ex Augustanæ Confessionis lectione. *Falso*, inquit, *accusantur Ecclesiæ nostræ, quod Missam aboleant. Retinetur enim Missa apud nos, & summa reverentia celebratur; servantur & usitatæ ceremoniæ fere omnes, præter quam quod Latinis cantionibus admiscentur alicubi Germanicæ, quæ additæ sunt ad docendum populum.* Et infra: *Postquam igitur Missa apud nos habet exemplum Ecclesiæ ex Scriptura & Patribus, confidimus improbari eam non posse; maxime cum publicæ ceremoniæ, magna ex parte similes usitatis serventur, tantum numerus Missarum est dissimilis.*

Melancthonis variatio in justificationis dogmate.

Quod spectat Dogma Justificationis, non minus in eo varius fuit *Melancthon*, quam in illo de Eucharistia, si audiatur *Osiander* ejus æmulus de Augustana Confessione agens. Viginti namque dicit esse diversas opiniones de hoc uno Dogmate ac *Philippi Melancthonis*, Discipulorumque ejus, quatuordecim enumerat in eo Libello, quem *contra Nycticoracem quemdam* scripsit. „ Nam simul ac (inquit) locum aliquem in Scripturis viderunt, in quo justitiæ mentio fieret statim novam ex eo justificationem sunt fabricati. Verbi gratia, legit aliquis, *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam*: jam ex hoc uno loco duo colligit justificationis genera, unam ex verbo *credidit*, ut diceret fidem esse nostram justitiam: alteram ex verbo reputatum est, ut diceret Deum justitiam suam nobis imputare; nos pro justis habere, etiamsi non simus, atque hanc esse justitiam nostram. Legit alius, *Justificati sumus per Sanguinem ejus*: statim ex eo colligit, quod pretiosus Christi sanguis sit justitia nostra. Legit alius: *Sicut per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi, ita per unius obedientiam justi constituentur multi*: mox docuit, Obedientia Christi est justitia nostra. Legit alius: *Resurrexit propter justificationem nostram.* Resurrectio, inquit, Christi est justitia nostra. Legit alius: *Spiritus Sanctus arguet mundum de justitia, quia vado ad Patrem*: affirmavit illico, quod Christi transitus ad Patrem est justitia nostra. Legit alius, quod efficimur justi absque meritis ex gratia Dei; non dubitavit affirmare, quod gratia & misericordia Dei sit justitia nostra. Legit alius: *Ad ostensionem justitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum*: e vestigio docuit remissionem peccatorum esse justitiam nostram. Legit alius: *Livore ejus sanati sumus*: asseruit illico quod vulnera Christi sunt justitia nostra. Jam igitur enumerasse se scribit novem genera justificationum e Scripturis collecta, male inter se cohærentia, neque tamen omnia se adhuc recensuisse. Enumerat deinceps quæ suo quisque capite confixit. Aliqui, inquit, dicunt quod justitia sit opus Dei, quod ipse in Christo operatur: Alii, quod nos Deus ad æternam vitam recipit: Alii, quod meritum Christi: Alii de media quadam justitia loquuntur, quam tamen explicare nequeunt: Alii docent, quod essentialis justitia Dei creat in nobis aliam novam justitiam. Sic *Osiander* quatuordecim opiniones de justificatione recenset, & quam ipse profert est quinta decima. Juxta numerum autem, cujus meminit in Confutatione scripti, quod contra se *Philippus* ediderat, erunt omnes viginti & una. Ita refert Cardinalis *Hosius* Libro *De Hæresibus nostri temporis*. Illi tamen opinioni præsertim insistere videtur

Melanchthon, quæ homines *fide speciali* justificari asseruit cum credant se in gratiam recipi, & *peccata remitti propter Christum*, nec bona opera ad justificationem concurrere, quamvis *fides* justificans *debeat bonos fructus parere & bona opera a Deo mandata facere oporteat*, ut habet Augustana Confessio. *Hæc igitur fides specialis* (inquit ejusdem Confessionis Apologia) *qua credit unusquisque sibi remitti peccata propter Christum, & Deum placatum & propitium esse propter Christum, consequitur remissionem peccatorum, & justificat nos*. Atque hoc argumento suum illum errorem probare aggreditur: *Consequi remissionem peccatorum, est justificari juxta illud:* Beati, quorum remissæ sunt iniquitates. *Sola fide in Christum, non per dilectionem, non propter dilectionem, aut opera consequimur remissionem peccatorum, & si dilectio sequitur fidem. Igitur sola fide justificamur, intelligendo justificationem, ex injusto justum effici, seu regenerari*. Et Catholicos sugillat, quod *dubitent utrum consequantur remissionem peccatorum*: seu fidem illam specialem non habeant; qua certo credant sibi remissa esse peccata. Idque magis explicat in Locis Theologicis: *Cum dicit Apostolus* (inquit) *justificamur Fide, vult te intueri Filium Dei sedentem ad dexteram Patris, Mediatorem interpellantem pro nobis, & statuere, quod tibi remittantur peccata, quod justus, id est, acceptus reputeris seu pronuntieris propter illum ipsum Filium, qui fuit victima. Ut igitur vocabulum*, Fides, *monstrat illum Mediatorem, & nobis applicet, significat Fides non tantum Historiæ notitiam, sed fiduciam misericordiæ promissæ propter Filium Dei; qua sibi unusquisque in conversione & consolatione promissionem applicat*; ut etiam docet in Catechesi, in Examine Ministrorum, in Responsione ad Articulos Bavaricos, Articulo 23. in Ennarratione postrema Symboli Nicæni, & in Commentario Capitis 3. Epistolæ ad Romanos.

Obiit *Philippus Melanchthon* anno 1560. quem *Tilemanus Heshusius*, aliique rigidiores Lutherani, & post mortem Scriptis suis flagellerunt. Sic Regnum Satanæ divisum est.

V. *Martinus Bucerus*, Germanus, Ordinis Dominicani Apostate, *Elisabethæ* Sanctimoniali incesto ac sacrilego connubio junctus, quæ tredecies puerpera fuit, de qua *Melanchthon* in Responsione contra Clerum Coloniensem, *Luthero* doctrina non inferior, Linguarum peritia superior, Argentoratensis Minister, pacis & concordiæ inter Sacramentarios & Lutheranos frequens interpres, in Conventu præsertim VVittembergensi, anno 1536. in Smalcaldico 1537. Tigurino 1538. in Ratisponensi 1540. cujus etiam Acta scripsit: *Hermannum* Coloniensem Archiepiscopum in hæresim pertraxit, eique evertendæ in ea Ecclesia Disciplinæ, specie Reformationis auctor fuit. Anno 1549. cum *Paulo Fagio* in Angliam pervenit, *Eduardo* Regnante, & Cantabrigiæ data societatis dextera *Petro Vermilio* Florentino, *Martyri* nuncupato, Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini Apostatæ, qui biennio ante ipsum præcesseret, & in Academia Oxoniensi Sacris Literis interpretandis præfectus erat, Hæresim docuit, & Apostaticæ Reformationis disciplinam in Anglia condidit. Ejus error circa Eucharistiam in eo positus erat, quod Corpus & Sanguinem Christi substantialiter in ea præsentia non esse *extra usum Sacramenti* affirmeret, nec in ipso usu ore corporis manducari, sed *contemplatione Fidei percipi*. Secundo, impios, id est, qui fidem non habent, *solum panem & vinum*, non *Christi Corpus & Sanguinem* sumere. Id constet ex ipsius *Buceri* Epistole ad *Georgium Pontanum*, Electoris Saxoniæ Cancellerium scripta anno 1530. quam refert *Hospinianus* II. Parte Historiæ Sacramentariæ, pag. 177. Item ex Historia Concordiæ VVittembergensis, circa negotium Eucharistiæ, quæ habetur Tomo Scriptorum Anglicanorum *Buceri*: ex Articulis Concordiæ ab eodem *Bucero* explicatis: ex illius Apologia *De Cœna Domini* ad *Eduardum Foxum*, Episcopum Herephordensem: ex Epistule ad Italos ex Confessione de Eucharistia, Argentinæ dictate anno 1544. in qua etiam *Lutherum* vel repugnantem in suam sententiam trahit, Articulo 26. „ Si me quis roget, *inquit*, cur igitur dicam me consentire cum LUTHERO, qui affirmat panem ipsum esse Corpus Domini, vel in pane, & id omnibus sumentibus, piis & impiis? Respondeo, Lutherum his suis loquendi modis nihil quam veram exhibitionem Christi in Cœna velle exprimere, Panem & Corpus Domini non idem natura, sed Sacramento facere: Corpus Domini non includere pani localiter: non opinari ascensum vel descensum hic Christi fieri. Cum igitur ut nos duas res vel in Sacramento agnoscit, Corpus Domini & Sanguinem, & symbola, nec colligat aut commisceat hæc ulla ratione hujus mundi: Denique non credentibus verbis Domini, & non viva fide credentibus, nihil salutare percipi affirment (quæ omnia ex Scriptis & ore ejus cognovi sic habere) cur non consensum cum illo cognoscerem? *Idem constat ex ejus* Retractatione De Cœna Domini: *Ex* Axiomatibus Apologeticis *contra* Amsdorfium. *Ex* Responsione adversus Axioma Catholicum Roberti Episcopi Abrincensis: *Ex* Pleniori Definitione, & Explicatione Eucharistiæ: *Ex* Censura trium propositionum Petri Martyris, & Epistola ad eumdem: *Ex* Confessione de Eucharistia *in Anglia scripta anno* 1550. *Ex* Epitome Doctrinæ Christianæ, cap. 19. & ex Defensione Reformationis *Hermanni* Archiepiscopi Coloniensis. Calvinianus magis quam Lutheranus fuit hac in controversia. Unde & maxima illi necessitudo cum *Calvino* intercessit, ut mutuæ ipsorum Epistolæ ostendunt.

Bucerus hæresim in Angliæ docuit.

Error Buceri circa Eucharistiam.

Lutherum vel repugnantem in partes suas trahit.

Calvinianus magis in controversia fuit, quam Lutheranus.

Docuit præterea *Bucerus*, Baptismum infantibus necessarium esse *necessitate ministerii, & jussu Dei, non salutis; servarique posse virtute Christi etiam qui non baptizentur*.

Item, *Quod Canonici Libri doceant soli abunde cuncta, quæ sint saluti necessaria.*

Quod nulla est in terris Ecclesia quæ non erret, tam in Fide, quam in Moribus.

Quod ita gratis justificemur a Deo, ut ante justificationem revera peccatum sit, iramque Dei in nos provocet, quidquid boni operis facere videamur, justificati autem bona opera facimus necessario.

Esse quosdam homines sic a Domino factos ad conjugium, ut Dei decreto repugnet, qui illis connubio interdicunt ulla de causa.

Conjugibus sua culpa repudiatis, vel legitimo divortio separatis, aut a consorte relictis; viris item quorum uxores in morbos immedicabiles inciderunt, & e contra, permittendum esse alterum conjugium.

Quamvis usuram non esse peccatum, nec adversari præceptis Dei, quovis modo accipere aliquid ultra pecuniæ sortem, quam quis alteri tradiderit utendam.

Alii Buceri errores. In Articulis Concordiæ explicatis. In Disputatione Cantabrigiæ habita anno 1550. & in Lib. de bonis Operibus contra Fugum.

Lib. II. De Regno Christi, a cap. 24. ad c. 47.

In Tractatu de Usuris.

Cantabrigiæ obiit *Bucerus* Fabruario mense anno 1551. ætatis 61. ibidemque sepultus: anno vero 1556. *Mariæ* Reginæ Catholicæ jussu, ejus & *Pauli Fagii* ossa exhumata, & igne consumpta sunt. Regnante demum *Elisabetha*, in integrum restituti sunt, die 22. Julii 1560.

VI. *Gaspar Scuvenkfeldius*, Nobilis Silesius, Lutheranæ Synagogæ non minus, quam Ecclesiæ Romanæ hostis, docuit Scripturæ Sacræ non esse attendendum, ut quæ verbum Dei non esset, sed mortua tantum litera; sed privatis potius contemplationibus & visionibus credendum. Spiritum Sanctum enim e supernis delabi citra omne medium; non per externum auditum & vocalem prædicationem, seu Scripturarum lectionem.

Scuvenkfeldius Lutheranorum non minus quam Ecclesiæ Romanæ hostis.

Asserebat præterea, carnem Christi in gloria ita deificatam esse, ut ejusdem sit cum divinitate virtutis, & majestatis, ut Christus etiam secundum hanc Deus sit: imino asserebat carnem Christi nulla ex parte esse creaturam.

Ejus errores.

Dona Spiritus Sancti, justitiam, sapientiam, charitatem, pacem conscientiæ, & similia, esse meram Dei essentiam, et homines ipsis præditos, hac ipsa naturæ divinæ Deos.

Verba Christi Eucharistiam instituentis in alienum sensum detorquebat, & sic interpretabatur: *Corpus meum est hoc*: scilicet spirituale quiddam, cibum spiritualem & cœlestem designans, alentem animas, sicut panis alit corpus. Sectam suam late propagavit, quam specioso nomine *Confessorum gloriæ Christi* adornabat. Plurimos Libellos edidit, plurimisque vicissim Libris e Lutheranis exagitatus est. De ipso legendus *Conradus Schlusselburgius*, Senao Lutheranus in Catalogo Hæreticorum, Libro X. *Scuvenkfeldium* perstringit *Lutherus* in Confessione Minori.

VII. *Joannes Agricola*, Islebiensis Rector, & postea Minister Berolinensis, asseruit Legem Moysi in Ecclesia non esse docendam, nec ex ea prædicandam pœnitentiam: Legem & Evangelium ex diametro pugnare. Legem ante & post justificationem Christianis hominibus prorsus inutilem esse. Legem operum omnino rejiciendam, nec ad bona opera divinæ Le-

gis

gis homines Evangelicos obligari. Hinc *Antinomorum* Secta, stirps Lutheranæ, de qua *Hosius* Lib. *De Hæresibus nostri temporis*, & *Lindanus* Dialogo II. *Dubitantis*. Eousque vesaniæ progressi sunt, ut Legem asserent non esse dignam ut vocetur verbum Dei. Contra hos extant *Lutheri* Disputationes Tom. I. Editionis VVittembergensis.

Osiander in Lutherana Secta Schisma fecit.

VIII. *Andreas Osiander* Lutheranus, in oppido Guntzenhausen in Marchionatu Brandeburgico natus, patre fabro ferrario, nomen familiæ Ridiculum, *Hosen Enderla*, mutavit in *Osiandri*. Relicta propter Cæsareum *Interim* Norimberga, in Prussiam migrans ibi sub *Alberto Duce*, cui fuit gratissimus, schisma in Secta Lutherana fecit. Præcipuus ejus error fuit, hominem justificari, non fide, sed eadem essentiali justitia, qua Deus justus est, quæ est ipse Deus, infunditurque hominibus, ita ut non sit Christianus gratia justus, sed natura. Contra hunc errorem, Auctoremque ejus Lutherani plerique conclamarunt, gravissimisque convitiis ac probris ipsum dilaceraverunt, ut testatur *Hosius* Cardinalis, Lib. I. De Hæresibus nostri temporis: „ Cujus, *inquit*, criminis non est „ insimulatus Osiander? Quæ convitia & maledicta „ in eum jactata non sunt? Vocatus est, ut ipse „ scribit, Hæreticus, Antichristus, Judæus, niger „ Diabolus, draco, homo nefarius, consceleratus, „ hostis Christi. Fuit etiam de eo confictum, quacumque incederet, quod eum in specie canum duo „ diaboli comitarentur, quos tamen non cuivis videre „ liceret: quodque quo tempore cibum & potum in „ inferiore cum suis hypocausto sumebat, ubi vacare „ solitus erat literarum studiis, in superiore sedens „ in illius loco Diabolus visus fuerit scriptitare. Et „ alia id genus pleraque. Tum & illud sparsum de „ illo fuit, quod affirmaret Christi Passionem & mortem nullum nobis fructum attulisse, cum tamen in „ scriptis illius diversum reperiatur. In summa, tantum fuit odium homini conflatum, ut non ipse „ modo tamquam impius haberetur, verum etiam „ qui sermones ejus audiebant, a Communione cæterorum, qui se pios existimabant, arcerentur, ac „ ne sepultura quidam communi digni ducerentur. „ Missum fuit VVittembergam, ut de doctrina ejus „ judicium fieret: damnata est per Philippum, Pomeranum, Forsterum, & alios. Missum est VVittembergam: approbata est per Brentium, & si qui „ sunt ejusdem Sectæ „. De *Osiandro* legi possunt etiam ex Heterodoxis *Chythæus* in sua *Saxonia*, lib. 17. ad annum 1551. & *Schlusselburgius*, qui ejus argumenta copiose confutavit. Paroxismo epileptico extinctus est *Osiander* 17. Octobris anno 1552.

Brentius novos errores Lutheri placitis addidit.

IX. *Joannes Brentius*, patria Suevus, ex Canonico VVittembergensi & Sacerdote, factus apostata & uxoratus, *Lutheri* placitis sua quædam nova dogmata addidit, scilicet Evangelium Legem non esse juxta propriam ac veram Legis rationem. Baptismi virtutem ad certam verborum formam Christum alligare noluisse, nihilque eo piaculi fore si mutetur sonus, dummodo remaneat sententia verborum Christi. Corpus Christi ex vi unionis personalis esse ubique; adeoque & in pane ante consecrationem, & verba Christi, *Hoc est Corpus meum*, esse *verba dispensationis*, significantia distributionem corporis & sanguinis jam ante præsentis. Hunc errorem primum exeruit in Colloquio de Cœna Domini cum *Joanne a Lasco* VVittembergæ habito anno 1556. illum vero propugnavit in Libro *De personali unione duarum naturarum in Christo, & Ascensu Christi in Cœlum, & Sessione ejus ad dexteram Patris*: In *Responsione ad Libellum Bullingeri*, cui titulus est, *Tractatio verborum Domini, In domo Patris mei, &c.* In Libro *De Majestate Domini nostri Jesu Christi contra Martyrem & Bullingerum*: In *Recognitione Propheticæ & Apostolicæ doctrinæ de vera Majestate Domini nostri Jesu Christi*, contra Librum *Bullingeri*, cui titulus est, *Fundamentum*, &c. Succenturiati *Brentio* accesserunt *Jacobus Schmidelinus*, *Nicolaus Salneccerus*, & *Martinus Kemnitius*, quorum deliria *Hospinianus* exponit Parte II. Historiæ Sacramentariæ, pag. 485. & sequentibus.

Brentius Ubiquitariorum parens.

Flaccus Illiricus Rigidorum Lutheranorum Antesignanus.

X. *Matthias Flaccus Illyricus*, *Magdeburgensis Minister*, Rigidorum Lutheranorum Antesignanus, propter *Adiaphora* Lipsiæ approbata & recepta, *Melanchthonis* & aliorum Confessionistarum professus hostis, peccatum originis esse ipsam hominis substantiam asseruit, plurimisque scriptis pertinaciter propugnavit, ac multos Lutheranos in suam sententiam pertraxit, qui ab eo dogmata *Substantialistæ*, & ab Auctore *Flacciani* appellati sunt. Contra *Victorinum Strigelium* Professorem Jenensem, qui originalem noxam extenuabat, & liberi arbitrii vires in hominis conversione efferebat, asserens Spiritum Sanctum, verbum, & voluntatem hominis non renati causas esse justificationis, acriter pugnavit *Flaccus*. Sectatores Strigelii *Synergistæ* dicti. Centuriarum Magdeburgensium præcipuus compilator editorque fuit *Flaccus Illyricus*.

De variis Lutheranorum Sectis, lege *Lindanum* Ruremondensem Episcopum, *Dubitantis* sui Dialogo Secundo.

Error Stancari de Christo Mediatore.

XI. *Franciscus Stancarus*, Mantuanus, in Academia Regiomontana in Borussia Hebraicæ Linguę, seu (ut alii scribunt) Theologiæ Professor, dum sese *Osiandri* errori opposuit, Christum esse justitiam nostram asserentis ratione solius divinitatis suæ, in oppositum lapsus errorem est, affirmans non divinæ, sed humanæ tantummodo naturæ ratione illum eumdem esse justitiam nostram, *Petri Lombardi* & *S. Thomæ*, ac reliquorum (ut quidem putabat) de Schola Theologorum auctoritate fretus: quos quidem, uti & Patres tanti se facere præ se ferebat, ut cum illis comparatos novarum Sectarum Principes contemneret ac ludibrio haberet. Extat illius famosum ac celebre dictum in Apologia contra Tigurinos: „ Plus „ valet unus Petrus Lombardus, quam centum Lutheri, ducenti Melanchthones, trecenti Bullingeri, „ quadringenti Petri Martyres, & quingenti Calvini, „ qui omnes si in mortario contunderentur, non exprimeretur una uncia veræ Theologiæ „. *Ad illius erroris tutelam hæc adhibebat Christianæ principia Fidei*: „ Quod Deus unus sit: quod mediator non „ sit unius: quod Filius quoque sit unus ille Deus: „ quod Mediator mori debuerit: quod Christus passus „ sit secundum carnem. *Ex quibus colligebat*, Christum, qua homo est, non qua Deum, Mediatorem esse Dei & hominum „: Quod ut Deus unum sit cum Patre, neque pati ac mori potuerit, nec alias Mediatoris functiones obire. Ex Borussia pulsus, in Poloniam venit, multosque errore suo infecit. Adversus ipsum scripsit *Orichovius Rexlanus* elegantem Libellum, cui titulum fecit: *Chimæra*. Adversus eum scripsere *Calvinus*, *Philippus Melanchthon*, *Joannes Wigandus* Episcopus Pomeraniensis, Lutheranus, Tigurini Zuinglii discipuli, *Conradus Schlusselbergius* Stralesundensis in Pomerania Superintendens: qui contra Stancaristas satis amplum Librum elucubravit; qui nonus est Operis illius, quod Catalogum Hæreticorum inscripsit. Hunc denique errorem Catholici plerique Controversiarum & Theologicorum Dogmatum Tractatores confutarunt, & inter alios *Bellarminus* Cardinalis Libro 5. *De Christo Mediatore* & *Dionysius Petavius* Doctissimus Societatis Jesu Theologus, Lib. 12. *De Incarnatione*, Cap. 4. & sequentibus, Tom. I. Theologicorum Dogmatum.

§. IV.

De Conventibus, Actis, Colloquiis, Synodis, cum Catholicorum, tum Hæreticorum in causa Lutheranæ Hæreseos habitis.

ANno 1518. *Leo X.* Pontifex Maximus, qui *Luthero* diem dixerat, eique Judices dederat, *Sylvestrum Prieratem* Sacri Palatii Magistrum, *Hieronymum de Genutiis* Episcopum Asculanum, a Saxoniæ Septemviro exoratus, ejus causam *Thomæ de Vio* Cardinali *Cajetano*, Sedis Apostolicæ in Germania Legato commisit, cui mandavit Apostolico Diplomate, cujus exemplar extat Tom. I. Operum ipsius *Lutheri*, ut si sponte se sisteret, erroresque retractaret, in Ecclesiæ unitate benigne eum reponeret: sin minus, accito Principum auxilio, eum carceri manciparet. Quem si in sua potestate habere non posset, illum ejusque asseclas, ac fautores omnes percelleret anathemate: Sacris etiam interdiceret cunctas regiones ipsum excipientes, & quemcumque locum, quousque ibi degeret, ac ternis postea diebus. *Lutherus* fide a *Maximiliano* Cæsare accepta, Augustæ coram Legato comparuit, a quo humanissime acceptus est, ut ipsemet fatetur. Si *Luthero* credimus, tria ab eo petiit Cardinalis; Ut propositiones erroneas a se assertas improbaret; eas in posterum ne proferret; abstineret a quavis alia doctrina Rom. Ecclesiæ auctori-

tati

Cardinalis Cajetani cum Luthero congressus.

tati contraria. At *Joannes Baptista Flavius* Legato a Secretis, *Cajetano* Cardinali satis fuisse ait, si *Lutherus* Ecclesiæ Romanæ doctrinam scripto profiteretur, nulla imposita expressa palinodia. Negavit *Lutherus*, prolatam a se ad eum usque diem assertionem ullam contrariam Dogmatibus Ecclesiæ. Duas illi Cardinalis objecit, scilicet, quod in Ecclesiæ Thesauro merita Christi & Sanctorum non contineri dixisset; & quod ad obtinendum fructum Sacramenti, opus esset credere fidei firmitate, illum obtentum iri. Ostendit Legatus, alteram repugnare Constitutioni *Clementis VI*, quæ incipit *Unigenitus*: alteram refelli claris Scripturæ dictis, negantis posse quempiam certo scire sibi gratiam inesse. Nonnulla cum reponeret *Lutherus* ac Legati objecta diluere conaretur, Legatus gravi simul ac benigno vultu subridens, declaravit, se nolle cum eo contendere; sed hortari parentis modo ut revocaret errores, seque Ecclesiæ judicio submitteret. *Lutherus* qui certam spem conversionis Cardinali fecerat, utpote qui ejus monitis nihil reluctatus discessisset, postera die ad ipsum rediit, sed inopinato comitatu, nimirum cum Scriba publico & quatuor Senatoribus: moxque supervenit *Joannes Staupitius*, Vicarius Generalis ejus Ordinis in Germania. Contestationem Scriba legit, qua denuntiabat Lutherus *Se colere & sequi Sanctam Romanam Ecclesiam in omnibus suis dictis & factis, præsentibus, præteritis, & futuris. Quod si quid contra dictum fuisset vel foret, pro non dicto haberi & haberi velle*. Addebat, Propositiones a se ad eam usque diem assertas, sanas, veras, & Catholicas esse, nec ad revocationem se compelli posse non auditum, neque convictum. Se paratum ad rationem dictorum reddendam, & ad respondendum, vel in Scriptis, Objectionibus Legati: acquieturum vero judici cujuscumque Academiæ ex tribus Cæsareis celeberrimis: hoc est, Basileensis, Friburgensis, Lovaniensis: quin etiam *Parisiensis Studiorum Parentis, & ab antiquo semper Christianissimæ, ac in Theologia florentissimæ Universitatis*. Non abnuit Legatus ex commentario cognoscere, quæ ab isto proferrentur. Die postero ad Legatum regressus *Lutherus*, prolixum obtulit commentarium, plurimis argumentis refertum, pro more litigantis ex animi commotione. Cardinalis, ostensa ipsi sophismatum imbecillitate, multus in eo fuit ut ipsum graviter & amanter ad revocandas propositiones perduceret, mandavitque, ne ad se rediret, nisi id perfecturus. Itaque *Lutherus* a conspectu quidem Cardinalis abstinuit, sed per literas exposuit, retractationem suam infructuosam fore, cum per hanc rei veritatem evertere non posset, nec sibi permitteret conscientia ut revocaret, quod rectum & Scripturæ Sacræ consentaneum noverat. Obtulit tamen, velle se auctoritati Ecclesiæ subjacere, quæ in Summum Pontificem irreverenter effuderat, revocare, de Articulis Indulgentiarum silere, modo silerent & adversarii. „ Tanta est (*inquit*) tua simul humanitas „ & prudentia, qua video tuam Reverendissimam „ Paternitatem non mea, sed me quærere, cum potuisses sola potestate in me dominari. Itaque jam „ timor meus sensim transit, immo mutatus est in „ singularem erga Reverendissimam Paternitatem tuam „ amorem, & veram filialemque reverentiam. Nunc „ Reverendissime in Christo Pater, fateor, sicut & „ aliis fassus sum, me fuisse certe nimis (*ut dicunt*) „ indiscretum, acrem & irreverentem in numen Summi Pontificis. Et licet acerrime fuerim in hanc „ irreverentiam provocatus, tamen meum fuisse nunc „ intelligo, modestius, humilius, & reverentius hanc „ materiam tractare, & non ita respondere stulto, ut „ ei similis efficerer. De quo sincerissime doleo, & veniam peto; & per omnia pulpita in vulgus promulgabo, sicut & sæpius jam feci: daboque deinceps operam, ut alius sim & aliter loquar Deo miserente. „ Immo promptissimus sum, atque facillime promitto, „ me posthac materiam de Indulgentiis non tractare, atque his finitis quiescere; modo illis quoque „ modus imponatur aut sermonis, aut silentii qui me „ in hanc tragædiam suscitaverunt „. Luthero nihil respondendum duxit Legatus Apostolicus; quamobrem ille paulo post suspicionibus agitatus, improviso discessit, contestatione prius habita per Acta publica; quæ post ejus digressum in Augustæ foro defixa sunt, scriptisque ad Legatum literis excusatione plenis, quibus se obedientem Pontifici & Ecclesiæ filium profitebatur. Provocato se interim a Legato, qui licet ipsum primo *paterne* ac clementer suscepisset, ut *vir omnibus modis doctissimus & humanissimus*, ipsum tamen ad revocationem compellere voluisset, antequam discuterentur, & de illis judicium ab Ecclesia Romana ferretur; sibique & affeclis Censurarum minas intentasset, nisi præscripta die coram Judicibus a Summo Pontifice designatis Romæ compareret: a Legato (inquam) & ab ipso Pontifice tunc causæ suæ male conscio, ad eumdem, cum melius fuisset edoctus, appellavit. Ad *Fridericum* Saxoniæ Septemvirum *Cajetanus* Cardinalis Literas dedit, quibus ipsum certiorem faciebat, *Lutherum* Hæreticum esse, illiusque patrocinio & tutela indignum, rogabatque ut eum Romam dimitteret, vel a sua ditione depelleret: ejusque Excellentiæ denuntiabat tam grave & pestilens negotium non posse diu hærere, & causam tunc a se dilapsam, mox Romæ agitandam atque judicandam. Legati literas ad *Lutherum* Septemvir transmisit. Ejus Excellentiæ rescripsit *Lutherus*, eumque ad suam causam suscipiendam inclinavit, ut docent ejusdem Septemviri Literæ ad Legatum datæ. Legati Literæ ad Saxoniæ Ducem incussere *Luthero* metum suæ damnationis Romæ brevi ferendæ, statuitque eam pervertere per provocationem ab imminente Sententia. A Summo ergo Pontifice *non recte consulto*, & delegatis ab eo Judicibus, cunctisque Sententiis, Censuris & pœnis ab iis ferendis ac decernendis; *Ad futurum Concilium legitime ac in loco tuto congregandum: & ad illum, vel ad illos, ad quem seu quos de jure, privilegio, consuetudine vel alias sibi provocare, & appellare liceret, provocavit & appellavit*, die 28. Novembris 1518. Interea novo diplomate, *Leo X.* declaravit, in Ecclesiæ thesauro Christi & Sanctorum merita contineri, atque etiam jure Clavium eo Romanos Pontifices uti posse, Indulgentias dispensantes ad emolumentum viventium ac defunctorum. Diploma datum Romæ die 9. Novembris, Lintzii, quod est oppidum superioris Austriæ, promulgatum est a Cardinali *Cajetano*, die 13. Decembris.

Tom. I. Oper. Lutheri.

Miltitii Nuntii Apostolici cum Luthero congressus & œconomia.

II. Anno 1519. *Leo X.* in Germaniam misit *Carolum Miltitium*, intimum suum Cubicularium, qui Rosam Auream *Friderico* Saxoniæ Duci suo nomine offerret. Cum *Luthero* congressus est *Miltitius*, utque acerbum ingenium mitigaret, datam illi occasionem declamandi in Indulgentiarum abusus concessit, ejus Æmulos, ac præcipue *Tetzelium* objurgavit, responsa Pontifici ignominiosa scripto tradita toleravit, ut eum facilius Romanæ Ecclesiæ conciliare postmodum posset: sicut ægris & iratis hominibus plura concedi solent, ne eorum animus omnia asperitate exulceretur. Et revera expressit a *Luthero*, ut Literas obsequii significationem præ se ferentes ad Pontificem daret. In his & revocationem propositionum velut impossibilem, inutilem, & in Romanæ Ecclesiæ dedecus cessuram detrectat; & de integro silentium pollicetur circa Indulgentias, modo & ejus Adversarii sileant: Seque scriptum editurum, quo populos ad purum Ecclesiæ Romanæ cultum hortetur, damnetque nimiam suam asperitatem. His verbis Summum Pontificem alloquitur: „ Nunc, Beatissime Pa„ ter, coram Deo & tota creatura sua testor, me „ neque voluisse, neque hodie velle Ecclesiam Roma„ næ ac Beatitudinis tuæ potestatem ullomodo tange„ re, aut quacumque versutia demoliri. Quin plenis„ simo confiteor hujus Ecclesiæ potestatem esse super „ omnia, nec ei præferendum quidquam sive in cœlo „ sive in terra præter unum Jesum Christum Domi„ num omnium. Data est Epistola Aldemburgi, die 3. Martii 1519.

Tom. I. Oper. Lutheri, Edit. Wittemb. p. 235.

Disputatio Lipsica inter Lutherum & Ekium.

III. Eodem anno habita est Lipsiæ celebris Disputatio inter *Lutherum* & *Ekium* in Aula Ducis *Georgii* astante Principe, Senatu, & Academia. Difficile fuit de Arbitrio concordare, qui sententiam circa discussas quæstiones postmodum ferret. Post varias tandem altercationes, in Erfordiensem & Parisiensem Academias consenserunt. Cœpta Disputatio inter *Andream Carlostadium* & *Ekium*, die 29. Junii, inter *Lutherum* & eumdem *Ekium*, continuata est. Ea contentione septemdecim dies assumpti. Ad exitum certaminis nulla prodiit decisio. Postea Parisiensis Academia, altera ex iis quarum judicio litem commiserant Disputatores, *Lutherum* damnavit. An Erfordiensis ullam protulerit sententiam, incertum est. Dux *Georgius*, & Lipsica Schola in antiqua Fide perstitere. Hæc Disputatio edita est Tom. I. Operum *Lutheri*. De ipsa legendi *Cochlæus* in Libro *De Actis & Scriptis Lutheri*, & Cardinalis *Palavicinus* Libro 1. Historiæ Concilii Tridentini, Cap. 15. 16. & 17.

Lutherus ab Academiis Colo-

IV. Eodem anno Academiæ Coloniensis & Lovaniensis plurimos *Lutheri* Articulos damnarunt. *Leo*

X. Pon-

nienſi & Lovanienſi, & a Leone X. damnatus.

X. Pontifex Maximus, Apoſtolico Diplomate onam ſupra quadraglota ea Lutheri propoſitionibus damnavit, vel tamquam hæreticas, vel tamquam ſcandaloſas, vel tamquam piarum aurium offenſivas, aut falſas, & ſimplicium mentium ſeductrices reſpective. *Luthero* prædicationis Officium ioterdixit, revocationem errorum ipſi imperavit, libros & ejus Scripta legi prohibuit; Ipſum ejuſque aſſeclas, niſi Mandatis Apoſtolicis parerent, ut Hæreticos capi & Romam mitti mandavit. Diploma ſubſcriptum eſt 18. Kalendas Junii, anno 1520. Nonnulla eo in Diplomate a *P. Suave Polano* ſperperam reprehendi oſtendit Cardinalis *Palavicinus* lib. 1. Hiſtoriæ Concilii Tridentini, Cap. 21. *Carolus V.* novus Imperator, juxta *Leonis* Mandata, *Lutheri* Opera flammis abſumi juſſit Lovanii, Coloniæ, Moguntiæ, Treviris, Halberſtadii, Miſnæ, & Muſemburgi. Comitia Imperii VVormatiæ deinde celebrata. *Lutherus* ad Conventum accitus, data Cæſaris fide. Interrogatus eſt an tamquam ſuos agnoſceret libros ibi productos, aliosque ſuo nomine jam evulgatos; ſimul etiam quæſitum, an vellet res in illis contentas defendere. Ad priorem partem reſpondit, Eos libros revera ſuos eſſe: Ad poſteriorem, Tempus ad deliberandum poſtulavit in tam arduo negotio, quod ad Dei verbum animarumque ſalutem pertineret. Tempus ad proximum diem ex Cæſaris clamentia indultum eſt. Sequenti die, regreſſus ad Conventum *Lutherus* dixit, Ex libris ſuis alios Religionis argumenta continere, a quorum doctrina recedere ſalva conſcientia non poſſit. In aliis Romani Pontificis Decreta, ac Pontificiorum ſententias impugnari; quos revocare nihil aliud eſſet, quam humani generis carnificinam communire. In utriſque varios aculeos ac probra in ſuos æmulos, Romæ aſſentatores & mancipia, ſparſa eſſe, ac ſane ingenue fateri, ſe in pungendo mordendoqua honeſti fines tranſgreſſum; ſed hoc ipſum in illos rejiciendum qui ſe provocaſſent; nolle tamen ob ea retractare libros, cum non ſanctitatem, ſed doctrinam profiteretur. Satis ſe quidem hominam noſſa, adeoque erroribus obnoxium: propterea ſe paratum eſſe de ſuis opinionibus cum quocumque mortalium diſceptare; atqua ubi Sacræ Scripturæ teſtimoniis convinceretur, ſuas offerra manus, quibus ſuamet Opera in flammas conjiceret. Eum deinde percontatus eſt *Eckias* Trevirenſis Archiepiſcopi Vicarius, an Concilium Conſtantienſe reciperet. Negavit diſerte, propterea quod Concilia quandoque aberraverant, atque inter ſe diſcrepabant. Demonſtrandum ſuſcepit *Eckius*, Concilia Œcumenica in rebus Fidei errare non poſſe. Sed Imperator ad poſtremum *Lutheri* effatom terrore perculſus, Colloquio interciſo illum a Conventu dimiſit. Vigeſima-ſexta Maii Cæſar Edictum edidic de conſenſu Septemvirum, & omnium Sacri Imperii Principum, Ordinum, & Statuum, quo *Martinum Lutherum* ut membrum ab Eccleſia Dei abalienatum ut obſtinatum Schiſmaticum, & notorium Hæreticum habendum decernit: denuntiatiſque graviſſimis pœnis mandat, ne quis ipſum receptare, defendere, ſuſtentare, fovara dicto aut ſcripto præſumat, quinimmo poſt elapſum viginti dierum terminum contra eum, ubicumqua deprehenſus fuerit, procedant. Ejuſdem complices, fautores, & ſectatores, nec-non eorum nomina & ſingula bona, mobilia & immobilia capiant, & in uſus ſuos optimo & pleno jure convertant. Vetat inſuper ne quis *Lutheri* Scripta emere, vendere, deſcribere, typis edere, legere, prædicare, vel defendera, præſumat. Ne quis famoſos Libros, ſeu quaſcumque alias Schedas, Scripturas, Imagines contra Orthodoxam Fidem, bonos mores, & id quod Sancta Romana Eccleſia hactenus obſervavit, atque etiam invectivas, criminationes, & ignominias contra Summum Pontificem, Sedem Apoſtolicam, Prælatos, Principes, Univerſitates Studiorum, & eorum Facultates, honeſtaſque perſonas componere, ſcribere, depingere, vendere, emere, tenere, habere audeat: jubenturque omnes cuncta hæc igni comburere. Demum prohibet, ne quis Typographus Libros ullos, ſeu aliam quamcumque ſcripturam, in quibus de Sacris Literis aut Fide Catholica aliquid vel minimum tractatur, non habito prius conſenſu & voluntate Ordinarii loci, aut ejus ad hoc Subſtituti & Deputati, cum auctoritate etiam Facultatis Theologicæ alicujus propinquæ Univerſitatis, imprimat. Hæc prolixius narrat Cardinalis Palavicinus Lib. 1. Hiſtoriæ Concilii Tridentini, Capp. 27. & 28. ex Actis VVormatienſibus, MSS. Vaticanæ Bibliothecæ, & ex Literis *Aleandri*, Nuntii Apoſtolici, qui res Eccleſiæ apud Cæſarem in illo Conventu egregie promovet.

Comitia VVormatienſia.

Lutherus Imperatoris Edicto proſcriptus.

Tom. II. Operum Lutheri pag. 18. Lutherus a Sacra Facultate Pariſienſi damnatus.

V. Anno 1521. die 15. Aprilis, Sacra Facultas Pariſienſis Doctrinali Judicio *Lutheri* Aſſertiones poſt accuratum examen damnavit, ejuſque doctrinam tamquam erroribus contra fidem & mores ſcatentem ſimplicis populi ſeductricem, omnibus Doctoribus injurioſam, Poteſtati Eccleſiæ & Ordini Hierarchico impie derogantem, aperta ſchiſmaticam, Sacræ Scripturæ adverſam, in Spiritum Sanctum blaſphemam, Reipublicæ Chriſtianæ pernicioſam, ultricibus flammis delendam cenſuit: Auctorem vero ad publicam abjurationem modis omnibus compellendum.

Conventus Norimbergenſis.

VI. Anno 1523. Conventus Principum Imperii Norimbergæ habitus eſt, *Cheregatus* Sedis Apoſtolicæ Nuntius, *Hadriani Sexti* Mandata Conventui communicavit. Ad quæ reſponſum eſt, ſaluberrimum Conſilium Principibus videri, ſi Pontifex cum Cæſaris conſenſu intra annum Concilium congregaret in aliqua Germaniæ urbe, in quo quicumque intereſſet, vel ex Eccleſiaſticis, vel ex Laicis poſſet ac deberet, amoto quovis obice obligationis jurisjurandi, libere promere quidquid e Chriſtiana Republica judicaret. Interim ne quid turbaretur, Principes operam daturos ut Elector Saxoniæ *Lutherum* & ejus aſſeclas vetaret quidquam vel typis edere, vel ſcribere. Curaturos quoqua ut eo tempore in concionibus pura placideque purum Evangelium prædicaretur, ac Sacra Scriptura ſecundum interpretationem ab Eccleſia receptam & comprobatam, ſubtilioribus quibuſcumqua prætermiſſis, populorum captui minime congruentibus. Quidquid ibi operæ a Nuncio impenſum eſt, parum valuit ad deprimendam Lutheranorum audaciam: quin *Lutherus* pro ſe ſua Edictum Norimbergenſe interpretatus eſt: quamvis ad Saxoniæ Septemvirum ſcripſerit, aliud de ſua cauſa Norimbergæ, aliud in Cælo decretum.

Tom. II. Operum Lutheri pag. 362.

VII. Conventus alter Principum Norimbergæ celebratus eſt anno 1524. *Clemens VII.* qui *Adriano VI.* ſucceſſerat, Legatum Apoſtolicum eo miſit *Laurentium Campegium* S. R. E. Cardinalem. En in Conventu de Edicto VVormatienſi promovendo deliberatum eſt & poſtulatum ut a Pontifex, quam citiſſime poſſet, Concilium liberum in Germania, ad malorum remedium indiceret. Alius Conventus Spiræ indictus, ad 11. Novembris, ubi diſcuterentur a prudentibus Conſiliariis *Centum Gravamina Germaniæ*, quo decerneretur ad quam denique tolerabilem moderationem redigi poſſent: Interea ſinguli Principes viris eruditis examen Capitum recens de Religione controverſorum committerent, ut integræ a corrupta doctrina facta ſecretione, ſtatueretur quid tantiſper ſcribendum ac prædicandum eſſet, ad Concilii Œcumenici celebrationem. Hæc Decreta vehementer diſplicuere Cæſari, graviſſimiſque literis Ordines increpuit, quod Generale Concilium convocandum decreviſſent, cujus convocatio ad Pontificem; propoſitio vero ad ſe ſpectaret: deinde quod Conventum Spiræ indixiſſent, ubi Religionis argumenta per magnam ſedis Apoſtolicæ injuriam expenderentur. Spopondit, acturum ſe cum Pontifice ut Concilium Tridenti cogeretur. Interim eos jubebat VVormatienſe Edictum obſequenter exequi, & a Spirenſi Conventu abſtinere.

Conventus Ratiſponenſis.

VIII. Interea Legatus Apoſtolicus veris Catholicæ Religionis incrementis intentus, Principes ſecum conſentientes Ratiſponæ collegit, ſcilicet *Ferdinandum* Cæſaris fratrem, ejus in Germania Vicarium, Cardinalem Archiepiſcopum Salisburgenſem, *Guillelmum* & *Ludovicum*, utriuſque Bavariæ Duces, Epiſcopum Tridentinum Ratiſponenſis Eccleſiæ Adminiſtratorem, & Procuratores Epiſcoporum Bambergenſis, Spirenſis, Argentoratenſis, Auguſtani, Conſtantienſis, Baſileenſis, Friſingenſis, Brixinenſis, & Adminiſtratoris Paſſavienſis. Hi Edictum VVormatienſe executioni mandari, in Miſſæ celebratione nihil mutari, Monachos Apoſtatas puniri, & Legati Apoſtolici Conſtitutionem de Cleri Germanici Reformatione triginta quinque capitibus comprehenſam, executioni mandari jubent. Pleraque ex iis levamen Laicorum ab oneribus tribuendæ pecuniæ ſpectant, quo labes cupiditatis a Viris Eccleſiaſticis tolleretur. Ita quintum Parochis interdicit, ne quædam conſueta ſubſidia a populis exigant: Sextum, ſepulturæ ſumptus imminuit; Nonum, vetat ne pecunia recipiatur pro abſolvendis noxis ſuperiori foro reſervatis: Decimum-ſextum, removet abuſus ab Indulgentiarum Quæſtoribus inductos: Decimum nonum, prohibet impenſas, quæ pro Altarium & Templorum conſecratione exigebantur: Vigeſimum-tertium, vetat ne Epiſcopi adeant, uti mos erat, tamquam hæredes bona Clericorum obeuntium inteſtato,

ftato. Vigefimum-quartum negat Epifcopis dimidium proventus annui, cùm ea conferunt Beneficia, quæ vix hominis alimento fufficiunt, & ex quibus ejufmodi dimidium Romana Curia non exigit.

Concilium Bituricen- fe.

Anno 1528. Bituricenfe Concilium Provinciale celebratum eft, Præfide *Francifco Turnonio* Archiepifcopo, cujus primo capite decernitur, ut *Damnatum dogma Lutheri & fequacium a Sacro-fancta Sede Apoftolica jampridem reprobatum, in publicis concionibus, locis & temporibus appartunis, prout expediens Ordinariis locorum videbitur, generaliter tantum reprobetur, non declaratis figillatim erroribus, nifi locus aliquis fuerit ad quem pervenerint damnati aliqui errores.* Damnati funt etiam ac vetiti *Lutheri* & Lutheranorum Libri.

Concilium Senonenfe.

Eodem anno celebratum eft Concilium Senonenfe ab *Antonio* Cardinali *de Prato*, Senonenfi Archipræfule, Epifcopo Albigenfi, & Franciæ Cancellario; in quo Senonenfis Provinciæ Epifcopi Parifiis congregati Lutheranam hærefim confixerunt, fexdecim Decretis de Fide editis. Primum eft *De unitate & infallibilitate Ecclefiæ.* 2. *Quod Ecclefia non fit invifibilis.* 3. *De Auctoritate facrorum Conciliorum.* 4. *Quod ad Ecclefiam fpectet determinare qui libri fint Canonici.* 5. *Aliqua effe firmiter credenda* definit, *quæ non continentur expreffe in Scriptura Sacra.* 6. *De Conftitutionibus humanis.* 7. *De Jejuniis Ecclefiafticis.* 8. *De Cælibatu Sacerdotum.* 9. *De Votis, & præfertim Monafticis.* 10. *De feptem Ecclefiæ Sacramentis.* 11. *De Sacrificio Miffæ.* 12. *De Satisfactione, Purgatorio, & commemoratione Defunctorum.* 13. *De Veneratione Sanctorum.* 14. *De Veneratione facrarum Imaginum.* 15. *De Libero arbitrio.* 16. *De Fide & Operibus.* Lectio Librorum *Lutheri* & Lutheranorum fub pœna excommunicationis interdicta. Ecclefiaftica Difciplina 40. Decretis fancita eft.

Conventus Spirenfis.

IX. Conventus alter Principum Spiræ coactus eft juffu Imperatoris, Februario menfe, anno 1529. Præfide *Ferdinando* Hungariæ Rege, cum ad comparandas contra *Solimanum* copias, qui Budam ac præcipuam Pannoniæ partem invaferat, reliquæ ferocior minabatur, tum ad componenda Religionis diffidia. His Comitiis adfuit Pontificio nomine *Joannes Thomas* Comes Mirandulanus. In comitiorum receffu fancitum eft, ut quibus locis Edictum VVormatienfe fuerat acceptum, in iis ufque ad futurum Concilium deinceps fervaretur. Ubi vero mutata fuerat vetus Religio, nec poffet ejus exercitium abfque publica rerum perturbatione revocari, res ita perfifteret ufque ad Concilii celebrationem. Ut Sacramentariorum & Anabaptiftarum Sectæ undique pellerentur. Ut Miffæ celebratio ubique libera effet, in iis etiam regionibus ubi Lutherana labes graffabatur. Evangelium exponeretur ex Patrum interpretatione, quos Ecclefia comprobaverat. Ut Ordines Imperii pacem invicem exercerent, nec alius alii Religionis caufa moleftus effet. *Joannes* Saxoniæ Septemvir, *Georgius* Brandeburgenfis Elector, *Ernestus*, & *Francifcus* Luneburgi Duces, *Philippus* Haffiæ Lantgravius, & *VVolfangus* Princeps Anhaltinus, & cum his quatuordecim civitates una coaluere; palamque conteftati funt fibi integrum non effe illi Decreto parere, utpote Evangelicæ veritati contrario: proinde ad futurum Concilium, ad Cæfarem, ad quemcumque Judicem non fufpectum provocare. Hinc natum eft *Proteftantium* nomen. Legendus *Sleidanus* Libro 6.

Unde Proteftantium nomen? Conventus Marpurgenfis.

X. Eodem anno Marpurgenfis Conventus a *Philippo* Haffiæ Lantgravio convocatus eft ftudio concordiæ inter Lutheranos & Zuinglianos procurandæ. Eo convenere *Zuinglius*, *Oecolampadius*, *Bucerus*, & *Hedio* ex una parte: ex altera *Lutherus*, *Melanchthon*, *Juftus Jonas*, *Ofiander*, *Brentius*, *Agricola*. Poft colloquium de Articulis quindecim confenferunt: de Cœna Domini confentire non potuere, fuumque his verbis expreffere diffenfum. *Etfi autem*, inquiunt, *an verum Corpus & Sanguis Chrifti corporaliter in pane & vino Cœnæ Domini præfens fit, hoc tempore non concordavimus, tamen una pars alteri Chriftianam dilectionem, quantum cujufque confcientia feret, declarabit, & utraque pars Deum omnipotentem diligenter orabit, ut nos Spiritu fuo in vera fententia confirmet.* Hujus Colloquii Acta prolixe refert & exponit *Hofpinianus* Parte 2. *Hiftoriæ Sacramentariæ*, pag. 119. & fequentibus.

XI. Anno trigefimo fupra quingentefimum & millefimum, Auguftana Comitia celebrata funt. Cæfar eo pervenit 15. Junii pridie Fefti Corporis Chrifti. Poftridie Principes omnes pompæ qua Chrifti Corpus folemniter circumferebatur, adeffe juffit. Proteftantes fe interfuturos negarunt, rati fuperftitiofos effe hujufmodi Ritus. Saxoniæ Dux, cujus munus erat Cæfari gladium pro more præferre, Theologis fuis confultis, folemni pompæ adfuit, affirmavitque, per hujufmodi minifterium exerceri a fe civilem quamdam functionem, non item religiofum opus, auctoritate fretus *Elifei* Prophetæ, qui *Naamano Syro* permiferat, ut fe ante Idolum incurvaret, cum Rex ejus brachio innixus genua flecteret. Poft Sacra, poft Orationem a *Vincentio Pimpinella* Archiepifcopo Roffanenfi hac ipfa die, & a Cardinali Campegio Sedis Apoftolicæ Legato poftridie habitam Principes Proteftantes Fidei fuæ Profeffionem Imperatori obtulerunt. Hanc adornavit *Philippus Melanchthon* ex iis quæ Coburgi acceperat a *Luthero*. Studuit *Melanchthon* omni ingenii ope invidiam Sectæ fuæ detrahere, prætermiffis in ea, vel emollitis, quantum fieri potuit, opinionibus odiofis: quo animadverfo, Imperator Proteftantes percontatus eft, an ulla alia in re a Catholicis diffentirent. Illi vero, re maturè deliberata, negarunt. Complectebatur ea Confeffio unum fupra viginti Articulos de ipforum Fide, feptem vero de abufibus quos Romanæ Ecclefiæ opponebant, quorum tituli funt: *De Communione fub utraque fpecie: De conjugio Sacerdotum; De Miffa; De Confeffione; De Difcrimine ciborum; De Votis Monachorum; De Poteftate Ecclefiaftica.* Hæc eft celebris illa *Confeffio Auguftana*, quam inftar Evangelii Lutherani deinceps habuerunt. Huic fubfcripfere *Joannes* Saxoniæ, & *Georgius* Brandeburgicus, Septemvir, *Ernestus* Dux Luneburgicus, *Philippus* Lantgravius Haffiæ, *VVolfangus* Princeps Anhaltenfis, Senatus Magiftratufque Norimbergenfis, Senatus Reutlingenfis. Eam a Cæfare Catholicis, qui Conventui aderant, communicatam, Libello confutarunt *Cochlæus*, *Faber* & *Eckius*. Quæ confutatio coram Proteftantibus lecta eft, non fcripto ipfis tradita, ne nova Refponfa redderent, abfque ullo contentionis exitu. De concordia deinde actum. Septem utrimque delecti, qui fimul operam ftudiumque conferrent, bini Principes, bini Legifperiti, terni Theologi. Defignati funt pro parte Catholicorum inter Principes *Chriftophorus* Epifcopus Auguftanus, *Henricus* Dux Brunfvicenfis; inter Jurifconfultos, duo Cancellarii, alter Electoris Colonienfis, alter Marchionis Badenfis; inter Theologos, *Joannes Eckius*, *Conradus Vimpina*, & *Joannes Cochlæus*; pro Lutherana, *Joannes Fridericus* filius Electoris Saxoniæ & *Georgius*, Marchio Brandeburgenfis; ex Legifperitis, *Gregorius Pontanus* & *D. Hellerus*; ex Theologis, *Melanchthon Brentius* & *Schnepfius*. In multis dogmatibus Lutherani cum Catholicis fe confentire palam profeffi funt. In quarto fcilicet Articulo admiferunt, ne amplius diceretur; Nos juftos reddi per folam Fidem: quod hoc effatum in Sacris literis non reperiatur, fed per Fidem, & per Gratiam. In fexto: Neceffe effe ut bona opera quæ Deus præcipit, efficiamus. In feptimo & octavo: In Ecclefia non folum Electos ad gloriam contineri, fed præfcitos æternum puniendos. In decimo octavo, ineffe homini liberum arbitrium, tametfi nequeat abfque divina gratia juftitiam affequi. In vigefimo-primo; Sanctos pro nobis Deum deprecari, eorumque memoriam ftatis diebus pie recoli: quamquam ipforum invocationem neque comprobare, neque improbare voluerint. Tandem ea viginti & uno capitibus ad Fidem pertinentibus, in quindecim plene cum Catholicis confenfere; in tribus ex parte: tria reliqua rejecerunt in claffem illorum feptem, quæ fpectant ad abufus Romanæ Ecclefiæ, ab illis adfcriptos. Ex his autem feptem, conceffere primum; hoc eft, Chriftum integrum fecundum corpus & fanguinem contineri fub utralibet fpecie; nec ab illis damnari eos laicos, qui fub una folum Euchariftiam fumerent. In quinto convenere de Jejunio in multis dierum facrorum pervigiliis, ac de multorum Feftorum celebritate. In feptimo, comprobarunt Epifcoporum jurifdictionem, eifque debitam obedientiam a Parochis, a Concionatoribus, a Sacerdotibus in caufis Ecclefiafticis; & ne inflictæ ab iis Cenfuræ, ex Sacrarum Literarum norma, impedirentur. Quo facilius iniretur concordia, congreffum ad ternos utrimque coarctavit Imperator, hinc ad *Eckium*, hinc ad *Melanchthonem*, duofque ex utraque parte Jurifperitos; fed nihil amplius confectum eft, propterea quod, ipfo *Sleidano* tefte, *Melanchthon* ultra progredi vetitus a *Luthero* fuit.

Auguftana Comitia.

Confeffio Auguftana.

Melanchthonis propenfionem ad pacem exprimit ejus Epiftola ad *Campegium* Legatum Apoftolicum; quam refert *Georgius Celeftinus* Lutheranus, in hiftoria Comitio-

mitio-

mitiorum Augustanorum. „ Dogma (*inquit*) nullum
„ habemus diversum a Romana Ecclesia . . . . Parati
„ sumus obedire Ecclesiæ Romanæ, modo ut illa pro
„ sua clementia, qua semper erga omnes homines usa
„ est, parva quædam vel dissimulet, vel relaxet . . .
„ Ad hæc Romani Pontificis auctoritatem, & univer-
„ sam Politiam Ecclesiasticam reverenter colimus, mo-
„ do non abjiciat nos Romanus Pontifex. Cum au-
„ tem concordia facile possit constitui, si æquitas ve-
„ stra paucis in rebus conveniat, & nos bona fide obe-
„ dientiam reddamus; quorsum oput est supplices ab-
„ jicere? Quorsum opus est supplices ferro & igne pro-
„ sequi? . . . Nullam aliam ob rem plus odii sustine-
„ mus in Germania, quam quia Ecclesiæ Romanæ dog-
„ mata summa constantia defendimus. Hanc fidem
„ Christo & Romanæ Ecclesiæ ad extremum spiritum,
„ Deo volente, præstabimus. Levis quædam dissimili-
„ tudo Rituum est, quæ videtur obsistere posse concor-
„ diæ; sed ipsi Canones fatentur, concordiam Eccle-
„ siæ in hujusmodi Rituum dissimilitudine retineri
„ posse.

Confessionem quoque suam Cæsari in Comitiis Augustanis obtulere Zuingliani, quatuor insignium Civitatum nomine, Argentorati, Constantiæ, Memingæ, & Lindavii; quæ ab Augostana, in solo Eucharistiæ Articulo dissidere visa est. In Ordinum recessu Cæsar Edictum promulgavit, quo tempus indulgebatur Principibus ac Civitatibus Lutheranis usque ad 15. Aprilis, quo palam faterentur, an vellent usque ad futurum Concilium cum Sede Apostolica, ac reliqua Imperii parte, de Fidei summa convenire. Interim ipsis præscribebatur ne sinerent in suis ditionibus quidquam typis excudi, vendi, seu innovari in rebus Religionis; ne suos subditos in ea exercenda perturbarent: neque Catholicos ad suam Sectam allicerent: Una omnes adversus Zuinglianos & Anabaptistas convenirent. Verum illi ejusmodi Articulos recipere noluerunt, & omni abjecta spe concordiæ, recedendi licentiam postularunt. Antequam autem dimitterentur, aliud edictum edidit Cæsar, cui reliqua Principum Ordinumque Imperii pars subscripsit; quo decretum est, ut omnes in prisca Religione permanerent, repudiatis ac damnatis Anabaptistarum, Zuinglianorum, & Lutheranorum Sectis: Ut Ecclesiastica bona restituerentur: Ut hæreticorum subditi, sub Cæsaris, Imperiique Fide tuti essent, dummodo in Catholica Religione fideliter persisterent: omnibusque injunctum est, ut ad Concilium adeundum essent parati, quod a Summo Pontifice infra sex menses se impetraturum Cæsar pollicebatur. De his legendi *Cochlæus* in Actis Lutheri, *Palavicinus* Cardinalis in Historia Concilii Tridentini, lib. 3. *Chytræus* in Historia Confessionis Augustanæ, *Georgius Cælestinus* in Historia Comitiorum Augustanorum, & *Sleidanus* lib. 7.

Fœdus Smalkaldicum.

XI. Protestantes Augustano Edicto inobsequentes, ad Sectæ suæ libertatem armis tuendam Smalkaldæ fœdus iniere, anno 1531. quod Smalkaldicum a loco appellatum est. Ab illo Helvetii, ob Sacramentarium errorem, sunt exclusi. De quo legi potest *Sleidanus* lib. 8.

Comitia Ratisponensia.

XII. Comitia Ratisponæ anno 1532. celebrata, in quibus Cæsar formidoloso armorum *Solimani* adversus Germaniam apparatu adductus est ad concedendas Lutheranis inducias; ita ut nemini molestiæ causa Religionis inferrentur usque ad futurum Concilium, quod Cæsar a Romano Pontifice sex intra menses indicendum, ac deinde post annum celebrandum curaret: quod si id fieri non posset, Conventum alium cogendum, in quo de hisce negotiis deliberaretur. *Alexandro* Nuntio Apostolico, aliisque Pontificis Administris repugnantibus, illa cum Lutheranis inita concordia, quæ celebri nomine *Pax Norimbergensis* dicta est, ab ea urbe in qua sancita fuerat 13. Julii, & a Cæsare, die 11. Augusti confirmata.

Pax Norimbergensis. Rex Christianissimus concordiæ inter Protestantes & Catholicos sequester intercedit.

Eodem anno *Franciscus I.* Rex Christianissimus, rogante *Paulo III.* Pontifice Maximo, suoque in Religionem Catholicam studio, apud Germaniæ Principes Protestantes concordiæ sequester intercessit misso ad ipsos Oratore *Guillelmo Bellaio Langæo*. Articulos aliquot de ratione componendorum dissidiorum, quæ in materia Religionis orta erant, a *Melanchthone*, *Bucero*, & aliis Protestantibus Vir Clarissimus accepit, & ad Regem retulit, quorum summa hæc erat: *De potestate Papæ; De Traditionibus humanis; De Jejunio & ciborum delectu: De cultu Sanctorum, & eorum Imaginibus: De Missa: De Sacramento Eucharistiæ: De Communione sub utraque specie; De Confessione auriculari: De Justificatione; De fide & Operibus: De Monasteriis: De Votis Monachorum, & Cælibatu: De Sacerdotum conjugio: De Parentalibus & Missis pro Defunctis: De Purgatorio: De Libero Arbitrio.* Rex Articulos illos cum Sacræ Facultatis Parisiensis Doctoribus communicavit, eorumque consilium in tanti momenti negotio rogavit. Respondit Sacra Facultas, *Melanchthonem*, *Bucerum*, & eorum asseclas, non tam studio ad Catholicæ Ecclesiæ unitatem redeundi, quam Catholicos ad suas partes avocandi, concordiæ desiderium præ se ferre, quippe qui in limine Articulorum quos proponebant, Catholicos exemplo *S. Augustini*, quem Retractationum libros scribere non puduit, ad fidei dogmata retractanda, & sacros Ecclesiæ ritus ejurandos hortarentur. Proclive esse versipellium hominum propositum, ac venenum latens detegere: si modo Rex Christianissimus illorum sententiam de sequentibus Articulis rogaret, antequam concordia tentaretur.

I. *Quoniam inter eos qui de re aliqua dissident, ante omnia de certis quibusdam atque indubitatis principiis convenire oportet: petendum esse, an cunctos Libros Sacris Bibliorum voluminibus contentos pro Sacrosanctis & Canonicis habeant?*

Sacræ Facultatis Parisiensis Concilium.

II. *Utrum confiteri velint, Ecclesiam militantem a Christo Domino institutam, in fide & bonis moribus errare non posse: & ad unitatem fidei retinendam, pro visibili, externo, & ministeriali Capite B. Petrum cum suis Successoribus, sub Christo Domino, interno atque essentiali Capite, jugiter habuisse?*

III. *An velut Ecclesiæ filii, Ecclesiæ Catholicæ parentis & Conciliorum Generalium scita, cum Pontificum Romanorum Constitutionibus ab Ecclesia probatis atque receptis, amplecti velint?*

IV. *Num bonas & laudabiles Ecclesiæ consuetudines, tamquam certissima fomenta & adminicula pietatis, jampridem a Majoribus receptas, comprobent?*

V. *Utrum pro Sacrorum Bibliorum, & antiquorum Rituum Ecclesiæ intelligentia & explicatione, veteres Ecclesiæ Patres & Doctores, tum Græcos, cum Latinos; Hieronymum, Ambrosium, Augustinum, Gregorium, Basilium, Chrysostomum, omnesque alios admittere velint?*

Hoc Sacræ Facultatis Consilium gratissimum & probatissimum Regi fuit, qui clarissimo, Doctissimo, Sanctissimoque Ordini Literis suis gratulatus est die 26. Augosti ejusdem anni 1535. datis, quæ in ejusdem Facultatis tabulario asservantur.

Formula Concordiæ in re Sacramentaria inter Lutheranos.

XIII. Anno Christi 1536. Nobiliorum Superioris Germaniæ Civitatum Ministri, qui Augustanam Confessionem non comprobaverant, *Capito & Bucerus* Argentina; *Frechtus* Ulma; *Lycosthenes & Musculus* Augusta; *Otber* Eslinga; *Zuccius* Constantia: *Joannes Bernardi* Francofordia: *Gervasius Scholasticus* Memminga; *Martinus Germanus* Furfeldia, Isenacum, deinde VVittembergam venere, concordiam in re Sacramentaria cum *Luthero* & ejus asseclis agitaturi. Formula concordiæ a *Melanchthone* conscripta est hunc in modum: „ Audivimus Bucerum explicantem suam & a-
„ liorum, qui una fuerunt, sententiam de Sacramento
„ Corporis & Sanguinis Christi hoc modo: Confiten-
„ tur, juxta verba Irenæi, Eucharistiam constare duo-
„ bus rebus, terrena & cœlesti. Proinde sentiunt &
„ docent, cum pane & vino vere & substantialiter
„ adesse, exhiberi & sumi Corpus & Sanguinem Chri-
„ sti. Et quamquam negant fieri transsubstantiationem,
„ nec sentiunt fieri localem inclusionem in pane, aut
„ durabilem aliquam conjunctionem extra usum Sa-
„ cramenti: tamen concedunt, Sacramentali unione
„ panem esse Corpus Christi; hoc est porrecto pane
„ sentiunt simul adesse, & vere exhiberi Corpus Chri-
„ sti. Nam extra usum cum asservatur in pixide
„ aut ostenditur in Processionibus, ut fit apud Papi-
„ stas, sentiunt non adesse Corpus Christi. Deinde
„ hanc institutionem Sacramenti sentiunt valere in
„ Ecclesia, nec pendere ex dignitate Ministri & su-
„ mentis. Quare sicut Paulus ait, etiam indignos man-
„ ducare Sacramentum; ita sentiunt Corpus & Sangui-
„ nem Christi vere porrigi etiam indignis, & indignos
„ sumere, ubi servantur verba & institutio Christi.
„ Sed tales sumunt ad judicium, ut Paulus ait, quia
„ abutuntur Sacramento, cum sine pœnitentia & fide
„ eo utuntur. Ideo enim institutum est, ut testetur
„ illis applicari gratiam & beneficia Christi, illos in-
„ seri Christo, & Sanguine ejus ablui, qui agunt pœ-
„ nitentiam, & erigunt se fide in Christum. Quia ve-

„ ro hac vice pauci convenimus; & hoc negotium etiam ad alios Concionatores & Magistratus utriusque partis referendum est, nondum possumus Concordiæ negotium concludere, prius quam aliis etiam referatur. Cum autem hi omnes (*præsentes*) Theologi profiteantur, quid in omnibus Articulis Confessionis & Apologiæ Evangelicorum Principum, idem prorsus sentire & docere velint, optamus & summopere petimus ut concordia fiat. Et si reliqui Theologi utriusque partis hunc (*De Cœna Domini*) Articulum approbaverint, speramus firmam concordiam intar nos fieri posse. „ Subscripserunt Ministri Civitatum nobiliorum Superioris Germaniæ nominati, *Capito*, *Bucerus*, *Frechtus* &c. ex Lutherana vero factione, *Lutherus* ipse, *Gasparus Cruciger*, *Joannes Bugenhagius*, *Philippus Melanchthon*, *Justus*, *Menius*, *Fridericus Myconius*. Cum autem *Bucerus* hanc concordiam ad Helvetios Ministros misisset, eamque ita interpretaretur, quasi a *Zwinglii* doctrina non dissentiret, hanc illi comprobarunt. Eorum Declarationem apud *Hospinianum* legere est Parte II. *Historiæ Sacramentariæ* p. 263. Helvetiorum Declarationem probavit primum *Lutherus*, deinde improbavit, & Sacramentarios non minori quam antea acerbitate insectatus est.

Conventus Francofurdiensis.

XIV. Anno 1539. cum indictus a Lutheranis fuisset Francofurti Conventus ob suspicionem Catholici fœderis, quod sancitum paulo ante fuerat inter Cæsarem *Ferdinandum* Regem, duos Bavariæ Duces *Georgium* Ducem Saxoniæ, aliosque Catholicos Principes, quod Smalcaldico Lutheranorum opponeretur, legatus co fuit a Cæsare ad concordiam cum illis transigendam, quam politicæ rationes suadebant, *Joannes Vessalius* Episcopus Londensis, & Constantiæ Postulatus, qui Romæ duodecim annos egerat, & fidus Pontifici censebatur. Tria Lutherani postulaverant; Norimbergicæ pacis continuationem, securitatem ab omni molestia per mutuam promissionem & cessationem a quæstionibus in raptores Ecclesiasticorum bonorum exercitis, usque ad futurum Concilium. Primæ duæ conditiones pro temporum iniquitate tolerandæ Legato visæ sunt: tertiæ reluctatus est. Demum Palatini ac Brandeburgici opera, consentientibus Cæsaris ac *Ferdinandi* Legatis, hujusmodi temperamentum initum est: Ad quindecim menses pax Norimbergensis prorogaretur, causarum quæstionibus ob inflicta jam damna suspensis; ita tamen ut cautum esset, ne in posterum infligerentur. Norimbergense de Religione colloquium a Lutheranis indictum est, a quo Pontificis ministros arcendos decreverunt: quod quidem Colloquium, agente per Legatos Summo Pontifice, Cæsar prohibuit.

Conventus Wormatiensis.

XV. Anno 1540. Imperii Comitia Haganonæ habita, ex quorum Decreto Conventus aliter sub Cæsaris beneplacito Wormatiæ celebrandus 28. Octobris indictus est; in quo Pontificis Administris, Regumque Legatis præsentibus, atque undecim ex Catholicis Doctoribus, totidemque ex hæreticis, Religionis controversias expensuris, non contentionis, sed concordiæ gratia, cuncta ad nova Comitia referrentur, & quod expediret statuerunt. Ad Wormatiensem Conventum misit Pontifex *Thomam Campeggium* Feltrensem Episcopum, cui comites addidit quatuor Theologos, ex Cæsaris & *Ferdinandi* Regis consilio, scilicet *Thomam Badiam*, Ordinis FF. Prædicatorum, Apostolici Palatii Magistrom; *Gregorium Cortesium*, Abbatem, ex Congregatione Cassinensi; *Petrum Gerardum*, Gallum, & doctum quemdam virum, natione Scotum, qui Romæ degebat; Invitavit etiam per literas *Albertum Pighium*, & *Antonium Perenottum* Episcopum Attrebatensem, viros doctissimos, ut Religionis causam defensuri huic Congressui interessent. Cœtus vigesima quinta Novembris inchoatus est. Eo legatus a Cæsare *Granvellanus* interfuit Christianissimi Regis nomine *Vergerius* Justinopolitanus Episcopus. Per speciem confusionis ac prolixitatis vitandæ, numerum designatorum ad colloquium minuit *Granvellanus*. Dies aliquot *Eckius & Melanchthon* de originali peccato disseruere, donec Cæsar Congressum abrupit absque fructu diutius continuandum, distulitque ad Ratisponensia Comitia, quibus se interfuturum pollicitus est.

Ratisponensia Comitia.

Ad ea *Gasparem* Cardinalem *Contarenum* Legatum destinavit Pontifex. Adfuit Cæsar ipse juxta promissa, reque cum Legato communicata, selectos Theologos ad componendas Religionis controversias nominavit, *Joannem Eckium*, *Julium Flugium*, & *Joannem Gropperum* Coloniensem Archidiaconum, a quo conscripta prius fuerat Coloniensis Synodus Provincialis: ex factione vero Protestantium *Philippum Melanchthonem*, *Martinum Bucerum*, & *Joannem Pistorium*. Duo constituti Præsides, alter Cæsaris Administer *Granvellanus*; alter *Fridericus* Princeps Palatinus, Septemviri frater. Sex auditores destinati, Principum plerique Administri. Liber a *Granvellano* prolatus est, qui magna ex parte Scripturæ Sacræ, Sanctorumque Patrum dictis contextus, viginti duo capita complectebatur. Pervolvere Librum Legatus, ac Nuntius Apostolicus *Moronus*, unaque *Gropperus*, ac facile duo priores ex variis argumentis conjecere, Librum *Gropperi* Opus esse. Eum primo cum pluribus Theologis communicavit Legatus, ex quorum sententia cum nihil in eo erratum deprehenderetur, Cœtui Designatorum propositus est. Ac prosperum quidem initium Congressus habuit, quippe in Articulis de Justificatione, de Fide, de Operibus, de Episcopis, de Baptismo, inter Catholicos Theologos, & Lutheranæ factionis Deputatos convenit. Eorum tamen comprobationem a Summo Pontifice expectandam censuit Legatus, ad quem subinde singula referebat. Circa Eucharistiæ Mysterium & Transsubstantiationem apparuit primum dissensio. Nulla initi concordia potuit. Post dierum plurimorum congressum, post varios Libellos ultro citroque Cæsari oblatos, ille ad Ordines plene retulit scripto, quidquid in Congressibus peractum erat, eorumque sententiam rogavit. Ea fuit, ut Liber Legato traderetur qui expenderet an falsa dogmata in eo continerentur, & num liceret ea saltem capita recipi, de quibus Theologi convenerant, utque in reliquis concordia tentaretur; ad quam si Protestantes adduci non possent, controversia Concilio Œcumenico committeretur: vel Concilii Œcumenici spe sublata, Germanicæ Nationis Synodo. Cæsar in recessu edixit, ut memoratæ doctrinæ capita exciperentur usque ad Œcumenicum Concilium in Germania celebrandum, a Legato (ut quidem affirmabat) promissum. Si Concilium non cogeretur, persistendum in eis usque ad peculiarem Synodum Nationis Germanicæ, vel ad nova Comitia intra sesquiannum celebranda. Emendationem Disciplinæ a *Contareno* Cardinali, Sedis Apostolicæ Legato sancitam promulgavit, servarique jussit. Augustanum Edictum illibatum manere; sed nullam causa Religionis molestiam usque ad præfinitum tempus inferendam. Verum nihil ea iis præstitum: nec enim a molestiis ea parte Lutheranæ factionis cessatum est, nec in Germania Œcumenica aut Nationalis Synodus habita, nec ea doctrinæ capita ab ulla partium suscepta. Quin *Eckius* Interlocutorum Catholicorum unus, qui ea febri postremis a Congressibus adfuerat, acrem Libri confutationem scripsit. Duos id collegas impulit ad Apologiam edendam, quam duobus Colloquii Præsidibus obtulerunt, affirmantes nihil a se actum fuisse præter *Eckii* consensum & approbationem. Ita Liber ille qui concordiæ quasi vinculum futurum sperabatur, novæ controversiæ argumentum evasit. Liber iste, *Eckii* Contestatio, *Phlugii* & *Gropperi* Apologia, aliaque ad colloquium istud Ratisponense spectantia, edita sunt apud *Goldastum*, Tom. II. *Constitutionum Imperialium*, a pag. 182. ad pag. 234. Plura etiam legere est ad Colloquium istud pertinentia, apud *Melanchthonem*, Tom. 4. Ejusdem Colloquii Acta edidit *Martinus Bucerus*. De his *Cochlæus* in Actis & Scriptis *Lutheri*, & Cardinalis *Palavicinus* Lib. IV. Historiæ Concilii Tridentini, capp. XIII. XIV. & XV.

Spirensis Conventus.

XVI. Anno 1542. celebratus est Spiræ Conventus cui *Moronus* Nuntius Apostolicus adfuit, subsidium contra Turcas Pontificio nomine Germanis oblaturus, & quatuor Urbes celebrando Concilio, judicio Pontificis opportunas, tandemque Cameracum ac Tridentum propositurus. Responsum a Conventu, Ubi non liceret sibi in Germania Concilium obtinere, placere ut haberetur Tridenti. Lutheranis factis seorsim contestationibus reclamarunt tam Concilii loco, quam auctoritati Pontificiæ illi præfuturæ. Romæ per tres Senatus de Indictione Concilii, ac de tenore Diplomatis deliberatum, scilicet diebus 5. 12. & 22. Maii, qua tandem statutum Diploma, atque signatum est a *Paulo III.* promulgatum vero die solemni SS. Apostolorum *Petri & Pauli*, indictumque Concilium ad primas Kalendas Novembris. Sed bello Teutonico, & Cæsaris ad Christianissimum Regem bello lacessendum obstinatione retardatum est.

Articuli Sacræ Facultatis Parisiensis contra Lutheranam & Calvinianam Hæreses.

Eodem anno, die 10. Mensis Martii Sacra Facultas Parisiensis 25. Articulos Lutheranæ & Calvinianæ hæresibus oppositos, quasi Formulam Catholicæ doctri-

doctrinæ edidit mandato Christianissimi Regis *Francisci I.* omnesque sui Ordinis Doctores & Baccalaureos ad subscribendom iis adstrinxit; jussitque Rex ab omnibus Parochis sacra illa Catholicæ doctrinæ Axiomata Fidelibus exponi. De his Provinciale concilium Narbonense anno 1551. celebratum, ita decernit: „ In lucem edita sunt a Dominis Doctoribus „ Facultatis Sorbonæ Parisiensis Christianæ Legis A„ xiomata die 10. Martii, anno salutis nostræ 1542. „ facta: quibus quæcumque hactenus dicta suot, con„ sentanea iotelligi, speciatim exprimi & promulga„ ri volumus. Quæ quidem tamquam vera, orthodo„ xa, & Christianæ Religioni consona recipimus; „ eaque prædicari, & palam exponi in Sacrificio Mis„ sæ faciendo, & Concionibus habendis, exacte ju„ bemus. Qood qui factum noluerit, veluti refracta„ rium, ex Christianorum communitate exterminan„ dum judicamus. „ Editi sunt hi Articuli apud *Fontanonem* Tomo 4. Collectionis Regiarum constitutionum. Illos his exhibeo, ne consulendo brevitati, lectorum commodo noo satis consuluisse videar.

DECANUS ET FACULTAS THEOLOGIÆ PARISIENSIS, OMNIBUS FIDELIBUS IN CHRISTO SALUTEM.

„ Cum hodie per Concionatorum in asserendis dog„ matibus altercationem videamus plerosque Fidelium, „ juxta id quod Ephesiis scribit Paulus, tamquam par„ vulos fluctuantes, ad omnem ventum doctrinæ cu„ jusvis circomferri, & agitari; Nostra autem inter„ sit, quantum in nobis erit, dissidentes opinionum „ fluctus componere; de sanctissimo Christianissimi Re„ gis proposito abunde persuasi, quidnam circa Arti„ culos hodie a plerisque controversos, & Christia„ nis Doctoribos, & Concionatoribus prædicandum, „ & cæteris Christi Fidelibus cum uoiversa Ecclesia „ sit credendum, paucis hoc ordine visum est ad„ notare.

I. Certa & firma fide credendum est, Baptisma omnibus, etiam parvulis, ad salutem necessarium esse; ac per ipsum dari gratiam Spiritus Sancti.

II. Eadem fidei constantia est tenendum, homini inesse liberum arbitrium, quo potest bene vel male agere; & per quod, etiamsi in peccato mortali fuerit, Deo adjuvante, ad gratiam resurgere valet.

III. Nec minus certum est, adultis & ratione utentibus post peccatum mortale admissum, necessariam esse Pœnitentiam, quæ in Contritione, & Confessione Sacramentali, vocaliter Sacerdoti facienda, similiter & Satisfactione consistit.

IV. Ad hæc peccatorem non sola fide, sed & bonis operibus justificari: quæ adeo necessaria sunt, ut sine illis nemo adultus vitam consequatur æternam.

V. Quilibet Christianus tenetur firmiter credere, in consecratione Eucharistiæ panem & vinum converti in verum Christi Corpus & Sanguinem, remanentibus tantum panis & vini speciebus, sub quibus realiter verum Christi Corpus continetur, quod ex Virgine natum & in Cruce passum est.

VI. Sacrificium Missæ est ex Christi institutione, valens pro vivis & defunctis.

VII. Non est Laicis ad salutem necessaria Communio sub utraque specie: recteque certis ac justis de causis olim ab Ecclesia sancitum est, ut illis sub una tantum panis specie communicetur.

VIII. Porro solis Sacerdotibus, secundum Ecclesiæ ritum ordinatis, data est a Christo potestas consecrandi verum Christi Corpus, & in foro Pœnitentiæ a peccatis absolvendi.

IX. Quos certum est, etiamsi mali, & in peccato mortali fuerint, consecrare verum Christi Corpus, siquidem illud consecrare intendant.

X. Cæterum, Confirmatio, Matrimonium, & Unctio Extrema, sunt tria Sacramenta a Christo instituta; per quæ datur gratia Spiritus Sancti.

XI. Nec dubitandum est Sanctos, & in hac mortali vita, & in Paradiso agentes, aliquando miracula operari.

XII. Sanctum est, & Deo maxime gratum orare beatam Dei Genitricem Mariam, & Sanctos qui in cælo sunt, ut sint pro nobis Advocati, & intercessores apud Deum.

XIII. Hi itaque Sancti beatam cum Christo vitam degentes; non solum sunt imitandi, sed & venerandi, & orandi.

XIV. Ob idque religiose faciunt, qui loca eis dicata ex devotione visitant.

XV. Si quis in Templo, aut extra Templum, prius sua oratione ad Beatam Virginem, aut Sanctorum aliquem recurrat, quam ad Deum, non peccat.

XVI. Nec ullo modo dubitandum est, quin genu flectere coram Imagine Crucifixi, & Beatæ Mariæ, & Sanctorum, ad rogandum Christum & Sanctos, opus sit bonum ac pium.

XVII. Ad hæc firmiter credendum est, & nullatenus dubitandum, Purgatorium esse: in quo Animæ detentæ, oratione, jejunio, eleemosyna, aliisque bonis operibus juvantur, ut citius liberentur a pœnis.

XVIII. Tenetur & quilibet Christianus firmiter credere, unam esse in terris universalem Ecclesiam visibilem; quæ in fide & moribus errare non potest: cui omnes Fideles, in his quæ sunt fidei & morum obedire adstringuntur.

XIX. Quod si quid in Scripturis Sacris controversiæ aut dubii oriatur, ad præfatam Ecclesiam definire & determinare spectat.

XX. Est & certum multa esse credenda, quæ non sunt expresse & speciatim tradita in Scripturis Sacris, quæ tamen per Traditionem Ecclesiæ sunt necessario recipienda.

XXI. Eodem veritatis firmamento recipiendum, potestatem excommunicandi esse de Jure Divino, immediate a Christo Ecclesiæ concessam, & ob id magnopere timendas esse Censuras Ecclesiasticas.

XXII. Certum est Concilium Generale legitime congregatum, universalem repræsentans Ecclesiam, in fidei & morum determinationibus errare non posse.

XXIII. Nec minus certum, unum esse Jure Divino Summum Ecclesiæ Christi Militantis Pontificem, cui omnes Christiani parere tenentur: qui quidem potestatem habet & indulgentias conferendi.

XXIV. Constitutiones Ecclesiasticæ, ut de Jejunio, de delectu ciborum, de abstinentia a carnibus, aliisque multis, vere obligant in foro conscientiæ, etiam omni secluso scandalo.

XXV. In eodem conscientiæ foro vota obligant, etiamsi Monastica sint, perpetuæ scilicet continentiæ, paupertatis, & obedientiæ.

XVIII. Anno 1544. Cæsar politicis rationibus Ecclesiæ commoda Religionisque bonum postponens, Spiræ Comitia habuit supra morem frequentia, quibus scilicet Electores omnes, & quamplurimi Principes ac Delegati interfuere. Eo in Conventu Lutheranis Augustani Edicti suspensionem indulsit usqoe ad Concilium Œcumenicum liberum in Germaniæ celebrandum, vel certe osque ad propriam Synodum Germanicæ Nationis: quod si hæc obtineri non possent, usque ad novum Conventum Autumno proximo vel Hyeme congregandum, in quo viri docti utriusque Partis, de Cæsaris auctoritate decernerent quid observandum foret donec Concilium cogeretur. Interim vero imponebantur utrique Parti æquales concordiæ leges in causa Religionis; quæstionibus de direptis Ecclesiæ bonis supersedebatur; Protestantes reddebantur idonei juri dicundo in Cæsarea Camera; Catholici ad solvendum vetera vectigalia Ecclesiis, temeris per Hæreticos occupatis, adstringebantur; facultas concedebatur eligendi Ludimagistros & Concionatores, quibus stipendia præberentur, vel ex bonis Ecclesiasticis, vel ex piis fidelium subsidiis. De his *Belcarius* lib. 23. & *Palavicinus* Cardinalis lib. V. Historiæ Concilii Tridentini cap. 5. & 6. ubi etiam refert Literas *Pauli III.* ad *Carolum V.* eum arguentis ob Edictum Spirense.

XIX. Anno 1545. die 13. Decembris, Tridentina Synodus Lutheranæ Hæreseos expugnatrix aperta est: de qua in Dissertationibus agemus. Eodem anno Theologica Facultas Lovaoiensis duos & triginta Articulos Lutheranæ Hæresi doctrinali judicio opposuit, quos *Carolus V.* Imperator publico Edicto comprobavit, ac in omoibus inferioris Germaniæ Provinciis promulgari jussit. Quos Articulos una cum Cæsaris confirmatione legere est apud *Goldastum*, Tom. I. Constitutionum Imperialium, pag. 514. & sequentibus.

Tridentina Synodus.

Lovaniensis Academia Articuli contra Lutherum.

XX. Anno 1546. Januario exeunte, Colloquium Ratisponæ mandato Cæsaris habitum est, cui Præsides destinavit *Mauritium Huttenum* Episcopum Eistetteosem, & *Fridericum Furstembergium*, quibus addidit, *Julium Fulgium* Neumburgensem Episcopum. Disputatores ex Catholicis electi fuere *Petrus Malvenda*, Ordinis FF. Prædicatorum, *Everardus Billicus* Carmelita, *Joannes Hoffmeisterus* Augustinianus & *Joannes Cochlæus*: ex Hæreticis, *Martinus Bucerus*, *Joannes Brentius*, *Georgius Major*, *E-*

Colloquium Ratisponense.

vardas, *Schneppias*. Hoc Colloquium cavillationibus productum est, ac tandem eorum fuga post tertium mensem, invito Cæsare, solutum, ut refert *Cochlæus* in actis & Scriptis *Lutheri*.

Augustana Comitia.

Interim Cæsareum.

XXI. Anno 1548. celebrata sunt a *Carolo V.* Imperatore Augustæ Comitia, suspenso tunc temporis Concilii Tridentini progressu, in quibus Libellum promulgavit, *Interim* nuncupatum, qaod formulam doctrinæ & cæremoniarum in Germania tenendam interim præscriberet, dum de universa Religione in Concilio Œcumenico decretum esset, quem & nonnulli es de causa *Inter religionem* nuncuparunt. Continebat hic Libellus præcipua capita, quæ per recentes controversias agitabantur, viginti-sex Articulis digesto. A selectis Triumviris, & concordiæ cupientissimis, aut compositus aut recognitus est, scilicet a *Julio Falgio* Naumburgensi Episcopo, *Michaele Heldingo* Episcopo Sidonio, Archiepiscopi Moguntini Suffraganeo; & *Joanne Agricola*, Islebio, qui ante annos octodecim pro Saxonica Protestantium Confessiona, una cum *Melanchtone* & *Brentio* steterat, deindeque Antinomorum Princeps factus, postremo ad Catholicos redierat, aut certe redire peroptabat. Huic Libello a Brandeburgico Electora sibi oblato subscribere *Bucerus* recusavit, quod Pontificiam Doctrinam in eo ;constitui diceret. Non Catholicis, sed Protestantibus dumtaxat illum Cæsar proposuit. Catholicos enim hortatus est ut in Ritibus & Statatis universalis Ecclesiæ auctoritate comprobatis constanter permanerent; eos vero qui nova dogmata secuti fuerant, aut communem Religionem ipsi pariter amplecterentur, aut certe illius Libelli tenorem servarent. *Sfrondato* Cardinali, Sedis Apostolicæ Legato, Libellum communicaverat Cæsar, ut eum auctoritate Pontificis approbaret. Hunc Romam Legatus miserat. Pontifex improbavit Libellum, tom quod Cæsar auctoritatem quamdam in causa Fidei sibi arrogasse videretur; tum quod Sacerdotibus concederet, ut in conjugio persisterent; Laicis, qui Communioni sub utraque specie assueverant, ut eum communicandi ritum retinerent; & super utroque capite Concilii sententism decerneret expectandam, Catholicis æquo ac Protestantibus plerisque displicuit infaustus Libellus quem utriusque Partis Scriptores acriter confutarunt. Ex Catholicis *Robertus Canalis* Episcopus Abrincensis, in Sacra Facultata Parisiensi Doctor Theologus, edidit *Antidotum ad Proposita per* Interim, *non tam per modum, quam præter omnem Religionis modum oblata.* Illum quoque editis Libris impugnarant *Franciscus Romaus*, Ordinis Fratrum Prædicatorum Generalis Magister; & *Nicolaus Bobadillo* unus ex primis decem Societatis Jesu Patribus: Ex Hæreticis, *Gaspar Aquila* Salvendensis in Thuringia Minister, *Philippus Melanchton*, & *Joannes Calvinus*, Libro cui titulus est: *Interim Adultero-Germanum, cui adjecta est vera Christianæ Pacificationis, & Ecclesiæ reformandæ Ratio.*

Tom. 8. Oper. Calvin. pag. 509.

Caroli V. *Interim* 15. Maii anni 1548. in Augustanis Comitiis promulgatum, a *Goldasto* editum est Tom. I. Constitutionum Imperialium, pag. 518. & sequentibus. In iisdem Comitiis Formulam Reformationis Cleri promulgavit Cæsar, die secunda Julii. Edita est a *Goldasto* Tom. 11. Constitutionum Imperialium, pag. 226. & sequentibus.

Lutharani qui Cæsaris *Interim* suscepere, *Interimistæ* sunt appellati, quo triplicis fuisse generis, *Hosius* Cardinalis in Libro *de Hæresibus hujus temporis*, & *Lindanus* in *Dubitantio*, Dialogo II. referunt. Primi fuere *Cæsarei*, qui nulla in re alia se Lutheranos profitebantur, præterquam in pertinaci retentione Calicis, & conjugio Sacerdotum. Secundi fuere *Lipsici*, ab urbe Lipsia Misniæ nuncupati, cujus Ministri Augustanum *Interim* arbitratu suo correxerunt, & novum edidere. Ac quod ad ritus quidem attinet, de iis non magnopere cum Catholicis contendebant, sed plus tamen aliquid sibi de Lutheri doctrina, quam Cæsareo illo *Interim* permissum erat, reservare conabantur. Quamobrem in hoc Imperiali Libello subscripserunt, ut contenti docere, *Fide non justificari*: quod *Lutherus* addidit, *sola Fide*, id rejicerent, quod addi aliquid verbo Dei, nefas esse judicarent. Opera ad justificationem necessaria agnoscebant: Neque totam nostram justitiam in solina Justitiæ Christi imputatione constituebant. Missam abolitam restituerunt; Septem esse Sacramenta concessere; Episcoporum etiam Jurisdictioni quominus parerent, causam non dixere. De his *Calvinus* in Epistolis ad *Pacaum* Ministram Lipsicum, & ad *Melanchtonem*, pag. 54. Secundæ Partis Tom. 9. Editionis Amstelodami. Tertii tandem *Interimistæ* fuere *Francici*, id est, Marchionis *Alberti* Prædicantes, qui in Lipsico quædam emendarunt & mutarunt.

Conventus Passaviensis.

XXII. Cum Protestantium copiæ, Duce Mauritio Saxoniæ Septemviro, genero *Philippi Hassiæ* Lantgravii, quem captivum *Carolum V.* detinebat, [illegible]ontem usque penetrassent, indeque Cæsar ad funa[illegible] lucem aufugere cum Ferdinando fratre, Romanorum Rege, coactus esset, pacem cum Protastantibus pep[illegible] indecorom, in Conventu Passaviensi, anno 1553. Non interfuit quidem his Comitiis *Carolus V.* sed ejus nomine ac mandatis Romanorum Rex concordiam illam composuit. Illic inter Principes convenit, ut *Philippus Lantgravius* liberaretur, atque ut *Mauritius* cum decem bellatorum millibus *Ferdinando* adversus Turcam in Hungaria militaret. Sponte quoque liberavit Cæsar *Joannem Fridericum* Saxoniæ jam Septemvirum. Quod Religionem spectat, de tribus Capitibus conventum est. Prius erat, ut neutri e duabus Partibus, quarum alteri *Religionis Veteris*; alteri *Confessionistarum* nomen editum (Nec enim *Hæretici* vocari, nec alios *Catholicos* appellare volebant) molestism inferre alteri Religionis causa liceret. Alterum erat, ut intra sex menses nova Comitia celebrarentur, in quibus decernerentur quonam ex quatuor modis controversiæ Religionis componi possent; an Concilio Œcumenico, an Nationali, an Colloquio, an Cæsareo Conventu. Ubi autem nulla hujusmodii viis concordia consequeretur, nihilominus hæ induciæ perpetuo valerent atque consisterent: atque in tribunali Cæsareo jus omnibus diceretur, haud habita ratione utrius Religionis essent. Tertio, ut bona Ecclesiastica jam directa Protestantes pacifice possiderent: in quæ tamen Catholicus Clerus sibi *Jus reservatum* competere contestatus est. Pacis hujus Articulos legere est apud *Goldastum* Tom. 11. Constitutionum Imperialium, pag. 566.

Augustana Comitia.

Confirmata est in Augustanis Comitiis anno 1555. adjectumque, ut qui in Religione neutri ea nominatis partibus, id est, neque Romanæ Ecclesiæ Communioni, neque Augustanæ Confessioni adhæsissent, a concordia excluderetur. Nemini inter Imperii Ordines fas esset ullum Principem, ejusque subditum, ad suam propriam Religionem allicere, aut subditis contra dominum patrocinari; id vero illæso jure earum ditionum, quibus ex antiquo jure liceret sibi patronum eligere. Si utrorumvis subditi vellent cum familiis alio migrare, ac bona divendere, ne ullis interdiceretur; salvo tamen Jure Dominorum in homines serviles. Ne Jurisdictio Ecclesiastica exercaretur in iis, quæ ad præsentem concordism pertinebant, sed in reliquis, relicta Viris Ecclesiasticis facultate exigendi, quæ ipsis de more deberentur, dummodo sive per se, sive per Parochos eorum Ministeriis prospiceretur, & consuetæ sustentationi Nosocomiorum & Scholarum. Quod si oriretur hæc in re controversia, præscribebatur illius componendæ ratio per amicos Concilistores. Hanc *Pacem* Protastantes *Religiosam* appellant, & velut suæ libertatis columnam prædicant. Hanc tamen non spiritualem, sed mere politicam fatentur, quia de doctrinæ veritate nihil eo in Conventu assertum est, controversiæ futuri Concilii judicio reservatæ: Religiosam tamen dici quod sit Religioni data. De his Augustanorum Comitiorum Decretis acerbissime conquestus est *Paulus III.* Pontifex Maximus per *Delphinum* Apostolicum Nuntium, anno ineunte 1556.

Colloquium Ratisponense.

XXIII. Habitis novis Comitiis Ratisponæ ad finem anno 1556. cum urgeri se cerneret *Ferdinandus* Rex ad decernendum pro Religionis concordia unum ex quatuor mediis jam memoratis, nec quempiam qui sibi assisteret, ex Administris Pontificiis haberet, una cum Principibus Ecclesiasticis elegit Colloquium, quod Œcumenica Synodus absque Summi Pontificis auctoritate stabilire non posset; nec Religionis controversiæ aut Concilio Nationis, aut Comitiis committi absque ejusdem Religionis discrimine. Contra vero in Colloquio indicendo eas apponi posse conditiones Rex noverat, ut semper suspensæ res manerent ea arbitrio superioris Potestatis. Itaque in recessu habito 13. Martii anni 1557. decretum est hujusmodi Colloquium Wormatiæ Augusto proximo celebrandum, in quo duodeni utrimque seligerentur, qui conferrent, haberentque consiliam de modo concordiæ, ac postea ad Regem referrent; *qui decreturus erat quod opportunum foret de Religione*: quod secundum Juris formam, hoc est, ab Auctoritate Pontificia dependentem intelligi, *Ferdinandi* Consiliarii apud Nuntium Apostolicum excusarunt. Cum destinato Congressui præsideret *Julius Fulgius* Naumburgensis Episcopus, assidentibus ex Catholicoram parte *Michaele* Episcopo Mersburgensi,

gensi, *Delphio* Suffraganeo Argentinensi, *Canisio* Societatis Jesu, *Staphylo*, & duobus Theologis Lovaniensibus: ex parte vero Confessionistarum, *Melanchthone*, *Schnepfo*, *Brentio*, *Rungio*, *Cargio*, *Pistorio*; initio disputatum est de Norma Judicii, ad quam Fidei controversiæ exigi debeant. Catholici præter Scripturam Sacram, Traditiones, Patrumque & veteris Ecclesiæ unanimem interpretationem; Confessionistæ solam scripturam, quam ipsi pro Canonica haberent, admittendam propugnavera. Mox de peccato originali disputatum: ac ubi non omnes Confessionistas inter se convenire Catholici agnoverunt, ipsos monuere, ut quandoquidem tot Cæsaris Comitiorum Edictis omnes Sectæ proscriptæ fuissent, præter eat quæ veterem Religionem & Confessionem Augustanam profiterentur; ipsi se a Zuinglianis, Osiandristis, Synergistis, Adiaphoristis, aliisque extra Confessionem Augustanam vagantibus, dissentire declararent. Cui rei quinque ex Hæreticis Collocutoribus consenserunt; Septem repugnarunt, affirmantes inanditas partes damnandas non esse. Sic orta intar ipsos discordia, quinque illi sese sera; deinde Catholici, ac proinde congressus solutus est. Id constat ex Collocutorum Catholicorum Literis, quas apud Goldastum legere est Tom. III. Constitutionum Imperialium, pag. 568.

Colloquia Vinariense & Heidelbergense.

XXIV. Anno 1560. Vinariense Colloquium præsentibus Saxoniæ Ducibus *Joanne Friderico* & fratribus habitum est inter *Matthiam Flaccum Illyricum*, & *Strigelium* ejus generum. Hic in sententiam Adiaphoristarum, & Synergistarum inclinavit; Ille errorem de peccati origioalis substantia Ecclesiæ primo propinavit. Eodem anno Heidelbergense Colloquium habitum est, in quo a *Morlino* Coburgensi, & *Stesselio* Heidelbergensi Ministris Lutheranis, contra Calvinianos disputatum, agente *Joanne Friderico* Saxoniæ Septemviro.

Conventus Naumbergensis.

XXV. Anno 1561. Naumbergensis Conventus habitus, cui *Delfinus & Commendonus* Apostolici Nuntii adfuerunt, Romani Pontificis Diploma de Concilio Œcumenico instaurando significaturi, se Protestantes adhortati sunt ut ad Concilii Judicium controversias omnes remitterent. Hi mirari se responderunt quo pacto Pontifex Legationem ad ipsos mittere ausus esset, cum ejus auctoritatem non approbarent, nec in ulla alia re, nec in Concilio indicendo; & unicum in terris Dominum agnoscerent, nempe Cæsarem. Cumque dissidium in Fidei doctrina ipsis objectum esset, in Decreto Comitiorum 27. Februarii firmato, sa ab ea nota purgare sategerunt, professique sunt omnes, a se concorditer recipi Confessionem Augustanam cum Apologia *Melanchthonis*; jusseruntque a quodam Theologorum Cœtu componi quatuor Articulos, in quibus eorum aliqui discordare videbantur. Varios præterea modos decreverunt, quibus reliqui omnes ex ipsorum Secta convenirent, & licentia imprimendorum librorum coerceretur, unde pullulabat sententiarum repugnantia. Tandem statuerunt ut ratio Cæsari redderetur, qua de causa indictum Concilium non acciperent, futurum Conventum Erfordiæ 12. proximi Aprilis decernentes ad unitatem promovendam. Interfuerunt ibi non quidem Principes, sed eorum Consiliarii, nec in eode doctrina convenire potuerunt, præcipue circa Christi præsentiam in Eucharistia.

Conventus Erfordiæ.

Colloquium Mulbrunense.

XXVI. Anno 1564. *Fridericus* Palatinus Elector & *Christophorus* Dux VVittembergensis Colloquium Mulbrunni certis Theologis utrimque designatis instituerunt, de ubiquitate Corporis Christi & de sensu verborum Cœnæ Dominicæ. Ab Electoris Palatini partibus designati fuere *Petrus Boquinus*, *Gaspar Olevianus*, *Zacharias Ursinus*, *Michael Dillerus*, & *Petrus Dathenus*. A partibus vero VVittembergici Ducis, *Jacobus Andreæ*, *Valentinus Vannius*, *Joannes Brentius*, *Theodoricus Schnepfus*, & *Balthasar Bidenbachius*. Duplicis Controversiæ status erat: *Sintne hæc verba Christi*, Hoc est Corpus meum, *accipienda secundum literam, an non*? Deinde, *An Corpus Christi uno & eodem tempore, sive in multis, sive omnibus locis sit, nec-ne*? Utrumque Palatini negabant, VVittembergici affirmabant. Decem Actionibus colloquium illud finitum est. De ipso lege *Hospinianum*, p. 2. Historiæ Sacramentariæ, pag. 554.

XXVII. Cum inter Lutheranos gravissima Dissidia essent, de corpore doctrinæ *Philippi Melanchthonis*, de necessitate bonorum operum ad salutem, de viribus liberi arbitrii, ac præsertim de Eucharistia; & VVittembergenses Ministri apud Augustum Saxoniæ Septemvirum accusati essent; quod non *Lutheranas* & Saxonicas (ut ipsi loquebantur) Ecclesias, sed Zuinglianos Calvinistas sequerentur; Septemvir Dresdæ Conventum indixit anno 1571. ad diem 10. Octobris ad has lites componendas. Convenerunt igitur in eum locum non solum Saxoni, sed aliorum quoque Principum Protestantium Theologi, & Superintendentes præcipui, & Formulam Consensus conscripserunt, de qua legendus *Hospinianus* lib. de Origine & Progressu Libri concordiæ cap. III. Verum cum eam Formulam plerique improbarent, immo etiam impugnarent, graviusque inter Lutheranos Schisma Saxoniæ Septemvir metueret, plurimis Confessionem Augustanam ad Calviniana dogmata detorquentibus, Conventum Torgæ indixit anno 1574. in quo Formula Concordiæ a quindecim Theologis Protestantibus conscripta est, de qua *Hospinianus* C. V. Libri citati. Hac Formula Quindecimvirum judicio damnati quicumque ab Augustana Confessione dissidebant, maxime Zuingliani & Calviniani. Novas lites peperit Torgensis illa Concordia: quidam enim Protestantium illam comprobarunt, alii rejecerunt, multi multa in ea mutanda censuerunt. Sex Ubiquitariæ factionis Theologi jussu Septemviri Saxonii anno 1577. die 1a. Maii Bergæ convenere, scilicet *Schmiddinus*, *Musculus*, *Selneccerus*, *Kemnitius*, *Chytræus*, & *Cornerus*: Torgensemque Concordiam mutarunt, emendarunt, interpolarunt, quæ hunc in modum emendata & adornata, *Liber Concordiæ* solet appellari. Eo libro non solum Catholici, sed omnes qui aliter sentirent quam in eo perscriptum erat, pro Hæreticis habendos decreverunt. Hujus approbationem Saxoniæ Septemvir *Augustus* a Principibus & Civitatibus Augustanæ Confessionis flagitavit. Censuras misere suas plerique, & subscriptiones differendas responderunt, donec in libera Synodo liber diligenter examinatus & approbatus esset. Interea procurante *Joanne Casimiro* Palatino Comite, Conventus Francofurti habitus est die 26. Septembris anni 1577. Adfuere Legati *Elisabethæ* Anglorum Reginæ: Internuntii & Deputati Gallorum, Polonorum, Hungarorum, Bohemorum, Helveticorum, Belgicorum, Calvinianæ Sectæ Conventiculorum. Ibi de tribus præsertim capitibus deliberatum est, scilicet de impedienda condemnatione dissidentium ab Augustana Confessione Sectarum, seu (ut ipsi loquebantur) Ecclesiarum in Libro Concordiæ facta; De communis Confessionis conscriptione; De seligendis ad hujusmodi conscriptionem Theologis, & de mediis ad illius approbationem & receptionem promovendam conducibilibus. Saxoniæ Septemvir in Synodi celebrationem propendebat, ut examinato demum concordiæ libro subscriptiones exigerentur; sed hoc ipsi dissuaserunt ejus auctores, modumque subscriptionum absque Synodi examine obtinendarum proposuerunt in Sangershusiano Conventu. Vicit eorum consilium, libroque subscripserunt Saxo & Brandeburgensis Septemviri Principes, Comites, & Civitates pleræque Augustanæ Confessionis, ut videre est in Cathalogo, initio libri præfixo. Ministris, Theologis, Professoribus, Ludimagistris imperata subscriptio. Ad scrupulos ex eorum Ordinum animis eximendos, qui subscribere recusabant, plurimi Conventus celebrati, Magdeburgensis, Tangermundensis anno 1578. Langensalzensis, Schmalcaldensis, Herzbergensis, Torgensis alter eodem anno, & Quedelburgensis, anno 1583. ineunte. Excusus est Concordiæ liber anno 1580. ejusque præfatio a Bergensibus adornata. Multis Scriptis, Censuris, Animadversionibus, Judiciis, & Colloquiis impugnatus & confixus est; non modo a Catholicis, verum etiam ab Hæreticis, ut videre est apud *Hospinianum* hæc fuse referentem, Libro cui titulus est, *Concordia Discors*, seu, *De Origine & Progressu Libri Concordiæ*, Capp. 37. 38. 39. & 40. E Catholicis præcipuam operam in Libri Concordiæ confutatione collocarunt *Lindanus*, Ruremundensis Episcopus, in Libro cui titulus est *Concordia Discors Protestantium*, & Cardinalis *Bellarminus* in *Judicio de Libro Concordiæ Lutheranorum*. Tria in ipso præter communes & notos Protestantium errores observat ac demonstrat; insignem vanitatem, gravissimas hæreses contra Symbola Fidei, & 77. mendacia. Primus error est, quod Christus non solum ut homo, sed etiam ut Deus, Patri fuerit obediens. Secundus, quod Christus fuerit perfunctus munere Mediatoris & Pontificis, non solum per humanam naturam, sed etiam per divinam. Tertius, quod natura humana Christi sit ubique vere & realiter. Quartus quod Christi humanitati sint collata vere & realiter multa attributa divina, ut omnipotentia, omniscientia, omnipræsentia, atque adeo ipsa divina Majestas. Quintus, quod unio hypostatica consistat in communicatione divinorum attributorum. Sextus, quod totus Christus Deus & homo ad Inferos descenderit.

Dresdensis Conventus.

Conventus Torgensis.

Liber Concordiæ.

Conventus Francofordiensis.

Concordia discors Lutheranorum.

XXVIII.

Tractatus Concordia cum Græca Ecclesia a Lutheranis frustra tentatus.

XXVIII. Cum hæc fervere cœpissent inter Lutheranos dissidia, *Jacobus Andreæ*, *Schmidelinus* ab arte fabrili, quam initio exercuit, cognominatus, unus e præcipuis Lutheranorum Ministris, Tubingensis Academiæ Cancellarius, & *Martinus Crusius* Græcarum ibidem literarum Professor, opera *Stephani Gerlachii* pariter Lutherani, & Concionatoris *Davidis Ungnadii* Baronis & Oratoris Cæsarei ad *Selimum II.* Turcarum Imperatorem, *Jeremiæ* Græcorum Patriarchæ Constantinopolitano Augustanam Confessionem in Græcam linguam transfusam obtulerunt, & cum eo de concordia cum nonnullis ejus Decessoribus tentata egerunt, magni ponderis fore ad antiquam Sectæ suæ successionem ostendendam arbitrati, si extorta ab ipso suæ Confessionis approbatione, de consensione in dogmatibus cum Ecclesia Græca possent gloriari: Nec difficile fore sperantes Patriarcham odio Romanæ Ecclesiæ in partes trahere. Tractatus hujusmodi anno 1574. cœptus, in aliquot sequentes annos protractus est. Multæ ultro citroque scriptæ literæ, Libri Constantinopolim transmissi, atque imprimis Lutheranæ Theologiæ compendium a *Jacobo Herbrando* Julincensi compositum, & a *Martino Crusio* Græce redditum. Omnem industriam adhibuerunt *Gerlachius* & post eum *Salomon Schweigkerus* Ecclesiastes *Joachimi a Sintzendorf* in ea Legatione *Ungnadii* Baronis successoris, ut Confessionem suam a *Jeremia* probari impetrarent. At nihil obtinuerunt. Humanissime quidem cum ipsis egit Patriarcha, sed Catholica dogmata, quæ Lutherani vocabant in controversiam, diserte ac luculenter confirmavit, Lutheranos errores confixit; ut trinæ ipsius responsiones probant. Neque enim priore illa anni 1576. contenti, quamquam satis prolixa & expressa, iterum atque iterum rescripserunt, novis argumentis doctrinam munire suam aggressi, Patriarchæ probationes convellere. Itaque alteram ac tertiam declarationem ab illo elicuerunt nihilomagis sibi faventes. Immo importunæ illorum pervicaciæ pertæsus, postquam ipsis errores contra Fidei Catholicæ dogmata exprobravit mutuasque inter sese dissensiones, ipsos demum rogavit ne sibi deinceps molesti essent, neque nova iis de controversiis Scripta mitterent: Quippe qui Veteris & Novæ Romæ Fidem impugnarent, & antiquis Ecclesiæ utriusque Theologis contemptis, errronea dogmata propugnarent. Primam vero eamque prolixiorem Patriarchæ Responsionem, cum ipsi apud se reconditam servarent, a quodam Archimandrita Græco acceptam & Latinitate donatam, *Stanislaus Socolovius*, Stephani Regis Coloniæ Theologus, titulo *Censuræ Orientalis Ecclesiæ* primus in lucem emisit, quam deinde cum reliquis ab eodem Patriarcha, anno 1579. & 1581. redditis, Lutherani Theologi VVittembergenses ediderunt, anno 1584.

Jeremias Patriarcha Constantinopolitanus Lutheranos errores confixit.

§. V.

De Scriptoribus qui Lutheranam Hæresim impugnarunt.

INsignes Fidei Catholicæ Defensores Lutheranæ Hæresi Christus opposuit, qui Scriptis ipsam impugnarunt atque debellarunt. Hos inter immortale nomen sibi pepererunt *Thomas de Vio* Cardinalis *Caietanus*, Ordinis FF. Prædicatorum; *Silvester Prieras*, ejusdem Ordinis, Sacri Palatii Magister; *Christophorus Marcellus*, Archiepiscopus Corcyrensis; *Joannes Ekius*, Doctor Ingolstadiensis; *Hieronymus Emserus*, Suevus; *Ambrosius Catharinus Politus*, Senensis, Ordinis FF. Prædicatorum, Minorensis postmodum Episcopus, ac deinde Campsanus in Regno Neapolitano Archiepiscopus; *Joannes Fischerus* Episcopus Roffensis in Anglia & Martyr, *Hieronymus Hangestus*, Theologus Parisiensis, insignis Ecclesiæ Cenomanensis Canonicus; *Gaspar* Cardinalis *Contarenus*; *Hieronymus Seripandus* S.R.E. Cardinalis, Ordinis Eremitarum S. Augustini; *Joannes Cochlæus*, Norimbergensis, Francofurtensis Ecclesiæ B. V. Mariæ Decanus; *Jacobus Latomus*, Theologus Lovaniensis, & S. Petri Canonicus; *Henricus VIII.* Angliæ Rex, ob Assertionum VII. Sacramentorum contra Captivitatem Babylonicam Lutheri, *Fidei Catholicæ Defensor a Leone X.* appellatus; *Thomas Morus* Angliæ Cancellarius, qui Fidem Catholicam fuso sanguine confirmavit in Anglicani Schismatis exordio; *Joannes Faber*, ex Canonico Constantiensi ad Rhenum, Viennensis ad Danubium Episcopus creatus; *Gaspar Salizgarus*, Bavarus, Ordinis FF. Minorum Professor; *Joannes Daventriensis*, Transisalanus, ejusdem Ordinis; *Fridericus Staphilus*, Osnaburgensis, Ferdinandi Imperatoris Consiliarius; *Conradus Koellin*, Ulmensis, Ordinis FF. Prædicatorum Theologus, *Jodocus Clichtoveus*, Theologus Parisiensis; *Petrus* & *Dominicus Soto*, Ordinis FF. Prædicatorum Theologi doctissimi; *Erasmus Roterodamus*, qui Catholicum dogma de Libero arbitrio contra *Lutherum* erudita & eleganti Diatriba, & *Hiperaspiste* propugnavit, quamvis alias ob nimiam cum Lutheranis familiaritatem, & ob moderationem qua de *Luthero* ejusque doctrina scripsit, ambiguæ vir Fidei sit habitus, & a plerisque lacessitus, adeo ut opus habuerit suspicionis istius labem variis Epistolis detergere; *Georgius VVicelius*, Germanus a Lutherana Hæresi ad Fidem Catholicam conversus; *Michael Vehus*, Germanus Ordinis FF. Prædicatorum Theologus; *Augustinus Steuchus*, Episcopus Chisamensis; *Albertus Pighius*, Campensis Batavus, insignis *De Hierarchia* Operis Auctor; *Stanislaus Hosius*, S. R. E. Cardinalis, VVarmiensis in Polonia Episcopus; *Joannes Diatembergius*, Germanus, Ordinis FF. Prædicatorum; *Guillelmus Lindanus*, Dordracenus, Ruremondensis Episcopus, *Ruardus Tapper*, Theologus Lovaniensis, qui ejusdem Academiæ Articulos contra *Lutherum* duobus eruditissimis Voluminibus defendit; *Robertus* Cardinalis *Bellarminus*, Societatis Jesu lumen clarissimum, &c. His addenda *Anna Binsia* Virgo & Ludimagistra Antuerpiensis, quam excellens supra sexum eruditio, mores castissimi, & veteris Religionis studium, immortalitati consecrarunt; quæ Rithmo Theutonico pereruditο Carminum Libros sexdecim adversus Lutheranos primum exsurgentes publicavit.

ARTICULUS XI.

DE ANABAPTISTIS.

Secta Anabaptistarum.

ANNO circiter 1522. orta est fanatica *Anabaptistarum* Secta, Auctore *Nicolao Starckio*, sive *Palarga* dicto Silesio, qui cum primum *Luthero* adhæsisset, ab eo postea deficiens, & insolitas Revelationes jactans, VVittemberga pulsus, incertisque sedibus per Thuringiam vagatus, specie sanctitatis, quam egregie mentiebatur, apud stolidum rusticorum vulgus fidem invenit de secretis Mysteriis sibi per *Michaelem* Archangelum revelatis. Illis persuasit ut libertatem Evangelicam profiterentur, & rebus mundanis valere jussis, mentem oculosque ad Deum intenderent, seque rebaptizari sinerent; ac eos omnes qui huic doctrinæ contradicerent, Magistratus simul ac Principes, Tyrannorum instar, igne ferroque ad internecionem delerent; cum natura omnes liberos genuerit ac fratres, nec gravari ab aliquibus voluerit, sed omnia singulis esse communia: Episcopos, & Pastores vel trucidarent, vel finibus suis ejicerent, bona eorum diriperent, Monasteria diruerent, abusus omnes pessumdarent: Hanc esse Summi Numinis voluntatem, cui morem gerere tenerentur. Nonnullis Sacræ Scripturæ testimoniis ad arcana sua divinitus (ut ajebat) inspirata Mysteria detortis, insana illa crudeliaque dogmata confirmabat. Huic se adjunxit *Thomas Muntzerus*, Concionator Alstetensis in Thuringia, ex Sacerdote Catholico doctrinæ non mediocris, Lutheranus factus, qui Enthusiastam scite agens, & vitæ asperrimæ speciem ostentans, adeo Sectam dilatavit, ut a plurimis habitus fuerit ejus Auctor: sed cum turbulentissimis Concionibus passim seditiones excitaret, undique profligatus est, donec bellum Rusticorum in Germania commovit, de quo legendi *Cochlæus* in Actis Lutheri, & *Methovius* in Historia Anabaptistarum Lib. I. Rusticorum vero copiis a Principibus dissipatis, cæsisque centum & triginta efferatorum hominum millibus, an. 1525. *Muntzerus* Francbenhusii captus est in lecto morbum simulans. Captus etiam *Pfeifferus* socius ejus, Ordinis Præmonstratensis Apostata. *Mulhusium* ambo ducti, capite plexi sunt. *Pfeifferus* in Hæresi obstinatus obiit: *Muntzerus* errores revocavit, & Confessione Sacramentali expiatus atque Eucharistiæ Sacramento Catholico ritu refectus, collum gladio lictoris obtulit. De quo Rusticorum bello legi etiam potest *Petri Crinnti* Commentarius Tom. II. Rerum Germanicarum *Marquardi Freheri* editus.

II. Anno 1534. novæ seditiones incendium in civitate Monasteriensi VVestphaliæ Metropoli excitavit Anabaptistarum furor, ducibus *Joanna Matthia*, Pistore Harlemiensi, & *Joanne Bocoldo* Sartore Leidensi, qui allecto in partes *Bernardo* quondam *Rothmanno* Sacerdote Apostata, *Henrici* fabri ferrarii filio, tunc Lutheranæ Superstitioni addicto, & promiscuæ plebis ingenti multitudine, falsis revelationibus suis & enthusiasmis, proximique Judicii terroribus decepta,

in

in Magistratut insurrexerunt, ac eo usque seditionem promoverunt, ut quicumque rebaptizari nollent, aut urbe pulsi, aut cæsi fuerint, omnis Dei cultus extinctus, expilatæ Ecclesiæ, Sacræ Virgines violatæ, Senatus pro eorum arbitrio mutatus, bona civium direpta, Politia omnis eversa nutu *Joannis Matthiæ*: qui se Prophetam Dei Patris asserebat, pro tali ab omnibus colebatur. Ea tempestate Liber editus est *Restitutionis* titulo, quo asserebant Regnum Christi futurum ejusmodi ante supremum judicii diem, ut pii dumtaxat & electi regnarent, impiis ubique deletis: Licere Populo Magistratum abrogare: Ecclesiæ Ministros debere sibi sumere jus gladii, novamque Rempublicam constituere: *Lutherum* & Romanum Pontificem falsos esse Prophetas, sed Lutherum deteriorem: Matrimonium eorum qui vera Fide illustrati non essent, adulterium potius habendum esse. Porro obsessa urbe ab Episcopo Principe Monasteriensi, *Joannes Matthia* in eruptione ab hostibus occisus est. Post ejus necem *Joannes Sartor* Leidensis Anabaptisticæ Reipublicæ regimen capessivit, multisque in civili administratione mutatis, cum in adulterio deprehensus fuisset, ad excusandam infamiam, legem divino (ut ajebat) monitu de Polygamia tulit; & sexdecim uxores sibi sumpsit. Qui demum a quodam fabro aurario Enthusiasta Rex a Deo designatus, in foro proclamatus est, & ab insana multitudine salutatus ac susceptus, eam urbem *Sion* & *Jerusalem* appellans, ex qua Imperium in terrarum orbem universum esset propagaturus; & *Rex justitiæ hujus Mundi* appellari voluit. Qui cæteris omnibus Magistratibus abdicatis, Regium apparatum ac satellitium ex Ecclesiarum civiumque spoliis sibi comparavit. Deinde velut ex mandato Patris Æterni Apostolus ad novum Evangelium orbi prædicandum electurus, magnificam Cœnam instruxit, in qua multitudinem universam discumbere jussit. Mensis sublatis, parapsidem afferri mandavit panis triticei fragmentis repletam. Tum singulis ordine frustulum porrexit dicens: *Accipite & comedite & mortem Domini annunciate*. Regina vero ejus uxor præcipua poculum vino plenum porrigens dixit; *Bibite, & mortem Domini annunciate*. Mox interrogatis omnibus, num pro fide mortem oppetere parati essent, illisque communi acclamatione animum sibi non deesse significantibus, viginti elegit, quos in quatuor orbis plagas emitteret cum potestate signa & prodigia patrandi; qui in diversa loca dispersi, pene omnes a Magistratibus extremo supplicio damnati sunt: Nonnulli Sectam aliquatenus propagarunt. De his lege *Meshoviam* Lib. 6. & 7. Historiæ Anabaptistarum.

Anabaptistarum errores.

III. Dogma Sectæ præcipuum est, Parvulis usu rationis carentibus nihil prodesse Baptisma, quod fidem pro se profiteri non possint, sine cujus propria confessione inutilis sit Baptismus, quod Christus dixerit, eum salvum fore, qui crediderit & baptizatus fuerit; qui vero non crediderit, condemnatum iri. Nec inutilem dumtaxat, sed illicitum esse Pædobaptismum, utpote verbo Dei contrarium. Quamobrem omnes qui ad eorum Sectam ex Catholicis, aut ex aliis Sectis deficiunt, & in infantia baptizati fuere, rebaptizant. Cum Sacramentariis realem Corporis Christi præsentiam & manducationem corporalem in Cœna Dominica negant. Imagines execrantur. Solam Scripturam recipiunt. Magistratum abjiciunt. Publicam verbi prædicationem respuunt, ac Ministerium. Jurare, litigare, arma tractare, Magistratum gerere, Christianis illicitum esse volunt. Parentum suorum polygamiam & enthusiasmum detestantur. Vocati sunt *Anabaptistæ* tum quod ipsi rebaptizentur, tum quod rebaptizent alios, adultos scilicet qui extra eorum Sectam in prima ætate baptizati. *Catabaptistæ* etiam nominantur, quasi Baptistis oppositi, seu Baptismum oppugnantes. *Enthusiastæ* prius etiam appellati, seu *Fanatici* ob extases & raptus, quibus secretas & divinas inspirationes jactitabant. *Liberorum* & *Libertinorum* compellatione venerunt, sive quod ab omni Magistratu & onere publico immunes esse voluerint, sive quod polygamiam & promiscuam libidinem professi sint. Sectiones sive Schismata Anabaptistarum aliqui quatuordecim faciunt, *Francus* in Historia sua 70. enumerat. De his legendi *Meshovius* in Historia Anabaptistarum, *Ballingerus* de Anabaptistis Lib. 1. c. 8. *Osiander* Centuria Ecclesiastica 16. *Sclusselburgius* Catalogi Hæreticorum Lib. 12. *Florimundus Remundus* de ortu Hæreseos Lib. 2. *Spanhemius* in Disputatione Anabaptistica. *Hornebekius* in Summa, & *Joannes Henricus Ottius* Tigurinus, in Annalibus Anabaptisticis.

Variæ Anabaptistarum Sectæ.

IV. Harum Sectarum nomina vel ab Auctoribus seu Doctoribus, vel a Dogmatis, seu vitæ instituto & genere, vel a locis & regionibus, originem trahunt. Ab Auctoribus appellati, *Munzeriani* a *Thoma Munzero*, cujus impia dogmata & molimina sectati. *Hutitæ*, a *Joanne Hut*: Hi spontaneam paupertatem profitebantur, *Corporalem Israelem* se vocabant, a quo Chananæi exscindendi, visiones jactabant, Judicii diem instare effutiebant. *Augustiniani* ab *Augustino* Bohemo, qui præter communia dogmata, Animas Fidelium a visione Dei, ob cœlum nondum reseratum ultimum Judicii diem, exclusas contendebat. *Buholdiani*, a *Joanne Buhold*, Sartore Leidensi & Rege Monasterii. Hi Regnum mundanum statuebant; impios extirpare volebant; plures uxores ducebant, bona omnia communia habebant. *Melchioritæ* & *Hofmanniani*, a *Melchiore Hofmanno*, qui Argentinæ & Embdæ discipulorum turbam post se traxit, qui ipsum ceu *Eliam* ante ultimi Judicii diem mittendum venerabantur. Præter communia dogmata, docebat, Verbum non assumpsisse carnem ex *Maria* Virgine: Christum unam tantum naturam habuisse: Lapsos non recipiendos. Salutis assequendæ rationem esse ex nobis: Pædobaptismum esse a Diabolo. *Mennonitæ*, a *Mennone Simonis*, orto ex quodam pago Frisiæ, prope Harlingam, qui voce, Colloquiis, & Scriptis Sectam propagavit. *Gabrielitæ* & *Hutteriani*, Moravi a *Gabriele* quodam & *Huttero*. *Adamitæ*, a nuditate qua incedebant, *Adami* instar in statu innocentiæ constituti. *Servetiani* a *Michaele Serveto*, Hispano, qui præter communia cum Anabaptistis, execrandas in Sanctissimam Trinitatem & Filium Dei blasphemias effudit. Combustus Genevæ an. 1553. *Davidiani*, seu *Georgiani*, a *Davide Georgio* nato anno 1544. Kal. Aprilis, patre *Georgio* Amersfordiensi errone Histrionicam agente, matre vero Delphensi, qui vitriariam artem Gandavi exercens, mulierculas aliquot peccatis onustas ubi reperisset, sese tertiam esse *Davidem*, verumque Messiam super terram regnaturum illis persuasit; quæ se beatas existimabant, si relictis maritis, ex promisso ipsius (ut gloriabatur fœdissimus Impostor) semine conciperent. Cum Saducæis negabat veram corporum omnium Resurrectionem, Angelos, Dæmones, Extremum Judicium, vitam æternam. Mulierum communionem admittebat. Stultum esse ajebat, si quis peccatum esse putaret, abjurare Christum coram hominibus, & ideo stolidos vocabat Apostolos & Martyres, quod ob eam causam se occidi permisissent. Non animum, sed solam carnem peccatum contrahere asserebat: quodque Animæ eorum quos Infideles nuncupamus, æque salvabuntur atque Fidelium; & Apostolorum corpora æque damnabuntur, atque Infidelium. Omnem doctrinam hactenus a Deo per Moysen, Prophetas, Christum & Apostolos traditam, fuisse imperfectam, & ad salutem consequendam inutilem affirmabat: suam vero perfectam esse. Se enim esse dilectum Dei Filium, non ex carne, sed ex Spiritu natum, qui peccata vere condonet aut reservet; qui deinde judicaturus sit novissimo die. Obiit Basileæ 8. Kalendas Septembris anno 1556. spem fanaticis discipulis faciens resurrectionis suæ post triennium futuræ. Ejus cadaver Senatus Basilaensis Decreto post triennium effossum, & a carnifice in foro combustum est, cum Libris & Scriptis diligenter conquisitis, anno 1559. Hæc Pseudopropheta digna Anastasis. *Scuvenkfeldiani*, a *Gaspare Scuvenkfeldio*, cujus supra meminimus. *Denckiani* qui Dæmones negabant. *Ukowallistæ*, Groningani, qui impœnitentissimis etiam & desperatis, quin & Diabolo salutem tribuunt. *Francistæ* a *Sebastiano Frank*, quibus omnia in Scriptura Sacra dubia erant. Secundo a professione denominati sunt, *Apostolici*, quod Apostolos se ad amussim sequi gloriarentur. Scripturam juxta literam accipiebant; uxores, liberos, artificia sua deserebant, absque calceis, pera, pecunia, hinc inde divagabantur; pedes sibi mutuo lavabant (unde & *Podonipta* dicti) & omnia communia esse jubebant. *Separati*, quasi mundo mortui in vestitu, cibo, somno, incessu, risu, conviviis, Anachoretarum ritu vivebant. *Cathari*, id est, puri, spirituales, perfecti, qui non modo infantes a peccato immunes esse, sed etiam suæ Sectæ homines adultos tales esse posse & debere voluerunt. Unde petitionem quintam Orationis Dominicæ omisere. *Silentiarii*, qui sententiam rogati, silent & obmutescunt, quia non multiloquium tantum vitandum censuere, sed & privatas & publicas super Religione concertationes, eo quod mundum non esse dignum existiment, cui prædicetur Evangelium. *Euchitæ*, id est, orantes, Deo relicti, qui vim omnem mala avertendi, & bona in se derivandi precibus tribuebant, & illis dumtaxat vacan-

Davidiani Anabaptistæ.

dum

dum esse contandebant, nec media conquirenda ad vitam temporalem necessaria, sed a Deo omnia immediate capectanda. *Adiaphoristæ*, qui Prædobaptismum, Politicorum Munerum administrationem, externam verbi prædicationem, Sacramentorum dispensationem & usum, Fidei Confessionem, & alia id genus referebant inter adiaphora, docentes Spiritum Sanctum supplere defectum rerum externarum. *Enthusiastæ* seu *Extatici*, qui præ aliis inspirationes divinas, extases & secreta cum Deo colloquia jactant, prophetias suas pro verbo Dei obtrudunt, easque verbo Dei scripto anteponunt. *Libertini* seu *Liberi*, qui a divinis & politicis legibus, Decimis, tributis, &c. se per Christum immunes gloriari, & communionem uxorum cum impuris aliis hujusmodi dogmatibus promulgare, & opere confirmare non sunt veriti. *Fratres Charitatis* qui omnia vendebant, & si pretium non dabatur, gratis concedebant, cætera egentibus dividebant. *Ejulantes*, qui subinde lachrymas copiose fundunt. *Effrantes*, qui loco Baptismi sinciput sacrificabant & ungebant. *Abecedarii* damnabant eos, qui legere & scribere novesant. *Hamasarii* & *Borboritæ*, hodie præcipui in Belgio, scissione facta a Memnonitis veteribus, ob Anathematismorum severitatem, quosvis ab aliis Sectis excommunicatos in communionem suam recipiebant, dicentes; *Venite ad me omnes*, *&c.* A locis unde prodiere, vel ubi degunt, appellantur *Germani*, qui iterum sunt Suevi, Franci, Saxones, Monasterienses. *Helvetii*, *Moravi*, *Belgæ*, qui Frisii, Flandri, Batavi, VVaterlandi, interdum etiam ab urbibus denominati, ut Antuerpiani, Embdani, Frankenraoi, Leovardienses, Ziericzeenses, &c. Non Catholici tantum, sed aliarum Sectarum Hæretici, *Lutherus*, *Zuinglius*, *Melanchthon*, *Calvinus*, Anabaptistas velut Hæreticos impugnarunt seu Disputationibus, seu Libris editis. Pædobaptismum præsertim defendit *Zuinglius* Lib. De Baptismo Anabaptismo, & parvulorum Baptismo, & in Responsione ad *Balthasaris Huebmeri* Pacimontani Libellum de Baptismo. *Calvinus* Instructionem edidit adversus errores communis Sectæ Anabaptistarum & specialem Librum adversus Libertinos, quorum Sectam in Galliis *Quintinus* quidam & *Antonius Pocquius* suscitaverant. Docebant illi unicum tantum Spiritum immortalem esse, scilicet Spiritum Dei, qui sit ac vivat in omnibus creaturis. Angelos inspirationes esse essentia vacuas; Diabolum & peccatum imaginationes inanes & frivolas asserebant. Unicum Spiritum immortalem omnia efficere, adeo ut ipsa peccata Deo imputanda sint; nec ullius amplius rei conscientia moveri quisquam debeat, nec fas sit quidquam improbare, Christum ex Spiritu Dei & opinatione esse compositum. In eo positam redemptionem nostram, quod Christus solum velut typus fuit, in quo contemplemur ea quæ ad salutem nostram Scriptura requirit. Regenerationem esse restitutionem innocentiæ, in qua Adam, antequam peccasset, constitutus erat. Hanc autem innocentiæ statum sic accipiebant: Nihil discernere, quasi mali cognitione sublata; ac puerorum more naturalem sensum atque inclinationem sequi. Libertatem Christianam in eo positam, ut omnia homini sine exceptione licita sint. Propriam cujusque ad malum propensionem esse vocationem, in qua, secundum Apostoli mandatum, permanere debeat. Matrimonium, etiam solemni rita initum coram hominibus, carnale esse, nisi spiritus bene conveniat, adeoque Christianum hominem minime ad id adstrictum esse, sed id solum inter Christianos firmum esse debere, in quo utrique simul cum altero bene est. Communionem Sanctorum esse, si nemo quidquam possideat tamquam suum: sed unusquisque, undecumque nancisci potent, ad se rapiat. Resurrectionem jam esse factam, cum homo scit Animam suam spiritum immortalem esse perpetuo viventem in cœlis: ac Christum morte sua opinationem abolevisse, eaque ratione nobis restituisse vitam, quæ in eo est, ut nos minime mori cognoscamus. Fas esse dissimulare Religionem. Literæ Scripturæ Sacræ minime nos obnoxios esse, sed Spiritum qui vivificat, sequi oportere. Unde Scripturam in allegorias totam detorquebant. Hæc de Libertinorum Secta a *Quintino* quodam Belga in Galliam illata, & a *Pocquio* confirmata, refert *Calvinus*, ipsiusque *Pocquii* Librum expendit ac Censura sua configit. E Catholicis Doctoribus adversus Anabaptistas scripserunt *Joannes Ekius*, & alii.

Libertinorum Anabaptistarum errores.

ARTICULUS XII.

DE CALVINIANA HÆRESI.

§. I.

De Calvino, ejusque Actis & Scriptis.

I. JOannes *Calvinus* Sectæ Auctor, Novioduni Veromanduorum sexto Idus Julii, anno 1509. patre *Gerardo Chauvino* Procuratore, & Episcopi Actuario, mater *Joanna Franka*, parentibus Catholicis natus est. Lutetiam Studiorum causa missus, & *Ricardo* patruo fabro ferrario commendatus, præceptorem habuit in Gymnasio Marchiano *Maturinum Corderium* qui postea Sectam Calvinisticam professus, Genevæ mortuus est eo ipso anno quo *Calvinus*. In Gymnasium deinde Montis-Acuti translatus, in Philosophia Hispanum Professorem tunc celebrem audivit. Ipsi quasi Sacris destinato, pater ab Episcopo Noviodunensi duo Beneficia impetraverat, primam Capellam Beatæ Mariæ Virginis de Partu in Ecclesia Cathedrali, deinde Parochiæ Pontis Episcopalis prope Noviodunum Curationem. Sed patris mutatus animus, quod Jurisprudentiam certius iter esse ad opes & honores videret; ipsiusque *Calvini*, cui cognatus quidam suus *Petrus Robertus Olivetanus* novæ doctrinæ studium a *Lutheri* & *Zuinglii* Discipulis in Galliam illatæ afflaverat, Clericalis igitur vitæ professione relicta, Aureliæ sub *Petro Stella* insigni Jurisconsulto, ad Jurisprudentiæ studium animum applicuit. Inter hæc studia Psychopannychiam edidit, qua refellendum eorum errorem suscepit, qui Animas post hanc vitam usque ad ultimum Judicium dormire putarent (anno 1534.) Inde Avaricum Biturigum profectus, *Andream Alciatum* Jurisconsultum ætatis suæ facile Principem, ex Italia illuc evocatum audivit. Ibi amicitiam iniit cum *Melchiore VVolmar*, Germano, Rotavillensi. Græcarum Literarum publico Professore, cujus etiam auditor factus, & ad Theologiæ studium animatus, novæ hæreseos principia ab ipso didicit. Lutheranus enim erat *VVolmarus*, etsi Catholici speciem præ se ferret. Cum his studiis deditus, nonnullas etiam Conciones in agro Bituricensi, in pago quod *Linerias* vocant, præsente & probante loci Domino haberet, repentina mors patris nuntiata, ipsum in patriam revocavit, ubi duo illa Sacerdotia, quæ pater ipsi procuraverat, vendidit. Inde paulo post Lutetia transiens, Commentarium edidit in *Senecæ* librum *De Clementia*. Ibi cum Lutheranis & Zuinglianis clandestinos Conventus agentibus inita familiaritate, præsertim cum *Nicolao Copo*, Guilielmi Copi Basileensis Regii Medici filio, Parisiensis Academiæ Rectore, novæ doctrinæ principiis afflato, quæ in Oratione Academica in Festo omnium Sanctorum habita palam exponere ausus est; cum *Joannes Morinus* rerum capitalium Judex æquissimus & imprimis Catholicus severissimam Quæstionem in Novatores exerceret, ac tum in *Copum*, tam in *Calvinum* ipsum inquireret, Regno ille excedens Basileam se contulit. Hic vero, scilicet *Calvinus*, e Collegio *Forteti*, ubi degebat, pannorum lineorum ope per fenestram evadens, Engolismam secessit. Ibi triennium venditatione Linguæ Græcæ, cujus aliquam notitiam a *VVolmaro* habuerat, & sumptibus *Ludovici Tilii* Canonici Engolismansis, & Curionis Claiaensis commoratus, suos Institutionum Libros delineare cœpit, ex *Oecolampadio*, *Philippo Melanchthone*, aliisque Sectariis magna ex parte consarcinatos, sed nova methodo, & purioris Latinitatis elegantia nova adornatos. Cum autem sub Catholici nominis larva delitescens, indagandæ specie veritatis prava sua dogmata cum pluribus communicasset, animo cum Lutheranis Doctoribus conferendi Germaniam adiit cum *Tilio* amico suo; ubi cum *Erasmus* eum de quibusdam Religionis capitibus differentem audivisset, *Bucero* dixisse fertur: Video hoc in Juvene, magnam pestem oriri, olim Ecclesiæ plurimum nociturum. Verum cum *Joannes Tilius* Senatus Parisiensis Actuarius clarissimus *Ludovicum* fratrem a perniciosa societate revocasset, *Calvinus* in Galliam reversus, Pictavium petiit, ibique cum nonnullis Literatis in horto congressus, ac de Religionis Dogmatibus, præcipue vero de Eucharistia collocutus, semina hæreseos in animis Auditorum sparsit; qui in locis secretis per pagos & villas frequenter convenientes, Cœnam Calvinianam celebrabant. Tres a *Calvino* selecti quasi novæ Sectæ Apostoli, pravam doctrinam s

disse-

disseminarunt. *Vernonius* Pictavii & in vicino agro; *Ramasserus* apud Santones & Engolismenses; *Bonus homo* Burdegalæ, ac per reliquam Aquitaniam, nec non Tolosæ. Is vero quem postremo nominavi, quia prius in Pictaviensi Academia Institutiones Juris in *Ministraria* (sic vocabatur publicum istud Juris Auditorium) prælegerat, indeque a *Calvino* & aliis non alio quam *Ministri* nomine appellaretur, ex eo factum nonnulli existimarunt, ut Calviniani Prædicantes *Ministri* dici cœperint, & etiamnum dicantur. *Calvinus* vero veritus ne deprehenderetur, jam erumpente Sectæ nascentis fama, Neracum urbem Aquitanniæ secessit ad *Jacobum Fabram Stapalensem* & *Gererdum Ruffum*, ut una cum eis sub *Margaritæ* Navarræ Reginæ præsidio tutus esset. Ex Doctorum Sacræ Facultatis Parisiensis Ordine ob nova Dogmata rejectus uterque fuerat, Meldensem Diœcesim uterque infecerat, cum *Guillelmo Farello*, & *Arnoldo Ruffo* a *Guillelmo Brisoaneto* Meldensi Episcopo imprudenter evocatus literarum amore, & linguarum restaurandarum studio: uterque demum *Margaritæ Francisci* Regis Christianissimi sororis, quæ novæ doctrinæ patrocinabatur, favore honestatus, Neracum se receperat. Catholicam Religionem exterius profitebantur *Faber* & *Ruffus* seu *Roasfellus*, at falsam novamque doctrinam animo imbiberant. *Faber* Neraci obiit anno 1537. *Ruffus*, Abbas Cleriacensis & Episcopus Oloronensis Navarræ Reginæ favore factus, lupus in ovili Domini, non modo sub ovis, sed sub Pastoris vestimento latens, plurimis ruinæ auctor fuit. Obiit anno 1549.

II. Cum *Franciscus* I. Res Christianissimus Sacramentarios Hæreticos igne exterminaret, *Calvinus* supplicii metu Basileam fugit. Ibi præcipuos habuit amicos *Simonem Grynæam*, & *VVolfangum Capitonem*, seseque Hebraicis Literis dedit. Ibi quatuor Libros *Institutionum Christianæ Religionis* (ut vocat) edidit, anno 1535. ætatis 26. eleganti Præfatione ad Regem Christianissimum addita. Quale autem futurum esset illud Opus, emblemate in fronte Libri apposito significavit, gladio scilicet flammeo cum hoc symbolo: *Non veni pacem mittere, sed gladium*: Quod plane affatim impletum est contrario verbis Christi sensu, & horrenda totius Galliæ, aliarumque regionum, ubi pestilens ejus doctrina grassata est, calamitate. Mox in Italiam profectus ad *Renatam* Ludovici XII. Francorum Regis filiam, *Herculis* Ducis Ferrariensis uxorem, ipsam Novatoribus jam impense faventem Sectæ suæ penitus addidit. Ex Italia metu Inquisitionis in Galliam regressus, rebus suis omnibus compositis, cum *Antonio Calvino* fratre Genevam pervenit: quæ Civitas & a Sabaudiæ Ducis obedientia, & e Religione Catholica nuper ad Sacramentariorum Hæresim defecerat, *Guillelmi Farelli* Delphinatis, Vapincensis, & *Petri Vireti* Orbensis ex agro Bernensis ac Friburgensis ditionis, opere. Hic eum *Farellus* retinuit, curavitque ut non Concionator tantum, sed Theologiæ Professor a Magistratu eligeretur, anno 1536. Tunc quamdam doctrinæ formulam Genevensium ingenio accommodatam edidit, necnon Catechismum, non illum in quæstiones & responsiones distributum, qui inter ejus Opera legitur, sed alium breviorem. Aggressus deinde cum *Farello* & *Coraldo* novam componere Synagogam, obtinuit ut palam præeunte publico Scriba, a Senatu populoque Genevensi in Capita Novæ Religionis ac Disciplinæ a se præscripta juraretur 20. Julii anno 1537. Mox ortum inter Satanæ Ministros dissidium, *Farellus*, *Calvinus*, *Viretus* a *Petro Caroli* accusati, quod de Sanctissima Trinitate male sentirent. Habita est ea de re Synodus Bernæ valde frequens, in qua *Petrum Caroli* calumniæ damnatum *Beza* scribit, *Calvini* scilicet factione, non veritate & justitia prævalente. Cæterum *Petrus Caroli* agnita novarum opinionum falsitate, ad Ecclesiam Catholicam rediit, quam deseruerat, ex Doctore Sorbonico factus Minister Genevensis; Romamque profectus ut Apostasiæ veniam impetraret, illic apud *Robertum* Cardinalem *Lenoncurium* pie & laudate obiit, ut ex testimonio *Philippi Lenoncurii* ejusdem Cardinalis Nepotis, postea etiam inter Purpuratos adscripti, probat *Genebrardus* in Chronico lib. 4. quo *Bezæ* mendacium refellitur, scribentis, illum Romæ cum ludibrio exceptum, premente inopia & Gallica scabie, vix in Xenodochium receptum, stipendium tandem peccati, mortem videlicet a filio peccati retulisse.

Calvini Institutiones.

III. Aliud emersit eadem tempestate inter Bernenses & Genevenses dissidium ex Rituum ab illis usurpatorum discrepantia; Utebantur enim Genevenses pane communi in Cœna sua, & Baptisteria, ac dies festos, excepto die Dominico sustulerant: quibus de rebus cum Synodus Lausannæ e Bernensibus congregata, Azymum panem, illaque Genevæ restitui postularet, Genevenses autem Ministri se prius audiendos contenderent, eamque ob causam altera Tiguri Synodus esset indicta; *Farellus*, *Calvinus* & *Viretus* qui Cœnam aliter quam in fermentato celebrare vel ipsa Paschatis die recusaverant, Syndicorum Genevensium Edicto urbe pulsi sunt. *Calvinus* Basileam inde sese ac mox Argentinam contulit. Illic *Buceri* & *Capitonis* favore Theologiæ Professor, constituto stipendio, designatus est: quin etiam ex Senatus consensu Templum profugis ex Gallia & Belgio Hæreticis erexit, novæque Synagogæ curam suscepit.

IV. Anno 1539. *Jacobus* Cardinalis *Sadoletus*, Carpentoratensis Episcopus, magna vir eloquentia, doctrina, pietate, literas luculentissimas ad Senatum, Consilium, Populumque Genevatium dedit, in quibus nihil eorum prætermisit, quæ ad eos in Romanæ Ecclesiæ gremium revocandos pertinent. Ad illas *Calvinus* Argentorati respondit Calendis Septembris. Eodem anno Libros Institutionum multo auctiores, Commentarios in Epistolam ad Romanos *Simoni Grinæo* dicatos; Anno sequenti Libellum *De Cœna Domini* Gallice edidit, quem deinde Latinum fecit *Galasius*. Atque inter hæc studia, *Buceri* consilio, *Joannis Stoder* Leodiensis, Anabaptistæ viduam *Idelletam* nomine, ad Sectam suam traductam, uxorem duxit, ex qua nullos suscepit liberos. Anno 1541. postquam Ratisponensi Colloquio interfuit, Genevam reversus, omnem Sectæ suæ disciplinam constituit probante Senatu, Legesque præscripsit a quibus postea discedere nec ipsis Ministris, nec civibus liceret. Eodem anno scripsit Catechismum Gallice & Latine ab illo priori minime discrepantem, & in quæstiones & responsiones distributum, quem tanti fecerunt Calvinistæ, ut non modo vernaculis plurimis linguis, utpote Germanica, Anglica, Scotica, Belgica, Hispanica, sed etiam Hæbraica donatus sit ab *Emanuele Træmelio*, & Græca ab *Henrico Stephano*. Huic addidit Precum Ecclesiasticarum, & administrandorum Sacramentorum Formulam.

Tom. 8. Oper. Calvini Edit. Amstelodami.

Calvinus Senatum Populumque Genevensem Sectæ suæ penitus addicit.

Calvini Catechismus.

Tom. 8. Oper. Calvini.

V. Cum Theologica Facultas Parisiensis, die 10. Martii, anno 1552. Articulos 25. super Capitibus Fidei nostræ tunc controversis edidisset, quo innotesceret omnibus quidnam circa illa & Christianis Doctoribus & Concionatoribus prædicandum, & cæteris Christi fidelibus cum universa Ecclesia credendum esset; *Calvinus* contra illa *Antidotum* scripsit petulantissimum, scurrilibusque locis ac injuriis scatens, in quo Parisienses Theologos acerrimos illos ac fortissimos Catholicæ Fidei defensores, *Gregem porcorum* appellat. Anno 1543. sex Libros *Alberti Pighii* Campensis pro liberi Arbitrii defensione scriptos confutare eggressus est, libro cui titulus est: *Defensio sanæ & orthodoxæ doctrinæ, de Servitute & Liberatione humani arbitrii*, quem librum *Philippo Melanchthoni* dicavit. Anno 1544. Neocomensibus scripsit, De modo exercendæ Disciplinæ in fratres. Eodem anno cum *Sebastianus Castellio* indignatus quod Gallicam ejus Novi Testamenti Versionem *Calviaas* non probasset, exotica quædam doceret, *Cantica* etiam *Salomonis* tamquam impuram & obscœnam cantionem ex Canone expungi juberet, ac repugnantes Ministros atrocissimis convitiis proscinderet, illum Senatusconsulto calumniæ damnari, & urbe expelli *Calvinus* curavit. Cum vero *Paulus* III. Pontifex Maximus gravissimis literis *Carolum V.* Imperatorem increpuisset, quod anno superiore, parata jam in Galliam expeditione, æqualem Lutheranorum & Catholicorum conditionem fecisset, donec Universale vel saltem Nationale Concilium cogeretur, aut saltem Imperialis Conventus, in quo de Religione tractaretur: *Calvinus* maledicentissima Scholia in literas Pontificis edidit, quem per contumeliam non *Farnesium*, sed *Frenesium* appellat. Eodem anno *De necessitate reformandæ Ecclesiæ* Libellum adhortatorium scripsit ad *Carolum V.* & Principes, aliosque Ordines in Spirensibus Comitiis congregatos, quo justis & necessariis de causis se suosque Symmistas ad mutationem Religionis, quam perperam *emendationem* vocat, fuisse compulsus, probandum suscipit. Eodem anno *Instructionem* edidit *adversus errores communis Sectæ Anabaptistarum*; Ministris Comitatus Neocomensis dicatam. Item, *Instructionem* alteram *adversus fanaticam & furiosam Sectam Libertinorum, qui se Spirituales vocant*. Hanc Reginæ Navarræ displicuisse *Beza* commemorat, quod ab illius Sectæ Antesignanis duobus, *Quintino* & *Poquetto*, quos nominatim *Cal-*

Varia Calvini scripta.

Tom. 9. p. 23. inter Epistolas.

Tom. 8. p. 182.

Tom. 8. Pag. 37.

Pag. 355. & 374. ejusdem Tomi.

vinus arguerat, eo usque fuisset fascinata, cum alioqui illorum Mysterium non teneret, pro bonis viris illos haberet, ac proinde sese quodammodo per eorum latus confossam arbitraretur.

VI. Anno 1545. confirmato per Regem Christianissimum *Franciscum* I. Senatusconsulto, quod olim auctore *Bartholomæo Chassanæo* Parlamenti Aquensis Principe latum fuerat adversus Merindolanos & Cabrienses, ac finitimos quorumdam Paganorum ad Druentiam flumen in Provincia accolas, infelices reliquias veterum VValdensium, Zuinglianis & Calvinistis fraternitate junctos, ut pagi solo æquarentur, incolæ omnes promiscue trucidarentur ob eorum in hæresi armis etiam propugnanda pervicaciam, *Joannes Minerius Oppeda* ejusdem Senatus Princeps armata manu acerrime illud executus est, incensis oppidis, cæsis obviis quibusque omnis ætatis & sexus incolis, opem ferente Episcopo Cavallicensi, Pontificii Legati Avenionensis Vicario, cum essent ex iis Oppidis nonnulla ditionis Pontificiæ Comitatus Venaissini. Plurimi ex miseris illis Genevam profugerunt, quos *Calvinus* amantissime suscepit ac fovit. Cum autem plerique in Galliis novæ Religionis Sectatores pœnarum metu Religionem simularent, & fas esse contenderent Ecclesiæ Catholicæ Romanæ Sacris corpore interesse, animo aliam Fidem tenere, contra illos edidit Librum, *De vitandis superstitionibus, quæ cum sincera Fidei Confessione pugnant*. Item, *Excusationem ad Nicodemitas*; cui subjunxit *Melanchthonis*, *Buceri*, *Petri Martyris*, & Ministrorum Tigurinorum de eadem Responsa.

Tom. 8. p. 334. & sequentibus.

VII. Annis 1566. & 1567. *Calvinum*, qui solus regere Senatorum civiumque Genevensium animos ambiebat, *Perrini* Generalis Capitanei, quem Comici Cæsaris nomine suis in Epistolis designat, aliorumque conjuratorum factio exercuit. Eodem anno 1547. impium *Antidotum* scripsit adversus Concilii Tridentini Sessiones septem. Item Epistolam ad Rothomagenses Calvinistas adversus Franciscum quemdam in Libertinorum Sectam (ut ait) prolapsum. Anno 1548. inter novos *Perrini* & Conjuratorum tumultus, Commentarios scripsit in sex Epistolas *S. Pauli*, & Librum adversus *Interim*, quem inscripsit, *Veram Christianæ Pacificationis & Ecclesiæ Reformandæ rationem*. Librum denique *Adversus Astrologiam Judiciariam*. Anno 1549. *Calvinus* cum *Farello* Tigurum profectus cum Zuinglianis convenit circa Cœnam Domini, scriptaque est omnium Helvetiorum & Rhetiorum Ministrorum approbatione Consensio, quæ præsertim *Bulingerum* cum *Calvino*, Tigurinosque cum Genevensibus arctissimo vinculo colligavit, cujus Consensionis capita legere est apud *Calvinum* Tom. 8. p. 648. & apud *Hospinianum* Parte altera Historiæ Sacramentariæ, p. 368.

Confessio Zuinglianorum Tigurinorum cum Genevensibus Calvinianis.

VIII. Anno 1550. Genevæ decretum est, ut Ministri non tantum in Concionibus, sed etiam sigillatim per domos & familias certo anni tempore, adhibito cujusque regionis urbis Decurione, itemque Seniore, plebem instituerent, & ab unoquoque Fidei rationem summatim exposcerent. Deinde ut in proximum diem referretur Natalis Domini celebratio, nec ulli alii festi dies essent præter Dominicum. Id factum plurimos offendit, *Calvinum* in magnam invidiam vocavit, illique præbuit Libelli *De Scandalis* scribendi occasionem, *Laurentio Normandio* nuncupati. Annis 1551. & 1552. Genevæ inter *Hieronymum Bolsecum* Ordinis Carmelitarum Apostatam, tunc Medicum agentem, (qui tamen favente Deo tandem ad Ecclesiam rediit, & vitam *Calvini* aliaque contra Calvinianam Sectam utilia scripsit) & *Calvinum* cæterosque Ministros Genevenses gravissima exarsit contentio de Prædestinatione. Isti ineluctabile Decretum & quod absolutam necessitatem inferret, prædicabant: *Bolsecus* liberum arbitrium, & operum prævisionem propugnabat. Hic tamquam seditiosus a Magistratu in custodiam traditus. Causa multis Disputationibus agitata. Senatus Helvetiorum etiam Ministrorum rogata sententia, *Bolsecum* ut seditiosum, & Pelagianum, instigante *Calvino* publice damnatum, urbe expulit, fustuariam pœnam minatus, si vel in urbe, vel in urbis territorio deprehensus esset. Ea occasione *Calvinus* librum scripsit *De Æterna Dei Prædestinatione*.

Tom. 8. p. 64.

Controversia de Prædestinatione Calvinum inter & Bolsecum.

Tom. 8. p. 94.

IX. Anno 1552. *Michaelem Servetum*, ob hæresim in Sanctissimam Trinitatem edito libro assertam, *Calvinus* ad Magistratum detulit, ac vivum cremari procuravit. Eodem anno *Bertelerius* quidam, cui Genevense Consistorium Cœna Domini interdixerat, in Senatum venit, postulavitque ex auctoritate Senatus absolvi. Obstitit *Calvinus*: vicit nihilominus multitudo, adeo ut in Diacosiorum Consilio statueretur, ultimum Excommunicationis Judicium ad Senatus cognitionem pertinere, ut quos vellet, absolveret. In quam sententiam a Senatu absolutorias Literas sigillo Reipublicæ communitas, *Bertelerius* obtinuit. At *Calvinus* vehementissimis Concionibus habitis cum Collegis & Senioribus, a Senatu, tum etiam a Diacosiis postulavit, ut apud Populum ipsum audirentur, cum de Lege a Populo lata, abroganda ageretur. Quamobrem in eam sententiam itum est, ut suspenso interim illo Diacosiorum Decreto, statueretur, petendum esse a quatuor Civitatibus Helveticis Judicium, nec interea præjudicium ullum fieri receptis Legibus oportere. *Helvetii* Calvinianam Disciplinam comprobarunt. Vix calere desierant *Serveti* cineres, cum de pœnis Hæreticorum quæri cœpit; quibusdam coercendos quidem, sed ultimo supplicio non afficiendos asserentibus; aliis contendentibus, unius Dei esse judicio relinquendos. Istius auctores sententiæ erant *Sebastianus Castellio & Lælius Socinus*, suam ipsorum causam agentes (inquit *Beza*.) Quamobrem *Calvinus* anno 1554. ineunte, Comministris omnibus subscribentibus, Refutationem Errorum *Michaelis Serveti* edidit; atque Hæreticos a Magistratu, legitima cognitione præeunte, jure gladii coercendos esse demonstravit. Opposuit *Castellio* sub *Martini Bellii* nomine latens, farraginem quamdam seu Libellum, quo Hæreticorum causam egit. Huic Libello respondit *Theodorus Beza*, ut *Calvinum* scribendis in Genesim Commentariis intentum ea cura liberaret. In Libello illo suo de Hæreticis a Magistratu puniendis, non solum Scripturæ Sacræ & veteris Ecclesiæ auctoritate, sed etiam *Lutheri*, *Melanchthonis*, *Urbani Regii*; Lutheranorum Saxonum in Confessione quam Tridentino Concilio obtulerunt, *Brentii*, *Buceri*, *Capitonis*, *Bullingeri*, *Musculi*, & Genevensis (ut vocat) Ecclesiæ, id est, Calvinianæ Synagogæ testimoniis Adversarios opprimit. *Lutheri* verba in Postillis Minoribus, Dominica ab Epiphania quinta, Zizaniorum parabolam explicantis, expressa sunt. *Custodit* (inquit) *Magistratus non solum secundam, verum etiam maxime primam Tabulam, Idololatrias, blasphemias, execrationes, perjuria ulciscitur. Obliquos Hæreticos, ut in verum Numen contumeliosos, atque alios eas blasphemias docentes coercet, Præfractiores atque in errore pertinendo contumaciores, ut cum certissime plurium exitio, pro maleficis puniendos suscipit*. Qua in re sibi contrarius est *Lutherus*, cum unus ex damnatis ipsius articulis sit: *Occidere Hæreticos est contra voluntatem Spiritus*. Atque ut *Castellionem* & *Lelium Socinum* propriam causam egisse *Beza* observat; cum puniendos a Magistratu non esse Hæreticos asseruerunt; ita *Lutherus*, *Calvinus*, *Melanchthon*, *Beza*, *Urbanus Regius*, Saxonici Ministri, *Brentius*, *Bucerus*, *Bullingerus*, *Capito*, *Musculus*, causam prodidere suam, & quos consecrarunt Sectæ suæ Martyres, ob Hæresim Edictis Principum & Catholicorum Magistratuum extremo supplicio juste punitos, laudatis ab ipso *Beza* Operibus exauctorarunt, & in maleficorum ordinem coegerunt. Neque enim ipsos juvat, quod Lutheranos & Calvinistas Hæreticos esse negent, cum etiam *Servetus*, *Valentinus Gentilis*, *Blandrata*, *Socinus*, eorumque Discipuli, se Hæreticos esse inficiati sint, vel inficientur; & Scripturam a se stare conclamarent, vel conclament, adeoque judicio standum sit Ecclesiæ, cujus Fidem impugnant Hæretici, & quam nefario Schismate discindunt. Verum his per occasionem observatis, ad *Calvini* Historiam redeamus.

Michaelem Servetum ad Magistratum defert Calvinus.

Contentio de pœnis Hæreticorum inter Calvini gregales orta.

Eodem anno 1554. controversia de Prædestinatione inter *Castellionem* & *Calvinum* recrudiut. *Castellio* & alii Libros contra *Calvinum* eo de argumento edidere, quibus tum *Calvinus*, tum *Beza* responderunt. Eadem tempestate *Joachimus VVestphalus* Lutheranus Helvetiorum & Gallorum Sacramentariorum Consensum Scriptis vellicavit; quem confutavit *Calvinus* edito Libro, quo singula illius Consensionis capita exposuit. Extat Tom. 8. Operum illius, pag. 655.

Calvinus tom. 8. p. 629.

Beza tom. 1. p. 337.

X. Anno 1555. ad Poloniæ Regem, & ad Principes Viros, Aulæque Regiæ Proceres hæresi sua imbutos *Calvinus* literas edidit. Molestissime tulit Anglicanos Episcopos *Thomam Cranmerum* Cantuariensem, *Joannem Hopperum*, Glocestrensem, *Robertum Ferrarum* S. Davidis in VVallia; *Nicolaum Ridlæum* Londinensem, & *Hugonem Latimerum* VVigorniensem, ob hæresim fuisse crematos: item quinque Sectæ suæ homines Cameraci pari supplicio damnatos. *Nicolaus Durandus* cognomento *VVillegagno*, Gallus ex Pruvino Briæ oppido, Miles Hospitalarius, re cum *Gaspare Coligni* *Castellonio*, Supremo in

Calviniana Secta in America propaganda consilium dissipatum.

Gallia

Gallia Maris Præfecto communicata, navigationem in Americam suscepit imperata u Rege Christianissimo facultate classem instruendi specin quidem propagandi Gallici nominis, & commercium promovendi, revera autam ut Calvmianam Sectam, cui & Ipse & *Coligaius* addicti erant, iia in locis constitueret. Eo misit *Calvinus* Ministros duos, *Petrum Richerium* Ordinis Carmelitarum Apostatam, & *Guillelmum Cartorium*, quibus sese comites adjunxere complures viri fœminæque. Cum io eam regionem appnlissent, & formam Genevensis Raligionis constituissent, orta est inter Ministros dissensio tum circa Cœnæ materiam, quibusdam in azymo, aliis in fermentato celebrandam esse contendentibus, tum circa istorum Christi verborum intelligentiam: *Spiritas est qui vivificat, cara noa prodest quidqaam*: asserente *Richerio*, Verbum carnem factum nec adoran, nec invocari dabere: nec Eucharistiam utilitatem ullam communicantibus afferre, quocumque tandem modo recipiatur in ea Christi Corpos. Quas blasphemias audiens *VVillagagao*, Calvinianam superstitionem palam ejuravit, & Catholicam Fidem eum suis professus est anno 1558. quam postea egregiis Scriptis etiam defendit. Reversis porro in Gallias Ministris nullo alio operæ preio, ingens illud expeditionis Americanæ ad Calvinianam Sectam propagandam consilium penitus dissipatum est.

Tom. 8. p. 659. & 683.

Tom. 8. p. 631.

XI. Anno 1556. *Calvinus* secundam *Dafensionem* de re Sacramentaria contra *VVastphalum*, anno sequente ultimam *Admonitionem* ad eumdem edidit, nec non *commentarios in omnes Psalmos*. Eodem anno Calviniani Parisiis merito plexi sunt intarcepto illorum Cœtu in Vico Sanjacobæo, in Bertomeensibus Ædibus, e regione Collegii Plessæi, quo ad Cœnam suam noctu celebrandam convenerant. Centum circiter & viginti capti. *Martinio* rerum Capitalium Quæsitori traditi fuere, in quibus aliquot primariæ Nobilitatis mulieres, etiam e Reginæ Comitatu cernebantur. Eos *Martiaius* vix a plebis impetu salvos prima luce in carcerem duxit. Multorum criminum infamiam, occasione cœtuum bujusmodi nocturnorum io novæ doctrinæ Sectatores rumor publicus derivavit. Libellum Apologeticum obtulere, quo tam horrenda flagitia sibi per calomniam affingi querebantur: quam deinde Apologiam *Antonius Demochares* Theologua Parisiensia, & Fidei Inquisitor, & *Robertus Conalis* Abrincensis Episcopos confutarunt. Habita vero interim de vinctia quæstione, reque ad Senatum relata, nonnulli ad flammas producti sunt. Dumque alii recusarent Judices, & de causis recusationis ageretur, Germanorum Principum, & Helvetiorum intervenientium literis Rex Christianissimus ad mitiorem cum iis agendi rationem inflexua est. Porro primus Calvinianæ Sectæ Parisiis Minister fuit *Joannes Masso* Andegavensis, quem *Boza* in Iconibus anno Christi 1555. institutum refert, cum annum ætatis trigesimum secundum dumtaxat attigisset.

Quæstio in Calvinianos Parisiis habita.

XII. Anno 1558. perpetua ioter Bernenses & Genevenses sancita confœderatio. *Calvinus* contra *Valentinum Gentilem*, *Paulum Alciaium*, & *Georgiam Blandratum* Tritbeitas egit. Cœtu ea de re extra ordinem coacto, ita res est composita, ut Formulæ Fidei a *Calvino* & Symmistis editæ omnes Itali statim subscriberent, sex domtaxat exceptis: qui tamen & ipsi postea seorsim vocati mano quidem, at corde non item, ut comprobavit eventus, subscripserunt. Rediens ad ingenium *Gentilis*, eamdemque blasphemiam spargens eapitur; captus auditur; tandem veluti victin resipiscentiam simulat, palinodiam canit. Eodem anno Commentarius in Isalam *Calvinus* in lucem emisit. Eodem anno Psalmi a *Clemente Maroto* Cadurcensi, impuro nebulone, vernaculis Rhithmis ioterpolati magis quam expressi, publice in loco publico, quem *Pratum Clericorum* vocamos, non absque tumultu cantari cœpti. Rex ejusmodi cantns Edicto prohibuit, Parisiensibus Theologis Auctoribus XXX. priorum Psalmorum versionem Parisiis, viginti aliorum Genevæ perfecit, *Beza* cæteros eodem stylo addidit. Eodem anno scripsit *Calvinus* Apologiam doctrinæ suæ de occulta Dei Providentia adversua Anonymi cujusdam calomnias.

Calvinus contra Tritheitas egit.

Psalmi a Maroti Rhithmis vernaculis interpolati.

Tom. 8. p. 631.

XIII. Anno 1559. Quæstio de Hæreticis in Senatu Parisiensi habita. *Ægidio Bordino* Regio Cognitore pustulante ut ex Regio Castribriantii Edicto Judicia in Hæreticos exercerentur, aliquot Senatores se Calvinianæ Factioni addictos prodiderunt, censentes supplicia in novarum opinionum Sectatores esse remittenua, donec Universale Concilium cogeretor, in quo de cunctis Religionis Christianæ controversiis ferretur seotentia. Quamobrem jubente Rege capti, & in custodiam traditi sunt. Causæ ipsorum cognitio selectis a Rege Judicibos commissa, quos inter *Eustachius Bellaius* Parisiensis Episcopus, & *Antoaius Democharos* Fidei Quæsitor. *Aunas Bargias* in Hæresi pertinax capitali sopplicio damnatus, cum ab Antistite sacris Ordinibus Subdiaconatus & Diaconatus, quibus initiatus erar, abdicatus esset: quem inter Sectæ Martyres *Beza* prædicat.

Quæstio de Hæreticis habita in Senatu Parisiensi.

XIV. Anno 1560. Ambrosiana Conjuratio adversus Guisios Principes, & *Franciscum II.* Regem Christianissimum a Calvinistis instructa, duce *Ludovico* Principe Cundæo, *Antonii* Regis Navarræ fratre; cujus conjurationis conscium *Calvinum* suisse multis persuasum fuit; nec immerito, quamvis *Beza* certo se scire scribat quidquid boc suit numquam illum intellexisse, adeoque palam ore, & scriptis ad amicos literis improbasse. Perspectam tamen *Calvino* suisse Conjurationem antequam erumperet, nec de ipsa Regem monuisse (quod læsæ Majastatis crimen est) constat ex illius ad *Bullingerum* literis. „Quod (*inquit*) Gallici tumultus invidiam a nobis depellere non dubitasti, tuto id poteras. Cum ante octo menses agitari consilia hæc inciperent, meam auctoritatem interposui, ne longius progredi tentarent. Occulte id quidem & placide, quia verebar na si rei fama ad hostes manaret, ad carnificinam pios omnes traherem. Putabam tamen mea opera repressos atque sedatos impetus, dum ex Gallia venit quidam oullius apud me pretii, qui se ereatum esse Ducem apud me gloriatus est. Compescui statim ejus jactantiam, neque ab hac conspiratione longe abhorrare professus sum. Postridie homo famelicus, qui prædam undique aueupabatur, ut amicum divitem illaquearet, ac sub collationis prætextu emungerer bonam pecuniæ summam, imprudenter mentitus est mihi non probari conspirationem, sed me invidiæ declinandæ eausa nolle palam fieri. Ro audita subito commotus, adhibitis Collegis vanitatem ejus acriter refutavi. Immo testatus est se jam Lutetiæ certo comperisse ab eo consilio me remotissimum. Cæterum quamvis passim sciretur mihi esse suspectum; quia tamen Lausannæ babitabat, propter viciniam, ut erat blandus & illecebris plenua conciliaverat sibi apud nos multorum amicitiam: Unde factom est ut triduo banc orbem mira contagione infecerit. Multi tam Nobiles quam gregarii & opifices clanculum consultare: sic tamen ut strepitus a me exaudiretur. Quantopere mibi displiceret conspiratio hæc, tum publice tum privatim ostendi absque dissimulatione. Cum nihil proficerem, conquestus sum in nobis tam parum asse auctoritatis, ut in re maxime seria consilium nostrom sperneretur. Centies dixi, novum esse fascini genus. De tristi eventu ita sum vaticinatus, ut sero multos pœnituerit suæ amentiæ." Ea tempestate Calviniaoi in Galliis *Hugonoti* appellari cœpti, a voce Fœderis Helvetici, qua se invicem *Eydgenossom*, id ast, *Fœderatos* nuncupant, male u Gallis pronontiata. Hinc enim formata est vox Gallica *Huguenots*, quasi *Eignots*, & Calvinianis attributa, quod ad novam Religionem stabiliendam essent confœderati. Quamquam de ipsius vocis origine alii alia proferant, fabulia, ut videtur, quam Historiæ propiora. Eodem anno *Calvinus* scripsit ad Polonos contra Stancarum, *Quomodo Mediator sit Christus*. Scripsit etiam Epistolam ad VValdenses Bohemos, qui duos e suis ad eum miserant, eosque cohortatus est ad fovendam cum Sectæ suæ hominibus unitatem; quod facile fieri posse suasit, si Confessionis suæ verba circa Eucharistiam explicarent & emollirent, id est Calvinianæ doctrinæ prorsus accommodarent. „Quominus (*inquit*) alii ad alios accedant impedit controversia de communicatione Carnis & Sanguinis Christi: cujus obstaculi tollendi eausa, censuimus quærendam esso hinc inda commodam & dilucidam explicationem. Si consilium hoc vobis displicet, experientia tandem docebit rectum & salubre fuisso: quamquam non putamua vos adeo morosos esse, ut illud repudietis. Duo forte vos popugerunt: quod scripsimus in vestra Confessione brevitatem esse obscuram & ambiguam, quæ certiore docendi forma indigeat: deinde in Apologia nimium esse vehementiæ & fervoris contra eos omnea, qui præciso loquendi genere non contenti, Lucem sanæ explicationis desiderant in his verbis, ubi asseritis, Panem esse Christi Corpus." Eodem

Calvinus Ambrosianæ Conjurationis conscius.

Hugonotorum nomen.

VValdenses ad se trahere nititur Calvinus.

anno Geneva, Londinum *a Calvino* missus est *Galasius*, qui Gallis Calvinistis illuc profugis, *Elisabetha* Regina favente, Templum erigeret, eorumque Sacris secundum formam Genevensem præesset.

Tom. 8. pag. 726.

XV. Anno 1561. Librum scripsit Calvinus *De vera participatione Carnis & Sanguinis Christi in Sacra Cœna*, contra *Tilemannum Heshusium* Lutheranum. Præterea *Valentini Gentilis* blasphemias Lugduni sum adversus *Atanasii* Symbolum excusas refutavit. Suas quoque in *Danielem* Prælectiones edidit. Scripsit etiam adversus *Franciscum Balduinum* Jurisconsultum clarissimum, suum olim discipulum, nunc Hæreseos infectatorem acerrimum. Eodem anno Poissiacense Colloquium habitum est cui *Calvinus* ob continuos pene gravesque morbos interesse non potuit, sed eo misit *Theodorum Bezam*, Successorem suum in Caliphatu Genevensi designatum: de quo quidem Colloquio inferius agemus. Post hæc Hæreticis copia facta est Parisiis publice diebus festis concionandi. *Beza* & *Malotius* in Antoniano, & Sammarcelliano Suburbiis Conciones habuerunt, comitante eu Reginæ mandato Excubitorum Præfecto, cum suis Apparitoribus. Concionante *Malorio* juxta Ecclesiam *S. Medardi* eo tempore quo campanæ ad Vesperas pro more pulsarentur; missi sunt ex Hæreticorum Cœtu qui sonitum prohiberent, hique cum ludibrio remissi. Dimissa Concione, Calviniani in Sacram Ædem seditione facta furentes irruerunt, Sacratissimam Eucharistiam conculcarunt, Altaria everterunt. Imagines Sanctorum disjecerunt, Presbyteros sancios & cruentatos, tamquam seditiunis auctores per mediam urbem in publicum carcerem traxerunt. Qua de re *Beza* ad *Calvinum* triumphalem Epistolam dedit. *Plus* (inquit) *valuit in mediis etiam armis Regis Præfecti auctoritas quam ira. Sed qui hostibus armatis pepercerant, Idolis & Panatos illi Deo parcere non potuerunt; frustra reclamantibus, quibus ista non placebant ... Captivi hostes triginta seu, ita ut erant fere omnes vulnerati, & in iis decem ad minimum Sacrifici funibus vincti, spectantibus & ne mutientibus quidem adversariis, non aliter transvecti sunt, & Minoris Castelli carceribus traditi, quum olim nostri illi fratres, in D. Jacobi Vico deprehensi.*

Calvinistarum seditio, sacrilegia, crudelitas.

Tom. 8. pag. 92.

XVI. Anno 1562. *Confessionem Fidei* suæ Calvinus edidit totias Sectæ nomine, Cæsari & Principibus Germaniæ, atqua Ordinibus in Comitiis Francofurtensibus offerendam, si per itinerum difficultates ex Gallia tum perveniri eo potuisset. Anno 1536. Admonitionem scripsit ad Polonos, ne triplicem in Deo essentiam pro tribus Personis imaginando, tres sibi Deos fabricarent. Commentarios etiam edidit in quatuor reliquos *Mosis* Libros, nec-non in Librum *Josue*. Anno 1564. variis gravissimisque morbis oppressus est die 26. Maii. Vixit annos quinquaginta-quatuor, menses decem, dies septemdecim. Ipsum placidissime obiisse *Beza* testatur: Contra, in vocibus execrationis & maledictionis vitæ suæ, scriptorum, studiorum, Dæmonumque invocatione miseram animam efflasse, *Bolsecus* & alii scribunt. Sepultus est in Communi Cœmeterio, nullo addito cippo, uti mandaverat. Cibi fuit parcissimus, eum ob ventriculi imbecillitatem, tum ut hemicraniæ, qua frequenter laborabat, mederetur: in studiis & laboribus indefessus; in Scriptis elegans, argutus, vehemens; ceteroquin minime Theologus; nulla in dicendo actionis elegantia instructus, summam in habitu corporis affectans gravitatem, consilio promptus & audacia; vir superbia & fastu incredibili, morosus, iræque ac vindictæ impotens, adeo ut *Bucerus*, etsi amicus, familiari Epistola eum castigaturus, *canem rabidum* vocavit, & Scriptorem *maledicendi* studio infectum; judicare eum de hominibus prout amaret, vel odiisse prout liberet: *Melanchthon* præfractam ejus *Morositatem* vituperavit: Genevenses vulgo dicerent, malle se apud Inferos cum *Beza* esse, qui festivis jocis nos in mediis flammis exhilarasset, quam apud Superos cum *Calvino*, ut refert *Papirius Massonus* in ejus Vita. Candentis ferri stigmate inustum olim *Calvinum* Novioduni ob nefarium crimen, rogante Episcopo, ut pœna mortis eum infami illa nota commutaretur, scripsit *Bolsecus* in ejus Vita, & damnationis illius Instrumentum adhuc in illa Urbe asservari, ubi a Genevensis Reipublicæ Secretario *Berthelerio*, illuc misso ut in rei veritatem inquireret, visum sit.

Calvini mors, ejusque mores.

Tom. 8. pag. 598.

XVII. Ipsi in Caliphatu Genevensi successit *Theodorus Beza*, patria Vezeliacensis, qui in Judicium olim vocatus apud Senatum Parisiensem de pederastia & præpostera libidine, de qua & in Poemaribus *Juvenilium* titulo inscriptis gloriari ausus est, venditis Beneficiis Ecclesiasticis, sumptoque nomine *Theobaldi de Majo* Genevam confugerat, abducta secum sua obscœnis suis versibus decantatissima *Candida*, quæ sartoris cujusdam Parisiensis tunc etiam viventis uxor fuit, *Claudia* nomine, *Calvino* sic adhæseras, ut *Calviniolatra* passim vocaretur. De quo legendi *Bolsecus* in ejus Vita, *Lindanus* in *Dubitantis* Dialogo II. *Sanctesius* in Responsione ad Apologiam ipsius *Bezæ*, *Prateolus* Lib. 3. Num. 20. &c.

§. II.

De Calvini erroribus.

I. DE sacris vocibus *Consubstantialis*, *Hypostaseos*, *Trinitatis*, non satis religiose sentit *Calvinus*, Lib. 1. Institutionum Cap. 13. §. 5. scribens de hujusmodi nominibus: *Utinam sepulta essent, constaret modo hæc inter omnes Fides, Patrem & Filium & Spiritum Sanctum esse unum Deum, &c.* Negat Filium semper a Patre generari. *Stulta*, inquit, *fingitur continuus actus generandi.*

Calvini errores de Deo & Christo Jesu.

2. Christum Mediatorem esse asserit etiam secundum divinam naturam, ita ut illa Mediatricis officium & ante Incarnationem exercuerit. Sic enim ad Polonos scribit contra Stancarum: *Negat Christum posse Mediatorem dici secundum divinam naturam, quin Patre esset inferior. Sed excipimus primo Mediatoris nomen Christo quadrare, non solum ex quo carnem induit, vel ex quo munus suscepit reconciliandi cum Deo humani generis, sed ab initio creationis jam vere fuisse Mediatorem; quia semper fuit Caput Ecclesiæ, & primatum tenuit etiam super Angelos, primogenitus fuit omnis creaturæ. Unde colligimus, non modo post Adæ lapsum sæpissime fungi Mediatoris officio, sed quatenus æternus Dei Sermo est.*

3. Christum damnatorum pœnas in suo ad Inferos descensu passum blasphemat, lib. II. Institutionum Cap. 16. *Nihil* (inquit) *actum erat, si corporea tantum morte defunctus fuisset Christus: sed operæ pretium erat, ut divinæ ultionis severitatem sentiret: quo & iræ ipsius intercederet, & satisfaceret justo judicio. Unde etiam eum oportuit cum Inferorum copiis, æternæque mortis horrore, quasi consertis manibus luctari.* Addit: *In locum sceleratorum sponsorem, vadem, adeoque instar rei submissum; qui dependeret ac persolveret omnes, quæ ab illis expetendæ erant, pœnas; uno hoc dumtaxat excepto, quod doloribus mortis non poterat detineri. Ergo si ad Inferos descendisse dicitur, nihil mirum est, cum eam mortem pertulerit, quæ sceleratis ab irato Deo infligitur.* Ait denique: *Non modo corpus Christi in redemptionem fuisse traditum: sed aliud majus & excellentius pretium fuisse, quod diros in anima cruciatus damnati ac perditi hominis pertulerit.* Et infra: *Hic Nebulones quidam, licet indocti malitia tamen magis quam inscitia impulsi, clamitant me atrocem facere Christo injuriam; quia minime consentaneum fuerit, eum de animæ salute timere, &c.* Idem asserit in Harmonia Evangelica, ad Cap. 27. S. Matthæi.

4. Etsi *Calvinus* peccatum Deo imputandum esse neget, etsi Deum peccati esse auctorem disertis verbis inficietur in Instructione adversus Libertinus, Libro De æterna Dei Prædestinatione versus finem, & Commentario in Cap. II. Actorum Apostolorum Vers. 23. id tamen revera ex illius doctrina sequitur. Sed istius erroris flagitium ad blasphemiam his verborum præstigiis involvit. Scilicet, illum dumtaxat qui peccatum & scelus proxime committit, vocat peccati auctorem, ut si quis suggerente Diabolo furatus vel scortatus esset, non Diabolus, sed homo tantum furti & scortationis auctor dicendus sit. Catholici vero Theologi, immo homines communi sensu præditi ex communi loquendi usu, & propria vocis significatione auctorem vocant alicujus sceleris, qui efficaci voluntate motuque ad illud concurrit, & maxime illum qui id imperat aliis, & executioni mandat, quod de Deo expressis verbis *Calvinus* pronuntiat Lib. I. Institutionum cap. 17. §. 2. Asserit (inquam) *Diabolum totamque improborum cohortem nec concipere posse ullum adversum nos maleficium, nec conceptum moliri, nec ad perpetrandum, si maxime moliantur, digitum movere nisi quantum ille permiserit, immo nisi quantum mandarit.* Et Lib. II. Cap. IV. §. 5. *Simul*, inquit, *addendum est, quod a Paulo traditur, divinitus efficaciam erroris ac seductionis immitti, ut credant mendacio, qui veritati non paruerant. Longo tamen discrimine semper distat in eodem opere id quod agit Dominus ab eo quod Satan & impii moliantur. Ille mala instrumenta, quæ*

sub manu habet, & versare quolibet potest, servire justitiæ suæ facit: hi prout mali sunt, nequitiam ingenii pravitate conceptam effectu pariunt. Vides quæ sit operis utriusque, Dei & Diaboli differentia, secundum *Calvinum*, nempe quod Deus illud principaliter, Diabolus & impii Instrumentaliter perficiant. Et lib. *De Æterna Dei Prædestinatione*, idem confirmat, pag. 628. „ Ergo (inquit) cum ipsa de causa, licet nobis igno- „ ta, a Domino procedant, quæ scelerate ab homini- „ bus maleficia perpetrantur: etiamsi rerum omnium „ prima causa sit ejus voluntas, peccati tamen eum „ esse auctorem nego. Nec vero oblivione tegenda „ est illa, quam posui, causarum diversitas: quod „ alia est propinqua, alia autem remota causa: ut „ sciamus quam longa inter æquabilem Dei providen- „ tiam, & turbulentos hominum impetus sit distan- „ tia. Turpi quidam & illiberali calumnia nos gra- „ vant, qui Deum peccati auctorem fieri ostendunt, „ si omnium, quæ aguntur, causa est ejus voluntas. „ Nam quod homo injusta perpetrat, vel ambitione, „ vel avaritia, vel libidine, vel pravo quovis alio af- „ fectu incitatus, cum Deus justo, licet occulto judi- „ cio per manum ejus faciat, non potest in eum qua- „ drare peccati nomen. *Ibidem pag. 626.* Hinc certe „ jam colligere promptum est, quam inane & flusum „ sit illud Divinæ Justitiæ patrocinium, quæ mala „ sunt, non ejus voluntata, sed permissu dumtaxat „ fieri. Equidem quatenus mala sunt quæ malo ani- „ mo perpetrant homines, Deo minime placere fa- „ teor: sed quod otiosum ea permittere fingunt quæ „ Scriptura non tantum eo volente, sed auctore fieri „ pronuntiat, nimis frivolum est effugium. Dedit hoc „ interdum Augustinus receptæ loquendi consuetudi- „ ni: sed cum pressius insistit, & magis exacte rem „ examinat, nullomodo patitur in locum actionis per- „ missionem substitui „. Si Deus non tantum permittit malum culpæ, sequitur illud, quatenus tale est, facere, adeoque esse peccati auctorem. Unde se hinc expedire Calvinus aliter non potest quam dicendo: „ Quomodo Deus in opere communi ab omni culpa „ sit immunis, ministros autem suos juste damnet, „ vix capit sensus carnis. Hinc reperta distinctio inter „ agere & permittere, quia hic nodus multis inexpli- „ cabilis visus est. (*Lib. 1. Institutionum cap. 18.*) „ *Addit ibidem:* Absurdum videtur, volente ac ju- „ bente Deo excæcari hominem, qui mox cæcitatis „ suæ pœnas daturus est. Tergiversando itaque effu- „ giunt, Dei tantum permissu, non etiam voluntate „ hæc fieri; ipse vero palam se facere pronuntians, „ effugium illud repudiat. Quod autem nihil efficiant, „ arcano Dei nutu, nec quidquam deliberando agi- „ tent, nisi quod ipse jam apud se decreverit, & ar- „ cana sua directione constituat, innumeris & claris „ testimoniis probatur. Quod ante citavimus ex Psal- „ mo, *Deum, quæcumque vult, facere*, ad omnes „ actiones hominum pertinere certum est.

5. Hominis lapsum non tantum a Deo præscitum, sed decretum ac prædestinatum asserit, Lib. 3. Institutionum cap. 23. „ Nec probabile esse sola Dei per- „ missione, nulla ordinatione, hominem sibi accersisse „ interitum. Decretum quidem horribile fateor (*in-* „ *quit*) inficiari tamen nemo poterit quin præscive- „ rit Deus quem exitum habiturus esset homo ante- „ quam ipsum conderet; & ideo præsciverit quia „ Decreto suo sic ordinarat. *Docet præterea:* Nudo „ Dei arbitrio, citra proprium meritum, homines „ in æternam mortem prædestinari. Nec solum ad damnationem, sed ad eam, quæ pro damnationis causa obtenditur, corruptionem, Dei ordinatione reprobos prædestinatos. (Lib. 3. Institutionum Capp. 23. & 24.)

Calvini errores de Libero Hominis arbitrio.

6. Hominem lapsum liberi arbitrii non esse docet respectu boni; & quamvis sponte & absque coactione peccet, necessario tamen peccare. Primum quidem hominem creatum fuisse liberum, sed libertatem ipsius peccato non modo vulneratam, sed confectam & extinctam, & qui liberum arbitrium *titulum sine re esse ajunt, Christum habere auctorem*. (Lib. 2. Institutionum Capp. 2. & 5. Lib. Responsionum contra *Pighium*, & in Antidoto Concilii Tridentini ad Sessionis 6. Canonem 5.)

7. Deum voluntatem movere, non qualiter multis sæculis traditum est & creditum, ut nostræ postea sit electionis, motioni aut obtemperare, aut refragari. Voluntatem a Domino præparatam suas in agendo partes non habere, & perperam homini tribui quod gratiæ prævenienti pedissequa voluntate obsequatur. (Lib. 2. Institutionum Cap. 3.)

De concupiscentia post Baptismum superstite.

8. Concupiscentiam originalem, etiam post Baptisma, peccatum esse tradit, lib. 3. Institutionum, Cap. 3. §. 10. „ Neque opus est, *inquit*, mul- „ tum investigando laborare quid hic Veteres sen- „ serint: quando unus Augustinus sufficere ad id po- „ test, qui fideliter magnaque diligentia omnium „ sententias collegit. Ex eo igitur sumant Lecto- „ tes, si quid de sensu antiquitatis habere certi vo- „ lent. Porro inter illum & nos hoc discriminis „ videri potest interesse, quod ipse quidem, cum „ Fideles concedat, quamdiu in corpore mortali ha- „ bitant, sic illigatos teneri concupiscentiis, ut non „ possint non concupiscere, cum tamen morbum pec- „ catum vocare non audet: sed ad illum designan- „ dum infirmitatis nomine contentus, tunc demum „ fieri peccatum docet, ubi vel opus, vel consen- „ sus ad conceptionem vel apprehensionem accedit, „ hoc est, quando primæ appetitionis cedit volun- „ tas. Nos autem illud ipsum pro peccato habemus „ quod aliqua omnino cupiditate contra Legem Dei „ homo titillatur. Immo ipsam pravitatem quæ hu- „ jusmodi cupiditates nobis generat, asserimus esse „ peccatum. Docemus itaque in Sanctis donec mor- „ tali corpore exuantur, semper esse peccatum: quia „ in eorum carne residet illa concupiscendi pravitas, „ quæ cum rectitudine pugnat. *De hoc Gallicana* „ *Calvinistarum Confessio*: Affirmamus quoque hoc vi- „ tium etiam post baptismum esse vere peccatum, „ quod ad culpam attinet, quamvis qui filii Dei sunt „ minime idcirco condemnentur, quoniam videlicet „ Deus pro gratuita sua bonitate & misericordia illud „ ipsis non imputat.

Calvini errores de Justificatione.

9. Justificationem esse acceptionem, qua nos Deus in gratiam receptos, pro justis habet: Eamque in sola peccatorum remissione ac Justitiæ Christi imputatione positam esse censet. Nonnisi in ipso, & extra nos, justos nos reputari coram Deo. Justificari illum Fide, qui operum justitia exclusus, *Christi justitiam per fidem apprehendit, qua vestitus in Dei conspectu non ut peccator, sed tamquam justus apparet*. (Lib. 3. Institutionum Cap. 11. §. 2.)

10. Hominem non justificari per gratiam sanctificantem, nec per bona opera etiam a Fide & a gratia profecta, sed per solam Fidem. „ Scholæ, „ (*inquit*) in deterius semper aberrarunt, donec „ tandem præcipiti ruina devolutæ sunt ad quem- „ dam Pelagianismum. Ac nec Augustini quidem „ sententia, vel saltem loquendi ratio per omnia „ recipienda est. Tametsi enim egregie hominem „ omni justitiæ laude spoliat, ac totam Dei gratiæ „ transcribit: gratiam tamen ad sanctificationem re- „ fert, qua in vitæ novitatem per Spiritum rege- „ neramur. Scriptura autem, cum de Fidei justitia „ loquitur, longe alio nos ducit: nempe ut ab in- „ tuitu operum nostrorum aversi in Dei misericor- „ diam ac Christi perfectionem tantum respiciamus. „ Hunc esse Fidei sensum, per quem peccator in „ possessionem venit suæ salutis, dum ex Evangelii „ doctrina agnoscit Deo se reconciliatum: quo inter- „ cedente Christi justitia, impetrata peccatorum re- „ missionem justificatus sit; & quamquam Spiritu „ Dei regeneratus, non in bonis operibus quibus in- „ cumbit, sed in sola Christi justitia repositam sibi „ perpetuam justitiam cogitat. (*Lib. 3. Institutio-* „ *num cap. 11. §. 15. & 16.*)

Ibidem §. 19. „ Jam perspicit Lector, quanta „ æquitate doctrinam nostram hodie Sophistæ cavil- „ lentur, cum dicimus hominem, sola Fide justi- „ ficari. Fide justificari hominem, qui toties in „ Scriptura recurrit, negare non audent: sed cum „ nusquam exprimatur, *sola*, hanc adjectionem fie- „ ri non sustinent. Itane? Sed quid ad hæc Pauli „ verba respondebunt, ubi contendit non esse ex „ Fide justitiam nisi sit gratuita? Quomodo gratui- „ tum cum operibus conveniet? .... Nec falsa „ modo, sed plane ridicula tergiversatione in exclu- „ siva particula consistunt. Annon enim satis soli- „ de soli Fidei tribuit omnia qui operibus adimit? „ Quid sibi, amabo, volunt istæ locutiones, *Si-* „ *ne Lege manifestatam esse justitiam, justificari gra-* „ *tis hominem, & sine operibus Legis*! Hinc ingenio- „ sum subterfugium habent: quod tametsi non ex- „ cogitarunt ipsi, sed ab Origene & quibusdam Ve- „ terum sumpserunt, ineptissimum tamen est. Opera „ Legis ceremonialia excludi garriunt, non moralia. „ Sic proficiunt assidue rixando, ut ne prima quidem „ Dialecticæ elementa teneant „. Sic autem op inin-

Rom. 3.

nem

nem suam explicat, ut quamvis Sola Fides justificet, Fides tamen quæ justificat, sola non sit. „ Hoc semper *inquit*, Lectoribus testatum esse volo, quoties in hac quæstione nominamus solam Fidem, non mortuam a nobis fingi, & quæ per charitatem non operatur, sed ipsam statui unicam justificationis causam: Fides ergo sola est quæ justificet: Fides tamen quæ justificat, non est sola. Quemadmodum Solis calor solus est qui terram calefaciat: non tamen idem in Sole est solus, quia perpetuo conjunctus est cum splendore „. (In Antidoto Concilii Tridentini ad Sessionis 6. Canonem 11.) In recentioribus Bibliis Genevensibus versum 16. Capitis 2. Epistolæ ad Galatas, fœde interpolaverunt Calvinistæ. Cum enim Apostolus dicat, hominem *non justificari ex operibus Legis nisi per Fidem Christi*: Ipsi ex suo addiderunt, *seulement par la Foy de Jesus-Christ*. Confessio Gallicana de hoc Articulo sic loquitur: „ Credimus, non sola Fide fieri hujus Justitiæ participes. Hoc autem ideo fit quod promissiones vitæ nobis in Christo oblatæ, tunc usui nostro applicantur, & nobis redduntur efficaces, cum eas amplectimur, nihil ambigentes nobis obventura, de quibus ore Dei certiores sumus.

11. *Docet*, oportere eos, qui vere justificati sunt absque dubitatione apud seipsos statuere, se esse justificatos. Omnes Fideles debere sibi promissiones divinas firma certitudine Fidei applicare. Maximæ improbitatis esse asserere, quod nemo scire Fidei certitudine potest, se gratiam Dei consecutum. Fidem justificantem hanc certitudinem & securitatem involvere. Neminem esse justificatum, nisi qui se justificatum crediderit. Absolutam illam certitudinem ad perseverantiam & prædestinationem extendit, ita ut certa prædestinationis suæ cognitio piis omnibus communis sit, non secus ac *S. Paulo* post specialem revelationem. (In Antidato Concilii Tridentini & Lib. 3. Institutionum Capit. 2. §. 16. & sequentibus.)

Error Calvini de Justitia inamissibili.

12. Fidem & Justitiam propriam esse electorum, & semel vere acceptam nulla ratione amitti posse & qui ab ea excidere videntur, numquam eam vere habuisse. „ In Fidem, *inquit*, non illuminantur, nec Evangelii efficaciam vere sentiunt, nisi qui præordinati sunt ad salutem . . . . Solos electos semine incorruptibili Deus in perpetuum regenerat, ut numquam dispereat semen vitæ eorum cordibus insitum; ita solide in illis obsignat adoptionis suæ gratiam, ut stabilis ac rata sit . . . . Hoc interim tenendum est quantumvis exigua sit ac debilis in electis Fides, quia tamen Spiritus Dei certa illius arrha est ac sigillum suæ adoptionis, numquam ex eorum cordibus deleri posse ejus sculpturam. Semen aliquod & particulam vivæ Fidei manere in homine inter gravissimos lapsus. Verum quoniam non apparet ad tempus, nec se usitatis signis exerit, perinde haberi atque emortuam, quoad sensum nostrum. (Lib. 3. Institutionum Cap. 2. §. 11. & 12. & Antidoto Concilii Tridentini in Canonem 28. Sessionis 6.) Addit peccata omnia ex infidelitate manere, vel saltem ex fidei defectu; & ubicumque regnat fides, iram Dei peccatis omnibus expulsis non secus avertere, ac si quis ignem extingueret subducto ligno. At fidem, eamque vivam in prædestinatis semper regnare *Calvinus* docet: itaque censet nulla peccata prædestinatis imputari.

In Can. 27. ejusdem Sessionis.

Idem definivit Dordrectana Calvinistarum Synodus quinto Doctrinæ Capite, *De Perseverantia Sanctorum* his verbis: „ Propter istas peccati inhabitantis reliquias & Mundi insuper ac Satanæ tentationes, non possent conversi in ista gratia perstare, si suis viribus permitterentur. Sed fidelis est Deus, qui ipsos in gratia semel collata misericorditer confirmat, & in eadem usque ad finem potenter conservat. Etsi autem illa potentia Dei, vere fideles in gratia confirmantis, major est quam quæ a carne superari possit; non semper tamen conversi ita a Deo aguntur & moventur ut non possint in quibusdam actionibus particularibus a ductu gratiæ, suo vitio, recedere, & a carnis concupiscentiis seduci, iisque obsequi. Quapropter ipsis perpetuo est vigilandum & orandum, ne in tentationes inducantur. Quod cum non faciunt, non solum a carne, mundo, & Satana, in peccata etiam gravia & atrocia abripi possunt, verum etiam interdum justa Dei permissione abripiuntur. Quod tristes Davidis, Petri, aliorumque Sanctorum lapsus, in Sacra Scriptura descripti demonstrant. Talibus autem enormibus peccatis Deum valde offendunt, reatum mortis incurrunt, Spiritum Sanctum contristant, fidei exercitium interrumpunt, conscientiam gravissime vulnerant, sensum gratiæ nonnumquam ad tempus amittunt, donec per seriam resipiscentiam in viam revertentibus paternus Dei vultus rursum affulgeat. Deus enim qui dives est misericordia, ex immutabili electionis proposito, Spiritum Sanctum etiam in tristibus lapsibus a suis non prorsus aufert, nec eo usque eos prolabi sinit, ut gratia adoptionis ac justificationis statu excidant, aut peccatum ad mortem, sive in Spiritum Sanctum committant, & ab eo penitus deserti, in exitium æternum se præcipitent „. De Calvinistarum circa istud controversiæ caput sententia ferventissime disputant eruditi duo Parisiensis Academiæ Theologi Libris recens editis. Eorum disputationi me immiscere nolim: quæ tamen facile componi posse doctis plerisque viris videtur, ut Sectæ quidem dogma fidesque censeatur, quam *Calvinus* & Synodus Dordrectana, Auctoresque inter Calvinistas celeberrimi tradunt, quamvis nonnulli ejusdem Sectæ Scriptores ab eo dogmate recesserint: ut jure hac in controversia, & aliis in quibus variarunt, de ipsis dici possit, quod *Tertullianus* lib. *De Præscriptionibus Hæreticorum*, Cap. 42. de veteribus Hæreticis scribit: *Mentior si non etiam a regulis suis variant inter se, dum unusquisque proinde suo arbitrio modulatur quæ accepit, quemadmodum de suo arbitrio ea composuit ille qui tradidit: Agnoscit naturam suam profectus rei. Idem licuit Valentinianis quod Valentino, idem Marcionitis quod Marcioni, de Arbitrio suo fidem innovare. Denique penitus inspectæ hæreses omnes in multis cum Auctoribus suis dissentientes deprehenduntur.*

Calvini errores de peccatis.

13. Omne peccatum mortale esse *Calvinus* asserit: Fidelium peccata venialia esse, non quia mortem non mereantur, sed quia Dei misericordia nulla est condemnatio his qui sunt in Christo Jesu, quia non imputentur, quia venia delentur. (Lib. 2. Institutionum Cap. 8. §. 50. Lib. 3. Cap. 4. §. 28. & in Antidoto Concilii Tridentini.)

14. Omnia justorum opera esse iniquitatem ac sordes, peccata, damnabilia. *Qui serio*, inquit, *de veræ justitiæ regula quærunt, illi certo comperient, omnia hominum opera, si sua dignitate censeantur, nihil nisi inquinamenta esse & sordes; & quæ justitia vulgo habetur, eam apud Deum meram esse iniquitatem: quæ integritas censetur, pollutionem; quæ gloria ducitur, ignominiam.* (Lib. 3. Institutionum Cap. 14. §. 4.) *Habemus nec unum a Sanctis exire opus, quod si in se censeatur, non mereatur justam opprobrii mercedem.* (Lib. 3. Cap. 14. §. 9.) *Duobus his fortiter insistendum, nullum umquam extitisse pii hominis opus, quod si severo Dei judicio examinaretur, non esset damnabile. Ad hæc, si tale aliquod detur (quod possibile homini non est) peccatis tamen quibus laborare auctorem ipsum certum est, vitiatum ac inquinatum, gratiam perdere.* (Ibidem §. 2.)

Calvini errores de Lege.

15. Legem Dei, quæ bona opera præcipit, impossibilem esse. *Quod autem*, inquit, *impossibilem Legis observationem dicimus, id est paucis verbis explicandum simul & confirmandum. Solet enim vulgo absurdissima sententia videri; ut Hieronymus non dubitarit Anathema illi denuntiare. Quid visum sit Hieronymo, nihil moror: nos quid verum sit, inquiramus. Non texam hic longas ambages de variis possibilitatis generibus. Impossibile appello, quod nec fuit umquam, & ne imposterum fit, Dei ordinatione ac decreto impeditur. Si ab ultima memoria repetamus, neminem Sanctorum, extitisse dico, qui corpore mortis circumdatus, ad eum dilectionis scopum pertigerit, ut ex toto corde, ex tota mente, ex tota anima, ex tota potentia Deum amarat.* (Lib. 2. Institutionum Cap. 7. §. 5.) *Si perpetua esset regeneratio in hac vita, possibilis esset Legis observatio. Sed cum Fideles, quamdiu hic vivunt, modo ex stadio ad metam aspirent, magnisque difficultatibus anhelent: ubi reperiatur, quam isti somniant, obedientiæ perfectio?* (In Antidoto Concilii Tridentini in Canonem 18. Sessionis 6.)

16. A Mandatorum observatione nequaquam pendere salutis fiduciam; & in eo differre a Lege Evangelium, quia non sub conditione operum sicut illa, sed ex Fide vitam promittat. (In Antidoto Concilii Tridentini in canonem 20. Sessionis. 6.)

Calvini errores de fide & operibus.

17. Nugatoriam Fidei formatæ & informis distinctionem, (Lib. 3. Institutionum Cap. 2. §. 8.) Fidem porro definit, *Divinæ ergo nos benevolentiæ firmam*

certamque cognitionem, quæ gratuita in Christo promissionis veritate fundata, per Spiritum Sanctum & revelatur mentibus nostris, & cordibus obsignatur.

18. Doctrinam de bonorum operum meritis erroneam esse. *De meriti*, inquit, *nomine id mihi præfari necesse est; Quicumque primus illud operibus humanis ad Dei Judicium comparatis aptavit, eum Fidei sinceritati pessime consuluisse . . . Quorsum enim, obsecro, opus fuit invehi nomen meriti, cum pretium bonorum operum significanter alio nomine citra offendiculum explicari possit? Quantum autem ipsum offensionis in se contineat, magno cum orbis detrimento patet. Certe ut est fastuosissimum, nihil quam obscurare Dei gratiam, & homines prava superbia imbuere potest. Usi sunt (fateor) passim vetusti Ecclesiæ Scriptores: atque utinam vocula unius abusus erroris materiam posteris non præbuissent!* (Lib. 3. Institutionum Cap. 15. §. 2.)

Calvini errores de Pœnitentiæ Sacramento.

19. Confessionem peccatorum Jure Divino non esse institutam; seu Divino Præcepto mandatam. Ejus quidem vetustissimum esse usum, sed olim fuisse liberum. Nullam de ea statam fuisse Legem aut constitutionem ante *Innocentii III.* tempora. Luculenta testimonia extare tum in Historiis, tum apud alios antiquos Scriptores, quæ doceant hanc fuisse politicam disciplinam, ab Episcopis institutam, non Legem a Christo aut Apostolis positam; conscientiarum carnificinam esse: invectam demum hanc tyrannidem, cum fœda barbarie oppressus esset mundus. (Lib. 3. Institutionum cap. 4. & Responsione ad Articulos Facultatis Theologicæ Parisiensis ad Articulum 4.)

20. Potestatem absolvendi a peccatis, quorum cognitionem in Confessione habuerint, Sacerdotibus Novi Testamenti a Christo non esse datam. Absolutionem quæ fidei servit, nihil aliud esse quam testimonium veniæ ex gratuita Evangelii promissione sumptum: alteram, quæ ex Disciplina Ecclesiæ pendet, nihil ad secreta peccata, sed ad exemplum magis pertinere, ut tollatur Ecclesiæ publica offensio. (Ibidem.)

21. Satisfactionem ad Pœnitentiam non esse necessariam: nec Deum posse pœnis satisfactoriis placari: illasque cum efficacia mortis Christi & satisfactionis ipsius pugnare. „ Parum autem me movent, *inquit*, quæ in Veterum Scriptis de Satisfactione passim occurrunt. Video quidem eorum nonnullos (dicam simpliciter, omnes fere quorum Libri extant) aut hac in parte lapsos esse, aut nimis aspere ant dure locutos . . . . Vocarunt autem ut plurimum satisfactionem, non compensationem quæ Deo redderetur, sed publicam testificationem, qua qui excommunicatione mulctati fuerant; cum in communionem recipi vellent, Ecclesiam reddebant de sua Pœnitentia certiorem. Indicebantur enim illis Pœnitentibus certa jejunia, & alia quibus se prioris vitæ vere & ex animo pertæsos esse approbarent, vel potius priorum memoriam obliterarent: atque ita dicebantur, non Deo, sed Ecclesiæ satisfacere. Ex antiquo eo ritu sumpserunt originem Confessiones & Satisfactiones, quæ hodie in usu sunt. Viperei sane partus, quibus factum est ut ne umbra quidem melioris illius formæ supersit. Scio Veteres interdum duriuscule loqui: nec, ut nuper dixi, forsan lapsos esse nego. Sed quæ paucis nævis aspersæ erant, dum illotis istorum manibus tractantur, prorsus inquinantur. (Lib. III. Institutionum c. 4. §. 38. & 39.)

Errores Calvini de Indulgentiis & Purgatorio.

22. Indulgentias esse *Sanguinis Christi profanationem, Satanæque ludibrium, quo Christianus Populus a Dei gratia, a vita quæ est in Christo abducatur, & a vera salutis via avertatur.* (Lib. III. Institutionum cap. 5. §. 2.) *Quæstuosas nundinationes de animarum salute, ac pias fraudes* vocat. *Papam plumbo & membranis gratiam Jesu Christi includere* calumniatur: Nos *commiscere sanguinem Martyrum sanguini Christi, ad remissionem & satisfactionem peccatorum: Mendax Dei Evangelium esse, aut mendaces Indulgentias*, blasphemat.

„ 23. Purgatorium exitiale Satanæ esse commentum, quod Christi Crucem evacuat, quod contumeliam Dei misericordiæ non ferendam irrogat, quod fidem nostram labefacit & evertit . . . Cum mihi (*inquit*) objiciunt adversarii ante mille & trecentos annos usu receptum fuisse, ut precationes fierent pro defunctis, eos vicissim interrogo, quo Dei verbo, qua revelatione, quo exemplo factum? . . . Atque ipsi etiam Veteres, qui preces fundebant pro mortuis, & mandato Dei, & legitimo exemplo hic se destitui videbant. Cur ergo audebant? In eo dico aliquid humani passos esse: ideoque ad imitationem trahendum non esse contendo quod fecerunt. Certe quisquis mediocri prudentia pollet, facile agnoscit, quidquid de hac re legitur apud Veteres, publico mori, & vulgi imperitiæ fuisse datum. Abrepti etiam ipsi, fateor, in errorem fuerunt: nempe ut inconsiderata credulitas privare judicio solet hominum mentes. Interea quam dubitanter preces pro mortuis commendent, lectio ipsa demonstrat. Monicam matrem suam in Libris Confessionum Augustinus narrat vehementer rogasse, ut sui memoria in peragendis Mysteriis fieret ad Altare, Anile scilicet votum, quod filius non exegit ad normam Scripturæ: sed pro naturæ affectu probari aliis voluit. Liber autem De Cura pro Mortuis agenda compositus, tot hæsitationes continet, ut suo frigore merito debeat stulti zeli calorem extinguere. Si quis mortuorum patronus esse appetat, frigidis certe verisimilitudinibus securos reddet, qui prius erant solliciti. (Lib. III. Institutionum cap. 5. §. 6. & 10.)

De Sanctorum intercessione & invocatione.

24. Sanctos cum Christo in cœlis viventes pro nobis non intercedere, nec absque sacrilegio & superstitione invocari posse. (Lib. 3. Institutionum cap. 20.) Per calumniam esserit Catholicos, qui Sanctos invocant, *Christum inhonorare, & Mediatoris titulo spoliare, gloriam nativitatis ejus obscurare. Crucem evacuare: in Litaniis, Hymnis & Prosis, ubi Sanctis mortuis nihil non honoris defertur: nullam Christi mentionem fieri.* Sanctos ut *tutelares Deos* a Romanæ Communionis hominibus coli. *Nihil Christo reliquum facere, qui pro nihilo ducunt ejus intercessionem, nisi accedant Georgius & Hippolytus, ac similes larvæ.* Sic impius Hæresiarcha loquitur. De hoc Articulo Calvinistarum Gallica Confessio sic habet: *Credimus quoniam Jesus-Christus datus est nobis unicus Advocatus, qui etiam præcipit, ut ad Patrem suo nomine confidenter accedamus, neque nobis licet alia forma preces concipere, nisi ea quam nobis Deus verbo suo dictavit: Quidquid homines de mortuorum Sanctorum intercessione commenti sunt, nihil aliud esse quam fraudem & fallacias Satanæ, ut homines a recta precandi forma abduceret. Denique Purgatorium arbitramur ex eadem officina profectum, unde etiam manarunt Vota Monastica, peregrinationes, interdicta Matrimonii, & usus ciborum, cæremonialis certorum dierum observatio, Confessio auricularis, Indulgentiæ, cæteraque res omnes ejusmodi, quibus opinantur quidam se gratiam & salutem mereri.*

Calvini errores contra Romanam Ecclesiam & Romanum Pontificem.

25. Populari sermone concipiendas esse publicas orationes, qui vulgo a toto cœtu intelligi possit, non exotica lingua *Calvinus* affirmat. (Ibidem §. 33.)

26. *Romanæ Sedis Primatum neque ex Christi institutio, neque ex Ecclesiæ veteris usu sumpsisse originem.* Honore ordinis, non potestate *Petrum* cæteris Apostolis fuisse priorem. Etsi dignitate reliquos antecelluisset, Apostolis ipsis Primatum deferentibus, id ad perpetuitatem non esse trahendum, id est non sic constitutum in *Petro* Ecclesiæ Primatum, ut perpetua successione semper maneret. Non inficiatur tamen *quin magnum Romanæ Ecclesiæ honorem ubique deferant Veteres, reverenterque de ea loquantur.* Quod tribus maxime de causis fieri censet. „ Opinio enim illa, *inquit*, quæ nescio quo modo invaluerat, fundatam & constitutam eam fuisse Petri ministerio, ad conciliandam gratiam & auctoritatem plurimum valebat: Itaque in Occidente Sedes Apostolica honoris causa vocabatur. Deinde cum illic esset caput Imperii, & hac ratione credibile esset præstantiores tum doctrina, tum prudentia, tum peritia, & multarum rerum usu viros illic esse, quam alibi usquam: ejus rei merito habebatur ratio, ne & Urbis nobilitas, & alia etiam Dei dona multo excellentiora contemni viderentur. Accessit ad hæc & tertium, quod cum Orientales & Græcæ Ecclesiæ, Africanæ etiam, multis opinionum dissensionibus inter se tumultuarentur, hæc sedatior aliis & minus turbulenta fuerit. Ita factum est ut pii & Sancti Episcopi Sedibus suis pulsi, illuc se veluti in asylum aut portum quemdam sæpe reciperent. Nam quo minus acuto & celeri ingenio sunt Occidentales Asiaticis & Afris, eo etiam sunt rerum novarum minus cupidi. Hoc ergo Romanæ Ecclesiæ plurimum addit auctoritatis, quod non ita dubiis illis temporibus tumultuata est, ut reliquæ, ac doctrinæ semel traditæ fuit omnibus aliis tenacior. Has, inquam, tres ob causas non vulgari in honore habita fuit, & multis præclaris Veterum testimoniis commendata (Lib. IV. Institutionum Cap. VI.)

27. Ro-

Calvini calumnia in Romanam Ecclesiam.

27. Romanum Pontificem *Antichristum* vocat, in eumque quadrare asserit, quod Danielis 7. v. 25. & 2. ad Thessalonicenses 2. v. 4. de Antichristo dicitur. (Lib. IV. Institutionum Cap. 7. §. 25.) Ibidem inverecunde calumniatur, Ecclesiæ Romanæ doctrinam sic describens: *Quasi vero dubium sit qualem Religionis speciem professi sint jampridem Pontifices cum toto Cardinalium Collegio, & hodie profiteantur. Primum enim arcanæ illius Theologiæ, quæ inter eos regnat, caput est, Nullum esse Deum. Alterum, Quæcumque de Christo dicuntur, mendacia esse & imposturas. Tertium, doctrinam de futura vita & ultima Resurrectione meras esse fabulas.* (§. 27.) Calvinistarum Gallica Confessio Articulo 28. Romanam Ecclesiam his calumniis proscindit: *Papisticos igitur Conventus damnamus, quod pura Dei veritas ab illis exulet, in quibus etiam Sacramenta Fidei corrupta sunt, adulterata, falsificata, vel penitus etiam abolita, in quibus denique omnes superstitiones & idolomaniæ vigent.*

Ejusdem errores de Ecclesia & Conciliis.

28. Concilia Generalia in tradendis Fidei dogmatibus, & Scripturæ Sacræ interpretatione errare posse Potestatem interpretandi Scripturam Sacram, & eam quidem *sine provocatione*, penes Ecclesiam non esse docet: nec semper veram esse & certam Scripturæ interpretationem, quæ Conciliorum suffragiis fuerit recepta: sed eorum Decreta verbo Dei examinanda. (Lib. 4. Institutionum Capit. 9.) Quatuor tamen priores Synodos recipit, ac venerari se profitetur. *Priscas illas Synodos*, inquit, *Nicænam, Constantinopolitanam, Ephesinam primam, Chalcedonensem, ac similes, quæ confutandis erroribus habitæ sunt, libenter amplectimur, reveremurque ut Sacrosanctas quantum attinet ad Fidei dogmata; nihil enim sentiunt quam puram & nativam Scripturæ interpretationem, quam SS. Patres spirituali prudentia, ad frangendos Religionis hostes, qui tunc emerserant, accommodarunt.* (Ibidem §. 8.)

De Imaginibus & cultu Sanctorum.

29. Imaginum usum & cultum *a Satana manasse* & meram *idololatriam* esse asserit. (Ibidem §. 9. & Lib. 1. Cap. 11.)

30. Cultum Religiosum, etiam duliæ, Angelis & Sanctis hominibus, *absque damnanda superstitione* exhiberi non posse. (Lib. 1. Institutionum Cap. 12.)

De Legibus Ecclesiasticis.

31. Ecclesiam non habere potestatem ferendi Leges quæ conscientiam obstringant. (Lib. 4. Cap. 10.) Constitutiones Ecclesiasticas, sive quæ Cæremonias ac Ritus, sive quæ Disciplinam spectant perniciosas esse & impias. (Lib. 4. Cap. 10.)

32. Quadragesimale Jejunium inter superstitiosas observationes enumerat. *Tertius error*, inquit, *non adeo quidem impius, periculosus tamen, tamquam unum ex præcipuis officiis morosius ac rigidius exigere, ac immodicis encomiis extollere, ut homines se aliquid eximium fecisse putent, cum jejunaverint. Qua in parte non in totum excusare audeo Veteres, quin & superstitionis quædam semina jecerint, & occasionem præbuerint tyrannidi, quæ postea exorta est. Occurrunt quidem interdum sanæ ac prudentes de jejunio sententiæ: sed postea occurrunt subinde immodicæ jejunio laudes, quæ ipsum inter præcipuas virtutes extollunt; Et tunc passim invaluerat superstitiosa Quadragesimæ observatio; quia & vulgus eximium aliquod obsequium Deo se in ea præstare existimabant, & Pastores eam commendabant pro sancta Christi imitatione: cum planum sit, non ideo jejunasse Christum ut aliis exemplum præscriberet.* (Lib. 4. capit. 12. §. 19. & 20.)

33. Ecclesiæ Legem de Cœlibatu Sacerdotum tyrannicam vocat & verbo Dei contrariam. *Certe* (inquit) *quod Sacerdotibus interdictum fuit conjugium, id factum est impia tyrannide, non modo contra verbum Dei, sed contra omnem æquitatem.* (Ibidem §. 23.) *S. Hyeronymum* Cœlibatus & virginitatis egregium paranymphum, *nimis lucalentum maligni perversique ingenii specimen in eo edidisse*, imprudenter scribit, in Harmonia Evangelica ad Cap. 19. S. Matthæi.

Calvini errores circa vota.

34. Vota abstinentiæ, jejunii, peregrinationum ad Sanctiora loca, non tantum esse inania ac nugatoria, sed plena manifestæ impietatis. Monasticum Ordinem non esse singularem statum adipiscendæ perfectionis. *Monasteria esse lupanaria, potius quam castitatis sacraria. Non aliter protos in horis sogitari, quam Monachos in Cœnobiis.* Vota continentiæ, paupertatis, & obedientiæ, superstitiosa esse, & qui ea nuncupant, Deo illudere & hominibus. Votum tamen continentiæ a primis Ecclesiæ sæculis nuncupatum fatetur. *Hoc, inquiunt, ab ultima memoria fuit observatum, ut se alligarent continentiæ voto, qui totos se Domino dicare vellent. Fateor certe antiquitus quoque receptum fuisse hunc morem: sed eam ætatem sic ab omni vitio liberam non fuisse concedo, ut pro regula habendum sit quicquid tunc factum est.* Monachos omnes Christianæ libertatis privilegio ait a vinculis votorum absolvi, maxime si ad Cœlibatum se idoneos non sentiant. (Lib. 4. cap. 13.) Ibidem tamen Monachorum Statum, Vota, Instituta, ab Ecclesia veteri approbata fuisse, vel invitus fatetur, & Monastica Collegia fuisse tunc veluti Seminaria Ordinis Ecclesiastici.

Calvini errores de Sacramentis.

35. *Sacramentum* definit *Externum Symbolum, quo benevolentiæ erga nos suæ promissiones conscientiis nostris Dominus obsignat, ad sustinendam Fidei nostræ imbecillitatem; & nos vicissim pietatem erga eum nostram tam coram eo & Angelis, quam apud homines testamur.* (Lib. 4. Institutionum Cap. 14.) Benevolentiæ autem nomine Prædestinationem intelligit, seu æternam illam charitatem, qua Deus electos diligit: in solis enim electis Sacramenta vim exerere suam asserit. *Sedulo*, inquit, *docemus, Deum non promiscue vim suam exerere in omnibus qui Sacramenta recipiunt, sed tantum in electis. Nam quemadmodum non alios in fidem illuminat, quam quos præordinavit ad vitam: ita arcano Spiritus sui virtute efficit, ut percipiant electi quæ offerunt Sacramenta. Reprobis peræque ac electis signa administrantur: veritas autem signorum ad hos solos pervenit.* (In Consensione Ministrorum Tigurinorum cum Genevensibus, §. 16. & 17.) De Sacramentorum essentia & virtute sic habet Gallica Calvinistarum Confessio: *Credimus adjuncta esse verbo Sacramenta amplioris confirmationis causa, gratiæ Dei nimirum pignora & tesseras, quibus infirmæ & rudi fidei nostræ subveniatur. Fatemur enim talia esse signa hæc exteriora, ut Deus per illa Sancti sui Spiritus virtute operetur, ne quidquam ibi frustra nobis significetur. Arbitramur tamen omnem illorum substantiam & veritatem esse in Christo sitam, a quo si separentur, nihil sint quam inanes umbræ & fumi.*

36. Verbum quo Sacramentum conficitur, concionatorium duntaxat, non consecratorium esse contendit. „Verbum, *inquit*, intelligere debemus, non quod sine „sensu & fide insusurratum, solo strepitu, velut „magica incantatione, consecrandi elementi vim ha„beat: sed quod prædicatum intelligere nos faciat „quid visibile signum sibi velit. Quod ergo sub Pa„pæ tyrannide factitatum est, non caruit ingenti „Mysteriorum profanatione: Putarunt enim satis esse „si Sacerdos, populo sine intelligentia obstupente, „Consecrationis formulam demurmuraret .... Ergo „cum de verbo Sacramentali fieri mentionem audi„mus, promissionem intelligamus, quæ clara voce a „Ministro prædicata, plebem eo manu ducat, quo si„gnum tendit ac nos dirigit. (Lib. 4. Institutionum, cap. 14. §. 4.)

37. Ministri intentionem non esse ad Sacramentum necessariam. *Quod*, inquit, *de consecrandi intentione garriunt, a Sophistis nulla probabili ratione fuit proditum .... Ego vero sacrosanctæ Christi institutioni tantum defero, ut si Epicureus quispiam, intus totam actionem subsannans, mihi Cœnam ex Christi mandato, & secundum regulam ab eo datam rituque legitimo administret, non dubitem panem & calicem illius manu porrecta, vera mihi esse Corporis & Sanguinis Christi pignora* (In Antid. Concilii Tridentini in Canonem 11. Sessionis 7.)

38. Nullam inesse Sacramentis vim & efficaciam conferendi gratiam ex opere operato, sed solum excitare & alere fidem, sicut prædicatio verbi. *Magna*, inquit, *consensu Sophistica Schola tradiderunt, Sacramenta Novæ Legis, hoc est, quæ nunc in usu sunt Christianæ Ecclesiæ, justificare & conferre gratiam, modo non ponamus obicem peccati mortalis. Quæ sententia dici non potest quam sit exitialis & pestilens, eoque magis, quod multis ante sæculis, magna Ecclesiæ jactura in bona orbis parte obtinuit. Plane certe diabolica est.* (Lib. 4. Institutionum, Cap. 4. §. 14.) *Quamobrem fixum maneat, non esse alias Sacramentorum, quam verbi Dei partes: quæ sunt offerre nobis ac proponere Christum & in eo cœlestis gratiæ thesauros .... Cavendum præterea ne in errorem nos abducant, quæ ad amplificandam Sacramentorum dignitatem paulo magnificentius a Veteribus scripta sunt ut scilicet arbitremur latentem aliquam virtutem Sacramentis annexam affixamque esse, quo ipsa per se* Spi-

Spiritus Sancti gratias nobis conferant, quemadmodum vinum in cratere propinatur: cum hoc tantum illis divinitus injunctum sit munus, testificari nobis ac sancire Dei in nos benevolentiam. (§. 17.) *Commentum de opere operato, recens est, & ab indoctis Monachis excusum, qui de Sacramentorum natura nihil umquam didicerant.* (In Antidoto Concilii Tridentini, in Canonem 7. Sessionis 7.) In Theologia hospitem ac peregrinum se prodit, cum per opus operatum intelligit & a Theologis intelligi putat meritum ac bonum opus Ministri, *Hujus quoque rei breviter admonitos esse Lectores expedit, quidquid de opere operato augati sunt Sophistæ, non modo falsum esse, sed pugnare cum Sacramentorum natura, quæ instituit Deus ut Fideles vacui bonorum omnium & inopes, nihil præter mendicitatem eo afferant, Unde sequitur, in recipiendo nihil istos agere unde laudem mereantur, vel in actione (quæ eorum respectu mere passiva est) nullum illis posse opus adscribi,* (Lib. 4. Institutionum, §. 26. cap. 14.).

39. Discrimen inter Sacramenta Veteris & Novæ Legis, quoad efficaciam, nullum agnoscit. *Scholasticum autem illud dogma* (inquit) *quo tam longum discrimen inter Veteris ac Novæ Legis Sacramenta notatur, perinde ac si illa non aliud quam Dei gratiam adumbrarint, hæc vero præsentem conferant, penitus explodendum est. Siquidem nihilo splendidius de illis Apostolus quam de his loquitur, cum docet* Patres eamdem nobiscum escam spiritualem manducasse, & *escam illam Christum interpretatur. Quis inane ausit facere signum illud quod veram Christi Communionem Judæis exhibebat? . . . Nec vero Baptismo nostro plus tribuere fas est, quam ipse alibi Circumcisioni tribuit cum vocat sigillum justitiæ fidei. Quidquid ergo nobis hodie in Sacramentis exhibetur, id in suis olim recipiebant Judæi, Christum scilicet cum spiritualibus suis divitiis.* (Lib. 4. Institutionum Cap. 14. §. 23.)

40. Characterem Sacramentalem ceu figmentum explodit. *Quod de charactere indelebili fabulantur,* inquit, *ex eadem prodiit officina: nam Veteribus hoc totum ignotum fuit: & magis consentaneum est incantationibus magicis, quam sanæ Evangelii doctrinæ. Eadem ergo facilitate repudiabitur, qua excogitatum fuit.* (In Antidoto Concilii Tridentini in Canonem 9. Sessionis 7.)

41. Tria tantum Sacramenta a Christo instituta agnoscit, Baptismum, Cœnam & Ordinationem. Duo quidem Sacramenta dumtaxat esse dicit Lib. 4. Institutionum cap. 18. §. 19. & 20. Baptismum & Cœnam: sed se de Sacramentis toti Ecclesiæ communibus ibi locutum esse, & Ordinationem pro Sacramento habere significat, cap. 19. §. 31. „ Superest, *inquit*, Impositio manuum, quam in veris legitimis„ que Ordinationibus Sacramentum esse concedo. *Et* „ *cap.* 14. §. 20. Hæc Judæorum fuerunt Sacramenta „ ad Christi usque adventum: abrogatis illis, duo Sa„ cramenta instituta, quibus nunc Christiana Eccle„ sia utitur, Baptismus & Cœna Domini. Loquor au„ tem de iis quæ in usum totius Ecclesiæ sunt insti„ tuta. Nam Impositionem manuum, qua Ecclesiæ „ Ministri in suum munus initiantur, ut non invitus „ patior vocari Sacramentum, ita inter ordinaria Sa„ cramenta non numero. „ Confirmationem, Pœnitentiam, Extremam-Unctionem, Matrimonium, e numero Sacramentorum expungit (Lib. 4. Institutionum cap. 19. & in Antidoto Concilii Tridentini in Sessione 7.) Calvinistarum Gallica Confessio de numero Sacramentorum sic habet Articulo 35. „ Agno„ scimus duo tantum Sacramenta toti Ecclesiæ com„ munia, &c.

Calvini errores de Baptismo.

42. Baptismum Joannis idem esse docet cum Baptismo Christi Sacramentum. „ Quo etiam certissi„ mum sit, *inquit*, idem fuisse prorsus Joannis mini„ sterium, quod Apostolis postea delegatum est. Non „ enim alium Baptismum faciunt diversæ manus qui„ bus administratur . . . . Neminem perturbet, quod „ alterum ab altero discernere Veteres contendunt, „ quorum non tanti esse nobis debet calculus, ut Scri„ pturæ certitudinem patefaciat. Quis enim Chry„ sostomo potius auscultet, neganti in Joannis Baptis„ mo comprehensam fuisse peccatorum remissionem, „ quam Lucæ contra asserenti, *Joannem Baptismum* „ *Pœnitentiæ prædicasse in peccatorum remissionem* ? „ Nec recipienda est illa Augustini argutia in spe di„ missa fuisse peccata Baptismo Joannis, Christi Ba„ ptismo reipsa dimitti . . . . Quod luculentiores Spi„ ritus gratiæ a Christi Resurrectione effusæ sunt, „ nihil ad statuendam Baptismatum diversitatem atti„ net. „ (Lib. 4. Institutionum cap. 15. §. 7. & 8.) Eumdem errorem asserit in Antidoto Concilii Tridentini in Canonem 1. Sessionis 7.

43. Baptismum esse medium ad salutem necessarium inficiatur. Fideliumque pueros sine Baptismo salvari asserit, si morte intercipiantur, quod Sancti sint & Ecclesiæ membra, & in fœderis hæreditatem, statim ac nati sunt, a Deo excipiantur. *At periculum est ne is qui ægrotat, si absque Baptismo decesserit, regenerationis gratia privetur. Minime vero. Infantes nostros, antequam nascantur, se adoptare in suos pronuntiat Deus, cum se nobis in Deum fore promittit, seminique nostro post nos. Hoc verbo continetur eorum salus. Nec quisquam in Deum tam contumeliosus esse audebit, ut ejus promissionem effectui suo sufficere per se neget. Quantum damni invexerit dogma illud male expositum, Baptismo esse de necessitate salutis, pauci animadvertunt.* (Lib. 4. Institutionum Cap. 15. §. 29.) Eumdem errorem adstruit Cap. 15. §. 24. & 25. ubi hæc Christi verba (Joan. 3.) *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest ingredi in Regnum Dei*, de Baptismo intelligenda esse negat; *sed modum indicare* ait, *quo regenerat nos Deus, nempe per aquam & Spiritum*: quasi diceret, *per Spiritum, qui purgando & irrigando fideles animas, vice aquæ fungitur.* Idem asserit in Antidoto Concilii Tridentini in Cap. 5. Sessionis 6. Nec-non in Responsione ad Articulos Facultatis Theologicæ Parisiensis, Art. 1.

44. Laicos, ac mulieres, etiam in periculo mortis, Baptismum administrare posse negat. „ Quod autem, „ *inquit*, multis ab hinc sæculis, adeoque ab ipso fe„ re Ecclesiæ exordio usu receptum fuit, ut in peri„ culo mortis Laici baptizarent; si Minister in tempo„ re non adesset, non video quam firma ratione de„ fendi queat. „ Quem errorem erroneo altero principio confirmat, scilicet infantes in salutis discrimen non venire, si absque Baptismo e vita migrent. „ Sed „ hanc controversiam, *inquit*, mox nullo negotio di„ rimet hoc principium: Non arceri a Regno cœlorum „ infantes, quos e præsenti vita migrare contingit, „ antequam aqua mergi datum fuerit. Atqui jam vi„ sum est, fieri non levem injuriam Dei fœderi nisi „ in eo acquiescimus, ac si per se infirmum esset: cum „ ejus effectus neque a Baptismo, neque ab ullis ac„ cessionibus pendeat. Accedit postea Sacramentum si„ gilli instar, non quod efficaciam Dei promissioni qua„ si per se invalidæ conferat, sed eam dumtaxat nobis „ confirmet. Unde sequitur non ideo baptizari Fide„ lium liberos, ut filii Dei tunc primum fiant qui an„ te alieni fuerant ab Ecclesia, sed solemni potius si„ gno ideo recipi in Ecclesia, quia promissionis bene„ ficio jam ante ad Christi Corpus pertinebant. Proin„ de si in omittendo signo nec socordia est, nec con„ temptus, nec negligentia, tuti ab omni periculo su„ mus. Multo igitur sanctius est hanc Dei ordinatio„ ni reverentiam deferre ut non aliunde Sacramenta „ petamus, quam ubi Dominus deposuit. Ubi ab Ec„ clesia sumere non licet, non sic illis alligata est „ Dei gratia, quin eam fide ex verbo Domini con„ sequamur. „ (Lib. 4. Institutionum Cap. 15. §. 20. 21. & 22.

45. Baptismatis recordationem peccata post Baptismum commissa expiare asserit absque Pœnitentiæ Sacramento. „ Neque vero existimandum est, *inquit*, „ Baptisma in præteritum dumtaxat tempus conferri, „ ut novis lapsibus, in quos a Baptismate recidimus, „ quærenda sint alia novæ expiationis remedia in aliis „ nescio quibus Sacramentis, perinde ac si illius vis „ obsoleta esset . . . Sic autem cogitandum est, quo„ cumque baptizemur tempore, nos semel in omnem „ vitam ablui & purgari. Itaque quoties lapsi fueri„ mus, repetenda erit Baptismi memoria, & hac ar„ mandus animus, ut de peccatorum remissione sem„ per certus securusque sit. Nam etsi administratus „ præteriisse visus est, posterioribus tamen peccatis non „ est abolitus. Puritas enim Christi in eo nobis obla„ ta est: ea semper viget, nullis maculis opprimitur: „ sed omnes nostras sordes abluit & extergit . . . E„ quidem scio aliud communiter receptum esse, Pœ„ nitentiæ & Clavium beneficio nos obtinere post Ba„ ptismum remissionem, quæ prima regeneratione per „ solum Baptismum nobis datur. Sed qui hoc commi„ niscuntur, in eo errant, quod non cogitant potesta„ tem Clavium de qua loquuntur, a Baptismo sic pen„ dere, ut nullo modo separari debeat . . . Et hic er„ ror commentitium Pœnitentiæ Sacramentum nobis „ peperit. (Lib. 4. Institutionum Cap. 15. §. 4. & 4.) Quodcumque ergo peccatum, quamlibet horrendum

dum ac nefariam Calvinistæ committant, modo se baptizatos esse meminerint, id sibi protinus condonatum credunt. Quæ doctrina quam facilem proclivemque viam ad omne peccati genus hominibus aperiat, nemo non videt.

46. Exorcismos, exsufflationem, chrismationem, aliasque ceremonias, velut *nugas & theatricas pompas* a Baptismo eliminat. (Ibidem §. 19.)

47. *Ut ratum sit votum aliquod ad Baptismi.* (inquit) *Professionem exigi oportet. Quod si fiat, nullum ex votis in Papatu hodie usitatis non erit irritum.* (In Antidoto Concilii Tridentini in Canonem 9. Sessionis 7.).

Calvini errores de Eucharistia.

48. *Transubstantiationem* in Eucharistiæ Sacramento velus *figmentum* impugnat. *Eucharistiam adorandam esse* negat, asservandam, circumferendam; & extra usum ac manducationem Sacramentum esse: Quam nobis commendat Christus, *non aliam esse quam fidei manducationem*. Verba institutionis, *Hoc est Corpus meum, Hic est Sanguis meus*, figurata accipienda, ut esse panis & vinum dicantur id quod significant. Eosque qui præcise literalem sensum urgent, tamquam præposteros interpretes repudiandos. Hinc tollendam esse quamlibet localis præsentiæ imaginationem. Nam cum signa in hoc mundo sint, oculis cernantur, palpentur manibus, Christum quatenus homo est, non alibi quam in Cœlo, nec aliter quam mente & fidei intelligentia quærendum. Docet nihilominus paradoxum illud secundum sua principia: „ In Cœnæ mysterio per symbola panis & vini Christum vere nobis exhiberi, adeoque Corpus & Sanguinem ejus in quibus omnem obedientiam pro comparanda nobis justitia adimplevit: quo scilicet primum in unum corpus cum ipso coalescamus; deinde participes substantiæ ejus facti, in bonorum omnium communicatione virtutem quoque sentiamus . . . Porro de modo si quis me interroget: fateri non podebit sublimius esse arcanum, quam ut vel meo ingenio comprehendi, vel enarrari verbis queat, atque ut apertius dicam, experior magis quam intelligam. Itaque veritatem Dei in qua acquiescere tuto licet, hic sine controversia amplector. Pronuntiat ille carnem suam esse animæ meæ cibum, sanguinem esse potum. Talibus alimentis animam illi meam pascendam offero. In sacra sua Cœna jubet me sub symbolis panis ac vini Corpus ac Sanguinem suum sumere, manducare ac bibere; nihil dubito quin & ipse vere porrigat, & ego recipiam.

In Consensu de Re Sacramentaria cum Tigurinis.

Lib. 4. Institut. cap. 17. §. 11.

§. 32.

Id fusius explicat Libro De Cœna Domini. „ Si quæratur (*inquit*) an nihilominus panis sit Corpus Christi, & vinum Sanguis ipsius: respondebimus, panem & vinum signa esse visibilia, quæ Corpus & Sanguinem nobis repræsentant; Corporis vero & Sanguinis nomen eis attributum, quod sint veluti Instrumenta quibus Dominus Jesus Christus nobis ea distribuit. Forma hæc loquendi rei valde consentanea est. Cum enim non modo oculis, sed neque ingeniis nostris comprehendi possit Communio quam in corpore Christi habemus, ea tamen illic aperte ob oculos monstratur. Exemplum in re simili valde proprium habemus. Cum vellet Dominus Spiritum suum in Baptismo Christi apparere, eum sub columbæ figura repræsentavit. Joannes Baptista historiam illam recitans, Spiritum Sanctum descendentem se vidisse ait: si propius attendamus, comperiemus ipsum nihil præter columbam vidisse. Nam Sancti Spiritus essentia invisibilis est. Cum tamen sciret visionem illam inanem figuram non esse, sed Spiritus Sancti præsentiæ signum certissimum, affirmare non dubitat, se illum vidisse, quod eo modo, quo ipse ferre poterat, fuerit repræsentatus. Ita in Communione, quam in Christi Corpore & Sanguine habemus, dicendum est: Mysterium spirituale esse, quod nec oculis conspici, nec ingenio humano comprehendi potest. Figuris igitur & signis, quæ sub oculorum sensum cadunt, ut naturæ nostræ imbecillitas requirit, ostenditur: ita tamen ut non sit figura nuda & simplex, sed veritati suæ & substantiæ conjuncta. Merito igitur panis appellatur Corpus; cum id non modo repræsentet, verum etiam nobis offerat. Itaque facile concedemus, Corporis Christi nomen ad panem transferri, quod ejus Sacramentum & figura sit. Sed hoc adjungemus, Sacramentum Domini ullo modo a substantia & veritate sua separari oportere. Ea quidem ne confundantur, distinguere non tantum convenit, sed etiam omnino necessarium est: sed ita dividere ut alterum sine altero constituatur, absurdissimum. Cum ergo signum visibile conspicimus, quid repræsentet, & a quo nobis donatum sit, cogitandum est. Panis enim datur ut Corporis Christi sit figura, eumque jubemur comedere. Datur, inquam, a Deo, qui veritas certa & immutabilis est. Quod si Deus nec fallere, nec mentiri potest, consequens est, ipsum omnia quæ illic significat, reipsa implere ac præstare. Necesse est igitur nos in Cœna vere Corpus & Sanguinem Christi recipere, cum utriusque Communionem nobis Dominus repræsentet. Quid enim sibi vellet, nos panem comedere ac vinum bibere, ut significent, Carnem ipsius cibum esse nostrum, & Sanguinem potum: si veritate spirituali prætermissa, vinum & panem solummodo præberet? Nonne frustra & mendaciter hoc Mysterium instituisset; & quod lingua Gallica dicimus, falsis insignibus? Itaque fatendum est, si vera sit repræsentatio quam adhibet Deus in Cœna, substantiam interiorem Sacramenti visibilibus signis conjunctam esse; & quamadmodum panis in manu distribuitur, ita Corpus Christi, ut ejus participes simus, nobis communicari. Hoc certe, etiamsi nihil aliud esset, nobis abunde satisfacere deberet: cum intelligimus Christum nobis in Cœna veram propriamque Corporis & Sanguinis sui substantiam donare, ut pleno jure ipsum possideamus, & possidendo in omnem bonorum suorum societatem vocemur.

Communicationem illam rursus explicat lib. 4. Institutionum c. 17. §. 10. seu potius novis ambagibus involvit. „ Summa sit, *inquit*, non aliter animas nostras Carne & Sanguine Christi pasci, quam panis & vinum corporalem vitam tuentur & sustinent. Neque enim aliter quadraret analogia signi, nisi alimentum suum animæ in Christo reperirent: quod fieri non potest, nisi nobiscum Christus vere in unum coalescat, nosque reficiat Carnis suæ esu & Sanguinis potu. Etsi autem incredibile videatur, in tanta locorum distantia penetrare ad nos Christi Carnem ut nobis sit in cibum, meminerimus quantum supra sensus omnes nostros emineat arcana Spiritus Sancti virtus, & quam stultum sit ejus immensitatem modo nostro velle metiri. Quod ergo mens nostra non comprehendit, concipiat fides, Spiritum vero unire quæ locis disjuncta sunt. Jam sacram illam Carnis & Sanguinis sui communicationem, quæ vitam suam in nos transfundit Christus, non secus ac si ossa & medullas penetraret, in Cœna etiam testatur & obsignat; & quidem non objecto inani & vacuo signo, sed efficaciam Spiritus sui illuc proferens, qua impleat quod promittit . . . Fateor sane fractionem panis symbolum esse, non rem ipsam. Verum hoc posito, a symboli tamen exhibitione rem ipsam exhiberi rite colligimus. Nisi enim quis fallacem vocare Deum volet, inane ab ipso Symbolum proponi numquam dicere audeat. Itaque si per fractionem panis Dominus Corporis sui participationem vere repræsentat, minime dubium esse debet quin vere præstet atque exhibeat. Atque omnino isthæc piis tenenda regula est, ut quoties symbola vident a Domino instituta, illic rei signatæ veritatem adesse certo cogitent, ac sibi persuadeant. Quorsum enim Corporis sui symbolum tibi Dominus in manum porrigit, nisi ut de vera ejus participatione te certioram facit? Quod si verum est præberi nobis signum visibile ad obsignandam invisibilis rei donationem: accepto Corporis symbolo, non minus Corpus etiam ipsum nobis dari certo confidamus: *Et §. 12.* Vinculum ergo istius conjunctionis est Spiritus Christi, cujus nexu copulamur; & quidem veluti carnalis, per quem quidquid Christus ipse & est & habet, ad nos derivatur. Nam si Solem conspicimus radiis in terram emicantem, ad generandos, fovendos, vegetandos ejus fœtus suam quodammodo substantiam ad eam trajicere: cui inferior Spiritus Christi esset irradiatio, ad Communionem Carnis & Sanguinis ejus in nos traducendam? „ In eo itaque positum est Calviniani erroris systema, ut Christi Corpus in Cœlo tantum esse asserat, non in Sacramento, nisi repræsentative & figurative. Fide tantum manducari: nec substantiam ipsam Carnis illius & Sanguinis, sed unam virtutem in nos derivari. „ Fidem vero, *inquit*, nos ista, quam enarravimus, Corporis participatione non minus late affluenterque pascimus, quam qui ipsum Christum e Cœlo detrahunt. Ingenue interea confiteor, mixturam Carnis Christi cum anima nostra, vel transfusionem qualis ab ipsis docetur, me repudiare: quia nobis sufficit Christum e Carnis suæ substantia vitam in animas nostras spirare: immo propriam in nos vitam diffundere, quamvis in nos non ingredia-

„ tur

tur ipsa Christi Caro. „ (§. 32.) Et in Defensione 11. contra VVestphalum: „ Efficaciter, *inquit*, exhiberi in Cœna diai Christi Corpus, non naturaliter; secundum virtutem, non secundum substantiam. *Quod in* Admonitione ultima *ad eamdem*, *in Libro* De vera Corporia & Sanguinis Christi participatione in Cœna, contra Heshusium, & in Commentariis ad cap. 26. S. Matthæi, & ad cap. 11. prioris ad Corinthios etiam inculcat.

Clarius Confessio Fidei Reformatarum falsi nominis Ecclesiarum Parisiis edita in Synodo Nationali Calviniana die 19. Maii 1559. regnante *Henrico* II. Rege Christianissimo, & *Carolo IX.* in Colloquio Poissiacensi oblata, anno 1561. Articulis 36. & 37. „ Affirmamus (*inquit*) Sanctam Cœnam Domini esse nobis testimonium nostræ cum Domino nostro Jesu-Christo unitionis, quoniam non est dumtaxat mortuus semel & excitatus a mortuis pro nobis, sed etiam vere nos pascit, & nutrit carne sua & sanguine ut unum cum ipso facti vitam cum ipso communem habeamus. Quamvis enim nunc sit in Cœlis, ibidem etiam mansurus donec veniat mundum judicaturus: credimus tamen eum arcana & incomprehensibili Spiritus sui virtute nos nutrire, & vivificare sui Corporia & Sanguinis substantia per fidem apprehensa. Dicimus autem hoc spiritualiter fieri, non ut efficaciæ & veritatis loco imaginationem aut cogitationem supponamus: sed potius, quoniam hoc Mysterium nostræ cum Christo coalitionis tam sublime est, ut omnes nostros sensus, totumque adeo ordinem naturæ superet. Denique quoniam cum sit divinum ac cœleste, nonnisi fide percipi & apprehendi potest.

„ Credimus tam in Cœna quam in Baptismo, Deum nobis re ipsa, id est, vere & efficaciter donare quidquid ibi sacramentaliter figurat, ac proinde cum signis conjungimus veram possessionem ac fruitionem ejus rei, quæ ibi nobis offertur. Itaque affirmamus eos, qui ad Sacram Mensam Domini puram fidem tamquam vas quoddam afferunt, vere recipere quod ibi signa testificantur, nempe Corpus & Sanguinem Jesu-Christi, non minus esse cibum ac potum animæ, quam panis & vinum sint corporis cibus. *Et Articulo* 28. Dicimus panem illum, & vinum illud quod nobis in Cœna datur, vere nobis fieri spirituale alimentum, quatenus videlicet velut oculis nostris spectandum præbent Carnem Christi nostrum cibum esse, & ejusdem Sanguinem nobis esse potum. Itaque fanaticos illos omnes rejicimus, qui hæc signa & symbola repudiant, cum Christus Dominus noster pronuntiarit: Hoc est Corpus meum: &, Hoc poculum est Sanguis meus.

Corpus Christi adorandum esse in Eucharistia, si sit in ea reipsa præsens, contra Lutheranos *Calvinus* contendit. Libro enim „ De vera participatione Carnis & Sanguinis Christi, adversus Heshusium, *ait:* Negare non potest quin adorandus sit Christus in pane, vel sub pane. Nam certe ubicumque est, fraudari eum fas non erit suo honore & cultu. Quid ergo magis præposterum, quam locari in pane, & illic non adorari? „ Quamobrem mirum est, eum Catholicis per calumniam affingere in Institutionibus, quod Eucharistiam adorantes, seu potius Christum in ea, „ Idololatriam committunt, dona pro Datore colant; ea Sancto ejus Sacramento execrabile Idolum fecerint.

49. Docet Calvinus impios non percipere Christi Corpus, sed symbola dumtaxat. (Lib. 4. Institutionum Cap. 17. §. 33. & 34. in Consensu cum Tigurinis, & in Admonitione ultima ad *VVestphalum* versus finem).

50. „ Missam Sacrificium non esse pro vivorum & mortuorum expiatione a Christo institutam, sed hanc insigni contumelia Christum afficere, Crucem ejus sepelire & opprimere, mortem ejus in oblivionem tradere, fructum qui ex ea nobis proveniebat tollere, Sacramentum quo mortis memoria relicta erat, enervare & dissipare. Privatas Missas cum Christi institutione ex diametro pugnare: *ideoque* impiam esse sacræ Cœnæ profanationem. Abominationem *esse*, quæ in calice aureo propinata, omnes Reges terræ & populos, a summo usque ad novissimum sic inebriavit, sic percussit sopore ac vertigine, ut brutis ipsis stupidiores, proram & puppim suæ salutis in hac una exitiali voragine statuerint. (*Lib. 4. Institutionum Cap. 18.*) *Ab Ecclesia veteri se alienum hoc in dogmate minime diffitetur*. Sed quia, *inquit*, Veteres quoque illos video alio hanc memoriam detorsisse, quam institutioni Domini conveniebat (quod nescio quam repetitæ, aut certe renovatæ immolationis faciem eorum Cœna præ se ferebat) nihil tutius piis pectoribus fuerit, quam in pura simplicique Dei ordinatione acquiescere.

51. Consuetudinem quæ semel quotannis communicare jubet, *certissimum esse diaboli inventum*. *Ex eadem prodiisse officina* & alteram Constitutionem de Communione Laicorum sub unica specie, quæ *dimidiam Cœnæ partem meliori Populi Dei numero vel furata est, vel eripuit*; nempe symbolum Sanguinis, quod Laicis interdictum, *paucis rasis & unctis in peculium cessit*. *Edictum æterni Dei esse ut omnes bibant: quod homo nova & contraria Lege antiquare & abrogare audet, edicens ne omnes bibant*. (Lib. 4. Institutionum Cap. 17. §. 46. 47. & 48. & in Responsione ad Articulos Facultatis Parisiensis, ad Articulum 17.).

Calvini errores de Traditionibus & Scriptura.

52. Fidem nostram solis Scripturis, non Traditionibus Apostolicis niti asserit. (In Antidoto Concilii Tridentini ad Sessionem 4.) in Traditiones & Constitutiones Ecclesiasticas, ceu in Tyrannidem quæ sub Ecclesiæ titulo superciliose ingeritur, declamat Lib. 4. Institutionum Cap. 10. Calumniatur Romanæ Ecclesiæ doctores asserere, „ Nullam esse apud nos cæremoniolem quæ non pro Apostolica censeatur. *Ecclesiam Romanam irritum facere præceptum Dei propter traditiones hominum*. *Apud eam* sceleratius esse auricularem Confessionem vertente anno prætermisisse, quam nequissimam vitam in solidum annum produxisse: linguam die Veneris infecisse modico carnis gustu, quam totum corpus diebus omnibus scortando fœdasse: manum die Sanctulis nescio quibus consecrato admovisse honesto operi, quam pessimis facinoribus membra omnia exercuisse: Sacrificium legitimo uno connubio copulari, quam obligari mille adulteriis: votivam peregrinationem non persolvisse, quam in promissis omnibus fidem fallere: in prodigiosos, nec minus supervacuos ac inutiles Templorum luxus non aliquid profudisse, quam defuisse ultimis pauperum necessitatibus: Idolum sine honore præteriisse, quam hominum omne genus contumeliose tractasse: non demurmurasse certis horis longa sine sensu verba, quam legitimam orationem numquam concepisse ... Prope in adulterio absolvi, qui judicatur in cibo: illi scortum permitti, cui interdicitur uxor. „ Gravissimi quidem criminis reos asserimus, qui Ecclesiæ Leges ac præcepta violant & contemnunt, dicente Christo: „ Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus; & Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit, qui autem me spernit, spernit eum qui misit me. Sed Dei mandata imprimis servanda prædicamus, & longe graviora, cæteris paribus, censemus peccata contra Decalogum commissa, quam contra Constitutiones Ecclesiæ. Cum Christo tandem Magistro nostro respondemus: *Hæc oportuit facere & illa non omittere*.

Calvini Calumnia in Romanam Ecclesiam.

Matt. 18. Luca 10.

53. Ecclesiasticum, Sapientiam Salomonis, Tobiam, Judith, & Macchabæorum Historiam, e Canone Sacrarum Scripturarum expunxit. (In Antidoto Concilii Tridentini ad Sessionem 4.).

54. Vulgatam Scripturæ Sacræ versionem authenticam esse negat. (Ibidem.)

55. Auctoritatem judicandi de vero sensu & interpretatione Sanctarum Scripturarum Ecclesiæ adimit. (Ibidem.)

Calviniana Disciplina.

56. Baptismum in privatis ædibus, qualibet urgente necessitate, *Calvinus* non permittit: sic tamen collatum, irritum non censet, ut nec administratum in Romanæ Ecclesiæ Communione. (Epistola ad *Lælium Socinum*, Tom. 9. Editionis Amstelodami p. 51. p. 57.).

57. Mulieri, quam deseruit maritus, cum scorto in locum ignotum abiens, nubendi libertatem concedit (Epistola ad *Valerianum Polanum*, pag. 110.) Matrimonia fornicationis causa solvit & quoad vinculum Calviniana Disciplina, & ad alias nuptias convolandi utrique parti tum læsæ, cum reæ facit potestatem. Cap. 13. Art. 29.

58. Nullo testimonio scripturæ usuras damnatas esse docet *Calvinus* in Responso de Usuris, inter Epistolas, pag. 223.

59. Quod Disciplinam spectat a *Calvino* Genevæ constitutam, eam ipse describit in Epistola ad *Gasparum Olevianum* his verbis: „ Primum eliguntur Ministri a nostro Collegio: ac datus illis Scripturæ locus in cujus interpretatione specimen suæ dexteritatis edant. Deinde examen habatur de præcipuis

„ doctrinæ Capitibus; Tandem coram nobis perinde ut apud Populum concionantur, Adsunt etiam duo ex Senatu. Si probatur eorum eruditio, eos Senatui cum testimonio offerimus: in cujus arbitrio est non admittere, si minus idoneos judicet. Quod si recipiuntur (ut semper hactenus contingit) tum nomina promulgamus coram populo, ut si quod vitium latuerit, liberum sit singulis ante octo dies indicare. Qui tacitis omnium suffragiis probantur, eos commendamus Deo & Ecclesiæ. Infantes non baptizamus, nisi pro publica Concione: quia absurdum videtur ut solemnis illa receptio paucos tantum habeat testes. Patres, nisi quid impediat, jubentur adesse, ut stipulationi respondeant, una cum Fidejussoribus. Nemo tamen ad fidejubendum admittitur, nisi qui ejusdem nobiscum est professionis. Arcentur & excommunicati ab hoc honore. Nemini ante sacram Christi Cœnam patet accessus, quam Fidem suam professus sit. In eum finem quotannis habentur quatuor examina, ubi interrogantur pueri, ac de profectu cujusque cognoscitur. Nam etsi singulis diebus Dominicis in Catechismo jam incipiunt aliquod testimonium dare: donec tamen cognitum fuerit Ministri judicio mediocriter in summa Religionis profecisse, ad sacram Mensam accedere non licet. Quod ad majores natu spectat, a nobis quotannis repetitur inspectio cujusque familiæ. Distribuimus inter nos Urbis regiones, ut ordine singulas decurias accedere liceat. Adest Ministro comes unus ex Senioribus, illic novi incolæ examinantur. Qui semel recepti sunt, omittuntur: nisi quod inquiritur sit ne domus pacata & recte composita, num lites cum vicinis, num qua ebrietas, num pigri sint & ignavi ad Conciones frequentandas. In Censuris observatur hæc ratio. Deliguntur quotannis duodecim Seniores: nempe ex minore Senatu duo, reliqui ex ducentis, sive sint indigenæ, sive adscriptitii cives. Qui probe & fideliter munere suo perfuncti sunt, loco non moventur: nisi forte eos occupet alia cura Reipublicæ. Antequam ab Electione sua sedeant, eorum nomina publice eduntur, ut si quis eos indignos cognoverit, mature denuntiet. Ad Judicium Ecclesiasticum nemo citatur, nisi ex communi omnium sententia. Itaque rogantur singuli, numquid velint in medium afferre. Nemo autem citatur, nisi vel privatis admonitionibus non obtemperavit, vel qui Ecclesiam offendit malo exemplo. Ita blasphemi, ebriosi, scortatores, percussores, rixosi, saltatores, qui choreas ducunt, & similes vocantur. Qui levius deliquit, humanis verbis castigatus dimittitur. Gravioribus peccatis animadversio severior. Eos enim Minister excommunicat, saltem ad breve tempus. Excluduntur autem a Cœna, donec veniam petentes idem Minister Ecclesiæ reconciliet. Si quis præfracta auctoritatem Ecclesiæ spernat, nisi ante elapsum annum a contumacia destiterit, a Senatu in exilium annuum ejicitur. Si quis etiam protervius se gerat, Senatus causam suscipit & animadvertit . . . Ac ne plebs queratur de immodico rigore, non tantum iisdem pœnis subjacent Ministri; sed si quid Excommunicatione dignum admiserint, simul etiam abdicantur.

De Ministrorum electione ita censent Reformatæ falsi nominis Ecclesiæ, ut habet eorum Gallica Confessio: *Credimus nulli jus esse suapte auctoritate invadere Ecclesiæ gubernacula, sed legitima electione, quoad ejus fieri potest, & quandiu Dominus ejus rei potestatem facit, præeunte, adsciscì quemquemque oportere. Addimus autem nominatim illam exceptionem, quoniam interdum, ut nostris etiam temporibus, interrupto Ecclesiæ statu, necesse fuit nonnullos extra ordinem divinitus excitari, qui Ecclesiæ collapsæ ruinas instaurarent.* Cum vocationem atque missionem legitimam Ecclesiæ Pastoribus necessariam negare non possint, nec missionem primorum Reformatorum probare valeant; quos adeo non Pastores, sed lupos fuisse patet, exceptionem apponunt, eosque extra ordinem vocatos & divinitus excitatos ajunt. Extraordinariæ hujus missionis necessitatem in hypothesi impossibili fundant, scilicet in status Ecclesiæ interruptione ac ruina; quasi Christi promissio frustrari possit, qui portas inferi adversus Ecclesiam suam nusquam prævalituras asseruit: aut quasi Spiritus ille veritatis desierit aliquando ipsam docere omnem veritatem, aut Christo ipsi adsistenti omnibus diebus usque ad consummationem sæculi illam conservandi ac tuendi potestas defuerit aut voluntas. Deinde *Calvinum* ac Symmistas divinitus excitatos & extra ordinem vocatos ad Ecclesiam reformandam probent. Miraculis extraordinaria vocatio approbata semper fuit, ut in *Moyse*, *Aarone*, Prophetis, Apostolisque patet. Quænam vero miracula illi novi Evangelii Prædicatores ediderunt? Quibus signis eorum Sermonem ac Reformationem Christus confirmavit? Qua ratione fidem fecerunt sibi cœlitus datam auctoritatem, novam & *plane* contrariam illi, quæ in Ecclesia recepta erat, Confessionem Fidei condendi ac promulgandi, Missæ Sacrificium abolendi, Sacramenta minuendi, Hierarchiam evertendi, Altaria destruendi, sacratissimas Ecclesiæ Leges abrogandi? Divinitus afflatos & excitatos ajunt. Sed si affirmantibus credendum est, *Mahometem*, *Nicolaum Storckium*, & *Muntzerum*, aliosque Anabaptistarum Duces, & *Socinum* similesque impostores, qui se divinitus afflatos pariter jactitarunt, & novam Religionem condiderunt, extra ordinem missos eadem ratione eodemque jure eorum Sectatores asserent.

Calvinus, Lutherus aliique prætensæ Reformationis Auctores missione legitima sunt destituti.

Calviniana Disciplina in Baptismo & Cœna celebratione.

60. Nulla habent aut plurimum Baptisteria Calvinistæ, vel si qua a Catholicis habent, iis non utuntur. In Hollandia, Minister Formulam Baptismi ex suggestu prælegit, aliusque Minister, vel si non adest, ipse descendens, infra suggestum baptizat, quamvis in Gallia suggestus paulo humilior sit, ut ad illum infantes baptizandi attollantur. Formulam Baptismi lingua vulgari & alta voce pronunciant. Anglo-Calviniani etiam Crucis signum, aliasque nonnullas ceremonias a Catholicis acceptas in baptizandi ritu adhibent.

61. Quod Cœnæ celebrationem spectat, Genevenses panem azymum & figura rotundum; Germani, Galli, Belgæ, Angli fermentatum usualemque panem porrigunt, ac in longas partes dissectum, quas postea communicantibus frangunt. Basileæ, & in aliis Halvetiæ locis fractio locum non habet. Apud Genevenses, Ministri *dum* panem distribuunt, nihil prorsus loquuntur: in aliis plerisque locis hæc verba proferunt: *Accipite, manducate, hoc est Corpus meum:* In aliis: *Panis quem frangimus, Communio est Corporis Christi.* Anglo-Calviniani Liturgiam singularem habent. In Germania & Gallia, communicantes mensam circumire solent: in Gallia, Diaconi, ex artificum gregariorum numero plerumque electi, Calicem propinant. In Anglia vero & Belgio, mensam non circuire, sed illi assidere solent: cum hoc tamen discrimine, quod in Belgii plerisque locis duodenarius communicantium numerus observetur, ut Ritus (inquiunt) ad primam Christi institutionem propius accedat: Angli vero Puritani ad viginti usque & plures longæ admodum mensæ turmatim accumbant, & ex tribus vel quatuor in ea positis scutellis, panis frustulis repletis, totidemque scyphis Sacramentum suis ipsis manibus capiant: Apud Anglo-Calvinianos vero neque circumambulare, neque etiam accumbere solent; sed contra Minister circumit atque obambulat, deferens unicuique ad sedem suam utramque speciem Sacramenti. Hi vinum in Calicibus: Puritani vero in vulgaribus poculis propinant.

62. Quod Ritus reliquos attinet, Anglo-Calviniani Matutinas & Vesperas quotidie canunt: Itemque organorum pulsu, & vocali Musica, superpelliceis induti; cæteri unum dumtaxat & alterum Psalmum canunt ante & post Concionem, absque organis. Vestes sacras vel religiosas in divino cultu nullas adhibent. Sanctorum Festa nulla celebrant, exceptis Anglo-Calvinianis. Stata jejunia apud alios nulla. Genevenses œconomiæ causa diem Jovis pisculentum fecere, quia propter vicinum Lacum *Lemannum* piscibus abundant: diem autem Veneris carnium esui destinarunt, propter libertatem (inquiunt) conscientiæ. Apud Anglos abstinentia a carnibus diebus Veneris & Quadragesimali tempestate œconomiæ potius causa, quam Religionis observatur.

Calviniani Lutheranos Augustanæ Confessionis ad Cœnam & Communionem recipiunt.

63. Lutheranos Augustanæ Confessionis, quamvis *Corpus Christi in pane, seu cum pane esse* credant, ad Cœnam & Communionem recipiunt Calviniani, ex Decreto Synodi Carentonicæ, anno 1631. celebratæ, quo etiam declaratur, illos in *Articulis fundamentalibus veræ Religionis* cum Reformatis convenire, *nullamque in eorum cultu idololatriam esse, vel superstitionem*. Celebris ille Calvinianæ Sectæ Minister *Dallæus* in *Apologia Ecclesiarum Reformatarum*, pag. 53. asserit: *Huic opinioni nihil inesse veneni, neque ad aliquid inducere quod sit contrarium pietati, charitati, vel honori Dei, aut hominum bono, eamque posse ac debere tolerari.* Ex hoc laqueo extricare se Ministri non possunt, cum a nostris urgentur. Si enim huic opinio-

opinioni nihil inest veneni, si nihil involvit contrarium pietati, charitati, honori Dei vel proximorum saluti, cur propterea a Romanæ Ecclesiæ communione defecerunt, aut in schismate pertinaciter permanent? Si respondeant, Lutheranos Transsubstantiationem non admittere, quam ut dogma fidei propugnamus; *Bezam* audiant lib. De Cœna Domini contra *Westphalum* scribentem: *Retineri reipsa non posse τὸ ῥητὸν in his Christi verbi*, Hoc est Corpus meum, *quin Transsubstantiatio statuatur*; & rursus inferentem: *Vel Transsubstantiatio ponenda est, vel tropus*. Cum itaque nullum sit in doctrina realis præsentiæ venenum, *Dallæo* teste, nec ullum venenum est in doctrina Transsubstantiationis. At (inquient) Lutharani Sacramentum non adorant. Sed neque nos Sacramentum ipsum seu symbola adoramus, sed Christum symbolis obvelatum, & realiter ac substantialiter sub ipsis præsentem; & omnino necesse est illum in Eucharistia adorare, si sit in ea reipsa præsens, ut *Calvinus* contra *Hesbusium* Dialogo II. colligit; & *Beza* lib. *De Cœna Domini* contra *Westphalum*, pag. 245. ita scribent: *Illud vero præ cæteris demirer, qui adorationem istam liberam relinquas, qui tamen Christum re ipsa corporaliter ut in Cœlis, cum pane adesse, dari, & sumi fatearis. Id enim si ita esse crederem, adorationem illius profecto non modo tolerabilem & religiosam, sed etiam necessariam arbitrarer*. Et *Dallæus* in Apologia non semel asserit supposita præsentia Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia, illa posse ac debere in ea adorari. Cum itaque fides realis præsentiæ Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia nihil habeat veneni, nihil contrarium pietati, charitati, honori Dei, vel hominum saluti: nihil etiam veneni habet adoratio, quæ ad eam necessario sequitur. Viderint porro qua ratione illud suæ Synodi Carentonicæ Decretum cum *Calvini* Patriarchæ sui oraculo concilient Epistola 292. Genevæ data, die 22. Aprilis 1560. *Porro*, inquit, *quod me consulis, an tibi sacram Christi Cœnam ea eorum manibus sumere liceat, quibus Heretici sumus, quia negamus Christi carnem dentibus atteri: quamquam mali exempli rem esse video, si quis a Cœna abstineat, perversæ tamen, atque adeo perfidæ simulationis esset, accepto concordiæ symbolo, falsum illud & absurdum commentum, quod exitialibus præstigiis fidei principia evertit, vel tacite approbare, nisi clara & ingenua præcedat sanæ doctrinæ Confessio. Nihil igitur melius fore arbitror, quam si libere palamque testeris te eorum culpa a Cœnæ participatione prohiberi, quia puram & genuinam Christi doctrinam non admittunt*.

Insolubile contra Calvinistas argumentum.

§. III.

De Calvinistarum Dissidiis.

SEctæ inter Calvinistas præcipuæ sunt quatuor. Prima eorum omnium est, qui *Calvinum* adamussim sequuntur, quales sunt *Reformati* in Gallia, & in Palatinatu, Belgæ pleriqua & Helvetii, *Puritani* in Anglia, & Scotia. Altera est *Anglo-Calvinianorum*. Tertia, *Piscatorianorum*. Quarta, *Arminianorum*.

II. *Anglo-Calviniani a Puritanis*, cæterisque *Reformatis* differunt cum in Disciplina, tum in Dogmatibus. Episcopalem enim Ordinem admittunt, non modo a cæteris officiis distinctum, sed etiam jure divino superiorem. Christi trophæum, Crucem scilicet, non solum honorant, sed ejus signum Sacramentis, & in primis Baptismo adhibent: Puritani vero, & reliqua Calvinistarum natio signum Crucis execrantur, & Cruces ubique demoliuntur & frangunt, *Anglo-Calviniani*, quamdam Consecrationis Episcopalis, Confirmationis Baptizatorum, Ordinationis Presbyterorum, speciem habent: quas reliquum omne Calvinianum nomen velut Papisticas superstitiones (ut ipsi loquuntur) summo consensu rejicit. Anglo-Calviniani Episcopi suos habent Cancellarios, Archidiaconos. Decanos Rurales, Cathedrales Ecclesias in quibus sunt Canonici seu Præbendarii, qui matutinas ac vespertinas preces calebrant, ignota cæteris Calvinistis nomina. Liturgiam suo ritu celabrant diebus sacris, & in eadem Litaniam diebus Mercurii & Veneris recitant, in qua tamen preces ad Deum diriguntur, non ad Sanctos, & in functionibus suis obeundis superpelliceo utuntur. Ad Presbyterorum Ordinem Diaconatus apud illos gradus est. Summum Ecclesiæ Anglicanæ Gubernatorem & Caput Regem agnoscunt censentque secundum *Elisabethæ* Reginæ Leges, nullum Prælatum extraneum præcipue Romanum Pontificem, ullam Jurisdictionem, Auctoritatem, vel Præeminentiam spiritualem, sive Ecclesiasticam, intra Regnum Angliæ habere vel exercere posse, sed omnem Jurisdictionem hujusmodi Regiæ Coronæ unitam. Regem posse novas Leges condere circa caremonias & ritus, cum consilio Metropolitani, vel Commissariorum in causis Ecclesiasticis. Da hujusmodi causis supremo judicio judicare cum per appellationem ad ejus Tribunal devolutæ sunt: De ipsis Fidei dogmatibus una cum illorum Consultissimis deliberare, & de iisdem Edicta promulgare: quamvis nullam ipsi tribuant auctoritatem illa pro Concione publice docendi, nec Sacramenta administrandi, nec censuras ferendi. Lege Tractatum *De Politia Ecclesiæ Gallicanæ* Londini editum anno. 1683.

Anglo-Calvinianorum & Puritanorum discrimen.

III. Ad *Puritanos* proxime accedunt *Independentes*, & *Presbyteriani*, quibus admodum favit *Oliverus Cromvellus* Regni Protector nuncupatus. In Confessione Fidei a *Puritanis* & *Reformatis* nostris utrique non dissentiunt; in Ecclesiastico tamen Regimine, (ut hoc verbo utar) a se invicem dissident. Quamquam enim utrorumque cœtus regant Presbyteri, majorem tamen severitatem præ se ferunt *Independentes* in externa disciplina & censura morum; nec ad Cœnæ usum admittunt, nisi qui in rebus Religionis & Divinis Scripturis probe se esse versatos examine publico demonstrarunt. Admittunt omnium, quos impetus incitat, doctrinam, in conventibus publicis in quibus sæpe plures successive Sermonem habere permittuntur. In privatis domibus cœtus suos lubentius agunt, quam in Templis: quamvis & his utantur: quodque præcipuum est inter hos & *Presbyterianos* discrimen, unamquamque particularem Ecclesiam sui juris faciunt, nec ulli ulli subjectam aut subordinatam esse statuunt; nemini Fidei rationem reddunt, nisi illi, cujus membra sunt, Ecclesiæ: Cum ex adverso Presbyteriani particulares Ecclesias Classibus, Classes Synodis Provincialibus, has Synodo Nationali subjiciant, & Decreta Synodorum jure divino vim habere cogendi statuant. *Independentium* libertas aliis Sectis impune grassandi in Anglia occasionem dedit, *Anabaptistis*, qui in nulla pene alia re ab ipsis differunt in eo Regno, quam in Pædobaptismi repudiatione: *Antinomis* qui Legem & totum Vetus Testamentum rejiciunt quippe quæ jam impleta sint: *Antiscripturianis*, quibus tota Scriptura contemptui est, dum se eumdem, quem Apostoli & Prophetæ, habere Spiritum gloriantur: *Quakeris*, qui se in hac vita plene perfectos & a peccato mundos existimant, & in extases frequenter incidere simulant, quo tempore toto corpore contremiscunt; quia (ut perhibent) magnitudinem illam lucis & splendoris divini, qua obruantur, perferre nequeant: *Ranteris*, qui Libertinorum instar nihil turpe putant, ad quod naturæ quantumvis corruptæ sentiant incitamentum: *Levelleriis*, Politici ordinis hostibus, qui naturalem omnium hominum æqualitatem urgent, quas nec opibus, nec honore alter alteri antecellat, frequentes seditionum adversus Magistratus incentores.

Presbyteriani & Independentes.

IV. Acris olim fuit inter Anglo-Calvinianos & Galliæ Reformatos in scriptis agitata controversia, Anglis contendentibus, non obstante Reformationis necessitate continuam debere in Ecclesia Episcoporum ac Pastorum Ordinationem atque successionem sine ulla interruptione servari, cum ex conscientia uniuscujusque satis constet, neminem ad hujusmodi reformationis opus, instar Apostolorum, extraordinarie & immediate fuisse vocatum. Hac arte suam Ecclesiam *Reformatarum Matrem* constituere volebant, Gallosque & Germanos invitare ut primas Ministrorum suorum Ordinationes ab ipsorum Episcopis peterent, eosque proptarea transfretare juberent. Verum Anglorum consilium Gallis Germanisque non placuit, immo adeo ipsos commovit importuna illa postulatio, ut *Antonius Sadeel* Gallus illum edito Libello retunderat, cui titulus est: *De legitima vocatione Pastorum Ecclesiæ Reformatæ*.

Controversia inter Anglo Calvinianos, & prætensos Galliæ Reformatos.

V. Qui *Piscatorianis* nomen dedit *Joannes Piscator*, Argentinensis, in Gymnasio Herbornensi Calvinianæ Theologiæ Professor, homo arrogans, omniumque Symmistarum contemptor, circa annum sexcentesimum supra millesimum ad celebritatem nominis assequendam animum intendit. Quamobrem Scholarum Reformationem meditatus est, exque iis omnes bonos Auctores Gentiles, *Ciceronem*, *Terentium*, *Salustium*, *Horatium*, *Virgilium*, aliosque id genus relegavit & ex ver-

Piscatoriani.

tib s

sibua quos studiosa juventus ibi quandoque scribebat, semper litura obduxit vocabula illa profana quidem, sed maxime Poetica *Ceres*, *Bacchus*, *Mars*, *Diana*, *Phœbus*, *&c.* Tandem etiam astrorum, dierum, & planetarum nomina reformare, & pro illis Christiana substituere conatus est; sed hic illi aqua hæsit. Præcipua dogmata in quibus a reliqua Calvinistarum gente dissentit, hæc sunt: primo dividit justitiam Christi in eam quam ex Legis obedientia, vitæque sanctitate habuit; & in eam quam passione & morte acquisivit: quæ ideo in Scholis Calvinianis, ubi refellitur *Justitia activa*, & *passiva* nominari solet. Justitiam activam tribui uni Christo, nihilque aliis prodesse contendit, quod Christus illam pro se debuerit, ut filius Adam & Abraham, Legi servandæ obstrictus. Passivam solis tribuit Fidelibus, pro quibus Christus mortuus est, illosque istius justitiæ per fidem apprehensione, sine omni infusa & inhærente justitia ipsorum propria formaliter justificari asserit. Secundo, docet, Christum sibi etiam ipsi aliquid passione sua & morte promeritum fuisse, atque in eo Catholicam sequitur sententiam contra *Calvinum* quem publice ex cathadra in hoc articulo superciliose refutavit, ejus verba Lib. II. Institutionum Cap. 17. §. 6. *Quærere vero an sibi ipsi meruerit, non minus stulta est curiositas, quam temeraria definitio, &c.* prius subsannando legens. Tertio fractionem panis in Cœna Dominica ceremoniam essentialem esse affirmat, atque ita necessariam, ut quisquis illam omittit, Cœnam non mutilet modo, sed etiam tollat. Hæc quæstio in tribus Calvinistarum Academiis ferventissime disceptata est, Marpurgensi, Basileensi, & Heidelbergensi. Marpurgenses *Piscatoris* sententiam veluc dogma Fidei suscepere. Basileenses fractionem ritum esse *ἀδιάφορον* propugnant, & *Piscatoris* ac Marpurgensium assertionem ipso etiam opere ac usu refellunt, panem in Cœna non frangentes. Heidelbergenses sese quasi arbitros interponunt; & contra *Piscatorem* ac Marpurgenses negant fractionem esse ritum essentialem Cœnæ; contra Basileenses vero *ἀδιάφορον* esse inficiantur: sed tamen omnino necessariam esse contendunt, & ad Cœnæ integritatem pertinere. Sic explicantem *Paræum* se audivisse testatus *Petrus Cudsemius* in Libro qui inscribitur; *Vera effigies Sectæ Calvinisticæ*. Quarto docuit *Piscator* Legem Mosaicam quoad judicialia præcepta & pœnarum genera, non esse abolitam, sed sancte servandam. Atque in Herbornensi Academia, & ipsius Nassoviensis Comitis Aula quæstio agitata est, utrum fures capitali pœna plecti debeant. *Piscator* disputando obtinuit, ut nullus fur in Comitatu Nassoviensi crimen capite lueret. Quinto in omnibus ferme Theologiæ capitibus, de Prædestinatione, de Pœnitentia, de Satisfactione Christi, &c. singulares habet sensus, terminos, & distinctiones cæteris Calvinistis insuetas, ideoque Catechismum Heidelbergensem passim castigavit, inque ejus locum novas conscripsit Expositiones Catecheticas: propriam etiam Bibliorum Versionem adornavit, in quam *Amandus Polanus* Censuram scripsit, ostenditque vel in solius *Pentateuchi* versione centies ad minus *Piscatorem* lapsum esse. *Piscatoris* opiniones exoticas, & *Calvini* spiritui ac doctrinæ contrarias, nostrates Reformati post longum examen, hæreticas declararunt, & communi Decreto Auctorem hæreticum publica Sententia & Anathemate condemnandum dixerunt. Quo nuntio accepto, Nassoviensis Comes *Joannes* ad Academiam Heidelbergensem *Crocium* & *Martinium* e suis Theologis duos anno 1604. misit ut *Piscatoris* causam examinari curarent. Heidelbergenses *Piscatorem* pro excommunicato quidem se non habere in gratiam Principis responderunt; sed opiniones ipsius & hæreseos improbare se ac rejicere significarunt.

In Exposi-tione Catech.

Ibidem, & in Aphorismis de Cœna, Aphor. 6.

In Aphorismis de Lege Dei, Aphor. 17.

Arminiani & Gomaristæ.

VI. *Arminiani* Magistrum agnoscunt *Jacobum Arminium*, quondam Amstelodamensem Ministrum postea Lugduni Batavorum Theologiæ Professorem, qui contempta *Calvini*, *Bezæ*, *Petri Martyris*, *Zanchii*, & aliorum Sectæ Doctorum auctoritate, Belgicarum Calviniani nominis, (ut vocant) Reformatarum Ecclesiarum Confessioni & Catechesi minime standum esse, aut ex ipsis controversias præjudicari non debere contendebat, sed ex mero Dei verbo. De multis fundamentalibus Dogmatibus in materia de gratia Dei & libero arbitrio, de justificatione, de perfectione hominis in hac vita, de prædestinatione & reprobatione, de perseverantia, de peccato originis controversias excitavit, communiaque Calvinianæ Sectæ placita disputationibus ac scriptis convulsit. Adversarium habuit *Franciscum Gomarum* ejusdem Academiæ professorem, omnium *Calvini* sententiarum adoratorem, ac vindicem acerrimum. Quisque suos magno numero sectatores habuit. Leydensis primum Academia variis in studia partesque scissa, tota deinde Hollandia commota est. Collatio primum inter illos habita ex Ordinum mandato, nonnullæ Synodi in Fœderatis Provinciis harum dissensionum occasione celebratæ, Nationalis decreta Synodus; *Arminius* a *Gomaro* & ejus sectatoribus ubique Pelagianismi accusatus. De modo convocationis Synodi Nationalis, servandisque in ea conditionibus, factionem inter utramque acerrime certatum, & post *Arminii* mortem, quæ Octobri mense anno 1609. contigit, *Arminiani* Libellum supplicem Ordinibus Hollandiæ & Frisiæ Occidentalis eodem anno obtulere, quo postulabant, Confessionem & Catechismum in libera Synodo ante omnia ad examen revocari, ac protestabantur eam Confessionem & Catechismum quinque Articulorum respectu, pro quibus *Gomaristæ* velut pro aris & focis certabant, cum verbo Dei pugnare; rogabantque ut interim altera pars alteram ex charitate pacifice toleraret, utque nemo vel in Ecclesiarum, vel in Scolarum muneribus seu obtinendis seu administrandis, propter Articulos hujusmodi negotium alteri facesseret. Ab hac Protestatione, in qua sæpe solemni formula in supplicibus libellis usurpata *Remonstrantium* nomine se indigitant *Arminiani*, deinceps etiam *Remonstrantes* appellati sunt: *Gomaristæ* vero ipsorum adversarii *Contraremonstrantes*: qui & *Rigidi Calviniani*; cum *Arminiani*, ob emollitam Calvinianorum dogmatum in materia prædestinationis & gratiæ duritiem, *Calviniani molles* merito nuncupentur. Supplex *Remonstrantium* Libellus editus est in Actis Collationis Hagiensis iis de controversiis habitæ anno 1611. Hi porro sunt *Remonstrantium* Articuli, quos ab *Arminio* accepere.

Arminianorum sive Remonstrantium Articuli de prædestinatione, de Christi morte, de gratia & libero arbitrio, de perseverantia.

1. *Deum æterno, immutabili Decreto in Jesu Christo Filio suo ante jactum mundi fundamentum statuisse, ex lapso peccatis obnoxio humano genere illos in Christo, propter Christum, & per Christum, servare, qui Spiritus-Sancti gratia in eundem ejus Filium credunt, & in ea Fide, Fideique obedientia, per eandem gratiam in finem perseverant. Contra vero, eos qui non convertuntur, & Infideles, in peccato & iræ subjectos relinquere, & condemnare tamquam a Christo alienos; secundum illud Evangelii Joannis 3. v. 36. Qui credit in Filium, habet vitam æternam; qui vero Filio non assentitur, non videbit vitam æternam, sed ira Dei manet super eum.* At qualitates salvandorum, Fidem & perseverantiam ex prædestinatione tamquam ex fonte descendere negabant; immo contendebant eas prædestinatione seu electione priores esse, nec obscure ab hominis voluntate suspendebant, ut ex Collatione Hagiensi compertum est.

2. *Jesum Christum mundi Servatorem pro omnibus & singulis mortuum esse, atque id ita quidem ut omnibus per mortem Christi reconciliationem & peccatorum remissionem impetraverit: ea tamen conditione, ut nemo illa remissione peccatorum reipsa fruatur præter hominem fidelem; & hoc quoque secundum Evangelium Joannis 3. v. 16. Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum dederit, ut quisquis credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam, & 1. Joan. 1. Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris: nec pro nostris solum, sed pro totius mundi peccatis.*

3. *Hominem vero salutarem fidem a se ipso non habere, nec vi liberi sui arbitrii, quandoquidem in statu defectionis & peccati nihil boni, quod quidem vere bonum est, quale quid est fides salutaris, ex se possit cogitare vel facere: sed necessarium esse eum a Deo in Christo per Spiritum ejus Sanctum regigni & renovari mente, affectibus, seu voluntate & omnibus facultatibus, ut aliquid boni possit intelligere, cogitare, velle, & perficere; secundum illud Christi Joann. 15. Sine me nihil potestis facere.*

4. *Hanc Dei gratiam esse initium, progressum ac perfectionem omnis boni, atque ideo quidem usque, ut homo quidem regenitus, absque hac præcedanea seu adventitia, excitante, consequente, & cooperante gratia neque boni quid cogitare, velle, aut facere possit, neque etiam ulli malæ tentationi resistere. Adeo quidem ut omnia bona opera, quæ excogitare possumus Dei gratiæ in Christo tribuenda sint. Quoad vero modum operationis illius gratiæ illa non est irresistibilis. De multis enim dicitur, eos Spiritui Sancto restitisse; Actor. 7. & alibi multis locis.*

5. *Qui Jesu Christo per veram fidem sunt insiti, ac proinde Spiritus ejus vivificantis participes, eos aban-*

bunda habere facultatum, quibus contra Satanam peccatum, mundum & propriam suam carnem pugnent, & victoriam obtineant, verumtamen per gratiæ Spiritus Sancti subsidium: Jesum Christum vero illis Spiritu suo in omnibus tentationibus adesse, manum porrigere; & modo sint ad certamen prompti, & ejus auxilium petant, neque officio suo desint, eos confirmare: Atque id adeo quidem, ut nulla Satanæ fraude aut vi duci, vel e manibus Christi eripi possint, secundum illud Joannis 10. Nemo illos e manu mea eripiet. *Sed an illi ipsi sua negligentia initium sui esse in Christo deserere non possint, & præsentem mundum iterum amplecti, a sancta Doctrina ipsis semel tradita deficere, conscientiæ naufragium facere, a gratia excidere, penitus ex Sacra Scriptura esset expendendum, antequam illud cum plena animi tranquillitate & πληροφορία docere possent.*

Hosce Articulos postmodum variis Thesibus explicarunt. Ad primum Articulum de Prædestinatione & Reprobatione Theses sequentes pertinent.

Theses Arminianorum de Prædestinatione.

1. *Prædestinatio (quæ electionem & reprobationem amplectitur,) non est unica, sed duplex.*

2. *Prima est Decretum divinum, generale seu universale: quo constituit credentes servare, incredulos damnare.*

3. *Hoc est totum & integrum Prædestinationis Decretum.*

4. *Decretum de salvandis Fidelibus, solum est fundamentum Christianismi, salutis & certitudinis salutis.*

5. *Secunda Prædestinatio est Decretum divinum speciale seu singulare, quo constituit juxta præcedens illud Decretum, hos salvare, illos perdere: id est, hos consideratos ut Infideles, sive qui credere nolint, æternæ morti atque exitio addicere.*

6. *Prædestinatio hominum ad salutem specialis, duplex est, peremptoria, quæ æternæ salutis communicationem actualem & realem sibi conjunctam habet; & non peremptoria.*

7. *Peremptoria est Decretum Dei, de salvandis iis sigillatim, quos per Spiritus sui gratiam in Christum credituros, atque in hac Fide ad finem usque perseveraturos prævidebat. Quæ Prædestinatio solammodo ad salutem & gloriam est, non autem ad gratiam.*

8. *Quæ solus in credentibus Fidei præmium est, non autem finis.*

9. *Gratia vero donationis Christi, vocationis, fidei, justificationis, sanctificationis, adoptionis, perseverantiæ, non est medium prædestinationi speciali ad salutem subordinatam: sed ea Prædestinationem ipsam naturæ ordine antecedit.*

10. *Fides enim, obedientia illius, & perseverantia, ut ab homine præstita, & a Deo prævisa, est conditio in objecto eligendo prærequisita, ac causa sine qua non cui Decretum electionis innititur.*

11. *Quæ Fidei gratia non solis electis ad gloriam & servandis confertur; sed reprobis etiam ac condemnandis.*

12. *Ac Fides electorum semel collata, omnino amitti ac restitui potest, ideoque reipsa interdum amittitur, & amissa restituitur.*

13. *Ideoque peremptorie electus in hac vita fieri potest reprobus, & rursum ex reprobo electus. Unde sequitur, electionem peremptoriam aliam esse mutabilem, quæ est electorum viventium; aliam immutabilem quæ est mortuorum tantum.*

14. *Electionis hujus causa impulsiva est & solum ac liberrimum Dei beneplacitum, & Christi meritum.*

15. *Fidelium in hac vita de electione sui salvifica certitudo non est absoluta, sed tantum conditionata, ut quæ ab incerta perseverantiæ conditione dependet.*

16. *Absoluta electionis certitudo ad pietatem non conducit.*

17. *Infantibus nullis convenit electio, quod Fide prævisa careant.*

18. *Non peremptoria Prædestinatio est, quæ æternæ salutis communicationem actualem & realem sibi conjunctam non habet. Eaque vel communis est non credentibus & credentibus; vel credentibus propria. Communis est, quæ communiter se extendit ad omnes, qui divinæ vocationis gratiosæ participes fiant, sive vocationi pareant, sive incredulitate eam respuant. Propria est, quæ solis vere credentibus non perseverantibus convenit.*

19. *Reprobatio alia est peremptoria, quæ actualem & realem damnationem sibi conjunctum habet; alia non peremptoria.*

20. *Reprobatio peremptoria est Decretum de iis sigillatim damnandis, quos in infidelitate morituros prævidebat.*

21. *Reprobi quidem ad tempus viva fide sunt præditi, vivaque sunt Christi membra, justificantur, & regenerantur, sed tandem omnino ac perpetuo a fide deficiunt ac pereunt.*

Ad secundum Articulum hæ Theses revocantur.

Theses Arminianorum de Christi morte pro omnibus.

1. *Dei Patris in tradendo in mortem Filio voluntas & intentio fuit, omnibus & singulis hominibus, tam perituris quam salvandis salutem aut vitam æternam conferre.*

2. *Hæc Dei voluntas conditionata, non absoluta fuit.*

3. *Christi in subeunda morte intentio fuit, homines omnes aut singula individua servare, tam eos qui pereunt, quam qui salvantur: seu Christus pro Caino & Abele, pro Juda & Petro indiscriminatim in communi lapsus & peccati statu consideratis, mortem sustinuit.*

4. *Christus pro omnibus & singulis hominibus mortuus est: reconciliationem cum Deo, & remissionem peccatorum singulis promeruit, impetravit, & Justitiæ Dei pro peccatis singulorum satisfecit; etsi non omnibus & singulis, quibus impetrata sunt, applicentur.*

5. *Proinde Deus Pater, qui merito mortis Christi universo generi humano est reconciliatus novum gratiæ fœdus cum omnibus & singulis peccatoribus, damnationique obnoxiis hominibus inire potuit, voluitque; cum pretium Redemptionis, quod Christus Deo Patri obtulit, in se toti humano generi redimendo sit sufficiens.*

6. *Quia Deus universum genus humanum in reconciliationis gratiam assumpsit, & cum Adamo, omnibusque ac singulis ejus posteris gratiæ fœdus iniit, nemo nec infans, nec adultus propter originale peccatum damnationi est obnoxius.*

Ad tertium & quartum Articulum sequentes Theses referuntur.

Theses Arminianorum de Virtutibus, præsertimque de fide.

1. *Eadem voluntatis humanæ actio (licet diversa ratione considerata) dici non potest & contingens & necessaria: contingens quidem natura sua; necessaria vero respectu Decreti divini. Ea enim ratione, ex vi & efficacia Decreti divini omnia mala necessario fierent.*

2. *Cum ab Adamo ante lapsum Deus obedientiam exegerit libera voluntate præstandam, habituum seu virtutum in voluntatem infusio locum habere non potuit, in intellectum & affectus potuit.*

3. *Ideo voluntas hominis, cum virtutes illuc admittere nequiverit, easdem per lapsum amittere non potuit. Et voluntatis vivificatio in mentis & affectuum reformatione consistit.*

4. *Deus autem ante statum regenerationis, gratiam salvificam certis gradibus iis largitur, qui reliquis imaginis Dei scintillis recte sunt usi; quemadmodum scriptum est: Habenti dabitur.*

5. *Post lapsum vero in statu peragendæ regenerationis, infusiones habituum seu virtutum cum in voluntatem, tum in intellectum, & affectus, (si ordinariam conversionem spectes) repugnant mediorum, quibus Deus in homine novam vitam operari vult, administrationi.*

6. *Itaque Fides, qua primum convertimur, & a qua Fideles nominamur, actus est, non habitus a Deo infusus, ex quo actus Fidei oriatur: alioqui voluntas hominis (cum habitus infusus sit irresistibilis) haberet sese mere passive, pateretur, non ageret.*

7. *Hujus actus Fidei causa est Dei gratia, non omnipotens (quasi ita fidem in homine operaretur, ut voluntas libertate sua ei resistere, atque omnino fidei actum impedire nequiret) sed ea tantum ratione potens ut suaviter in consensum alliciens suasu suo a voluntate resistente perpetuo rejici possit, ne ullus umquam fidei actus consequatur.*

Ad quintum Articulum Theses sequentes spectant.

Theses Arminianorum de perseverantia.

1. *Perseverantia Fidelium in fide non est effectus electionis, qua Deus singulares personas nulla obedientiæ conditione circumscriptas ad salutem elegisse dicitur.*

2. *Perseverantia non est donum Dei proprie dictum, Fidelibus scilicet infusum, & morte Christi partum, sed præceptum & conditio moralis novi fœderis, quam Deus inter multas possibiles præscripsit, & ante peremptoriam electionem ad peccatorum remissionem in homine requirit: quamque homo habitu fidei & obedientiæ per crebros credendi & obediendi actus acquisito,*

faci-

facile præstare potest: accedente autem interno Spiritus Sancti solatio, etiam præstare vult, ac plerumque præstat.

3. Stante auxilii divini promptitudine, & gratiæ sufficientis præsentia, positisque illis omnibus, quæ ad perseverandum necessaria & sufficientia sunt, quæque Deus ad fidem conservandam vult adhibere: immo etiam posita in ipsa voluntate fidei habitu, manet tamen in ipsa hominis potestate, vel perseverare, vel non perseverare.

4. Quotiescumque vere Fideles opera carnis enormia committunt, toties veram fidem totaliter amittunt. Non solum autem possunt in atrocia & conscientiam directe vastantia scelera, usque adeo in ipsum peccatum ad mortem & in Spiritum Sanctum incidere, sed etiam in iis perseverare, ac mori, consequenter a fide justificante, gratia, & salute totaliter & finaliter excidere; multisque id vere Fidelibus ac regenitis evenit, & etiamnum non raro evenit.

5. Nullus vere Fidelis ac regenitus in hac vita de perseverantia, ac proinde de sua salute certus esse potest absque speciali revelatione.

6. Tantum abest ut doctrina de certitudine perseverantiæ ac salutis ad solidam Fidelium consolationem & conscientiarum pacem in hac vita sit necessaria, ut e contrario natura atque indole sua veræ pietati ac toti Religioni sit perniciosa, inserviatque generandæ ac fovendæ carnali securitati.

7. Fides πρόσκαιρος id est temporariorum, est fides vera, totalis & justificans, nec differt specie a vera fide ad finem durante.

Gomaristarum Antitheses.

His Thesibus totidem Antitheses *Gomaristæ seu Contraremonstrantes* opposuerunt, cum probationibus, quibus & subscripsere *Joannes Polyander*, *Franciscus Gomarus*, *Antonius Thysius*, *Antonius VValeus*, & *Lubertus*. Quæ Dordrectanæ Synodo exhibitæ sunt. *Arminianos* confixerunt Fœderatarum Provinciarum Synodi per Deputatos, quorum Judicia ad eamdem Synodem Nationalem perlata, scilicet Deputatorum Synod Geldricæ, Suyd Hollandicæ, Nort-Hollandicæ, Zelandiæ, Ultrajectinæ, Frisicæ, Trans-Isulanicæ, Groninganæ, Drentanæ, Gallo Belgicæ, ut videre est in Actis ipsius Dordrectanæ Synodi, parte III. Accesserunt exterorum Calvinianæ Sectæ Theologorum Judicia Arminianorum Articulis contraria, scilicet Anglorum, Palatinorum, Hassiacorum, Helveticorum, VVatteravicorum, Genevensium, Bremensium, Emdanorum, quæ secunda Parte Dordrectanæ Synodi legere est.

Synodus Dordrectana.

Congregata porro est Nationalis illa Calviniani nominis Synodus anno 1618. Prima Sessio habita 13. Novembris; absoluta est mense Majo, anno 1619. Centum & quinquaginta quatuor Sessionibus conventum. Sessione 27. die 11. Decembris 1618. habita, solemni Protestatione significarunt Arminiani se Dordrectanam Synodum pro legitimo Controversiarum suarum Judice non agnoscere, quod iidem in ea sederent adversarii & Judices, qui nimirum dogmata, de quibus ferri judicium oportebat, mordicus propugnarent: ideoque judicium ejus nullum apud se, suasque Ecclesias pondus habiturum. De hac Protestatione rogatæ exterorum Theologorum sententiæ, qui nullam illius habendam esse rationem judicarunt.

Dordrectana Synodi Sententia in Arminianos.

Idipsum pronuntiarunt Fœderatarum Provinciarum Delegati: idem a Synodo Delphensi definitum est, Remonstrantium dogmata confixit Synodus Dordrectana, & Reformatarum (ut loquuntur) Ecclesiarum doctrinam Canonibus explicuit Sessione 136. promulgatis. Denique lata est in Remonstrantes seu Arminianos Synodica Sententia his verbis: *Synodus invocato Dei sancto nomine, suæ auctoritatis ex verbo Dei probe conscia, omnium legitimarum tum veterum tum recentium Synodorum vestigiis insistens, & Illustrissimorum DD. Ordinum Generalium auctoritate munita, declarat atque judicat: Pastores illos, qui partium in Ecclesia ductores, & errorum Doctores sese præbuerant, corruptæ Religionis, scissæ Ecclesiæ unitatis, & gravissimorum scandalorum; citatos vero ad hanc Synodum, pervicaciæ reos & convictos teneri. Quas ob causas, primo Synodus prædictis citatis omni Ecclesiastico munere interdicit, eosque ob Officiis suis abdicat, & Academicis functionibus etiam indignos esse judicat, donec per seriam resipiscentiam, dictis, factis, studiis contrariis abunde comprobatam, Ecclesiæ satisfaciant, & cum eadem vere & plene reconcilientur, atque ad ejus Communionem recipiantur.* Inter Arminianos eminebant *Barnefeldus* Ordinum Cancellarius, *H. Grotius* Syndicus Roterodamensis, *Episcopius* Leidensis Professor, *Hogerbetius*, *Utenbogardus*, *Bertius*, *Curcellæus*; qui cum Dordrectanæ Synodi Decretis parere pertinaciter recusarent, Contraremonstrantium seu Gommaro Calvinianorum potentia oppressi sunt: *Barnefeldus* capite plexus: *Hogerbetius*, *Ledembergius*, *Grotius*, carceri mancipati. Dordrectanam Synodum Galliæ Reformati *Alesti* anno sequenti congregati approbarunt. Adversus ipsam *Antisynodica* scripsit *Joannes Malderus* Theologus Lovaniensis, Antuerpiensis Episcopus. Qui penitus Arminianorum dogmata nosse cupit, legat ipsius *Arminii* Opera, Acta Synodi Dordrectanæ, *Vedelium* in Arcanis Arminianorum, & Scripta *Mosis Amraldi*, qui Gomaristarum & Arminianorum opiniones conciliare conatus est, paulo mitius quam Gomarus & Calvinistæ reliqui de Gratia & Prædestinatione locutus.

§. IV.

De Colloquiis & Synodis in Causa Calvinianæ Hæreseos XVI. Sæculo habitis.

Tridentina Synodus.

I. ANno millesimo quingentesimo sexagesimo, *Pius IV.* Pontifex Maximus, sublata Concilii Tridentini suspensione, illud rursus indixit ad proximum Pascha, Diplomate edito die 28. Novembris. In ea promulgatione festinavit Pontifex, ut Gallos de Concilii Nationalis celebratione cogitantes, quod in Convento apud Fontembellum propositum fuerat, ab eo consilio dimoveret. Damnata jam fuerant in primis Tridentinæ Synodi Sessionibus pleraque Calvinianæ Hæreseos ut & Lutheranæ Capita: Unde & *Calvinus* contra septem priores Sessiones impium *Antidotum* scripserat: sed ob dissensiones exortas, & suspensionem a *Paulo III.* primum, deinde a *Julio* Pauli Successore factam, nondum totius Ecclesiæ consensu liquebat an Tridentinis Decretis eadem vis inesset, quam habent Decreta Œcumenici Concilii. At ejus continuatione, fœlicique exitu, superiorumque Sessionum approbatione, ac omnium Decretorum & Canonum confirmatione atque susceptione ab Ecclesia universa factum est, ut pro Œcumenici Concilii oraculis ab omni Catholica gente haberentur, quæcumque de Religionis dogmatibus contra *Lutherum & Calvinum*, aliosque Hæreticos, mihi definita, & judicata sunt. Tridentina itaque Synodus Calvinianam Hæresim confixit, debellavit, prostravit: Fideique trophæum adversus ipsam erexit.

Comitia ad S. Germanum in Laya.

II. Anno 1561. Habita sunt ad *Sanctum Germanum* Regiam Villam Regni Comitia, in quibus decretum est ut Augusto mense Collatio solemnis seu Colloquium *Poissiaci* haberetur, ad Concordiam in Religionis dogmatibus procurandam, quæ Ecclesiæ regnique paci conduceret. Quem in locum Episcopi selectique Doctores convenirent, cum Reformatorum Ministris collaturi, quibus publica fide caveretur.

Colloquium Poissiacense indicitur.

Colinii Præfecti Mariæ, *Hospitalii* Cancellarii Novatoribus palam faventis, *Monlucii* Valentini Episcopi, aliorumque auctoritate a Regina *Catharina Medicea* suis quam Ecclesiæ commodis magis addicta, Colloquium istud Calviniani impetrarunt, quod suæ Sectæ longe conducibilius fore quam Synodum, arbitrabatur ac sperabant. Mutuam enim disputationem dubia de Catholicis Dogmatibus plerisque parituram, sicque viam ad Religionis mutationem stratum iri. Ad hæc Episcopos eo in Conventu non sessuros ut controversiarum Judices, sed ut Collocutores dumtaxat: præterea, Ministros prætensæ Reformationis causam acturos summa libertate, & eruditione ac eloquentia plerisque Aulicis fucum facturos, illosque in partes pertracturos sibi pollicebantur. Denique cum partes numquam conventuras prævidérent, occasionem sibi opportunam fore non dubitabant conclamandi, Colloquium absque fructu dissolutum quod Præsules ac Doctores Catholici eorum doctrinam refellere non potuissent, nec eorum argumentis ex verbo Dei (ut jactabant) depromptis respondere. Id in Additionibus ad Commentarios *Castelnavii Malvissorii* Lib. III. Cap. 4. observatum. Legatum in Gallias decrevit *Pius IV.* Pontifex Maximus *Hyppolytum* Cardinalem Ferrariensem, qui curaret ne quid de dogmatibus controversis statueretur, antequam in Concilio Generali discussa ac judicata fuissent. Verum Cardinalis mora inutilem Legationem effecit. Ineunte Septembri, prætensæ Reformationis Ministri Libellum Supplicem Regi porrexerunt, quatuor postulata continentem: primum, ut Cardinales & Episcopi, quos velut ad-

adversarios ea in causa habebant, Controversiarum Judices non essent. Secundum, ut Rex cum Regina Matre, & Regii Sanguinis Principibus Conventui præsideret, in eoque omnia ordine fieri juberet. Tertium, ut ex uno Dei verbo in Sacris Veteris Novique Testamenti Libris scripto controversiæ dirimerentur. Quartum, ut a Notariis utrique parti acceptis Acta exciperentur. Frustra intercessere Doctores a Sacra Facultate Parisiensi deputati, ne Ministri errores suos defensuris audientia publica concederetur, utque remitterentur ad Synodum Œcumenicam, controversiarum supremum Judicem. Ministrorum preces admissæ. Unus ex illustrissimis Notariis, quos Regi a Secretioribus Mandatis dicimus, Actis fideliter excipiendis ab ejus Majestate præfectus est.

Actio Colloquii Poissiacensis. III. Nonas Septembris initium *Colloquio Poissiacensi* datum in Regio Parthenone Sororum *S. Dominici*. Aderant cum adolescente Rege *Carolo IX.* & Regina Matre Regni Procuratrice, Rege Navarræ, aliisque Regii Sanguinis Principibus, utriusque Religionis Proceribus & Comitibus Consistorianis, sex Cardinales, *Borbonius*, *Turnonius*, *Castillioneus*, *Lotharingus*, *Armeniacus*, & *Guisius*, Archiepiscopi & Episcopi circiter quadraginta, selectique Doctores, quos inter principes erant *Claudius Espencæus*, & *Claudius Sanctesius* Canonicus Regularis, Parisienses Theologi. Ex parte vero Hæreticorum, *Augustinus Marloratus*, Lotharingus, Augustiniani Ordinis Apostata; *Joannes Molo* in Ecclesia S. Andreæ ab Arcubus Lutetiæ olim Presbyter, *Theodorus Beza* Minister Genevensis, *Joannes Spina* Ordinis FF. Prædicatorum desertor, *Petrus Martyr* Florentinus, Ordinis Canonicorum Regularium Apostata, tunc Professor Tigurinus, aliique ejusdem furfuris homines numero tredecim, cum duobus & viginti Calvinianæ Secessionis Deputatis. Cum porro Ministri Actionis initio arrogantiæ specimen suæ dantes, in septum, in quo Rex cum Principibus & Episcopis sedebat, irrumpere, & locum aliquem usurpare tentarent, ne Doctoribus Catholicis, qui post Episcoporum sedilia in scamnis sedebant, inferiores viderentur, jussi sunt extra consistere, & stantes, nudis capitibus, ac modeste loqui, cum ipsis data foret licentia. Rex indictum a se Conventum dixit, ut cuncta de Religione dissidia, quæ pacem Regni perturbabant, convenientibus mediis componerentur: proinde se velle ut omnes communem operam consiliaque ad procurandam concordiam adhiberent, nec prius solveretur Conventus, quam tam sanctum opus perfectum esset. Tum *Hospitalius* Cancellarius, Regis mentem pluribus declarans, Concilii Generalis remedium præsentibus malis sanandis minus congruum fore innuit: Ideo Regem Antistites convocasse, ut abusus, si qui contra Dei verbum, contra doctrinam Apostolorum, contra Veteris Ecclesiæ Constitutiones usumque irrepsissent, communibus consiliis ac studiis emendare satagerent. Cum vero opinionem circa Religionis dogmata dissensio præcipua turbarum seditionumque origo ac fomes esset, Regem novæ Sectæ Ministris liberi commeatus literas concessisse, spe ductum fore ut amica cum illis Collatio multum utilitatis ad conciliandas opiniones esset allatura. Hanc ob causam suam Majestatem rogare Præsules, ut paterno affectu cum illis agerent, eosque docere dignarentur. Si contra quam speraverat Collatio cederet, nec ad veritatem aut concordiam revocari possent, saltem omnibus exploratum iri hanc doctrinam absque examine reprobatam non fuisse, nec ejus Sectatores indicta causa fuisse damnatos. *Turnonius* Cardinalis, Antistitum Princeps & Galliarum Primas perorantem Cancellarium excepit: rogavitque, ut, quandoquidem nova Capita proposuerat ab iis quæ ante Colloquium proposita fuerant, distincta, nec posset iis ex tempore responderi, ea scripto traderet Prælatis super iis deliberaturis. Recusante *Hospitalio*, ne inde sibi negotium velut Novatorum fautori Præsules facesserent, *Beza*, jubente Regina, Comministrorum nomine perorans, a precibus de geniculis factis exorsus, ut pietatem erga Deum ostentaret, Regisque implorata benevolentia, inique secum, suisque Comministris agi dixit, quod tamquam publicæ tranquillitatis perturbatores & seditionum incentores vulgo traducerentur: qui tamen nihil aliud in votis haberent quam Dei Gloriam & conscientiarum pacem. Tum ad dogmata transiens, Sectæ suæ Confessionem exposuit, præcipueque hæsit in Scripturæ solius auctoritate urgenda, ad quam velut unicam Fidei regulam controversias omnes exigendas atque dirimendas contendebat: & in explicanda Sacramentorum doctrina. Porro eum de Eucharistia verba faceret, in exsecrandam illam blasphemiam erupit: *Tantum ab eo distare Corpus Christi, quantum supremum cælum a terra. Nos enim, ipsaque Sacramenta in terris esse: Christi carnem in cælo ita glorificatam ut veri corporis naturam non amiserit, sed infirmitatem dumtaxat exuerit.* Inde vero perperam colligi, quod Christum a sacra Cœna absentem crederent. Hunc enim Deo honorem se deferre, ut secundum verbum ejus credant, *Quod licet Corpus Christi in Cælo sit, non alibi; nos vero in terra, non alibi versemur, Corporis tamen & Sanguinis ipsius, modo spirituali, mediante scilicet fide, participes sumus, æque vere ac ipsa Sacramenta oculis usurpamus, manibus tractamus, ore percipimus, & ex eorum substantia vivimus.* Ad *Bezæ* blasphemias Præsulum Corona, totusque Cœtus Catholicus inhorruit. Ipsi Reginæ displicuit comparatio tam absurda: parumque adfuit quin *Bezæ* silentium imponeret, ut ipsa Redonensi Episcopo Regis ad Cæsarem Oratori significavit Literis ad illum datis. Reginæ offensionem sensit Beza: quamobrem postridie duriora verba emollire conatus est Epistola ad ejus Majestatem scripta: se suosque non adeo sacrilegos esse dicens, ut Christum a sacra Cœna excluderent. Immo Christum ibi præsentem agnoscere, quatenus Corpus & Sanguinem suum vere nobis tribuit: sed ejusdem Corporis ac Sanguinis conjunctionem cum pane & vino se negare, quod hujusmodi conjunctionem veritati Corporis humani in Christo, & Articulo symboli de illius in Cœlos Ascensione repugnare existimarent. Porro licet Christi Corpus in Cœlo, non alibi residere credant, profiteri tamen: *Ejus spirituali virtute, ac vera fide mediante, nos qui in terris versamur, & in illum credimus, veri Corporis, verique Sanguinis ipsius fieri participes, æque, certe & vere, ac oculis nostris intuemur, manibusque tangimus visibilia panis & vini Sacramenta, hunc in finem ab eo instituta.* Cum dicendi finem *Beza* fecisset, Fidei Confessionem flexo genu Regi obtulit. *Turnonius* Cardinalis zelo Fidei inflammatus, ad Regem conversus dixit: Antistites qui aderant, contra animi sui sententiam ad Colloquium convenisse, atque consensisse ut novæ Reformationis Ministri publice audirentur: impatientissime tulisse quas *Beza* protulerat blasphemias: a Consessu discessuros, nisi eos Regis reverentia continuisset. Rogare se ipsius Majestatem, ne *Bezæ* Declamationi fidem adhiberet, sed in avita Religione, quam Galliæ Reges a *Clodoveo* professi fuerant, & in qua fuerat instituta, constans esset ac permaneret. Antistites porro Ministri Orationem cum suæ Majestatis venia tam luculenter confutaturos, ut omnibus palam fieret novæ Religionis falsitas, Catholicæ Fidei veritas confirmaretur. Respondit Regina, Ex Consilii deliberatione, Senatusque sententia Colloquium institutum, non eo fine, ut quid circa Religionem innovaretur aut mutaretur, sed ut turbæ ex opinionum dissensione in materia Religionis exortæ sedarentur, & Errantes in viam veritatis revocarentur.

IV. Die 16. Septembris, altera Sessio habita, in qua *Cardinalis a Lotharingia*, totius Ecclesiastici Ordinis nomine orationem habens, de Ecclesiæ auctoritate, in sacrarum præsertim interpretatione Scripturarum, & de præsentia Corporis Christi in sacratissimo Eucharistiæ Sacramento, multa erudite & præclare dixit. *Pag. 528. Pag. 502. ad ann. 1561.* Edita hæc Oratio est in Historia Ecclesiarum reformatarum, lib. 5. quæ si cum illa quam *Beza* habuit, ibidem edita comparetur, fatebitur quisque harum rerum non prorsus imperitus, vel studio partium obcæcatus, Lotharingum Cardinalem non tantum causæ meritis, sed ingenii vi, eruditionis ubertate, eloquentiæ efficacia *Bezam* longo intervallo superasse. Respondendi facultatem *Beza* postulavit, obtinuitque. Instaurata Collatio diebus 24. & 26. Septembris, non quidem publice ac solemniter præsente Rege, totaque circumstante Curia in magno Monasterii refectorio, quemadmodum, prioribus in Sessionibus factum fuerat, sed in privata Camera coram Regina matre, Regina Navarræ, Regii Sanguinis Principibus, & Consistorianis Comitibus. A dextris sedebant quinque Cardinales, & quindecim sexdecimve Doctores, a sinistris Ministri duodecim. Deputatorum turba exclusa. *Theodorus Beza* de Ecclesia, ejusque natura, notis, auctoritate, de Vocatione ministrorum, aliisque Capitibus prolixe disseruit, intacta prorsus Eucharistiæ controversia. Quidquid contra Catholica Dogmata protulit, *Claudius Espencæus*, & *Claudius Sanctesius* in Sacra Facultate Parisiensi Doctores Theologi eruditissime confutarunt. Verum ne (quod in similibus disputationibus plerumque fit) nullus esset controversiarum modus, *Cardinalis a Lotharingia* voluit ut de uno Eucharistiæ capi-

te ageretur, de quo si convenirent Ministri, circa cæteros controversos concordia facilius iniri posset. Eo de argumento deinceps disceptatum. *Petrus Vermilius*, *Martyr* cognominatus, translatitiis argumentis impugnare conatus est quæ Cardinalis & Parisienses Theologi ea Scriptura Sacra & antiquis Patribus protulerant ad fidem realis præsentiæ Corporis Christi in Eucharistiæ Sacramento confirmandam. Tunc *Didacus Laiaez* Societatis Jesu Præpositus Generalis, vir pietate & doctrina celebris, Cardinalis Ferrariensis Legati Apostolici, qui recens advenerat, Theologus, annuente Regina in Legati gratiam, Italo quoque idiomate perorare aggressus est, & ad ejus Majestatem conversus, incredibili libertate ostendit, quanti periculi res esset aliquam concordiæ viam cum Hæreticis tentare, quos Scriptura Sacra cum vulpibus & lupis ovium pelle vestitis comparat, quod sub verborum ambiguorum fuco hæreticæ doctrinæ venena infundant, quæ bibere possint incauti. Si cum ipsis agendum esset, ut de Fidei formula convenirent, id ad præsentem Conventum minime pertinere, sed ad Concilium Œcumenicum jam apertum: ad illud proinde remittendos Ministros. Si eo fine instituta esset Collatio ut Catholicorum Theologorum disputationibus erudirentur, & ad veritatis confessionem, Ecclesiæque veritatem revocarentur, æquum esse, ut nec Regina, nec Principes, sed soli Præsules & Doctores hujusmodi actioni interessent. His a *Lainio* intempestive prolatis paulisper commota Regina, Legati reverentia rem dissimulavit, virumque religiosissimum ac doctissimum Orationem absolvere permisit, qua *Petri Martyris* dicta contra realem Corporis Christi in Eucharistia præsentiam invictissime confutavit. Actum deinceps, jubente Regina, in privatis collationibus in Castro S. Germani in Laya habitis, de Formula Fidei circa Sacramentum Eucharistiæ, communi partis utriusque consensu, per Deputatos condenda. Deputati fuere ab ejus Majestate pro Catholicis, *Joannes Monlucius*, Valentinus, & *Petrus Vallius* Sagiensis, Episcopi, quamquam in hæreticorum partes propensi, *Claudius Espencæus*, *Ludovicus Butilerius*, & *Joannes de Soligniaco*, Theologi Parisienses: Ex hæretica factione, *Beza*, *Martyr*, *Marloratus*, *Gallardius*, & *Spina*. Post Collationes quinque dierum spatio ab illis habitas, in quibus plures Fidei formulæ propositæ sunt ac repudiatæ, in hanc tandem Ministri convenerunt, quam refert *Beza* in Historia Ecclesiarum Reformatarum lib. 4. pag. 608. Et in Apologia contra Claudiam Sanctesium.

Formula Fidei Ministrorum Calvinianorum de Eucharistia.

V. *Profitemur Jesum Christum in sua Cœna nobis vere offerre, donare, & exhibere substantiam Corporis & Sanguinis sui per operationem Spiritus Sancti, nosque sacramentaliter, spiritualiter, & fide illud ipsum Corpus, quod pro nobis mortuum est, percipere ac manducare: ut facti us ex ossibus ejus, & caro ex carne ejus, inde vivificemur, & percipiamus quidquid ad salutem nostram requiritur. Et quoniam Fides verbo Dei innixa res promissas reddit præsentes, eademque Fide vere ac reipsa verum ac naturale Christi Corpus per Spiritus Sancti virtutem percipimus, hoc respectu præsentiam Corporis & Sanguinis Christi in sancta ipsius Cœna confitemur.* Ac biduo post, hanc ad Præsules & Theologos Poissiaci congregatos Declarationem suæ Majestati a Ministris Calvinianis oblatam, misit Regina Mater: quam idem *Beza* refert Apologia 1. contra Sanctesium: *Affirmamus nullam locorum distantiam impedire posse Corporis & Sanguinis Domini Communionem, quoniam Domini Cœna est cælestis actio. Et quamvis in terris ore sumamus panem & vinum, vera Corporis & Sanguinis Domini symbola: tamen fide & vi Spiritus Sancti mentes nostras, quarum imprimis est hic cibus, in cælos usque sublatas, præsenti corpore & sanguine potiri. Itaque hoc demum sensu & respectu Corpus pani & Sanguinem vino vere conjungi, non aliter tamen quam sacramentaliter, id est, non loco neque situ: sed quoniam efficaciter significant quod omnibus cum fide participantibus a Domino donatur, & per fidem a credentibus vere percipitur.* Falso *Lavatherus* in Historia Sacramentaria scripsit, Catholicos Doctores cum Ministris consensisse, quos realem Corporis Christi in Eucharistia præsentiam invictissimis probationibus contra *Bezam* & Symmistas asseruisse, Acta ipsa Colloquii testantur.

Lavatheri mendacium.

Theologorum Parisiensium doctrinale Judicium de Formula Fidei, seu Declaratione Ministrorum Calvinistarum.

VI. Ministrorum Formulam a Regina transmissam Præsules Poissiaci congregati Doctorum Parisiensium Cœtui examinandam tradidere. Qui Doctrinali Judicio responderunt: Illam non modo *insufficientem* esse, sed *captiosam*, *hæreticam*, *erroresque plurimos contra Sanctissimi Sacramenti Altaris institutionem continentem*. Insufficientem, quod realem Corporis & Sanguinis Christi præsentiam sub signis non exprimeret, nullam efficaciam & operationem verbis sacramentalibus tribueret, nullum Sacerdoti Ministerium in Consecratione & exhibitione Corporis & Sanguinis Christi; sed tantum diceret, Christum nobis offerre, donare & exhibere. Captiosam, quod verbis ambiguis concepta esset, quibus realis Corporis Christi in Sacramento Eucharistiæ præsentia significari videbatur, quem tamen sensum alia ejusdem Formolæ verba destruebant; idem Sacratissimum Corpus in cœlo, non alibi esse, significantia. Hæreticam denique dixerunt, primo, quia præsentiam dumtaxat spiritualem Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia admittit: *Quoniam* (inquiunt) *Fides verbo Dei innixa res promissas reddit præsentes*. At fides non reddit res promissas revera & in seipsis præsentes, si futuræ vel absentes sint, cum antiqui Testamenti Patres in Messiam venturum crederent, & nondum in mundo reipsa existentem; & nos carnis resurrectionem, etsi nondum revera præsentem, credamus. Cum itaque præsentiam Corporis Christi in Eucharistia eo respectu confitentur, præsentiam dumtaxat virtutis & efficaciæ, non realem & substantialem intelligunt. Secundo, quia qualemcumque præsentiam confiteantur, illam ad solum usum referunt, ut declarant hæc verba: *Cœna*, *donare*, *exhibere*, *percipere*, *manducare*. Tertio, quia cum ajunt: *Eadem Fide vere ac reipsa verum ac naturale Christi Corpus per Spiritus Sancti virtutem percipimus*, Eam Fidem intelligunt de qua ante dixere: *Fides verbo Dei innixa res promissas reddit præsentes*. Cum itaque *hoc respectu præsentiam Corporis & Sanguinis Christi in sancta Cœna confitentur*, diserte significant sine ea Fide non percipi verum & naturale Christi Corpus, adeoque ab indignis non manducari, quod manifeste repugnat Apostoli verbis dicentis: *Qui manducat & bibit indigne, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans Corpus Domini.*

Præsulum Poissiaci Congregatorum Judicium de Hæreticis.

VII. Theologorum Censuras Præsules Judiciaria Auctoritate, & unanimi consensu approbarunt, ac tandem die nona Octobris Responsionem omnium subscriptionibus munitam ad Reginam miserunt, qua declarabant: Se omnem operam & charitatem adhibuisse ad *Bezam* & Symmistas edocendos, & ab erroribus revocandos: ideo illis audientiam ea Regis benignitate concessam, ipsos nihilominus in suis erroribus & damnatis opinionibus pertinaciter perseverare, spretis Antistitum monitis, piisque Reginæ officiis: his de caussis cœtum Præsulum Poissiaci congregatorum decrevisse, dictum *Bezam* & Socios non esse amplius audiendos, nullumque cum ipsis habendum Tractatum, utpote pervicacibus, & ab Ecclesiæ Catholicæ unitate ac obedientia segregatis: nisi Formulæ Fidei infra positæ protinus subscribant, secundum institutionem Christi, & Ecclesiæ Catholicæ doctrinam, a qua & legitimis ejus Ministris, & Fidem & Legem suscipere debent. Id nisi præstiterint, Præsules Regem Christianissimum supplices obsecrare ac obtestari, ut eos e Regni sui finibus exterminet, quod a *Clodovei* temporibus unum Deum, unum Regem, Fidem, Legemque unam agnovit. His porro verbis concepta erat Fidei Formula, quam Præsulum Cœtus circa Eucharistiæ Sacramentum Calvinianis Ministris, eorumque Sociis, præscripsit: *Credimus & confitemur in Sancto Sacramento Altaris verum Corpus & Sanguinem Jesu Christi existere realiter & transsubstantialiter sub speciebus panis & vini, vi & potentia divini verbi prolati a Sacerdote, solo Ministro ad hunc effectum ordinato, secundum institutionem & mandatum Domini nostri Jesu Christi.*

Formula Fidei a Cœtu Præsulum Calvinianis Ministris præscripta.

Ecclesiastica Disciplina ab Episcopis instaurata.

VIII. Huic Formulæ subscribere Ministri pertinaciter recusarunt. Quamobrem Colloquium vigesima quinta Novembris solutum est, in quo Catholica Veritas de Hæresi triumphavit. Episcopi auctoritatem judicandi de Controversiis Fidei, & de Hæresibus emergentibus, a Christo immediate acceptam, gloriosissime conservarunt & exercuerunt, nec eo jure spoliari se passi sunt a Regina Hæreticis ob politicas rationes & privata commoda favente. Ecclesiasticam denique Disciplinam septem & septuaginta Capitibus constituerunt; abususque in omnibus Ecclesiæ Ordinibus vigentes saluberrimis Decretis emendarunt, Summum Pontificem rogantes ut ea confirmare, Regem ut eorum executionem lege lata imperare dignaretur: omniaque & singula Sedis Apostolicæ Auctoritati subjicientes, qui se in perpetuum adhærere ac parere velle, secundum Majorum suorum consuetudinem professi sunt. Ista constant ex Actis MSS. celebris hujusce Colloquii, & ipso *Beza* in Historia Reformatarum

Eccle-

Ecclesiarum Lib. IV. Hic Poissiacensis Colloquii, pessimo exemplo indicti, nullo fructu celebrati, non inglorius Ecclesiæ Catholicæ exitus.

Calviniani Ministri Augustanæ Confessioni subscribere recusarunt.

IX. Non omittendum, Hæreticos Ministros, cum Augustana Confessione premerentur illo in Colloquio, & a Lotharingo Cardinali, & Doctoribus urgerentur primum, ut (siquidem Augustanæ Confessionis homines pro fratribus habebant) illi saltem quoad Eucharistiæ Articulum subscriberent, illos fuisse semper tergiversatos, & conditionem recusasse. Qua in re Calvini sui consiliis Beza regebatur, qui ad ipsum 10. Septembris 1561. in Colloquio Poissiacensi agentem scribebat; *Augustana Confessio, ut scis, fax est vestræ fariæ ad excitandum incendium, quo conflagret tota Gallia. Sed quærendum est quorsum ostendatur, cum semper ejus mollities cordatis displicuerit, Auctorem ejus pœnituerit, & in plerisque locis accommodata sit ad peculiarem usum Germaniæ. Omitto quod ejus brevitas & obscura, & præteritis quibusdam munimi momentis capitibus multa est: cæterum absurdum esset neglecta Confessione Gallorum, illam arripere, Quid quod in futurum tempus paratur hoc modo dimicandi materia? Quia numquam major pars a Confessione semel recepta discedet.* Unde & Beza Calvino scribens ex Villa Regia Sancti Germani: *Cardinalis*, inquit, *fortiter jactat me primo statim congressu a se superatum, sed a gravissimis testibus refellitur, Augustanam Confessionem habet in ore: de qua etiam seorsim rogatus a Doctore Betolerio an eam possemus admittere, plane respondi, Non posse in quibusdam, nisi plana & perspicua addita interpretatione.*

30. Augusti.

Calvinistarum doli.

Nec minus observatione dignum, quod *Lucas Osiander* Lutheranus, in sua Historiæ Ecclesiasticæ Epitome de Calvinistarum dolis admonet. Nimirum cum ante aliquot annos in Germania pax publica Religioni data esset, Calvinistas falso jactasse eam pacem ad se etiam pertinere, quod & ipsi Confessionem Augustanam amplecterentur, cum tamen Calvinianos errores suos nullatenus emendarent; in Poissiacensi autem Colloquio, cum se ad defensionem suæ Religionis satis habere carnalium virium & potentiæ confiderent, Augustanam Confessionem sibi a Cardinali *Lotharingo* ad subscribendum oblatam recipere noluisse. Deinceps vero cum in Gallia non obtinuerunt, quod speraverant, rursus Augustanam Confessionem contra suam conscientiam jactare; non quod secundum illam sentirent, sed ut sub ejus nomine simplicioribus Lutheranis Calvinismum obtruderent.

Colloquium alterum ad S. Germanum.

X. Anno 1562. Colloquium alterum in Castro S. Germani jussu Reginæ habitum est, in quo de Imaginibus *Bezam* Sociosque Ministros inter & selectos e Sacra Facultate Parisiensi Theologos agitata disputatio. Theologorum nonnulli Sanctissimæ Trinitatis Imagines e medio tollendas concessere, plurimos abusus in cæterarum etiam imaginum cultum irrepsisse, merito resecandos. Ministri non modo Sanctorum Imagines, sed crucem, ex Ecclesiis & compitis auferendas contendebant, cultumque omnem illis abrogandum. Catholici Theologi omnes ad unum religiosum crucis cultum propugnarunt, nihilque ex eo remitti posse demonstrarunt. *Nicolaus Mallardus* Sacræ Facultatis Parisiensis Decanus, aliique cum eo Theologi, Ecclesiæ Fidem ac Disciplinam circa Imaginum usum cultumque superstitionis purum, invictis argumentis propugnarunt & retinendum esse probarunt. De aliis etiam capitibus agi eo in Colloquio debebat, scilicet de forma Baptismi, de forma Communionis, de Sacrificio Missæ, de Ministerio, de Doctrinæ capitibus. Sed Regina per Cancellarium significavit, sibi non placere ut procederet Colloquium, quandoquidem in primo capite tanta appareret dissensio. De hocce Colloquio duas ad *Calvinum* suum Epistolas dedit *Beza* mendaciis, & dicteriis in Catholicos Doctores scatentes.

Inter Calvini Ep. 1. 9. Oper. Edit. Amstelod. parte II. p. 165. & 166.

XI. Anno 1570. die 14. Aprilis habita est *Sendomiriensis* in Polonia *Synodus* ab omnibus Regni Ministris, cum *Augustanæ*, tum *Helveticæ*, tum etiam *Bohemicæ* Confessionis, ubi mutuus consensus inter ipsos fuit initus, decretumque, ut in posterum, juxta præscriptum Augustanæ Confessionis, sed variatæ doceretur. „Tres istæ Confessiones celebratæ sunt tamquam in præcipuis Articulis Fidei cum Sacra Scriptura, & secum invicem concordes, disputationibus de modo rei, quod attinet ad Articulum de Cœna, præcisis. „ Deinde vero (inquiunt) quantum ad infelix illud dissidium de Cœna attinet, convenimus in sententiam verborum, ut illa orthodoxa intellecta est a Patribus ac in primis ab Irenæo, qui duabus rebus, scilicet terrena & cœlesti, hoc Mysterium constare dixit: neque elementa signave illa nuda & vacua esse asserimus, sed simul reipsa credentibus exhibere & præstare Fide quod significant. Denique ut expressius clariusque loquamur, convenimus ut credamus & confiteamur, substantialem præsentiam Christi non significari dumtaxat, sed vere in Cœna vescentibus repræsentari, distribui, & exhiberi, symbolis adjectis ipsi rei, minime nudis, secundum Sacramentorum naturam. Ne vero diversitas formularum loquendi contentionem aliquam pariat, placuit præter Articulum qui est insertus Confessioni nostræ mutuo consensu adscribere Articulum Confessionis Saxonicarum Ecclesiarum de Cœna Domini Missæ ad Tridentinum Concilium anno 1551. Quem etiam pium agnoscimus, & recipimus. Cujus Confessionis verba sunt hæc, &c. „ Quem consensum subsecutæ in eodem Regno Hæreticorum Synodi Cracoviensis anno 1573. Petricoviensis anno 1578. & VVladislaviensis anno 1583. approbarunt. Hunc tandem Nationalis ipsorum Synodus Toruniensis die 21. Augusti 1695. confirmavit his verbis: „ Consensum nostrum Evangelicum Sendomiriæ anno Dom, 1570, institutum & eodem anno Consignatione Posnaniensi illustratum, ac postea Generalibus Synodis, Cracoviensi, Petricoviensi & VVladislaviensi auctum stabilitumque, prout ista in exemplari Torunii Latine & Polonice anno 1592. excuso continemur: universi hac nostra Generali Toruniensi Synodo comprobamus, confirmamusque & contra Adversarios, qui tam verbis quam scriptis hactenus discordiam & fictum Consensum nobis Evangelicis objectare ausi sunt, hunc verum Consensum sincere nos amplecti, & fovere atque secundum eum in sancta concordia vere conjunctos esse protestamur,

Synodus Sendomiriensis Calvinistarum.

In Syntag. Confess. Fid. parte 2. p. 310.

Synodus Rupellensis.

XII. Anno 1571. Calvinistæ Galli Synodum Rupellæ habuerunt, Moderatore *Beza*, ut quidam volunt, quamquam alii abfuisse scribant, præsentibus *Joanna* Navarræ Regina & *Henrico* Navarræ Principe, *Henrico* Principe Condæo, *Ludovico* Nassoviæ, *Gaspare Colinio* Maris Præfecto, aliisque Sectæ columinibus. Ibi repetita est & confirmata ipsorum Fidei Confessio, actumque de instaurandæ Disciplinæ ex superiorum bellorum occasione collapsæ ratione: ac nova forma a *Joanne Morellio* Parisiensi proposita amplius discussa & impugnata est. De doctrinæ etiam capitibus aliquot disceptatum, ac de Cæremoniis in Cœnæ administratione observandis: de quibus omnibus quædam Decreta condita fuere, quædam in proximam Synodum rejecta.

Nemausensis.

XIII. Hæc anno sequenti, mense Majo, Nemausi magno Ministrorum concursu habita est, eodem *Beza* Præside. Ea, quæ in Rupellana finita non fuerant de Disciplina constituit, & Morellianam formam omnino proscripsit. *Substantiæ*, vocem a Synodo Rupellana in Articulo de Cœna Domini positam, quod Tigurinis Sacramentariis offensioni esset, Nemausensis explicuit; ut *Beza* testatur in Epistola hujus Synodi nomine scripta ad Tigurinos Ministros die 17. Maii anno 1572. „ Rupellana Synodus summo omnium consensu eorum sententiam, qui voculam illam ex Liturgia & Confessione sublatam volebant, rejecit, tribus potissimum de causis. Primum enim judicavimus, prout & nunc judicamus, si quæritur quidnam per Communionem adipiscamur, dicendum esse, non tantum merita & fructus mortis Domini, verum etiam in primis ipsum Dominum, qui est fons istorum bonorum, a nobis spiritualiter per fidem percipi; id quod substantiæ nomine in nostra Confessione & Liturgia significatum volumus. Deinde cum duplex nobis scopulus vitandus esset, unus quidem eorum, qui nos tamquam Christum ipsum e Cœna tollentes accusant, alter autem illorum qui metuunt, ne posita substantiæ communicatione, realis etiam præsentia & corporalis ille communicationis modus stabiliri videatur: Utrique malo sic occurri commodissime posse existimavimus, si illis quidem retento substantiæ nomine (quo nihil aliud quam Christus ipse intelligitur) os occludere pergeremus, istorum vero timori mederemur, addita ea interpretatione, quæ & omnem ambiguitatem vocis tolleret, & mere spiritualem ac mysticum esse istum ipsius Christi nobiscum consociationis modum demonstraret. Tertio loco, cum non ageretur de hac voce Confessionis & Liturgiæ inserenda (quod si fuisset integrum, fortassis ab ea abstinuissemus) sed de illa vel retinenda, vel expungenda, non putavimus expungi posse, quin & magnæ levitatis notam incurreremus, & aliis subinde in ea-

Ep. LXV.

„ dem Liturgia & Confessione, prout huic vel illi temere libuisset, exagitandis & mutandis aditum patefaceremus: adversariis denique nostris, inter quos versamur, & quorum vel præcipua nobis habenda est ratio, os ipsum quodammodo ad veterem illam nobis reponendam calumniam aperiremus. His igitur rationibus subnixa Rupellana Synodus, retento Confessionis Capite 36. nullos certe damnavit (quos credidisse videmini) sed eorum dumtaxat opinionem rejecit, qui eam vocem nollent eo sensu admittere, quo illic usurpatur. Hæc Synodi verba cum mali isti homines perinde sunt interpretati, ac si adversus vos perscripta essent, magna certe nos injuria affecerunt. Præterquam enim quod Synodo numquam in mentem venit aliis quam Gallicis Ecclesiis quidquam præscribere, coram Deo & Angelis ipsos testari sancte possumus, tam nobis vestram, id est, Helveticam Confessionem (cui & Genevensis Ecclesia subscripsit) quam nostram ipsorum in omnibus & singulis approbari: quas videlicet ab uno eodemque Spiritu dictatas, & ex puro Dei verbo depromptas, penitusque inter se, consentientes semper sumus arbitrati, etiamsi non iisdem per omnia verbis utamur, quod fieri non potuit, nec fortassis etiam opportuit, cum ne ipsi quidem Evangelistæ in verbis per omnia consentiant ... Hac autem in re ut plenius etiam vobis satisfaceremus, scriptum illud Rupellanæ Synodi sic emendavimus, ut pro his verbis: *Synodus rejicit eorum opinionem, qui tamen substantiæ nolunt recipere eo sensu, quo in prædicta 36. Confessionis Articulo continetur:* hæc substituerimus: *Synodus sine ullo prorsus exterarum Ecclesiarum præjudicio, quæ certis de causis substantiæ vocabulum non usurpant, vocabulum quidem substantiæ retinet, sed eo demum sensu, quo in prædicto 36. Articulo continetur, &c.* Item in extremo post hæc verba, *Sic oportet ut vere participemus alterum Adamum Jesum Christum*: Synodus hæc adjecit: *Communicatione mystica & spirituali, ut inde vera & æterna vita hauriatur, cujus communicationis gratia specialiter instituta est Cœna Domini. Quamvis idem Jesus Christus, cum omnibus suis donis, etiam in simplici verbo, & in Baptismo nobis afferatur, & a credentibus percipiatur.* Et de hoc quidem hactenus.

Colloquium Mombelgardiense.

XIV. Anno 1486. Colloquium *Mombelgardiense* a *Friderico* Wirtembergico & Mombelgardiensi Comite inter primarios Lutheranæ & Calvinianæ Sectarum Ministros, Virosque Politicos ex utraque parte deputatos institutum est, ad concordiam de Capitibus inter Confessionistas & Sacramentarios controversis: Exulibus Gallis, qui Edicto Regio pulsi, *Mambelgardum* se magno numero receperant, id vehementer optantibus. Adfuere ex Lutheranis, *Jacobus Andreæ* Cancellarius & Præpositus Tubingensis. *Lucas Osiander* in Aula VVirtembergensi Concionator, *Joannes Wolfangus*, & *Fridericus Sthutz* Comitis VVirtembergensis Consiliarii; Ex Calvinistis vero *Theodorus Beza* Genevensis Minister, *Abraham Musculus* Minister Bernensis, *Petrus Hubnerus*, Græcæ Linguæ in Gymnasio Bernensi Professor; *Antonius Faius* Minister Genevensis, *Claudius Alberius*, Lusannæ Philosophiæ Professor, *Antonius Marsius*, & *Samuel Meyerus*, Bernensis Reipublicæ Senatores. *Fridericus* Comes Colloqnio præfuit. Is disputationi præscriptus modus, ut VVirtembergenses de singulis capitibus controversis Theses primum suas adversæ parti traderent, & ab ea Responsum in Scriptis acciperent: deinde *Jacobus Andreæ*, & *Beza* de iis colloquerentur. Articulis de quibus agendum erat, constituti sunt. 1. *De Cœna Domini* 2. *De Persona Christi*. 3. *De Imaginibus, Templis & similibus rebus*. 4. *De Baptismo*. 5. *De Prædestinatione*. Factum est initium disputationi die 25. Martii, eaque usque ad 29. continuata est, Idem finis, qui tot aliorum Congressuum Lutheranos inter & Sacramentarios fuit: desperata inter partes conventio *Fridericus* Comes VVirtembergenses suos hortatus est, ut donec aliquando pax constitueretur, *Bezam* ejusque Symmistas pro fratribus agnoscerent, & dexteras fraternitatis porrigerent. *Jacobus Andreæ* Sociique negarunt, ob hæreses teterrimas quibus infecti essent; dexteras tamen humanitatis obtulera. Respondit *Beza*: Quandoquidem dexteras fraternitatis porrigere recusarent, se amicitiæ dexteras nolle. Testis est, qui aderat, *Lucas Osiander* in Historia sua Ecclesiastica, ubi & partis utriusque Theses de singulis Capitibus controversis propositas, cum Responsionibus utrimque datis, refert. Sed hæc plenius constant ex Actis a *Jacobo Andreæ* Tubingæ editis; quibus Præfatio *Friderici* Comitis nomine præfixa est, qua rationes instituti Colloquii exponuntur. Editis Actis *Beza* contrarium Scriptum opposuit. *Bezæ* Scriptum VVittembergici mox confutarunt.

§. V.

De Scriptoribus Ecclesiasticis qui Calvinianam Hæresim impugnarunt.

Calvini Hæresim Scriptis eruditis impugnarunt *Franciscus Balduinus*, Attrebas, Jurisconsultorum suo tempore princeps; *Jacobus* Cardinalis *Sadoletus*, Carpentoratensis Episcopus; *Albertus Pighius* Campensis, Theologus Coloniensis; *Robertus Cenalis*, Theologus Parisiensis, Episcopus Abrincensis; *Nicolaus Willagagnonus*, Melitensis Eques; *Joannes Hessellius*, Theologus Lovaniensis; *Guillalmus Alanus*, Anglus S. R. E. Cardinalis; *Stephanus Gardinerus*, VVintoniensis Episcopus, & Angliæ Cancellarius; *Ambrosius Pelargus*, Niddanus, Ordinis FF. Prædicatorum Theologus, qui Treverensis Archiepiscopi nomine primis Concilii Tridentini Sessionibus interfuit; *Nicolaus Sanderus*, Anglus; *Claudius Sanctesius*, Canonicus Regularis, in Sacra Facultate Parisiensi Doctor Theologus, Episcopus Ebroicensis; *Claudius Espenseus*, Parisiensis etiam Theologus; *Antonius Demochares*, Doctor Sorbonicus qui Concilio Tridentino interfuit; *Joannes Tilius* Meldensis Episcopus, unus e Tridentinis Patribus; *Jodocus Ravesteinus & Andreas Vega* Ordinis Minorum professor, Doctor Salmanticensis, & *Didacus Payva*, Decretorum Concilii Tridentini adversus *Calvinum* vindices; *Joannes Pistorius*, Constantiensis ad Rhenum Canonicus; *Robertus Bellarminus* S. R. E. Cardinalis, Societatis Jesu, & Ecclesiæ lumen; *Jacobus Gretserus & Edmondus Augerius*, ejusdem Societatis Theologi; *Franciscus Fevardentius*, Normannus Constantiensis. Ordinis FF. Minorum Theologus insignis, in sacra Facultate Parisiensi Doctor Theologus; *Joannes Crabbius*, Lovaniensis, Ordinis Eremitarum *S. Augustini* Professor; *Petrus Auratus* Theologus Parisiensis, Ordinis FF. Prædicatorum; *Jacobus Davy Perronius* S. R. E. Cardinalis, ex Episcopo Ebroicensi Archipræsul Senonensis; *Nicolaus Coeffetau*, Ordinis FF. Prædicatorum Theologus Parisiensis, ex Episcopo Dardanensi & Suffraganeo Metensi Massiliensis Episcopus designatus, *Franciscus Costerus*, *Petrus Cottonus*, & *Franciscus Veronius*, Societatis Jesu Professores; *Armandus* Cardinalis *Richelius*, Supremus sub *Ludovico XIII.* Regni Administer; *Franciscus Harleus* Rothomagensis Archiepiscopus, *Francisci Harlei* dignissimi Parisiensium Archipræsulis Patruus, &c.

SCHOLION I.

In hoc Articulo §. 11. Num. 52. pag. 649. Editionis primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Sacramentum non adoratur, sed Christus.*

R. Ad Sacramentum per se sumptum, sive ad species ipsas Sacramentales adorationem non dirigi, sed ad Christum realiter & substantialiter in Sacramento præsentem, Dogma Catholicum est. Externa enim Symbola quæ sensibus obversantur, sunt accidentia panis, creaturæ sunt, ac proinde non sunt objectum latriæ. Unde Concilium Tridentinum Sessione XIII. Canone 6. *Si quis dixerit, in Sancto Eucharistiæ Sacramento Christum unigenitum Dei Filium non esse cultu latriæ etiam externo adorandum, anathema sit.* Atque hic sensus est Capitis 5. ubi sacra Synodus nullum relinqui ait dubitandi locum. *Quin omnes Christi Fideles pro more in Catholica Ecclesia semper recepto, latriæ cultum, qui vero Deo debetur, huic Sanctissimo Sacramento in veneratione exhibeant .... Nam illum eumdem Deum præsentem in eo adesse credimus, quem Pater Æternus introducens in orbem terrarum dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei.* Non aliud credo ac doceo: *Sed neque nos, inquam, Sacramentum ipsum seu symbola adoramus, sed Christum symbolis obvelatum, & realiter ac substantialiter sub ipsis præsentem.* Quod paucis complexus sum, prolixius explicat Cardinalis Bellarminus in eamdem sententiam ac sensum, libro 4. *De Sacramento Eucharistiæ*, Cap. 29. „ Neque, *inquit*, ullus Catholicus est, qui doceat ipsa symbola externa per se & proprie esse adoranda cultu latriæ, sed solum veneranda cultu quodam minore, qui omnibus Sacramentis competit: Cultu

„ autem

„ autem latriæ dicimus per se & proprie Christum
„ esse adorandum, & eam adorationem ad symbola
„ etiam panis & vini pertinere, quatenus apprehen-
„ duntur ut quid unum cum ipso Christo quem con-
„ tinent. Quemadmodum qui Christum in terris ve-
„ stitum adorabant, non ipsum solum, sed etiam ve-
„ stes quodam modo adorabant, neque enim jubebant
„ eum vestibus nudari antequam adorarent, aut ani-
„ mo & cogitatione separabant a vestibus cum adora-
„ rent, sed simpliciter Christum, ut tunc se habebat,
„ adorabant: tametsi ratio adorandi non erant vestes,
„ immo nec ipsa humanitas, sed sola Divinitas. De
„ modo autem loquendi fatemur Sacramentum ipsum
„ dici adorandum, ut Concilium Tridentinum loqui-
„ tur: sed hoc exponitur dupliciter: Qui enim sen-
„ tiunt Sacramentum Eucharistiæ formaliter esse Cor-
„ pus Christi ut est sub speciebus, concedunt etiam
„ Sacramentum dici adorandum. Qui autem docent
„ Sacramentum Eucharistiæ formaliter esse species pa-
„ ni & vini, ut Christum continent, illi docent con-
„ sequenter Sacramentum Eucharistiæ esse materialiter
„ adorandum. Sed quidquid sit de modo loquendi, sta-
„ tus quæstionis non est, nisi an Christus in Euchari-
„ stia sit adorandus cultu latriæ. *Hæc Bellarminus*.

SCHOLION II.

In eodem Articulo, §. 4. Num. 8. pa. 882. Religiosi Censores hanc propositionem notant: *Episcopi Galliæ sibi conservarunt jus definiendi quæstiones Fidei*.

R. „ Auctoritatem judicandi de controversiis Fidei,
„ & de Hæresibus emergentibus, a Christo immedia-
„ te acceptam, Episcopos in Colloquio Poissiacensi
„ gloriosissime conservasse & exercuisse observavi: nec
„ eo jure spoliari se passos esse a Regina Hæreticis ob
„ politicas rationes & privata commoda favente. Facti veritatem Historiæ Monumenta probant; veritatem juris, Traditio, quam Sacra Facultas Parisiensis & Ecclesia Gallicana propugnant. Fidei tamen causas post Episcopale judicium ad Sedem Apostolicam referendas esse fateor, cujus judicio finiuntur, secundum præclaram illam S. Petri Chrysologi sententiam, in Epistola ad Eutychem. „ In omnibus hortamur te ut
„ his quæ a Beatissimo Papa Romanæ civitatis scripta
„ sunt, obedienter attendas, quoniam B. Petrus, qui
„ in propria Sede vivit & præsidet, præstat quærenti-
„ bus Fidei veritatem. Nos enim pro studio pacis &
„ Fidei extra consensum Romanæ Civitatis Episcopi
„ causas Fidei definire non possumus.

Nota.

AN Episcopi immediate a Christo suam accipiant auctoritatem, vide alibi. Quomodo vero in Fidei controversiia sint Judices, sæpe explicare non omisi.

ARTICULUS XIII.

DE ANTITRINITARIIS, ET SOCINIANIS.

§. I.

Michael Servetus.

I. ANtitrinitariorum agmen ducit *Michael Servetus*, Hispanus, Tarraconensis, qui cum Lutetiæ Parisiorum operam Medicinæ dedisset, in Africam se contulit, ut Arabicam Linguam & Alcoranum plene addisceret. Ab anno 1531. ad annum 1553. hæreseos venena effudit. Anabaptista primum fuit, Pædobaptismum velut humanum figmentum sugillans, Magistratum omnem rejiciens. De Eucharistia cum Sacramentariis sentiebat, symbolum dumtaxat & signum esse Corporis Christi. Mox Librum edens *De Trinitatis Erroribus*, in Sanctissimam Trinitatem blasphemum stylum convertit, aliaque errorum monstra edidit. Errorum ipsius indicem, excerptis ex ejus Libris propositionibus, conscripsere Ministri Genevenses, qui inter *Calvini* Opera Tom. 8. Editionis Amstelodami pag. 523. legitur. Scripsit itaque Servetus.

Impia Serveti Dogmata.

1. *Omnes qui Trinitatem statuunt in essentia Dei esse Tritheitas, veros Atheos, nec Deum habere nisi tripartitum & aggregativum. Item habere connotativum Deum, non absolutum: imaginarios habere Deos, & illusiones Dæmoniorum*, (Lib. de Trinitate, pag. 30.) Quibus respondet, quod addit pagina sequenti: *Somnia ut voles, dirige oculos ad phantasmata, & tunc videbis tuam Trinitatem non esse intelligibilem sine tribus Phantasmatibus*. Tandem concludit: *Omnes Trinitarios esse Atheos*.

2. *Tot auctoritatibus fulciri Hebræos ut tripartitum Deum a nostris introductum merito admirentur*. (Lib. 1, de Trinitate pag. 34.)

3. *Incorpoream Deitatem realiter distinctam Mahometo causam dedisse negandi Christum*. (Lib. 1. p. 36.)

4. *Tres illas res incorporeas distinctas in Dei unitate non posse stare, & esse Triadem imaginariam*. (Lib. 1. de Trinitate pag. 29.)

5. Ut fucum impiis suis dogmatibus inducat, fatetur quidem in Deo personalem fuisse distinctionem, sed personam dumtaxat externam intelligit, quæ in Dei essentia non vere subsistat: sicuti lib. 2. De Trinitate p. 392. dicit: *Verbum fuisse idealem rationem ab initio, quæ jam hominem referebat: fuisse in Verbo apud Deum futuri hominis Jesu Christi exemplar, personam, effigiem, vultum, faciem hominis in Deo repræsentationem*. Item Dialogo 1. pag. 229. *Non esse inter Verbum & Spiritum realem differentiam*. Item lib. 5. De Trinitate p. 189. *Nullam fuisse in Deo realem generationem vel spirationem*.

6. Ut palam appareat confundi ab eo personas, Lib. 2. de Trinitate pag. 66. sic loquitur: *Ipsa Sapientia olim simul erat Verbum & Spiritus, quia non erat realis distinctio, ipsamet Sapientia erat Spiritus*. Et Lib. 5. De Trinitate pag. 164. *Totum Verbi & Spiritus arcanum* definit *fuisse fulgentem Christi gloriam*.

7. Quamquam autem neget realem distinctionem in tribus Personis ante Jesu Christi Incarnationem; dicit tamen *tanta gloria decoratum fuisse Christum, ut non solum sit ipse Deus de Deo, sed & sit Deus, de quo alius Deus procedat*. (Lib. 5. pagina 185.)

8. *Ipsum Christum esse Filium Dei, quatenus genitus est a Deo in utero Virginis Mariæ. Idque non solum virtute Spiritus Sancti, sed quia Deus ex sua substantia illum genuit*. (Lib. 1. De Trinitate pag. 11. & 12. Item Epistola ad *Calvinum* 1. & 2.)

9. *Verbum Dei de Cœlo descendens esse nunc carnem Christi: ita ut caro Christi de cœlo sit*. (Lib. 1. de Trinitate pag. 17. & 18.) Item Lib. 2. De Trinitate p. 73. *Corpus ipsum Christi esse Corpus Deitatis, carnem ejus divinam, carnem Dei cœlestem de substantia Dei genitam*. Item Dialogo 1. pag. 231. *Animam Christi esse Deum: carnem Christi esse Deum: & tam Christi animam quam carnem fuisse ab æterno in propria Deitatis substantia*.

10 Lib. 2. De Trinitate pag. 77. sic loquitur: *Essentia corporis & animæ Christi, est Verbi & Spiritus Deitas. Et Christus ab initio est tam ratione corporis, quam ratione animæ*. Item Lib. 2. pag. 87. *Non solum in animo, sed & in carne Christi est substantia Deitas*. Item Lib. 5. de Trinitate p. 164. *Deus erat Verbum, & Spiritus, Verbum & Spiritum varie dispensans in corpus & animam*.

11. Ut ostendat sibi ludibrio esse Christi divinitatem, exponit eum dici *Sapientiam & Virtutem Dei, & splendorem gloriæ ipsius, perinde ac si vocaretur excellens quædam sapientia & virtus*. [Lib. 2 de Trinitate pag. 87.)

12. *Jesum Christum hominem, apud Deum ab initio fuisse in propria persona & substantia*. (De Trinitate p. 90.) *Alibi tamen tribuit Christo duas personas*. (Lib. de Trinitate pag. 129)

13. Postquam confessus est Verbum Dei factum fuisse hominem, dicit: *Hoc verbum fuisse semen Christi*. (Lib. 4. de Trinitate pag. 14.) Item: *Rem esse aliam a Filio*. (Lib. 1. De Trinitate p. 23.) Item. *Verbum quo mundus est creatus, prolatum fuisse ejus gratia: unde sequitur ipsum non esse illud Verbum*. (Lib. 2. de Trinitate pag. 89.) Item, *Verbum Dei fuisse rorem naturalis genituræ Christi in utero Virginis, sicut semen generationis animalium*. (Dialogo 2. de Trinitate pag. 260.) Præterea: *Filium Dei naturaliter genitum fuisse ex Spiritu Sancto per sermonem*. (Lib. 1. De Regeneratione pag. 355.)

14. *Verbum ipsum Dei fuisse semen generationis Christi. Et sicut generantia omnia prius in seipsis semen concipiunt, quam fœtum extra se mittant, ita fuisse in Deo semen Verbi, priusquam in Maria Filius conciperetur*. (Lib. 4. de Trinitate pag. 146.) Item: *Paternum semen genituræ Christi idipsum in eo effecisse, quod in unoquoque nostrum facit semen creatum Patris* (Dialog. 2. De Trinitate pag. 154.)

15. *Per-*

15. *Per actionem Spiritus Dei extitisse ipsum Christi corpus, quoniam Verba divina quasi vere geniture Christi cum elementis his creatis simul se terræ miscuerit; & quatenus divinus & humanus halitus ejus animæ infusus fuerit, & coaluerit, extitisse hypostasim unam Spiritus ejus, quæ est hypostasis Spiritus Sancti.* (L. 5. de Trinitate pag. 105.) Et antea dixerat: *In Christo tria elementa esse de substantia Patris.* (L. 4. de Trinitate pag. 159.)

16. Ut corrumpat dictum Apostoli 2. c. ad Hebræos, *Christum scilicet non assumpsisse naturam Angelorum, sed semen Abrahæ*, sic exponit: *Nempe quod nos a morte liberavit*: (Lib. 2. de Trinitate pag. 90.)

17. *Deum esse Patrem Spiritus Sancti*: quod nihil est aliud quam Personas confundere, quales etiam ipse fingit. (L. 5. De Trinitate p. 187.)

*18. Ut ostendat se ludere in voce personæ, dicit: *Unam solam fuisse personalem imaginem seu faciem, quæ erat Christi Persona in Deo, etiam Angelis communicata.* (Lib. 3. de Trinitate p. 112.)

19. *Tria elementa esse ab utroque parente, tam in Christo quam in nobis. Terream vero materiam esse a sola matre, tam in Christo quam in cæteris omnibus.* (Dial. 2. de Trinitate p. 250.) quod etiam plenius exprimit Lib. 5. de Trinitate p. 194. cum dicit: *In nobis solum esse elementa creata, in Christo esse creata & increata, & substantiam Spiritus Dei ipsi carni substantialiter communicatum.*

20. *Rorem illum cœlestem Virgini obumbrantem, & semini ejus & sanguini sese immiscentem, transformasse in Deum humanam materiam.* (Dial. 2. De Trinitate p. 263.)

21. Duas naturas confundens, dicit: *Lucem creatam & increatam fuisse in Christo unam lucem: & ex Spiritu divino & anima humana constitisse in Christo unam spiritualem animam*, Dial. 2. De Trinitate pag. 268. *Adeoque substantiam carnis & substantiam Verbi esse unam substantiam*, Tandem concludit, *carnem Christi substantiam verbi habere corporaliter substantialem ipsum vitalem spiritum Divinum, atque ita esse vere cœlestem & de substantia Dei, carnem Verbi, carnem Dei, quæ existentiam habet æternam.* (Dial. 2. de Trinitate p. 271.)

22. *Jesum Christum participationem Dei & hominis habentem, non potuisse dici creaturam, sed participem creaturarum.* (Dial. 2. de Trinitate p. 272.)

23. *Unam & eamdem Deitatem, quæ est in Patre, communicatam fuisse Filio Jesu Christo immediate & corporaliter. Deinde eo mediatore per ministerium Angelis spiritus communicatam fuisse spiritualiter Apostolis. Ac Christo quidem soli a natura esse Deitatem insitam corporaliter & spiritualiter: verum ab eo dari aliis sanctum & substantialem halitum.* (Lib. 2. De Trinitate p. 22.)

24. *Sicuti Verbum descendit in carnem Christi: ita Spiritum Sanctum descendisse in Apostolorum Animas*, (Dial. 2. de Trin. p. 264.)

25. Personas confundens, sic inquit: *Naturaliter & voluntarie erat λόγος idealis ratio & prolatio, relucentia Christi apud Deum, Spiritus Christi apud Deum, Lux ejus apud Deum: unde sequitur nullam fuisse substantiam, cum figura tantum esset illius rei quæ nondum erat, & interea a Spiritu non differat.* (Dial. 1. de Trinitate p. 208.)

26. *Nullam ante Christi adventum visam fuisse Spiritus hypostasim*, Lib. 5. De Trinitate pag. 297.) Ex quo sequitur nullam tunc fuisse hypostasim, nec personam, cum ipsi nulla sit persona nisi visibilis; quemadmodum in Libris suis affirmat, & Responsis fatetur. Quibus respondet quod dicit Dialogo 2. pag. 217. *Spiritum Dei umbram fuisse in creatione mundi.*

27. Ut intelligatur qualem æternitatem Christo tribuat: *Sicut*, inquit, *tot omnes nunc sunt in Deo, ita eodem ordine ante creationem erant in eo, & primus omnium Christus. Item: Deus ratione sua æterna corporalem sibi & visibilem Filium æternaliter decernens, talis speciei substantia seipsum visibilem præbet per sermonem.* (Dialogo 1. de Trinitate p. 205.)

28. *Christum, quamdiu in carne mortali versatus est, nondum accepisse Spiritum novum, quem a sua Resurrectione accepturus erat.* (Lib. 5. De Trinitate pag. 185.) Item pag. 195. *Christum ante Resurrectionem nondum obtinuisse totam Dei gloriam, sed postea Spiritum novum accepisse. Totam ergo nunc Verbi & Spiritus gloriam hypostatice solum Christum continere.* Cui respondet quod Dialogo 1. de Trinitate pag. 231. scribit, *Deum spirantem spirasse in Christum, sicut in nos, Spiritum Sanctum supervenientem: atque ita totam denuo Deitatem dispensatione alia spirasse, ac ejus priorem Spiritum in Resurrectione innovasse, dato novo Spiritu, quem datus in Jordane Spiritus adumbrabat.*

29. *In Dei substantia partes esse & partitiones, non eo modo quo in creaturis, sed secundum dispensationis distributionem, ita ut in Spiritus partitione cujusque portio sit Deus.* (Lib. 3. de Trinitate pag. 321.) Præterea ubi affirmavit *Spiritus nostros substantialiter ab æterno fuisse*, subjungit *illos esse Deo consubstantiales & coæternos.* (Dial. 1. De Trinitate p. 226.) Et tamen alio loco fatetur, *Spiritum quo illuminati sumus extingui posse.* (Lib. de Regeneratione 4. p. 555.)

30. *Omnibus insitum esse ab initio Spiritum Deitatis ex Dei halitu.* (Dialogo 2. p. 138.)

31. *Si quando in Lege dicitur esse in aliquo Spiritus Dei, non sumi pro Spiritu regenerationis Sancto.* (In Lib. de Legis & Evangelii differentiis.) *Judæos omnes Deo servisse in vetustate literæ, non in novitate Spiritus. Numquam aliquem Judæorum electum aut prædestinatum fuisse ea electione, qua nos prædestinavit Deus, ut liberam adoptionem filiorum Dei reciperemus. Abrahamum, Moysen, & Prophetas, sub Lege fuisse, non sub gratia, & servituti Legis fuisse obnoxios.*

32. *Angelos olim ut Deos a Judæis fuisse adoratos.* (Lib. 5. De Trinitate p. 184.) ita ut illos ipsorum *Deos* appellet. Cui etiam respondet quod dicit Dialogo 1. p. 216. *Numquam fuisse in Lege Deum vere adoratum, sed Angelos adumbrantes Christum fuisse adoratos. Item, Abraham credidisse illi, qui Christum adumbrabat.*

33. Etsi autem fatetur Christum vel Verbum non habuisse hypostasim realem ab initio, nihilominus affirmat Angelos & Electos in Deo fuisse realiter ab initio. (Lib. 1. De Trinitate p. 135.)

34. In omnibus creaturis Deitatem constituit, etiam substantialem. (Dialogo 1. p. 213.)

35. Posteaquam vero multa deliria eaque perversa ac perniciosa de Animarum substantia consarcinavit a pag. 220. usque ad pag. 225. 1. Dialogo tandem concludit: *Animam esse ex Deo, & ex ejus substantia*, Item, *Inspirationem creatam in illam fuisse insitam una cum Deitate, & iterum nova spiratione in unam cum Deo lucem substantialiter coire per Spiritum Sanctum.*

36. *Quamquam autem anima non est Deus, eam tamen efficit Deum per Spiritum, qui quidem est & ipse Deus; adeo ut dubitare sit nefas, & Animam nostram, & ipsum Christi Spiritum Sanctum sibi essentialiter junctam habere ejusmodi elementarem substantiam, sicut Verbum sibi junctam habet carnem. Atque res creatas & increatas in unam Animæ & Spiritus substantiam coire.* (Lib. 5. De Trinitate, p. 181. 182.)

37. Scripsit, adeoque vulgavit horrendas blasphemias contra Pædobaptismum, quemadmodum satis constat ex integris quatuor Libris *De generatione*, præsertim vero ex conclusione, p. 576. Item, *non committi peccatum mortale ante annos viginti.*

38. *Animam redditam esse mortalem per peccatum, sicut caro mortalis est: non quod in nihilum Anima recedat, sicut nec caro. Sed mori quando cum dolore vitalibus actionibus privatur, & in inferno languens detinetur quasi non amplius victura.* (Lib. 4. De Regeneratione p. 551.) Deinde concludit: *Regenitos aliam habere Animam quam ante, propter substantiam, & novam Deitatem adjunctam.*

Biblia Lugduni excudi curavit, quorum margines multis perniciosis commentis inquinavit. Quæ de reconciliatione nobis parta, de scelerum expiatione, de maledictione sublata virtute mortis Christi asserit *Isaias* Cap. 53. ad *Cyrum* detorquet, quod in ejus morte Judæi justas scelerum suorum pœnas dederint. Tot blasphemias non impune tulit *Servetus*. Repertus enim Genevæ, & accusatus a *Calvino*, in carcerem trusus est: cumque post multam & acerbissimam disputationem, qua illum mendacii sæpe numero arguens, suas Propositiones conviciis & maledictis propugnabat, nihil de obstinatione remitteret, re cum Bernatibus, Tigurinis, Basileensibus, Schaffusianis Ministris communicata, eisque omnibus ejus doctrinam ut impiam & blasphemam damnantibus (ut liquet ex eorum Responsis inter *Calvini* Epistolas editis) ex Senatus Genevensis Sententia vivus combustus est, die 27. Octobris, anno 1553.

Serveti Supplicium.

§. II.

§. II.

Valentinus Gentilis. Ejus errores.

CUm eo quo consumptus est igne, non est extincta illius Hæresis; Poloniam enim, Transylvaniam, & Hungariam invasit, propagatoribus præcipuis *Valentino Gentili*, Neapolitano, *Georgio Blandrata*, *Alciato*, *Bernadino Ochino*, *Gribaldo*, *& Francisco Davide*. Non tantum *Serveti* blasphemias suas fecit *Valentinus Gentilis*, sed gravissimus insuper errores addidit, & ad Tritheitas proxime accessit, dicens, „ Tria concurrere in Trinitate, essentiam quæ dicitur Pater, Filium & Spiritum Sanctum. Patrem esse unicum illum Deum Israel, Deum Legis & Prophetarum, solum verum Deum Essentiatorem; Filium Essentiatum, & precario Deum: Sophisticum esse commentum attribuere Patri propriam Personam in essentia Deitatis: qui id asserunt, Quaternitatem, non Trinitatem agnoscere: Nam (inquiebat) unica illa essentia absque ulla consideratione Personarum est ex semetipsa verus Deus: & quælibet trium Personarum est item essentialiter Deus: sequitur ergo Quaternitas, non Trinitas.

Hæc a *Valentino Gentili*, aliisque nonnullis agitari cum subolfecissent Cœtus Italo-Calviniani Genevæ constituti Seniores, nullum illis præsentius remedium visum est, quam edita Confessionis Formula, cui omnes subscriberent, detegere si quod occultum virus lateret. Edita est 18. Maii 1558. & in Conventu proposita, ut liberum singulis esset, in medium contra proferre, si quid reprehensione dignum censerent. Tribus circiter locis *Valentinus Gentilis*, *& Joannes Paulus Alciatus* linguas suas blaterando exercuerunt. Sedata omni contentione, nulla fuit vel controversia, vel mora, quin omnes subscriberent, sex dumtaxat exceptis, quorum unus erat *Valentinus*: qui tamen vocati consensum tandem subscriptione testati sunt. Sed paulo post *Valentinus*, spreto jurejurando, suos susurros in obscuris angulis spargere non destitit & tentare simplices ac imperitos, an aliquos irretire suis insidiis posset; Re ad Senatum delata, in judicium vocatus, & in carcerem trusus, multorum testimoniis perjurii convictus est. Auditus præsentibus Ministris, & a *Calvino* confutatus, uno effugio usus est, se disputandi artificium non tenere. Postea farraginem, quam diu meditatus fuerat, scriptam obtulit Senatui, vindicias errorum continentem, cui postridie scripto respondit *Calvinus*, Cujus Responso accepto, etsi in eadem qua cœperat petulantia audacter ad dies aliquot perreait; ubi tamen secum propius expendit, sibi extremum supplicium imminere nisi errores revocaret, simulata pœnitentia, Epistolam ad Senatum Genevensem scripsit ex carcere, qua suas blasphemias agnoscebat, & veniam precabatur, Abjurationemque errorum sua manu scriptam una misit, cujus hic erat tenor.

Valentini Gentilis Retractatio.

„ Confiteor Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, esse unum Deum, id est, tres Personas distinctas in una essentia. Pater non est Filius, nec Filius est Spiritus Sanctus, sed unaquæque illarum Personarum est integra illa essentia. Item Filius & Spiritus Sanctus quantum ad divinam naturam sunt unus Deus cum Patre, cui sunt coæquales & coæterni. Hoc illud est quod ego sentio, & corde simul ac ore profiteor, & confido fore per Dei gratiam ut in hac Confessione vivam & moriar. Omnes autem Hæreses huic sanctissimæ veritati contrarias damno & detestor, & quidem nominatim blasphemias illas, quas ipse mea manu descripsi: quibus inter cæteros errores quaternitatem asserebam, & Christum statuebam unius Israelitici Dei Filium, ita ut æterna sua divinitate spoliaretur. Denique, quoniam ex falsis istis fundamentis multæ falsæ consecutiones oriuntur, omnes illas damno & execror, & palam profiteor me in omnibus & per omnia assentiri sanctæ hujus Ecclesiæ doctrinæ, & quidem imprimis ac diserte in hoc Sanctissimæ Trinitatis Articulo; in quo agnosco me tam graviter, tantaque cum blasphemia peccasse ut libenter velim jam olim interiisse, ne tantum scelus admitterem. Hoc illud est quod sentio in corde meo; infinitam Dei misericordiam precor, ut in posterum me afficiat tanto istarum rerum sensu, ut aliqua ex parte possint veræ meæ pœnitentiæ fructus ab omnibus cognosci. 29. Augusti 1558. Joannes Valentinus Gentilis manu propria.

Sententia in eum lata.

Habita hujus palinodiæ ratione, Syndici Genevenses, Judices causarum criminalium, sententiam in *Valentinum Gentilem* tulere, ut ipsi ajunt, misericordia temperatam, ipsumque adjudicarunt huic pœnæ, ut exutus usque ad camisiam, pedibus nudis, & capite discooperto, facem accensam manu tenens, genibus in terram flexis, veniam a Deo & Justitia deprecaretur, fatendo se impie & scelerate sparsisse falsam & hæreticam doctrinam; & Scripta sua in ejus defensionem detestaretur; & propriis manibus in ignem conjiceret tamquam perniciosis mendaciis referta: ad clangorem tubæ per omnia urbis compita in hoc habitu duceretur, cum prohibitione urbe ipsa egrediendi. Sententia executioni mandata die secunda Septembris, 1558. Aliquot post dies oblato libello supplici impetravit a Senatu Genevensi, ut absque interposito vade, præstito tamen jurejurando e carcere dimitteretur. Deinde contra fidem datam Geneva clam aufugit ad hominem sui similem *Matthæum Gribaldum*, & petulantius quam antea in Sacram Triadem bacchari cœpit. Inde a Gayensi Præfecto in carcerem conjectus, simulata rursus probitate evasit, & mox Lugdunum se proripiens, blasphemum Libellum edidit adversus *Symbolum* quod *S. Athanasii* nomine inscriptum est. Inde etiam cum evasisset, Bernæ in Helvetia comprehensus, & accusatus a *Musculo* anno 1556. capitali supplicio affectus est. Consulatur *Calvinus in Explicatione Perfidiæ Valentini* Gentilis, Tom. 8. Operum.

Genevam fugit.

Ejus supplicium.

JOANNIS DOMINICI MANSI

Nota.

SUspicionem mihi tum argumenti, cum hæreseon similitudo induxit, num libellus iste Valentinus Gentilis idem omnino sit cum brevi Commentario in Symbolum S. Athanasii sacrilegis in SS. Trinitatem blasphemiis scatente quem Anglicanus quidam Collector in fasciculo variorum monumentorum haud ante multos annos evulgavit Londini, & ex eo excerpta quædam in specimen Operis dederunt Scriptores Operis periodici inscripti *Bibliotèque raisonnée &c.*

§. III.

Georgius Blandrata.

PRæter *Valentinum Gentilem*, Antitrinitariorum errores in Transilvania & Polonia sparserunt *Georgius Blandrata* Medicus Italus, ad cujus quæstiones extat *Calvini* Responsum tom. 8. Operum, pag. 585. editum; *Joannes Paulus Alciatus* Mediolanensis, *Gregorius Paulus*, *Petrus Statorius*, *Bernardinus Ochinus*, Senensis, ex Ordinis Capucinorum Generali, Apostata, qui ex Italia, cum *Petro Vermilio Martyre* cognominato profugus, cum meretricula, quam publice duxit in signum Reformationis, Genevam appulit, indeque Tigurum, Basileam, in Angliam quoque cum *Petro Martyre*, tum in Germaniam peregrinatus, in Poloniam tandem & Transilvaniam migravit, ubi Libellum blasphemum *Contra Sectam Terrenorum Deorum*, aliosque pestilentissimos Libellos edidit. Quem *Hosius* Cardinalis VVarmiensis in suo *De Adoranda Trinitate Judicio & Censura* pro meritis exagitat. Eamdem Sectam amplexi sunt & propagarunt *Gribaldus*, *Lismaninus*, *& Franciscus Davidis*, qui omnium pene Hæreseon commenta cum Antitrinitaria permiscuit, ut scribit *Theodorus Beza* Epistola 81. „ Incidit Blandrata (*inquit*) in Transilvaniam rediens in quemdam Franciscum Davidis paulo magis quam superiores illi, ut ajunt, providum: qui cum nimium crassam esse illam Tritheitarum blasphemiam simpliciter propositam animadvertisset, maluit omnia involvere permixtis omnium pene hac in re hæreseon commentis quam simpliciter suam sententiam profiteri. Certe in illis quas initio scripsit, Thesibus quæ illi tribuuntur ausim dicere & profiteri omnium Hæreseon, quibus umquam Christi Personam Satan oppugnavit, semina contineri. Quæ vero postea evomuit adeo impudenter, ut aperte & sine ambagibus, non pro hæreticis, sed pro veritatis assertoribus Origenem, Eutychem, Nestorium, Samosetenum, Arium, Donatum Helvidium, Nepotem, Eunomium, Praxeum, Photinum Cerdonem, Sabellium, Acephalos habeat & nominet; hæc (*inquam*) ejusmodi sunt ut unum hoc superesse videatur, ut Satanam ipsum in Dei & veritatis solio collocet. Ad Mahometanos defecit *Alciatus*. Miserrime trucidatus est *Blandrata* in Transylvania ab uno cognatorum suorum, qui bonis ejus inhiabat. *Ochinum* miserabiliter etiam in Polonia obiisse scribit *Beza*: at ipsum errores ejurasse, & peccatorum Confessionem Catholico ritu ante mortem edidisse, Ca-

Franciscus Davidis.

pu.i.

pucinorum Annales probant. *Gribaldus* peste necatus est. *Lismunius* in puteum præcipitem se dedit: *Franciscus Davidis* ruente repente domo oppressus est, ut *Beza* refert in eadem Epistola.

§. IV.

Sociniana Secta Conditores.

I. CElebrius apud Antitrinitarios fuit *Lælii & Faustini Socinorum* nomen, a quibus Secta etiamnum appellatur *Socinianorum*. Uterque Senis oriundus. *Lælius* admodum adolescens anno 1547. patriam reliquit, annum videlicet agens alterum & vigesimum. Proximo quadriennio Galliam, Britanniam, Belgium, Germaniam universam, ipsam quoque Poloniam emensus, apud Helvetios Tiguri Sedem fixit. Ipsi cum Calvino, Melanchone, Beza, Bullingero, Musculo, Munstero, Petro Martyre, aliisque hujusmodi pestibus, & doctrinæ Evangelicæ corruptoribus familiaritatem intercessisse, eorum ad ipsum Epistolæ testantur. *Calvinum* quæstionibus de Resurrectione & Disciplina propositis fatigavit. Peritius dissimulandi artifex, quam a *Michaele Serveto* hauserat Hæresim, eo exnsto abscondit. Paucos ea infecit Italos per Germaniæ ac Poloniæ regiones diffusos. Annis 1558. & 1559. literis Poloniæ ac Bohemiæ Regum munitus, Venetias se contulit, ut cum amicis de patrimonio transigeret. Obiit Tiguri die perendino Idus Maii, anno 1562. ætatis 37. Ejus de obitu certior factus *Faustus Socinus* ipsius nepos, patrui scripta sibi vendicavit, afflatamque ab illo Hæresim propagare studuit, in Transsylvania potissimum & in Polonia, cum ore tenus in privatis colloquiis, tum scriptis virulentis, scilicet Commentariis in cap. 5. & 6. Matthæi; in initium Evangelii S. Joannis, in septimum caput ad Romanos, & in istius explicationis Defensione; in Explicatione variorum Scripturæ Sacræ locorum; in primam Epistolam Sancti Joannis; in Libro de auctoritate Scripturæ Sacræ; in Lectionibus sacris; in Tractatu De Ecclesia, in Epistolis; in Prælectionibus Theologicis; in Lib. De Justificatione, Fide & Operibus; in Elenchis Sophisticis; in institutione Religionis Christianæ, sive Catechesi; in Libris de Baptismo, De Cœna Domini; De Deo Christo & Spiritu Sancto; De Magistratu contra *Palæologum*; De Christo Servatore contra *Covetum*; in Libro cui titulus est *Synopsis justificationis nostræ*; in Libro de Statu Adami ante lapsum contra *Puccium*; in Libro de Natura Christi contra *Volanum*; in Assertionibus Theologicis de Trino & Uno Deo; in Tractatibus de diversis materiis ad Christianam Religionem pertinentibus; in Libris contra *Erasmum Joannis*; contra *VVickum*; contra *Eutropium*; contra *Franciscum Davidis*, De Invocatione Christi contra *Christianum Francken*. Sectæ post *Socinum* pertinacissimi defensores fuere, *Joannes Crellius*, *Jonas Slechtingius à Buccowvietz*, & *Joannes Ludovicus VVolzogenius*: quorum pestilentissima Opera in unum corpus redacta sunt sub hoc titulo: *Bibliotheca Fratrum Polonorum, quos Unitarios vocant*: & Tomis VIII. comprehensa atque apud Batavos edita magno Religionis Christianæ damno. Item *Christophorus Ostorodus*, *Joannes Volkelius*, *Valentinus Smalcius* qui *Racovinaam Catechesim* edidit, quæ Socinianismi doctrinam omnem explicat, *Sandius* qui *Nucleum Historiæ Ecclesiasticæ* emisit, &c.

II. En his discimus quæ sint Socinianæ Sectæ dogmata, qui errores præcipui.

Socinianorum Errores De Scriptura Sacra.

1. Asserunt, Dei & Religionis cognitionem ex naturæ fontibus hauriri non posse. Ita *Socinus* in *Prælectionibus Theologicis*, cap. 2.

2. Christianis non esse necessarium usum & lectionem Testamenti Veteris, & solis Novi Testamenti libris, non aliis, Christianam Religionem esse comprehensam.

3. Scripturam Sacram ita esse perspicuam, ut in verbis ad salutem necessariis sola rationis ope, salutariter sine præcedanea mentis illustratione a Spiritu Sancto, possit a quovis intelligi. Traditionem Fidei Regulam non esse.

Errores circa Trinitatem.

4. In essentia Divina unicam tantum esse Personam, contradictionem quippe implicare Deum esse unum & plures esse in eo Personas; & distinctionem istam, unus essentia, trinus Personis, nec usquam extare in sacris Literis, & cum certissima ratione ac veritate manifesto pugnare: cum certissimum sit non pauciores esse individuas essentias, quam personas.

5. Filium Dei appellari Deum metaphorice & improprie, ob sublimem potestatem ab illo uno & vero Deo participatam. „ Vox Deus (*inquit* Faustus Socinus *in Argumenti pro trino & uno Deo omnium potissimi Examinatione*) duplici modo potissimum in „ sacris Literis accipitur. Prior modus est, cum significat illum, qui tum in cœlo, tum in terra ita aliis dominatur ac præest, rerumque auctor est & origo, ut neminem superiorem ac principem habeat, „ nec ab ullo pendeat. Atque hoc priore modo dicitur „ Deus esse unus. Alter modus est, cum significat „ eum qui summum aliquod imperium aut vim aut „ potestatem ab ipso uno Deo habet, vel aliqua alia „ ratione divinitatis illius unius Dei est particeps. Hoc „ altero modo in ipsis sacris Literis vocatur nonnunquam Filius, seu Christus Deus.

6. Spiritum Sanctum non esse *Personam divinam*, sed *virtutem atque efficaciam Dei*, & propterea haud raro illi tribui in Scriptura, quæ Dei sunt propria, quamvis nusquam diserte in Scriptura Deus appelletur: sed non magis ex hoc sequi Spiritum Sanctum esse Personam divinam, quam sequatur Dei bonitatem, aut justitiam, aut misericordiam, aut judicium, aliosque Dei vel effectus, vel proprietates, esse Personas divinas. (Ibidem, & in *Christianæ Religionis Institutione*.)

7. Christum secundum personam esse hominem verum, idque unum de ipso sciri debere, non tamen esse purum hominem, sed divina filiatione *ab ortu* insignitum „, quatenus divini Spiritus vi, sine viri ope, „ in Virginis utero conceptus & formatus fuit. Nam „ hujusce rei causa eum Filium Dei vocatum iri, „ ipsius Dei Angelum ipsimet Virgini ex qua natus „ est, prædixisse, Lucæ 1. & quidem consequenter „ Dei Filium proprium & unigenitum; cum nemo alius hac ratione, & ab ipso primo ortu Dei Filius „ umquam extiterit. *Illum ante Virginem Mariam non* „ *fuisse; & ea duntaxat ratione* Primogenitum omnis „ creaturæ a S. Paulo appellari, quod ut dignitate, „ sic tempore omnium novarum creaturarum prima „ sit. Nam & conceptio ex Spiritu Sancto, & ab „ omni peccati labe immunitas, eum novum hominem, & consequenter novam creaturam (*inquit* Socinus *in Christianæ Religionis Institutione*.) *Quas* „ *blasphemias prolixius explicat & tuetur in Lib. contra* VVickium, *& in 1. Caput Evangelii* S. Joannis, „ *ubi illud Oraculum*. In principio erat Verbum, & „ Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. „ Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil quod „ factum est, (*sic enim sublata interpunctione hæc verba legit perfidus Interpolator*.) *Hoc* (*inquam*) *oraculum sic interpretatur, suisque blasphemiis accommodat*; In principio erat Verbum, *hoc est*, Christus „ Dei Filius, metonymice Verbum appellatus, quia „ ipsius opera Evangelii verbum, quod prius latebat, „ innotuit, & quia omnem Dei voluntatem nobis patefecit; in principio Evangelii, eo nimirum tempore quo Joannes Baptista ad frugem Israelitarum populum revocare cœpit, & antequam ipsius Baptistæ „ prædicatione Judæis innotuisset, jam erat, & erat „ a Deo huic muneri, voluntatem suam scilicet patefaciendi destinatus. *Et Verbum erat apud Deum*. Hoc „ est, Jesus quatenus Dei Verbum, antequam Baptistæ „ prædicatione patefieret, soli Deo notus erat. *Deus* „ *erat Verbum*: Non ratione substantiæ, vel personæ, „ sed auctoritatis, potentiæ, ac beneficentiæ, quia „ salutis nostræ, vitæque æternæ dux & auctor & „ consummator extitit, divina, dum in terris ageret, „ potentia & auctoritate præditus. *Omnia per ipsum* „ *facta sunt, & sine ipso factum est nihil quod factum* „ *est*. *Id est*, Omnia ad spiritualis mundi structuram, „ seu ad negotium Evangelii pertinentia; omnia nova „ hæc spiritualia atque divina, quæ apud nos & in „ toto terrarum orbe facta conspiciuntur, non aliunde „ ortum habent, quam a Jesu Christi Evangelii prædicatione, Christique opera & potestate sunt facta. „ Et sine ipso factum est nihil, quod ad hanc factionem pertineat.

In Disputat. contra Erasmum Joannis & in Disputat. de Christi Natura.

Socinianorum errores circa Incarnationem.

8. Non solum Sanctissimæ Trinitatis, sed Incarnationis Mysterium evertunt Sociniani; Deumque naturam humanam in unitatem Personæ assumpsisse negant. Unde Evangelicum istud Oraculum: *Et Verbum caro factum est*, ita Socinus interpretatur: *Et Verbum caro fuit*: id est, *Homo ille qui ex Maria Virgine natus est*, quem tot laudibus *Joannes* decoravit, de quo scripsit quod sit Deus, & Verbum per quem omnia sunt facta; *Homo fuit imbecillis, ærumnosus, despectus, humilis, contemptus, & non secus atque alii morti obnoxius*.

9. Do-

9. Docent Christum fuisse Prophetam, quia antequam Prophetico munure fungi inciperet, in Cœlum raptus est ad Patrem, ibidemque de omnibus edoctus, quæ se, quæ nos spectarent; ac postmodum cum plenaria illa voluntatis Dei manifestatione in mundum missus. Ita *Socinus* in *Christianæ Religionis Institutione*, pag. 675.

10. Divinum honorem cultumque Christo exhibendum, sed mediate dumtaxat Deum adorari, cum Christus adoratur. In eo quippe cultu qui ipsi exhibetur, esse Deo subordinatum. Deum coli ut causam primam salutis nostræ, Christum tamquam secundam. Ita explicat *Socinus* in Responsione ad Præfationem *VVieki*, in Christianæ Religionis Institutione, Lib. De Invocatione Christi contra *Franciscum Davidis*, in Epistola ad *Philippum B.* & in Lib. contra *Christianum Francken*.

11. Jesum Christum ideo Servatorem nostrum esse, quia salutis æternæ viam nobis annuntiaverit, confirmaverit, & in sua ipsius Persona, cum vitæ exemplo, tum ea mortuis resurgendo, manifeste ostenderit, vitamque æternam nobis ei fidem habentibus ipse daturus sit. „ Divinæ autem Justitiæ per quam peccatores damnari mererentur, neque illum satisfecisse, neque ut satisfieret, opus fuisse. Redemptionem nostram per Christum factam, esse metaphoricam, id est, in ea peragenda nullum verum pretium intervenisse, sive nihil cuiquam pro nobis solutum fuisse. Christum non potuisse divinæ Justitiæ pro nobis satisfacere. Non enim minus illum pro se obtulisse, quam Legalem Pontificem. *Ita* Socinus *Lib.* De Christo Servatore contra Covetum, *in* Christianæ Religionis Institutione, *& in* Prælectionibus Theologicis, *a cap.* 16. *ad* 30.

12. Christum non fuisse Sacerdotem antequam in Cœlos ascenderet, & ne quidem Sacerdotale munus exercuisse cum in cruce penderet. Ipsius mortem non fuisse sacrificium, sed viam quamdam & præparationem ad illud peragendum. Oblationem ipsius non fuisse consummatam, antequam a mortuis excitatus Cœlos ascenderet. „ Dico igitur (*inquit* Socinus *in Christianæ Religionis Institutione*) Christi oblationem, qua expiata peccata nostra fuisse dicuntur, non in Cruce & per ipsam ibidem Sanguinis sui fusionem peractam fuisse, quemadmodum vulgo existimant, sed in Cœlo, & per sui ipsius ibi coram Deo pro nobis, ut sic dixerim, præsentationem.

13. Christum propria virtute a mortuis non surrexisse. In vero quidem corpore, eo scilicet in quo cum Discipulis conversatus fuerat, resurrexisse; & in eo subinde Apostolis, ut fidem Resurrectionis suæ faceret, apparuisse, quod tamen sub Ascensionem disparuit, & annihilatum est; ita ut Christus jam sanguine & carne careat, habeatque corpus quoad essentiam mere spirituale. Unde (inquit) etiam Fidelium corpora futura sunt spiritualia, id est, talia quæ carne, sanguine, & ossibus sunt caritura. „ Dum igitur (*inquit* Socinus *in Responsione ad Defensionem Francisci Puccii*) Dominus Jesus post Resurrectionem hic cum Discipulis esse voluit, non fuit corpus ejus immutatum, & immortale & gloriosum effectum; nam neque tantum splendorem & Majestatem mortalibus oculis intueri & sustinere potuissent: nec ipse se vere resurrexisse eis fidem fecisset, nisi idem prorsus fuisset qui antea fuerat. Unde factum est ut ipsa clavorum vestigia in manibus, & lanceæ in latere eum etiam tunc habuisse legamus Joannis 20. quæ nemo non videt quam immortali corpori convenire non possint .... Addo, cum Christus per id temporis vere comederit, fieri non posse ut naturam immortalem adeptus esset, cum Paulo teste ii qui immortales sunt, non comedant.

Socinianorum errores circa hominem.

14. Hominem ante lapsum non fuisse immortalitate donatum. *Nec mortalitatem quippe, neque mortem naturalem* per peccatum in mundum intrasse, *sed moriendi necessitatem & mortem æternam*. Ita *Socinus* in Responsione ad Defensionem *Francisci Puccii* Cap. 8. & in toto Libro, & in *Prælectionibus Theologicis*, Cap. 1.

15. Justitiam originalem in primo homine ante lapsum nullam fuisse. Ita *Socinus in Prælectionibus Theologicis*, *Cap.* 3.

16. Peccatum Originis nullum esse (*Ibidem*, Capit. 4.)

Socinianorum errores circa Sacramenta.

17. Baptismum aquæ a Christo præceptum non fuisse; eoque posse Christianum hominem carere, & ab eo abstinere. Esse quidem in Baptismo aquæ post Christi Resurrectionem instituto aliquid quod ad remissionem peccatorum aliquo modo pertineat, scilicet publicam & apertam Jesu Christi nominis professionem; sine qua liberatio a peccatorum reatu contingere nemini potest: Verum Professionem istam externæ illi ablutioni alligatam non esse, adeo ut etiam alio modo fieri non queat, quemcumque vel Ecclesia pro temporum & locorum conditione elegerit, vel res ipsa per se necessario tulerit. Itaque necessarium illi Baptismum non esse, qui citra externam illam ablutionem publice & aperte Christi Jesu nomen professus fuerit. Eo ritu nec infantes, nec adultos regenerari. Ita docet, Socinus in disputatione „ de Baptismo aquæ, in responsione ad priores & posteriores Notas Andreæ Dudithii, & in responsione ad Martini Czechovicii Notas. „ Pædobaptismum ceu verbo Dei contrarium, cum Anabaptistis rejiciunt, præeunte *Socino* in libro contra Evangelicos, id est Calvinianos, qui inscribitur: „ Quod Regni Poloniæ & Magni Ducatus Lithuaniæ homines, &c.

18. „ In sumptione illa panis & vini, quæ fit in Cœna Domini, nihil præter ipsum panem & vinum a credentibus sive non credentibus accipi, nec corporaliter, nec spiritualiter, Cæremoniam esse dumtaxat, non Sacramentum: nec alium ejus finem esse, quam mortis Domini annunciationem, & commemorationem. Abusum esse Cœnæ Domini credere, illam nobis aliquid conferre beneficii, vel gratiam Dei, vel nos ejusdem certiores facere. Nam quod ad externa attinet, quæ nos confirmare possunt in veritate divina, nulla esse alia, quam aquam, hoc est innocentiam; sanguinem, hoc est mortem truculentam; & Spiritum, hoc est miracula Jesu Christi, Apostolorum, & aliorum credentium. Quod ad interna, nihil nos confirmare posse in gratia Dei, quam Spiritum Dei. „ Ita *Socinus* in lib. *De Usu & fine Cœnæ Domini*, *contra Niemoiovium*.

Socinianorum errores circa Legem, Gratiam & Justificationem.

19. Justos Veteris Testamentis Fide in Christum non fuisse justificatos; nec vitæ æternæ promissionem ad eos pertinuisse. Ita *Socinus* in lib. „ Quod Regni Poloniæ &c. & in Fragmentis de Justificatione & Racoviana Catechesis, &c.

20. Præcepta Moralia Novi Testamenti alia esse a præceptis moralibus Veteris Fœderis. (Ibidem.)

21. „ Voluntatem ad ea perficiendum quæ Deus jubet, in omnibus natura esse posse, atque adeo in plerisque esse, nisi peccandi assuetudine factum sit, ut quis ipso peccato atque iniquitate delectetur. Porro vires non ita esse exiguas, ut homo Dei ope accedente, si sibi ipsi viam facere velit, Legi divinæ parere non possit. Jam vero auxilium istud divinum esse duplex, exterius, & interius. Exterius esse promissiones Legi adjunctas alicujus boni, cujus desiderio ac spe homines permoti, Legem servandi difficultates superant; vel minas alicujus mali, cujus odio & metu perterriti, ab ea infirmanda sedulo sibi cavent, earumque & promissionum & minarum externas confirmationes. Interius autem auxilium duplex esse: Unum, cum Deus id quod sibi obedientibus promisit, eorum etiam cordibus quodammodo inscribit. Alterum, cum ad ipsius voluntatem recte percipiendam mentem erudit, eamque illustrat. Ita *Socinus in Prælectionibus Theologicis*, Cap. 5. cum Pelagio prorsus consentiens.

22. „ Deum omnes quibus Christi Evangelium annuntiatur, salvos facere velle, ac vita æterna donare, si modo iidem Evangelio credant atque obediant: ut autem credere atque obedire possint (naturæ scilicet ac liberi arbitrii viribus) omnibus *generatim concedere*. Ita *Socinus in Thesibus de Justificatione*.

23. Nullam esse Dei Prædestinationem, qua nominatim ab omni æternitate de singulis hominibus decreverit, quis omnino servandus, quis damnandus sit. *Socinus in Prælectionibus Theologicis* cap. 6.

24. Nullam esse in Deo futurorum quæ ex hominis libertate pendet, certam & infallibilem prænotionem, seu præscientiam; nullum singulare decretum eorum quæ ad salutem aut damnationem hominum attinet. Ibidem a cap. 8. ad 15. & in explicatione capitis noni Epistulæ ad Romanos.

Socinianorum errores de Anima & Resurrectione.

25. Animas a morte non superesse. Homines impios penitus annihilari. Resurrectionem impiorum nullam futuram, sed eos tantum impios judicandos, qui tunc vivi ultimo die deprehenderentur, eosque una cum Diabolo in ignem æternum detrusum iri. Qui ignis æternus ipsis dicetur, non propterea quod in æternum affligat, & infideles ardendo non comburantur, sed quod in æternum non contingat ex eo liberatio. Ita-

qoe negant cruciatus impiorum & Dæmonum in æternum duraturos, verum omnes esse simul penitus abolendos ajunt, adeo ut mors & infernus ipse dicantur conjiciendi in stagnum illud ardens. (Apocal. 20.) Rationem addunt, quod absurdum sit Deum irasci in æternum, & peccata creatoratum finita pœnis infinitis mulctare. *Socinus* in 5. caput Epistolæ 1. S. Joannis: „ Verum quia nos de Animabus post mortem „ uniuscujusque superstitibus, præsertim ita ut vel „ bonis perfruantur, vel malis torqueantur, nihil ex- „ plorati habemus: dicimus, Christum noluisse dice- „ re, cum finis mundi erit, & judicium universale „ fiet, non fore ut is qui Spiritum Sanctum blasphe- „ maverit, a morte æterna liberetur, seu ad vitam „ æternam resurgat, si jam antee mortuus fuerint: si „ vero vivus adhuc e Christo Judice deprehendatur, „ immutetur, & ex mortali immortalis fiat ac bea- „ tus, ut iis omnibus eveniet qui Christi fuerint, & „ similiter ipso ad judicandum veniente, adhuc vive- „ re fuerint deprehensi. *Idem in Explicatione Locorum* „ *sacræ Scripturæ, verba illa Lucæ 20. expenens*, Deus „ non est mortuorum, sed vivorum Deus. &c. *ait*: „ Vivunt Deo Abrahamus, Isaacus, & Jacobus, „ siquidem resurrecturi sunt; sin minus, plane sunt „ mortui . . . Vivunt Deo, quatenus vitam æternam „ dare omnino constituit. Mortui sunt Deo, quatenus „ nondum eam vitam illis dedit, *&c. Joannes Crel-* „ *lius in c. 25. S. Matthæi*: Utrum vero impii talem „ æternem pœnam, quæ cum sensu intolerabilium do- „ lorum conjuncta sit, subituri sint, multi etiam ex „ antiquis Ecclesiæ Doctoribus dubitarunt. Ut vero „ Deus in omnibus justitiæ tenax est, ita hic quoque „ super neminem extendet pœnam meritis ejus majo- „ rem. Nulla autem possunt esse peccata tam gravia, „ quæ sempiternis cruciatibus possint æquari. Æternum „ est longum tempus; & hoc ipsum est pœna gravis- „ sima, æterna beatitudine in æternum privari, & æ- „ ternum perire: Cui sententiæ minus refragabitur, „ qui consideraverit Christum hic, ut & in plurimis „ aliis locis, figuratis & apud Judæos usitatis loquen- „ di modis uti. *Lege* Cloppemburgium *in* Compendio- „ lo Socinianismi, *cap.* 8.

Socinianorum errores circa Ecclesiam.

26. Visibilem Ecclesiam perpetuo non extitisse, aut porro extitoram. Ita *Socinus* in *Solutione Scrupulorum*, in Responsione ad 7.

27. Nullas esse notas quæ possint fidem facere veræ Ecclesiæ. (Idem in *Excerptis de Ecclesia*.)

28. Non esse quærendam eb Ecclesia divinam veritatem: neminemque teneri quærere & investigate quænam sit vera Christi Ecclesia. (*Ib.*)

29. Ecclesiam plene defecisse, & per Apostolica Scripta instaureri posse. (*ib.*)

30. Alios condemnare, qui secum per omnia non sentiant, & extre suos cœtus nullam salutem esse affirmare, hoc non esse Apostolicæ Ecclesiæ proprium, sed potius ab ea alienum. Apostolicam Ecclesiam eam non esse, quæ in nulla prorsus suæ doctrinæ parte erret, sed eam quæ in iis non errat, quæ ad salutem sunt necessaria. Aliqua doctrinæ capita sine quibus nemini salus contingere queat, ex solo eoque aperto Dei verbo constituenda. Quod si nihilominus in hac parte erratum fuerit, quatenus aliqua capita constituta fuerint, quæ ex isto numero revera non sint, non idcirco veram Christi Ecclesiam esse desinere, quæ hoc fecerit; dummodo nullum horum prætermiserit, quæ ex isto sunt numero. (*Ib.*)

31. Antichristum tunc extitisse, quando Romani Episcopi Primatus extitit. Nam tum primum Christi præcepte passim convelli cœpisse, & pro vero Dei cultu idololatriam aliquam induci. (*Ib.*)

32. His verbis Christi, *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, nihil *Sancto Petro* promissum fuisse, quod aliis Apostolis non fuerit datum. Ita *Socinus* in Tractatu quo hunc locum explicat.

33. Vanissimum esse eorum commentum, qui ex his Christi verbis: *Et portæ inferi non prævalebunt adverses eam*, concludunt Christi Ecclesiam non posse diabolicis ullis viribus aut artibus subverti, aut in errores perniciosos induci. Sed sensum Christi verborum esse, ipsum infernum, seu omnem vim ac potestatem inferni, non prævaliturum Ecclesiæ suæ: id est, eos qui vere Christiani fuerint, in mortuorum statu & conditione non remansuros. (*Ib.*)

34. Claves *Petro* a Christo traditas nihil aliud esse quam facultatem declarandi & pronuntiandi quinam ad Regnum cœlorum pertineant vel non pertineant, id est, ad statum & conditionem eorum in quibus Deus per gratiam suam habitat & regnat, sive in hoc sive in futuro sæculo. (*Ib.*)

Moralia Sociniana.

35. *Zuinglium, Lutherum, Oecolampadium*, ceu salutaris Reformationis auctores prædicant: Conciliis Œcumenicis, etiam quatuor prioribus, præsertimque Nicæno fidem abrogant; *S. Athanasio*, cæterisque Patribus detrahunt. Vide *Socinum* in *Solutione Scrupulorum*.

36. Non licere homini Christiano asserunt, Magistratus auctoritate bella gerere, & ejus opem, secundum Leges, ad vindicandas quascumque injurias suas implorare. Ita *Socinus* in Responsione ad *Jacobum Palæologum* pro Racoviensibus; & in Explicatione c. 5. & 6. Sancti Matthæi. Bellum gerere rem esse per se malam, & Christi præceptis contrariam. (*Ib.*)

37. Privata juramenta, etiam pro rebus certissimis, universim & quacumque occasione a Christo essa prohibita *Socinus* quidem docet, sed ea addita exceptione, „ modo res sint leves, & voluntarium jusjuran- „ dum. Juramenta autem de rebus gravibus, nec in- „ dignis in quibus Deus testis & vindex etiam appel- „ letur, a Christo non interdici „ fatetur. Quod observare volui, quia nec Hæreticis usquam affingendum est.

38. Magistratum cum potestate coactiva exerceri a Christianis non posse, nec populum Christianum id munus & jus alicui deferre, docent etiam Sociniani. Ite *Joannes Ludovicus Wolzogenius* in Annotationibus ad 4. Quæstiones, de Magistratu, Bello, & quæ his connexa sunt, *Quæstione* 1.

39. Non licere Christianis vitam suam, suorumque, contre latrones & invasores, vi opposita defendere, si possint: quia fieri non potest ut Deus hominem vere pium, ipsique ex animo confidentem tali involvi patiatur periculo, in quo quidem ipsum servatum velit, sed non aliter quam sanguinis humani effusione. (Idem *Quæstione* 3.)

40. Homicidium aggressoris pro graviori delicto habendum esse, quam ipsam vindictam. Vindicando enim (inquit idem *Wolzogenius*) retribuo injuriam jam acceptam; at hic occido hominem, qui me forsan nondum læserat, necdum occiderat, sed qui voluntatem tantum habuit me lædendi aut occidendi, immo de quo certo scire non possum, an me animo occidendi, & non potius terrendi tantum, quo tutius me spoliare possit, aggrediatur.

41. Docent denique Ecclesiæ Ministri, Doctoribus, Prædicatoribus missionem ac vocationem necessariam non esse: & Apostolum cum ait; *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* non loqui de quavis prædicatione, verum de prædicatione novæ dumtaxat & antea inauditæ doctrinæ, qualis fuit prædicatio Apostolica. Ita *Socinus* in Tractatu cui titulus est: *Evangelicis (ut vocant) verbi Dei Ministris, Ministerii controversiam jure moveri non posse*; & *Cathechesis Racoviana* major a *Smalcio* edita, c. 2. de Regimine & Gubernatione Ecclesiæ Christi, Quæst. 15.

Obiit *Faustus Socinus* Lucleviciis in Polonia anno 1604. paulo ante Veris initium, ætatis 65. De quo ejus Asseclæ canere solent.

> *Tota licet Babylon destruxit tecta Lutherus,*
> *Muros Calvinus, sed fundamenta Socinus.*

ARTICULUS XIV.

DE ERRORIBUS MICHAELIS BAII.

Michael Baius Lovaniensis Academiæ Doctor & Professor, tandemque Decanus, vir doctrinæ & probitate conspicuus, unus ex Theologis *Philippi II.* Regis Catholici ad Concilium Tridentinum missis, novas quasdam opiniones de Libero Arbitrio, de Operibus, ac de aliis Articulis excitavit. Quarum opinionum causa cum inter quosdam ejus Discipulos ex Ordine Franciscano, aliosque ejusdem Sodalitii orta esset contentio, ii qui veteres sententias tuebantur, recentiores a Sacra Facultate Parisiensi damnandas curaverent, tunc in octodecim capite redactas: quod sane ad illas extinguendas præstitum, easdem revocaret in vitam, cum extimularentur æmuli ad suos Magistros pro illarum defensione consulendos. Hi vero Apologiam contra Theologorum Parisiensium Censuram ediderunt, quam una cum Censura ipsa in *Seripandi* Commentariis haberi observat Cardinalis *Palavicinus* Lib. 15. Cap. 7. Frustra *Commendonus* Sedis Apostolicæ Nuntius *Baium* e sententia dimovere conatus est, anno 1561. Adfuit post aliquot annos Tridentinæ Synodo, cum *Joanne Hesselio* & *Cornelio Jansenio* (qui postea Gandavensis Episcopus fuit) ejusdem Academiæ Theologis.

logis. Verum cum in Concilio quæstiones tunc ad propria eorum opinamenta spectantes non agitarentur, haud data est opportunitas illum de sententia dimovendi. Et quemadmodum prudentiæ vertitur bellorum externorum tempore domesticos pacatos contentosque continere, *Baii* opiniones dissimulatæ sunt, donec Synodus absolveretur. Postea cum illæ in pluribus illius Libris dispersæ essent, & errores, ut assolet, ex erroribus pullulassent, dissidiorumque tumultus eorum occasione in Belgio succrevissent, *Pius V.* Pontifex Maximus causæ cognitione suscepta, novisque *Baii* dogmatibus diu ac diligenter examinatis, septuaginta novem ejus Propositiones edito Diplomate, quod incipit: *Ex omnibus*, damnavit, his verbis conceptas:

Propositiones Michaelis Baii.

1. *Nec Angeli, nec Primi Hominis adhuc integri merita recte vocantur gratia.*

2. *Sicut opus malum ex natura sua est mortis æternæ meritorium, sic bonum opus ex natura sua est vitæ æternæ meritorium.*

3. *Et bonis Angelis, & Primo Homini, si in statu illo permansisset usque ad ultimum vitæ, felicitas esset merces & non gratia.*

4. *Vita æterna homini integro & Angelo promissa fuit intuitu bonorum operum; & bona opera ex Lege naturæ ad illam consequendam per se sufficiunt.*

5. *In Promissione facta Angelo & Primo Homini continetur naturalis justitiæ constitutio, qua pro bonis operibus, sine alio respectu, vita æterna Justis promittitur.*

6. *Naturali Lege constitutum fuit homini, ut si in obedientia perseveraret, ad eam vitam pertransiret, in qua mori non posset.*

7. *Primi Hominis integri merita fuerunt primæ creationis munera; sed juxta modum loquendi Scripturæ Sacræ non recte vocantur gratiæ; quo fit ut tantum merita, non etiam gratiæ debeant nuncupari.*

8. *In redemptis per gratiam Christi nullum inveniri potest bonum meritum, quod non sit gratis indigno collatum.*

9. *Dona concessa Homini integro & Angelo, forsitan non improbanda ratione possunt dici gratia, sed quia secundum usum Scripturæ, nomine gratiæ tantum ea munera intelliguntur, quæ per Jesum male merentibus & indignis conferuntur, ideo neque merita, nec merces quæ illis redditur, gratia dici debet.*

10. *Solutio pœnæ temporalis, quæ peccato dimisso sæpe manet, & corporis resurrectio, proprie nonnisi meritis Christi adscribenda est.*

11. *Quod pie & juste in hac vita mortali usque in finem conversati vitam consequimur æternam, id non proprie gratiæ Dei, sed ordinationi naturali statim initio creationis constitutæ justo Dei judicio deputandum est.*

12. *Nec in hac retributione bonorum ad Christi meritum respicitur, sed tantum ad primam institutionem generis humani, in qua Lege naturali institutum est, ut justo Dei judicio obedientiæ mandatorum vita æterna reddatur.*

13. *Pelagii sententia est, opus bonum citra gratiam adoptionis factum, non esse Regni cœlestis meritorium.*

14. *Opera bona a filiis adoptionis facta, non accipiunt rationem meriti, ex eo quod fiunt per Spiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei, sed tantum ex eo quod sunt conformia Legi, quodque per ea præstatur obedientia Legi.*

15. *Opera bona Justorum non accipient in die Judicii extremi ampliorem mercedem, quam justo Dei judicio mereantur accipere.*

16. *Ratio meriti non consistit in eo, quod qui bene operatur, habeat gratiam & inhabitantem Spiritum Sanctum, sed in eo solum quod obedit divinæ Legi.*

17. *Non est vera Legis obedientia, quæ fit sine charitate.*

18. *Sentiunt cum Pelagio, qui dicunt esse necessarium ad rationem meriti, ut homo per gratiam adoptionis sublimetur ad statum deificum.*

19. *Opera Catechumenorum, ut Fides & Pœnitentia, ante remissionem peccatorum facta, sunt vitæ æternæ merita, quam ii non consequentur, nisi prius præcedentium delictorum impedimenta tollantur.*

20. *Opera justitiæ & temperantiæ, quæ Christus fecit, ex dignitate Personæ operantis non traxerunt majorem valorem.*

21. *Nullum est peccatum ex natura sua veniale, sed omne peccatum meretur pœnam æternam.*

22. *Humanæ naturæ sublimatio & exaltatio in consortium divinæ naturæ debita fuit integritati primæ conditionis, & proinde naturalis dicenda est, & non supernaturalis.*

23. *Cum Pelagio sentiunt, qui textum Apostoli ad Romanos secundo:* Gentes quæ Legem non habent, naturaliter, quæ Legis sunt, faciunt: *intelligunt de gentibus fidem non habentibus.*

24. *Absurda est eorum sententia, qui dicunt, Hominem ab initio dono quodam supernaturali & gratuito supra conditionem naturæ suæ fuisse exaltatum, ut fide, spe, charitate, Deum supernaturaliter coleret.*

25. *A vanis & otiosis hominibus secundum insipientiam Philosophorum excogitata est sententia, Hominem ab initio sic constitutum, ut per dona naturæ superaddita fuerit largitate Conditoris sublimatus, & in Dei filium adoptatus; & ad Pelagianismum rejicienda est illa sententia.*

26. *Omnia opera infidelium sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia.*

27. *Integritas primæ creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio.*

28. *Liberum Arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio nonnisi ad peccandum valet.*

29. *Pelagianus est error dicere, quod Liberum Arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum.*

30. *Non solum fures ii sunt & latrones, qui Christum viam & ostium veritatis & vitæ negant, sed etiam quicumque aliunde quam per Christum in viam justitiæ, hoc est, ad aliquam justitiam conscendi posse dicunt; aut tentationi ulli sine gratiæ ipsius adjutorio resistere hominem posse, sic ut in eam non inducatur, aut ab ea superetur.*

31. *Charitas perfecta & sincera, quæ est ex corde puro & conscientia bona, & fide non ficta, tam in Catechumenis quam in Pœnitentibus, potest esse sine remissione peccatorum.*

32. *Charitas illa, quæ est plenitudo Legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum.*

33. *Catechumenus juste, recte, & sancte vivit, & mandata Dei observat, ac Legem implet per charitatem, ante obtentam remissionem peccatorum, quæ in Baptismi lavacro demum percipitur.*

34. *Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur ut auctor naturæ, & gratuiti, quo Deus amatur ut beatificator, vana est & commentitia, & ad illudendam Sacris Literis, & plurimis Veterum testimoniis excogitata.*

35. *Omne quod agit peccator vel servus peccati, peccatum est.*

36. *Amor naturalis, qui ex viribus naturæ exoritur, ex sola Philosophia per elationem præsumptionis humanæ, cum injuria Crucis Christi, defenditur a nonnullis Doctoribus.*

37. *Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis hoc est, quod ex naturæ solis viribus ortum ducit, agnoscit.*

38. *Omnis amor creaturæ naturalis, aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, quæ a Joanne prohibetur; aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffusa, Deus amatur.*

39. *Quod voluntarie fit, etiamsi ex necessitate fiat, libere tamen fit.*

40. *In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati.*

41. *Is libertatis modus, qui est a necessitate, sub libertatis nomine non reperitur in Scripturis, sed solum nomen libertatis a peccato.*

42. *Justitia qua justificatur per fidem impius, consistit formaliter in obedientia mandatorum, quæ est operum justitia, non autem in gratia aliqua animæ infusa, qua adoptatur homo in filium Dei, & secundum interiorem hominem renovatur, & divinæ naturæ consors efficitur, ut sic per Spiritum Sanctum renovatus, deinceps bene vivere, & Dei mandatis obedire possit.*

43. *In hominibus pœnitentibus ante Sacramentum Absolutionis, & in Catechumenis ante Baptismum, est vera Justificatio, separata tamen a Justificatione peccatorum.*

44. *Operibus plerisque, quæ a Fidelibus fiunt, ut mandatis Dei pareant, cujusmodi sunt obedire parentibus, depositum reddere, ab homicidio, a furto, a fornicatione abstinere, justificantur quidem homines, quia sunt Legis obedientia, & vera Legis justitia, non tamen iis obtinent incrementa virtutum.*

45. *Sacrificium Missæ non alia ratione est Sacrificium quam generali illa, qua omne opus quod fit, ut sancta societate Deo homo inhæreat.*

46. *Ad rationem & definitionem peccati non pertinet voluntarium, nec definitionis quæstio est, sed causæ & originis, utrum omne peccatum debeat esse voluntarium.*

47. *Unde peccatum originis vere habet rationem peccati sine ulla relatione ad voluntatem, a qua originem habuit.*

48. *Peccatum originis est habituali parvuli voluntate voluntarium, & habitualiter dominatur parvulo, eo quod non gerit contrarium voluntatis arbitrium.*

49. *Et ex habituali voluntate dominante fit ut parvulus decedens sine Regenerationis Sacramento, quando usum rationis consecutus erat, actualiter Deum odio habeat, Deum blasphemet, & Legi Dei repugnet.*

50. *Prava desideria, quibus ratio non consentit, & quæ homo invitus patitur, sunt prohibita præcepto,* Non concupisces.

51. *Concupiscentia sive lex membrorum, & prava ejus desideria, quæ inviti sentiunt homines, sunt vera Legis inobedientia.*

52. *Omne scelus ejus est conditionis, ut suum auctorem, & omnes posteros eo modo inficere possit, quo infecit prima transgressio.*

53. *Quantum est ex vi transgressionis, tantum meritorum malorum a generatione contrahunt qui cum minoribus nascuntur vitiis, quam qui cum majoribus.*

54. *Diffinitiva hæc sententia,* Deum homini nihil impossibile præcepisse, *falso tribuitur Augustino, cum Pelagii sit.*

55. *Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur.*

56. *In peccato duo sunt, actus & reatus: transeunte autem actu nihil manet nisi reatus, sive obligatio ad pœnam.*

57. *Unde in Sacramento Baptismi, aut Sacerdotis Absolutione proprie reatus peccati dumtaxat tollitur, & ministerium Sacerdotum solum liberat a reatu.*

58. *Peccator pœnitens non vivificatur ministerio Sacerdotis absolventis, sed a solo Deo, qui pœnitentiam suggerens & inspirans, vivificat eum & resuscitat: ministerio autem Sacerdotis solus reatus tollitur.*

59. *Quando per eleemosynas, aliaque pietatis opera Deo satisfacimus pro pœnis temporalibus, non dignum pretium Deo pro peccatis nostris offerimus, sicut quidam errantes autumant: nam alioqui essemus, saltem aliqua ex parte redemptores, sed aliquid facimus, cujus intuitu Christi satisfactio nobis applicatur & communicatur.*

60. *Per Passiones Sanctorum in indulgentiis communicatas, non proprie redimuntur nostra delicta, sed per communionem charitatis nobis eorum passiones impertiuntur, ut digni simus, qui pretio Sanguinis Christi a pœnis pro peccatis debitis liberemur.*

61. *Celebris illa Doctorum distinctio, Divinæ Legis mandata bifariam impleri, altero modo quantum ad præceptorum operum substantiam tantum, altero quantum ad certum quemdam modum, videlicet secundum quem valeant operantem perducere ad Regnum æternum, hoc est, ad modum meritorum, commentitia est & explodenda.*

62. *Illa quoque distinctio qua opus dicitur bifariam bonum, vel quia ex objecto & omnibus circumstantiis rectum est & bonum, quod moraliter bonum appellari consuevit: vel quia est meritorium Regni æterni, eo quod sit a vivo Christi membro per Spiritum charitatis, rejicienda putatur.*

63. *Similiter & illa distinctio duplicis justitiæ, alterius quæ fit per Spiritum charitatis inhabitantem, alterius quæ fit ex inspiratione quidem Spiritus Sancti cor ad pœnitentiam excitantis, sed nondum cor inhabitantis, & in eo charitatem diffundentis, qua divinæ Legis justificatio impleatur, rejicienda est.*

64. *Denique & illa distinctio duplicis vivificationis, alterius qua vivificatur peccator, dum ei Pœnitentia & vitæ novæ propositum & inchoatio per Dei gratiam inspiratur, alterius qua vivificatur qui vere justificatur, & palmes vivus in vite Christo efficitur, commentitia est, & Scripturis minime congruens.*

65. *Nonnisi Pelagiano errore admitti potest usus aliquis liberi arbitrii bonus, sive non malus, & gratiæ Christi injuriam facit, qui ita sentit & docet.*

66. *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.*

67. *Homo peccat, etiam damnabiliter, in eo quod necessario facit.*

68. *Infidelitas pure negativa, in iis quibus Christus non est prædicatus, peccatum est.*

69. *Justificatio impii fit formaliter per obedientiam Legis, non autem per occultam communicationem & inspirationem gratiæ, quæ per eam justificatos faciat implere Legem.*

70. *Homo existens in peccato mortali, sive in reatu æternæ damnationis, potest habere veram charitatem; & charitas, etiam perfecta, potest consistere cum reatu æternæ damnationis.*

71. *Per contritionem, etiam cum charitate perfecta, & cum voto suscipiendi Sacramentum conjunctam, non remittitur crimen, extra casum necessitatis, aut martyrii, sine actuali susceptione Sacramenti.*

72. *Omnes omnino justorum afflictiones, sunt ultiones peccatorum ipsorum: unde Job, & Martyres, quæ passi sunt, propter peccata sua passi sunt.*

73. *Nemo præter Christum est absque peccato originali: Hinc beata Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum: omnesque ejus afflictiones in hac vita, sicut & aliorum justorum, fuerunt ultiones peccati actualis, & originalis.*

74. *Concupiscentia in renatis relapsis in peccatum mortale, in quibus jam dominatur, peccatum est, sicut & alii habitus pravi.*

75. *Motus pravi concupiscentiæ sunt, pro statu hominis vitiati, prohibiti præcepto,* Non concupisces: *Unde homo eos sentiens, & non consentiens, transgreditur præceptum,* Non Concupisces, *quamvis transgressio in peccatum non deputetur.*

76. *Quamdiu aliquid concupiscentiæ carnalis in diligente est, non facit præceptum:* Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.

77. *Satisfactiones laboriosæ justificatorum, non valent expiare de condigno pœnam temporalem restantem post culpam condonatam.*

78. *Immortalitas Primi Hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis conditio.*

79. *Falsa est Doctorum sententia primum Hominem potuisse a Deo creari, & institui sine justitia naturali.*

Errorum Michaelis Baii damnatio.

Damnavit autem has Propositiones *Pius Quintus* absque Declaratione, quænam cuique Censura conveniret; secutus in hoc consuetudinem tum Concilii Constantiensis contra errores *Wickleffi*, tum *Leonis X.* contra errores *Lutheri*: & *Michaelis Baii* nomini pepercit mansuetissimus Pontifex, ac aliquas ex proscriptis Propositionibus, nullis certis in hac exceptione adnotatis, posse quodammodo sustineri declaravit. „ Quas quidem sententias (*inquit*) stricto coram nobis examine ponderatas, QUAMQUAM NONNULLÆ ALIQUO PACTO SUSTINERI POSSENT, „ in rigore & proprio verborum sensu ab Assertoribus intento, hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, & in pias aures offensionem immittentes, respective, ac quæcumque super iis verbo scriptoque emissa præsentium auctoritate damnamus, circumscribimus, & abolemus, „ denique eisdem & similibus posthac quocumque pacto loquendi, scribendi & disputandi facultatem quibuscumque interdicimus. Qui secus fecerint, „ ipsos omnibus Dignitatibus, Gradibus, Honoribus, „ Beneficiis & officiis perpetuo privamus, ac etiam „ inhabiles ad quæcumque decernimus; vinculo quoque Anathematis eo ipso innodamus, a quo nullus „ Romano Pontifice inferior valeat ipsos, excepto „ mortis articulo, liberare „. Diploma datum est Romæ anno 1568. Kalendis Octobris. Quod quidem, dum *Pius V.* vixit majoris lenitatis gratia privatim Lovaniensi Academiæ ab Archiepiscopo Mechliniensi jussu Apostolico denuntiatum est. Haud tamen deficientibus damnatarum opinionum defensoribus, nec illarum causa discordiis; & interim *Pio* Pontifice vita functo, confirmatum & solemniter promulgatum est a *Gregorio* XIII. ejus successore Romæ, anno 1579. quarto Kalendas Februarii, atque ad Lovaniensem Academiam, & ad ipsum *Baium* delatum a *Francisco Toleto* Societatis Jesu Presbytero doctissimo ac religiosissimo tunc Pontificio Concionatore, postea S. R. E. Cardinali. Hic *Baium* a pravis illis opinionibus removere studuit, cohortatus ut Sedis Apostolicæ Judicio acquiesceret; quod a viro pio æquo ac erudito facile obtinuit, privata illius retractatione contentus. Hoc diploma acceptum est a Lovaniensi Academia, lata lege ut quisquis in eam adscribi vellet, perpetuam prius ejus observationem Jurejurando pacisceretur. *Pii* V. & *Gregorii* XIII. Censuram ac Judicium contra *Baium* confirmavit *Urbanus* VIII. anno Dominicæ Incarnationis 1641. pridie Nonas Martii nostro numerando more 1642. Diplomate quod per ejus in Gallia tunc Apocrisiarium, deinde S. R. E. Cardinalem,

nalem, D. *Grimaldam* tranſmiſſum, Sacra Facultas Pariſienſis, quæ *Baii* errores prima omnium olim damnaverat, ſummo omnium Doctorum conſenſu & ſingulari veneratione ſuſcepit Kalendis Februarii anno 1644.

[*De ſenſu Diplomatis Pii V. Bajanos propoſitiones damnantis.*]

De ſenſu Diplomatis a *Pio V.* contra *Baium* editi, & a *Gregorio XIII.* confirmati atque promulgati novæ lites motæ ſunt in Academia Lovanienſi, quibuſdam palam conteſtantibus *Pii V.* Diploma adulteratum eſſe ab iis qui virgulam ponerent poſt illa verba, *ſuſtineri poſſint*, ut reliqua quæ ſequuntur, *in rigore & propria verborum ſenſu ab Aſſertoribus intento*, ad damnationem referrentur, quaſi in ſenſu ab Auctore intento damnarentur: Nullam enim eo loco interjectam eſſe virgulam in originali Bulla, *Jacobus Janſenius* Doctor Lovanienſis, autographum manibus tenens & legens teſtabatur, idemque aſſerit *Janſenius* Yprenſis Epiſcopus *Lib. 4. De ſtatu naturæ lapſæ*, cap. ultimo, ſeque nullum diſtinctionis veſtigium ſæpe ſuis oculis in eodem vidiſſe teſtatur, & conſulto diſtinctionis notam, ſeu virgulam a Pontifice ſubtractam contendit, ut in ſenſu ab Auctoribus intento quaſdam ex illis Propoſitionibus propugnari poſſe ſignificaret. Verum etſi in *Pii V.* Diplomate virgula eo loco aliiſque deeſſet Scribæ incuria, in *Gregorii tamen XIII.* originali Diplomate cum virgula hanc ſententiam legere eſt hunc in modum: *In rigore & propria verborum ſenſu ab Aſſertoribus intento hæreticas, erroneas, ſuſpectas, temerarias, ſcandaloſas & in pias aures offenſionem immittentes, reſpective, & quæcumque ſuper iis verbo ſcriptoque emiſſa, Præſentium auctoritate damnamus*. Eodem tenore, & cum eadem diſtinctionis nota legitur in laudata *Urbani VIII.* Conſtitutione; quæ incipit: *In eminenti*, Accedit, quod ſi abſque nota diſtinctionis ſeu virgula, in Pontificio *Pii V.* Diplomate hæc ſententia legenda eſſet, ſibi ipſi contradixiſſet Sapientiſſimus Pontifex; Hoc enim poſito nonnullæ *Baii* Propoſitiones, non ſolum *aliquo pacto*, ſed ſimpliciter & abſolutu ſuſtineri poſſent: ſiquidem fieret ſenſua, illas in rigoro & ſenſu proprio etiam ſuſtineri poſſe: quod ſane idem eſt ac poſſe abſolute & ſimpliciter ſuſtineri. Propoſitio enim, quæ ex vi ſua, & ſecundum ſenſum quem reddit propugnari poteſt, abſolute & ſimpliciter defendi poteſt. Abſurdiſſime etiam fingitur, Pontificem damnare ſententias, quas ipſemet in rigore & proprio ſenſu poſſe ſuſtineri judicat. Legendus itaque eſt ille Pontificii Diplomatis locus cum nota diſtinctionis, ſeu virgulæ interjectione, verbaque in ſenſu adverſativo accipienda hoc videlicet: Quamquam nonnullæ aliquo pacto ſuſtineri poſſent, id aſt in ſanum ſenſum utcumque flecti; tamen in rigore & proprio ſenſu, quem verba præ ſe ferunt, damnamus, circumſcribimus, & abolemus. Tandem non omnium retractationum a *Michaele Bajo* Pontificio nomine poſtulaſſet ac impetraſſet *Toletus*, ſi aliquæ in rigoro & proprio ſenſu ab Auctore intento ſuſtineri potuiſſent.

Cenſet tamen *Waſquaſius* Societatis Jeſu Theologus illarum Propoſitionum pleraſque damnatas eſſe ob aſperam dumtaxat oppoſitæ ſententiæ cenſuram, quæ offenſionis cauſa fuit, non ob illarum falſitatem, ſeu ob errorem quem contineant; ſicut hæc propoſitio, *Aſſerere Beatam Virginem fuiſſe in peccato conceptam, impium, aut hæreticam, aut temerarium eſt*, prohibi„ta eſt propter ſcandala, quæ inde oriri ſolebant; „non tamen ſequitur damnatam aut notatam eſſe „ſententiam eorum qui aſſerunt Beatam Virginem „non fuiſſe conceptam in peccato originia. Eo loco „habet *Vaſquaſius* 29. 30. 36. & 61. Propoſitiones „*Baii* Pontificiis Diplomatibus damnatas. Eodem mo„do, inquit, ex eo quod Propoſitiones citatæ, con„tinentes ſugillationem oppoſitæ opinionis, quæ di„cit poſſe fieri opus aliquod bonum morale, aut „vinci tentationem aliquam ſine gratia, fuerint ex„ploſæ a Pontificibus & interdictæ, nullo modo no„tata oppoſita ſententia eſt quam prædictus Doctor, „ſcilicet *Bajus*, ſequebatur, nempe nullum opus mo„rale fieri poſſe, aut ullam ſuperari tentationem ſine „auxilio gratiæ. Non ergo incuſatur prædictus Do„ctor, ſcilicet *Bajus*, quod hanc ſequatur ſententiam, „ſed quod oppoſitam erroris arguat: ſicut etiam in„cuſaretur, qui cenſeret hæreticam opinionem Tho„miſtarum aſſerentium, Beatam Virginem conceptam „in peccato originia, non quod ipſe oppoſitam ſe„queretur, ſed quod prædictam carperet ac remorde„ret. Hoc modo multæ aliæ Propoſitiones rejectæ „in prædicta Bulla, ea ſola ratione, quam diximus, „damnantur, quod oppoſitæ ſententiæ cenſuram aſpe„ram contineant; cum tamen ſententia Auctoris in „controverſia quam habebat, indemnis relinquatur. „Nunc autem in exemplum nobis una ſufficiat 23. „Propoſitio hujus Doctoris: *Cum Pelagio ſentiunt, qui textum Apoſtoli ad Romanos ſecundo* „Gentes quæ „Legem non habent, naturaliter, quæ Legis ſunt, „faciunt, *intelligunt de Gentibus fidei gratiam non habentibus*. „Quis enim dicat damnari ſententiam hujus „Doctoris in eo quod ait, illud teſtimonium in Gen„tibus fidelibus intelligendum eſſe, cum ſit ſententia „*Auguſtini*, & omnium Patrum, cum quibus etiam „eſt *S. Thomas*, ut vidimus Cap. 15. Damnatur igi„tur acerba nota, ob rationem quam diximus. Aut „igitur dicamus, ſententias communes & veras fuiſſe „a Pontificibus damnatas, quod non licet, aut ſeve„ras tantum & acres Cenſuras prohibitas. Senſum hujus damnationis, prout ipſum explicat ſe contuliſſe cum Illuſtriſſimo Cardinali *Toleto*, cum adhuc Sacri Palatii Concionator & Theologus eſſet, anno Domini 1586. *Vaſquaſius* teſtatur, qui *Toletus* Lovanium miſſus fuerat a *Gregorio XIII.* ut Pontificium damnationis Bajanarum opinionum Diploma ab Academia recipi curaret: eumque probaſſe hunc ſenſum, & germanum eſſe dixiſſe, propriaque manu ſubſcripſiſſe; ejuſque ſubſcriptionis exemplar apud ſe adhuc eſſe. Addit, eumdem *Toletum*, cum quo de hac re contulit Romæ, & *Bellarminum*, qui Lovanii fuit quo tempore contentiones inter Doctores illarum occaſione opinionum exortæ ſunt, & Romæ cum Diploma illud editum & confirmatum eſt, nihilominus docuiſſe, nullam tentationem, etiam minimam, ſine auxilio gratiæ Chriſti vinci poſſe, ac proinde illos non exiſtimaſſe 30. *Baii* Propoſitionem ab Apoſtolica Sede damnatam quatenus id aſſerebat, ſed quatenus contrariam opinionem acriori cenſura configebat, ejuſque Aſſertores ceu *fures & Latrones* inſectabatur.

Præcipuas *Baii* Propoſitiones, periculoſioreſque propugnandas noſtro ſæculo ſuſcepit, novoſque errores addidit *Cornelius Janſenius*, Yprenſis Epiſcopus, eaſque in Opere inſcripto, *Auguſtinus*, Sanctiſſimo Doctori tribuit. De quibus, earumque damnatione agere non eſt hujus loci, cum ad Hiſtoriam 17. Sæculi pertineant.

SCHOLION I.

In hoc Articulo Religioſi Cenſores hanc propoſitionem notant pag. 837. *Academia Pariſienſis prima omnium Baii propoſitiones damnavit*.

R. Facti quæſtio eſt, cujus veritatem Seripandus & Palavicinus Cardinales, nec-non Sacræ Facultatis Tabularia teſtantur.

[*Palavic. Hiſtor. Concil. Trid. lib. 15. cap. 7. p. 634.*]

SCHOLION II.

Ad eumdem Articulum, pag. 859. Hæc Indiculi Cenſorii nota refertur: *Tangit materiam de Conceptione Beatæ Virginis contra Decretum Alexandri VII.*

R. Ad ea, quæ Alexandri VII. Decreto prohibentur, non attenderunt Religioſi Cenſores. Deiparam Virginem Mariam in peccato originali conceptam fuiſſe non aſſero, ne quidem eam quæſtionem attingo; nec alterutri Sententiæ notam aliquam inuro. Damnatos *Michaelis Baii*, refero dumtaxat eo loci Articulos quos inter hunc prætermittere nec debui, nec potui: *Aſſerere Beatam Virginem fuiſſe in peccato conceptam impium, aut Hæreticam, aut temerarium eſt*. Subjunxi *Gabrielis Vaſquaſii* eruditi Societatis Jeſu Theologi verba aſſerentis: *Hanc propoſitionem prohibitam eſſe propter ſcandala quæ inde oriri ſolebant; non tamen ſequi damnatam aut notatam eſſe ſententiam eorum, qui aſſerunt Beatam Virginem non fuiſſe conceptam in peccato originis*. Hæc tantum ego eo loci Hiſtorice refero, quod Alexandri VII. aut illius Deceſſorum Conſtitutionibus ac Decretis minime vetitum eſt. Cæterum cenſeo Beatam Virginem Mariam Dei Matrem conceptam fuiſſe ſine labe originalis peccati; quæ eſt opinio Sacræ Facultatis Pariſienſis ab Alexandro VII. commendata. Et quavis occaſione ubi de Sanctiſſimæ Virginis Deiparæ privilegiis & honore agetur, ad illud piiſſimi Doctoris Gerſonii attendam: MULTO MAJUS ESSE PERICULUM ERRARE BLASPHEMANDO HANC VIRGINEM; QUAM IPSAM LAUDANDO, QUÆ HUMANA LAUDE SUFFICIENTER LAUDARI NON POTEST. (*Sermone de Conceptione Virginis Mariæ, Conſideratione ſecunda.*)

N-

Nota.

IN soperiori articulo §. *De sensu Diplomatis*, &c. corrigit P. Natalis quæ dicit alibi, ubi putovit quasdam Baii propositiones ita Pontifices damnatas voluisse, *ut in rigore & poprio verborum sensu ab Assertoribus intenta* possent sustineri, Hic vero re melius considerata, atque inspiciendo ubi virgula sit statuenda, ostendit abs dubio intelligendum esse proscriptas fuisse in tigore & proprio verborum *sensu ab Assertoribus intento*.

ARTICULUS XV.

DE GUILLELMO POSTELLO.

GUilielmus Postellus, Barentoni vico Normanniæ natus, Philosophiæ primum & Matheseos Professor, deinde longinquis peregrinationibus perfectam Linguarum exoticarum, & maxime Orientalium cognitionem adeptus, in plerosque errores incidit. Ipsi tribuitur a nonnullis fanatica & blesphema opinio de fœminei sexus reparatione nondum consummata, & per *Matrem Joannam* Virginem Venetam adimplenda, quam & edito Libro, cui titulus erat, *Virgo Veneta*, propugnaverit. Sed ipsum ab hoc delirio & errore vindicat *Florimundus Remundus* Lib. 2. *De origine Hæreseos*, Cap. 15. Ipsumque hunc Librum non alio consilio scripsisse tradit, quam ut suæ Benefactricis, a qua subsidium ad peregrinationes longinquas acceperat, laudes celebraret. Venetiis Romam digressus cum non exigua pietatis documenta præberet, ad tyrocinium Societatis Jesu *a S. Ignatio* admissus est, nec multo post ob ingenii petulantiam dimissus, a Quæsitore Fidei habita in ipsum quæstione, perpetuo carcere damnatus est, ex quo elapsus, in Gallias redit, maximoque in pretio a *Carolo IX.* Rege Christianissimo habitus est, & ab omni doctorum hominum natione. Multa scripsit deliriis & erroribus passim iosperfa, nimirum De Trinitate Mundi, Corporis & Animarum; De Christo intoxicato; De Matrice Mundi; de Salvandis universis omnis generis hominum Sectis; De clave absconditorum a Sæculo, quæ nec Apostoli, nec ipsa Ecclesia portare potuisset; De Mysteriis sibi per Angelum *Raziel* revelatis; De Nativitate Mediatoris futura, &c. Ob quæ sæpius reprehensus a Theologis Parisiensibus & a Magistratu increpitus, demum in Monasterium *S. Martini a Campis* secedere jussus est, abdicatis erroribus & omnibus, quæ umquam docuerat, vel scripserat, Ecclesiæ Judicio & correctioni subditis, per annos aliquot pie vixit, obiitque die 7. Septembris anno 1581. pene centenarius, & prospera semper ad hanc ætatem valetudine usus, ad quam se pervenisse ajebat, quod nullo umquam actu venereo se fœdasset. Librum utilem edidit, *De Orbis concordia:* inscriptum, quo Ethnici, Mahometani, Judæi Hæreticique omnes refelluntur, Religionis Christianæ & Catholicæ veritas adversus illos vindicatur.

CAPUT IV.

DE SCRIPTORIBUS Ecclesiasticis, aliisque claris Auctoribus Sæculi XV.

ARTICULUS I.

De Illustribus Scripturæ Sacræ Interpretibus.

HUjus & sequentis Sæculi Scriptores illustriores recensere potius animus est, & quo tempore vixerint, qua in re stylum exercuerint, paucis indicare, quam eorum Opera enumerare universa, quod ab iis abunde satis præstitum est, qui diversarum Gentium, aut Ordinum Bibliothecas scripserunt. Sæculo porro 15. Scripturam Sacram Commentariis illustrarunt *Paulus Burgensis*, *Hieronymus a Sancta Fide*, *Joannes Dominici*, *Thomas Anglicus*, *Ricardus Pampolitanus*, *Alphonsus Tostatus*, *Dionysius Carthusianus*, *Antonius Rampelogus*, *Jacobus Perefius*, *Jordanus Saxo*.

I. *Paulus a Sancta Maria* Judæus, nobilitate, opibus, doctrinæ laude, in ea Gente facile princeps, ad Christianam Fidem lectione Operum *S. Thomæ Aquinatis* conversus est, Carthaginensis primum Episcopus creatus, deinde ad Burgensem translatus, unde illi *Burgensis* cognomen adhæsit, quin etiam Scrinii Regii in Hispania Præfectus, *Joannis II. Regis* Castellæ Præceptor ab *Henrico Rege* ex testamento nominatus, non solum prudentiæ, industriæ, fidei in muneribus illis gerendis specimen dedit, sed Sacras Literas illustravit *Additionibus ad Postillas Nicolai de Lyra*, & *Scrutinio Scripturarum* in duos libros diviso. Obiit 20. Augusti anno 1435. Tres filios reliquit ex unius nuptiis in Judaismo susceptos, *Alphonsum*, qui patri in Episcopatu Burgensi successit, *Anacephaleosis Regum Hispaniæ* Auctorem, *Gonsalvum* Placentinum Episcopum, & *Alvarum Garsiam* familiæ propagatorem, qui de rebus a *Joanne II.* Castellæ Rege gestis Commentarios scripsit.

II. *Hieronymus a Sancta Fide*, ex Judæo Christianus, *Petri de Luna Benedicti XIII.* Medicus, Libros duos *Contra Judæos* scripsit anno 1412. Eorum perfidiam non modo ex Propheticis oraculis, sed ex Rabbinorum sententiis refellit & *Talmudis* errores profligat. Ejus libri in Bibliotheca Patrum Coloniensi Tom. 14. & Lugdunensi Tom. 26. editi sunt, Quo obierit anno, incertum.

III. *Joannes Dominici*, Florentinus, Ordinis FF. Prædicatorum, tantum ingenio & memoria valuit, ut omnes per seipsum Disciplinas absque Præceptore didicerit. A *Gregorio XII.* Ragusinus primum Archiepiscopus, deinde S. R. E. Cardinalis creatus, eidem cessionem Pontificatus in Concilio Constantiensi persuasit. A *Martino V.* cujus in electione suffragatus est, Legatus Apostolicus in Hungariam & Bohemiam missus est, ut Hussitis ad Fidem Catholicam revocandis operam impenderet. Præter Librum inscriptum, *Lucalam noctis*, contra *Collucii Salutati*, Poetæ Librum *De Fortuna & Fato*; *Sermones*, *Itinerarium Devotionis*, &c. scripsit *Commentarios in Ecclesiasticum*, *in Cantica Canticorum*, *in Evangelium S. Matthæi*, & *in Epistolam S. Pauli ad Romanos*. Obiit die 10. Junii, anno 1419. sanctitate, & miraculis post mortem clarus. A *S. Antonino*, qui ipsum Præceptorem habuit, commendatur, Chronicorum P. 3.

IV. *Thomas Anglicus*, patria Galensis, Ordinis FF. Prædicatorum Theologus, 15. Sæculo ineunte claruit, multosque Commentarios in Scripturam Sacram edidit. Ejus esse creduntur *Commentaria in Genesim*, *in Isaiam*, *in Jeremiam*, *in Epistolas canonicas*, *in Apocalypsim*, & *in Boetium De Philosophiæ Consolatione*, S. Thomæ Aquinati adscripta Librariorum incuria, qui ex Anglico Angelicum fecere. Ita censet *Sixtus Senensis* in Bibliotheca, Lib. 4. At Lectura seu Commentarius *Thomæ Anglici* in Genesim incipiens his verbis: *Non recedat* &c. quam in Bibliotheca *SS. Joannis & Pauli*, Venetiis reperiri testatur *Sixtus Senensis*, alio est a Commentario qui sub nomine *S. Thomæ* editus est. Postillam quoque scripsit in 15. priores Psalmos, ibidem conservatam.

V. *Richardus Pampolitanus*, Anglo Saxo, Eremita, cum nonnullis in Scripturam Sacram Lucubrationibus, tum Symboli Apostolici & Athanasiani expositione, Exegesi in Orationem Dominicam, piisque Tractatibus *De Emendatione Peccatoris*, *De incendio Amoris*, *De Amore summo eodemque singulari*, & *Encomio Nominis Jesu*, editis, claruit circa annum Sæculi 15. vigesimum. Hi Tractatus Tom. 26. Bibliothecæ Patrum Editionis Lugdunensis editi sunt. De ipso legendus *Pitseus* in Lib. De Scriptoribus Ecclesiasticis Gentis Anglorum.

VI. *Alphonsus Tostatus*, Hispanus, Doctor Salmanticensis, Abulensis Episcopus, in Divinis Scripturis longa, & continua exercitatione peritissimus, in assiduis vigiliis, & gravissimis legendi, docendi, scribendique laboribus indefessus, ac prope adamantinus, Commentariorum in utrumque Testamentum 24. grandia Volumina præter varia Opuscula Tom. 25. comprehensa edidit. In Italiam profectus, Senis in Hetruria substitit, junior adhuc, necdum Episcopus, & Theses unam & viginti ex intima Theologia deprômptas, publice disputandas proposuit, audientibus viris eruditis, & illustribus quotquot in Aula *Eugenii IV.* tunc Senis existentis, versabantur. Aliquæ Pontificio Diplomate confixæ, & a *Joanne* Cardinali *De Turrecremata* edito Libro impugnatæ. Eas vindicavit *Tostatus* Commentario, cui *Defensorio* nomen fecit, cujus priorem partem *Guttero* Archiepiscopo Toletano, alteram Cardinali *S. Angeli* nuncupavit. Quæ vero præ cæteris accusabantur, hæ propositiones fuere; primo quod assereret: „ *Etsi nullum peccatum cujusque conditionis & pro* „ *quocumque statu irremissibile sit, a pœna tamen aut* „ *a culpa Deum non absolvere, nec aliquem Sacerdotem absolvere posse*. Deinde quod diceret, „ *Christum*

„ *stam non esse mortuum die* 25. *Martii*, *sed die* 3. „ *Aprilis anno* 33. *ætatis suæ inchoato*. De quibus obtulit Schedulam *Eugenio IV.* Pontifici Maximo, qua se Ecclesiæ & Sanctitatis ipsius Judicio subjiciebat. Obiit anno ætatis quadragesimo, Christi 1454. De quo jure-metito scriptum est:

Hic super est mundi, qui scibile discutit omne.

VII. *Dionysius a Lieuvis*, patria Rickelius, professione Carthusianus, *Doctoris Extatici* nomen prometitus, tum Commentariis in omnes Scripturæ Sacræ Libros, tum plurimis aliis Opusculis Moralibus & Asceticis magna sibi parta nominis celebritate, obiit in Carthusia Ruremondæ in Belgio, die 12. Martii, anno 1471. ætatis 89. cum magna sanctitatis opinione.

VIII. *Antonius Rampslogus*, Genuensis, Ordinis Eremitarum S. Augustini professor, Concilii Constantiensis tempore claruit, in quo adversus Hussitas disputavit, edidisque *Figuras Bibliorum*.

IX. *Jacobus Perezius*, Hispanus, Valentia oriundus, seu potius Ajoro Regni Valentini Urbe, ex Augustiniano Eremita Christopolitanus Episcopus, & *Roderici Borgiæ* Cardinalis Valentini Suffraganeus, Commentariis in Psalmos, & Cantica Salomonis, nec-non Libello contra Judæos de Christo generis humani Reparatore, editis, clarus obiit anno 1491.

X. *Jordanus Saxo* Quedelimburgius, ejusdem Instituti, Commentarios in Apocalypsim, Sermones, Vitasque Patrum sui Ordinis posteris reliquit.

JOANNIS DOMINICI MANSI

Nota.

QUamquam P. Alexandri consilium sequi malo, cathalogum scilicet diligentem non texendi omnium Operum quæ laudati hic scriptores dederunt, juvat tamen nonnullorum meminisse Opusculorum, quæ vel a cæteris de eodem argumento fusius scribentibus omissa sunt, vel sin minus omissa illustriora tamen habentur, & P. Alexandrum fugerunt.

Ac de Guillelmo Postello quidem verbum addere juvat. Vir iste genio quidem procaciori fuit, cæteris vero moribus castissimum extitisse Florimundus Raemundus demonstrat; quæ si vera fuerint, vide quod sit ferendum judicium de Libello quodam, ineunte hoc sæculo apud Batavos vulgato, quo posthuma quædam, ut inscribitur, Postelli traduntur, quæ lascivienti juveni potius, quam viro, ingenio quidem procaciori, at moribus severo conveniunt. Cardinalis Dominicus scripsit.

Augustini de Rampegolis præter librum inscriptum *Figuræ Bibliorum*, cujus plures sunt editiones indicatæ a P. Dominico Antonio Gandolfo Genuensi ejusdem Ordinis Eremita in suo libro de *Ducentis Augustinianis* scriptoribus vulgato Romæ anno 1704. alia insuper extant opera typis vulgata, uti *Biblia Aurea* quod diversum esse opus a Figuris Bibliorum Pandulfus censet; *Dictionarium pauperum* vulgatum Parisiis anno 1497. in 8. Inter ejus opera manuscripta enumerantur *opus casuum conscientiæ*, *Quadragesimale*, & volumina quædam sermonum.

ARTICULUS II.

DE THEOLOGIS XV. SÆCULI.

GRæcam Ecclesiam hoc Sæculo ornarunt insignes Theologi, *Josephus Methonensis*, *Georgius Scholarius*, qui & *Gennadius*, *Gregorius Protosyncellus*, *Bessario*, & *Isidorus Thessalonicensis*. Latinam *Petrus de Alliaco*, *Joannes Gersonius*, *Thomas VValdensis*, *Joannes de Turrecremata*, *Joannes Capreolus*, *Joannes de Ragusio*, *Henricus Kalteisern*, *Ægidius Carlerius*, *Joannes de Polemar*, *Nicolaus Cusanus*, *Joannes Capistranus*, *Gabriel Biel*, &c.

I. *Josephus Methonensis* Episcopus Librum edidit, in quo respondet calumniis *Marci Ephesii* contra Florentinam Synodum, & Catholicum Dogma De Processione Spiritus Sancti a Patre Filioque tuetur, an. circiter 1411. Extat Græce & Latine post Acta Concilii Florentini.

II. *Gregorius Scholarius*, qui & *Gennadius* appellari voluit, cum *Joanne Palæologo* Græcorum Imperatore interfuit Florentinæ Synodo anno 1438. ex Laico Patriarca Constantinopolitanus anno 1453. creatus, præter quatuor Orationes ad Florentinam Synodum, Apologiam edidit pro ejusdem Synodi quinque Capitibus in ejus Definitione decretis; quam in Urbe Constantinopolitana scripsisse videtur paulo post ejus direptionem sub *Mahomete* Turcarum Imperatore. Scripsit etiam Confessionem seu Sermocinationem habitam cum *Mahomete II.* De Recta & inculpata Christianorum Fide, Libellum de Articulis Fidei ad eumdem, Tractatum de Prædestinatione, Orationem de Deo Trino & Uno, &c. Hunc ab altero *Georgio Scholario*, Romanæ Ecclesiæ perduelli, qui neque in Concilio Florentino fuit, nec adesse potuit infirmitate oppressus; & qui postea Monachum induens etiam post Concilium sacram Unionem acerrime & pertinacissime oppugnavit, distingui probat *Leo Allatius* Lib. 3. De Perpetua Consensione Ecclesiæ Orientalis & Occidentalis, cap. 6. Exercitatione 7. contra *Creigtonum*, & in Diatriba *De Georgiis*. Constantinopolitanæ Ecclesiæ Sacris quinquennio & aliquot menses præfuit *Gennadius*, & tranquillæ vitæ quietisque studio Patriarchatu se abdicavit, & in Monasterio Prodromi in Monte Menoecei prope Serras sito pie obiit.

III. *Gregorius Protosyncellus*, Joanni Palæologo Imperatori a Confessionibus, Alexandrini Patriarchæ in Synodo Florentina Vicarius, Græcis ex ea reversis Constantinopolitanus Patriarcha post trigesimum Monachatus annum renunciatus, Sacræ Unionis Promotor acerrimus, cum dissidium in dies crescere videret, expugnationem Urbis prædicens, se munere abdicavit, & ab Urbe instar exulis discessit anno Christi 1451. Romæ postea vitam transegit, ibique obiit, non sine sanctitatis opinione, & ad *S. Georgii in Velabro*, sepultus est, diciturque post mortem miraculis coruscasse. Scripsit Apologiam pro Synodo Florentina adversus *Marci Ephesii* Epistolam, quæ post Acta ejusdem Synodi edita est. Item Apologiam alteram pro ejusdem Concilii Definitione, cujus ipse meminit in Responsione illa sua ad Epistolam Ephesii: „ Nam in Tractatu (*inquit*) „ quem de hac materia edidimus, copiosius explicatius- „ que disseruimus, pro quarto Definitionis Capite Apo- „ logiam scribentes, quam qui legerit, inveniet alio- „ sum quoque testimoniorum congeriem. Scripsit etiam Epistolam ad Imperatorem *Alexium Comnenum*, de Processione Spiritus Sancti, & additione illa, *ex Filio*, nihilque innovatum esse in Symbolo probavit.

IV. *Bessarion*, patria Trapezuntius, ex Monacho *S. Basilii* Nicænus Archiepiscopus, Ecclesiæ Græcæ cum Latina Unionem in Concilio Florentino promovit: quo absoluto, ab *Eugenio IV.* Pontifice Maximo, in numerum Cardinalium cooptatus est titulo SS. duodecim Apostolorum, a *Nicolao V.* Episcopus Sabinensis, mox Tusculanus dictus, Constantinopolitano etiam Patriarchatu auctus, Germanica, Veneta, Gallicana Legationibus Sedis Apostolicæ nomine functus, a postrema cum re infecta reverteretur, obiit Ravennæ die 18. Novembris an. 1472. ætatis 77. Tractatum de *Sacramento Eucharistiæ & De verbis quibus Christi Corpus conficitur*, Librum *De Spiritu Sancto* adversus *Marcum Ephesinum*, alterum ejusdem argumenti adversus *Alexandrum Lascarem* aliaque Philosophiam magis quam Theologiam spectantia, transmisit ad posteros.

V. *Isidorus Thessalonicensis*, ex Monacho *S. Basilii* & Abbate *S. Demetrii* Constantinopoli, Ruthenorum Archiepiscopus, cum *Bessarione* Concilio Florentino interfuit, ac in præmium virtutis, doctrinæ, ac operæ pro utriusque Ecclesiæ unione procuranda navatæ, Cardinalis Titulo *SS. Marcellini & Petri* pariter ab *Eugenio IV.* creatus est. Ejus Disputationes aliquot de processione Spiritus Sancti in Acta Concilii Florentini leguntur, & Orationes in Nativitatem, Præsentationem, Annuntiationem, & Assumptionem Deiparæ Virginis a *Joanne Matthæo Coryophilo* Latinitate donatæ. Obiit Sabinensis Episcopus, & Patriarcha Constantinopolitanus, die 27. Aprilis, anno 1463.

VI. *Petrus de Alliaco*, non ex illustri gente Vicedominorum *De Alliaco* Ambianensium, sed ex tenui familia Compendii ad Isaram natus, virtute & doctrina ad summa provectus est. Ex Sacræ Facultatis Parisiensis Doctore, & Collegii Navarrici Magno Magistro ac Moderatore, tum Ecclesiæ & Academiæ Parisiensis Cancellario, ac S. Capellæ Parisiensis Thesaurario, *Carolo VI.* ab Eleemosynis Ordinario, Aniciensis primum, deinde Cameracensis Episcopus creatus, post electionem *Benedicti XIII.* in sua obedientia Pontificis Maximi, ad eum saluta-

tandum Aveionem a Christianissimo Rege missus est. Pisanæ Synodo cum *Joanne Gersone* suo quondam Discipulo interfuit, & extinguendo schismati quantam potuit operam navavit. A *Joanne XXIII.* Cardinalis Titulo *S. Chrysogoni* creatus est, anno 1411. Concilio deinde Constantiensi adfuit, & damnationem hæresum, schismatis extirpationem, *Martini V.* electionem, reformationem Ecclesiæ pro viribus promovit. Prætar Commentarios in IV. Libros Magistri Sententiarum, Quæstiones in Hexaemeron, Commentarios in Psalterium, in VII. Psalmos Pœnitentiales, in Cantica Canticorum, Librum *De laude Scripturæ Sacræ*, Sermones varios, *Vitam S. Petri Cælestini*, *&c.* Librum scripsit egregium in ipso Concilio Constantiensi, *De Ecclesia & Cardinalium Auctoritate*, inter *Gersonis* Opera editum Tom. I. Librum ejus *De Concordia Theologiæ cum Astronomia & Historia*, refutavit *Picus Mirandulanus*. De *Petro Alliacensi* legendus inter alios *Joannes Launojus* in Historia Collegii Navarrici. Obiit die 8. seu 9. Augusti, anno 1425. & in Ecclesia Cameracensi sepultus est. *Aquila Franciæ*, & *Aberrantium a veritate Malleus indefessus* appellari meruit.

Gersonis Elogium.

VII. *Joannes Charlierus*, Gersonii, qui agri Remensis pagus est, piis parentibus natus, ex quo GERSONIUS cognominatus, *Petro Alliacensi* in Theologicis usus Præceptore, Lauream Doctoralem in Sacra Facultate Parisiensi consecutus est, Ecclesiæque Parisiensis & ejusdem celeberrimæ Academiæ Cancellarius factus, & *S. Joannis in Gravia* Parochus, pietate, doctrina, zelo & constantia in tuenda veritate; susceptis in Concilio Pisano & Constantiensi pro extinguendo schismate laboribus, famam sibi peperit immortalem. Ecclesiæ auctoritatem ea in Synodo egregie asseruit; in qua non solum ob eruditionem ac virtutem, sed ob Legationem quam gerebat Christianissimi Regis & Academiæ Parisiensis, omnium in se convertit oculos; verum cum *Joannis Parvi* parricidialis sententia eo Promotore ceu hæretica damnata fuisset, tantum odium Burgundiæ Ducis incurrit, ut Burgundionum factione prævalente, cum Lutetiæ Parisiorum tuto manere non posset, sponte in exilium secedens, tandem Lugdunum se contulerit, ut *Joannis* Ordini Cælestinorum Monachi, & Lugdunensis familiæ Prioris, fratris amantissimi, consuetudine uteretur. Ibi suum omne tempus orationi, scriptioni, Concionibus, Catechismis consecrans obiit die 12. Julii, anno 1429. ætatis 66. & ad *S. Laurentii* sepultus est. Ejus sanctitas miraculis frequentibus post obitum celebrata fertur, ipseque a die obitus pro *Beato ac Divo* habitus cultusque communi fere omnium suffragio est, ut *Andreas Saussaius* in Gallicano suo Martyrologio observat: ac in ejus memoriam sacellum erectum *Caroli VIII.* Regis pia munificentia, suadente Majestatis ejus Confessario, Sacræ Facultatis Parisiensis Doctore Theologo, Ordinis Carmelitarum, postea Sistaricensi Episcopo: in quo quidem sacello *Gersonis* Imago supra Altare depicta erat ad instar *Alberti Magni*, cum radiis solaribus in capite, sine diademate tamen in Cappa Doctorali, cor tenens in manu sinistra, quod ad cœlum dirigebat, cum hac epigraphe: *Sursum corda*. Ejus Opera Theologica, Moralia, Mystica, Concionatoria, Miscellanea, quibus *Christianissimi Doctoris* nomen promeritus est, omnium Eruditorum manibus teruntur. Aliqua etiam nondum edita prælo parantur ab erudito Regalis Abbatiæ *S. Victoris* Parisiensis Canonico Regolari, & in Sacra Facultate Doctore D. *D'Herouval*, ex MSS. Bibliothecæ ejusdem Monasterii. *Tis Gersonis* laudibus celebrandis imparem me profiteor. Elogii loco sint *Francisci Zabarellæ* Cardinalis Florentini doctissimi verba, Hussitas in Concilio Constantiensi compellantis: „Dicitis, o Hussitæ, Cancellarium Parisiensem suspe„ctum vobis existere: qui tamen usque adeo super„excellens Doctor est, qualis in tota Christianitate „vix reperiri queat. *Ita refert* Joannes Cochlæus *Lib.* „2. Historiæ Hussitarum.

Gersonis. Opera.

Eumdem *Gersonium* Diœcesana Synodus Parisiensis anno 1506. celebrata vocat „Magnum ac prudentem a„nimarum zelatorem, & singularem conscientiarum sc„rutatorem in suo Opere Tripartito, quod utriusque Sta„tus ædificationem Latine & Gallice scripsit. Illudque Opus ab omnibus Curatis & eorum Vicariis, ac Scholarum Magistris haberi jubet. Cujus usum pariter commendarunt Synodus Claromontana, anno 1507. Synodus Carnotensis, anno 1509. Synodus Meldensis, anno 1511. Senonensis, anno 1524. Carnotensis, anno 1526. Tolosana circa idem tempus habita; Senonensis Provincialis, anno 1528. Cap. XI. inter Decreta morum; altera anno 1534. celebrata; Lexoviensis circa idem tempus habita sub *Joanne Venatore* Episcopo, & S.R.E. Cardinali; Lexoviensis altera anno 1550. Tit. 14. Bellovacensis, anno 1554. Rutenensis, anno 1552. Parisiensis, anno 1517. Idem Liber in quarumdam etiam Ecclesiarum Galliæ Ritualibus Libris commendatur, quos recenset *Joannes Launoius* Theologus Parisiensis in Libro *De Frequenti Confessionis & Communionis Usu*, Cap. III. Ejusdem *Gersonis* doctrinam cum pietate conjunctam certatim commendarunt Scriptores celeberrimi, qui nusquam ipsum absque honoris præfatione appellarunt: Quorum testimonia congessit mox laudatus *Launoius*, Cap. VI. ejusdem Libri. *Gersonis* memoriæ plurimum se debere profitentur FF. Prædicarores, quos plurimi fecit, & cum Academia Parisiensi reconciliavit, ex qua ob inconsideratam *Joannis de Montesono* defensionem ab annis 25. exules erant; qua de re legenda est ejusdem Venerabilis Cancellarii Epistola ad Studentes Collegii Naverrici.

VIII. *Thomas Waldensis*, Anglus, patria Londinensis, Ordinis FF. *B. Mariæ De Monte Carmelo*, in Anglia Prior Provincialis edidit *Doctrinale Antiquæ Fidei contra Wikleffistas & Hussitas*, in tres Tomos distributum, & *Martino V.* Pontifici Maximo dicatum, ab eoque Literis Apostolicis commendatum his verbis; „Placuit „primo nobis Opus, quod edideras contra Hussitas Hæ„reticos; Teque fuimus hortati, ut id quod restabat in „materia de Sacramentis, simili perficeres studio, & „diligentia, quod Te fecisse gaudemus, & tuum stu„dium utile & salutare Ecclesiæ commendemus . . . „Recepimus nuper Volumen secundum de Sacramen„tis, quod per solemnes viros videri & examinari fe„cimus, sicut primum, quod pariter fuit ab omnibus „commendatum. Alia etiam scripsit hactenus inedita. Obiit Rothomagi die tertia Novembris an. 1430. ibique honorifice apud suos Carmelitas sepultus est.

IX. *Joannes de Turrecremata*, natione Hispanus, *De Turrecremata*, quod Palentinæ Diœcesis oppidum est, Ordinis FF. Prædicatorum Professor, Theologiæ & Pontificii Juris peritissimus, ex Magistro Sacri Palatii, ob navatam *Eugenio IV.* operam contra Basileense Concilium Cardinalis Titulo *S. Sixti*, ab eodem Pontifice creatus, postea Sabinensis Episcopus renuntiatus, Regularem Disciplinam in eminentissima Dignitate coluit. Sodalitatem Beatæ Virginis Annuntiatæ, cujus interest Virgines Romanas inopes numerata dote nuptui tradere aut Monasterio volentes consecrare, ad *S. Mariæ super Minervam* instituit. Volumina IV. in Gratiani Decretum, *Summam De Ecclesia*, in IV. Libros tributam, Apparatum in Definitionem Fidei a Concilio Florentino editam, aliaque scripsit quorum indicem exhibent *Antonius* & *Sixtus Senenses*, Nomenclator Cardinalium, & alii, qui de Scriptoribus Ecclesiasticis disseruerunt. A *Pio II.* Pontifice Maximo *Fidei Defensor* appellatus est. Obiit Romæ die 26. Septembris, anno 1468. ætatis 80.

X. *Joannes Capreolus*, ex oppido Ratinensi Tolosanæ Diœceseos oriundus, Ordinis FF. Prædicatorum eximius Theologus, doctrinæ *S. Thomæ* vindex acerrimus, a *Trithemio* floruisse dicitur anno 1415. Ab *Antonio Senensi*, anno 1424. A *Bellarmino* & *Auberto Miræo*, anno 1410. Commentariis in quatuor Libros Magistri Sententiarum editis in quibus ex *S. Thomæ* doctrina suas omnes Probationes, & Responsiones ad argumenta *Joannis Scoti*, *Petri Aureoli* & Nominalium, contra ejusdem Angelici Doctoris placita instruxit, *Principis Thomistarum* nomen promeritus est.

XI. *Joannes de Monte Nigro*, Italus, qui & vulgo *Joannes Provincialis*, ab eo quo fungebatur in Ordine FF. Prædicatorum munere Provincialis Lombardiæ, a Concilii Florentini Patribus unus delectus est, qui una cum *Juliano* Cardinali Ecclesiæ Latinæ nomine contra Græcos disputaret. De quo *Josephus Methonensis* in sua contra *Marcum Ephesium* Responsione: „Primus (*inquit*) „de dogmate Joannes ille in re Theologica summi „vir ingenii, atque in Instituto Sancti Dominici præ„fecti Dignitate ornatus, disputationem instituit.

Alter ab illo fuit *Joannes De Ragusio*, Dalmata, cui cognomen *Stoico*, in Sacra Facultate Parisiensi Doctor Theologus, & Ordinis FF. Prædicatorum Procurator Generalis, qui Concilium Basileense, cum *Joanne Polemar* a *Juliano* S. R. E. Cardinali Sedis Apostolicæ Legato deputatus, auctoritate *Eugenii Quarti* Pontificis Maximi aperuit, in eodemque Concilio Orationem *De Communione sub utraque specie* habuit contra Bohemorum errorem, apud *Henricum Canisium*, Tom. III. *Lectionis Antiquæ*, & in Appendice Concilii Basileensis editam. Ejusdem Concilii nomine Legatione obiit cum ad Græcos, tum ad *Eugenium* Pontificem. Ab *Amedeo*, in sua obedientia *Felice V.* nominato contra *Eugenium IV.* Papam legi-

legitimum, Argensis Episcopus, ac demum S. R. Ecclesiæ Cardinalis Titulo *Sancti Sixti* creatus est (si quæ fides *Ortuvino Gratio*, Lib. *De Vocatione Bohemorum ad Concilium* in Fasciculo rerum expetendarum) Quod & *Contelorius* parte altera Elenchi Cardinalium eu fide *Æneæ Sylvii* confirmat. *Joannem* istum *Ragusinum* cum *Joanne Dominici* S. R. E. Cardinali & Archiepiscopo Ragusino imperite confundit *Craigtonus* Præfatione ad Syropuli Historiam. Sed & *Joannem de Ragusio* cum *Joanne de Monte Nigro* re non satis considerata confundit *Allatius* vir cæteroqui doctissimus.

XII. *Henricus Kalteisen*, Germanus, patria Confluentinus, Ordinis FF. Prædicatorum Theologus eximius Fidei apud Colonienses Quæsitor, deinde Palatii Apostolici Magister, tandem Nidrosiensis, & Cæsareensis Archiepiscopus, obiit Kalendis Octobris, anno 1465. In Concilio Basileensi per tres dies *De Libera prædicatione Verbi Dei*, contra Bohemos Hussitas disseruit. In eodem Concilio *De corrigendis peccatis publicis* per quatriduum contra Bohemos peroravit *Ægidius Carlerius* Cameracensis Decanus. Per triduum *De civili Clericorum Dominio* ibidem adversus Hussitas disputavit *Joannes de Polemar*, Archidiaconus Barcinonensis.

XIII. *Nicolaus de Cusa*, in vico Cusæ ad Mosellam in Diœcesi Trevirensi natus in Concilio Basileensi eximiæ doctrinæ specimen dedit: a quo deinde secedens, & *Eugenio IV.* adhærens ejus Dignitatem contra Basileenses tuitus est apud Christianissimum Regem, ad quem ab ipso missus erat. Ab ejus Successore *Nicolao V.* anno 1448. inter Ecclesiæ Romanæ Cardinales adscriptus, deinde Brixinensis Episcopus creatus, maximis Sedis Apostolicæ Legationibus in Germania, Gallia, Anglia præclare functus est. Pietatem cum omnigena eruditione conjunxit. In Mathematicis Disciplinis, in Historiarum notitia, in Jurisprudentia, in Sacrarum peritia Literarum, sua ætate vix parem habuit. Scripsit *De Docta Ignorantia* libros tres ad *Julianum Cæsarinum* Cardinalem, eorumque Apologiam; *Excitationum* Libros X. *De Concordantia Catholica* tres Libros, tempore Concilii Basileensis: *Cribrationis Alcorani* Libros tres; *Idiotæ de sapientia*, Libros 4. aliaque Opera tribus Tomis comprehensa. Obiit Tuderti in Umbria, anno 1464. die 11. Augusti ætatis 63. Corpus Romam relatum in Ecclesia *S. Petri ad Vincula* conditum est.

XIV. *B. Joannes Capistranus*, sive a *Capistrano* Brutiorum oppido, & *S. Bernardini Senensis* Discipulus, Regularis Observantiæ in ordine FF. Minorum, cui nomen dederat, Promotor, Concionator ferventissimus, Inquisitor Fidei vigilantissimus, Fraticellos, Hussitas, Adamitas, aliarumque Sectarum Hæreticos auctoritate repressit, plurimos ad Fidem Catholicam convertit. In Florentinorum Patrum consessu velut Sol effulsit. Turcarum Imperatorem magna Classe & ducentorum pene millium Exercitu munitissimam Albæ-Regalis in Hongaria Arcem firmissimum Christianorum propugnaculum obsidentem, collecta Crucesignatorum, & rusticorum copia, captis tormentis bellicis & impedimentis, turpi fuga profligavit. Obiit VVillaie in Diœcesi Quinqueecclesiensi, die 3. Octobris anno 1456. ætatis 71. A *Gregorio* XV. Pontifice Maximo inter Beatos adscriptus est. Varios Tractatus summæ in Theologia & utroque Jure peritiæ testes transmisit ad posteros, scilicet „ De electione Papæ: De Dignitate Ecclesiæ, „ contra Hussitas: De Auctoritate Papæ & Concilii: „ De Matrimonio: De Excommunicatione: De Ca- „ none Pœnitentiali: Speculum Conscientiæ: De U- „ suris, Contractibus & Restitutionibus: De Confes- „ sione facienda proprio Sacerdoti: „ Tractatum *De Fidei Veritate* adversus *Rochisanam*; & alia, quæ censet *VVadingus* in Bibliotheca Scriptorum Ordinis Minorum.

XV. *Gabriel Biel*, e Societate Clericorum Vitæ communis, in Sacra Theologia Licentiatus, & publicus in Academia Tobingensi Professor, Commentariis in Lib. 4. Magistri Sententiarum, Expositione Canonis Missæ, & Sermonibus editis clarus obiit anno circiter 1495.

ARTICULUS III.

De Concionatoribus, & Auctoribus qui de Rebus Asceticis & Moralibus scripsere.

HOc in ordine celebres fuere *SS. Vincentius Ferrerius*, *Bernardinus Senensis*, *Laurentius Justinianus*, *Henricus Carpius*, *Maphæus Vegius*, *Thomas a Kempis*, *Savonarola*, *&c.*

S. Vincentii Ferrerii Elogium.

I. *S. Vincentius Ferrerius*, natione Hispanus, patria Valentinus, Ordinis FF. Prædicatorum Professor, & doctor, vir plane Apostolicus, *Benedicto* XIII. in sua Obedientia Pontifici Maximo a Confessionibus, & Sacri Palatii Magister ab eo creatus, cum biennio Avenione in Aula mansisset, Episcopalibus & Cardinalitiis infulis recusatis, vocante Christo, approbante Pontifice, Apostolici Concionatoris munus obire cœpit, anno Christi 1396. aut 1397. ætatis quadragesimo, illudque ad finem vitæ continuavit. Doctrinæ suæ, prædicationis, miraculorum, theatrum habuit Hispanias, Gallias, nec-non magnam Italarum Ditionum, & Britannicarum Insularum partem. Laboribus ejus ita Deus benedixit, ut supra centum & quadraginta millia perditorum hominum ad pœnitentiam, Judæos supra viginti quinque millia, Saracenos ad octo millia, ad Christianam Fidem reduxerit. De arduis Fidei Catholicæ & Romanæ Ecclesiæ negotiis ipsum sæpe consuluere Summi Pontifices, & R. E. Cardinales, nec-non Sacra Synodus Constantiensis, *Joanne* Cardinali *S. Angeli*, Theologis duobus, & Jurisconsultis totidem ad eum Legatis. Ex eadem Synodo Epistolam ad ipsum scripsit *Gersonius* Parisiensis Ecclesiæ & Academiæ Cancellarius, qua ipsi susceptos pro Schismatis extinctione, & pace Ecclesiæ procuranda labores gratulatus est, utque ad Concilium accederet est adhortatus. Sacræ Synodi auctoritatem veneratus jam fuerat, multisque conatus fuerat suadere *Benedicto* XIII. ut Ecclesiæ in ea legitime congregatæ judicio se subjiceret, & si opus esset, Pontificatu pro ejusdem Ecclesiæ pace cederet: perspectaque hominis ambitiosi pertinacia, auctor fuerat *Ferdinando* Aragoniæ Regi & *Alfonso* ejus filio, ut illius Obedientiam ejurarent, atque successionem ab eadem subditis suis imperarent. Obiit die 5. Aprilis anno 1419. seu 1418. more Gallico (Tunc enim in Galliis annus incipiebat a Paschate.) A *Callisto* III. Pontifice Maximo in Sanctorum numerum solemni ritu relatus est an. 1455. die 29. Junii. Vitam ejus scripsere *Petrus Ranzanus*, Panormitanus, Ordinis FF. Prædicatorum, postea Lucerinus Episcopus, *Franciscus Castilionensis* Canonicus *S. Laurentii* Florentiæ, & *S. Appiani* Parochus, *S. Antoninus* III. P. Chronicorum Tit. 23. Cap. 8. *Joannes Antonius Flaminius*, *Joannes Marietta* Lib. 11. *Diagus* Lib. 2. Historiæ quam de Provincia Aragoniæ Ordinis FF. Prædicatorum edidit, *Vincentius Justinianus Antistius*, *Alfonsus Castillo* in Sacrario Valentino, *Michael Pius*, P. I. & II. De Viris Illustribus Ordinis Dominicani, & alii. Vitam a *Petro Ranzano* conscriptam ex MSS. edidere doctissimi Patres *Henschenius* & *Papebrochius* ad diem 5. Aprilis. Circumferuntur *S. Vincentii Conciones de Tempore & de Sanctis* tribus Voluminibus comprehensæ, quas ipsius esse, ut editæ sunt, ægre mihi persuasero, quamvis doctrinam ipso non indignam contineant. Sane cum in iis interdum aliorum Auctorum more laudetur, ut *Antistius* observat, illius esse non possunt. Tractatus *De Vita spirituali*, sanctimoniam illius sapit. Librum *de Fide Mundi* ipsi tribuit *Antonius Senensis*. Nonnullæ præterea Epistolæ, & Tractatus Consolatorios in tentationibus Fidei, ab eodem *Antistio* inter *S. Vincentii* opera recensentur.

S. Vincentii Ferrerii Opera.

II. *S. Bernardinus Senensis*, a frequenti Senarum incolatu, & a patre Senensi nuncupatus, in Massana civitate in Etruria natus, adorandi Nominis Jesu præco devotissimus ac ferventissimus Concionator, obiit Aquilæ in Vestinis anno 1444. die 20. Maii, ætatis 63. & a *Nicolao* V. Pontifice Maximo inter Sanctos adscriptus est anno 1450. Ejus Vitam & Gesta latissime prosecutus est *Wadingus* in *Annalibus* Minorum, Tom. 4. & 5. Præter Sermones, alios Tractatus Morales & Asceticos edidit, quos recenset idem Auctor in Bibliotheca Scriptorum Ordinis Minorum.

III. *Laurentius Justinianus*, Patritius Venetus, Urbis suæ Episcopus ac Patriarcha, ex Ordine Canonicorum Regularium Congregationis Sancti Georgii in Alga assumptus, vir sanctitate & doctrina eximius, ad vitam migravit immortalem die 5. Januarii, anno Christi 1455. ætatis 74. & in Sanctorum album a *Clemente* VIII. Pontifice Maximo relatus anno 1524. Tractatus ipsius Ascetici, & Sermones De Festis Christi, Deiparæ & Sanctorum, in lucem sunt editi. *Beati Laurentii Justiniani* Vitam scripsit *Bernardus Justinianus*, qui Serenissimæ Reipublicæ Venetæ ad *Sixtum* IV. Pontificem Maximum Orator fuit: Edita est a *Bollando* inter Acta Sanctorum mensis Januarii, ad diem 8.

IV. *Henricus Harphius* seu *Herphius*, ex pago de *Erp* in Brabantia oriundus Ordinis FF. Minorum professor, pietate & doctrina conspicuus, obiit in Conventu Mechlinien-

chliniensi ejusdem Ordinis anno 1477. Præter Sermones, *Theologiam Mysticam cum Speculativam, tum affectivam*, aliosque Tractatus Asceticos reliquit, quorum indicem *Wadingus* exhibet in Bibliotheca Ordinis Minorum.

V. *Maphæus Vegius*, Laudensis Insuber, *Pii* II. Pontificis Maximi Datarius & Basilicæ SS. Apostolorum Petri & Pauli Canonicus, sex libros scripsit *De Educatione liberorum*, totidem *De Perseverantia Religionis*: Tractatum *De IV. Novissimis*, Dialogum inscriptum *Philalethes*, seu *Veritas invisa exulans*, &c. quæ Tom. 26. Bibliothecæ Patrum Lugdunensis Editionis vulgata sunt. Obiit Romæ anno Christi 1457.

VI. *Thomas a Kempis* sive *a campis*, modico in Diœcesi Coloniensi oppido ad Rhenum oriundus, unde illi cognomen adhæsit, quamvis *Hemerchen*, hoc est, *Malleolus* appellaretur a familia; Deventriæ liberalium artium, pietatisque studiis imbutus est a *Fratribus Vitæ Communis*, quibus ad annum ætatis vigesimum adhæsit. Tum in Monasterium Canonicorum Regularium *S. Augustini*, Congregationis VVindesimensis, in Monte Sanctæ Virginis & Martyris *Agnetis*, prope Zuollas, in Diœcesi Ultrajectensi se contulit, & septimo post anno Votis Religiosis se obstrinxit, ubi tanta vixit sanctitatis opinione, ut ejus videndi, audiendique gratia e remotioribus etiam locis viri pii magno concursu eo se conferrent. Obiit 8. Kalendas Augusti anno Christi 1471. ætatis nonagesimo secundo. Scripsit *Chronicum Monasterii S. Agnetis*, *Sermones ad Novitios*; *Soliloquia Animæ*; *Tractatus De Disciplina Claustralium*; *De Fideli Dispensatore*; *De tribus Tabernaculis*; *De Elevatione mentis ad inquirendum summum Bonum*, *Spiritualia Exercitia Religiosorum*, aliosque Tractatus Asceticos, & *Vitas quorumdam Piorum*, scilicet *Gerardi Magni* & Discipulorum, primorum Fratrum *Vitæ Communis*. Liber piissimus *De Imitatione Christi*, sub *Thomæ A Kempis* nomine passim editus, an ipsam habeat Auctorem, res est inter Canonicos Regulares, & PP. Benedictinos dudum controversa. Hunc illi *Thomæ Kempensi*, isti *Joanni Gersen* Benedictini Ordinis Abbati *S. Stephani Vercellensis* vindicant; & totam Eruditorum gentem, ut quemque afficit prolatorum ab ipsis argumentorum pondus, duas in partes utrique dividunt. Pro *Joanne Gersen* editis Libris pugnarunt *Constantinus Cajetanus* Congregationis Casinensis Monachus, *Franciscus VValgravius* Ordinis etiam Benedictini Monachus, Prior de Alneto Ordinis Cluniacensis; *Robertus Quatrimarius* ejusdem Ordinis Professor; *Joannes Launoius* Theologus Parisiensis; *Franciscus Delfavius* O. B. Congregationis *S. Mauri* Monachus ejusque Defensor qui Animadversiones in Vindicias Kempenses anno 1677. edidit. Pro *Thoma a Kempis* Vindicias scripsere *Heribertus Rosvveidus* Societatis Jesu vir doctissimus, *Fronte & Verlinus* Canonici Regulares; *Gabriel Naudæus* Artigiæ Prior; *Heserus*, *Bollandus*, *Theophilus Raynaldus* Societatis Jesu Scriptores eruditi; *Carræus*, *Chrifletius* Abbas Balernensis; *Jacobus Van-Quaillis S. J.* *Nicolaus Desnos* Canonicus Regularis Congregationis Gallicanæ, & *Vindiciarum Kempensium* adversus *P. Delfavium* Auctor, ejusdem Congregationis. Manuscriptorum Codicum fide causam suam utraque pars tuetur, PP. Benedictini pro *Joanne Gersene* proferunt Codices MSS. Padolironensem, Aronensem Collegii Societatis Jesu in Ducatu Mediolanensi, Cavensem, Allatianum, Slusianum, & Canonicorum Regularium, *in Monte S. Agnetis prope Suvollam*, cujus in fine leguntur hæc verba minio descripta: *Finitus & completus anno Domini 1441. per manus fratris Thomæ Kemp. in Monte S. Agnet. prope Zvvol.* Quæ Thomam Kempensem Libri exscriptorem potius quam auctorem indicare videntur. Hos aliosque Codices omnes duodecim numero coram Illustrissimo Archiepiscopo Parisiensi *Francisco Harles*, Antiquitatis Ecclesiasticæ & Critices MSS. Codicum peritissimo, protulere PP. Benedictini Cœnobii *S. Germani a Pratis*, in Suburbio Parisiensi, anno 1671. die 14. Augusti, qui viros eruditos & rei antiquariæ peritissimos in Aulam suam vocaverant, suum de iisdem MSS. suffragium laturos. Canonici Regulares Abbatiæ Parisiensis *S. Genovefæ* coram eodem Illustrissimo Archipræsule, & viris pariter eruditis, & in MSS. Codicum Criterio peritissimis die quarta Martii 1681. sua etiam pro *Thoma a Kempis* Manuscripta protulerunt, vel testimonia de illis fidem facientia; scilicet *Sancti Martini* Lovaniensis, exaratum anno 1482. Domus *SS. Petri & Antonii* in *Dailhem*, scriptum anno 1470. Domus *S. Barbaræ* in Colonia Ordinis Carthusiensis scriptum anno 1447. Bruxellense Carthusianorum a doctissimo *Chiffletio* commendatum in Apologia MS. exaratum anno 1463. *S. Martini* Tornacensis ab eodem inspectum & laudatum: Rebdorfianos ab eodem celebratos; Montis Blandini Ordinis Benedictini juxta Gandavum, cujus idem *Chiffletius* Abbas meminit: Reinsbergense & Maseychense, quorum mentionem facit P. *Rosvveidus* Societatis Jesu; Kirchemiense *Davidis Ebingeri* scriptum ab ipso *Thoma Kempensi* anno 1425. ut testatur *Prosper Faraudus*. Gersenistæ & Kempenses antiquas etiam Editiones pro sua parte utrique proferunt, suos utrique testes, suas conjecturas ab Auctoris patria, stylo, professione petitas, quæ in eorum Dissertationibus & Vindiciis legi possunt. De his Lector judicet, ea enim de re pronuntiare nolim, & vel possessionem Venerabilium Canonicorum Regularium plurimis titulis fultam turbare, vel Patrum Benedictinorum juri, MSS. etiam Codicum sinceræ fidei & optimæ notæ, nec spernendis argumentis asserto derogare, quorum in Dissertationibus eo de argumento editis placet imprimis religiosa illa moderatio, quam Auctor Animadversionum in Vindicias Kempenses, Parisiis anno 1677. editarum præ se fert, Cap. 7. „ Si ergo „ (*inquit*) alicubi terrarum, extet Codex ante annum 1441. a Venerabili Thoma, aliove quoppiam „ exaratus, atque prima Thomæ ipsi manu adscriptus, „ hunc vel sero proferant, & agitatæ tot modis controversiæ sic tandem finem imponant. Sin minus, „ Thomam suum Libelli Auctorem agnoscant, per nos „ licet: At nobis aliisque pro Joanne Gersene sentire „ concedant. Immo vero in unam omnes conspiremus „ sententiam, nempe ut Spiritum Sanctum istius Operis Auctorem esse credamus, ejusque genium ac sensum in proprios quique usus convertere contendamus. Sic cessabunt lites & altercationes, quæ non „ sine magno temporis, tantum non charitatis detrimento jam obtinent a pluribus annis, atque utinam „ nunc demum intereant.

Quis Auctor Libri De Imitatione Christi.

VII. *Hieronymus Savonarola*, Ferrariensis, nobili genere natus, Ordinis FF. Prædicatorum Professor, vir sanctimonia vitæ & doctrina illustris, & opere & sermone potens, cum in luxum ac licentiam Cleri, præsertim Romani, ferventius declamaret, Florentinæ Reipublicæ libertatem adversus *Ludovici* Mediolanensis ducis & *Petri Medicei* molitiones auctoritate sua tueretur, Florentinos in amicitia & expectatione *Caroli* VIII. Regis Christianissimi confirmaret; scriptis ad Christianos Principes literis, zelum ipsorum ac pietatem excitasset ut Ecclesiæ labanti succurrerent, *in qua a planta pedis usque ad verticem capitis nihil sani esset*; & *Abominationem desolationis stantem in loco Sancto* Concilii Œcumenici auctoritate auferrent; ab *Alexandro* VI. vexatus & injusto Anathemate confixus, tandemque eo agente, a Florentino Magistratu damnatus est, patibuloque suspensus & combustus, cum duobus Sociis. Edita est, dum in carcere detineretur, ejus Confessio, qua rejectis calumniis quibus gravabatur, illud continebatur: Quæ prædixisset, non instinctu afflatuque divino, sed sua opinione Sacrarum Literarum doctrina observationeque sua prædixisse; nec in eo se aliquid improbum, aut ut ea via Dignitatem aliquam aut Honorem Ecclesiasticum assequeretur, spectasse; verum se illud summopere expetivisse ut totius Christiani nominis Concilium convocaretur, cujus auctoritate ac Decretis Clerus reformaretur, & Ecclesiæ status ad Apostolicorum temporum puritatem, quam maxime fieri posset, revocaretur. Qua quidem Confessione fretì Ordinis Prædicatorum Magister Generalis, & Romulinus Antistes hujus causæ ab *Alexandro* VI. Cognitores dati secundum quod Romæ præjudicatum fuerat, *Savonarolam* oppresserunt, solemni ritu exauctorandum pronuntiarunt, & exauctoratum sæculari Magistratui tradiderunt. Mortem fortiter oppetiit *Savonarola*, nulla tum alia vel delicti, vel innocentiæ significatione data, quod variis hominum judiciis locum dedit, aliis fallacem illum, aliis veracem & pium prædicantibus; plurimis Confessionem ejus nomine vulgatam, aut commentitiam esse, aut in constitutione corporis admodum delicata plus tormentorum vim quam veritatem potuisse, excusantibus, ut *Guicciardinus* lib. 3. Historiæ refert. Sed etsi vera fuerit hujusmodi Confessio, quid ea demum continetur, quod tam atrox supplicium meruit? (inquit Illustrissimus Annalium Ecclesiasticorum Continuator *Spondanus* ad annum 1498.) Equidem Romam a Pontifice vocatus, ire noluit, sed legitimam excusationem attulit, pericula a conjuratis hostibus imminentia. A concionandi munere suspensus, cum aliquando conticuisset, sacrum suggestum interdicto Pontificio minime

Savonarola elogium, & vindiciæ.

subla-

sublato ascendit: sed silentium suum veritati ac pietati noxium, injusta censura non obstante, abrumpendum esse existimavit, postquam Deum, virosque pios super ea de re consuluit, ac mature deliberavit, sacris expensis regulis: *Obediendum magis Deo quam hominibus*, ratus, Patronos ac vindices post mortem plurimos ac gravissimos, habuit, *Joannem Franciscum*, *Picum Mirandulanum*, & *Marsilium Ficinum*, *Philippum Cominæum* clarum Galliæ Historicum, lib. VIII. cap. 19. *Thomam Nerium* Florentinum, *Bzovium* Tom. 19. Annalium ad annum 1498. & novissime *Quætifium* etiam nostrum in ejusdem *Savonarolæ* Librum edidit *Ambrosius Catharinus* Episcopus Minorensis. Præter Conciones in Romano Indice prohibitas donec corrigantur, scripsit *Savonarola* librum egregium *De Triumpho Crucis &c.* Inter ipsos carceris horrores, & imminentis supplicii angustias, Meditationes edidit in Psalmos 31. & 50. vivis verbis, animatis sententiis, & Spiritus fervore flagrantissimis (inquit *Sixtus Senensis*, Lib. 4. Bibliothecæ Sanctæ) Oppressus ac extinctus est anno 1498.

SCHOLION.

Hunc Articulum perstringunt Religiosi Censores bis verbis: *Injustam dicit Sententiam in Savonarolam latam ab Alexandro Sexto*.

R. Injustam dixere quotquot Apologias pro *Savonarola* scripserunt eruditi viri, quorum Operibus nulla nota propterea inusta est, Joannes Franciscus Picus Mirandulanus Comes, Marsilius Ficinus, Philippus Cominæus, Thomas Nerius, Abrahamus Bzovius, Henricus Spondanus, Jacobus Quætifius, Joannes a Sancta Maria, Thomas Souegius in ejus Vita inter Acta Sanctorum Ordinis Dominicani, ad diem 23. Maii.

ARTICULUS IV.

De Theologiæ Moralis Interpretibus, seu Casuitis.

HAc in palæstra gloriose se exercuerunt *S. Antoninus*, *Henricus de Hassia*, *Ægidius Carlerius*, *Jacobus Sprengerus*, *Henricus Institoris*, *Baptista Salvis*, *Baptista Trovamalis*, *Angelus a Clavasio*, *Pacificus*, *Petrus Schottus*, *&c.*

S. Antonini elogium.

I. *S. Antoninus*, Florentinus, Ordinis FF. Prædicatorum lumen, cum plurimas in eo Præfecturas gessisset, ob sanctitatis & doctrinæ famam ad Florentinum Archiepiscopatum ab *Eugenio IV.* Pontifice Maximo promotus est. Onus Angelicis humeris formidandum deprecatus est, ægreque suscepit. Apostolicis Mandatis compulsus, a *Dominico* Cardinali *Capranica* ipsi significatis. Cleri populique mores Archipræsul sanctissimus reformavit, omnem a re familiari luxum proscripsit. Victum suum ad Paupertatis leges accommodabat. Omnium causas benigne audiebat, omnibus optima consilia, in rebus difficillimis suggerebat, ob singularem ea in re prudentiam *Antoninus Consiliorum* cognominatus. Virginitatem perpetuo servavit illibatam. Pauperum sublevandis miseriis natus videbatur, quibus facultates omnes erogabat, nihil præter victum ac vestitum, sibi suisque necessarium ex Ecclesiæ bonis accipiens. Hospitale pauperibus verecundis Florentiæ erexit. Ecclesiasticam libertatem, & civitatis Jura adversus Summum Florentiæ Magistratum fortissime tuitus est. Ejusdem Magistratus ac Urbis nomine Legationem obiit ad *Callistum III. & Pium II.* Pontifices Maximos, apud quos tanta verborum ac sententiarum venustate, tanta gestus ac vultus gravitate, tanta suavitate vocis peroravit, ut non jam Theologus aut Orator, sed Angelus e Cœlo prolocutus esse videretur. Gratia & auctoritate apud Summos Pontifices plurimum valuit. Ipsum Romam accersivit *Eugenius IV.* illustriores ipsi decernens Infulas; quod præstitisset, nisi paulo post morbo correptus, diem obiisset. In suprema ægritudine *Antonini* præsentia plurimum recreatus est: ac per ejus manus Viaticum Corporis Christi, & Unctionem-Extremam suscipere voluit. Ejus sanctitatem non minus admiratus est ac prædicavit *Nicolaus V.* qui hoc ipsum donavit privilegio, ut nullæ ab ejus Sententiis Appellationes in Romana Curia admitterentur; & palam de eo dixit: „ Non minus ego „ Archiepiscopatum Florentinum Sanctorum Catalogo „ adhuc vivum adscribendum putarem, quam Bernardinum mortuum, quem ego multis verissimisque testimoniis, omni approbante Ecclesia, Canonica celebratione declaravi. Obiit S. *Antoninus* die secunda Maii 1459. cum annis 13. Florentinæ Ecclesiæ Sacris præfuisset. Ab *Adriano* VI. Sanctorum albo adscriptus est anno 1523. Bullam Canonizationis, quam morte præventus *Adrianus* publicare non potuit, *Clemens* VII. illius Successor evulgavit. *S. Antonini* Vitam scripsere *Franciscus Castellionensis*, S. Laurentii apud Florentinos Canonicus, qui annis octo S. Archipræsulis domesticus fuit; & *Leonardus Sur-Uberti*, Prædicator Florentinus. Eamdem Carmine Hæroico conscripsit *Ugolinus Verinus*, quem Marsilius Ficinus *Musarum Sacerdotem* appellabat. Breve sed magnificum ipsius Elogium in Commentariis *Pii* II. Lib. 2. legere est, cujus Pontificatus mense nono ad Cœlum migravit. Vitam a *Francisco Castellionensi* scriptam ex Autographo Florentino Conventus *S. Marci*, in quo ejus corpus colitur, ediderunt Patres *Henschenius & Papebrochius* Societatis Jesu, cum Additionibus *Leonardi de Sur-Uberti* ex MS. Bibliothecæ ejusdem Cœnobii, ad diem secundam Maii.

S. Antonini Opera.

Præter Summam Historialem seu *Chronicon* in tres Tomos divisum *Summam Doctrinalem* in 4. Partes tributam composuit: in qua „ Quidquid ad considerationem „ Sacratissimæ Theoriæ, quidquid ad nobilissimarum „ virtutum acquisitionem, quidquid denique ad beato „ beneque vivendi usum pertinere videatur, dilucide „ sapienterque conscriptum est. Nihil ibi prætermissum, nil obscure, nil concise, mutilateque dictum. „ Non enim de universalibus tantum rebus scripsit, „ verum etiam ad particularia quæque descendens, ad „ hunc nostrum vivendi usum, & ad singularem quamdam humanæ vitæ operationem doctrinam accommodavit. Scripturæ Sacræ Patrum, & Canonum, quorum peritissimus erat, testimoniis sua de rebus moralibus pronuntiata confirmat; „ adeo ut nemo unquam in tanto Opere quidquam minus recte, minus „ elimate, aut imprudenter prolatum redarguere potuerit. „ Verba sunt *Francisci Castellionensis* in ejus Vita. Librum præterea scripsit *de Eruditione Confessorum*: Tractatum *de Censuris Ecclesiasticis*, *de Sponsalibus & Matrimoniis*, & alios partim Latino, partim Hetrusco sermone.

II. *Henricus de Hassia*, Germanus, in Sacra Theologia Licentiatus, Ordinis Chartusiani Professor, *Regulas ad discernendum peccatum mortale veniali*; & Librum *de Contractibus & ordine Censuum* ad posteros transmisit; inter Scripturæ Sacræ Interpretes etiam commendandus ob Commentaria in Genesim & Exodum, in Proverbia, in Apocalypsim: Inter Scholasticos, ob Libros Magistri Sententiarum Commentariis illustratos: inter Concionatores, ob Sermones ad populum habitos: Inter Asceticos, ob *Speculum Animæ* & Librum *de Discretione Spirituum*. Obiit anno 1428. De ipso legendi *Trithemius*, *Petrus Sutor*, *Sixtus Senensis*, *Possevinus* & alii.

III. *Ægidius Carlerius*, Doctor Theologus, Cameracensis Ecclesiæ Decanus, cujus supra memini, diversas *Casuum Consultationes* scripsit duobus voluminibus comprehensas, quibus titulum dedit, *Sportulæ Fragmentorum*.

IV. *Jacobus Sprengerus*, & *Henricus Institor*, Germani, Ordinis FF. Prædicatorum Professores, communibus studiis *Malleum Maleficarum*, ediderunt 15. cadente seculo. Scripsit præterea *Institor* Librum *Contra Monarchiam Antonii Roselli* Jurisconsulti Patavini, & alia.

V. *Baptista Salvis*, sive *de Salis* Ligur, Ordinis FF. Minorum Professor, scripsit *Summam Casuum Conscientiæ*, quæ ab Auctore nomen sortita, *Baptistiana* appellatur. Florebat anno 1494.

VI. *Baptista Trovamalis*, Italus, ejusdem Ordinis, *Summam Casuum Conscientiæ*, pariter edidit eodem circiter tempore, quam *Rosellam* vocant.

VII. *Angelus A Clavasio*, Liguriæ oppido, vir pius & doctus, ejusdem Ordinis, *Sixto* IV. & *Innocentio* IV. gratissimus, scripsit etiam *Summam Casuum Conscientiæ*, quæ ab Auctoris nomine *Angelica* nuncupata est. Item, Tractatum *de Restitutionibus*; & alterum inscriptum, *Arca Fidei*. Obiit Cunii in Cœnobio *S. Mariæ de Angelis*, anno 1495.

VIII. *Pacificus*, Novariensis, ejusdem Ordinis Professor, scripsit *Summam Casuum Conscientiæ*, quæ ab eo dicta est *Pacifica*. Vixit anno circiter 1470.

IX. *Petrus Schottus*, Argentoratensis, Juris utriusque Doctor, Sacerdos & Canonicus, *Quæstiones varias de rebus ad Conscientiam pertinentibus* explicuit. Obiit anno 1499.

ARTICULUS V.

DE JURISCONSULTIS ILLUSTRIBUS.

INter Jurisconsultos excelluere XV. sæculo *Baldus*, *Petrus Ancharanus*, *Franciscus Zabarella*, *Antonius de Burio*, *Joannes de Imola*, *Nicolaus Thudescus*, *Joannes de Anania*, *Andreas Barbatius*, *Alexander Tartagnus*, *Joannes Franciscus Pavinus*, *Nicasius Vorduans*, &c.

I. *Baldus de Ubaldis*, patria Perusinus, *Bartoli a Sanoferrato* Discipulus, varia in Jus utrumque Canonicum & Civile Commentaria edidit, de quibus *Fichardus*, *Panzirolus*, & *Wadingus* in Bibliotheca Minorum, quorum Ordinem benevolentia & beneficentia singulari prosecutus est. Edidit etiam Tractatum pro Jure *Urbani VI.* in Summo Pontificatu contra *Clementem* VIII. Avenione sedentem. Obiit 24. Aprilis, anno 1400. & Ticini in Templo *S. Francisci* sepultus est.

II. *Petrus de Ancharano*, patria Bononiensis, *Baldi* Auditor, floruit anno 1410. Commentaria edidit *in Decretales* & *Clementinas*, & *Consilia varia*. Sepultus est Bononiæ in Templo *S. Dominici*, & Epitaphio honestatus, quo *Juris Canonici Speculum* & *Civilis Anchora* prædicatur.

III. *Franciscus Zabarella*, Patavinus, *Joannis de Lignano* & *Baldi* auditor, ob divini humanique Juris peritiam singularem cum eximia probitate conjunctam, Episcopus Florentinus, deinde S. R. E. Cardinalis Titulo *SS. Cosmæ*, & *Damiani* a *Joanne* XXIII. Pontifice Maximo creatus est, anno 1411. Scripsit Commentaria in Decretales & Clementinas sex in Tomos divisas; In Decretum, Consiliorum Tomum unum; Tractatum *De Horis Canonicis*, alterum *De Schismate*; *Varias Legum Repetitiones*; *Acta in Concilio Pisano* & *Constantiensi*; *Opuscula varia*, &c. Obiit Constantiæ, tempore Concilii, anno Christi 1417. ætatis 77.

IV. *Antonius De Butrio*, Bononiensis, iisdem pene temporibus florebat, *Commentariis in Decretales* & *Clementinas*, *consiliis*, & *Repertorio Juris Canonici* & *Civilis*, publico bono editis, clarus. Obiit Bononiæ Nonis Octobris anno 1408.

V. *Joannes de Imola*, patria Bononiensis, ibidem obiit die 18. Februarii, anno 1436. apud FF. Prædicatores sepultus. In tres Libros Decretalium, in Sextum, & Clementinas, pluraque in Jus Civile Commentaria edidit.

VI. *Nicolaus Tudeschus*, ex Catana Siciliæ urbe oriundus, ex Abbate *S. Agathæ*, Ordinis Benedictini, Panormitanus Archiepiscopus, & Cardinalis *a Felice V.* contra *Eugenium IV.* Pontificem M. sedente creatus, in eaque Dignitate a *Nicolao V.* Eugenii IV. Successore confirmatus novem Commentariorum Tomis Jus Canonicum illustravit. Scripsit & de Concilio Basileensi. A Juris Pontificii Interpretibus sub uno *Abbatis* nomine sæpe laudatur. *Lucerna Juris* etiam appellatur. Obiit Panormi, mense Julio anno 1445.

VII. *Joannes De Anania*, Bononiensis, pietate & Jurisprudentia insignis *Commentario in Decretales*, & Volumine *Consiliorum*, nomen suum celebravit. Obiit anno 1455.

VIII. *Andreas Barbatias* sive *Barbatia*, Siculus, præter *Commentaria in Decretales*, *Clementinas*, & *Consilia Varia*, Tractatum edidit *De Præstantia Cardinalium*. Floruit anno 1460.

IX. *Joannes Franciscus Pavinus*, Civis & Canonicus Patavinus, a *Paulo II.* Pontifice Maximo, qui anno 1464. Pontificatum iniit, Romam vocatus, & Judex Sacri Palatii creatus, scripsit *Baculum Pastoralem*, seu Tractatum *De Visitationibus* &c.

X. *Nicasius Verdanus*, Mechliniensis, jam inde a quarto ætatis anno oculis captus, Theologiæ Lauream in Academia Lovaniensi consecutus, in Coloniensi Juris Doctor creatus est, cum Leges Cæsareas, quas nusquam legerat, sed audiverat dumtaxat, ita memoria complexus esset, ut eas ex tempore recitaret ac interpretaretur. *Commentarios* edidit *in IV. Libros Institutionum Justiniani*. Obiit Coloniæ anno 1492.

JOANNIS DOMINICI MANSI

Nota.

NIcolaus Tudeschus reipsa quidem a Felice V. Antipapa Cardinalis Romanæ Ecclesiæ renunciatus fuit; sed ab Eugenio petens ut sibi hanc dignitatem, quam ab æmulo Pontifice obtinuerat, adsereret, atque concederet, numquam potuit impetrare. Nec ullibi legisse me memini eum tandem honorem a Nicolao V. obtinuisse. Quin & extat in adnotatione quadam manuscripta, quam offendi in codice quodam Biblioth. Canonicorum Majoris Ecclesiæ Lucensis manu Felini Sandei exarata verba nonnulla, quæ demonstrant Panormitanum hunc tentasse quidem restituere obedientiam Eugenio, simul vero voluisse ac rogasse ut sibi Cardinalatus restitueretur intermediis Alphonsi Regis Aragoniæ precibus, sed Pontificem constanter negasse quod minus prudenter a Pontifice recusatum esse addit Felinus, quia cum Panormitanus vir esset in scientia canonica doctissimus sententiam priorem contra Eugenium a se datam retractasset, ac sicut contra Pontificem scripserat ita & pro Pontifice rescripsisset. Porro adnotatio ista demonstrat Panormitanum numquam, in dignitate Cardinalatus nec ab Eugenio, nec a Nicolao V. ejus successore restitutum fuisse; alioqui uno saltem verbo Felinus indicasset. Sed præstat eandem adnotationem hic integram referre: „ Olivertus Carafa S. R. E. Cardinalis Neapolitanus improbabat factum Eugenii IV. qui cum aliis qui Concilio Basileensi interfuerant, eas dignitates indulsisset quas a Concilio obtinuerant, rogatus tamen pro Panormitano in cœtum Cardinalium adlecto a Felice Antipapa inexorabilem se præbuit; & male secundum præfatum D. Neapolitanum quoniam debuisset eum deponere a Cardinalatu, & hæc omnia correxisset „. Si Panormitanus a Nicolao V. Eugenii successore dignitatem recepisset locus hic dabatur, ut Felinus indicaret.

Ceterum quidquid erit de Cardinalitio Panormitani titulo ejus opuscula quædam nondum antea ab aliis indicata ego in meo Conciliorum supplemento alibi, e M. S. Codice Lucensi evulgavi.

ARTICULUS VI.

DE CLARIS HISTORICIS.

I. GRæcam Historiam Sæculo 15. illustrarunt *Georgius Gemistus*, patria Constantinopolitanus, *Bessarionis* Cardinalis Magister: *Georgius Phranza* Protovestiarius, qui *Chronicon* de Rebus Byzantinis ac Peloponesiacis edidit: *Laonicus Chalcondilas*, Atheniensis, Auctor *Historiæ Turcicæ* in decem Libros divisæ, ab *Ottomano* qui sub annum 1300. regnare cœpit, ad annum 1463. *Nicolaus Secundinus*, Græcus, Auctor *Epitomes De Rebus Turcicis*, *ab Ottomano usque ad captam Constantinopolim*.

II. Inter Latinos vero nomen sibi fecere, *Joannes Froissardus*, Valentianis ad Scaldim in Hannonia natus, Canonicus ac Thesaurarius Chimacensis, qui res in Galliis præsertim Belgioque gestas *Chronico* complexus est, quod ab anno millesimo trecentesimo vigesimo-sexto, ad annum millesimum trecentesimum nonagesimum-nonum perduxit. In eodem argumento feliciter exercitatus est *Ingelramnus Monstreletus* Cameracensis, Gallicam Historiam prosecutus ab an. 1400. ad annum 1477.

III. Theodoricus Niemus Clericus Lucensis & Literarum Apostolicarum Abbreviator, nusquam Verdensis aut Cameracensis Episcopus, ut *Spondanus* demonstrat ad annum 1410. Num. 3. Historiam annorum 38. complexus fuit Libris quatuor; quorum tres priores sunt *De Schismate Universali*, quartus vero inscribitur *Nemus Unionis*. Pontifices tempore Schismatis Romæ vel Avenione sedentes acerrime insectatur ac discerpit, sed hæreseon ac Schismatis hostem infestissimum se nihilominus prodit. Obiit Constantiæ tempore Concilii anno 1416.

IV. *Poggius Brandolinus*, vel *Bracciolinus*, Florentinus, Terranova Agri Aretini oppido oriundus, Summis Pontificibus *Eugenio IV.* & *Nicolao V.* Scriniis Pontificiis Præfectus, *Historiam Florentinam* scripsit, in qua hoc ipsi vitio datum, quod pleraque omiserit quæ ad civiles discordias pertinerent; ac patriæ nimium faverit: quod *Actius Syncerus* hoc Epigrammate expressit:

Cum patriam laudat, damnat dum Poggius hostem:
Nec malus est civis, nec bonus Historicus.

V. *Joannes Branda*, Hontenessa oriundus, Ordinis Cisterciensis in Cœnobio Ducensi apud Belgas Monachus, scripsit Historiarum Volumen triplex, quod *Chronodromon* appellavit, ab orbe condito ad annum millesimum quadringentesimum decimum quartum. Id *Ægidius a Roya* in compendium redegit, & ad annos octodecim continuavit.

VI. Eri-

VI. *Ericus* Daniæ Rex ejus nominis X. qui aliis VII. regnare cœpit anno millesimo quadringentesimo-undecimo, Regno fugit anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo-nono. Historicam Narrationem *De origine Gentis Danorum, & De Regibus ejusdem Gentis, eorumque Gestis* transmisit ad posteros.

VII. *Ambrosius Camaldalensis*, Porticu Flaminiæ oppido, non procul Florentia oriundus, Ordinis Camaldulensium Abbas Generalis, ab *Eugenio IV.* ad Basileense Concilium Orator missus est. Græce Orationem habuit Ferrariæ coram *Emmanuele* Imperatore, & Episcopis Græcis. *Cosmo Medicæo* ob eruditionem cum pietate conjunctam acceptissimus erat. Præter varia Opuscula, & Græcorum Scriptorum in Linguam Latinam Versiones, *Chronicon Montis Cassini* edidit, & duos Libros Rerum a se gestarum cum Generalem Ordinis sui Præfecturam gereret. Obiit Constantiæ anno 1490. A *Poggio, Jovio, Raphaele Volaterrano*, & *Jacobo Philippo Bergomate* celebratur.

VIII. *Leonardus Brunus* Aretinus, vir Græce Latineque doctissimus, *Innocentio* VII. ab Epistolis, a Philelpho, Ænea Sylvio, Poggio, Florido Sabino, Ugolino Verino, Paulo Jovio, Philippo Bergomate, Raphaele Volaterrano, Leandro Alberto commendatus, Commentarium edidit de Rebus suo tempore in Italia gestis, & Historiæ Florentinæ Libros 12. quam *Sanctus Antoninus* P. 3. Historiæ, Tit. 22. cap. 11. laudat.

IX. *Joannes Longinus*, qui & *Daglossus*, Canonicus Cracoviensis, nomine *Casimiri III.* Polonorum Regis varias Legationes obiit, ac liberorum ejus Præceptor fuit. Scripsit Vitam *S. Stanislai* Cracoviensis Episcopi & Martyris, tribus Libris seu Tractatibus, quos inter Acta Sanctorum mensis Maii ad diem 7. PP. *Henschenius*, & *Papebrochius* ediderunt, & Polonicam Historiam in duodecim Libros divisam, cujus sex dumtaxat priores Libri typis editi. Commentarios suos perduxit ad annum millesimum quadringentesimum octogesimum, quo migravit a vita 4. Kalendas Junii.

X. *Petrus Ranzanus*, Panormitanus, Episcopus Luceriensis, ex Ordine FF. Prædicatorum præter *Vitam S. Vincentii Ferrerii* scripsit *Annalium Libros* 61. de omnium pene Gentium Rebus, ex quibus ultimum dumtaxat habemus inter Hungaricarum Rerum Scriptores. Dividitur in Indiculos 36. Quæ enim sequuntur, non *Ranzani* sunt, sed *Sambuci*. Desinit autem *Ranzanus* in bello inter *Matthiam Corvinum* Hungariæ Regem, & *Fridericum Tertium* Imperatorem.

XI. *Joannes Buschius*, Trithemio & Vossio *Arnoldus*, in Cœnobio Vindesemensi prope Zuvollas Transisalanæ Provinciæ oppidum Canonicus Regularis, floruit anno 1464. Scripsit De origine Cœnobii & Capituli seu Congregationis *Windesemensis*; item *De Viris Illustribus* ejusdem Cœnobii quos ipse plerosque aut novit, aut vidit.

XII. *Thomas VValsingham*, Norfolciensis, Monachus Ordinis Benedictini ad *S. Albani* Martyris, floruit sub *Henrico V.* Angliæ Rege, cujus Gesta scriptis celebravit. Scripsit etiam *Ypodigma Neustriæ a Rollone* Duce Normannorum primo, eorumque irruptione in Britanniam, usque ad annum sextum *Henrici V.* qui Christi est 1417. Item, *Chronicon de Rebus Anglicis*: quod ab *Henrico Tertio* in quo *Matthæi Parisii* Historia desinit, ad annum 11. *Henrici V.* perducit, id est, ab anno Christi 1273. ad annum 1422. Item, *Auctarium Polychronici*.

XIII. *VVernerus Rolewink De Laer*, VVestfalus, ex Diœcesi Monasteriensi, Professione Carthusianus in Domo *S. Barbaræ* Coloniæ Ubiorum, præter alia Opera reliquit *Fasciculum Temporum* ab orbe condito ad sua usque tempora, minime accuratum Opus. Primum desiisse videtur in anno 1470. qui penultimus *Pauli II.* MS. enim quod præ manibus habebat *Vossius*, non ulterius producebatur. Exinde paucis additis pertingit usque ad annum 1474. atque hic finit vetustissima Editio Lovanii procurata anno 1476. Postremo suum Opus continuavit Auctor usque ad annum 1480. quo ait Papam factum *Innocentium Octavum*. Atque hic recentissimæ etiam Editiones desinunt, ut *Vossius* observat lib. 3. *De Historicis Latinis*, cap. 6. Vixit ad annum usque 1502. De ipso legendi *Arnoldus Bostius* lib. *De Viris Illustribus Carthusianis*, cap. ultimo & *Trithemius*, in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, & lib. *D. Viris Illustribus Germaniæ*. Appendicem ad *VVerneri* Chronicon adjecit *Joannes Linturius* Hoffiensis in Voitlandia Pastor, & perduxit ad annum usque 1514.

XIV. *Hartmannus Scedel*, Norimbergensis, ad posterorum memoriam transmisit & subjecit oculis seriem Pontificum, Cæsarum, Regum & aliarum rerum memorabilium ab origine Mundi usque ad annum 1492. quo vivebat. Quod Opus vulgo *Norimbergense Chronicon* appellatur.

XV. *Matthæus Palmerius*, Florentinus, præter Libros 4. *De Vita Civili*, & alterum *De Bello Pisano*, *Chronicon Prosperi*, quod desinit in anno 444. mille additis annis perduxit usque ad annum millesimum quadringentesimum quadragesimum-nonum. Hunc, cum revocare nollet ea, quæ de Angelis erronee scripserat, flammis addictum scripsit *Trithemius* in Catalogo, & ex eo *Genebrardus*. At *Philippi Bergomatis* Auctoritas, quæ Vitæ ejus cursum exponit in Supplemento ad annum 1439. nec non *Raphaelis Volaterrani* L. 21. Commentariorum Urbanorum, ubi *Palmerium* maxima rerum cognitione ac prudentia valuisse, & ad extremam senectutem pervenisse scribit, contrarium *Vossio* aliisque Viris Eruditis persuasit. *Palmerii* quidem Librum, *cum de Divinis perperam incaute locutus in Arianæ Hæresis suspicionem incidisset, ex Theologorum sententia damnatum cremutumque* Paulus *Jovius* ait: sed Auctorem ob hæresim combustum non innuit. Id etiam silet *Ugolinus Verinus*, civis ejus & coætaneus, L. 2. *Illustratæ Florentiæ* ita illum celebrans:

Te quoque, Palmeri, quamquam te ceperit error
Spirituum, haud parvo tamen es celebrandus honore.

XVI. *Laurentius Valla*, Canonicus Lateranensis, purioris Latinitatis restaurator, a *Poggio & Francisco Philelpho* lacessitus, a *Paulo Jovio*, *Erasmo*, *Florino Sabino*, aliisque laudatus, cum Neapoli quasdam propositiones Hæreticas asseruisset de Trinitate, Libero Arbitrio, & Virginitate Sanctimonialium, ut *Poggius* refert secunda in eum Invectiva, ad Inquisitionis Tribunal delatus, in carcerem trusus, ac pro Hæretico damnatus, *Alphonsi* Regis auctoritate pœnam ignis evasit, erroribus tamen publice ejuratis, in claustro FF. Prædicatorum virgis privatim cæsus est. Præter sex Libros *Elegantiarum*, & Versiones *Herodoti* & *Thucydidis* in Linguam Latinam, scripsit Libros tres *De Rebus Gestis Ferdinandi* Aragonum Regis Tom 1. *Hispaniæ Illustratæ* editos, eo quidem styli charactere, ut ejus minime videri possit, qui cæteris Elegantiarum Præcepta tradiderit, ut observat *Paulus Jovius*. Scripsit & Librum *De falsa Donatione Constantini*. Obiit Romæ Kalendis Augusti anno 1465. ætatis quinquagesimo, in Basilica Lateranensi sepultus, & Epitaphio honestatus.

XVII. *Joannes Antonius Campanus*, quem mater rustica, opere fessa, in agro sub lauro peperit, primum ovibus pascendis a patre destinatus, postea in Sacerdotis famulatum ascitus, Latinis literis operam dedit, ac in iis tantus evasit, ut Scholæ Perusinæ præficeretur. In funere *Callisti Tertii* Orationem habuit. A *Pio secundo* Pontifice Maximo Aretinus Episcopus renuntiatus est, qua jam conspicuus dignitate, in Conventu Ratisponensi coram *Friderico Tertio* & Principibus Germaniæ Oratione luculenta bellum suasit adversus Turcas. Scripsit *Vitam Pii secundi*. Item Libros sex De Gestis *Andreæ Brachii Perusini Ducis*. De ipso videsis *Jovium* in elogiis, *Volaterranum* Lib. 21. Antropologiæ, & *Lilium Giraldum* Dialogo 1. De Poetis sui temporis.

XVIII. *Blondus Flavius*, Forojuliensis, *Eugenio* IV. aliisque Pontificibus Romanis a Secretis & Epistolis, scripsit *Romæ Triumphantis* Libros 10. *Pio* II. dicatos: *Romæ Instauratæ* Libros 3. *Eugenio* IV. inscriptos: *Italiæ Illustratæ* Libros 8. *Historiarum Decades tres* ab anno Christi quadringentesimo, ad annum millesimum quadringentesimum quadragesimum. Agit postremo Libro de Schismate *Felicis V.* contra *Eugenium*, quod incidit in annum 1439. Scripta ipsius in compendium redegit *Pius Secundus* Pontifex Maximus. Obiit Romæ pridie Nonas Junias anni 1458. *Procul Blondus ab eloquentia prisca fuit; neque satis diligenter quæ scripsit examinavit: nec quam vera, sed quam multa scriberet, curam habuit*. Censura est *Joannis Gobellini*, Commentariorum Pii II. Lib. 11. *Mortuus est pauper, ut Philosophum decuit. Patrimonium, quod habuit tenue, dotium causa inter fœminas divisit: masculis præter doctrinam bonosque mores nihil reliquit* (ut scribit idem Auctor.) Sepultus est in *Ara Cæli*, ante introitum Templi, ipsique Epitaphium quinque filii posuere.

XIX. *S. Antoninus* Florentinus Archiepiscopus, de quo superiori capite diximus, & inter Historicos no-

men

men sibi pepesit *Chronico* tripartito, cujus Archetypoo Florentiæ in Conventu *Sancti Marci* Ordinis FF. Prædicatorum asservatur. Prima pars res gestas ab orbe condito usque ad *Constantinum Magnum & Silvestrum I.* Pontificem Maximum, altera inde usque ad *Henrici VI.* obitom, & *Innocentium III.* hoc est, annum Christi 1199. tertia hinc usque ad *Fridericum III.* & *Pium II.* hoc est, annum Christi millesimum quadringentesimum quinquagesimum-octavum complectitur.

XX. *B. Platina*, quem alii *Bartholomæum*, alii *Baptistam* appellant, patria Cremonensis, Apostolicus Abbreviator, Philosophus & Rhetor celeberrimus, ingenio subtilis & vehemens, eloquio disertus & mulcens, animo constans & validus, (ut eom commendat *Trithemius* io Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum) a *Paulo II.* Pontifice Maximo bonis omnibus & dignitate spoliatus, & in carcerem trusus, ob quasdam suspiciones, & minaces querimonias, a *Sixto IV.* liberatus, & Vaticanæ Bibliothecæ Præfectus, præter alia Opera, scripsit *Vitas Romanorum Pontificum*, Opusque suum eidem *Sixto* dicavit. *Sixti* & sequentium Pontificum Vitas usque ad *Pium V.* adjecit *Onuphrius Panvinius* Ordinis Eremitarum *S. Augustini*, qui & *Platinæ* Opus recensuit, illustravit, ac eidem Beatissimo Pontifici *Pio V.* obtulit & consecravit. Romæ peste soblatus est *Platina* anno 1481. ætatis sexagesimo, ut *Philippus Bergomas* & *Massæus* in Chronicis testantur. Ipsum quoque *Volaterranus*, *Erasmus*, & *Floridus Sabinus* commendant: at festive ridet *Actius Syncerus* Epigrammate quodam, quod post *Vitas Pontificum*, de re culinaria scripserit.

XXI. *Æneas Silvius*, *Picolomineus*, qui in Summo Pontificatu *Pius II.* vocatus est, inter alia quæ scripsit longe plurima, Libros duos edidit Commentariorum *De Gestis Concilii Basileensis*: *Historiam Bohemicam*: *Cosmographiam*, sive Librum Historiarum de Mundo Universo: *Europam*, qua sui temporis varias Historias complectitur. Scripsit etiam, ut *Platina* refert, rerum sui temporis in Italia gestarum Libros 12. quod Opus nondum absolutum cum vita finivit, vetuitque publicari, nisi emendaretur. Obiit Anconæ die 15. Augusti anno 1465.

XXII. *Gobelinus Persona*, Decanus Paderbornensis, Auctor Historiæ quam inscripsit, *Cosmodromium*, se inchoasse ait id Opus temporibus *Bonifacii IX.* qui Pontificatom iniit anno millesimo trecentesimo octogesimo-nono; illudque produxit ad annum usque alterum *Martini V.* id est, millesimum quadringentesimum decimum-octavum. Vitam quoque edidit *S. Meinulphi*, Paderbornensis Ecclesiæ Diaconi & Confessoris. Alios ab ipso est *Joannes Gobelinus*, Vicarius Bonnensis, *Pio II.* Pontifici Maximo ab Epistolis, cujus sub nomine prodiere *Commentarii Rerum Memorabilium, quæ ejusdem Pii temporibus contigerunt*: Quorum quidem ipsummet *Pium II.* Auctorem esse, persuasum plerisque fuit. Hoc utroque *Gobelino* alter fuit antiquior Ordinis Carmelitarum, sub Imperatore *Alberto Austriaco* celebris, qui a Summo Pontifice ad Anglos *Commissarius* allegatus, *Statuta Arbitraria* scripsit, quibus Fratrum suorum dissidia sopivit: Item Librum *De Pœnitentia*, &c.

XXIII. *Jacobus Mensbona*, patria Lucensis, vir elegantioribus Literis excultissimus, *Callixto III.* & *Pio II.* Romanis Pontificibus ab Epistolis fuit. A *Pio* ad Papiensem Episcopatum promotus, unde illi *Papiensis* cognomen adhæsit; deinde Cardinalitiis Infulis ornatus, præter Epistolas, scripsit *Commentarios* de rebus suo tempore gestis, a *Pii II.* profectione Anconam, dum in Turcas Expeditionem pararet, usque ad obitum *Carvaialis Cardinalis*, qui annorum fere quinque Historiam complectuntur. Scripsit & Pontificum Vitas, quæ nondum lucem aspexere. Obiit 4. Idus Septembris, anno Christi 1479. ætatis quinquagesimo-septimo.

XXIV. *Rodericus Santius*, Hispanus, Palentinus Episcopus, *De rebus Hispanicis* scripsit, Opus a *Vasæo* laudatum in Hispaniæ Chronico Cap 4. editum Tom. 3. *Hispaniæ illustratæ*: Claruit anno 1468. Hunc, ut antiquiores duos, *Lucam Tudensem*, & *Rodericum Ximenium*, eum non ad voluptatem aurium, sed ad memoriam & judicium posteritatis scripsissent, cum a deliciis longissime, tum ab ineptiis & mendacio procul abfuisse ait *Alphonsus Garsias Matamorus*, libro *De Doctis Viris & Academiis Hispaniæ*.

XXV. *Georgius Trapezuntius*, ita vocatus quod ad Trapezuntium Cappadociæ civitatem paternum genus referret; quamquam ipse Cretensis esset, *Eugenii IV.* temporibus Romam profectus, annos multos Rhetoricam ac Philosophiam docuit. Multa e Græcis vertit, nec pauca ipse Latine scripsit, ac inter alia *Vitam S. Andreæ de Chio* Martyris, qui Constantinopoli passus est anno 1465. die 29. Maii; cujus ipsius anni mense Novembri *Trapezuntius* Constantinopolim se venisse ait, initio ejus Vitæ. Virum egregie doctum, deque re literaria pulchre meritum vocat *Erasmus* in Ciceroniano. Obiit Romæ anno 1486. admodum senex, & literarum penitus immemor.

XXVI. *Petrus de Natalibus*, Episcopus Equilinus circa annum 1470. quasdam *Sanctorum Historias* edidit, quæ lectoris judicium desiderant.

XXVII. *Baptista Fulgosus* (quem Volaterranus *Baptistinum Frigosum*, Leander in descriptione Italiæ, *Baptistam Fregosum*, aliqui etiam *Campofulgosum* appellant) Genuensi Ducatu a Patruo suo dejectus, anno millesimo quadringentesimo octogesimo tertio; Libros novem *Factorum & Dictorum Memorabilium* edidit, Opus a *Leandro Alberto*, & *Zuingero* commendatum.

XXVIII. *Bartholomæus Scala*, Florentinus, Historiam Florentinam, Libris 20. condidit ab Origine Urbis usque ad annum Christi millesimum quadringentesimum quinquagesimum; sed morte præventus, quinque tantum libris extremam manum imposuit. Obiit anno 1497. Hunc *Ugolinus Verinus*, *Paulus Jovius*, & *Leander Albertus* commendant. Celebris etiam extitit ejus filia, cui *Alexandræ* nomen, Græcis Latinisque literis insigniter exculta.

Jovius in Elogiis: Verinus L. 11. Florentiæ Illustratæ: Leander in Italia sua.

XXIX. *Bernardinus Corius*, Mediolanensis, decimo-quinto cadente sæculo *Chronica rerum Mediolanensium* scribens, de patria, deque Historia bene meritus est, Mediolanensem pariter Historiam illustravit *Joannes Simoneta*, Calaber, Libris 31. de Rebus Gestis *Francisci Sfortiæ* Mediolanensium Ducis editis. Hunc Historicum *Franciscus Philelphus* in Epistola ad ipsum data, & *Paulus Jovius* in Elogio *Francisci Sfortiæ* commendant.

XXX. *Jacobus Wimphelingus*, Sletstatiensis, Ecclesiæ Spirensis Presbyter, cujus honorifice meminit *Paulus Langius* in Chronico Citizensi, floruit apud Nemetes, anno circiter millesimo quadringentesimo nonagesimo-quarto, ac præter alia scripsit *Epitomen Imperatorum*, & *Rerum in Germania Gestarum*.

XXXI. *Antonius Bonfinius* Asculanus, hortatu *Matthiæ Corvini* Hungariæ Regis, *Hungaricarum Rerum* Commentarios scripsit, & ad annum usque millesimum quadringentesimum nonagesimum-quintum perduxit.

XXXII. *Joannes Annius*, Viterbiensis, natus anno 1437. Ordinis FF. Prædicatorum Sacri Palatii Magister, præter Commentarios in Psalterium & in Apocalypsim, 27. editis Antiquitatum Libris, in quibus sunt *Fabius Pictor*, *De Aureo Sæculo*; *Myrsilus Lesbius De Tirrhenis*: *Catonis Origines*; *Sempronius De Italia*; *Archilochus de Temporibus*; * *Metasthenes*, *Philo*, *Berosus*, *Manetho*, & fictitia illorum Auctorum Opera Commentariis illustrans, orbi imposuit, plures in errorem abduxit, tempore abusus est, quod melius collocare poterat Vir Latine, Græce, Hæbraice, Chaldaice & Arabice eruditus, ut de eo tradit *Leander* in Italia sua. De Annianis hisce Auctoribus lege Censuram *Volaterrani* Lib. 14. Anthropologiæ, *Ludovici Vives* Lib. 9. De tradendis Disciplinis, *Melchioris Cani* Lib. 11. Locorum Theologicorum, Cap. 6. *Benedicti Pererii* in Danielem, *Antonii Augustini* Antiquitatum Dialogo 11. *Antonii Possevini* Lib. 16. Selectæ Bibliothecæ Sectione 4. Sane verus *Berosus* usque ad *Cyrum*, qui post Bellum Trojanum plus sexcentis annis vixit, Historiam suam texuit. At *Annii Berosus* res gestas Assyriorum & Chaldæorum ad ipsum dumtaxat Regni Trojani exordium perducit, nempe ad XVIII. Assyriorum Regem *Danao* coævum, qui primus Trojæ regnavit. Rursus *Berosi* veri de Chaldaicis Rebus tres Libri extabant. *Josepho* teste in libro adversus *Appionem*; Hujus vero alterius *Berosi* unus tantum apparet de Assyriorum Historia. Præterea, *Berosus* Annianus scribit; *Noe* præter tres filios, *Sem*, *Cham* & *Japhet*, plures alios post diluvium genuisse quod Scripturæ Sacræ contrarium est, Genes. C. 9. *Tres isti filii sunt Noe & ab his disseminatum est omne genus hominum super universam terram.* Narrat etiam *Annii Berosus*, Semiramidem Babylonem urbem maximam ex oppido fecisse & magis illam ædificasse, quam ampliasse. At verus e contrario *Berosus* apud *Josephum* Lib. 1. contra *Appionem* Scriptores Græcos reprehendit, qui falso tradiderint a *Semiramide* Babylonem

** In ipso Methasthenis nomine lapsus est Annius, quem vocare debuerat Megasthenem.*

Antiquitatum Joannis Annii Critica.

nem ædificatam, & mira opera ab illa circa hanc fuisse constructa. *Berosus* insuper *Annianus* nullam nec aperte nec obscure *Abrahami* mentionem facit. At verus *Berosus*, ut Josephus refert, *Abrahami* implicite meminit his verbis: *Post diluvium autem decima ætate, apud Chaldæos erat quidem justitiæ cultor, vir magnus, & syderalis scientiæ peritus*. Berosus *Sennacherib* Regis Assyriorum gesta commemoravit, ut *Josephus* & *S. Hieronymus* testantur: At in *Beroso* Anniano nulla *Sennacherib* memoria. Denique fictus iste *Berosus* in *Ascatade* XXIII. Assyriorum Rege finem Historiæ suæ facit; post quem viginti alii Reges usque ad *Sardanapalum* Babyloniis imperarunt. Hos tamen verus *Berosus* non omisit; quin eos etiam recensuit, qui *Nabuchodonosoro*, *Nabodalassari* filio usque ad *Cyrum* in Imperio Babylonio successere, ut *Josephus* L. 1. contra *Appionem* & *Sanctus Hieronymus* Cap. 5. *Danielis* asserunt. Quod *Metasthenem Annii* attinet, ille toti Antiquitati vel ex nomine ignotus est. *Megasthenem* quidem rerum Indicarum Scriptorem Strabo, Plinius, Solinus, Josephus, Eusebius, Hieronymus sæpe laudarunt: hunc vero *Metasthenem*, qui de rebus Persicis scripserit, nusquam. Præterea *Metasthenes* Annianus in Monarchia Persarum ab omnibus Græcis & Latinis melioris notæ Scriptoribus maxime discrepat in Regum Persidis numero, annis, nominibus, rebus gestis, denique in ipsius Monarchiæ diuturnitate. Nam cum ex omnibus Historiis Græcis & Latinis exploratum sit a *Cyro* usque ad *Alexandrum Magnum* quatuordecim fuisse Reges Persarum, eamque Monarchiam ad triginta & ducentos annos stetisse; Annianus iste *Metasthenes* octo dumtaxat Reges enumerat, & *Cambysem*, *Darium Histaspis*, & *Xerxem*, omnibus notissimos & testatissimos prætermittit; & Persarum Imperium uno & nonaginta centumque annis dumtaxat durasse asserit. Annianus quoque *Manethon* longe aliter de rebus Ægyptiis scripsit quam *Manethon* verus, cujus longam Orationem *Josephus* recitat Lib. 1. adversus *Appionem*. Præterea Annii *Manethon* a *Danae* usque ad Trojæ excidium paulo plures triginta supra trecentos annos: *Josephus* ex vero *Manethone* sexcentos ferme annos enumerat. Denique *Philonis* Liber De Temporibus supposititius etiam est, cujus nec *Eusebius*, nec *S. Hieronymus*, nec *Suidas*, qui *Philonis* Opera diligentissime commemorarunt, ullatenus meminere. Præterea scribit Annianus ille *Philo*, stirpem *Salomonis* in *Ochosia* defecisse, & *Joas*, qui illi in Regno successit, non de *Salomonis*, sed de *Nathanis* fuisse progenia; quod Scripturæ Sacræ manifeste repugnat, 4. Regum C. 11. 12. & 13. 2. *Paralipomenon* C. 3. & *Matthæi* 1. Tradidit rursum, quos Scriptura filios *Josaphat*, fratresque *Joram* appellavit, eos non vere filios *Josaphat*, germanosque *Joram*, sed *Nathanis* posteros fuisse; quod Scripturæ Sacræ repugnat, II. *Paralipomenon* Cap. 21. Quid quod vel in humana Historia *Philo* iste Annianus adeo sæpe delirat (inquit doctissimus *Canus*) ut facile dicenti ipsi credas; se in ultimo anno ætatis suæ decrepitæ Libellum illum *De Temporibus* scripsisse. Scribit siquidem anno *Cyri* secundo *Aggæum* & *Zachariam* prophetasse; item, ob mortem *Darii Histaspis* opus Templi esse impeditum, nec adiri potuisse *Cyrum* qui bello Tamyrico erat implicitus. Item *Cyro Assuerum Priscum Artaxerxem* successisse, qui & amplius quam 12. annos imperarit, & *Holofernem* in Judæam miserit. Item, hunc duos filios habuisse, qui de Imperio contenderint; sed cum alter eorum, hoc est *Darius Longimanus* victoriam fuisset consecutus, in ejus primo anno *Jesum*, hortantibus iisdem Prophetis, Templi ædificium aggressum. Quæ omnia falsa esse & Historicis probatis omnibus vehementer repugnantia, quis non videt? Cæcutivit igitur *Annius*, qui Librum *De Temporibus* inscriptum, in quo multa false pleraque absurde, nonnulla contra Scripturam etiam dicuntur, *Philoni* attribuit viro doctissimo & prudentissimo. Quis enim credat *Philonem* ignorasse *Xerxem* illum Persarum Regum omnium apud Græcos celeberrimum? *Darium Histaspis* cum *Dario Medo Cyri* avunculo confudisse? *Assuerum* illum qui opus Templi impedivit, patrem *Longimani* existimasse? Nempe in eos errores solus ille posset incurrere, qui utriusque literaturæ sacræ & profanæ rudis omnino & imperitus esset. Non ergo *Philo Judæus*, cujus ingenium, eruditionem, facundiam celebravit Antiquitas, Auctor illius Libelli fuit, sed homo quispiam sine ulla bona arte, sine eloquentia, sine ingenio, sine literis. Censura est *Melchioris Cano* loco superius laudato: quam subjicere volui, ut ex domestico Scriptore *Annii* ingenium cognoscas. Obiit porro *Joannes Annius* Romæ tempore *Alexandri Sexti* Pontificis Maximi, & ad *S. Mariæ super Minervam* sepultus est.

XXXIII. *Robertus Gaguinus*, natione Belga, Artesiensis, Juris Canonici Doctor, Ordinis Sanctissimæ Trinitatis de Redemptione Captivorum Generalis Minister, vir eruditus & eloquens, Immaculatæ Conceptionis Deiparæ Virginis contra *F. Vincentium de Castro Novo* Defensor accerrimus, multis pro *Carolo VIII.* & *Ludovico XII.* Christianissimis Regibus Legationibus perfunctus, a *Ludovico* Bibliothecæ Regiæ præfectus, præter alia opera, *Annales Rerum Gallicarum*, Libris 12. scripsit usque ad *Carolum VIII.* Obiit Lutetiæ die 22. Julii an. 1502. Ejus Historiam octodecim annis supplevit *Hubertus Vellcius*, Aquensis Jurisconsultus.

XXXIV. Iisdem temporibus floruit *Philipus Cominæus*, ex Illustri apud Belgas familia natus, Ruscurii Dominus, qui *Ludovici XI.* & *Caroli VIII.* Galliæ Regum Historiam Gallice scripsit. Hunc *Justus Lipsius in Notis ad primum Lib. Politicorum* cum quovis veterum Historicorum conferre non dubitat. *Incredibile est*, inquit, *quam ille omnia videat, penetrat, arcana consiliorum eruat, & subinde instruat nos salutaribus rarisque præceptis: & id diffuse, Polybiano quodam exemplo: quamquam revera Polybium, aut talem aliquem ille non vidit. Et hoc quoque laudem ejus auget, quod tanta præstitit literarum omnium rudis, solo usu rerum peritus, & naturali quadam judicii bonitate. Enchiridion Principibus Cominæus esto. Dignus Alexandris omnibus hic Philippus.* Eumdem Auctorem plurimum commendant *Joannes Solidanus*, qui ejus Historiam Latinitate donavit, *Jacobus Marchantius* Lib. 1. Descriptionis Flandriæ, Cap. De oppido Cominæo, *Aubertus Miræus*, in Elogiis Belgicis, *Valerius Andreas* in Bibliotheca Belgica, *Gerardus Joannes Vossius*, Lib. 3. de Historicis Latinis, *Ludovicus Guicciardinus* in Descriptione Belgii, *Joannes Mariana* Historiæ Hispanicæ Lib. 23. Cap. 5. *Petrus Ronsardus* celebris Poeta in ejus Epitaphio, *Jacobus Augustus Thuanus* Lib. 20. Historiarum ad annum 1558. *Scevola Sammarthanus*, Elogium Lib. 1. Obiit Argentoni Pictonum oppido, quod uxoriæ dotis nomine possidebat, anno Christi 1509. ætatis 64. Parisiis apud Augustinianos ad Sequanam sepultus est.

JOANNIS DOMINICI MANSI

Nota.

MUlta hic essent corrigenda, addenda, illustranda si per tempus & otium liceret; sed cum ab historicis qui hac ætate abundant reperi commodius possint lectoribus eruditis rem totam permitto; uno tantum & altero indicato.

Joannes Antonius Campanus non Aretinus, sed Aprutinus Episcopus renunciatus fuit. Scripsit autem præter ea quæ hic indicantur a P. Alexandro multo etiam plura quæ in unum volumen collecta a Michaele Ferno bis prodierunt semel Romæ anno 1495. iterum Venetiis anno 1501. De eo legendus Fabricius in Bibliot. Mediæ & Infimæ Latinitatis V. *Campanus*.

De Matthæo Palmerio Florentino addendum certum modo ratumque esse opus suum *de Temporibus* incepisse ab ipso mundi exordio, non vero ut oscitantius scripsit Vossius e quo ceteri hauserunt ab anno 444. quo chronicon Prosperi dejicit. Optime vero a P. Alexandro hic a calumnia de ejus infami nece in patibulo vindicatur; operis istius continuator Matthias Palmerius Pisanus ad annum 1475. hæc notat: *Matthæus Palmerius mense Aprili Florentiæ moritur, in cujus funere Alamannus Rinuccinus orationem habuit, atque laurea insignivit.* Nec vero sileam de Matthæi continuatore, qui opus istud usque per totum annum 1482. perduxit. Est autem vulgata hæc continuatio in accessione ad scriptores Rer. Italic. Muratorii edita Florentiæ anno 1748.

Jacobus Amannati quod hic vocetur *Mens bona* nescio unde acceptum sit. Profecto constat ex familia Lucensi Amannatorum prodiisse Jacobum Amannati S. R. E. Cardinalem tit. S. Chrysogoni, Cardinalem Papiensem vocatum, & in familiam Piccolomineam Senensem beneficio Pii II. Pontificis adlectum, quem multa scripsisse satis constat. Sed & *vitas Pontificum* elucubrasse ego olim ambigebam, & nunc etiam dubito; cum in Vaticana Bibliotheca ubi nonnulla ejus extant, ego diligenter conquisitum Opus illud toto excursu ejusdem Bibliothecæ Indice MS. nuspiam reperierim.

A R-

ARTICULUS VII.

De Eximiis Philosophis.

MAgnum sibi nomen inter Philosophos decimoquinto sæculu pepererunt *Joannas Picus* Mirandulæ Dominus & Concurdiæ Comes ac Princeps, & *Marsilius Ficinus*, Florentinus, uterque editis Operibus Clarissimus. De nongentis *Joannis Pici Mirandulani* Conclusionibus Romæ ab *Innocentio VII.* damnatis, diximus superius, Cap. I. Artic. X. Obiit Flurentiæ 15. Kalendas Decembris anni 1494. quo die *Carolus VIII.* Rex Christianissimus eamdem Urbem ingressus est. Vir fuit ingenio & doctrina maximus: vixit enim annos solum triginta-duos, meritoque sæculi sui *Phœnix* est appellatus. A Trithemio, Paulo Joviu, Joanne Joviniano Pontano, Angelo Politiano, Marsiliu Ficino Leandro Albertu, & aliis celebratur. Vitam ejus edidit *Joannes Franciscus Picus* ejua ex fratre Nepos, Patruo doctrina non impar, & ipse egregiis lucubrationibus non minus quam nobilitate illustris. Decreverat *Joaanes Picus Mirandulanus*, relicto sæculu in Ordine S. Duminici Christo se consecrare, ut Nepos ipsius testatur. Ejus præclaras illas voces commemorat ad *Angelum Politianum*, cui Libellum De Ente & Uno nuncupaverat: „ Vide, mi Angele, quæ nos iosania teneat. Amare „ Deum, dum sumus in corpore plus possumus, quam „ vel eloqui, vel cognuscere: amandu plus nobis pro„ficimus, minus laboramus, illi magis ubsequimur: „ Malumus tamen semper per cognitionem numquam „ invenire quod quærimus, quam amandu possidere id „ quod non amandu frustra etiam inveniretua. Illud quoque S. Francisci: *Tantum scit homo, quantum operatur*, illi in ore frequens erat.

II. *Marsilius Ficiaus* Platonicæ Philosophiæ sua ætate instaurator, a *Dominico Mellino*, qui Vitam ejus scripsit, *Guicciardino*, aliisque rerum Florentinarum Scriptoribus, *Joanne Trithemio*, *Paulo Jovio* & aliis celebratus, obiit in patria anno millesimo quadringentesimo nonagesimo-nono.

CAPUT V.

DE SCRIPTORIBUS

Ecclesiasticis aliisque Illustribus Auctoribus Sæculi XVI.

ARTICULUS I.

De Scripturæ Sacræ Interpratibus.

Augustinus Justinianus Ordinis Prædicatorum, primus Hebraicæ Lingua in Regio Collegio Parisiensi Professor.

SCripturam Sacram suis Commentariis decimo-sextu sæculu illustrarunt:

I. *Augostinus Justinianas*, patria Genuensis, Nebiensis in Corsica Episcopus, ex Ordine FF. Prædicatorum assumptus, Sacrarum Literarum Linguarumque peritissimus, primus in Regio Collegio Parisius Hebraicæ Lnguæ Professor, a *Francisco I.* Rege Christianissimo vocatus, ut ipse testatur Lib. 5. Annalium Januensium, novo & ingenti ausu primus umnium Vetus & nuvum Testamentum in unum corpus redigere conatus est, quod *Biblia Octupla* inscripsit. Origenem itaqua imitatus, in singulis paginis octu columnas disposuit. Prima Textum Hebraicum, altera Latinam ejusdem Interpretationem varbo tenus, tertia Latiuam Versionem vulgatam, quarta Græcam, quinta Arabicam, sexta Chaldaicam, septima Latinam Chaldaicæ Paraphraseos Interpretatiunem, octava Scholia continet, seu Annotationes brevissimas, quibus Judæoram præsertim errores redarguit. Præclari adeo Operis duo tantum Volumina se vidisse testatur *Sixtus Senensis* Lib. 4. Bibliothecæ Sanctæ, scilicet *Psalterium Octaplam* Typis excusum, & *Leoni X.* Pontifici Maximu dicatum, & *in IV. Evangelia Octuplum*, ipsa Auctoris manu descriptum. Adfuit Conciliu Lateranensi V. & tempestate jactatus, Marisque fluctibus absorptus ubiit anno Christi 1536. cum iu Corsicam ad Ecclesiæ suæ administrationem Genua rediret.

II. *Franciscus Ximenius* a *Gisneros*, Hispanus, S.R.E. Cardinalis, & Toletanus Archiepiscopus, ex Ordine FF. Minorum assumptus, Archicancellarius, Inquisitor Generalis, & Prorex Hispaniarum, accitis undique viris doctissimis, & vetustissimis probatissimisque Codicibus MSS. ex Vaticana, Medicea, Veneta, aliisque Bibliothecis studiose conquisitis, Biblia Sacra variis Linguis excudenda magna accuratione, summisque sumptibus curavit. Pentateuchus triplicem habet Editionem, Hebraicam, Caldaicam, Græcam LXX. Interpretum, & tutidem Latinas Versiones triplici Textui primitivo respondentes. Hagiographi ac Prophetici Libri duplici dumtaxat Lingua sunt excusi, Hebræa & Græca, cum Latinis Interpretationibus utrique Textui respondentibus. Libri qui sunt extra Canonem Hebræorum, sed quos Ecclesia nihiluminus a Spiritu Sanctu edocta pro Canonicis habet, Græce dumtaxat editi sunt, cum duplici Versione, una *S. Hieronymi*, altera interlineari de verbo ad verbum. Novum Testamentum, Græcum tantum contextum habet, nullis accentibus aut spiritibus adjectis, vetustissimorum Græcorum instar, cum *S. Hieronymi* Versione. Accessit copiosissimum Lexicon Hebræorum, Chaldæorum, Græcorumque vocabulorum. Lucem aspeaerunt illa *Ximenii* Cardinalis *Biblia*, quæ *Complutensia* vulgu nuncupantur, sub *Leonis X.* Pontificatu. Obiit magnus Cardinalis Compluti anno 1516. ætatis pene 80.

III. *Franciscas Puteanus*, Lugdunensis, Juris utriusque Doctor, Ordinis Carthusiensium Prior Generalis, *Catenam Aaream ia Psalmos Davidis* nexuit ex Latinis Patribus. Floruit anno 1534.

IV. *Jacobas* Cardinalis *Sadoletus*, Episcupus Carpentoratensis *Commentarios ia Psalmos* aliquut, necnon in *Epistolam ad Romanos* adornavit. Obiit Romæ anno 1547.

V. *Nicolaus Grandis*, Ordiois FF. Minorum Professor, in Sacra Facultate Parisiensi Doctor Theologus, Commentarios in *Epistolas S. Pauli ad Romanos, & ad Hebræos*, selectis Patrum Sententiis ornatissimos elaboravit. Flurebat anno 1550.

VI. *Franciscus Titelmanus*, Hassaletu, quod agri Leodiensis oppidum est oriundus, vir eximiæ pietatis & eruditiunis, Hebraicæ, Chaldaicæ, Græcæ, Latinæque Linguarum peritus, præter alia Opera seu dogmatica, seu ascetica, præclaros Commentarios edidit in Librum Job, in Psalmos, in Ecclesiastem, io Cantica, in Evangelia SS. Matthæi, Marci & Joannis, in omnes Epistolas Apostolicas, Collationem in Epistolam ad Romanos contra *Erasmum & Fabrum*, & De Auctoritate Apocalypsis Libros duos. Inter PP. Capucinos obiit, ad quos ex Minorum Ordine strictioris observantiæ Regulari studiu migraverat, Anticoli annu 1537. secundum *VVadingam*, ex quo emendandus est *Aubertus Miræus*, qui ad annum 1553. ubitum ejus refert. Aureæ illius Sententiæ *S. Francisci* memor, *Tantum quisqua scit, quantam operatar*, contemplationem ad actionem revocabat, Leprosis incredibili charitate ministrans. A Discipulis, quos Lovanii ulim docuerat, interrugatus cur Sacras Literas etiam apud Capucinos non exponeret, suos eis Leprusos ostendens: *Ecce*, inquit, *hic meus Augustinus, ille meus Hieronymus, Chrysostomus, & Basilius est.*

VII. *Jacobas Magdalius*, Batavus, Ordinis Fratrum Prædicatorum Professor, Hebraice & Græce doctus, scripsit *Correctoriam Bibliorum, eorumqoe Compendium*, ducentis quinquaginta-septem versibus comprehensum, quod lucem aspexit Coloniæ anno 1508.

VIII. *Philippos Beroaldus* Bononiensis, *Jeremiam & Danielem* Prophetas Annotationibus illustravit. Defunctus est anno 1510.

IX. *Daminnus Crassus*, Ripolensis, quod oppidum est in Subalpinis non lunge ab Augusta Taurinorum Ordinis FF. Prædicatorum Professor, & Lombardiæ Provincialis, præter alios Tractatus *Commeatarium in Job* edidit. E vita migravit anno 1515.

X. *Diducus Dexa*, Ordinis FF. Prædicatorum Professor, & Doctor Salmanticensis, Catholico Regi *Ferdinando* a Confessionibus, ab eoque *Joanni* Principi Regnorum hæredi datus Præceptor, cum Zamorensis, Salmanticensis, Palentiuæ Ecclesiaram Sacris successive præfuisset, ad Hispalensem Archiepiscopatum translatus est, & Inquisituris Generalis munere adauctus. Collegium *S. Thomæ* Fratribus nostris Hispali erexit. Archipræsul demum Toletanus & Hispaniæ Primas designatus, obiit anno 1515. relictis pluribus doctrinæ suæ monumentis ex quibus *Monotessaron Evangelicum* præclaris Commentariis illustratum in Bibliotheca ejusdem Collegii *S. Thomæ* servari testatur *Sixtus* noster *Senensis* Lib. 4. Bibliothecæ Sanctæ.

XI. *Jacobus Faber*, *Stapulensis*, ab ignobili Picardiæ vico, unde oriundus erat, cognominatus, vir humanis divinisque literis excultissimus, sed propenso in novitatem ingenio, & communione eum Novatoribus infamis, præter alia Opera scripsit Commen-

mentaria in Evangelia, in Epistolas *S. Pauli*, & canonicas, in Psalmos, & Tractatum *De tribus Magdalenis*. Ejus Opera *Clemens* VIII. Pont. Maximus in Librorum prohibitorum Indicem retulit, donec jussu Inquisitionis Generalis, aut alicujus Catholicæ Facultatis Theologicæ studio expurgata in lucem prodierint. Obiit *Faber* Neraci in Aquitania, sub *Henrici Albretani* Regis Navarræ favore & patrocinio delitescens anno 1537. Ipsius errores confutavit *Natalis Beda* Theologus Parisiensis, Sacræ Facultatis Syndicus, & Collegii Montis-Acuti Primarius.

XII. *Desiderius Erasmus Roterodamus*, ex furtivo concubitu genitus, Canonicorum Regularium *S. Augustini* Institutum adolescens professus est. Postea votorum pœnitens, vitæque Regularis pertæsus, plerasque Christiani orbis Academias magna celebritate famæ, qua docendo, qua scribendo obivit. Græcis Latinisque literis ad miraculum eruditus, ad barbariem ex orbe pellendam natus videbatur, si se intra fines humaniorum studiorum continuisset. Sed dum suo liberius indulgens ingenio, ad res Theologicas tractandas, ad Censuram Patrum, ad interpretationem Scripturarum animum adjunxit, stylumque convertit, quo plures edidit Libros, eo frequentiores cumulavit errores; *Major futurus*, ut de ipso ajebat Scaliger, *si minor esse voluisset*. In fide ambiguus plerisque visus est, quod mollius cum *Luthero*, aliisque hæreticis ageret, amicitiam cum eis coleret, non satis perspicue de plerisque Catholicæ Fidei dogmatibus aut loqueretur aut scriberet, multa in Ecclesiæ Disciplina improbaret, Novatoribus favere passim videretur, qui tanti viri auctoritate non semel sunt abusi: Hanc ob causam plurimos in Communione Catholica adversarios habuit ac Censores. Quamquam ipse multis Epistolis favoris Lutheranæ causæ impensi invidiam a se depulerit, præsertim Epistola 1. L. 14. ad *Laurentium* Cardinalem *Campegium*, in qua hæc habet: „ En tot Academiis „ duæ dumtaxat damnarunt aliqua Lutheri Paradoxa. „ Nec hæ prorsus inter se consentiunt, immo nec alterius Theologi inter sese prorsus consentiunt. EXPECTABATUR SENTENTIA PARISIENSIS ACADEMIÆ; QUÆ SEMPER IN RE THEOLOGICA NON ALITER PRINCIPEM TENUIT LOCUM, QUAM ROMANA SEDES CHRISTIANÆ RELIGIONIS PRINCIPATUM. Cum hujus expectaretur Judicium, an mihi fraudi esse oportuit, etiamsi favissem quibusdam Lutheri dogmatis? „ Nunc nihil umquam illius tutatus sum, etiam cum liceret; tantum illorum præcipitatum ac tumultuosum Judicium improbavi, qui displicuerant & iis qui Luthero adversabantur. O Novum Lutheranum! „ primus Lutheri Libros hactenus certe damnavi, quod viderentur spectare tumultum, a quo ego semper & constanter abhorrui; primus obstiti ne lucubrationes illius ederentur: pene solus omnium illius Libros non legi: solus nihil umquam in illis sum conatus defendere. Semper hortatus sum, ut, qui possent, disputarent adversus Lutherum, scriberent adversus Lutherum. Id ubi Lovanii cœptum est, constanti vultu probavi, quod utinam non fecissent præpostere. Exiit duarum Academiarum præjudicium adversus Lutherum. Prodiit Bulla terrifica Romani Pontificis titulo. Exusti sunt Codices. Clamatum est apud populum. Res odiosius agi via potuit. Bulla visa est omnibus inclementior quam pro lenitate Leonis nostri: & tamen hujus sævitiæ non parum additum est ab his qui rem exequebantur. Nullus interim vidit Erasmum aut inquietum, aut solito tristiorem, &c. *Et infra:* Quid mihi necessitudinis cum Luthero? Aut quid ab illo sperem præmiorum, ut ab eo stare velim adversus Doctrinam Evangelicam; aut adversus Ecclesiam Romanam, quam opinor a Catholica non dissentire: aut adversus Pontificem Romanum totius Ecclesiæ Principem, qui nec Episcopo meo peculiari velim adversari? Non sum tam impius ut dissentiam ab Ecclesia Catholica: Non sum tam ingratus ut dissentiam a Leone, cujus & favorem & indulgentiam in me non vulgarem sum expertus. Postremo non sum tam imprudens ut obsistam ei, cui nec Regibus tutum est obsistere, etiamsi illius causa mihi parum probaretur, præsertim cum nulla spes esset boni fructus . . . . Hæc pluribus ad te scripsi, ut si qui forte sunt istic qui me vocant in suspicionem, ne quid commovearis istorum calumniis, illud certissimum habens ac persuasissimum, Erasmum & fuisse semper, & semper futurum Romanæ Sedis, cui scio me multis nominibus obligatissimum, cumprimis studiosum. „ Lege & Epistolam 5. ejusdem Libri ad *Leonem* X. Item Epistolam 47. Libri 31. ad *VVulturium Neocomum*, Epistolam 58. 59. ejusdem Libri, &c. Novum Testamentum collatis multis Græcis exemplaribus Latine vertit, Annotationibusque illustravit. Paraphrases etiam in Novum Testamentum edidit. Et Versionem quidem suo nomini dicatam laudavit *Leo* X. datis ad *Erasmum* literis hoc tenore; „ Valde nos delectarunt „ lucubrationes tuæ in Testamentum Novum jampridem editæ, non tam quia nostro nomini dicatæ fuerant, quam quod non vulgari, sed nova & insigni quædam eruditione præstabant, omniumque Doctorum calculo plurimum laudabantur. Quas nuper a te recognitas, & pluribus additis Annotationibus locupletatas, illustratasque fuisse, certiores facti, non mediocriter gavisi fuimus, ex prima illa Editione, quæ absolutissima videbatur, conjecturam facientes, qualis hæc futura, quantumve boni Sacræ Theologiæ studiosis, ac Orthodoxæ Fidei nostræ sit allatura. Macte igitur istius animi tui esto, ac publicæ utilitati studens, Opere tam sancto, et in lucem exeat, sedulo invigila, dignam quidem tot laborum mercedem ab ipso Deo relaturus: a nobis vero meritam commendationem, & a cunctis Christi Fidelibus perpetuam laudem consecuturus. „ Quamobrem & supremus Inquisitionis in Hispania Senatus hanc Versionem edi, legique probavit sub hoc titulo, *Desiderii Erasmi Auctoris damnati Versio permissa*. Annotationes vero & Paraphrases in Novum Testamentum adeo fortunatæ non fuerunt. Ex his nimirum, aliisque lucubrationibus ingentem Articulorum numerum ad Sacræ Facultatis Parisiensis cognitionem detulit *Natalis Beda* ejusdem Facultatis Syndicus, cum prius *Erasmum* per literas de corrigendis erroribus summa charitate monuisset, locosque indicasset, in quibus periculose scripsisse videbatur, nempe „ De Cleri Cœlibatu, de Votis Monachorum, De Jejuniis & interdicto esu carnium, De Festorum observantia, De Consiliis Evangelicis, De Libris Sacris in vulgarem Linguam transferendis, De Legibus humanis, De Horis Canonicis, De Fidelium divortio, De Symbolis Ecclesiæ, &c. „ Articulos plurimos confixit Sacra Facultas lata in solemnibus Comitiis Censura die 17. Decembris, an. 1527. Adversus *Erasmum* scripserunt *Albertus Pius* Carpensis, *Julius Scaliger*, *Petrus Curtius*, *Sepulveda* Hispanus, *Jacobus Latomus* Doctor Lovaniensis, *Didacus Lopez Stunica*, Theologus Complutensis, *Nicolaus Egmondanus* Carmelita, *Eduardus Leus* Hispanus, *Vincentius Lovaniensis* Dominicanus, aliique ejusdem Ordinis Sodales, quos sibi semper infestos *Erasmus* conqueritur, *Petrus Sutor* in Sacra Facultate Parisiensi Doctor, & Ordinis Carthusiensis Professor, *Ludovicus Carvajalis* & *Joannes Gacchus* Franciscani, *Joannes Faber*, *Natalis Beda*, *&c.* Nihil magis anxium ac solicitum reddit *Erasmum* quam Censura Sacræ Facultatis Parisiensis, quam semper veritus est, ut constat ex ejus Epistola ad Collegium Sorbonicum, 19. Lib. 22. „ Mihi, *inquit*, cum nullo umquam Ordine bellum fuit, nec ut spero, futurum est, tantum abest ut adverses eum Senatum, cujus Oraculis semper prima tributa est auctoritas, arma moveam. *Et infra:* HACTENUS MULTUM PONDERIS HABUIT HÆC VOX: SIC JUDICAVIT FACULTAS THEOLOGICA PARISIENSIS: Verum hæc auctoritas gravitate æquitateque Judiciorum tuenda est. „ Sed & Augustissimum Senatum Parisiensem per literas supplices interpellavit, ut Sacræ Facultatis Censuram prohiberet (Epistola 73. Libri 19.) „ Quidquid, *inquit*, hactenus per Bedas & Sutores insanitum est, non arbitratus sum ad Theologicam Facultatem pertinere, cujus auctoritati semper detuli plurimum, semperque delaturus sum, si modo liceat. Verum si talibus modis pergant obruere, non dicam me qui nihil sum, sed veritatem ac pietatem, qualibus olim Judæi oppresserunt Jesum, efficiam ut Mundus intelligat ea, quæ velut impia damnantur ab istis, esse Christianæ pietatis, & aut non fuisse intellecta, aut malitiose depravata: rusticanam ac simplicem veritatem sic exponam oculis hominum, ut textoribus etiam ac textricibus sit conspicua. Qua ex re quantum illis sit accessurum gloriæ nescio. Optarem negotium hujus esse generis, ut meam innocentiam salva illorum auctoritate tueri possim, impietatis crimen nemo pius debet agnoscere. Hic igitur si vestra Auctoritas, qua major secundum Regem in illo Regno non est, molitionibus istis tumultuosis ac malitiosis imponat silentium, primum consulueris & Studiorum

Marginal notes:

Erasmus ab Heresios Lutheranæ suspicione se purgat.

Erasmi versio Novi Testamenti probata.

Inter Epistolas Erasmi Ep. 80. 29.

Vide Epist. Erasmi ad Bedam Lib. 19.

Plurimi Erasmi Articuli a Sacra Facultate Parisiensi damnati.

Erasmi de Sacra Facultate Parisiensi existimatio.

„ quieti, & Religionis Christianæ tranquillitati, de-
„ nique Theologicæ Facultatis dignitati, si vestro hor-
„ tatu se digna gesserit. Jam quo minore negotio rem
„ omnem cognoscatis, mitto Responsiunculas ad Ar-
„ ticulos aliquot, qui jam in Consessu Sorbonico di-
„ cuntur periclitari: simulque mitto Librum quo Be-
„ dæ calumniis respondeo, locis indicatis, quo magis
„ sint in promptu. Si vestra Auctoritas incompositos
„ tumultus cohibuerit, erit magnopere gratum: sin
„ & illam negligent, hujus calomniæ malitiam suis
„ coloribus accuratissime depingam ac Regi Christia-
„ nissimo mittam. „ Judicium tamen Sacræ Faculta-
tis se non pertimescere præmiserat, de causæ suæ me-
ritis confidens. „ Nec tam male, *inquit*, vel de me
„ ipso, vel de Sacratissima Facultate sentio, ut illius
„ Judicium pertimescam. Cur enim id facerem, cum
„ hoc pridem ab illis flagitarim? „ Sed nec *Erasmi*
minæ Sacram Facultatem ab Articulorum ejus Censu-
ra deterruerunt; nec integerrimi Senatus Parisiensis
Judices eam a Doctrinali Judicio prohibuere, eum &
ipsam jure suo uti, & fidei ac veritati consulere per-
suasum haberent. Variis Apologiis ac Declarationibus
se doctrinamque suam tueri, exponere, vel excusare
aggressus est *Erasmus*, Ecclesiæque Judicio se, Librosque
suos subjecit. Ejus ingenium, eruditionem, labo-
res plurimi fecere Doctores Catholicæ Communionis
plerique, Episcopi, Cardinales, Reges, Summi Ponti-
fices *Leo* X. *Adrianus* VI. *Clemens* VII. *Paulus Ter-
tius* qui ipsum literis suis honestarunt, Romam ut se
conferret invitaverunt, contra *Lutherum* ut scriberet
adhortati sunt. Quin etiam de ipso ornardo cogitavit
Paulus Tertius & Cardinalitias Infulas ipsi decreve-
rat. Honorificentissimas istius Pontificis ad *Erasmum*
literas inter Erasmicas legere est Lib. 27. Epist. 26.
Obiit Basileæ quarto Idus Julii 1536. anno ætatis cir-
citer 70. cui *Ludovicus Masius* breve istud sed elegans
scripsit Epitahpium.

Fatalis series nobis invidit Erasmus,
Sed Desiderium tollere non potuit.

XIII. *Othomarus Luscinius* Argentoratensis, Ordinis *S. Benedicti* Monachus scripsit *Allegorias Psalmorum*, Librum cui titulus, *Pelagus humanæ miseriæ*, &c. Floruit circa annum 1520.

XIV. *Joannes Picus*, Carthusiæ Divionensis Prior, scripsit Commentarium in Cantica ab *Ascansio Badio* editum anno 1524.

XV. *Dominicus Buchius*, Catharensis, Ordinis FF. Prædicatorum Professor, anno 1530. celebris, scripsit *Etymon* seu *Expositionem in* VII. *Psalmos Pœnitentiales*.

XVI. *Ægidius Viterbiensis* a natali civitate cognominatus, ex Priore Generali Ordinis Eremitarum *S. Augustini* a *Leone* X. in Collegium Cardinalium ob insignia merita cooptatus, vir eloquentia, Linguarum peritia, Sacrarum Literarum scientia, notitia Historiarum ornatissimus, præter Orationem habitam in Concilio Lateranensi, Librum egregium *De Ecclesiæ Incremento*, *Historiam* XX. Sæculorum, & alia scripsit *Commentaria in tria Capita priora Geneseos*, & in Psalmos aliquot ad *Leonem* X. Ejus Opera in Angelica Bibliotheca *S. Augustini* Romæ MSS. asservantur. Ipsum, ut aliquid in publicam utilitatem ederet, amantissimis literis hortatus est *Clemens* VII. Pontifex Maximus; ejusque modestiam vincere conatus est, qua verebatur, ne quos Veterum, si qua illi aut Græce parum periti, aut aliorum ingeniis non ita adjuti, aut Hebrææ linguæ omnino expertes, aliter forte ac ille scriptum tradidissent, offendere; aut iis & sanctitate & doctrina insignibus contradicere videretur. *Cum tamen* (inquit Pontifex) *multa liceat vel disputare vel scribere, quæ non alii sentiant, dummodo alienus a veritate, & sanctæ Ecclesiæ universali Traditiona prave non sentiantur, atque e Scripturis sacris sensus potius fuerit relatus, quam ablatus. Nec enim respectus ullus humanus a navando Deo operam debet avocare, quin quod quis studiose indagavit, pie ac sincere proferat, dum prolatum non contumaciter asserat, sed Ecclesiæ Judicio semper subjiciat.* Has Literas ex Archivio Romano Ordinis Eremitarum *S. Augustini* refert *Thomas de Herrera* in suo *Alphabeto Augustiniano*. Obiit meritissimus Cardinalis die 12. Novembris, anno 1532.

XVII. *Henricus Regius*, Padebornensis, Ordinis FF. Minorum Professor, *Biblia Alphabetica* edidit, Coloniæ primum excusa anno 1535.

XVIII. *Joannes Udalricus*, Basileensis, Ordinis Prædicatorum Professor, erudito in Epistolam ad Hebræos, edito Commentario, obiit Colmatiæ anno 1536.

XIX. *Claudius Guillaudus*, Belliocensis Theologus Parisiensis, editis *In S. Matthæi & S. Joannis Evangelia Commentariis*, & *Collationibus in Epistolas S. Pauli*, *cæterasque Canonicas* celebris, floruit anno 1540.

XX. *Augustinus Steuchus*, Patria Eugobinus, Bibliothecarius Apostolicus, & Chisamensis Episcopus, ex Canonico Regulari Congregationis *S. Salvatoris* assumptus, vir linguarum Orientalium peritissimus, præter Libros 10. *De Perenni Philosophia*, & tres Libros *Pro Religione Christiana* adversus Lutheranos, *Pentatheucum* Annotationibus, Librum *Job* Ennarrationibus, Psalmos præcipuos Commentariis illustravit. In errores aliquos impegit vir alioqui doctissimmus. Asseruit scilicet cœlum empyreum non esse creatum, sed Deo coæternum. Item, Ex Adami lapsu genus humanum in mortem animæ, non corporis incurrisse, fuisseque homines morituros, etsi non peccassent. Ad quæ tamen opinamenta abjicienda, si parum Christiana viderentur, sese paratissimum professus est. In multis perstrinxit *Erasmum*, ipsumque vicissim *Erasmus* Epistola 34. Libri 26. ad ipsum data. Florebat anno 1540.

XXI. *Sanctes Pagninus* Lucensis, Ordinis FF. Prædicatorum, Concionator Apostolicus, vir in Sacris literis insigniter eruditus, & trium linguarum, sed Hebrææ præsertim peritissimus, novam totius Scripturæ Versionem aggressus est, *Leone* X. Pontifice Maximo animos addente, & sumptus Operi necessario præbentes. Collatis itaque inter se vetustissimis & probatissimis Codicibus, quanta maxime valuit diligentia & fide Vetus omne Testamentum ex Hebraica Veritate in Latinam linguam transfudit. Ejus Editionem peritissimi quique Hebræorum Rabini cæteris Versionibus Latinis anteponunt, & laudibus efferunt. Eam nihilominus reprehendit *Genebrardus* Præfatione in Opera *Origenis*, postquam *omnium optimam* dixit, quasi *nimis Grammaticam*, *nimium Rabbinicarum minutiarum æmulam*. Novam quoque Novi Testamenti Versionem juxta fidem Græci Textus edidit, Opusque suum *Clementi* VII. Pontifici Maximo dicavit. Annotationes marginales aliquot Bibliorum *Sanctis Pagnini* notantur in Indice Expurgatorio *Sandovallis* Cardinalis. Scripsit præterea *Pagninus* Librum *De Interpretatione Hebræarum*, *Chaldæarum*, *Græcarumque dictionum Sacris in Literis contentarum*: *Thesaurum Linguæ Sanctæ*: *Isagogen ad Sacras Literas*: *Isagogen alteram ad mysticos Scripturæ sensus*, in Libros 18. tributam: *Catenam Argenteam in Pentateuchum*, in qua Hebræorum, Græcorum, Latinorum expositiones veluti annulis quibusdam insertis contexuit, sex Voluminibus distinctam: Similem *Catenam* in Psalterium tres in partes divisam. Obiit Lugduni vir de Sacris Literis optime meritus anno 1541. Nono Kalendas Septembris, & apud Fratres nostros in medio Chori sepultus est. „ Pleraque eorum quæ in ejus Bibliis displicent,
„ Genevensium Interpolatorum nequitiæ esse adscri-
„ benda, tametsi ementito loci nomine in lucem edi-
„ ta sint, & mala fide pro *Pagnini* lucubrationibus pu-
„ blicata, observant *Theophilus Raynaudus* S. J. Libro *De Sanctis Lugdunensibus*, & *Aubertus Miræus* in *Bibliotheca Ecclesiastica*.

XXII. *Franciscus Vatablus*, in Ambianis natus, Regius Hebraicę Linguę Professor, vir cumprimis Catholicus, & doctus, Bibliorum Versionem ex Hebræo adornasse dicitur, quæ ab Hęreticis in Gallia fœde interpolata sit, eoque nomine Regula 3. Indicis Romani prohibita, donec a Facultate Theologica alicujus Academiæ Catholicę, aut Inquisitione Generali expurgata, in lucem prodiret. Id beneficii Christiano orbi præstitere Salmanticenses & Complutenses Theologi, qui *Vatabli* nomine inscriptum Opus, emaculatum, Salmanticę apud *Gasparem de Portonariis* edi curarunt. Cæterum hanc Editionem Hebraicum Textum ad literam non reddere, sed paraphrasticam potius esse, cum quadam orationis & Latini sermonis puritate, ab iisdem observatum est. Et Scholia ejusdem, quę fere ex Judæorum Commentariis desumpta sunt, in iis in quibus non pervertunt sensa sacra, neque Ecclesiæ doctrinæ, vel communibus Sanctorum Patrum sensibus contraria sunt, recipienda ut probabilia, & ut collata cum Sanctorum expositionibus, constet Ecclesiæ & Sanctorum sensuum altitodo & Spiritus in eis vivificans, & pariter Judęorum humilitas morenę literæ adhęrentium, neque quidquam sublimius cogitantium,

sium, & quandoque prava interpretatione & expositione de Christo vaticinia subvertentium. Deinde ut variæ apud Hebræos vocum significationes, phrases, atque Hebraismi, maxime a non versatis in Hebræa lingua utcumque percipiantur. Parisiensi Bibliorum sub nomine suo Editione ita fuit offensus *Vatablus*, „ ut protinus *Robertum Stephanum* Typographum, jam apostasiam illam suam meditantem & accelerantem, ad se accersitum gravissime objurgaret & falsi crimine, quod nonnisi fuga diluere potuerit, postularet. „ Quod a bonis & doctis ejus discipulis se accepisse *Genebrardus* testatur Præfatione in *Origenem* seu in Epistola Nuncupatoria ad *Carolum* IX. Regum Christianissimum. Et Lib. 4. Chronologiæ observat, *Bezam* in Iconibus hanc Versionem *Leoni Judæ* Helvetio, *Zwinglii* Hæresiarchæ olim Tiguri Socio tribuisse. Obiit *Vatablus* Lutetiæ Parisiorum anno 1547. 17. Kalendas Aprilis.

XXIII. *Joannes Gagnæus*, Theologus Parisiensis, ejusdemque Academiæ Cancellarius, *Francisco* I. Regi Christianissimo a Concionibus & eleemosynis, vir magni ingenii ac pietatis, uti & eruditionis dotibus ornatus, *Commentarios* scripsit *in Novum testamentum*, aliis etiam lucubrationibus clarus.

XXIV. *Hieronymus Oleaster*, Lusitanus Ordinis FF. Prædicatorum, Inquisitor Olysiponensis, a *Joanne* III. Lusitaniæ Rege ad Tridentinam Synodum missus est, anno 1545. magnumque in sacro illo Consessu nomen sibi peperit. Scripsit Commentarium in Pentateuchum juxta *Sanctis Pagnini* Versionem, Hebraicæ linguæ & ipse peritus. Erudito Operi 17. Articulos præfixit ad Sanctarum Scripturarum faciliorem intelligentiam admodum utiles. Hebraismos etiam seu phrases Hebrææ linguæ peculiares observavit. Reliquit præterea *Commentarios in Isaiam* cum *Elucidationibus Moralibus*. Obiit Olysipone anno 1563.

XXV. *Godefridus Tilmannus* Carthusianus Parisiensis, præter aliqua Græcorum Patrum monumenta in Latinam linguam transfusa, edidit *Allegoriarum & Tropologiarum in locos selectos utriusque Testamenti* Librum, ex unius & triginta Auctorum Commentariis defloratum. Florebat anno 1550.

XXVI. *Joannes Ferus*, Germanus, Ordinis Minorum Theologus & Concionator eximius, præter multa concionum volumina, & opuscula varia, Commentarios edidit in Genesim, Exodum, Numeros, Deuteronomium, Libros Josue, Judicum, Job, in Psalmus 31. & 66. in Ecclesiasten, in Esther, in Threnos Jeremiæ, in Jonam, in Matthæum & Joannem, in Acta Apostolorum, Exegesim in Epistolam ad Romanos, & in Epistola 1. S. Joannis. In pleraque *Feri* Opera aliquot errores irrepsere, vel dolo Hæreticorum sunt intrusi. Præter Commentaria in Evangelia *SS. Matthæi & Joannis*, ac in primam ejusdem *S. Joannis* Epistolam, Romæ recognita, & in Ædibus P. R. edita anno 1577. varias passa sunt hæc Opera contradictiones, (inquit *VVadingus*) Sed & *Dominicus Soto*, Ordinis Prędicatorum, edidit Aonotationes in Commentaria hujus Auctoris super *Joannem*, ostendens loca 67. caute legenda esse; cui *Michael de Medina* Minorita, *Dominici* in Synodo Tridentina Collega, edito pro defensione eorumdem locorum Apologetico docte respondit. Obiit *Joannes Ferus* Moguntię anno 1554.

XXVII. *Gerardus Meringus*, Bommelanus, Theologus Lovaniensis, & Sacrarum Literarum Professor, *Commentarium in Ecclesiasten* anno 1533. edidit.

XXVIII. *Isidorus Clarius*, Brixiensis, Fulginas Episcopus, trium linguarum peritus, in Tridentino Concilio Orationes habuit, *Scholia in Cantica Canticorum*, & multa Orationum in utriusque Testamenti insigniores quosque locos Volumina edidit. Versionem etiam Bibliorum adornavit, de qua Regula 3. Indicis librorum prohibitorum *Pii V.* Constitutione confirmata hęc habet: *Ex Bibliis vero Isidori Clari Brixiani Prologus & Prolegomena præcidantur: Ejus vero Textum nemo Textum Vulgatæ Editionis esse existimet*: De qua quidem Versione ita censet *Melchior Canus* lib. 2. *De locis Theologicis*, Cap. 13. *Quo quidem in loco*, inquit, *Isidorus Clarius ferendus non est, cujus emendatio nihil est aliud quam Interpretis veteris reprehensio. Pollicetur enim in Operis fronte Veterem Editionem correctam: postea vero quam pollicitatione hac depellit invidiam novitatis, multa inserit, adjicit quædam, nonnulla mutat, ut lector non aliud possit in locis mutatis intelligere, quam aut Veteris Interpretis errorem, aut veterum Codicum depravationem.*

XXIX. *Seraphinus Cumiranus*, Feltrensis, Ordinis Minorum, scripsit *Conciliationem locorum Sacræ Scripturæ quæ inter se pugnare videantur*: anno 1557.

XXX. *Placidus Parmensis*, Italus, Ordinis Fratrum Prędicatorum, scripsit Commentaria in Psalmos, & in Epistolam S. Pauli ad Romanos. Obiit anno 1558.

XXXI. *Aloysius Lippomanus*, Venetus, Methonensis primum, postea Veronensis Episcopus, vir Grecia ac Latinis Literis insigniter eruditus, apud *Joannem* Lusitanię Regem Apostolica Legatione functus, inter Concilii Tridentini Patres celebris, pręter Tomos VIII. *de Vitis Sanctorum*, & *Sermones de Sanctis*, *Constitutiones Synodales*, & *Confirmationem Dogmatum omnium Catholicorum* Italice scriptam, *Catenas in Genesim*, *in Exodum & in Psalmos* ex Græcis & Latinis Auctoribus miro ordine contexuit, suis etiam Annotationibus insertis. Obiit anno 1559. De quo *Sixtus* noster *Senensis* Lib. IV. Bibliothecę Sanctę, *Possevinus* in Apparatu, *Miræus* in Bibliotheca Ecclesiastica, legendi.

XXXII. *Felix Pratensis*, Etruscus, genere Hebręus, ex Rabino Augustinianus Eremita, *Psalterium*, secundum veritatem Hebraicam transtulit, *Leoni* X. obtulit. Libri etiam *Job* Versionem adornavit, obiitque Romę prope centenarius anno 1559.

XXXIII. *Basilius Zanchius*, Congregationis Lateranensis Canonicus Regularis, Vaticanę Bibliothecæ Custos, Annotationes in omnes Scripturę Sacrę Libros ex SS. Patribus defloravit, & *Antonio Augustino* Tarraconensi Archiepiscopo inscripsit. Quęstiones etiam in 4. Libros *Regum*, & duos *Paralipomenon*, ex *Theodoreti* potissimum Scriptis decerpsit, & in Latinam linguam transtulit. Obiit Romę anno circiter 1560.

XXXIV. *Jacobus Naclantus*, Florentinus, Clodiensis Episcopus, ex Ordine FF. Prędicatorum assumptus, unus e Concilii Tridentini Patribus, Enarrationes in Epistolas *S. Pauli ad Romanos & ad Ephesios* cum Digressionibus, item *Sacræ Scripturæ Medullam* edidit seu *Arcanorum Christi, quibus singulæ mundi locupletatæ sunt ætates. Discussionem*, Variosque Tractatus Theologicos & Philosophicos, quę omnia in unum Volumen collecta *Pio V.* Sanctissimo Pontifici dicavit.

XXXV. *Joannes Benedictus*, Theologus Parisiensis, edidit *Concordantias utriusque Testamenti*, item *Biblia cum Scholiis* eruditis. Florebat anno 1552.

XXXVI. *Cyprianus* Cisterciensis Ordinis Monachus, *Phœnix Hispaniæ* appellatus, Hebraicę, Chaldaicę, Græcæ, Latinæque Linguarum peritus, Sacrarum literarum in Academia Complutensi Professor, *Commentarios* in Job, Isaiam, Jeremiam, Naum, SS. Matthæi & Joannis Evangelia, & Apocalypsim: tres præterea Libros in Cantica Salomonis, deque Mundi Opificio edidit. Obiit anno 1560.

XXXVII. *Hieronymus Seripandus*, Trojæ, quod est Apuliæ oppidum, oriundus, Ordinis Eremitarum *S. Augustini* Professor ac Prior Generalis, *Caroli V.* Imperatoris nominatione ad Salernitanum Archiepiscopatum promotus, ob navatam Ecclesiæ operam in Concilio Tridentino sub *Paulo* III. cum adhuc Supremus Ordinis sui Moderator esset, ob eximiam eruditionem cum singulari prudentiæ pietatisque laude conjunctam, ob defensionem Fidei contra Lutheranam hæresim, a *Pio* VI. Pontifice Maximo Cardinalitiis Infulis ornatus, & ad Tridentinam Synodum cum Legati ac Præsidis auctoritate missus est, ubi magnam gravissimorum Ecclesiæ negotiorum molem summa cum laude sustinuit. Præter *Quæstiones adversus hæreses*, Libros tres *de hominis Justificatione*, Conciones, & alia Opera, Commentarios doctissimus edidit in omnes *S. Pauli*, & in septem Canonicas Epistolas. Obiit Tridenti 16. Kalendas Aprilis, anno 1563. ætatis 70. inde Neapolim translatus apud Eremitas Augustinianos, sepultus est cum hac sepulchrali Inscriptione:

Si quis bonos tumuli, quantum Sol lampade lustrat
Terrarum Cæliqua, tuum est, Seripande, Sepulchrum.

XXXVIII. *Cosmas Damianus Hortolanus*, Perpinianensis, Abbas *Villæ Bertrandi*, ad Tridentinum Concilium a *Philippo* II. Rege Catholico missus, in Sacro illo Christiani orbis Cœtu, & postea edita Paraphasi & Commentario in *Cantica Canticorum*, eximiæ doctrinæ specimen dedit. Obiit anno 1565.

XXXIX. *Sixtus Senensis*, Ordinis Prædicatorum Theologus & Concionator eximius, Hebraice, Græce, Latineque doctus, in Sacris Literis multum versatus, de iisdem ac de tota Ecclesia bene meritus

est, edidis octo *Bibliothecæ Sanctæ* Libris. Item, Libro *De usu Concordantiarum Sacræ Bibliæ*: altaro Libro *Astronomicarum Quæstionum*, uno *Geographicarum*, uno atiam *Phisicarum in varios Divinæ Scripturæ locos*: Libro insuper *Problomaticarum Epistolarum* in loca selecta Scripturæ Sacræ: Item, in 4. Proverbiorum, Ecclesiastis, Sapientiæ, & Ecclesiastici Voluonina *Sophias Monotessaron*, id est, *Sapientiæ unius ex quatuor* Libro uno: in Epistolam ad Romanos *Scholastici compendii*, Libro uno: *Scholasticis* in eamdem Epistolam *Quæstionibus*, plurimisque Homiliarum Voluminibus. Quæ omnia anno ætatis 46. Christi 1566. absolverat, ot ipse testatur Libro 4. *Bibliothecæ Sanctæ*, pag. 300. Quosdam Sixtinæ Bibliothecæ nævos annotavit *Possevinus* in *Apparatu Sacro*. Tantum Virum *Pio V.* debet Prædicatorum Ordo, immo Ecclesia Catbolica, ut ipsemet *Sixtus* in Epistola nuncupatoria Bibliothecæ suæ, Sanctissimum illum Pontificem compellans, profitetus: „ Existimans, „ *inquit*, nulli magis convenire Bibliothecam Sanctam „ dedicari, quam Tibi Sanctissimo Christianæ Biblio„ thecæ Reparatori, atque a me unu præsertim, quem „ Tu olim ab inferis revocatum, & errorum tenebris „ erutum, sinceræ veritatis lumine illustrasti, & ad „ sublimioris Disciplinæ observantiam perductum, ha„ bitu sanctæ professionis tuæ, tuis ipse vestibus, tuis „ ipse manibus induisti, & in filium tuo renatum spi„ ritu adoptasti: Meque in hoc sacro Prædicatorum „ Ordine ita benignitate ac liberalitate tua semper in „ hanc usque diem fovisti, ut nulli magis in terris „ debeam, quam Tibi „. Obiit Lugduni 9. Kalendas Septembris, anno 1541. in nostro Prædicatorum Conventu, ubi in medio Choro sepultus est.

XL. *Claudius Espencæus*, Doctor Theologus Parisiensis, vir nobilissimus, doctissimus, facundissimus, a Christianissimis Regibus *Francisco* I. Melodunum, *Henrico* II. Bononiam & Tridentum, *Francisco* II. Aureliam, *Carolo* IX. Poissiacum, Religionis componendæ ordinandæque nomine Legatus, cum de re Christiana doctissime disceptasset, *Bezam* cæterosque Calvinianæ Sectæ Ministros in Poissiacensi Colloquio confutasset, Libris quinque *De Eucharistia & ejus Adoratione*, seu Libris *De Continentia*; *Apologia* adversus *Ministros Hæreticos*; Tractatu Gallico *De Verbi Dei efficacia in Ministerio & usu Sacramentorum Ecclesiæ*, parvo item Tractatu *De Missa publica & privata*, Calvinistarum errores profligasset, *Commentarium in Epistolas S. Pauli ad Titum & Timotheum*, cum tribus *Digressionum* Libris adornasset; Conciones Lingua vernacula edidisset, aliosque utiles Tractatus, obiit die 5. Octobris anno 1571. ætatis 60. & in Ecclesia Parochiali SS. *Cosmæ & Damiani*, quam olim rexerat, sepultus est, ac Epitaphio decoratus.

XLI. *Petrus Serranus*, Cordubensis, Doctor Theologus & Canonicus Complutensis, Commentaria in *Leviticum*, *Ezechielem*, & *Apocalypsim* edidit. Florebat anno 1572. Iisdem temporibus claruit *Paulus Palacius* Granatensis, Theologus Conimbricensis, & Concionator egregius, Commentariis in 12. Prophetas Minores, & in Evangelium S. Matthæi, nec-non Catena Patrum in eumdem Evangelistam editis, nomen inter Ecclesiasticos Auctores promeritus.

XLII. *Andreas Masius*, vir Latine, Græce, Hebraice, Syriace doctissimus, & in Sacris Literis non mediocriter eruditus, cum *Benedicto Aria Montano* ad Regiam Bibliorum Editionem adornandam a *Philippo* II. Rege Catholico adhibitus est. Præter *Disputationem de Cœna Domini* adversus Calvinistas eruditum in *Josue* Commentarium edidit. Obiit vir doctus & probus Zevenetæ in Clivia die 7. Aprilis anno 1573.

XLIII. *Cornelius Mussus*, Placentinus, Bituntinus Episcopus, ea Ordine FF. Minorum assumptus, vitæ innocentia, doctrina, & sacra eloquentia insignis, magnam sui admirationem in Tridentina Synodo axcitavit, cum Oratione ad Patres habita, tum doctrina de Justificatione explicata, & in ordinem redacta. Præter Conciones in Symbolum Apostolicum coram *Paulo* III. Pontifice Max. habitas, *Bituntinam Synodum*, & Homilias Latinas *de Modo visitandi*, quinque Libros scsipsit *de Historia Divina*, & Commentarium in omnes *S. Pauli* Epistolas, necnon io Decalogum, Obiit Romæ 5. Idus Januarii anno 1574. De ipso consule *VVadingum* in Bibliotheca.

XLIV. *Flaminius Nobilius*, Lucensis, vir Græce, Latineque doctissimus, præter alia Opera, egregiam in Versione Latina & Editione LXX. Interpretum, una cum *Antonio* Cardinali *Carafa* navavit operam, Scholiisque eruditis eam illustravit, quæ Romæ *Sixti V.* Pontificis Maximi auctoritate in lucem prodiit.

XLV. *Felicianus Capitonus*, Narniensis, Italus, Avenionensis Archiepiscopus, ex Ordine Servorum *B. Mariæ* assumptus, edidit *Promptuarium Sacrum* explicationes continens præcipuorum locorum utriusque Testamenti, quibus Hæretici abutuntur. Librum etiam edidit *de Jubilæo*. Obiit anno 1576.

XLVI. *Didacus Stella*, Ordinis Minorum, Concionator egregius, præter Libros tres *de Vanitate Mundi*, *Meditationes de Amore Dei*, & Rhetoricam Ecclesiasticam, *Commentarios* edidit in Evangelium *S. Lucæ*; & in Psal. 136. Theologi Hispani multa in utroque Volumine expungenda censuerunt. Index Romanus eas editiones prohiboit, quæ ante annum 1571. prodiere, us monet *Wadingus*. Ipsum obiisse Episcopum, nescio unde *Miræus* habuerit, cum *VVadingus* taceat.

XLVII. *Joannes Mercerus*, Ucetica civitate in Septimania natus, Hebraicæ Linguæ Lutetiæ Parisiorum Professor, Commentariis in *Genesim*, in *Job*, in *Salomonem*, & sex *Minores Prophetas* priores editis clarus, obiit in natalis solo anno 1570.

XLVIII. *Leo Castrius* Hispanus, In Academia Salmanticensi Doctor Theologus, scripsit Commentarios in *Isaiam*, & *Oseam* Prophetas & *Apologeticum pro Vulgata & LXX. Interpretum Versione*. Obiit an. 1586.

XLIX. *Franciscus Ribera*, Hispanus, Societatis Jesu, vir Græcæ ac Hebraicæ linguarum peritissimus, præter *Vitam S. Theresiæ*, scripsit insignes Commentarios in XII. Prophetas Minores, in Epistolam *S. Pauli* ad Hebræos, & in Apocalypsim, nec-non Libros V. *De templo Salomonis*. Obiit Salmanticæ, anno 1591. ætatis 57.

L. *Hieronymus Pradas* Hispanus, Societatis Jesu, in Academia Cordubensi Sacrarum Literarum Professor priora sex & viginti Capita *Ezechielis* Prophetæ erudito Commentario illustravit: Reliqua *Joannes Baptista Villalpandus*, ejusdem piissimæ Societatis Theologus explanavit, ea maxime quæ Urbis ac Templi Hierosolymitani spectant apparatum. Obiit *Pradus* die 13. Januarii, anno 1595. ætatis 48.

LI. *Franciscus Toletus*, Cordubensis, Societatis Jesu Theologus doctissimus, ac verbi Dei prædicator eximius, Concionatoris Apostolici munus sub *Pio V.* & seu aliis ordine succedentibus Pontificibus, incredibili cum applausu, fructuque implevit. Cardinali *Commendono* in Germanica & Polonica Legatione Socius a Sancto Pontifice *Pio V.* adjunctus est. A *Gregorio* XIII. missus in Belgium, *Michaelem Baium* veritati, Sedisque Apostolicæ Judicio, doctrinæ suæ vi, argumentorum pondere, & sermonis efficacia subjecit. A *Clemente* VIII. in Collegium Cardinalium cooptatus, celeberrimam Societatem Sacræ Purpuræ honore primus ornavit. Vitæ sanctimoniam cum eximia eruditione, consilium & prudentiam in rebus agendis singularem cum religiosa simplicitate, magnanimitatem cum humilitate Christiana conjunxit. Præter Philosophicas Lucubrationes, & *Summam Casuum Conscientiæ*, seu *Instructionem Sacerdotum* quam *S. Franciscus Salesius* Epistola 34. Libri 1. ceu *brevem*, *facilem*, *ac tutam* commendat, scripsit eruditos Commentarios in Evangelium *S. Joannis*, in priora duodecim Capita Evangelii *S. Lucæ*, in Epistolam ad Romanos & Sermones 15. in Psalmum XXXI. Obiit die 14. Septembris, anno 1596. ætatis 63. *Henricus Magnus* triumphantis memoriæ Rex Christianissimus, ipsi Parisiis in Ecclesia Principe solemni ritu parentari jussit, quod de sua Majestate, adeoque de Gallia universa, in negotio Absolutionis ipsius a Summo Pontifice impetrandæ, præclare meritus esset.

LII. *Joannes Ferdinandus*, Toletanus, Societatis Jesu Theologus, Sacrarum Literarum Professor *Thesaurum Divinarum Scripturarum juxta Patrum Sententias*, posteris reliquit, in quo difficiliora Bibliorum loca ordine Alphabetico explicantur. Valentiæ in Hispania piissime obiit anno 1595.

LIII. *Emmanuel Sa*, Lusitanus, inter insignes Societatis Jesu Theologos celebris, Sacras Literas Romæ cum laude interpretatus, Concionatorisque Pontificii munere gloriose perfunctus, præter *Aphorismos Casuum Conscientiæ*, scripsit *Annotationes in totam Scripturam Sacram*, & *Scholia in IV. Evangelia*, brevitate grata, sed eruditione cumulata. Obiit in Domo Aronensi ejusdem Societatis, in Diœcesi Mediolanensi, anno exeunte 1596. septuagenario major.

LIV. *Aloysius Legionensis*, Ordinis *Eremitarum S. Augustini* Doctor Theologus, Sacrarum Literarum in Academia Salmanticensi, publicus Interpres, præter *Quæstiones Theologicas*, & Tres Libros *de Nominibus* Chri-

Christi, Librum scripsit *de utriusque Agni typici & veri immolationis tempore*: & Commentarium egregium in Cantica Canticorum; quorum in explanatione hunc Auctorem cæteris recentioris ætatis antecellere *M. Delrio* prædicat. Obiit 23. Augusti, anno 1591.

LV. *Alphonsus Salmeron*, patria Toletanus Societatis Jesu Professor, unus ex decem primis *S. Ignatii* Sociis, Theologus & Concionator eximius, in superiorem & inferiorem Germaniam, Poloniam item & Galliam a Summis Pontificibus ob gravissima negotia missus; in Hibernia etiam Nuntii Apostolici munere perfunctus est. Tridentinæ Synodo interfuit ut *Pii* IV. Theologus, Orationemque habuit ad Patres de *S. Joanne Evangelista*, qua omnium rapuit admirationem. *Novum Testamentum* sexdecim Tomis elucidavit de quibus lege *Possevinum* in Apparatu Sacro, & *P. Alegambe* in Bibliotheca Societatis Jesu. Obiit Præpositus Provincialis in Collegio Neapolitano, anno 1585. paucis mensibus septuagenario minor.

LVI. *Benedictus Arias Montanus*, Hispalensis, Doctor Theologus, omnium pene gentium linguis atque literis excultus, a *Philippo Secundo* Rege Catholico in Aulam vocatus, & in Ordinem Militiæ *S. Jacobi* cooptatus est, mox Antuerpiam missus, Regiam Sacrorum Bibliorum Editionem ascito in Societatem *Andrea Masio* adornavit magno Ecclesiæ & Reipublicæ literariæ commodo. Quinque porro linguis Biblia Regia edita sunt, Hebraica, Chaldaica, Græca, Syriaca, ac Latina, ac Tomis VIII. comprehensa. Scripsit præterea *Apparatum ad Sacra Biblia*, multis Libris constantem, quos *Possevinus* enumerat; quod quidem Opus totius eruditionis Biblicæ promptuarium non immerito dixerim. Edidit insuper Commentarios in Libros *Josue*, & *Judicum*, in 12. Minores Prophetas, in *Isaiam* Prophetam, in 4. Evangelia, & in Acta Apostolorum, &c. A carnium esu perpetuo sibi temperavit, secessum dilexit magis quam publicum. Cathedram Salmanticensis Academiæ, quæ ipsum ad Sacræ Scripturæ explicationem honorificentissime vocaverat, nec-non Summam Equestris Militiæ *S. Jacobi* Præfecturam, modeste recusavit homo ab omni fastu & ambitione alienus. Obiit anno 1598. pene octogenarius.

LVII. *Blasius Viegas*, Lusitanus, Societatis Jesu Presbyter, Sacrarum Literarum in Academia Eborensi Professor, Commentariis Exegeticis *Apocalypsim* illustravit. Vivere desiit Eboræ anno 1599.

LVIII. *Cyprianus Suarez*, Hispanus, ex Ocaniæ oppido, Toletanæ Diœcesis, multæ ac variæ vir eruditionis, Commentarios in Psalmos *Davidis*, & in Cantica Canticorum, ad posteros transmisit. Obiit anno 1593.

LIX. *Ludovicus Soto Major*, Lusitanus Ordinis FF. Prædicatorum, Sacrarum Literarum in Academia Conimbricensi Professor, vir doctrina, pietate, mansuetudine insignis, Commentaria egregia in *Cantica Canticorum* edidit anno 1599. aliaque reliquit ab *Antonio Senensi* recensita.

SCHOLION.

Hunc Articulum num. 51. pag. 901. & 205. Editionis primæ hac nota perstringunt Religiosi Censores. *Vide quæ dicit de Universitate Parisiensi literis majusculis*.

R. Quæ majusculis characteribus de Sacra Facultate Parisiensi edita leguntur locis in Indicolo Censorio notatis, verba sunt Erasmi. An Sacræ Facultatis Parisiensis commendatio Religiosis Censoribus displicet?

ARTICULUS II.

De Theologis XVI. Sæculi.

Decimum sextum nominis Christiani Sæculum eruditione sua collustrarunt insignes Theologi, quorum nomina in hac Historiæ Ecclesiasticæ parte silentio præterire nefas.

I. *Hadrianus*, Doctor Lovaniensis, *Caroli V.* deinde Imperatoris præceptor, ex Dertusano Episcopo Cardinalis, ac tandem Pontifex hujus nominis *Sextus*, Quæstiones Quodlibeticas 12. & Commentarios in Librum 4. Sententiarum edidit, Romanis Typis, cum in *S. Petri* Cathedra sederet, eo approbante iterum excusos apud *Marcellum* anno 1522. curante F. *Minitio Calvo* Novocomensi, qui de Editione illa sua hunc in modum scripsit ad *Joannem Rufum* Consentinum Archiepiscopum: „Ubi mentio incidisset de præclarissimis Sæculi nostri Viris, præsertim iis quibuscum „tibi in Hispaniis agenti consuetudo & benevolentia „intercessissent, Hadrianum tunc Dertusensem Cardinalem qui pro Cæsare in Hispaniis moderabatur, „abs te cumprimis celebratum, innumerisque laudibus ornatum fuisse, memoria repeto; quippe qui, „si literas inspiceres summus esset Theologus: eximius Philosophus & maximus Cæsarei Pontificiique „Juris Consultus, si virtutes animi, quæ pluris „etiam quam doctrinæ omnes æstimandæ sunt, ita „in eo excellerent omnes, ut quænam magis emineret, haud facile dignosci posset. Quæ quidem „etsi pro tui testimonii gravitate vera proculdubio credebantur, verissima tamen fuisse illud comprobavit, „quod defuncto Leone X. Pontifice Maximo Hadrianus ipse Christianæ Reipublicæ Princeps designatus „est. Idque divino potius quam humano consilio „evenisse, unius omnium est consensus; cum is longissime gentium absens, nihil minus cogitans, tot „amplissimorum Patrum communi judicio & suffragio „in summo rerum fastigio collocatus sit. Quare cum „tam illustris & divini Viri præclara ornamenta ex „verbis tuis jam cœpissem admirari, & cum deinde „orbi Christiano divinitus præfectum viderem, operæ „pretium facere mihi visus sum, si quantulacumque „Industria mea est, elegantissimis typis accuratiusque „scribenda curarem ejus monumenta, quæ dum in „minoribus (ut ajunt) existens Lovanii, Sacræ „Theologiæ studia magna cum laude profiteretur, „elucubravit, propterea quod Gallicam Editionem „plurimis mendis scatere non ignorarem. Atque huic „rei mea sponte jam satis incumbebam, quando „Protonotarii Apostolici duo Guillelmus Enchuort „summa fide, prudentia, forensisque gloriæ præstantia celeberrimus, & Franciscus Cheregatus, vir & „facundia & Juris utriusque peritia clarus ambo Hadriani ipsius studiosissimi, ad id me plurimum adhortati sunt, ea potissimum ratione, ut Roma, „universa Italia, & literati denique Christiani omnes, „Sanctissimi Pontificis saluberrima doctrina facilius „erudirentur; eruditi autem pro tam immortali a „Deo Optimo Maximo in genus humanum demisso „cœlitus beneficio sibi gauderent & congratularentur: Ipsiusque beneficii Auctori gratias perpetuo „agerent, quam maximas possent. Quo namque „liberaliori dono populum suum Deus afficere potuit, „quam cum illi eum Pontificem constituit, qui Christianæ pietatis opera Christi ipsius exemplo prius „facere, deinde docere exactissime sciat, & possit? „Cui autem Sacrosancta Ecclesiæ Mysteria committi „potuerunt, qui ea sanctius tractaret? Cui Ecclesiasticæ Dignitates, & majora minoraque Sacerdotia, „qui justius & fidelius eorum curam demandaret? „Cui denique justitia æquius cunctis administranda „& summa Reipublicæ melius gubernanda, quam „ei qui Sacramentorum dignitatem & majestatem ex „divinis Literis ad amussim noverit; qui Sacerdotiorum institutionem, ad eaque pertinentia ex Sacris „Canonum & Theologiæ auctoribus plenissime didicerit? Qui de his doctissime scripserit? Quique per „omnem ejus anteactam vitam, omnes virtutes adeo „constanter excoluerit, ut cum eo natæ & adultæ „sint, ei perpetuæ comites futuræ„? De iisdem Scriptis *Hieronymus Delius Alexandrinus*, in Epigrammate quo ipsa, Auctoremque prædicat ..... *Nemo etsi scripserit hactenus, essent*

Christi ad tutandam sat tua scripta Fidem.

Petrus Cursius Epigrammate in eosdem *Hadriani* Libros:

Magnum opus, Adriane est, fateor, tam scribere sancte.
Sic tamen, ut scribis, vivere majus opus.

P. Franciscus Centelles alio Epigrammate:

Jura Deum, Ritusque patrum, Sanctissime Pastor,
Debent & Scriptis Numina cuncta tuis.

II. *Thomas de Vio*, patria *Cajetanus*, unde illi nomen adhæsit, Ordinis FF. Prædicatorum ornamentum, vir sanctimonia, doctrinaque eximius, annum agens ætatis vigesimum-secundum Ferrariæ, dum nostri Ordinis Fratres Generalia Comitia haberent, cum *Pico Mirandulano* in solemni Disputatione congressus, Serenissimo Ferrariæ Duce, totoque Ferrariensium Senatu spectantibus, plaudentibusque, rogante ipso Mirandulæ Comite, Laurea Doctorali a Magistro Ordinis publice donatus est. Annum ætatis agens trigesimum-octavum in Supremum totius Ordinis Moderatorem electus, cum decem annos eam Præfecturam sanctissime prudentissime-

tissimeque gessisset, instaurata Regulari Disciplina, Conventosque Pisani sub *Julio Secundo* tempestate Pontificiam Auctoritatem Scriptis vindicare visus esset, a *Leone Decimo* in Sacrum Collegium cooptatus est anno 1517. Titolo Sancti *Sixti*. Ab eodem Pontifice in Germaniam Legatus, *Lutherum* ab errore revocare frustra tentavit. Romam redux, a *Carolo V.* Cajetanus Episcopus nominatus est, a *Leone X.* Panormitanus Archiepiscopus designatus, sed Regio Siciliæ Senatu repugnante, quod Nominationem ad illum Archiepiscopatum Juris esse Regii contenderet, numquam illius Ecclesiæ administrationem suscepit. Eruditos Commentarios reliquit in Pentateuchum Moysis, in Libros Historiales & Sapientiales Bibliorum, in Psalterium, in tria priora Isaiæ capita, & totum Novum Testamentum, excepta Apocalypsi; in Summam universam Sancti Thomæ; Opuscula de Fide & Operibus, Indulgentiis, & aliis quæstionibus controversis contra *Lutherum*; Tractatum de Potestate Papæ, & Concilii, ab Academia Parisiensi & Ecclesia Gallicana non probatum, a *Jacobo Almaino* Theologo Parisiensi fortiter impugnatum: Summulam de peccatis, aliaque Opuscula Moralia edidit. In Theologicis & Moralibus felicius quam in Sacræ Scripturæ interpretatione versatus est. Veteris Testamenti Versionem ex Hebræo Textu novam adornare tentavit, Hebraicæ linguæ plane rudis, ope Judæorum, quorum alter Christo nomen dederat, & quatuor Versionum recentiorum: at laudem labori parem haud promeritus est. De quo *Melchior Canus* Lib. 2. De Locis Theologicis, cap. 13. scribit: *Cajetani lectionem & textum, cum in aliis Libris, tum maxime in Davidicis Psalmis, usque adeo a nostra discrepare, ut vix possis agnoscere an idem Liber Sacer, an alius sit*. Tum subdit: Quid Hieronymus? „Psalmosne ad verbum translatos pateretur, qui in „Libro *De Ratione Interpretandi*, Horatianam præ„ceptum illud: *Nec verbum verbo curabit reddere fi„dus Interpres*, etiam in Sacris Literis interpretan„dis magnopere commendat? Quid quod *Cicero* in „Libro 3. *De Finibus* ais, verbum e verbo expri„mere indisertos interpretes solere? *Fallitur ergo præ cæteris Cajetanus, qui hujus præcepti immemor, Psalmorum Versionem dum fidam voluit reddere, reddidit ad Ecclesiæ quidem usum prorsus inutilem*. Temperare mihi non possum, quin ejusdem *Cani* de *Cajetano* Judicium Lib. 8. *De Locis Theologicis* Cap. 3. referam. *Ego*, inquit, *Virum hunc, ut sæpe alias locutus sum, semper feci maxime. Plurimum enim Ecclesiam Christi suis literis juvit. Longum est autem hominis commendare sive eruditionem, sive ingenium: molestum etiam universa ipsius Opera commemorare. Illud breviter dici potest: Cajetanum summis ædificationibus Ecclesiæ parem esse potuisse, nisi quibusdam erroribus doctrinam suam, quasi cujusdam lepræ admixtione fædasset, & vel curiositatis libidine affectus, vel certe ingenii dexteritate confisus. Literas demum Sacras suo arbitratu exposuisset, felicissime quidem fere, sed in paucis quibusdam locis acutius sane multo quam felicius. Nam & vetustæ Traditionis parum tenax, & in Sanctorum lectione parum quoque versatus, Libri signati mysteria ab his noluit discere, qui non suo sensu illa, sed Majorum Traditione, vera scilicet verbi Dei clave aperuerunt. Ita cum plurima scripsisset egregie, vertit ad extremum omnia, & novis quibusdam Scripturæ expositionibus, aliorum, quæ vel gravissime ducerat, aut elevavit, aut imminuit certe auctoritatem*.

Melchioris Cani judicium de Cajetani Commentariis in Scripturam Sacram.

Annotationes in nova *Cajetani* dogmata, erroresque ex illius in Scripturam Sacram Commentariis excerptos, edidit *Ambrosius Catharinus Politus*, ejusdem Ordinis, postea Minorensis Episcopus, ac demum Compsanus Archipræsul, Opusque dicavit *F. Joanni de Fenario* Supremo ejusdem Instituti Moderatori ac Magistro. Quod quidem Opus Sacra Facultas Parisiensis per Deputatos approbavit, & Doctores Clarissimi ex eadem Prædicatorum familia, & Sacra Facultate Parisiensi laudarunt, scilicet *Thomas Laurentii*, *Joannes Benedicti*, & *Stephanus Paris* Aurelianensis, qui nihil facientes, quod quibusdam videri posset, nonnullam Ordini nostro notam inuri, quod Cardinalis doctissimi ex Ordine assumpti doctrina nigro calculo notaretur, sanctius duxerunt, utroque (quod dicitur) existente amico, præhonorare veritatem, in cujus gratiam, ut præclare admonuit Philosophos, etiam propria, si illa exigat, sunt destruenda. Et laudatus Ordinis totius Dominicani Magister, cum ea de re Romæ cum ipso colloqueretur. *Catharinus*, in hæc verba prorupit: *Contestabor & ego Summo Pontifici, faciamque ut plane intelligat hanc doctrinam nostri Ordinis non esse*. Ita *Catharinus* ipse refert in Præfatione Operis. *Cajetanum* inter Hæreticos inconsiderate recensent *Alphonsus a Castro* Libro 2. adversus Hæreses, & *Prateolus* Lib. 18. Cap. 20. eum nova illa dogmata *pertinaci Animositate* non defenderit, ut *S. Augustini* verbis utar, sed corrigere paratus fuerit si inveniret veritatem, Scriptaque sua Ecclesiæ Judicio subjecerit, cui utilem alioqui navavit operam. Unde *Clemens VII.* Pontifex Maximus hostilibus copiis Urbem deprædantibus, & *Cajetanum* Cardinalem indigne tractantibus, dixisse fertur: *Cavete ne extinguatis Lumen Ecclesiæ*. Obiit doctissimus Cardinalis die 9. Septembris, anno Christi 1534. ætatis 66. inchoato, & in vestibolo Basilicæ *Sanctæ Mariæ super Minervam*, humili sepulchro, ut optaverat, conditus est. Vitam ejus scripsit *Antonius Fonseca* Lusitanus. Defuncto Funebri Oratione coram Sacro Senatu parentavit, ejusque laudes Carmine celebravit *Joannes Baptista Flavius*, qui ipsi a Secretis fuerat.

Ambrosii Catharini Annotationes in Cajetanum.

Alphonsi a Castro & Prateoli severior in Cajetanum Censura.

III. *Joannes Fischerus*, Roffensis in Anglia Episcopus, a *Paulo III.* S. R. E. Cardinalis designatus, Fidem quam eruditis Lucubrationibus contra *Lutherum* defenderat, sanguine confirmavit. Nam ab *Henrico VIII.* Angliæ Rege, quod nefario ejus divortio subscribere nollet, ipsumque tamquam Supremum Anglicanæ Ecclesiæ Caput agnoscere, in vincula conjectus, capitis obtruncatione martyrii palmam consecutus est anno 1535. die 5. Julii. Cum a longe theatrum, in quo martyrium consummaturus erat, conspexisset, abjecto, quo pene decrepitus senex nitebatur, baculo: *Eia* (inquit) *pedes, officium facite, parum itineris jam restat*: Constitutos autem in loco Passionis, cum Canticum *Te Deum laudamus*, elevatis in Cœlum oculis absolvisset, cervicem intrepide securi subjecit. De illius Vita & Operibus lege *Sanderum* lib. *De Schismate Anglicano*.

IV. *Joannes Driedo*, Turnhautano in Municipio apud Brabantos natus, Lovaniensis Academiæ Doctor Theologus, Libris, *De Gratia & Libero Arbitrio, hujusque cum divina Prædestinatione concordia*; *De Captivitate, humanique generis Redemptione*: *De Ecclesiasticis Scripturis & Dogmatibus* Lutheranos errores impugnavit. Obiit Parochialis Ecclesiæ *S. Jacobi* apud Lovanienses Rector anno 1535. ibidemque sepultus est.

V. *Joannes Major*, natione Scotus, patria Hadingtonensis, Theologus Parisiensis, scripsit *Commentaria in IV. Libros Magistri Sententiarum, & in IV. Evangelia*. Ad calcem Operum *Gersonis* editæ sunt Disputationes *De Ecclesiæ Monarchia, de Episcoporum & Parochorum, nec non Concilii Auctoritate*, ex ejus Commentariis in *Matthæum*, cap. 18. excerptæ. Scripsit & *Historiam majoris Britanniæ* in sex Libros tributam, in qua magnæ incuriæ, multorumque errorum arguitur. Obiit in patria post annum 1528.

VI. *Cyprianus Beneтus*, Aragonius, Ordinis FF. Prædicatorum Professor, sub *Julio II.* & *Leone X.* scripsit eruditos Tractatus *de Prima Orbis Sede, de Concilio, de Ecclesiastica Potestate. De Pontificis Maximi Potestate*, annis 1512. & 1513. Romæ.

VII. *Albertus Pius* Carporum in Italia Princeps, Legationibus ad *Julium II. Leonem X.* & *Clementem Septimum* doctrinaque singulari conspicuus, *Lutherum* & *Erasmum* Scriptis lacessivit. Obiit Lutetiæ Parisiorum anno 1535.

VIII. *Joannes Faber*, Germanus, Episcopus Viennensis, ex Ordine FF. Prædicatorum assumptus, teste *Henrico Pantaleone* coævo Auctore in Prosopographia, non ex Ordine FF. Minorum, cujus inter Scriptores illum inconsulto recenset *Wadingus* in Bibliotheca sua, plura scripsit erudite in rem Ecclesiæ Catholicæ adversus Lutheranos, Zuinglianos, Anabaptistas, & Calvinistas; scilicet *Disputationes adversus Baltazarem Pacimontanum* Anabaptistarum ejus ætatis antesignanum: *Malleum Hæreticorum*, quam Hadriano *VI.* obtulit: *Propugnaculum Ecclesiæ adversus Lutherum*; *De Missæ Sacrificio*; *De Fide & Operibus*; *Pro Imaginibus Sanctorum*: *De Potestate Papæ*; *De Sacrosancta Eucharistia*; *De Invocatione perpetuæ & immaculatæ Virginis Matris Dei, & aliorum Sanctorum, contra Oecolampadium*; *De Zuinglii tyrannide, parique sacrilegio, Catholicam Orthodoxæ Fidei Defensionem*, item Librum *de miseria vitæ humanæ & de contemptu Mundi*. Ipsum celebrat *Georgius Crugerius* Societatis Jesu Presbyter, in Libro quem inscripsit, *Pulveres sacri Bohemiæ*, ubi sequens eruditi istius Præsulis Elogium refert ex *Nicolao Avancino* ejusdem Societatis Professore. „*Fuit Joannes Faber*

Joannis Fabri Viennensis Episcopi Opera.

Joannis Fabri Elogium.

„ ber Ordinis Prædicatorum illustre ornamentum. Hic cum candida suscepta veste, virtutis, & cœli factus est candidatus; vir non minus eruditione ac sapientia instructus, quam vitæ integritata spectandus: somni modicus, quidquid detrahebat quieti temporaneæ, reservabat æternæ. In sapientiæ lucem intentus, multas noctes illuminavit. Animi supra ejus sæculi sapientes eruditio, supra illecabras eminens magnitudo, supra minas & terrores constantia, supra fortunam virtus, latere volentem extraxerunt in lucam. Cum elegisset amplissimum virtutis theatrum conscientiam, ipse sibi Consul & Civis ac tota Respablica, per Ferdinandum I. Imperatorem vocatus est ad Aulæ splendores, adlectus conscientiæ Cæsareæ Arbiter, Aulæ vetusta probra extinait; cum eam fecit virtutem magistram. Nulli placere studens, nulli displicuit: nulli displicere volens, omnibus placuit. Virtutis ac sapientiæ suffragio, Episcopus Viennensis ereatur. Ingenium, stylum, linguam in Hæreticos acuit: sæpe cum eis conflixit publice, semper vicit. Per ea prælia sibi famam & gloriam comparavit, Ecclesiæ manipulos dedit. Demum non angustam inhabitationem studiorum Universitati Viennensi consignavit. Cum plurimum vigilasset, exploravit qua hora Dominus venturus esset, mortuus anno superioris sæculi 41. famam ultra sæculum propagavit. Arcta fuit *Joanni Fabro* cum *Erasmo* necessitudo, quam mutuis uterque fovebat Epistolis, quarum plures inter *Erasmi* Epistolas editæ sunt.

1541.

Alter Joannes Faber Augustanus.

Alter a *Joanne Fabro* Viennensi Episcopo fuit ejusdem nominis, & Ordinis pariter Dominicani vir eruditissimus, quem Augustanum *Erasmus* vocat, *Maximiliani* Cæsaris Domesticus Capellanus, & Ecclesiastes, cujus in exequiis, VVelsæ Austriæ oppido ritu solemni celebratis funebrem Orationem habuit, quæ Tomo II. Scriptorum Rerum Germanicarum a *Marquardo Frebero* edita est. Hunc etiam *Fabrum* plurimum commendat *Erasmus* Epistola Lovanii data 4. Nonas Octobris 1510. Mercurio Gallinsrio *Caroli V.* Romanorum & Hispaniarum Regis Cancellario; in altera Epistola ad *Albertum Brandeburgicum* S. R. E. Cardinalem & Archiepiscopum Electorem Moguntinum, Lovanii data postridia Nonas ejusdem mensis & anni: in altera deuique Epistola pertinacissimo obtrectatori suo *F. Vincentio Theoderici* Batavo Harlemensi, Doctori Lovaniensi, Ordinis Prædicatorum inscripta, anno 1521.

Alter Joannes Faber a Carvinio.

Alius ab isto *Fabro* fuit *Joannes Faber* a Carvinio pariter Dominicanus, qui & *Maximiliani* Cæsaris Domesticus Capellanus dicitur in inscriptione libri ab ipso editi sub hoc titulo: *Compendiosa variis ex Libris Exhortatio ad omnes Christi Fidelium Status*. Est autem Carvinium Artasiæ pagus, vulgo *Carvin l'Epinois* leucis 4. ab Insulis distans, ex quo oriundum hominem *Erasmum* (ut puto) Augustanum non appellasset.

IX. *Fridericus Naasea*, Blancicampianus Fabri in Episcopatu Viennensi Successor, præter Expositiones Librorum *Tobiæ & Judith*, variasque Homilias, & Metaphrasim in Evangelium *S. Matthæi*, scripsit Expositionem 12. Articulorum Fidei contra Hæreticos, Censuras, & Solutiones Quæstionum contra *Zuinglium*; Librum *De Sacramento Eucharistiæ*: Librum *De Christiani Sacerdotii Dignitate*; alterum *De cœlibatu Sacerdotum & Votis Monasticis* contra Lutharum: *De ineunda in Christiana Religione Concordia*: *De Concilio Tridentino*, &c. Obiit 1550.

X. *Joannes Ekius*, natione Suevus, sacrarum literarum in Academia Ingolstadiensi Professor Catholicæ Fidei adversus *Lutherum*, *Carlostadium*, *Oecolampadium*, *Melanchthonem*, *Pomeranum*, aliasqua pestes, egregius propugnator, in Disputatione præsertim Lipsica & Badensi eamdem Scriptis tutatus est, quorum indicem apud *Possevinum* legere est. Obiit die 10. Februarii, anno 1543. ætatis 57.

XI. *Joannes Cochlæus*, Norimbergensis, erectis Catholicæ Fidei adversus *Lutherum*, *Balliugeram*, *Osiandrum*, *Musculum*, *Melanchthonem*, *Pomeranum*, *Bucerum*, *Calvinum*, trophæis nobilis, Francofurti ad Mœnum Decanus, deinde Uratislaviæ ad Viadrum in Silesia Canonicus, cujus Opera *Cornelius Callidius*, *Josias Simlerus*, & *Janus Jacobus Boissardus in Iconibus*, recensent, obiit Uratislaviæ dia 10. Januarii anno 1552. ætatis 73.

XII. *Stanislaus Hosius*, Cracoviensis Polonus, vle moribus castissimis, variaque eruditione, & fidei aelo illustris, Culmensis primum, deinde Warmiensis Episcopus, & S. R. E. Cardinalis a *Pio IV.* anno 1561. creatus, ejusdemque Pontificis in Concilio Tridentino Legatus; quem *Pius Quintus*, & *Gregorius*, *decimus tertius* Romani Pontifices *Solidum Ecclesiæ Dei columnam* appellarunt; scripsit *Confessionem Catholicæ Fidei adversus Confessionem Augustanam*, quæ *Synodi Petricoviensis* nomine inscripta est, *Confutationem Prolegomenon Brentii*: Librum *de Expresso Dei Verbo*: *de Communione sub utraque specie*: *de Heresibus sui temporis*; *Judicium & Censuram de Adorandu Trinitate* adversus Ministros Tigurinos & Heidelbergenses: *de loco & auctoritate Romani Pontificis in Ecclesia & in Conciliis* &c. Obiit Nonis Augusti anno 1579. ætatis 76. cujus gesta & elogia vide apud *Ciaconium* ab *Oldoino* recognitum & illustratum, Tom. 3.

XIII. *Christopherus Marcellus*, Venetus, Archiepiscopus Corcyrensis, præter Commentarium in septem Psalmos Pœnitentiales, & Libros tres *Ceremoniarum Sacrarum*, Auctoritatem Romani Pontificis Libro contra *Lutherum* edito tuitus est. Florebat anno 1520.

XIV. *Joannes Medina*, Theologus Complutensis, Libro *de Pœnitentia*, *Restitutione*, & *Contractibus* clarus, obiit Compluti anno 1546. *Michael de Medina* pariter Hispanus, unus e Theologis a *Pilippo II.* ad Concilium Tridentinum missis, scripsit *Christianæ Parænesis*, sive *de recta in Deum Fide* Libros septem: *de sacrorum hominum continentia* Libros quinque: Tractatu *de Purgatorio*, *de Indulgentiis*, &c. quæ *VVadingus* in Bibliotheca recenset. *Bartholomæus Medina*, Ordinis FF. Prædicatorum in Academia Salmanticensi Doctor & Professor, Commentariis in Summam Theologicam *S. Thomæ* editis notissimus, obiit non admodum senex anno 1581.

XV. *Franciscus Victoria*, a natali Regni Navarræi oppido cognominatus, Ordinis FF. Prædicatorum in Sacra Facultate Parisiensi Doctor, & in Academia Salmanticensi Primarius Theologiæ Professor, Commentariis, & *Relectionibus Theologicis*, orbi literato innotuit. Hunc *Melchior Canus*, qui ex ejus Schola prodiit, absque adulationis fuco laudat in Procemio Libri 12. de locis Theologicis: „ Si minus, *inquit*, imitatione tantam ingenii præstantiam consequi possumus, voluntate certe proxime accedimus, Magistrumque conamur exprimere. Nimirum si doctrinam meam approbet quispiam, quæ utinam eruditorum opinione digna esset! Si in rerum judicio prudentiam, quæ utinam esset digna nostro cognomine! Si orationis cultum, quem elegantiorem adhibere soleo, quam consueverunt Scholastici in Libris suis: in hoc sumus docti, prudentes, & facundi, quod Virum hunc rerum omnium earum ducem optimum sequimur, atque ejus præceptis monitisque paremus... Vir erat ille natura ipsa moderatus. At cum Divo etiam Thoma aliquando dissensit, majoremque, meo judicio, laudem dissentiendo, assequebatur? Tanta erat in dissentiendo reverentia. Obiit Salmanticæ anno 1546. De ipso *Matamorus* Lib. De Academiis & Doctis Viris Hispaniæ, hoc judicium tulit: „ Porro Salmantica discessurus, non est cur silentio præterire debeam virum incomparabilem Franciscum Victoriam, qui splendor Instituti Dominicani, decus & ornamentum Theologiæ, exemplar antiquæ Religionis fuit. Hic Theologiam, ut Socrates quondam Philosophiam, a Cœlo evocavit; quam non in Hispaniæ modo civitates, sed domos etiam & animos hominum sic invexit, ut sint hodie permulti illius discipuli, quos propter admirabilem scientiam, & exquisitam rerum copiam, exteræ nationes jura debeant admirari.

XVI. *Dominicus Soto*, Segobiensis, Hispanus, Ordinis FF. Prædicatorum, *Francisci Victoria* discipulus, & in Cathedra Salmanticensi Successor, deinde *Carolo V.* Imperatori a Confessionibus, unusque e Concilii Tridentini Theologis, in quo egregiam Fidei Catholicæ navavit operam, præter Commentarium in Epistolam ad Romanos, scripsit in 4. Librum Sententiarum, Tractatum *de Natura & Gratia*; Librum *de Justitia & jure*; Apologiam contra *Ambrosium Catharinum*, &c. Claustri secessum Segobiensi Episcopatui antetulit. Obiit Salmanticæ, die 15. Novembris, anno 1560. De ipso *Matamorus* Lib. De Academiis & doctis Viris Hispaniæ ita censet: „ Dominicus Soto unicum ingenuarum artium columen, totius Hispaniæ consensu ceteris & studio & doctrina præstitit Doctoribus, si suo Thoma & Aristotele contentus, præclaram illam ad Romanos Epistolam non attigisset.

XVII.

XVII. *Petrus Sete*, Hispanus, Ordinis FF. Prædicatorum Theulogus *Pii IV.* mandato Tridentino Concilio interfuit, summamque ibi obtinuit existimationem severæ probitatis, solidæque scientiæ, & Sacram Episcoporum Auctoritatem ac Residentiam Juris esse Divini constantissime propugnavit. Cumque Tridenti in morbum incidisset, ex quo post triduum obiit, gravissimam scripsit Epistolam ad Summum Pontificem, qua ipsum urgebat ut declararetur cujusnam juris esset Residentia tum Episcoporum, tum reliquorum Ecclesiæ Ministrorum, curaretque eam servandam alio proventuum genere extra Episcopatus Cardinalibus attributur utque pariter declararetur Auctoritatem Episcoporum esse Juris Divini; ingenueque exponebat, non conducere Sedis Apostolicæ dignitati aliorum abjectionem. Ita refert *Palavicinus* in Historia Concilii, lib. 20. cap. 13. Scripsit contra *Joannem Brentium*, aliosque Lutheranos; nec-non tres Libros *De Institutione Sacerdotum*. Obiit Tridenti die 21. Aprilis anno 1563. summo sui desiderio Patribus relicto. *Soti mors* (inquit Palavicinus) *conjuncta cum perfecto religiosæ pietatis exemplo, summopere displicuit Concilio, cui visum est relinqui velut infausta caligine, ademptis sibi in omni genere quibusdam e suis maximis luminaribus*. Ad *Petri Soto* commendationem non omisero, ipsum a *Maria* Angliæ Regina, & *Reginaldo* Cardinali *Polo* Sedis Apostolicæ Legato in Angliam honorificentissime vocatum fuisse; ut Oxoniensem Academiam a *Petro Martyre* Calviniano Hæretico sub *Eduardo* Rege corruptam restauraret, doctrinamque Catholicam, & Scholasticam restitueret. Qua de re *Sanderum* audire præstat Lib. 11. De Schismate Anglico, pag. 245. „ Id vero summum erat Catholicum Regum novorum, ac Illustrissimi Cardinalis in Universitatem Oxoniensem beneficium, quod Petrum a Soto Ordinis S. Dominici excellentissimum Theologum, Hispanum, in Insulam accersitum, illic Professorem instituerint, ut a Petro Martyre omnia paulo ante diruta ædificaret, Scholasticem restitueret, ac meretricium illum Hæreticorum in docendo & decipiendo fucum Gymnasiis pelleret. Quod ipse accitis aliquot aliis ex Hispania & Germania sui Ordinis doctissimis Collegis brevi tempore perfecit. Horum enim opera factum est ut juventus fere universa Catholicæ & Scholasticæ, solidæque doctrinæ & capax & cupida quam citissime redderetur. Atque hunc Petrum a Soto Præceptorem jam suum, ita priori Pseudo-apostolo Petro Martyri compararunt, (prout memini) sicut Divus Augustinus Faustum Manichæum Magistrum antea suum, B. Ambrosio olim comparavit; nimirum Martyrem dictionis meretricæ, orationisque magis hilarescentis ac mulcentis ornamentis Sotum facile superasse: sed illum ab isto vicissim rerum Sacrarum scientia & judicio ita superari, ut ipsius, Hæreticorumque omnium levissimæ & fallacissimæ Institutionis in posterum tæderet ac puderet. Certe his Magistris sapientissimis ita profecit Academia, ut non aliunde hoc Catholicæ Fidei semen, quod Deus in tam diuturno subsequente Schismate, & tam immani persecutione nobis reliquit, extitisse videatur.

XVIII. *Melchior Cunus*, Hispanus, Canariensis Episcopus, ex Ordine FF. Prædicatorum assumptus, vir non solum in Scholastica, sed in Positiva Theologia eruditissimus, magnum sibi nomen in Concilio Tridentino sub *Julio III.* peperit; ingeniique sui, doctrinæ, & industriæ perenne reliquit monumentum Libros 12. *De Locis Theologicis* elegantissimo stylo elaboratos, & Relectiones *De Sacramentis in genere*, & *de Pœnitentia*. Obiit vir laudatissimus, cujus ingenium præ cæteris Dominicani Ordinis Scriptoribus post *S. Thomæ* Angelicam Mentem maxime suspicio, Toleti anno 1560. Ingenii ipsius excellentia delectabatur plurimum *Franciscus Victoria*, ejus Magister, sed nimiam ipsius libertatem arguebat, ut ipse refert initio Libri 12. quam Clarissimi Viri reprehensionem diluit. „ Quod vero ad animi moderationem attinet (*inquit*) quam vir in me modestissimus desiderabat, in eo dedi operam ut timorem illius ego fallerem. Effecerim, an non, alii incorruptius judicabunt. Sane si qua in me temeritatis culpa est, vix eam excusatione alicujus tegere & adumbrare possum, qui sciam parum ingenium valere quamlibet excellens & eximium posse, nisi prudentis intelligentiæ fræno, & definita animi moderatione gubernetur. Quamquam illos probare non soleo, qui velut sacramento rogati, vel etiam superstitione constricti (ut Fabii verbis utar) nefas ducunt, a suscepta semel persuasione discedere. Theologo nihil est necesse in cujusquam jurare leges. Majus est enim opus atque præstantius ad quod ipse tendit, quam ut Magistri debeat vestigiis insistere, siquidem est futurus Theologiæ laude perfectus. Memini de Præceptore meo ipso audire, cum nobis Secundam Secundæ Partem cœpisset exponere, tanti Divi Thomæ Sententiam esse faciendam, ut si potior illa ratio non succurreret, Sanctissimi & Doctissimi Viri satis nobis esset auctoritas. Sed admonebat rursum, non oportere Sancti Doctoris verba sine delectu & examine accipere; immo vero si quid aut durius, aut improbabilius dixerit, imitaturos nos ejusdem in simili re modestiam & industriam, qui nec Auctoribus antiquitatis suffragio comprobatis fidem abrogat, nec in sententiam eorum ratione in contrarium vocante transit. Quod ego præceptum diligentissime tenui. Non enim ullam, non Divi Thomæ dico, sed ne Magistri mei opinationem quidem revocavi ad arbitrium meum; nec cordi tamen fuit jurare in verba Magistri, *Ipsum* Matamorus *Lib. De Academiis & Doctis viris Hispaniæ*, *magnifice commendat*. Summi Viri Melchioris Cani, & Bartholomæi Mirandensis omnis illa ingeniorum & doctrinæ numquam satis pro meritis laudata facultas ex monumentis ipsorum non ineleganter scriptis perspici potest: quæ & omnino absoluta est & perfecte diserta, in eoque constituta loco, quem multi mirentur, & pauci attingant.

XIX. *Jacobus Payva de Andrada*, Lusitanus, inter Concilii Tridentini Theologos celebris, Explicationes omnium fere Capitum de Religione controversorum scripsit, & Tridentinæ Fidei Defensionem adversus Hæreticorum, & præsertim *Martini Kemnitii* calumnias.

XX. *Ambrosius Politus*, *Catharinus* appellatus, patria Senensis, ex publico Juris Cæsarei ac Pontificii Professore, Dominicanus, a *Julio Tertio* cujus Præceptor fuerat, Minorensis primum Episcopus, deinde Compsanus Archipræsul in Regno Neapolitano creatus est. Unus fuit ex Synodi Tridentinæ Theologis, in qua & elegantem Orationem habuit, deinde sedit cum Patribus. Obiit anno 1554. *Summa vir existimatione per annos quos vixit, sed per Opera quæ scripsit minor; cui fortasse communis de ipso opinio minus favit, quia ille in iisdem communem aliorum opinionem minoris facit: sed in certaminibus cum Hæreticis functionibusque Concilii, nemini suorum æqualium aut Collegarum plurium cessit*. Hoc ipsum elogio exornat Cardinalis *Palavicinus* Lib. 13. Capit. 8. Ejus Opera recensent *Sixtus* & *Antonius Senenses*. Inter ipsius opiniones quidam immerito vellicant illam de externa (ut vocant) Ministri intentione ad efficaciam Sacramenti sufficiente; quo nomine sinceram voluntatem & internam revera intentionem intelligunt Theologi, exercendi exteriorem illam actionem ac cæremoniam qua Ecclesia utitur, quamvis eo non dirigatur interius, quo dirigit Ecclesia; nec Sacramenti effectum ponere intendat Minister ipse, immo oppositum velit. Immerito (inquam) opinionem illam vellicant ut Ecclesiæ ac Tridentinæ Synodi Decretis contrariam. Siquidem pendente Concilio eam luculenter asseruit in Opusculo *De intentione Ministri*, Romæ edito, Summo Pontifice, Tridentinisque Patribus non improbantibus. „ Et cum excitata fuisset nescio quæ literaria contentio inter *Chatarinum* & Sacri Palatii Magistrum, oppositisque invicem libellis litigaretur, rogatus est a Legatis Pontifex, Palatii sui Magistrum moneret, ut ab inferendo alteri molestia desisteret, affirmantibus, vitam & doctrinam *Catharini* ab omnibus commendari. Unde conficitur opiniones a *Catharino* defensas, Patribus haud suspectas fuisse, nec illis fuisse in animo eas proscribere. Porro si res ita se haberet, numquam commisissent ut per communes acclamationes ad Episcopatum promoveretur; neque is qui tunc Synodo Legatus præerat, postea Pontifex Maximus, nobiliori hominem Tiara exornasset. Itaque Sententia Tridentini proscripta eadem est quam *Leo X.* per suam Constitutionem in *Luthero* damnavit; videlicet ita fuisse a Christo institutum Sacramentum, ut etiamsi Minister per manifestam irrisionem ac ludibrium illud peragat, effectum consequatur. Ita *Palavicinus* lib. 9. Historiæ, capit. 6 Eamdem illam sententiam ante Concilium Tridentinum propugnarunt Magister Sententiarum in 4. Dist. 27. *Petrus Paludanus* in 4. Dist. 6. Qu. 2. *Angelus de Clavasio* in Summa, verbo *Baptismus*, capit. V. §. 7. *Sylvester*

Catharini opinio de intentione Ministri Sacramentorum.

Prie-

Prierâs Sacri Palatii Magister, in Summa, verbo *Baptismus*, Tit. 3. Post Concilium eamdem tuiti fuut *Alphonsus Salmeron* lib. 5. Commentariorum in Epistolas S. Pauli, *Joannes Viguerius* Institutionum Theologicarum Cap. 16. *Marius Scribonius* Ordinis *Minorum* Recollectorum Theologus Gallus in sua Panalithia, *Zacharias Paschaligus* Clericus Regularis Disputatione 72. Sectione 4. Theologi Sacræ Facultatis Parisiensis complures in Prælectionibus & Thesibus Academicis, *Contensonius* in Theologia Mentis & Cordis, Tom. 7. Dissertatione 2. ac Sancti etiam *Thomæ* auctoritate eamdem opinionem muniunt, nec-non *S. Augustini* lib. 7. De Baptismo contra Donatistas, Cap. 53. Tandem Concilii Tridentini Decretis non esse contrariam, constat ex Concilio Rothomagensi anno 1581. celebrato, Præside Cardinali *Borbonio*, & ex Aquensi anno 1585. in quibus prohibitum est, ne baptizati a Calvinistis iterum sub conditione baptizarentur, qui mos in plerisque Neustriæ ac Provinciæ locis inoleverat, *Quia dubitabant nonnulli de valore Baptismi ab hujusmodi Hæreticis collati, eo quod non haberent intentionem baptizandi in remissionem peccatorum*. Ratio Concilii Rothomagensis & Aquensis est, quia *Constabat Calvinistas in cœtu publico baptizare in forma verborum & materia a Christo instituta, nec de hoc facto ambigi poterat*. Plures *Cajetani* errores censorio stylo *Catharinus* perstringit singulari Opusculo, quod Magistro *Joanni de Fenario* Supremo totius Ordinis FF. Prædicatorum Moderatori, ac reliquis Patribus ac Magistris ejusdem Ordinis inscripsit. Quibusdam Fratribus ipsi de gloria Ordinis objectantibus atque obstrepentibus respondere solitus erat: *Gloria Ordinis, si vera quæritur a Dei gloria non secernitur. Ille potius Ordinis gloriam offuscat, qui in Ordinem falsas doctrinas ac peregrinas inducit; non is qui jam inductas, ne quis ab iis fallatur sedulo detegit, & officiose commonstrat*. Id ipse de se testatur in Præfatione Opusculi.

XXI. *Andreas Vega*, Hispanus, Ordinis FF. Minorum, in Academia Salmanticensi Theologiæ Professor; præstantissimis Concilii Tridentini Theologis annumeratus, Concilii ejusdem *de Justificatione* doctrinam eruditis Commentariis adversus Hæreticos defendit. De quibus *VVadingus* in Bibliotheca.

XXII. *Jacobus Latomus*, patria Hannonius, Camberonensis, inter Lovanienses Theologos insignis multa scripsit adversus *Lutherum*, *Oecolampadium*, aliosque Novatores. Obiit Lovanii anno 1544.

XXIII. Eadem tempestate floruit *Claudius Coussordus*, Theologus Parisiensis, Libro contra VValdensium errores edito celebris.

XXIV. *Joannes Ludovicus Vives*, Hispanus, natione Valentinus, Græcis Latinisque literis excultus, cum aliis Operibus, tum Commentariis in Libros S. Augustini *de Civitate Dei*, nomen sibi peperit. Obiit Brugis anno 1540.

XXV. *Gregorius Cortesius*, Mutinensis, Abbas Casinensis, a *Paulo tertio* Pontifice Maximo in Collegium Cardinalium anno 1541. cooptatus, vir utriusque Juris ac Theologiæ peritissimus, 4. Sententiarum Libros Commentariis illustravit, aliosque Tractatus edidit, *de Theologica Institutione: De peccato Originali: De potestate Ecclesiastica: Quod S. Petrus fuerit Romæ, &c.* E vivis excessit Romæ 11. Kal. Octobris, 1548.

XXVI. Eodem tempore floruit *Ambrosius Pelargus*, Niddanus, Ordinis FF. Prædicatorum Theologus & Concionator insignis, Archiepiscopi Trevirensis in Concilio Tridentino Procurator, qui Symbolum Nicænum, & *S. Chrysostomi* Liturgiam Notis illustravit; *Oecolampadium*, aliosque Hæreticos, nec-non *Erasmum* eruditis Scriptis exagitavit.

XXVII. *Jodocus Clitoveus*, Neoportuensis, Gallus, Theologus Parisiensis, & Carnutensis Ecclesiæ Canonicus, Decreta Concilii Senonensis edidit, ac notis illustravit; Item *Propugnaculum Ecclesiæ contra Lutheranos*, *Antilutherum*, *de Sacramento Eucharistiæ contra Oecolampadium*, aliosque de Dogmatibus nonnullis inter Hæreticos & Catholicos controversis Tractatus. Scripsit & in S. *Joannem Damascenum* Commentaria. Collegit vero ex *SS. Chrysostomo & Augustino* Explanationis Evangelii *S. Joannis* Libros quatuor, eosque inseruit Commentariis S. *Cyrilli* Alexandrini Archiepiscopi, ut ex 12. libris quos ille scripserat in *Joannem*, quatuor intermedios qui interierant, hoc est 5. 6. 7. & 8. suppleret. Alia ejusdem Opera recenset *Possevinus* in Apparatu. Obiit Carnuti anno 1534.

XXVIII. *Joannes Ludovicus Vivaldus*, Insuber, in Monte Regali natus, Ordinis FF. Prædicatorum Theologus, editis Tractatibus *de vera contritione*, *de 12. Ecclesiæ persecutionibus*, aliisque famosus, floruit sæculo ineunte 16.

XXIX. *Stephanus Brulifer*, Brito, Macloviensis Ordinis FF. Minorum, Theologus Parisiensis, Libros Sententiarum *S. Bonaventuræ* Commentariis illustravit, aliaque scripsit Opuscula a *VVadingo* recensita. Sub ejusdem sæculi florebat initium.

XXX. *Arnoldus Badetus*, Dominicanus, Gallus, apud Tolosanos & Burdigalenses claruit, editis eadem tempestate *Breviario de mirabilibus mundi: Margarita Virorum Illustrium de futura temporis dispositione prænoscenda, & Margarita Scripturæ Sacræ adversus hæreticam pravitatem*.

XXXI. *Vincentius Bandellus a Castro Novo*, Ordinis FF. Prædicatorum Generalis Magister Tractatum edidit *de singulari puritate & prærogativa Conceptionis Salvatoris nostri Jesu Christi*, seu *de Conceptione B. Virginis Mariæ*. Obiit anno 1506.

XXXII. *Paulus Corthesius*, Protonotarius Apostolicus, præter Librum egregium *de Cardinalitia Dignitate*, Commentarios edidit in Libros Sententiarum sub Julii II. Pontificatu.

XXXIII. Iisdem temporibus floruit *Carolus Bovillus*, Veromanduus, 2. Dialogis *de Animæ Immortalitate*, & Theologicarum Quæstionum & Conclusionum Libris posteritati notus.

XXXIV. *Paulus Middelburgius*, a natali solo Middelburgo, Zelandiarum Insularum primaria urbe cognominatus, Forosemproniensis Episcopus, Libros 14. *de Paschali Observatione* Leoni X. Summo Pontifici, & Libros 20. *De die Passionis Dominicæ* Massimiliano Imperatori dicavit. Excellentem Mathematices peritiam cum Theologica eruditione feliciter conjunxit. Obiit 19. Kalendas Januarii, anno 1584. ætatis octogesimo nono.

XXXV. *Franciscus Lichetus*, Brixiensis Ordinis FF. Minorum Generalis Minister, quatuor Sententiarum Libros *Doctoris subtilis* Commentariis illustravit. Florebat anno 1518.

XXXVI. *Marcus Viguerius*, Saonensis, Ligur, S.R.E. Cardinalis, ex Ordine FF. Minorum assumptus a *Julio* II. Pontifice Maximo, Apologiam scripsit adversus Pisanum sub eodem Pontifice Concilium: item *Decachordum Christianum* de præcipuis incarnati Verbi Mysteriis *Julio* II. dicatum, &c. Obiit die 18. Julii, anno 1516.

XXXVII. *Isidorus Isolanus*, Mediolanensis, Ordinis FF. Prædicatorum Professor, Librum *De Imperio Militantis Ecclesiæ*, anno 1516. Disputationes Catholicas quinque de Inferno, Purgatorio, Indulgentiis, & aliis Fidei Articulis, anno 1522. edidit.

XXXVIII. *Claudius Seissellus*, Sabaudus, ex Libellorum Supplicum Magistro sub *Ludovico* XII. cujus etiam nomine Legationes obiit plurimas, Massiliensis primum Episcopus, denique Taurinensis Archipræsul, præter ejusdem Regis Historiam Gallice scriptam Librum edidit *de triplici Statu Viatoris* ad *Leonem* X. Tractatus tres *de divina Providentia*: Librum *Contra VValdenses, &c.* Commentariis etiam Evangelium *S. Lucæ* elucidavit. Juris Civilis scientiam cum Theologica eruditione conjunxit. Obiit Kalendis Junii, anno 1520. De ipso *Ferdinandus Ughellus*, Tom. 4. *Italiæ Sacræ*, in Catalogo Taurinensium Episcoporum, & Sammarthani Tom. 3. *Galliæ Christianæ*, in Massiliensibus Episcopis.

XXXIX. *Petrus Galatinus*, Apulus, Ordinis FF. Minorum Theologus, scripsit Librum *de Arcanis Catholicæ Veritatis* adversus Judæos ex *Pugione Fidei* Raymundi Martini Dominicani maximam partem compilatum, ut observavit demonstravitque Clarissimus ejusdem *Pugionis* Editor & Illustrator D. *Josephus de Voisin*, nec tamen fontem ex quo hausit coronare dignatus est, vel semel laudato *Raymundo Martini*. Scripsit præterea Theologicum Opus in quinque partes tributum: Item Opus *de Ecclesiæ Catholicæ Institutione*, *De Formatione & Reformatione*; aliosque Tractatus, de quibus videsis *VVadingum* in Bibliotheca. Floruit imperantibus *Maximiliano* & *Carolo Quinto*, cui *Commentaria in Apocalypsim S. Joannis* dicavit.

XL. *Bartholomæus de Spina*, Pisanus, Ordinis FF. Prædicatorum Theologus, & Sacri Palatii Magister, varia de rebus Theologicis edidit Opuscula annis 1519. & 1535. ut refert *Antonius Senensis*. Ejus etiam meminit *Molanus* in sua Bibliotheca Sacra. Alium ab isto fuisse *Bartholomæum Spineum* ejusdem Ordinis

Professorem, cujus Liber *de Strigibus & Lamiis*, 1575. Romæ, & *Malleus Maleficarum*, Coloniæ 1581. prodierunt, falso observat *Aubertus Miræus*, Parte altera *Bibliothecæ Ecclesiasticæ*.

XLI. *Guillelmus Parvi*, Normannus, Ordinis FF. Prædicatorum Conventus Rothomagensis alumnus, Theologus Parisiensis, Regibus Christianissimis *Ludovico XII.* & *Francisco I.* a Confessionibus, primus vi Concordatorum nominatus a Rege Trecensis Episcopus, Concilio Senonensi interfuit, in eoque peroravit vir multæ eruditionis. Deinde ad Sylvanectensem Ecclesiam anno 1527. translatus, cum Ecclesiæ & Reipublicæ Literariæ commoda, Pastorali cura, editisque insignium aliquot Scriptorum Operibus, *Gregorii Turonensis*, *Pauli Diaconi*, *Luitprandi Ticinensis*, *Sigeberti*, propriique ingenii relictis monumentis procurasset, e vita migravit anno 1536. Ejus Elogium suis ad *Erasmum* literis inseruit *Budæus*, palamque fecit quam præclare de Literis, virisque literatis meritus esset. *Ad Joannis Parvi tabernam* (inquit) *nobilis Bibliopolæ, offendi Guillelmum Parvum, virum eumdem magnum inprimis, Theologumque eximium, eorum Sodalium decus, quos Dominicanos appellant, cognomento Prædicatores, qui nunc est a Sacrosanctis Confessionibus Regi: quod munus Sacrum Auricularium appellare soleo: haud alio Concionatore Aula ac Regius Comitatus in magnis celebritatibus utitur, nec Ludovici Regis tempore usus est: vir omnino ad Ecclesiasticos Panegyrismos exacte a natura concinnatus. Is cum mihi familiariter amicus est, amicosque meos amat, tum eo nomine eum præcipue observo, quod Librorum reconditorum conquisitor est, atque investigator sagacissimus, ac Bibliothecarum pene compilator. Sed nescias utrum omnia volumina avidius corroget, an benignius amicis impertiat & commodet. Ad summam, cum eum hominem multis de rebus ac moribus amem, non tantum nomine odisse eum possum, dicam enim libere, nihilque aliud ei succensere, quam quod Erasmo nimium favet homini externo, cui ego jam invidere cœpi ob nimiam istam gloriam, qua non modo Germaniam (de reliquis Provinciis nunc silebo) sed Galliam etiam nostram ita irrudiat, ut gloriolam nostram prærадiet, & jam nobis esse obscuris ac videri accisse sit . . . . . Ut ad rem redeam, Guillelmus Parvus ejusmodi mecum verba fecit, ut affirmaret, nodius (ut arbitror) tertius, sermonem apud Regem excitatum esse de Viris Literatis. Ibi cum multa de Erasmo, de aliis, de Budæo fortasse dicerentur, Rex Minervæ, ut spero, Numinis afflatus ita infit: In animo sibi esse lectissimos viros in Regnum suum præmiis optimis asciscere, ac Seminarium, ut ita dicam, Eruditorum in Francia instituere. Quæ verba cum Parvus jam diu occasioni imminens excepisset (est enim ut Literatorum omnium suffragator, sic doctrinæ industriæque tuæ admirator & commendator) asciscendumque Erasmum in primis censere se dixisset . . . . . . ad postremum Regem impetu animi egregio eo esse perductum, ut diceret, Eam per me conditionem tibi offerre verbis suis velle, ut si istinc demigrare in animum induceres, operamque literis hic navare, quam istic consuesses, Sacerdotium Ipse tibi ad mille Francos, & eo amplius collaturum se sponderet.* Et infra: *Verum ut tibi successura omnia spondeam, facit quod Parvum (ut dixi) Auricularium Sacrum Principis, universo Doctorum Natio atque etiam virtute præstantium, habitura mihi videtur quasi auctorem quemdam publicum, qui in commune stipuletur, assiduumque veluti admonitorem, qui præclari propositi Principem oblivisci non sinat, in te etiam ipsam ac tua Scripta peculiariter propensum.* De eodem *Erasmus* Epistola 16. Lib. 1. ad Budæum: *Sed ditior sum, quam existimaram. Nesciebam insignem illum & omnium ore celebratum Theologum Guillelmum cognomento Parvum, virtutum eminentia maximum, usque adeo meum esse.*

Erasmi Ep. Lib. 1. Ep. 15.

XLII. *Jacobus Merlinus*, ex vico S. Victurniani in Diœcesi Lemovicensi ortus, Doctor Theologus, & Ecclesiæ Parisiensis Pœnitentiarius, cum intelligeret nihil adversus Hæreticorum conatus præstantius esse armis, quibus dudum orthodoxi Patres, ut ipse ait, incircumcisorum errores contriverunt, Sacrorum scilicet Conciliorum, Orthodoxorumque Pontificum Institutis, in duos ea referre Tomos animo destinavit, & anno 1524. publici juris fecit. Scripsit item Apologiam pro *Origene*, Operibus *Origenis* anno 1512. a *Badio* adjunctam.

XLIII. *Franciscus Ferrariensis*, Ordinis FF. Prædicatorum doctissimus Theologus, ac Generalis Magister, *Summam S. Thomæ contra Gentes* Commentariis illustravit, *B. Osannæ* Virginis Mantuanæ ejusdem Ordinis Vitam in sex Libros distributam edidit. Obiit anno 1520.

XLIV. Iisdem temporibus floruit *Chrysostomus Javellus*, Canapitius, ejusdem Ordinis Theologus eximius, Operibusque suis orbi literato notus.

XLV. *Bartholomæus Carranza*, Mirandensis, Navarrus Professione Dominicanus, Tridentino Concilio Theologos inter adfuit, ibique scripsit utilem *de necessaria Episcoporum residentia* Tractatum. *Summam* etiam *Conciliorum* postmodum edidit, necnon Catechismum. *Philippum secundum* Regem Catholicum, in Britanniam ad nuptias *Mariæ* Reginę profectum secutus, a Sacris Confessionibus huic præfectus est: quæ Regina inscio & invito Archiepiscopatum Toletanum impetravit. *Carolo V.* morienti adfuit, eique Sacramenta ministravit. Ab Inquisitoribus Hispanis, post Imperatoris obitum de Religione postulatus, captusque multis annis e vinculis causam dixit. Qui postea jussu *Pii V.* Romam deductus, anno 1567. in Castro S. Angeli custoditus & interrogatus est, quousque demum anno 1576. a *Gregorio* XIII. post Fidei Catholicæ Professionem, absolutus est, & ad Conventum *S. Mariæ super Minervam* remissus, ubi paulo post pie obiit, Ecclesiæ Sacramentis procuratus. Eruditum ac Religiosissimum Archipræsulem inique vexatum ab Hispanis Inquisitoribus noverat *Martinus Azpicuelta Navarrus*, vir Juris utriusque Consultissimus, ac præclaris Operibus celebris, qui Ipsum, quamquam octogenario proximus, Romam comitatus est, averso licet *Philippo* Rege Catholico, atque ejus Ministris, illumque verbo & scripto constanter defendit. Ejusdem causam egit apud *Pium V.* Gaspar Cervantes Tarraconensis Archiepiscopus postea Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis.

XLVI. *Joannes Viguerius*, Tolosanus Prædicator, *Theologicis Institutionibus* nomen sibi peperit anno 1565.

XLVII. *Joannes Hasselius*, cognomento *Leonardus*, Hasseleto Diœcesis Leodiensis oppido oriundus, Theologus Lovaniensis, ac Sacrarum Literarum eadem in Academia Professor, a *Carolo V.* Imperatore ad Concilium Tridentinum annum 1551. missus, eodem anno Tridenti obiit. Tractatum reliquit *de Nectarii Patriarchæ Constantinopolitani facto super Confessione*.

XLVIII. Eadem ætate floruit *Joannes Hessellius*, ejusdem Academiæ Theologus, novarum opinionum cum *Michaele Baio* Defensor, quas post Sedis Apostolicæ Judicium deposuit. Ad Tridentinam Synodum in locum *Hasselii* missus, præclaram Ecclesiæ navavit operam. Dimisso Concilio domum reversus, non voce tantum, sed Scriptis adversus hæreses & zelo pugnavit. Inter ejus Opera *Catechismum* plurimi faciunt Eruditi. Obiit an. 1566. anno ætatis 44. De quo legendi *Valerius* in sua Bibliotheca Belgica, *Aubertus Miræus*, Parte II. Bibliothecæ Ecclesiasticæ & *Possevinus* in Apparatu sacro.

XLIX. *Stephanus Gardinerus*, Anglus, VVintoniensis Episcopus, & Regni sub *Maria Regina* Cancellarius, Corporis Christi in Eucharistia veritatem ac realem præsentiam contra Calvinistas erudito Volumine propugnavit. Scripsit etiam adversus Articulos & Confutationes *Joannis Hopperi*. Item adversus *Bucerum*, &c. Obiit pius & eruditus Antistes die 12. Novembris, anno 1555. cum pœnitentia, & molestiis carceris, quas ob Fidem sub *Eduardo* Rege pertulit, pristinam ignaviam & conniventiam erga *Henricum* sive in divortii, sive in Schismatis negotio eluisset.

L. *Petrus Crabbius*, Mechliniensis, Ordinis FF. Minorum Professor, vir diligentissimus, conquisitis veterum Conciliorum exemplaribus plusquam quinquaginta, novam eorum Collectionem adornavit, multo locupletiorem ea quam *Merlinus* emiserat. Nam præter varias Synodos, & Epistolas sparsim additas, primus edidit Gesta Concilii Chalcedonensis ex recensione *Rustici* S. R. E. Diaconi, *Liberati* Carthaginensis Ecclesiæ Diaconi, Breviarium de Causa Nestorianorum & Eutychianorum, Concilium Lateranense sub *Innocentio* III. celebratum, Appendicem uberrimam Concilii Constantiensis, Epistolas & Responsiones Synodales 17. Concilii Basileensis, Gesta Concilii Florentini ex interpretatione *Bartholomæi Abrahami Cretensis*, & Vitas Pontificum Romanorum. Anno postea 1551. idem *Crabbius* nova editione donavit Collectionem suam Conciliorum in tres Tomos distributam, in easque nonnulla addidit, quæ non extabant in prima, nimirum Concilium Nicænum ex Versione Latina

tina *G. Longi*, quæ paucis ante annis prodierat in Germania, Appendicem Concilii Basileensis, in qua habetur etiam *Joannis Patriarchæ Antiocheni* Opusculum de Superioritate Concilii supra Papam, Concilium Lateranense sub *Julio* II. & *Leone* X. celebratum, Concilium Senonense *Antonii Cardinalis Pratensis*, Concilia Coloniensia *Hermanni* & *Adolphi* Archiepiscoporum, Moguntinum *Sebastiani* Archiepiscopi, quædam Acta Tridentini, variorum Episcoporum Constitutiones Synodales, &c. Obiit *Crabbius* die trigesima Augusti 1554. ætatis octogesimo tertio.

LI. *Laurentius Surius*, natione Germanus, Lubecæ ad Visurgim natus, Professione Carthusianus, pietati, reique literariæ promovendæ sedulam navavit operam, collectis, editisque Sanctorum Vitis, quæ Collectio Tomos VII. complectitur. Collectionem etiam Conciliorum edidit, multis in locis emendatam collatione veterum exemplarium; pluriumque monumentorum accessione Crabbianam adauxit, scilicet Librorum VIII. Constitutionum Apostolicarum, Codicis Encyclii, Concilii V. Concilii Lateranensis sub *Martino* I. Tridentini integri, &c. Homilias etiam veterum Patrum in totius anni Evangelia recognovit; addiditque Exegeticas Conciones in ;Epistolas ex Patribus collectas. Historiam Ecclesiasticam ab anno 1500. ad suam usque deduxit ætatem, in iis quæ Lutheranam hæresim spectant, & *Caroli V.* Imperatoris Gesta, præcipua diligentia versatus. Nonnulla etiam aliorum Opera ex Germanico idiomate in Latinum transfudit. Obiit Coloniæ die 23. Maii 1577.

LII. *Hermannus Lethmatius*, Gandavensis, Theologus Parisiensis, Ultrajecti ad *S. Mariam* Decanus, & Episcopi Vicarius Generalis, scripsit *de instauranda Religione* libros 9. Obiit anno 1555. Ejus Elogium apud *Erasmum* legitur Epistola 6. libri 17. ad *Nicolaum Everardum* Hollandiæ Præsidem data. *Hermannus* (inquit) *cum antequam Studium Theologicum ingrederetur, feliciter esset auspicatus Græcarum ac bonarum, ut vocant, literarum tyrocinium, ita se gessit in hoc cursu Sorbonicæ Theologiæ, ut omnium punctis primas meruerit, idque in ea Schola, quæ sine controversia, in hoc studiorum genere semper primas tenuit. Neque vero tantum est instructus argutiis illis quibus in Scholis velitantur; nihil Conciliorum, nihil Historiarum, nihil veterum Theologorum non excussit, atque adeo habet in promptu, ingenium velox, ac rapidum, discendi aviditas inexplebilis, judicium præsens & expeditum, quodque in hoc genere rarum est, nihil habet arrogantiæ, nihil bilis, nihil supercilii. Mira comitas, mira modestia. Audit patienter quoslibet. Cedit etiam inferioribus. Plerique ubi metam illam Sorbonicam contigerunt, perinde quasi jam defuncti sint omni studio, in otium sese recipiunt, aut neglectis Libris, Sacerdotiis accumulandis invigilant. Hic tanta cum laude Theologiæ lauream assecutus, tam avide versatur in evolvendis optimis Auctoribus, quasi non dimissus a studio, sed nunc demum admissus sit ad seria studia. Sic autem amplectitur has humaniores literas, ut suæ Professionis tamen non sit desertor. Proinde me quidem magna quædam spes habet, aut hunc, aut neminem fore, qui veterem ac novam eruditionem sic misceat ac temperet, ut utriusque generis Sodalibus abunde satisfiat. Siquidem annum vix attigit trigesimum.*

LIII. *Martinus Olavius*, Cantaber, ex oppido Victoria oriundus in Sacra Facultate Parisiensi Doctor Theologus, *Ottonis* Cardinalis *Truchesii*, Episcopi Augustani, nomine in Synodo Tridentina consedit, ibique Orationem habuit summo cum totius Conventus applausu. Mox Sacrum Societatis Jesu Institutum amplexus, primus e suis Doctoris Angelici placita in Romano Collegio explicare cœpit anno 1553. Obiit duodevigesimo post *S. Ignatium* die, anno 1556. Reliquit eruditas *Assertiones de conditione, lapsu, & reparatione hominis*.

LIV. *Joannes Banderius*, Gandavensis, Ordinis Prædicatorum Doctor Theologus & Hæreticæ pravitatis Quæsitor, varia scripsit adversus hujus Sæculi Sectas quaslibet, scilicet *Compendium Rerum Theologicarum, quæ ab Hæreticis in controversiam vocantur: Collationem IV. Doctorum, Ambrosii, Hieronymi, Augustini, & Gregorii, super Articulis ab Hæreticis agitatis: Scutum Fidei Orthodoxæ adversus quaslibet Hæreses: De Baptismo contra Mennonem Anabaptistam: Detectionem Nugarum Lutheri: & Confutationem Dogmatum Lutheranorum*. Ipsum etiam collegisse Indicem Codicum MSS. per Belgium, vicinasque Provincias, alphabeti serie, ex Schedis *Guillelmi Carnificis* Gandavensis itidem Dominicani qui illustriores Belgii, Germaniæ, Galliæ, Angliæque Bibliothecas ante Lutheranæ Hæreseos ortum lustraverat, ac diligenter excusserat, testatur *Aubertus Miræus*. Obiit anno 1557.

LV. *Ruardus Tapperus*, Enchusæ in Hollandia natus, Lovaniensis Academiæ Doctor Theologus, & Cancellarius, primariæque Basilicæ Decanus, *Adriano VI.* cujus discipulus fuerat, aliisque Pontificibus gratissimus, *Carolo V.* Imperatori, & *Philippo Secundo* Regi Catholico in primis acceptus, Oecumenicam Synodum Tridentinam a *Maria* Principe *Caroli V.* Sorore, quæ tum Belgis præerat, missus, magnum sibi nomen peperit. *Articulos Lovanienses* contra *Lutherum* erudito Opere explicuit ac defendit. Librum etiam reliquit *De Providentia & Prædestinatione*. Obiit Bruxellis anno 1559. ætatis 71.

LVI. *Alphonsus a Castro*, Hispanus, patria Zamorensis, Ordinis FF. Minorum, unus e Concilii Tridentini Theologis, *Philippo* II. Hispaniarum Regi a Sacris Concionibus, & conscientiæ Secretis, ipsi in Anglia, dum Religionem eo in Regno restituit, insignem operam navavit. Demum in Belgium ipsum secutus, obiit Bruxellis 3. Nonas Februarii anno 1558. ætatis 63. Præter Homilias 25. in Psalmum quinquagesimum, & 24. in Psalmum trigesimum primum, scripsit egregium Opus *Adversus omnes hæreses* in Libros 14. tributum; Libros tres *de justa hæreticorum punitione*; & Libros duos *de Potestate Legis Pœnalis*. De ipsius Scriptis ita censet *Matamorus* Libro de Academiis & Doctis Viris Hispaniæ: *Alfonsus de Castro, sicut aliena cum hæreticis congressus, fortiter & literate nimis refutavit, ita ornate & copiose confirmaret nostra, ut quidem verear cum veteris ætatis præcipuis Auctoribus multis quidem doctrinæ partibus comparare.*

LVII. *Joannes Gropperus*, Germanus, ex Susato VVestphaliæ oppido ortus, Juris utriusque & Sacræ Theologiæ Doctor, Coloniensis Ecclesiæ Archidiaconus, Religionis Fideique Catholicæ propugnator acerrimus, cum in Ratisponensi Conventu coram *Carolo* V. tum Coloniæ adversus *Hermannum* Archipræsulem Apostatam, vir castissimis integerrimisque moribus, a *Paulo* IV. Pontifice Maximo ob præclara merita inter S. R. E. Cardinales cooptatus, eruditis etiam Operibus nomen suum æternitati consecravit, quæ *Possevinus* in Apparatu Sacro enumerat. In iis sunt *Institutio Catholica*; Liber *de Eucharistia*; Tractatus *de Communione sub altera tantum specie*, Germanice scriptus, & a *Surio* latinitate donatus, &c. Synodi Provincialis ab *Adolpho* Coloniensi Archiepiscopo celebratæ Decreta juvenis adhuc in ordinem redegit, ac in lucem emisit. Obiit 3. Idus Martii, anno 1558. ætatis 57. expleto.

LVIII. *Robertus Cenalis*, Origene Parisiensis, in Sacra Facultate Parisiensi Doctor Theologus Abrincensis Episcopus, præter Gallicam historiam Latine duobus Tomis editam, & *Hierarchiam Neustriæ* in quinque Libros divisam, scripsit Librum *Contra Interim Cæsareum*: item *Antidotum adversus Sacramentarios*: *De Sacro Cœlibatu*: *Larvam Sycophanticam contra Calvinum*: Commentarium *De colloquio cum Hæreticis*: *De Divortio Mosaici Matrimonii*: *De utriusque gladii facultate*: &c. Obiit Parisiis anno 1560. & ad *S. Pauli* sepultus est. Versus ejus tumulo inscriptus & Epitaphium referunt Sammarthani in *Gallia Christiana*, Tom. II.

LIX. *Guillelmus Alanus*, Lancastriæ in Anglia natus, Doctor Theologus Duacensis, plurimis pro Orthodoxa Religione & Romani Pontificis Primatu, in Anglia sub *Elisabetha* Regno perfunctus laboribus, periculis plurimis, propter Christum exul a patria, in cujus commodum ac salutem plura Seminaria erexit, fovendis coexulibus, seu Sacris Pugilibus erudiendis, qui pro Fide Catholica & Pontificio Primatu pariter pugnarent, & ad hæresim debellandam identidem in Angliam transmitterentur, a *Sixto* V. Pontifice Maximo in Collegium Cardinalium cooptatus est, Titulo *Sancti Martini in montibus*, anno 1587. Obiit Romæ 17. Kalendas Novembris, anno 1594. ætatis 63. Plura scripsit de Quæstionibus contra Hæreticos controversis, quæ a *Possevino* in Apparatu, & *Pitseo* in Libro de Illustribus Angliæ Scriptoribus recensentur.

LX. *Thomas Stapletonus*, nobili apud Britannos genere natus, Doctor Duacensis, in eaque primum Academia, deinde in Lovaniensi Regius Sacræ Scri-

ptaræ Interpres, cum ad Septemvirum quos Protonotarios Apostolicos nuncupant, Collegium a *Clemente* VIII. Romam misso viatico esset evocatus, Purpura haud dubie mox ornandus, honesta *affectæ* ætatis excusatione uti maluit, quam pristino docendi munere defungi. Obiit Lovanii provecta admodum ætate anno 1598. Hæc de ipso *Aubertus Miræus*, qui ipsius in Theologia fuit Auditor. Multa reliquit ingenii & eruditionis monumenta, scilicet *Principiorum Fidei Doctrinalium Demonstrationem Methodicam* per controversias 7. in Libris 12. traditam: *Speculum Pravitatis Hæreticæ*, per Orationes Quodlibeticas seu ad oculum demonstratæ. *De universa Justificationis doctrina hodie controversa* Libros 12. *Principiorum Fidei Doctrinalium Relectionem Scholasticam & Compendiariam*, per Controversias, Quæstiones & Articulos traditam. *Antidota Evangelica contra horum temporum Hæreses*, &c.

LXI. *Albertus Pighius*, Campis, Transisalanæ ditionis oppido ortus, Mathematicus & Theologus insignis, in Academia Coloniensi Doctoralibus Infulis ornatus, *Adriano* VI. a quo in Italiam evocatus est, *Clementi* VII. & *Paulo* III. Summis Pontificibus acceptissimus magno illis in gravissimis Christianæ Reipublicæ negotiis adjumento fuis. Non Mathematicis modo Scriptis, *de Ratione Paschalis celebrationis*, *Deque Destitutione Kalendarii* nomen suum celebravit, sed Theologicis Operibus Catholicam Fidem adversus Hæreticos egregie defendit, de quibus legendi *Possevinus* & *Aubertus Miræus*. In *Assertionibus Ecclesiasticæ Hierarchiæ* doctoribus Theologis non probantur nonnulla de peccato Originis, de Prædestinatione Dei, & Gratia Christi Mediatoris, in quibus a *S. Augustini* doctrina, quam Ecclesia sequitur, discessit. Obiit Ultrajecti ad *S. Joannem Baptistam* Præpositus, anno 1543.

LXII. *Everardus Billichius*, Carmelita Coloniensis, In Concilio Tridentino, & Ratisponensi Colloquio eruditionis suæ specimen dedit. *Defensionem Judicii Universitatis Coloniensis* adversus calumnias *Melanchthonis*, *Buceri*, *Oldendorpii & Asseclarum*, emisit in lucem, item Librum *de dissidiis Ecclesiæ componendis*. Obiit Suffraganeus Coloniensis.

LXIII. *Jacobus Noguera*, Viennensis Ecclesiæ in Austria Decanus, *Ferdinando* I. Imperatori a Sacris, Libros duos de Ecclesia Christi ab Hæreticorum Conciliabulis dignoscenda anno 1560. in lucem edidit.

LXIV. *Marianus Victorius*, Italus, patria Reatinus, Amerinus Episcopus, Opera *S. Hieronymi* ad fidem MSS. Codicum recensuit, Commentarium *de Sacramento Pœnitentiæ, & de antiquis Pœnitentiis*, Romæ annis 1562. & 1571. evulgavit. Scripsit etiam *de Extrema Unctione*; item *de Romani Pontificis Primatu contra Lutherum*, &c.

LXV. *Conradus Clingius*, Germanus, Ordinis FF. Minorum Professor, Ecclesiastes Erfordiensis præter *Catechismum* Libris 4. comprehensum, scripsit *Locorum Communium Sacræ Theologiæ Sylvam*, Summam Catholicæ doctrinæ adversus Hæreses continentem, quæ Coloniæ prodiit anno 1552. & Parisiis anno 1563. *Alia insuper scripsit, quæ vel exuberantis ingenii vitio, vel Hæreticorum fraude corrupta, correctione indigent (inquit *Wadingus*) unde donec expurgentur, in Indice Romano omnia ejus Opera indicantur suspensa.

* *In Biblioth. Script. Ord. Min.*

LXVI. *Jacobus Lainez*, Almazani in Castella natus, trium ex ordine Pontificum, *Pauli* III. *Julii* III. & *Pii* VI. in Concilio Tridentino Theologus, Societatis Jesu post *S. Ignatium* supremus Moderator, vir doctissimus & religiosissimus, rem Christianam Scriptis illustravit, de quibus legendi *Franciscus Sacchinus* in Historia Societatis, *Ribadeneira* in Catalogo, & *Allegambius* in Bibliotheca. Obiit anno 1566. ætatis 53.

LXVII. *Clemens Dolera*, Italus, a patria *Moneliaaus* appellatus; ex Ministro Generali Ordinis FF. Minorum S. R. E. Presbyter Cardinalis, Titulo *S. Mariæ de Ara Cœli*, a *Paulo* IV. anno 1557. creatus, Episcopus Fulginatensis, *Compendium Catholicarum Institutionum ad Christianam Theologiam*, aliaque edidit, de quibus *VVadingus* in Bibliotheca. Obiit 8. Idus Januarii, an. 1558. ætatis 67.

LXVIII. *Jodocus Ravestenius*, Lovaniensis Theologus, Tileto Belgii oppido oriundus, adfuit VVormatiensi Colloquio de Controversiis Religionis instituto anno 1557. Scripsit adversus *Matthiam Flaccum Illyricum*, aliosque Hæreticos. Obiit 9. Idus Februarii, anno 1570.

LXIX. *Joannes Gavetius*, Lovaniensis, Ordinis Augustiniani Professor, vir Sacræ Antiquitatis peritus, *De vera Corporis Christi in Eucharistiæ Sacramento præsentia*; nec non *de Sanctorum Invocatione*, *deque precibus pro Defunctis*, eruditos Commentarios contra Hæreticos scripsit. Obiit Lovanii anno 1571.

LXX. *Antonius Demochares*, Theologus Parisiensis, Libros *de Veritate Corporis Christi in Missæ Sacrificio*, Lutetiæ Parisiorum annis 1562. & 1570. in lucem emisit. Vivere desiit anno 1574.

LXXI. *Franciscus Sonnius*, Theologus Lovaniensis, ingenii ac doctrinæ specimen cum in Wormatiensi Colloquio, tum in Tridentina Synodo dedit, Antuerpianam Calvinianorum Confessionem Scriptis confutavit, Librosque edidit eruditissimos *Demonstrationum Religionis Christianæ ex verbo Dei*. Cum *Philippi* II. Catholici Regis nomine Romæ apud *Paulum* IV. Pontificem Maximum egisset de novis Episcopatibus in Belgio instituendis, dignus ipse Episcopatu judicatus est, & Silviducensi primum, deinde Antuerpiensi Ecclesiæ præfectus. Obiit anno millesimo quingentesimo septuagesimo-quarto.

LXXII. *Franciscus Horantius*, Hispanus, Ordinis FF. Minorum Professor, *Joanni Austriaco* Belgii Gubernatori a Sacris Confessionibus & Consiliis, unus e Synodi Tridentinæ Theologis in qua & Orationem habuit in Festo Omnium Sanctorum anno 1561. *Locos Catholicos pro Romana Fide*, & Librum *de Justificatione* adversus *Calvinum* edidit. Obiit Episcopus Ovetensis anno 1584.

LXXIII. *Claudius Espencæus & Claudius Sanctesius*, Theologi Parisienses, in Concilio Tridentino, in Colloquio Poissiacensi, & alibi sæpe eruditionis suæ admirationem concitarunt, & Calvinianam hæresim præcipue contra Fidem Sacrosanctæ Eucharistiæ Scriptis doctissimis debellarunt. Posterior ex Ordine Canonicorum Regularium ad Ebroicensem Episcopatum assumptus est. Prior illustri familia natus, eruditione, facundia, pietate, Nobilitatis decus cumulavit. Hunc a Summo Pontifice Cardinalitiis Infulis dignissimum judicatum testantur Jacobus Augustanus Thuanus, & Scevola Sammarthanus. Hic lib. 11. Elogiorum, ille lib. 16. Historiæ.

LXXIV. *Franciscus Forerius*, Ordinis FF. Prædicatorum Professor, vir pietate & eruditione præstantissimus, Doctor Conimbricensis, Concilio Tridentino cum laude interfuit, Patrumque jussu librorum prohibitorum Indicem concinnavit, & *Catechismum* composuit cum *Leonardo Marino*, Lancianensi Episcopo ex eodem Ordine assumpto, & *Ægidio Foscarro* Mutinensi. Primus Congregationis *Indicis* Librorum prohibitorum Actuarius seu Secretarius fuit, quod munus deinceps nostri Ordinis Viris demandatum est, & ab iis etiamnum exercetur. De hoc Auctore plura legere est in Historiis Ordinis, ejusque Vitam edidit *F. Thomas Souegius* Tom. 4. Anni Dominicani. De illius in *Isaiam* Commentariis juxta Hebraicam Veritatem, nihil dico impræsentiarum. Obiit anno 1580.

LXXV. *Nicolaus Sanderus*, Anglus, in Academia Oxoniensi Juris Canonici Professor, rebus ob Schisma Angliæ, cujus Historiam scripsit, turbatis, Romam secessit, ubi Doctor Theologus creatus, mox Tridenti in Patrum Consessu, qua disputando, qua perorando, magnam sibi peperit nominis celebritatem; *Stanislai* Cardinalis *Hosii* ibidem, & per Poloniam, Prussiam, ac Lituaniam comes individuus. Inde Lovanium petens, ibi Librum *de Visibili Monarchia* conscripsit.

LXXVI. *Jacobus Billius Prunæus*, Abbas *S. Michaelis in Eremo*, Guisiæ natus, proximo Hannoniorum finibus oppido, quod *Ludovicus* ejus Pater, *Francisci I.* Francorum Regis nomine tum regebat, vir Græce ac Latine doctissimus, plurima ex *SS. Gregorio Nazianzeno*, *Basilio*, *Chrysostomo*, *Joanne Damasceno*, doctissime fidelissimeque transtulit: plurima & suo ipso ingenio meditatus est. Obiit Parisiis anno 1581. ætatis 48. & ad *S. Severini* sepultus est.

LXXVII. *Edmundus Campianus* Societatis Jesu Theologus, Londini ortus, doctrina, facundia, ac vitæ innocentia illustris, Scriptis, ac morte pro Christo in patria constanter oppetita, Catholicam Fidem confirmavit Kalendis Decembris, anno 1581. *Elisabetha* regnante, & in Catholicos sæviente. De illius Scriptis legendi *Ribadeneira*, *Pitseus*, & *Allegambius*. Ejus Narratio de Divortio *Henrici* VIII. Angliæ Regis edita est post Historiam VVickleffianam *Nicolas Harpsfeldus*.

LXXVIII. *Hieronymus Vielmus*, Venetus Episcopus Æmoniæ, ex Ordine FF. Prædicatorum assumptus. Tridentino Concilio ut Episcopus Argolicensis interfuit,

Opus

Opus eruditum edidit *de Opere sex dierum*, & Tractatum *de Episcopis Titularibus*. Obiit post annum millesimum quingentesimum octogesimum.

LXXIX. *Jacobus Pamelius*, Episcopus Audomaropolitanus in Artesis designatus, Aldenardæ in Belgio illustri stirpe ortus, Lovaniensis Theologus, cui *Tertullianus & S. Cyprianus* ejus opera editi, & doctissimis Commentariis illustrati, nec-non Libri *de Rebus Liturgicis*, laudem immortalem pepererunt, obiit Montibus in Hannonia, anno millesimo quingentesimo octogesimo-septimo. De ipso *Suvertius* in Athenis Belgicis, *Valerius Andreas & Aubertus Miræus* in Bibliotheca.

LXXX. *Guillelmus Lindanus*, ex Theologo Lovaniensi, Decano Hagæ-Comitis, & Fidei Quæsitore per Bataviam, Frisiamque, Gandavensis Episcopus, hujus sæculi hæreses scriptis doctissimis impugnavit. Floruit sub *Gregorii decimi-tertii* Pontificatu.

LXXXI. *Petrus Canisius*, Noviomagi ad Vahalim fluvium Patre Consulari natus, Societatem Jesu tertio a confirmatione illius anno ingressus, Theologus doctissimus, & Ecclesiastes facundissimus, ob magni simul & placidi animi præstantiam a Coloniensi Ecclesia ad *Carolum V.* Imperatorem, ab *Ottone* Cardinali Augustano ad Sacrum Concilium Tridentinum, a *Ferdinando* Imperatore VVormatiam contra Melancthonem Hæreticum a *Pio* IV. Pontifice Maximo ad Principes Germaniæ in Fide confirmandos missus, postquam Romæ in Siciliæ ac Germaniæ Academiis docuisset, diu apud *Ferdinandum* Imperatorem & passim summa cum laude verbum Dei prædicasset, primus Provincialis Societatis ejusdem in Germania ab ipso Societatis Parente *S. Ignatio* datus fuisset, Scriptisque Fidem Catholicam egregie illustrasset, Friburgum sexagenarius venit, Collegii Societatis Jesu fundamenta jecit, multa præclara documenta dedit, & quasi quidam Friburgensium Patronus, Ecclesiæ per Helvetiam Patriarcha, Religionis Catholicæ suo tempore columna, toto Christiano orbe notissimus, fide, prudentia, indefesso scribendi labore, abstinentia perenni, gravitate, animi puritate, flagrantissimo Dei amore, multaque sanctitate clarissimus, migravit ad Christum Festo *S. Thomæ* Apostoli anno 1597. ætatis septuagesimo-septimo. Ita ejus Epitaphium ab *Auberto Miræo* descriptum p. 11. Bibliothecæ Ecclesiasticæ. Scripsit *Summam Doctrinæ Christianæ*, secundum sententiam & doctrinam Concilii Tridentini, Commentarios *de verbi Dei corruptelis*, & alia, quæ a *P. Allegambe*, in Bibliotheca Scriptorum Societatis Jesu recensentur.

LXXXII. *Alphonsus Pisanus*, natione Hispanus, patria Toletanus, Societatis Jesu Professor, in Ingolstadiensi ac Dilingensi Academiis magna cum laude Theologiam docuit; & in Poloniam profectus strenuam Catholicæ Ecclesiæ adversus Hæreticos navavit operam. Scripsit eruditos Tractatus *de Quæstionibus Fidei Controversis*, item *Acta & Canones Concilii Nicæni Oecumenici I. &c.* Obiit anno salutis 1597.

LXXXIII. *Dominicus Bannes*, Hispanus, Mondragonensis, Ordinis FF. Prædicatorum, vir pietate & eruditione celebris olim *S. Theresiæ* Director, Commentaria exquisita in I. Partem, & Secundam Secundæ *S. Thomæ*, quibus Tractatum *de Fide, Spe & Charitate* explicat. Item Tractatum *de Justitia & Jure* doctissimum transmisit ad posteros.

LXXXIV. *Joannes Molanus* Lovaniensis Theologus Historiæ Ecclesiasticæ peritissimus, pluribus ingenii & eruditionis suæ relictis monumentis, 14. Kalendas Octobris, anno millesimo quingentesimo octogesimo-quinto in patria sua defunctus est.

SCHOLION I.

In hoc Articulo Religiosi Censores hanc Propositionem notant, Num. 2. pag. 929. *Tractatus Cajetani de Potestate Papæ & Concilii ab Academia Parisiensi & Ecclesia Gallicana non probatur.*

R. Mera facti Quæstio, cujus evidens veritas ex Actis Pisani Conventus, ex Libro Jacobi Almaini Doctoris Theologi Parisiensis contra istum Thomæ de Vio Cajetani postea Cardinalis Tractatum, ea Parisiensis facultatis Theologicæ Doctrina, Censuris ac Decretis. Neminem Theologum latet doctissimi Cardinalis Cajetani opinionem de potestate & auctoritate Papæ supra Concilium Generale, ab Ecclesia Gallicana & Facultate Parisiensi non esse probatam, immo improbatam & impugnatam. Sed hæc (ut dixi) mera facti quæstio est.

SCHOLION II.

Ibidem mihi vitio vertunt Religiosi Censores quod versionem Veteris Testamenti ex Hebræo a *Cajetano* adornatam reprehendam.

R. Non tam meum quam eruditissimi viri *Melchioris Cani* & aliorum criticorum de illa judicium profero. In *Palavicinum* censoriam animadversionem suam æque cadere non consideraverunt Viri Religiosi. Historicus Romanæ Curiæ probatissimus & sacram purpuram promeritus de *Cajetani* lucubrationibus in Scripturam Sacram ita scribit, lib. 16. Historiæ Concilii Tridentini, cap. 17. pag. 597. *Quod attinet ad Cajetanum qui eam ex editis in Sacras Literas Commentariis æstimat, periade sese habet ac qui non ex pennis, sed ex pedibus Pavonis pulchritudinem æstimat: nempe accidit ut hominis præcelsa mens, in aliis quidem Operibus admirabilis, in his ducem secuta, Hebraicæ magis Grammaticæ, quam divinæ Sapientiæ gnarum, jacuerit ingloria. Quin in eos Cajetani Commentarios commotus Gabriel Prateolus Episcopus Claromontanus, ipsum inter Hæreticos connumeravit; & quamvis justo severior fuerit ea censura in virum adeo pium atque illustrem, certe illius interpretationibus nullus datus est, nec ab Hæreticis, nec a Catholicis plausus.* Hæc Palavicinus.

Nota.

IN pluribus lapsus est Cajetanus; atque sicut a quocumque abfuit errore quousque Angelico Doctori adhæsit, ita ubi hunc ducem deseruit, & sibi nimis fidens ex suo ingenio plura conscripsit, devius a veritate non semel apparet. Cavendum nihilominus dicunt ab iis, quæ adversus illum scripsit Catharinus, & putant hunc majori numero calumnias inseruisse quam errores Cajetani. In Expurgatorio Inquisitionis Hispaniæ deletus fuit a numero hæreticorum, & locum obtinet inter viros qui ingenio, & pietate floruere, & de Ecclesia meriti sunt.

ARTICULUS III.

De Concionatoribus eximiis, & Scriptoribus Asceticis Sæculi XVI.

I. SAcræ eloquentiæ laude hoc sæculo floruerunt, *Oliverius Maillardus*, Armoricus, Theologus Parisiensis, Ordinis FF. Minorum, vir Sanctitatis etiam opinione clarus. Obiit anno 1502.

II. *Ambrosius de Spiera*, Tarvisinus, Italus Ordinis Servorum B. Mariæ.

III. *Antonius Vercellensis*, Ordinis Minorum, Ecclesiastes Apostolicus.

IV. *Joannes Raulinus*, Benedictinus, Cluniacensis Congregationis Reformator eximius, Theologus Parisiensis, quem Prophetiæ dono claruisse Jacobus Molinus Parisiensis Theologus, Germanus Faber Sancti Clodoaldi Decanus, & plerique alii testantur apud *Ascensium Badium* in vetere super Aulum Gellium Commentario.

V. *Guillelmus Pepinus*, Ordinis Fratrum Prædicatorum, Conventus Ebroicensis in Neustria alumnus, anno 1529.

VI. *Franciscus Offunensis*, Bœticus, Ordinis FF. Minorum, florebat anno 1530. Quorum omnium Conciones typis editæ.

VII. *Joannes Justus Lanspergius*, Bavarus Professione Carthusianus, ad posteros transmisit *Sermones totius anni*, & Libros 19. Minorum Opusculorum Vitam Asceticam & Spiritualem spectantium. Obiit anno 1539.

VIII. *Joannes Faber*, Haibrunensis, Ordinis Prædicatorum, Doctor Theologus, præter Libros V. *De Missa Evangelica*, quos *Laurentius Surius* in Latinum transfudit, & *Biblorum Enchiridion*, Conciones etiam emisit in *Joelem* Prophetam, &c. Florebat anno 1558.

IX. *Fridericus Nausea*, Viennensis Episcopus non minus in Concionatorio genere, quam in dogmatico excelluit. Conciones quoque ipsius excusæ sunt.

X. *Stephanus Paris*, Aurelianensis, Abelonensis in partibus infidelium Episcopus anno 1551. 16. Martii a Julio III. creatus, non Abelinensis in Hirpinis sub Archiepiscopatu Beneventano, ex Ordine FF. Prædicatorum assumptus, suos Canones publici juris fecit annis 1552. & 1555.

XI. *Joan-*

XI. *Joannes Decaus*, ex Monacho Benedictino Laudunensis in Gallia Episcopus, præter Libros duos *de Æterna Filii Dei Generatione, ejusque Temporali Nativitate*, Homilias per annum evulgavit. Claruit anno 1555.

XII. *Michael Heldingus*, Enslinga Sueviæ vico oriundus, Concionator *Caroli V.* ex Suffraganeo Moguntini Archiapiscopi Merseburgensis Episcopus, obiit an. 1561. pluresqua Concionum Tomos reliquit. Conciones illius 55. *de Missa* Latinas fecit *Surius*.

XIII. *Franciscus Zamora*, Ordinis FF. Minorum Ministar Generalis sub *Pauli & Pii IV.* Pontificatu, Homilias 25. edidit in Psalmum quinquagesimum. Orationem habuit in Synodo Tridentina Domioica II. Quadragesimæ, anno 1561.

XIV. *Didacus Stella*, Lusitanus, Ordinis Minorum, Libris *de contemnendis Mundi Vanitatibus*, a *S. Francisco Salesio* laudatis, Meditationibus *de Amore Dei*, allisque Operibus notus, oon solum nominis celabritatem egregie concionando sibi peperit, sed posteros concionatores informavit Libro *de Modo Concionandi*, seu *Rhetorica Ecclesiastica* Salmanticæ primum edita anno 1576.

XV. *S. Thomas a Villa-Nova*, sic a patrio solo in agro Toletano cognominatus, Ordinis Eremitarum S. Augostini Professor, Disciplinæ Regularis custos ac promotor ferventissimus, *Carolo V.* Imperatori a Concionibus & Consiliis Conscientiæ, Valentiuus deinde Archiepiscopus, ob eximiam in pauperes liberalistem Eleemosynarii cognomen promeritus, ad Superos migravit anno 1555. post obitum miraculis illustris. Ab *Alexandro VII.* Pontifice Maximo in Sanctorum oumerum relatus est anno 1658. Conciones ajus editæ sunt. Discipulos reliquit omni virtutum ac doctrinæ genere, sacra facundia, & studio salutis animarum præstantissimos; in his *Hieronymum Ximenium*, Apostolicum apud Indos Concionatorem, & *Alfonsum de Horosco*, Caroli V. & Philippi II. Regis Catholici Concionatorem.

XVI. *S. Franciscus Xaverius*, patria Navarrus e primis *S. Ignatii de Loyola* Sociis, etsi Conciones in Scriptis nullas ad posteros transmiserit, sed Epistolas dumtaxat aelum Apostolicum spirantes; cum tamen, quod longe gloriosius est, apud Indos Orientales, & Japonios, quibus a Deo datus est novissimus Apostolus, uberrimos Concionum suarum fructus reliquarit, prætermitti hic non dabet. Obiit vir sanctissimus io Sinensis Regni aditu anno 1552, ætatis 55. cujus sanctitas & dum viveret in terris, & postquam ad vitam immortalem migravit, frequentibus miraculis comprobata est. A *Gregorio* XV. Sanctorum Catologo solemni ritu adscriptus est. De ipso legendi Scriptores Historiæ Societatit Jesu.

XVII. *S. Ludovici Bertrandi* hic etiam meminissa jovat, natione Hispani, Valentini, Ordinis FF. Prædicatorum, qui ad Occidentales Indos Evangelicus Prædicator missus, uno tautum Hispanico usus idiomate a diversis & dissonis nationibus intelligebatur, ex quibus innumeras ad Christianam Fidem adduxit, miraculis clarus, quorum celabritas, & probatus vitæ in virtutibus heroicis actæ perpetuus tenor, *Clementem X.* Pontificem Maximum adduaerunt, ut eum inter Cœlites conscriberet. Obiit 7. Idus Octobris anno 1581. ætatis 55.

XVIII. *Benedictus Palmius*, Parmensis primus e Societare Jesu Pontificius Ecclesiastes a *Pio V.* delectus est. Contexuit utilissimum Concionatoribus Opus, in quo *SS. Patram* testimonia, quibus populos fuisse commotos experientia didicerat, in communes locos digessit. Obiit an. 1598.

XIX. Magister *Joannes Avila*, Hispanus, Almodavari vico Diœceseos Tolatanæ natus, vitæ sanctimoniam cum doctrina & zelo animarum conjunait. Cum *S. Paulum* Apostolum io Prædicationis munera imitandum sibi proposuisset, illud incredibili cum fructu per Bæticam exercuit. Præter Commentarium doctissimum & pientissimum io Psalmi XLIV. versum illum: *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliviscere populum tuum, & domum patris sui;* spirituales variis de argomentis reliquit Epistolas, quibus perlectis, perpensisque *argumenti varietate, sententiarum pondere, rationum momentis, locisque Sacræ Scripturæ, & præcipue scribentis facilitate, ac promptitudine, prudens quisque digitum Dei hic esse intelliget.* Verba sunt Vanerabilis *Ludovici Granatensis* in ejus Vita, quam Libris tribus scripsit. Probaverat ille *Avilæ* spiritum, eo familiariter usus, ut in Præfatione testatur. Obiit dia 10. Maii, anno 1569.

XX. *B. Ludovicus Granatensis*, a natali solo Granata Hispaniæ urbe celeberrima cognominatus, Theologus, Concionator, & Vitæ Spiritualis Magister egregius, magna sanctitatis opinione claruit, gratia & auctoritate apud Reges Lusitaniæ *Joannem* III. & *Catharinam* conjugem valuit, Bracarensam Archiepiscopatum a Regina sibi oblatum recusavit, & *Bartholomæo de Martyribus* conferendum curavit. Cardinalitias Infulas, quas ipsi destinaverat *Sixtus V.* Pontifex Maximus, gratulatoriis *Michaelis Bonelli* Cardinalis Alexandrini monitus literis, humillime deprecatus est, vitæ religiosæ paupertatem Eminentissimæ Dignitati, solitudinem Aulæ anteponens. Prædicatorum Ordinam, quem professus fuerat, & universam Ecclesiam, virtutum exemplis, & Scriptis divinis ornavit, illustravit. *Conciones*, *Rhetoricum Sacram* instituendis Concionatoribus cumprimis utilem; *Ducem Peccatorum*: Libros *de Oratione & Meditatione*: *Memoriale Vitæ Christianæ*: *Catechismum* &c. nominassa, laudassa est, in quibus nescias quid prius mirari debeas, pietatem an eruditionem. Ejus Opera *Gregorius* XIII. datis ad ipsum Apostolicis literis laudavit; majoraque piis Libris ipsum edidisse miracula dixit, quam *si cæcis aspectum, aut mortuis a Deo vitam impetrasset*. Obiit Olyssipone, pridie Kalendas Januarii, anno 1588. ætatis 84. Quanti fecerit ejus Opera *S. Franciscus Salesius*, notum est ex ejus Epistola 34. Libri 1. ad quemdam Episcopum sibi amicissimum cujus quidem Epistolæ verba Latine reddo: *Ludovicum Granatensem integrum habeas, sibique Breviarum sit alterum. Cardinalis Borromæus alia ad concionandum Theologia non utebatur, & tamen concionabatur egregie. At non hic illius præcipuus usus est. Animum scilicet ad veræ devotionis amorem diriget tuum, & ad omnia necessaria tibi exercitia spiritualia. Ipsius lectionem a Duce Peccatorum auspiceris velim; tum ad Memoriale transeat; tandem totum perlegas. Verum ut fructuose legatur, non raptim legendus & quasi devorandus, sed ponderandus & æstimandus est. Per singula capita in eo meditandum, ejusque doctrina magna consideratione, & precibus ad Deum, animæ applicanda. Cum reverentia & devotione legendus est, seu Liber utilissima, quibus animu cœlitus afflari ac erudiri possit, continens documenta: ex quibus omnes animæ facultates reformandæ, &c.*

Ludovici Granatensis & Operum ejus elogium.

XXI. *B. Bartholomæus a Martyribus*, Lusitanus, Ordinis FF. Prædicatorum Professor, ob singularem doctrinam cum vitæ sanctimonia conjunctam, Regi Lusitaniæ Præceptor datus, & *Ludovico Granatensi* quicum familiaritate conjunctissimus erat agente, a *Catharina* Regina Bracarensis Archiepiscopus renuntiatus est, Tridentinæ Synodo interfuit, & Sacram Reformationem totis viribus promovit. Episcoporum auctoritatem a Christo immediate acceptam, & Residentiam Jura Divino necessariam fortiter propugnavit. Cum *S. Carolo Borromæo* amicitiam iniit, fuitqua *Pio IV.* Pontifici Maximo acceptissimus. Disciplinam in Bracarensi Provincia restituit, Cleri Populique mores amendavit, Ecclesiæ Jura ac Libertatem occasione data constantissime defendit. Obiit magna sanctitatis opinione anno 1590. *Stimulum Pastorum*, ex Moralibus & Pastorali *S. Gregorii*, nec non ax Epistolis & Libris *S. Bernardi* De Consideratione, maximam partem excerptum, Episcopis & Sacerdotibus curam animarum habentibus ad Munus optima gerendum informandis cumprimis utilem, cujus adeo lectionem amico Episcopo commendat *S. Franciscus Salesius* Epistola supra laudata, conscripsit. *Compendium* etiam *Spiritualis Doctrinæ* ex Variis Patrum sententiis adornavit, quod eo permittente edendum curavit *Ludovicus Granatensis*, qui & istud Auctoris & Operis Elogium Libro præfixit: „ Hujus Operis (*inquit*) Auctor fuit „ Reverendissimus Archiepiscopus Bracarensis & Primas, ex D. Dominici grege ad banc Dignitatem „ assumptus. Qui priusquam ad hoc Munus cooptaretur, viginti annis in nobilissimo Cœnobio Victorensi Sacræ Theologiæ Cathedram cum maxima sua „ laude moderatus est, & in aa meritissimo Jure Magisterii honore laureatus. Quamvis autem Scholasticæ Theologiæ studia præcipua colerat, numquam „ tamen hoc ipso tempore Mysticæ Theologiæ, quam „ is charissimam habebat, studia intermisit, Auctorum Libros qui de ea diligentius scripserunt, assidue avolvens, & præcipuas eorum Sententias carpens, scriptoqua consignans, ut frequenti eorum „ lectiona, & in Dei amore, & virtutum studio „ quotidie proficeret. Cum ergo his rationibus bonus „ Christi odor effectus asset, Serenissima & Sanctissima

Bartholomæi de Martyribus Opera.

Bartholomæi de Martyribus elogium.

Regi-

„ Regina D. Catharina, quæ in demortui viri loco „ Lusitaniç Regnum moderabatur, hujus boni odoris „ virtute permota, ipsum Bracarensis Eccelesiç Pastorem preficiendum curavit. Quod ille Munus ea Majorum suorum imperio, Ecclesiastica Censura adactus, recusare non potuit, alias nulla ratione subiturus. Qui enm astantibus omnibus Cœnobii Ulyssiponensis Fratribus, precepto paruisset, hoc de se testatus est. Ego (inquit) hoc nomine a multis accusor, quod nimium propositi mei tenax sim: in hac autem una re coram vobis profiteor me tenacem futurum, quod ab omni fastu & splendore domus & familiç alienissimus ero, eamqua humilitatem in cultu corporis, in mensa, ceterisque similibus, quam Monachus sactatus sum, in Episcopatu retenturum: nec me ulla vis aut ratio ab hac meote & consilio umquam revocabit. Hoc quidem ille pollicitus est, quod quam plene sd hunc usque diem prestiterit, tota Lusitania testis est. Parcissima enim mensa, & axigua supellectili, & familia contentus, quç sibi ademit, nec in consanguineos, nec in famulos, aut aliqua necessitudine sibi conjunctos, non denique in Palatiis ornandis & ampliandis, sed in miseriis pauperum sublevandis, & adolescentibus in literis & moribus instituendis impendit. Ad quod plenius prçstandum, Collegium ibidem ea Patribus Societatis Jesu extulit, qui hanc docendi provinciam susceperant. In insigni etiam & numeroso populo Vianç Monasterium D. Dominici similiter a fundamentis erexit atque dotavit. Is igitur inter varias Pastoralis Officii curas, numqnam Rachelis suæ amplexus deseruit, sed diem Pastoralis Officii curis, noctem Deo offerebat. Quo tempore quidquid de Mystica Theologia a summis viris, hoc est, Dionysio, Bernardo, Bonaventura, Gersone scriptum est, studiose legens, has gemmas super aurum & topazion pretiosas Novis ministravit. Quibus ago legendis tantopera dalectatus sum, ut fera affirmare possem ma nihil hactenus in vita legisse, quod acriores piis hominibus stimulos ad hujus cœlestis Philosophiæ amorem adderet, majoremque lucem hia, qui huic „ studio dediti sunt, præferret. Alia præter hæc Opera reliqnit *Bartholomæus a Martyribus*, quæ in unum collecta Volumen, præln parata *P. Quetifius* Ordinis nostri Parisiis in Conventu *S. Mariæ Annuntiatæ* ad viam *S. Honorati* Sacerdos, cum ejusdem Venerabilis Archipræsulis Vita, ea uberiori, quæ Gallico idiomase aliquot abhine annis stylo sane accuratissimo & elegantissimo edita est.

S. Ignatius Libri Spiritualium Exercitiorum Auctor.

XXII. *S. Ignatius Loyola*, natione Hispanus, in ea regione quæ ad Pyreoæum pertinet, ad oppidum Aspeithiæ, Pampilonensis Diœcesis, anno 1491. natus, Societatis Jesu Parens & Conditor, præter Constitutiones eidem Societati datas, & pias quasdam Epistolas ad filios, admirabilem *Spiritualium Exercitiorum* Librum transmisit ad posteros; qui a *Paulo III.* aliisque Pontificibus approbatus ac laudatus ast, atqua a viris doctissimis & pientissimis commendatus. Ad vitam immortalem migravit *S. Ignatius* pridie Kalendas Augusti anno 1556. & a *Gregorio XV.* in Cœlitum numero relatus est, hernicis ejus virtutibus ac miraculis probasis, quarto Idus *Martii* anno 1623. Cum vero morte præreptus *Gregorius* Canonizationis Diploma non publicasset, illud emisit *Urbanus octavus* ejus Successor VIII. Idus Augusti ejusdem anni.

XXIII. *Ludovicus Blosius*, ex antiqua & illustri Blosiorum & Barbansoniorum Stirpe, in eo Provinciæ Leodiensis pago, qui non procul ab Hannoniæ oppido Bellomonte situs, *Donum-Stephani* appellatur, adolescens in *Caroli V.* Imperatoris Aulam, ut Nobilium mos est, a parentibus missus, & Cæsari charus, afflante Spiritu Sancto ab Aulica Vita ad Religiosam se transtulit, & *S. Benedicti* Regulam in Cœnobio Lætiensi professus est. Studiis in Academia Lovaniensi feliciter peractis Latinisque, Græcis, Hebraicis Literis, nec non Philosophia & Theologia sub optimis Magistris imbutus, soln virtutis nomine ab *Ægidio Gippo* Lætiensi Abbata, communi Monachorum suffragio, absens, reique ignarus, & invitus, in Coadjutorem assumptus est, anno ætatis vigesimo secundo, Christi 1527. Defuncto *Gippo*, anno 1530. Lovanio revocatus, in ejus locum subrogatus est. Vitæ innocentia, Regularis Disciplinæ zelo, sacræ lectionis & orationis frequentatione, mansuetudine, charitata, hospitalitate, magnanimitate, adversorum tolarantia, liberalitata in pauperes, opum contamptu, zelo adversus hæreses & vitia, Asceticis Libris, domi forisqua clarissimus, magna sanctitatis opinione e vita migravit 7. Januarii anno 1566. ætatis 59. Vitam ejus ax Monasterii Lætiensis Archivis, & aliis documentis a quodam ex Ordina *S. Benedicti*, Sacræ Theologiç Doctore scriptam, & a Lçtiensibus, prçsertim vero a *Vingio* Abbate immutatam & ornatam, cum ejusdem *Blosii* Operibus editam legere est, & apud *Bollandum* inter Acta Sanctorum mensis Januarii, ad diem 7. cui & Scriptorum Catalogum Chronologicum premittit.

XXIV. *S. Theresia a Jesu*, in sæculo dicta *Theresia a Zepeda & Aumuda*, Abulæ in Regno Castellç nata parentibus ut genere præclaris, ita etiam vitæ integritate conspicuis, anno ętatis vigesimo Christo se totam despondens ad Moniales *S. Mariæ de Monte Carmelo* sa contulit; ibique per duodeviginti annos gravissimis morbis, ac variis preterea tentationibus vexata, omnibus virtutibus in gradu heroico excelluit, coruscavit, præsertim vero divino amore, qui adeo in corde ejus exarsit, ut confessarii ipsius *Theresiæ* charitatem, tamquam non hominis, sed Cherubim propriam, admirarentur & celebrarent. Eam spiritu intelligentiæ Dominus adimplevit, ut non solum bonorum operum in Ecclesia Dei exempla relinqueret, *sed & illam cœlestis sapientiæ imbribus irrigaret, editis de Mystica Theologia, aliisque etiam multa pietate refertis Libellis, in quibus Fidelium mentes uberrimos fructus percipiunt, & ad supernæ patriæ desiderium maxime excitantur*, (inquit *Gregorius XV.* in Canonizationis ipsius Diplomate.) Reformationem Carmelitani Ordinis aggressa est, arduumque & difficillimum, sed Ecclesiæ Christi utilissimum opus, non solum in mulieribus, sed & in viris egregie perfecit, ædificatis non modo per univarsas Hispanias, sed & per alias etiam Christiani orbis partes tam virorum quam mulierum Monasteriis, sine pecunia, sine proventibus, sed sola Dei misericordia confidens, nec modo omnibus humanis destituta auxiliis, sed adversantibus plerumque ac contradicentibus Principibus & Potestatibus sçculi: quæ tamen Domino opus suum confirmante, radices miserunt, incrementa susceperunt, & demum in Domo Dei uberes proventus fructificarunt. Hæc vere spiritualis & cœlestis doctrinæ Magistra, scripsit *Vitæ suæ Relationes*, *Viam Perfectionis*, *Fundationum Cœnobiorum suorum* librum unum, *Castrum animæ*, & in *Cantica Canticorum* librum 1. quæ in linguam Gallicam elegantissimo stylo transfusa sunt. Eam Salmanticenses Doctorali sua lauro cingere decreverunt, & cinxerunt: in Patronam tota sibi adoptavit Hispania. Migravit ad Sponsum 4. nonas Octobris anno 1582 ætatis 68. Eamque miraculis, dum vixit & post obitum, illustrem, Sanctarum Virginum Catalogo *Gregorius XV.* Pontifex Maximus adscripsit die 12. Martii, anno 1622.

S. Theresiæ Elogium.

Opera.

SCHOLION.

Cum Libellis & Epistolis Gallicis lacessar ab Anonymo Societatis Jesu Rectore Theologastro, Moralem Theologiam a ma editam arrodente, & Thomistas nostros in probabilitatis patrocinium irrito conatu traheote; vanissimi declamatoris Parallelo, Anonymi Theologi Epistolis duabus ad RR. Patres Societatis Jesu luculenter & abunde confutato, hic opportunitate data oppono prçclaram *Bartholomæi a Martyribus* Sanctissimi & Doctissimi Bracarensium Archiepiscopi, ex Ordine FF. Prædicatorum assumpti, Regulam da opinionum delectu, ex ejus Compendio Vitæ Spiritualis, cujus in hoc Articulo nu. 21. memini, cap. 7. desumptam. *In quolibet negotio agendo* (inquit) *si incertus sis; quid potius eligas, nesequam statuas quid agendum sit, prius ipsa considera quid tu fratri in eo re consuleres. Item quid acturus esses, si instaret tunc hora mortis. Item cogita quid malles egisse cum steteris in die judicii coram Domino, & illud age. Si dubitas adhuc, elige illud quod naturæ tuæ ac affectionibus molestius est, ac magis adversatur*. Hæc Bartholomæi a Martyribus, & Venarabilis Ludovici Granatensis, Dominicanorum sanctimoniæ & eruditionis fama conspicuorum doctrina, quam in Schola S. Thomæ acceptam, ad Ecclesiæ ædificationem effuderunt.

ARTICULUS IV.

De Theologia Moralis Interpretibus, seu Casuitis Saculi XVI.

I. PLures de Casibus Conscientiæ sæculo 16. Theologi erudite scripserunt, quor inter eminent *Thomas de Vio* Cardinalis *Cajetanus*, Ordinis FF. Prædicatorum, & *Franciscus* Cardinalis *Toletus* Societatis Jesu *a S. Francisco Salesio* hoc in scribendi genere merito commendatus; *Sylvester Mazolinus*, a vico feudi Astensir Prietio in Subalpinis *Prierus* cognominatus, Sacri Palatii Magister, Fidei adversus *Lutherum* egregiur propugnator, & Concionator etiam sua ætate insignis, die 20. Octobris, anno 1520. Rhedonibus in Minore Britaooia defunctus.

II. *Martinus Azpilcuete*, *Navarrus*, Ordinis Canonicorum Regularium *S. Augustini* Roncævallis Professor, vir non minus pietate quam Juris utriusque scientia commendatissimur. Tolosæ, Salmanticæ, Conimbricæ summo cum applausu docuit. Tanta ejus fuit doctrinæ vis & auctoritas, non vulgi opinione collecta, sed publico totius Reipublicæ Christianæ testimonio comprobata, ut ejus sententia certa quædam lex & quasi oraculom sit babita. Romam profectus, *Pio V*, *Gregorio XIII. Sixto V.* Pontificibus Maximis charissimus fuit. Ibidem obiit duodecimo kal. Julias 1586. ætatis nonagesimo quinto.

III. *Alexander Ariostus*, Gallorl, Ordinis Minorum circa annum 1550. celebris, *Bartholomæus Fumus*, Villaurensis, Placentinus Ordiois Prædicatorum, Hæreticæ pravitatis Quæsitor, *Armillæ Aureæ* Auctor, claruit anno circiter 1545.

IV. *Joannes Tabiensis*, cognomento *Cagnatius*, a Tabia Liguriæ natali oppido sic dictus Theologus Bononiensis, *Summæ Summarum de casibus conscientiæ* quæ vulgo *Tabiene* dicitor, Auctor, Ordinis Prædicatorum, obiit anno 1561.

S. Caroli Borromæi elogium.

V. *Carolus Borromæus*, Patritius Mediolanensis, *Pii IV.* Pontificis Maximi ex sorore nepos, ætatis anno 82. S. R. E. Cardinalis, & Mediolanensis Archiepiscopus anno vigesimo-tertio a Patruo ereatus, singulari vitæ innocentia & sanctitate commissam sibi Ecclesiam annis vigintiquinque rexit, Disciplinam Christianam & Ecclesiasticam in Provincia sua instauravit, collapsos Cleri populique mores emendavit, sex Conciliis provincialibus, Diœcesanis undecim celebratis; varisque edictis, ordinationibus, & Decretis promulgatis, variis *Instructionibus* editis, Prædicatorum, Confessariorum, Parochorum, &c. & Sacramentorum omnium administrationem spectantibus: ex quibus eas maxime quæ Pœnitentiæ & Eucharistiæ administrationem spectant, Illustrissimi ac Religiosissimi Gallicanæ Ecclesiæ Præsules, a Clero suo com Sæcolari tom Regulari, edito in Generalibus Comitiis Decreto legi & observari jusserunt, adeoque Typis elegantibus edi curarunt. Reliquit etiam *Institutiones*, *Literas Pastorales*, *Librum Memorialem*, & *Conciones Synodicas*, quæ omnia in unum collacta, sub titulo Actorum Ecclesiæ Mediolanensis edita sunt. Copiosior & absolutior est Editio Lugdunensis Tomis duobus anno 1683. *S. Caroli Borromæi Instructiones* præ omnium Casuitarum Summis & Summulis legendas ac sequendas existimo, quamvir eorum Auctorum, quorum opera ab Ecclesia approbata, aut permissa sunt, nemini derogatum velim, nec sua quempiam laude fraudare. Ad Superos migravit 3. Nonas Novembris, anno 1584. ætatis 47. Accepto de ejus obitu ountio, *Gregorius XIII.* exclamavit, *Extincta est lucerna in Israel*. Illum in Sanctorum namerum solemni ritu retulit *Paulus V.* anno 1610. Hæc ipsi familiaris erat sententia, quam & in sigillo expressam habuit: *Sola gaudet humilitate Deus*. Vitam ejus scripserunt *Carolus a Basilica S. Petri* Presbyter Mediolanensis, ex Congregatione Clericorum Regulatium S. Pauli Decollati, *Augustinus* Cardinalir, *Valerius* Veronensis Episcopus, & *Joannes Petrus Jussanus*, Mediolanensir Presbyter, ex Congregatiooe *Oblatorum S. Ambrosii* ab ipso *S. Carolo* instituta.

ARTICULUS V.

De Jurisconsultis Illustribus Sacali XVI.

I. JUrisperitos inter celebre nomen sibi pepererunt XVI. Sæculo *Laurentius Campegius*, Bononiensis, S. R. E. postea Cardinalis, Jus Cæsareum Patavii ona com patre suo *Joanne Campegio*, maxima cum laude professus.

II. *Petrus Paulus Parisius*, Consentinus, Calaber, S. R. E. Presbyter Cardinalis a *Paulo Tertio* ereatus, præter Commentarium in Decretales Romanorum Pontificum Epistolas, Consiliotum Volumina 4. aliaque in lucem emisit. Obiit anno 1545.

III. *Nicolaus Boerius*, Gallus, in Senatu Burdigalensi Præses, aono 1539. defunctus, cojus Opere in pretio sunt.

IV. *Andreas Alciatus*, Mediolanensis, Græce & Latine doctissimus, qui Jurisprudentiam barbaro dicendi genere involutam pristino nitori restituere, & ad fontes revocare cœpit. Primum Avarici Biturigom Jus Civile professus est; deinde Ticini in Insubria. Obiit an. 1548. Iisdem artibus excelluit *Franciscus Alciatus*, ejus gentilis & alumnus, ac in Cathedra Ticinensi successor, S. R. E. Cardinalis e *Pio V.* creatus.

V. *Petrus Rebuffus*, Gallus, Monspeliensis, Auctor Commentarii in Concordata, *Praxis Beneficiorum*, Commentariorum in Constitotiones Regias, Tractatuum *de Decimis*, *de Feudis &c.* Claruit ab anno 1554. ad annum 1583.

VI. *Joannes Hieronymus Albanus*, Eques, & Jurisconsultos, Librum *de Immunitate Ecclesiarum* Julio III. Pontifici Maximo obtulit Romæ anno 1553. Alterum librum edidit *de Potestate Papæ & Concilii*.

VII. Eadem ætate *Raymundus Rufus* Gallus Jurisconsultus, suam Defensionem pro Pontifice Maximo, Cardinalibus, Episcopis, aotoque Ordine Sacro, contra *Carolum Molinæum*, doctissimum etiam Jurisconsultum, sed in multis ab Ecclesia improbatum, edidit anno 1553. Eadem ætate florebat *Franciscus Duarenus*, Briocensis in Aremoricis qui dicendi genere suavi & facili omnes sui temporis Jurisconsultos superavit. Obiit Avarici Biturigum, obi Jurisprudentiam magna frequentia ac celebritate professus est, anno 1559.

VIII. *Andreas Tiraquellus*, Senior Fontenaii in Pictonibus natus, in Curia Parisiensi Senator, præter alia scripsit Tractatum *De Privilegiis piæ causæ*. Obiit anno 1556.

IX. *Augustinus Berojus*, Bononiæ Juris Canonici Professor, cujus edita sunt *Consilia*, & Commentarii in Decretales, eadem ætate floruit.

X. *Joannes Bernardus Diaz*, Hispanus, Decretorum Doctor, Calaguritanus Episcopus, *Carolo V.* Imperatori e Consiliis, scripsit *Practicam Criminalem Canonicam*, Lugduni, Venetiis, Antuerpiæ, & Romæ annis 1565. 1568. & 1581. editam. Item *Regulas Juris cum ampliationibus & restrictionibus*.

XI. *Joannes Quintianus*, Burgundus, ex Ordine Hospitalario S. Joanois Hierosolymit. Juris Doctor & publicus Canonom Lutetiæ Professor, Synodum Gangrensem Græce & Latine, Canones Apostolorum, & *Tertulliani* Librum *de Præscriptionibus Hæreticorum*, Scholiis & Commentariis illustratum, emisit in lucem annis 1560. & 1561.

XII. *Jacobus Simancas*, Septimaniensis, ab oppido natali, quod *Simancæ* popularitar appellatur, cognominatus, Juris utriusque in Academia Salmanticensi Professor, deinda in Vallisoletano Prætorio Senator, multis Operibus Jurisprudentiam illustravit: quin & Religioni profuit, *Institutionibus Catholicis adversus Hæreses* editis anno 1552.

XIII. *Franciscus Vargas*, Philippi II. ad Pium IV. Pontificem Maximum Legatus, Librum *de Episcoporum Jurisdictione & Romani Pontificis Auctoritate* Romæ publicavit anno 1563.

XIV. *Petrus VVellius*, Jurisconsultus, Librum *de Usuris* Coloniæ publici juris fecit anno 1556.

XV. *Philippus Nigrius*, Harlebecanus in Belgio præpositus Bruxellæ ad *S. Gudulam* Canonicus ac Decanus, *Carolo V.* Imperatori & *Philippo Secundo* Regi a Sanctioribus Consiliis, Ordinis Velleris Aurei Cancellarius, multis & amplissimis eorum Principum Legationibus præclare functus, tandem Episcopus Antuerpiensis designatus, Librum *de Exemptione Canonica* transmisit ad posteros. Obiit anno ineunte 1563.

XVI. *Franciscus Balduinus*, Attrebatensis, Jurisconsultorum sui temporis facile Princeps, Avarici Biturigum, Lutetiæ Parisiorum, ac in pluribus Germaniæ Academiis Jurisprudentiam incredibili eum plausu professus, de Catholica Religione scriptis adversus *Calvinum & Bezam* Libris, non minus quam de Republica & de universa Jurisconsultorum natione editis de Jure Civili Commentariis, præclare meritus est. Eruditis in *Optatum Milevitanum* Annotationi-

tionibus palam fecit quantum in facra etiam Antiquitate & Historia Ecclesiastica versatus esset, exemploque probavit quod in ore frequenter habebat, *Historiam cum Jurisprudentia conjungi oportere*. Obiit Lutetiæ 11. Novembris anno 1573. ætatis 53.

XVII. *Gaspar Cervantes*, Hispanus, Placentinus, Jurisprudentia una & Theologica eruditione nobilis, Tridentinos Patres in sui admiratione defixit. Messanensi primo, deinde Salernitanus, postea Tarraconensis Archiepiscopus, tandem S. R. E. Cardinalis a *Pio V.* creatus est. Obiit 16. Kalendas Novembris anno 1575.

XVIII. *Didacus & Antonius Covarruvias*, fratres Hispani, Toleto oriundi, ad Concilium Tridentinum a *Philippo* Rege Catholico missi, ex insigni Juris utriusque peritia magnam sibi laudem pepererunt. *Didacus* domum reversus, Rodericiæ primum civitatis, deinde Segobiensis, demum Conchensis Episcopus designatus est. Obiit anno 1577. *Variarum Resolutionum* Libris, *Practicis Quæstionibus*, aliisque ingenii monumentis relictis. *Antonius* Libro *de Jure Lusitanici Regni*, quem *Philippo* II. Regi Catholico dicavit, notus, Toletanus Canonicus. Obiit 12. Kalendas Januarias anno 1602.

XIX. *Viglius ab Aita Zuichemus*, Frisius, Dolæ apud Sequanos, Valentiæ Cavarum, Avarici Biturigum, Patavii, Ingolstadii, Jus Cæsareum docuit; a *Carolo V.* Cæsare magnis actus honoribus, sublata e vivis uxore, Sacris initiatus, amplissima ad Divi *Joannis* ad Gandavenses Præpositura donatus. Lovanii augustum Frisiorum genti Collegium a fundamentis erexit, dotavitque. Obiit septuagenarius anno 1577. Præclaros *De Testamentis* Commentarios edidit.

XX. *Joannes Paulus Lancellottus*, Perusinus, *Institutiones Juris Canonici* Gregorii XIII. Pontificis Maximi jussu, Imperatoris *Justiniani* exemplo conscripsit, & Corpori Juris Canonici Indices adjecit.

XXI. *Fridericus Sconcquius*, ex illustri Baronum Tautemburgensium familia apud Transisalanos oriundus ætatis anno 17. Juris Lauream promeritus, 20. *Carolo V.* ab arcanis consiliis fuit, deinde Assessor Curiæ Imperialis Spiræ creatus, converso ad Clericalem Militiam animo, ex Præposito *D. Petri* apud Ultrajectanos, primus illius Urbis Archipræsul creatus est. Obiit anno 1580. ætatis 87. Jure Cæsareo præclaris Commentariis illustrato.

XXII. *Hugo Boncompagnus*, Bononiensis, Juris utriusque Doctor & Professor, Summus postea Pontifex *Gregorius* XIII. inter summos Jurisconsultos jure merito laudatur, cujus studiis, curis, auspiciis, auctoritati, *Gratiani* tutiusque Juris Canonici emendationem, Ecclesia & Respublica Literaria debent.

XXIII. Hic etiam cum laude repetendum est *Martini de Azpilcueta*, Doctoris *Navarri* nomen de quo superiori Articulo diximus.

XXIV. *Prosper* Cardinalis *SanSucrucius*, Romanus Rotæ, cujus Dodecimvir fuerat, *Decisiones* edidit. Obiit anno 1589.

XXV. *Joannes Stephanus Durantius*, Tolosano in Senatu Præses, Librum *De Sacris Ecclesiæ Ritibus* conscripsit, post ejus obitum Romæ *Sixti V.* jussu, & alibi postea editum. A Tolosana plebe, turbatis Galliæ rebus oppressus & interfectus est anno 1589.

XXVI. *Barnabas Brissonius* Fontenaii in Pictonibus natus jussu *Henrici* III. Regis Christianissimi Codicem Gallici Juris composuit. Scripsit etiam *De Verborum*, quæ ad Jus pertinent, *Significatione*, eruditum Opus, &c.

XXVII. *Bertrandus Argentræus*, in Parlamento Britanniæ Senator, præter suæ Gentis Historiam, Annotationes edidit in Jus Aremoricorum Municipale. Obiit ànno 1590. ætatis 71.

XXVIII. *Jacobus Cujacius*, præclarum Jurisprudentiæ lumen, in urbe Tectosagum humili genere natus, incredibili omnium nationum concursu & applausu Jus Cæsareum Avarici Biturigum docuit, ac egregiis Commentariis illustravit. Obiit anno 1590. Vitam ejus scripsit *Papirius Massonus*.

XXIX. *Antonius Augustinus*, Cæsaraugustanus Romanæ Rotæ olim Duodecimvir, ex Allifano & Ilerdensi Episcopo Tarraconensis Archipræsul, de Antiquitate & Literis bene meritus, Civilis & Pontificii Juris Instaurator, *Antiquas Collectiones Decretalium*, & *Canones Pœnitentiales* cum eruditis Notis, *Epitomen Juris Pontificii*, Dialogorum XL. *De Emendatione Gratiani* Libros duos, aliaque ad Jus Civile & Pontificium spectantia edidit. Obiit pridie Kalendas Junias 1576. septuagenario major. Mortuum Oratione funebri laudavit *Andreas Scotius* Societatis Jesu, quam ad calcem Librorum Antonii Augustini *de Emmendatione Gratiani*, Baluzianæ Editionis legere est.

XXX. *Garcias Loaysa*, Hispanus, Complutensis Academiæ Doctor, Toletanus Canonicus & Archidiaconus, a *Philippo secundo* Rege Catholico studiis unici filii *Philippi Tertii* præfectus, eo munere egregie functus est. Archiepiscopus demum Toletanus creatus, obiit anno salutis 1599. ætatis 65. Concilia Hispaniæ unum in corpus collegit, Notisque eruditis illustrata eddidit.

XXXI. *Boetius Epo*, Frisius, Lutetiæ, Lovanii, Duaci, Jurisprudentiam summam cum laude docuit, atque honorarii vice titulum Palatini Comitis consecutus est. *Syntagmata* & *Ecclesiasticas* ac *Heroicas Quæstiones*, &c. transmisit ad posteros. Obiit Duaci anno 1599.

SCHOLION.

Ad hunc Articulum, Num. 7. pag. 983. refertur illa Religiosorum Censorum nota: *Carolum Molinæum doctissimum appellat*.

R. Carolum Molinæum *Doctissimum Jurisconsultum, sed in multis ab Ecclesia improbatum* vere dixit. Pelagii ingenium, eruditionem, facundiam non semel commendavit S. Augustinus. Quidni Molinæus Jurisconsultus doctissimus dicatur, cujus in Civili præsertim Jure, singularem & eximiam eruditionem Opera testantur. Scitum illud S. Hieronymi Libro 3. Apologiæ adversus Rufinum: „ Audi ergo, vir sapientissime, & Romanæ Dialecticæ Caput, non esse vitii hominem unum laudare in aliis, & in aliis accusare, sed eamdem rem & probare & improbare. „ In Tertulliano laudamus ingenium, sed damnamus „ hæresim. In Origene miramur scientiam Scripturarum, sed tamen dogmatum non recipimus falsitatem, &c. Sic in Carolo Molinæo Juris peritiam suspicimus & laudamus, sed omnia tamen quæ in ejus Operibus damnata sunt, improbamus ac damnamus.

ARTICULUS VI.

De Claris Historicis.

I. Historiam Sæculo XVI. Illustrarunt M. *Antonius Sabellicus*, fabri ferrarii filius, Æquicolis oriundus, qui scripsit Historiam *Enneadum* XI. ab orbe condito usque ad annum 1504. aliaque Opera. Obiit 14. Kalendas Majas anno 1506. Laudatur a *Leandro* in Italia sua, a *Philippo Bergomate* lib. 16. Supplementi Chronicorum, a *Ludovico Vives* lib. 5. De tradendis Disciplinis, a *Bembo* lib. 4. Epistola 4. ab *Erasmo* in Ciceroniano suo, a *Paulo Jovio*, &c.

II. *Jacobus Philippus Bergomas*, e nobili Forestorum familia Bergomi natus, Ordinis Eremitarum S. Augustini, *Innocentio* VIII. Pontifici Maximo gratissimus, Auctor *Supplementi Chronicorum*, ab orbe condito ad annum usque 1485. in priori editione Brixiensis, in altera autem Veneta ad annum 1503. obiit in patria anno 1518. Vir erat multæ lectionis & judicii non vulgaris, sed qui in rebus antiquis, Codicum vitio quibus usus fuit, sæpe nomina immutet (inquit *Vossius* lib. 3. de Historicis Latinis, cap. 11.)

III. *Leander Albertus*, Bononiensis, Ordinis FF. Prædicatorum, libros 6. *De Viris Illustribus* nostri Ordinis in lucem edidit anno 1517. *Italiæ* præterea Descriptionem *Henrico II.* Regi Christianissimo dicavit anno 1550.

IV. *Pandulfus Collenutius*, præter alia quibus stylum exercuit, Neapolitanam Historiam sex Libris Italico idiomate complexus est, ejusdemque Compendium Latine eddidit. A *Joanne Sfortia*, Pisaurensium Tyranno, in carcerem conjectus est, ibique strangulatus, vir hujusmodi morte indignus (ut *Paulus Jovius* refert.)

V. *Joannes Jovius Pontanus*, Cereti in Umbria natus, Neapoli Regii Scrinii Præfectus favore *Ferdinandi* Regis, sex Libris Historiam belli, quod Regem *Ferdinandum* Seniorem inter & *Joannem* Ducem Andegavensem gestum est, conscripsit. Obiit anno Christi 1505. A *Folino Gandio* extrema Epitome de Regibus Siciliæ & Apuliæ, ab *Erasmo* in Ciceroniano suo, a *Sebastiano Foxio* lib. 1. & 11. De Imitatione sive de Ratione styli, a *Florido Sabino* lib. 3. Subcisivarum Lectionum, cap. 6. laudatur.

VI. *Franciscus Guicciardinus*, Florentinus, excellentissimus Scriptor, & paucissimis antiquorum Histo-

Historicorum, recentium nemini gravitate sermonis, sententiarum pondere, ratiocinationum circumspectione postponendus, plerisque eximius anteponendus (ut *Spondanus* ait) quem *Divinum Historicum* Itali vocant, vivere desiit anno 1540. Historiam 20. Libris absolvit ad annum 1534. in electione *Pauli Tertii* Pontificis Maximi desinentem.

VII. *Michael Ritius*, Neapolitanus, Ludovico XII. Galliarum Regi a Consiliis, Libros tres *de Regibus Francorum* Romæ edidit anno millesimo quingentesimo quinto. Totidem scripsit De Regibus Hispaniæ, unum *de Regibus Hierosolymorum*, quatuor *de Regibus Neapolis & Siciliæ*, duos *de Regibus Hungariæ*.

VIII. *Joannes Margaritus*, Gerundensis Episcopus *Paralipomena Hispaniæ* libris 10. complexus est ab adventu Herculis in Hispaniam, usque ad *Theodosium Seniorem* & filios ejus *Arcadium & Honorium*, quorum temporibus Gothi in Hispanias irruperunt. *Paralipomena* inscripsit, quod referat præterita proximorum sæculorum Historicis.

IX. *Paulus Langius*, Germanus, Zuviccavii in Voitlandia natus, Ordinis Benedictini Monachus, *Citizense Chronicum* scripsit, a *Pistorio* Tom. Historicorum Germaniæ editum.

X. *Albertus Krantzius*, Hamburgensis, Theologiæ Professor, Canonicus & Decanus scripsit *Metropolim* sive Historiam Ecclesiasticam de Ecclesiis *Caroli Magni* ætate constitutis, vel instauratis, item *Saxonicam & Wandalicam*, necnon Chronicon rerum aliarum Septentrionalium, Daniæ scilicet, Sueciæ, Norvegiæ. A *Caroli Magni* temporibus ad annum millesimum quingentesimum quartum Historiam perduxit. Obiit 7. Idus Decembris 1517. A *Gerardo Geldenhaurio Noviomago* Præfatione in Germaniæ Illustratæ Scriptores, *Georgio Fabricio* Lib. 1. Saxoniæ suæ, *Pantaleone* parte II. Illustrium Germaniæ Scriptorum, & *Gerardo Joanne Vossio* Lib. III. De Historicis Latinis, cap. 10. laudatur.

XI. *Petrus Dorlandus*, Prior Carthusiæ in Zeelhem in Diœcesi Leodiensi, *Chronicon Carthusiense*, aliaque edidit. Obiit 25. Augusti, anno millesimo quingentesimo septimo,

XII. *Raphael Volaterranus*, condidit *Urbanorum Commentariorum* Libros 38. *Julio* II. Pontifici Maximo dicatos, quos *Urbanos* vocavit, quod eos in Urbe Roma conscripserit. In tres vero Tomos distinxit, quorum primus *Geographiam veterem* continet, alter *Antropologiam* sive Viros Illustres, tertius *Philologiam*, sive artium rudimenta. *Antropologiam* componebat anno millesimo quingentesimo quinto. De hoc Opere *Jovius & Floridus Sabinus* parum magnifice judicarunt.

XIII. *Polydorus Vergilius*, Urbinas, Romani Pontificis in Anglia Quæstor, & VVellensis Archidiaconus, præter Libros octo *de Rerum Inventoribus*, & Librum *de Prodigiis*, edidit *Historiam Anglicanam* Libris 26. quam *Henrico* VIII. dicavit anno 1533. Adversus ipsum objicit *Paulus Jovius*, quod *Scotis & Gallis sæpe reclamantibus, alieno potius arbitrio quam suo, intexuisse multa in gratiam gentis existimetur*. Sed nec Anglia doctioribus probatur. Sic inter alios de ipso censet *Henricus Savilius* Præfatione in Rerum Anglicarum Scriptores: „ Polydorus, ut homo Italus, & in „ rebus nostris hospes, & quod caput, neque in Re- „ publica versatus, nec magni alioqui vel judicii, vel „ ingenii, pauca ex multis delibans, & falsa plerum- „ que pro veris amplexus, Historiam nobis reliquit „ cum cætera mendosam, tum exiliter sane & jejune „ conscriptam.

XIV. *Paulus Æmilius* Veronensis, Principis Ecclesiæ Parisiensis *B. Mariæ* Canonicus, magnam sibi nominis celebritatem paravit Opere egregio *de Rebus Gestis Francorum*, cui annos triginta impendit. Ac Libros quidem novem perfecit, decimum morte præventus reliquit imperfectum. Desinit in anno quinto *Caroli* VIII, qui est Christi 1488. Obiit 3. Nonas Quintiles, anno 1529. „ Genus ejus scribendi doctum, ner- „ vosum, pressum, ad subtilitatem & argutias incli- „ nans, & relinquens, defigensque aliquid in animo le- „ ctoris. Sententias & dicta sæpe miscet paria „ antiquis. Rerum ipsarum sedulus scrutator, severus „ judex, nec legi nostro ævo, qui magis libet ab af- „ fectu (*inquit* Justus Lipsius *Notis in Lib. 1. Politi-* „ *corum Cap. 9.*) *De ipso* Erasmus *in Ciceroniano sic* „ *ita censet:* Pauli Æmilii & reconditam eruditionem „ & diligentiam, & vitæ sanctitatem, & summam in „ Historia fidem exosculor. Tullianam dictionem nec „ affectavit, nec habet.

XV. *Joannes Trithemius* a vico natali ad Mosellam fluvium appellatus, Ordinis Benedictini Professor, primum Spanheimensis, post Herbipolensis ad *S. Jacobum* extra muros Abbas, scripsit *Chronicon Monasterii Hirsaugiensis*, quod incipit ab anno octingentesimo trigesimo, & desinit in anno millesimo trecentesimo septuagesimo. Hos vero Annales anno 1514. ad incudem revocasse atque auxisse dicitur. Item *Chronicon Monasterii Spanheimensis*, in Diœcesi Moguntina; *Chronicon Monasterii S. Jacobi Majoris* in suburbio Herbipolitano; *Cathalogum Scriptorum Ecclesiasticorum*; Librum *de Illustribus Germaniæ Viris*; Librum *de illustribus Viris Ordinis S. Benedicti*, &c. quæ ex Bibliotheca *Marquardi Freheri* Francofurti prodierunt anno 1601. præter Opera pia, quæ studio *P. Joannis Busæi* Societatis Jesu Theologi Moguntinæ edita sunt anno 1604. Obiit *Trithemius* 8. Decembris anno 1516. ætatis fere quinquagesimo quinto. De ipsius Operibus plura dabunt *Vossius* Lib. 3. *De Historicis Latinis*, c. 12 & *P. Labbeus* in Dissertatione Historica *de Scriptoribus Ecclesiasticis*. De ipsius *Steganographia*, ob quam ab imperitis in Magiæ suspicionem immerito vocatus est vir pientissimus, lege *Spondanum* in Annalibus Ecclesiasticis ad annum 1499. N. 9. & 10.

XVI. *Onuphrius Panvinus* Veronensis, Ordinis Eremitarum *S. Augustini* Professor, de Historia Ecclesiastica ac profana bene meritus, cujus Opera *Possevinus* in Apparatu Sacro, & *Cornelius Curtius* in Elogiis Augustinianis recensent, quem Manutius *Helluonem Antiquitatis*; „ Scaliger *Patrem Historiæ*; Lipsius *Principalis Historiæ, & Fastorum veterum Patrem*; Thuanus *Virum ad omnes Romanas & Ecclesiasticas Antiquitates e tenebris eruendas natum*, obiit anno 1568. ætatis 39. nondum inchoato.

XVII. *Franciscus Torapha*, Civis & Canonicus Barcinonensis, Regum Castellæ & Aragoniæ seriem sub annum 1530. contexuit, sed pleraque ridicule ex Arca Noe, bellique Trojani fabulis derivans, urbium, gentiumque nomina cudit, deceptus *Pseudo-Beroso Annii Viterbiensis*, ut observat *Aubertus Miræus*.

XVIII. *Bernardus Luxemburgius*, a natali solo in Belgio cognominatus, Ordinis FF. Prædicatorum Professor, *Catalogum Hæreticorum* Libris 5. contexuit. Libellum etiam *de Ordinibus Militaribus* edidit. Fatalis ipsi fuit annus 1535.

XIX. *Ælius Antonius Nebrissensis*, a Nebrissa Bæticæ oppido natali cognominatus, Salmanticæ & Compluti publicus Eloquentiæ Professor, ac demum Historicus Regius, *Rerum a Ferdinando & Isabella Catholicis Regibus Gestarum Decades duas*, totidemque *Belli Navarræi* Libros conscripsit. Obiit anno 1554.

XX. *Petrus Bembus*, Patritius Venetus, S. R. E. Cardinalis, Orator, Poeta & Historicus eximius. Libros 12. *Historia Veneta*, aliaque ingenii monumenta transmisit ad posteros. Obiit Romæ anno 1546. & ad *S. Mariam super Minervam* sepultus est.

XXI. *Augustinus Trivultius*, Mediolanensis, S. R. E. Cardinalis, scripsit *Historiam Romanorum Pontificum*, qua se plurimum adjutorium *Onuphrius Panvinus* fatetur.

XXII. *Joannes Dubravius*, Bohemus, Olomucensis in Moravia Episcopus, vir legationibus rebusque gestis clarissimus, *Historiam Bohemicam*, Libris 33. complexus, obiit anno millesimo quingentesimo quinquagesimo tertio.

XXIII. *Joannes Magnus*, Gothus, Sedis Apostolicæ Legatus, Archiepiscopus Upsaliæ, Sueciæ, Gothiæ, VVandaliæ Primas, Librum *de Episcopis Sueciæ*, & alterum Opus *de omnibus Regibus Gothorum & Suecorum* edidit Romæ anno 1555. De ipso plura *Possevinus*, qui ipsum vidit, & de Religione etiam optime meritum testatur Apologia contra Lutheranas & impias Constitutiones in Arosia Sueciæ civitate conditas anno 1527. Libris 24. Historiæ *Joannis Magni* Appendicem addidit *Olaus Magnus* ejus frater ac Successor.

XXIV. *Wolfangus Lazius*, Medicus Viennensis, & *Ferdinandi* I. Imperatoris Historicus, *Rerum Viennensium* Libros 4. edidit; *De Republica Romana in exteris Provinciis bello partis constituta*, Libros 12. *De Variarum Gentium Migrationibus*, Libros 2. *Genealogiæ Austriacæ* Libros 2. &c. Obiit anno 1555.

XXV. *Joannes Vasæus*, Brugensis, Belga, Salmanticæ publicus Eloquentiæ Professor, *Chronico Rerum Hispanicarum* relicto, quod in pretio est, obiit anno circiter 1560.

XXVI. Eodem tempore Thomas Faxellus, Siculus, Ordinis FF. Prædicatorum, Libros 20. *De Rebus Siculis* eleganti stylo in lucem emisit.

XXVII.

XXVII. Sub idem tempus *Rerum Venetarum Historiam* edidit Petrus Justinianus Patritius Venetus.

XXVIII. *Gabriel Prateolus*, Doctor Theologus Parisiensis, scripsit Librum *de Vitis, Sectis, & Dogmatibus Hæreticorum*, anno 1569. aliaque Opera.

XXIX. *Paulus Jovius*, Novocomi apud Insubres natus, a *Clemente VII.* Episcopus Nuceriæ creatus, Concilio Tridentino interfuit. Variis Operibus Historicis nominis immortalitatem sibi peperit, præsertim vero *Elogiis Virorum Illustrium*, quos in posterorum memoria fecit immortales. Obiit Florentiæ III. Idus Decembris, anno 1552. ætatis 70.

XXX. *Nicolaus Harpsfeldius*, Anglus, Archidiaconus Cantuariensis, in vinculis pro causa Religionis Orthodoxæ, temporibus *Elisabethæ* Reginæ viginti amplius annis Londini vixit, ac demum Confessor ibidem obiit anno 1593. Scripsit *Historiam Anglicanam Ecclesiasticam*, nec-non *Historiam VVichleffianam*, &c.

XXXI. *Hieronymus Suritu*, Regni Aragoniæ Historicus, & Secretarius Judicum violatæ Fidei, omnis Antiquitatis in paucis peritus, sinceritate, moderatione, diligentia, gravitate, nemini eorum, qui de Rebus Hispanicis scripserunt, anteponendus, adeo ut apud Regium Hispaniarum Consilium accusatus sit, quod Regum etiam vitia, gentisque ac soli, in Historia sua attingere ausus sit; ab *Ambrosio Morales* edita Apologia egregie defensus; *Rerum Aragonensium* Libros 30. totidem annis elaboravit Hispanico Idiomate, quorum ex prioribus Tomis *Indices Aragonensium Rerum* Latine eascripsit. Obiit Cæsaraugustæ 3. Nonas Novembris anno 1580.

XXXII. *Stephanus Garibajas*, Cantaber, Mondragonio oppido oriundus, Catholici Regis Historicus, *Annales Regnorum Castellæ, Lusitaniæ, Aragoniæ, Navarræ*, Hispano Sermone edidit, Opus ingens, quod quatuor Voluminibus in XL. Libros divisis res in Hispania domi forisque gestas complectitur. Florebat anno millesimo quingentesimo nonagesimo quinto.

XXXIII. *Josephus Pamphilus*, Veronensis, ex Augustiniano Eremita Sacrario Pontificio a *Pio quarto* Præfectus, & Signinus Episcopus postea creatus, præter Libros egregios „ De origine multarum Ecclesiæ Ceremoniarum; De Sacris Ritibus Veterum Pontificum in Baptismi, Chrismatis, & Eucharistiæ Sacramentis administrandis: De Exorcistis, & antiquo Ritu Dæmones expellendi, &c. Chronica sui Ordinis edidit Romæ anno 1581.

XXXIV. *Florimondus Ræmundus*, Gallus, Senator Burdigalensis, vir multæ lectionis & judicii singularis fabulam *de Joanna Papissa* egregie confutavit; scripsit etiam *de Antichristo*; item *de ortu, progressu, ac ruina Hæresum nostri ævi*, Gallico sermone: quibus Operibus & Ecclesiæ servivit, & laudem apud Eruditos non mediocrem consecutus est,

XXXV. *Ambrosius Morales*, Cordubensis, in Academia Complutensi Eloquentiæ Professor, & Catholici Regis Historicus, Operibus relictis, quibus *Hispanicam Historiam* plurimum illustravit, obiit anno 1592.

XXXVI. *Joannes Gonzales de Mendosa*, Augustinianus, a Rege Catholico anno 1580. Legationis ad Sinarum Regem princeps destinatus, quinto post anno *Historiam Regni Sinarum* edidit, ex plerisque ipsorum Libris, quos *Martinus de Rada* ejusdem Ordinis Professor Auchæi apud Sinas coemerat, ejus Regni Typis variis in locis editos, quos apud se quingentis annis prius repertos gloriantur, quam Typographia in Germania incœpisset.

XXXVII. *Ubertus Folieta*, Genuensis Sacerdos a civibus suis in exilium missus, quod Scriptis suis vulnera patriæ ac remedia liberius indicare non dubitaverit. Librum composuit *de ratione scribendæ Historiæ*; alterum *de laudibus urbis Neapolis*; item *de Sacro Fœdere in Selymum* Libros 4. *de Scriptoribus Italicis*, & alia Opuscula. Obiit Romæ anno 1581.

XXXVIII. *Antonius Bosius*, Italus, magnam vitæ suæ partem Cœmeteriis seu Cryptis veterum Christianorum Romæ & in vicinia lustrandis, ab anno 1567. ad annum usque 1600. impendit, scripsitque lingua Italica lib. 3. *De Roma subterranea*, quos post ejus obitum *Joannes Severanus*, Congregationis Oratorii Romani Presbyter, perfecit, & Libro quarto auctos in lucem edidit. Scripsit idem *Bosius* Historiam Ordinis *S. Joannis Hierosolymitani*.

XXXIX. *Angelus Roccu*, Italus ex agro Piceno oriundus, Ordinis Eremitarum *S. Augustini*, Professor a *Sixto V.* Romam evocatus, Sacris Bibliis, Conciliis, Patribusque restituendis & Scholiis illustrandis, toto decennio operam navavit. Ejus labores Præfectura Sacrarii Apostolici, ac deinde Tagastensi Episcopatu muneratus est *Clemens Octavus*. Magno sumptu instruxit Romæ in Cœnobio *S. Augustini* locupletissimam Bibliothecam, publicæ utilitati, sed maxime advenarum, quæ ejus nomine *Angelica* nuncupatur. At majorem sibi gloriam peperit lucubrationibus doctissimis, *Bibliotheca Vaticana*, *Bibliotheca Theologica & Scripturali*, &c.

XL. *Joannes Petrus Maffeus*, Bergomas, Societatis Jesu Professor, decimo sexto cadente seculo *Historiarum Indicarum* Libros 16. pereleganti stylo conscripsit, Vitamque *S. Ignatii* ejusdem Societatis Parentis libris 3. edidit, &c.

XLI. *Carolus Sigonius*, Mutinensis Italus, variis editis monumentis, quibus Italicam & Romanam Antiquitatem illustravit, in patria naturæ debitum persolvit, anno 1585.

XLII. *Franciscus Belcarias Peguil*, Metensis Episcopus qui Concilio Tridentino sub *Pio Quarto* interfuit Rerum Gallicarum Historiam ab anno 1461. ad annum 1580. Libris 30. complexus est. Librum etiam edidit adversus Calvinistarum dogma de Infantium in matris utero Sanctificatione. Obiit die 14. Februarii, anno 1591.

XLIII. *Natalis Comes*, Patritius Venetus *Historiam universalem* scripsit, cui finem imposuit anno 1580. diligens magis quam gratus Auctor: obscuritatem tamen styli, & confusionem rerum sententiis, ac præceptis passim insertis temperans.

SCHOLION I.

Hunc Articulum, Num. 6. pag. 990. Religiosi Censores hac nota perstringunt: *Guicciardinum commendat.*

R. Henrici Spondani Appiamensis Episcopi Annales Ecclesiasticos nemo reprehendit ob Guicciardini commendationem, ad annum 1534. Num. XVIII. p. 426. col. 2. his verbis adscriptam: „ Guicciardinus excellentissimus scriptor, & paucissimis antiquorum Historicorum, Recentium nemini gravitate sermonis, Sententiarum pondere, ratiocinationum circumspectione, postponendus; plerisque eximiis anteponendus: qui si nonnumquam acrem se gestorum Principum, aliorumve de quibus agit, censorem exhibeat, culpa hæc est noxiorum, non Historicorum, qui gravius culpandi ipsi forent, si male facta tacerent, quibus alii prudentiores fiant, & a similibus peccatis abstineant, vel pudore. Sententia est enim Domini quæ non fallit, NIHIL esse apertum quod non reveletur, neque absconditum quod non sciatur. „ Hæc Spondanus.

Matth. 10. Luca 12.

SCHOLION II.

Ad eumdem Articulum, Num. 15. pag. 993. pertinet ista indiculi Censorii nota: *De Trithemio, quod ob Steganographiam in Magiæ suspicionem immerito vocatus sit.*

R. Quid sit Steganographia videntur non intelligere, qui Trithemium jure merito in Magiæ suspicionem venisse volunt. Legant Illustrissimum Annalium Baronii Continuatorem Spondanum ad annum millesimum quadringentesimum nonagesimum nonum, num. 10. ubi pium & eruditum Auctorem ab omni Magiæ suspicione vindicat, Steganographiæ clavim tradens. „ Ut, *inquit*, tantum virum, optime cætera de Ecclesia Catholica Ordine suo, ac re literaria meritum, ab omni adeo nefandi criminis culpa immunem existimemus fecit diligentia eruditissimi Patris Hilarii Monachi Benedictini Cœnobii Sancti Germani de Pratis Parisiensis Congregationis reformatæ SS. Benedicti & Mauri, qui re nobiscum post primam nostram horum Annalium editione communicata, arcanum aperuit ambagium Trithemii, a se non parvo labore & industria adinventum: manifestaque ad ipsamet Trithemii Epistolas facta probatione, ostendit nihil toto eo Opere esse conjurationis aut invocationis dæmonum, sed quæ ejusmodi videntur, claves tantum esse seu interpretationes verborum quibus ambigue utebatur in suis Epistolis: Spiritus diurnos quos vocat, Epistolas ipsas esse, quæ cunctis paterent: spiritus autem nocturnos, quasdam literas, syllabas seu vocabula ipsarum Epi-

„ stolarum, quæ in se continerent secretum in eis „ comprehensum: Duces denique & Ministros spirituum, verba & literas otiosas, quæ iisdem Epistolis „ continerentur, ad tegendum secretum in iis com„ prehensum, &c. Hæc Spondanus. Idem Trithemio contigit, quod Sylvestro II. & Alberto Magno, at ob rerum, quæ communem hominum captum superarent, tractationem vel operum admirabilitatem a rudibus illarum artium in Magiæ suspicionem vocarentur.

JOANNIS DOMINICI MANSI

Nota.

QUamquam de Trithemio ab omni magiæ suspicione absolvendo eadem mihi quæ & P. Alexandro opinio sedet; jure tamen meritoque censura notari liber iste meruit, ut ex hominum manibus excuteretur. Quot enim sunt homines minus eruditi ac simplices, qui solum ejus corticem cernentes, nec in spiritum auctoris pervadentes magicum aliquid se in eo deprehendisse judicant, persuasique auctoritate tanti nominis opinantur posse se artibus vere superstitiosis dedere, atque ejus præceptis quamquam alio sub ambage tendentibus ab magica uti. Venit ad me olim vir non indoctus libellam hunc quærens, ut rimaretur in eo artem investigandi nomina in ludo Januensi extrahenda.

CAPUT VI.

DE CONCILIIS Nationalibus & Provincialibus, quibus sancita vel instaurata Disciplina est Sæculis XV. & XVI.

ARTICULUS I.

De Concilio Oxoniensi.

Oxoniem, Oxford, Episcopatus sub Metropoli Cantuariensi.

ANno millesimo quadringentesimo octavo, *Thomas Arundellius* Cantuariensis Archiepiscopus totius Angliæ Primas, & Sedis Apostolicæ Legatus, Provinciale Concilium celebravit, in quo 13. Statuta condita sunt, ut VVickleffianæ hæreseos progressus impediretur. Primo ut nullus sive Sæcularis, sive Regularis ad prædicandum verbum Dei admittatur, nisi ab Episcopo Diœcesano examinatus, approbatus, & missus, vel aliquo munitus privilegio, suæ missionis aut privilegii fidem fecerit. Secundo, ne Clerus aut populus aliquem in Ecclesiis, Cœmeteriis, aut locis suis alias concionari permittat, sub pœna Interdicti. Tertio, ut Concionatores modo auditoribus convenienti prædicent, nec apud Laicos contra vitia Clericorum invehantur. Quarto, ne quis de Sacramentis, aut Fidei dogmatibus aliter doceat, prædicet, aut observet, quam per sanctam Ecclesiam discussum fuerit, finitum, aut constitutum: neque Sectam aut speciem hæresis quamcumque doceat, prædicet, vel observet: alioqui excommunicationem incurrat ipso facto, a qua non absolvatur, nisi hæresim solemni ritu ejuraverit. Relapsorum vero bona proscribantur, & ab iis, quorum interest, occupentur. Quinto, ne liberalium artium Magistri de Fide aut rebus Theologicis tractent, aut discipulos suos de iisdem disputare permittant. Qui secus faxit, ut fautor errorum & Schismatum per loci Ordinarium plectitor. Sexto, ne Libellus aliquis recens editus, seu deinceps edendus, in Scholis aut alibi legatur, nisi ab Academiis Oxoniensi vel Cantabrigiensi, aut duodecim saltem Doctoribus ex earum gremio ad nutum Archiepiscopi Cantuariensis selectis examinetur, & ab iisdem unanimiter, nec-non ab eodem Archipræsula approbetur; exemplari in scriniis Academiæ relicto. Qui secus faxit, ut seminator schismatis & fautor hæresis puniatur. Septimo, ut nemo deinceps aliquem textum Sacræ Scripturæ auctoritate sua in linguam Anglicanam vel aliam transferat, *per viam libri, libelli, aut tractatus*; nec legatur aliquis hujusmodi liber, libellus aut tractatus, sub majoris excommunicationis pœna, *nisi a Diœcesano loci, aut concilio Provinciali, ipsa translatio fuerit approbata*. Qui contra fecerit, ut fautor hæresis punitor. Octavo, ne quis cujuscumque gradus, status, aut conditionis, *Conclusiones aut Propositiones in Fide Catholica, seu bonis moribus adverse sonantes, præter necessariam doctrinam facultatis suæ in Scholis aut extra, disputando aut communicando, protestatione præmissa vel non præmissa, asserat vel proponat, etiamsi quadam verborum, aut terminorum curiositate defendi possint*: quia teste *Hugone de S. Victore* Lib. de Sacramentis: *Sæpius quod bene dicitur, non bene intelligitur*. Qui in hoc Decretum peccaverit, piorum communione excluditor, donec in eodem, quo proposuit vel asseruit, loco delictum suum publice fateatur, *& verum Catholicum intellectum ejusdem Conclusionis sive propositionis, ad arbitrium Ordinarii publice prædicaverit in una Ecclesia vel diversis*. Nono, ut nullus de Articulis per Ecclesiam terminatis, nisi ad eorum explicationem disputare præsumat; aut Decretalium, aut Constitutionum Synodalium auctoritatem, potestatemve condentis, in dubium revocet; sive contra determinationem eorumdem doceat, sub pœna hæresis, nisi errorem ejuraverit. Decimo, ut nullus Presbyter extra Diœcesim originis aut ordinationis suæ ad celebrandum admittatur, nisi literis Ordinum suorum fidem facientibus & commendatitiis Episcoporum, in quorum diœcesibus diu versatus est, prolatis. Undecimo, ut Oxoniensis Academiæ Præpositi & Gymnasiarchæ semel singulis mensibus de doctrina & moribus suorum scholarium inquirant, ut de hæresi convicti vel suspecti non modo canonicis, sed etiam academicis pœnis puniantur. Duodecimo, ut hujus Constitutionis transgressoribus ad quodcumque Beneficium Ecclesiasticum in Provincia Cantuariensi obtinendum per triennium præcludatur aditus. Decimo tertio ut in causa hæreseos, non secus ac in quæstione læsæ majestatis, propter pericula quæ ex dilatione possunt imminere, *summarie & de plano*, ac citatione præmissa per nuntium, sive per literas, aut Edictum, *& lite non contestata*, ad testium auditionem, & finitivam sententiam procedatur.

Romani Pontificis Auctoritas.

Magnificum est quod in ejusdem Concilii Præfatione de Sedis Apostolicæ Privilegiis, & Romani Pontificis Primatu habetur, quod ibi describo, cum ut manifestum sit quam fœde ab antiqua Ecclesiæ Anglicanæ doctrina, fideque Majorum Anglo-Calviniani desciverint, tum ut faciam, quod hucusque diligentissime præstiti, nihil ut prætereatm quod ad sacrosanctam Romani Pontificis auctoritatem commendandam, aut propugnandam pertineat. *Reverendissimæ Synodo* (inquit) *injuriam facere dignoscitur, qui semel ibidem discussa atque diffinita revolvit; & cum quis de principali terreno judicio disputare præsumens, sacrilegii pœnæ subjicitur, prout civilis sapientia & legis humanæ manifeste tradit auctoritas: multo magis qui præcepta Legum & Canonum ab æternæ vitæ & mortis Clavigero, vicem non puri hominis, sed veri Dei gerente in terris, & cui ipse Deus cælestis imperii jura commisit rite edita, canonice promulgata, ac etiam a SS. Patribus prædecessoribus nostris, usque ad gloriosam sanguinis effusionem, & cerebri voluntariam sparsionem firmiter observata, suæ innitentes prudentiæ temere violare præsumunt, ac eisdem doctrinis variis contraveniunt, ipsaque verbis & factis contemnunt, sunt pœna graviori plectendi, & tamquam membra putrida a corpore militantis Ecclesiæ celeriter abscindendi. Considerare enim deberent, quod in antiquo traditur Testamento:* Moyses & Aaron in Sacerdotibus ejus: *id est, primi inter eos fuerunt, Ac in Novo inter Apostolos discretio quædam fuit: & licet omnes essent Apostoli, Petro tamen a Domino concessum est, & ipsi Apostoli inter se voluerunt id ipsum, ut reliquis omnibus præesset Apostolis, & dictus Cephas, id est Caput. Principatum Apostolorum teneret, cui dictum est:* Tu aliquando conversus confirma fratres tuos. *Quasi diceret: si dubium inter eosdem emerserit, ipsorumve aliquis in via Fidei, justitia, morum aut vitæ conversationis erraverit, tu ipsum confirmes in bono: Quod profecto non dixisset Dominus, si alios sibi minime decrevisset obedire.*

Summi Pontificis Decretis sive fidem sive mores spectent canonice promulgatis, ab omnibus Christianis parendum est. Qui illa verbis vel factis contemnunt ab Ecclesiæ corpore abscinduntur.

Hæ Constitutiones anno sequenti Londini promulgatæ sunt in Synodo Diœcesana a *Richardo* Episcopo, secundum Mandata ejusdem Archipræsulis Cantuariensis.

SCHOLION.

Hunc Articulum pag. 4. hunc in modum perstringunt Religiosi Censores: *Protestatur se numquam perdidisse occasionem laudandi Papam.*

R. De laudibus Papæ ibi non loquor. De Concilio Oxoniensi agens, insignemque ejus locum de Romani Pontificis auctoritate descripturus, ita præfatus sum: *Magnificum est quod in ejusdem Concilii Præfatione de Sedis Apostolicæ Privilegiis & Romani Pontificis Primatu habetur; quod ibi describo, cum ut manifestum sit*

sit quam fœde ab antiqua Ecclesiæ Anglicanæ doctrina, Fideque Majorum Anglo-Calviniani defecerint; tum at faciam, quod huc usque diligentissime præstiti, nihil ut prætereaam quod ad Sacro-Sanctam Romani Pontificis auctoritatem commendandam aut propugnandam pertineat. Id me re vera præstitisse judicant æqui rerum æstimatores, & nihil unquam prætermisisse quod ad Primatum jurisdictionis in Ecclesia universa Romano Pontifici divina institutione convenientem, annexaque eidem Primatui jura & privilegia confirmanda pertineat: qualis mihi videtur & semper visa est auctoritas summa judicandi controversias fidei, & quæstiones dubiæ disciplinæ, Leges condendi quibus omnes Christi fideles obligentur, Appellationes ex toto orbe Christiano suscipiendi & judicandi majoresque causas finiendi, congregandi Concilia Oecumenica, illis præsidendi, eorum Decreta confirmandi, Canones temperandi seu de illis dispensandi, casus sibi reservandi, & Indulgentias Plenarias concedendi ubique Christianarum gentium &c.

Nota.

Inter jura, & privilegia Primatus a Christo Domino D. Petro collati, si recentes Gallos excipias, adnumerarunt veteres adnumerantque modo omnes Theologi, quod Pontifex Romanus sacris Canonibus præsit, quod œcumenicis Conciliis dominetur, quod infallibilitate præditus sit, dum ut universalis Ecclesiæ Magister credenda proponit; quæ omnia sexcenties a Romano Pontifice removet Natalis. Ubique etiam ut Verbo Dei scripto & tradito contrariam prædicat illam sententiam, qua concedunt Pontifici indirectam in temporalia potestatem; unde ut hæreticam sugillat. Ex iis inferunt perperam Natalem seipsum commendare, quasi sit optime meritus in sustinendis Apostolicæ Sedis privilegiis, ac Romani Pontificis Primata propugnando.

ARTICULUS II.

De Concilio Saltzburgensi.

Anno circiter millesimo quadringentesimo vigesimo *Eberhardus* Archiepiscopus Saltzburgensis, Sedis Apostolicæ Legatus, Provinciale Concilium in Metropoli sua celebravit, in quo Decreta 34. condita sunt. Primum, de Summa Trinitate & Fide Catholica, damnat errorem docentium vel credentium quod Sacerdos in mortali peccato existens non possit conficere Corpus Christi seu absolvere suos subditos a peccatis: idque asserentes pro hæreticis & incredulis habendos declarat. Reprobat etiam quorumdam opinionem erroneam, asserentium, Episcopum, seu Sacerdotem Curatum, non posse absolvere Presbyteros fornicarios a fornicationis reatu propter votum castitatis. Secundo sancitum est, ut Provinciales & diœcesanæ Synodi secundum præscriptum Canonum celebrentur: quæ in disciplinæ instaurationem incumbant, præsertim in Clero, & in Monasteriis Canonicorum Regularium *S. Augustini*, & *S. Benedicti* Monachorum. Tertio Consuetudines in gravamen Ecclesiarum introductæ abrogantur. Quartum statuit de scrutinio seu examine Ordinandorum, ad quod nemo sit admittendus, quin prius peccatorum confessionem ediderit apud idoneum Sacerdotem. Sextum, illegitimos ab Ordinibus & Beneficiis arcet. Septimum, Episcopis, Archidiaconis, Prælatis, Officialibus seu aliis Judicibus Ecclesiasticis prohibet ne in causis coram se pendentibus appellationes ad Superiores Judices impediant. Octavum jubet Rectoribus Ecclesiarum ut Vicariis suis sufficientem & honestam portionem Ecclesiasticorum proventuum attribuant, sub pœna privationis Beneficiorum. Nonum cavet ne Interdicti sententia temere feratur, & in hujusmodi Censura irroganda jubet observari Constitutionem *Bonifacii VIII.* quæ incipit: *Provide attendendum.* Decimum Prælatorum officium explicat, & circa quæ potissimum in suis visitationibus invigilare debeant ad reformationem Cleri. Undecimum statuit ut Capellani Nobilium in Capellis Castrorum Dominorum suorum non celebrent, nisi ante Episcopo vel Archidiacono *obedientiam faciant manualem*, ut ad Synodos veniant & Capitula, statis temporibus, Mandata Ecclesiastica recepturi, & suis Dominis, ac eorum Castrensibus relaturi: cum Curati in quorum Parochiis Castra sita sunt, id facere frequenter non audeant propter Dominorum tyrannidem. Duodecimum eos, qui absolutionem a Censuris, vel earum revocationem, per vim aut metum extorquent, & fructu absolutionis vel revocationis hujusmodi privat, & excommunicatione ferit. Decimum-tertium statuit ut nulla rerum jactura, aut metus incommodi corporis non legitime probatus, subditi inobedientiam, Mandatum Prælati caequi non curantis, valent excusare. In præceptis autem negativis, puta de communione cum excommunicatis non ineunda, de non celebrando in locis interdictis, &c. omnino nullum nec rerum, nec corporum, quantumcumque probatus metus excusat; *Cum pro nullo metu debeat peccatum mortale committere, quod ex inobedientia surgere, Sanctorum auctoritatibus comprobatur.* Decimum quartum, ut cessiones actionum, si causæ subsint legitimæ, fiant coram Episcopis, seu Officialibus; iis, qui cedunt, juratis, quod non simulate, sed vere cedant. Decimum-quintum præscribit modum quo in jus vocandi sunt ii, quibus Parochi, ex metu crudelitatis ipsorum ac tyrannidis, vocationem in jus significare non audent. Decimum-sextum Clericum ad sæcularia tribunalia trahi vetat, seu coram Judicibus Laicis conveniri, seu tractum aut conventum, sponte & judicialiter respondere, sub pœna Excommunicationis ipso facto incurrendæ; & Interdicti ad congruam usque satisfactionem servandi in territorio trahentis & judicantis. Decimum-septimum, modestiam a sacris Canonibus imperatam in Clericorum habitu servari mandat; & Titulares Episcopos ex Ordinibus Fratrum Mendicantium, vel aliorum Monachorum assumptos, admitti vetat ad Episcopalia munia obeunda, nisi sui Ordinis habitum manifeste deferant, & sint conversationis laudabilis, & bonæ famæ: immo eos ut excommunicatos vitari jubet; & Episcopos, qui ipsos admiserint, ab Ecclesiæ ingressu suspendit. Decimum-octavum, Clericos concubinarios Ecclesiasticis Beneficiis & Dignitatibus privari decernit, ad eaque obtinenda inhabiles denuntiat. Decimum-nonum Clericos ad curam animarum ab Episcopo vel Archidiacono admitti vetat, nisi prius juratos, quod nullam in adeptione Beneficii commiserint simoniam; & Sacrosanctæ Generalis Synodi Constantiensis Constitutionem in Beneficiorum collationibus servari jubet. Vigesimum, Ecclesiastica Beneficia sine diminutione conferri statuit; & Patronos, qui partem Decimarum sive obventionum Ecclesiasticarum sibi retinent ex pacto, piorum communione submovet, eorumque terras Interdicto supponit: Clericos vero qui sic promoti fuerint, ab his Beneficiis, & spe quorumvis aliorum dejicit. Vigesimum-primum, eos qui prædam aliquam emerint, vel tenuerint, nisi infra mensem restituant, excommunicatione percellit. Vigesimum-secundum statuit, ut si quis terram suam, cui Jus Patronatus annexum est, oppigneraverit, Jus præsentandi apud ipsum oppignerantem remaneat: *Cum tale Jus æstimari non possit, & in sortem nequeat computari:* Cum tamen fructus pignoris semper in sortem computari debeant juxta Canonum & Legum sanctiones. Vigesimum-tertium faciendi testamenti libertatem Ecclesiasticis Viris, & aliis quibuscumque, quos ab ea potestate Leges non excludunt, contra pravas quasdam consuetudines vendicat. Vigesimum-quartum præcipit ut pro Archiepiscopo vel Episcopo defuncto, a quolibet Provinciæ vel Diœceseos Sacerdote Missa celebretur. Vigesimum-quintum prohibet, ne quis *alienum Parochianum*, excepta necessitatis causa, *ad Confessionem recipiat*, aut ei aliquod Sacramentum administret, *non petita & obtenta licentia proprii Sacerdotis.* Vigesimum-sextum Patronos Ecclesiarum, qui Rectoribus earum defunctis, illas spoliant, a Jure præsentandi suspendit. Vigesimum-septimum, novos Sacerdotes, ea die qua primam Missam celebrant, aliquos ad convivium invitare prohibet. Vigesimum-octavum jubet ut Sacerdotes formam baptismi vulgari idiomate omnes Parochianos suos doceant, ut urgente necessitate rite baptizare possint. Vigesimum-nonum prohibet ne *Advocati* Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum piorum locorum, *Ecclesias, Monasteria, & alia pia loca, ultra consueta & debita onera ullatenus aggravent & infestent*, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ. Consuetudinem etiam improbat, qua Laici quidam Judices & Potestates Clericos ratione bonorum ipsorum in Judicium vocabant: non attendentes quod *Clerici & Clericorum bona eodem gaudent privilegio, & nulla sit eis de rebus & personis Ecclesiarum attributa judicandi facultas.* Trigesimum, Generalis Concilii Constantiensis Constitutionem, contra Symoniacos in Cathedralibus & Collegiatis Ecclesiis ter in anno promulgari statuit: Trigesimum-primum eos qui tempore Interdicti defunctorum corpora in Cœmeteriis sepelire ausi fuerint, excommunicatione plectit. Trigesimum-secundum,

Errores damnati.

Examen Ordinandorum.

Lex posita Capellanis Nobilium.

In præceptis negativis nullus metus excusat.

Jus Patronatus.

Proprius Sacerdos.

Prima Missa.

Clericorum immunitas.

dum, extirpationem hæreseos VVickleffistarum & Hussitarum spectat, pœnasque in illos, illorumque fautores decetnit. Trigesimum-tertium, jubet ut Judæi pileum cornutum, ejusdem superstitionis mulieres nolam sonantem ferant, cum in publicum prodeunt, ut his signis a Christianis discernantur. Trigesimum quartum, inhonestum habitum mulierum, caudas, monstruosa capitis ornamenta prohibet, mandatque sub *Excommunicationis* Sententia universis & singulis Laicis, ut uxores suas & filias vestium ac mundi muliebris luxum, immodestiam, superfluitatem resecare cogant & moderari: ipsisque mulieribus sub eadem pœna præcipit ut in hoc maritis morem gerant; Episcopis vero & Parochis, at rebelles ac pervicaces hac in re mulieres arceant a Communione: sæcularibus tandem Potestatibus ut ad executionem hujus Statuti pœnales etiam Leges ferant, alioquin eadem Censura percellantur.

Luxus muliebris.

ARTICULUS III.

De Concilio Coloniensi.

T*Heodericus* Coloniensis Archiepiscopus Provincialem Synodum anno millesimo quadringentesimo vigesimo tertio celebravit, in quo undecim Decreta condita sunt. Primum contra concubinarios Clericos. Alterum contra temporales Dominos, prohibentes suis subditis, ne Prælatis, aut Clericis, quidquam vendant vel emant, & necessaria cum ipsis habeant commercia, vel solita officia & obsequia illis exhibeant. Contra hujusmodi Ecclesiasticæ libertatis hostes, eorumque fautores, excommunicatio vibratur. Tertium, jubet Officiali Archiepiscopi, ut in causis appellationum a Suffraganeorum Sententiis, Jus commune servet: Quartum, consuetudines & observantias vetustas & laudabiles, pia Fidelium devotione introductas, a Dominis temporalibus Consulibus civitatum, aut Judicibus Laicis abrogari vetat aut impediri, sub pœna excommunicationis. Quintum, Concionatores ad prædicandas Indulgentias, & colligenda eleemosynarum subsidia prohibet admitti, nisi Sacerdotio initiatos. Sextum, ne Canonici, reliquive Clerici in Ecclesia vel Cœmeterio deambulant, nec stando vel sedendo confabulentur, dum Divina peraguntur, sub pœna privationis fructuum ad octo dies. Septimum statuit sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ne Rectores Ecclesiarum, Monachos Mendicantes, aut aliorum Ordinum, in Vicarios assumant, modo alter idoneus commode haberi possit, dolo & fraude exclusis. Octavum, Decretum superius contra publicos concubinarios ad notorios & manifestos restringit. Nonum exterminationem VVickeffistarum, & Hussitarum Hæreticorum spectat: Indulgentiasque concedit iis qui has pestes Inquisitoribus hæreticæ pravitatis revelaverint: Decimum, campanas omnibus festis feriis circa meridiem pulsari jubet, ut Fideles memoriam Passionis Christi devotius recolant; singulis vero diebus circa Solis ortum, in memoriam Compassionis gloriosæ Virginis *Mariæ*: & certas preces ad hujusmodi campanæ pulsum recitantibus, Indulgentias 40. dierum concedit. Undecimum, Festum *Compassionis* Beatæ Virginis *Mariæ* celebrari statuit.

Deambulationes & confabulationes in Ecclesiis & Cœmeteriis vetitæ.

Religiosi Mendicantes in Vicarios Parochialium Ecclesiarum non assumendi.

Festum Compassionis B.M.V.

ARTICULUS IV.

De Concilio Parisiensi.

J*Oannes de Nantone* Senonensis Archiepiscopus Provinciæ suæ Concilium Parisiis celebravit anno millesimo quadringentesimo vigesimo-nono Aprili mense, in quo Ecclesiastica Disciplina 40. Decretis sancita est. Primum Divina Officia tractim, devote & horis congruentibus decantari jubet. Secundum, ut Divinorum tempore Clerici a confabulationibus abstineant; alioqui distributionibus unius diei priventur; & ne ludos in Sanctorum Festis in Ecclesiis agant: alioqui fructibus Beneficiorum priventur ad mensem. Tertium, ut Episcopi confabulationes in Cathedralibus præsertim Ecclesiis impediant. Quartum, ut Canonici distributionibus priventur, nisi integris Horis interfuerint. Quintum coercere jubet Canonicos, qui in duabus Ecclesiis conscripti, ex una ad aliam cum Ecclesiasticis vestimentis, impellente avaritia, celeriter currunt, ut in utraque distributiones lucrentur. Sextum, ne lucri causa Cathedrales vel Matrices Ecclesias in Festis solemnioribus deserant. Septimum est de sacrorum vasorum munditie. Octavum, de Ordinandorum & Curatorum examine ac delectu. Nonum, de Prælatorum habitu. Decimum, ut Episcopi unum vel duos Theologos habeant, quorum consilio & opera in suarum Ecclesiarum regimine, Clerique ac populi reformatione utantur. Undecimum jubet ut Curiarum Ecclesiasticarum Officiarii, Advocati, Promotores, Notarii ab indebitis exactionibus cohibeantur. Duodecimum, & septem sequentia, spectant Reformationem Monachorum Ordinis *S. Benedicti*, & Canonicorum Regularium *S. Augustini*. 15. *Pro ingressu Religionis* aliquid ex *pacto vel conventione* recipi vetat. Vigesimum, & quatuor sequentia, statuunt de Reformatione Clericorum. 24. Vetat ne taxillis ludant, sub pœna unius libræ ceræ, qualibet vice suæ Parochiali Ecclesiæ, vel Cathedrali applicandæ, aut alia graviori pœna arbitrio Superioris infligenda. Reliqua spectant Reformationem Sæcularium. 25. Abusum illum reprobat, quo *Barbitonsores & Marescalli* (ut loquitur) sibi licitum esse persuadent, Dominicis Festisque diebus ministeria sua exercere etiam præter necessitatem. 32. & 33. statuunt ut in Ecclesiis, non in privatis Oratoriis Matrimonia contrahantur: nec facile condonentur Matrimoniorum publicæ denuntiationes, vel pecunia redimantur.

Dominicæ Festorumque dierum observantia.

Matrimoniorum Denuntiationes.

AATICULUS V.

De Concilio Dertusano.

A Nno millesimo quadringentesimo vigesimo-nono *Petrus* Cardinalis *Fuxensis*, Sedis Apostolicæ Legatus, Concilium *Dertusæ* sive *Tortosæ* in Cataloniis celebravit, convocatis Tarraconensis Provinciæ Episcopis, favente *Alfonso* Rege Aragonum, in quo extinctis infausti Schismatis reliquiis per abdicationem Antipapæ *Ægidii de Munione* Successoris *Petri de Luna*; multisque in gratiam Ecclesiasticæ libertatis a Rege impetratis Edictis, Ecclesiastica Disciplina Schismatis tempore fœde prolapsa 20. Decretis instaurata est. Primum Clericos Beneficiatos aut in sacris Ordinibus constitutos, a procurandis & administrandis bonis vel negotiis Laicorum penitus arcet, eisque modestiam in vestibus imperat; de quarum materia, formaque nonnulla præscribit; & vestes, si quæ contra hujus Synodi præscriptum temere deferantur, fabricæ, vel ornamentis Cathedralis vel Collegiatæ aut Parochialis Ecclesiæ attribuit. Secundum & tertium coercent Clericos & Religiosos Militarium Ordinum Equites concubinarios. Quartum statuit ut Clerici Beneficiati vel in sacris Ordinibus constituti ad Breviaria comparanda ab Ordinariis compellantur; *Ne divinæ servitutis census, quem de fructu labiorum suorum offerre tenetur quilibet Clericus Ecclesiasticum Beneficium possidens, vel in sacris Ordinibus constitutus, dum per occupationes alias Conventus Ecclesiæ interesse non valet, ex defectu Breviarii omittatur*. Quintum cavet ne indigni & illiterati ad sacros Ordines promoveantur: si qui obrepserint, ab eorum executione suspendantur. Sextum statuit ut plebs Christiana diligenter instituatur in doctrina Fidei, edito eum in finem Catechismo, quem Parochi singulis diebus Dominicis explanent: disputatione tamen de Fide Laicis interdicta. Septimum, in privatis domibus vel Capellis administrari Sacramenta vetat, aut Missas pro nuptiis vel sepulturis celebrari. Octavum, ne sine auctoritate Ordinarii & absque dote sufficienti Beneficium Ecclesiasticum instituatur: in cujus receptione & approbatione hæc addatur clausula; *Salvis Canonicis Institutis, & auctoritate provide dispensantis*. Nonum, statuit ut Neophyti, id est, a Judaismo aut Ethnica superstitione recens conversi, infantes suos infra diem ab eorum nativitate octavum ad Baptismum afferre compellantur, cum Censuris Ecclesiasticis, tum sæcularium Potestatum coercitione. Decimum, ut Vicarii Generales & Officiales Episcoporum præcipui, sacris Ordinibus initiati sint. Undecimum statuit, ut Clerici, qui Literas Regiæ familiaritatis per subreptionem impetrant, cum vere non sint in Regis familiam adlecti, si hujusmodi Literis uti deinceps attentaverint, Beneficiorum suorum possessione excidant ipso facto, non Beneficiatis aditus ad Beneficia per triennium sit præclusus. Ideo autem hujusmodi Literas aucupabantur, ut Regiæ familiaritatis Privilegio Prælatorum suorum judicium declinarent, ut ait *Alphonsus* Rex Aragonum in suo Edicto; *A nostra* (inquit) *Majestate familiaritatis obsequium fraudalenter imple-rant*,

Tortosa, in Catalonia ad Iberi fluvii ostia, Episcopatus sub Metropoli Tarraconensi.

Breviarii recitatio.

Regiæ familiaritatis Literæ per subreptionem impetratæ Viris Ecclesiasticis non suffragantur.

vont, illudque obtinent, non ut nostris insistere proponant sevitiis, sed ut eis libuerit, quandoque Ecclesiastico, quandoque nostro sæculari Judicio sint subjecti; ita quod de commissis, vel de committendis per eos excessibus forum variando ad votum, a nemine punitione debita valeant coerceri, sed potius evadere judicium canonicæ ultionis, quod in præjudicium Ecclesiasticæ Jurisdictionis, ad cujus examen patenter spectant, noscitur apprime redundare. Duodecimum est contra eos qui Clericos ad sæculare judicium trahere nituntur oppressionis prætextu: & *Bonifacii VIII.* Constitutionem his verbis incipientem; *Quidem ut intelleximus*, ea de re, in Synodis promulgari, & observari mandat, lata contra transgressores Excommunicatione. Decimum-tertium, Excommunicatione ferit, & a Beneficiorum percipiendis fructibus ad triennium suspendit Clericos, qui palam vel occulte Principes, Dominos temporales, sæculares Judices, aut Universitates, contra Jura Ecclesiæ vel Ecclesiasticæ libertatis inflammaverint, vel consilium aut patrocinium dederint, vel Instrumenta in Ecclesiæ detrimentum occultaverint, vel exhibuerint. Decimum quartum, Prælatos Regulares admonet ac sub divini obtestatione judicii hortatur, ut subditorum suorum vitia diligenter emendent. Decimum-quintum Conservatoribus & Delegatis ab Apostolica Sede Judicibus prohibet, ne ultra limites traditæ potestatis aliquid attentent. Decimum-sextum Quæstores sine literis Diœcesani Episcopi quæsturam aut prædicationis officium exercentes, ipso facto excommunicatos, & a Beneficiis Ecclesiasticis ad triennium suspensos denuntiat.

Religiosorum Virorum cum Clero sæculari concordia.

Decimum septimum prohibet ne Clerici aut Viri Religiosi Prælatis aut sibi invicem detrahant, aut mutuis juribus derogent; *non populos retrahant ab Ecclesiarum Parochialium frequentia vel accessu: sed super sepulturis, decimis, vel primitiis, & aliis Ecclesiarum juribus sacros studeant Canones inviolabiliter observare.*

Concionatorum Prælatis detrahentium pœna.

Si vero Concionatorum quisquam Prælati alicujus famæ publice & injuriose detraxerit aut famosos libellos dictare, scribere, vel publice legere, aut evulgare attentaverit, in excommunicationem ipso facto incurrat, donec publica satisfactione & famæ restitutione crimen expiaverit. Demum Constitutionem *Bonifacii VIII.* quæ incipit: *Animarum saluti*, & Clementinas, *Religiosis*, & *super Cathedram*, accurate observari jubet. Decimum-octavum prohibet ne Ecclesiarum Prælati *bona decedentium Religiosorum*, quibus *secundum Statuta vel laudabiles consuetudines* permissum est *de bonis a Deo sibi collatis disponere*, ullatenus occupent, si per eosdem Religiosos juxta eadem Statuta & consuetudines de hujusmodi bonis fuerit ordinatum, modo Prælatis relinquant quod iis debitum est. Idem de bonis Clericorum Sæcularium statuit, si juxta præscriptum Provincialium vel Synodalium Constitutionum testamenta sua condiderint. Decimum-nonum, Decretum Lateranensis Concilii IV. circa Medicos innovat, & promulgari jubet. Vigesimum, Clementinam *De Judæis & Saracenis*, præcipit observari.

ARTICULUS VI.

De Concilio Andegavensi.

TUronensis Provinciæ Concilium Andegavi a *Joanne* Turonensi Archiepiscopo, cum Suffraganeis habitum anno millesimo quadringentesimo quadragesimo-octavo, in causa Disciplinæ Ecclesiasticæ reformandæ, septemdecim Decreta condidit. 1. De Rescriptis. 2. De temporibus Ordinationum. 3. De vita & honestate Clericorum. 4. De Clericis non residentibus. 5. De silentio in Choro. 6. De ludis illicitis, quo pravæ quædam consuetudines crastino Paschæ, & Kalend. Maii affixæ abolentur.

Concionatores.

7. De Concionatoribus, quo præcipitur ut in publicis Cathedris & locis consuetis dumtaxat, non in Theatris Conciones habeant, ut verbum Dei cum omni reverentia & humilitate prædicent, *cessantibus horridis clamoribus, & impetuosis manuum elevationibus, excessivis signis & gestibus in Ecclesiis, &c.* 8. De Religiosis domibus, aliquorum Abbatum & Priorum Conventualium rapacem avaritiam coercet, qui ex Privilegio vel consuetudine bona Prioratuum vacantium ab iisdem dependentium occupantes, ipsos supellectile, bonisque aliis omnibus ita denudabant, ut Successores cum sua familia usque ad novos fructus mendicare cogerentur. 9. De Censibus; qui & procurationes Prælatis, Archidiaconis, Archipresbyteris, Decanis, & aliis personis Ecclesiasticis in Visitationibus pendendas moderatur; & Clericorum immunitatem a Pedagiis, quoad res proprias Ecclesiarum & personarum, quas non causa negotiandi deferunt, asserit, lata in exactores excommunicationis sententia. 10. Concubinarios canonice monitos a communione removendos decernit. 11. De Formulis Juris in ferenda excommunicatione servandis.

Matrimonia clandestina.

12. Matrimonia Clandestina celebrantes, contrahentes, vel procurantes excommunicatione ferit: plebeja secundarum nuptiarum ludibria, sive insultus a plebe secundo nubentibus fieri solitos, & sonitum qui vulgo dicitur *Charivarum*,* sub pœna excommunicationis prohibet.

Secundæ Nuptiæ. *Charivari*

13. Ecclesiarum libertatem & immunitatem tuetur. 14. Reliquias Sanctorum causa quæstus circumferri vetat. 15. Indulgentias a Sede Apostolica concessas, ab ignotis, indoctis, & inhonestis personis prædicari prohibet. 16. De præsentis Concilii promulgatione certis temporibus statuit. 17. Potestas absolvendi a Censuris per Synodum latis Episcopo cuilibet in sua Diœcesi tribuitur.

ARTICULUS VII.

De Concilio Suessionensi.

REmensis Provinciæ Concilium a *Joanne* Archipræsule cum Suffraganeis Episcopis celebratum est anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo-sexto; in quo Synodi Basileensis Decreta, in Conventu Bituricensi Ecclesiæ Gallicanæ accepta, præsertim *De Officio Divino*, & *De Concubinariis*, observari jussa sunt, aliaque salubriter constituta de Ecclesiastica Immunitate, de Reformatione Monasteriorum utriusque sexus, &c.

ARTICULUS VIII.

De Concilio Toletano.

TOletanæ Provinciæ Concilium ab *Alphonso Carillo* Archiepiscopo Toletano, ejusque Suffraganeis celebratum est in oppido de *Aranda* anno millesimo septuagesimo-tertio, in quo viginti novem Decreta ad reformandos Cleri populique mores edita sunt. 1. De Conciliis Provincialibus quolibet biennio, & Synodis Diœcesanis singulis annis celebrandis. 2. De Christianæ doctrinæ præcipuis capitibus a Rectoribus Ecclesiarum populo tradendis, 3. & 4. De non promovendis ad Ordines, qui Latine loqui nesciunt: & de Clericis alienarum Diœcesum non suscipiendis absque literis commendatitiis.

Clericorum habitus.

5. & 6. De habitu & ornatu externo Episcoporum & Clericorum, quibus prohibetur ne sericis vestibus, aut brevitate notandis, aut calceis albis utantur, sub gravi mulcta pecuniaria. 7. De Dominicæ & Festorum dierum observantia. 8. Clericis lugubres vestes prohibentur. 9. Clericos Concubinarios pœnis Canonicis coercendos & plectendos decernit. 10. Parochialium Ecclesiarum regimini præfici vetat, nisi qui saltem Latine loqui sciant; idemque de Canonicis & Dignitatibus Metropolitanarum & Cathedralium Ecclesiarum decernit, nisi ex causa multum evidenti & necessaria cum ipsis Prælati duxerint dispensandum. 11. Ludum taxillorum Ecclesiæ Ministris Synodus prohibet sub gravi mulcta pecuniaria piis usibus applicanda. 12. Præcipit Presbyteris ut quater saltem in anno Missam celebrent; alioqui triginta regalium solutione qualibet vice mulctentur; Prælatis vero ut ter ad minus, alioqui graviter in sequenti Concilio arguantur. 13. Prædicatores tam sæculares quam Regulares concionari vetat absque licentia Episcopi Diœcesani. 14. Pœnas statuit in Clericos minores Clericalem habitum, & tonsuram non deferentes. 15. Clericis prohibet ne Sæcularibus Dominis, excepto Rege, & Regiis Personis, armorum auxilia præbeant, aut stipendia, vel terras ab ipsis accipiant ad suppeditandum Militem, alioquin ab Officio & Beneficio suspensos denuntiat. 16. Nuptias, choreas, convivia vetat iis temporibus, quæ a Jure prohibentur, sub pœna Excommunicationis: Clericos nuptialem Benedictionem tempore vetito tribuentes, decem florenorum pœna mulctat.

Sponsalia Clandestina.

17. Sponsalia clandestina, & sine quinque testium præsentia contrahentes excommunicatione ferit: Clericos qui clandestinis hujusmodi dispensationibus interfuerint, aut sic desponsatis Benedictionem nuptialem impertiverint, ad tres menses ab Officio & Beneficio suspendit. 18. Eos a Communione removet, qui possessiones Beneficiorum vacantium occupant, vendunt, vel emunt, aut de ipsis solicite paciscuntur. 19. Ludos theatrales, larvas, spectacula, carmina turpia, & sermones illicitos in Ecclesiis prohibet. 20. Statuit ut qui in singulari certamine, aut vulnere in eo accepto obierint, etiamsi

ante

ante obitum receperint Pœnitentiæ Sacramentum, careant Ecclesiastica sepultura, & divina Officia pro ipsis non dicantur, nec oblationes admittantur. 21. A Primitiarum, Decimarum, & aliorum Ecclesiasticorum redituum fruitione libera Ecclesiasticos Viros impedientes, Excommunicatione plectit. 22. Raptores Ecclesiastica privandos statuit sepultura, nec pro eis divina Officia cani, aut oblationes admitti, etiamsi ante obitum Pœnitentiæ Sacramentum susceperint, & pro rapinis satisfecerint. 23. Excommunicationem in una Diœcesi latam, in aliis observari jubet, ac excommunicatos pariter vitari. 24. Ecclesiasticæ libertati consulit, & civitatem aut villam ex qua Clerici per vim expulsi fuerint, subjicit Interdicto. 25. In Ordinationibus aliquid ante vel post exigi vel recipi vetat, etiam pro sigillo aut cera. 26. Pœnas contra Beneficiatos decretas, ad Parochos, & Dignitates quascumque etiam post Episcopalem majores extendi declarat. 27. Episcopis universis Toletanæ Provinciæ concedit ut a Censuris in hac Synodo latis in suis Diœcesibus absolvant. 28. Decreta infra duos menses in Synodis Diœcesanis, aut certe in Ecclesiis Cathedralibus promulgari jubet. 29. Testes Synodales in qualibet Diœcesi institui decernit.

ARTICULUS IX.

De Concilio Senonensi.

Senones, Sens, Urbs Archiepiscopalis ad Yonam fluvium in Icaunam seu Yonam influentem.

CONcilium *Senonense a Tristando de Salazar* Archiepiscopo & Suffraganeis celebratum est die 23. Junii anni millesimi quadringentesimi octogesimi-quinti, in quo Constitutiones alterius Concilii ejusdem Provinciæ, sub *Ludovico de Melduno* congregati ante annos viginti quinque confirmatæ; quatuor Decretorum capitibus Ecclesiastica Disciplina reformata est. Primum spectat devotam Officii divini celebrationem; circa quam sacri Basileensis Concilii, & Sanctionis Pragmaticæ Decreta fideliter observari jubet. Alterum spectat reformationem Virorum Ecclesiasticorum, statuitque de Episcoporum conversatione & moribus, de Ordinum celebratione, de Visitationibus, de collatione Beneficiorum, de Concubinariis, circa quos Basileensis Concilii & Sanctionis Pragmaticæ Decretum executioni mandari præcipit; de vestium honestate & modestia; de Clericorum honesta conversatione, & prohibitione a tabernis, negotiatione, & ludis illicitis; taxillorum præsertim & alearum; de Quæstorum emendatione; de Jurisdictionis Ecclesiasticæ Administris reformandis. Tertium Caput spectat Virorum Religiosorum reformationem; & inter alia vetat aliquid ex pacto recipi pro Religionis ingressu. Quartum spectat reformationem Laicorum, & omnium Fidelium, ac de Festis pie celebrandis, de puniendis blasphemis, de solvendis Decimis, de Matrimoniis palam in Ecclesia contrahendis, de libertate & immunitate Ecclesiæ adversus Laicos propugnanda, de Promulgatione & observantia Decretalium ad Sanctimonialium statum pertinentium, decernit.

Tom. V. Spicilegii & in Append. ad Tom. XII. Concil. Labbeanæ Collectionis.

ARTICULUS X.

De Conciliis Provincialibus 16. Sæculo ante Synodum Tridentinam, in Causa Fidei, & Reformationis Ecclesiasticæ Disciplinæ celebratis, scilicet, Bituricensi, Senonensi, Coloniensibus, Moguntino, Treverensi, & Narbonensi.

I. PRovincialia ista Concilia sacra quædam Tridentinæ Synodi præludia jure dixerim, quibus & recentes hæreses damnantur, & Ecclesiastica Disciplina emendatur. Cum autem illorum Decreta numero plurima sint, & in iisdem pene argumentis versentur, ne prolixitate, ac frequenti repetitione lectores defatigem, a singulis pro more percensendis abstinebo, tempus dumtaxat Conciliorum, Præsides, Decretorum numerum, & si quæ notatu digniora videbuntur, breviter perstringens.

Concilium Bituricense.

II. *Concilium Bituricense* anno Christi millesimo quingentesimo vigesimo octavo, mense Martio celebratum est, Præside *Francisco Tavernio* Archiepiscopo Bituricensi ac Primate Aquitaniæ. Decreta edidit 32. Primo Lutherana hæresis damnatur, viginti duobus sequentibus emendatur Disciplina. Seu sequentia Jurisdictionis Ecclesiasticæ reformationem spectant, ejusdemque libertati prospiciunt. Postremo, quatuor Decimarum collectio imperatur pro redemptione filiorum *Francisci I.* Regis Christianissimi, pro Patre in Aula *Caroli V.* obsidum.

Senonense.

III. *Concilium Senonense* Parisiis celebratum est annis 1527. & 1528. pro damnatione Lutheranæ hæreseos, & Ecclesiasticæ Disciplinæ Reformatione, Præside *Antonio a Prato* S. R. E. Cardinali, Archiepiscopo Senonensi, nec non Albigensi Episcopo, Franciæ Cancellario. Eo in Concilio sexdecim Fidei Decreta edita sunt, *Lutheri* libri prohibiti, Ecclesiastica Disciplina quadraginta Decretis emendata. Septimum statuit ut Episcopi iis, qui Romæ sacros Ordines absque dimissoriis literis susceperunt, executionem Ordinum suorum non permittant, nisi eorum literis diligenter inspectis, de Ordinantium potestate, & auctoritate eis a Romano Pontifice concessa constituerit; atque rursus examinentur de vita, scientia, ætate, ac inquiratur de Beneficio seu patrimonio. Quibus in rebus si minus sufficientes inventi fuerint, ab Ordinum executione suspensi declarantur. Hujusce Concilii Decretis componendis operam navaverunt selecti e Sacra Facultate Parisiensi Doctores. Illa in lucem emisit, Notisque eruditis illustravit *Jodocus Clichtoveus* ejusdem Academiæ Theologus.

Coloniense.

IV. *Concilium Coloniense* auctoritate *Hermanni* Archiepiscopi, qui postea in hæresim lapsus est, pro Ecclesiastici Ordinis & Sacrorum Rituum reformationem celebratum fuit anno Domini millesimo quingentesimo trigesimo sexto. In partes quatuordecim tributum est, quarum unaquæque plurima Decreta eaque saluberrima complectitur. Prima *De munere Episcopali* tractat. Altera *De Officio privato ac publico, vitaque, moribus, & honestate Clericorum*. Tertia, *De Metropolitanis, Cathedralibus, & Collegiatis Ecclesiis, & in his Ministrantibus*. Quarta, *De Parochis & eorum Vicariis, aliisque verbi Ministris*. Quinta, *De vita ac moribus Parochorum*. Sexta, *de verbi divini prædicatione*. Septima, *de administratione Sacramentorum*. Octava, *de victu Parochorum*. Nona, *de Constitutionibus & Consuetudinibus Ecclesiasticis*. Decima, *de vita & conversatione Monastica*. Undecima, *de Xenodochiis, Orphanotrophiis, aliisque piis locis*. Duodecima, *de Scholis, Typographis ac Bibliopolis*. Decima-tertia, *de Jurisdictione Ecclesiastica contentiosa*. Decima-quarta, *de Visitatione & Synodis*. Præclara illa Decreta conscripsit, ordinavit, digessit *Joannes Gropper*, Juris Pontificii Doctor eruditissimus, Theologus item doctissimus, Lutheranorum acerrimus impugnator.

V. Alterum *Concilium Coloniæ* celebratum est anno millesimo quingentesimo quadragesimo-nono, Quadragesimali tempestate, Præside *Adolpho* Archiepiscopo, Septemviro Imperii, & per Italiam Archicancellario, in executionem Formulæ Reformationis quam Augustæ Vindelicorum in solemnibus Comitiis a *Carolo V.* Imperatore propositam, idem Archiepiscopus ac reliquus Germaniæ Clerus probaverat. Deliberationibus & consultationibus ea in Synodo a die Martii undecima ad sextam usque Aprilis quotidie habitis, tandem apparuit, propterea quod vigor antiquorum Canonum statim revocari in usum absque motu graviori his temporibus non poterat, ad media quædam sacris Canonibus consentanea, quibus Clerus & Populus ad pleniorem Reformationem sensim perduceretur, esse confugiendum, visaque sunt plurimi momenti ad permansuram & efficacem Reformationis executionem comparandam allatura media sex, nempe: 1. *Instauratio studiorum, potissimum sacrorum*. 2. *Examen Ordinandorum, ad Ministeria vel Prælaturas instituendorum*. 3. *Officiorum sedula perfunctio*. 4. *Visitatio Ecclesiastica*. 5. *Synodorum frequens celebratio*. 6. *Jurisdictionis Ecclesiasticæ jam propemodum collapsæ, & abusu depravatæ restitutio*. De primo medio decem Decreta, totidem de secundo, de tertio duodecim, septem de quarto, tria de quinto, de sexto totidem edita sunt. Accessere Censuræ & Decreta 38. lata pro abusuum & vitiorum ad Synodi Judicium perlatorum emendatione. Horum omnium Decretorum observantiam *Carolus V.* Constitutione sua imperavit.

Moguntinum.

VI. Provinciale *Concilium Moguntinum* anno millesimo quingentesimo quadragesimo-nono celebratum est, Præside *Sebastiano* Archipræsule, Sacri Imperii Septemviro: In quo Decreta quadraginta-septem ad fidei doctrinam pertinentia, & quinquaginta-sex morum emendationem spectantia edita sunt, quæ hac declaratione finiuntur. *Cum his præsentibus nostris Constitutionibus, omnes etiam Generalium Conciliorum Constitutiones & Decreta; similiter omnia & singula alia statuta Provincialia in Conciliis Provincialibus,*

sub

sub nostris Prædecessoribus celebratis edita quorum in his nostris Constitutionibus etiam nullam mentionem facimus, in suo vigore permanere volumus, & ab omnibus nobis subjectis, qua quemque parte attingunt, pro confirmatis & authenticis agnosci, haberi & observari, districte præcipiendo mandamus, Sacrosanctæ Romanæ, Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ Judicio: cujus Auctoritatem in omnibus salvam conservari volumus, hæc omnia cum debita obedientia submittentes.

Treverense.

VII. Eodem anno *Treverense Concilium* Provinciale celebratum est, Præside *Joanne* Archiepiscopo, Imperii Septemviro, in quo saluberrima Decreta edita sunt, de Fide Catholicæ & Romanæ Ecclesiæ fideliter & firmiter tenenda; de verbi divini Prædicatoribus; de cultu divino diligenter & religiose exequendo; de Horis Canonicis; de Missæ Officio rite peragendo; De Festorum numero minuendo, quo & effrenes coerceantur, & aliquid detur necessitati pauperum; de Monachis & Sanctimonialibus; de Parochis; de Scholis; de Ecclesiastica libertate & immunitate; de vita & honestate Clericorum. Denique tum Cæsaream Reformationem in Comitiis Augustanis præscriptam, & a Clero Germanico receptam, tum Diœcesanæ Synodi Treverensis Decreta innovat & observari jubet, *SANCTÆ SEDIS APOSTOLICÆ AUCTORITATE SEMPER SALVA*.

Concilii ergaSedem Apostolicam reverentia.

Narbonense.

VIII. Sub *Julii* III. Pontificatu Tridentino Concilio adhuc pendente, Synodus Provinciæ Narbonensis in Ecclesia Metropolitana celebrata est Mense Decembri anni millesimi quingentesimi quinquagesimi primi, Præside *Alexandro Zerbinatis*, Sedis Apostolicæ Protonotario, *Francisci* Cardinalis *A Pisanis* Narbonensis Archiepiscopi Vicario Generali. Adfuere Vicarii Episcoporum Biterrensis, Carcassonensis, Montispessulani, Lodovensis, Uticensis, Agatensis, Nemausensis, Electensis, & S. Pontii Thomeriarum, Cannensis Abbas, & insignium Capitulorum Syndici. Catholica Fide contra novas hæreses breviter explicata, damnatisque velut Hæreticis, quicumque aliud docent quam Romana credit & profitetur Ecclesia; Canones sexaginta quatuor de morum emendatione conditi sunt, quibus hæc addita conclusio: *Voluit Concilium omnia de quibus in his Canonibus & Statutis agitur, determinationi sanctæ Matris Romanæ Ecclesiæ subjici, a qua in quoquam deviare aut aberrare nolumus; Neque a Generalibus Conciliis, vel etiam Provincialibus receptis & usu confirmatis: quibus his Decretis nihil detrahi aut derogari possumus. Neque nostra est sententia, Christianissimi Domini nostri Francorum Regis Ecclesiæ Gallicanæ, Sacrorumque Conventorum auctoritati & prærogativis detrahere, nec ullo modo illis obesse.*

ARTICULUS XI.

De Conciliis Provincialibus post Sacram Oecumenicam Synodum Tridentinam Sæculo 16. celebratis ad illius executionem & observantiam promovendam.

Remense.

I. PRimum inter illa tenet locum *Remense Concilium* anno millesimo quingentesimo sexagesimo quarto celebratum, Præside *Carolo* Cardinali *A Lotharingia* in quo Statuta undeviginti & amplius edita sunt ad Ecclesiasticæ Disciplinæ emendationem. Novemdecim Congregationibus Concilium absolutum est. Congregatione undecima, eum de causa *Odeti Castillionei* Cardinalis & Bellovacensis Episcopi, qui a Fide defecerat, ageretur, Cardinalis *A Lotharingia* Concilii Præses dixit, se nolle in eum sedere Judicem, cum inter suam & illius familiam graves intercederent inimicitiæ: quamquam ipse quidem, quod ad se attinebat, eum eo nullas gereret inimicitias. Absit enim (inquiebat) ut ego nec illi, nec ulli alii sim inimicus. Sed tamen ne in me propterea ulla cadat suspicio simultatis, Reverendissimus Suessionensis, qui post nos primum locum tenet, primus dicat sententiam. Varias in sententias itum est, tandemque Synodo visum, ut ad Regem Christianissimum ea de re scriberetur, qui pro sua pietate ipsum ab administratione Bellovacensis Ecclesiæ cum in spiritualibus, tum in temporalibus utpote ob hæresim exauctoratum excidisse declararet ac removeret.

Cameracense.

Cameracum Cambray, Belgii Civitas Archiep.

II. Anno millesimo quingentesimo sexagesimo quinto *Cameracense Concilium* celebratum est, Præside *Maximiliano a Bergis*, Archiepiscopo & Duce Cameracensi. Edita Fidei Professione juxta Synodum Tridentinam, Decreta 22. emendationis Disciplinæ condita sunt, pluribus quæque capitibus constantia. Tridentinum Concilium in ea Synodo ab omnibus receptum est hac verborum formula. *Ego N. omnia & singula, quæ in sancta Synodo Tridentina definita & statuta sunt, palam recipio; nec non verum obedientiam Summo Romano Pontifici spondeo & profiteor: simulque hæreses omnes a sacris Canonibus, & Generalibus Conciliis, præsertimque a prædicta Synodo Tridentina damnatas, publice detestor & anathematizo.*

Mediolanensia.

III. Eodem anno *Concilium Mediolanense* I. celebratum est Præside *S. Carolo*, Cardinali *Borromæo*, Archiepiscopo Mediolanensi, Sedis Apostolicæ per universam Italiam de Latere Legato; in quo saluberrimæ Constitutiones editæ sunt, in tres partes tributæ. Prima est *de Fide Catholica*. Secunda, *De iis quæ ad Sacramentorum administrationem generatim pertinent*. Tertia, *De piorum locorum administratione*.

Mediolanum, Milano, Ducatus Caput, Sedes Archiep.

IV. Triennio post, scilicet anno millesimo quingentesimo sexagesimo nono, Synodum alteram Provincialem ex Concilii Tridentini Decreto Sanctus idem Archipræsul celebravit. Statutorum ejus prima pars ea complectitur, quæ ad fidem tuendam, Sacramenta ministranda, & alia Pastoralia munera pertinent. Altera, quæ ad Missam, Divina Officia, Ecclesiæ cultum, & ad Viros Ecclesiasticos spectant. Tertia, quæ ad bona & Jura Ecclesiarum, piorumque locorum attinent.

V. *Tertium Concilium Mediolanense* ab eodem Archipræsule celebratum est anno millesimo quingentesimo septuagesimo tertio, in quo 20. emendationis Decreta condita sunt.

VI. *Quartum Concilium Mediolanense* anno millesimo quingentesimo septuagesimo sexto, eodem Præside celebratum est, in quo plurima Decreta edita sunt de sacris Reliquiis, Miraculis, Imaginibus, Indulgentiis, Jejuniis, Festorum dierum observantia, religiosis peregrinationibus: De sacris locis & eorum cultu: De verbi Dei prædicatione: De Scholis Doctrinæ Christianæ: De Sacramentorum administratione: De Divinorum Officiorum celebratione: De Parochiis & Parochialibus Juribus & Officiis. Item de Episcopis & eorum conversatione; de vita & honestate Clericorum, de Visitatione, de Synodis Provinciali & Diœcesana, de foro Ecclesiastico, de Regularibus, de Monialibus, de piorum locorum administratione.

VII. *Concilium Mediolanense Quintum* anno millesimo quingentesimo septuagesimo nono ab eodem Sancto Cardinali & Archipræsule celebratum est, quod Oratione pietatem & Ecclesiasticæ Disciplinę studium spirante, sicut & superiora, aperuit. Statutorum parte prima sanciuntur ea, quę ad Fidei tuendæ studium pertinent: item quę ad Sacramentorum administrationem & Sacramentalium usum. Pars altera de cura pestilentię decernit, in qua admirabilis prudentia & eximia charitas Sancti *Caroli Borromæi* elucet. His autem Decretis occasionem dedit funesta pestilentiæ contagio, quæ superioribus annis urbes aliquot Italiæ celeberrimas, oppida, pagos complures, deinde longe lateque dimanans, Mediolanum, ejusque Diœcesim fere omnem, & aliquam Provinciæ partem, ita vehementer invaserat, ut multiplicem variamque stragem edidisset. Pars tertia Statutorum spectat Sacramentum Ordinis, Clericorum honestatem, Beneficiorum collationem, Divinorum Officiorum celebrationem, Residentiam, Ecclesiarum supellectilem & fructus, Synodorum congregationem, Visitationem, & Episcopalem Jurisdictionem, Matrimonii disciplinam, Scholarum, Confraternitatum, piorum locorum directionem & administrationem, Sanctimonialium reformationem.

S. Carolus Conciliorum suorum Decreta Romanæ Ecclesiæ emendationi subiicit.

VIII. *Concilium Mediolanense Sextum* ab eodem celebratum est anno Christi millesimo quingentesimo octogesimo secundo, in quo triginta Decretis Christiana disciplina sancitur. Mediolanenses omnes Synodi Provinciales *Sancti Caroli Borromæi* his verbis clauduntur: *Omnia & singula, quæ a nobis in hac Provinciali Synodo decreta atque sunt, quæ debemus obedientia ac reverentia auctoritati ac judicio sanctæ Romanæ Ecclesiæ, omnium Ecclesiarum Matris, & Magistræ, semper emendanda & corrigenda subjicimus.*

Hispanica.

IX. Quinque Provincialia Concilia in Hispania celebrata in Tridentini executionem anno millesimo quingentesimo sexagesimo quinto, *Toletanum*, *Salmanticanum*, *Bracarense*, *Cæsaraugustanum*, & *Valentinum*, observat Illustrissimus Annalium Ecclesiasticorum Continuator *Henricus Spondanus*, Appamiensis Episcopus, Ex iis *Toletanum* dumtaxat editum est. Ipsi præfuit *Christophorus Rogias de Sandoval*, Cordubensis Episcopus, Comprovincialium Episcoporum antiquior. Tribus Actionibus absolutum est; in Prima professio Fidei edita; in sequentibus de Reformatione tra-

ctatum est. Decreta quinquaginta novem ea de repromulgata sunt. Pravam consuetudinem abolevit, qua nonulli taurorum agitationem, aut alia id genus spectacula ad populi voluptatem ea voto edebant. Synodus declaravit, hæc ad vota, quæ religionis causa fiunt, nulla ratione pertinere posse. Idcirco vota quæ hactenus etiam totius populi consensu de his edendis, quocumque juramento præstita fuerant, in irritum misit: immo ea in posterum fieri vetuit, excommunicatione lata in eos qui hæc vota emiserint, vel cum ea ne faciant prohibere possint, fieri permiserint.

Mechliniense Mechlinia, Malines, urbs Brabantiæ, Sedes Archiepis.

X. Anno millesimo quingentesimo septuagesimo, mense Junio, Synodus Provincialis *Mechliniensis* in Belgio celebrata est Præside *Martino Rytovio*, Episcopo Yptensi, nomine & loco *Antonii* Cardinalis *Granvellani* Mechliniensis Archiepiscopi, in qua damnatis hæresibus, Concilii Tridentini Decretis receptis, & promissa Romano Pontifici, secundum ejus præscriptum, obedientia; Decreta saluberrima edita sunt, de Sacramentis, de Ordinandis, de Sponsalibus & Matrimoniis, De Officio, & cultu Divino, de Festis, de Jejuniis, de Indulgentiis, de Superstitione, de Sigillis, de Ministris Ecclesiæ; eorumque Residentia & correctione, de Scholis & Seminariis, de Regularibus & Monialibus, de Literis Apostolicis & Judicibus delegatis, de Usuris, de Visitationibus.

Prudens de Indulgentiis Decretum.

Decretum de Indulgentiis præcipua observatione dignum est. „ Monet pios suos filios hæc Synodus, ne „ circumforaneis quibusdam, aut etiam cum privile„ gio impressis Libellis temere fidem habeant qui ex „ levibus, aut superstitiosis causis, incertisque revela„ tionibus, immodicas & plus æquo exorbitantes pol„ licentur Indulgentias, potissimum si promissiones „ contineant certorum effectuum, periculorum scilicet „ evitationem, a gladiis, a tormentis, ab aquis, a pe„ ste, aut liberationem certam a Purgatorio: quemad„ modum & Missis quibusdam & precibus certo nu„ mero recitandis affixas alicubi videre licet.

Superstitiones damnata.

Decretum de Usuris notandum.

Decretum de Usuris Regulam Moralis Christianæ continet memoriæ commendandam. „ Quoniam (*inquit*) Usura Jure Divino & Canonico omnibus „ Christianis sub pœna peccati mortalis interdicitur, „ neque facienda sunt mala, ut eveniant bona, Syno„ dus statuit, & ordinat, ne quis Tutor aut Curator „ sub prætextu augmentandi patrimonii Pupillorum, „ aut sub eorum curatela existentium, pecunias illo„ rum sub certo lucro singulis annis ultra sortem re„ cipiendo mutuo dent, retenta facultate repetendæ „ sortis, quando ad majorem ætatem pervenerint, „ aut matrimonium contraxerint, aut alias ad illorum „ voluntatem & arbitrium, declarando omnes hujus„ modi contractus usurarios, & contra ut præmitti„ tur, mutuantes, tamquam contra usurarios, ad pœ„ nas Juris procedendum.

Pecunias pupillorum mutuo dare non licet sub certo lucro singulis annis ultra sortem recipiendo retenta facultate repetenda sortis.

XI. *Concilium Rothomagense* anno millesimo, quingentesimo octogesimo primo celebratum est Præside Serenissimo Principe Cardinali *Borbonio* Rothomagensi Archiepiscopo. De Capitibus undecim ea in Synodo Decreta edita sunt. 1. „ De Fide & Religione. 2. De „ Cultu Divino in genere. 3. De Sacramentis. 4. De „ Sacrificio Missæ. 5. De Matrimonio. 6. De Episco„ pis & Capitolis. 7. De Episcoporum officiis. 8. De „ Curatorum & aliorum Presbyterorum ac Parœciano„ rum officiis. 9. De Monasteriis. 10. De Jurisdictione „ Ecclesiastica. 11. De Scholarum & Seminariorum „ fundatione & regimine. *Cap. 1. Ecclesiæ infallibilitatem profitetur his verbis:* Universos qui aliter quam „ Catholica, Apostolica, & Romana credit & præ„ dicat Ecclesia, credere & pertinaciter asserere atten„ tant, ejusdem Concilii auctoritate velut Hæreticos „ & pertinaces, atque a communione Fidelium sepa„ ratos declaramus. Ecclesia quippe universa errare non „ potest, quæ regitur Spirito veritatis, secum manen„ te in æternum, & cum qua Christus manet usque „ ad consummationem sæculi: quæ etsi diversa ac non„ numquam pugnantia proposuisse videatur Decreta de „ morum disciplina, nihil tamen est in tanta Decre„ torum multitudine, quod fidei orthodoxæ adverse„ tur, sed uno eodemque Spiritu edocta, pro condi„ tione temporum statuit quod videbatur commodius. „ Ejus itaque doctrinæ & Fidei inhærentes, quam po„ stremo pro necessitate hæreseon & temporum edi„ dit veritatis Confessionem in Generali Synodo am„ plectimur & profitemur.

Concilium Rothomagense.

Ecclesia infallibilitas.

Baptisma nullatum Calvinistis, non sub conditione iterandum.

Cap. De Sacramentis, vetat ne Calvinistæ ad Ecclesiam redeuntes sub conditione baptizentur, quantumvis intentionem non habuerit Sectæ Minister baptizandi in remissionem peccatorum. „ Antea (*inquit*) „ in plerisque nostrarum Diœcesum locis baptizati ab „ hæreticis, præsertim a Calvinistis, redeuntes ad Ec„ clesiam Catholicam, iterum tingebantur sub hac „ verborum forma: *Si non es baptizatus, ego te baptizo*: quia dubitabant nonnulli de valore baptismi „ ab hujusmodi Hæreticis collati, eo quod non habe„ rent intentionem baptizandi in remissionem peccato„ rum. Verum quoniam illa formula baptizandi sub „ conditione fuit introducta propter occulta baptisma„ ta, & de quibus non apparebat, nec uni mulieri „ seu alteri privatim baptizanti credi debebat: contra „ vero constabat Calvinistas in Cœtu publico baptiza„ re, in forma verborum & materia a Christo insti„ tuta, nec de hoc facto ambigi poterat, vetamus ab„ lutionem repeti cum quibuscumque verbis a Cal„ vinismo aut aliis hæresibus similiter baptizantibus, „ ad nostras Ecclesias transeuntibus, ne de Anabaptis„ mo redarguamur.

Cap. De Episcopis, Regi Christianissimo supplicat Synodus pro sacrarum Electionum restitutione: „ Optamus omnes a Deo (*inquit*) atque a Christianissimo „ nostro Rege supplices precamur, Electiones restitui „ cum veteri & sincera eligendi forma.

Qui in Ecclesiis sepeliendi?

Cap. 8. De Curatorum & Parœcianorum officiis, observatione dignum est Decretum de Sepulturis, his verbis conceptum: „ Non adeo promiscue (ut nunc „ fit) mortui sepeliantur in Ecclesiis, ac ne quidem „ ditiores, ne is honor detur pecuniis potius quam gra„ tiis Spiritus Sancti: sed hoc servetur Deo sacratis „ specialiter hominibus, eo quod præ aliis eorum cor„ pora templa sint Christi & Spiritus Sancti; & aliis „ in sublimitate & dignitate tam Ecclesiastica quam „ sæculari constitutis, quandoquidem & isti Dei mi„ nistri sunt, atque organa Spiritus Sancti: Aliis in„ super qui nobilitate vel virtutibus, vel meritis erga „ Deum & Rempublicam fulgent. Cæteri pie & re„ ligiose in Cœmeteriis ad hoc dedicatis sepulturæ „ tradantur. Nec indifferenter pro quibuscumque ha„ beantur funebres Orationes, sed pro his tantum qui „ gloriosi sunt & illustres in generationibus suis & „ populis: aut quorum tantum est meritum, ut eo„ rum sapientiam narrare debeant populi, & Ecclesia „ laudem eorum nuntiare; Non igitur Ecclesiastico„ rum, aut aliorum domestici intra Ecclesias præser„ tim Cathedrales, aut alii de plebe, nisi præter opes „ sit aliud quod eos commendet, tradantur sepultu„ ræ. Nec ipsi præter statum & decorem exequiarum „ pompam affectent, sed potius Ecclesiæ Sacrificiis aut „ suffragiis, aut in pauperes eleemosynis & ambiant „ & studeant adjuvari.

Charitas in Regulares commendatur.

Notandum etiam quod de studio Episcoporum in Regulares ibidem traditur: *Episcopi subsidiarios Regulares tueantur, & charos habeant atque alant, sicut Coadjutores; omnesque illis factas injurias & contumelias suas esse existiment & propulsent. Juniores ad studia literarum foveant atque Conventus pro suis facultatibus tamquam concionatorum Seminaria sustentent.*

Præclara sunt hujus Concilii de Monachorum & Sanctimonialium reformatione Statuta. Observatione præcipua dignum est quod de Commendatariis Abbatibus decernitur Cap. De Monasteriis Num. 4. quod nobis non excidet, ubi de Politia Ecclesiastica agemus. Notandum quod Num. 2. statutum est de Electionum restitutione a Rege roganda, & Provisionibus a Sede Apostolica infra certum tempus impetrandis. „ Supplicandum insuper a parte hujus sanctæ Synodi „ existimavimus Christianissimo nostro Regi, ut Ele„ ctiones juxta morem antiquum aliquando restitue„ re dignetur; & interim intra sex menses, juxta „ Concordata, aut ad summum intra novem, tenean„ tur Nominati ad Monasteria & Prioratus Provisio„ nes a Sede Apostolica impetrare: aut omni Jure „ excidant, & fructus pietatis operibus per Episco„ pum applicentur, donec eisdem aut aliis provisum „ fuerit ab eadem Sede Romana. *Privilegia Monasterii S. Martini Sagiensis, Ordinis Benedictini, salva & illæsa præstitit Synodus Num.* 20. Synodus, sal„ va & inviolata vult Statuta & Privilegia Monaste„ rii S. Martini Sagiensis Diœcesis in Normannia, de „ Congregatione & Reformatione Casalis Benedicti, „ nihilque de eisdem Statutis & Privilegiis dicti „ Monasterii abrogare intendit, salvo Jure Episco„ pali.

Pro sacrarum electionum restitutione Regi supplicandum decernitur.

Sigillum ab Episcopis non locandum.

Cap. De Jurisdictione Ecclesiastica, Num. 8. prohibetur Episcopis *Ne sigillum suum ad certum pretium locent, sed illud probo viro, nec indocto, tamen Ecclesiastico committant.*

XII.

Concilium Remense.

XII. Alterum *Concilium Remensa* Provinciale anno millesimo quingentesimo octogesimo tertio celebratum est Præside *Ludovico* Cardinali *A Guisa*, Archiepiscopo Duce Remensi. Quinque Congregationibus in Palatio Archiepiscopali celebratis, primum de Catholicæ Fidei professione, juxta formulam e *Pio Quarto* Pontifice Maximo præscriptam, actum est: tum viginti septem Decreta de morum emendatione edita sunt. Effugium illud Simoniacorum, & corruptorum quorumdam Casuitarum sugillat, qui non rem ipsam spiritualem, sed solum proventum, remque temporariam emi effutiunt, cum pecunia pro Beneficiis datur. „ Illi, *inquit*, in primis habeantur, prout sunt, Simoniaci qui Beneficia resque spirituales pecuniis comparant vel conferunt, vel certe rebus quæ pecunia æstimari queant. Nam eorum impudentissimum prætextum detestamur qui de solo proventu reque temporaria se pacisci dicunt, cum ea spirituali tam arcto sit annexa vinculo, ut non magis una ab altera divelli queat, quam in homine vivo manente corpus a sua anima.

Simonia damnatur.

Concilium Burdigalense.

XIII. *Concilium Burdigalensa* eodem anno celebratum est, Præside *Antonio Prevotio Sansaco*, Archiepiscopo Burdigalensi; in quo Decretis sex & triginta Ecclesiasticæ Disciplinæ consultum est. Cap. 16. pro sacrarum Electionum restitutione Regi Christianissimo Synodus supplicat: „ Ut autem, *inquit*, in posterum felicius quam antea, præsertim ex quo sublatæ fuerunt Electiones, Ecclesiis Cathedralibus & Monasteriis provideatur, Regem Christianissimum per viscera misericordiæ Dei, ac per Christi Sanguinem obsecramus atque obtestamur, ut pro sua in Deum singulari pietate, ad ipsius Dei gloriam & Ecclesiæ utilitatem, necnon ad exsolvendam maxima religione conscientiam suam, facultatem eligendi idoneos & utiles Pastores Ecclesiæ restituat.

Regula de Usuris, adversus Moralis Christianæ corruptelas.

Cap. 31. De Usuris & illicitis Contractibus Regulæ Moralis Christianæ traduntur, ab iis qui Confessiones excipiunt memoriæ commendandæ & observandæ, quas hic subjicere operæ pretium duxerim: „ Quoniam fere ubique gentium teterrimum Usuræ crimen, quod olim non immerito a quodam homine Ethnico homicidio comparatum fuit, omnium hominum cujusque ordinis & conditionis invasit animos: & quod sane graviter dolendum est, usque adeo invaluit, ut jam plerisque nullam peccati mortalis rationem habere videatur, sed veluti licita negotiatio contra manifestum Dei præceptum exerceatur: Ea de re ne quis hac in parte culpam suam ignorationis excusatione prætexere possit, visum est nobis, ex Sacris Scripturis & SS. Patrum Decretis quædam hujus generis delicta, quæ passim in hac Provincia committuntur, annotare, & ea pro muneris nostri ratione prohibere: ut sciant cuncti, qui hujusmodi crimina, vel illis affinia commiserint, se mortis æternæ pœna, nisi sedulo inde resilierint, mulctandos & excommunicandos esse; eos vero qui manifeste tales fuerint, non solum vivos Altaris Communione privatos, aliisque gravissimis pœnis obstrictos teneri, sed etiam mortuos sepultura Ecclesiastica carituros esse.

1. „ Ne cui igitur ex mutuo, præter sortem ex convento, vel eo, quod datum est, aliquid amplius accipere, aut principaliter sperare, sive ejusdem generis, sive alterius quomodocumque, etiamsi operæ sint, liceat: etsi pecuniæ ipsæ sint pupillorum, aut viduarum, aut locorum piorum, vel etiam dotales, nisi quatenus id Jure nominatim permittitur. Mutuum enim ex Præcepto divino debet esse gratuitum.

2. „ Ne quis mutuo det frumentum, aut vinum, vel id genus aliud corruptum, aut mixtum, ut tantumdem integri & puri carioris reddatur, etiamsi restitutio differatur in quodcumque tempus debitori commodum.

3. „ Si quis debitum loco & tempore re ipsa oblatum accipere recusaverit, nihil præter sortem vel ratione damni emergentis, vel quacumque alia de causa accipere possit.

4. „ Ne quis ob dilatum solutionis diem, charius vendat, quam justi pretii ratio ferat.

5. „ Sed neque etiam ob anticipatam solutionem res minoris ematur justo pretio, vel minus solvetur.

6. „ Nec cui præsenti pecunia indigenti quidquam charius vendatur, ut statim a venditore per se, vel per interpositam personam vilius ematur.

7. „ Ne res magnæ æstimationis modico pretio pignori detur, vel vendatur, pacto redimendi intra certum tempus, ut si ad dictum tempus non redimatur, maneat emptori libera, aut ei qui pignori accepit.

8. „ Ne cui liceat ita contrahere, ut debitor totam pecuniæ summam creditori solvat, cum ille partim pecunia dederit, partim nominibus, quæ difficile exigi possint, vel in rebus pluris quam valeant æstimatis.

9. „ Nec in societate, in qua alter pecuniam confert, alter operam, lucrum aliter quam ex æquis partibus dividatur.

10. „ In societate animalium, quæ inæstimata dantur alicui custodienda, sive ut operas præstet, omnes casus etiam fortuiti semper sint periculo ejus qui dederit, nisi accipientis & custodientis dolo aut magna negligentia damnum accidisse contigerit.

11. „ Non fiat pactio, ut sors sit semper salva, etiam ex primis fœtibus.

12. „ Et in locationibus animalium, quæ fiunt certo pretio, si illa absque dolo & negligentia ejus qui conduxit, deteriora fiant, aut pereant, id semper sit damno eis, qui locaverint.

13. „ Ne liceat divitibus tempore messis & vindemiæ frumentum & vinum vilius emere, ut ista postea quanti voluerint, vendere possint: neve eisdem fas sit tempore sterilitatis & famis pro libidine annonam vendere, ne pauperes fame conficientur, vel facultatibus suis omnino spolientur. Neque enim paucorum avaritia perire debet universa Respublica. Quare Magistratus, ad quos hæc cura pertinet, hortamur, ut omnium justis moderatisque pretiis provideant.

14. „ Prohibentur quoque annuorum Censuum simulati & fictitii Contractus, in quibus nulla certa res immobilis, quæ justo pretio ematur, designatur & exprimitur.

15. „ Vel ubi venditor intra aliquem præstitutum diem redimere cogatur, vel ubi non possit redimere, nisi post certum tempus.

16. „ Vel ubi annuus Census, ad cujus solutionem res obligatur, superat æstimationem fructuum, quos ex ipsa re Dominus solet aut potest percipere.

17. „ Cum vero contractus omnes usurarii, & qui a jure ut iniqui prohibentur, nulli & irriti & inanes sint, etiam jurejurando firmati: Contrahentesque, nec-non Tabelliones proxenetæ usurarum aut lucri participes, ministriqua horum scelerum, pœnis a Jure graviter coerceantur, cavere omni studio oportet, non modo ab iis qui usuræ pravitatem aut turpe lucrum præ se ferunt, sed & ab aliis temperandum, qui licet specie justitiæ apparentis contegantur, re tamen ipsa prædictis affines sunt, multorumque animas laqueis perniciose involvunt.

18. „ Ne vero literarum rudis populus hoc ignoret, Parochorum erit ea interdum publice in Ecclesia recitare, & quascumque alias fœnoris ac usuræ species prohibere, cum denuntiatione restitutionis merito faciendæ, si & a Sacerdote absolvi, & a Deo peccata sibi condonari velint. „ Concilium istud a *Gregorio XIII.* Pontifice maximo confirmatum est.

Synodus Turonensis.

XIV. Anno millesimo quingentesimo octogesimo tertio, Synodus Provincialis Turonensis, partim Turoni mense Majo, partim Andegavi mense Septembri celebrata est, Præside *Simona a Maillé* Archipræsule, in qua uno & viginti Decretis Ecclesiasticæ Disciplinæ consultum est. In primis Deo vota facit Concilium pro Regis incolumitate, tum Regiam Majestatem renovatis Synodi Lauriacensis Decretis tuetur: „ Cum (*inquit*) sancta sit & augusta Regum Majestas, sitque sacrilegus & parricida, qui vel re vel verbo tenus Regem violat: quod priscis cautum est Conciliis, quodque præsertim in Synodo apud Lauriacum pagum Andegavensem habita pridem fuit constitutum, renovans hæc Synodus statuit.

Regia securitati, & auctoritati a Deo institutæ consulitur.

„ Quandoquidem Religioni inimicum, & hominibus constat esse perniciosum futura curiosius perscrutari, & fata Principum, eorumque casus inquirere .... hoc Decreto censemus, ut quisquis inventus fuerit talia perquisivisse, & vivente Principe de alio Regni Successore habendo consilium iniisse, sibique in hac re socios conciliasse, e Conventu Catholicorum Excommunicationis Sententia expellatur.

„ Quin etiam pro perversis hominum moribus emendandis salubri deliberatione censemus ne quis in Principem maledicta congerat: Scriptum est enim a Legislatore: *Principem populi tui ne maledixeris*: Quod si quis fecerit, Excommunicatione plectatur. Nam si „ male-

„ maledici regnum Dei non possidebunt, quanto magis talis ab Ecclesia necessario pellitur, qui divinæ sententiæ violator atque in Principem peccans invenitur?

„ Si quis contra Regiam Dignitatem dolose, callide, ac perniciose machinari comprobatus fuerit nisi dignissime satisfecerit, anathematizetur.

„ Si quis Potestati Regis, quæ non est nisi a Deo, contumaci ac inflato spiritu contra auctoritatem & rationem pertinaciter contradicere præsumpserit, & ejus justis imperiis obtemperare noluerit, anathematizetur.

Confidentiæ crimen, quæ pessimum & gravissimum simoniæ genus est, hæc Synodus exstirpare satagit, ac propterea *Pii* V. Sanctissimi Pontificis Constitutionem executioni mandari jubet, ex qua hæ Moralis Christianæ Regulæ colliguntur.

Moralis Christiana Regula adversus Simoniacam fiduciam.

1. „ Si qui quacumque auctoritate Ecclesiam vel Monasterium, aut aliud Beneficium Ecclesiasticum qualecumque, ex resignatione vel cessione cujuscumque personæ simpliciter, aut cum circuitu retrocessionis, cum regressu vel accessu, etiam sola dimittentis intentione receperit, ut illa, vel illud, etiam in metu regressus vel accessus, eidem dimittenti, vel alteri postea conferatur, aut eorum fructus, vel eorum pars aliis, vel aliis concedantur, vel pensiones solvantur ex eisdem, hæc Confidentia censeatur.

2. „ Itidem si Ordinarius vel alius Collator contulerit antehac aut conferat in futurum Beneficium Ecclesiasticum quovismodo vacans, ea conditione tacita vel expressa, ut postea in alterum pro arbitrio Collatoris, seu alterius cujuscumque, contra juris communis ordinationem disponatur; sive ut de eo provisus, fructus illius, vel partem ad utilitatem vel libitum conferentis, vel cedentis, aut alterius, relinquat & remittat, seu pensionum illi vel illis, quem vel quos idem Collator aut cedens vel alius, per se vel alium scripto aut verbo jusserit, seu significaverit, persolvat, & pariter si a Patrono etiam Laico vel altero Præsentatore seu Electore contigerit aut contingat id fieri.

3. „ Ad hæc, si Cardinalis, aut alias a solutione jurium ipsius Cameræ, vel etiam Cancellariæ Apostolicæ exemptus, post resignationem vel cessionem alicujus extranei de Ecclesia, Monasterio, vel alio Beneficio Ecclesiastico, in se Apostolica vel alia Auctoritate factam & admissam, illam vel illud, etiam confectis literis Apostolicis, & possessione apprehensa, in eumdem resignantem vel cedentem, modico spatio interjecto, veluti duorum aut trium mensium, retrocesserit aut retrocedat, in futurum ex illa retrocessione fructus Ecclesiæ, seu Monasterii, aut Beneficii, vel eorum pars seu pensio, seu quid aliud super illis reservatum, aut regressus, seu accessus, & ingressus ad illa vel illud ipsi Clerico, vel Cardinali, aut alii exempto sit, fueritve concessus.

4. „ Si qui crimine aliquo absolutus, aut cum quo super Irregularitate dispensatum est, denuo receperit quacumque auctoritate Ecclesiam, Monasterium, vel aliud Beneficium Ecclesiasticum, quod ante vel post commissum delictum, aut contractam Irregularitatem dimiserit, in quovis horum casuum confidentiæ pravitas sit contracta.

5. „ Ad probandum vero plane confidentiarum abusum, inter alias etiam hæ præsumptiones & conjecturæ habeantur legitimæ, videlicet; si quis post cessam ab se Ecclesiam vel Monasterium, aut Beneficium & publicatam resignationem seu cessionem, captamque a Successore possessionem, sese in illa vel illo, seu rebus illius per se vel alium, seu alios de facto injecerit, aut fructus perceperit, aut quicumque Successor illi vel ejus propinquis ipsos, aut partem aliquam remiserit eorumdem: si recipiens Beneficium constituerit dimittentem, vel ejus parentes aut propinquos, Procuratores ad percipiendum vel locandum fructus Beneficii dimissi, & illi vel illis de fructibus perceptis aut percipiendis donationem fecerit; si vel sola Procuratoris depositione, vel libris rationalibus mensariorum, ex parte dimittentis, expeditio quæ personam recipientis concernit, prosecuta sit, simulque expensæ pro ea necessariæ ab illo factæ fuerint. Denique si quis pro concessione alicui facta quacumque auctoritate de Beneficio Ecclesiastico per se, vel alium, seu alios intercesserit, vel alias in negotio concessionis sese immiscuerit, quoquo modo denique aliquid de fructibus talis Beneficii de facto etiam per manus possessoris, ac etiam simplicis donationis titulo perceperit, seu de illo postmodum ad voluntatem intercessoris fuerit dispositum quandocumque. Testes autem de quaque re singulares singulas probare valeant præsumptiones & conjecturas, pluresque hujusmodi præsumptiones & conjecturæ plenam probationem faciant in prædictis.

6. „ Omnes & singulos, qui hucusque Ecclesias, Monasteria, Beneficia, fructus, pensiones, aliasve res, intercedente hoc Confidentiæ vitio receperunt, ac retinent, nisi statim ad se reversi & resipiscentes celeri dimissione sibi prospexerint, & qui quid tale admiserint in futurum, etiam omnibus & singulis aliis Monasteriis, Dignitatibus, Officiis, & Beneficiis obtentis, quæ pariter sub dicta reservatione comprehendi volumus, nec-non fructibus, pensionibus, & aliis officiis temporalibus, præsentium auctoritate privamus, & ad futura inhabiles decernimus, & in Juris subsidium Excommunicationis Sententia innodamus, a qua nullus nisi in mortis articulo constitutus, ab alio quam a Romano Pontifice absolutionis beneficium valeat obtinere.

7. „ *Addit Synodus*: Cum Simoniacos & Confidentiarios Ecclesia non minore quam Fidei desertores odio habeat; (ipsi enim magno Cleri scandalo, animarum suarum periculo, ac Ecclesiæ bonorum gravi dispendio, ad Beneficia provehantur,) ut a tanto scelere magis revocemus; volumus omnes Episcopos in Capitulis, Abbates ac Priores Conventuales in ipsius Episcopi manibus, deinde in Conventus præsentia, antequam personaliter recipiantur; omnesque alios Beneficiatos, priusquam fructuum perceptioni sese immisceant, etiam in ipsius Episcopi, seu ejus Vicarii, vel Officialis manibus jurare, se hujusmodi Beneficia per Simoniam, aut Confidentiæ nomine non esse adeptos, quorum Beneficiorum fructus, suos alioqui non facturos esse, immo ad eorum restitutionem, si quos perceperint, teneri decernimus.

Festorum dierum observantia.

Præclarum est Synodi Turonensis de Festorum dierum sanctificatione Decretum, his conceptum verbis: *Cum juxta Divini Pauli præceptum, qui Christi sunt, sobrietatem semper sectari debeant, diebus Dominicis præsertim, & aliis Festis, comessationes, convivia publica, tripudia, saltationes, strepitus & choreas fieri, venatu & aucupata tempus terere, in hospitiis seu cauponis aliis quam peregrinis cibaria & vinum ministrari, ludos pulmarios, & alios (maxime dum sacra conficiuntur, laudesque Deo decantantur) aperiri, comœdias, ludos scenicos vel theatrales, & alia ejus generis irreligiosa spectacula agi, sub Anathematis pœna prohibet hæc Synodus, præcipitque omnibus & singulis Parœciarum Rectoribus eos apud Episcopum deferre, qui huic Decreto non paruerint, ut illius ordinatione nominatim excommunicationi denuntientur & publicentur: valde etenim est absurdum, Fideles iis diebus, qui propitiando Deo sunt destinati, fallacibus istis Satanæ blanditiis illectos, a divinis Officiis, supplicationibusque sacris abduci.*

Moralis Christiana Regula de contractibus.

Hæc rursus Moralis Christianæ Regula de Contractibus, ad usuras vitandas, ex Concilio Turonensi observanda: *Ne qui de cætero facile contractus usurarios incauti celebrent, utque timoratis conscientiis magis consulatur, Ecclesiasticis omnibus emptionis & venditionis Contractibus (quos pigneratitios vulgus vocat) quibus res vendita redimendi gratia venditoribus ad aliquod certum tempus præscribitur, ois non expedire: hos vero quibus perpetuo redimendi datur licentia (antiquorum Decretorum vestigiis inhærendo) licite & sana conscientia deinceps celebrari posse declaramus: ita tamen ut ex rebus venditis, nihil amplius quam quod Supremarum Curiarum Judiciis permissum est, utilitatis aut commodi percipiatur.* Concilium istud *Gregorius XIII.* Pontifex Maximus confirmavit.

Synodus Bituricensis.

XV. Provinciale Concilium Bituricense anno millesimo quingentesimo octogesimo-quarto, mense Septembri, celebratum est Præside *Reginaldo de Beaulne* Archiepiscopo Bituricensi, in quo variis decretis 46. Titulis comprehensis Ecclesiasticæ Disciplinæ in illa Provincia instaurationi consultum est, ex Tridentina aliisque Synodis, maximam partem desumptis. Hi de Beneficiis Ecclesiasticis observatione digni Canones: *Cum*

Decreta Beneficia spectantia.

Beneficium Ecclesiasticum non otiosis, sed officium suum exequentibus sit constitutum; & propter officium detur Beneficium, denuntiat hæc Synodus omnibus cujuscumque gradus & conditionis, qui Beneficia Ecclesiastica solius temporalis proventus gratia suscipiunt, eos non facere fructus suos, sed ad restitutionem teneri.

VI. Cum

VI. Cum damnet Scriptura eos, qui hæreditate possidere attentant Sanctuarium Dei, vetat hæc Synodus, ne quis deinceps consanguineo Beneficium cedat solius consanguinitatis ratione: novo hujusmodi cessiones admittantur contra Constitutionem Pii V. de non admittendis resignationibus.

Tit. 41. Canon 1. *Qui pro adipiscendis Beneficiis ac Pensionibus Ecclesiasticis aliquid dant vel accipiunt: omnes etiam quomodocumque conferentes, resignantes & accipientes quæcumque Beneficia custodiæ aut fiduciæ nomine, vel ex iisdem Pensiones sine Summi Pontificis auctoritate paciscentes aut percipientes: omnes denique seu Clerici seu Laici hujusmodi illicitis pactionibus intervenientes, consentientes, aut ex iis emolumentum capientes, se Simoniacos esse, & juxta Constitutiones Pii quarti, Pii quinti & Gregorii decimi-tertii, a Summo Pontifice dumtaxat (nisi in articulo mortis) absolutionis Beneficium consequi posse intelligant.* Canon 2. *Beneficia pretio obtenta, & in confidentiam seu custodiam occulte aut aperte tradita, ipso jure vacent; qui percipiunt eorum fructus, suos non faciant, sed ad restitutionem teneantur.* Istud Concilium *Sixtus V.* Pontifex Max. confirmavit.

Synodus Aquensis Aquæ Sextiæ, Aix, urbs Provinciæ Archiepis.

XVI. *Concilium Aquense* Provinciale anno millesimo quingentesimo octogesimo quinto celebratum est, Præside *Alexandro Canigiano* Aquensi Archiepiscopo, in quo tria supra quadraginta Constitutionum Capita ad reformationem Disciplinæ edita sunt. De Calvinistarum ad Ecclesiam redeuntium Baptismo etiam sub conditione minime repetendo ita decernit: *Et quia aliqui dubitabant de valore Baptismi ab Hæreticis collati; ideo, si qui ab illis baptizati essent, rebaptizandos eos sub conditione existimabant. Verum quoniam illa forma baptizandi sub conditione, introducta est propter Baptismata occulta, & de quibus non apparet, nec uni mulieri, seu alteri privatim baptizanti credi necesse est: contra vero constat Calvinistas in cœtu publico baptizari, & in forma verborum & materia a Christo instituta nobiscum convenire, nec de hoc facto ambigi potest. Ideo vetamus ablutionem repeti, quibuscumque etiam verbis, iis qui a Calvinismo aut aliis hæresibus similiter baptizantibus ad nostras Ecclesias transeunt, ne de Anabaptismo redarguamur.* Cætera Decreta partim ex Tridentino Concilio, partim ex superioribus Conciliis Provincialibus repetita sunt. A *Sixto V.* Pontifice Maximo confirmatum est.

Calvinistarum aut aliorum Hæreticorum ad Ecclesiam redeuntium Baptismus, etiam sub conditione non repetendus.

Mexicana.

XVII. Eodem anno celebrata est Synodus Provincialis *Mexici*, quæ Metropolis est Novæ Hispaniæ Indiarum Occidentalium, Præside *Petro Moye de Contreras*, Archiepiscopo Mexicano, in quo saluberrima Decreta edita sunt in quinque Libros sub variis titulis digesta, Indorumque ac Hispanorum in Indiis degentium moribus aptata.

Tolosana.

XVIII. *Tolosana Synodus* Provincialis anno millesimo quingentesimo nonagesimo celebrata est, mense Majo, Præside *Francisco* Cardinali a *Joyosa*, Archiepiscopo Tolosano, cujus Decreta quatuor in partes tributa sunt.

Avenionensis.

XIX. Avenionense Concilium Provinciale anno millesimo quingentesimo nonagesimo-quarto, Præside *Francisco Maria Taurusio* Archiepiscopo Avenionensi, habitum est, in quo Decreta sexaginta quatuor edita.

Aquilejensis.

XX. *Concilium Aquilejense* Provinciale anno millesimo quingentesimo nonagesimo-sexto celebratum est Præside *Francisco Barbaro* Aquilejensi Patriarcha, in quo undeviginti Decretorum Capita conscripta & promulgata sunt.

JOANNIS DOMINICI MANSI

Nota.

HIs omnibus Conciliis alia addenda succurrunt, quæ diligentiam P. Alexandri fugerunt. Sunt autem Petricavvense in Polonia Præside Joanne Archiepiscopo Gneznensi assistentibus multis aliis ejusdem regni Episcopis & una pariter Bernardino Archiepiscopo Leopoliensi. Sunt Concilii hujus Canones XXVI. quorum prior statuit festum Conceptionis B. M. V. cum octava in tota provincia Gneznensi celebrari *sub officio D. Leonardi Nogaroli Prothonotarii Apostolici S.T. Doctoris edito, & a Romano Pontifice approbato.* Canon alter statuit diem festum S. Francisci habendum esse solemnem & de præcepto. Tertius statuta provincialia dudum edita servanda statuit. Nonnulla quoque pro Universitate bene dirigenda decernuntur; Bulla Cœnæ diebus solemnibus legenda edicitur; nundinæ ne fiant diebus Dominicis; famulos hæreticos schismaticos, Tartaros, & Turcas *in servitio domestico circa se*, spirituales, (nempe Ecclesiastici) ne adhibeant; Romanum Pontificale omnino observetur; Presbyteri singuli *rationali officiorum Divinorum* in celebrationibus se conforment, quod proinde singuli Parochi, aliique apud se habeant; Missæ clara voce legantur *præter secreta, & Canonem majorem & minorem*. Plura etiam contra usurarios edita. Ne Clerici ferant vestes seculares *hasacas cognominatas*; nec bireta cornuta nisi in via. Potationes ad æquales haustus in conviviis interdictæ. Sericeæ vestes præter *habitum* omnibus vetitæ præterquam *Curialibus*, & Nunciis Regiis & Principum. Hanc Synodum habitam anno 1510. ex Lunig in Spicilegio Ecclesiastico ego in meum supplementum transtuli.

Alterum est Concilium Eboracense a Thoma Eboracensi Archiepiscopo celebratum, & totum pene contextum est ex statutis præcedentium Episcoporum, quorum verba sub singulorum nominibus referuntur: Attuli ego ex Wilkins Conciliorum Britanniæ tom. III. pag. 662. &c.

Celebre est etiam Concilium Provinciale Florentinum anni 1517. & 1518. a Cardinali Julio Medicæo Florentino Archiepiscopo coactum, atque typis evulgatum.

Concilium Provinciale Parisiense anni 1521. præside Archiepiscopo Senonensi.

Cantuariense anni 1529. sub Guilielmo VVarham a VVilkins evulgatum.

Concilia post Synodum Tridentinam Sæculo XVI. habita.

Cum multa sint Concilia sæculo XVI. celebrata, nec satis commodum sit singulorum acta brevibus indicare, satis esse arbitror eorum tantummodo nomina in præsenti dare, indicato pariter anno cui illa conveniunt. Trajectense anni 1565. sub Friderico Archiepiscopo. Sipontinum anni 1567. sub Cardinali Ptholomæo Gallio. Ravenatense sub Cardinali Julio Feltrio de Ruvere anni 1568. Urbinatense sub Archiepiscopo Felice Tyranno anni 1569. Capuanum sub Nicolao Cardinali Caetano eodem anno. Florentinum anni 1573. sub Antonio Altovita ejusdem urbis Archiepiscopo. Neapolitanum sub Archiepiscopo Mario Caraffa anno 1576. Capuanum anni 1577. sub Cæsare Costa Archiepiscopo. Consentinum anni 1579. sub Fantino Petrignano Archiepiscopo. Bononiense sub Gabriele Palæotto S. R. E. Card. & Bononiensi Archiep. Salernitanum anno 1596. sub Archiepiscopo Mario Bolognino. Maronitarum Catholicorum in Monte Libano sub Sergio Petro Patriarcha eorum Antiocheno, & P. Hieronymo Dandino e Societ. Jesu A. S. nuncio anno 1596. quo fidei dogmata Catholica contra sibi compactas a nonnullis calumnias Maronitæ professi sunt, & plura disciplinæ capita sanxerunt. Concilium istud paulo post obeunte Sergio Patriarcha, qui illi successit Josephus altera convocata Synodo Provinciali confirmavit & adauxit. S. Severinæ in Calabria ulteriori anno 1597. sub Archiepiscopo Francisco Antonio Sanctorio. Amalphitanum an. 1597. sub Archiepiscopo Julio Rossinio. Diamperitanum in Malabarica regione anni 1599. præside D. Alexio de Menesses ex Austiano Eremitano Monacho in Goensem Archiepiscopum assumpto. Hæc vero Synodus Diœcesana quidem extitit, sed in toto Malabarico tractu vim legis obtinet; ejus vero sanctiones Lusitanice scriptas postremis hisce annis in Latinum versæ a P. Joanne Facundo Raulin ex Ord. S. Augustini Romanis typis evulgatæ sunt.

C A P U T VII.

DE POLITIA ECCLESIASTICA Sæculi XV. & XVI.

A R T I C U L U S I.

De Metropolitanis.

Metropolitanorum officia.

MEtropolitanorum officia ac potestatem his Articulis explicat Sacra Synodus Tridentina. 1. Suffraganeos qui per annum integrum a suis Ecclesiis abfuerint, Romano Pontifici denuntiare Metropoli-

politanus tenetur, sicut ipsum Metropolitanum absentem antiquior Provinciæ Episcopus. Sessione 6. Cap. 1. *Crescente vero contumacia, ut sæviori sacrorum canonum Censuræ subjiciantur, Metropolitanus Suffraganeos Episcopos absentes; Metropolitanum vero absentem Suffraganeus Episcopus antiquior residens, sub pœna interdicti ingressus Ecclesiæ, eo ipso incurrenda, infra tres menses per literas seu nuntium Romano Pontifici denuntiare teneatur.*

II. *Legitimas absentiæ causas a Romano Pontifice, aut a Metropolitano, vel eo absente, Suffraganeo Episcopo antiquiori residente qui idem Metropolitani absentiam probare debebit, in scriptis esse approbandas* decernit eadem Synodus Sessione 23. Cap. 1. de Reformatione.

III. *Ad eumdem cum Concilio Provincioli spectat judicare de licentiis a se vel Suffraganeis datis, & videre ne quis eo Jure abutatur, & ut pœnis Canonicis errantes puniantur.* (Ibidem.)

IV. *Si Cathedralium Ecclesiarum Prælati in Seminarii erectione, ejusque conservatione negligentes fuerint, ac suam portionem solvere detrectaverint,* eos Metropolitanus *acriter corripere, & ad id cogere debeat; & ut quamprimum hoc sanctum & pium opus, ubicumque fieri poterit, promoveatur, studiose curabit.* (Sessione 23. cap. 18.)

V. Si Capitulum Sede vacante Vicarium Generalem instituere neglexerit, *Ad Metropolitanum deputatio hujusmodi devolvatur; & si Ecclesia ipsa Metropolitana fuerit, aut exempta, Capitulumque negligens fuerit, tunc antiquior Episcopus ex Suffraganeis in Metropolitana, & propinquior Episcopus in exempta Oeconomum & Vicarium idoneos possit constituere.* (Sessione 24. cap. 16.)

VI. *Metropolitani per seipsos, seu, illis legitime impeditis, Coepiscopus antiquior, quolibet saltem triennio non prætermittant Synodum in Provincia sua cogere:* Alias tamen *Episcopi Comprovinciales prætextu cujuslibet consuetudinis ad Metropolitanam Ecclesiam in posterum accedere inviti non compellantur.* (Ibidem, Cap. 1.)

VII. *Si Parochiales Ecclesiæ reperiantur subjectæ Monasteriis in nulla Diœcesi existentibus, si Abbates & Regulares Prælati negligentes fuerint in curando ut verbum Dei diebus saltem Dominicis & Festis solemnibus* Rectores plebi sibi commissæ annuntient; *a Metropolitanis, in quorum Provinciis Diœceses ipsæ sitæ sunt, tamquam quoad hoc Sedis Apostolicæ delegatis, compellantur.* (Sessione 5. cap. 2.)

VIII. *Si in aliqua Provincia Ecclesiæ tanta paupertate laborent, ut Collegium in aliquibus erigi non possit, Synodus Provincialis, vel Metropolitanus cum duobus antiquioribus Suffraganeis, in Ecclesia Metropolitana, vel alia Provinciæ Ecclesia commodiori, unum aut plura Collegia, prout opportunum judicabit, ex fructibus duarum aut plurium Ecclesiarum, in quibus singulis Collegium commode institui non potest, erigenda curabit ubi pueri illarum Ecclesiarum educentur.* (Sess. 23. cap. ultimo.)

IX. *Monasteria, quæ Generalibus capitulis aut Episcopis non subsunt, nec suos habent Ordinarios Regulares Visitatores,* nisi se in Congregationem redegerint; & Generalia Comitia quolibet triennio celebraverint, *liceat Metropolitano, in cujus Provincia prædicta Monasteria sunt, tamquam Sedis Apostolicæ delegato, eos pro prædictis causis convocare.* (Sessione 25. Cap. 8. De Reformatione Regularium.)

X. *Si aliquis dubius aut difficilis abusus sit extirpandus, vel aliqua gravior quæstio incidat, Episcopus antequam controversiam dirimat, Metropolitani & Comprovincialium Episcoporum in Concilio Provinciali Sententiam expectet: ita tamen ut nihil inconsulto Sanctissimo Romano Pontifice novum aut in Ecclesia hactenus inusitatum decernatur.*

ARTICULUS II.

De Episcopis.

Episcoporum electiones contra Reservationes & Gratias

I. Electionum Episcopalium libertatem 15. Sæculo Pontificiæ Reservationes inumbrabant. Summi namque Pontifices Apostolicis literis non solum inferiorum Beneficiorum, sed etiam Cathedralium Ecclesiarum ac Metropolitanarum sibi reservabant collationem. Adversus istam Ecclesiasticæ Disciplinæ labem Decretum edidit Ecclesia Gallicana Parisiis congregata, quod *Carolus VI.* Rex Christianissimus Edicto confirmavit anno millesimo quadringentesimo-sexto. Cujus quidem executionem Curiis Parlamenti, cæterisque Magistratibus commisit. Quo Edicto hæc inter alia habentur: „ Statutis Conciliorum Generalium & Decretis Sanctorum Patrum, pro bono regimine ac conservatione perpetua status Ecclesiæ inter alia noscitur salubriter institutum, quod Prælati ad Ecclesias quascumque Cathedrales & collegiatas per electionem illorum de Collegio, & eorum consensu assumantur: & quoad Ecclesias Cathedrales per suum Metropolitanum; alii vero per loci Diœcesanum confirmentur, & per eumdem alia Beneficia suæ Diœcesis personis idoneis conferantur; vel si fuerint Patroni, ad eorum Præsentationem instituantur eis. Quamvis etiam illa sint magnopere præcavenda, ex quibus inducitur via delinquendi, & maxime ubi desiderandæ seu captandæ alienæ mortis votum & occasio ministratur, viaque aperitur ad Beneficia vacatura; sitque naturali ratione dictante per Concilia Generalia similiter institutum, quod Beneficia Ecclesiastica vacatura promitti non debeant, nec dari jus expectationis ad ea, fuerintque omnia prædicta in Ecclesia Dei hactenus usque ad tempus quorumdam novissimorum Romanorum Pontificum inviolabiliter observata. Nihilominus tamen ab aliquibus annis citra Romani Pontifices, contemptis præfatis SS. Patrum & Conciliorum Generalium Decretis, & eis penitus non servatis, omnes Ecclesiasticas Dignitates Cathedrales & Collegiatas, & alias quascumque post Episcopalem majores, indifferenter suæ dispositioni reservaverunt, gratias ad vacatura Beneficia (per quod contra Sancta Generalia Concilia occasio votumque alienæ mortis ingeritur, & via ad vacatura contra rationem aperitur) indistincte & sine imitatione concesserunt, modos innumerabiles introduxerunt, quibus potestas Prælatorum, Capitulorum, & aliorum quorumcumque penitus absorbetur, apponendo prohibitiones & Decreta, quibus etiam ignorautes volunt esse ligatos; diversas fulminando sententias in contrarium facientes, adeoque vix reperiatur aliquis, cui etiam unicum Beneficium conferendi aut præsentandi ad aliud sit relicta facultas'. Clausulas etiam varias & interdum inexplicabiles suis in Bullis solent apponere: Regulas diversas præter aut contra jus nunc constituunt, nunc revocant; ut etiam perspicaciter discernenti apparere non valeat, quis inter plurimos impetrantes jus videatur habere. Intrusiones in Beneficiis inde sequuntur, gravissima litigia oriuntur, quæ cum magnis expensis & in præjudicium Regnicolarum ducuntur extra Regnum. Et cum proponentur aliqui ad Dignitates electivas, cessant banna & evocationes, quæ de Jure ad probandas electiones & personas fieri statuuntur. Propter quod, cum non possit Romanus Pontifex omnium hominum, & status Ecclesiarum habere notitiam, sæpe contingit indignos & indigne ad hujusmodi Dignitates assumi, & tales interdum qui probati sunt argento, quique numquam in loco Beneficii morabuntur. Occasione autem præmissorum, Jura Beneficiorum depereunt, ædificia corruunt, & cultus Divinus minuitur... propter quæ & alia quæ dictos Prælatos, & alios in dicto Concilio congregatos rationabiliter movere poterant & debebant, deliberaverunt & concluserunt in modo quo sequitur; Videlicet quod de cætero, sicut volunt Statuta Conciliorum Generalium, & Decreta Sanctorum Patrum, per electiones Capitulorum, Conventuum, & Collegiorum, conventionesque Superiorum, Ecclesiis Cathedralibus Collegiatis, cæterisque Beneficiis electivis tam Regularibus, quam Sæcularibus, nec-non per præsentationes, collationes & institutiones, per illos ad quos de Jure communi, Privilegio vel consuetudine spectat faciendas provideatur: cessantibus ac rejectis omnino, ac non obstantibus quibuscumque & quorumcumque Reservationibus generalibus vel specialibus, ac prohibitionibus, Expectationibus, aut Gratiis, etiam cum Decreti appositione ex parte Papæ, vel ejus auctoritate factis, aut faciendis, seu concessis aut concedendis: quousque per Concilium Generale Canonice celebrandum aliud fuerit ordinatum; ad cujus Concilii ordinationem dicta Ecclesia Gallicana & Delphinatus se submittit. Supplicabant igitur humiliter & devote quatenus nos ipsorum deliberationi & conclusioni adherentes ipsas gratas habere, & dictas Ecclasias & Viros Ecclesiasticos nostrorum Regni & Delphinatus, „ quoad

Expeſtoſivas vindicato.

Caroli VI. Regis Christianissimi Constitutio contra Reservationes.

„ quoad prædictos ad suam libertatem antiquam & Ju„ ris communis dispositionem, quaotum in nobis est, „ reducere, & in eadem libertate eos conservare & „ manutanere, omnia ad contrarium impedimenta sub„ movendo, dignaremur. Nos igitur uttendentes quod „ sicut Sacerdotes debirores sunt, ut veritatem quam „ audieruns a Deo, libere prædicent; sie Princeps de„ bitor est ut veritatem, quam audivit a Sacerdotibus „ probatam quidem Scripturis, defendat fiducialiter & „ efficaciter exequator: habira prius deliberatione ma„ tura, & tractatu diligenti cum pluribus de genere „ nostro Principibos, aliisque viris notabilibus & famo„ sis dictorum Prælatorum, & aliorum Virorum Ec„ clesiasticorum, ac Procuratoris nostri supplicationem „ justam & rationabilem, Saoctorumque Patium & „ Conciliorum Generalium Decretis conformem repu„ tantes, eam in forma, sicut præmittitur, de nostra „ certa scientia duximos admittendam: prædictas deli„ berutiones & conclusiones ratas habentes, dictas Ec„ clesias, & Viros Ecclesiasticos, quoad prædicta, ad „ suam libertatem antiquam & Juris dispositionem re„ ducendos asse censemus, & (quantum in nobis est) „ reducimus, eosque in eadem libertate per Nos de „ cætero manuteneri & conservari volumus.

II. Congregato post aliquod tempus Constantiæ Generali Concilio, spes nonnulla abolitionis Reservationum & gratiarum Expectativarum affulserat. Decrevit namque sacra Synodus, ut Romanus Pontifex proxime eligendos raformandæ una cum ipso Concilio Ecclesiæ in Capite & in membris incumberet, præsertim super Articulis alias per nationes in Reformatorio oblatis, quorum alter erat, *De Reservationibus Sedis Apostolicæ*, quartus vero, *De Collationibus Beneficiorum & Gratiis Expectativis*. Negotium istud mauime urgebant Deputati, quos Clerus Gallicanus Parisiis congregatus anno millesimo quadringentesimo decimo-quarto ad Concilium miserat.

III. Verum eum Synodus Constantiensis adversus Reservationes & Gratias eupectativas nihil decrevisset, *Carolus Sextus* Reu Christianissimus, coacto in Concilium gravissimorum eu utroque Ordine Virorum consessu, Constitutionis anno millesimo quadringentesimo feuto latæ euecutionem peremptorie decrevit. anno millesimo quadringentesimo decimo septimo, quam deinde Edicto lato anno prouime sequenti confirmavit: præcepitqua Curiis Parlamenti, & cæteris Judicibus, ut, euecutioni hujus Constitutionis diligenter incumbant, & in contumaces, cujuscumque gradus & ordinis fueriot, graviter animudvertant. Edicta illa confirmavit *Carolus Septimus* ut primum in Sollo paterno sedit, Diplomate dato anno millessimo quadringentesimo vigesimo secundo, quo jussit, ut Electiones, & aliæ Beneficiorum Provisiones fierent secundum Jus commune & antiquum.

Concilii Basileensis Decretum contra Reservationes Pontificias.

IV. Re ad Basileense Concilium perlata, Sacra Synodus Reservationes Pontificias edito Decreto pessumdedit Sessione 12. bis verbis: „ Quemadmodum „ in constituenda domo præcipua Architectoris est cu„ ra, ut tala jaciat fundamentum, super quod fir„ mum perduret ædificium; ita in generali Eccle„ siæ Reformationa potissimum est hujus Sanctæ Sy„ nodi studium ut tales Ecclesiis præficiantur pastores „ qui tamquam columnæ & bases ipsam Ecclesiam do„ ctrinæ & meritorum viribus firmiter sustentent. Quan„ ta autem in eligendis Prælatis diligentia udhibenda „ sit, officium eis injunctum evidentar ostendit. Ad „ regimen enim assumuntur animarum, pro quibos Do„ minus noster Jesus Christus mortuus est, & Sanguis „ ejus effusus. Propterea sacri Canones Spiritu Dei pro„ mulgati provide statuerunt, ut unaquæque Ecclesia, „ uc Collegium, seu Conventus Prælatum sibi eligant. „ Quibus hæc Sancta Synodus, eodem Spiritu congre„ gata, inhærens, statuit & definit, generalem Reser„ vationem omnium Ecclesiarum Metropolitanarum, „ Cathedralium, Collegiatarum, & Munasteriorum ac „ Dignitutum Electivarum, per Romanum Pontificem „ de cætero fieri, uut facta uti non debere; Reserva„ tionibus in corpore Juris clausis, & bis quas in ter„ ris Romanæ Ecclesiæ ratione directi seu utilis Do„ minii, mediate, seu immediate subjectis fieri con„ tingerit, semper euceptis: Sed quod per electiones & „ confirmationes Canonicas, secundum Juris Commu„ nis dispositionem, prædictis Metropolitanis, Cathe„ dralibus, Monasteriis, Collegiatis Ecclesiis, ac Digni„ tatibus electivis vacantibus debite provideatur... De„ cernitque hæc Sancta Synodus, rationi fore consenta„ neum, & Reipublicæ accommodum, ut contra hoc „ salutare Decretum Romanus Pontifex nihil attentet, „ nisi ex magna, rationabili, & evidenti causa in Li„ teris Apostolicis nominatim exprimenda. Et ut eo „ firmius hoc salubre Decretum custodiatur, vult ea„ dem Sancta Synodus, ut inter ulia, quæ Romanua „ Pontifex in sua Assumptione profitebitur, juret De„ eretom hoc inviolabiliter observare.

Et Sessione 23. Cap. 5. „ Licet dudum hæc Sanctu „ Synodus abolita per eam generali omnium Ecclesia„ rum & Dignitatum electivarum Rasservatione, pro„ vida decreverit, ut prædictis Ecclesiis & Dignitati„ bus per Canonicas electiones & Confirmationes pro„ videri deberet, volens etiam spectales seu particula„ res ipsarum Ecclesiarum & Dignitatum electivarum „ prohibere Reservationes, per quas libera in eisdem „ eligendi & coofirmandi facultas impediri posset, quod„ que adversus hoc Decretum Romanus Pontifex ni„ hil attentaret, nisi ex magna, rationabili & eviden„ ti causa, in Literis Apostolicis nomioatim exprimen„ da: quia tamen contra ipsius Decreti mentem non „ pauca sine hujusmodi causa gesta sunt, unde gravia „ hactenus successerunt, & graviora in dies timentur „ scandala: cupiens hæc Sacrosancta Synodus bis ob„ viare, nolensque ut ipsius Decreti mens, quæ fuit „ omne obstaculum a Canonicis Electionibus & Con„ firmationibus tollere, suo frustretur affectu; statuit „ ut Electiones in dictis Ecclesiis sine impedimento „ aut obstaculo omnino fiant, quæ causa cognita jux„ ta Juris communis, & dicti nostri Decreti dispositio„ nem confirmentur. Verumtamen si forte aliquando „ contingat electionem aliquam atiam alias Canonicam „ fieri quæ in perturbationem Ecclesiæ aut patriæ val „ boni publici vergere timeatur, Summus Pontifex, „ cum ad ipsum confirmatio delata fuerit, si talem „ urgentissimam causam adesse manifeste cognoverit, „ ea prius mature discussa, ac parte plene defensa: „ accedente postea Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, aut „ majoris partis subscriptiona, hujusmodi causam ve„ ram sufficientemque fore attestantium, rejectu tali „ electione, ad Capitulum vel Conventum remittat, „ ut vel infra tempus Juris, vel aliud, juuta loci di„ stantiam, ad aliam, eu qua evenire talia non for„ midentur, electionem procedaot.

Et Cap. 6. ejusdem Sessionis: *Et quia multiplices Ecclesiarum & Beneficiorum hactenus factæ per Summos Pontifices Reservationes non parum Ecclesiis onerosæ extiterunt; ipsas omnes tam generales quam speciales sive particulares, de quibuscumque Ecclesiis & Beneficiis, quibus tam per electionem quam collationem aut aliam dispositionem provideri solet, sive per Extravagantes*, AD REGIMEN & EXECRABILIS, *sive per Regulas Cancellariæ, aut alias Apostolicas Constitutiones introductas, hæc Sancta Synodus abolet, statuens ut de cætero nequaquam fiant: Reservationibus in corpore Juris expresse clausis, & his quas in terris Romanæ Ecclesiæ, ratione directi seu utilis Dominii, mediate vel immediate subjectis fieri contigerit, dumtaxat exceptis.* Hæc decreta ambabus ulnis excepit Conventus Bituricensis Ecclesiæ Gallicanæ, quibus Reu Christianissimus *Carolus VII.* Pragmatica Sanctione sua vim & robur publicæ Legis addidit.

V. Idem tamen Reu, ejusqua Successores *Ludovicus XI. & Carolus VIII.* Summos Pontifices interdum rogarunt ut vacaturos Episcopatus sibi reservarent, ad suæ Majestatis preces conferendos, ut nonnullis exemplis probat vir doctissimus *Ludovicus Thomassinus* parta 4. Disciplinæ Ecclesiasticæ de Beneficiis Lib. a. Cap. 41. *Carolus VII.* (inquam) rogavit *Eugenium IV.* ut *Jeanuem Cordis* filium *Jacobi Cordis* Consiliarii & Argentarii sui ad Bituricensem Archiepiscopatum promoveret, ut constat ex ejus Epistola edita Tomo 6. *Spicilegii* pag. 285. Idem Reu cum contenderet ab *Eugenio IV.* Juvenem ante annos legitimos Metropolitanæ Ecclesiæ præfici, idque assecutus, factum damnaret, dicente quodam: *Intercessisti, o Rex: Intercessi*, inquit, *rogatus, sed non credidi concessum hoc iri: Se videlicet postulationis extortæ; Eugenium nimiæ facultatis damnavit.* Refert *Jacobus* Cardinalis *Papiensis* Epistola ducentesima octogesima.

Concordata.

VI. Abrogata demum Pragmatica Sanctione, electiones quoque antiquatæ sunt, initis inter *Franciscum I.* & *Leonem X.* Concordatis, quibus Jus Nominationis ad Prælaturas Christianissimis Regibus collutum est. Quæ concordata Lateranensis Concilii Decreto confirmata suot, Sessione 11. Multæ vero Nominationis Regiæ ad Prælaturas conditiones præscribuntur io Concordatis. Primum capacitas personæ ad Ec-

Regia ad Prælaturas Nominationis conditiones.

clasia-

clesiasticas Dignitates nominandæ. Decernitur enim Regis candidatum, sive nominandum a Rege Christianissimo ad Episcopatum vacantem, debere esse virum gravem, Magistrum seu Licentiatum in Theologia, aut in utroque seu altero Jurium Doctorem, seu Licentiatum in celebri Academia, prævio examine accurato, qui vigesimum septimum ætatis annum ad minus attigerit. Istis tamen Scholasticorum graduum legibus non adstringuntur consanguinei Regis & sublimes personæ, ex quarum inauguratione magna in Ecclesiam redundare potest utilitas. Excipiuntur & Religiosi Mendicantes Reformatorum Sodalitiorum eminenti scientia præditi, qui juxta suorum Ordinum Regularia Instituta ad gradus hujusmodi assumi non possunt. Altera conditio est, ut Inquisitio habeatur in partibus in persona Regii candidati coram ipsius Ordinario, vel Nuntio, aut Legato Sedis Apostolicæ eaque Inquisitio juncta Nominationi Regiæ Romam deferatur, ut Summo Pontifici constet Nominatum a Christianissimo Rege iis instructum esse conditionibus iisque dotibus exornatum, quæ sacris Canonibus, & ipsis Concordatis præscriptæ sunt. Tertia conditio tempus respicit intra quod Regia peragi debet nominatio. Ne enim diuturna Ecclesiarum vacatione salus animarum grave dispendium pateretur, nominationem intra sex menses a die vacantis Beneficii numerandos a Rege Christianissimo faciendam esse Concordata sanxerunt. Quod temporis intervallum omnibus collationibus ordinariis ex Decreto Concilii Lateranensis sub *Alexandro Tertio* præstitutum erat. Quarta conditio Regii Juris securitati consulit, ut eo prætextu convelli non possit a Summo Pontifice quod nominatus ad Beneficium Canonicis dotibus sit destitutus. Enimvero si Romanus Pontifex Personam a Rege nominatam, ob Canonicos, vel ex ipsis Concordatorum visceribus petitos defectus, probare noluerit, nec Diploma Nominationis Regiæ confirmatorium impertiri, tres alii menses a die recusationis Regio in Curia Procuratori significatæ, Majestati suæ Christianissimæ conceduntur, intra quos alterum nominare possit, & Summo Pontifici canonice instituendum præsentare. Quinto, si Prælati in Curia moriantur, Summus Pontifex nominationem ad eorum Episcopatus, aliave Beneficia vacantia sibi reservat. Posset tamen *Rex* (inquit *Rebuffus*) contra Provisum per Papam se opponere, & excipere, si timeret de conjuratione, seu proditione patriæ, seu revelatione secretorum suorum, ratione patriæ, unde Provisus est oriundus, vel propter ejus parentes qui Regi semper fuerunt infesti. Item si Episcopatus esset in partibus limitrophis Regni, nullus ad eum recipi deberet sine Regis assensu. Sexta conditio est, ut Regia Nominatio ad Summum Pontificem deferatur, a quo solo provisoria seu confirmatoria Diplomata concedi possint. Unde nec ipsum Collegium Cardinalium, Sede vacante, hæc negotia attingere potest. Per hoc vero Juri antiquo derogatum est. Alias enim electiones proximo Superiori exhibendæ erant, ut confirmationis gratiam indulgeret: Episcoporum Metropolitanis; Metropolitanorum, Primatibus; Primatum, Romano Pontifici ut Occidentis Patriarchæ: quem adire mos non erat, nisi electione controversa, gradatim ad ipsum cognitio causæ, & ipsa confirmatio devolveretur, ut patet ex Cap. *Nihil, de electione & electi potestate*: nec non ex perpetuo Disciplinæ veteris usu. Jus Regiæ Nominationis ad Prælaturas in Provinciam, & Aremoricam, quæ Concordatis non erant comprehensæ, Indulto *Leonis X.* extensum est, dum viveret *Franciscus I.* quod ejus Successoribus alii Pontifices confirmarunt. Duo *Pii VI.* ea de re Diplomata *Carolo Nono* data anno 1564. laudant Clarissimi *Puteani* in Historia Concordatorum. Legatur & *Pinsonius* in Notis ad Indulta.

Concordata Germania.

VII. Electionum sacrarum libertas in Germania ad hanc diem servata est vi Concordatorum Germanicorum, quæ inter *Nicolaum V.* Pontificem Maximum & *Fridericum III.* Imperatorem, seu Nationem Germanicam anno 1448. inita sunt. His tamen Apostolicæ Sedi reservarunt Beneficia in Curia, aut in loco bidui itinere ab ea distito; sive per obitum, sive per dispositionem, translationemve ab eadem Sede factam vacatura: Tum omnia Cardinalium & Ministrorum seu Officialium Summi Pontificis Beneficia, ubicumque per obitum vacent. Item omnium Electorum aut Postulatorum, qui repulsam passi fuerint, electione in irritum missa, aut postulatione rejecta; eorum insuper quorum resignationem Apostolica Sedes admiserit. Omnium Beneficiorum, quæ possident ii, quibus Summus Pontifex Patriarchatus, Archiepiscopatus, Episcopatus, aut Abbatias contulerit. Ad hæc cuncta Beneficia incompatibilia cum iis, quæ Pontificia collatione pacifice possidentur. Præterea Summus Pontifex Episcopatus & Abbatias conferre potest, nisi electiones Canonicæ ad ipsum relatæ sint tempore a *Nicolao III.* præscripto in Decretali *Cupientes*, in Sexto. Tandem quacumque electione facta, eum promovere potest, quem de Cardinalium consilio digniorem & utiliorem Ecclesiæ judicaverit: *Si Canonicæ fuerint electiones, confirmabimus, nisi ex rationabili & evidenti causa, ac de Fratrum Consilio, de digniori & utiliori persona duxerimus providendum*. Quod aliorum Beneficiorum collationem spectat, ex sex mensibus alternis Summo Pontifici per Concordata Germanica reservatur, ita tamen ut si tribus a vacatione mensibus elapsis Pontifex non providerit, collationis potestas ad Ordinarium redeat.

Jus Regiæ Nominationis in Hispaniis.

VIII. *Adrianus Sextus* in gratiam *Caroli V.* alumni cui Summum Pontificatum debebat, ei & Successoribus concessit lege perpetua Jus præsentandi Episcopos Hispaniæ, qui ante ad eorum supplicationem precario a Romanis Pontificibus instituebantur, ut refert *Mariana* Libro 26. *De Rebus Hispaniæ*, cap. 5.

Juramentum fidelitatis Romano Pontifici præstitum.

IX. Episcopi electi seu designati & Pontificio Diplomate confirmati, Fidelitatem Romano Pontifici ante Consecrationem suam Sæculis 15. & 16. jurabant, qui ritus mosque solemnis etiamnum servatur, ejusque Juramenti formula extat in Romano Pontificali *Clementis VIII.* jussu restituto atque edito: juxta quem etiam consecrandus Episcopus a Consecratore interrogatur in hunc modum: *Vis Beato Petro Apostolo, cui a Deo data est potestas ligandi ac solvendi, ejusque Vicario Domino nostro, Domino N. Papæ N. suisque Successoribus Romanis Pontificibus, fidem, subjectionem, & obedientiam, secundum Canonicam Auctoritatem per omnia exhibere?* Qui respondet: *Volo*.

Sacramentum fidelitatis præstitum Regibus.

X. Plerique Episcopi hominium, omnes fidelitatis Sacramentum Christianissimis Regibus præstare tenebantur, ut constat ex Epistola *Caroli VII.* ad *Eugenium IV.* edita tom. 7. *Spicilegii*, pag. 286. *Credimus*, inquit, *Sanctitatem vestram non ignorare, quod Prælati Regni nostri in Præfectionis suæ primordio nobis præstare & præstare tenentur ligium plerique homagium, & omnes alii fidelitatis juramentum, pro suarum temporalitatibus Ecclesiarum, etiam illarum quæ nostrorum quorumcumque circumdantur terris subditorum, aut quæ sitæ sunt infra Dominia ipsorum, sive sint Duces, sive Comites; aut alii Domini temporales in ipso nostro Regno quovis honore seu titulo fungentes: sumus enim unicus Prælatorum & Ecclesiarum hujusmodi Princeps, Protector & Conservator sæcularis, nec subditi sunt ipsi Prælati & earum Ecclesiæ aliis temporalibus aut sæcularibus Dominis quam Nobis, omnesque in & sub Regalia continentur.* Et *propter ea & alia, dum Auctoritate Apostolica per electionum confirmationes aut alias canonica præficiuntur talibus Ecclesiis, Prælati debent tum de jure quam de consuetudine legitima, & maxime propter bonum ipsarum Ecclesiarum ac Personarum Ecclesiasticarum, attamque ob decus & rationem dignitatis & auctoritatis nostræ Coronæ & Majestatis Regiæ, de his provisionibus ab Apostolica Sancta Sede Rescripta vel expressæ Bullæ Nobis, & non aliis temporalibus Dominis dirigi & destinari; & ita dirigere consueverunt Summi Pontifices vestri Prædecessores nostris Prædecessoribus & Nobis*. Eumdem Regem rogavit *Nicolaus V.* ut *Guillelmo* Cardinali *S. Martini in Montibus*, Archiepiscopo Rothomagensi, qui fidelitatem & hominium nondum præstiterat, annuum saltem reditum percipere permitteret. *Sed quia*, inquit, *nuper intelleximus annuam temporalitatem ipsius Ecclesiæ eidem cardinali denegari, cum juramentum solitum fidelitatis & homagii non præstiterit, rogare decrevimus enixius & ex corde Excellentiam tuam, ut pro tua erga Nos & Apostolicam Sedem sinceritate, ad singularem nostram complacentiam, temporalitatem pro uno anno eidem Cardinali concedas*. Habetur hæc Epistola in eodem *Spicilegii* Tom. pag. 258. Episcopis hominium remisere *Franciscus I.* ejusque Successores, solum fidelitatis Sacramentum exigentes, in præmium spontaneorum subsidiorum a Clero difficillimis temporibus contributorum.

Cessiones Episcoporum.

XI. Circa Cessiones sive Resignationes simplices Episcopatuum, Jus Decretalium servabatur, de quo superiori Sæculo diximus. De hoc Disciplinæ capite religiosissimus Cardinalis *Bellarminus* in Consilio Reformationis *Clementi VIII.* hæc suggessit: *Alii retentis fructibus Ecclesiam resignant, ac si quis uxorem repudiet*,

pudiat, & dotem retineat. Alii divites ex redditibus Ecclesiæ effecti, renuntiant Episcopatui, ut ad majora sibi viam aperiant. Alii Nepotibus sedem renuntiant, ut specie renuntiationis possideant Sanctuarium Dei. Alii malunt in Romana Curia Referendarii esse, vel Clerici, quam extra Curiam Sacerdotes Magni. Denique alii causantur aëris insalubritatem, alii proventus exiguos, alii populi proterviam. Sed Deus novit an istæ justæ causæ sint Resignationis, & utrum ejusmodi Episcopi quærant quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi. Respondit Pontifex: *Nos Resignationes difficillime admittimus, nonnisi examinatis causis in Congregatione rerum Consistorialium, & aliquando admittimus ob ineptitudinem Resignantium.*

Coadjutores.

XII. Coadjutorum designatio cum Jure successionis, seu Resignationes Episcopatuum & Abbatiarum in favorem, juxta Decretalium tenorem fiebant, quem morem Tridentina Synodus Sessione 25. Cap. 7. confirmavit; in aliis vero Beneficiis Coadjutores cum futura successione dari prohibuit, eorumque concessionem damnavit, sicut & Regressus & quæcumque hæreditariæ successionis imaginem referunt. *In Coadjutoriis quoque cum futura successione idem posthac observetur, ut nemini in quibuscumque Beneficiis Ecclesiasticis permittantur. Quod si quando Ecclesiæ Cathedralis, aut Monasterii urgens necessitas, aut evidens utilitas postulet Prælato dari Coadjutorem, is non alias cum futura successione detur, quam hæc causa prius diligenter a Sanctissimo Romano Pontifice sit cognita, & qualitates omnes in illo concurrere certum sit, quæ a Jure & Decretis hujus Sanctæ Synodi in Episcopis & Prælatis requiruntur: alias Concessiones super his factæ subreptitiæ esse censeantur.*

Translationes Episcoporum.

XIII. Translationes invitorum Episcoporum fieri non debere vel ab ipso Romano Pontifice, nisi iis auditis & vocatis, ex justis legitimisque causis, & ex consensu majoris partis Cardinalium, Pisana Synodus Sessione 21. decrevit, anno 1409. hujus executionem Decreti promittente *Alexandro V.* Idem a Synodo Constantiensi statutum est Sessione 39. his verbis: *Cum Prælati nonnumquam Jura & Libertates Ecclesiarum suarum translationis formidine non adeo solerter ut alias prosequantur; ne ad importunitatem quorumdam, quæ sua, & non quæ Jesu Christi quærentium, Romanus Pontifex forsan ut homo facti nescius, in hujusmodi circumveniatur, aut alias leviter inclinetur, Præsentibus statuimus & ordinamus, invitorum Episcoporum & Superiorum translationes, absque magna & rationabili causa, quæ vocata parte cognita fuerit & decisa, de consilio S. R. E. Cardinalium, vel majoris partis eorumdem, & cum subscriptione, de cætero fieri non debere.* Quod Decretum a Concilio Basileensi Sessione 23. Cap. 3. confirmatum est. De qua Juris controversia lege *Prosperum Fagnanum* in Cap. *Quarto De Translatione Episcopi*, fuse & erudite differentem. Post Concordata, Translationes absque Regis Christianissimi voluntate fieri non possunt. De Translationum abusu Cardinalis *Bellarminus* in Consilio seu Admonitione ad *Clementem* VIII. hæc suggessit: *Translatio Episcoporum, secundum Canones atque usum veteris Ecclesiæ, non debet fieri, nisi ob Ecclesiæ necessitatem vel majorem utilitatem. Nec enim institutæ sunt Ecclesiæ propter Episcopos, sed Episcopi propter Ecclesias. Nunc autem quotidie Translationes fieri videmus, ea solum de causa ut Episcopi vel honore vel opibus augeantur.* Respondit Pontifex, *Nos cum difficultate transferimus, & non desinimus monere Principes per Nos, & per Nuntios nostros.*

Translationes Episcoporum fieri non debent, nisi ob Ecclesiæ necessitatem vel majorem utilitatem.

Beneficiorum pluralitas damnata.

XIV. Plures Episcopatus sive in titulum, sive in commendam possidere uni licebat, vel alia ab Episcopatu Beneficia, sine Sedis Apostolicæ legitima dispensatione. Cardinales selecti, aliique Consultores, qui *Paulo* III. consilium pro Ecclesiæ Reformatione dederunt, operæ pretium esse suggesserunt, ut Cardinalibus Episcopatus non conferrentur, quia Summo Pontifici in Ecclesiæ universalis regimine assistere debent: Episcopi vero in suis Ecclesiis, ad pascendum qui in ipsis est gregem, manere tenentur. Cardinalis *Bellarminus* in Epistola ad Nepotem Theanensem Episcopum Controversia 6. Beneficiorum pluralitatem in Episcopis, aliisque Clericis improbat. Ait, *Pontificiam dispensationem, quando non subest justa causa dispensandi, valere in foro fori, sed non in foro poli. Sine urgentissima causa, eademque Ecclesiæ necessaria, non posse, citra atrocem culpam, super hoc dispensari.* Canonum, *S. Thomæ, Dominici Soto, Panormitani, & Adriani VI.* testimoniis id confirmat; eaque Doctorum

Dispensatio quando justa causa non subest, non valet in foro poli.

verba approbat ac sua facit: *Sed ait forte ille cumque dispensatum est, Papa dispensavit; ipse sibi viderit, ego immunis sum. Hic tamen cavillus securos multos reddit, tutum vero neminem. Quoniam Papa non est Dominus, ut identidem dictum est, sed dispensator, ideoque qui iniquam dispensationem petit, iniquitatis causa est, & qui ea utitur, eadem semper irretitur iniquitate.* Spiritalem illam polygamiam quoad Beneficia curam animarum annexam habentia, Tridentina Synodus damnavit Sessione 7. Cap. 2. & 4. *Nemo*, inquit, *quacumque etiam dignitate, gradu, aut præeminentia fulgeat, plures Metropolitanas seu Cathedrales Ecclesias, in titulum sive commendam, aut alio quovis nomine, contra sacrorum Canonum Instituta, recipere & simul retinere præsumat; cum valde felix sit ille censendus, cui unam Ecclesiam bene ac fructuose, & cum animarum sibi commissarum salute regere contigerit. Qui autem plures Ecclesias contra præsentis Decreti tenorem nunc detinent, una, quam maluerit, retenta, reliquas infra sex menses, si ad liberam Sedis Apostolicæ dispositionem pertineant, alias infra annum dimittere teneantur, alioquin Ecclesiæ ipsæ, ultimo obtenta dumtaxat excepta, eo ipso vacare censeantur.* Et Cap. 4. *Quicumque de cetero plura Curata, aut alias incompatibilia Beneficia Ecclesiastica, sive per viam unionis ad vitam, seu commendæ perpetuæ, aut alio quocumque nomine & titulo, contra formam sacrorum Canonum; & præsertim Constitutionis Innocentii Tertii, quæ incipit, DE MULTA, recipere ac simul retinere præsumpserit, Beneficiis ipsis, juxta ipsius Constitutionis dispositionem, ipso jure, etiam præsentis Canonis vigore, privatus existat.*

Tridentini Concilii Decreta contra Beneficiorum pluralitatem.

Sessione vero 24. Cap. 17. Beneficiorum Ecclesiasticorum quorumcumque pluralitatem damnavit, ubi unum ad vitam honeste sustentandam sufficeret. „ Cum, „ *inquit*, Ecclesiasticus Ordo pervertatur, quando unus „ plurium officia occupat Clericorum, sancte sacris „ Canonibus cautum fuit, neminem oportere in dua„ bus Ecclesiis conscribi. Verum quoniam multi impro„ bæ cupiditatis affectu, se ipsos, non Deum, deci„ pientes, ea quæ bene constituta sunt, variis artibus „ eludere, & plura simul Beneficia obtinere non eru„ bescunt; Sancta Synodus debitam regendis Ecclesiis „ Disciplinam restituere cupiens, præsenti Decreto, „ quod in quibuscumque personis, quocumque titulo, „ etiamsi Cardinalatus honore fulgeant, mandat ob„ servari; statuit ut in posterum unum tantum Bene„ ficium Ecclesiasticum singulis conferatur: quod qui„ dem, si ad vitam ejus, cui confertur, honeste su„ stentandam non sufficiat, liceat nihilominus aliud „ simplex sufficiens, dummodo utrumque personalem „ Residentiam non requirat eidem conferri. Hæcque „ non modo ad Cathedrales Ecclesias, sed etiam ad „ alia omnia Beneficia tam sæcularia, quam Regula„ ria quæcumque, etiam Commendata, pertineant, „ cujuscumque tituli ac qualitatis existant. Illi vero „ qui in præsenti plures Parochiales Ecclesias, aut „ unam Cathedralem, & aliam Parochialem obtinent, „ cogantur omnino quibuscumque dispensationibus ac „ unionibus ad vitam non obstantibus, una tantum „ Parochiali, vel sola Cathedrali retenta, alias Paro„ chiales, infra spatium sex mensium dimittere; alio„ quin tam Parochiales, quam Beneficia omnia quæ „ obtinent, ipso jure vacare censeantur, ac tamquam „ vacantia libere aliis idoneis conferantur, nec ipsi an„ tea illa obtinentes, tuta conscientia fructus post di„ ctum tempus obtineant. „ Hujus conditionem Decreti Gallicani Præsules studiis omnibus promoverunt. Ea de re *Guillelmus de Prato* Claromontanus Episcopus in Synodo peroraverat anno 1546. Inter Articulos Reformationis, quos *Carolus IX.* Rex Christianissimus Concilio per Oratores suos proposuit anno 1563. spiritualis illius polygamiæ abolitionem spectabant 14. & 15. his verbis concepti: „ Unum tantum Benefi„ cium uni conferatur, sublata (quod attinet ad „ pluralitatem) compatibilium & incompatibilium Be„ neficiorum differentia, quæ distinctio, ut est nova „ & antiquis Decretis incognita, ita Ecclesiæ Catho„ licæ magnam calamitatem intulit. Dentur autem „ regularia Regularibus, sæcularia Sæcularibus. Qui „ vero nunc duo plurave possident, aut illud tantum „ retineant, quod intra breve tempus elegerit, aut in „ pœnas antiquorum & veterum Canonum incidant. Secundum Tridentinam Synodum, non tantum incompatibilia sunt Beneficia personalem residentiam annexam habentia, seu ratione curæ Animarum, seu ratione Officii, sed quæcumque ad honestam perso-

Concilium Tridentinum Beneficiorum quorumcumque pluralitatem damnavit, ubi unum ad vitam honeste sustentandam sufficeret.

Compatibilium & incompatibilium Beneficiorum distinctio Antiquis incognita.

næ sustentationem per se sufficiunt, sive in titulum, sive in commendam collata sint. De his Concilii Tridentini Decretis prolixe differit *Prosper Fagnanus* in Cap. *Jamdudum, De Præbendis*, in 3. Decretalium, P. 1.

Jacobi Cardinalis Papiensis Epistola contra Beneficiorum pluralitatem.

Jacobi Cardinalis *Papiensis* Epistolam ad *Gonzagam* Cardinalem Mantuanum quingentesimam quadragesimam septimam prætermittere non possum, in qua contra indignam illam Beneficiorum congeriem ita scribit: *Congeries hæc Sacerdotiorum, ad quem usum in domibus sunt Sacerdotum? Si ad necessitatem parantur, audiamus admonentem Apostolum*: Habentes alimenta, & quibus tegamus, his contenti simus. *Si ad cupiditatem explendam, etiam ejusdem increpantis vocem intelligamus*: Mortificate avaritiam, quæ est idolorum servitus: *Quia* Non potestis (*inquit Salvator*) Deo servire & Mammonæ. *Sin vero ad luxum vitæ ac pompam, idem quod Cananææ responsum nobis feramus*: Non est bonum sumere panem filiorum & canibus mittere. „Quoquo te vertas, indignam ministerio Sacerdotali curam invenias, labefactantem animas atque ad solam gehennam ædificantem. Recense vero mecum coacervatarum administrationum quanta sint mala, quantisque nos involvant criminibus. Defraudamus primo loco Deum gloria justi obsequii sui: quod enim illi persolvi pluribus administrantibus oporteret, per unum cogimus fieri. Quam vero rite, quam diligenter piequn fiat, ipsi nos conscii sumus. *In multitudine populi*, inquit Scriptura, *dignitas Regis; & in paucitate plebis ignominia Regis*. Per Prophetam ideo Dominus comminatur: *Væ qui conjungitis domum ad domum*. Rursus debilitamus corpus Ecclesiæ. Quatuor, quinque, pluriumve Præsulum sedes occupat unus. Cœnobiorum multorum Patres idem unus excludit, minorumque Munerum Ministros idem unus in domo Dei esse non sinit. Tam multos ejicimus, quam multa superfluo possidemus. Iterum quoque de ovibus creditis meremur indigne, a quibus, juxta verbum Apostoli, Metentes carnalia, non seminamus eis spiritualia. Qua enim ratione intendere mens una tam pluribus potest, & Custodis unius oculi tam disjuncta regionibus contueri? Vicariæ vero diligentiæ nullæ ad satisfactionem sunt satis. Mercedem sequuntur illæ, non fructum, & quod de ovibus ad eas non pertinet, lupis venientibus fugiunt. Nostrum unicuique sigillatim præcipitur, *Cognosce diligenter vultum pecoris tui, tuosque greges considera*: In quibus quo debitores Deo omnium sumus, quidquid perit, animabus nostris haud dubie perit, reddituris ante Tribunal justi Judicis, pie crediti, sed male administrati operis severissimam rationem, quam nesciæ reddere, in tenebras exteriores ejicientur, ubi fletus erit & dentium stridor. Adde publicum odium merito ex tanta insania in nos comparatum. Lamentari Ecclesias vides, quod his cumulis egenorum panem eripimus, dolere populos; quod veneranda Pastoribus loca plena nunc mercenariis vident: indignari Principes, quod nullis accessionibus nostra ingluvies saturatur. Clamant non esse nos memores paupertatis antiquæ, propter quam crevit Ecclesia: non videri discipulos Christi, qui de crastino vetuit esse solicitudinem, & duas vestes habentem dare alteri non habenti præcepit: omnia ad privatam pompam luxumque referri, quodque multorum esse oporteret, injusta dispensatione ad unum aliquem redigi: Animæ autem tam esse curam exiguam, quam est corporis. His indignationibus perniciosa de nobis aliquando ineuntur consilia, inque Apostolicam Sedem rationes tumultuantur. Id autem ut plurimum accidit, ut possessum nobis ire prohibitis, aut indignis precibus cogamur, quod datum est assequi, aut turpi cessione triumphare de nobis Principes doceamus.

Proverb. 14.

Isaiæ 5. 8.

Proverb. 27. 23.

Panormitani eadem de re Sententia.

Temperare mihi non possum, quin subjiciam ad coronidem Suffragium Panormitani, *in Cap.* Dudum, De Electione, *scribentis*: „Dispensatus etiam per Papam circa pluralitatem istorum Beneficiorum sine causa, licet sit tutus quoad Ecclesiam Militantem, non tamen quoad Triumphantem, & sic non valet dispensatio quoad Deum &c. Et habeo hanc opinionem pro indubitata, quando fieret dispensatio ut Clericus propter utilitatem privatam obtineret plura Beneficia, quorum alterum sibi sufficeret ad honestatem vivendi. Nam hoc casu non solum alteratur humani Juris dispositio, sed etiam Christi patrimonium injuste dispergitur. Cum ergo ipse Papa non possit sine causa alienare bona Ecclesiæ sine gravi peccato; multo fortius non potest alteri dare potestatem ipsum Patrimonium male dispergendi.

Residentia.

XV. Ad Residentiam antiquis Canonibus, & Decretalibus Summorum Pontificum Epistolis imperatam, Episcopos fortius adstringit Concilium Tridentinum Sessione 6. Cap. 1. De Reformatione, cujus hæc sunt verba: „Sacra Synodus confidens per Domini ac Dei nostri misericordiam, providamque ipsius Dei in terris Vicarii solertiam, omnino futurum, ut ad Ecclesiarum regimen (onus quippe Angelicis humeris formidandum) qui maxime digni fuerint, quorumque prior vita ac omnis ætas a puerilibus exordiis, usque ad perfectiores annos, per Disciplinæ stipendia Ecclesiasticæ laudabiliter acta, testimonium præbeat, secundum venerabiles Beatorum Patrum Sanctiones assumantur: omnes Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis, & Cathedralibus Ecclesiis quibuscumque, quovis nomine ac titulo præfectos monet, ac monitos esse vult, ut attendentes sibi & universo gregi, in quo Spiritus Sanctus posuit eos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo, vigilent sicut Apostolus præcipit, in omnibus laborent, ministerium suum impleant. Implere autem illud se nequaquam posse sciant, si greges sibi commissos mercenariorum more deserant, atque ovium suarum, quorum sanguis de eorum est manibus a Supremo Judice requirendus, custodiæ minime incumbant: cum certissimum sit, non admitti Pastoris excusationem, si lupus oves comedit, & Pastor nescit. Ac nihilominus, quia nonnulli (quod vehementer dolendum est) hoc tempore reperiuntur, qui propriæ etiam salutis immemores, terrenaque cœlestibus, ac divinis humana præferentes, in diversis Curiis vagantur, aut in negotiorum temporalium sollicitudine (ovili derelicto, atque ovium sibi commissarum cura neglecta) se detinent occupatos, placuit Sacrosanctæ Synodo antiquos Canones, qui temporum atque hominum injuria pene in desuetudinem abierunt, adversus non residentes promulgatos, innovare; quemadmodum virtute præsentis Decreti innovat, ac ulterius pro firmiori eorumdem Residentia, & Reformandis in Ecclesia moribus, in hunc qui sequitur modum statuere atque sancire: Si quis a Patriarchali, Primatiali, Metropolitana seu Cathedrali Ecclesia, sibi quocumque titulo, causa, nomine, seu jure commissa, quacumque ille dignitate, gradu, & præeminentia præfulgeat (legitimo impedimento, seu justis & rationabilibus causis cessantibus) sex mensibus continuis extra suam Diœcesim morando abfuerit, quartæ partis fructuum unius anni, fabricæ Ecclesiæ, & pauperibus loci per Superiorem Ecclesiasticum applicandorum pœnam ipso jure incurrat: Quod si per alios sex menses in hujusmodi absentia perseveraverit, aliam quartam partem fructuum similiter applicandam eo ipso amittat. Crescente vero contumacia, ut severiori Sacrorum Canonum censuræ subjiciantur, Metropolitanus Suffraganeos Episcopos absentes, Metropolitanum vero absentem Suffraganeus Episcopus antiquior residens, sub pœna Interdicti ingressus Ecclesiæ eo ipso incurrenda, infra tres menses per literas seu Nuntium Romano Pontifici denuntiare teneatur; qui in ipsos absentes, (prout cujusque minor aut major contumacia exegerit) suæ supremæ Sedis auctoritate animadvertere, & Ecclesiis ipsis de Pastoribus utilioribus providere poterit, sicut in Domino noverit salubriter expedire.

Concilii Tridentini Decreta de Episcoporum in suis Diœcesibus necessaria mansione.

Et Sessione 24. Cap. 1. „Cum præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere; pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, & in cætera munia Pastoralia incumbere, quæ omnia nequaquam ab iis præstari & impleri possunt, qui gregi suo non invigilant neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt: Sacrosancta Synodus eos admonet & hortatur ut divinorum præceptorum memores, factique forma gregis, in judicio & veritate pascant & regant. Ne vero ea quæ de Residentia sancte & utiliter jam antea sub felicis recordationis Paulo III. sancita fuerunt, in sensus a Sacrosanctæ Synodi mente alienos trahantur, ac si vigore illius

„De-

„ Decreti quinque mensibus continuis abesse liceat, illis inhærendo declarat Sacrosancta Synodus, omnes Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis, ac Cathedralibus Ecclesiis quibuscunque, quocumque nomine & titulo præfectos, etiamsi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales sint, obligari ad personalem in sua Ecclesia vel Diœcesi Residentiam, ubi injuncto sibi officio defungi teneantur, neque abesse posse, nisi ex causis & modis infrascriptis. Nam cum Christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, ac evidens Ecclesiæ vel Reipublicæ utilitas, aliquos nonnumquam abesse postulent & exigant, decernit eadem Sacrosancta Synodus, has legitimæ absentiæ causas a Beatissimo Romano Pontifice, aut a Metropolitano, vel eo absente, a Suffraganeo Episcopo antiquiori residente, qui idem Metropolitani absentiam probare debebit, in scriptis esse approbandas: nisi cum absentia inciderit propter aliquod Munus & Reipublicæ Officium Episcopatibus adjunctum; cujus quoniam causæ sunt notoriæ, & interdum repentinæ, nec eas quidem significari Metropolitano necesse erit. Ad eumdem tamen cum Concilio Provinciali spectabit judicare de licentiis a se vel a suffraganeo datis, & videre ne quis eo jure abutatur, & ut pœnis canonicis errantes puniantur. Interea meminerint discessuri, ita ovibus suis providendum, ut, quantum fieri poterit, ex ipsorum absentia nullum damnum accipiant. Quoniam autem qui aliquantisper tantum absunt, ex veterum Canonum sententia non videntur abesse, quia statim reversuri sunt, Sacrosancta Synodus vult, illud absentiæ spatium singulis annis, sive continuum, sive interruptum, extra prædictas causas nullo pacto debere duos, aut ad summum tres menses excedere, & haberi rationem ut id æqua ex causa fiat & absque ullo gregis detrimento. Quod an ita sit, abscedentium conscientiæ relinquit, quam sperat religiosam & timoratam fore, cum Deo corda pateant, cujus opus non fraudulenter agere suo periculo tenentur. Eosdem interim admonet & in Domino hortatur, ne per illius temporis spatium Dominici Adventus, Quadragesimæ, Nativitatis, Resurrectionis Domini: Pentecostes item & Corporis Christi diebus, quibus refici maxime & in Domino gaudere Pastoris præsentia oves debeant, ipsi ab Ecclesia sua Cathedrali ullo pacto absint, nisi Episcopalia munia in sua Diœcesi eos alio vocent. Si quis autem (quod utinam numquam eveniat) contra hujus Decreti dispositionem abfuerit, statuit Sacrosancta Synodus, præter alias pœnas adversus non residentes sub Paulo III. impositas & innovatas, ac mortalis peccati reatum quem incurrit, eum pro rata temporis absentiæ fructus suos non facere, nec tuta conscientia, alia etiam declaratione non secuta, illos sibi detinere posse: sed teneri, aut ipso cessante, per Superiorem Ecclesiasticum, illos fabricæ Ecclesiarum, aut pauperibus loci erogare; prohibita quacumque conventione vel compositione, quæ pro fructibus male perceptis appellatur, ex qua etiam prædicti fructus, in totum, aut pro parte, ei remitterentur. Residentiam, ad quam Jure divino Episcopos teneri doctissimi Theologi & inter alios *Dominicus Soto* Prædicator, *Franciscus Torrensis*, *Bartholomæus a Micanda*, Toletanus Archiepiscopus, Patrumque magna pars, in Concilio Tridentino propugnarunt, Concilium ipsum, non expresse quidem Juris esse Divini pronuntiat, sed innuit tamen cum ad præceptum divinum illa refert, quæ sine mansione impleri non possunt. Ut ut est de illa controversia, mortalis peccati reos declarat Sacra Synodus Episcopos omnes; Cardinalitiis etiam Infulis conspicuos, qui suis in Ecclesiis ac Diœcesibus non manserint, nisi causæ legitimæ eorum excusent absentiam: quæ Patrum judicio hæ duntaxat censentur. 1. *Christiana charitas*. 2. *Urgens necessitas*. 3. *Debita obedientia*. 4. *Evidens Ecclesiæ vel Reipublicæ utilitas*. Nec tamen quævis causa, quæ vel ad Christianam charitatem, urgentem necessitatem, debitam obedientiam, evidentem Ecclesiæ vel Reipublicæ utilitatem cuiquam pertinere videbitur, a Residentia excusare debet: *Sed ea tantum, quæ Superioribus diligentissimo examine, maturo judicio, exactaque censura sic probata fuerit, ut vere seclusa omni indulgentia, justa sit omnino censenda; atque ei utilitati, quæ ipsius Pastoris præsentiam exigit, & quæ non potest non esse publica, sit nihilominus præferenda.* Ita docet Synodus Toletana anno millesimo quingentesimo sexagesimo celebrata, actione 2. Cap. 1.

Quæ absentiæ causæ censentur legitimæ.

Absque legitima causa absentes mortalis peccati rei sunt, & fructus Beneficiorum pro rata temporis absentiæ suos non faciunt.

Concilium non expresse pronuntiat Residentiam juris esse divini: illud tamen innuit.

Quod dixi Tridentinam Synodum disertis quidem verbis non declarasse Residentiam Juris esse Divini, id tamen satis innuisse, confirmat *Prosper Fagnanus* in Cap. *Ex parte*, *De Clericis non Residentibus*. Sic autem habet: *Cæterum si singula utriusque Decreti verba accurate expendantur, non obscura apparebit, Sacram Synodum utrobique voluisse virtualiter insinuare, obligationem Pastorum ad personalem Residentiam deduci ex præcepto Evangelico. Huc enim spectant verba toties inculcata tam in Cap. 1. Sessionis 6. ibi*: „ Attendentes sibi & universo gregi, *&c.* & *ibi*: Ovium suarum, quarum sanguis de eorum est manibus a supremo Judice requirendus. *Nec non ibi*: Propriæ etiam salutis immemores, terrenaque cœlestibus, ac divinis humana præferentes, in diversis Curiis vagantur, ovili derelicto. *Et Cap. 1. Sessionis 23. ibi*: Cum præcepto divino mandatum sit. *Item ibi*: Cum corda Deo pateant, cujus opus non fraudulenter agere suo periculo tenentur. *Item ibi*: Et mortalis peccati reatum, quem incurrit. „ *Non enim moris est Sanctæ Synodi de mortali culpa mentionem facere, nisi ubi agitur de transgressione Legis divinæ, ut in Decreto de Justificatione, Sessione 6. C. 15. Ac demum ibi*: Consuetudine etiam immemorabili, quæ potius corruptela dicenda est. *Et hæc quantum ad explicationem mentis Concilii. Addit idem Fagnanus*, nullum apud Antiquos dubium fuisse, quin Pastores animarum tenerentur *præcepto divino* ad personaliter residendum. *Unde hanc quæstionem temporum iniquitas celebrem fecit*, (inquit *Soto* Lib. 10. *De Justitia & Jure*, Quæst. 3. Art. 1.) *Ambrosium Catharinum* Archiepiscopum Compsanum in Opusculo De Residentia, *forte omnium primum ante Concilii publicationem asseruisse Residentiam in Episcopatibus, & Beneficiis hujusmodi, esse tantum de Jure positivo humano, sed ejus rationes infirmas esse. Contrariam sententiam sequi fere universam Theologorum Scholam.* Quam & ipse *Fagnanus* sequitur, & late probat, objecta diluit, causas excusantes Prælatos a continua Residentia sigillatim explicat.

In 1. Pag. 119. Decretal.

XVI. Jurisdictionis Episcopalis non eadem erat in omnibus Regnis Christianis amplitudo. Vix aliquam in Galliis exercere in Laicos Jurisdictionem Præsulibus permittebatur, nisi in materiis Sacramentorum, aliisque causis mere spiritualibus. Laicos in causis personalibus a Judicibus Ecclesiasticis in Jus vocari, *Franciscus I.* vetuit edita Constitutione anno 1539. salvis tamen eorum Juribus, qui legitimo titulo, aut contracta possessione niterentur. Ab eo vero tempore Parlamenta nullum titulum possessionemve Judicibus Ecclesiasticis suffragari judicarunt, ut contra Laicos in causis personalibus agerent, ut *Fevretus* observat in Tractatu *De Abusu*. Appellationibus ab usu frequentioribus Ecclesiasticam Jurisdictionem imminui ac labefactari, *Guimerius* Pragmaticæ Sanctionis interpres, qui Tridentini Concilii tempore scribebat, conqueritur. Ad Ecclesiasticum forum in Hungaria pertinebant *Omnes causæ circum Mysteria & defectus Sacramentorum. Item causæ in facto fidei, & causæ hæresum, suspectorum de hæresi. Item causa testamentorum, & eorum accessorium. Causæ matrimoniales, & accessorium earumdem; specialiter autem dotis, & rerum paraphernalium, donationem propter nuptias, & juris quartalitii, si non intentetur pro hæreditate possessionaria adipiscenda. Item causæ decimarum realium & personalium, & accessorium earumdem. Item causæ usurarum. Item causæ miserabilium personarum, si non agitur pro possessionibus & præsidiis adipiscendis. Item causæ fidei violatæ, & omnium perjurorum, & causæ quarum finis tendat ad correctionem peccati. Item omnes causæ in quibus quis incidit in Sententiam Excommunicationis vel Canonum.* Verba sunt *Matthæi* Hungariæ Regis, in Edicto promulgato anno 1462.

Episcoporum Jurisdictio, in Galliis postremis illis sæculis imminuta.

Quum late patuerit in Hungaria.

In Polonici Regni Comitiis Cracoviæ sub Rege *Sigismundo* celebratis anno 1543. Ecclesiasticæ Jurisdictionis limites definiti sunt his verbis: „ In primis ad Spiritualium Judicium pertinet judicare differentias Fidei Sanctæ Christianæ, Hæreses, Schismata, blasphemias contra Deum, & Apostasias, item pro Decimis, septem Sacramentis Ecclesiæ, Beneficiis, sacrilegiis, simonia, fœnoribus, Spiritualium homicidiis, percussionibus, & vulneribus Ordinatorum, alias Consecratorum, Sacrorum nundinatione, & pro his qui confugiunt sub tutelam Templorum vel Monasticorum Cœnobiorum; exceptis tamen illis, quos Jus Templis defendere non permittit, ut sunt nocturni damnidatores in segetibus, fundis, vel agris; sicarii, alias dispercussores libere iter facientium, fures publice proclamati, vel ter in Registris conscripti; incendiarii „ &

Et in Polonia.

„ & violatores Libertatum Ecclesiarum. Isti & tales debent de Templis rejici, neque defendi. Item ad Judicium spirituale judicare pertinet incantationes & magias, census perpetuos Ecclesiasticos terrestres & temporales, redemptiones, Ecclesiarum dotationes, &c. Sic etiam ad Judicium spirituale pertineat persona misera & derelicta, quæ manibus suis victum sibi emereri, atque elaborare non potest. Item huic etiam spirituali Judicio pertinet, quærere vel judicare de legitimi vel illegitimi tori liberis, seu natalibus. Item ad judicium spirituale pertinent causæ eorum, qui se sponte sua obligant & inscribunt in Jure spirituali . . . . Etiam pro percussionibus & excessibus contra Ecclesias, & Ecclesiasticas Personas consecratas; præterquam illos Ecclesiæ Ministros, qui Ecclesiastici & Acolythi essent, & postea uxores ducerent; prætar etiam illos, qui existentes Ministri Ecclesiæ, non tamen Sacerdotes, ipsi soli in tabernis lites quærerent, & in illis litibus convicti fuerint: hi ad Judicium spirituale pertinere non debent. Etiam ad Judicium spirituale pertineant causæ Juris Patronatus, Plebanatuum, Altarium, Præbendarum, & aliorum Sacerdotiorum: ad hæc, divortiorum, & dotium inter personas per divortium separatas. Cognitio tamen seu Judicium de Dote Personæ per divortium separatæ remitti debet ad Tribunal suæ Majestatis Regiæ, secundum veterem consuetudinem. Testamentorum vero causa, utriusque Juris tam sæcularis, quam spiritualis debet esse, exceptis illis quæ essent in Jure sæculari facta. Ea enim in eodem Jure recognosci debent: nisi forte aliquid in eo Ecclesiæ, vel in pios usus & misericordiæ opera legaretur, &c. *Hæc habentur in Statutis Regni Poloniæ*, pag. 451.

Episcopalis in Clericos Jurisdictio Conciliorum Decretis asserta & vindicata.

Episcopalis in Clericos Jurisdictio decimo quinto sæculo Conciliorum Decretis asserta & viodicata est. Concilium Œcumenicum Constantiense antiquam *Friderici II.* Constitutionem confirmavit, in qua hæc leguntur „ Nullus Ecclesiasticam Personam in criminali quæstione vel civili, ad Judicium sæculare præsumeret attrahere contra Canonicas Sanctiones, & contra Constitutiones Imperiales: Quod si secus faceret, Actor a suo jure caderet, & judicatum non teneret, & Judex foret ex tunc judicandi auctoritate privatus.

Concilium Parisiense anno 1429. celebratum, cap. 36. Interdicto loca omnia subiecit, in quibus sæculares Magistratus Clericos in suis carceribus detentos Ecclesiastico Judici restituere recusarent: „ Cum, *inquit*, Judices sæculares quandoque Clericos in suis carceribus detentos, & ab Ecclesia requisitos, restituere nolunt: Volumus quod Provinciale Statutum in pluribus Conciliis Provincialibus renovatum diligenter observetur: cujus forma talis est: STATUIMUS ac etiam ordinamus, ut si contingat aliquem Clericum in villis seu castris Diœcesis & Provinciæ Senonensis per Judicem capi sæcularem qui sufficienter requisitus de reddendo dictum Clericum suo Judici Ecclesiastico, non reddidit seu restituit, in sua malitia perseverans, in dictis villis seu castris, quamdiu detinebitur idem Clericus, cessetur a Divinis, nedum in Ecclesia, infra cujus confines idem Clericus detineri dignoscetur: sed etiam in aliis, si in dictis villis vel castris plures Ecclesias esse contigerit: quod ad Religiosa Monasteria in dictis villis vel castris constructa, & alias Ecclesias eis contiguas extendi volumus, ne, si in aliquibus cessarent & in aliis non, Sententia cessationis vel interdicti valeat vilipendi. Prædictas autem cessationes auctoritate præsentis Concilii, ab omnibus tam exemptis quam non exemptis, cum de jure ad hoc teneantur, volumus observari. *Idem edixit Concilium Andegavense anno* 1458. cap. 13.

In Concilio Lateranensi I. lectus est Libellus supplex contra Parlamentum Provinciæ, plurima violatæ Immunitatis Ecclesiasticæ capita continens, quorum istud unum est: *Quin etiam contra quoscumque, quavis etiam Episcopali fulgentes dignitate, inquirunt, citant, coram se personaliter comparere compellunt, procedunt, mulctant, & puniunt, &c.* Sessione 10. lectum est Instrumentum coram *Leone X.* Pontifice Maximo Romæ confectum per *Ludovicum Forbinum* Dominum *De Soleriis*, Christianissimi Regis Oratorem, & primum in Parlamento Provinciæ Senatorem, quo nomine præsidis, Senatorum, & Regiorum Duumvirum, *Omnes & singulas prohibitiones, Mandata, & Decreta, per ipsos Consiliarios, ac Parlamentum hujusmodi hactenus contra Ecclesiasticam Libertatem, & Canonicas & Pontificum Sanctiones factas, & facta ac gesta, eis omnibus melioribus, modo, via, jure, causa, & forma, quibus melius potuit, scivit, & debuit, revocavit, cassavit, & annullavit.*

Delictorum Privilegiatorum contra Viros Ecclesiasticos Judicium Sanctione Molinensi anno 1566. Judicibus Regiis reservatum est, Articulo 39. In causis capitalibus quæstionem de crimine privilegiato contra Clericos ab Ecclesiasticis Judicibus una cum Regiis haberi, idque in Curia Ecclesiastica. *Henricus III.* edixit Constitutione data Meloduni, anno 1580. Longe tamen antiquior delictorum privilegiatorum & communium distinctio, priorumque sæcularibus Judicibus reservata cognitio videtur, quod ex Concilio Matisconensi I. anno quingentesimo octogesimo-primo, Canone septimo colligere est, quo decernitur: *Ut nullus Clericus de qualibet causa extra discussionem Episcopi sui, a sæculari Judice injuriam patiatur, aut custodiæ deputetur. Quod si quicumque Judex cujuscumque Clericum absque causa criminali, id est, homicidio, furto, aut maleficio, hoc facere fortasse præsumpserit, quando Episcopo loci illius visum fuerit, ab Ecclesiæ liminibus arceatur.* In hunc sensum intelligendus est Canon quartus Concilii Parisiensis V. anni 615. decernens: *Ut nullus Judicum neque Presbyterum, neque Diaconum vel Clericum ullum, aut Juniores Ecclesiæ sine scientia Pontificis per se distringat aut damnare præsumat, &c.* Nam sic intelligendum esse probat Edictum *Clotarii II.* ejusdem Synodi confirmatorium, in quo Canon ille his verbis recensetur: *Ut nullus Judicum de quolibet Ordine Clericos de civilibus causis, præter criminalia negotia, per se distringere, aut damnare præsumat, nisi convincatur manifestus, excepto Presbytero, aut Diacono. Qui vero convicti fuerint de crimine capitali, juxta Canones distringantur, & cum Pontificibus examinentur. Quod si causa inter personam publicam & homines Ecclesiæ steterit, pariter ab utraque parte præpositi Ecclesiarum & Judex publicus in Audientia publica positi ea debeant judicare.* Secundum hanc formam Clerici gravium criminum rei, quæ Privilegiata dicuntur, ab Ecclesiastico & sæculari Judice conjunctim judicari, mos apud nos invaluit.

Delicta privilegiata & communia.

Pœna Clericorum Judicibus Laicis litigantium in casibus ad forum Ecclesiasticum pertinentibus.

Synodus Rothomagensis anno 1581. Judices Laicos monet ne in Jurisdictionem Ecclesiasticum involent, sive in civilibus, sive in criminalibus causis sub pœna Excommunicationis: Clericis vero sub eadem pœna præcipit. *Ne coram Judicibus Laicis litigent, nec voluntarie eorum Jurisdictioni se subjiciant in casibus ad Judices Ecclesiasticos pertinentibus, sive actores, sive rei sint.* Quod si Sententiam Excommunicationis non veriti fuerint, aliis Canonicis pœnis gravissime puniantur. Synodus Bituricensis an. 1584. habita vetat, *Ne pertrahat Clericus Clericum ad Judicium sæculare, sed tantum ad Episcopale; ne eorum dedecus Laicis scandalo sit; sed causæ componantur. Qui contra fecerint, legitimis pœnis subjaceant.*

Episcopi Jurisdictionem suam tueantur.

Conventus Melodunensis Gallicanorum Præsulum, anno 1579. habitus, Tit. *De his quæ ad Jurisdictionem Forensem pertinent*, monet Episcopos, & eorum Officiales, *Ut Jurisdictionem suam tueantur, ita ut non sinant, etiam volentes Clericos profanorum subire Judicium, cum præsertim personales aut criminales actiones agitabuntur: sed illos Jure Canonum vendicent (etiam cum aliquo sumptu) requirant, & prosequantur. Hoc enim ad jus & decorem Ecclesiastici status pertinere Constitutiones declararunt; adeo ut nec huic favori, qui in gratiam vergit totius Cleri, renuntiare possint qui subsunt foro Ecclesiastico.* Ibidem hoc salubre Monitum Episcopis datur: *Studeat Episcopus, quoad poterit, lites componere, præsertim inter Ecclesiasticos: ita ut, si fieri possit, forensibus jurgiis se non implicent. Non enim licet Dei Ministrum litigiosum esse. Et ad hunc finem moneat eos, & in Synodis suis, aliàs (quoties videbitur) convenire ut potius Arbitros eligant, quorum arbitrio suas controversias dirimant, & pacifice inter se conversentur: quod si pervicaces & obstinatos aliquos reperiat, & vultu, & gravibus verbis objurgando a litibus revocet.*

Lites inter Ecclesiasticos componendæ.

Pœna trahentium Clericos ad Forense Judicium.

Anno 1549. In Germania Concilium Moguntinum statuit: *Ut Actor coram sæculari Judicio actionem intendens Clerico eo ipso omni causa cadat, nec amplius ad ejus causæ querelam, etiam coram Ecclesiastico Judice admittatur. Judex vero sæcularis, qui causam Clerici, etiam eo consentiente, aut aliam quamcumque causam ad Ecclesiasticum Judicium pertinentem, quales sunt matrimoniales & similes, judicandam sibi desumpserit,*

pserit, Excommaaicationis pœnam ipso facto incurrat. Concilium Frisinganse anno 1440. Cap. 3. Virus Ecclesiasticos ad Judicium Forensa pariter trahi probibuit, sed istius Synodi rationam haud omnes probarunt, nisi ad causas spirituales & Ecclasiasticas restringatur.

Ecclesiæ Privilegium desu-re Divino, quo sensu?

„ Quia, *inquit*, privilegium fori Ecclesiæ est immediate a Jure Divino, quandoquidem nec consensus, nec tolarantia excusare potest, animarum periculis providere volentes, statuimus, & univarsis Christi Fidelibus nostræ Diœcasis districte præcipiendo inhibemus, na quemquam Clericum, aut Personam Ecclesiasticam, Capitulum aut Collegium quodcumque ad Judicium Forensa trahant: Judicibus quoqua Forensibus, ne quemquam eorumdem coram se experiri cogant. Alioquin tam Actor quam Judex Sententiam Excommunicationis ipso facto incurrant.

Canonica Episcoporum Judicia.

XVI. Quamvis interdum Romani Pontifices primam causarum Episcopalium, quæ ad depositionem tendebant, cognitionem ad sa traxarint 15. & 16. sæculo: priscæ tamen Disciplinæ, qua causas hujusmodi a Metropolitano & Coepiscopis, in Synodis Provincialibua judicari sancitum erat, nec ad Apostolicam Sedem davolvi, nisi per appellationem, secundum Canones Sardicenses, nulla lega derogatum est.

Concordata Juri antiquo non derogant quoad Episcoporum causas.

Non quidem Jure Concordatorum, ut nonnulli contendunt: Nam atsi detur majorum causarum in Jure expresse denominatarum nomina graviora Episcoporum Judicia in Concordatis intalligi, cap. *De Causis* non propterea juri antiquo darogatur. Siquidam Episcoporum depositiones hac solum rationa ax leviorum illarum causarum numero eximunt, *Quæ apud illos Judices in partibus, qui de jure aut consuetudine præscripta, vel privilegio, illarum cognitionem habent, terminari & finiri debeant*, quod majores causæ inter quas graviora Episcoporum Judicia *Nicolaus I.* & secuti Pontifices numeraruut, post Episcopale Judicium in Provinciis peractum, ad Sedem Apostolicam referendæ sint, secundum antiquos Canones Regulasque Patrum: nec ante istiusmodi relationem finitæ ceuseri debeant. Cum e contrario laviores causæ, cæteræque non ita graves, ac illæ quæ Fidam, ambiguam Disciplinam, vel Episcoporum depositionem spectant, in Provinciarum Synodis finiri possint, nec antiqua ulla lege eas ad Sadem Apostolicam rafarri necesse sit. Concordatorum verba subjicio: „ Statuimus quoqua & ordinamus, quod in Regno, Delphinatu, & Comitatu prædictis, omnes & singulæ causæ, axceptis Majoribus in Jure expresse denominatis, apud illos Judices in partibus, qui de Jure aut Consuatudine præscripta, vel privilegio, illarum cognitionem habent, terminari & finiri dabeant. Ac ne sub umbra appellationum, quæ nimium & nonnumquam frivola interponi consuevarunt, atque etiam eadem instantia ad prorogatiunem litium sæpe multiplicari injustis vexationibus materia præbeatur: Volumus quod si quis offensus coram suo Judice Justitiæ complemantum habere non possit; ad immediatum superioram per appellationem recursum habeat; nec ad aliquam superiorem etiam ad nos, & succassures nostros, val Sedam prædictam, omisso medio. Nec a gravamine in quacumque instantia ante diffinitivam Sententiam quomodolibet appellatur, nisi forsitan tale gravamen axtiterit, quod in diffinitiva reparari nequiret, & eo casu nonnisi ad immediatum Superiorem licat appellari. Si quis varo immediate subjectus Sedi Apostolicæ, ad eamdam Sedem duxarit appallandum, causa committatur in partibus per Rescriptum, usque ad finam litis, usque ad tartiam Sententiam conformem inclusive, si ab illia appellari contigarit, nisi propter dafectum denegatæ justitiæ aut justum metum; & tunc committi dabeat in partibus convicinis, & cum causarum axpressiona. Quæ atiam de illis legitime alias quam per juramentum coram Judicibus a Seda Apostolica deputandis constare debeat, &c. Quæ si cum simili Decrato Pragmaticæ Sanctionis, & Concilii Basilaensis, Sessiona 31. conferantur, manifestum erit eam legem editam dumtaxat fuissa ad amendandam pravam consuatudinem, quæ diu inolaverat, vocandi Romam, etiam a ramotissimis partibus, laviores causas minimaque negotia, sive id fiabat in prima cognitione, & per calumnias, siva per frivulas etiam appellationes Quo quidam pacto & potentioribus aperta via arat, qua pauperes opprimerent, & confuso Judiciorum ordina, qui Nicænis Canonibus præscriptus erat, Ordinariorum Jurisdictio pessumdabatur. „ Inolaverunt autem hactenus (*inquit Synodus Basileensis*) intolerabilium vaxationum abusus permulti, dum nimium frequenter a ramotissimis etiam partibus ad Romanam Curiam, & interdum pro parvis & minutis rebus ac nagotiis quam plurimi citari & evocari consueverunt, atque ita expensis & laboribus fatigari ut nonuumquam commodius arbitrentur Juri suo cedere, aut vexationem suam gravi damno redimere, quam in tam longinqua regione litium subire dispendia. Sic facila extitit calumniosis opprimere pauperes, sic Beneficia Ecclesiastica plerumque minus juste per litium aufractus obtenta sunt, dum justis possessoribus eorum, seu quibua illa de jura competabant, nequa opes, nequa facultates ad illos sumptus sufficera poterant: quos longinqua profectio ad Romanam Curiam, & litis agitatio in eadam deposcebant. Confunditur etiam exinde Ordo Ecclesiasticus dum Ordinariis Judicibus sua Jurisdictio minime servatur, pecuniæ ac facultates Regnorum & Provinciarum hoc pacto non parum diminutæ sunt. Et quod universo Ecclesiastico Ordini admodum nocera compertum ast, hi quos ad summa nagotia Christianæ Religionis sublimitas Dignitatis evocabat, minus illis reddebantur intenti, dum ipsorum mentes nimium occupat assidua causarum multitudo. Quæ attendens hæc Sancta Synodus, & pro Reformatione Ecclesiæ Dei in Capite & in membris juxta potestatam sibi a Domino concessam avigilans, ut omnia deinceps ordina congruo peragantur ad salutem animarum, & pacem ac quietam cunctorum, statuit & decrevit, quod in partibus ultra quatuor diatas a Romana Curia distantibus, omnes quæcumque causæ, axceptis Majoribus in Jure expraise enumeratis, & Electionum Ecclesiarum Cathedralium & Monasteriorum, quas immediata subjectio ad Sedem Apostolicam devolvit, apud illus Judices in partibus, qui da Jura, aut consuatudina præscripta vel privilegio cognitionem habent, tarminentur & finiantur „. Cujus Decrati vim omnem in minas cadere Minores Causas compertum ast: Majores vero Synodum Basilaansem, Pragmaticamque Sanctionem, & Concordata, in quibus lex eadem repetita est, in eodem statu ralinquare, ac Juris communis dispositioni permittere. Jus autem commune graviores Episcoporum Causas in Synodo Provinciali judicari statuit, in prima, (ut loquuntur) instantia, seu cognitione, ibiqua finiri, nisi interjecta fuerit ad Sedem Apostolicam appellatio: salvo taman Jure Relationis ad eamdem Sedem, qua inconsulta non potest ordinari Episcopus in loco dejecti. Id liquet ex Cap. *Ultra* Causa 3. Q. 6. apud *Gratianum*, cojus hæc sunt verba: „ Ultra Provinciarum terminos accusandi licentia non progrediatur; Sed omnis accusatio intra Provinciam audiatur, & a Comprovincialibus terminatur, nisi tantum ad Apostolicam Sedem fuerit appellatum. *Item ex Cap.* Accusatus, *ibidem*: Accusatus val judicatus a Comprovincialibus in aliqua causa Episcopus, licanter appellet, & adeat Apostolicæ Sedis Pontificem; qui aut per se, aut per Vicarios suos, ajusdem ratractari negotium procuret. Et dum iterato Judicio Pontifex causam suam agit, nullus alius in ejus loco ponatur, aut ordinetur Episcopus: Quoniam quamquam Comprovincialibus Episcopis accusati causam Pontificis scrutari liceat, non taman diffinire inconsulto Romano permissum est. *Et Cap.* Discutera, *ibidem*: Discutere Episcopos & summas Ecclesiasticorum negotiorum causas, Metropolitanu una cum omnibus suis Comprovincialibus (ita ut nemo ax eis desit, & omnes in singulorum concordent negotiis) licat: sed diffinire eorum, atque Ecclesiasticarum summas querelas causarum, val damnara Episcopos absque hujus Sanctæ Sedis auctoritata minime licet, quam omnes appellare, si necasse fuarit, & ejus fulciri auxilio oportet.

Frustra varo Episcoporum Depositiones immediate obnuxias asse Summo Pontifici, quis ex istis Concordatorum verbis colligaret: *Si quis vero immediate subjectus Sedi Apostolicæ, ad eamdem Sedem duxerit appellandum, causa committatur in partibus per Rescriptum, &c.* His enim verbis Episcopos non designari, ex ipsis Concordatis demonstratur, quæ ipsos Metropolitanis clare subjiciunt, dum appellationum gradus renovant, & ad Apostolicam Sedem provocari prohibent, omisso medio. His itaque verbis non significantur Episcopi (qui generali aliqua lege, maxima pœnali, in Jure contineri non censentur, nisi proprio nomina appellantur) sed Primates, & Metropolitani etiam nonnulli, qui cum Primates alios non agnoscant, subjecti immadiate videntur Sedi Apostolicæ; uno verbo, quilibet Exempti.

Fest-

Felicius non colligerent alii, Depositiones Episcoporum ad Summum Pontificem immediate pertinere, ea altero Concordatorum Capite, *De publicis Concubinariis*, §. *Quod si iis*: Ubi lata lege adversus Concubinariôs, *cujuscumque conditionis, status, religionis, dignitatis, etiamsi Pontificalis, vel alterius præeminentiæ fuerint*: quibus verbis ipsi etiam Episcopi significantur: hæc subjicit Leo X. *Etsi ii quorum destitutio ad Nos & Sedem prædictam spectat, per Concilia aut suos Superiores propter concubinatum publicum reperiantur privatione digni, statim cum processu Inquisitionis ad Nos deferantur. Et eadem diligentia & inquisitio in quibuscumque Generalibus Capitulis, etiam Provincialibus, quoad eos servetur.* His namque verbis, *ii quorum destitutio ad Nos & Sedem prædictam spectant*, non significantur Episcopi quicumque, sed Primates dumtaxat & Metropolitani nonnulli, qui Superiorem nullum agnoscunt præter Summum Pontificem, Abbates etiam aliqui, & alii Superiores ab Ordinariorum Jurisdictione Sedis Apostolicæ Privilegio immunes. Ceterum Judicium eorum qui eidem Sedi non sunt immediate subjecti, sed Metropolitanis, idem Caput Synodis Provincialibus servat, secundum Jus antiquum. „Quod sit, „*inquit*, ad quos talium correctio pertinet, eos puni„re neglexerint, eorum Superiores tam in ipsos de „neglectu, quam in illos pro concubinatu, modis om„nibus digna punitione animadvertant: in Conciliis e„tiam Provincialibus & Synodalibus adversus tales pu„nire negligentes, vel de hoc crimine diffamatos, e„tiam per Suspensionem a collatione Beneficiorum, „vel alia condigna pœna severiter procedatur. Condigna pœna his debita criminibus si forte in his convincatur Episcopus, id est, si Concubinatus crimine infamia fuerit, vel Concubinarios plectere neglexerit, Episcopi certe depositio est: A Synodis Provincialibus condignam pœnam decerni jubent Concordata in Episcopos horum criminum reos: igitur & ipsam depositionem.

Judiciorum Episcopalium forma Tridentini Concilii Decreto in Ecclesia Gallicana non est immutata.

XVII. Tridentini Concilii Decreto, Sessione 24. Cap. 5. De Reformatione, matata est antiqua Judiciorum Episcopalium forma in Italia, Hispania, aliisque Regionibus, sed non in Ecclesia Gallicana, sive quia Sacra Synodus Gallicanæ Ecclesiæ Libertatibus ac Moribus derogare noluit, & Eminentissimus Cardinalis *A Lotharingia* in ipsa Synodo professus est, eo tantum nomine Caput illud, quod incipit, *Causæ criminales*, sibi placere, quod Patres consenserint, ut id *Christianissimi Franciæ Regis Privilegiis, Juribus & Sacris Constitutionibus nihil præjudicii afferret*: sive quia Gallicana Ecclesia, Regnumque, Caput istud, & alias nostris Libertatibua ac Moribus contraria non recepit. Sic autem habet Synodus Tridentina: *Causæ criminales graviores contra Episcopos, etiam hæresis, quod absit, quæ depositione aut privatione dignæ sunt, ab ipso tantum Summo Pontifice cognoscantur & terminentur. Quod si ejusmodi sit causa quæ necessario extra Romanam Curiam sit committenda, nemini prorsus eo committatur, nisi Metropolitanis aut Episcopis a Beatissimo Papa eligendis. Hæc vero commissio & specialis sit, & manu ipsius Sanctissimi Pontificis signata, nec umquam plus his tribuat, quam ut solam facti instructionem summam, Processumque conficiant: quem statim ad Romanum Pontificem transmittant, reservata eidem Sanctissimo Sententia definitiva.* Sed hoc Decretum, ut dixi, Gallias non spectat, sive defectu voluntatis in Patribus, qui Libertatibua Gallicanis, in veterum Canonum hoc in Regno receptorum observantia positis, derogari noluerint; sive defectu acceptationis in Ecclesia Gallicana, Regnoque. Unde Cardinalis *Castillionæus*, hæreseos professæ accusatus, ad Superiorem suum Ecclesiasticum Senatus consulto remissus est judicandus anno 1569. Hunc vero Superiorem alium non esse ab Archiepiscopo Remensi, ipsius, utpote Bellovacensis Episcopi, Metropolitano, Curia declaravit: a quo una cum Suffraganeis Episcopis, si numerus eorum sufficiens esset, sin minus, adjunctis etiam vicinis Præsulibus, quæstio de communi delicto in ipsum haberetur, secundum Decretum & Constitutiones Canonicas.

Præterea, cum *Pius Quartus* Episcopos quinque Gallicanos Calvinianæ hæreseos infamia laborantes in Jus primum vocatos per Cardinales Præpositos Inquisitioni, in privato Consistorio deponere aggressus esset an. 1563. Rex Christianissimus *Carolus IX.* intercessit per Oratorem suum *Henricum Clutinum Oisellium*, ostenditque antiquis Canonibus, & exemplis, primam de gravioribus Episcoporum criminibus cognitionem in Synodis a Comprovincialibus haberi debere. Commentarii etiamnum extant inter Probationes Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ editi, quales hac de re a *D. Du Mesnil* Advocato Regio Catholico, Regis ipsius jussu adornati sunt, quique Romam transmissi fuere ad Oratorem Regium, cum Summo Pontifice communicandi. *Oisellius* autem homo vehemens & impiger, hæc sedulo apud Pontificem prosecutus, pervicit tandem ut Judicialia contra memoratos Episcopos Acta cessarent. Uceticensis & Valentinus Episcopi ab eodem Pontifice depositi, ad Auctoritatem Regiam ob abusum confugerunt ac provocarunt, de veterum Canonum in Galliis receptorum, & Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ manifesta violatione conquesti: quarum expostulationum habita ratione, Rex Christianissimus utrique Literas Provisionis & tuitionis concessit, quas inter Probationes Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, pag. 418. & sequentibus legere est.

SCHOLION I.

Hunc Articulum Num. 1. his verbis perstringit Indiculus Censorius: *Male loquitur de Papa propter Reservationes.*

R. Reservationum & Gratiarum Expectativarum abusum Sæculo 15. historice commemoro, Summos Pontifices non solum inferiorum Beneficiorum sed & Cathedralium Ecclesiarum ac Metropolitanarum collationem sibi reservasse scripsit. Hanc Ecclesiasticæ Disciplinæ labem Decreto Ecclesiæ Gallicanæ Parisiis congregatæ improbatam, quod Carolus VI. Rex Christianissimus Edicto confirmavit. Edicti verba refero. De Pontificiæ potestatis plenitudine, sive summa potestate quam Christus S. Petro & Successoribus ejus Summis Pontificibus contulit, absit ut disputem; Hanc agnosco, credo, veneror, ab Ecclesiæ initio eamdem fuisse prædico quoad jura essentialia & intrinseca Primatus: Sed de potestatis usu loquor, qui non semper unus & idem fuit: in eo quandoque abusus irrepsisse, seu hominum vitio, seu temporum, constat. Tales fuere non minorum dumtaxat Sacerdotiorum, sed Episcopatuum ipsorum frequentissimæ Reservationes, quibus Electionum Sacrarum libertati grave vulnus infligebatur. Præstat sæpissime Summos ipsos Pontifices prudentiæ regulas consulere, quam propriæ potestatis gradus metiri; nec solum videre quid possint, sed etiam quid liceat, quid deceat, quid expediat, atque ita se habere, ac si omnino id non possint quod sibi non liceat, divinumque honorem, bonum publicum Ecclesiæ, animarum salutem supremam legem existimare; Quod est optimum S. Bernardi monitum Lib. 3. *De Consideratione* ad Eugenium III. Pontificem Maximum, Cap. 4. *Puta tibi non licere (& si aliter fortasse liceat) quidquid male fuerit coloratum.... Spiritualis homo ille qui omne dijudicat, ut ipse a nemine judicetur, omne opus suum trina quadam consideratione præveniet. Primum quidem an liceat, deinde an deceat, postremo an expediat. Nam etsi constet in Christiana utique Philosophia non decere nisi quod licet, non expedire nisi quod decet & licet: non continuo tamen omne quod licet, decere aut expedire consequens erit. Age, aptemus, si possumus, tria ipsa operi huic. At quomodo non indecens tibi voluntate pro lege uti, & quia non est ad quem appelleris, potestatem exercere, negligere rationem?* Absit ut de Summo Pontifice male sim locutus, quia Reservationum abusus 15. Sæculo gliscentes historice perstrinxi. Romano Pontifici, quicumque in Cathedra S. Petri sedeat, dico cum *S. Bernardo* lib. 2. De *Consideratione*, Cap. 8. *Tu Princeps Episcoporum, tu heres Apostolorum, tu Primatu Abel, Gubernatu Noe, Patriarchatu Abraham, Ordine Melchisedech, Dignitate Aaron, auctoritate Moyses, Judicatu Samuel, potestate Petrus, unctione Christus. Tu es, cui claves traditæ, cui oves commissæ sunt. Sunt quidem & alii cœli Janitores, & gregum Pastores; sed tu tanto gloriosius, quanto & differentius utrumque præ ceteris nomen hæreditasti. Habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos: Tibi universi crediti, uni unus. Nec modo ovium, sed & Pastorum tu unus omnium Pastor.... Ergo juxta Canones tuos alii in partem solicitudinis, tu in plenitudinem potestatis vocatus es.*

SCHOLION II.

In eodem Articulo, Num. 6. pag. 64. Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Posset Rex contra Provisum per Papam se opponere, & excipere si timeret de conjuratione, &c.*

R. De Concordatis sermo est. Si Prælati in Curia Romana moriantur, Summus Pontifex nominationem ad eorum Episcopatus, aliave Beneficia vacantia sibi reservat. *Posset tamen* (inquit Rebuffus)

contra

contra Provisum per Papam se Rex opponere, & excipere, si timeret de conjuratione seu proditione patriæ seu revelatione secretorum suorum ratione patriæ, unde Provisus est oriundus, vel propter ejus parentes, qui Regi semper fuerant infesti. Id certe æquissimum est. Exceptionis hujus & intercessionis Pontifices Optimi Maximi rationem haberent, exceptionis (inquam) & intercessionis debita cum reverentia precibusque factæ. Quæ tamen Religiosi Censores reprehendunt, verba mea non sunt, sed Rebuffi, a me historice relata.

SCHOLION III.

In eodem Articulo, pag. 63. Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Alias electiones proximo Superiori exhibendæ erant, ut confirmationis gratiam indulgeret.*

R. Nemo veteris Disciplinæ peritus id nescit.

SCHOLION IV.

In eodem Articulo Numer. 15. pag. 90. Religiosi Censores hanc velut meam propositionem notant: *Concilium Frisingense non probatur omnibus, quia jura divino statuit immunitatem.*

R. Hæc propositio non est mea. De jurisdictione Episcopali historice tracto. Hæc verba mea eo loci: *Concilium Frisingense anno 1440. cap. 3. Viros Ecclesiasticos ad judicium forense pariter trahi prohibuit, sed istius Synodi rationem hanc non omnes probabunt, nisi ad causas spirituales & Ecclesiasticas restringatur.* QUIA, inquit, PRIVILEGIUM ECCLESIÆ EST IMMEDIATE A JURE DIVINO. Immunitatem Ecclesiasticam, quoad spirituales causas & mere Ecclesiasticas, juris esse divini fateor: sed quod spectat causas temporales & profanas, ut solutiones debitorum, & criminum quæ a Viris Ecclesiasticis, non quatenus Clerici, sed quatenus homines sunt improbi, committuntur, ut furta, homicidia, sacrilegia &c. eorum immunitatem esse juris divini concedere non possum: si quidem in Galliis de hujusmodi causis judicant sæculares Magistratus. His autem Christianissimi Regni moribus, quos numquam improbavit Ecclesia, violari jus divinum, nemo sapiens asserit. Justiniani Constitutione Novella 83. decernente *Ut Clerici apud proprios Episcopos conveniantur*, violari jus divinum quis dixerit? In ea certas regulas tradit pro omnibus Clericorum causis tam civilibus, quam criminalibus. Pro civilibus, in quibus defensores erunt, statuit ut coram Episcopo tractentur, ita tamen ut compendiaria sit disceptatio, & de plano, & *Ex non scripto examinetur negotium sine damnis, & ex non scripto judicium mereatur:* Vel ex scripto, *si partes voluerint & poposcerint. Si vero aut propter causæ naturam, aut propter quamdam forte difficultatem non fuerit possibile Deo amabili Episcopo decidere negotium, tunc licentiam esse & ad civiles pergere.* Duas causas constituit ob quas Clericos coram sæcularibus judicibus convenire licet; unam si controversia non pertineat ad Episcopi cognitionem, quam vocat *causæ naturam:* Alteram quæ ab ipsius Episcopi impedimentis oritur, si propter aliquam difficultatem Episcopo possibile non fuerit dirimere controversiam, quæ ad illius tribunal alioquin spectat. In criminalibus vero causis discrimen statuit inter crimina civilia & Ecclesiastica. „ Si „ de criminibus conveniantur, siquidem civilibus, hic „ quidem competentes judices, in Provinciis autem ea„ rum præsides sive judices, non transcendente lite „ mensium duorum spatium ex quo litis contestatio „ fit, quatenus brevis imponatur causæ terminus. Il„ lud palam est, si reum esse putaverit eum qui con„ venitur Provinciæ Præses, & pœna judicaverit eum „ dignum: prius hunc spoliari a Deo amabili Episco„ po Sacerdotali Dignitate, & ita sub Legum fieri „ manu. Si vero Ecclesiasticum sit delictum, egens „ castigatione Ecclesiastica & mulcta, Deo amabilis „ Episcopus hoc discernat, nihil communicantibus cla„ rissimis Provinciæ judicibus. Neque enim volumus, „ talia negotia omnino scire civiles judices: cum o„ porteat talia Ecclesiastice examinari, & emendari „ animas delinquentium per Ecclesiasticam mulctam „ secundum sacras & divinas Regulas, quas etiam „ nostræ sequi non dedignantur Leges. Porro quid sit crimen civile, & quid Ecclesiasticum explicari facile potest, mutando aliquid ex iis quæ jura decernunt de militia, & de iis qui arma sequuntur. Militiæ tria distinguuntur genera L. 2. *Si Ancilla, de Donationibus inter virum & uxorem*, in Codice; cœlestis nimirum, armatæ, & togatæ: quæ ita æqualia sunt in jure, ut de uno ad aliud trahatur argumentum. Statuit autem jus L. 9. *De Militia*, *D. De Custodia & exhibitione reorum*, Ut milites ad eum remitterentur, si quid deliquisset, sub quo militabant. At ista remissio non fiebat in omnibus omnino criminibus: Nam discrimen ponebatur inter ea quæ militum propria erant, & quæ cæteris communia. Proprium Militum crimen vocabant, quod quis uti miles committebat, veluti segnitiei crimen, contumaciæ, defectionis, L. 6. *Omne delictum, D. De Re Militari*. Alia vero delicta quæ non erant Militiæ, vocabant communia, quæ scilicet jure communi & publicis Legibus vendicabantur, C. L. 2. *De Re Militari*. Hanc distinctionem si Militiæ cœlestis Militibus accommodemus, crimina ipsorum militaria erunt, quę in Disciplinam Ecclesiasticam perpetrantur; & ut loquitur Justinianus in Novella supra laudata, *quæ egent castigatione Ecclesiastica & mulcta*. Illa vero dicuntur crimina civilia aut communia, quæ jure communi & publicis Legibus vindicantur. Designat igitur hæc Justiniani Constitutio quid intersit discriminis inter *Delictum commune*, & *casum privilegiatum* (quarum vocum usus in foro Gallico frequentior est.) Delictum quidem commune illud est quod a civilibus judicibus punitur, & ex Legibus publicis. Casus vero privilegiatus ille est, cujus cognitio speciali privilegio permittebatur judicibus Ecclesiasticis: quod ex his Justiniani Imp. verbis colligitur: *Petiti sumus a Menna Deo amabili Archiepiscopo, Reverendissimis Clericis hoc dare Privilegium*. Constitutus itaque hic erat ordo, ut de criminibus civilibus Judex sæcularis in Presbyterum inquireret, quem si criminis convictum haberet, ad Episcopum remitteret exauctorandum, deinde pœnis corporalibus addiceret: *Spoliari a Deo amabili Episcopo Sacerdotali Dignitate, & ita sub Legum fieri manu.* Novella 123. movet Quæstionem *Quid fieri debeat, si Episcopus putaverit gesta non juste confecta*. Atque in hoc casu permittit Episcopis dilationem exauctorationis, & negotium ad suum tribunal evocat Imperator: *Et ita ad nos negotium tam ab Episcopo quam a judice referatur, ut nos hoc cognoscentes, quæ nobis videatur, jubeamus*. Vide ut Justinianus ultimam causarum criminalium Clericorum cognitionem sibi tribuit. Has porro Justiniani Constitutiones, quæ Ecclesia vidente & intelligente, nec Improbante, vim & robur obtinuerunt, violationes fuisse juris divini quis dixerit, cum Joannes II. Pontifex Maximus Justinianum *Christianissimum Principem vocet, & gloriosissimum Imperatorem, qui amore fidei & studio charitatis edoctus, Ecclesiasticis Disciplinis Romanæ Sedis reverentiam conservaret*. Sed neque Concilium Matisconense I. quo causæ criminales Clericorum judicibus sæcularibus reservantur Canone VII. jus divinum violasse existimandum est. Nec S. Ivo Carnotensis Episcopus Divini & Canonici Juris imperitus censebitur, qui causas omnes Clericorum ad Ecclesiæ cognitionem non pertinere fassus est, sed causas dumtaxat Ecclesiasticas, ita scribens ad Philippum I. Regem Christianissimum: *De cætero calumniatoribus meis, quibus me respondere jubetis, cum insinuatum fuerit quid sint, & quid expostulent, respondere non subterfugiam, vel in Ecclesia, si Ecclesiastica sint negotia, vel in Curia, si sint curialia*. Nullo denique privilegio hominibus concesso, nulla consuetudine divino Juri derogari potest. At ex præscripta consuetudine, Pontificio privilegio etiam confirmata, judices sæculares in Galliis Clericorum causas cognoscere, & judicare possunt, cum graviorum criminum accusantur, quæ consueto loquendi usu apud Pragmaticos *crimina privilegiata* vocantur. Observat enim *Andreas Duvallius* Doctor & Professor Sorbonicus libro *De Disciplina Ecclesiastica*, p. 3. Quæst. 3. consuetudinem supremorum Senatuum in Galliis, Sacerdotes in criminalibus causis judicantium, Bullatis Pontificum Literis & præsertim Martini V. munitam esse, quas expressit *Guido Papa* Quæst. 1. & insertæ sunt veteri stylo Parlamenti, Tit. *De Privilegiis Regni Gallici*. Cum enim Senatus consulto Curiæ Parisiensis Petrus de Lana tamquam schismaticus & Pseudo-Pontifex e Gallia pulsus esset, sicque via ad perniciosissimum Schisma extinguendum feliciter aperta fuisset, in Officii Ecclesiæ præstiti compensationem Senatum Parisiensem amplissimo privilegio Martinus V. donavit. Cæterum Clericorum exemptionem a sæculari foro quoad causas Ecclesiasticas jure divino institutam agnosco & propugno, ut jam dixi. Et si quæ sint aliæ nego-

tio-

tiorum species, in quibus Clerici consp rante Legum & Canonum sententia exempti sint a sæculari fori consuetudine, Dei nutu & providentia, qui & Principibus & Legibus ipsis moderatur; in jus divinum peccare fateor quicumque illa privilegia violaverit, quia jure divino prohibetur ne cuipiam jus legitime quæsitum auferatur. Denique veritatem observationis meæ ab animadversione censoria Religiosorum Theologorum vindicat satis Cardinalis Bellarminus libro 1. *De Clericis*, cap. 28. ubi varias de Clericorum immunitate Catholicorum Scriptorum Sententias recensens, ait: *Ex Catholicis nonnulli censent, jure divino liberos esse Clericos & eorum bona a potestate Principum sæcularium. Ita docet Glossa, & nonnulli ex Canonistis in Can.* Si Imperator, *Dist. 96. & ex Theologis Joannes Driedo lib. 1. De Libertate Christiana, capit. 9. Nonnulli vero existimant Clericos liberos esse, partim jure divino, partim jure humano; id est, in Ecclesiasticis & spiritualibus jure divino; in aliis jure humano. In his videntur esse Franciscus Victoria De potestate Ecclesiæ, Relectione 1. Quæst. ultima, Dominicus Soto in Quartum Dist. 25. Quæst. 2. Art. 2. Joannes Medina in cod. de Restitutione Quæst. 15. & ex Canonistis Didacus Covarruvias in lib. Practicarum Quæstionum, cap. 31.* Itaque Concilii Frisingensis rationem prohibentis Viros Ecclesiasticos ad sæculare judicium trahi, *Quia privilegium Ecclesiæ est immediate a jure divino*, non omnes probabunt, nisi ad causas Ecclesiasticas restringatur. Non probabunt (inquam) Theologi & Canonistæ, qui opinionem Francisci a Victoria, Dominici Soto, Joannis Medinæ, & Didaci Convarruviæ propugnant.

SCHOLION V.

De his quæ dixi in eodem Articulo, nu. 16. pag. 91. usque ad 99. Religiosi Censores ita pronuntiant: *Delendum quidquid de judicio Episcoporum habetur, quod immediate non pertineat ad Papam.*

R. Canonica Episcoporum judicia, quoad primam cognitionem, sive in prima instantia, ad Romanum Pontificem non pertinere, ita ut Episcopos immediate deponere possit, nulla quæstione, nullo examine in Provinciis præcedente, nulla a Synodis Provincialibus, & a Metropolitanis lata Sententia, opinio est & doctrina Sacræ Facultatis Parisiensis & Ecclesiæ Gallicanæ. Causæ tamen majores ad Sedem Apostolicam, *post Episcopale judicium*, referendæ sunt, ut loquitur Innocentius I. in Epistola ad Victricium Rotomagensem Episcopum; dejectorum Episcoporum, qui Sedem Apostolicam appellaverint, causæ Romani Pontificis judicio reservantur secundum Canones Sardicenses: Graviora Episcoporum judicia Canonica finiri omnino non possunt, nisi Summi Pontificis judicio, secundum Sacros Canones & mores antiquos; & (quod Gallicanam Ecclesiam spectat) secundum formam Concordatis præscriptam cap. *De causis*, & cap. *De publicis Concubinariis*. His Regulis, ac Moribus Ecclesiarum servatis, stat inconcussa Romani Pontificis auctoritas, de qua S. Bernardus libro 2. *De consideratione* cap. 8. *Aliorum*, inquit, *potestas certis arctatur limitibus, tua extenditur & in ipsos qui potestatem super alios acceperunt. Non-ne si causa extiterit, tu Episcopo cœlum claudere, tu ipsum ab Episcopatu deponere, etiam & Satanæ tradere potes; Stat ergo inconcussum privilegium tuum tibi tam in datis clavibus, quam in ovibus commendatis.*

SCHOLION VI.

Ejusdem Articuli pag. 97. Religiosi Censores hanc propositionem notant; *Ecclesia Gallicana non recipit quædam Decreta Concilii Tridentini contra suas Libertates.*

R. Mera facti quæstio. Legatur Pallavicinus in Historia Concilii Tridentini libro 24. capit. 10. numer. 15.

Nota.

NOn solum Rebuffi, sed una est vox Canonistarum concedentium Principi sibi rationabiliter timenti ob Episcopum in sua ditione ad aliquam Ecclesiam regendam assumptum, posse adversus illum excipere, cum id ad naturale jus justæ defensionis pertineat. Immo quia, si Episcopus peramanter non recipiatur, suoque gregi ac potissimum Principi non sit bene visus, semper verendum est feliciter non promoturum ejusdem gregis salutem, ex ipsis sacris Canonibus Antistes populo minus gratus non est destituendus: *Can. nullus invitis dist. 61. & can. si forte dist. 63.* Hac de causa bene animadvertit Thomassinus *Vet. & Nov. Eccl. discipl. p. 2. l. 2. capit. 10. & seqq.* Principum consensum ex Ecclesiæ olim observata disciplina fuisse desideratum, ut ita perspicerent, an aliquid sibi timendum esset ab Antistite jam electo: atque ita ipsorum consensum accedere debuisse traditur etiam *cap. quod sicut, & cap. cum Terra de elect. & can. quia igitur 9. d. 63.*

Nota.

DE mandatis, reservationibus, expectativis Beneficiorum late agit Thomassinus *p. 2. lib. 1. cap.* 3. & seqq. ac quantum hujusmodi quædam Nationes ægre tulerint, non desinit adnotare. Postquam vero cap. 45. animadvertit Romanum Pontificem per plura sæcula a conferendis, maxime extra Italiam, beneficiis abstinuisse, ac deinde plura sibi reservasse, ita tandem habet.

Non ea nobis hic enodanda proponitur controversia, utra disciplina optabilior conducibiliorque censenda sit. Quam se cumque in partem inclinaverit animus, non aliud reapse sperare datur, quamquod Numinis providentia provisum, & in mores Ecclesiæ universalis jam invectum est, illud nobis semper optimum videri, id gratissimum accidere debet, quod voluerit, quod permiserit Christus Optimus Maximus, qui nisi quod tandem vertat in suam, & in Ecclesiæ suæ gloriam, & utilitatem, facit, aut permittit nihil. Iis acquiescamus, & assentiamur, quibus assentitur, & acquiescit Ecclesia. Ne nos plus sapere velimus, aut amplius aliquid Dei causa velle, quam sempiternæ Sapientiæ Christi Sponsam, columnam veritatis. Illud quoque consultum est hodiernam Ecclesiæ Disciplinam antiquiori semper præferre, ut præstabiliorem, sin minus universim, quæ infinita quædam disputationum seges esset, saltem peculiariter huic quam agimus ætati. Insanire illud, non sapere est, Conciliorum generalium Sapientiam, suæ posthabere pietatem, religionem. Disciplinæ cujuscumque versatilis, & exterioris potest bonus, potest & malus esse aliquis usus in conferendis beneficiis. Unum illud refert immane quantum seu conviciis proscindi, aut irritis votis concuti, & immutari eum, qui nunc invaluit usum; sed optare, sed curare quantum cuique suppetit virium, ut rite, & sancte omnia peragantur, convenienter ad leges sempiternas, & immutabiles justitiæ, charitatis, & modestiæ christianæ. Sive Pontifices, sive Episcopi, Patroni, aut Collatores beneficia dispensent, unum id curæ, unum id cordi esse debet ut dignioribus ea largiantur, & paratioribus Ecclesiam ædificare, & ornare moribus, ac obsequiis suis, ut una sit atque religiosissima, qua omnes succendantur æmulationes, non qui beneficia conferant, sed qui sanctius, qui sanctioribus conferant.

Nota.

QUæ observanda duxi circa immunitatem Ministrorum Ecclesiæ, videnda sunt alibi.

Quæ pariter fuerit disciplina quoad causas Episcoporum, quæque modo esse debeat, dixi alibi. seqq.

Nota.

MInime concedendum quasdam Tridentini leges in Gallia non fuisse acceptatas, quamvis deinde acceptatio suo frustrata fuerit effectu. Cum igitur anno 1615. Comitia Cleri Gallicani convenerint, ubi aderant tres Cardinales, quinquaginta Episcopi ac triginta secundi ordinis viri Ecclesiastici, postquam consideratum fuit non semel Episcopos apud Reges vehementissime institisse, ut Concilium Tridentinum reciperetur, acceptatumque præterea fuisse in variis Conciliis provincialibus, ac ad illud recipiendum teneri, editum tandem fuit sequens decretum singulorum subscriptione, ac juramento ad S. Evangelia confirmatum: *Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi, Prælati, & alii Ecclesiastici viri repræsentantes Clerum universum Franciæ, congregati, annuente Rege, Parisiis in Conventu Augustinianorum, post maturam Concilii Tridentini deliberationem, unanimi consensu agnoverunt & declararunt, agnoscunt & declarant se obligari pro suo officio & conscientia ad recipiendum, sicut re ipsa receperunt, & recipiunt ipsum Concilium, & spondent se illud observaturos, quantum per functionem*

num suam, & auctoritatem spiritualem, & pastoralem possunt. Ita habetur *tom.* 1. *Actor Cler.* & apud Puteanum *cap.* 14. *num.* 3. Hæc vero enarrans Spondanus ad an. 1615. ita ait: *Mense Julio in generali conventu Cleri Gallicani, Lutetiæ habito, quod illa numquam hactenus a Regibus obtinere potuisset frequentissimis precibus, neque etiam in ultimis Comitiis, quamvis & Nobilitas vota sua injunxisset, videlicet ut sacrum Concilium Tridentinum regia auctoritate promulgaretur in regno, præstitum a Cardinalibus, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, & cæteris qui aderant ex cunctis Regni provinciis delegatis viris Ecclesiasticis, antitit, quantum in ipsis fuit: dum scilicet unanimi omnium consensu illud recipientes, suis se functionibus observaturos promiserant, ac juraraant.*

ARTICULUS II.

De Clericis.

Ordinandorum Titulus.

I. ABsque Titulo Beneficii vel patrimonii ordinari neminem decrevit Sacra Synodus Tridentina; nec passim quoslibet patrimonii Titulo ordinandos, sed quos Episcopus Ecclesiis suis necessarios vel utiles judicaverit. Hæc sunt ejus verba Sessione 21. Cap. 2. De Reformatione: „ Cum non deceat eos, qui Divino Ministerio adscripti sunt, cum Ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem quæstum exercere, compertumque sit complures plerisque in locis ad Sacros Ordines nullo fere delectu admitti, qui variis artibus ac fallaciis confingunt se Beneficium Ecclesiasticum, aut etiam idoneas facultates obtinere; statuit Sancta Synodus, ne quis deinceps Clericus sæcularis (quamvis alias sit idoneus moribus, scientia, & ætate) ad Sacros Ordines promoveatur, nisi prius legitime constet eum Beneficium Ecclesiasticum, quod sibi ad victum honeste sufficiat, pacifice possidere. Id vero Beneficium resignare non possit, nisi facta mentione quod ad illius Beneficii titulum sit promotus: Neque ea resignatio admittatur, nisi constito quod aliunde vivere commode possit; & alitar facta resignatio, nulla sit. Patrimonium vero vel pensionem obtinentes ordinari posthac non possint, nisi illi quos Episcopus judicaverit assumendos pro necessitate, vel commoditate Ecclesiarum suarum, eo quoque prius perspecto, patrimonium illud vel pensionem vere ab eis obtineri, taliaque esse, quæ eis ad vitam sustentandam satis sint, atque illa deinceps sine licentia Episcopi alienari, aut extingui, vel remitti nullatenus possint, donec Beneficium Ecclesiasticum sufficiens sint adepti, vel aliunde habeant unde vivere possint, antiquorum Canonum pœnas super his innovando. „ Et

Quilibet Clericus in sua Ordinatione certo Ecclesiæ addicendus.

Sessione 23. Cap. 16. quemlibet Clericum in sua Ordinatione certæ Ecclesiæ addicendum statuit, in qua suis fungatur muneribus. „ Cum nullus, *inquit*, debeat ordinari, qui judicio sui Episcopi non sit utilis aut necessarius suis Ecclesiis, Sancta Synodus, vestigiis sexti Canonis Concilii Chalcedonensis inhærendo, statuit, ut nullus in posterum ordinetur, qui illi Ecclesiæ, aut pio loco pro cujus necessitata aut utilitate assumitur, non adscribatur, ubi suis fungatur muneribus nec incertis vagetur sedibus. Quod si locum inconsulto Episcopo deseruerit, ei Sacrorum exercitium interdicatur. „ Synodi Tridentinæ Decretum confirmarunt Provincialia Concilia postmodum celebrata, Remense anno 1564. Cap. 12. Avenionense 1594. Cap. 19. Rothomagense 1581. Tit. *De Ordine*, N. 2. Burdigalense, 1583. Aquense 1585. Cap. 7. Tolosanum 1590. Cardinalis *Bellarminus* ad Nepotem suum Theanensem Episcopum scribebat: „ Maximus est abusus ordinari quoslibet ad titulum patrimonii. Plurimi enim ordinari cupiunt pro utilitate sua, non Ecclesiæ: & de celebratione Missæ faciunt artem de pane lucrando. Unde Sacerdotium contemptibile redditur, & Ecclesia scandalis patet.

Prosper Fagnanus, in Cap. *Episcopus de Præbendis & Dignitatibus*, observat Synodum Tridentinam aperte sustulisse dispositionem Capitis, *Tuis*, eodem Titulo, secundum quam Clerici non Beneficiati licite poterant ad Sacros Ordines promoveri ad titulum patrimonii; quod etiam licebat in vim Decretalis *Alexandri* III. Cap. *Episcopus*, ibidem. *Nam hodie*, inquit idem Auctor, *solum Beneficium est titulus legitimus ad Sacros Ordines; patrimonium vero nonnisi dispensative, quemadmodum etiam alias declaravit Sacra Congregatio ejusdem Concilii interpres*. Et propterea Concilium utitur illis verbis, *Statuit ne deinceps*, quæ ostendunt Provisionem esse Jus novum. Rursus Concilium ibidem correxit opinionem *Glossæ*, *Tancredi*, & *Hostiensis*, qui dixerunt, Clericum, si patrimonium habeat, ordinari posse, etiam nullo titulo assignato, & tacite ad titulum patrimonii ordinatum censeri. Nam post Concilium, non sufficit ut habeat patrimonium, sed exigitur ut expresse ad patrimonii titulum ordinetur dispensative, ob necessitatem vel utilitatem Ecclesiæ. Tertio, dum Concilium decrevit, ut priusquam Clerici, ad titulum patrimonii ordinentur, constare debeat patrimonium illud vere ab eis obtineri, satis clare improbavit opinionem *Imolæ*, & *Decii*, existimantium Clericum posse ad Sacros Ordines jure promoveri, si patrem habeat divitem. Quandoquidem patrimonium patris non est patrimonium filii vere, sed interpretative, seu per quamdam Juris fictionem secundum quam pater & filius censetur una & eadem persona. At ea Concilio hujusmodi præsumptio seu fictio non sufficit; quemadmodum nec sufficit, ut pater teneatur filio ad alimenta; sed exigitur ut promovendus patrimonium illud vere obtineat. Obtinere autem non dicitur, qui actionem habet, vel jus ad rem, sed qui habet jus in re, & legitime possidet, ut notat *Archidiaconus*, in Cap. *Si gratiose de Rescriptis*, in Sexto. Et adverbium illud *vere* usurpatum fuit a Concilio ad hujusmodi fictiones excludendas: nam veritas & fictio opponuntur. Præsertim vero quia Concilium paulo post adjecit, ut patrimonium illud deinceps sine licentia Episcopi alienari non possit, quæ verba, non conveniunt nisi bonis vere assignatis in titulum, non autem bonis paternis, quorum pater liberam habet dispositionem. Quarto dum Concilium innovavit pœnas antiquorum Canonum, videtur exclusisse opinionem *Hostiensis*, *Joannis Andreæ*, *Antonii de Butrio*, & aliorum qui dixerunt; Ad hoc ut Episcopus eximatur a pœna, seu obligatione præstandi alimenta, sufficere ut Clericus habeat patrimonium, unde sustentari possit, licet ad illius titulum non fuerit ordinatus. Cum enim patrimonium non sit titulus ad Sacros Ordines nisi dispensativa, ex eo quod Clericus habeat unde vivat, non videtur factum satis Concilio, quod voluit neminem ordinari, nisi ad titulum Beneficii, excepta causa necessitatis vel utilitatis Ecclesiarum, & consequenter cum Episcopus non servaverit formam sibi præscriptam, videtur incidisse in pœnam cap. *Episcopus*, & cap. *Cum secundum* decretam & a Concilio innovatam; & sic obligari ad providendum Ordinato de competenti Beneficio Ecclesiastico. Tutius tamen esset, inquit *Fagnanus*, super hoc dubio Sacram Congregationem consulere.

Ordinandorum & ad Beneficia nominandorum ætas.

II. Secundum Tridentinum Concilium, nullus ad Subdiaconatus Ordinem ante vigesimum secundum, ad Diaconatum ante vigesimum tertium, ad Presbyteratus ante vigesimum quintum ætatis suæ annum promoveri potest. Nec tamen singuli in ea ætate constituti debent ad hos Ordines assumi, sed digni dumtaxat, & quorum probata vita senectus sit. Nec ipsis etiam Regularibus ut in minori ætate, & sine diligenti Episcopi examine ordinentur, Privilegia quæcumque suffragantur. (Sessione 23. Cap. 12.) Ex ejusdem Concilii Decreto nullus prima Tonsura initiatus aut etiam in Minoribus Ordinibus constitutus, ante decimum quartum annum Ecclesiasticum Beneficium potest obtinere (ibidem, Cap. 6.) Ad Dignitates quascumque, quibus animarum cura subest, nemo potest promoveri nisi qui saltem 26. suæ ætatis annum attigerit, & in Clericali Ordine versatus, doctrina ad suum munus exequendum necessaria, ac morum integritate commendetur. Ad cæteras autem Dignitates vel Personatus quibu animarum cura nulla subest, ætas 22. annorum exigitur (Sessione 24. Cap. 12.) Ante Tridentinam Synodum, Clericus decem annos natus in Collegiata Ecclesia Canonicus esse poterat, secundum Regulam 17. Cancellariæ, quæ est *Innocentii* VIII. Sed nunc decimus quartus ætatis annus ex Tridentini Concilii Decreto necessarius est. Qui vero Beneficia in Cathedrali vel Collegiata Ecclesia obtinent, quibus Sacrorum Ordinum functiones sunt annexæ, infra annum Ordines illos tenentur suscipere, justo impedimento cessante; alioqui pœnas incurrunt in Clementina, *Ut ii qui de ætate & qualitate Ordinandorum*, expressas (Sessione 22. Cap. 4.)

A proprio Episcopo Ordinandi.

III. Unusquisque e proprio Episcopo, ex Concilii Tridentini Decreto ordinandus est. Quod si quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei, etiam cujusvis generalis aut specialis Rescripti vel Privilegii prætextu, etiam statutis temporibus permittatur, nisi ejus probitas ac mores Ordinarii sui testimonio commendentur. Si secus fiat, Ordinans a collatione Ordinum

per annum, & Ordinatus a susceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, suspensus declaratur. (Sess. 23. Cap. 8.) Proprius Episcopus, qui ad Ordines promovere, & Literas Dimissorias ad ipsos Ordines concedere potest, est *Episcopus originis, domicilii & Beneficii*, ut explicat Senonense Concilium anno 1528. celebratum, Decreto 5. ex *Bonifacio* VIII. Cap. *Cum nullus*, *De temporibus Ordinationum*, in Sexto. Concilium Mediolanense IV. anno 1576. celebratum, statuit ut Ordinandus Episcopo suo inter alia legitimis literis testatum faciat, *se vel origine, vel Beneficio Ecclesiastico, quod in Diœcesi obtinet, vel decennali domicilio, vel alia quavis legitima ratione Diœcesanum esse*. Idem repetit Concilium Aquense anno 1585. celebratum, additque: *Aut familiarem Episcopi, qui per triennium cum illo commoratus sit*. Ex Tridentini Concilii Decreto Sessione 23. Cap. 9. conditio illa petita est. „ Episcopus, *inquit*, familiarem suum non subditum ordinare non possit, nisi per triennium secum fuerit commoratus, & Beneficium, quacumque fraude cessante, statim reipsa illi conferat: consuetudine quacumque, etiam immemorabili, in contrarium non obstante. „ Concilium Mexicanum anno 1685. celebratum, lib. 1. Tit. 4. quemquam ab Episcopo domicilii ordinari vetat. „ Nisi per tantum tempus in ea Diœcesi vitam duxerit, ex quo probabile sit velle se ibi permanere .... Qui vero in una Diœcesi ordinari cœperint, reliquos Ordines in alia suscipere *prohibet*, quamvis ibi per tres annos fuerint commorati, nisi a proprio Prælato cum literis dimittantur. *Cum Tridentinum Concilium statuat Cap. 2. Sessionis 21. supra laudata*, Ne quis deinceps Clericus sæcularis ad sacros Ordines promoveatur, nisi prius legitime constet eum Beneficium Ecclesiasticum, quod sibi ad victum honeste sufficiat, pacifice possidere: „ Nemo ab Episcopo Beneficii ordinari potest, nisi a triennio Beneficium in ejus Diœcesi pacifice possideat, ex quo commode vitam sustentare possit, ut colligitur ex Concilio Basileensi Sessione 21. Cap. 2. ex Concordatis Tit. 28. *De pacificis possessoribus*, & ex Regula 36. Cancellariæ Apostolicæ, *de triennali Possessore*. Idque ex Provinciali Synodo Narbonensi anno 1609. celebrata Cap. 21. confirmatur. „ Statuimus, *inquit*, quod in posterum nulli Episcopi Ordines vel Literas conferant dimissorias, nisi his quos scriverint de sua Diœcesi oriundos, aut in ea per tres annos Beneficium pacifice possederint annui reditus valoris triginta aureorum: alias, non obstante possessione Beneficii minoris valoris, ab Ordinum susceptione repellant. „ Quamvis Clericus, qui Beneficium obtinet in aliena Diœcesi, promoveri possit ad Ordines ab Episcopo Beneficii, licet tenuissimi; tamen si illud Beneficium sibi in fraudem conferri curaverit, ut eludat examen ac judicium sui Ordinarii; censetur male promotus, & remanet suspensus ab executione Ordinum tamquam ordinatus a non suo Episcopo juxta Cap. 8. Sessionis 23. Concilii Tridentini. Ita respondit Sacra Congregatio ejusdem Concilii Interpres, ut refert *Fagnanus* in Cap. *Omnis*, *De Pœnitentiis & Remissionibus*, in 5. Decretalium.

Beneficiorum Collatio.

IV. Patronorum Jura sarta tecta voluit Synodus Tridentina, sed Provisionem seu Institutionem Beneficii ad Episcopum loci Ordinarium pertinere declaravit Sessione 14. Cap. 13. „ Non liceat, *inquit*, Patrono cujusvis Privilegii prætextu, aliquem ad Beneficia sui Juris Patronatus, nisi Episcopo loci Ordinario, ad quem Provisio seu Institutio ipsius Beneficii, cessante Privilegio, jure pertineret, quoquo modo præsentare: alias præsentatio ac institutio forsan secutæ nullæ sint & esse intelligantur. *Sessione 24. Cap. 18. statuit, ut cum Parochialis Ecclesiæ vacatio contigerit*, Episcopus, & qui Jus Patronatus habet, intra decem dies, vel aliud tempus ab Episcopo præscribendum, idoneos aliquot Clericos ad regendam Ecclesiam coram deputandis examinatoribus nominet. Liberum sit tamen etiam aliis, qui aliquos ad id aptos noverint, eorum nomina deferre, ut possit postea de cujuslibet ætate, moribus & sufficientia fieri diligens inquisitio. Et, si Episcopo, aut Synodo Provinciali pro regionis more videbitur magis expedire, per edictum etiam publicum vocentur, qui volent examinari. Transacto constituto tempore, omnes qui descripti fuerint, examinentur ab Episcopo, sive, eo impedito, ab ejus Vicario Generali, atque ab aliis Examinatoribus non paucioribus quam tribus, quorum votis, si pares aut singulares fuerint, accedere possit Episcopus, vel Vicarius, quibus magis videbitur ...... Peracto deinde examine, renuntientur quotcumque ab his idonei judicati fuerint ætate, moribus, doctrina, prudentia, & aliis rebus ad vacantem Ecclesiam gubernandam opportunis: ex hisque Episcopus eum eligat, quem cæteris magis idoneum judicaverit: atque illi, & non alteri, collatio Ecclesiæ ab eo fiat, ad quem spectabit eam conferre. Si vero Jurispatronatus Ecclesiastici erit, ac Institutio ad Episcopum & non alium pertineat, is quem Patronus digniorem inter probatos ab Examinatoribus judicabit, Episcopo præsentare teneatur, ut ab eo instituatur. Cum vero institutio ab alio quam ab Episcopo erit facienda, tunc Episcopus solus ex dignis eligat digniorem, quem Patronus ei præsentet, ad quem institutio spectat. Quod si Jus-Patronatus Laicorum fuerit, debeat, qui a Patrono præsentatus fuerit, ab eisdem Deputatis, ut supra, examinari, & non, nisi idoneus repertus fuerit, admitti, &c. „ Istud Synodi Tridentinæ Decretum confirmarunt Synodi Provinciales, Rothomagensis anno 1581. Tit. *De Episcopi Officio Num.* 26. Burdigalensis anno 1583. Cap. 22. Turonensis eodem anno Cap. 4. „ Volumus, *inquit*, nullum deinceps Ecclesiæ regendæ præficiendum, nisi qui prævio examine per concursum, juxta formam a Sacris Canonibus & Pii V. Constitutione præscriptam, huic oneri par, & magis idoneus inventus & electus fuerit &c. „ Aquensis an. 1585. In Ecclesiis Juris Patronatus Laici concursus locum non habet, nisi Jus conferendi ad Episcopum fuerit devolutum propter moram Patroni, ut declaravit Congregatio Tridentini Concilii Interpres, referente *Fagnano*, in Cap. *Cum propter*, *De Jure Patronatus*. Tridentina Synodus Sessione 25. Cap. 9. licere declarat Episcopo „ Præsentatos a Patronis, si idonei non fuerint, repellere. Quod si, *inquit*, ad inferiores institutio pertineat, ab Episcopo tamen examinentur, alioquin institutio ab inferioribus facta irrita sit & inanis.

Digniori conferenda.

Absque institutione, aut examine saltem Episcopi, Ecclesiæ Parochiales non conferenda.

Reservationes & Gratiæ Expectativæ.

V. Reservationes & Gratias Expectativas Basileensis Concilii, & Pragmaticæ Sanctionis Decretis abrogatas superius diximus. Sed Pragmatica Sanctione sublata, suus Mandatis Apostolicis restitutus est honos, certus dumtaxat modus Pontificiis Reservationibus per Concordata præscriptus est. Constitutum enim fuit, ut Romanus Pontifex in eos Antistites, qui decem dumtaxat Beneficiorum collationem habent, uno Diplomate contentus sit; in eos vero quibus quinquaginta aut eo amplius Beneficiorum collatio competit, duobus Diplomatibus possit uti; ita ut ipsi toto Pontificatus tempore plura in hujusmodi Antistitis Beneficia conferre non liceat. Secundo, Constitutio nulla Diplomata probat, quibus Beneficiorum nondum vacantium spes afferatur, nisi verbis, ita ut constitutum est, conceptis perscripta fuerint. Est enim præscripta forma *Mandati Apostolici* in Concordatis, qua prætermissa vel mutata, Mandatum nullum irritumque habeatur. Ejus hæ sunt præcipuæ clausulæ. Primo, Summus Pontifex candidatum suum a Censuris Ecclesiasticis absolvit ad eum dumtaxat finem, ut Diploma ipsi concessum valeat. Secundo, omnia Beneficia ejus pro expressis habet, cum vera annui reditus ipsorum existimatione, quamvis expressa forte non sint. Tertio, declarat se nemine postulante Diploma ultro concessisse. Quarto, ostendit non pure ac simpliciter se mandare, sed ita demum si pro alio non scripserit. Quinto, Canonicum creat eum, cui Diploma concedit, hoc fine ut ad Dignitates Ecclesiasticas promoveri possit. Sexto, declarat se Beneficium dumtaxat conferri velle, quod post mensem a Diplomate oblato Antistiti vacaverit. Nam alioqui periculum erat, ne Mandati Pontificii denuntiatio differretur, donec mortem alicui optimum Beneficium possidenti instare exploratum esset. Sic enim futurum erat ut Gratiis Expectativis a Pontifice donati, opulentissima quæque Beneficia devorarent. Septimo, Summus Pontifex cuicumque Legi, Constitutioni, Privilegio, Consuetudini derogat, per quam effectus Diplomatis impediri posset. Inter Petitiones *Caroli IX.* Regis Christianissimi nomine ab ejus Oratoribus in Concilio Tridentino factas, vigesima prima hæc erat; *Mandata de providendo, Expectativæ, Regressus, fiduciariæ Resignationes & Commendæ revocentur, & omnino arceantur ab Ecclesia, veluti Decretis contraria*. Tridentinæ tandem Synodo visum est Gratias omnes Expectativas, & Reservationes Pontificias Beneficiorum penitus abrogare, edito ea de re Decreto Sessione 24. Cap. 19. de Reformatione, cujus hæc sunt verba: *Decernit Sancta Synodus, Mandata de providendo, & Gratias quæ Expectativæ*

Certus modus Reservationibus Pontificiis per Concordata præscriptus.

tivæ dicuatur, nemini amplias, etiam Collegiis, Universitatibas, Senatibus, & aliis singularibas personis etiam sab aomiae Iadalti, aat ad tertam fammam, vel alio qaovis colore concedi, aec hactenas coacessis caiqaam uti licere. Sed aec Reservationes meatales, nec aliæ quæcunque Gratiæ ad vacatara, nec Iadulta ad alienas Ecclesias vel Monasteria, alicai, etiam ea Sanctæ Romaæ Ecclesiæ Cardinalibas, & hactenas concessa abrogata esse censeantar.

Scholastica Nominatio.

VI. Quamdam tamen Gratiarum Expectativarum speciem retinet in Galliis Scholastica Nominatio, quæ Synodi Basileensis, & Pragmaticæ Sanctionis partus est, per Bononiensia Concordata meliorem in formam ordinemque redacta, Tit. 11. & sequentibus. Beneficia tertia parte anni vacantia, quatuor nimirum mensibus, Januario, Aprili, Julio, & Octobri, Graduatis Clericis attribuunt Concordata, ipsis æqua portione, sive Nominati, sive simplices Graduati sint, conferenda. His Januarius & Julius; illis Aprilis & Octuber assignantur. Graduatos porro Nominatos dicimus, qui a Schola publica seu Academia nominantur atque commendantur Antistitibus, & Patronis quibuscumque Ecclesiasticis, Honores & Beneficia Ecclesiastica collaturis. Simplices vero, qui absque ulla Scholæ commendatione, vi sui Gradus illa ambiunt. Porro ut nominari quis possit ab Academia, non sufficiunt vulgares dotes, quas Canonum Disciplina in Beneficiorum candidato postulat; sed Gradibus Scholasticis ornatus esse debet, id est, Baccalaureus, Licentiatus vel Doctor, seu Magister sit necesse est. Præterea, tempus certum constitutum est, quod in studiis ante solemnem illam Graduum consecutionem consumptum esse oportet, scilicet decem annorum spatium in Theologiæ studio ad Insulæ Doctoralis aut Licentiaturæ assecutionem, sexcennium vero ad Gradum Baccalaureatus. In studio Juris Canonici aut Civilis, septennium ad Doctoratum, quinquennium ad Baccalureatum, Eademque est Medicinæ ratio, nisi quod in ea supremi dumtaxat Gradus ratio habetur: Nullum enim prorsus ad Nominationem Scholasticam Jus habent Saluberrimæ Facultatis Viri, nisi Doctoris Insignia obtinuerint. Quinquennium denique in Magistris seu Licentiatis in Artibus, cum rigore examinis, præstitutum est. Excipiuntur viri Nobilitate ex utroque parente probata conspicui. Hi nempe Baccalaurei in Jure Civili vel Pontificio post triennium studii esse possunt, & Scholasticæ Nominationis candidati. Nominatio in scriptis redacta esse debet: idemque de testimonio dicendum est, ad legitimi studiorum temporis fidem faciendam necessario. Præterea, Nominationis formula Sacerdotia omnia ac Beneficia, quæcumque is qui nominatus possidet, una cum vera justaque annui reditus æstimatione complecti ac exprimere debet. Cum enim eos nominare non liceat qui Beneficiis aucti sunt ad summam annui reditus ducentorum florenorum auri, utile visum fuit in Nominationis formula hujus quantitatis fieri mentionem. Præsentari autem debet hujusmodi Nominatio iis qui Beneficiorum conferendorum ordinarium jus habent, scilicet Episcopis, Capitulis, Collegiis, Abbatibus, aut Monasteriis. Ecclesiasticos tantum Patronos, non Laicos, adstringunt Nominationes Scholasticæ, quia Jus-patronatus ipsis quæsitum patrimonii partem quodammodo constituit, quod nullam diminutionem pati debet.

Duplex Graduatorum genus.

Nominationis Scholastica conditiones.

Ducenti floreni sexcentis libellis Turonensibus æstimantur.

At Nominationis denuntiatio, quam insinuationem vocant, Antistitibus, aliisque Beneficiorum ordinariis Collatoribus fieri debet, ne ejus rei ignorationem causari possint: huicque Insinuationi faciendæ Quadragesimæ tempus constitutum est. Triplex autem ac interdum quadruplex testificatio ipsis edenda est; una de Gradu quo quis præditus est: altera de legitimo studiorum tempore: tertia, de Nominatione Scholastici Conventus: quarta de Nobilitate: harumque omnium exempla apud Collatorem Beneficiorum, quæ affectant, deponi debent. Quod semel præstitum cum fuerit, quotannis nomen suum apud eumdem profiteri necesse est, ut pristinæ obligationis refricet memoriam, significetque Graduatus sibi perpetuam esse fruendi Privilegio suo voluntatem. Pœna autem intermissæ vel dilatæ Insinuationis hæc est, ut negligens Graduatus eo anno quo insinuare cessavit, Beneficia in vim Gradus ambire non possit; pristinæ facultati redditus, si anno sequenti aut posteriori, insinuandi necessitati aut obligationi satisfaciat.

Quæ Beneficia Scholasticæ Nominationi obnoxia.

Omnia Beneficia Scholasticæ Nominationi obnoxia sunt, præter ea quæ Regiæ sunt Nominationis, aut quæ sunt electiva. Unde & Cathedralium, & Collegiatarum Dignitates Graduati affectare poterant vi Scholasticæ Nominationis, priusquam *Henricus Magnus* Rex Christianissimus, in grati animi significationem ob subsidium a Clero Gallicano collatum, Dignitates Cathedralium Ecclesiarum universas, & Primarias Collegiatarum, Scholasticis Nominationibus exemisset Edicto solemni dato anno 1606.

Vacantia Beneficia esse debent, quæ Graduatis adscribuntur; vacantia (inquam) per obitum possessoris, non resignatione aut permutatione. Quamquam fraudulenta permutatio seu dolo malo facta Graduatorum Privilegiis non obesset. Tres autem potissimum fraudis præsumptiones proferuntur. Prima est, tempus permutationis factæ mensibus Viris Academicis assignatis, vel tempore viciniori ab infirmo, cujus alias Beneficium erat periturum. Secunda est qualitas Beneficiorum, cum scilicet opimum pro tenui permutatur. Tertia, est cognatio proxima vel affinitas permutantium. Inter eos enim, qui cognationis, affinitatisve arctiori vinculo conjuncti sunt facile quidvis pro negotiorum opportunitate confingi solet, ut dicitur *Cod. L. 27. Tit. de Donationibus.*

Scholastica Nominationis potestas.

Ea Scholasticæ nominationis potestas est, ut Collatorem obliget ad conferendum Viro Academico Beneficium, si modo rite & ea formula professus fuerit. Si rogatus Collator Virum Academicum legitime petentem repulerit, Jus conferendi ut caducum ad Superiores Antistites devolvitur, nisi justam hujus repulsæ causam attulerit. Justa vero causa esse potest, exempli gratia, si Clericus sæcularis Beneficium Regulæ obstrictum postulet. Concordatis namque cautum est, ut sæcularia Beneficia Sæcularibus, & Regularia Regularibus conferantur. Justa etiam negandi ratio est, si Competitor instet ipsi præferendus. Nam qui inter Nominatos prior est Nominatione, potior est Jure: si vero plures eodem anno simulque nominati sint, is anteponendus reliquis est, qui summum & in superiori Facultate consecutus est gradum, secundum Concordata. Hinc Doctores Licentiatis, Licentiati Baccalaureis, Doctores Theologi cæteris omnibus, Doctores Juris Pontificii Juris Civilis Magistris; isti vero Medicinæ Magistris præponuntur: Baccalaurei Theologi Licentiatis in Jure Canonico, Civili, aut in Medicina; Baccalaurei in Jure Canonico aut Civili, Magistri in Artibus.

Collatores Ordinarii & Patroni Ecclesiastici Graduatis simplicibus, quoad Beneficia in mensibus eis deputatis vacantia, pro arbitrio gratificari possunt, & illum, quem voluerint, præponere. Quo vero ad Beneficia in mensibus Graduatis nominatis deputatis, antiquiorem nominatum, qui Literas Nominationis, temporis studii, & attestationis Nobilitatis, debite insinuaverit, præsentare seu nominare tenentur. Unde menses isti a Pragmaticis *Menses Rigoris* appellantur.

Indultaria Nominatio.

VII. Gratiis etiam expectativis ac Mandatis Apostolicis successit Indultaria Nominatio, quam Galliæ Cancellarius, Senatus Parisiensis Præsides, Libellorum Supplicum Magistri, Senatores, & quatuor Curiæ ejusdem Actuarii, *Paulo* III. Pontificis Maximi Indulto acceptam referunt. In vim itaque gratiæ Pontificiæ Christianissimis Regibus concessæ, Rex hosce Officiales, vel ab ipsis nominatos, Codicillis suis Regiis Ordinariis Collatoribus præsentat & nominat, ut Beneficia suæ collationi addicta, dum morte possessorum vacua extiterint, ipsis conferant, vel iis quos nominaverint, sive sæcularia sint, sive regularia, modo Religiosi ad regularia, sæculares ad sæcularia præsententur. Porro conditiones quædam sunt necessariæ ad robur Indultariæ Nominationis, & ad ejus effectum certo consequendum. Prima, ut Supremi Senatus Officiales, qui gratiam illam impetrant, suum in Curia Augustissima Officium actu exerceant. Illo enim Privilegio frui non possunt, qui se munere abdicarunt antequam Regios Codicillos ad obtinendum in vim Indulti Pontificii Beneficium obtineant. Secundo necessaria est insinuatio, seu denuntiatio Nominationis illius, instrumento publico facta Collatori, apud quem Regii Codicilli, & nominationis in vi illius editæ exemplaria deponi debent. Tertio, ut quis in vim Indultariæ Nominationis jus certum firmumque ad aliquod Beneficium consequatur, quod contraria dispositione vel Collatoris Ordinarii, vel Summi Pontificis averti non possit, necesse est ut Beneficium in specie postulet ab Ordinario Collatore infra sex menses, (quibus elapsis nulla Nominationis Indultariæ lege teneatur, ut rei Beneficiariæ Pragmatici adnotarunt.)

Conditiones ad robur Indultariæ Nominationis necessaria.

Quæ Beneficia Indultis subjaceant.

Indultis subjacent quævis Beneficia, Præbendæ, Dignitates, modo inter electivas confirmatione indigentes non censeantur. Nam Dignitates, quæ electivæ collativæ vocantur, id est, quas eligendo conferunt illi ad quos spectat, puta Cathedralium & Collegiatarum Ecclesiarum Præfecturæ, Indultis subjacent

jacent (ut a Magni Consilii Patribus pronuntiatum est anno 1585.

Id vero in gratia Indultariis concessa splendidum est, quod graduatis omnibus anteponi debeant; immo & Cardinalium Beneficiariis (ut variis Regum Christianissimorum Sanctionibus, & Magni Consilii, Senatusque Parisiensis Edictis decretum referunt, qui de re Beneficiaria scripsere. Et certe illos dumtaxat Indultariis proposuit *Paulus III.* qui Mandatis Apostolicis muniti essent. Id etiam in eodem Privilegio illustre est, quod necessitatem imponat Collatoribus tribuendi beneficii Candidato Indultarii. Quod si forte recusarent, demandati sunt executores Pontificio Diplomate Abbas *Sancti Maglorii*, *Sancti Victoris* in Suburbio Parisiensi Cœnobiarcha & Parisiensis Academiæ Cancellarius qui necessariam Collationem exerceant.

Pluribus tamen Indultis gravari non possunt Ordinarii Collatores. Nam *Henrici II.* Regis Christianissimi Edicto cautum est, ut quilibet Ordinarius semel tantum in vita Beneficium Indultario conferre teneretur. Capitula vero, Monasteria, & alia Collegia vel Sodalitia, quæ numquam intereunt, semel dumtaxat singulis Regibus Christianissimis viventibus, Indultariæ Nominationis oneri subderentur.

Beneficia ducentarum libellarum Turonensium annui reditus olim acceptare tenebantur Indultarii, sed novo *Clementis IX.* Summi Pontificis Indulto Regi Christianissimo *Ludovico Magno* concesso anno 1667. factum est, ut Beneficia infra sexcentarum libellarum annui reditus æstimationem acceptare minime teneantur, nec ea quibus animarum cura annexa est; utque Collatores Beneficia etiam Regularia Indultariis conferre valeant, exceptis Abbatiis, ac Prioratibus Conventualibus, & electioni vere obnoxiis, Officiisque Claustralibus.

Indulta Cardinalium.

VIII. Indulta Cardinalium, Beneficia quorum sunt Ordinarii Collatores, eximunt ab onere Mandatorum Apostolicorum, seu Reservationum, ac Præventionis etiam Pontificiæ. Quod Privilegium *Joanni* Cardinali *A Lotharingia* primum concessit *Paulus III.* an. 1530. servata Sedi Apostolicæ potestate huic Indulto derogandi. Id Cardinalibus omnibus deinde communicatum. At in Conclavi, in quo *Paulus IV.* electus est, statutum fuit, ac postea ab eodem Pontifice juratum & confirmatum, nusquam deinceps Cardinalium indultis derogatum iri, sive Præventione Pontificia, sive Resignationibus in favorem, sive derogatione ulla Regulæ Cancellariæ *De 20. Diebus*. Literæ *Pauli IV.* ea de re datæ an. 1555. *Bulla Compacti* appellantur.

Præventiones Pontificia.

IX. Jus Præventionis in Beneficiorum Collatione agnovit, illæsumque servavit Synodus Basileensis Sessione 31. Decreto *De Collationibus*. Ecclesia Gallicana Avarici Biturigum congregata Synodo Basileensi supplicandum censuit, ut decerneret, Præventiones Pontificias, aut Legatorum, Collatoribus Ordinariis & Patronis obesse non posse, quo minus sex mensium intervallo a Concilio Lateranensi ipsis præscripto Beneficia conferant, ut constat ex Pragmatica Sanctione, Tit. 5. *De Collationibus*. Item optavit Synodus Frisingensis anno 1440. celebrata, Canone 25. Concordata Bononiensia, & Synodus Lateranensis V. illa approbans, Jus Pontificiarum Præventionum confirmarunt. Ipsas concussit *Carolus IX.* Aurelianensi Sanctione an. 1560. Articulo 22. Contra easdem expostulaturus missus est Romam Præses *Ferrerius* anno 1561. Sed Rex idem Christianissimus dictum Sanctionis Aurelianensis Articulum revocavit Declaratione data Carnuti an. 1562. Jus illud in uno Pontifice, non in Legatis a Latere Gallia agnoscit: quorum facultates cum examinant approbantque Supremi Senatus hujus Regni, Jus Præventionis in Beneficiorum Collatione excipiunt, ut *Fevretus* observat Lib. 2. *de Abusu*, C. 6. Pontificiæ

Potestas Præventionis Pontificia.

Collationes Jure Præventionis irritæ sunt, nisi Regula Joannis 20. *de Verisimili Notitia* observetur, id est, nisi inter Beneficiarii obitum, & earum subscriptionem sive datam tantum temporis intercesserit, quantum opus est, ut verisimile sit Beneficiarii mortem ad Summi Pontificis notitiam pervenire potuisse. Secundo, Beneficia Juris Patronatus Laici obnoxia non sunt Præventioni Pontificiæ. Tertio, in Collatione Beneficiorum etiam electivorum, quæ non sunt Regiæ Nominationis, puta Decanatuum & Præposituraram in Cathedralibus Ecclesiis & Collegiatis, Romanus Pontifex Præventionis Jus habet, ut constat ex Concordatis, Tit. *de Mandatis Apostolicis*. Quarto, Graduatos, tam Simplices quam Nominatos, mensibus ipsis attributis, Præventioni Pontificiæ cedere necesse est. Quinto, Præventio Pontificia ad omnia prorsus Beneficia extenditur, iis exceptis, quæ in Regalia vacant, & quæ Regiæ sunt Nominationis, nec non Capitibus Ordinum. Sexto, Præventioni Pontificiæ non est locus, nisi res sint integræ. Si enim Ordinarius Collator Canonicæ Institutionis negotium vel leviter attigerit, quamvis non perduxerit ad exitum, verbi gratia, si Patronus Ecclesiasticus Literas Præsentationis emiserit, quæ Ordinario fuerint exhibitæ, quamvis Canonica Institutio non sit consummata, Præventionibus Pontificiis clauditur aditus. Hæc ex Gallis rei Beneficiariæ Pragmaticis observasse, non inutile fuerit.

Resignationes & Permutationes.

X. Resignationes simplices ac Permutationes Beneficiorum ex causis legitimis & necessariis, Ecclesiæque commodum spectantibus admittere poterant, ut nunc possunt, Episcopi; Resignationes vero in favorem solus Pontifex Maximus: non quod purgandi simoniam potestatem habeat (ut recentiores Juris Canonici Interpretes finxerunt) sed quod summam habeat in Ecclesia universa de Canonibus dispensandi potestatem ob necessitatem vel utilitatem Ecclesiæ: Resignationes autem conditionales & in favorem Canonibus contrariæ sint prohibentibus, ne quis Beneficiarius sibi Successorem eligat. *Carolus IX.* Rex Christianissimus a Synodo Tridentina per Oratores suos abolitionem Resignationum in favorem postulavit, his verbis: *Resignationes in favorem ejiciantur omnino a Curia Romana: est enim Sacris Canonibus constitutum, ne quisquam sibi sui officii quærat aut eligat Successorem*. At Sacræ Synodo haud visum est Regis postulatum quoad hoc caput admittere. Circa hujusmodi Resignationes servandæ sunt Regulæ Cancellariæ, 19. alias 18. *De infirmis Resignantibus, sive de viginti diebus*, 21. alias 20. *de Impetrantibus Beneficia Viventium*, 30. alias 28. *de Verisimili Notitia*, & 34. *De publicandis Resignationibus*. Quas *Rebuffus*, *Carolus Molinæus*, *Georgius Louetius*, aliique Pragmatici Commentariis suis illustrarunt. Et hæ quidem Regulæ in hoc Regno Christianissimo usu sunt receptæ, ac secundum eas in Controversiis Beneficiariis judicatur.

B. Pius V. Pontifex Maximus Constitutione quæ incipit, *Quanta*, data Romæ Kalendis Aprilis 1568. *Statuit ut Episcopi, & alii facultatem habentes, eorum dumtaxat Resignationes recipere & admittere possint, qui aut senio confecti, aut valetudinarii, aut corpore impediti, vel vitiati, aut criminis obnoxii, Censurisque Ecclesiasticis irretiti, aut nequeunt, aut non debeant Ecclesiæ vel Beneficio inservire; seu qui unum aliud vel plura Beneficia obtinuerint, vel quos ad aliud contigerit promoveri; Religionem quoque ingressuri, vel Matrimonium contracturi, si statim postea id re ipsa exequantur; denique si quis ex aliis casibus acciderit, qui Constitutione Innocentii III. de dimittendis Cathedralibus Ecclesiis edita continentur. Qui etiam ob Capitales inimicitias nequeunt vel non audent in loco Beneficii residere securi. Sed nec horum ullus Sacro Ordini mancipatus, nisi Religionem ingressurus, valeat alio modo Beneficium, vel Officium Ecclesiasticum resignare, nisi aliunde ei sit in quo vita possit commode sustentari.*

Statuit præterea, *Ut Episcopi, omnesque Electores, Præsentatores, & Patroni, tam Ecclesiastici quam Laici, quicumque sint*, caveant ut *ne verbo quidem, aut nutu, vel signo, futuri in hujusmodi Beneficiis & Officiis Successores, ab ipsis Resignantibus, aut aliis eorum significatione vel hortatu designentur, aut de his assumendis promissio inter eos, vel etiam intentio qualiscumque intercedat*. Prohibet denique *Ne ipsi Episcopi, aut alii Collatores, de Beneficiis aut Officiis resignandis, aut suis*, aut Resignantium *Consanguineis, affinibus, vel familiaribus, etiam per fallacem circuitum multiplicatarum in extraneos collationem audeant providere*. Admissiones Resignationum, & Collationes contra hanc formam factas irritas declarat. Constitutionis hujus violatores a Beneficiorum & Officiorum Collatione, nec non electione, Præsentatione, Confirmatione, & Institutione, prout cuique competit, tamdiu suspendit, donec remissionem a Romano Pontifice meruerint obtinere.

Resignationes cum Reservatione Pensionis.

Concilium Provinciale Rothomagense, anno 1581. celebratum, Tit. *de Episcoporum officiis*, Resignationes in favorem, cum retentione fructuum, vel Pensione, illicitas, & simoniacas declarat, nisi interveniat Sedis Apostolicæ auctoritas. Illas etiam velut de simonia suspectas reprobat, quæ ignotis fiunt. „ Resignationes (*inquit*) quorumcumque Beneficiorum „ cum retentione fructuum, vel Pensione, quæ postea ab his, qui Resignationes illas acceptaverint, „ præsertim pretio sine auctoritate Sedis Apostolicæ „ redimitur, pro simoniacis habendas judicamus. „ Præterquam enim quod mentalem saltem simoniam

„ aut

aut etiam actum illicitum antecessisse frequentius deprehenditur, experientia docet hoc unum esse velamen ad contegendam simoniæ turpitudinem & malitiam.

,, Resignationes factæ prius incognitis, aut his quos nulla virtus, aut singularis eruditio, aut alia honesta causa commendat, suspectæ de simonia redduntur, præsertim si quid illicite actum fama proclamet.

Cap. Quoniam &c. Inter solicitudines. De Purgat. Canon.

,, Tales igitur Resignationes non debent ab Ordinario absque Purgatione Canonica, ex Decreto Innocentii III. renovato, cum de Canonicis Cathedralium Ecclesiarum tractatum est, admitti.

,, Omnes Pensiones & pactiones super Beneficiis, in quibus non intervenit Sedis Apostolicæ approbatio, illicitas & simoniacas declaramus.

Concilium Remense an. 1583. celebratum, Tit. de Simoniacis, N. 7. quascumque Beneficiorum collationes cum onere Pensionis a Sede Apostolica non approbatæ, ut Simoniacas damnat. *Si quis*, inquit, *Beneficium propter obsequium; vel impensæ servitutis mercedem conferat, vel de retinenda Pensione sibi vel alteri paciscatur, aut partem fructuum, vel aliud Beneficium in compensationem collationis etiam alteri conferendum exigat, vel aliam quamlibet pactionem a Sede Romana non approbatam fecerit, Simoniacus esse censeatur.* Idem in Conciliis Burdigalensi, Turonensi, & Bituricensi decretum est.

Pensiones Beneficiales.

XI. Ne Pensiones super Beneficiis constituerentur, & ut jam constitutæ tollerentur *Carolus IX.* Rex Christianissimus per suos Oratores a Synodo Tridentina postulavit. Pensiones quidem illa non sustulit, quæ interdum legitimæ sunt, sed earum abusum moderata est. Cap. 13. Sessionis 24. *In posterum*, inquit, *omnes hæ Cathedrales Ecclesiæ, quarum reditus summam ducatorum mille, & Parochiales quæ summam ducatorum centum secundum verum annuum valorem non excedunt, nullis Pensionibus aut Reservationibus fructuum graventur.* Ad hoc Decretum *Pibracii* Christianissimi Regis ad Synodum Tridentinam Oratoris hæc legitur Observatio: ,, Hic non obscure significatur Pensiones constitui, & Reservationes fructuum fieri posse, tum in Cathedralibus, tum in Parochiis, si modo summam centum aureorum annuus eorum reditus excedat. Quod tum maxime adversatur iis quæ in Mandatis a Rege nostro accepimus. Nulla enim ratione nulloque casu fructus, aut eorum partem reservari vult Rex; neque conditionaliter aut dimidiate, sed simpliciter tantummodo ejurari Beneficia, ut integri fructus ad eum qui Beneficio incumbit perveniant. Et sane si aliter fiat; frustra aliquid statuetur posthac adversus eos qui plura possident Beneficia. Facile enim cedent Beneficiis, si eorum fructus liceat retinere ,,.

Pensionum abusus.

Beneficia Curata vel Præbendas cum onere pensionum resignari Gallicana Jurisprudentia non patitur, nisi Resignans in Beneficio annis 20. aut 25. laboraverit, aut gravi infirmitate impotens ad munus obeundum factus fuerit. Pensiones super hujusmodi Beneficiis alias creatas, vel quæ tertiam partem fructuum excedant, qua etiam delibata non supersint, Titulari proventus ad honestam sustentationem necessarii trecentarum ad minus libellarum, plurimæ Regii Consistorii sententiæ annis 1666. die 23. Julii, 1667. die 28. Decembris, 1669. die 24. Julii, Magni Consilii Senatus Consultum anno 1670. die 6. Februarii datum, & Agentibus Cleri Gallicani significatum, extinxerunt. Edicto Regio anni 1661. Pensiones hujusmodi, sive super Ecclesiis Parochialibus, sive super præbendis Cathedralium aut Collegiatarum Ecclesiarum, approbatæ sunt dumtaxat in eorum Resignantium gratiam, qui in Beneficio annis quindecim Sacrum Ministerium obiverint, aut ægritudine seu infirmitate Ordinario cognita & probata ad illud obeundum impotentes evaserint. Qua etiam in specie Pensiones illæ tertiam partem annui reditus excedere non possunt, manereque debet Titulari trecentarum saltem libellarum annuus reditus, præter fortuitas obventiones Parochorum, & quotidianas distributiones Canonicorum. Pensiones item illas extingui volunt Supremarum Curiarum Integerrimi Judices, si Resignantes aliud Beneficium vel Pensionem honestæ ipsorum sustentationi sufficientem habeant. Denique in quorumcumque Beneficiorum, etiam simplicium Resignationibus, retineri Pensio juste salvaque conscientia ab iis non potest, qui aliunde habent unde honeste vivere valeant: Siquidem in Procurationibus *Ad resignandum*, & in Literis Provisionis in Romana Curia concessis hujusmodi Pensionum reservatio postulatur & conceditur *subventionis causa, & ut Resignans nimium patiatur dispendium ex sua Resignatione.* Unde Concilium Delectorum Cardinalium olim *Paulo III.* suggessit: ,, *Nulla alia de causa nulloque alio jure Pensiones constitui posse, nisi ut quasdam eleemosynas, quæ in pios usus, & indigentibus concedi debent .... Itemque Pensiones dari Clericis divitibus, qui commode & honeste vivere queant ex reditibus quos habeat, magnum esse abusum.*

Pensiones Beneficiales. Pensionum abusus. — *Pensionum Beneficialium conditiones.*

Pensiones Ecclesiastica sola subventionis & eleemosynæ causa assignande.

Residentia obligatio.

XII. Beneficia quibus animarum cura aut Ecclesiasticum ministerium annexum est, possidentes, ad personalem Residentiam obligatos Concilia 16. Sæculi declararunt, alioqui fructus suos facere non posse. Tridentina Synodus Sessione sexta Cap. 2. ea de re ita decernit. ,, Episcopis inferiores quævis Beneficia Ecclesiastica personalem Residentiam de jure sive consuetudine exigentia, in titulum sive commendam obtinentes, ab eorum Ordinariis, quemadmodum eis pro bono Ecclesiarum regimine, & divini cultus augmento, locorum & personarum qualitate pensata, expediens videbitur, opportunis juris remediis residere cogantur; nullique Privilegia seu Indulta perpetua de non residendo, aut de fructibus in absentia percipiendis suffragentur: Indulgentiis vero & dispensationibus temporalibus, ex veris & rationabilibus causis tantum concessis, & coram Ordinario legitime probandis, in suo robore permansuris, &c. ,, Et Cap. 1. Sessionis 23. ubi de Residentia Episcoporum statuit, hæc subdit de inferiorum, Beneficia quibus animarum cura incumbit possidentium, mansione: ,, Eadem omnino etiam quoad culpam & amissionem fructuum, & pœnas de Curatis inferioribus, & aliis quibuscumque, qui Beneficium aliquod Ecclesiasticum curam animarum habens, obtinent, Sacrosancta Synodus declarat & decernit: ita tamen ut quandocumque eos causa prius per Episcopum cognita & probata abesse contigerit, Vicarium idoneum ab ipso Ordinario approbandum cum debita mercedis assignatione relinquant. Discedendi autem licentiam in scriptis gratisque concedendam, ultra bimestre tempus, nisi ex gravi causa non obtineant. Quod si per edictum citati, etiam non personaliter, contumaces fuerint, liberum esse vult Ordinariis, per censuras Ecclesiasticas, & sequestrationem & subtractionem fructuum, aliaque Juris remedia, etiam usque ad privationem compellere ,,.

Non Residentium Curatorum & Canonicorum pœna.

Sessione denique 24. in Decreto de Reformatione Cap. 12. de Canonicorum Residentia item statuitur. ,, Obtinentibus, *inquit*, in Cathedralibus aut Collegiatis Dignitates, Canonicatus, Præbendas, aut portiones, non liceat, vigore cujuslibet Statuti aut Consuetudinis ultra tres menses ab eisdem Ecclesiis quolibet anno abesse: salvis nihilominus earum Ecclesiarum Constitutionibus, quæ longius servitii tempus requirunt: alioqui primo anno privetur unusquisque dimidia parte fructuum, quos ratione etiam Præbendæ ac Residentiæ fecit suos. Quod si iterum eadem fuerit usus negligentia, privetur omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus fuerit. Crescente vero contumacia, contra eos juxta Sacrorum Canonum Constitutiones procedatur. ,, De tribus mensibus continuis legem illam perperam quis interpretaretur. Nam (ut ait Synodus Provincialis Burdigalensis anno 1624. celebrata Cap. 9. Can. 7.) ,, Illa fraus longe amovenda, qua, quod cuilibet Canonico per tres menses abesse concedatur, quidam tuti, nullam fere Residentiam Ecclesiis exhibere dignoscuntur. Decernimus igitur tres illos absentiæ menses ita numerandos esse, ut in iisdem omnes dies sive continui, sive non continui & interpolati concludantur: Unde qui a Residentia ultra tres menses eo modo reductos abfuerit, pœnis enim a Sacris Canonibus contra absentes latis feriri, & Capitulum in hoc contra Sacros Canones dispensare non posse censemus ,,. Concilium Rothomagense anno 1581. celebratum, Tit. *De Curatorum Officiis*, Cap. 4. malas eorum artes detestatur, qui *Ne resideant, prætenunt litigia, aut suscitant ipsimet Devoluta ne videantur sua Beneficia pacifice possidere. Verum*, inquit, *quisquis Beneficio vel ejus fructibus gaudet, aut resideat, aut fructus non recipiat, quos suos sine Residentia facere non potest, & aliis decretis pœnis subjacent. Alii causantur Nobilium aut Parœcianorum vexationem & oppressionem. Sed si nihil ipsis de fructibus, aut saltem major portio non deperit, Residentiæ sunt obnoxii, aut ad fructuum restitutionem sunt obligati.*

Residentiæ lege ad certum tempus exemptos vo-

luit

luit Concilium Tridentinum Theologiæ professores, & Studentes in celeberrimis Academiis, juxta *Honorii III.* Decretalem *Super Specula*, *de Magistris*, *&* *Bonifacii VIII.* Constitutionem, *Cum ex eo*, *de Electione* in Sexto superioribus sæculis receptas: *Docentes vero ipsam Scripturam Sacram*, inquit, *dum publice in Scholis docuerint, & Scholares qui in ipsis Scholis studént Privilegiis omnibus de perceptione fructuum Præbendarum & Beneficiorum suorum in absentia, a Jure communi concessis plene gaudeant & fruantur*. (Sessione 5. Cap. 1.) In dispensationibus de Residentia ratione studiorum concessis, sive in licentia ab Episcopis ea de re data, has conditiones exprimi statuit Concilium Mediolanense I. anno 1565. a *S. Carolo Borromæo* celebratum Cap. 27. „ 1. Ut vere in publico celebrique Gymnasio Theologiæ vel Sacris Canonibus „ studeant. 2. Ut minores sint triginta annis, aut „ fuerint, cum in publico Gymnasio iisdem studiis „ operam dare cœperunt quæ nunc cupiunt absolve„ re. 3. Ut illud Beneficium antequam Sacrum Tri„ dentinum Concilium a Pio IV. confirmaretur, obti„ nuerint. 4. Ut intra annum ad Ordinem saltem Sub„ diaconatus promoveantur. 5. Ut singulis sex mensi„ bus Episcopo scriptum sui Doctoris exhibeant, quo „ is ipsos in eo studii genere proficere testetur: quod „ etiam Episcopus secreto ab aliis cognoscere studeat. „ 6. Quod si omnes supra scriptæ conditiones in li„ centia expressæ non fuerint; aut is, qui impetrat „ qualitates omnes quæ in scripta licentia requirun„ tur, non habeat; aut quæ ipsi servanda proponun„ tur, deinceps non præstiterit, facultates irritæ ac „ nullæ sint; & qui impetravit, sciat se fructus suos „ non fecisse, neque facere; ac pœnis quæ non resi„ dentibus propositæ sunt, teneri. 7. Concedatur au„ tem ad quinquennium tantum ab eo die numeran„ dum, quo eum in publico Gymnasio Theologiæ aut „ Sacris Canonibus constet operam dare cœpisse „. Has conditiones Decreto suo complectitur Concilium Turonense anno 1583. celebratum, Cap. 13. „ Quod „ si qui in celebri Universitate Theologiæ, aut Sa„ crorum Canonum professioni studium strenuamque „ operam navare desiderant: Hi licentia Privilegioque „ percipiendi in absentia fructus Præbendarum ita de„ mum potiantur, si minores triginta annis existentes „ docibiles fuerint judicari, & postquam præsentes re„ cepti & promoti fuerint, saltem ad Subdiaconatum, „ nec cuiquam tale Indultum ultra quinquennium „ suffragetur. Quamdiu autem in Universitatibus stu„ diorum causa manebunt, tamdiu suorum Præcepto„ rum testimonium literis authenticis confirmatum „ quotannis exhibere tenebuntur, se serio graviterque „ prædictarum facultatum studiis incumbere, &c. Concilium Aquense anno 1585. celebratum, Decretum Concilii Mediolanensis I. ad verbum describendo suum fecit, addiditque: *Similes autem facultates, etiam prædictis requisitis concurrentibus, iis qui Parochiales Ecclesias obtinent minime concedantur.*

Dispensationes de Residentia ad tempus, quæ legitima censeantur.

Concilium Mechliniense an. 1570. celebratum, Tit. *de Officio & Cultu divino*, Cap. 3. statuit: „ Ut si „ qui in negotiis Ecclesiæ aut Episcopi occupatus, „ vel ob infirmitatem aut corporalem necessitatem sta„ tis horis interesse nequiverit, pro interessente Divi„ nis habeatur, atque ut talis distributionibus gau„ deat. Sub quibus quidem exceptis casibus etiam eos „ comprehendi censet Synodus qui pro conservanda aut „ recuperanda valetudine aerem ad tempus mutare, „ aut alias publica aut legitima causa juxta Capit. „ *Consuetudinem* abesse coguntur.

„ Intelligit autem Synodus Provincialis in Ecclesiæ „ negotiis occupari non solum eos qui Capituli vel „ Fabricæ negotia tractant, sed & Episcopum; Ar„ chidiaconum, Pœnitentiarium, atque illos omnes, „ qui propria Dignitatum vel Præbendarum suarum „ munia obeunt, aut Episcopis Ordines conferenti„ bus, visitantibus, ac in aliis Episcopatus negotiis „ occupatis adsunt, vel aliquo ab eis missi, consilium „ & operam suam impendunt; quos pro eo tempore, „ fraude & dolo seclusis decernit pro præsentibus re„ putari, & omnibus emolumentis gaudere debere, „ sicuti si personaliter Divinis interessent.

Concilium Rothomagense anno 1581. celebratum, Tit. *de Episcopis & Capitulis*, Cap. 24. unum aut alterum Canonicos, qui Episcopo in Ecclesiæ negotiis adfuerint a lege Residentiæ ad tempus immunes declarat. *Inter justas*, inquit, *absentiæ causas habemus, si unum aut duos de Dignitatibus vel Canonicis Episcopus mittat aut secum pro consilio deducat, ad visitandum Diœcesim, vel ad Concilium Provinciale, aut ad aliud pro Religione vel Diœcesi urgens negotium: Non tamen diutius excusabuntur, quam duraverit negotii necessitas.*

Clericos qui Regibus & Reginis Christianissimis sunt a Sacris & Eleemosynis, Regiæ Capellæ Cantores quamdiu in Ministerio actu versantur, *Pii II.* & aliorum Pontificum Diplomatibus a Residentia in Ecclesiis, in quibus Præbendas obtinent dispensatos, & Beneficiorum suorum fructus, non vero quotidianas Distributiones percipere posse, Pragmatici nostri observant: Eosque extra Ministerii sui tempus *Henricum III.* Regem Christianissimum, supplicante Cœtu generali Cleri Gallicani, ad Residentiam obligatos declarasse sub pœna privationis fructuum, Edicto Melodunensi anni 1580.

ARTICULUS IV.

De Religiosis Viris, & Sanctimonialibus.

I. PLures Ordines Religiosos Ecclesia peperit vel reformavit Sæculis 15. & 16. In his prima occurrit Congregatio Canonicorum Regularium *S. Salvatoris Sylvæ-Lacus* prope Senas instituta *a Stephano Senensi*, Ordinis *Eremitarum S. Augustini* Professore, qui mutato habitu, auctoritate Pontificia, Canonicus Regularis effectus est. Nomen sumpsit hæc Congregatio ab Ecclesia *S. Salvatoris* dicata in Silva Illicum, ad lacum Civitati Senensi vicinum, quæ postea *Scopetinorum* a vulgo appellata est, ab unione Ecclesiæ *S. Donati de Scopeto*, Florentiæ sitæ, quam *Martinus V.* ipsi adjunxit. Congregationem illam confirmavit *Gregorius XII.* Nonis Aprilis, anno millesimo quadringentesimo-octavo, cujus ea de re Constitutio edita est in Bullario Romano *S. Augustini* Regula Canonicis tradita; sub albo Scapulari Rochetum, & desuper Cappa grisei coloris lanæ mordenis, ad instar Capparum quas gestant Conversi Carthusienses pro habitu ipsis designata. Gratiis ac privilegiis amplissimis Congregationem auxit *Julius II.* Constitutione data quarto Nonas Aprilis anno millesimo quingentesimo duodecimo, quæ incipit, *Inter cæteros*, quam Tom. 1. Bullarii Romani legere est. De ista congregatione consule *Pennotum* Lib. 2. Historiæ Tripartitæ, Cap. 51. & sequentibus.

Congregatio S. Salvatoris Silvæ-Incus.

II. Eadem tempestate *Ludovicus Barbus*, Patricius Venetus, Congregationis Canonicorum *S. Gregorii in Alga* Moderator, a *Gregorio XII.* Abbas Monasterii *S. Justinæ* Paraviensis constitutus, Regularem Disciplinam in eo collapsam feliciter restituit. Ea Reformatione Ordo *S. Benedicti* in Italia refloruit, unde celebris Congregatio *S. Justinæ*, alias *Casinensis* a Monte Cassino appellata, exorta est. De qua legi potest Historia Cœnobii *S. Justinæ & Maurolicus* in Mari Oceano omnium Religionum, lib. 5. *Aubertus Miræus* in *Originibus Benedictinis*, &c.

Congregatio S. Justinæ, seu Casinensis Ordinis Benedictini.

III. Ordo Eremitarum *S. Hieronymi de Fesulis*, ab *Antonio* Comite *Montisgranelli*, Sarcenatensis Diœcesis Presbytero institutus, sub *Innocentii VII.* Pontificatu, ad Regularem professionem secundum Constitutiones *S. Hieronymi* nomine insignitas ab eodem Pontifice admissus est & approbatus, & a *Gregorio XII.* confirmatus 7. Idus Julii, anno millesimo quadringentesimo decimo quinto. *S. Augustini* Regulam deinde amplexi sunt, approbante *Eugenio IV.* qui & Generalis Præpositi eligendi facultatem ipsis concessit, & multis gratiis Congregationem donavit, Constitutione data 7. Kalendis Augusti anno 1441.

Eremitæ S. Hieronymi de Fesulis.

IV. *Joannes Rhodius* vir eximiæ pietatis, cum ex Ordine Carthusiano ad Benedictinum Apostolica auctoritate translatus esset, Abbas Monasterii *S. Mathiæ* prope Treverim electus, salutarem in eo Reformationem stabilivit, quæ a *Joanne* Abbate Bursfeldensi suscepta, in alia subinde Monasteria derivata est quæ in unum corpus adunata, *Bursfeldensem Congregationem* composuere. Hujus Reformationis initia ad annum 1429. referuntur. De his legendi *Trithemius* in Chronico Spandeimensi & Miræus in Originibus Monasticis lib. 2. cap. 25. & 26.

Congregatio Bursfeldensis, Ordinis Benedictini.

V. *Minimorum Ordo*, humilitate quam ipso nomine profitetur magnus, a *Francisco Paulano* viro sanctissimo in Cœnobiolo prope Paulam ab ipso condito fundatus est, anno 1467. Nascentem Ordinem excepit, approbavit, fovitque *Pyrrhus* Consentinus Archiepiscopus, *Sixtus Quartus* Pontifex Maximus confirmavit sub nomine Congregationis Eremitarum *S. Francisci*, plurimisque gratiis ornavit, Constitutione

Ordo Minimorum.

tione quæ incipit, *Sedes Apostolica*, data die 23. Maij, anno 1474. Regulam a *Francisco* dictatam & pluries ab eodem innovatam, approbarunt *Alexander* VI. annis 1501. & 1502. & *Julius* II. anno 1506. quinto Kalendas Augusti: Ordinemque *Minimorum Fratrum Eremitarum Patris Francisci de Paula* deinceps appellari jusserunt. Sororibus atiam & Tertiariis utriusque sexus præscriptam ab eodem Sancto Viro Regulam *Julius* II. confirmavit. Austera vitæ quadragesimalis observantia alumnos obstrinxit *B. Franciscus de Paula*, cujus relaxandæ veniam iis solum indulgeri voluit, qui graviter ægrotarent; idque ex Medicorum judicio. Obiit Vir Sanctissimus & sui sæculi Taumaturgus, Summis Pontificibus, Regibus, Principibusque venerabilis, Ordine in Italia, Gallia, Hispania, Germania feliciter propagato, die 2. Aprilis anno 1507. A *Leone* X. Pontifice Maximo solemni ritu in Sanctorum numerum relatus est prima die Maji anni millesimi quingentesimi decimi-noni. A *Ludovico* XI. in Gallias vocatus fuerat ob famam sanctitatis & miraculorum, vitam ut proliniorem ejus precibus a Deo impetraret. Ipsi ac Fratribus Cœnobium extruxerat ad *Plessiacum Parci* prope Turonum. *Philippus Comineus* in Historia *Ludovici undecimi* Lib. 6. ipsum adhuc viventam velut sanctitatis & prudantiæ miraculum commandat. „Ait, ipsum *Virum Sanctum* vulgo appellatum a „Rege Christianissimo accersitum, venire noluisse „absqua Summi Pontificis & Regis sui facultate. „Numquam se vidisse hominem viventem, qui ma„gis sancte viveret, & in quo magis appareret „quod Spiritus Sanctus loqueretur per os ejus. Licet „Clericus aut literatus non esset, satis ei fuisse Ita„licam linguam suam ut sa admirabilam redderet. „Illum Neapolim transeuntem, honoratum & visita„tum a Rege & filiis ejus fuisse ceu magnum ali„quem legatum Apostulicum, cum ipsisque locutum „velut hominem in Aula educatum. Inde Romam „transeuntem, ab omnibus Cardinalibus visitatum, & „triplici vice Audientiam habuisse apud Summum „Pontificem, solum cum solo egisse, & prope ipsum „assidere jussum trium quatuorve horarum spatio, quo„ties ad ipsum accessit. *Ludovicum* XI. in genua ante „eum procubuisse, orasseque ut vitam sibi prorogaret. „Illum autem respondisse quod vir sapiens respondere „debebat. Addit *Comineus*, sæpe eum se audivisse „coram Rege differentem, adstantibus Magnatibus & „Primoribus Regni, & visum fuisse divinitus inspira„tum circa ea quæ dicebat, commonabatque. Delphinum *Caroli* VIII. Regis & *Annæ* Reginæ filium e Sacro Fonte suscipere a Rege jussus, in Sacello Parci Plessiacensis, ipsius Regis manu suffultus, inter ceremonias nomen *Caroli Rolandi* puero imposuit die 13. Octobris anni 1492. ut legitur in Monumentis Camaræ Rationum, in quibus tota Baptismi pompa describitur. Cum *Claudia* Regina *Francisci* I. conjux, voti Deo sub ejus invocatione nuncupati religione obstricta, filium ejus intercessiona a Deodatum, *Franciscum* in ejus memoriam & honoram, prout voverat, appellari jussisset, idem Rex ac Regina *Leoni* X. supplicarunt, ut Beatum Virum in Sanctorum album referret. Incredibilis fuit Regum Christianissimorum da illius Canonizationa lætitia. Numquam exinde aliter quam *Patrem nostrum S. Franciscum* auditi sunt nominare; quod cum faciebant, discooperto Rex capita, Regina humiliter inclinata, palam faciebant qua in veneratione nomen ejus memoriamque haberent. Jussit etiam Rex monetam cudi, quæ ex una parte effigiem suam, ex altera Sanctum repræsentaret, cum hac inscriptione, REGIÆ STIRPIS PROPAGATORI. Hæc ex antiquis Monumentis referunt doctissimi PP. *Henschenius* & *Papebrochius* in Supplemento Historico Actorum *S. Francisci de Paula*, ad diem 2. Aprilis. Da Sacro FF. *Minimorum* Ordine plura disces ex *Lanovii* Chronico, & ex Historia Generali Ordinis Gallice edita a *Ludovico Doni De Attichi*, postea Reiensi, ac demum Augustodunensi Episcopo.

S. Francisci de Paula elogium.

Congregatio Eremitarum Discalceatorum S. Augustini.

VI. Eremitarum Discalceatorum Ordinis S. Augustini Congregationi initium dedit *Baptista Poggius*, pietate ac doctrina apud Carolum VII. Regem Christianissimum, & Galeatium Mariam Sforciam Ducem Mediolanensem spectatissimus. Primum Genuæ Conventum instituit (ut refert Augustinus Justinianus Nepesinus Episcopus lib. 5. Historiæ.) Nascentem Congragationem fovit & confirmavit Sixtus IV. Pontifex Maximus teste Odorico Raynaldo ad annum 1474. Congregationem in Lusitania propagarunt PP. *Thomas a Jesu*, & *Ludovicus de Leon* ejus Socius qui P. Thoma defuncto, Statuta pro Discalceatis condere jussus Castiliæ in Comitiis Ordinis, Discalceatorum domum ibi erexit, austeriorem ipse Reformationem amplexus. Quatuor post annis, *P. Andreas Diez* ex Hispania in Italiam profectus Cœnobium alterum Romę fundavit. Discalceatos Augustiniani Ordinis Eremitas in Galliam traduxit *D. Guillelmus d' Avencon* Ebredunensis Archiapiscopus, cum a Clemante VIII. Pontifice Maximo facultatem obtinuisset illos collocandi in Conventu pene dilapso Villaris Benedicti in Delphinatu, & Gratianopolitana Diœcesi, cujus Prior Commendatarius erat. Novo Cœnobio præfectus fuit *P. Matthæi*, qui austerioris vitę studio ad Discalceatos transierat. Id constat ex Brevi Apostolico *Clementis* VIII. anno 1595. dato.

Ordo Conceptionis Deipara Virginis.

VII. Ordinem Monialium, in honorem *Conceptionis Beatissimæ Virginis Mariæ*, Toleti in Hispania instituit Nobilis Virgo Lusitana, *Beatrix a Silva*, quem rogante *Isabella* Hispaniæ Regina *Innocentius VIII.* approbavit, anno 1489. concessitque ut sub Regula Cistarciansis Ordinis, & Diœcesani Præsulis obedientia Deo servirent, titulo tamen *Conceptionis*, & veste primom accepta, videlicat Tunica & Scapulari albis, ac Chlamide cærulea servatis. *Beatrice* vero anno sequenti defuncta, Sodales ejus anno 1494. *Sanctæ Claræ* Regulam sub eodem semper *Conceptionis* nomine & veste amplexæ sunt. Quas demum *Julias* II. anno 1511. Franciscanorum curæ commendavit. De his *Miræus* Lib. 5. *Monasticaram Originum* Cap. 13.

Ordo Annuntiatarum.

VIII. Ordo *Annuntiatarum B. Mariæ*, Avarici Biturigum institutus est a *B. Joanna Valesia*, Francorum Regina, *Ludovici XI.* Regis Christianissimi filia, *Ludovici* XII. conjuga repudiata, anno Christi millesimo quingentesimo-primo. Ordinem Regulamque, ax verbis Evangelicis a *Gilberto Nicolas*, alias *Gabrielo Maria*, Ordinis Minorum pientissimo Professore, Confessario suo concinnatum, & decem primarias Sanctissimæ Virginis *Mariæ* virtutes continentem, & ad earum exemplar sacras Virgines instituentem ac dirigentem, *Alexander VI.* Pontifex Maximus edita Constitutione confirmavit: quam deinde *Julias* II. anno 1506. & *Leo X.* anno 1417. approbarunt, Ordinemque Privilegiis auxerunt, quod & *Paulas V.* & *Gregorius XV.* cumulatius præstitere. Utuntur *Annuntiatæ* Sanctimoniales veste leucophæa seu grisea, ut vulgus loquitur, in testimonium vitæ pœnitentis; chlamyde candida, in memoriam Virgineæ puritatis Deiparæ *Mariæ*, quam imitari gestiunt; Scapulari rubro in formam Crucis ante pectus aptato, memoriæ Passionis Domini assidue in mentem revocandæ. Alter ab isto est *Annuntiatarum* Ordo Genuæ sub *Clementis* VIII. Pontificatu, anno circiter 1600. aut 1604. a *Maria Victoria Fernera* Matrona Genuensi institutus, cujus Moniales vestam albam & Scapulare cum Pallio ætherei coloris induunt, unde etiam *Cœlestes* appellantur. Obiit *B. Joanna* Avarici Biturigum pridia Nonas Februatii, anno 1505. fere quadragenaria. Cujus sanctitas variis post obitum comprobata miraculis ast, de quibus quæstio habita est ab *Andrea Fremiote* Archiepiscopo Bituricensi, missaque Acta Romam, *Paulo V.* Pontifici Maximo ad pientissimæ Principis Beatificationem obtinendam offerenda; quæ postea *Urbano* VIII. ab Oratoribus *Ludovici* XIII. Regis Christianissimi, & Serenissimæ Hispaniarum Infantis *Isabellæ Claræ Eugeniæ* Belgarum Principis exhibita sunt, cum Vitæ Epitome eidem Pontifici inscripta, quam PP. *Bollandus* & *Henschenius* ad diem 4. Februarii inter Acta Sanctorum ediderunt. *B. Joannæ* memoriam Franciscano Martyrologio inscripsit *Arturus Monsterias*, Gallicano *Andreas Saussayus*, ad eumdem diem. De Annuntiatarum Ordine Librum edidit *Miræus*.

Ordo Teatinorum.

IX. Ordo Clericorum Regularium *Teatinorum* a *Joanne Petro Caraffa* Teatino Episcopo, viro pietata, industria, & doctrina insigni, qui postaa fuit Summus Pontifex *Paulus* IV. & *Cajetano Tienæ* Nobili Vicentino, sanctimonia conspicuo, & ab *Urbano* VIII. in Beatorum album adscripto, conditus est anno 1524. Spiritu Sancto hujusmodi viros ad Cleri in Urbe, in Italia, aliisque regionibus maxime depravati reformationem suscitante. Eorum Institutum est, præter tria Vota cæteris Regularibus communia, non solum nihil omnino possidere, verum etiam nec mendicando aut postulando vitam sustentare, sed spontaneis dumtaxat oblationibus & eleemosynis ali, ac in providentiæ Divinæ sinu, abjecta

jecta prorsus rerum terrenarum solicitudine, feliciter quiescere, solumque Regnum Dei, & justitiam ejus quærere. Ordinem approbavit *Clemens VII.* Pontifex Maximus Constitutione data die 24. Junii 1524. plurimisque gratiis auxit. Vota solemnia emiserunt *Joannes Petrus Caraffa*, & Socii, Romæ in Basilica *S. Petri*, die 14. Septembris *Exaltationis S. Crucis* consecrata. *Teatini* appellati sunt a præcipuo ipsorum Auctore Episcopo Teatino. Plura disces ab *Antonio Caracciolo*, in Vita *Joannis Petri Caraffæ*, postea *Pauli IV.* & sociorum, a *Joanne Baptista Tuffo* Acerrarum Episcopo, in Annalibus Ordinis, a *Silvestro Maurolico* Abbate *S. Mariæ Roccamatoris*, Ordinis Cisterciensis in Mari Oceano omnium Religionum, & aliis Scriptoribus.

Ordo Capuccinorum.

X. Ordo *Capuccinorum* auctorem habuit Fratrem *Matthæum de Bassio*, ex Umbria oriundum, Ordinis Minorum Observantium Sacerdotem, rusticis quidem parentibus ortum, sed pœnitentiæ severioris & angustioris paupertatis studio vehementer inflammatum, Ipsi comites adjuncti *Ludovicus & Raphael Forosempronienses*, olim ex Minorum Observantium, tunc ex Conventualium Sodalitio; Congregationem FF. Minorum Eremitarum instituerunt, caputio quadrato & prolixiori barba, vitaque austeriori a reliquo Franciscanorum grege distinctam, non tamen ab obedientia Provincialium Conventualium statim absolutam. Hanc approbavit *Clemens VII.* Pontifex Maximus, Constitutione data quinto Nonas Julii anno 1528. quæ incipit: *Religionis zelus*. Eamdem Congregationem confirmavit *Paulus Tertius* sub nomine *Fratrum Minorum Capuccinorum*; & sub regimine proprii Vicarii Generalis ab ipsis electi, & a Magistro Generali FF. Conventualium instituendi, Constitutione data 8. Kalendas Septembris an. 1535. Ordinem Privilegiis ornarunt *Pius V. Paulus V. Gregorius XIV. Urbanus VIII. Gregorius XV.* ut constat ex eorum Diplomatibus in Bullario Romano editis. Conventualium jugum, favente Sede Apostolica excusserunt, Ministri Generalis eligendi obtenta facultate. De hoc Ordine legi possunt *Marcus Olyssipponensis* in Historia Seraphica, *Zacharias Boverius* Saluciensis in Annalibus Capuccinorum, *Silvester Maurolicus* in Mari Oceano omnium Religionum &c.

Clerici Regulares Somaschi.

XI. Congregatio *Somascha* Clericorum Regularium condita est ab *Hieronymo Æmiliano*, Nobili Veneto & Senatore, ad gerendam Orphanorum curam, ut in certis locis collecti educarentur, & in pietate, literis, vel artium mechanicarum tyrocinio instituerentur. Hanc Congregationem confirmavit *Paulus III.* anno 1540. Privilegiis ornavit *Paulus IV.* facultatem emittendi tria vota solemni ritu, & Collegia fundandi concessit *Pius V.* utque *Clerici Regulares S. Majoli de Papia* nuncuparentur, quoniam illud primum fuit Congregationis Collegium. Vulgo tamen *Somaschi* appellantur a loco Mediolanum inter & Bergomum, ubi primum molti Nobiles Laici, & nonnulli Sacerdotes *Hieronymo Æmiliano* adhæserunt, ubi etiam ipse obiit miraculis clarus, anno 1527. Ejus Vitam scripsere *Augustinus Turturu* ejusdem Instituti Clericus, & *Andreas Stalla* Congregationis Supremus Moderator.

Congregatio Recollectorum.

XII. Congregatio *Fratrum Minorum S. Francisci, Strictioris observantiæ*, quos postea *Recollectos* vocarunt, a quibusdam ejusdem Ordinis Professoribus instituta est, affectantibus Regulam *S. Francisci* pure & plene juxta literam & declarationes *Nicolai III.* & *Clementis V.* Romanorum Pontificum observare, postquam *Leo X.* Observantes omnes Franciscanæ familiæ in unum Religionis corpus ac nomen adunavit. Hanc vero Congregationem approbavit & confirmavit *Clemens VII.* Constitutione quæ incipit: *In Suprema* 16. Kalendas Decembris anno 1532.

Barnabitæ.

XIII. Congregatio Clericorum Regularium *S. Pauli Decollati*, anno 1526. instituta est Mediolani a Viris ejusdem civitatis Nobilibus, *Jacobo Antonio Morigia*, & *Bartholomæo Ferraria*, ac *Francisco Maria Zacharia* Cremonensi ferventissimis *Seraphini Firmani* Canonici Regularis Concionibus ad nuntium sæculari vitæ remittendum incitatis. Qui homines ad pœnitentiam adhortati, & publica *S. Pauli* Apostoli Epistolarum lectione bene vivendi normam edocere satagentes, plurimis aliis in consortium suum adlectis, Congregationem illam condiderunt, quæ *Sancti Pauli Decollati* vocata, vulgo *Barnabitarum*, ab Ecclesia *S. Barnabæ* ipsis primum concessa Mediolani; a *Clemente VII.* approbata est sub obedientia Mediolanensis Archipræsulis, Constitutione quæ incipit, *Vota*: data 18. Februarii anno 1528. Eumdem Ordinem confirmarunt, & multis Privilegiis ornarunt *Paulus III.* Diplomate dato 8. Kalendas Augusti 1535. quod incipit. *Dudum*: necnon *Julius IIII. Gregorius XIII. Sixtus V.* & *Paulus V.* quorum Constitutiones in Bullario Romano editæ.

Societas Jesu.

XIV. Pissima & florentissima *Societas Jesu*, ab *Ignatio de Loyola*, Nobili Cantabro, cum ex vulnere in obsidione Pampelonensi accepto decumberet, divino lumine illustrato, & ad nuntium mundo remittendum gratia Christi incitato, atque ad Majorem Dei Gloriam & proximorum salutem procurandam bene animato, instituta est, anno Christi millesimo quingentesimo trigesimo-quarto, qui vir jam sanctissimus sex Sociis Parisiis sibi adjunctis, die sacra Assumptionis *B. Mariæ* Virginis, in ejusdem Deiparæ Ecclesia, in Monte Martyrum, Societatis vota cum illis emisit. Hi vero fuere *Petrus Faber* Allobrox, ex oppido Villareto, Diœcesis Gebennensis; *Franciscus Xaverius*, Nobilis Navarrus, ex urbe Pampelonensi; *Jacobus Lainez*, ex Almazano Seguntinæ Diœcesis oppido; *Alfonsus Salmeron* Toletanus; *Nicolaus Bobadilla* Palentinus; & *Simon Rodericus* Lusitanus, Academicis Gradibus in Parisiensi Universitate insignes, & in Studiis Theologicis plures annos exercitati. Ad illos accessere *Claudius Jojus*, Gebennensis; *Joannes Codurius*, Allobrox; & *Paschasius Broetus*, ex Picardia oriundus; qui post biennium, anno scilicet 1536. eadem Assumptionis recurrente Solemnitate, renovationi votorum interfuere, quibus, abdicatis sæculi illecebris, ad perpetuam castimoniam sese obstrinxerunt, & ad salutem hominum promovendam, fidemque ac pietatem propagandam se devoverunt, specialem obedientiam Romano Pontifici eum in finem professi, cui parere tenerentur illico sine ulla tergiversatione & excusatione, sive mitteret ad Turcas, sive ad quoscumque alios Infideles, etiam in Indias, aut alias regiones remotissimas, sive ad quoscumque Hæreticos aut Schismaticos, aut etiam ad quosvis Fideles. Quarto hocce voto Societatis suæ Professores obstringi voluit *S. Ignatius*. Nam & paupertatem & obedientiam vovent, servantque strictissimam, non solum privatim, sed neque communiter bona aliqua stabilia, proventus, aut census possidentes, præter quam in Collegiis; & a Præpositi nutu omnino pendentes. Sanctissimam Societatem ad gloriam Dei, utilitatem Ecclesiæ, Fidei propagationem ac defensionem, Christianæ Juventutis institutionem, pietatis restaurationem conditam, *Paulus* III. Pontifex Maximus approbavit Diplomate, quod incipit, *Regimini*: 5. Kalendas Octobris 1540. Idem Institutum rursus approbavit *Julius* III. anno 1550. 12. Kalendas Augusti, Constitutione, quæ incipit, *Exposcit*: laudavit, confirmavitque Sacra Synodus Tridentina Sessione 25. Cap. 16. de Reformatione Regularium, ubi de Professionis Religiosæ tempore decernens, banc exceptionem in ejus favurem apponit: *Per hoc tamen Sancta Synodus non intendit aliquid innovare aut prohibere, quin Religio Clericorum Societatis Jesu, juxta pium eorum Institutum, a Sancta Sede Apostolica approbatum, Domino & ejus Ecclesiæ inservire possit*. Eamdem Societatem inter Ordinem Mendicantium numerandam, communibusque Mendicantium Sodalitiorum Privilegiis frui debere, *Pius V.* declaravit. Eam pariter cum pissimis ac prudentissimis ejus Constitutionibus confirmarunt *Gregorius* XIII. Diplomate quod incipit: *Ascendente Domino*; 8. Kalendas Junii 1584. & *Gregorius* XIV. Diplomate quod incipit: *Ecclesiæ Catholicæ*; 4. Kalendas Julii 1561. Qui *Societatis Jesu* charactarem ac spiritum nosse cupit, *Gregorium* III. audiat in Constitutione laudata, in qua ait: Ipsam
„ Prolam Catholicæ Religioni valde proficuam, & ad
„ omnia pericula pro universali Ecclesia subeunda pa-
„ ratam procreasse, & aliam atque aliam a prima non
„ degenerem, præstante gratia Dei quotidie substitue-
„ re . . . Cujus Societatis præcipuus finis Catholicæ
„ est Religionis defensio ac propagatio, animarumque
„ in Christiana vita & doctrina profectus. Gratiæ quo-
„ que ejus vocationis est proprium diversa orbis terra-
„ rum loca ex Romani Pontificis, seu Præpositi Ge-
„ neralis ejusdem Societatis directione peragrare, vi-
„ tamque in quavis mundi parte agere, ubi salvandorum
„ sua opera animarum copiosior proventus ad Dei
„ gloriam speretur. Ad quem finem Spiritus Sanctus
„ bonæ memoriæ Ignatii Loyolæ Societatis ipsius In-
„ stitutoris, ejusque Sociorum excitator, media quoque
„ prædicationum, ac cujuscumque Ministerii verbi
„ Dei Doctrinæque Christianæ, & Spiritualium E-
„ xercitiorum, aliorum item Charitatis operum &
„ Sacramentorum administrationis, ac præcipue Pœ-
„ nitentiæ & Eucharistiæ, horumque frequentioris
„ usus

Primi S. Ignatii Socii.

Societatis S. Jesu confirmatio.

Societatis Jesu character ac spiritus.

ut usus accomodavit. Cum Lutherana & Calviniana hæresibus grassantibus *Societatem Jesu* Spiritus Sanctus excitaverit, minime dubium est, (quod asseruit etiam *Paulus* III.) Dum sicut alios aliis temporibus Sanctos Viros, ita *Luthero*, aliisque ejusdem temporis Hæreticorum, *S. Ignatium*, & institutam ab eo Societatem, velut firmissimum quoddam Catholicæ Fidei ac Ecclesiæ propugnaculum objecisse. Ab hujus Societatis viris sanctissimis, quos vere *Novissimos Apostolos* diximus, Christiana Religio ad Indos Orientales, Japonios, Æthiopes, Congitanos, Sinas, aliasque gentes remotissimas illata & propagata est. Martyres plurimos Cœlo dedit, Confessores sanctissimos peperit, *Ignatium* Patriarcham, *Franciscum Xaverium*, Indorum & Japoniorum Apostolum, *Franciscum Borgia*, quorum memoria solemni ritu ab Ecclesia consecrata est, aliosque sacris Fastis dignos. Virorum in omni Disciplinæ genere doctissimorum e sinu suo ingentem numerum in hanc usque diem profudit, quorum præclara opera a *P. Allegambio* in ejusdem Societatis Scriptorum Bibliotheca recensentur. Statim ut in ea Societate coli Deus cœpit, invidiam sortita est: sed invidia superior, instar Arcæ tribulationum aquis in sublime evecta est, & ad eum gloriæ ac felicitatis apicem promota, quem ejus meritis ac laboribus pro Dei gloria, pro salute proximorum, pro hæresum impugnatione, fideique defensione, pro literarum ac pietatis propagatione, conservatione, promotione, ac reliquis Ecclesiæ Catholicæ, Apostolicæ, & Romanæ utilitatibus, Dominus rependit. De cujus initiis ac progressu legi possunt & *Orlandinus*, & *Sacchinus* in ejusdem Societatis Historia.

Societatis Jesu elogium.

XV. *Ordo Charitatis* (ut in Gallia nuncupamus) a *Joanne de Deo* natione Lusitano, viro pientissimo, ad officia charitatis erga pauperes, præsertim Infirmos institutus, a *Pio V.* Pontifice Maximo confirmatus est Kalendis Januarii 1572. Constitutione quæ incipit: *Licet ex debito*. Ordinem deinde in Italia, Germania, Gallia, & Polonia propagatum, & Ordinariorum regimini subditum, variisque Privilegiis auctum, a suis Decessoribus *Pio V. Gregorio XIII.* & *Sixto V.* unoque voto de juvandis Infirmis obstrictum, ad solemnem trium præterea votorum, obedientiæ, castitatis & paupertatis Professionem sub *S. Augustini* Regula, propriisque Statutis, *Paulus V.* approbavit & confirmavit, Constitutionibus; *Romanus Pontifex*, & *Ea*, 13. Februarii, & 15. Aprilis 1617. datis. *Joannes de Deo* Ordinis hujusce parens, vitæ sanctimonia & miraculis clarus, in Beatorum numerum ab *Urbano* VIII. relatus est die 21. Septembris 1630. Ejus Ordinis Italica Congregatio, *Fate ben Fratelli*, vulgo nominatur.

Ordo Joannis de Deo seu Charitatis.

XVI. Ordo Carmelitarum a Sancta *Theresia de Jesu* Nobili Virgine Abulensi ad antiquam primæ Regulæ observantiam compositus ac restitutus est, *Joanne de Tepes* nuncupato *De Cruce*, viro sanctissimo, & *Antonio Heredio*, dicto *De Jesu*, adjutoribus. Plurima Discalceatorum Fratrum, & Sacrarum ejusdem Instituti ac Reformationis Virginum condita intra breve tempus Monasteria, bonum Christi odorem ubique spirantia. Sacram illam Congregationem approbavit *Gregorius* XIII. Diplomate quod incipit; *Pia consideratione*, die 22. Junii 1580. Hanc vero a Mitigatorum Carmelitarum imperio penitus absolvit *Clemens* VIII. & proprium Præpositum Generalem habere concessit, suisque a Sede Apostolica approbatis Legibus regi. Constitutio ea de re data die 20. Decembris 1593. edita est Tomo 3. Bullarii Romani. Propagandæ Fidei, præsertim in Perside, uberrimo cum fructu pii *Theresiæ* filii adlaborarunt, quam *Gregorius* XV. in Sanctarum Virginum Catalogum retulit quarto Idos Martii; anno 1621. De hoc Ordine plura in Annalibus, & apud *Miræum* in Originibus Monasticis legi possunt.

Carmelitæ Discalceati.

XVII. *Congregatio Clericorum Regularium Ministrantium infirmis*, Romæ instituta a *Camillo de Lelis*, Theatinæ Diœcesis Presbytero, a *Sixto* V. approbata est die 18. Martii 1585. ejusque Regula a *Gregorio* XIV. confirmata die 21. Septembris 1591. a *Clemente* XIII. reformata, Kalendis Januarii 1600. Pontificias Constitutiones ea de re editas in Bullario Romano legere harumce rerum studiosus quisque potest.

Clerici Regulares Ministrantes infirmis.

XVIII. Congregatio Beatæ Mariæ Fuliensis a *Joanna Barreria*, vulgo *de la Barriere*, Cadurcensis, Monasterii Fuliensis, Ordinis Cistereiensis, in Diœcesi Rivensi Abbate, Monachis ad severiorem Disciplinam, primævumque *SS. Benedicti & Bernardi* Institutum reductis condita est, & a *Sixto V.* approbata & confirmata Diplomatibus datis die 5. Maii 1586. & 13. Novembris 1587. a *Clemente* VIII. & *Paulo* V. variis aucta Privilegiis.

Fulienses.

XIX. *Congregatio Clericorum Regularium Minorum* a *Joanne Augustino Adorno* Genuensi Presbytero instituta, a *Sixto V.* pariter confirmata est constitutione quæ incipit, *Sacræ Religionis*; data die 1. Julii 1588.

Clerici Regulares Minores.

XX. Quemquam ad Professionem Religiosam ante decimum sextum ætatis annum integrum Novitiatus consummatum, admitti vetuit Tridentina Synodus; Professionem antea factam, irritam declaravit. Quod quidem Decretum Religiosorum quorumdam Ordinum Statutis non derogat, quæ Novitios tardius ad Professionem admittunt, ut FF. Capuccinorum, apud quos Clerici ad Professionem non recipiunt ante annum decimum nonum, & Laici ante vigesimum; & Minorum Conventualium *S. Francisci*, apud quos Novitii Clerici prohibentur ad Professionem admitti ante annum vigesimum, & Laici ante vigesimum quintum. Hoc etiam non obstante Decreto *Pius* V. in Constitutione de Reformatione Servitarum anno 1570. data Novitios ante annum decimum octavum ætatis completum recipi, & ante decimum nonum pariter completum ad professionem admitti prohibuit. Libertati professionis Virginum Deo dicandarum prospiciens Tridentina Synodus decrevit, ut *Si puella, quæ habitum regularem suscipere voluerit, major duodecim annis sit, non ante suscipiat, nec postea ipsa, vel alia Professionem emittat, quam exploraverit Episcopus vel eo absente aut impedito, ejus Vicarius, aut aliquis eorum sumptibus ab eis deputatus, Virginis voluntatem diligenter, an coacta, an seducta sit, an sciat quid agat, & si voluntas ejus pia, ac libera cognita fuerit, habueritque conditiones requisitas juxta Monasterii illius & Ordinis Regulam, nec-non Monasterium fuerit idoneum, libere ei profiteri liceat: cujus Professionis tempus ne Episcopus ignoret, teneatur Præfecta Monasterii eum ante mensem certiorem facere: quod si Præfecta certiorem Episcopum non fecerit, quamdiu Episcopo videbitur ab Officio suspensa sit.*

Religiosæ Professionis tempus.

XXI. Regularium Immunitates eodem pene in statu mansere, quo erant 13. sæculo iis dumtaxat restrictionibus exceptis, quas ob Ecclesiasticæ Disciplinæ bonum Tridentina Synodus addidit. Decrevit scilicet, ut *In Monasteriis seu Domibus virorum, seu mulierum, quibus imminet animarum cura personarum sæcularium præter eas, quæ sunt de illorum Monasteriorum seu locorum familia, Personæ tam Regulares quam sæculares hujusmodi curam exercentes subsint immediate in iis, quæ ad dictam curam & Sacramentorum administrationem pertinent, Jurisdictioni, visitationi, & correctioni Episcopi in cujus Diœcesi sunt. Nec ibi aliqui etiam ad nutum amovibiles deputentur, nisi de ejusdem consensu ac prævio examine, per eum, aut ejus Vicarium faciendo, excepto Monasterio Cluniacensi cum suis limitibus, & exceptis iis etiam Monasteriis seu locis, in quibus Abbates Generales aut Capita Ordinum, sedem ordinariam principalem habent, atque aliis Monasteriis seu domibus, in quibus Abbates aut alii Regularium Superiores Jurisdictionem Episcopalem & temporalem in Parochos & Parochianos exercent, salvo tamen eorum Episcoporum jure, qui majorem in prædicta loca vel personas Jurisdictionem exercent.*

Regularium Exemptiones.

Sess. 25. c. 15.

1. Statuit insuper, ut Regulares etiam in Ecclesiis suorum Ordinum Conciones habituri, cum suorum Superiorum licentia coram Episcopis se sistere & ab eis benedictionem petere teneantur. Si vero errores ubicumque disseminaverint, vel offensionem Christiano populo creaverint, Episcopus ipsis concionandi munera interdicat: si hæreses docuerint, in eos, quantumvis exemptos etiam specialibus Privilegiis, secundum Juris dispositionem aut loci consuetudinem agat tamquam Sedis Apostolicæ Delegatus (Sessione 5. Cap. 2.) Et Sessione 24. Cap. 4. expresse Regularibus prohibuit, ne in Ecclesiis etiam suorum Ordinum *Contradicente Episcopo*, Conciones habere præsumant.

3. Indulgentias absque Episcoporum licentia & mandato promulgare non possunt, ut colligitur ex Sessione 21. Cap. 9.

4. Privatis in domibus, atque omnino extra Ecclesiam, & ad divinum tantum cultum dedicata Oratoria, ab Episcopis designanda & visitanda, Missæ Sacrificium celebrare non possunt, ut Decretum est Sessione 22. in Decreto de observandis & evitandis in Celebratione Missarum: quo quidem sublatum esse Privilegium ab *Honorio* III. concessum Fratribus Prædicatoribus & Minoribus celebrandi in Altari viatico

etiam Episcopo non permittente, juxta Cap. *In his*, *De Privilegiis*, Fegnanus observat, Commentario in Cap. *Grave*, *De Officio Ordinarii*.

5. Regulares qui Confraternitatum vel Hospitalium administrationem susceperunt, rationes administrationis Ordinario reddere tenentur, ut colligitur ex eodem Concilio Sessione 22. Cap. 9.

6. Nullatenus ipsis Privilegia suffragantur, in minori ætate, quam quæ a Tridentina Synodo præscripta est, & sine diligenti Episcopi examine ordinentur, vel ut duos Ordines Sacros eodem die suscipere possint, ut statuit idem Concilium Sessione 23. Cap. 12. & 13.

7. Confessiones Sæcularium, etiam Sacerdotum, audire non possunt, nisi sint ab Episcopis approbati, ut decernitur ibidem Cap. 15.

8. Monasteria tam virorum quam mulierum erigi prohibet eadem Synodus, sine Episcopi, in cujus Diœcesi erigenda sunt, licentia prius obtenta (Sessione 25. Cap. 3. de Regularibus) quo Decreto sublatam esse prohibitionem *Bonifacii* VIII. in Cap. unico *De Excessu Prælatorum*, *in Sexto*, & Clementinam *Cupientes de Pœnis* censuit Congregatio Concilii Tridentini Interpres, ut *Fagnanus* refert.

9. *Non licet Regularibus a suis Conventibus recedere, etiam prætextu ad Superiores suos accedendi nisi ab eisdem missi aut vocati fuerint.* Qui vero sine superiorum Mandato in scriptis obtento repertus fuerit, *ab Ordinariis locorum tamquam desertor sui Instituti puniatur.* Illi autem, qui studiorum causa ad Academias mittuntur, *in Conventibus tantum habitent; alioqui ab Ordinariis contra eos procedatur.* (Ex eodem Concilio in eadem Sessione, Cap. 4.)

Clausura Monialium.

10. Eadem Synodus innovat *Bonifacii* VIII. Constitutionem, *Periculoso*, *de Statu Regularium*, in Sexto, circa Monialium Clausuram, plenamque auctoritatem Episcopo tribuit, ut Sedis Apostolicæ Delegato, in his quæ ad eam conservandam pertinent, in Monasteriis etiam exemptis. *Bonifacii* VIII. *Constitutionem quæ incipit*, *PERICULOSO*, *renovans Sancta Synodus*, *universis Episcopis*, *sub obtestatione divini Judicii*, *& interminatione maledictionis æternæ*, *præcipit*, *ut in omnibus Monasteriis sibi subjectis ordinaria*, *in aliis vero Sedis Apostolicæ auctoritate*, *Clausuram Sanctimonialium*, *ubi violata fuerit*, *diligenter restitui*, *& ubi inviolata est*, *conservari maxime procurent*; *inobedientes*, *atque contradictores per Censuras Ecclesiasticas*, *aliasque pœnas*, *quacumque appellatione postposita*, *compescentes*, *invocato etiam ad hoc*, *si opus fuerit*, *auxilio brachii sæcularis*. *Quod auxilium ut præbeatur*, *omnes Christianos Principes hortatur Sancta Synodus*, *& sub Excommunicationis pœna*, *ipso facto incurrenda*, *omnibus Magistratibus sæcularibus injungit* (ibidem Cap. 5.) Quod Decretum & *Pius* V. confirmavit Constitutione: *Circa Pastoralis*; data 4. Kalendas Junii anno 1566. & ad universas & singulas Moniales præsentes atque futuras cujuscumque Ordinis pertinere declaravit, *etiamsi ex Institutis vel Fundationibus earum Regulæ ad Clausuram non teneantur*, *nec umquam in earum Monasteriis seu Domibus*, *etiam ab immemorabili tempore ea servata fuerit*. Unde (ut observat *Fagnanus*) Congregatio Concilii Tridentini Interpres declaravit, licere Episcopo Monasteria Monialium, etiam Regularibus subjectarum, visitare, & singulas Moniales absque Regularium interventu alloqui & examinare in iis quæ Clausuram spectant, & Clausuram violantibus censuras imponere.

Concil. Trid. ib.

11. Nemini Sanctimonialium licet post Professionem exire a Monasterio, etiam ad breve tempus, quocumque prætextu, *nisi aliqua ex legitima causa ab Episcopo approbanda*, *Indultis quibuscumque & Privilegiis non obstantibus*. Hanc autem facultatem *Pius V.* in Constitutione quæ incipit; *Decori*, ad tres causas restringit, scilicet *magni incendii*, *vel infirmitatis*, *lepræ aut epidimiæ*.

12. Censuræ & Interdicta ab Episcopis promulgata eorumdem jussu a Regularibus in eorum Ecclesiis publicari ac servari debent. Dies etiam Festi, quos in Diœcesi sua servandos Episcopus præceperit, ab Exemptis omnibus, etiam Regularibus, servari necessum est, ex præscripto ejusdem Concilii, Sessione 25. c. 12.

13. Episcopi controversias omnes de præcedentia, inter Ecclesiasticas Personas tam Sæculares quam Regulares, cum in Processionibus publicis, tum in iis quæ fiunt in tumulandis Defunctorum corporibus, & in deferenda umbella, & aliis similibus, componere potest, non obstantibus quibuscumque, omni appellatione remota. Sic decernit eadem Synodus, ibidem cap. 12.

14. Regulares omnes ad publicas Processiones ab Episcopo vocati, ab eodem compelli possunt ut adsint, iis exceptis qui in strictiori Clausura perpetuo vivunt, ut decernitur eodem cap.

15. *Regularis non subditus Episcopo*, *qui intra Claustra Monasterii degit*, *& extra ea ita notorie deliquerit*, *ut populo scandalo sit*; *Episcopo instante a suo Superiore intra tempus ab Episcopo præfigendum severe puniatur*, *ac de punitione Episcopum certiorem faciat*: *sin minus*, *a suo Superiore Officio privetur*; *& delinquens ab Episcopo puniri possit*. Ejusdem Concilii Decretum est c. 14. ejusdem Sessionis.

16. Renuntiationes Novitiorum, vel obligationes factæ etiam cum Juramento, vel in favorem cujuscumque piæ causæ, nullæ sunt ac irritæ, nisi fiant cum licentia Episcopi, vel ejus Vicarii, infra duos menses ante Professionem, ut decernitur cap. 16. ejusdem Sessionis.

17. Episcopus Monachos & Moniales compellere potest, etiam per Censuras Ecclesiasticas, si fuerit opus, ut Novitiis ante Professionem abeuntibus omnia restituantur quæ sua erant. (Ibidem.)

18. Episcopus una cum Superiore Regulari adhiberi debet in Judicio nullitatis Professionis. (Ibidem, cap. 19.)

Regia ad Monasticas Præfecturas Nominatio.

XXII. Jus eligendi Abbates & Priores ante Concordata Monasteriis competens, ipsis Concordatis extinctum, & ad Regem Christianissimum in Galliis translatum est. Hæ porro sunt Regiæ ad Abbatias & Prioratus Nominationis conditiones. 1. Nominari debet Religiosus ejusdem Ordinis, qui viginti trium annorum ætatem ad minus attigerit. 2. Si Rex Presbyterum sæcularem, aut Religiosum alterius Ordinis, aut minoris ætatis, vel alias inhabilem Summo Pontifici nominaverit, sic nominatus repulsam a Pontifice patietur; & Rex infra trimestre a die recusationis computandum alium Sedi Apostolicæ nominabit debitis præditum dotibus. 3. Novem elapsis mensibus, si Regius Candidatus iis conditionibus instructus non fuerit, quas Concordata postulant, Jus illa Beneficia conferendi ad Sedem Apostolicam devolutum est. 4. Si Beneficia in Curia Romana vacaverint, eorum Collatio ad Summum Pontificem pertinet. 5. Regiæ Jus Nominationis ad ea Monasteria non extenditur, quæ singulari gaudent eligendi Privilegio, cui nec Summus Pontifex, nec Rex Christianissimus derogatum esse voluerunt. Unde Regiæ Nominationi Monasteria illa non subsunt, quæ per Generales, & Capita Ordinum regi consuevere, ut Edicto etiam Blesensi declaratum est. His adjungendæ quatuor Cisterciensis Abbatiæ filiæ *Pontiniacum*, *Firitas*, *Claravallis*, *& Morismundus*. Item Abbatiæ sive Prioratus, quorum caput est *Casa Benedicti* in Bituricensi Diœcesi vulgo *Chesalbenoist*, & celebris altera Abbatia in suburbio Biturigum *Sancto Sulpitio* consecrata. His enim omnibus eligendi servata libertas est.

Cœnobiorum Commendationes tardius & ægre admodum recepta & probatæ.

Ad Abbatias autem Monialium Rex Christianissimus non nominat in vim Concordatorum, sed in vim Pontificii Indulti, quo *Clemens VII.* cum *Francisco I.* Massiliæ congressus, Jus & ad illas nominandi concessit.

XXIII. Sedis Apostolicæ Indulgentia præscripta jam consuetudine & possessione firmata, Rex Clericos sæculares ad Abbatias & Prioratus nominat, sed ea lege, ut solo Commendationis titulo hæc Beneficia possideant. Ab initio quidem non fuit sic, nec Gallis etiam nostris hæc Disciplinæ mutatio placuit, cum primum inducta est, ut constat ex *Defensione Parisiensis Curiæ pro Libertate Ecclesiæ Gallicanæ adversus Romanam Aulam LUDOVICO XI. Gallorum Regi quondam oblata* quam apud *Bochellum* Lib. 4. Decretorum Ecclesiæ Gallicanæ, pag. 662. legere est, & quæ Cap. 80. & sequentibus sic habet; *Commendationes quæ jam dictis Canonibus & Decretis prohibitæ fuerant*, *nunc vero usitatæ sunt & quotidianæ quid aliud sunt quam certissima omnium Ecclesiarum eversio? Nam ex quo Decreta illa passum iverunt*, *vix ullum est paulo optimius nobiliusque Beneficium*, *quod in hanc Commendationis corruptelam non inciderit . . . . Harum Commendationum abusus quam pestilens vitiosusque sit huic Regno*, *nemo satis eloqui potest*. *Commendantur enim opulentiora & clariora Beneficia Cardinalibus Romanæ Ecclesiæ*, *atque hinc fit ut fere vacent in Curia Romana*, *eorumque distributio Pontificis Romani fit*, *nullaque electio locum habeat*. *Et quia reditus ac proventus horum Beneficiorum Romam hinc exportantur*,

corruunt

corruunt ædificia, Disciplina omnis Monastica cessat, cultus Divinus friget & extinguitur. Sic ædificia omnia tam lapidea quam spiritalia diruì funditus & everti videmus . . . Nam ipsi sunt mores hujus sæculi, proh dolor! ut perinde sit Abbatem esse, ac profani cujusvis prædii Dominum esse: nec ullius oneris efficiendi gratia quis Abbatiam accipiat, nisi ut a colono quopiam aut redemptore sive conductore rationes exigat, & reliqua, si quæ fiat, auferat & consumat . . . Cum Synodus Constantiensis tempore Martini Papæ, eos, de quibus jam diximus, Canones edidit, non mediocris jam erat corruptio in Ecclesia; Sed longe profecto tolerabilior quam hoc tempore: ac singuli Cardinales singulis Abbatiis contenti erant: nec ullis hominibus commendabantur Abbatiæ. Hodie humilioribus & in nulla dignitate positis, nec Regulares Abbatiæ modo, sed Prioratus etiam Conventuales S. Benedicti, atque adeo Hospitalia ipsa S. Antonii, sæcularibus hominibus commendari cœperant.

Refert Cardinalis Papiensis Epistola 93. *Paulo* II. Pontificatum ineunte, cum in Consistorio *Guillelmus* Cardinalis *Hostiensis* de insigni quodam Cœnobio Gallicano referret, cujus commendationem ambibat nescio quis Episcopus, *Joannem Carvajal* Portuensem Episcopum Cardinalem in dicenda sententia sermonem ad Summum Pontificem convertisse in hunc modum: *Vereor, Beatissime Pontifex, ne propediem audiamus omnia Galliarum Cœnobia commendata esse, & nullum reliquum quod Abbatem suum habeat: ita quidquid ibi a nobis decernitur, Commendatio est. Surget nobis non expectantibus aliquando Regnum illud in nos, ferre ultra non valens inutile Ministerium nostrum . . . Approbavit judicium Pontifex, & adjecit, credere se a Pontificatu Calixti in eam diem amplius quam quingenta Monasteria esse jam commendata, atque adeo in metu sibi esse ne corruptela hæc maturius opinione in scandalum grave erumperet.* Subdit Cardinalis Papiensis: *Commendandorum ab initio Cœnobiorum non ea fuit ratio Patribus nostris, ut sagina Ecclesiasticorum illa darentur, sed ut fide & studio Majoris alicujus ea quæ occupata a sæcularibus essent, redimerentur, & divinus cultus in pristinum statum revocaretur. Deflexit res, & in abusum hunc venit odibilem Deo, & jam nostræ infamem.*

Monasteriorum Commendationes *Leo X.* in Concilio Lateranensi Sessione 9. prohibuit, nisi pro conservanda Sedis Apostolicæ auctoritate id necessarium foret: quo casu nonnisi Cardinalibus, aut Viris illustribus, & de Ecclesia bene meritis commendarentur; ea tamen lege, ut si Commendatarii mensam habuerint a mensa Conventuali separatam, quartam suæ mensæ partem pro instauratione fabricæ, seu pro ornamentis vestibusque sacris emendis sarciendisque, aut pauperum alimonia ac sustentatione ut major exiget ac suadebit necessitas: si vero mensa fuerit communis, tertiam omnium fructuum dicti Monasterii sibi commendati partem pro supradictis oneribus ferendis, & sustentatione Monachorum, omnibus aliis deductis oneribus impertiri teneantur. Ac literæ, quæ super Monasteriorum hujusmodi Commendis expedientur, cum clausula hoc ipsum specifice exprimente debeant expediri; alioqui nullius sint roboris & momenti. Constitutionis hujusce rationem explicat Pontifex: „Quoniam ex Commendis Monasteriorum (ut Magistra rerum experientia sæpius docuit) Monasteria ipsa tam in Spiritualibus, quam in temporalibus graviter læduntur, quippe quorum ædificia partim Commendatariorum negligentia, partim avaritia, vel incuria collabuntur, & in dies divinus cultus in his magis diminuitur, passimque obloquendi materia personis præsertim sæcularibus præbetur, non absque dignitatis Apostolicæ Sedis diminutione, a qua Commendæ hujusmodi proficiscuntur.

Tridentina Synodus Sessione 25. Cap. 21. de Regularium Reformatione sanxit, ut Monasteria deinceps Regularibus conferrentur, Ordinum Capita nemini commendarentur. „Cum, *inquit*, pleraque Monasteria etiam Abbatiæ, Prioratus, & Præposituræ, ex mala eorum, quibus commissa fuerunt, administratione non levia passa fuerint tam in spiritualibus quam in temporalibus detrimenta; cupit Sancta Synodus ea ad congruam Monasticæ Vitæ Disciplinam omnino revocare. Verum adeo dura difficilisque est præsentium temporum conditio, ut nec statim omnibus, nec commune ubique quod optaret, remedium possit adhiberi. Ut tamen nihil prætermittat, unde prædictis salubriter aliquando provideri possit, primum quidem confidit, Sanctissimum Romanum Pontificem pro sua pietate & prudentia curaturum, quantum hæc tempora ferre posse viderit, ut iis quæ nunc commendata reperiuntur, & quæ suos Conventus habent, Regulares Personæ ejusdem Ordinis expresse professæ, & quæ gregi præire & præesse possint, præficiantur. Quæ vero in posterum vacabunt, nonnisi Regularibus spectatæ virtutis & sanctitatis conferantur. Quoad ea vero Monasteria, quæ Capita sunt ac Primates Ordinum, sive Abbatiæ, sive Prioratus, quæ filiæ illorum Capitum nuncupantur, teneantur illi, qui in præsenti ea in Commendam obtinent, nisi sit eis de Regulari Successore provisum, infra sex menses Religionem illorum Ordinum propriam solemniter profiteri, aut iis cedere; alias Commendæ prædictæ ipso jure vacare censeantur.

Commendatarii inter Abbates recepti.

Concilium Provinciale Rothomagense anno 1581. Præside Serenissimo Principe *Carolo* Cardinale *Borbonico* celebratum, orta difficultate de Abbatibus Commendatariis an deberent inter Abbates ad sedendum & deliberandum recipi, negotium remisit ad Sedem Apostolicam, & concessit ipsis interim pro hac vice, ut inter Abbates sederent ac sententiam dicerent. Summus Pontifex *Gregorius* XIII. audita relatione Congregationis Tridentini Concilii Interpretis respondit: „Commendatarios inter Abbates recipiendos esse: Abbates benedictos, & qui usum Mitræ habent, præcedere debere Commendatarios: *Neutros vocem definitivam, sed* consultivam *tantum habere. Idem Concilium Tit.* De Monasteriis, *Cap. 4. de Commendatariorum officio ita decernit*: Abbates & Priores Regulares, atque etiam Exempti aut Commendatarii, si ætatem præscriptam a Jure ad suscipiendos Sacros Ordines attigerint, intra annum promoveantur: facultatesque de non promovendo, præter quam in casibus a Jure expressis concessæ, ad annum tantum suffragentur: alias Episcopus pro suo jure agat, usque ad declarationem vacantium omnium Beneficiorum. Promoti vero iisdem legibus ad celebrandam Missam, quibus omnes Presbyteri atque Episcopi obligentur, & compellantur ab Ordinariis, si fuerint contumaces ac contemptores. Commendatarii, quamvis ad Regularem Observantiam non obligentur, ne tamen sint sine jugo atque omni Regula, decet eos mediam statum atque ordinem sequi & ostendere inter Regulares & Sæculares Clericos, in vestitu, in victu, & in omni ornatu. Tonsura utantur ampliori quam Sacerdotali, habitu propius ad Regularem accedente, nec existiment sibi commendatum Monasteriorum regimen, ad luxum & prodigalitatem, aut ad augendam rem suam & consanguineorum familiam, sed ad piam & justam alienarum rerum dispensationem, & quarum non habent proprietatem, Deoque de omnibus reddendam esse rationem. *Concilium Romense anno* 1583. *Tit.* De Regularibus & eorum Monasteriis, *Cap. 18. desiderium suum de Commendarum abolitione expressit*: Nihil, *inquit*, nisi desiderium nobis superest, ut Abbatiæ, Prioratusque nonnisi Regularibus spectatæ virtutis, & per electionem conferantur. Quod a Deo Optimo Maximo supplicibus votis contendimus, et ad id excitare dignetur Dominos nostros, Sanctissimum Romanum Pontificem & Regem nostrum Christianissimum. *Commendatariorum vero officia capite sequenti breviter complexum est.* Si Monasterium aliquod sæculari commendetur, iisdem legibus de promotione & re sacra facienda teneatur, quibus cæteri Clerici, propiusque habitu & tonsura quam alii ad Regularem Vitam accedat. *Cap.* 20. Monasteriorum Superiores cum visitant, constituant Priores in Abbatiis, & in Prioratibus Conventualibus Superiores, consentientibus, & eos nominantibus Commendatariis, aut etiam si incapaces nominaverint, reluctantibus. Ut autem constituti cæteros in disciplinæ contineant, habeant ab illis Vicariatum, saltem in spiritualibus, quantum pertinet ad morum correctionem, & disciplinæ Regularis observationem. *Cap.* 21. Compellantur quoque Commendatarii vel eorum Vicarii, ut intersint Visitationibus, Visitatoresque honeste excipiant, & executioni mandent, quæ in eis statuta fuerint.„ Concilium Aquense anno 1585. celebratum, Tit. *de Monasteriis*, Concilii Rothomagensis de Commendatariis Decretum totidem verbis describit & suum facit.

Abbates & Priores Commendatarii ad Sacerdotium intra annum ut promoveantur compellendi, ubi ætatem a jure præscriptam attigerunt.

Abbatum Commendatariorum vita & cultus exterior qualis esse debet?

XXIV. Pecunias exigi pro Monachorum aut Monialium ad Professionem Religiosam receptione, his, quorum Historiam scribimus, sæculis, Concilia etiam prohibuerunt, Frisingense 1440. Suessionense 1456. Senonense 1485. & alia, quæ mox laudabimus, sed tamen dotales eleemosynas approbarunt: qua de re Senonense

Dotalis eleemosyna in Monialium Professione approbata, exactio [illegible].

nense anno 1528. Canone 28. ita statuit: „ Constituimus ut in Monasteriis Monialium tot instituantur Moniales, quot de facultatibus eorumdem, reparationibus Ecclesiæ, clausuræ, & aliarum Regularium domorum, nec-non & processuum expensis deductis, commode & sine penuria sustentari possint. A quibus pro ingressu aut receptione nihil prorsus prætextu consuetudinis, aut quovis alio quæsito colore exigatur. Si qua tamen ultra eas in hujusmodi Monasteriis se recipi petat, id non interdicimus, dummodo congruam secum afferat Pensionem, qua cum cæteris Religiosis numerariis alatur. Non tamen in locum numerariarum succedat, sed decedentibus numerariis aliæ novæ & pauperes subrogentur.

Concilium Tridentinum Sessione 25. Cap. 3. statuit ut *In Monasteriis & Domibus tam virorum quam mulierum, bona immobilia possidentibus vel non possidentibus, is tantum numerus constituatur ac in posterum conservetur, qui vel ex reditibus propriis Monasteriorum vel ex consuetis eleemosynis commode possit sustentari.*

Concilium 1. Mediolanense anno 1565. pag. 3. cap. 6. *Quod vero Professione facta, eleemosynæ gratia ad Professam sustentandam, Monasterio datur, id quo tempore Puella Religionis habitum suscipiet apud virum Monialibus & earum Superiori probatum, deponatur: ut nullo impedimento tam Monialibus præsto esse possit.*

Concilium Mediolanense 2. in Capitibus ad Moniales pertinentibus, cap. 2. „ Episcopus t. m impensas æstimet quæ & in religionis ingressu, & tempore professionis fieri solent pro vestitu aut pro aliis rebus, ad ipsius Puellæ vel Monasterii usum commoditatemve pertinentibus: tum pecuniæ etiam summam præscribat, quam Puella alimentorum nomine Monasterio det; nisi census, aut alia bona immobilia, quorum annui fructus, ejusdem judicio, ad ea alimenta satis sint, Monasterio attribuantur. Ea autem omnis pecuniæ summa, eo nomine ab Episcopo decreta, reipsa apud certum hominem & virum bonum deponatur, qui Professione confecta, illam statim Monasterio tradat, ut Decretum est superiori Concilio.

Secundum *S. Caroli Borromæi*, ac illius Conciliorum Decreta, Responsa sua temperavit Congregatio Tridentini Concilii Interpres, cujus hoc Scitum refertur in Bibliotheca Præmonstratensi pag. 556. „ Non vestiantur Moniales, nec admittantur ad habitum nisi prius parentes, vel illi ad quos earum cura spectat, promptam habuerint pecuniam pro dote vel eleemosyna consueta, & illam deposuerint solvendam Monasterio post emissam professionem, ipsisque Monialibus interim Probationis tempore alimenta ab eis præstentur. Hæ eleemosynæ sive dotes ante emissam Professionem non solvantur Monasterio, nec aliqua obligatio aut renuntiatio fiat, nisi juxta formam Concilii „. Et Juris Pontificii Consultissimus *Fagnanus*, in Cap. *Non amplius De Institutionibus*, in t. p. 3. Decretalium ait: „ Sacra Congregatio super negotiis Episcoporum & Regularium, animadvertens Sanctimonialium Monasteria sine dotium subsidio diu sustineri non posse, & propter ingruentes necessitates & casus inopinatos plerumque ad inopiam redigi, Summis Pontificibus approbantibus prudenter sancit, ut dotales eleemosynæ a Monialibus numerariis persolverentur, tametsi numerus esset taxatus ad mensuram redituum Monasterii. Ex penuria enim multa proveniunt mala, præsertim in Monasteriis Dominarum, ut dicit Hostiensis.

Concilium Remense anno 1583. Tit. *De Simoniacis*, Cap. 10. „ Qui pro Religionis seu Monasterii ingressu aliquid extorserit, Simoniacus esse censeatur. Nam licet opes Monasterii sint adeo tenues, ut vix ingredientem alere queant, eumque oporteat aliquando pro alimentis & vestibus aliquid Monasterio conferre, tuta conscientia, modo id fiat ante votorum emissionem: tamen ut deinceps omnis nequitiæ amputetur occasio, Synodi Tridentinæ Decretis admoniti statuimus, ne deinceps in quibuscumque Monasteriis major Monachorum vel Monialium numerus admittatur, quam qui ex propriis reditibus Monasterii, vel eleemosynis assuetis educari queat. Approbamus tamen & laudamus eleemosynas etiam copiosas ab ingredientibus sponte collatas.

Concilium Turonense eodem anno, Cap. 57. „ In Monasteriis Ordinarii numerum Monialium sua auctoritate repleri curent pro modo & facultate loci, neque eumdem augeri, nisi facta Monasterio annua, quæ satis sit, fructuum accessione.

Concilium Avenionense anno 1594. Cap. 50. „ Antequam Professio emittatur a Virginibus diligenter de eleemosyna agatur in numerata pecunia, quæ super fundo statuatur, cujus sors principalis non possit aut debitis solvendis, aut quotidianis usibus insumi.

„ Curent Episcopi expensis antea Monasteriorum Monialium sibi subditarum facultatibus, vel ex consuetis eleemosynis, certum Monialium numerum constitui qui nullo modo possit augeri, nisi facultatibus, vel consuetis eleemosynis auctis. Quod si Monasteria Regularibus subjecta fuerint, idem Episcopus præstare illis quoque debeat, adhibitis tamen Superioribus Regularibus, quemadmodum cavetur Constitutione sanctæ memoriæ Gregorii XIII. hac de re edita.

XXV. Monachi Sæculo 15. adeundæ hæreditatis, quæ per ipsos Monasterio acquireretur, incapaces non erant; sed 16. Sæculo Principum Legibus aut Consuetudine seu Jure Municipali, ab ea pluribus in locis exclusi sunt. *Eugenius quartus* Pontifex Maximus an. 1436. Monachis Benedictinis Congregationis *S. Justinæ* in Italia confirmavit facultatem acquirendi bona mobilia & immobilia in quibuscumque civitatibus & locis; petendi etiam & exigendi præfata bona undecumque vel qualitercumque eis debita, *Et quæ, si in sæculo remansissent, jus petendi & exigendi haberent, ipsis eorum Monasteriis acquirenda; non obstantibus quibuscumque Statutis, Ordinationibus & decretis cujusvis Ecclesiasticæ sive sæcularis Personæ, Communitatis, Collegii, &c.*

Monachi & Moniales in bona parentum Sæculo 15. succedebant.

Contraria dispositio Principum Legibus inducta Sæculo 16.

Germaniæ Principes in Libello centum Gravaminum Nationis Germanicæ, quem Sedis Apostolicæ Nuntio Comitiis in Nuremburgensibus obtulerunt an. 1523. Cap. 28. conquesti sunt de consuetudine, Reipublicæ (ut ajebant) incommoda, qua Monachi in bona parentum succedebant, cum sæcularibus parentibus in eorum bona succedere non liceret; postulaveruntque ut omnibus hæreditatibus renuntiare cogerentur, ea lege ut ipsis a parentibus provideretur de necessariis ad vitam in Monasterio commode sustentandam. „ Mos, *inquiunt*, non amplius ferendus hactenus inolevit, pauloque altius quam par sit, radices egit: Videlicet quod Monachi, Moniales, Conventus, & quicumque tandem sunt, qui se Religiosos & a popularibus segregatos profitentur, parentibus, consanguineis, agnatis, ac cæteris amicis, in hereditariis bonis aliquando in partem, nonnumquam in totum succedunt. At vicissim eorum cognati seu necessarii laici a prætactis Religiosis ad eorum hæreditates adeundas, non solum non vocantur, sed ne admittuntur quidem: quod Germanis & grave & molestum, injustum etiam ac non diutius tolerandum onus est. Ea propter necessario ac summa prudentia curandum est, ut nemo se deinceps memoratorum Religiosorum votis adstringat vel addicat, nisi prius ea de re civiles Magistratus certiores fecerit: quorum præsentia, auctoritate, & consilio Religionem ingredi volentibus, a parentibus & amicis, juxta cujusque fortunam & facultates, mediocriter provideri debet, ut habeant unde commodo in Monasteriis vivere possint. Ea tamen lege, eo pacto & conditione, ut omnibus hæreditatibus, omnibusque parentum, fratrum, sororum, cognatorum, cohæredum, ac quorumcumque aliorum successionibus renuntient. Idemque cum his, qui jam olim Religiosorum Regulis sese subjecerint, a Sacri Romani Imperii Statibus & petitur & censetur.

Inter Statuta Regni Poloniæ legitur Lex *Sigismundi* Regis an. 1527. lata, qua sancitum est ut Moniales in bona quidem parentum succederent, sed ea alienare non possent, immo censuum dumtaxat medietate ad vitam fruerentur. „ Statuimus etiam, *inquit*, quod Sanctimoniales, Ordinem aliquem a Sede Apostolica approbatum, professæ, tametsi mundo & bonis temporalibus renuntiaverint, nihilque proprii habere possint: quia tamen non sunt ubique debito modo provisæ; & concessum sit illis ex indulgentia Sedis Apostolicæ ut succedere possint in bona paterna & materna ad se revoluta, de illisque libere cum auctoritate Superiorum suorum disponere: quia multæ querelæ subditorum nostrorum ad nos deferebantur, qui indigne ferebant, quod ipsæ Sanctimoniales succedere deberent in bonis suis paternis & maternis, ad eas post mortem parentum aut consanguineorum devolutis: jureque illas ab hujusmodi successionibus repellere nitebantur: volentes hujusmodi querelas cohibere, & easdem Sanctimoniales in bona gratia & favore consanguineorum illarum confer-

„ conservare, illarumque necessitatibus benigne prospi-
„ cere: statuimus & ordinamus de consilio & conseo-
„ su Consiliariorum Regni nostri, status utriusque, &
„ Nunciorum Terrestrium; quod Moniales ipsæ, Or-
„ dinem Regularem professæ, & in Cœnobiis & clau-
„ stris manentes, succedere quidem possint ad bona
„ paterna & materna, quæ ad eas devoluta legitime
„ fuerint, alienare tamen illa u consanguineis & pro-
„ pinquis, aut in alienas personas quomodocumque
„ transferre nullo modo valeant. Sed cum primum
„ ad eas, aut earum aliquam ea ipsa bona devoluta
„ fuerint: jure legitimæ successionis & devolutionis
„ proximiores consanguinei sea agnati, & cognati ea-
„ rum, illa tenere, earumque possessionem adire de-
„ bebunt, & ex illis medietatem omnium censuum,
„ & proventuum pecuniariorum, illis, & cuilibet ea-
„ rum solvere erunt adstricti, vita illarum durante.
„ Reliquam vero medietatem proventuum pecuniario-
„ rum, simul ac fructus omnes ex bonis illis prove-
„ nientes, pro se retinebunt; & ex illis onera Rei-
„ publicæ, Regni, & bellicæ expeditionis sustinebunt.
„ Quod si bona ad Moniales ipsas devoluta nullos pro-
„ ventus pecuniarios habuerint, essent tamen in illis
„ prædia, seu piscinæ, seu molendina, vel prata, vel
„ sylvæ cædum, aut mullificia, uut agri, quæ locari
„ possint, & aliæ id genus utilitates, quocumque no-
„ mine censeantur; in eo casu Episcopus & Ordina-
„ rius loci, seu ejus in Spiritualibus Vicarius, cum
„ Capitaneo terræ seu districtus illius in quo bona hu-
„ jusmodi consistunt, disquirent diligenter quantum
„ ex hujusmodi bonis provenire in anno possit: illa-
„ que & obventiones seu utilitates, quæ ex illis an-
„ nis singulis provenire possent, diligenter taxabunt
„ & æstimabunt; & ad quamcumque summam illu
„ taxaverint, consanguinei prædictarum Monialium,
„ qui bona ejusmodi tenebunt, solvere illis & cuili-
„ bet earum respective medietatem ejusdem summæ
„ quotannis absque omni contradictione tenebuntur.
„ Et si iidem consanguinei in solvendu negligentes &
„ remissi fuerint, & moniti literis Episcopi seu loci
„ Ordinarii, aut ejus in Spiritualibus Vicarii seu Of-
„ ficialis, illis satisfacere de bonis illarum temere no-
„ luerint, ac demum propterea excommunicati tres
„ menses Censuras Ecclesiasticas sustinuerint: ex tunc
„ libertatem & facultatem Moniales prædictæ habe-
„ bunt, bona sua hujusmodi alteri cuipiam consangui-
„ neo, aut etiam externo locandi seu vendendi, pro
„ arbitrio suo ad vitam suam: post mortem vero il-
„ larum, eadem ipsa bona earum ad proximiores il-
„ larum consanguineos rursum devolventur & devol-
„ vi debebunt.

In Galliis Viri Religiosi & Sanctimoniales a Jure adeundæ hæreditatis excludi cœpere Juru Municipali seu Consuetudinario Provinciarum plurimarum, quamvis in Provinciis ubi Jus Scriptum vigebat, hæreditatem capessérent, ut observat *Joannes Galli* Quæstione 122. Tandem Edicto *Francisci I.* & *Caroli IX.* Blelensi Sanctione Art. 28. a successione in bona paterna penitus exclusi sunt. Unde cum *Joannes Galli* mox laudatus scripsisset, Religiosos *non succedere in Patria Consuetudinaria*, hunc locum illustrans *Molinæus* ita annotavit: *Nec Monasterium pro eis. Idem generaliter etiam in Patria Juris Scripti*. Laudatque *Guillelmum Benedicti* in Repetitione cap. *Raynuntius*, verbo, *Et uxorem nomine Adelasiam*, num. 120. *De Testamentis*. Et *Chassaneus* iu Commentariis Consuetudinis Burgundim scribit: *Cistercienses Religiosi comprehenduntur esse sub consuetudine generali Franciæ, quia si succederent, esset annihilatio temporalitatis in Republica: cum semper Religiosi traherent ad se temporalia, eo quod succederent Laicis, & Laici eis non succederent, sed eorum Ecclesiæ & Monasteria. Unde nulla æqualitas observaretur*.

Nota.

SEnescente sæculo 16. exordium habuit Congregatio Clericorum Regularium, quæ *Matris Dei* nuncupatur. Ad uam instituendam excitarunt Joannem Leonardiom corrupti illius sæculi mores; quapropter ad restituendam vitæ sanctimoniam, Cathechesum traditione, ac Sacramentorum frequentia uamdem instituit, voluitque Clericos efformare, qui omnibus omnia essent, undu particulari alicui sacro ministerio non mancipavit. Hanc Congregationem sub immediata Sedis Apostolicæ tutelu Clemens VIII. primo suscepit, ac deinde Gregorius XV. ad religionis statum evexit. Porro V. Pater Joannes Leonardius Vir fuit, in quo omnes virtutes emicabant, easque in grada heroico Servum Dei adornasse, ardentibus votis a Sede Apostolica tandem definiendum speramus. S. Philippo Nerio ob singularem vitæ sanctimoniam charissimus fuit; cumque illi singularis prudentia adnecteretur, non semel Clemens VIII. ad promovendam Regularium quorumdam reformationem ipsum adhibuit. Io hanc Congregationem lubens ingressus sum, lubens vixi: utinam optimi Parentis vere filius lubens moriar!

ARTICULUS V.

De Bonorum Ecclesiasticorum Administratione.

Consanguinei ex Ecclesiæ bonis non augendi.

I. EPiscopos bonorum Ecclesiasticorum dispensatores esse dumtaxat, non dominos, Concilium Tridentinum agnoscens, & Concilii Carthaginensis IV. exemplum secutum, *Nec solum jubet ut Episcopi modesta supellectili & mensa, ac frugali victu contenti sint; verum etiam in reliquo vitæ genere ac tota domo caveant ne quid appareat quod a sancto hoc Instituto sit alienum, quodque non simplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum præ se ferat. Omnino vero eis interdicit, ne ex redditibus Ecclesiæ consanguineos, familiaresve suos augere studeant; cum & Apostolorum Canones prohibeant, ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent, sed, si pauperes sint, iis ut pauperibus distribuant, eas autem non distrahant nec dissipent illorum causa; immo quam maxime potest eos Sancta Synodus monet, ut omnem humanum hunc erga fratres, nepotes, propinquosque carnis affectum, unde malorum in Ecclesia Seminarium extat, penitus deponant*. Eademque præcepta & monita ad omnes Beneficia Ecclesiastica tam Sæcularia quam Regularia obtinentes, & ad ipsos etiam Cardinales pertinere declarat.

Mediolanensis Concilii & S. Caroli Borromæi Decreta de Canonica bonorum Ecclesiæ dispensatione.

Concilium Mediolanense I. Præside *S. Carolo Borromæo*, Cap. 62. De bonorum Ecclesiasticorum Canonica administratione & dispensatione hæc statuit: *Et Sacrorum Canonum Decretis statutum est, & Sanctissimorum Patrum testimoniis celebratum, quæ bona Fidelium pietas Deo consecravit, ea vel illorum necessitatibus honeste sublevandis, qui divinis dicati obsequiis, Christi ministri & dispensatores Mysteriorum Dei effecti essent; vel Ecclesiis reficiendis, earumque ornamentis ad divinum cultum necessariis comparandis, vel pauperibus sustentandis addicta esse: siquidem ubi primum Ecclesiæ bona esse cœperunt, eam naturam & conditionem consecuta sunt, ut in alium quam in sacrum & pium usum eorum fructus converti nefas esset. Quare cavendum est, ne cupiditate prolapsi, quæ radix est omnium malorum, dum vel propriis, vel propinquorum & familiarium divitiis & honoribus studemus, quæ Deo dicata sunt bona, & Ecclesiæ detrimento, & pauperum gemitu, & bonorum offensione ad aliorum usum convertamus. Itaque nos Sacrorum Canonum, & Sanctorum Patrum auctoritate muniti, atque iis addecti, quæ Sacra Tridentina Synodus de officio administrandi bona Ecclesiastica significavit, eos omnes, qui ea obtinent, vehementer monemus, ut muneris sui memores, hæc quæ sequuntur diligentissime præstent. Episcopi, Abbates, Præpositi, Parochi, ac cæteri omnes cujuscumque dignitatis & gradus, Ecclesias, etiam eorum administrationi commissas, ac quæcumque Beneficia Ecclesiastica, etiam simplicia, quomodocumque etiam commendata, in Provincia nostra obtinentes, omni diligentia cognoscere studeant quibus oneribus eorum Ecclesiæ & Beneficia, ex bonorum Ecclesiasticorum natura, vel ex illorum quæ obtinent, propria institutione, vel ex conditione Apostolicis Literis in Provisione dictorum Beneficiorum eis præscripta, vel alia quacumque ejus generis ratione subjaceant, illisque integre satisfaciant. Quod si facere omiserint, sed eos fructus sibi vindicare, vel ad alios transferre ausi fuerint, vel in quem debent usum non impenderint; se ex sacris Canonibus, & Sanctorum Patrum sententia, sacrilegii reos esse intelligant, & eorum omnium necessaria restitutione teneri; neque ulla omnino etiam immemorabili consuetudine excusari &c.*

„ Ii vero, qui Ecclesias & Beneficia Ecclesiastica
„ quæcumque obtinent, quorum fructus ad eos tum-
„ quam divinorum obsequiorum Ministros honeste su-
„ stentandos proprie sunt attributi, si uberiores sint
„ quam ad tuendam vitam, conditionisque suæ ratio-
„ nem requiratur, dubitare non debent ad eum finem
„ hanc copiam illis esse attributam, ut præter ea
„ quæ ad victum & cultum eorum satis essent, sup-
„ peterent etiam quibus divini cultus ornatus ac
„ splendor conservaretur, & pauperum inopia & indi-

„ gentia

„ gentia sublevaretur; quemadmodam etiam Deus ple-
„ rosque divitiis cumulat, at amicos sibi faciant, a
„ quibus cum defecerint, in æterna recipiantur taber-
„ nacula. Quamobrem per viscera misericordiæ Jesu
„ Christi obtestamar atque monemus, meminerint ea
„ bona non esse credita ad luxum, neque ad augendos
„ consanguineos, sed ad vitam honeste, ut fidelem Dei
„ Ministrum & pietatis Christianæ Magistrum decet,
„ traducendam. Ex eu vero quod supererit, si neces-
„ saria pauperibus alimenta denegarint, intelligant se,
„ quos non paverint occidisse, atque ob violatam san-
„ ctissimæ charitatis legem mortale peccatum commi-
„ sisse, quo sibi iram in die iræ thesaurizaverant.
„ Modum autem & rationem, qua metiri se pro condi-
„ tione & gradu unumquemque oporteat ad vitam suam
„ fructibus Ecclesisfticis honeste ducendam, eam esse
„ umnes debent intelligere, quæ ab iis non discrepet,
„ quæ in Sacsis Canonibas, & præsertim in his no-
„ stris Constitationibus de Clericali frugalitate & mo-
„ destia statuta sunt. Quæ vero de fructibus Ecclesia-
„ sticis dicta sunt, eadem etiam de supellectili omni,
„ cæterisque rebus, quæ iisdem fructibus comparatæ
„ sunt, dicta esse intelligantur; ne quæ de domestico
„ Ecclesiasticorum hominum cultu & ornatu per nos
„ in hac Synodo decreta fuut, aut ad propriam ava-
„ ritiam, aut ad propinquorum splendorem statata esse
„ videantur.

Concilii Tridentini Decretum de Canonica bonorum Ecclesiasticorum administratione, & consanguineis vel familiaribua ex eis non augendis, promalgarunt & executioni mandari jusserunt Concilium Cameracense anno 1565. Tit. 18. Cap. 16. Remense anno. 1583. Tit. *De Episcopis*, Cap. 8. Burdigalense eodem anno, cap. 16. Rotbomagense 1581. Tit. *De Episcopis* Cap. 13.

Mos in Galliis invaluit ut Beneficiatorum consanguinei in eorum bona succederent.

II. Sæculis 15. & 16. in Galliis invaluit consuetudo Ecclesiasticæ superiorum sæculorum Politiæ contraria, ut Episcoporam, aliorumque Beneficiatorum consanguinei in eorum boua etiam ex fructibus Beneficioram quæsita, succederent, sive testamenti tabulis instituti essent hæredes, sive ab intestato; ea lege a Christianissimis Regibus adstricti, ut ad Ecclesiasticarum ædium instaurationem tenerentur, & a Regia Judicibus compellerentur. Id constat ex Constitutione *Caroli* VI. an. 1385. edita, quæ habetur inter Probationes Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ Cap. 22. Num. 7. cujas hæc sunt verba: *Licet de Jure, usu, & consuetudine, & communi observantia notorie observatis, Episcopis Regni nostri testari liceat, & in suis testamentis executores ordinare, qui prædicti executores, aut saltem Episcoporum heredes, ad faciendum reparationes ædificiorum Episcopalium, dum casus eveniunt, per Judices & officiarios nostros compellantur & compelli consueverunt.* Et ea altera Constitatione anno 1406. edita, quæ ibidem legitur Num. 8. cajas hæc sunt verba: *Cum sit fructus Ecclesiarum & Beneficiorum quorumcumque etiam vacantium, tam secundam dispositionem Conciliorum Generalium & Jurium, quam secundum piam intentionem Fundatorum ordinari ad sustentationem Ministrantium in divinis, ipsiusque divini cultus augmentum, alimentationem pauperum, redemptionem captivorum, Ecclesiarum sacrorumque ædificiorum reparationem, terrarum & possessionum Ecclesiæ culturam, Jurium ipsarum conservationem, cæterorumque onerum incumbentium supportationem; adeo & quod bona per Prælatos post eorum obitum dimissa futuris debent Successoribus reservari, in Ecclesia utilitatem convertenda: nisi forte in illis locis Regni ubi de usu & consuetudine notorie observatis, licitum sit Prælatis ipsis, & aliis Viris Ecclesiasticis sæcularibus, de eisdem bonis facere testamentum, quibus etiam ab intestato, in dictis bonis, secundum consuetudinem & observantiam supradictas sui succedunt heredes.* Ex quibus patet in Patria dumtaxat Consuetudinaria, non autem ubi Jus Scriptum vigeret, morem illam obtinuisse, ut in Episcoporum, aliorumque Clericorum Beneficia Ecclesiastica possidentium, bona ipsorum consanguinei succederent, ut observat *Joannes Galli* Quæstione 16. & 290. Nihilominus inter Constitutiones Synodales *Stephani Poucherii* Parisiensis Episcopi, an. 1503 inaugarati, hoc Statutum legitur: *Prohibemus Clericis eorum rebus male uti, & de bonis eorum Ecclesiasticis testari, & legare aliis locis & personis, quam eorum Ecclesiis, si voluerint sacrilegium & ultionem evitare divinam, sicuti Sacræ Sanctiones prohibuerunt.*

Concilium Coloniense anno 1536. P. 13. Cap. 11. statuit ut ubi Sacerdos Provinciæ Coloniensis mortuus est intestatus, *bona ipsius, præter patrimonialia, quæ heredibus cedunt, deducta ære alieno & funeralibus, in piam causam pro Defuncti animæ salute convertantur.*

Concilium Toletanum an. 1556. Cap. 18. *Bona quæcumque eorum Clericorum, qui intestati moriuntur, ad Episcopum vel consuetudine, vel alio quocumque jure pertinentia ac devoluta, per eumdem Episcopum in pios tantum usus ejus arbitrio expendantur.*

Sixtus IV. Constitutione quæ incipit *Etsi Universis*, data Kalendis Januarii, an. 1474. Curialibus omnibus tam Laicis quam Ecclesiasticis facultatem concessit libere disponendi seu donatione inter vivos, seu testamento, de bonis Romæ & intra decem milliaria, quamvis ex fructibus bonorum Ecclesiasticorum acquisitis, utque decedentium ab intestato hæreditatem proximiores consanguinei colligant. Eamdem gratiam renovarunt *Julius* III. an. 1549. ac demum *Paulus* V. an. 1606.

JOANNIS DOMINICI MANSI

Nota.

NOnnulla a P. Alexandro in hoc IV. articulo tradita reformanda veniunt. Congregatio Canonicorum S. Salvatoris exordium suum accepit ex Illicetano Eremitarum S. Augustini cœnobio; nam Stephanus ejusdem Cœnobii Monachus a Gregorio Papa II. vestem Canonici Regalaris obtinuit; ille vero eadem veste socios alios Illicetaros donavit, regulam ad novi instituti normam & sibi sociisque assampsit. At non diu manserunt in pristino Monasterio, quod Augustinianis restitutum est; Stephanus vero cum sociis Bononiam sese receperunt. Ibi Guido Antonio de monte Feltro Urbinati & Eugubii Principi innotuerunt, a quo assignatum illis est Monasterium S. Ambrosii Eugubini. Hinc prioribus illis temporibus Canonici Ambrosiani dicebantur. Haud ita multo post adiancta illis est congregatio jam olim instituta S. Mariæ de Reno, quod sub Martino V. contigit; hæc vero congregatio Renana in cœnobio Bononiensi S. Salvatoris residebat. Ex his nomina varia ejusdem congregationis, nempe S. Salvatoris ex cœnobio Illicetano, S Ambrosii ex Eremitica domo Eugubini, S. Mariæ Renanæ, & S. Salvatoris Bononiensis ex adjuncta congregatione Renana, quæ in S. Salvatore Bononiensi residebat. Historiam huius congregationis Luculentam scripsit Reverendissimus P. D. Abbas Jo. Chryf-stomus Frombellius ejusdem Congregationis modo Abbas Generalis.

ARTICULUS VI.

De Immunitatibus & oneribus Personarum & Bonorum Ecclesiasticorum.

Decimæ, donaque gratuita.

I. DEcimas dônaque gratuita pro Ecclesiæ ac Reipublicæ necessitate Viri Ecclesiastici sæculo 15. & 16. conferebant. Decimas Gallicano Clero gravissimas imposuere Pontifices Avenione sedentes tempore Schismatis, adversus quas Parisiensis Academia non semel intercessit. *Martinus* V. sacro approbante Concilio Constantiensi Sessione 43. præcepit, *Jura quæ prohibent inferioribus a Papa Decimas & alia onera Ecclesiis & Ecclesiasticis Personis imponi, districtius observari.* Per Summos autem Pontifices *nullatenus imponi generaliter super totum Clerum, nisi ex magna & ardua causa & utilitate universalem Ecclesiam concernente, & de consilio & consensu & subscriptione S. R. E. Cardinalium & Prælatorum, quorum consilium commode haberi poterit. Nec specialiter in aliquo Regno vel Provincia, inconsultis Prælatis ipsius Regni vel Provinciæ, & ipsis non consentientibus; vel eorum majori parte, & eo casu per Personas Ecclesiasticas, & Auctoritate Apostolica dumtaxat levari.* Clerus Gallicanus Avarici Biturigum anno 1431. congregatus Regi Christianissimo quartam Decimæ unius partem concessit, ejusque Majestatem obsecravit, ne quid amplius a summo Pontifice exigi sine Cleri assensu pateretur. Anno 1431. *Eugenius* IV. Regi Cypri centesimam redituum Ecclesiasticorum Hispaniæ, Angliæ, Franciæ, & Delphinatas concessit, ut obsides Saltano Ægypti datos, cum ex ipsius carceribus dimissus est, liberaret. Anno 1443. *Alphonso* Aragoniæ & Siciliæ Regi subsidium ducentum mille florenorum auri per duos annos ex omnibus ditionum suarum Ecclesiis colligendum concessit ad Classem contra Turcas instruendam. Anno 1453. *Nicolaus* V. vindicandæ a Turcarum Tyrannide Constantinopolis desiderio flagrans, Sacram Expeditionem indixit, ad eamque promovendam universo Ecclesiæ Clero Decimas imposuit. Anno 1457. *Callistus* III. a *Carolo* *VII.* Re-

VII. Rege Christianissimo obtinuit, ut sacræ pariter Expeditionis contra Turcas gratia Decimam omnibus Galliarum Sacerdotiis imponeret, ut constat ex Epistola ejusdem Pontificia qua ejus Majestati gratias agit, edita Tomo 4. *Spicilegii*, pag. 391. *Pius* II. in Mantuano Conventu anno 1459. Decimam generalem indicto bello sacro, ab universalis Ecclesiæ Clero solvi decrevit, consentientibus Christianis Principibus. Germanis non placuit hæc impositio, gravesque ea de re ac tumultuosas querimonias edidere. Nationem Germanicam lenire literis suis conatus est Pontifex, quæ inter Epistolas *Jacobi* Cardinalis *Papiensis* leguntur. „ In Decima quidem, *inquit*, dolent antequam vulnus accipiant. Imposita est, sed non imperata, Nulli adhuc Nuntii, nullæ literæ visæ quibus mandetur Cleros quidquam conferre. Non sumus nescii viæ, quam teneri cum Germanis oporteat... Venienti ad Legationem Niceno colligendæ decimę dedimus literas: hoc tamen adjecimus, ut nummum sine consensu Nationis non peteret. Illa volente, faceret quod esset injunctum. Mandata servavit. De colligenda vero tractavit: non tamen ad executionem ullam processit. Satis est nobis, implere quod est debiti nostri. Si alii desunt officio suo, Dei est illud judicium. Imponendæ quoque Decimæ solius nostri non fuit Consilium. Mantuanus Conventus hoc approbavit. Ibi pro conservatione Fidelium, consentiente tota Congregatione, decimale subsidium laudatum est & receptum. Quod ergo tot Principum & Populorum, & tanti Cœtus fuit consensus, uni nobis non est adscribendum. Si Natio nolet, nihil exigetur.... Quamquam si institutionem nostram colligendæ Decimæ diligenter inspiciet, videbit nihil præter publicum bonum esse quæsitum. Quod colligendum in Germania erat, servari in Germania & a Germanis debebat. Nil inde fuerat exportandum, nisi quod Natio in publicam salutem vel ipsa converteret, utiliter vel converti videret.

Appellationes ab impositione Decimarum a Summis Pontificibus Clero Gallicano absque ejusdem Cleri consensu impositarum.

II. Cum anno 1490. *Innocentius* VIII. Decimas Clero Gallicano in subsidium belli sacri contra Turcas imposuisset datis ea de re ad *Carolum* VIII. Regem Christianissimum, & ad nonnullos Præsules literis, Parisiensis Academia de Pontificio hac in causa Decreto, ac de Censuris a Pontificiis Collectoribus latis vel ferendis hunc in modum appellavit die 13. Septembris, anni 1491. „ A Sanctissimo Domino nostro Papa Innocentio VIII. minus debite consulto ad se ipsum melius consulendum, & ad Sanctam Sedem Apostolicam etiam melius consulendam, nec-non ad Sacrosanctam Universalem Synodum celebrandam, illumque vel illos, ad quem seu ad quos de jure provocare & appellare nobis licet, in his Scriptis, tam pro nobis, quam pro nobis adhærentibus & adhæsuris... provocamus & appellamus. Protestantes nominibus quibus supra de prædictis Sententiarum & Censurarum nullitate juxta Canonicas Sanctiones: submittentes tamen omnia judicio Universalis Ecclesiæ Concilii, ad quod super omnibus præmissis habere recursum intendit præfata Universitas.

Cum *Alexander* VI. quæsito colore belli Turcici Clero Gallicano Decimas imposuisset absque Gallicanæ Ecclesiæ consensu anno 1501. *Ludovico* XII. Rege Christianissimo non repugnante, Parisiensis Academia adversus hanc exactionem, suam, Clerique Gallicani libertatem tuita est. Cumque Censuris ageret Pontifex in eos qui solvere detrectarent, Insignis Ecclesiæ-Parisiensis Capitulum Sacram Theologiæ Facultatem consuluit quid porro de hujusmodi Censuris sentiendum esset. Quæstionem per deputatos diligenter discussa & ventilata, sacer & eruditus Ordo respondit hunc in modum: Ad primam Quæstionem, *Utrum Censuræ contra eos, qui decimam per Pontificem sine congregatione & consensu Cleri impositam solvere recusarunt, latæ post appellationem interjectam timendæ sint, aut tamquam nullæ reputandæ*. Respondit: *Censuræ contra eos, qui ne Libertatem Ecclesiasticam & Decreta Sacrorum Conciliorum læderent, aut suavissimum Christi jugum servitute opprimerent, Decimam per moderatum Pontificem pro invasione Turcarum, ut fertur impositam solvere recusarunt, latæ post appellationem interjectam, nullius sunt roboris, nec timendæ*. Ad secundam, qua quærebatur, *Utrum propter hujusmodi Censuras teneantur Appellantes a celebratione & aliis Divinis abstinere?* Respondit eadem sacra Facultas: *Quod præfatæ Censuræ non obligent Appellantes, ut a celebratione, & aliis Divinis abstineant*. Hoc Judicium Doctrinale Kalendis Aprilis anno 1502. latum est, & die sequenti confirmatum, nemine reclamante.

Leo X. in Concilio Lateranensi Sessione IX. totius Ecclesiæ Clero Decimam per triennium imposuit ad Sacram Expeditionem contra Turcas: Quæ impositio nec Germanis, nec Hispanis grata fuit, & magnos apud utramque Nationem tumultus excitavit. Concilium Bituricense anno 1528. *Francisco* I. Regi Christianissimo quatuor Decimas concessit, ut filios in Hispania obsides liberaret. *Carolo* IX. regnante, anno 1561. Clerus Gallicanus Poissiaci congregatus cum Rege pepigit de summa sexdecies centenarum millium libellarum ex Sacerdotiis colligenda, quibus Regia Domania Civitati Parisiensi oppignerata redimerentur, censusque super iis constituti solverentur. Anno 1567. idem Clerus in Comitiis Generalibus per Deputatos congregatus novum cum Præfecto & Ædilibus Contractum init, in quo se obstrinxit ad solvendum Urbi quotannis summam senies centum & trigesies mille libellarum, ad Sacrum Patrimonium, seu Domanium Regis, pari censu gravatum, addictumque redimendum. Contractum istum, aliosque nonnullos improbavit Cœtus Generalis Cleri Gallicani Meloduni congregati annis 1579. & 1580. tamquam absque legitima potestate factos & absque debito Cleri consensu. Regi tamen concessit summam tredecies centum mille libellarum annuæ contributionis ad sexennium. Anno 1586. Clerus eamdem contributionem ad decennium continuavit. Contractus ille Cleri cum Prætore & Ædilibus in Regis utilitatem quolibet decennio in Comitiis Generalibus ejusdem Cleri renovatur. Præter hujusmodi contributionem Decimarum, Dona Gratuita Clerus Gallicanus Regibus conferre cœpit ab anno 1585. tunc quidem in belli contra perduelles Calvinistas conficiendi subsidium, deinde vero ob alias Ecclesiæ vel Reipublicæ necessitates. Horum fidem faciunt Cleri Gallicani Commentarii, Tom. 4.

Tertia Regibus Catholicis concessa.

IV. *Martinus* V. Joanni Castellæ Regi, & Successoribus, Decimarum Tertiam, quam olim in Templorum fabricationes & sarta tecta consumere moris erat, in sumptus belli Maurici concessit. Cum sacra illa vectigalia in profanos usus distrahi *Sixtus* IV. animadverteret, Concessionem a *Martino* V. Castellæ Regibus factam revocavit, sanxitque ut Tertiæ Templis restituerentur, ita tamen ut sacrorum illorum redituum media pars inde decerperetur, in ærarium Cameræ Apostolicæ referenda ad sumptus belli Turcici. *Ferdinando & Elisabethæ* Regibus Decimas Regni Granatensis concessit *Innocentius* VIII. ab eodemque Jus Tertiarum ipsos in perpetuum obtinuisse, verisimilli rum est. Anno 1517. universus Hispaniæ Clerus Madriti congregatus est, quod Roma scriptum esset, Pontificem ob metum irruptionis Turcarum Decimas sacrorum omnium redituum ab Hispanis exigere velle. Statutum est ut ejus Sanctitati supplicaretur, ne inaudita exactione Clerum gravaret; cum Generalia Concilia sanxissent, ne quis Pontifex Decimas exigeret, nisi Christiani hostes nominis prius in Christianorum fines irrupissent. Si nihilominus Pontifex rem urgeret, deliberatum est Clerum minime pariturum. Ita refert *Anglerius*, qui huic Hispanici Cleri Conventui ut Prior Ecclesiæ Granatensis intererat, Epistola 596. Anno 1523. *Adrianus* VI. Quartam omnium proventuum Ecclesiasticorum in Hispania *Carolo* V. concessit. Ea de re graves ad ipsum Pontificem querimonias detulit Clerus Hispanus, & ab Archiepiscopo Granatensi hujus exactionis constituto Executore interim appellavit. Supplicationis & Appellationis hujus Instrumentum editum est inter Probationes Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, Cap. 22. Num. 29. pag. 626. quo hæ rationes intercessionis a Clero Hispano Vallisoleti congregato factæ proferuntur: „ Primo, quia hæc impositio Quartæ expresse est contra Decretum Martini V. in Concilio Constantiensi Spiritus Sancti gratia in Domino congregato, quo inter alia cavetur expresse, nullam Decimam vel subsidium super universo Clero generaliter per Sedem Apostolicam in futurum imponi debere absque consilio & assensu & subscriptione S. R. E. Cardinalium & Prælatorum, quorum consilium commode haberi posset; nec specialiter in aliquo Regno vel Provincia, inconsultis Prælatis ipsius Regni vel Provinciæ, & ipsis consentientibus, vel eorum majori parte: quod minime in hujusmodi Quartæ impositione factum esse dignoscitur. *Secunda ratio hæc est*: Cum Sixtus IV. pro certa pecuniæ quantitate loco cujusdam charitativi subsidii, quam a Clero istorum Regnorum justis de causis & evidenti necessitate urgenti habuit &

Appellatio Cleri Hispanici de impositione Quartæ ab Adriano VI. facta in gratiam Caroli V.

„ re-

recepit, motu proprio & de certa ſcientia, dictum Clerum Caſtellæ & Legionis ab omni Decimarum & ſubſidiorum ſolatione tam per ſe quam per alios Romanos Pontifices imponendorum, in futurum liberavit & abſolvit, ac immunem eſſe ſtatuit & declaravit: Quod vim contractus ſeu obligationis inter Romanos Pontifices & ipſum Clerum conſtat obtinere, ad cujus obſervationem etiam Succeſſores ſui ſaltem ex quadam naturali æquitate tenentur. *Tertia ratio*: Cum ex Decimis & redditibus Eccleſiaſticis dictorum Regnorum Caſtellæ & Legionis Eccleſiis debitis, & Clero, quotam ſeu partem, quam vulgus Tertias appellat, ex conceſſione Apoſtolica Reges dictorum Regnorum pro continuo bello contra Infideles ſingulis annis perceperint, prout Cæſarea & Regia Majeſtas Caroli Regis percipit de præſenti, hæc ſubventio & ſubſidium ſufficere deberet pro bello contra Turcas, abſque nova Quartæ impoſitione. *Quarta ratio*: Manifeſtum eſt, Magiſtratus S. Jacobi, & de Calatrava, & de Alcantara, & Prioratum S. Joannis, cum omnibus Commendis dictorum Magiſtratuum & Prioratus, ea redditibus Eccleſiaſticis provenire, & ex illis fuiſſe & eſſe fundatos & inſtitutos, ut Reges Hiſpaniæ bellum continuum contra Infideles ſuſtinerent. Cum igitur dicti Magiſtratus & Commendæ ad magnam quantitatem redituum aſcendant, magnique redditus & Decimæ ex fructibus & redditibus Eccleſiaſticis ad effectum belli ſupra dicti extrahantur, ex quibus dictum bellum contra Turcas exerceri & ſuſtineri poſſet, coadunatis Tertiis ſupra dictis, quis dubitat quod ſi inſuper Quarta ab Eccleſiis, Eccleſiaſticiſque Perſonis exigeretur, maximum damnum & dura calamitas eis imminetet? *Quinta ratio*: Regnis Italiæ, & aliis Regnis & Provinciis, periculo & bello Turcarum vicinioribus, ſola Decima impoſita eſt. Deterias autem & incomportabilius eſt, quod in iſtis Regnis, non ſolum Decima, ſed & Quarta exigatur a Clero, cui dictum bellum contra Turcas non incumbit; & ideo omino eſſent ab iſta contributione liberandi.

Sexta ratio: „ Cum retroactis temporibus crudeliſſima bella viguerunt, maximaſque jacturas & calamitates civitates & incolæ dictorum Regnorum a Saracenis ſuſtinuerunt, numquam tamen viſum neque auditum eſt, quod ab aliis Regnis, ſaltem a Clero ipſorum, ſit aliquod ſubſidium vel ſuccurſus impenſus: injuſtum igitur eſſe videtur, quod ab eis pro dicto bello Turcarum Quartam prædictam exigant: præſertim quod tam in bellis Regni Granatæ, & aliorum Regnorum & Provinciarum Africæ vicinarum continua bella & deprædationes viguerint & vigeant, & multorum Chriſtianorum quotidie captivitates videantur, quod ſatis dolendum eſt: ſi dicta Quarta ſolveretur ad bellum contra Turcas, cum neceſſitas propinquior immineret, exactis & conſumptis pecuniis dictorum Regnorum, impoſſibile eſſet dicto diſcrimini & periculo ſubvenire: Quod contra rationis tramitem eſſet, cum ubi majus periculum vertitur, ibi cautius ſit agendum: & propinquis & vicinis potius ſit ſubveniendum quam extraneis & remotis. *Septima ratio*: Quis dubitat dictam quartam eſſe inauditam, numquam ullis retro temporibus viſam, & novum eſſe genus exactionis, & ex ejus impoſitione maximum ſcandalum toti Eccleſiæ, & Perſonis Eccleſiaſticis iſtorum Regnorum generari, magnaque inconvenientia ex dicta impoſitione ſequi poſſe? Certum eſt enim ſubventiones pauperum, peregrinorum refugia, & eleemoſynarum largitiones, Templorum erectiones & reparationes ceſſaturas, & maximam diminutionem perpeſſuras. Quis ignoret Monaſteria Monialium, quæ ſine dicta Quartæ impoſitione pauperrimæ erant, omnino fame peritura, ipſaſque Moniales, quod deterius eſt, ſacras domos exituras: Hoſpitaliaque, quorum reditus via pro modica infirmorum alimonia ſufficiebat, dictis eleemoſynis & alimoniis multo magis defectura; ipſoſque Dei pauperes variis languoribus cruciatos, quam citius horridam mortem incurſuros; totumque nervum Eccleſiaſticæ Diſciplinæ turbari? *Octava ratio*: Cum Cæſarea Majeſtas Caroli Imperatoris, Regis noſtri, viſa quadam ſchedula Regis Ferdinandi Catholici & Potentiſſimi Principis noſtri, glorioſæ memoriæ ejus avi, per quam pollicitus eſt ſe nullo modo permiſſat in aliquod ſubſidium ſuper dictum Clerum imponi, niſi certo modo & forma in dicta Capitulatione contentis, confirmaverit, fideque Regia, & promiſſione fortiſſima pollicitus ſit, ſe dictam Capitulationem ſervaturum; & pro abundantiori cautela & ſecuritate dicta Capitulatio inter Principem & Clerum facta in Contractum tranſierit, omnino ſervanda eſt, & Dominus noſter Papa dictam confirmationem Prædeceſſorum ſuorum juſtitia mediante, non infringendam, ſed omnino adimplendam declaravit. His de cauſis (*inquit Hiſpaniæ Clerus*) ſentientes Nos ex dicta Quartæ impoſitione fuiſſe multipliciter læſos, gravatos & oppreſſos, ac timentes nos & noſtrum quemlibet plus in futurum lædi, gravari & opprimi poſſe: ab eodem Domino noſtro Papa Adriano VI. non bene informato, ad eumdem melius informandum ſupplicamus; & a R. Dom. Archiepiſcopo, quatenus dictæ exactionis Quartæ executore prætenſo, & a ſuis præmiſſis Proceſſibus, Cenſuris, & pœnis, comminationibus, & omnibus aliis & ſingulis in dictis ſuis Proceſſibus contentis, appellamus eo modo, & forma & cauſa, quibus melius poſſumus & debemus, ſalvo jure nullitatis principaliter proſequendo ad eumdem Sanctiſſimum Dominum noſtrum Papam, ſuamque Sanctam Sedem Apoſtolicam.

V. Mexicana Synodus anno 1585. celebrata, Eccleſiæ Mexicanæ erectionem imprimis adſcribit, cum *Joannis de Cumarraga* primi Epiſcopi Mexicani, & Sedis Apoſtolicæ Commiſſarii Statutis, inter quæ iſtud legitur de diviſione Decimarum §. 24. „ Volumus inſuper, & de conſenſu & beneplacito Sereniſſimæ Majeſtatis, & eadem auctoritate Apoſtolica ſtatuimus, decernimus & mandamus; quod omnium Decimarum, tam Cathedralis, quam aliarum Eccleſiarum dictæ civitatis & Diœceſis fructus, reditus, & proventus in quatuor æquales dividantur partes, quarum unam Nos & Succeſſores noſtri Epiſcopi, perpetuis futuriſque temporibus, pro honore Pontificalis habitus ſuſtentando, abſque aliqua diminutione pro noſtra ſpeciali menſa habeamus. Decanus vero & Capitulum, & reliqui Miniſtri Eccleſiæ, aliam quartam partem inter eos dividendam habeant: a quibus partibus, licet ex commiſſione Apoſtolica, & longævo temporis uſu, moribus & conſuetudine approbata, eadem Catholica Majeſtas tertiam partem (Tertias in Hiſpania vulgariter nuncupatas) habere & recipere integraliter conſuevit, volens erga nos ſuæ liberalitatis dexteram extendere... Nos, & Epiſcopos Succeſſores, & Capitulum in ſua quarta Decimarum parte, liberos, & exemptos eſſe voluit. Reliquas vero duas Quartæ partes iterum in novem dividendas partes decernimus; duas quarum eidem Majeſtati Sereniſſimæ in ſignum Superioritatis & Jurispatronatus, ac ratione acquiſitionis prædictæ terræ, futuris perpetuis temporibus percipiendas & levandas applicamus.

VI. Non ſolum ab omni Militiæ onere, quo jam pridem levati erant, ſed ab omni contributione pecuniæ pro Militum ſubſidio, ac eorum in ſuis ædibus manſione, Clericos immunes declaravit *Carolus* VII. Rex Chriſtianiſſimus anno 1445. Volens tamen ut aliis modis per Regias literas ad ſingulas Diœceſes mittendas ſignificandis, ad ferenda militiæ onera ſumptuſque conferrent etiam ac juvarent. Par non fuit Virorum Eccleſiaſticorum cæteris in Regnis felicitas. In Germania enim, Hungaria & Polonia Militiæ oneribus ſubjacebant. In Conſtitutione *Alberti* II. Imperatoris anno 1439. pro Hungaris edita, quam apud *Goldaſtum* Tom. 3. Conſtitutionum Imperialium legere eſt, hic habetur Articulus: *Item Eccleſiæ, & Eccleſiaſticæ Perſonæ a taxis non diu abuſive introductis liberæ & abſolutæ relinquantur, ſervitia tamen exercitualia more alias conſueto, facere teneantur.*

Viri Eccleſiaſtici in Galliis, non item in cæteris Regnis, ab omni Militiæ onere liberi.

Hungariæ Rex *Ladiſlaus*, Rex etiam Romanorum deſignatus, anno 1454. Conſtitutionem edidit, quæ a *Friderico* III. Imperatore confirmata eſt, & habetur apud *Goldaſtum* Tom. 3. Conſtitutionum Imperialium pag. 479. cujus ſecundum caput ſic habet: *Item Domini Archiepiſcopi, Epiſcopi, Præpoſiti Cœnobiorum, & Capitula, ac Abbates, & alii Dignitates & Honores Eccleſiaſticos majores tenentes, quemadmodum tempore quondam Domini Sigiſmundi Imperatoris & Regis, avi noſtri conſueti fuerant, cum ipſorum banderiis, ac numero lancearum exercituare teneantur: ita videlicet, quod quantumcumque Eccleſiarum ſeu Perſonarum Eccleſiaſticarum proventus per inimicos extitiſſent minorati, juxta limitationem electorum hominum prædictorum, etiam hujuſmodi exercituatio earumdem Eccleſiarum, ſeu Perſonarum Eccleſiaſticarum cum tanto defectu minoretur: quod etiam aliæ perſonæ Eccleſiaſticæ.... juxta quantitatem proventuum,.. exercere teneantur.*

In-

Inter Statuta Regni Poloniæ, istud habetur *Casimiri* III. Regis anno 1475. editum : „ Item spirituales pro hac Expeditione debent servire ad bellum, juxta facultatem & exigentiam bonorum suorum, ne sine provisiona bona iidem eorum, prout & Nobilium anoihilentur per belligeros & damnificentur . . . . . Item Ecclesiæ & Cathedrales & Collegiatæ, Abbates sive Præpositi Cœnobiorum, debent expedire Armigeros in eo numero, juxta quod in Synodo super unumquemque laudabitur. Item Episcopi debent habere intelligentiam cum Plebanis Parochialibus, ut illi etiam faciant subsidium suo Episcopo. *Anno* 1544. *Rex* Sigismundus Augustus *statuit ut Viri Ecclesiastici*, prout facultas ipsorum maxime tulerit, Expeditionem facere teneantur, ita tamen ut contra solius potentioris hostis vim, & non aliter, expeditio hæc per illos fiat : & immunitatem ipsorum Personæ habeant a profectione bellica ; sed aliis loco sui missis, officio suo fungantur, Sacrificiis & Orationibus Deum placantes.

Pag. 33.

Ibid. p. 38.

Hispaniæ Præsules, aliique Viri Ecclesiastici, ab onere Militiæ nondum erant immunes ac liberi Sæculo 15. ut colligitur ex Concilio Toletano anni 1473. Canone 15. cujus hæc sunt verba : „ Absurdum & nostræ Religioni dispar & incongruum videtur, ut Regale genus Sacerdotum cum temporalibus Dominis militariter vivendo, in eorum servitutem redigatur. Ideoque hortamur Episcopos, cæteris Beneficiatis præcipimus, ne cum Dominis sæcularibus cujuscumque gradus, status, ordinis, seu conditionis existant, exceptis Regia Majestate, & Regiis Personis, vitam militarem ad auxilia armorum præstanda ducere audeant dissolutim seu ab eis terras, stipendia, & salaria, vel pecunias quascumque, ut armis per se vel per alios deserviant, eum Equitum seu Peditum gentibus, quomodolibet exigere vel levare præsumant.

SCHOLION I.

In hoc Articulo Num. 2. pag. 175. Religiosi Censores hanc Propositionem notant : *Appellat Academia Parisiensis ad futurum Concilium pro Decimis*.

R. Ab impositione Decimarum a Summis Pontificibus Clero Gallicano facta absque ejus consensu, eumdem Clerum non semel appellasse, Historiæ Monumenta & acta publica probant. Et hæc mera facti quæstio. Non enim hic expendo an jure appellatum sit, vel quid in similibus rerum circumstantiis fieri debeat.

SCHOLION II.

Ejusdem Articuli pag. 176. Religiosi Censores notant : *Responsa Academiæ Parisiensis ad insignis Capituli Parisiensis Ecclesiæ Quæstiones* circa Decimarum impositionem Ecclesiæ Gallicanæ factam absque Cleri consensu, latasque Censuras in eos qui solvere recusabant.

R. Hæc historice refero ; Meum hic de rebus non interpono judicium.

SCHOLION III.

Ad eumdem Articulum pertinet hæc Indiculi Censorii nota: *Statutum est ut ejus Sanctitati supplicaretur, &c. usque ad pag.* 183. *Num.* 5. *delendum*.

R. Appellatio Cleri Hispanici de Impositione quartæ ab Hadriano Sexto facta in gratiam Caroli V. his paginis describitur, & intercessionis hujus rationes ex ipso Appellationis instrumento exhibentur. Mera Historiæ res est. An juste vel injuste Hispaniæ Clerus appellaverit, non expendo, non pronuntio. Erudito Viro P. Ludovico Thomassino vitio non est datum, quod hanc Hispanici Cleri Appellationem, & rationes in ea expositas historice commemoraverit P. 4. Lib. 3. *De Ecclesiæ Disciplina*, cap. 25. Num. 5. pag. 606. Edit. primæ. Cur id mihi vitio vertatur?

Nota.

JUris esse summi Pontificis exactiones a Clero solvendas concedere, idque non solum pluries concessisse, sed & censuris ad easdem præstandas compulisse, adnotavi supra post articulum septimum primi capitis. Non inhibetur tamen Clero, quin suæ rationes renitentiæ summo Pontifici possit exponere.

JOANNIS DOMINICI MANSI

Nota.

IMpetrare ex me non possum quin exemplum illustre de Decimis a Clero Gallicano solutis, & de ratione qua in iis exigendis solvendisque utebantur, afferam ipsis verbis Ægidii de Bellamera Avenionensis Episcopi in consilio 123. quod nondum editum legi in codice MS. omnium ejus Consiliorum, existente in Bibliotheca Canonicorum Majoris Ecclesiæ Lucensis. En illud. „ Ad futuram memoriam, ut videlicet sciantur in posterum rationes, causæque urgentes per quas R. P. Ægidius Avenionensis Episcopus ad instantiam generalium Consiliariorum Regis Franciæ & D. Ducis Bituricensis, ipsius Regis in lingua Occitana & Ducatu Aquitaniæ deputatorum super facto omnium firmariorum in patria linguæ & Ducatus prædictorum fuit arctatus ad dandum judicem seu constringendum personas Ecclesiasticas suæ Diœcesis in regno Franciæ consistentes ad solvendum dacias seu impositiones Regi seu Firmariis aut Commissariis ipsius prout pro parte dictorum Generalium dictus Episcopus fuit requisitus armentur hic articulatim illa quæ in isto negotio contigerint. Sed tamen scire debes quod Episcopus Avenionensis postea sub tali ingenio impedivit ne dicta arctatio effectum haberet ; & finaliter nullum judicem dedit, de quo omnes vicini Episcopi in Regno constituti, qui omnes dederunt judices, fuerunt admirati, sed nihilominus dictus Episcopus mandavit rationes infrascriptas hic referri ad memoriam futurorum.

„ Primo quidem, ut videatur, quod istud negotium non est novum, est sciendum quod D. Urbanus Papa V. cum ista per Regem Carolum patrem hujus Regis ab isto Urbano peterentur, ipse Urbanus commisit quibusdam Archiepiscopis regni Franciæ in lingua Gallicana istud negotium potestatem prædictam ipsi Regi auctoritate Apostolica concedendi. Qui prædicta finaliter ad certum tempus concesserunt ; sic tamen, quod per gentes Ecclesiasticas non auctoritate Regis levarentur ; & ita fuit de facto reali executioni demandatum. Et demum per Gregorium XI. Clementem VII. & usque ad Benedictum XIII. fuerunt similes concessiones Regi factæ & continuatæ ; propter quæ gentes regiæ dicebant tempore D. Benedicti quod Rex Franciæ prædicta possederat per XXVII. annos & ultra. Papa vero Benedictus XIII. per Regem etiam super hoc requisitus, ad certum tempus concessit ; & post secunda vice requisitus quod ad tempus aliud similiter prorogaret posint istud in longis disceptationibus & deliberationibus, suo more ; & sic quod usque ad subtractionem obedientiæ sic factum absque alia nova concessiona transivit, (& ut dicitur) fuit ista inter alias causas una propter quam assistentes Regi consuluerunt prædictam subtractionem faciendam.

„ Secundo, ut videatur, quod Prælati Regni Franciæ utriusque linguæ, Gallicanæ videlicet & Occitanæ, circa hoc fecerunt, prædicta subtractione durante ; sciendum est quod de anno a Nativ. Do. MCCCXCVIIJ. de mense Julii vel Augusti, prædicti Prælati Regni Franciæ utriusque linguæ Parisiis pro facto dictæ subtractionis simul congregati tunc pro parte Regis instanter requisiti & nimis arctati, considerantes expensas quas Rex fecerat & continua faciebat pro Ecclesia & ipsius unione finaliter & concorditer Regi similes etiam & ad certam tempus fecerint concessiones, & Commissarios Ecclesiasticos, videlicet quisque in sua Diœcesi, super hoc deputarunt, Demum, appropinquante fine temporis concessionis antedictæ, Prælati linguæ Gallicanæ cum aliquibus Prælatis linguæ Occitanæ, secundo ex prædictis & aliis causis pro parte Regis fuerint cum maxima instantia iterum requisiti, quod aliam similem concessionem facerent duraturam ad triennium, a principio mensis Octobris proxime præteriti, anni videlicet Christi MCCCCII. computandum, qui istud finaliter concessarunt. Salvo quod cum Franciscus Narbonensis Archiepiscopus, Sedis Apostolicæ Camerarius, duo Concilia Provincialia super hoc tenuisset & omnes Prælati, vel quasi suæ provinciæ in hoc consentirent, solus Episcopus S. Pontii per se vel suos in hoc (ut dicitur) contradixit ; & propterea tota temporalitas sua (ut dicitur) ad manum Regis posita fuit ; licet postea fuerit liberata. Et ea eadem causa dici-

„ tor fuisse occupata temporalitas D. Avenionensis, licet aliæ allegentur causæ. Et ut appareat quam violenter & animose gentes regiæ istud prosequantur, etiam est sciendum quod nuper cum quidam licentiatus in decretis Canonicus Regularis in sacerdotio & in habitu religioso & sacerdotali constitutus, personaque bene notabilis in monte Pessulano propter quædam gravamina secundum se, sibi in hac materia per judicem datum, per D. Magalonensem Episcopum injuste illatum appellasset, prædicti Generales dictum Canonicum Regularem, Presbyterum & Licentiatum, in prædicto habitu consistentem propter præmissa capi, ligari, & ad Castrum Rupismaurum pro carcere tenendum destinarunt & ibi in carcera tenent. Tertio, ut videatur qualiter dictus D. Avenionensis, Aniciensis Episcopus in hac materia arctatus fuerit, sciendum est quod dicti Generales instantibus & procurantibus eorum firmariis scripserunt, prædicto Avenionensi Episcopo apud S. Laurentium constituto de mense Novembri proxime præterito requirendo eum ex parte Regis, & D. Ducis Bituricensis quod cum gentes Ecclesiæ Cleri Linguæ Occitanæ concessissent Regi quod solverent eidem Regi datas seu impositiones simili modo, sicut solvant illi de lingua Gallicana; & nihilominus aliqui de subditis ipsius Episcopi stantes in regno Franciæ essent contradictores, & relutantes in solutione prædicta, haberat dictus Episcopus dictos subditos suos compellere ad solutionem prædictorum, & dare judicem pro compellendo prædictos omnibus vicibus quoties judex per firmarios Episcopatus Avenionensis requisitus foret. Verum quia ista materia non erat dicto Episcopo Avenionensi grata, & quia pro toto non erat aliquis qui eum prosequeretur, ipse Episcopus pro tenore superdictarum literarum, executione nihil fecit. Verum qui postea die Martii lexix mensis Februarii anno x N. D. MCCCIII. hora tarda accessit ad dictum &c.

CAPUT VIII.

DE GRÆCORUM IMPERATORIBUS.

Manuel Palæologus.

I. SÆculo ineunte 15. Græcorum Imperium regebat *Manuel Palæologus* immanique bello a *Bajazethe* Turcarum Rege premebatur: ideoque ad eliciunda a Francorum præsertim Anglorumque Regibus auxilia in Occidentem venerat; seu ob Anglicos tumultus, Regisque Christianissimi *Caroli V.*, morbum rebus infectis in Orientem redierat, ut *Juvenalis de Ursinis* in Historia *Caroli* VI. refert. Verum ante reditum fuerat mirum in modum recreatus, accepto nuntio de soluta Constantinopolis obsidione a *Bajazethe* ob *Tamerlanis* in Syriam irruptionem, ingentesque Turcarum strages ab iis editas, ut tradunt *Chalcondilas* lib. 3. *De Rebus Turcicis*, *Bzovius* Historiæ *Rerum Persicarum*, lib. 9 & Magnum Chronicon Belgicum. Propensum ad utriusque Ecclesiæ conjunctionem animum præ se tulit, & olim cum a *Bajazethe*, & cum ab *Amurathe* II. Constantinopolis obsidio acrius urgeratur anno 1422. Anno 1419. in *Joannis* filii gratiam sese Imperio abdicaverat, ut *Phranzes* testatur; qui & ipsum obiisse scribit anno 1425. die 21. Julii ex diuturna famiapoplexia. Eo morbo fuerat primum correptus die 3. Octobris anno 1422. cum *Antonius Massanus*, Ordinis Minorum, Nuntius Apostolicus *Martini* V. nomine cum ipso de conjunctione Ecclesiarum ageret: at ejus Legationis Acta in Concilio Senensi relata fidem faciunt, sed ne tunc obiisse credatur, (quod *Odoricus Raynaldus* existimavit) *Phranzis* testimonium prohibet Lib. 1. Cap. 41. Biduo ante obitum Monasticam vestem induerat, sumpto *Matthæi* nomine.

Joannes Palæologus. Concilio Florentino subscripsit.

II. *Joannes Palæologus*, Manuelis filius, patre felicior, quod Religionem spectat; Græcæ cum Romana Ecclesia conjunctionem in Concilio Florentino promovit; Fideique Definitioni & Decreto Sanctæ Unionis subscripsit pridie Nonas Julii anno 1429. Nihil non egerat Turcarum Princeps *Amurathes*, ut *Joannem Palæologum* ex profectione Italica, atque a conjunctione cum Latinis deterreret, suis de tentanda rursus Constantinopolis expugnatione consiliis Ecclesiarum fœdus moras allaturum censens. Nec inanis ipsius metus erat. Completa enim Unione, suppetias Græcis contra Turcas profusa liberalitate tulit *Eugenius IV.* Pontifex Maximus; majoraque subsidia decreverat, & justi missionem Exercitus. Sed sua uti felicitate noluit *Palæologus*, remissoque Schismatis evertendi studio, occasionem *Eugenio* dedit suas pariter curas de copiis auxiliaribus destinandis remittendi, ut constat ex literis ejusdem Pontificis ad *Constantinum Palæologum* 11. Kalendas Maji anno 1541. datis. Obiit die 31. Octobris, anno Christi 1449. ætatis 58. Imperii 24. ut *Phranzes* testatur Lib. 2. Cap. 19.

Constantinus Palæologus.

III. Mox ut vulgatus est *Joannis Palæologi* obitus, *Thomas Despota* Constantinopolim appulcuit, ac Demetrii *Porphyrogeniti*, qui etsi ætate junior Imperium affectabat, factio compressa est: Decretum ut *Constantino* inter *Joannis Palæologi* fratres natu maximo Imperium deferretur, missique *Alexius Philanthropenus*, & *Manuel Palæologus* in Peloponesum, qui ipsum anno 1450. die 6. Januarii Spartæ Augustali Corona cinxere. Legationem ad *Amurathem* destinavit, ut ipsum de morte fratris, suaque in Imperium successione certiorem faceret. Hanc legationem obiit *Georgius Phranzes*. Ad Florentini Decreta Concilii promulganda, Sanctæque Unionis consummandum opus *Constantinum Palæologum* gravissimis literis hortatus est *Nicolaus* V. Pontifex Maximus, & nisi Schisma penitus aboleret, Constantinopolis expugnationem, Imperiique excidium infra triennium Deo est interminatus. Contigit illud anno 1453. non absque cœlestibus portentis. Obtritus in porta fuit *Constantinus* dum fugam tentaret, anno Imperii 4. ejusque caput dein præcisum infixumque hastæ per Barbarorum castra circumlatum est. Exercuere crudelem in Christianos carnificinam Turcæ, omneque stuprorum, rapinarum, & in Templis sacrilegiorum genus. Obsidionem absit, perfecitque *Mahometes secundus* qui everso Christianorum in Græcia Imperio, primus Turcarum Imperium extulit. De Constantinopolit expugnatione & eversione legesis *Phranzem* Lib. 3. *Isidori* Cardinalis *Rutheni* literas a S. *Antonino* relatas 3. p. Tit. 23. Cap. 13. Auctorem *Turcogræciæ* lib. 1. &c.

Constantinopolis a Turcis expugnata.

CAPUT IX.

DE TURCARUM REGIBUS ET IMPERATORIBUS XV. & XVI. Sæculis.

ARTICULUS I.

De Filiis Bajazethis, & Amurathe II.

Filii Bajazethis.

I. SEx filios habuerat *Bajazethes* quorum unus *Mustaphazelebis* in Temiriano prælio fuerat desideratus; quinque insuferant patri superstites, *Emir Solimannes*, *Isa Zelebis*, *Musa Zelebis*, *Sultanus Mahometes*, & *Casa Zelebis*, tempora prælii adhuc puer, ut habent Annales Turcici *Leunclavii*. Alter *Bajazethis* filios numerat appellatque *Chalcondilas* Lib. 4. *De rebus Turcarum*, scilicet *Jesum*, *Musulmanem*, *Mosea*, *Mechmeten*, *Jesum Minorem*, & *Mustapham*: ac *Jesum* natu minimum, cum apud Græcos se recepisset, Christianis Sacris initiatum fuisse. Ut ut est, *Bajazethis* filii reliqui totis pene duodecim annis de Imperio acerrime dimicarunt; Asiamque & Europam cruentis præliis infestarunt, mutuam in cædem semper armati. Tandem *Mahometes*, qui digladiantibus fratribus latuerat, a quodam infimæ sortis opifice educatus, emersit & cum sua virtute, tum Principis Tryballorum & Thraciæ, ac Ducum ad ipsum deficientium auxiliis, Asiæ primum, deinde cæterarum Turcicæ ditionis Provinciarum Imperio potitus est, anno ætatis circiter 28. Christi 1414. Cum Græcis amicitiam, pacemque coluit, *Ismaeli* Sinopæ Principi bellum denuntiavit: at ille Tributi pollicitatione pacem redimere maluit, quam incertam belli aleam experiri. Bello lacessivit Venetos propter regionem quæ Jonium spectat, quam immissis copiis devastare aggressus est. Commissum Venetorum inter Turcarumque classem prælium, Veneti Barbarorum naves tredecim cœpere, plerasque tamen vacuas: Lampsacum insuper expugnarunt. Missis utrinque Legationibus, mox sancita pax. Deinde a Caramaniæ Principe bello petitus *Mahometes*, Caramanum, qui in Prusiam cum exercitu irruperat, debellavit, & in potestatem accepit cum supremo copiarum suarum Duce *Zebuco Mustapha*. Multis ultro citroque colloquiis habitis, tandem compositum his legibus dissidium est, ut Caramanus *Mahometi* tribus oppidis & uno castro cederet: quorum deditione facta vicissim *Mahometes* Caramanum muneribus cohonestavit, & libertati restitutum suam in Provinciam remisit. Posthac VValachos bello aggressus ad Danubium castra locavit, ipsisque Tributum imperavit.

Tam

Tum Serras profectus, eam civitatem occupavit. Mox Prusam reversus, Hadrianopoli Templum quod frater ejus *Emir Solimanes* exstruere cœperat, absolvi curavit. Aliud Prusæ Fanum Schola & Xenone condidit. Obiit anno Hegiræ 824. Christi 1422. ut referunt Annales Turcici.

Amurathes secundus.

II. Filius ipsi successit *Amurathes* II. Is initio Principatus *Dusmem Mustapham*, qui *Bajazethis* filius dicebatur, quique Serras occupaverat, ac Romaniam totam in deditionem acceperat, debellavit; & *Mustapham* fratrem suum turbas in Anatolia concitantem oppressit. Mox ductis in VValachum Vaivodam copiis, omnem late regionem populatus est. Transportatis deinde per Helespontum copiis, Thessalonicam cepit, anno Christi 1431. Contra Hungaros & *Uladislaum* Regem bellum habuit, cladesque maximas Christianis intulit: Christianam rem ea tempestate in Pannonia & Albania sustinebant fortissimi duo Principes, *Joannes Corvinus Huniades*, & *Alexander* Rex Epirotarum, qui *Scanderbegas* vulgo appellatur eo nomine in Historia celebratissimus. *Huniadis* egregia virtus *Amurathem* primum compulit ad pacem cum *Uladislao* Rege Hungariæ æquissimis conditionibus ineundam. Sed eam Turcis Asiatico bello distentis cum imprudenti consilio disturbassent Hungari, Christianus Exercitus a Turcis ad VVarnam profligatus est: quo in prælio cum *Uladislaus* ipse Rex, tum *Julianus* Cardinalis, repetendi contra fœdus belli auctor occubuit die 10. Novembris anno 1444. quam diem Turcæ in Fastos suos retulere. Id ex ipsorum Annalibus ex *Chalcondila* Lib. 7. ex *Ænea Sylvio* in Europa, ex *Bonfinio* Decade 3. Libri 6. & *Nauclero* certum est. A *Scanderbego* Epiri Rege non semel repulsus, victusque *Amurathes*, dum ejus Regni caput Croiam obsideret, ex mœrore decessit (ut *Barletus* testatur in *Scanderbegi* Vita) sive Adrianopoli post turpem Crojanæ obsidionis solutionem, (ut alii tradunt.) Apoplexia extinctum, cum nimia vini copia se in convivio ingurgitasset, *Chalcondilas* scribit Libro 7. Fatalis ipsi fuit annus Hegiræ 855. Christi 1451. Regni 31. Genitzaros magnis Privilegiis donavit, ac novam instituit militiæ formam. Ipsis etiam cœlibatum imperavit, ne eorum animus ac fortitudo uxorum amore frangeretur, & ne liberorum cura distinerentur. Recti & æqui amantem *Chalcondilas*, aliique fuisse scribunt. Singulare quiddam in VVarnensi prælio ab *Amurathe* gestum Auctores nonnulli commemorant. Cum scilicet cæsis in utroque cornu Amurathæis, res Turcarum in extremo discrimine versarentur, *Amurathem* e sinu prolata Hostia consecrata Christiano rito, quam ab *Uladislao* Hungarorum Rege in pignus pacis nusquam violandæ acceperat, & erectis ad cœlum oculis, in hujusmodi verba prorupisse: *Christe, si Deus es, ut Christiani tui de Te perhibent, vindica perfidiam tuorum, qui te mihi dedere pignori, nihiloque minus adeo religiose sancitam pacem per summum scelus violarunt*. Quibus ab ipso prolatis, victoria statim in Turcarum partes inclinaverit. Sed ut cætera vera esse demus, illud tamen de Hostia in pignus data, fabulam esse arbitramor, his freti *Leunclavii* verbis in Pandectis Historiæ Turcicæ Cap. 116. *Philippus tamen Callimachus hanc rem tam secreto referre videtur actam, nihil ut certi de tradito tali pignore vulgo constaret*.

Fabula.

ARTICULUS II.

De Mahomete II. & Bajazethe II.

Mahometes secundus.

I. AMurathi II. successit *Mahometes* sive *Machmetes Secundus*, quem unicum reliquerat, unius & viginti circiter annorum adolescentem, quem Christiana matre natum Auctores nonnulli perperam scripsere, *Maria* scilicet, sive (ut alii vocant) *Irene* filia *Gregorii Balcovizis* Serviorum Despotæ. Falsum namque hoc esse manifeste patet ex Annalibus Turcicis, & Annorum supputatione, ut demonstrat *Leunclavius* in Pandectis Historiæ Turcarum Cap. 5. & 96. Natus enim fuit *Mahometes Secundus* anno Turcico 833. Christi 1330. *Amurathes* autem duxit *Irenem* quinque post annis; Mahumetano scilicet 838. Non ergo potuit *Irenes* esse filius *Mahometes*. Præterea non potuisse ex *Irene* natus initio Regni plures ætatis annos habere quam sedecim: cum tamen constet, imperare cœpisse natum viginti unum plus minus annos. Tertio circumcisus fuit *Mahometes* biennio postquam *Maria* Despotæ Serviorum *Georgii* filia nupserat *Amurathi*. Hinc autem conficitur, natum ex illa non fuisse *Mahometem* II. Nam bimuli apud Turcas circumcidi non solent. Et tradunt Annales, *Mahometum* natum anno Mahumetano 833. circumcisum anno 841. unde colligitur, octennem fuisse cum circumcideretur. Adde testimonia Græcorum, *Chalcondilis* & *Spandugini*, quorum ille *Georgii* Despotæ filiam, *Mahometis* novercam expresse vocat: hic vero *Amurathem* ex *Maria Despina* nullam suscepisse sobolem, disertis etiam verbis tradidit. Imperii fines late propagavit *Mahometes* II. summus belli Dux. Duo quippe Christianorum evertit Imperia, Constantinopolitanum, & Trapezuntinum. Ad hæc Regna duodecim, urbes supra ducentas expugnavit. A *Taurino*, quam vulgo *Belgradum* vocant, *Joannis Huniadis* præstantissimi Ducis virtute pulsus, *Corinthum*, *Lemnon*, *Mitylenam* Venetis nihilominus eripuit: Genuensibus *Theodosiam* seu *Capham*, *Hydruntum* in Italia cepit. Expugnata est a *Mahomete* II. Constantinopolis, die vigesima-nona Maii, feria tertia, anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo tertio, anno 1352. quemadmodum apud *Æneam Sylvium* in *Europa* per errorem Librarii scriptum est; cum idem *Æneas* Epistolis 135. 136. 138. 139. 141. 147. 155. 156. 162. & 164. tunc quando urbs capta est, ad diversos scriptis, annum 1453. diserte consignet, idemque constet ex Epistola *Foscari* Venetiarum Ducis ad *Fridericum Tertium* Imperatorem data de eadem clade, ex ejusdem Imperatoris literis ad *Nicolaum* V. Pontificem Maximum, ex *Leonardi Chiensis*, Archiepiscopi Mitylenensis, qui una cum *Isidoro* Cardinali Rutheno interfuit, Historia *De jactura Urbis*, ad eumdem Pontificem mox scripta, ex *Phranzo* lib. 3. cap. 7. & 17. *Chalcondila* lib. 8. & ex Annalibus Turcicis, in quibus annus Hegiræ 857. notatur. Decepti sunt, qui die Pentecostes in Turcarum potestatem venisse Constantinopolim scripsere, cum anno 1453. quo a *Mahomete* II. capta est, Pascha inciderit in Kalendas Aprilis, Pentecostes in diem 20. Maii, ac proinde Constantinopolis expugnatio biduo post Octavas Pentecostes contigerit. De rebus eo in excidio gestis, iidem Auctores legendi. Inter alia miserandum Notaræ Magni Ducis exitium: Qui cum *Mahometem* adiens, opulentum ipsi thesaurum obtulisset, quem servasse ei asserebat, confidens eo munere se libertatem ac salutem redempturum, e contra contumeliose ab illo exceptus est, quod eo thesauro Imperatori suo ac patriæ non succurrisset, & quod Imperatori Auctor non fuisset accipiendæ conditionis de honesta & spontanea Urbis deditione, jamque *Mahometem* ipsum fallere tentaret. Quamobrem ignaviam capite luere jussus est, ut *Phranzes* commemorat lib. 3. cap. 8. Implacabilis fuisse in Christianos odii *Mahometem* II. adeo ut Christiano sibi obviante, tamquam inde fœdaretur, oculos & os abluere solitus esset, narrat *Isidorus* Cardinalis Ruthenus in Epistola de expugnatione Urbis Constantinopolitanæ; verum id a Græcis in Turcarum odium confictum, verisimile est, siquidem capta Constantinopoli, tribusque diebus peractis, quibus eam direptioni militum permiserat, cum triumphum duxisset, Christianos Constantinopolim revocavit, humanissimeque tractavit, & secundum suæ Religionis ritus vivere concessit, ut *Phranzes* commemorat. Quin & Patriarcham ab ipsis eligi voluit, quod *Gregorius*, qui post Synodum Florentinam electus fuerat, sese Patriarchatu abdicasset. Episcopi, qui forte aderant, paucique de Clero, & Laici *Georgium Scholarium*, adhuc Laicum, Judicemque olim Imperialem, Scriptis contra Schismaticos pro Fidei Catholicæ, Florentinæ Synodi, & Sanctæ Unionis defensione clarissimum, elegerunt, qui mutato, pro more, nomine *Gennadius* est appellatus. Cumque pristinæ consuetudinis fuisset, ut electo Patriarchæ Imperator Virgam Pastoralem auream, lapillis & margaritis distinctam donaret, hæc pronuntians verba: *Sancta Trinitas, quæ mihi Imperium donavit, te in Patriarcham Novæ Romæ deligit*; & exquisitum equum de Regio stabulo, albo & aureo stratorio ornatum; cui Patriarcha insidens, toto Procerum comitante Cœtu, festivis cum acclamationibus, in Patriarchicas ædes ducebatur, hæc eadem officia *Gennadio* exhibuit *Mahometes*, ut idem *Phranzes* narrat coævus Auctor, tuncque Constantinopoli præsens. Cum vero alias in Patriarchium introisset *Mahometes* cum *Gennadio* per Interpretem blande collocutus est, eumque de Religionis Christianæ dogmatibus interrogatum, cum fiducia respondere jussit, deque Sanctissima Trinitate, Verbi Divini Incarnatione, & humani generis Redemptione disserentem lubenter audivit, &

Ejus Victoria.

Expugnatio a Turcis Constantinopolis annus & dies.

Mahometes secundus Christianis favit.

Patriarcham ab eo tempore non solum coluit impensius, non solum Græcos majori benevolentia fovit, sed & eam Dissertationem sibi dari voluit, quæ Græce, Latine, & Turcarabice legitur *Turco-Græciæ* lib. 2. *S. Sophiæ* Templo in Messitam Mahumetanam profanato, novis ædificiis faciem Regiæ urbis *Mahometes* immutavit, de quibus *Leunclavius* in Pandectis Historiæ Turcicæ, num. 139. *Bozinense* Regnum, Ducatumque occupavit annis 11. post captam Constantinopolim, ut Annales Turcici tradunt, id est an. 1364. & *Stephanum* Regem cute vivum exui jussit. Sic justo Dei judicio cum vita Regnum, quo patrem malis artibus filius sceleratus excusserat, amisit. *Mathias* tamen Rex Hungarorum Jaitzam cum 27. Bozinæ oppidis recepit, quam irrito conatu rursum oppugnavit *Mahometes*. Ita referunt *Bonfinius* in Historia Hungarica, & *Leunclavius* in Pandectis Historiæ Turcarum Num. 141. *Rhodum* frustra tentavit *Mahometes II.* an. 1480. missa ad eam oppugnandam *Mesito Veziri Bassa*, Insulam egregie propugnante Rhodiorum Equitum Magistro *Petro Albussonio*, natione Gallo. Ejus Relationem de servata Rhodo, & insigni victoria contra Turcas, legere est, Tom. 2. Rerum Germanicarum *Marquardi Freheri*, pag. 158. Obiit *Mahometes* Nicomediæ, anno Christi 1481. quinto Nonas Maias, ut tradit *Bonfinius*. De cujus crudelitate, perfidia, libidine, aliisqua vitiis, & quarumdam specie virtutum, nec non victoriis & rebus gestis, apud *Chalcondylam* Libris 8. 9. & 10. de Rebus Turcicis, aliosque Auctores, plura legere est. Eum Testamento condito cavisse de tollendo tributo, quod nuper subditis indixerat, narrat *Philippus Cominæus* lib. 6. illudque Testamentum se legisse testatur. Quatuor linguas præter suam Arabicam novisse, Græcam, Latinam, Chaldaicam, Persicam, *Phranzes* tradit, & Astronomiæ studio addictissimum ex siderum conversionibus didicisse, Regna & Provincias olim se subacturum, quas postea tanta felicitate, fortitudine, & calliditate obtinuit. Hujus scientiæ studiis imbuto facile persuasum est, columnam serpentinam Constantinopoli in Atmindia seu Hippodromo erectam, ex ære factam, sic ab imo convolutis spiris serpentis triplicis; ut in parte superiori tandem sese tres cervices, triaque serpentina capita dividerent ac separarent in formam triquetram; effecisse ut ea durante nullus esset in Urbe serpens, & statua equestri ahenea, ibidem extante, præclusum fuisse pesti in Urbem aditum. Has scilicet Imagines Astronomicas, sive Talismanos esse facile credidit, quibus admirabiles hujusmodi effectus superstitiosi homines tribuunt.

Rhodus a Petro Albussonio defensa & servata.

Mahometes secundus quatuor linguarum & Astrologiæ peritus.

Bajazethes secundus.

II. *Bajazethes* II. patri *Mahometi* die 19. Mensis Rebiululæ a Prætorianis suffectus est, natu majori *Zemi* seu *Zezimo* antelatus. Qui semel & iterum *Achmetis Gedacis Bassa* ductu superatus a fratre, desperatis rebus suis Rhodum profugit, seque Summo Rhodiorum Equitum Magistro *Petro Albussonio* tradidit. Agebat tunc annum ætatis 28. Id ubi *Bajazethes* accepisset, amplissimis Magnum Magistrum demulcens muneribus, rogavit uti diligenter custodiretur, & quadraginta millia ducatorum singulis annis, quamdiu frater ejus superstes esset, ad ejus alimenta se numeraturum pollicitus est, pacemque cum Christianis perpetuo culturum. Acceptæ conditiones, & utrimque impletæ. *Zemes* in Galliam adductus, in quadam Rhodiorum Equitum Arce, cui nomen Burgonovo, diu vixit. Inde Romam ad *Innocentium octavum* Pontificem Maximum ductus, sub illius & *Alexandri* VI. Pontificatu ibi mansit: donec occupaturus Regnum Neapolitanum *Carolus* VIII. Galliæ Rex, Romam venisset. Is enimvero *Zemem* ab *Alexandro* impetravit, ipso (ut ajebat) ad Constantinopolitanum Imperium recuperandum usurus. Pontifex autem *Zemi* lentum venenum propinasse traditur, quo post aliquot dies Terracinæ, quo perductus fuerat, extinctus est. Ita vulgo referunt Latini istius ætatis Historici, & ex iis *Leunclavius* in Pandectis Historiæ Turcarum Num. 154. Inebechtim, seu Naupactum, Methonem, Coronemque Christianis eripuit *Bajazethes*: quarum expugnatione dum distineretur, Veneti Mitylenes obsidionem frustra tentarunt. Adveniente namque Constantinopoli numerosa classe, post decimum-octavum insultum obsidionem solvere sunt compulsi. *Bajazethem* in Venetos concitaverat *Ludovicus Sfortia* cognomento *Maurus*, Dux Mediolanensis, cum *Ludovicus* XII. Rex Christianissimus fœdus contra ipsum cum Serenissima Venetorum Republica iniviset. Contra Sultanum Ægypti semel iterumque exercitum duxit *Bajazethes*, infelici prorsus exitu. *Bajazethis* filii *Selimus*, *Achmetes*, & *Corcutes*, impotenti regnandi ambitione civile bellum ac seditiones in Porta accenderunt. Perduellionem excusabat *Selimus* honesto invisendi ac salutandi patrem desiderio. Quo officio cum perfunctus fuisset, se in suum Semendriæ Sangiacatum rediturum pollicebatur. Id cum recusaret *Bajazethes*, suspicatus est *Selimus* illum de Imperio *Achmeti* conferendo cogitare. Pugna inter *Bajazethis* ac *Selimi* copias commissa non procul a Zorlo, victus *Selimus* Migden aufugit, oppidum versus Varnam situm. Genitzaros *Achmetis*, qui major natu filiorum *Bajazethi* superstitum erat, durities & feritas ab ipso penitus alienavit, & *Selimis* partibus adjunxit. Hi *Bajazethem* Imperium abdicare, & *Selimo* filio rerum administrationem tradere compulerunt, anno Turcico 918. Christi 1512. Imperio abdicato, Dimotucum seu Didymotichon, qua in urbe natus fuerat, secedere voluit. *Selimo* patri *Jonuzem* Bassam adjunxit, qui curam ejus gereret, omnesque res ipsius administraret. Interim secreto cum *Jonuza* transegit, venenum ut patri propinaretur. Itaque *Bajazethes*, prius quam Dimotucum pervenisset vi veneni dati extinctus est, ut *Spandugin*us refert. *Jovius* scribit, venenum ei præbitum ab *Hamone Judæo* Medico. Alii commemorant, *Selimum* metuentem, ne se bello in Anatolia contra fratres *Achmetem* & *Corcutem* occupato, rursus Imperium sibi vindicaret pater, corrupisse *Bajazethis* Medicum *Ustarabim*, promisso ipsi reddito annuo 9000. talerorum. Itaque recepisse Medicum, se *Bajazethi* venenum pharmaco mistum propinaturum: illique auctorem fuisse sumendi pharmaci, quo mirificus seni vigor totius corporis & animi rediturus esset. Hoc pacto eum veneno extinxisse. Inde Medicum Constantinopolim se contulisse, rationem redditurum *Selimi*, qui promissi præmii loco, ei caput amputari jussit: dicens, Hominem sceleratum ac infidum Sultano patri, eadem usurum erga se perfidia, si ad id faciendum a quopiam conductus vel compulsus esset. Ita refert *Leunclavius* in *Pandectis Historiæ Turcicæ*, Num. 201.

*Bellum ol. ... *

Bajazethes secundus veneno jussu Selimis filii propinato extinctus.

SCHOLION.

In hoc Articulo Religiosi Censores hanc propositionem notant pa. 199. Edit. primæ: *Pontifex* (Alexander VI.) *Zemi lentum venenum propinasse traditur.*

R. Ita vulgo referunt Latini istius ætatis Historici, & ex iis Leunclavius in Pandectis Historiæ Turcicæ, Mera facti quæstio est.

JOANNIS DOMINICI MANSI

Nota.

NOn equidem negaverim Alexandrum VI. de necato Zizimi, clam porrectu veneno, in suspicionem venisse. Sunt tamen alii qui totius rei invidiam in Venetos transferant, inter quos auctor Turco-Græciæ lib. 1. ad annum 488. rem ita narrat: „ Sultanus „ cum Venetis pacem, & amicitiam habens missa legatione ab eis petiit, ut veneno illum (Zizimi) „ de medio tollerent. Quod & ab eis factum est. „ Nam hominem, claro loco ortum, ejus rei artificem, Turcicæ linguæ bene peritum, ad illum allegarunt. Salutare hic comiter, in amicitiam se insinuare, una cibum capere. Hoc convictu ita calente, extinctus jacuit miser, haud obscuris veneni signis apparentibus. Cadaver inde Prusam missum. „ Insequuto tempore munera Venetias missa; gratiæ „ amplis verbis actæ; benevolentiæ & amicitiæ significatio illustris; sed latebat anguis in herba. Missus „ & a Venetis in Constantini urbem veneficus ille „ propinator mortis ipsi Zemæ structor, qui ut venit, „ multis a Soldano muneribus affectus est: equis, aurea veste, & id genus aliis. Venerat autem nomine, & prætextu Legati, quod nihil malæ suspicionis esset. Hoc modo ibi degens in honore & donis „ regiis: cum pulchritudine corporis præcederet multos, die quodam en repertus est repentino mortuus: „ nulla antegressa corporis infirmitate, ægritudine nulla. Biberat scilicet bonus vir ex quo miscuerat: eadem mensura, qua mensus fuerat, recepta, vitæque „ curriculo emenso „. Hæc rememorasse juvat, non quod credam Græculum hunc historicum vera narrare, ac tantum criminis concipi potuisse in corde Augustissimi æque ac Christianissimi Veneti Senatus; sed ut sparsus de pluribus de hac Zizimi nece rumor, minus singulos tangat.

ARTICULUS III.

De Selimo I. & Solimane II.

Selimus I. Immanis crudelitas.

I. PAtricidale Imperium cædibus *Achmetis* & *Corcuti* germanorum suorum, quinque etiam Nepotum, quibus fauces elidi jussit, ac Procerum plurimorum, cum *Selimus* confirmasset, adversus *Ismaelem* Sophinum Persarum bellum gessit. Zalderanis in Campis prælium commissum, in quo *Ustagelu-Ogli* Persici Dux supremus Exercitus occubuit, anno 1513. Anno

Bellica facinora.

sequenti *Tommambaim* Ægypti Sultanum aggressus, profligatis Mammalucis sive Circassis, præcipua Sultanorum Ægyptiorum militia, Damascum, Alepum, nobilissimasque Soriæ Urbes, Tripolim, Sidonem, & Ptolemaidem, suam in potestatem redegit. Inde promoto versus Cairum exercitu, urbem expugnavit, & *Tommambaim* suspendio necavit, anno Hegiræ 923. Christi 1517. die 17. Aprilis. Exinde Turcarum ditioni tota contributa est Ægyptus, & in Sangiecatus divisa. *Jonuzes* Bassa Cairo Præfectus; sed natis brevi adversus ipsum suspicionibus, quod ipsi Æthiopes & plebs Urbana Sultani titulum tribuerent, *Selimi* mandato jugulatus est. Obiit *Selimus* in tentoriis versus Hadrianopolim, eo ipso in loco, in quo cum patre congressus olim fuerat, anno Hegiræ 926. die 7. mensis Schebalis, id est, 22. Septembris, anno Christi 1520. Imperii 8.

Solimanes.

II. Patri *Selimo* successit *Solimanes*, vir bello strenuus, prudens, humanus, literarum amans, fidelis in promissis, Mahumetanæ superstitionis studiosissimus ac tenacissimus. *Gazellem* Syriæ Præfectum perduellem, misso in eum eum exercitu *Fechate* Bassa profligavit anno 1520. Anno 1521. *Albam Græcam* seu *Belgradam*, munitissimum totius Hungariæ oppidum, & validissimum Christianitatis ea parte propugnaculum expugnavit, die 24. Junii. Anno 1522. præmisso cum

Rhodi obsidio.

insigni classe *Mustapha* Bassa, Rhodum obsidione cinxit. Infirmum urbis præsidium, proditorum intus degentium consilia, scilicet Medici cujusdam Judæo-Christiani, & *Andreæ Amarali* Lusitani, Prioris Castellæ, & Ordinis Cancellarii, & Christianorum Principum intestina bella, *Solimanum* ad id audendum impulerunt. Urbem incredibili fortitudine invictisque animis propugnarunt Rhodii, Duce *Liladamo* Supremo Ordinis Magistro. Immanis ea in obsidione Turcarum edita strages. Sexto demum obsidionis mense, *Ache-*

Et deditio.

metes Bassa Turcicum Exercitum frequentibus impressionibus & conflictibus sic in dies minui animadvertens, ut milites fatigati fractique desponderent animum, *Solimani* auctor fuit ut Rhodios ad deditionem clementiæ specie invitaret. Scriptis itaque a *Solimano* ad Magnum Magistrum literis, missisque ab eo quibusdam Equitibus & civibus, post varia colloquia, Rhodiis ad extremas angustias redactis, spe tuendæ diutius urbis abjecta, ad pacta deditionis ægre inclinatus est *Liladami* excelsus animus, quem *Solimanus* admiratus, ac veneratus est. Pacta autem deditio his conditionibus est, ut cunctis qui abire vellent, liberum esset, cum armis, omnique supellectili, triremibus, aliisque navigiis; & si ad suppellectilem omnem comportandam naves eorum non sufficerent, Turcæ quotquot necessariæ essent, commodarent: qui remanerent, ii in quinquennium ab omnibus oneribus immunes essent, & intra triennium abire possent: Religionis Christianæ ac Sacrorum libertates, Ecclesiarum sanctitas salva esset. Turcarum sexaginta millia, in iisque plurimos Duces ac Præfectos, ferro & igne illa in obsidione periisse, quinquaginta pene millia variis morbis extincta, Historiæ produnt. Unde & *Solimanus* dixisse fertur, Nescire se utrum pro capta Rhodo lætari, an pro tam cruenta victoria dolere deberet. Deditio Rhodi facta est anno Christi 1522. die 25. Decembris, Christi Natalitiis consecrata, quo etiam die *Solimanes* Urbem ingredi voluit. Insulam ducentos circiter & duodecim annos Ordo tenuerat. Aliæ quoque minores Rhodiorum Equitum Insulæ, in quibus *Cos* fuit, *Hippocratis* Medicorum Principis patria, quam Itali Nautæ *Lango* nominant, in *Solimanis* potestatem venere. De obsidione Rhodi, præter Turcarum Annales, *Spandaginum*, *Sansovinum*, *Leunclavium*, *Bosium* in Historia Ordinis Sancti Joannis Hierosolymitani, *Jovium*, &c. legendus *Jacobus Fontanus* Brugensis, Judex Appellationum Populi Rhodiensis, qui rebus tunc gestis interfuit, eamque expugnationem tribus libris Latine descripsit, ac de eadem Epistolam sive Orationem scripsit ad *Hadrianum IV.* Pontificem Max. Anno 1526. Bellum Hungariæ *Solimanes* intulit, cum pacem *Ludovicus* Rex, suadente *Clemente* Romano Pontifice imprudenter respuisset, [illegible] *Sigismundi* Regis, patrui sui, melioribus consiliis. *Salankemenem* & *Varadinum Petri* (Ungari *Petrovar*, hoc est, *Civitatem Petri* appellant) ad

Hungarica Solimanis expeditio & victoria.

Danubium sitam, aliaque loca munitissima, *Solimanes* occupavit. Cumque Dravum etiam fluvium Hungarorum socordia transiisset, *Paulus Tomoreus*, olim armis exercitatissimus, ex Ordinis subinde Franciscani Professore Colocensis Archiepiscopus, ac Regni Hungarici Administer, tumultuarie conflatum ex viginti-quinque circiter hominum millibus Exercitum juvenemque Regem, præcipiti consilio ad prælium committendum impulit, spreta prudentiorum Ducum sententia, qui differendum certamen suadebant, donec Vaivoda Transsilvaniæ, & alii, qui prope diem cum validis copiis expectabantur, præsto essent. In campis *Mohatzii* die 29. Augusti 1526. pugnatum est. Post sesquihoræ certamen, Hungarorum copiæ fusæ; *Ludovicus* Rex, desperatis rebus, fuga sibi consulturus, in vicina palude, cum in altiorem paulo ripam evadere conaretur, equo cum sessore in dorsum corruente, ita ut erat armatus, in aquæ lutolento gurgite depressus & suffocatus interiit, anno ætatis 21. mense secundo, Regni, post Patris *Uladislai* obitum, anno decimo, mense quinto. Seu in pugna, seu in fuga periere, *Paulus* Archiepiscopus Colocensis belli Dux, cujus temeritas tantæ cladis causa fuit. Strigoniensis Archipræsul Regni Primas, aliique Episcopi, Duces, & Nobiles ingenti numero, præter omnem fere peditatum. Ex captivis die sequenti, mille & quingenti, & inter eos primariæ Nobilitatis Viri, in conspectu victoris Exercitus capite truncati sunt. Inde *Solimanus* Budam versus Hungariæ Metropolim promovens Exercitum, eam præsidio prorsus omni destitutam reperit,

Buda expugnata.

una cum insignis *Matthiæ* Regis Bibliotheca. Ubi cum *Ludovici* postremi Regis, & *Mariæ* imagines contemplaretur, lachrymas fudisse ferunt Barbarum in ipso triumpho humanæ conditionis memorem, quod Rex in tam florenti ætate, imprudentibus Ministrorum consiliis, se in tam apertum exitium præcipitem dedisset. De hac Hungariæ clade legendi *Joannes Dubravius* Olomucensis Episcopus, Historiæ Bohemicæ lib. 33. in fine, *Stephanus Brodericus* Episcopus Vartiensis, Regni Hungariæ Procancellarius, qui interfuit, in Relatione, quæ e *Sambuco* recognita, post *Bonfinii* Decades edita est, *Isthuanffius* Pannonius lib. 8. & *Neugebauerus* Polonus, lib. 7. Post Hungaricam illam expeditionem, Hadrianopolim revocatus est *Solimanes*, ad comprimendos motus, quos *Calender Zelebis*, cum Dervisiis, in Anatolia excitaverat. Eo misit *Ibrahimum* Bassam, natione Macedonem, sibi charissimum, qui eumdem *Calenderum* prælio fudit, ac seditionem compressit. De Regno Hungarico inter *Ferdinandum* Archiducem Austriæ fratrem *Caroli V.* Cæsaris, & *Joannem de Zapolia* Vaivodam Transsylvaniæ, & Comitem Scepusiensem, summa contentione interim certatum est. *Joannes* a *Ferdinando* pulsus, *Solimanis* Turcarum Imperatoris auxilium imploravit, annuum ipsi Tributum pro Regno Hungariæ offerens, quod Beneficiario dumtaxat Jure, & clientelari conditione teneret. Quamobrem numerosum Exercitum rursus in Hungariam duxit *Solimanes*, & civitates Quinqueecclesiensem, Albam Regiam, Pestiensem, Budam, Strigonium, Altanburgum, aliaque oppida & munitissima castra ad

Vienna obsidionem solvere compulsus est Solimanes.

Danubium, sponte se in Victoris manus tradentia recepit. Mox Vienna Austriæ die 25. Septembris obsidione cinxit, multisque diebus acerrime oppugnavit. Sed *Philippi* Palatini Rheni aliorumque Ducum virtute defensa, ac liberata est. *Solimanem* frigoris vi ab obsidione discedere coactum, narrant Annales Turcici; quod excusandi *Sultani* sui, suorumque causa ab ipsis factum, exploratum est. Constat enim Turcas vicies muros urbis subiisse, vicies a mœnibus virtute propugnatorum fuisse repulsos: adeoque tandem, frameis licet ac fustibus adhibitis, adigere suos amplius ad oppugnationem redintegrandam nulla vi potuisse. Hinc Urbis capiendæ desperatio *Solimanis* animum subiit, ut apparet ex istius obsidionis Historia ab Auctore Anonymo conscripta, & ex *Joannis Rani*, *Melchioris Soiteri*, & *Nicolai Isthuanffii* narrationibus. Soluta est obsidio die 14. Octobris, anno Christi 1529. Rediit in Hungariam *Solimanes* anno 1541. ut puero Regi *Stephano*, defuncti *Joannis* filio, & *Isabellæ* Reginæ Matri ac Tutrici ferret suppetias adversus *Ferdinandum* Regem *Caroli V.* fratrem, qui Budæ obsidionem aggressus erat, qui a *Solimane* gravi clade affectus,

ctes, amissis eo bello viginti Christianorum millibus, tormentis omnibus atque impedimentis captis, ... accepti, animique dolore extinctus est. Budam Græ... fraude occupata, Reginam cum Rege puero ... na excedere, & in Transsylvaniam abire jussit, jurejurando tamen præstito, se cum primum puer adolevisset, Regnum ei restitututum: hisque prospere gestis & præsidiis Budæ Pestique relictis, reliquum Exercitum domum reduxit. Ejusdem auspiciis *Barbarossa* Nobilis Pirata, Tunetum in Africa expugnavit. Expeditionem suscepit in Persidem, ab *Ibraimo* Vezire concitatus, & Taurisium ac Bagadetum seu Babylonem Imperio suo subjecit ac ab illius Urbis Calipha Rex Persidia coronatus est, anno Christi 1534. At copiis in reditu a Persico exercitu ad internecionem pene deletis, partum antea decus amisit. De his legendi *Jovius* lib. 33. *Leunclavius* in Annalibus Turcarum, *Bizarrus* Historiæ Persicæ Lib. 11. &c. Ea clades exitium attulit Vezirì *Ibrahimo*, Persicæ expeditionis auctori, quem occidi jussit dormientem, ne fidem fallere videretur, qua promiserat, nullum ipsi nocumentum se illaturum quamdiu viveret: somnus quippe cum sit imago mortis, in viventium numero dormientem non habebat, reum maxime, ac morti destinatum. Hæc ipsi a Talismano quodam seu Monacho Turco suggesta subtilitas. Expeditionem præterea misit in Indiam contra Lusitanos, & *Dium* terra marique oppugnavit, anno Christi 1538. sed obsidionem solvere compulsus est terrore advenientis Lusitanis subsidii; qui numero dumtaxat septingenti, *Antonino Sylveria* Duce, urbem illam contra ferocissimum & potentissimum hostem valida classe, multisque militum millibus ipsos prementem, invicto animo propugnarunt. Qua de re legendi *Damianus a Goes* in Relatione ad Cardinalem *Bembam* & *Maffæus* Historiæ Indicæ lib. 11. Par non fuit *Joannis Cerdæ* Ducis *Medinæ Cæli*, Proregis Siciliæ, expeditionisque Tripolitanæ Ducis, sub auspiciis *Philippi* Hispaniæ Regis, felicitas. Christianam enim classem, Exercitumque Turcica profligavit ad *Gerbim* Insulam, Ducibus *Pials Bassa* & *Cara Mustapha* mense Majo anno 1560. Amissa sunt ferro, aquis, captivitate, octodecim Christianorum millia, triremes viginti-octo, naves onerariæ quatuordecim, *Gerbis* a Turcis recepta. Qua de re legendæ sunt Relationes *Antonii Francisci Cirnii*, qui expeditioni interfuit, & *Petri Marchiaoelli*, qui Ducum unus erat, ad *Cosmum* Florentiæ Ducem, quæ inter Literas Principum vol. 3. sunt editæ; nec-non alia *Plinii Tomacelli* post quatuor annos scripta, qua multa ab aliis perperam narrata se confutare profitetur; nec-non *Guicciardini*, *Uberti Folieta*, & *Bosii* Historiæ. Summa fuit ad hanc victoriam *Solimanis* æquanimitas, teste *Busbequio* Ferdinandi Cæsaris ad Portam Ottomanam Oratores in suis Epistolis. Cum enim in Porticum Constantinopolitanum Portui vicinam se contulisset ad inspectandum triumphum, & captivas naves, hominesque, nulla insolentis lætitiæ signa dedit, sed eadem visus est vultus frontisque gravitate & severitate, ac si illum nullatenus hæc victoria spectasset. Hacce clade ad octennes inducias cum *Solimane* pangendas compulsus est *Ferdinandus* Cæsar, sub pensione Tributi annui triginta millium aureorum ut constat ex literis *Solimanis* ad eumdem *Ferdinandum* singulas conditiones Pactionis continentibus. Anno Christi 1565. *Melitam* Insulam, orbis Christiani propugnaculum a *Carolo V.* Imperatore Equitibus *S. Joannis Hierosolymitani* concessam anno 1530. *Solimanus* obsedit. Classis Turcicæ præcipui Duces fuere *Mustapha Bassa*, Solimani propinquus, & *Pialis Bassa* Præfectus Maris, natione Hungarus Fidei Christianæ desertor. Cœpta est obsidio die 18. Maii. Primus Barbarorum impetus in Arcem *S. Hermetis* incubuit, quæ die profesto *S. Joannis Baptistæ* ab ipsis expugnata est quarta omnium hostilium copiarum generali impressione. *Arx S. Michaelis* & *Burgus*, acetrime noctu diuque oppugnatæ, muri, aggeres, propugnacula, vi tormentorum quassata & dejecta. Præliis, & generalibus impressionibus plurimis res obsessorum ad extremum redactæ, unius Magni Magistri *Joannis Valetæ Parisoti*, & paucorum Equitum superstitum invicta fortitudine, magis autem divina virtute & protectione sustentabantur. *Pius IV.* Pontifex Maximus indicto ad implorandum Numinis auxilium Jubilæo, copiarum delectum habuit, quæ Melitensibus subsidio mitterentur, pecuniamque, & bellicas munitiones Religionis apud se Oratori suppeditavit. *Garsias* Siciliæ Prorex, post diuturnas cunctationes, præcipiente *Philippo* Rege Catholico instructæ tandem classi octo circiter hominum millia imposuit, quos in terram exposuit 7. Idus Septembris, cum jam Turcæ omni spe potiandæ Melitæ dejecti, ad recessum se pararent, & impedimenta colligere cœpissent, quæ audito Christianæ classis adventu efferre maturarunt, navesque conscenderunt, magna a novis copiis accepta clade & Militum quindecim circiter millium facta jactura, navalis turbæ octo millium. Soluta est quadrimestris obsidio pridie Idus Septembris. Diem Nativitatis Deiparæ Virginis in memoriam accepti cœlitus auxilii per omnes Religionis Ecclesias cum solemni supplicatione & Sermone in ejusdem Sanctissimæ Virginis laudem quotannis fieri Summus Magister decrevit; pridie Festi piaculare Sacrum pro Defunctis eo bello celebrari, sex pauperes Virgines in Melitensi Conventu sumptibus Ordinis dotari. De hac obsidione legendi *Hieronymus Comes*, *Ubertus Folieta*, *Cælius Secundus Curio*, *Joannes Antonius Viperanus*, *Antonius Franciscus Cirneus*, & *Petrus Gentilis* in Commentariis, *Jacobus Bosius*, *P. Boissardus*, & *Joannes Baldainus* in Historia Ordinis Sancti Joannis Hierusolymitani. Acceptis literis de infelici Melitensis expeditionis exitu eas in terram projecit *Solimanus* exclamavitque; *Gladium suum non alia manu quam sua vincere*. Voluit nihilominus ut *Pialis* Præfectus Maris Constantinopolitanum portum cum universa classe optime ornata vexillis explicatis, cum tormentorum explosione, & aliis lætitiæ signis quasi triumphans ingrederetur. Ita refert *Bosius*. *Solimanum* a Magno Muphti monitum, ut ad Dei & Prophetæ *Mahometis* iram placandam, Turcarum mores emendaret, præsertim quoad vini potum, sub pœna capitis Turcis omnibus vino interdixisse, & vineas ipsorum omnes eradicari jussisse tradit idem Auctor. Anno 1566. *Pialis Bassa* Maris Præfectus, *Solimanis* jussu, *Chium* Nobilem & divitem Insulam in Ægæo mari a ducentis amplius annis Genuensi Reipublicæ subditam, cæteroquin Turcis Tributariam, occupavit. *Justiniana* familia, quæ ibi rerum potiebatur *Caffam* in Taurica Chersoneso deportata est. Pueri nobilissimi nobilissimæ gentis circiter decennes Constantinopolim adducti, ut inter *Solimanis* Ephebos nutrirentur, vique circumcisi, fidem Christianam inter flagella constantissime confessi sunt. Idem annus postrema *Solimanis* in Hungariam expeditione & *Sigethi* firmissimi totius Pannoniæ oppidi obsidione atque expugnatione celebris fuit. Propugnationi præerat *Nicolaus* Comes *Serinius*, vir fortissimus, pluribusque pugnis cum Turcis confertis, & partis victoriis inclitus, cum duobus millibus & quingentis Militibus, *Maximiliano* Cæsare, cum potentissimo exercitu, in quo viginti quinque millia Equitum, & octoginta Peditum numerabantur; obsidionis exitum *Javarini* expectante, ac interim Deum orante. *Serinius* Comes novam ac veterem civitatem, tum exteriorem arcem expugnatas, ignem demum in interiorem arcem injectum videns qui nulla arte ac diligentia ob venti vehementiam extingui posset, in medio ejus & hostium magno impetu oppugnantium constitutus, die 7. Septembris, cum suos qui trecenti circiter, iique magna parte saucii supererant, ad fortiter occumbendum potius quam turpi servituti se dedendum adhortatus esset; invocato nomine *Jesu*, una cum ipsis in confertissimos hostes in arcem irrumpentes irruit: magnaque illorum strage edita, cum generosis commilitonibus occubuit. Triginta millia suorum Turcæ in illa expeditione desiderarunt. *Solymanus* ipse triduo ante supremam propugnantium cladem & urbis expugnationem, in suo tentorio apoplexia extinctus est, anno Mahumetano 973. Christi 1566. ætatis 76. Imperii 46. die 4. Septembris, cujus obitum prudenter occultavit *Mahometes Bassa* ne rebus Turcicis ejus publicatio noceret. De *Sigethi* obsidione legendi *M. Samuel Babina* Labacensis, cujus Relationem ex Croatico sermone Latinam fecit *Franciscus Forgachius* Liber Baro, Cancellarius olim Ferdinandi Cæsaris in Hungaria, & Commentariis suis Historicis inseruit; *Petrus Bizarus* in bello Pannonico; *Leunclavius* in Supplemento Annalium Turcicorum &c.

Christiana Classis ad Gerbim insulam a Turcis profligata.

Melitæ insulæ obsidio.

Melitæ obsidio soluta.

Vini potus Turcis interdictus.

Postrema Solimani in Hungariam expeditio.

Sigethi expugnatio

ARTICULUS IV.

DE SELIMO II. AMURATHE III. & MAHOMETE III.

I. POst *Solimanum* II. Turcarum Imperator salutatus est *Selimus*, unicus filius superstes *II.* (cete-

Selimus II.

(cæteros enim *Solimanus* occiderat) Octennales inducias cum *Maximiliano* Cæsare pepigit anno Christi 1567. quarum tum aliæ conditiones erant, tum ut quisque sibi retineret quidquid postremo bello cepisset. Id vero plurimum *Maximiliani* rebus profuit, qui fines suos opera *Suendii* sic ampliarat, ut ad quadraginta milliaria Germanica cis & ultra Tibiscum late dominaretur. His induciis *Joannes* Transsilvaniæ Princeps, & Veneti comprehensi. His tamen spreto fœdere bellum indixit Turca anno 1569. cum Cyprum ab ipsis repetens, quasi ad se ob successionem gentis Osmanidarum in Jura Sultanorum Ægypti, directo pertineret, repulsam tulisset a Senatu. Huic bello gerendo *Mustapham* Bassam copiarum terrestrium, & *Pialim* ac *Alim* Bassas Classis præfectos constituit. Qui de Venetæ classis statu Jaderæ inter morbos & otium marcescentis, & Hispanæ cunctatione per speculatores edocti, nihil ab iis timendum rati, in Cyprum contenderunt. Ad *Nicosiam* Regni Metropolim sub exitum Julii mensis admota castra; quæ acerrime tam oppugnata quam defensa, tandem die decima Septembris in hostium potestatem venit, misereque direpta est, cæsis Præsidiariis, extincta Nobilitate, perexiguis reliquiis servituti mancipatis. Interim *Alis* Bassa *Cerigam* Veneti Juris e regione Promontorii Maleæ sitam Insulam, ad *S. Nicolai* Portum, nec non *Sapporoum* invasit. Hinc obsessum terra marique *Dulciniam*, situm in Albaniæ Dalmatiæque finibus oppidum, mense Julio Turcis se dedidit, qui & *Antibari*, & *Batua* potiti sunt. Inde *Curzolam* petierunt, quam *Corcyram Nigram* vocant. Quæ cum a viris deserta esset, a fœminis fortiter propugnata est, repulsique a Christianis illis Amazonibus Barbari magno cum dedecore, & immortali ipsarum gloria fuerunt. Dum hæc gererentur, *Famagustæ* obsidionem acerrime urgebat *Mustaphas* Bassa; cujus urbis Præsidiarii, civesque, cum per annum integrum vim omnem hostilem sustinuissent, tandem in extrema rerum omnium penuria deditionem fecerunt his legibus: Ut Venetis vitæ incolumitas concederetur, utque cum armis & facultatibus suis in Cretam deducerentur: Græci domos suas incolerent, possessionibus suis fruerentur, ritu Christiano viverent. Quibus conditionibus a *Mustapha* Bassa ineunte Augusto mense an. 1572. laudatis & approbatis, ipsiusque manu subscriptis, die 5. ejusdem mensis prodiit ex urbe M. *Antonius Bragadinus*, cujus virtute fuerat hactenus propugnata, & cum illustri Nobilium Virorum comitatu in *Mustaphæ* Castra venit, eique claves Civitatis obtulit, quod in hujusmodi deditionibus fieri solet. Exceptus initio comiter a *Mustapha*, mox ab illa crudeli bellua per summum scelus violata fide, cum aliis per ludibrium affectus exquisitis injuriis, tum ad extremum vivus excoriatur. *Laurentium Teupolum*, qui & ipse specimen egregium virtutis in urbe propugnanda dederat, suspendio necari, cæteros deditinos immaniter contrucidari jussit Barbarus. Hæc ex *Joanne Leunclavio* in Supplemento Annalium Turcicorum excerpta; præter quem, de Cypria illa Turcarum expeditione, & Nicosiæ ac Famagustæ, totiusque Insulæ expugnatione legi possunt Commentarii *Uberti Folietæ* Genuensis, *Petri Bizarri* Sentinatis, *Antonii Mariæ Gratiani* Episcopi Amerini, *Joannis Petri Contareni*, *Angeli Calepii* Cyprii Ordinis FF. Prædicatorum, qui Nicosiæ tempore obsidionis degebat, resque gestas descripsit, rogante *Stephano Lusiniano*, ejusdem Ordinis Professore, ex antiqua Regum Cypri familia: *Andreas Maurocenus*, & *Paulus Paruta* Senatores Veneti, in Historia suæ Reipublicæ, *Jacobus Bosius*, & alii in Historia Ordinis S. Joannis Hierosolymitani.

Nicosia, & Famagusta expugnatio.

Curzola a mulieribus Christianis contra Turcas propugnata.

II. Erat initio belli Cyprii, defendendæ contra Turcarum vim Reipublicæ Christianæ causa, percussum fœdus inter *Pium V.* Pontificem Maximum, *Philippum* Regem Hispaniarum, & Senatum Venetum. Ejus fœderis copiarum omnium designatus fuit Imperator *Joannes Austriacus*, Caroli Augusti filius, Regis Catholici frater. Pontifex suis triremibus *M. Antonium Columnam*, Ducem Talliacoccianum, Nobilitatis Romanæ Principem præfecit: Veneti amplissimæ, quam instruxerant, classis imperium *Sebastiano Venerio*, quem postea Ducem quoque suum crearunt, commisere. Cum Christiana classis mense Septembri Messana Siciliæ solvisset, hostilesque navales copias ad *Inebectum* subsistere (sic Turcæ nominant civitatem, quam nostri *Lepantum* appellant, Veteres dixere *Naupactum*) nuntiatum esset; tandem ad Portum Insulæ Cephaleniæ, quem Vallis Alexandrinæ vocant, appulit. Stabat haud procul a nostris in Inebectino sinu, qui Chorinthius olim nuncupabatur, classis hostium, cui præerant *Pertavus* & *Alis* Bassa. A Turcarum Ducibus decretum prælium, quod non minori animorum alacritate a Christianis expetebatur, ad tres exiguas Insulas, vel marinos potius scopulos, quos Curzolaros hodie tam Græci, quam nostri vocant, commissum est. Victoria potiti sunt multis a sæculis inaudita Christiani, non absque evidentibus præsentis Dei Exercituum auxilii indiciis. Periit *Alis* Bassa. *Pertavus* animadverso præsenti suorum interitu, levi navigio fugiens ad terram evasit. *Uluzabis* Algerii Prosultanus mari profugit cum triginta plus minusve triremibus. Cæsa fuere hostium ad triginta aut viginti quinque millia. Classis hostilis universa, cum spoliis immensis, Christianorum in potestatem venit; iis dumtaxat exceptis triremibus & navigiis, cum quibus evasit *Uluzalis*. Christiana mancipia supra quatuordecim millia liberata. Celebris illa victoria reportata est die 7. Octobris, anno Mahumetano 979. Christi vero 1572. Hæc *Leunclavius* in Supplemento Annalium Turcicorum. Legenda etiam Relatio *Hieronymi Diedi* qui interfuit, ad *M. Antonium Barbarum* Bajulum Venetorum Constantinopoli, *Gabutius* & *Catana* in Vita *Pii V.* *Natalis* Lib. 23. Historiæ, & alii. Anno 1574. *Tunetum*, *Biserta*, *Goleta*, quas anno superiori *Joannes Austriacus* Catholici Regis Philippi II. frater occupaverat, *Uluzalis* & *Sinanis Bassæ* armis expugnatæ, & Ottomanico Imperio cum tota Africa vindicatæ sunt. Eodem anno exeunte, 14. Decembris, obiit *Selimus II.* subita apoplexia extinctus, anno ætatis L. Regni octavo.

Infignis Christianorum adLepantum de Turcica classe victoria.

III. *Selimo II.* successit filius natu major *Amurathes* ejus nominis III. annum agens ætatis 27. levitatis & inconstantiæ cum in moribus, tum in fortuna spectaculum. Is Regnum a quinque juniorum fratrum cæde auspicatus est. *Maximilianum* Cæsarem, Polonici Regni candidatum, a Comitiis eligi vetuit, belli fulmina Polonis comminatus, & *Stephanum Bathoreum* Transylvaniæ Principem ab iis eligi curavit. Cum *Mahometo Hodabenda*, Rege Persarum, diuturnum, vario marte, bellum gessit, *Mustapha* primum, eo deinde ob rem infeliciter gestam revocato, *Sinano*, Ducibus. De quo quidem bello & ejus causis, ac eventis, præter *Leunclavium* in supplemento Annalium Turcicorum, legi possunt *Henricus Porsias*, *Thomas Minadous*, *Bizarus*, & *Natalis*, in Commentariis Rerum Persicarum. Belli Persici tempore inducias cum *Rodulpho* Cæsare pepigit *Amurathes*. Pace cum Persis composita anno 1591. bellum adversus Christianos in Illyricum & Croatiam transtulit, ubi *Sinanes* Bassa *Javarinum* munitissimum oppidum, in dextera Danubii ripa situm, alio nomine *Rabam* a flumine, quo illud a meridie alluit, ab indigenis appellatum, expugnavit; *Strigonium* a *Matthia* Rodulphi Cæsaris fratre obsessum liberavit. Nonnullis tamen cladibus a Cæsarianis affecti Turcæ Noviogrado, aliisque oppidis & munitionibus amissis, a *Camari* Arcis in Danubii Insula oppugnatione repulsi fuere. Obiit *Amurathes* 18. Januarii anno 1595. ætatis 48. Imperii 21. inchoato.

Amurathes tertius.

Bellum Persicum.

Bellum in Illyrico in Croatia.

IV. Post quem Ottomanum Imperium moderatus est major natu filius *Mahometes Tertius*, Regnique initia 21. fratrum strage cruentavit. Sub ejus Imperio res Turcicæ in Transylvania, VVallachia, & Moldavia a *Sinane* male gestæ. *Tregovistiam*, & *Girgioum*, seu *Arcem S. Georgii* munitissimam Turcis eripuit, *Sinanis* Viziris copias fudit, eumque Constantinopolim redire compulit inglorium *Sigismundus* Transylvaniæ Princeps, anno 1595. ut fuse commemorat *Joannes Jacobinus* urbis Claudiopolitanæ Notarius, lib. *De Rebus Gestis Sigismundi* Transylvaniæ Principis. Eodem anno *Strigonium* & *Winsegardum* Cæsarianus Exercitus in Hungaria recuperavit, magna Barbarorum edita strage. In Strigoniensi obsidione *Mansfeldii* Comitis virtus eluxit. Anno sequenti, *Mahometes* ducto in Pannoniam Exercitu, *Agriam*, vicinasque urbes occupavit. Pactis deditionis gravem obsidionem subsecutæ, conventum erat ut Ducibus captivis retentis, donec occasione data cum Turcis ejusdem conditionis commutarentur, milites cum impedimentis salvi dimitterentur. Sed cum paululum progressi essent, fere omnes contra fidem datam a Tartaris Turcisque cæsi sunt. Immane & contra Jus Gentium facinus *Mahometes* ultus est Præfecti Prætorianorum supplicio, cui hoc crimen imputabatur, illumque in frusta concidi jussit. Mox advolans *Maximilianus* Rodulphi Cæsaris frater, junctis cum *Sigismundo* Transylvaniæ Principe, & *Tiffembachio* superioris Hungariæ Prorege viribus, ad *Kerestium* promoto exercitu, prælium cum Turcis commisit die 26. Octobris: quo cum hostes grandi

Mahometes tertius.

cæda

cæde in fugam versi essent, *Mahometo* cum paucis se subducente; dum Germani diripiendis eorum castris, quasi plena victoria, instarent, *Assunes Cicala* Bassa natione Calaber, a Christiana Religione Apostata, ultimi Dux agminis confusos ordines animadvertens, in Christianos irrupit, ac duodecim amplius millia cæcidit. Anno 1598. *Javarinum*, quam *Rodolphus* Cæsar tormentorum bellicorum impetu, & justa obsidione frustra tentaverat, *Vaubecurtius* Nobilis Gallus, ex Campania oriundus, centum cum militibus, petardo expugnavit. *Buda* ab Archiduce *Maximiliano* irrito conatu bis obsessa anno millesimo quingentesimo nonagesimo-nono. *Canisa* a Turcis oppugnata, anno sequenti dedita, irritis *Philippi Emmanuelis Lotharingii*, Ducis *Mercorii*, pro ea liberanda conatibus. Obiit *Mahometes* III. ex peste Constantinopoli grassante, inter concubinarum & eunuchorum greges anno Christi millesimo sexcentesimo-tertio, ætatis trigesimo nono, cum annos novem imperasset. Filium natu majorem in conspectu Sultanæ Matris strangulari jusserat, ipsamque in mari demergi, ob suspicionem insidiarum, quas ipsi *Mahometi* struxisset, ut filio procuraret Imperium: quamobrem ipsi successit filius natu minor *Acmetes* I.

CAPUT X.

DE IMPERATORIBUS OCCIDENTIS XV. & XVI. Sæculo.

ARTICULUS I.

De Ruperto Bavaro, Jodoco Moravo & Sigismundo.

Rupertus Bavarus.

I. WEnceslao Imperatore propter inertiam exauctorato, sufectus est ipsi *Rupertus* Bavariæ Dux, & Comes Palatinus, cognomento *Parvus*, vir belli pacisque artibus clarus, anno millesimo quadringentesimo. Qui a *Bonifacio Nono* ad Coronam Imperialem sumendam, & a Florentinis ad coercendam *Galeacii Vicecomitis* Mediolani Ducis, non Etruriæ solum, sed universæ Italiæ formidabilem potentiam, in Italiam accitus, nullo operæ pretio facto in Germaniam rediit, ut narrant *Aretinus* lib. 1. *S. Antoninus* 3. P. Chronici Tit. 22. cap. 3. *Nauclerus* Generatione 47. & alii. Defuncto paulo post *Galeacio*, quod an. 1402. contigit, pleræque civitates se in libertatem vindicarunt; aliæ in aliorum Dominorum potestatem venerunt. *Veronam* & *Patavium* cepere Veneti anno 1405. quo *Scaligerorum* & *Carrariensium* extincta est dominatio. *Pisæ* Florentinorum jugum subiere. Tunc Neapolitanum Regnum tenebat *Ladislaus*, Caroli Dyrrachini, Apuliæ ac deinde Pannoniæ Regis filius, qui per Schismatis occasionem Romam occupavit anno 1408. seque Romanorum Regem dicere ausus est; sed paulo post pulsus a Romanis tyrannidis ejus brevi pertæsis. De quo legendi *S. Antoninus* loco mox laudato, *Theodoricus Niemus* lib. 3. *de Schismate*, & in *Nemore Unionis*, & *Summontius* lib. 4. Historiæ Neapolitanæ. *Ladislaum* magna clade affecit *Ludovicus* Andium Dux ad *Rupesicram* in Campania, die decima-nona Maii, anni 1411. ut iidem Auctores commemorant; sed *Pauli Ursini* Pontificiarum copiarum Ducis cunctatione, plenioris victoriæ occasio elapsa est, ut *Poggius* lib. 4. testatur. Et *Ludovicus* quietis amans, abjecta rerum Italicarum cura, in Gallias reversus est. Obiit *Rupertus* Imperator in oppido *Oppenheim* Bavariæ mense Majo aut Junio, anni 1410. Imperii 10. & Heidelbergæ sepultus est, ubi Academiam olim excitaverat.

Jodocus Moravus.

II. Post ipsum Imperator designatus est *Jodocus* Marchio Moraviæ, cujus extat inter Imperiales Constitutiones a *Goldasto* collectas constitutio *De resistendo Regiæ Majestati, si contra Ordinationes Imperii fecerit*: data Francofordiæ anno 1410. Regni ejus primo. Paucis diebus vixit post electionem suam in Schismate Electorum factam, ut *Gobelinus Persona* in Cosmodromio Ætate 6. cap. 90. testatur.

Sigismundus.

III. *Sigismundus*, *Caroli* IV. Imperatoris filius, *Wenceslai* frater, ex Marchione Brandeburgensi, & Poloniæ Rege designato, post mortem *Ludovici* Regis, qui filiam *Mariam* ipsi cum spe Regni desponderat, Rex Hungariæ salutatus est, an. 1486. Post infelicem contra Turcas ad Nicopolim expeditionem, a conjuratis in Arcem *Soclos* captivus deportatus est, & *Ladislaus* ad Sceptrum Hungariæ capessendum evocatus. Paulo post Viduæ Nobilis ope *Sigismundus* ex carcere evadit in Moraviam, contractisque copiis, in Hungariam redit, ac indulta rebellibus venia, illos ad obedientiam redigit. Post *Jodocum* patruelem a Septemviris electus est Imperator, in qua Dignitate, quod armorum felicitati defuit, pietate ac Religionis studio uberrime compensavit. Quippe ut Ecclesiæ diro Schismate laceratæ pacem redderet, cum Legatos circumquaque misit ad Principes, tum Galliam, Hispaniam, Angliam, Italiam adire non dubitavit ipse: Conciliumque Constantiense sua opera & industria coactum, sua præsentia & protectione toto fere triennio cohonestans, ad optatum exitum perduxit.

Sigismundi pro Schismatis extinctione labores.

Contra Hussitas majoribus animis quam felicitate pugnavit, a *Joanna Zisca* illorum Duce sæpe victus. Bohemiæ Rex Pragæ coronatus est a *Conrado* Archiepiscopo, anno millesimo quadringentesimo vigesimo, Ab *Eugenio* IV. Pontifice Maximo Romæ coronatus Imperator anno millesimo quadringentesimo trigesimo-tertio. In Synodo etiam Basileensi egregiam Ecclesiæ navavit operam, effecitque ut Bohemorum Hussitarum ad sanitatem reductio tentaretur a Patribus, missis Egram Oratoribus ad Colloquium cum ipsorum Bohemorum Nuntiis ineundum, & amplissimo Salvo conductu concesso, ut tuto Basileam accedere, & fidei veritatem edoceri possent: utque *Compactatis* Iglaviæ, quod Moraviæ oppidum est, die 5. Julii 1436. firmatis in Ecclesiæ gremium revocarentur.

Sigismundus Bohemiæ Rex coronatur.

Interim Orphanis & Thaboritis Hussitarum nequissimis cum Duce suo *Procopio a Marnardo* & Catholico Exercitu debellatis, *Sigismundus* a Bohemis in Regem susceptus est, Pragamque Regio apparatu ingressus, sexto Kalendas Septembris, anno millesimo quadringentesimo trigesimo-sexto. *Philibertus* Episcopus Constantiensis in Normannia, ejusque Collegæ a Synodo Basileensi missi, Ecclesiasticos introducere ritus, Sacerdotes instituere, ex Missarum solemnibus vulgaria verba, cantilenasque expungere, Sanctorum Imagines restituere, Aquam benedictam in Ædibus sacris reponere, Baptismatis fontes sacrare, Altaria ornare, spurcitias omnes abolere.

Religio Catholica Pragæ restituta.

Cum vero nulli essent Ecclesiæ reditus, ex quibus ali Templorum Ministri possent, jussit Imperator ex Fisco Regio per singula Canonicorum capita hebdomadatim aureum nummum distribui, minoribus Clericis dimidium dari; & id quidem in Ecclesia Cathedrali. Omnium Ordinum Religiosi Viri Pragam revocati. Donaria Templis singulis Augusti munificentia collata. Thaboritæ superioribus cladibus superstites ea lege in gratiam recepti, ut quinquennio toto suis moribus viverent, Religionis cultum mutare non cogerentur, Jura civitatis haberent, signum ferrent, in sigillis rubra cera uterentur, Tributi nomine singulis annis sexagenas decem penderent. Sed cum nefandas eorum Consuetudines *Sigismundus* accepisset, quibus circa Sacra uterentur, quinquennium haudquaquam se expectaturum dicere, correpturum propediem sceleratæ civitatis insaniam; *Rokysanam* hortari Romanæ Ecclesiæ se subjicerent, sic posse Episcopatum ipsi committi: superbienti, & alienæ de fide sapienti, ascensum esse desperandum. Ille in dies pejor, in Monachos debacchari, & e suggestu seditiosa verba emittere. *Venerunt*, inquit, *novi dictum ad nos Dæmones, quos Monachos vocant; his studium est ejicere nos de veritate: at si viri fuerimus, prius sanguinem effuderimus*. Id ubi *Sigismundus* accepit. *Immo nos* (loquit) *Rokysanæ sanguinem non inviti ante aras libabimus*. Non latuit *Rokysanam* Cæsaris sermo, unde ab amicis commonitus, clam aufugit. Hæc refert *Æneas Sylvius* Historiæ Bohemorum Cap. 52.

Sigismundus Imp. declaravit Ecclesiam, etiam in Synodo Generali congregatam non habere potestatem judicandi causas feudales.

Anno millesimo quadringentesimo trigesimo-quinto, Conventum Principum pro Reformatione Imperii in capite & in membris indixit *Sigismundus*, Francofordiæ sexta die Decembris celebrandum; De quo legendus *Krantzius* lib. 11. *Saxoniæ* Capit. 25. Ecclesiam, in Concilio etiam Generali congregatam potestatem non habere judicandi causas feudales, declaravit *Sigismundus Augustus* constitutione Ulmæ lata in Comitiis Imperialibus anno 1434. cum *Ericus* Dux Lauvemburgensis *Fridericum* Saxoniæ Ducem, Imperii Archimareschallum, Lantgravium Turingiæ ac Marchionem Misnensem, coram Basileensi Concilio super Ducatu Saxoniæ, & Archimareschallatu prædictis, & Jure eligendi Romanorum Regem; trahere niteretur in causam; contendens Principatum, Officium & Jus supra dicta, sibi tam hæreditario jure quam etiam infeudationis ab ipso *Sigismundo* Cæsare sibi factæ deberi. Verba Constitutionis hæc sunt: *Nostram itaque decet solertiam imprimis, quædam Imperii nostri jura servare, quin immo juxta possibilitatem nostræ facultatis adaugere, prout ex debito Sacramenti fuimus adstricti. Quod recte conspicimus, si causas ad exa-*

quamen Imperialis culminis pertinentes sub nostra jurisdictione conservemus. Cum itaque Principatus, Officium, ac Jus supra dicta a nobis & Imperio nostro in feudum immediate descendant, ac secundum Juris communis dispositionem, nec-non usum, morem, stylum & consuetudinem Sacri Romani Imperii, feudalis contentio per Dominum feudi, ac Pares Curiæ terminanda sit, liquet hanc quæstionem, si qua prætendi poterit, ad nostram & Illustrium Archiprincipum nostrorum S. R. Imperii Electorum pertinere notionem. Ejusdem Imperatoris Decreta, Justitiæ administrationem & Tributorum moderationem spectantia Posonii in Comitiis Regni Hungariæ edita anno 1435. legere est Tom. 3. Constitutionum Imperialium *Goldasti*. Prudentiam, magnitudinem animi, liberalitatem in viros præsertim literatos, aliasque amplissima fortuna dignas *Sigismundi* virtutes, quid prædicem? Quantum honoris viris doctis habuerit, vel hoc uno exemplo compertum est: Habebat in Aula sua Jurisconsultum *Georgium*, cognomine *Fiscellinam*, quem paulo ante ad Ordinem Equestrem provexerat, & Militem Auratum (ut vocant) creaverat. Is, cæteris, (ut in Consilio fit) in partes deliberandi gratia, per ordinem quisque suum discedentibus, & ipse discessurus, anceps hærebat, ad Doctoresne Jurisconsultos, an ad Equestrem Ordinem discederet; ad Equites postremo velut honorificentiores se contulit. Quod intuens Sigismundus: *Næ tu*, inquit, *Georgi*, *nimis ridiculus es, qui militiam Literis anteponis, cum scias ex idiotis me vel sexcentos uno die Equites creare posse, at ex eodem genere ne unum quidem Doctorem*, Ita refert *Dubravius* Historiæ Bohemicæ Lib. 25. Allata erant *Sigismundo* ex Hungaria aureorum quadraginta millia, cum jam advesperasceret, eaque in thalamo regio recondita fuere, dum cubitum esset. Cæsar dum cogitat in quos usus eam pecuniam converteret, somnus eum destituit. Tum ille excitatis Cubiculariis, Consiliarios, Ducesque militum accersit, confestimque aperta arca, pecuniam inter eos distribuens; *Ite*, inquit, *secure tranquilleque nobis dormire licent, nam quod mihi somnum ademerat, vobiscum exit.* In Concilio Basileensi id factum, & viris eruditis, qui egregiam Sacrosancto Conventui operam navabant, pecuniam illam distributam, narrat *Dubravius*. Alia *Sigismundi* Cæsaris præclara Apophthegmata legi possunt Tom. 2. Rerum Germanicarum *Marquardi Freberi* pag. 175. *Joannem Franciscum Gonzagam* Mantuæ Dominum Marchionis dignitate adauxit: *Amedeum* Sabaudiæ Comitem, Ducem creavit. Obiit *Sigismundus* Zonoymæ in Moravia anno millesimo quadringentesimo trigesimo septimo die octavo Decembris; corpus Varadini sepultum, *Barbara* Augustana ejus uxor, jam de novo conjugio cogitans, suprema illius voluntate custodiæ tradita: *Albertus* Dux Austriæ Regnorum Hungariæ ac Bohemiæ hæres Testamento dictus, teste *Ænea Sylvio* Historiæ Bohemorum Capp. 53. & 54. Legatur & *Bonfinius* Lib. 3. Decadis 3. Rerum Hungaricarum.

Sigismundi imperatoris virtutes.

Sigismundi præclara sententia.

IV. *Sigismundi* temporibus, multis Italia bellis conflagravit: inprimisque Gallia Cisalpina, *Philippi Mariæ Vicecomitis*; Ducis Mediolanensis, Venetorumque discordiis, nec-non Florentinorum, quæ ob imperandi cupiditatem redintegrari videbantur in dies, diuturno bello laboravit: multo vero longiore Neapolitanum Regnum, cujus gratia Aragones, Gallique, tot annos acerrime decertarunt. *Joanna* namque *Ladislai* Regis Soror, hæreditario jure Regnum tenens cum *Jacobo Borbonio* Marchiæ Comiti nupsisset, eumdem postea summum sibi jus in Regno vindicantem, fugere coegit in Gallias, ubi rerum periturarum fastidio Regulam *S. Francisci* professus est. Post hæc a *Martino V.* Pontifice Maximo abdicata, qui in *Ludovicum* III. Andegavensem Regni Neapolitani Jura transtulerat, *Alfonsum* Aragoniæ Regem in auxilium evocavit; & cum eo de adoptione, Regnique successione pacta est. Secuta mox cum *Alfonso* discordia, *Ludovicum* in gratiam & adoptionem recepit. Hinc *Alfonsum* inter & *Ludovicum* bellum atrox; quod post *Ludovici* & *Joannæ obitum*, qui anno 1434. contigit, inter eumdem *Alfonsum* & *Renatum* Ludovici fratrem quem *Joanna* hæredem dixerat, exarsit. Neapolim occupavit *Alfonsus* anno 1442. per eumdem aquæductum introductis Copiis, per quem *Belisario* Duce Romanus olim exercitus irruperat. Exinde reverso in Gallias *Renato*, sine Competitore regnavit *Alfonsus*.

Rerum Italiæ status.

SCHOLION.

In hoc Articulo, pag. 224. Religiosi Censores hanc propositionem notant; *Ecclesiam in Concilio etiam generali congregatam, potestatem non habere judicandi causas feudales, declaravit Sigismundus Imperator.*

R. Historiæ res est. Edita est Sigismundi Constitutio, ejusque verba a me eo loci descripta.

ARTICULUS II.

De Alberto II. & Friderico III.

I. IN *Sigismundi* Soceri Regna, & Imperium successit *Albertus* Austriæ Dux, Regque Hungariæ in Alba Regali coronatus est anno millesimo quadringentesimo trigesimo octavo, Kalendis Januarii, & pridie Nonas Maii Bohemiæ Rex Pragæ salutatus, tertio vero Kalendas Junii solemni pompa inauguratus, Francofordiæ tandem 13. Kalendis Aprilis a Septemviris designatus est Imperator. De Bohemiæ Regno certavit cum ipso *Casimirus* Poloniæ Rex, suisque debellatis, in patriam inglorius remeavit. Non Polonos tantum, sed Moravos fudit *Albertus*, Bohemosque Hussitas domuit. Postquam *Georgio* Despotæ adversus *Amurathem* Turcarum Regem, qui Serviam, Rasciamque populabatur, ac Synderoviam arcem oppugnabat, auxilium tulit, ex immodico peponum esu dysenteria correptus, obiit non procul a Strigonio, in pago cui *Longo* nomen Viennam petens, Sexto Kalendas Novembris anno 1450. cum nondum toto biennio imperasset: magnus plane futurus Imperator, si vita longior contigisset, qui tam brevi temporis spatio tam multa & præclara gesserit. *Elisabetham* uxorem prægnantem reliquit, quæ filium posthumum, nomine *Ladislaum* Hungariæ Regem ab Archiepiscopo Strigonensi consueto ritu coronari curavit. Synodo Basileensi favit *Albertus* Cæsar. Ejusdem Leges Budæ anno 1439. editas apud *Goldastum* legere est, Tom. 3. Constitutionum Imperialium. De ipso legendi *Æneas Sylvius*, Historiæ Bohemorum Cap. 54. & 55. *Dubravius* Lib. 28. & *Bonfinius* Lib. 4. Decadis 3.

Albertus secundus.

II. *Fridericus* Austriæ Dux, Imperatorum hujus nominis Tertius, *Ernesti* filius, & *Alberti* Augusti Patruelis, viginti sex annorum Juvenis, pietate insignis, cujus etiam studio Terram Sanctam adierat, aliisque virtutibus Principe dignis ornatus, cæterum pacis quam belli artibus clarior, unde & *Pacifici* cognomen obtinuit, Septemvirum suffragiis in defuncti *Alberti* locum electus est. Hujus tutelæ *Elisabetha* Hungariæ Regina *Ladislaum* Regem, suum Albertique Cæsaris Posthumum commisit. Hinc bellum Australes inter & *Fridericum*, qui *Ladislaum* Regem ab ipso petentibus reddere nolebat. Tandem deliberatum est, ad tertium Idus Novembris Viennæ Conventum habendum, in quo vocati utriusque partis consanguinei, Bohemi quoque & Hungari, de tutela Regis nondum puberis judicarent. *Ladislaum* interea in potestate Comitis Ciliæ extra Viennam degere, nihil prius administrare, quam Concilii decretum fieret. Verum *Ladislaus* postridie in urbem ductus, summis novisque honoribus exceptus, e vestigio Magistratus creavit, Præfecturas tota Provincia instituit; Sacerdotia donavit; Regio more Curiam erexit. Hungari, quos inter *Joannes Huniades* Histricensi Comitatu ab ipso *Ladislao* donatus; & Bohemi, quos inter *Georgius Poggiebracius* vir bello maximus eminebat, Regem illum consalutarunt. Postquam dies illuxit cum Imperatore constituta, *Ludovicus* Bajoariæ, & *Guillelmus* Saxoniæ Duces, *Albertus* Marchio Brandeburgensis, *Carolus* Badensis, & multi ex Germania Prælati ac Principes advenere. Frequens Conventus habitus, in quo, præsidente *Ladislao*, Oratores Imperatoris (quorum unus erat, qui hæc refert, *Æneas Sylvius*) ita auditi sunt, ut victi apud Victorem. Frustra æquitas, frustra honestas in medium adducta. Cuncta ex arbitrio Comitis *Huniadis* gerebantur. Ipse pro Rege verbum facere ac respondere, qui neque Leges, neque Pacta Victorem obligare posse ajebat. *Fridericum* & jure simul & bello excidisse, armatis ac fortibus jura cavere. Postremo, infectis rebus Conventus dissolutus. *Nicolaus* Cardinalis *S. Petri*, doctrina & vitæ integritate conspicuus, ad componendam pacem Apostolico Imperio missus, ab Austriacis rejectus est. *Ladislaus*, quamvis Rex appellaretur, alieno tamen arbitrio ductus, in Regnis suis Triumviratum instituit. *Joannes Hunniades* Hun-

Fridericus tertius.

gariam rexit, *Poggiebracius*, Bohamiam, *Ulricus* Auſtriam.

Conventus Francofurdiæ a Friderico III. habitus.

Fridericus Cæſar Aquiſgrani die 17. Junii 1442. coronatus, Francufordiæ cum Principibus Conventum habuit, in quo da rabus Synodi B.ſileenſis quæ axauctorato *Eugonia IV.* adhærebat *Amedeo* in Sedem S. *Patri* ſub *Felicis V.* nomine ab ipſa evecto, deliberatum eſt; ſtatutumque Concilium aliud communi Chriſtiani orbis conſenſu celebrandum: mittendoa ea do re Nuntios Baſileam ad Patres, & Florentiam ad *Eugeniam:* interim Germanos in ſua ſuſpenſiona manſuros.

De Rebus Concilii Baſileenſis deliberatum.

Baſileenſes Concilii tranſlationem Cæſari 'conceſſere certis conditionibus. *Fridericus* Baſileam ingreſſus, ac ſolemni pompa exceptus, clam *Felicem* convenit, non tamen ut Pontificem veneratus eſt, ſed ad pacem Eccleſiæ procurandam eſt adhortatus. Ita referunt Acta Patritiana Concilii Baſileenſis.

Friderici tertii Coronatio.

Anno 1452. *Fridericus* Romam profectus, Coronam Imperii a *Nicolao V.* Pontifica Maximo ſuſcepit. Coronata etiam eſt *Leonora* Auguſta ejus conjux, *Alfonſi* Luſitaniæ Regis filia. De Ritibus in Coronatione *Friderici III.* ſarvatis, legi poteſt *Nauclerus* Generatione 49. Orationem a Cæſaris Legato pro illius Coronatione ad *Nicolaum V.* Pontificem Maximum habitam, qua & Concilii Generalis celebrationem ajus nomine poſtulabat, legera aſt Tom. 2. Rerum Germanicarum *Marquardi Freberi*. Alias Oratione in ejuſdam Inaugurationis pompa, ad *Fridericum Auguſtum*, ſcilicet *Antonii Panormitani*, Oratoris *Alphonſi* Aragonum Regis, *Jannotii Manetti* Florentinæ Reipublicæ nomine, habes Tom. 3. Rerum Germanicarum ejuſdem *Freberi*, pag. 2. & 5. Duas pariter Orationes habuit Cæſar ad Summum Pontificem per *Æneam Sylvium*, quarum altara gratias egit ejus Sanctitati da beneficiis acceptis, altera hortatus aſt ad Expeditionem Generalem adverſus Turcas indicendam atqua inſtruendam, quæ ibidem pag. 25. legi poteſt. In reditu *Borſium* Marchionem Eſtanſem Mutinæ Ducem creavit. Nil Imperialis Majeſtatis in eo viſum; nec liberalitatis, nec ſapientiæ, cum per alium ſemper loqueretur, ſpecimen ullum dediſſa, ſed multæ cupiditatis cum munera honeſte quæreret, & libenter acciperet, *S. Antoninus* 3. P. Chronicorum Tit. 22. C. 12. *Langius* in Chronico Citizenſi & *Collenutius* lib. 6. ſcripſera. Romam ſecundo venit *Fridericus* anno 1468. cum ſolvendi voti cauſa, tum deliberandi cum *Paulo* II. Pontifice Maximo de Expeditione contra Turcas ſuſcipienda. De votiva illa Cæſaris profectione, & honorifico Romam adventu, ac deliberatione cum Summo Pontifice habita, lege Librum 7. Commentariorum *Jacobi* Cardinalis Papienſis.

Comitia Ratiſponenſia.

Anno 1471. Comitia Imperii Ratiſponæ Cæſar habuit, quibus quinque Electores, Principes complures, *Franciſcus Picolomineus* Cardinalis Senenſis, Apoſtolicæ Sedis Legatus, & Regum ac civitatum Oratores permulti interſuera. De conſcribendo adverſus Turcas Exercitu deliberatum. Poſtulavit Cæſar, ut decem millia ad præſentem neceſſitatam, quarta pars equites, cæteri pedites cogarantur, qui per fines extremos Germaniæ diſpoſiti, hoſtem ab incurſionibus prohibarent. Alteram deinde manum ſubſidiariam ac paratam in omnem belli aventum, & ad quamvis hoſtium impreſſionem comparарent. Poſtremo, ut de ſumma totius belli, quantum gari univerſis viribus Garmaniæ poſſat, in annum ſequentem conſtituerent. Reſpondarunt Principes, Se ad omnia, quæ Cæſar poſtulaſſet, eſſe paratos: unum orare, ſimultates Principum, civitatumque diſcordias (quod facile auctoritata ſua poſſet) e Germania tolleret: magnam partem virium Germanicarum occupari Principum ſeditionibus, quibus ſublatis, uno roboro, communi manu, copiis univerſis inferri bellum poſſet. Cæſar ſtudioſum ſe ait ſemper ſuiſſe concordiæ Principum, & nunc quæ ad pacandaro Germaniam pertiuerent, omnia aſſe facturum. Noviſſime deſignati ſunt quinque Viri ex familia Cæſaris, & totidem ex Conſiliariis Principum, qui cum Moguntino Septamviro de cogendis ſtatim decem millibus, & præſidio ſupparando, & de numero copiarum Germaniæ in annum ſequentem præfiniendo Duca, ac da omoi rationa non movandi ſolum belli, ſed etiam continuandi, inter ſe agerent, & habita deliberatione, ad Conventum refarrent. Tandem omnium conſenſu decretum eſt, ut in ſumptus belli quiſquis provantus annuos mille aureorum haberet, is equitem unum conduceret, peditem, qui quingentos. Cæteri proportione fortunarum ad eam ſummam. Cæterum ubi de proventibus haberi ea ratio non poſſet, de capite haberetur: Ut cui milla eſſent aurei, quinquaginta habere in proventibus cenſeretur: atque ea computationa contribueret. Ita refert *Joannes Antonius Campanus* Epiſtula 7. ad *Jacobum* Cardinalem Papienſem, Tom. 2. Rerum Germanicarum *Marquardi Freberi*, p. 140. Verum taro præclara conſilia Cæſaris ignavie diſſipata ſunt. De quo idem *Campanus* Epiſtola 8. ad eumdam Cardinalem. *Vereor* (inquit) *Papienſis mi, ne ad unguem divinaveris. Memini quo die locatus ſum tecum de profectione Germanica, dixiſſe te nullam ſpem habere in Cæſaris mente; dubii & latebroſi conſilii hominem nihil ad communem ſalutem, omnia ad ſuam utilitatem revocare.* Et Epiſtola 22. *Cæſar clauſis oculis, optimo eſt propoſito; nihil tam ſonorum, tam ſtrepens, quo illi excitentur. Nihil tam magnum atque ardaam quod is ſe facturum non prædicet. Si tam bene olim pugnabit, quam tunc ſtertit, vicimus.* Et Epiſtola 12. *Magno in diſcrimino ut ſimus, non tam hoſtium viras, quam noſtrorum tarditas, ne dicam ignavia, facit, & cunctatio Cæſaris ..... pacem Germaniæ Cæſar omnibus pronuntiavit, nulli dedit, & (quantum licet perſpicere) nec deponit inimicitias, nec exercet. Legatus omni fomite, omni materia Cæſarem conatur accendere, ſed neſcio an unquam accendi poſſit is, qui numquam incaleſcit ... Facile aſt Cæſari decernera, exequi Friderico difficile.*

Friderici tertii ignavia.

Bellum Hungaricum.

III. *Ladislao* Hungariæ Rege defuncto 10. Kalendas Decembris, anno 1458. non abſque graviſſima ſuſpiciona venani a *Georgio Poggiebracio*, & *Joanne Rokyſana*, tunc Huſſitarum capitibus propinati, *Poggiebracius* Bohamiæ, *Matthias Corvinus* Magni illius Heroïs *Joannis Hunniadis* filius Hungariæ Rex electus eſt, a carcera tranſlatus ad Solium. Hinc *Fridericum* Imperatorem bello laceſſivit, & Viennam Auſtriæ Metropolim, poſt aliquot menſium obſidionem fame ad extremum redactam, deditiona recepit, Kalendis Junii anni 1485. teſte *Bonfinio* Rarum Hungaricarum Decade 4. Libro 6. In Sileſiæ Annalibus memoriæ proditum aſt, cum *Matthias* Cæſaris ditiones depopularetur val occuparet, ipſum Imperatorem peregrinari per Germaniam ſolitum, atque in parietibus hoſpitiorum ſcribere hujuſmodi ſententiam: *Rerum irrecuperabilium ſumma felicitas oblivio.*

Vienna a Matthia Hungaria Rege expugnata.

Rerum Italiæ ſtatus.

Poſt obitum *Alfonſi* Aragoniæ ac Siciliæ Regis *Ferdinandus* ejus filius in Neapolitanum Regnum ſucceſſit. *Joannes* Renati Andegavenſis Ducis filius magno Exercitu collecto, in Apuliam profectus, collatiſque ſignis, *Ferdinandum* acie victum egit in fugam. Sed *Scandebergi*, ex Epiro ſuccurrentis auxilio *Ferdinandus* hoſtes repulit, omniaque ſibi arepta in poteſtatem recepit, ut refert *Marinus Barletius* lib. 10. De Geſtis *Scandebergi*. Defuncto *Philippo Maria* Duce Mediolanenſi, *Franciſcus Sfortia* Mediolanenſes fruſtra ſibi libertatem aſſerera conatos coegit in poteſtatem. Ad Mediolanenſe Dominium multi aſpirabant. *Fridericus* Imperator devolutum ad ſe Principatum, *Philippo* ſine liberis legitimis ſublato, contendebat. *Alphonſus* Aragonum & Siciliæ Rex hæreditatam ex teſtamento petebat. *Carolus* Dux Aurelianenſis *Ludovici* filius, ſanguinis jure eam ſibi Provinciam vindicabat, utpote *Valentina Joannis Galeacii* Vicecomitis filia, *Philippi* ſorora genitus. *Franciſcus Sfortia* conjugem ſuam *Philippi* filiam, hæredem patri ſuſcipiendam affirmabat. Hinc nova bella in Italia, de quibus logendus *Æneæ Piccolominei* Cardinalis Senenſis Liber *de Europæ Statu* ſub *Friderico* Imperatore, cap. 45. Obiit *Fridericus Tertius* Lyntzii die 7. Septembris anno 1493. Imperii 54. ut *Nauclerus* docet *Generatione* 50. Interrogatus aliquando quinam ſibi chariſſimi aſſent: *Qui me* (inquit) *non magis quam Deum timent.* Interrogatus alias quid homini optimum poſſet contingere: *Bonus* (inquit) *ex hac vita exitus.* Alia ipſius præclara Apophthegmata, ab *Ænea Sylvia* collecta legi poſſunt Tom. II. Rerum Germanicarum *Marquardi Freberi*.

An. 1448.

Præclara Friderici tertii Sententia.

ARTICULUS III.

De Maximiliano I.

I. MAximilianus, quem Pater *Fridericus Tertius* octavo antequam moreretur anno, Cæſarem a principibus deſignari curaverat, magnus bello Princeps, & pace præclarus, cujus eximia bonitas, liberalitas ſumma, & Chriſtianæ pietatis cultus præcipue commendantur, (inquit *Benevenutus de Rambaldis* in Libro Auguſtali) Imperii gubernacula poſt obitum patris ſuſcepit, annum agens ætatis 35. Electus

lectus fuerat Francofordiæ, *16.* Fabruarii, an. *1486.* & Aquisgrani die *9.* Aprilis coronatus. Electionis & Coronationis Historiam legere est Tom. *3.* Rerum Germanicarum *Marquardi Freberi*. Anno 1496. *Ludovicus Sfortia* Dux Mediolanensis, aliique Italiæ Principes, una cum Venetis, bellicum metuentes *Caroli Octavi* Christianissimi Regis apparatum, qui Narbonæ classem instruebat, Neapolitanum Regnum sibi vindicaturus, *Maximilianum* Cæsarem *Alexandri* etiam *Sexti* Summi Pontificis hortatu in Italiam advocarunt, ut ejus Germaniæque nomen Gallicis armis opponerent.

Maximiliani Cæsaris expeditio Italica.

Annuit Cæsar, expeditionemque in Italiam suscepit, suo nomini ac dignitati indecoram, atque a Ligurni oppugnatione turpiter a Florentinis in Gallico fœdere constantissimis repulsus, in Lombardiam rediens mutatis ibi sæpe pro animi levitate consiliis; demum in Germaniam inglorius abscessit, ut *Guicciardinus* lib. *3.* testatur. Vix dierum octo viam Cæsar extra Italiam abierat, cum ab Hastensi agro *Joannes Jacobus Trivultius* Gallici Dux Exercitus, Ducis Mediolanensis finibus arma intulit, in Liturgia & Transpadana ora omnibus ferro atque igne fœdatis. Qua in re etsi objectæ Sfortianæ & Venetorum copiæ haud multo post omnia in pristinum statum restituerunt, res tamen Italicæ propter eos motus periculi laborisque magni expertes non fuere. Verba sunt *Camilli Gilini* in commentario *De Expeditione Italica Maximiliani Cæsaris*, Tom. *3.* Rerum Germanicarum *Marquardi Freberi*.

Bellum Helveticum.

Cum Helvetiis bellum gessit infaustum *Maximilianus Cæsar*, anno millesimo quadringentesimo nonagesimo nono: ab his enim pene semper & ubique stetit victoria. Pacem tandem æquis conditionibus cum Cæsare fecerunt. Hujus belli Historiam a *Bilibaldo Pirkeimero* Patritio Norimbergensi scriptam habes Tom. *3.* Rerum Germanicarum *Marquardi Freberi*. Is Helveriorum virtutem eo bello commendat his verbis: *Magnam vero virtus, & rei militaris obtinuere existimationem, cum nihil temere, aut inconsulte agerent, sed in omnibus virtuti plurimum, fortunæ autem minimum tribuerent, præcipue vero imperio & jussis Ducum obtemperarent, ita at nec consilia factis, nec facta indigerent consiliis. Id si Cæsariani fecissent, proculdubio egregiam reportassent victoriam, cum non solum peditum numero essent superiores, sed & equitatu florentissimo instructi, ac in cunctis aliis quæ ad bellicum pertinent apparatum, longe præstarent, animi autem virtute cederent minime. verum dum nimiam audaciam maturis præferunt consiliis, talem sensere eventum, qualem contemptus, & nimia parere solet temeritas.*

Maximiliani Fœdus cum Ludovico XII. Rege Francorum.

II. Anno millesimo quingentesimo quarto, fœdus initum est inter *Maximilianum* Imperatorem, *Ludovicum* Regem Christianissimum, & *Philippum* Archiducem *Maximiliani* filium, Pontificiis Legatis intervenientibus, quo cautum imprimis fuit de Matrimonio *Claudiæ* filiæ Regis cum *Carolo* filio Archiducis, ac de Mediolanensis Ducatu eis tribuendo, si Rex absque filiis obiret: Deinde vero inter eosdem & Summum Pontificem *Julium Secundum* pro communi defensione, & contra Venetos, ut quæ singulis eorum bello eriperent, communibus viribus recuperarentur. *Maximilianus* vero *Rupertum* Bavariæ Ducem, ejusque patrem *Philippum* Electorem Palatinum ob quasdam simultates, & spretam in quadam causa Cæsaris sententiam, bello persecutus est, & ad officium redegit. Hujus belli Historiam ex *Trithemii* Sphanheimensis Abbatis Annalibus descriptam, legere est Tom. III. Rerum Germanicarum *Marquardi Freberi*, pag. *97.* Anno millesimo qaingentesimo octavo, *Maximilianus* repulsa a Venetis accepta de transitu armato per ipsorum Ditionem ad coronam Imperii accipiendam, exacerbatus, ad fœdus cum *Ludovico* Rege Christianissimo ineundum animum convertit. Conventus eam ob rem Cameraci habitus. Adfuit pro Cæsare, ejus filia *Margarita*, Belgii procuratria, fœmina prudentissima, & magnis animi corporisque dotibus spectatissima; pro Rege Christianissimo *Georgius Ambrosius* Cardinalis Rothomagensis, pro *Ferdinando* Hispaniæ Rege colloquii auctore Orator ab eo missus. Re paucorum dierum intervallo confecta, decimo Decembri, perpetuum inter Summum Pontificem, (pro quo Rothomagensis Cardinalis etiam agebat) Cæsarem, Regesque Christianissimum & Catholicum fœdus promulgatum est, generalibus dumtaxat verbis conceptum. Arcanis autem capitibus continebatur, Summos illos Principes sacro bello adversus hostes Christiani nominis suscepto, primum ea, quæ tam necessariam Expeditionem disturbare possunt e medio tollere velle; ac præsertim a Venetis civitates Ecclesiæ, Imperii,

Bellum adversus Venetos.

Regni Neapolitani, & Ducatus Mediolanensis, quas ambitiose occupaverant, repetere. Ita refert *Guicciardinus* Lib. 8. Bellum cœpit *Ludovicus* Rex Christianissimus, commissoque prælio ad *Ghiaraddam*, seu ad *Abduam* amnem, non procul a *Laude* urbe, ac *Rivolta*, maximam cladem Venetis intulit. Secundum quam victoriam, urbes Ducatui Mediolanensi olim attributas, scilicet *Cremam*, *Cremonam*, *Bergomum*, & *Brixiam*, intra quindecim dies recepit. Summus Pontifex *Faventiam*, *Ariminum*, *Ravennam*, *Cerviam*, & quidquid ea Pontificia Ditione usurpaverant. Hispani *Tranum*, *Brundusium*, *Hidruntum*, *Molam*, *Palignanum*, in Regno Neapolitano recuperarunt. *Maximilianus* per Ducem Brunsvicensem primum quæ Benaco lacu alluuntur, deinde *Veronam*, *Vicentiam*, & *Patavium* deditione accepit, adeo ut in Italiæ continenti nihil pene Venetis superesset. In ea rerum suarum inclinatione, Oratores ad *Maximilianum* misere, quas vellet conditiones ab eo se accepturos professi. Cæsar nulla de re cum ipsis pacisci voluit absque Rege Christianissimo, cui urbium suarum recuperationem acceptam referebat. Verum cum Veneti Patavium Cæsareorum negligentia recuperassent, deinde Vicentiam, aliasque minores civitates; a Patavii expugnatione *Maximilianus* magno cum dedecore repulsus esset; *Julius* II. Venetos Ecclesiæ restituisset; Regi *Ferdinando* Neapolitani Regni possessionem confirmasset; apertas inimicitias cum *Ludovico* Rege Christianissimo exerceret; Cæsar *Matthæum Langium* Episcopum Gurcensem ad Christianissimum Regem, & ad Mantuanum Conventum Oratorem misit, de pace inter Principes, Venetam Rempublicam, & Pontificem, acturum; *Julius* II. Gurcensem ad se accersivit Bononiam, & honorificentissime susceptum, facta spe Cardinalatus, Patriarchatus Aquilejensis, & Dignitatum Ecclesiasticarum ad valorem reditus annui centum millium ducatorum, in partes trahere conatus est, ac persuadere ut Cæsarem a Rege Christianissimo disjungeret. Sed magnificis promissis ab æquitate, a fide Cæsaris, ab officio abduci non potuit excelsi animi Præsul. Pacem fieri posse negavit, nisi Veneti Patavium & Tarvisium restituerent; & cum Rege etiam Christianissimo Pontifex ac Veneti pacem conficerent. *Julio* Gallici nominis hosti infensissimo ingrata propositio fuit. Quamobrem re infecta Gurcensis discessit, Parmamque abiit, cum Regis Christianissimi Oratore de communibus rebus consulturus. Constant ista ex *Guicciardino* Lib. 9. & ex *Michaele Coccinio* Tubingensi, *Viti de Furst* Gubernatoris & Vicarii Ducatus Mutinensis Cancellario, Libro *De Bello Maximiliani, cæterorumque Principum cum Venetis*, edito Tom. 2. Rerum Germanicarum *Marquardi Freberi*.

Maximiliani Bellum Gallicum.

Rebus interim Conventus Pisani celebratione magis magisque turbatis, *Maximilianus* Cæsar Christianissimum Regem deserit, Conciliоque Lateranensi, quod *Julius* Pisano opposuerat, inter primos adhæsit, misso statim ad illud Episcopo Gurcensi, suo in Italia Vicario. A quo, & Venetis Oratoribus, *Leo X.* novus Pontifex omnium controversiarum, quæ inter Cæsarem & eorum Rempublicam erant, arbiter constitutus est. Cujus compromissi nullus tunc fructus extitit. Interim Cæsar junctis cum *Henrico* Angliæ Rege viribus, Regi Christianissimo bellum intulit, quo Tarvana in Morinis, & Tornacum in Belgio, expugnatæ sunt.

Conventus Viennensis Principum.

III. Anno 1515. die 17. Julii, Viennæ in Austria Conventus Principum factus est, *Maximiliani* Cæsaris, *VVladislai* Hungariæ, *Ludovici* Bohemiæ, & *Sigismundi* Poloniæ Regum, cui etiam interfuere Cardinales Gurcensis & Strigoniensis, Episcopus Feltrensis Romani Pontificis Nuntius, Regum Hispaniæ & Angliæ Oratores, aliique Principes, Præsulas, ac Viri Nobiles ex Germania, Hungaria, Polonia, Regnisque & Provinciis vicinis. Quo in Conventu inprimis actum est de pace inter istos Principes, Regnaque firmanda, Matrimoniis *Ludovici* cum *Maria* filia *Philippi* Archiducis, filii *Maximiliani* Cæsaris; & *Ferdinandi*, ejusdem *Mariæ* & *Caroli* postea Imperatoris fratris, cum *Anna* dicti Ludovici sorore, quo pactio antiqua de successione Austriacæ familiæ in Regnis Hungariæ & Bohemiæ securior redderetur, si mascula progenies *VVladislai* deficeret. Actum item de bello contra Turcas, & Oratoribus ea de re ad Senatum Venetum mittendis: de pace inter Moscos & *Sigismundum* honestis conditionibus componenda, aut Moscorum societate a Cæsare dimittenda: de Teutonicis Equitibus ad obedientiam Polonorum reducendis, &c. De isto porro Conventu legi possunt *Joannis Cuspiniani*, tunc Urbis Vien-

nensis Præfecti, *Diarium*, & Cardinalis Gurcensis *Hodeporicon* sive *Itinerarium*, a *Richarda Bartolina*, Perusino, qui Orationem eo in Conventu ad Principes habuit, conscriptum. Anno 1516. *Maximilianus* Cæsar circa veris initium Italiam ingressus, Mediolanum irrito conatu aggressus est. Pax demum inter *Franciscum* Galliæ, *Carolum* Hispaniæ, Reges, & *Maximilianum* Cæsarem composita est Novioduni, Augusto mense. Obiit *Maximilianus I.* Lintzii in Austria die 12. Januarii, anno 1519. ætatis, 59. Regni a patris obitu 25. Historiam piissimi ejus obitus, & sepulturæ ad Novam Civitatem electæ descripsit Cuspinianus. Ipsum Oratione funebri laudavit *Joannes Faber* Augustanus, Ordinis FF. Prædicatorum Theologus. Edita est Tom. 2. Rerum Germanicarum *Marquardi Freheri*, cum altera *Georgii Sauromani*.

Tom. 2. Rerum German. Freheri.

Pax Maximiliani cum Rege Christianissimo.

ARTICULUS IV.

De Carolo V.

I. Post *Maximiliani* Imperatoris obitum, *Carolus* ejus Nepos, *Philippi Austriaci ex Joanna* Ferdinando & Isabella natæ filius, Hispaniæ Rex, Francofordiæ Imperator electus est Septemvirum numero, qui ipsi suffragabantur, contra eos qui pro *Francisco I.* Rege Christianissimo Imperium pariter ambiente stabant, prævalente, 4. Kalendas Julii, anno 1519. Quod autem legibus Pontificiis caveretur, ne ullus qui Regnum Neapolitanum obtineret, in Imperatorem eligi posset, hoc eum impedimento *Leonis X.* Pontificis Maximi auctoritate solvit Cardinalis *Cajetanus*, Sedis Apostolicæ in Germania Legatus. Cujus dispensationis confirmationem ab ipso Pontifice postea *Carolus* impetravit. Catholicam Fidem in Comitiis VVormatiensibus egregie professus, *Lutherum* velut manifestum Hæreticum proscripsit, & *Leonis X.* Pontificis Maximi Sententiam in ipsum ac Sectatores illius promulgavit, & executioni mandari jussit, anno 1521. Augustæ VVindelicorum Comitia celebravit anno 1530. ubi Protestantes Lutheranam Confessionem a *Philippo Melancthone ex Lutheri* Articulis molliori stylo concinnatam Imperatori obtulerunt, quæ ab his Comitiis, ubi primum in lucem emersit, *Augustana Confessio* appellata est. Imperator autem, cæterique Catholici Principes, & civitates, fœdus pro defensione Fidei inierunt, die 27. Novembris. Celebratis anno 1532. Ratisponæ Comitiis, libertatem Religionis Lutheranis Augustanæ Confessionis Professoribus ad usque Concilii Generalis tempus publico concessit Edicto: quod quidem Concilium intra sextum mensem a Pontifice indici, & post annum celebrari Cæsar curaret: aut si id obtineri non posset, in Comitiis Imperii de summa rei tractaretur. Pax hujusmodi Catholicæ Religioni incommoda, specie belli contra Turcas gerendi a Cæsare imprudenter composita est. Edictum Cæsareum legere est apud *Goldastum* Tom. 1. Constitutionum Imperialium p. 511. Præclara, sed inutilis fuit contra Turcam expeditio. Ingens *Caroli*, paulo numerosior *Solimani* Exercitus: cæterum neuter alteri occurrere, vel eum persequi ausus; quasi mutuo terrore stupefacti, nihil magis quam prælium formidarent. Anno 1541. inutilem de Religione Conventum Ratisponæ habuit, de quo superius diximus, in Lutheranæ Hæreseos Historia. Anno 1546. majori operæ pretio Comitia ibidem habita sunt, in quibus Cæsar cum Catholicis decrevit, negotia Religionis Tridentino Concilio permittenda. Hinc bellum Cæsarem inter & fœderatos Protestantes gestum quorum Principes erant *Joannes Fridericus* Dux Saxoniæ, & *Philippus Lantgravius* Hessiæ: quod bellum *Smalcaldicum* vocatum est, quod factum sit a Principibus & civitatibus fœderis Smalcaldæ inter Protestantes primum initi pro defensione doctrinæ & Sectæ Lutheranæ. De quo quidem bello Commentarios habemus *Joachimi Camerarii* Græco sermone scriptos, cum versione Latina & supplemento *Simonis Stani* Tom. 3. Rerum Germanicarum *Freheri*, nec non *Lamberti Hortensii Montfortii*, & *Ludovici ab Avila* Militiæ Alcantarensis Præfecti, de quo item plura *Sleidanus* Lib. 17. 18. & 19. Bellum illud a Cæsare felicissime confectum. *Saxo* & *Lantgravius* domiti. Captus ille, ac lata sententia capite damnatus, vitæ securitatem *Joachimi* Septemviri Brandeburgensis, & Ducis Clivensis intercessione, gravissimis conditionibus impetravit, ac potissimum renuntiationis Dignitati Electoris, tam suo, quam liberorum nomine; traditionis VVittembergæ & Gothæ; obedientiæ Cameræ Imperiali præstandæ; bonorum omnium publicationis; excepto quinquaginta millium aureorum annuo reditu; permansionis denique in potestate Cæsaris, aut *Philippi* Regis Hispaniarum ejus filii. *Lantgravius* vero his conditionibus gratiam obtinuit, ut se, suamque Provinciam simpliciter Cæsari dederet; Majestatis ejus pedibus advolutus veniam rogaret; *Henricum Brunsvicensem* a se olim captum, una cum filio, liberos dimitteret; centum quinquaginta aureorum millia penderet; Cameræ Imperialis judicio pareret, &c. Quindecim circiter mensium spatio hæc a *Carolo V.* gesta, qui victoriam Deo acceptam referens, Cæsaris verba Christiano stylo immutata usurpabat: *Veni, vidi, Deus vicit*. Ipsum vero Summus Pontifex *Paulus* III. gloriosis *Maximi* & *Fortissimi* nominibus in frequenti Cardinalium Senatu, & in literis gratulatoriis, decoravit.

Caroli V. gesta in negotiis Religionis.

Bellum Smalcaldicum.

Habitis subinde Comitiis Augustæ Kalendis Septembris anni 1547. Religionem Catholicam ea in urbe restituit Imperator. Partum eo bello decus obscuravit, infausta Religionis seu potius Interreligionis Formula an. 1548. promulgata, que INTERIM appellata est. Auctoritatem enim sibi sumpsit de Fidei & Disciplinæ Ecclesiasticæ quæstionibus decernendi, quod Laicis Principibus non licet, qui oves sunt, non pastores, manumque temere misit ad Sacra, non ut Arcam nutantem sustentaret, sed ut stantem concuteret; unde non minori pene execratione Cæsareum illud INTERIM dignum fuit, quam *Zenonis Henoticon*, *Heraclii Ecthesis*, & *Typus Constantis*, quamvis illud molliori manu Summus Pontifex tractaverit. Hanc gloriæ suæ labem auxit Cæsar, pace cum *Mauritio* Saxoniæ Septemviro pacta an. 1552. postquam ab ipso bello impetitus ac fugatus fuisset: plenissimam enim Religionis libertatem aditumque ad publicos honores & Dignitates Augustanæ Confessionis Professoribus Edicto solemni concessit, suæ dignitatis ac privatæ utilitatis majori habita ratione, quam divinæ gloriæ, & Catholicæ Religionis.

Augustana Comitia.

Caroli V. Edictum Interim, nuncupatum.

II. Immortales cum *Francisco I.* Rege Christianissimo gessit inimicitias *Carolus V.* quem in Ticini obsidione captum, Madriti captivum detinuit, & Oximensis Episcopi Confessarii sui, qui suadebat ut digna Christiano Principe humanitate Regem vel affinitate junctum, vel beneficio devinctum, vel utroque illigatum, generose dimitteret, spreto consilio, ipsum gravissimis conditionibus libertatem redimere compulit, cessione scilicet Ducatus Burgundiæ: omnium præterea jurium Regni Neapolitani, Mediolanensis Principatus, Genuæ, Astæ; item supremi Juris Flandriæ & Artesiæ; & urbium, quas in illis Provinciis possidebat, deditione: pactione Matrimonii cum *Eleonora* Cæsaris sorore: duorum filiorum suorum natu majorum velut datæ fidei obsidum traditione, &c. Nec æquior aut humanior in Summum Pontificem *Clementem VII.* fuit, quem occupata ac direpta a suis Ducibus & Exercitu Urbe Roma, captivum tenuit octo menses, cum interim in Aula speciem luctus ob ejus captivitatem exhiberet, vota nuncuparet, supplicationes decerneret fucatæ pietatis ludibrio mirus simulandi artifex; & durissimas etiam conditiones subire coegit, de quibus diximus superius in *Clementis VII.* Vita. Minorem fuisse hac occasione *Caroli V.* quam *Solimani* Turcarum Imperatoris humanitatem quidam observarunt. Ille enim audita Urbis clade, & Pontificis calamitate, in Christianorum insolentiam excanduisse dicitur, qui deterius Supremum suum Antistitem, & Sacra omnia habuissent, quam ipse Græcorum Patriarcham, aut Ritus, quos violare nefas putaret, quamvis ab illis extraneus. Ita refert *Fabricius Cornelius* apud *Bzovium*, ad annum 1527. Pacem cum Pontifice, & Rege Christianissimo Cæsar confecit an. 1529. cujus conditiones apud *Guicciardinum* Lib. 19. & *Belleforestium* Lib. 6. legere est. Mox in Italiam profectus, & Bononiæ cum Summo Pontifice congressus, ejus hortatu *Francisco Sfortiæ* Mediolanensem Principatum restituit; & cum Venetis, aliisque omnibus concordiam iniit. Bononiæ die 24. Februarii a *Clemente VII.* coronatus est. Florentia Mediceorum dominationi, post undecim pene mensium obsidionem subjecta; *Fridericus Gonzaga* Marchio Mantuanus, Ducis Dignitate auctus. An. 1535. *Carolus* felici Tunetanæ Expeditionis exitu gloriosus, (quæ ipsi tamen gloriosior extitisset, si Christianæ Religionis amplificandæ studio, non restituendi in Regnum *Muleassis* Mahometanæ superstitioni addicti, fratrumque sceleratis peremptoris, suscepta fuisset) in Italiam regressus, triumphali pompa Romam intravit anno 1536. ibique coram Summo Pontifice *Paulo* III. Cardinalium Collegio, Principum Oratoribus, Aulæque Pontificiæ & Cæsa-

Caroli V. cum Francisco I Rege Christianissimo inimicitia.

Caroli V. erga Clementem VII. iniquitas.

Caroli V. coronatio.

Cæsareæ Proceribus, gravissimam & diuturna meditatione paratam Orationem habuit, qua in Regem Christianissimum, quasi pacis totius orbis, Christianæ Reipublicæ rebus adeo necessariæ, obices apponentem, superbe invectus est, eique tres conditiones, quarum una singulare certamen erat, offerendas incredibili fastu proposuit. Sed postridie a Regiis Oratoribus, qui a Consistorio abfuerant, interpellatus palinodiam cecinit. Rex autem certior factus de his quæ illi Cæsar palam objecerat, Epistola Apologetica ea sigillatim purgavit, culpamque omnem in Cæsarem, atque alios rejecit. Hanc legere est Tom. 3. Rerum Germanicarum *Marquardi Freheri*, & apud *Ferronum* in *Francisco I.* De his etiam legendi *Bellajus*, lib. 5. & *Belcarius* lib. 21.

Caroli V. fastus.

In Franciscum I. Regem Christianiss. invehitur.

Secundum intemperantem illam jactantiam, Cæsar Christianissimum Regem in Provincia aggressus est ducto ingenti Exercitu, jamque totam Galliam spe devoverat, sed præter aliquot oppidulorum, una cum aquis-Sextiis ob munitionum difficultatem desertis, receptionem, nihil promovit, a Massiliæ oppugnatione repulsus. An. 1537. expostulante *Jacobo Capello* Advocato Regio in Senatu Parisiensi, in Jus vocatus est *Carolus Austriacus* (Imperator) quod contra *Franciscum Regem* Dominum suum, cujus scilicet Beneficiarius erat & Cliens ratione Comitatus Flandriæ, Artesiæ, Carolesii, aliorumque feudorum, arma sumpsisset: ac decretum est, ut Curiæ Parium se sisteret, aut Procuratores legitimos mitteret: alioqui Comitatus illi commissi declararentur, & ad Supremum Dominum redirent. Cum vero dicta die nullus nomine Cæsaris adfuisset, secundum Regiorum Triumvirum postulata judicatum est, ac in Decreti executionem, copias in Belgium Rex immittare statuit. Hinc immane bellum, quod tamen anno exeunte suspensum est pactis opera duarum sororum, *Mariæ* Hungariæ, quæ Belgium pro Cæsare administrabat, & *Eleonoræ* Franciæ, Reginarum, quibusdam induciis ad tractandum de pace. Tandem agente Summo Pontifice *Paulo* III. qui Niciam Provinciæ urbem maritimam pacis inter eos componendæ causa secontulit decennales induciæ pactæ sunt. Pontificem uterque seorsim veneratus est, sed ut in mutuum conspectum & colloquium se præsente venirent Pontifex impetrare non potuit. De quibus legendi *Jovius* lib. 37. & *Onuphrius* in *Paulo* III.

Iidem Bellum infert.

Pax confecta.

Post discessum tamen Pontificis Cæsar ad *Aquas Mortuas* Galliæ Narbonensis oppidum, agente *Eleonora* ejus sorore, Franciæ Regina, cum Rege congressus est, tanta utrimque amicitiæ specie, ut spem cunctis facerent perpetuæ pacis. An. 1539. cum *Carolus V.* profectionem in Belgium ad domandum Gandavenses perduelles decrevisset, transitum per Regnum a *Francisco I.* postulavit, delusa manibus Ducatus Mediolanensis promissis ejus credulitatu: in Gallia, ac Parisiis præsertim magnificentissime exceptus, eademque pompa qua Reges ipsi excipi consuaverunt, Bajona Vulentianas usque a duobus Regiis filiis & *Anna Mommorantio* Comite Stabuli deductus, cum Gandavenses ad officium redegisset, *Mommorantio & Georgio de Selva* Episcopo Vavrensi, Christianissimi Regis Oratori, ipsum de promissis implendis compellantibus, quidquam se Regi promisisse negavit. Regem nimis incautum plerique omnes existimarunt, qui a *Carolo* astutissimo & vaferrimo Principe non exegerit ut promissa scripto confirmaret, quod ejus Majestati prudenter suaserat Cardinalis *Turnonius*. De his legendi *Bellayus* lib. 8. & 9. *Belcarius* lib. 22. *Ferronus* in Francisco I. *Bellefosrestius* lib. 6. aliique Historici, nec-non Ceremoniale Franciæ a *Theodoro Godefrido* editum an. 1659.

Caroli V. per Galliam transitus.

Franciscum I. inanibus promissis delusit.

Anno 1541. Cæsar *Ferdinandum* fratrem a *Solimano* in Hungaria impetitum, illudque Regnum Turcarum prædæ relinquens, Africanam expeditionem, Autumno jam inclinante, inconsiderate suscepit Summo Pontifice, prodentioribusque Ducibus frustra deterrentibus: cladeemque gravissimam ad Algerii littus accepit.

Anno sequenti bellum a *Francisco I.* Rege Christianissimo ob violatam promissorum fidem, aliasque injurias illatum, in Italia, Belgio, & Hispania Cæsar sustinuit, adversus quem fortuna magis prævaluit, quam bellica virture. Cum *Henrico Octavo* Anglorum Rege Catholicæ Fidei & omnium ejus Professorum in Regno suo persecutore, & Pontificii nominis ac auctoritatis hoste, quem ipso postulante & urgente *Clemente VII.* diris omnibus devoverat, contra Christianissimum Regem fœdus iniit, gravissimarum offensionum ex repudiatæ, ad necemque adactæ Materteræ, præ *Francisci* Regis odio, immemor. Quo fœdere non minimam gloriæ suæ, ac pietatis famæ, quam affectabat, maculam inussit, ut observat *Jovius* lib. 44. Anno 1544. junctis cum Anglo viribus in Galliam irrupit, nullo operæ pretio. Mox cura *Eleonoræ* Francorum Reginæ, sororis Cæsaris, ipsum inter & *Franciscum I.* Crepiaci in Suessionibus 14. Kalendas Octobris sancita pax, cujus conditiones apud *Bellefosrestium*, *Belcarium*, & *Ferronum* legi possunt. *Mariam* Angliæ Reginam filio suo *Philippo* uxorem dedit, in eumque Regna & ditiones omnes transtulit in Belgii Comitiis Bruxellis habitis anno 1555.

Caroli V. cum Henrico Angliæ Rege fœdus contra Franciscum I.

Anno sequenti abdicavit Imperium, missa ad septemviros Legatione, illudque fratri suo *Ferdinando*, anno 1531. Regi Romanorum electo, administrandum reliquit, in Extremaduram secessit, ac in S. *Justi* Cœnobio, Ordinis Hieronymitarum, octavo a civitate Placentina Castulonensi lapide se inclusit, cum duodecim tantum ministris; rebus divinis deinceps tantum vacaturus, & de morte serio cogitaturus, quæ ipsi contigit die 21. Septembris, an. 1558. an. ætatis 58. mense septimo. De ipsius rebus gestis legendi *Suadovallius*, *Alphonsus Ulloa*, & *Ludovicus Dulcis*, in ejus Vita, Hispani Historici ipsum immodicis laudibus efferentes, & *Antonius Viperanus* in Oratione Funebri edita Tom. 3. Rerum Germanicarum *Marquardi Freheri*.

Carolus V. Imperium abdicat.

Pius ejus secessus & ad mortem præparatio.

Filium unicum ex legitimis nuptiis reliquit *Philippum Secundum* Hispaniarum Regem, filias *Mariam* Maximiliani, & *Joannam* Principis Lusitani conjuges. Ante Matrimonium, ex furtivo concubitu habuit *Margaritam*, quæ *Octavio Farnesio* Duci Parmensi nupsit, & in viduitate *Joannem Austrium* ex Ratisponensi fœmina.

Caroli V. filii.

SCHOLION.

Istum Articulum his verbis perstringunt Religiosi Censores: *A pag. 245. usque ad 250. nimis lacerat Carolum V. Imperatorem.*

R. Caroli V. recte præclareque gesta non sileo, male gesta non dissimulo. De illius Edicto INTERIM nuncupato, de inimicitiis cum Francisco I. Christianissimo Rege, de iniquitate in Clementem VII. Pontificem Maximum locutus sum ut probati quique Historici. Panegyricum non scribo, sed Historiam. Legantur *Pallavicinus* in Historia Concilii Tridentini lib. 2. cap. 13. & 14. & *Odoricus Raynaldus* ad annum 1548. N. 50. & seqq. qui Carolo V. in his Historiæ capitibus non magis parcunt, quia male & inique vel imprudenter gesta a Principibus dissimulare nec possunt Historici, nec probare.

Nota.

HIspani, aliique etiam Historici quam plura scripserunt, ut Caroli V. nomen adversus Gallos Scriptores ab impactis criminibus vindicarent. Cum igitur ipsius vindiciæ apud plures legantur, poterit unusquisque eos perlustrando judicare, an Natalis, acrior quam par esset stylo, de ipso fuerit loquutus. Sane Elias Vejulus conqueritur a Natale nimis exagitatos fuisse Hispaniarum Reges, ac Romanorum Imperatores, ac potissimum Carolum hujus nominis V.

ARTICULUS V.

De Ferdinando I. & Maximiliano II.

I. FErdinandus *Austrius*, Caroli Cæsaris Frater, Hungariæ & Bohemiæ Rex, Coloniæ Agrippinæ in comitiis Imperii Rex Romanorum electus, Nonis Januarii anno 1531. procurante fratre, qui cum postea ipsum urgeret ad cedendum in gratiam *Philippi* Nepotis, ejus postulatis annuere noluit: *Caroli* demum abdicatione a Septemviris accepta; ab iisdem Imperator salutatus est, Francofurti pridie Idus Martii anno 1558. annum agens ætatis 55. Id *Paulo IV.* non placuit cessionem hujusmodi ac translationem inconsulto Pontifice fieri non potuisse contendenti. Quam nihilominus *Pius IV.* postmodum ratam habuit. Filium suum *Maximilianum* Regem Bohemiæ, Regem etiam Romanorum eligi curavit *Ferdinandus* Cæsar in comitiis Francofordiensibus die 24. Novembris anno 1562. Apud *Pium IV.* Pontificem Maximum intercessit, ne in Reginam Angliæ *Elisabetham* sententiam ferret, quod spem ipsi fecisset conjugii cum filio suo *Maximiliano* Romanorum Rege. Tridentini Concilii absolutionem & vehementer optavit, & pro viribus promovit; atque ad reconciliandos Hæreticos varia

Ferdinandus primus.

postolavit a Patribus Legum Ecclesiasticarom laxamenta. Obiit Viennæ die 25. Julii anno 1564. ætatis 61. Imperii 7. de cujas laudibus Oratio in Pontificio Sacello Romæ habita ast, *Pio IV.* jubente. Magno animo Princeps fuit, sed non vasto: fori ad bellam pectore, sed ad pacem prono: in rebus bellicis generosior quam fortunatus, ut qui dotalis Regni partem non modicam sibi præreptam vidit ab *Ottomana* potentia. Pietate in Deum, studio pacis Ecclesiæ & Imperii, clementia, mansuetudine, liberalitate, laudes maximas promeritus est.

Maximilianus secundus.

II. Post ejus obitum Imperium rexit *Maximilianus* II, ejos filius, Rex Romanorum eo vivente creatas. Ingentem exercitom adversus *Solimannum* Tarcarum Imperatorem conscripsit anno 1566. nullo operæ pretio. Liceotiam publice profitendi Confessionem Augustanam, quam proceribas & Nobilitati Austriacæ vel concesserat vel concedere decreverat, adhortationibus & minis *Pii V.* Sanctissimi Pontificis, per Cardinalem *Commandonum*, Sedis Apostolicæ Legatum ipsi significatis, deterritus, rescidit. Poloniæ Rex a magoa procerum parte adversas *Staphanum Battorium* electus, Jus suum armis toeri parabat, favente *Georgio Decimotertio* Pontifice Maximo, cum mors ipsum intercepit Ratisponæ die 12. Octobris, anno 1576. ætatis 49. Imperii 12.

ARTICULUS VI.

De Rodalpho II.

ROdulphus II. Hungariæ & Bohemiæ Rex, *Maximiliani* II. filius primogenitus, in Regam Romanorum anno 1575. die 27. Octobris electus Patri in Imperium successit. Cum *Amurata & Achmetho* Turcarum Imperatoribus bellom habuit, quorum impressiones per fratres suos *Matthiam* & *Maximilianum*, aliosque strenuos Duces retundere conatus est, sedens interim ipse immobilis, ac pene delitescens Pragæ in Bohemia. Obiit anno millesimo sexcentesimo-duodecimo, Imperii trigesimo-sexto, ætatis prope sexagesimo, die vigesima Januarii. Edictum ipsios de pace Religionis concessa Bohemis, & conjunctarum Provinciarum incolis, Silesiis, Moravis, Lusatis, &c. secundum Augustanam & Bohemicam Confessiones datum Pragæ die 11. Julii 1609. legere est apud *Galdastam* Tom. 11. *Constitutionum Imperialium*.

CAPUT XI.

DE REGIBUS FRANCORUM XV. & XVI. Sæcalis.

ARTICULUS I.

De Carolo VI.

AB anno 1380. regnare cœpit *Carolus Sextus*, de cujus gestis ad usque Sæcali decimi-quinti initium, egimus in Synopsi Historiæ Ecclesiasticæ 14. Sæculi. Reliquum ipsius Regni tempus funestam fuit domesticis turbis, civilibus axternisque bellis, Tributorum gravitate, Regis morbo pene continuo, Regni pernicie. Turbatis ex diuturno Schismate Ecclasiæ rebus, nihilo pacatior fuit res Gallica, cui dissidia Principum exitium attulere. Post mortem *Philippi* Burgundionum Ducis, quæ anno quadringentesimo-quarto supra millesimum contigit, ejus filius *Joannas* Dux pariter Burgundiæ, patre vehementior, ejus in *Ludovicum* Docem Aurelianensem Regis fratrem æmolationis & contentionis de Regni procuratione heres, odium implacabile cam ipso fovit, extraneasque copias in Regnum induxit. Maltam laboravit *Joannes* Dux Biturigum ut feralea illæ discordiæ extinguerentur. Nam 20. Kalandas Decembris, anno 1407. in Templo coram sacratissimo Corpore Christi, qaod & ipsi non perceperunt, interposita, eo auctore, jurisjurandi religione, testati sant se odium omne amore pietatis depositoros. Nihilominus die Mercurii consecuta, immissis sicariis, quorum præcipuus arat *Rauletus* quidam *Octonvillæus*, Normaoous, Ducem ipsum Aurelianensem immaoiter trucidari curavit Burgundiæ Dux, a Palatio Reginæ tunc ex puerperio decumbentis redeuntem. Funeri, quod postridie in PP. Cœlestinorum Monasterium ubi Dux Aurelianensis insigne Sacellum condiderat, peractum est, Burgundiæ Dux in pulla veste cum aliis interfuit, quo præsente sanguis erupit

Ducis Aurelianensis cædes a Joanne Duce Burgundiæ procurata.

ex feretro velut homicidam accusans. Quæstio de crimine inter Principes post exequias cœpta: quod ille patruo suo Bituricensi Duci confessus, confestim in Flandriam aufugit, jure materno suam; at si opus foret, immane parricidiom armis obrueret. Piissimum *Ludovici* Ducis Aurelianensis Testamentum, die 19. Octobris anno 1403. conditom legere est in Observationibus clarissimi *Godefridi* in Historiam *Caroli VI.* pag. 631. *Valentina* Ducis Aurelianensis Vidua, cum liberis ex ipso procreatis circumibat Proceres Francos, Regis fidem implorabat, ne fratris cædem multam pateretor, *Burgundus* ad causam dicendam, crimenque diluendom, multo equitata sobnixus venit, & defuncti manes atrocissimis calumniis insectatus, postolare ausus est, ut jure cæsus diceretur. Parricidii defensionem impie suscepit *Joannes Parvus* Theologus Parisiensis, ejusdem *Joannis* Ducis Burgundiæ stipendiarius; Ducemque Aurelianensem seu *Tyrannum*, licite a quovis occidi potuisse propugnavit. Rex, ot erat affecta mente, Burgundiæ Duci gratiam delicti fecit. Hinc gravius extitit belli civilis incendium. *Burgundionum*, & *Aurelianensium*, qui & *Armaniaci* vulgo vocabantor, ob Ducem *Armaniacum*, immanes factiones, Lutetiæ, & alibi grassabantur, ac prædas exercebant. Lanii, assuetum cruori hominum genus, a Burgundionibos in partes recepti. *Carolus* Dux Aurelianensis, ejusque fratres, prolixis ac vehementibus literis, qoas *Joannes Javenalis de Ursinis* Historiæ suæ inseruit, ultionem paternæ cædis ab ejus Majestate frustra postolabant. Eas famosis literis Burgundus refellebat. Quin etiam Aorelianensem, eisque adhærentes, vi cujusdam Constitutionis *Urbani V.* Pontificis Maximi, qua excommunicantor omnes qui contra Regem coitiones faciont, vel arma somunt; in omnibus Lutetiæ Templis excommunicatos denuntiari curavit. Quod & Aurelianenses in urbibus ac ditionibus suis contra Burgundum ceu Regni perturbatorem præstiterunt. Regis potens Burgundus eum partibus suis obstrinxit, Declarationemque ab ejus Majestate elicuit, qoa Aurelianenses velut publicos hostes quoram consilia & conspiratio ad suam exauctorationem, novique Regis creationem tenderent, proscribebat. Parisiensem etiam Academiam adversus ipsos concitavit quæ vi Constitutionis *Urbani V.* supra laudatæ, ipsos pro excommunicatis habendos, ipsarum Ditiones ac Terras Ecclesiastico suppositas Interdicto, eorumdem vassallos a Juramentis fidelitatis & hominii absolutos censeri debere respondit. Bituriges, obsidente oppugnanteque Burgondione, oppugnantibus Bituricensi & Aurelianensi Ducibus, Anglis isti succurrentibus, expugnari non potuere. Re infecta discessum, paxque inter partes redintegrata, & Autissiodori confirmata, anno 1412. Tom Regni Ordines Lutetiæ Parisiorum congregati. De subsidiis, novisque vectigalibus ad repellendos Anglos actum est. Parisiensis Academia, Prætor & Ædiles intercessere. *Benedictus Gentianus* Urbis & Academiæ nomine peroravit, hoc sumpto themate: *Imperavit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna*; duosque ventos in Regno dominari ostendit, seditionem & ambitionem: deque plebis miseria, vectigalium gravitate, Ærarii depeculatione, Rationalium, aliorumque Ministrorum rapacitate, stipendiis immodicis, luxo, vehementem ac nervosum sermonem habuit. De eodem argumento dixit *Eustachius de Pavilly*, Ordinis Carmelitarum Doctor Theologus Parisiensis. Ordinaria Tributa repellendis hostilius sufficere, modo recte administraretur ærariam, nova exigenda non esse pars Ordinum maxima censuit. Cabochianorum & Laniorum seditiosa turba, *Jovanis Javenalis da Ursinis* Domini *De Troigniel* Urbis quondam Regiæ Prætoris auctoritate & industria dissipata est, Burgundi moliziones aversæ, Bavariæ & Bari Duces carcere liberati, præteritarum iojuriarum abolita memoria, pax Principibus, tranquillitas civibus restituta est. Unus Burgundiæ Dux, fax belli, Parisiis excessit, copias in Provinciis contracturus: quibus transitum, auxilium, consiliumve dari Rex prohibuit, datis ad urbium omnium Præfectos literis ac mandatis, anno 1413. Suessiones a Regiis vi expugnati, Compeodienses & Artesii obsidione pressi deditionem fecare. Pax brevis Regem inter & Burgundiæ Ducem composita.

Bellum civile.

Interea *Henricus V.* Angliæ Rex *Catharinam* Christianissimi Regis filiam per Oratores nuptoi petiit, cum Aquitaniæ Ducatu, & Comitatu Pontivi supremo Jure possidentis, quo fœdere, pax & concordia inter utramque Regiam sanciretur. Missa vicissim ad Anglum honorifica Legatio, cujus caput Bituricensis Archiepiscopus. Honestas conditiones Anglus non accepit, sed se

Bellum Anglicum.

Nos-

Normanniæ, Aquitaniæ, Andium, Cenomanorum, Toronum, Pontivi Supremum esse Dominum, imo legitimum Franciæ Regem contestatus est, Regnumque armis subacturum. Reposuit Christianissimi Regis Orator, nedum Anglo nullum Jus esse in Franciæ Regnum, aut in dictas ejusdem Provincias, sed nec Anglicanum jure possidere, quod ad *Richardi* II. Regis legitimos heredes optimo jure pertineret. Proinde Francorum Regem cum ipso pacisci tuto non posse. Hæc verba superbiam Anglicanam pupugerunt, Legati parum honeste & cum minis ab Anglo dimissi, Arcanum fœdus Burgundiæ Ducis cum illo revelatum. Arroganti stylo ad Christianissimum Regem scripsit *Henricus* Rex Anglorum, Pacis conditiones iniquissimas offerens, aut bellum denuntians; Literarum hæc erat inscriptio: *Celsissimo Principi Carolo cognato nostro, & Adversario Franciæ, Henricus Dei gratia Anglorum & Francorum Rex spiritum consilii sanioris, & tribuere unicuique quod suum est*. Se alienum a pace æquis conditionibus facienda non esse respondit *Carolus VI.* Tractatum spemque pacis Anglum abrupisse hostili in Regnum invasione. Se cum Dei auxilio Jura sua defensurum, vimque vi repulsurum. De *Catharinæ* filiæ suæ nuptiis quas ambibat, nihil impræsentiarum respondere, quod postulandi modus insolens nec honestus esset. Literarum inscriptio hæc erat: *Celsissimo Principi, Henrico cognato nostro, & Adversario Angliæ, Carolus Dei gratia Franciæ Rex: neminem opprimere, nec quidquam contra Jus aggredi*. Utriusque Epistolæ exemplar Historiæ suæ inseruit *Joannes Juvenalis de Ursinis*, ad annum 1415. quo scriptæ fuere. Anglus, domesticis malis ægra re Francica, in Normanniam hyeme appetente transmisit. Arefluctus, post gravem obsidionem, deditionem fecit. Exinde cum tam armis, quam morbo qui castra invasit, aliquot suorum millibus desideratis, Anglus Somona amne trajecto, per Picardiam Caletium versus reditum maturaret, ad *Blangiam* ipsum assecutus est Magister Equitum *Albretus*. Cum a nostris premerentur Angli, amplas conditiones obtulere, etiam Arefluctì dimissionem, modo liberi & incolumes abire finerentur. Quibus, juniorum Principum imprudentia & ferocitate recusatis, contra seniorum Ducum sententiam, ad *Azincurtium* pugnatum est. Galli turpissime victi, Nobilium quatuor millia, quos inter Duces Alenconius, Barensis, Brabantinus, Comitas Nivernensis, & Masli, *Albretus* Magister Equitum, *Castillionæus* Maris Præfectus, *Joannes de Monte Acuto* Senonensis Archiepiscopus, Militum vulgus ad decem millia cecidere. Capti Duces Aurelianensis & Borbonius, Comites Vindocinensis, & Richemontius, *Bussicaldus* Polemarchus, ac nobilissimarum familiarum Proceres permulti. Ex Anglis ducenti dumtaxat cum Duce Eboracensi Regis fratre desiderati. Alii mille & sexcentos numerant. Victor præda gravis in Angliam transfretavit. In Francia a *Joanne* Burgundiæ Duce magis trepidari cœptum, ne armatus ut erat Lutetiam accederet, quamvis præteritorum erratorum a se suisque fautoribus commissorum veniam ac Literas abolitionis a Rege obtinuisset, quas apud *Juvenalem de Ursinis* legere est. Ipsi Lutetiæ aditu Rex interdixit. Interea *Ludovico* Delphino, Aquitanniæ Duce defuncto, *Joannes* Dux Turonum, secundum hunc major natu Regis filius, *Delphinus* appellatus est; a quo dimissis Copiis, Dux Burgundiæ in Artesiam se recepit. Eodem anno 1415. *Sigismundus* Imperator Parisiis honorificentissime a Rege exceptus, Indeque transiens in Angliam, inutilem in concilianda inter utramque Regiam, Regnumque pace operam navavit. In Senatu Parisiensi Regia in Sede supra Senatus Principem sedit *Sigismundus*, Patronos in causa quadam insigni perorantes audivit, ac Nobilem Clericum, cui titulus ac dignitas Equitis deerat ut causam vinceret, solemni ritu in Curia Equitem creavit. Id plerosque commovit, quod Regis Auctoritatem hac actione usurpasse videretur, qui in Regno suo Imperator est, illudque a solo Deo non ab alio tenet, ut observat *Juvenalis de Ursinis* Remensis Archiepiscopus. Annis 1416. & 17. externum civileque bellum majorem in modum exarsit, Burgundiæ Duce cum Anglis ad Regni perniciem fœderato, Rothomagus, Rhemi, Catalaunum, Trecæ, Autissiodorum, Burgundo deditionem fecere. Anglus descensione facta, Cadomum, omnemque Normanniam inferiorem expugnavit, aut deditione recepit. *Carolus* Delphinus, qui *Joanni* fratri defuncto in nomen ac spem Regni successerat, Rothomagum Burgundo eripuit. Cardinales *De Ursinis* & *S. Marci Martini V.* Pontificis Maximi Legati, Anglorum Regem ad propositiones pacis audiendas inflectere frustra conati. Burgundiæ Dux, cum Regina ipsi addicta, Parisiis receptus. Rothomagum longa obsidione & fame domuit Angliæ Rex, Urbemque ingressus est die 19. Januarii 1418. *Carolus* Delphinus, Regni Procurator appellatus, Regnum adversus Anglos & Burgundiæ Ducem pro virili tuebatur. Rebus eo redactis, ut pax ineunda esset, aut Regnum Anglis penitus cedendum, de pace primum cum Angliæ Rege actum est. Re ob duras ejus petitiones infecta, cum Delphino Regente agi cœptum, Conventum est ut ad controversias dirimendas, pacisque perficiendum tractatum, Delphinus, Duxque Burgundiæ cum denis omnino Comitibus, Monterigoli * ad Icaunæ & Sequanæ confluentem colloquerentur. Ibi inter Principum comites orta contentione, Dux Burgundiæ incerta manu, Delphino minime conscio, occisus est. *Tannegium de Castello* cædis auctorem fuisse ferebatur, quod ipse omni deinde vita inficiatus est. *Philippus* cæsi Ducis filius acerrimus necis paternæ ultor, Urbem Regiam, Carnutum, Trecas, Regem, Reginam, *Catharinam* Virginem Regis filiam, Anglo tradidit, anno 1419. Anno sequenti, die secunda Junii, *Catharina*, Patre qui nec sui, nec Regni, nec mentis potens foret, nihil detrectante, Regina *Ysabella*, & Burgundiæ Duce consentientibus, nupsit *Henrico* Angliæ Regi his legibus, ut Rex gener, si socero Regi superstes foret, liberive ex *Catharina* procreati, in Regnum Franciæ succederent: interea Rem Francicam administraret gener Anglus, ac Franciæ Rector diceretur. Eo nomine bellum gerens, adjuvante Burgundione, Senones, Melodunum, Meldosque cepit. Secundum hæc, Burgundiæ Dux ultionis avidus, Delphinum Lutetiæ voce Præconis citandum curat, dieque dicta absentem, agentibus Duumviris Regis, indignum pronuntiari qui succedet in Regnum, cujus iniquitatem, nullitatemque Sententiæ vel ipsi Angli, quibus aliquis inerat justitiæ, probitatisque sensus agnovere. Anno 1421. Angli a Delphini copiis ad vicum Baugium in Andibus, magna clade sunt affecti. Clarentiæ Dux Angli Regis frater, in procuratione rerum Francicarum ab ipso relictus, eo prælio cecidit. *Henricus* Angliæ Rex fraternos manes ulturus, in Galliam rediit cum majoribus copiis, quas pestilentia, & oppidanorum ac rusticorum gladius miserum in modum dissipaverunt. Eodem anno *Catharinam* conjugem prægnantem in Angliam transmisit, quæ ipsum auxit filio, cui nomen *Henrico*. Pacta Matrimonii *Catharinæ* Franciæ, *Caroli VI.* filiæ cum *Henrico* V. Anglorum Rege, Trecis inita die 21. Maji anno 1420. Observationibus suis in Historiam *Caroli VI.* inseruit D. *Godefridus*, pag. 696. Anno 1422. die 20. Octobris, vivere desiit *Carolus sextus* Rex Christianissimus, anno ætatis 52. Regni 42. inchoato, adeo populis suis charus ob probitatem, mansuetudinem, pietatem, liberalitatem, aliasque Regias dotes, ut *Bene Amati* cognomen apud eos consecutus sit: cæterum commiseratione dignus ob continuam pene mentis & corporis infirmitatem, qua effectum est, ut Regnum, quod per se regere non poterat, domesticorum, exterorumque prædæ pateret, casurum omnino, nisi Dominus supposuisset manum, & ex quinque *Caroli* filiis, ex *Ysabella* Bavara susceptis, reservasset novissimum Patri cognominem, per quem salutem Regno afferret. De gestis *Caroli sexti* præter *Joannem Juvenalem de Ursinis* Archiepiscopum Remensem, scripserunt Anonymus Auctor Compendii Historiæ Chronologicæ ab anno 1400. ad annum 1467. *Jacobus Bouvierus* primus ejusdem Regis Fecialis, Auctor Historiæ Chronologicæ ab anno 1402. ad annum 1455. *Petrus de Fenino*, Scutifer ejusdem Regis, in Commentariis ab anno 1407. ad annum 1422. productis, Anonymus civis Parisiensis Auctor Diarii Regni *Caroli sexti* ab anno 1409. ad annum 1449. quæ omnia eodem Volumine cum Historia *Juvenalis de Ursinis* edita Regiis Typis habemus; Anonymus *S. Dionysii* Monachus: *Froissartus*, *Monstreletus*, *Paulus Æmilius*, *Papirius Masso*, & omnes qui universalem Franciæ Historiam Scriptis illustrarunt.

Sigismundi Imperator in Senatu Parisiensi in Regia Sede supra Senatus Principem sedit.

Burgundiæ Dux cum Henrico V. Anglorum Rege ad Regni perniciem fœderatus.

* *Monterenum faut-Yone.*

Anno 1448.

ARTICULUS II.

De Carolo Septimo.

I. CArolus *septimus* Sexti filius, annum ætatis vigesimum agens, audito Patris obitu, ex Delphino & Regni Rectora, Regem se Francorum, ut vere jureque legitimo ac naturali erat, nuncupavit. Regnum fere perditum bellica virtute, ac Nummis auxilio recuperavit, unde & *Victoris* cognomen prome-

meritus & consecutus est ; cum initio Regni, *Henrica* Anglorum Rege hujus nominis *Sexto*, etiam Francorum proclamato, bis acie victus, semel ad *Crepantium*, iterum in finibus Lexoviorum, *Rex Biturigum* ab hostibus per ludibrium diceretur. Ligerim usque Imperium Anglorum pervenerat. Aureliam nobilissimam Galliæ Celticæ urbem obsidione cinxerunt an. 1429. duce Sarisberiensi Comite, qui in obsidione cæsus, propugnante *Joanne* Notho Dunensi Comite, *Ludovici* Ducis Aurelianensis, qui a *Joanne* Burgundo interfectus est, naturali filio. Ultima jam metuentibus civibus, Deus alteram *Deboram* suscitavit, quæ Francorum animos erigeret, urbem liberaret, Anglos profligaret, Regem, Remque Francicam restitueret. *Joanna Darcia* hæc fuit, in pago *Dompremeio* seu *Domremigio* versus Valliscolorem nata, *Jacobo* patre agricola, & *Ysabella* matre, ovium custos, Virgo annorum non amplius octodecim, probis & honestis moribus, erga Deum, Virginem Deiparam, Sanctos, resque divinas pie affecta. Ea divinis instincta vocibus ad solvendam Aureliæ obsidionem, & *Carolum* Regem tot angustiis explicandum, ad eum venit, prædicans se a Deo missam ut urbem liberaret, eumque Remos ad sacram Inaugurationem perduceret. Dicenti non prius fides adhibita, quam variis interrogationibus a Theologis, Jurisperitis, Proceribus, & Senatu Parisiensi tunc Pictavium translato, tentata ac probata est, prudenter, constanter, ac sancte ad omnia respondens. Militari ergo habito, qui & ad susceptam expeditionem, & ad servandam pudicitiam aptior esset, cum egregiis aliqoot Ducibus, modica Militum manu, ad solvendam Aureliæ obsidionem, cujus septimus jam mensis numerabatur, intrepide perrexit; cumque Milites conscientiam expiare Sacramentali Confessione jussisset, per Hostium munitiones impetu facto, obsessis auxilia, commeatumque intulit. Hostium deinde munitiones fortiter aggressa, eos crebris irruptionibus fractos, ab urbe repulit, die sexta Maii anno 1429. Captis deinde nonnullis circumjectis oppidis, Anglisque ad *Pataium* Belsiæ vicum profligatis, & ad tria millia cæsis, capto *Tallebota* hostilis exercitus Duce, Regem per medios hostes ad Inaugurationem suscipiendam perduxit, Trecis, Catalauno, Remisque Regiæ potestati subditis. Mox Laudunum, Suessiones, Compendium, Bellovacum, Silvanectum aliaque oppida, jugum Regis subjere. Post hæc irrito conatu tentata Lutetia, Puella Compendiensibus ab Anglo obsessis opem ferens, in oppidum irrupit, sed eruptione postea facta, in potestatem hostium venit, quam *Joannes de Luxemburgo* Burgondici Dux exercitus diu detentam, Anglis tradidit. Ab his Rothumagum ducta, & magiæ, hæreseos, impudicitiæ, per calumniam accusata, a *Petro Cauchonne*, Vinitoris in agro Remensi filio, Episcopo Bellovacensi, insigni Anglorum & Burgundionum fautore, cujus in Diœcesi capta fuerat, *Joanne Magistro* Vicario Inquisitionis, & nonnullis Doctoribus in Theologia & Jure Canonico, earum partium, assidentibus, carceri perpetuo addicta, deinde cum virilem habitum, quem eorum jussu exuerat, rursus induisset, Anglis urgentibus velut relapsa damnata est, nemine pro captiva hiscere auso, & sæculari tradita Magistratui igne cremata in foro est, die 30. Maii, anno 1431. Vitæ ejus innocentiam, ac Sententiæ in eam ab hostibus latæ iniqoitatem Auctores gravissimi prædicant, *Gobelinus* Pontificis *Pii II.* Notarius Lib. 6. Commentariorum. *S. Antoninus* 3. P. Chronicorum, Tit. 22. Cap. 9. §. 7. *Philippus Bergomas* Lib. De Claris Mulieribus, Cap. 157. *Gersonius* seu potius *Henricus de Gorckeano* coævus Auctor, *Joannes Chortierus* in Historia *Caroli XII.* *Bellosorestius* Lib. 5. Capp. 92. & 93. *Monstrelotus* P. 2. Chronicorum, *Gaguinus* Lib. 10. *Paulus Æmilius*, *Papyrius Massonus*, *Valeranus Varanus*, Theologus Parisiensis, in Puellæ Aurelianensis Vita carmine conscripta, aliique Auctores laudati a *Joanne Hordal* in Vita ejusdem Admirabilis Puellæ. Ex Actis Inquisitionis contra Puellam Rothomagi factæ; ex Interrogationibus *Joannis Estiveti* Canonici Bellovacensis & Bajocensis, hac in causa Promotoris, ejusdemque Puellæ responsis, ac tota litis a *Cauchonia* instructæ serie, quæ in Codice MS. Victorinæ Bibliothecæ 301. exarata habetur, istius Heroinæ innocentia liquido comprobatur. Denique anno 1456. *Ysabella* Puellæ mater, *Petrus* & *Joannes Darc* fratres ejus germani, suo, consanguineorumque nomine, Rescriptum a *Calixto III.* impetrarunt ad causam retractandam, Puellæque memoriam vindicandam, qui delegati sunt Judices, *Joannes* Archiepiscopus Remensis, *Guillelmus* Parisiensis, & *Richardus* Constantiensis Episcopi, ac *Joannes Brehal*, Ordinis FF. Prædicatorum, Sacræ Theologiæ Professor, & Hæreticæ Pravitatis in Regno Franciæ alter Inquisitor; Qui visis & accurate expensis omnibus & singulis Processus Instrumentis, actis, munimentis, scripturis, visis etiam Inquisitionibus præparatoriis a *Guillelmo* Titulo *S. Martini in Montibus*, Presbytero Cardinali, Sedis Apostolicæ in Regno Franciæ tunc Legato factis, omnibusque dictam causam spectantibus, dixerunt, pronuntiaverunt, decreverunt & declararunt: *Dictos Processus & Sententias dolum, calumniam, iniquitatem, repugnantiam, jurisque & facti errorem continentes manifestum, cum executionibus, & omnibus inde secutis, fuisse, fore, & esse nullos, & nullas, invalidos, & invalidas, irritas & inanes:* & nihilominus, quantum opus esset, ipsos & ipsas Auctoritate Apostolica resciderunt, & in irritum miserunt, *dictamque Joannam, & Parentes ejusdem, nullam notam infamiæ, seu maculam occasione præmissorum contraxisse seu incurrisse, immunemque a præmissis & expurgatam fore & esse* declararunt. Lata fuit hæc Sententia in Palatio Archiepiscopali Rothomagensi, die septima Julii, anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo-sexto. Hanc Sententiam ex Regio Chartophylacio erutam, in suis ad Historiam *Caroli VII.* Observationibus edidit *Dionysius Godefridus* pag. 903. Innumeri testes omni exceptione majores, quos inter Joannes Comes Dunensis, ab iisdem Prælatis & Quæsitore Fidei auditi super *Joannæ* Puellæ natalibus, vita, religione, moribus, rebusque gestis, fidem facere Virginem illam injuria damnatam. Acta in scrinio Parisiensis Ecclesiæ servantur. Judicaverant olim Theologica Facultas Parisiensis, & Facultas Juris Canonici, die 15. Maii 1431. „ *Joannam* esse blasphemam in „ Deum & contemptricem Dei in suis Sacramentis, „ Legis Divinæ, & Sacræ Doctrinæ ac Sanctionum „ Ecclesiasticarum prævaricatricem, male sapientem & „ errantem in fide, suspectam de idololatria, & execratione sui ad cultum dæmonum, proditricem, do„ losam, crudelem, seditiosam, & ad tyrannidem pro„ vocantem, blasphematricem Dei in mandatis & re„ velationibus suis, impiam in parentes, Schismati„ cam, Apostatricem, & pertinaciter errantem in fide. Verum cum Sacræ & Consultissimæ Facultates judicassent secundum Articulos ab Anglorum Rege, qui tunc Parisiis dominabatur, & a *Petro Cauchon* Bellovacensi Episcopo, ab iisdem Anglis subornato, expositos & ad se transmissos, nulla hujusmodi Judicii merito habita ratio est. Majoris certe ponderis est Sententia Præsulum a Summo Pontifice ad causæ revisionem delegatorum, cujus, & *Sanctæ Sedis Apostolicæ*, ac *Sacrosancti Generalis Concilii Ordinationi & Determinationi* Deliberationem suam ac Judicium Sacra Facultas submiserat, ut legimus in Actis insertis Historiæ Universitatis Parisiensis, Sæculo 7. ad annum 1430. Ingentia Mirabilis puellę in suam Majestatem totumque Regnum merita commendavit *Carolus VII.* Regio Diplomate, quo ipsam, ejusque patrem, matrem, fratres, consanguineos, ac eorum posteros, ad Nobilium ordinem evexit, dato Magdum super Ebram, in Biturigibus, mense Decembri, anno 1429. Illum edidit *D. Godefridus* in Observationibus ad Historiam *Caroli VIII*,

Aurelia ab Anglis obsidio.

Johanna Darcia Aurelianensis Puella.

Aureliam ab obsidione liberat.

Carolus VII. a Puella Remos perductus ad Inaugurationem suscipiendam.

Puella ab Anglis capta, & inique damnata.

Aurelianensis Puella Innocentia vindicata.

II. Capta Puella, Res Anglorum in pejus cessere. Compendii obsidionem solvere coacti alias deinde Urbes amisere, & ad Catalaunum, magnis cladibus alibique non semel sunt affecti. Anno 1435. Summo Pontifice per Legatos ultro citroque commeantes agente, pax Christianissimum Regem inter & Burgundię Ducem Attrebati confecta. Anno sequenti Aprili mense, Lutetia *Carolum* Regem pulsis Anglis admisit. Rothomagus anno 1449. cęterę deinde Normannię Urbes Regi Victori se dedidere, Anglis ad *Forminiacum* vicum Cadomum inter & Bajocas, profligatis anno 1450. Mox Translato in Aquitaniam bello, Burdigala, Bajona, cęterę Aquitanię, & Novempopulanię urbes partim deditione, partim ferro in *Caroli* Regis potestatem ac fidem recepię; nulla re in continenti Anglis reliqua pręter Caletium, eique contributos angustos fines. Regis Victoris felicitatem *Ludovici* Delphini rebellio, & secessio ad Burgundię Ducem turbavit. Rex metu veneni cibo abstinens, cum urgentibus amicis Medicisque, aliquid edere conaretur, clausis jam vitalibus, extinctus est Magduni Biturigum, die 22. Julii Divę Magdalenę sacra, anno 1461. Sacramentis Ecclesię rite procuratus, & ad S. Dionysii illatus est. Annum ætatis sexagesimum agebat, Regni trigesimum-nonum. Ex *Maria* conjuge *Ludovici II.* Ducis Andegavensis filia, quatuor filios, & septem filias suscepit. Filiorum duo dumtaxat Patri superstites vixere, *Ludovicus*

Caroli Regis Victoria.

Caroli VII. filii.

Ejus elogium.

vus & Carolus. Regis hujos pietatem, fortitudinem, justitiam, benignitatem, studium Religionis & pacis Ecclesiasticæ, Disciplinam Politicam, Auctores passim prædicant. Cardinalis Papiensis *Pium & Justum* appellat: *Gobelinus* Commentariorum lib. 6. *Regem suo ævo, & magnum & memorabilem, cujus in utramque partem admirari fortunam liceat:* Polydorus Virgilios in Historia Anglicana *Gloriam Francorum, & Restauratorem Regni*. Basileensis Concilii tempestate semper firmus atque inconcussus stetit ejus animus pro unitate servanda, semper adhæsit vero Christi Vicario, semper *Eugenium IV.* & *Nicolaum V.* Summos Pontifices coluit; missisque ad utrumque Pontificem & ad *Amedeum* in sua Obedientia *Felicem V.* Papam nominatum Legationibus, istum ad deponenda Pontificatus insignia adduxit, & eum *Nicolao* conciliavit, nec pepercit sumptibus ut pacem Ecclesiæ procuraret. Congregata Biturigibus Ecclesia Gallicana *Pragmaticam Sanctionem* tulit, *Eugenio* & sequentibus Pontificibus ingratam, Ecclesiasticæ licet instauratricem Disciplinæ, anno 1438. Cum aliquando contenderet ab Eugenio Jovenem ante annos legitimos Metropolitanæ Ecclesiæ præfici, idque assecutus, factum damnaret, dicente quodam: *Intercessisti, o Rex: Intercessi* (inquit) *sed non credidi concessum hoc iri. Se videlicet postulationis auctorem, Eugenium nimiæ facilitatis damnavit*. Ita refert *Jacobus* Cardinalis *Papiensis* in Epistola ad *Franciscum Gonzagam*. Leges plurimas tulit *Carolus* VII. quibus Disciplinam Militarem tam exacte restituit, ut miles agricolæ formidabilis in posterum esse non posset, Primusque Regum nostrorum oppidanis & rusticis Tributa indixit in subsidium exercituum conferenda, ne Milites ea rapto viverent. Primus etiam Jus Municipale antea vagum colligi, scribique jussit, lege posteris admodum utili. Ipsum literas in pretio habuisse, concessa Andegavensi & Pictaviensi Academiis Privilegia testantur. De illius Gestis legendi *Joannes Chartierus* Ecclesiæ S. Dionysii Cantor ejusdemque Regis Historiographus, in Historia a *D. Godefrido* edita, *Jacobus Bouvierus* in Historia Chronologica, Anonymus Auctor in Historia Puellæ Aurelianensis, *Matthæus de Couciaco* in Historia ab anno 1444. ad annum 1462. producta, (quas Historias ejusdem *D. Godefridi* studio collectas, uno que volumine editas Regiis Typis habemus) nec-non *Monstreletus*, *Bellaforestius*, *Paulus Æmilius*, *Papirius Masso*, & alii.

SCHOLION.

In hoc Articulo, pag. 271. Religiosi Censores hanc propositionem notant: *Pragmatica Sanctio Pontificibus ingrata, Ecclesiasticæ licet Disciplinæ instauratrix.*

R. Quod Eugenio IV. & sequentibus PP. ingrata fuerit Pragmatica Sanctio, certum est. Quod Ecclesiasticæ Disciplinæ instauratria esset, perpetua, constansque Ecclesiæ Gallicanæ & omnium Regni Ordinum Sententia fuit.

Nota.

CUM Pragmatica Sanctio ex præcipuis Concilii Basileensis Decretis constaret, adversaretque juribus, quæ tunc Romani Pontifices exercebant, Antonius Charlas *de Libert. Eccl. Gallic. lib.* 1. *cap.* 16. *num.* 5. ita de ea scripsit: *Summi Pontifices pragmaticam illam Sanctionem abominati sunt, tamquam juribus suis infestam, ac quasi schismatis fœtum tunc temporis editum, cum Concilium Basileense legitimum non esset, absente ac etiam contradicente Eugenio quarto Papa, & maximo Cardinalium & Episcoporum numero, qui cum summo Pontifice Florentiæ Concilium habebant (qui vocati fuerant etiam Patres Basileæ degentes) quorumque decreta Episcoporum Basileensium decretis longe erant anteponenda. Tandem Pontificum diligentia Pragmatica illa Sanctio a Ludovico XI. deinde a Francisco I. Regibus Franciæ fuit abrogata, ut testantur eorum edicta.*

ARTICULUS III.

De Ludovico XI.

I. CAROLO patri successit in Regnum *Ludovicus*, filius natu major, qui tunc ab eo alienus, apud *Philippum* Burgundiæ Ducem agebat, annos undequadraginta natus, homo longe patri dissimilis; ingenio quidem perspicaci & acuto, sed callido, suspicioso, pervicaci, vario, & incerto. Remos quamprimum profectus, a *Joanne Juvenale de Ursinis*, illius urbis Archipræsule inauguratus est. Initio Regni Pragmaticam Sanctionem sustulit, qua de re *Pii secundi* ad ipsum, ejusque ad *Pium* literæ legi possunt apud ipsum *Æneam Silvium* Epist. 386. & 388. Splendidam ea de re Legationem ad eumdem Pontificem destinavit anno 1462. quam duo Cardinales, Constantiensis & Attrebatensis, totidemque Episcopi, Andegavensis & Santonensis, Abbates aliquot, & Proceres, quorum Princeps erat *Petrus* Comes Calvimontis, obiere. Attrebatensis Orationem habuit: qua Regis nomine obedientiam obtulit, Pragmaticæ abrogationem confirmavit, & si Regnum Siciliæ Pontificia auctoritate *Renato Andegavensi*, prout Juris erat, pareret, & Genua in Regis potestatem rediret, validum adversus Turcas exercitum promisit, secundum Pontificis postulata, qui Regem gravissimis literis atque amantissimis ad eam fuerat expeditionem adhortatus, ensemque benedictum ad ejus Majestatem miserat, ut ejus animum incenderet.

Ea tempestate Supremi Senatus Parisiensis Conscripti Patres *Defensionem pro Libertate Ecclesiæ Gallicanæ adversus Romanam Aulam* Regi obtulerunt, ei ut Pragmaticæ Sanctionis abrogationem dissuaderent. Edita est apud L. *Bochellum* in Decretorum Ecclesiæ Gallicanæ Collectione, Lib. 4. pag. 662.

Ad Regis Aragoniæ cum *Henrico* Castellæ Rege dirimendam controversiam electus arbiter *Ludovicus XI.* cum Castellano in Tarbellis ad extremos Regnorum fines congressus, secundum ipsum pronunciavit. Nihilominus *Joannes* Rex Aragonum, defectione Barcinonensium perculsus, opem a *Ludovico* Rege impetravit, oppignerato Ruscinonensi Comitatu. Nec minus res suas in tuto collocavit, oppidis quæ vi Pacis Attrebatensis *Philippus* Burgundiæ Dux, nomine pignoris, ad Somonam tenebat, redemptis. *Franciscum Sfortiam* sibi conciliare studens, non solum eum Ducem Mediolanensem agnovit, verum ei *Saonam* Gallico Præsidio munitam attribuit; unaque omnia Jura quæ Gallorum Imperium in orbe Genua totaque ditione haberet, in eum transtulit. Sed dum externis amicitiis dominationem suam firmare satagebat *Ludovicus*, eamdem alienatis a se Principum ac Procerum animis, fidissimisque Ministris Patris exauctoratis & valere jussis pessumdabat. Unde conjuratio Procerum adversus eum facta, principibus *Carolo* fratre Duce Biturigum: altero *Carolo* Burgundionis Ducis *Philippi* filio, Carolesii Comite, *Francisco* Britanniæ Minoris Duce: *Joanne* Andegavensi Duce & *Joanne* Duce Borbonii; aliisque Optimatibus Galliæ. Peculiarem odii causam, & belli gerendi occasionem habebant, causa tamen *boni publici* prætexebatur, & vectigalium tollendorum necessitas, quibus populus opprimeretur. Britanniæ Ducem arma sumpsisse scribit *Paulus Æmilius*, quod ab eo Rex tria petierit: unum ne posthac scriberet, *Dei gratia Britanniæ Dux*; quo loquendi modo supremum Dominium sibi vindicare, seque Regis clientem negare videbatur: alterum, ut Regi ex Britannia vectigal cogeretur: tertium ut sacra Beneficia solum Regem Patronum agnoscerent; ea concta ni fierent bellum indicebat. *Carolesii* Comitem aliæ causæ moverunt, de quibus legendus P. *Comminæus* Lib. 1. Cap. 1. Primus ille belli fortunam tentavit, pugna ad *Montem-lehericum* octavo circiter ab Urbe Lutetia lapide, 27. Julii, anno 1465. commissa. Neutri exercitui satis liquido victoria constitit. Junctis deinde Fœderatorum copiis, & in conspectu Regiæ Urbis positis Rex periculum intuitus, e Normannia Parisios advolavit, ut præsentia Majestatis populum in officio contineret. Adfuere simul auxiliares copiæ a *Francisco Sfortia* Duce Mediolanensi missæ, qui & saluberrimum Regi consilium dedit, ut scilicet Fœderatis omnia quæ peterent, in præsenti concederet, distractos deinde a se invicem singulos occasione data opprimeret. Eo consilio usus, pacem ad *Confluentium* cum conjuratis Principibus pepigit, die 5. Octobris ejusdem anni. Pactionum tabulas Observationibus suis in Historiam Patris *Comminæi* inseruit *D. Godefridus* pagina 403. Editionis Regiæ. Normannia *Carolo* Regis fratri attributa, quam ut paulo post *Carolum* inter & Britanniæ Ducem dissidio, Rex in potestatem recepit. Regis Frater ad *Britonem* secessit pœnitens, melioris fortunæ occasionem expectaturus. *Philippus Bonus* Burgundiæ Dux bello adversus Leodienses, quod *Ludovicum* Borbonii Ducis fratrem admodum adolescentem, venia ætatis a Romano Pontifice data, Episcopum admittere nollent,

Pax inita Confluens

feliciter confecto, à vita migravit anno 1467. In ejus ditiones successit *Carolus* Carulesii Comes, ejus filius Burgundiæ Dux deinceps appellandus. Interea Rex *Ludovicus* Britonum Ducem, & *Carolum* fratrem ad pacis conditiones e voluntate sua accipiendas, bello in Britanniam illato, compulit. Frater Regis cessit Ducatu Normanniæ, promissa illi tricena quina in singulos annos millia scutorum (inquit *Æmilius*.) Rex Peronæ cum Burgundiæ Duce congressus, & in Arce ab eo detentus, Leodiensium, quos in Ducem rursus concitaverat, clientelam dimittere, in eosque velut communes hostes fœdus cum illo inire coactus est, ut libertatem, forsan & vitam redimeret. Tractatum pacis Regem inter ac Ducem Peronæ initæ die 14. Octobris 1468. edidit *D. Godefridus* in Observationibus ad Historiam *P. Cominæi*, pag. 437. Briam, Campaniamque *Carolo* fratri possidendam Peronensibus Pactis Rex attribuerat; egit deinde ut Aquitaniæ Ducatu contentus esset, quod Burgundiæ Duci ingratum fuit. Cardinalem *Balvam*, Andegavensem, & Virdunensem Episcopos, quod Regis fratri auctores fuissent, ne se Majestatis ejus accommodaret voluntati, in carcerem misit, ubi annos undecim detenti, Pontificio tandem Legato condonati sunt. Mox bellum Regem inter & Burgundionem acrius instauratum. Sanquintiniani & Ambianenses deditionem Regi fecere. De pace deinde actum, cujus Tractatus morte *Caroli* Aquitaniæ Ducis, fratris Regis unici abruptus. Contigit die 11. Maii anno 1472. Veneno jussu Regis ipsi propinato extinctum suspicio fuit, *Eduardus* Angliæ Rex Burgundo suppetias laturus, ingenti cum exercitu Galliæ imminebat. Hanc tempestatem singulari prudentia Rex Christianissimus avertit, pactis cum Anglo novem annorum induciis. Reges ad *Poquinacum* congressi. Pacta invito Burgundo confirmarunt anno 1475. die 29. Augusti. Similes inducias Burgundiæ Dux rerum suarum necessitate compulsus, a Rege accepit die 13. Septembris. Hujus Pactionis exemplar edidit *D. Godefridus* in Observationibus, pag. 451. Burgundo cum Rege conciliato adversus Helvetios & *Renatum* Lotharingiæ Ducem bellum fuit, cujus post varios eventus, in *Nanceii* obsidione a *Renato* victus, in acie cecidit, die 5. Januarii, anno 1476. unica relicta filia *Maria*, quæ *Maximiliano* Friderici Imperatoris filio nupta. *Caroli* Burgundiæ Ducis audita morte per Cursores his primum temporibus in Regno institutos, Rex Burgundiam, veteremque in Belgica Ditionem potestati suæ subjecit: quod qua ratione gestum sit, *Philippus Cominæus*, aliique Auctores commemorant. Anno 1480. *Renatus* Dux Andegavensis, Provinciæ Comes, Rex olim Neapolitanus, Aquis in Provincia defunctus est die 10. Julii. In ejus Ditiones & Jura successit *Carolus* Comes Cenomanensis, Calabriæ Dux appellatus, ejus nepos, qui anno 1482. moriens, condito 10. Decembris Testamento, Ditiones omnes ac Jura *Ludovico* Regi, ejusque Successoribus reliquit. Hoc Testamentum in Observationibus D. *Godefridi*, pag. 476. legere est. Sic Provinciæ Cenomani, Andesque fundo jure ad Reges nostros rediere.

Balva Cardinalis & Virdunensis Episcopus in carcerem missi.

Pacta cum Anglorum Rege & Burgundiæ Duce.

Mors Caroli Burgundiæ Ducis.

Provinciæ Cenomani, & Andes ad Regis Dominium redeunt.

Ludovici XI. morbus.

Impotens diuturnioris vitæ desiderium.

Ludovicus XI. morbo gravissimo, quo deliquium animi sæpe patiebatur, & corporis debilitatem perpetuam, de morte proxime futura monitus tam impotenti longioris vitæ desiderio, mortisque terrore tenebatur, ut quocumque mortalium Superumque auxilio quæsito sanitatem ac prorogationem vitæ impetrare satageret. In Castro Plessiaci prope Turones, auctis cum morbo suspicionibus, domesticorum fidens nemini, paucos in conspectum admittens, nihil adeo timens quam auctoritatis imminutionem suæ, & ne regnandi incapax per ægritudinem diceretur, spontaneo se carcere damnaverat; in Ecclesias liberalis, in Medicum prodigus, cui singulis mensibus decem millia nummorum donabat. Vota Deiparæ Virgini, Sanctisque, ac præcipue Divo *Claudio* nuncupabat, sacras peregrinationes & supplicationes pro sanitate sua imperabat: viros sanctitatis opinione celebres ex longinquis etiam regionibus evocabat; ut *Franciscum de Paula* virum sanctissimum, Ordinis FF. Minorum Conditorem ex Calabria, cujus sancti viri, altiumnum cum scribebat, viventis Elogium *Philippus Cominæus* lib. 6. cap. 8. conscripsit. Eadem spe sanitatis per Sanctorum merita & preces obtinendæ, Fratris *Joannis de Gandavo* Eremitæ *S. Claudii*, qui in sanctitatis opinione obierat, corpus quæri, ex primo sepulchro efferri, ad se mitti Reliquias mandavit, ternis ad Trecenses Dominicanos, ubi conditum est, datis literis, ejusdem Canonizatione a Summo Pontifice rogata. Quæ Monumenta *Camuzatus* Canonicus Trecensis in Miscellaneis Historicis, *Guerrosius* in lib. De Sanctis Trecensibus, & *D. Godefridus* in Observationibus, ediderunt. Spe tandem prolixioris in terris vitæ destitutus, & a *S. Francisco de Paula* de Dei voluntate, qui ipsum ex hoc mundo vocare decreverat admonitus, ejus precibus a mortis horrore liberatus est, eamque constanti & tranquillo animo expectavit, divinis Sacramentis munitus. Obiit die 29. Augusti, anno 1483. ætatis 61. Regni 23. inchoato. Ejus corpus ad *B. Mariæ de Clariaco* sepultum. Bis nupserat, primum *Margaritæ* filiæ *Jacobi* I. Scotiæ Regis, ex qua nullus liberos habuit: secundo, post ejus obitum, *Carolæ* filiæ *Ludovici* Sabaudiæ Ducis; ex qua tres filios, totidemque filias suscepit. Ex filiis unus superstes erat, qui post ipsum regnavit *Carolus*, cui ante obitum egregia Monita dedit, eumque Regem antequam e vita migraret, appellari voluit, & appellavit. Hæc Documenta legi possunt inter Observationes, D. *Godefridi*, pag. 488. Ipsum ab ingenii perspicacia, & prudentia politica, qua se a gravissimis periculis expediret, a negotiorum difficillimorum ambagibus explicaret; a liberalitate, aliisque virtutibus commendant, quas nihilominus crudelitate, & immodica Tributorum exactione infuscavit. Modum perplexitati & prolixitati litium imponere decreverat, Edictaque fuerat meditatus, quibus Jura & Consuetudines non Latine deinceps, sed vulgari sermone, ad Causidicorum fraudes & rapinas tollendas, exponi juberet. Unam etiam per totum Regnum consuetudinem, pondus unum, mensuram unam constituere cupiebat, *Cominæo* teste. Missum a Sultano *Bajazethi* Oratorem Massiliam ultra progredi vetuit, indignum Christiano Principe arbitratus cum hostibus Christi communicare. Burdigalense Parlamentum instituit die 7. Junii anno 1462. & Burgundiæ 18. Maii 1476. Etsi filium liberalibus Disciplinis institui noluerit, hanc Sententiam instar omnium præceptorum esse dicens: *Qui nescit dissimulare, nescit regnare:* Literaturæ tamen prorsus expers non fuit, ut *Cominæus* & *Gaguinus* testantur; nec animum habuit a literis, virisque literatis alienum. Testis est Parisiensis Academia eo favente reformata curis *Boccardi* Episcopi Abrincensis. Testis Regia Bibliotheca, quam *Carolus V.* ad *Fontembellum* inceperat, & *Carolus Sextus* Parisios transtulerat, ejus curis aucta. Testes viri eruditi ex Græcia post Constantinopolitanam Cladem exules, ab ipso benigne suscepti. Testes alii ex longinquis regionibus in Gallias evocati, ut *Galeotus Martius* ex Hungaria.

Ludovici XI. obitus.

Filii.

Virtutes & vitia.

Parlamenta Burdigalense & Burgundiæ.

Ludovicus XI. a Gobelini calumniis vindicatur.

II. In *Ludovicum XI.* impotenter debacchatur *Gobelinus* Vicarius Bononiensis, *Pii Secundi* Notarius lib. 12. Commentariorum, pag. 324. ejusque Majestatem injuriose perstringit iis in rebus, in quibus nullo vituperio dignus est, cum Regio Jure usus sit. *Sed non hic solus (inquit) error ejus. Tria Decreta edidit. Primum in quo se Judicem competentem, & non alium declaravit omnium litium, quas super Regaliis oriri contingeret, aut contigisset. Regalias vocant Galli Jus quoddam a Francorum Regibus usurpatum, vacantibus Ecclesiis Cathedralibus reditus earum arripere, ac Beneficia conferre, donec novus Episcopus Investituram acceperit. In altero Decreto sancivit, Præsides Parlamenti, custodesque Ministros suos, in causis etiam Beneficialibus iis Privilegiis gaudere, quibus Apostolica Sedes Parisiensem Scholam donasse perhibetur. In tertio Judicium super possessorio cujuscumque Beneficii Ecclesiastici suum esse constituit, nec licere in Regno suo, præter se, cuiquam ad id manus extendere: constituta pœna, si quis transgrederetur: Non tam religiosus abolita Pragmatica Sanctione visus, quam hujusmodi Decretorum editione sacrilegus.*

Primus error Gobelini refellitur.

III. Scriptoris hujus calumniam & injurias in *Ludovicum Undecimum*, quæ & cæteros Reges Christianissimos iisdem usos Juribus feriunt, diluere operæ pretium est. Errat primo *Gobelinus*, & suam his in rebus ignorantiam, suam in Reges nostros iniquitatem probat, cum sacrilegum vocat Decretum quo *Ludovicus XI.* Judicium de omnibus causis & controversiis, quæ super Regaliis orirentur, ad se unum pertinere declaravit. Id Juris enim ab antiquo Regibus Christianissimis quæsitum est, ut colligitur ex Epistola 190. *S. Yvonis* Carnotensis Episcopi ad *Paschalem* II. ex Epistola *Hildeberti* Turonensis Archiepiscopi ad amicum Episcopum, Tom. 13. *Spicilegii Acheriani* pag. 265. edita; ex *Innocentio* III. Epistola 190. libri 13. Epistola 40. lib. 15. & in aliis Epistolis ad *Philippum Augustum* Regem Christianissimum & ad Gallicanos Præsules, inter Probationes Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ

licanæ editis; ex Senatusconsultis *Ludovici XI.* ætate longe antiqeioribus, scilicet anni 1258. in Quæstione de Jure Regaliæ orta inter *S. Ludovicum* Regem & Ecclesiam Aniciensem: anni 1271. in causa Regaliæ Ecclesię Albigensis: anni 1277. in causa Regaliæ Ecclesiæ Bituricensis: ex Epistola Aquensis Capituli in Proviocia Auscuana ad *Philippum* III. Regem Christianissimum data die Sabbati post Festum *S. Lucæ* anno 1273. ex Literis *Petri* Archiepiscopi Narbonensis, de rebus Gestis in Concilio Biterrensi anno 1279. ex *Philippi Valosii* Regis Christianissimi Constitutione anno 1334 data quæ in hanc diem *Philippina* vocatur. His momentis, quæ Dissertationa 8. in Historiam Ecclesiasticam 13. & 14. Sæculis Articalo 3. protuli ac fusius exposei, Regnique moribus, & usu nititur *Ludovici XI.* Edictum die 14 Junii anno 1463. datum, quod ad hæc usque tempora religiose servatum est, & in posterum servabitur, cum perpetuo & irrevocabili Edicto *Ludovici Magni* firmatum sit. Hujus igitur Decreti editione *Sacrilegum Ludovicum* XI. temere, inscite, & inique vocavit *Gobelinus*.

Secundus error Gobelini.

Secundo, errat hic Auctor, & inscitiam quoque suam hac in materia prodit, cum Regaliam definit *Jus a Francorum Regibus usurpatum*. *Jus* enim vere *Regium* est, legitimis titulis quæsitum, fundamentis nixum inconcussis, a Semmis Pontificibus & Conciliis agnitum, a Regibus Religiosissimis, & ab ipso *Ludovico Nono* Regum Sanctissimo possessum, exercitum, vindicatem, ut late probavi Dissertatione supra indicata.

Tertius error Gobelini.

IV. Errat tertio *Gobelinus* cum *Ludovicum* XI. ob Decrarum de Privilegiis Præsidum Parlamenti ac Regiorum Ministrorum, in causis Beneficialibus, *Sacrilegum* vocat. Siquidem *Eugenius* IV. Pontifex Maximus *Carolo* VII. Ludoviei Patri, Indultariæ ad Beneficia nominationis æternum Privilegium in gratia Illustrissimi Galliarum Cancellarii, Præsidum ac Senatorum Supremæ Curiæ Parisiensis concesserat mense Majo anno 1431. ut testatur *Paulus* III. Literas *Eugenii* ea de re confirmans Diplomate dato die 19. Junii anno 1538. Quin & *Benedictus* XIII. Avenione sedens ac in sua Obedientia Pontifex appellatur, & *Joannes* XXIII. & *Martinus* V. legitimi Pontifices, hanc gratiam Senatui Parisiensi fecerant, quam *Eugenius* & *Paulus* III. magis explicuerunt, æternamque esse voleerunt, at observat Jurisconsultissimus Commentator Gallicanarum Libertatum *Petrus Pithæus* ad Articulum 69. Qua ergo ratione & æqaitate *Sacrilegus* vocatur *Ludovicus* XI. qui Privilegium pro Galliarum Cancellario, & Supremæ Curiæ Parisiensis Præsidibus ac Senatoribus, ob egregia ipsorum erga Ecclesiam merita, Patri suo ab *Eugenio* IV. Pontifice Maximo concessum, sed ob certas rationes forte neglectum, executioni mandari decrevit?

Quartus Error Gobelini.

V. Errat quarto *Gobelinus* cum *Ludovicum* XI. ob Decretum, quo Judicium super possassorio cujuscumque Beneficii sibi vindicavit, *Sacrilegum* appellat. Jus enimvero novum non instituit *Ludovicus*, sed antiqua consuetudine firmarum declaravit, quod *Martinus* V. Pontifex Maximus agnoverat, approbaverat, laudaverat Diplomate dato 12. Kalendas Septembris anni 1413. quod incipit his verbis: *Romani Pontificis providentia*: altero dato Kalendis Maji 1428. quod incipit: *Apostolicæ Sedis*: & *Eugenius* IV. Diplomate dato secundo Kalendas Aprilis 1432. quod incipit; *Dudum felicis*. Tam ergo *Sacrilegus* hujus editione Decreti non fuit *Ludovicus* XI. quam sacrilegi non fuere *Martinus* V. & *Eugenius* IV.

Edita sunt inter Probationes Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, c. 26.

VI. Sævit crudelius *Gobelinus* in *Ludovicum* XI. p. 330. ejusdem Libri occasione *Joannis Cæsarini* Legati Apostolici ab eo intercepti & Cardinalis Avenionensis Beneficiorum suorum temporalitate privati. „ Longe „ dispar (*inquit*) iisdem ferme diebus Ludovici Fran„ ciæ Regis obedientia visa est, qui spirita rebellio„ nis imbutus, Legatum Apostolicum Joannem Cæsa„ riuum Sacri Palatii Auditorem, in Britanniam pro„ ficiscentem comprehendere, scipturasque cunctas ei „ auferre temerario præsumpsit ausu; neque his con„ tentus, Alano Cardinali Avenionensi, qui mittendi „ Legati causa fuisset, fructus Beneficiorum omnium, „ sive (ut ajunt) temporalitatem ademit sibique u„ surpavit. Pari pœna & duos ejus Nepotes Episco„ pali Dignitate præditos coercuit, quamvis prorsus „ innocentes. Comminatus est & Cardinali Rotho„ magensi, tamquam & ipse cum Avenionensi con„ spirasset. Crimini dabat missionem Cæsarini, quoniam „ de feudo judicaturus iret in Britanniam inter Epi„ scopem Nannetensem & Gentis Ducem, quos suos „ esse subditos ajebat, sibiqee Judicium feudi pertine„ re, non Papæ. Tyrannica vox & mendax. Neque „ Dux, neque Episcopus, Regis Franciæ se subditum „ confitetur, quamvis uterque Magni Regis potentiam „ vereatur. Quemadmodum Imperatorem in suo Regno „ Ludovices se dicit, ita se Regem in suo Principatu „ Britanniæ Dux asserit. Episcopus vero Nannetensis „ prius fundatam fuisse suam Ecclesiam, temporalia„ que dominia, & quæ vocant Regalia Jura habuisse „ contendit, quam Regnum Franciæ constitueretur, „ in quo Ludovicus regnat. Merito itaque Pontificem „ in contentione Ducis & Episcopi Judicium suscepis„ se. Sed quia ista Regi suadet, cum pro lege cupi„ ditas est, prurientesque tantum auribus Magistros „ audit?

Gobelinus Gallicanæ Disciplinæ, Jurisque Regum nostrorum ignarus.

VII. Ex Gallicanæ Disciplinæ Jurisqee, ac Auctoritatis Regum nostrorum ignorantia, turpiter lapsus est *Gobelinus*. Minoris Britanniæ Duces Supremos Dominos istius Provinciæ non fuisse, sed Regum Christianissimorum Clientes ac Beneficiarios, quibus fidem & hominium debebant ac præstabant, didicisset, si per otium ipsi licuisset veteres Chartas, & antiqea Monumenta evolvare hujus rei fidem facientia, Gentisque Historias legere. Porro & ante *Ludovici XI.* tempora, & eo regnante, Legati in Galliam mitti non poterant, nisi ad postulationem Regis, vel cum ejus consensu. Non poterant exercere facultates suas in Regno & Dominiis illius, nisi ejus Majestati approbatæ essent. Intactas præstare debebant Libertates Regni. Facultates eorum in Curia examinabantur, & modificabantur, si res ita posceret: tum demum illis utebanter, si Rex permitteret. *Alexander* III. Legationem Galliæ S. *Thomæ* Archiepiscopo Cantuariensi destinaverat, si consensus Regis, & Episcoporum Galliæ accederet, ut constat ex Literis illius Pontificis ad *Ludovicum Septimum* Regem Francorum. „ Dummo„ do, *inquit*, Regiæ voluntati sederit, & beneplaci„ to tuo nobis per omnem modum complaceret, & „ gratum valde existeret & acceptum, quod si absque „ gravi scandalo personarum Regni tui fieri posset, „ at nos prænominatum Archiepiscopum specialis ho„ noris prærogativa inter cæteros donaremus, & sibi „ vices nostras committeremus in illis partibus exe„ quendas. „ Jus tam splendidum Regibus nostris tollere frustra conatus est irarum adversus *Philippum Pulchrum* impotens *Bonifacius Octavus* Decretali, *Super Gentes*, quæ in vulgatis Extravagantium Communium editionibus *Joanni* XXII. falso tribuitur. Idem Jus in Anglia olim stabilitum erat, ut late probatur lib. 5. Domini *De Marca*, quem eruditus *Baluzius* supplevit, cap. 56. Iisdem moribus vivebat Scotia, ut ostenditur cap. 57. ejusdem Libri. Regnante *Carolo Septimo Ludovici Noni* patre *Alanus Coetivus* Titulo *S. Praxedis* Presbyter Cardinalis, Sedis Apostolicæ Legatus a *Callixto Tertio* in Gallias missus, anno 1456. auctoritatem Legati hoc in Regno exercere haud permissus a Rege est: ipsique a *Joanne Bastardo* Parisiensis Ecclesiæ Cantore Avenionem ad eum misso significatum, Jus esse Regi repellendi Legatos Apostolicæ Sedis, nullum porro Cardinalem, vel alium quempiam Legatum a Latere ad se venire posse cum insignibus & auctoritate Legati, nec ista potestate & auctoritate in Regno uti posse absque consensu Regis: in istius Juris possessione semper fuisse *Carolum*, & ejus Decessores Reges Francorum. Id unum *Alano* a Rege datum, ut ad ejus Majestatem accederet, Crucem ante se deferri faceret in Regno, seqee Legatum a Latere nominaret. Regis Decretam suscepit *Alanus*, Jus illud ejus Majestati competere agnovit, usurum se Regia concessione pollicitus est absqae præjudicio Jurium Regis & Regni, ac Successorum ejus, & Pragmaticæ Sanctionis; & Declarationem ea de re Cantori dedit Avenione die prima Januarii, 1457. quam legere est inter Probationes Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, cap. 23. §. 3. Hoc jure nitebatur *Ludovicus Undecimus*, cum Legatum intercepit in Britanniam Regni sui clientelarem Provinciam missum a *Pio Secundo* & absque sua licentia, & approbatione auctoritatem Legati exercentem in præjudicium Jurium Coloniæ suæ: siquidem judicium controversiæ de feudo, qualis inter Nannetensem Episcopum & Ducem movebatur, ad Summum Pontificem non pertinet, sed ad Regem, cum in suo Regno, tum in Ditionibus quarum Principalis Dominus est, secundum illam *Innocentii Tertii* ad Episcopos Galliæ scribentis sententiam: *Non enim intendimus judicare de feudo, cujus ad ipsum spectat Judicium*. Poterat itaque Jus suum tueri, & ipsem quoquo modo prohibere, ne Legati auctorita-

Sedis Apostolicæ Legati quibus conditionibus in Galliis recepti?

tem hac in causa exerceret, ipsumque consilio vel auxilio ad Regiorum Jurium invasionem juvantes coercere privatione temporalitatis: quod Reges ipsius Prædecessores in paribus causis ergu Episcopos non semel præstiteraot, Quæ de Regio Jure in admittendis vel non admittendis Sedis Apostolicæ Legatis, & eorom facultatibus examinandis, & modificandis dicta sunt, ipsi Legati & Sommi Pontifices agnovere *Ludovico XI.* regnante. *Julianus Roberus*, Titulo *S. Petri* ad Vincula Presbyter Cardinalis, *Sixti* IV. Nepos, Sedis Apostolicæ Legatos ab eo missus in Gallias, anno 1480. audita Protestatione nomine *Ludovici* XI. Regis Christianissimi sibi facta a Clarissimo Viro *Guillelmo Dauvet* Libellorum Supplicum Magistro coram Majestatis ejus Oratoribus dia 2. Augusti io loco *S. Symphoriani Autonii*, respondit in hæc verba: *Nos non venimus ad derogandam Privilegiis & Libertatibus ipsius Regis aut Regni, vel Domini sui, sed ad illa augenda potius quam diminuendu, & acceptamus Protestationes factas, & illas gratas & acceptabilas habuimus, & habemus; dabimusque Literas nostras Patentas pro conservandis Juribus, Privilegiis, & Præeminentiis ipsius Christianissimi Principis. Nec iguari sumus Jurium prædictorum, & Protestationum, quæ ab unsiquo fiunt, & fieri consueverunt; volentes Jura Regalia, Prærogativas, & Præeminentias tueri & defendere magis, quam pati nostro nomine infringi: Verum etiam cum alias fuimus hac Legatione functi, memores sumus nobis has fuisse Protestationes factas, Literasque nostras dedisse pro Regalibus Juribus, franchisiis, & præeminentiis ejusdem Christianissimi Regis tuendis. Nec res ista nova est, similiter & fecerant Reverendissimi Cardinales Rothomagensis & Avenionensis, qui alias missi fuere Legati ad præfatum Regnum, & has Galliæ partes.* Publicum Instrumentum his de rebus a Legato Apostolico datum, & hanc Responsionem continens, habetur inter Probationes Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, cap. 23. §. 5. Alia Documeota eamdem Disciplinam usumque spectantia ibidem legi possont. Ex his liquido constat, *Ludovicum* XI. Regem Christianissimum inscite & inique a *Gobelino* perstringi; cui & similibus Auctoribus extraneis, qui suis obcæcati præjudiciis, & ex præsumptis animo opinionibus, id omne quod Disciplinæ in qua vivont regione receptæ adversatur, præcipiti censura & verbis quandoque temerariis damnans, qualia sont illa *Gobelini*, Regiam *Ludovici* XI. violantia Majestatem, *Tyrannica vox & mendax*; non facile adhibenda fides.

Anno scilicet 1476. ut refert Odericus Raynaldus ad hunc annum §. 3.

VIII. Hæc ad vindicandam *Ludovici* XI. memoriam aliis maculis satis infuscatam, & Regum nostrorum Jura tuenda, contra *Gobelinum* observare operæ pretium suit. Porro de *Ludovici* XI. gestis legendi *Philippus Cominæus* io ejus Aula diu versatus, ipsi per quam familiaris, ejusque Legationibus functus, sincerusque in primis & accuratus Historicus. *Robertus Gaguinus*, *Paulus Æmilius*, *Papirius Masso*, *Franciscus Belcharius* Metensis Episcopus, &c.

SCHOLION.

Articulom istum Religiosi Censores his verbis perstringunt: *Pag. 280. usque ad 288. de Regalia ad nauseam usque disputans, invidiose contendit.*

R. *Ludovicum Undecimum* Regem Christianissimum a *Gobelini* Historici calumniis eo loci vindico, quod præstare non potui, nisi de Regalia obiter loquerer, probaremque perperam ab illo Historico vocari *Sacrilegum Decretum* quo Ludovicus Undecimus judicium de omnibus causis & controversiis, quæ super Regaliis orirentur, ad se unum pertinere declaravit. Nec disputo, nec invidiose contendo: Sententiam meam simpliciter propono, rationes expono meas, seu argumenta. Si cui levioris ponderis videantur, in iis quæ Fidei summam non spectant, aut bonos mores, illam opinionem amplectatur, quæ probabilior & verior ipsi videbitur. *Si quis autem videtur contentiosus esse; nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei.*

1. Cor. 11. 16.

Nota.

AUctor Galliæ Vindicatæ *Dissert.* 1. §. 7. *n.* 8. verba faciens de edicto Ludovici XI. hæc habet: *Ad Ludovici XI. edictum quod attinet, facile responderi posset aliud esse jus, aliud Regum exempla; alioquin si Principum exemplis judicandum sit, quid non denique licebit? præsertim cum notum sit non pauca fuisse a Ludovico XI. contra Ecclesiasticam libertatem peracta. Sed quidquid de hoc sit, certum est Ludovicum loqui de particularibus regaliæ causis, quæ inter privatos vertebantur; id enim longo usu receptum, & toleratum erat, aut connivente aut permittente Ecclesia.* Antea vero observaverat quamplores regaliæ causas ad regium forum fuisse delatas ab Episcopis, non quia Reges illarum essent judices, sed quia essent Ecclesiæ defensores, protectores &c. Videnda quæ dicta sunt alibi in Animadversionibus post Dissertationem octavam in Historiam sæculi 13. & 14.

JOANNIS DOMINICI MANSI

Nota.

NOlo hic contentiosum funem cum Gallis trahere, sed adnotandum censeo hunc ipsum Ludovicum XI. Galliarum regem pragmaticæ sanctioni renunciasse, omneque suum ex ea jus in manibus Pii II. Pontificis, solemni missa legatione remisisse; qua occasione Pius luculenta Oratione in publico Purpuratorum Patrum cœtu, Regem illum laudavit. Hanc Orationem nactus ego in MS. Cod. Lucens. in secundo volumine Orationum Pii II. edito Lucæ anno 1757. avulgavi; quanquam fateor, consilium hoc meum eandem evulgandi prævenisse doctissimos Bibliothecarios Regiæ Universitatis Taurinensis, io quorum manus alter Codex eandem continens pervenerat. Utri ergo standum est; Ludovico tum solemni legatione pragmaticam sanctionem renuncianti, an Ludovico post partum Romano Pontifici jus, eandem iterum sibi recipienti? Judicent docti.

ARTICULUS IV.

De Carolo VIII.

CArolus Octavus tertium decimum agens annum post obitum *Ludovici* Patris Regnum suscepit, sub *Annæ* Sororis tutela, quæ *Petro Borbonio* Bellijoci Domino nupserat. Ortis de Regni procuratione Principes inter dissidiis, omnium Ordinum Concilium Turonibus habitum est, ubi Regis tutela, secundum *Ludovici* Patris Decretum *Annæ* confirmata, adlectis duodecim Proceribus, qui Regi ad rerum administrationem adessent. Codex Regi ab Ordinibus oblatus una cum Regis Responsis, editus est in Observationibus *Godefridi* ad Historiam *Caroli* VIII. Dimisso Convento, cum *Anna* Regis soror omnem Regni procurationem ad se traxisset, neglectis Ordinum sententiis dissensiones inde graviores exortæ sunt, & Britannicum bellum *Ludovico* Aurelianensi, qui procurationem illam sibi arrogabat, ad *Franciscum* Britanniæ Ducem fugiente, ac belli facem præferente, aliis Proceribus in societatem vocatis, * *Felicerœ* deditionem Regi fecere. Ad Fanum *Albini* * acriter pugnatum. Hostes ad tria aut quatuor millia cæsi. Dux Aurelianensis victoria cecidit ac libertate, & triennali custodia detentus a Rege est. Dinanum, & Macloviopolis in Regis potestatem venere. Pax a Britonibus exorata. Supplici Duci his legibus concessa, ut quod Regis armis partum erat, in illius potestate maneret; Dux fœdus omne contra Regem initum rescinderet; filias absque Majestatis ejus consensu nuptui non traderet. Pacta Sablæi io Aodibus firmata, die 20. *Augusti* 1488. legere est io Historia *Caroli* VIII. scripta a *Guillelmo de Jaligny*, & a *D. Godefroido* edita, pag. 57. Eo fervente bello, Petricoriensis Episcopus *Godefridus de Pompadour*, & *Georgius de Ambasia* Episcopus Montis Albani, accusati molitionum quarumdam occultarum cum *Ludovico* Aurelianensi, in carcerem conjecti sunt. *Innocentius* VIII. Pontifex Maximus suis ad Regem Nuntiis in Mandatis dedit ut ab ejus Majestate dictos Episcopos una cum eorum bonis, sibi committi postularent, Avenionem sub tuta custodia traducendos, ibique detinerentur etiam sub idoneis cautionibus, ac super objectis criminibus Processus juxta Juris dispositionem, per eosdem Nuntios solos, vel una cum Archiepiscopo Bituricensi formari possent, usque ad Sententiam exclusive. Quos Processus Romam remitterent ad Pontificem qui causam cum Cardinalibus finiret. Sic habet Mandatum *Innocentii* VIII. Episcopo Trecorensi, & *Antonio Floras* Nuntiis Apostolicis datum, & a *D. Godefrido* insertum Observationibus in Historiam *Caroli* VIII. pag. 571. Id non obtinuit Pontifex, sed causam in partibus, ut Jus postulabat, commisit Archiepiscopo Turonensi, & aliis, approbante

Conventus Turonensis Ordinum Regni.

Bellum Britannicum.

* *Fougeres.*

* *Aubin du Cormier.*

Pax confecta.

Episcopi molitionum quarumdam occultarum contra Regem accusati.

Eorum causa ubi examinata.

Rege;

Rege : qui nihilominus duos e Suprema Curia Parisiensi Senatores nominavit, qui de reis quæstionem haberent, eosque interrogarent, & examinarent. Id constat ex Epistola *Joannis Boeri* Clerici Turonensis ad Regem, & ex Senatusconsulto, datis anno 1487. a *Godefrido* descriptis pag. 572. & 573.

Rerum Belgicæ turbato.

II. Turbatis in Belgio rebus, cum *Maximilianus* Rex Romanorum, ratione tutelæ Archiducis *Philippi* Comitis Flandriæ, filii sui, auctoritatem in Belgio sibi arrogaret, populumque premeret, Brugenses conjuratione facta ipsum ceperunt, captivumque detinuerunt.

Innocentius octavus Belgas Interdicto supponit.

Innocentius VIII. Brugenses, Gandavenses, Yprenses, aliosque Belgas Censuris gravissimis perstrinxit, Ecclesiastico supposuit Interdicto, anno 1488. Magister *Petrus Couthardi* in Supremo Senatu Parisiensi Advocatus Catholicus de Monitoriis Pontificiis literis, hujusmodi censuram continentibus Regis nomine appellavit *Ab eodem Papa & contra ipsum ad eumdem Papam, sed ad illum vel illos ad quem vel ad quos provocari posset ac deberet*. Appellationis Instrumentum edidit *D. Godefridus* in Observationibus pag. 577.

Appellatio a Monitoriis Pontificiis a Catholico Regis Advocato interjecta.

Ratio appellandi fuit, quod Regiis Juribus Pontifex Monitoriis hisce literis vim inferret; Regem Supremum Belgii Dominum non esse supponeret; de controversia mere temporali judicium sibi sumeret, terras ipsius ditioni subditas Interdicto feriret, eo inconsulto, contra Privilegia Christianissimis Regibus ab antiquo competentia. *De omni causa, quæstione, lite vel controversia orta, vel quæ exercere posset in Comitatu Flandrensi inter Laicos, cognitio & decisio suprema spectat ad Majestatem Domini Regis, sive quæstio illa sit civilis, sive criminalis. Et præterea, si de casu præsenti Sanctissimus Dominus noster vellet cognoscere; poneret falcem in messem alienam, & faceret injuriam Domino Regi, præsertim cum hæc causa non sit Ecclesiastico, nec de Ecclesiasticis Personis agatur.* Et infra: *Sanctissimus Dominus noster Oratoribus Regiis pro filiali obedientia præstanda ad suam Sanctitatem missis, & verbo facientibus de Privilegiis Regum, & Regni Franciæ, maxime in articulo Ecclesiastici Interdicti; respondit & pollicitus est, quod nullo tempore intendebat terras, quæ sunt de Regno Franciæ, supponere Interdicto, saltem inconsulto Domino Rege; & quidem bene, juste, & consultissime respondit, quod Christianissimi Reges Francorum, & Regnum hoc habent ex Privilegio antiquissimo.* Scripsit etiam ad *Innocentium VIII. Carolus* VIII. Jura sua exposuit, rogavit ut Censuras injuria latas & promulgatas, nullas & irritas fuisse, & esse declararet. Datæ sunt Regis Literæ die 22. Octobris 1488. quæ in Observationibus *D. Godefridi*, pag. 58. legi possunt. Ejusdem Regis auspiciis *Henricus* VIII. Angliæ Rex, pulso *Richardo* Tyranno, avitum Regnum recuperavit.

III. Mortuo *Francisco* Britonum Duce, *Carolus* VIII. bellum in Britanniam circumtulit. *Anna* Ducis filia, post obitum patris Britanniæ Princeps, *Maximiliano* Romanorum Regi pacta erat. Is cum *Henrico* VII. Angliæ Rege, & *Philippo* Archiduce Austriæ filio suo contra Regem Christianissimum fœdus iniit, die secunda Septembris anno 1490. cujus fœderis tabulas in observationibus *D. Godefridi* pag. 606. legere est. Interim *Ludovicum* Ducem Aurelianensem libertati, pristinisque honoribus Rex restituit, ut ejus opera nuptias cum *Anna* Britanniæ Principe suas procuraret; resque eum quem optarat exitum habuit,

Caroli octavi Nuptiæ cum Anna Britanniæ Duce.

etsi *Anna Maximiliano* (ut diximus) desponsata fuerat, ipseque *Carolus Margaritam Maximiliani* filiam quam Patre *Ludovico* auctore sibi desponderat, a tenera ætate in Regia Francorum enutritam, uxorem ducturus existimaretur; quam suavissimis moribus atque insigni forma præstantem repudiavit, non libidine aut superbia inductus, sed impulsus temporum ac bellorum necessitate: ut Britannia pro qua toties cruente admodum Galli decertarant, redemptis eo conjugio Provincialium animis pristinæ quieti redderetur, & Provincia tantæ opportunitatis ad arcendas Anglorum classes, Gallico Dominio in perpetuum uniretur. Matrimonii Pactum *Carolum* VIII. inter & *Annam* Britanniæ Ducem 13. Decembris an. 1491. initum, edidit *D. Godefridus* in Observationibus pag. 622. Idemque ex Argentræo Aremoricæ Historiæ Scriptore Latine inseruit Observationibus in *Philippi Cominæi* Commentarios pag. 518. Pax deinde Reges inter Francorum & Anglorum confecta Stapulis ad Mare, die tertia Novembris, 1492. cujus Pacta conventa edidit idem Auctor pag. 629. & sequentibus. Ob *Margaritæ* filiæ repudiatas a *Carolo* nuptias, bellum ipsi intulit *Maximilianus* Rex Romanorum. Pax denique secuta est, cum ei Comitatus Burgundiæ, Attrebatum, & Carolesii, de Regis voluntate cessisset. Tractatum pacis Silvanecti confectum die 23. Maii an. 1493. legi potest in Observationibus *D. Godefridi*, ad Historiam *Caroli* VIII. pag. 640. & ad *Philippi Cominæi* Commentarios, pag. 507.

Caroli octavi Expeditio Italica.

IV. Pace in Regno composita, Italicam Expeditionem *Carolus* VIII. suscepit ad Neapolitanum Regnum recuperandum, quod *Ferdinandus Alfonsi M.* filius *Alfonsi* alterius pater tenebat. *Ludovicus Sfortia* Mediolani Princeps exitialibus odiis a *Ferdinando & Alfonso* dissidens, Christianissimo Regi belli suscipiendi auctor fuit. Qui ut nihil hostile a tergo relinqueret, *Ferdinando* Hispaniæ Regi Perpinianum & Ruscinonensem Comitatum, *Ludovico* Patri pro centenis ducatorum millibus oppignerata restituit. Mox superatis Alpibus, an. 1494. in Italiam descendit. Quam cum repentino terrore complevisset, quatuor præcipuas Florentinæ Reipublicæ Arces a *Petro de Medicis* mutuo recepisset, Pisas in libertatem vindicasset, cum Florentinis fœdus iniisset, Romam pervenit, cujus adventu perterritus *Alexander* VI. Pontifex Maximus, in Arcem *S. Angeli* se recepit. Rex Urbem ingressus, Militem a tumultu temperare jubet. Sex e Gallis ac Scotis Regis stipatoribus seditionis contra Judæos excitatæ auctores, furcis in Campo Floræ erectis, ultimo supplicio affecti. Pontifex sui securior Arce egressus, Regem ad colloquium admisit, fœdusque cum ipso iniit, cujus conditiones leguntur in Libro *Symphoriani Champieri*, Antonii Lotharingiæ Ducis Medici, cui titulus est: *Trophæum Gallorum*, quem cum aliis Historiæ *Caroli* VIII. Scriptoribus edidit *D. Godefridus*. His peractis, Rex cœptum iter prosequitur, & quasdam sibi resistentes civitates expugnans, Neapolim versus tendit.

Carolus octavus Neapolitano Regno potitus.

Alfonsus, *Ferdinandi* anno superiori defuncti filius, *Caroli* adventu perterrefactus in Siciliam trajecit, Regnumque alteri *Ferdinando* filio suo reliquit. *Ferdinandus* metu Francorum pariter fugit. *Carolus* Neapolim ingressus die 22. Februarii 1494. brevi toto Regno potitus est.

Regis Caroli victoria.

Tam prosperis successibus invidentes *Alexander* Summus Pontifex, Veneti, *Ludovicus Sfortia* Dux Mediolanensis, adjuncto sibi *Maximiliano* Imperatore, & *Ferdinando* Hispaniæ Rege, conjuratione facta, *Carolum* Regem ordinatis in Apulia rebus in Galliam redeuntem intercludere conantur. Erant in hostium castris millia quadraginta armatorum. *Carolo* septem haud amplius millia militabant. Ad Forum Novum * non longe a Parma civitate prælium atrox commissum est, die sexta Julii 1495. Penes Gallos victoria stetit. Rex tantis ex angustiis favente Deo, ipsumque velut manu ducente liberatus, pace cum *Ludovico Sfortia* Duce Mediolanensi composita, *Ludovico* Duce Aurelianensi, quem ille Novariæ inclusum gravi obsidione premebat, recepto, decoris & gloriæ plenus in Gallias rediit. Tam gloriosæ expeditionis fructus haud diu Galli degustarunt. Anno enim sequenti Neapolitani, cæterique omnes ad *Ferdinandum* defecere. Gallorum bellica virtus quam prudentia magis emicuit. Mortuo paulo post *Gilberto Mompenserio* Prorege Neapolitano, Gallicarum copiarum reliquiæ ex Italia excessere. De Expeditione Italica *Caroli Octavi*, plura disces ex *P. Cominæo* Lib. 7. & 8. Commentariorum, *Guicciardino* Lib. 2. ex Diario *Andreæ de Vinea*, qui *Annæ* Reginæ Franciæ *Caroli* uxori a Secretioribus Mandatis fuit, hujusque Expeditionis Historiam jussu ejusdem Regis literis mandavit: ex altero Diario *Petri Desrey* Trecensis: ex Libris duobus *Georgii Flori* Mediolanensis J.C. de Expeditione *Caroli octavi* in Neapolitanum Regnum; ex *Symphoriano Champiero* in *Trophæo Gallorum*; ex *Roberto*, *Gaguino*, *Belcario*, *Ferrono* & aliis Historicis.

* *Fornovo, Tractatus pacis editus est in Observat. D. Godefridi pag. 722.*

V. Italiæ cladem, & *Caroli* Regis adventum non semel prædixerat venerabilis & beatæ memoriæ *Hieronymus Savonarola*, Ordinis FF. Prædicatorum, maximaque pericula in reditu subiturum, ex quibus Deo duce gloriose evaderet. Verum quod suorum prædas & rapinas non cohibuisset, nec Ecclesiæ reformationem promovisset, a Deo flagellatum iri: Sed & in publicis concionibus Regem in Italiam brevi rediturum vaticinatus fuerat, ad tollendos Italiæ Tyrannos, & Ecclesiam gladio reformandam. Hanc a Deo sibi demandatam provinciam ni diligenter exequeretur, acerbissime ab ipso puniendum. Idque & Rege coram dixit, & per literas non semel denuntiavit, postquam ex Italia redierat. Ita refert *P. Cominæus* qui cum ipso *Savonarola* congressus est, Capp. 2. & 19. Libri 8. Religiosissimi Viri vaticiniis secutæ Regis calamitates fidem fecere.

Savonarolæ vaticinia.

Obiit enim filius ejus unicus *Carolus Orlandus* Delphinus trium annorum puer;

Caroli octavi obitus.

& Rex

& Rex ipse anno 1498. die septima Aprilis, Ambasiæ in Turonibus, ubi Castrum magnificentissimum extruebat, apoplexia extinctus est in loco totius Arcis sordidiori in straminea culcitra jacens, anno ætatis 28. Regni 15. Ejus magnanimitatem, comitatem, popularitatem, *Jovius Pontanus*, aliique Scriptores prædicant. Bis ea hebdomada conscientiam Sacramentali Confessione expiasse, ultimumque quod suum protulit verbum fuisse, Daturum se operam pro viribus ne ullum umquam lethale peccatum, immo nec veniale ex deliberata voluntate committeret, *Comminæus* refert, ac sermonis usu per intervalla recuperato, semper se Deo, Virgini Deiparæ, Sanctisque *Claudio & Blasio* commendasse. Decrevisse vero jam antea populi onera levare, Clerum ad priscam sanctitatem, Judicia ad debitam integritatem revocare: curare ut Episcopi nullum præter suos Episcopatus Beneficium possiderent, & Sacras Residentiæ leges servarent; Disciplinam Regularem in Ordine *S. Benedicti*, aliisque Religiosis familiis instaurasse, profusas Fratribus Mendicantibus eleemosynas paulo ante obitum erogasse: publicam audientiam omnibus, ac præsertim pauperibus, certis diebus concessisse. Britanniæ Parlamentum instituit Literis datis die 27. Novembris, anno 1495. Non postrema laus ipsius est, quod VValdenses Hæreticos in Vallibus *Frantaeriæ*, *Argentariæ*, & *Patæ*, nec non in *Valle Clusionis Brianzonii*, *Sexanæ*, *Meurollis*, *Ucellis*, *Fenestrellis*, in *Prato-gelato*, aliisque locis Delphinatus degentes, partim exterminaverit, partim ad Catholicam Religionem revocaverit, *Innocentii* VIII. Pontificis Maximi piis monitis obtemperans, & *Albertum Cattaneum* Archidiaconum Cremonensem, Juris utriusque consultissimum, ab eodem Pontifice contra illos delegatum auctoritate, consilio armisque juvans, ut idem Archidiaconus testatur in Relatione ea de re scripta, quam D. *Godefridus*, cum aliis Monumentis *Caroli* VIII. Historiam spectantibus edidit, pag. 277. Editionis Regiæ. *S. Franciscum de Paula* veneratus est, necnon ab illo institutum FF. Minimorum Ordinem fovit, pluraque ipsis Cœnobia fundavit, extruxit, Plessiaci nimirum, Ambasiæ & Romæ celebre illud *Trinitatis de Monte*, ea lege, quam Summus Pontifex ratam habuit, ut Superior semper Gallus esset, nullique umquam Fratres in eo degerent, nisi e Galliis oriundi.

Eius elogium.

Britannia Parlamentum.

VValdenses Hæreticos partim exterminavit, partim ad Catholicam Religionem revocavit Carolus octavus.

Pietatis illius Monumenta.

SCHOLION I.

Huic Articulo Religiosi Censores hanc notam appinxerunt: *Appellatio de Monitorio Pontificio*: qua nota significant sibi displicere Appellationis hujus commemorationem.

R. Turbatis in Belgio rebus cum Maximilianus Romanorum Rex ratione tutelæ Archiducis Philippi Comitis Flandriæ filii sui auctoritatem in Belgio sibi arrogaret, populumque premeret, Brugenses conjuratione facta ipsum ceperunt, captivumque detinuerunt. Innocentius VIII. Brugenses, Gandavenses, Yprenses aliosque Belgas Censuris gravissimis perstrinxit, Ecclesiastico supposuit Interdicto. Advocatus Catholicus de Monitorio Pontificio Literis Regis nomine appellavit. Historiæ res est. Editum est Appellationis Instrumentum. An justa fuerit vel injusta Appellatio, non expendo, non pronuntio.

SCHOLION II.

Ad eumdem Articulum pag. 296. hæc nota refertur: *Savonarolam virum beatæ memoriæ & Prophetam appellat.*

R. Savonarolam venerabilis & beatæ memoriæ virum appellant quicumque pro ipso Apologias scripserunt. *Sanctum* tamen aut *Beatum* Savonarolam, aut quemquam alium ebsit ut appellem, qui non videatur *per communem Ecclesiæ consensum, vel immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum Virorumque Sanctorum scripta, vel longissimi temporis scientia, ac auctoritate vel tolerantia Sedis Apostolicæ*, venerationem obtinere. Italiæ cladem & Caroli Regis Christianissimi adventum in Italiam non semel prædixisse Savonarolam, commemoravi. Id ante me scripserunt alii, inter alios Philippus Cominæus, qui cum ipso Savonarola familiariter congressus est, Libro 8. Cap. 2. & 19. Prædixisse & alia plurima certum est, quarum prædictionum veritatem probavit eventus. Cæterum ejus vaticinia ex Spiritus Sancti afflatu fuisse, & veri nominis Prophetias, non dixi, nec ipsum appellavi Prophetam; (quamquam Prophetiæ donum sit gratia gratis data; ex qua una colligi non potest Vatis sanctitas.) Denique Ecclesiæ & Sedis Apostolicæ judicio meam de Savonarola opinionem submitto: & si Apologias pro ipso editas, & quemcumque honoris titulum, etiam mere civilis & humani ipsi delatum improbet: pro non dicto & scripto haberi velim quidquid ad ejus defensionem vel commendationem scripsi post Auctores celebres, quorum scripta a Sede Apostolica improbata fuisse non novi. Improbata certe non est ab Apostolica Sede Epistola S. Francisci de Paula ad Illustrissimum Virum Simonem de Limena, in qua Hieronymi Savonarolæ Sanctimoniam prædicat, & Sermones, Prophetias, damnationem injustam prophetico ipse spiritu prædicit. Epistolam istam Romæ asservari in Ecclesia Sanctæ Cæciliæ trans Tyberim in Sacrario Reliquiarum, testatur Quetifius noster in Vita & Apologia Savonarolæ. S. Philippi Neri factum non damnavit Sedes Apostolica, qui Hieronymi Savonarolæ quasi sancti imaginem diademate gloriæ radiantem in cubiculo suo asservabat. Non damnavit Joannis Francisci Pici Mirandulani Comitis Hymnum in laudem Savonarolæ editum, quo & *Sanctum*, & *Vatem*, & *Martyrem*, & *Miraculis* post mortem clarum prædicat. Non damnavit imagines Savonarolæ Romæ excusas, & publice venales sub Clementis VIII. Pontificatu, cum hac inscriptione: *B. M. Hieronymi Savonarolæ Ordinis FF. Prædicatorum, Virginis, Doctoris & Martyris, vera effigies*. Non damnavit Bzovium & Septemdecim Savonarolæ Apologistas ab eo citatos. Non damnavit Vitam Savonarolæ a F. Thoma Sovegio editam in Dominicano Diario ad diem 23. Maii, cui hanc inscriptionem præfixit: *Vita Venerabilis Patris Hieronymi Savonarolæ, Prædicatoris Apostolici, Restauratoris Observantiæ Regularis, & Martyris pro Ecclesiæ sanctitate.* Venerabile tamen illum Virum, nec *Sanctum* appellavit, nec *Martyrem*, nec *Prophetam*, ut Auctores laudati; sed simpliciter *Beatæ Memoriæ Virum*, qui titulus & illis tribuitur, quorum nondum vindicata sanctitas est, cum eorum tamen memoria ob vitæ sanctimoniam & admirabilia opera in benedictione sit.

ARTICULUS V.

De Ludovico XII.

MOrtuo sine liberis *Carolo* VIII. ex lege successit agnatione proximus *Ludovicus* Dux Aurelianensis, Rex ejus nominis XII. appellatus, annum agens trigesimum septimum, fortitudine, prudentia, clementia celebrius Princeps, tantaque erga suos charitate præditus, de oneribus plebis levandis tam sollicitus, ut dulce ac gloriosum *Patris Populi* cognomen promeritus & consecutus sit. Cujus & illa celebratur egregia sane vox, cum a nonnullis concitaretur in eos, a quibus sub Rege *Carolo* fuisset offensus ac vexatus: *Non esse Regis Francorum vindictam sumere de injuriis Duci Aurelianensi illatis*: Quales enim erga Regem recens defunctum fuissent, tales erga se in posterum futuros. Cumque Libello sibi oblato, in quo domesticorum *Caroli* VIII. Regis descripta nomina, duorum ee iiaolim sibi infensissimorum nominibus signum crucis addidisset; illis hoc audito conturbatis, quasi Regis Sententia patibulo destinati essent, illos humanissime revocatos de se melius sentire sperareque jussit, id salutis nostræ signum faustissimum omen esse asserens, quo Christi Crucifixi exemplo injurias omnes condonarat. Ut primum Rex salutatus est, se utriusque Siciliæ ac Hierosolymorum Regem, ac Mediolanensem Ducem appellari voluit, ad Expeditionem Italicam cogitationes omnes & consilia convertens. *Joannam* Regis *Ludovici* XI. filiam, quam ejus imperio invitus duxerat, nec umquam attigerat, cum *Philippus* Cardinalis *Lucemburgensis* & Episcopus Cenomanensis, *Ludovicus Ambrosianus* Albiensis Antistes, nec-non *Feranadus* Septensis Episcopus, Sedis Apostolicæ Nuntius, Natione Lusitanus, delegati ab *Alexandro* VI. Judices, Matrimonium nullum ac irritum dixissent, repudiavit, assignato ipsi ad sustentationem Ducato Bituricensi. Quæ divortio facile consensum præbens, mundo sæculi pompis remisso, Ordinem Sanctimonialium B. Mariæ Virginis Annuntiatæ Avarici Biturigum instituit, ac in Monasterio suis impensis constructo ac dotato, vitam sanctissime transegit, Miraculis post obitum illustris, quæ contigit anno 1505. ætatis ipsius circiter 40. Hoc vinculo solutus *Ludovicus*, venia Pontificis impetrata, *Annam* Viduam *Caroli* VIII. sibi etiam sanguine conjunctam uxorem duxit, quo matrimonio Aremorica Sceptra Galli-

Ludovici Decimi secundi clementia.

Ludovici Decimi secundi Matrimonium.

Gallico firmius agglutinata est, certis conditionibus, ejusdem Regis literis expressis, quas *Belloforestius* lib. 9. Historiæ suæ capp. 1. & 2. inseruit. Pace deinde cum Regibus Hispaniæ & Angliæ confirmata, necnon induciis cum Imperatore *Maximiliano* pactis, acceptoque *Philippi* Archiducis Austriæ ejus filii, Belgii Principis, clientelari Sacramento, pro Comitatibus Flandriæ, Attrebatum, & Carolesii, de *Alexandri* Pontificis & Venetorum amicitia securus, totus in Mediolanensem Expeditionem incubuit. Mediolanum, ac reliquus Insubrium Principatus, *Liguis*, *Albias*, & *Trivultii* Ducum virtute ac *Ludovici Sfortia* Mediolanensem Ducatum tenentis fuga, in Francorum potestatem pervenit, viginti pene dierum spatio. Mox & Genuenses deditionem fecere. Victoriæ lætissimo Nuntio Lugduni accepto, Rex Mediolanum ocyus contendit, Urbemque solemni pompa & omnium Ordinum applausu ingressus est die 6. Octobris, anno 1499. Cæterum Rege in Galliam præpropere reverso, Insubres odio *Trivultii* Proregis *Ludovicum Sfortiam*, qui ad *Maximilianum* Cæsarem confugerat, clam revocant, seque illi tradunt, excusso Gallorum dominatu, anno millesimo quingentesimo. Verum novis copiis, *Ludovico Trimollio* Duce, a Rege transmissis, Insubres domiti. *Sfortia* captus cum *Ascanio* Cardinali, fratre, ad arcem Lochiensem in Turonibus perductus, ibi post decennii carcerem vitam excessit. Hoc bello impeditus Rex Christianissimus, cum *Uladislao* Hungariæ & Bohemiæ Rege, & *Joanne Alberto* Poloniæ, nihilominus fœdus init contra Turcas die 14. Julii ejusdem anni: cujus fœderis tabulas edidit *T. Godefridus* ad calcem Historiæ *Ludovici XII.* a *Joanne Sangelasio* scriptæ.

Mediolanensis Expeditio.

Ludovici Decimi secundi fœdus sacrum contra Turcas.

II. Anno 1501. *Ludovicus* Rex Christianissimus & *Ferdinandus* Rex Hispaniæ, *Fridericum Aragonium*, qui Neapolitanum Regnum occupabat, ex composito aderti, Regnum illud invaserunt, *Alexandro VI.* Pacta conventa confirmante, quibus Apulia & Calabria Hispano, Neapolis cum reliqua parte Regni Gallo cessura erat, quasi Romanæ Ecclesiæ Beneficiariis. *Fridericus* Regi Christianissimo, quam Hispano consanguineo suo, a quo iniquissime proditus erat, dedere se maluit; ab eoque Andegavensi Ducatu cum annuis triginta millium nummum aureorum stipendiis donatus in Gallias se recepit. Nec multo post Hispani & Galli in Regno Neapolitano ex propinquis Præsidiis de finium divisione contendentes, ad arma, acerrimumque bellum descenderunt; cujus infelix exitus nostris fuit, duplici prælio profligatis: altero ad Seminariam in Calabria 11. Kalendas Maii an. 1520. altero ad Carinolam in Apulia, 4. Kalendas Maii ejusdem anni, quo cecidit *Ludovicus* Dux *Nemorsius*. Urbes plurimæ, ipsaque Neapolis Regni Caput, *Gonsalvo* Hispani Exercitus Duci deditionem fecere. Frustra suis succurrere conatus est *Ludovicus* Rex. Galli toto Regno a *Gonsalvo* penitus expulsi, anno ineunte 1504. De quo bello plura disces ex *Guicciardino* Lib. 5. & 6. *Belloforestio* Lib. 6. *Belcario* Lib. 9. & 10. *Gaguino*, *Ferrono*, & aliis. Anno 1507. Genuenses populari defectione antiquam repetentes libertatem Rex terra marique domuit, defectionisque auctoribus supplicio affectis, Urbi magna auri summa mulctatæ formidandam arcem imposuit. Anno 1508 Rex Christianissimus cum *Maximiliano* Imperatore, *Ferdinando*, Rege Aragonum, & *Julio II.* Pontifice Maximo fœdus init contra Venetos qui Pontificiæ a Regis utriusque Majestati graves irarum causas præbuerant. Hujus Fœderis Cameraci die 10. Decembris initi Literas edidit *T. Godefridus* ad calcem Historiæ *Ludovici duodecimi* a *Joanne Sangelasio* scriptæ. Anno sequenti, Venetos ad Abduam castra conferre, atque aciem tentare ausos, magna cæde profligavit, secundum quam, quidquid in continente habebant, propemodum amiserunt. Sed *Julius Secundus* reconciliatis sibi Venetis, *Ludovicum* Regem temporalibus armis, spiritualibusque atrociter persecutus est. *Gasto Foxius* Dux Nemorensis cum fœderatis Venetorum, Hispanorum, ac *Julii* copiis ad Ravennam congressus an. 1512. victor occubuit. Ravenna a Gallis direpta est.

Bellum Neapolitanum.

Genuenses domiti.

Fœdus contra Venetos.

Eorum clades.

Julii II. in *Ludovicum* XII. inimicitiæ, bellumque ejus Majestati illatum, Regis animum gravem in modum exacerbarunt, & ad Pisani Conventus celebrationem promovendam impulerunt. Sed antea Galliæ Antistites Aurelias primum, deinde Turone, anno 1510. Septembri mense cum Theologiæ & Juris utriusque Doctoribus celeberrimis a Rege congregati, de octo capitibus ab ejus Majestate propositis sententiam summa libertate dixerunt, quæ apud *L. Bochellum* in Collectione Decretorum Ecclesiæ Gallicanæ, & inter Probationes Libertatum ejusdem Ecclesiæ Cap. 20. §. 28. legi potest. Nos vero in Dissertatione de Conciliis Pisano & Lateranensi uberius de his agemus. Post *Julii* II. mortem, *Leonis* X. benignitate permotus, Lateranensi Concilio *Ludovicus* XII. adhæsit, Pisana Synodo ejurata. *Maximilianus* Cæsar, & *Henricus* VIII. Angliæ Rex, in *Ludovicum* Regem conjurarunt, & Morinos Nerviosque occuparunt, anno 1513. *Ludovicus* pacem cum Anglo pepigit anno sequenti & *Anna* Regina defuncta, *Mariam* Henrici VIII. sororem in Matrimonium accepit. Obiit ipse Kalendis Januarii anno 1515. ætatis 54. Regni 17. tribus nondum expletis a novis Nuptiis mensibus. Duas tantum filias ex *Anna* Britanniæ susceptas reliquit, *Claudiam*, quæ *Francisco* Ingolismensi Comiti, postea Regi hujus nominis Primo collocata est, & *Renatam*, quæ *Herculi* Duci Ferrariensi nupsit. Leges, ordinemque Judiciorum reformavit. Normanniæ Scacharium in Parlamentum erexit, ac sedere jussit Rothomagi, quæ Provinciæ Metropolis est. Supremum Consilium instituit, ad quod eæ Controversiæ referrentur, quæ ob potentium hominum in Senatu nimium gratiosorum factiones, periculose tractarentur in Senatibus. Parcus in largitionibus fuit, quia in exactionibus temperans, teste *Joanne Olivario* Andegavensium Episcopo in ejus Elogio.

Julii Secundi cum Ludovico Decimo-secundo inimicitia.

Ludovici Decimi secundi Libert.

Parlamenti Normanniæ & Magni Consilii institutio.

Profusus ipse largiendo non fuit,
Ut qui modeste publicum pecunium
Miseræ putaret plebis esse, non suam

De *Ludovici* XII. Gestis, legendi maxime *Joannes Sangelasius*, *Robertus Gaguinus*, & *Claudius Seyssellus* Massiliensis ac deinde Taurinensis Episcopus, Scriptores coævi.

Ludovici Decimi secundi elogium.

ARTICULUS VI.

De Francisco I.

I. *Ludovico* XII. absque mascula prole defuncto, proximitatis jure successit *Franciscus*, Dux Valesiorum, & Ingolismensium Comes, cujus Regni initia Insubrico bello feliciter confecto, & Mediolanensi Ducatu vindicato lætissima fuere. Reliquum Imperii tempus bellis turbidum, quæ cum *Carolo V.* Cæsare pene perpetua habuit. Quæ bella huic Regno funesta, Francis Italia pulsis, Rege Ticinensi acie capto, abductoque in Hispaniam anno 1525. & periniquis conditionibus redempto, quas Pacta Madriti a *Bell. forestio* Lib. 6. Cap. 29. descripta complectuntur, *Guicciardinus*, *Jovius*, *Ferronus*, *Belleforestius*, *Belcarius*, aliique gravissimi Scriptores Literis mandavere. Anglorum Regem *Henricum Octavum* interdum hostem, postea fœderatum habuit. *Carolum* etiam Sabaudiæ Ducem justo bello aggressus, universa Sabaudia, magna Pedemontii parte, & ipsa urbe primaria Taurino spoliavit. In petitione Imperii *Carolo* V. æmulus fuit, cui etsi fortuna inferior hac in re, bellisque fuerit, virtute tamen superior plerisque visus est. Quamquam (ut verum fatear) suos uterque nævos habuerit. Utrumque egregie adumbrat *Ferronus* Rerum Gallicarum Libro 7. *Franciscus* plane Rex (inquit) & *Carolus* Cæsar, cum æquali haberetur potentia, diversis ferebantur consiliis. Cæsar callidior & cultior: *Franciscus* apertior & elatior. In Rege clemens & nimis natura: in Cæsare durior & minus remissa. Cæsar valde acutus & providens: Rex strenuus & magnanimus habebatur. Cæsar quo astu insidiisque falleret; Rex ut pugna aperta vinceret, laborabat. Cæsar militares homines & callidos complectebatur: Rex mirifice ingeniis excellentibus delectabatur. In Cæsare majorem fidem, in Rege interdum majorem cautionem desiderares. In Cæsare orationis brevitatem, in Rege copiam efferebant. Erant apud Cæsarem industriæ quidam stimuli ac laboris: flagrabant ornamenta fortitudinis, comitatis, humanitatis apud Regem. Cæsarem parcum, nec illiberalem tamen diceres: Rege in largitione nemo effusior habebatur. Cæsar servire temporibus, regere ad tempus suam naturam, huc atque illuc flectere didicerat; Rex constantiam sermonum re exequebatur, eaque palam sentiebat quæ invictum ejus animum facile ostenderent. Cæsar cum callidis acute, cum suis graviter versabatur: Rex cum Aulicis jucunde, cum Proceribus humaniter vivebat. In Rege variam eruditionem, memoriamque prope divinam: in Cæsare varium & ad omnia versatile ingenium non desiderares. Cæsar repræsentabat umbram humanitatis & clementiæ: in Rege non adumbrata simulacra, sed totam effigiem

Francisci I. bella.

Francisci I & Caroli V. Imperatoris comparatio.

harum

harum virtutum agnosceres. Rex manu fortior, Cæsar cautior ferebatur. Cæsarem nisi se ambitu commaculasset, vere Pii nomen relaturum: Regem nisi deliciis Aulicis implicitius fuisset, omnium Regum triumphos superaturum ajebant.

Francisci I. cum tribus Pontificibus congressus sive colloquia.

II. Cum tribus Romanis Pontificibus congressus est *Franciscus I.* cum *Leone X.* Bononiæ anno 1515. cum *Clemente VII.* Massiliæ an. 1533. cum *Paulo Tertio* Niciæ in Provincia an. 1538. In congressu cum *Leone X.* Pacta illa Pontificem inter ac Regem, Sedemque Apostolicam, & Regnum inita sunt, quæ vulgo *Concordata* vocantur, perpetui Contractus vim habentia, cujus vel unum caput violare, nec Summo Pontifici, nec Regi sit integrum. De his scribens *Belcarius* Metensis Episcopus in Commentariis Rerum Gallicarum, lib. 15. ait, Regem inter & Pontificem convenisse: *Ut Rex binas ab omnibus Galliarum Sacerdotiis Decimas exigeret; & ut quotquot in posterum Pontificatibus aut Cœnobiis præessent, Romano Pontifici de nomine proponeret: Pontifex eosdem, nec alios ad Sacerdotia a Rege designatos promovere teneretur. Leo, sed non gratiis, nec sine magno præmio assensus est. Cautum est enim ut promovendi primi anni suorum Sacerdotiorum fructus (Annatas vulgo appellant) non ex veteri, quæ longe inferior erat, sed ex ea quæ mox fieret, & vera tum esse deprehenderetur, æstimatione Romano Pontifici penderent. At Sacerdotiorum annuos proventus, cum Pontificis:* * *paulo post in Gallia æstimare conarentur, nec testes, nec aliam rationem, qua Pontificium Mandatum exequerentur, reperire potuerunt. Unde Leo spe sua frustratus, ad veterem æstimationem redire coactus est.*

Concordata.

* *Pontificis Ministri.*

Concordata a Synodo Lateranensi V. comprobata & confirmata, quibus Clerus Gallicanus, Academia Parisiensis, Supremæ Regni Curiæ acerrime repugnarunt. Sacra tandem Jussione, & absoluta Regis voluntate, quin & minis gravissimis a Rege irato Augusto Ordini intentatis, quod Regis Jussioni primum ab ejus Majestate in Senatu significatæ mense Februario anni 1516. deinde a Cancellario Franciæ *Antonio Pratensi* mense Majo sequenti; tertio ab eodem Cancellario die 5. Junii; quarto a Notho Sabaudiæ materno Regis Avunculo, Mandata Regia ad Curiam deferente die 26. Junii, data Ambiani die 21. ejusdem mensis; quinto viva rursus voce a Rege, cum Senatores a Curia Deputatos audivit Ambasiæ die 15. Januarii 1517. Sexto a Domino *De Trimolia* Equite Torquato, Primo Franciæ Camerario, die 15. Martii in Senatum cum literis fiduciæ veniente, denuntiatæ, diem de die ducendo, parere semper Patres Conscripti recusarunt; in Senatus Commentarios relata sunt, cum Actis Appellationis ad Papam melius consultum, & futurum Concilium legitime congregatum, die 19. Martii 1517. Intercessit speciatim Academia Parisiensis in Comitiis Generalibus ad *S. Bernardi* celebratis die 26. Martii ejusdem anni. Acta Senatus & Academiæ hac in causa legere est apud *Fontanonem* Tom. 4. Collectionis Edictorum Regiorum, pag. 1448. & 1443. & *Bochellum* lib. 4. Decretorum Ecclesiæ Gallicanæ tit. 25. cap. 8.

Franciscus I. Catholicæ Religionis studio insignis.

III. Catholicæ Religionis ardentissimo studio ferebatur *Franciscus Primus*, cujus egregia edidit documenta, sive cum solemnes Supplicationes decrevit, quibus adfuit ipse cum Principibus, & Clero plebeque universa, ut læsæ infamibus Hæreticorum in Sacrosanctam Eucharistiam libellis Christi Majestati satisfieret; ac palam testatus est, suum quoque brachium excisurum sese, si ea peste infectum sciret, atque in charissimos Liberos ea etiam usurum: sive cum Hæreticos extremo supplicio damnavit: sive cum a *Margarita* Sorore sua, Regina Navarræ, deceptus, quem in Regnum vocare decreverat, specie conferendi cum Theologis Parisiensibus, *Melanchthonem*, dissuadente Cardinali *Turnonio*, Archiepiscopo Lugdunensi, execratus est: sive cum severissimum Edictum contra Hæreseos Auctores ac Disseminatores promulgavit, datum apud Fontemblaudi Kalendis Junii anno 1540. Sive cum Angliæ Regi *Henrico* post ejus excommunicationem & Schisma patrocinari recusavit. Ipsum cum *Solimano* Turcarum Imperatore consilia communicasse, ut eum in *Carolum* Cæsarem concitaret, mirum quam audacter asserat *Guicciardinus* lib. 20. cum ex *Martini Bellaii* Commentariis contrarium pateat, & *Paulus Jovius* Gallis haud ita amicus lib. 30. Regem ab hac infamia liberum censest, idque vagis dumtaxat rumoribus jactatum significet. Postea tamen Rex Oratorum suorum *Ринconis* & *Fregosi* cæde a Cæsarianis ad ostium Padi perpetrata, adversus *Carolum* Imperatorem execrando facinori conniventem, nec Sicariorum saltem supplicio sibi satisfacientem exacerbatus, simul & inanibus promissis ab eo delusus, ut per Gallias in Belgium transitum obtineret, *Solimani* propositiones non respuit, qui & ipsum *Fratrem* vocabant, & pecuniarum armorumque auxilium adversus *Carolum* Hispaniæ Regem ipsi offerebat; sed & Venetos ad fœdus invitavit adversus Cæsarem, qui bello Turcico implicitus, Gallorum ac Venetorum armis sustinendis par non esset. Ita refert *Jovius* lib. 41. Uter vero culpandus magis, an *Franciscus* qui cum *Solimano* fœdus iniit? An *Carolus V.* qui tam indignis Imperatore Christiano facinoribus ac fraudibus Regem ad hæc extrema compulit?

Francisci I. a calumnia vindicatur.

Francisci I. justitia. * *Les Grands Jours.*

Justitiæ severus exactor fuit *Franciscus*, primusque Regum nostrorum Conventum Judicum selectorum extra Ordinem instituit, quem Galli *Magnos dies* * appellant, ut injustam Nobilium vim Leges & Magistratus contemnentium comprimeret. Qui Pictavis an. 1531. constituti, egregiam operam navarunt; fueruntque post hæc sæpe diversis aliis Regni locis magna publicæ securitatis utilitate renovati. Ipsi vitio vertitur quod venales Magistratus fecerit, sed tota hujus adinventionis invidia in *Antonium a Prato* Cancellarium derivata est, quem *Bipedum omnium nequissimum* Lib. 15. Commentariorum *Belcarius* appellat. Qua de re idem Auctor ita scribit: *Munera civilia, ut Caroli VIII. ut alienum dissolveret, & quod reliquum erat in bellum Mediolanense impenderet, vendidit Ludovicus quadam necessitate adductus; quæ ad Jurisdictionem pertinebant, numquam attigit. Prutus Jurisperitus (ut putabatur) sed minime juris observator, præter omne fas, Jus pretio addixit, & venalem Senatui Parisiensi Classem vicenariam addidit; quæ tam male audiit (Venales enim Magistratus venales quoque Sententias habere consentaneum erat) ut alteram hujus Classis partem in veteres inserere, parem numerum ex veteribus parti alteri reddere, veteres Senatores coacti sint. Cæteris Senatibus eadem ratione novi Senatores additi: aucta & tributa plebi indicta, & aliæ pecuniæ conquirendæ rationes ab eodem Auctore inventæ: Unde ille in omnium justum nimium ac debitum odium incurrit.*

Civilium Munerum venalitas.

Vectigalia & tributa sine Ordinum consensu indicta.

Salinarium vectigal vehementer auxit *Franciscus I.* „ Ut autem tributa annua non amplius de trium Ordinum consensu, sed ex animi voluntate indicebat: sic & in Salinario vectigali idem sibi permittebat; ex ephebis & ex tutorum servitute se Reges eduxisse jactabat. Gallorum duodecim Pares, ac trium Ordinum Conventus, Gallorum Regum tutores ac curatores appellabat: sine quorum auctoritate antiqui Reges de suo patrimonio vivere soliti, nullum tributum indicere solebant. Hic omnem illorum auctoritatem in se transtulit, & quidquid liberet, sibi permisit (Inquit idem *Belcarius* Lib. 23.)

Franciscus I. literarum parens.

V. Obiit *Franciscus I.* Rambulieti Ecclesiasticis Sacramentis rite procuratus, pridie Kalendas Aprilis anno 1547. ætatis 53. Regni 33. cujus nomen nullo umquam tempore bonæ artes in tenebris jacere patientur. Tantum enim Literas atque earum Professores dilexit, et illustri cognomento *Literarum Parens* passim nuncupetur. Insignem Bibliothecam in Regiis Fontisblaudi ædibus, conquisitis undique optimis libris instruxit, auctoribus *Guillelmo Budæo* Parisiensi viro Græce Latineque doctissimo ac Jurisconsultissimo, quem Libellorum Supplicum Magistrum creavit, & *Jano Lascari* viro ex Græcorum Imperatorum stirpe progenito, & doctrina non minus quam splendore natalium illustri: eodemque *Budæo* & *Joanne Bellajo* Parisiensi Episcopo, nec-non *Petro Castellano* Anagnoste suo, suadentibus, Hebraicæ ac Græcæ linguæ Professores, Philosophiæ item, Medicinæ, & Mathematicarum Disciplinarum instituerit, qui attributis pro tempore amplissimis stipendiis, Lutetiæ in Gymnasio Cameracensi (quod Regium exinde vocatum est) publice prælegerent. Horum ope discussis ignorantiæ tenebris, lux Literis, & per Literas veritati, in Gallia, atque adeo tota Europa restituta est. Ita refert *Thuanus* Lib. 3. Historiarum sui temporis. Habuisse dicitur in animo, Professorum a se institutorum numerum augere, Gymnasiumque amplissimum ædificare, in quo prælectiones fierent, & ipsi Professores, cum sexcentis pueris & adolescentibus ac Magistris publico sumptu alerentur, cum assignatione quinquaginta millium aureorum annuorum; sed mors hæc eum deliberantem intercepit. Illius Tumulo hoc inscripsit Elogium *Joannes Bellajus* Episcopus Parisiensis:

Francisci I. elogium.

Gratia, forma, decus, probitas, facundia, candor,
Religio, Charitum spes, amor Aonidum;
Ingenii atque animi vis admirabilis, uno
Cuncta hæc in tumulo, Rege jacente, jacent.
Fortuna est quidquam si dofuit, &c.

Francisci I. liberi.

Duas duxerat conjuges, *Claudiam Ludovici* XII. & *Annæ Britanniæ* filiam, anno 1514. eaque defuncta, *Eleonoram* Austriacam *Caroli* V. Imperatoris sororem. Ex prima tres filios, totidemque filias susceperat. Ex tot liberis duos tantum superstites habuit *Henricum* & *Margaritam*, quæ *Emmanueli Philiberto* Sabaudiæ Duci collocata est anno 1559. *Guillelmum Parvum* Confessarium suum & Concionatorem Ordinis FF. Prædicatorum Theologum Parisiensem, Trecensem primum, deinde Silvanectensem Episcopum, Filiis suis Præceptorem dederat. Historiam *Francisci I.* recens editam a *Varilassio* legat, qui plura de illius Regno nosse cupit.

SCHOLION.

In hoc Articulo Religiosis Censoribus displicet quod *Intercessiones supremi Senatus & Academiæ Parisiensis adversus Concordata commemorem.*

R. Quod Academia Parisiensis, & Supremæ Regni Curiæ Concordatis intercesserint, certum est. Mera facti quæstio. Id acta publica testantur.

ARTICULUS VII.

De Henrico II.

Bellum Anglicum.

I. FRancisco patri successit *Henricus* ejus nominis Rex *Secundus*, magnitudine animi, & rei militaris peritia insignis, nec pietate minor, eodem die quo natus fuerat, octo & viginti ante annis, nempe ultima Martii 1518. Cum *Eduardo VI.* Anglorum Rege bellum gessit. Quod brevi sequuta pax est. Eo Fœdere, cujus capita *Belcarius* Lib. 25. describit, Bolonia, cum Portu & omnibus Propugnaculis Boloniensis Comitatus ab Anglo occupatis, Regi Christianissimo restituta est. Parmæ propugnatio ab *Henrico* Rege suscepta in gratiam Ducis *Octavii Farnesii*, cujus frater *Horatius* notham Regis filiam *Dianam* uxorem duxerat, bellum inter *Julium* III. Pontificem & *Carolum* V. Imperatorem ex una parte, & *Henricum* Regem ex altera accendit. Regem de bello hoc Parmensi longe ante consilia agitasse, non solum clam contracta cum *Mauritio* Saxone societate, verum etiam Classis Turcicæ in maria nostra adventu, Cæsariani effutiebant, quam a Christianissimo Rege accersitam falso comminiscebantur. Hanc calumniam luculentissime refellit *Belcarius* ex Epistola Supremi Rhodiorum Equitum Magistri ad Siciliæ Proregem. Aliam item calumniam, qua jactabant Regem auctorem esse belli Turcici adversus *Ferdinandum* Romanorum Regem, egregie diluit idem Historicus, hujus belli causas aperiens ex *Solimani* literis ad Transylvanos, & ad *Georgium* Monachum. Regis cum Pontifice dissidium Concilii Tridentini rebus ob ex fuit. Missus ad sacrum illum Cœtum Orator a Rege *Jacobus Amiotus* Bellosanus Abbas, adversus Concilium Regio nomine protestatus est, Kalendis Septembris, anno 1551. Septimo Idus ejusdem mensis Lutetiæ promulgatur Edictum, quo Rex pecuniam Romam exportari vetat, severissimis pœnis additis: Legitur inter Probationes Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ Cap. 20. §. 35. Quinto Kalendas Julii, aliud contra Lutheranos, novarumque in Religione Sectarum reos gravissimum apud *Castellum Brianium* in Sanctiore Consilio sanxerat, (idcirco Edictum *Castelli Briennii* vulgo appellarunt) quod in Senatu Parisiensi 3. Nonas Septembris promulgatum est. Hoc omnia ante promulgata in Lutheranos Edicta renovantur: Judicibus etiam Præsidiariis summa in reos Jurisdictio sine provocatione attribuitur; eorum qui Genevam confugerint, bona fisco addicuntur, & pleræque aliæ multæ adduntur; ne rerum novarum studiosi, propter hanc in *Julium* Pontificem, Regemque dissensionem, liberam sibi cujusvis Religionis Professionem concessam existimarent. Anno 1552. Rex *Henricus* immisso in Lotharingiam exercitu Duce *Mommorantio* Magistro Equitum, Diviodurum Mediomatricorum, Tullum, & Virdunum Imperio subtraxit, seu potius ex antiquo Jure Regno restituit. Metenses in loco sublimi, & omnium oculis patente Aquilæ effigiem cum Herculis columnis, hoc adscripto Symbolo, *Ultra*, in gratiam Cæsaris erexerant. Quo dejecto, tres crescentis Lunæ semicirculi appensi fuerunt, hac epigraphe addita: *Dum totum compleat orbem.* Infra vero hæc legebatur inscriptio: *Henricus Galliarum Rex, Sacri Imperii Protector.* Dum autem Rex in Alsatiam penetrans rogatus esset a Germaniæ Principibus ne ultra progrederetur; id enim sine insigni Imperii detrimento fieri non posse; & quandoquidem se Germaniæ in libertatem asserendæ causa hanc expeditionem suscepisse profitebatur, pacis rationes ne perturbaret, cujus spem quasi certam ejus Sequestres conceperant: Rex lætari se significavit, quod omnia ex animi sui sententia confecta essent, pacemque Germaniæ jam pene procurasset. Pax Cæsarem inter & Fœderatos Principes confecta, nulla Regis habita ratione. *Carolus V.* Imperator centum armatorum millibus Mediomatricos obsedit: sed *Francisco Guisio* propugnante, potiundi desperatione, obsidionem solvit. Anno 1554. quarto Nonas Maji, Lex de Senatu Minoris Britanniæ Lutetiæ promulgata. Is in duas classes distributus est: alteram ex indigenis, alteram ex alienigenis, seu ex iis qui extra Provinciam nati sunt, legi sancitum est; quæ alternatim ternis mensibus, Rhedonibus Augusto, Septembri, Octobri, Nannetibus Februario, Martio, Aprili Jus dicerent. Quæ Judicum Classes (inquit *Belcarius*) non solum Jurisdicandi, sed & pecuniæ in Bellum corradendæ ergo institutæ sunt.

Pax cum Anglo confecta. — *Parmense bellum.* — *Henrici II. Edictum contra Hæreticos. * Chasteau-briant.* — *Bellum adversus Carolum V. Imp. & Philippum Hispaniarum Regem.*

Anno 1554. res in Belgio contra Cæsarianos ab *Henrico* prospere gestæ. *Orcimons*, *Mariamburgum*, *Theoderici Castellum*, *Dionantum*, *Binciam*, partim expugnata, partim deditione accepta. Uterque Exercitus ad *Fanquembergam* congressus. Hostium fuga, noxque instans, integram Gallis victoriam eripuerunt. *Henricus* Rex fœdus cum *Paulo* IV. Pontifice Maximo contra *Philippum* Hispaniarum Regem iniit: Exercitum in Campania Neapolitanumque Regnum immisit Duce *Francisco Guisio* anno 1557. Eodem anno ad *Quintini* Fanum in Veromanduis cladem ab Hispanis gravissimam passi sunt Franci die 10. Augusti, cum ad obsidionem solvendam accurrissent; *Francisco Guisio* omnium Regis Exercituum tam intra quam extra Regnum Imperatore creato, res Gallicæ erectæ. *Calesium* ab ipso octo dierum spatio expugnatum anno 1558. *Thermeus* inter *Gravelingam*, *Bergam*, *Dunquercam*, in Regis potestatem redegit. Pax tandem *Henricum* inter & *Philippum* Reges sancita est, qua etiam Sabaudiæ Dux comprehensus, nuptialique adstricta fœdere, data *Philippo* in conjugium *Elisabetha Henrici* filia, & *Philiberto Emanueli* Sabaudiæ Duci *Margarita* ejusdem Regis sorore. Istius Fœderis tertio Nonas Aprilis anno 1559. initi capita describit *Belcarius* Libro 28. additque *Mommorantii* Magistri Equitum auctoritate concinnatum, quod nec *Guisius*, nec *Brissacus*, nec cæteri Militares Viri approbare voluerunt. *Henricus autem Rex natura probus, sed ita Dianæ Mommorantioque addictus, ut se Regem esse non meminisset, & vere Simplex, ut Carolus III. dici posset, si id hac dictione Latine satis exprimi potest, id salus cum Mommorantio & Mommorantianis comprobavit, fati quod inde se maneret, ignarus.*

Pax confecta. — *Diana Regia pellex.*

Henrici II. contra Calvinianos Edicta.

II. Rempublicam recte constitui non posse ratus *Henricus Secundus*, nisi Religio a perversis ac seditiosis Novatorum studiis ausibusque illibata servetur. Calvinianos severissimis Edictis compescuit. Anno scilicet 1555. omnibus ditionum suarum Judicibus injunxit, ut Pontificiorum Judicum, aut Quæsitoris Fidei Sententias, nulla provocationum ad Supremos Senatus factarum habita ratione exequerentur. Senatus Parisiensis id promulgare jussus, postridie Nonas Octobris nonnullos Senatores ad Regem misit, qui quadriennio ante Regem novarum in Religione Sectarum Judicia suis Magistratibus permisisse docerent, iis dumtaxat exceptis, qui Sacris Ordinibus essent initiati. Hoc recens edictum prorsus illi repugnare. Temperari posse ejus severitatem, si Regii Judices de causis hujusmodi cognoscerent: si quid dubii oriretur, Pontificii una cum Regiis judicarent. Renovatum hoc Edictum est anno 1557. statutumque, Pontificios Judices de novarum Sectarum reis cognituros; Regios autem eos qui septem Sacramenta Christiana agnoscere detrectarent, & publicam tranquillitatem interpellarent, extremo supplicio addicturos: Bonorum autem proscriptiones, aut mulctas ex bonis adjudicatas, non ad Regium ærarium, sed ad pios usus & publicos redacturos. Quin etiam postridie Idus Septembris anno 1559. domos, in quibus Conventicula in toto Regno, præsertim vero Lutetiæ, a novarum Sectarum studiosis, vel Cœnæ celebrandæ ergo, vel alia de causa fierent, a fundamentis everti novo Edicto *Henricus* jussit. *Fran-*

sit. *Franciscus Secundus* ejus filius horum conventiculorum auctores morte plecti, domos autem in quibus coeunt, ita everti, ut numquam postea instaurentur. Mense vero Februario sequentis anni, Viros Nobiles, cæterosque summam Jurisdictionem habentes, sua Jurisdictione privari; Regios Magistratus Muneribus suis abdicari, siquidem in puniendis horum conventiculorum auctoribus negligentiores deprehenderentur. Ita refert *Belcarius*, qui tum scribebat, Lib. 26. Commentariorum. Anno 1559. Senatores Calvinianæ superstitionis reos in carcerem conjici Rex jussit, ab Episcopo Parisiensi, & Fidei Quæsitore in ipsos quæstionem haberi, una cum selectis e Senatu Commissariis. *Annæas Burgus* omnium pertinacissimus, in quæstionem vocatus, Parisiensium Senatorum Privilegium objecit, qui nisi a cancto Senatu judicari non deberent, nec ab aliis interrogati respondere cogerentur: sed Diploma statim a Rege impetratum est quo apud eosdem responde e, & Judicium accipere teneretur. Multis itaque Actis Judiciariis interjectis, tandem Parisiensis Episcopus *Burgum* novæ Parsuasionis convictum declaravit: Sacris Ordinibus, quibus initiatus erat, Subdiaconatu & Diaconatu abdicari & Regiis Ministris tradi jussit, qui demum 12. Kalendis Januarii senatusconsulto flammis damnatus est.

Henrici Secundi Edictum de Matrimoniis filiorum-familias.

III. Anno 1556. Kalendis Martii, Regium Edictum mense Februario datam, in Senatu promulgatum est, qao filii familias, qui ante trigesimam, aut filiæ ante vigesimum quintum suæ ætatis annum inscius aut invitis parentibus Matrimoniam contraxissent, exheredari; donationes omnes iisdem collatæ revocari, qui Matrimoniis conciliandis operam dedissent, Judicum arbitrio puniri deberent, aut possent, si ita parentibus videretur; quodque novam tam in Legibus condendis quam in Edictis componendis fuit Edictum, non solum in his Matrimoniis quæ post ejus promalgationem, sed etiam in his quæ ante contracta erant, locum habere voluit: eos dumtaxat excepit, qui facta de Matrimonio promissa carnali copula confirmassent. Hoc Edictum auctore *Anna Mommorantio* Equitum Magistro conditam, ut *Francisci* ejus filii Matrimonium cum *Piennea* Nobili Virgine per verba de præsenti contractum, irritam haberetur, a quo Patris consensus absfuerat, ac *Dianam Henrici* Regis Notham uxorem duceret, refert *Belcarius* lib. 27. Eodem Edicto Matrimoniorum clandestinorum licentiæ obviam itum est, vetitamque ne absque solemnibus denuntiationibus ac proclamationibus per tres dies festos, debito cum intervallo editis, & pablice, coram quatuor probatæ fidei testibas, Nuptiæ celebrentur. Hoc Edictum in Collectione *Fontanonis* Tom. 1. Lit. 4. Tit. 7. pag. 749. legere est.

Edictum Henrici Secundi contra mulieres uterum vel partum celantes.

Aliad Edictum dedit *Henricus* II. iisdem mense & anno, quod in Senatu quarta die Martii promulgatum est, contra quasvis mulieres, quæ cum ex furtivo concubitu conceperint, uterum vel partum celant, quo sancitum est, ut nisi graviditatem suam aut partum declaraverint, vel de vita aut morte infantis tempore partus legitimum testimonium protulerint, tamquam homicidii reæ extremo supplicio puniantur, si infantem baptismo aut sepultura publica & solita privatum fuisse probetur. Hoc Edictum habes in Collectione *Fontanonis*, Tom. 1. Lib. 3. Tit. 71. p. 671.

Henrici Secundi Liberi.

Obiit *Henricus II.* ex vulnere per ludicrum certamen Equitum, in filiæ suæ nuptiis exhibitum in capite accepto, die 10. Julii anni 1559. ætatis 43. Regni 13. Quatuor ex *Catharina Medicea* Reginæ filios & tres filias reliquit. Quatuor filiis nomina fuerunt *Francisco*, *Carolo*, *Alexandro & Herculi*. Duobus postremis in Confirmatione mutata. *Alexander Henricus*, *Hercules Franciscus* appellatus est. Tres primi successive regnarunt: omnes absque liberis defuncti. Ex tribus filiabus, *Elisabetha Philippo II.* Hispaniarum Regi; *Claudia Carolo* Lotharingiæ Duci, *Margarita Henrico Borbonio* Navarræ, postea & Franciæ Regi collocata est.

ARTICULUS VIII.

De Francisco II.

FRancisci II. antea Regis Scotiæ jure *Mariæ Stuartiæ* conjugis, *Henrico* Patri in Regum Francorum Solio anno ætatis 17. subrogati, breve fuit Imperium, & Calvinianorum seditionibus inquietum. *Mommorantio* Equitum Magistro a rerum gubernaculis remoto, & *Diana Valentina* ab Aula pulsa, summam auctoritatem ad *Guisios* fratres Lotharingios, Ducem & Cardinalem, avunculos Reginæ conjugis consentiente Regina Matre, Rex transtulit. *Francisco* Duci, Armorum; *Carolo* Cardinali, Ærarii, ac reliquorum Regni negotiorum cura demandata.

Edicta contra Hæreticos.

Crescente Calvinianorum audacia, lata sub defuncto Rege in eos Edicta renovata sant, nova promulgata. Nova classis in qoolibet Senatu instituta, quæ tantummodo de criminibus ad Religionem pertinentibus cognosceret; *Cameras Ardentes* appellarunt, quod incendio passim damnarentur, qui Calvinianæ Superstitionis convicti essent, & in nocturnis conventiculis deprehensi. Libri seditiosi adversus *Guisios* antiquæ Religionis vindices, & Reginam Matrem, tum illis consentientem, ab Hæreticis vulgati, & disseminati, atque inter alios *Dissertatio de Libero Francogallorum Imperio*, quam *Joannes Tilius* primus Senatus Parisiensis Actuarius, vir Juris, ac Historiæ peritus consutavit, cujus Scripto, auctore *Michaelo Hospitalio* Franciæ Cancellario, hic postea delatus est honos, ut inter Constitutiones Regias referretur.

Ambasiana conjuratio.

Motus ob Regni administrationem excitati in apertam conjurationem eruperunt, specie quidem eam a *Guisiis* ad Regii Sanguinis Principes transferendi, revera ad hæresim, extincta Religione Catholica per totum Regnum stabiliendam, Regemque adolescentem occupandum, cujus postea nomine seditiosi Regnum pro arbitrio administrarent. Conjurationis *Caput mutum* erat, qui tunc nominari nollet, *Gondæus* Princeps Navarri Regis frater, incentor sub ejus auctoritate præcipuus *Godofridus Barrius Renaudius*, Petrocorius. Ambasiam confluebant Conjurati, Regem inde abducturi, & *Guisios* oppressuri. *Guisiis* conjuratione a *Petro Avenello* Parisiensi Causidico detecta, Religionis, Regis, Regni, suæque securitati, datis ad Præfectos urbium literis, & armata Nobilitate, consulebant. Vocati interim a Regina Matre *Colinius* Maris Præfectus, & *Andelotus* ejus fratres, Peditatus Gallici Tribunus, qai una cum fratre Cardinale Calvinianæ Superstitionis sectatores fautoresque præcipui erant, & *Guisiorum* hostes acerbissimi quasi ad consiliam super illa conjuratione, ad Regis patriæque salutem præbendam, suggesserunt, ut propter immensam Calvinianorum multitadinem, qaæ vi coerceri non posset, supplicia Religionis ergo instituta remitterentur, donec universalis auctoritate Concilii controversiæ de ea susceptæ componerentur. Quamobrem Regium Edictum quinto Idus Martii, 1560. conditum est, quo sanxit Rex ne qois amplius ad supplicium ob Calvinianam Superstitionem raperetur, modo imposterum Romanæ Religionis Instituta Ritusque sequeretur; exclusis nihilominus ab hujus Edicti gratia Calvinianis Ministris & Concionatoribus, quotquot adversus Regem, Regis Matrem, ac Fratres, Regiam Stirpem, Regios Domesticos, Regiorumque negotiorum Administros conspirassent. Istud Edictum habes adud *Fontenonem* Tom. 4. Tit. 7. & Tom. 6. Commentariorum Cleri Gallicani. *Guisiorum* prudentia, vigilantia & virtute, Ambasiana conjuratio dissipata est: supplicia de reis sumpta. *Guisio* Duci, ob rem optime gestam, Summa totius Regni præfectura, tam præsente quam absente Rege, ab ejus Majestate collata, idemque ex Senatusconsulto *Patriæ Conservator* appellatus.

Edictum Romorantinum.

Mense Majo Edictum Romorantini a Rege datum, quo criminis hæreseos cognitio Episcopis attributa, Regiis Magistratibus adempta est. Vetitum etiam ne quis per conventicula aut coitiones illicitas de Religione dissereret, aut seditionem moveret, armatosve cogeret, sub pœna læsæ majestatis in reos consciosque a Judicibus Regiis decernenda. Episcopis demum & Parochis in Diœcesibus suis & Ecclesiis imperata mansio, ut in Catholicæ Religionis conservationem, & hæresis extirpationem incumberent.

Nova in Guisios conjuratio.

Secundum hæc, nova in *Guisios* conjuratione detecta, cujus Duces erant *Antonius* Rex Navarræ, *Ludovicus* Princeps *Condæus* ejus frater, *Mommorantius* Magister Equitum, ejusque nepotes *Castillionei* fratres, *Cotharma* Regis Mater, fœmina ambitiosa & natura dissimulatrix, *Guisiis* tacite invidebat. *Condæo*, & *Castillioneis* clam favebat, ut iis pro rerum suarum opportunitate uteretur; utque *Guisiorum* auctoritatem horum oppositione moderaretur; ipsa vero inter utriusque factionis motus majorem sibi potestatem afferret.

Conventus ad Fontemblaudi.

Hæc itaque de consilio *Hospitalii* Cancellarii, & *Castillioneorum*, Conventum Principum ac Procerum ad Fontemblaudi indixit ad 12. Kalendas Septembris ejusdem anni 1560. in quo de Religione, de Regio Ærario, de Populo in obsequio continendo deliberaretur. *Colignius* Maris Præfectus Libellos Calvinianorum querimonias continentes eo in Conventu Regi obtulit,

quibus

quibus a quinquaginta millibus subscriptum iri, si opus esset, arroganter dixit. *Joannes Monlucius* Valentinus Episcopus, & *Carolus Marilhacus* Archiepiscopus Viannensis, ambo in Novam reformationem propensi, de Concilii Nationalis necessitate, cum Generale tunc celebrari non posset, urgeretque malum, nec-non de trium Ordinum necessaria convocatione, ut hinc Religioni, illinc Reipublicæ consuleretur, verba fecere. Dux *Guisius* Religionis controversias ad Theologos, Comitiorum Regni convocationem ad Regis arbitrium rejecit. *Lotharingus*, Cardinalis, in oblatos a Thalassiarcho Calvinianorum libellos invectus, Regem eorum postulatis de Templis ad Conventus suos habendos annuere non posse respondit, integro *Christianissimi* nomine quod a Majoribus suis hæreditarium habebat, & sine salutis æternæ periculo. Quinquaginta millibus, quæ libellis subscriptura minatus fuerat *Thalassiarchus*, Regem decies aut vicies centena millia antiqua Religionis retinentissima oppositurum. Singulos Episcopos in suis Diœcesibus vigilantia sua & auctoritate id efficere posse, quod a Concilio Nationali expectaretur. Conventum trium Ordinum probare se, ut omnes exploratum haberent quanta sinceritate, prudentia & fide Regnum administraretur. Regni itaque Comitia in quartum Idus Decembris Meldis indicta; jussitque Rex, ut quandoquidem Summus Pontifex, Imperator, cæterique Catholici Principes de totius orbis Christiani Concilio propemodum convenerant, Episcopi ad quartum Idus Januarii ad Comitatum accederent, inde ad Concilium Œcumenicum profectari, aut si de illo non convenirent, de totius Galliæ Concilio deliberaturi: in suas interim Provincias singuli redirent, Sacris Libris evolvendis operam darent, & quid in moribus emendandum esset, animadverterent. Prætores etiam, Præfecti, & Seneschalli in suas Provincias & Præfecturas abirent, de omnibus, quæ illic agebantur, inquisituri; nec ullos tamen nisi seditionis reos supplicio affecturi.

Ordinum Conventus Aureliæ.

Cum vero Calviniani per omnes fere Provincias urbes occupare tentarent, & cuncta seditionibus, cædibus, rapinis, sacrilegiis complerent, Rex Trium Ordinum Conventum, Meldis indictum, Aureliam transtulit, cives ad res novas propensos coerceret. Ibi in Sanctiore Consilio decratum est, ut omnes Fidei suæ Professionem ederent, ut a Sorbonicis Theologis anno 1542. dictata fuerat. Pœna proscriptionis in rebelles decreta. *Condæus* Princeps comprehensus & custodiæ traditus, demumque a Commissariis una cum Cancellario a Rege deputatis, Majestatis damnatus est, crimenque capite luisset, secundum latam a Judicibus Sententiam, nisi mors Regis repentinam rebus mutationem attulisset. Obiit ex apostemate in aure sinistra

Francisci II. obitus & elogium.

enato, Ecclesiæ Sacramentis religiose perceptis, Nonis Octobris anni 1550., ætatis 17. nulla relicta prole, multo vero sui desiderio, *Regis sine ullo vitio* nomen promeritus. Hoc anno ineunte, auctor ipsi fuerat *Olivarius* Cancellarius condendi Edicti, quo omnibus Judicum Collegiis injunctum est, ut uno ex ipsis vita functo, cæteri de Successore deliberarent, & tres, quos potissimum idoneos ducerent, Regi nominarent, nominationemque hujusmodi a Collegii Scriba subscriptam ad Regem mitterent, ut ex tribus unum deligeret, qui in demortui locum succederet. Hoc Edicto Munerum venalitas maximo Reipublicæ commodo & justitiæ bono sublata fuisset, virisque doctis & probis demandati Magistratus, nisi perturbatis temporibus ejus executio fuisset impedita. Quæ de *Francisci Secundi* Regno diximus, ex *Belcario* lib. 28. Commentariorum, *Tuano* lib. 23. & 24. Historiæ, *Fregio* in Paralipomenis Gallicanæ Historiæ, *Belleforestio*, & aliis excerpta sunt.

ARTICULUS IX.

De Carolo IX.

FRancisco II. successit frater ejus natu proximus *Carolus*, annum agens ætatis decimum, quicum per ætatem incapax esset administrationis Regni, *Catharina* Regina Mater verita ne illa *Antonio* Navarræ Regi deferretur in Trium Ordinum Conventu, utpote primo Regii Sanguinis Principi, adeo artibus suis fœmina solers juxta & ambitiosa utrasque factiones tam Religionis quam Politiæ, Navarræi scilicet Regis, *Condæi* Principis, & *Castillioneorum* fratrum ex una parte; *Memmorantii* Equitum Magistri, *Monpenserii* Ducis & *Guisiorum* ex altera, seorsim sibi de-

Catharina Regina Matris artes politicæ.

vinxit, ut optatam Regni Procurationem, cedente Navarro, obtinuerit; cujus retinendæ studium ipsi fuit Religione ipsa antiquius. Nocuit enim sæpe Religionis Catholicæ rebus, ut auctoritatem suam tueretur. Celebrata statim Aureliæ Comitia. *Condæus* Princeps absolutus, & carcere liberatus. *Memmorantius* interim Magister Equitum, *Guisio* Duci reconciliatus, cum eodem & *SanctAndreano* Mareschallo ad tuendam veterem Religionem fœdus init, posthabitis necessitudinibus illo symbolo incitatus quod a Majoribus acceperat: *Primum Christianum Deus adjuvet*. Hoc *Triumviratu* res Catholica in Gallia stetit inter bellorum civilium tempestates. Triumvirum auctoritatem ut deprimeret Regina Mater, imperitandi libidine Calvinistis favit, & eorum precibus annuens Diploma Regium misit ad singularum Provinciarum Præfectos, quo inter alia sancitum est, ne *Papistarum* vel *Hugonottorum* seditiosa vocabula usurparentur. Qui Religionis causa ante primum pro Novæ Persuasionis Sectatorum libertate conditum Edictum vincti essent; statim solverentur. Qui eamdem ob causam a *Francisco* I. tempore Regno pulsi essent, iis revertendi facultas esset, modo Catholice & sine offensione viverent. Ne Rescriptum istud Lutetiæ promulgaretur, Senatus intercessit, primum quod contra morem ad Præfectos, non ad Supremas Curias missum esset; secundo, quod per illud est æquis Religionis libertas concessa videretur; tandem quod magnis turbis occasionem daturum esset. Executioni tamen præposterum illud Edictum mandatum est. Qui Religionis causa in carcere detinebantur, libertate donati; qui exules erant, revocati. Ita refert *Belcarius* lib. 29. Commentariorum. Hoc Edictum die 28. Januarii anno 1560. datum. Sic nempe numerabatur annus, nondum ante Pascha incipiens. Eodem mense, Rex Literas dat ad Genevenses, quibus postulat ut Ministros, omnes, Concionatores, & Novæ Persuasionis Doctores in Regnum ab ipsis missos revocent, nec ullos deinceps mittant; Ipsos quippe famosis libellis, concionibus, conventiculis, conjurationes & seditiones in plerisque Provinciis & locis conflasse, excitasse, incendisse. Hæc Epistola MS. habetur in Regia Bibliotheca.

Triumviratus ad Catholicam Religionem tuendam fœderatus.

II. Ingentes spiritus Calvinianis Indidit Edictum illud cujus meminimus, ac Principum freti patrocinio, Reginæ etiam Matris favore elati, in Provinciis Ecclesias occuparunt, Altaria everterunt, Sacras Imagines confregerunt, Sacerdotes mactarunt, sacrilegiis ac cædibus omnia fœdaverunt. Quarum seditionum occasione, *Lotharingi* persuasione Cardinalis, Rex in ipsis Inaugurationis solemniis, quæ Remis mense Majo facta est, ipso Cardinali Archiepiscopo Remensi Sacris operante ad Senatum Parisiensem accedere decrevit, una cum Regina Matre, Principibus, Primoribus Regni, & Sanctioris Consilii Assessoribus, ut de remediis ad hos motus compescendos opportunis deliberaretur. Ea vicit in Senatu Sententia, quæ cognitionem de crimine hæreseos ad Ecclesiasticos Judices remittendam censebat, juxta Romorentinense *Francisci* Edictum: vetitis interim sub pœna capitis omnibus coitionibus & conventibus illicitis, cum armis aut sine armis, atque interdicta concionandi & Sacramenta administrandi libertate alio ritu ac modo, quam qui in Romana Ecclesia solemnis esset. Placuit insuper ut omnes ab injuriis, vique temperarent, Concionatores a verbis seditiosis abstinerent; qui injuriis, insultibusve, etiam specie Religionis, alios provocassent, aut seditionem quovis modo excitare moliti fuissent coitionibus, subscriptionibus, concionibus, conviciis, aggressionibus, a Regiis Magistratibus, toto Regno capite damnarentur. Placuit etiam ut criminis hæreseos dumtaxat ab Ecclesiasticis Judicibus convicti, & Regiis Magistratibus traditi, graviore quam exilii pœna minime damnarentur: Hæcque provisorie tantum obtinerent, donec Generalis vel Nationalis Concilii Sententia aliter statueretur. Præteritorum denique erratorum in causa Religionis veniam Rex concessit, modo imposterum Catholico ritu, & e Decessoribus Regibus observato viverent, qui hæreseos olim fuerant postulati. Hæc Edicto comprehensa, quod *Julianum* a mense dictum est, Julio quippe mense datum in Castro *S. Germani in Laya*, anno 1561. & habetur in Collectione *Fontanonis* Tom. 4. Tit. 7. pag. 264. & Tom. 6. Commentariorum Cleri Gallicani. Ordinum Conventus Aureliæ cœptus, Pontisaram translatus, in Castro *S. Germani* solutus est, Regni Administratione Reginæ Matri confirmata. Clerus quatuor decimas, quotannis in sexcennium pen-

Caroli IX. Edictum Julianum adversus Hæreticos.

Colloquium Poissiacense.

pendebat, ad æs alienum dissolvendum, Regi obtulit. Secutum est *Poissiacense Colloquium*, de quo supra diximus, Regis, Reginæ Matris, Principum, ac Senatus deliberatione & auctoritate decretum eo ipso consessu, quo de Juliani Edicti promulgatione consilium initum est; sed pessimo exemplo, & nullo fructu *Colloquium* hujusmodi indictum atque habitum.

III. Calvinistis ex Colloquio Poissiacensi in majorem audaciam erectis, & sub *Condæi* Principis, *Castilionei* Thalassiarchi, aliorumque Procerum protectione, non jam conventicula, sed publicos conventus contra *Julianum Edictum* agentibus, in quibus & novum Evangelium prædicabant, & Cœnam suam celebrabant, multisque seditionibus ea occasione excitatis, *Hospitalius* Cancellarius captata opportunitate absentiæ *Guisiorum* & *Memmorantii* Equitum Magistri, qui pro Catholicis partibus firmi stabant, assentiente Regina Matre in Calvinianorum partes invidia Triumviratus propensa, *Juliani Edicti* abrogationem meditatus est. Vocatis igitur in Consilium ad Castrum *S. Germani in Laya* selectis ex omni Senatu Præsidibus ac Senatoribus, die decima septima Januarii 1562. Edictum Regio nomine condidit, quod *Januarium* a mense nuncupatum est, cujus hæc fuerunt capita. Ut novæ Religionis homines, Templa, domos, prædia, bona omnis, spolia atque donaria Ecclesiasticis adempta restituerent; & ab iis in posterum, pariterque a Templis, Crucibus, Sacris Imaginibus evertendis abstinerent: Intra urbes, cœtus, conciones, & publicas preces habere, aut Sacramenta administrare clam vel palam noctu vel interdiu nullo modo possent: Extra urbes Novæ Religionis exercendæ causa convenire, & conciones absque ulla molestia habere, & audire ipsis liceret, nulla habita Juliani Edicti ratione; idque provisorio Decreto, & ad Concilii Generalis celebrationem usque valituro: Nullas Synodos, Colloquia, vel Consistoria celebrari fas esset, nisi Magistratu permittente: Nullos ipsi Magistratus crearent, nullas Leges aut Statuta conderent, nullos delectus haberent, nullam pecuniarum collationem quavis ratione indicerent, Festa recepta, & gradus consanguinitatis, & affinitatis in Matrimoniis contrahendis prohibitos observarent: Eorum Ministri fidem suam jurejurando Magistratibus obstringerent de Edicto hoc servando, deque nulla doctrina in concionibus suis proponenda, quæ Niceno Symbolo, & Libris Veteris & Novi Testamenti adversaretur, & a conviciis in Missam & Ritus Ecclesiæ Catholicæ abstinendo. Quod Edictum quoad quædam capita magis explicatum est Regia Declaratione data ibidem, die 14. Februarii ejusdem anni. Senatus autem Parisiensis, antiquæ Fidei retinentissimus, ne promulgaretur Edictum intercessit per *Christophorum Thuanum Præsidem*, & *Guillelmum Violam* Senatorem, qui postea Parisiensis Episcopus factus est, explicatis Libello supplici causis, quibus adductus Senatus Edicti promulgationi assentiri non posset, nec deberet. At nihilominus eodem die Regia jussio Senatui significatur, ut absque mora Edictum promulget, donec a Concilio Universali, vel a Rege fuerit aliter statutum. Cunctantibus Patribus, nova Jussione Kalendis Martii data Senatus urgetur; paretque tandem pridie Nonas ejusdem mensis, habita ratione temporum, absque approbatione nihilominus Novæ Religionis (ut expressis verbis declarat) provisorie dumtaxat, & donec aliter a Rege statutum sit. Edictum, Literas jussionis, & Senatusconsultum habes in Collectione *Fontanonis* Tom. 4. Tit. 5. pag. 267. & sequentibus, & Tom. 6. Commentariorum Cleri Gallicani. Missum ad alias pariter Curias Edictum, Divionensis nullo modo recipere voluit, ceteræ ægre, perpaucæ in Acta retulerunt.

Caroli IX. Edictum Januarium Calvinianis favens.

IV. Tumultu Vassiaci in Campaniæ finibus forte excitato, & Calvinistis circiter sexaginta cæsis *Condæus* Princeps belli civilis Classicum cecinit. Calviniani arma in Regem patriamque sumpsere. Pleræque urbes ab iis interceptæ, Aurelia, Rothomagus, Lugdunum, Pictavi, Andegavi, Bituriges, Turones, &c. Sacratæ Ædes eversæ, ac direptæ, violata Sanctorum Sepulchra, eorum excussæ Reliquiæ. Multis prœliis victi potius quam domiti sunt perduelles: celebriora fuere, Drocense, in quo victoriam Catholici reportarunt, æquali pene partis utriusque clade; *Condæus* Princeps a *Francisco Guisio* Catholicarum partium Duce captus, *Memmorantius* Magister Equitum vulneratus in manus hostium venit, *Sanctandreanus* Polemarchus Triumvirum unus cecidit. Prælium istud anno 1562. die 19. Decembris commissum est. De quo legenda *Belcarii* Metensis Episcopi Oratio, ad Tridentinæ Synodi Patres habita. Duobus ante mensibus Rothomagus ab Exercitu Regio fuerat expugnata die 26. Octobris. Ibi vulneratus *Antonius* Rex Navarræ Exercitus Regii Imperator, in lecto, succollantibus Helvetiis, per ruinam muri ceu triumphans, resonantibus æneis tympanis ingressus, 15. Kalendas Decembris Andelii ex vulnere obierat Sacramentali Confessione expiatus, & Eucharistiæ Sacramento ritu Catholico munitus, anno ætatis 40. unico filio relicto *Henrico*, qui postea Rex Francorum fuit ejus nominis IV. & gloriosis facinoribus *Magni* cognomen adeptus est.

Civile Bellum a Calvinistis incensum.

Prælium Drocense.

Mors Antonii Regis Navarræ.

Anno sequenti 1563. Dux *Guisius* Regii Exercitus Imperator, dum urbis Aureliæ obsidionem urgeret, a *Joanne Poltrotio*, quem *Castillionæus* Thalassiarchus subornarat, *Beza*, & alius Minister ad facinus audendum fuerant adhortati, proditorie vulneratus, sexto Kalendas Martias, Ecclesiæ Sacramentis procuratus, magna pietate & constantia obiit. Statim ab ejus nece, Regina Mater ad Pacem cum Hæreticis conficiendam, mitigato *Condæi* Principis animo, descendit. Regi quidem in multis indecora, Catholicis perniciosa fuit, longe turpior futura nisi *Memmorantii* Magistri Equitum virtus & constantia obstitisset, qui coram Regina & *Condæo* Principe, de Pace agentibus, contestatus est, numquam se consensurum ut Edictum Januarii vim haberet. Pactis itaque Conventis Reginam inter & *Condæum* Principem, novum Edictum Pacificationis, ut vocant, die 19. Martii Ambasiæ conditum, & paucis post diebus in Senatu Parisiensi promulgatum est cujus hæc erant capita; 1. Ut Nobilibus plenam Jurisdictionem in suis Toparchiis habentibus, libera ac publica Novæ Religionis professio in ipsorum ædibus permissa esset: Nobilibus vero reliquis idem liceret in suis domibus, & pro suarum familiarum usu, cum venia tamen Toparcharum, in quorum oppidis & pagis morarentur. 2. Ut in singulis Præfecturis, dempta Parisiensi, oppidum unum supplicantibus Novæ Religionis Sectatoribus a Rege designaretur, cujus in suburbiis, & nun alibi, Religionem suam publice profiteri ac exercere possent. 3. Ut in singulis urbibus, in quibus usque ad diem septimam Martii, quo videlicet de pace agi cœptum erat, Religionis causa libere convenerant, porro pergerent, in uno aut duobus locis ipsis assignandis, Sacris Catholicorum Ædibus exceptis quarum impetrata restitutio & libertas, ut cultus divinus Romanæ Ecclesiæ more ac ritu in illis exerceretur. 4. *Condæus* Princeps, bonus ac fidus Regis Cognatus, Regnique studiosus declaratus: & quicumque alii & ubicumque Religionis causa ejus partibus adhæsissent, venia donati, & in suis bonis, honoribus, gradibus, officiis, fama, conservati, aut restituti. 5. Idem Princeps ejusque Asseclæ ab omni pecuniæ Regiæ reddenda ratione, ab omni monetæ percussionis, bombardarum fusionis, bonorum tam Ecclesiasticorum quam profanorum ejus mandato captorum direptionis quæstione absoluti. Hoc Edictum legere est in Collectione *Fontanonis* Tom. 4. Tit. 7. pag. 272. & in Commentariis Cleri Gallicani, Tom. 6. Cum autem circa Edicti executionem controversiæ non paucæ oirenrur, ad ejus interpretationem alterum conditum ac promulgatum est, quo Rex concessam Novæ Religionis Sectatoribus libere conveniendi facultatem sic explicuit, ne id in iis locis liceret, quæ vel ex Ecclesiæ patrimonio nuper distracta essent, aut ad Sacerdotia pertinerent. Quod additum est contra Cardinalis *Castillonei* Bellovacensis Episcopi & Comitis, & *Sanromani* Aquensis Archiepiscopi conatus, qui Calvinismum publice professi, illum in sua quisque Diœcesi ac sacra ditione constituere omni studio nitebantur. Illud etiam caput, quo libertas conveniendi iis omnibus in locis tribuebatur, in quibus ad septimam Martii conveniebant, de iis urbibus explicatum est, quæ bellico præsidio a Calviniana factione tumultuosis temporibus tenebantur. Ad hæc, prohibitio de vetitis in Urbe & Præfectura Parisiensi Conventibus ita exposita est, ut eorum incolis fas non esset vicinarum Præfecturarum urbes, ubi Conventus permitterentur, adire, nisi & in eas ipsi domicilium transferrent. Insuper, adversus Monachos Apostatas, qui concessam conscientiæ libertatem ad se quoque pertinere contendebant, decretum est, ut qui Cœnobia superiorum motuum occasione, aut iisdem sedatis deseruissent, ea indulgentia non fruerentur, sed ad sua Cœnobia regredi, repudiatis, quas duxerant contra sacras Leges, uxoribus, aut Regni finibus excedere tenerentur. Hanc Declarationem die 14. Decembris an. 1563. datam, habes apud *Fontanonem* Tom. 4. Tit. 7. pag.

Mors Guisii Ducis.

Pacificationis Edictum Calvinianis temporum necessitate concessum.

pag. 276. Ejusdem Edicti altera Declarario a Rege data Russilione pridie Nonas Augusti anno 1564. quo etiam anno Regio Edictu cautum est, ut deinceps anni initium, more Romano, a Kalendis Januariis putaretur, & ita in omnibus Actis Instrumentisque publicis servaretur, cum antea Paschatis dies anno initium in Galliis daret.

Anni initium.

Anno 1566. Januario mense *Molinis* Conventus Procerum, præcipuorumque Regni Ministrorum, Cardinalium item & Episcoporum aliquot, nec-non selectorum ex omnibus Regni Senatibus Primariorum Virorum habitus est, ibique ad Judiciani Ordinis emendationem, litium resecandas ambages, & tranquillitatem publicam procurandam, celebre istud Edictum conditum est, mense Februario, *Molinense* a loco vocatum, quod octoginta-sex capita complectitur. Inter alia Tutoribus permissum est in Judicio repetere, quod eorum pupilli ludo amisissent. Confraternitates ratione conventiculorum & conviviorum difficillimis illis temporibus suspectæ, sub pœna capitis vetitæ sunt: quamvis quod in ipsis pietatis est ac divini cultus nusquam fuerit a Christianissimis Regibus improbatum. In eodem Conventu *Guisiorum & Coliniorum* reconciliatio Regis auctoritate facta: sed fucatam fuisse demonstravit eventus.

Edictum Molinense.

V. Anno 1567. belli civilis incendium Calviniani renovarunt, *Condæo* Principe, & *Coliniis* Ducibus. Sandionysianum prælium quarto Idus Novembris commissum Regiis victoriam peperit. In eo *Mommorantius* Equitum Magister a *Stuardo* nobili Scoto occisus est, æterna memoria dignus Heros, qui vitam præclare actam pro Religionis Catholicæ, cujus semper se observantissimum & acerrimum vindicem præbuit, pro Regis ac Patriæ defensione, quorum salutem suis compendiis antiquiorem semper habuit, adversus affines & consanguineos suos, avitæ Religionis desertores, Regi perduelles, Patriæ hostes fera octogenarius, in acie victor occubuit. Eo flagrante bello Rupella a Rege defecit. Pax Carnuti facta die secunda Martii anno 1568. his conditionibus: Ut Edictum mense Martio anni 1562. pro libertata conscientiæ conditum, absque ullis declarationibus aut exceptionibus integrum maneret, adamussimque servaretur: quousque, Dei favente gratia, omnes Regis subditi ad ejusdem religionis revocarentur unitatem. Ut præteritorum tumultuum abolita memoria, auxiliares hostium copiæ dimitterentur, urbes ab ipsis occupatæ Regi restituerentur. Pacta Conventa quatuor Regis jussionibus compulsus Parisiensis Senatus in Commentarios retulit die 27. Martii aono 1568. Hoc Edictum habes in Collectione *Fontanonis* Tom. 4. Tit. 7. pag. 289. Arma brevi ab Hæreticis resumpta, acciti ab ipsis in auxilium Germani Protestantes & Angli, Regiæ urbes occupatæ; Sanctonum, Pictonum, Engolismensium, Aquitaniæ, Septimaniæ, Delphinatus Provinciæ belli civilis incendio miserum in modum conflagrarunt. Rex mitioribus Edictis perduellium animos in officio se frustra retinere conatum considerans, severiusque cum ipsis agendum ratus, gravissimum Edictum mense Septembri promulgavit, quo omnibus cujuscumque conditionis per universum Regnum, aliam quam Catholicæ Romanæ Religionis, quam Majores sui Reges Francorum semper coluissent, & ipse pariter coleret, professionem usumque, statuta capitis & proscriptionis bonorum pœna, interdixit. Aliud edidit die 25. ejusdem mensis, quo omnes Calvinianæ Superstitionis Professores Dignitatibus, Magistratibus, & Muneribus publicis abdicati sunt, ad quæ illis dumtaxat pateret deinceps aditus, qui Catholicam Religionem profiterentur. Tertium quoque promulgatum est, quo Beneficiorum omnium ab iis datentorum reditus manu capi jussi. Quæ & alia Novæ Religioni incommoda Edicta tunc a Rege data, legere est apud *Fontanonem* Tom. 4. Tit. 7. pag. 292. 294. & seqq.

Bellum Civile a Calvinistis renovatum. Prælium Sandionysianum. Mors Mommorantii Equitum Magistri.

Pax.

Arma ab Hæreticis resumpta.

Nova Caroli noni in Hæreticos Edicta.

Annus 1569. Jarnacensi prælio celebris fuit, quo Princeps *Condæus* perduallium Dux Calvinistarum cæsus: Regio ab Exercitu, cujus Imperator erat *Henricus* Andium Dux, Regis Frater insignis victoria reportata est. Rex Metis eventum belli præstolatus, secundum actas Deo Exercituum gratias, Judæorum Synagogam solo æquavit, atque suos Ritus ea in urbe exercere prohibuit. Post *Condæi* mortem, summa rerum *Colinio Thalassiarcho* a perduellibus collata, qui nomine & auspiciis Principum *Henrici* Bearnensis, filii *Joannæ* Reginæ Navarræ, & alterius *Henrici* filii *Condæi* Principis, Exercitum duceret. Germani Protestantes magno numero in auxilium Calvinianorum perduellium venere sub Bipontini Ducis Imperio. Cusa aurea moneta, cujus in antica parte *Joannæ Navarræ* & *Henrici* filii ejus, quem Summum fœderati Gallici exercitus Ducem dicebant, expressa effigies, cum hoc in postica elogio: *Pax certa, victoria integra, mors honesta*. Regi quinque etiam millia Germanorum Equitum, Duce *Philiberto* Badensi Comite, & missæ a *Pio V.* Sanctissimo Pontifice auxiliares copiæ quatuor millium & 500. Peditum, Equitum 900. Duce *Sfortia* Comite *S. Flora*, mille insuper Pedites & Equites ducenti a *Cosmo* Florentiæ Duce, eodem Pontifice auctore, directi militabant. Commissæ acies ad *Moncotorium* in Pictonibus quinto Nonas Octobris, cæsi magno numero perduelles, plena gavisus est Regius Exercitus victoria. Pax confecta sexto Idus Augusti 1570. his conditionibus: Ut præteritorum memoria obliteraretur; Calvinistis liberum esset publica Religionem suam profiteri & exercere absque impedimento & molestia, præter quam in Aula, Regia Urbe, aliisque locis, temporibus, & legibus, in Edicto expressis: in bona; honores, Dignitates, & Munera publica restituerentur: par esset illorum & Catholicorum in publicis oneribus ferendis conditio, nec aliis alii amplius gravarentur. Quatuor urbes securitatis causa iis attribuerentur, *Rupella*, *Montalbanum*, *Cognacum*, & *Charitæum*, quas *Navarrus* & *Condæus* Princeps, ac viginti Nobiles earumdem partium a Rege designandi, post biennium se restituturos jurarent. Legi potest Edictum de his datum in Castro *S. Germani in Laya*, mense Augusto, in Collectione *Fontanonis* Tom. 4. Tit. 7. pag. 300. & in Commentariis Cleri Gallicani, Tom. 6.

Prælium Jarnacense. Mors Condæi Principis.

Prælium Moncotoriense.

Pax confecta. Edictum Pacificationis.

IV. Anno 1592. *Henrici Borbonii* Navarræ Regis Nuptiæ cum *Margarita Caroli IX.* Sorore celebratæ. Calvinianorum cædes Lutetiæ nono Kalendas Septembris, die *S. Bartholomæo* sacro inchoata, & in plerisque Galliæ urbibus eo exemplo perpetrata, cujus invidiam in *Guisios* primum Rex rejecit, mox suo jussu & auctoritate factam declaravit in Senatu, ubi & *Colinius* Thalassiarchus, a quo ea cœperat, ceu Majestatis reus, publicæ tranquillitatis hostis, & initæ contra Regem conjurationis auctor, (cujus ad præpediendum effectum stragem illam Hæreticorum ed tam fuisse vulgatum est) Senatus-Consulto damnatus. Rex Navarræ, & *Condæus* Princeps, a Rege servati, hæresim ejurarunt. Stragem illam Hæreticorum, qua & plures Catholici inimicorum gladiis impune perempti fuere, plerique, ceu a Christiana mansuetudine alienam, improbarunt. *Joannes Hennuyerius* Ordinis FF. Prædicatorum, Theologus Parisiensis, Regi *Henrico II.* olim a Confessionibus, & *Antonii* Navarræ, Regis Præceptor, tunc Lexoviensis in Normannia Episcopus, Regii Mandati executionem suspendi ab urbis præfecto obtinuit, se nequaquam passurum contestatus, ut oves suæ, quamquam a Christi causa segreges, necdum tamen desperatæ, mactarentur; omnemque periculi aleam, quod Præfectus ab aula metuebat, si Jussionem Regiam exequi negligeret, in caput suum suscepit, intercessionis suæ cautionisque fide scripto confirmata, & Præfecto tradita. Optimi porro Præsulis charitas & clementia Calvinianorum adeo permovit animos, ut quotquot Lexovii degebant, in Ecclesiæ gremium redierint. Ita referunt *Sammarthani* fratres Tom. 2. Galliæ Christianæ, in Lexoviensibus Episcopis. Magis autem ex Symmistarum suorum cæde in aliis Regni urbibus exacerbati Calvinistæ, nova bella meditabantur, cum Regius Exercitus, cujus erat Imperator *Henricus* Dux Andium Regis frater, in *Rupella*, firmissimi hæreseos propugnaculi obsidionem incubuit, dum *Sancerras* in Biturigibus *Claudius Castreus* Provinciæ Prorex gravi pariter oppugnatione urgeret. *Sancerra* deditione receptæ. A Rupellæ obsidione, electo interim in Poloniæ Regem *Henrico* Andegavensi Duce sancitu per hanc occasionem pace discessum est. Paci conditiones fuere, ut Catholica Religio in urbe restitueretur: Rupellanis, Montalbanensibus, Nemausensibus, libera Novæ Religionis professio permitteretur: Nemini toto Regno de conscientia quæstio fierat: Nobilibus, qui Summam Jurisdictionem haberent, Conciones domi audire, & Sectæ ritus celebrare liceret. Pacta Conventa ineunte Julio firmata sunt anno 1573.

Calvinianorum cædes die S. Bartholomæi memoria sacro.

Joannis Hennuyerii Lexoviensis Episcopi clementia.

Novum Pacificationis Edictum.

Anno sequenti, nova conjuratio in Regem erupit, *Alenconio* Duce Regis fratre, cum Rege Navarræ, *Condæo* Principe, ac *Mommorantiis*, de recessu ab Aula cogitantibus, ad quos Hæretici nova bella moliti accessuri erant, & Regem intercepturi. De conjurationis incentoribus habita quæstio. Mortuus interim *Carolus IX.* die Pentecostes Maji 30. anno 1574. ætatis 25. Re-

Nova conjuratio.

Caroli IX. obitus.

Caroli IX. Elogium.

25. Regni 14. Summa rerum Reginæ Matri delata, donec Rex Poloniæ, Successor legitimus, in Gallias sediisset. Princeps fuit præclara indole, & magnis virtutibus prædītus, ingenio perspicaci & sagaci prudentia supra ætatem, ad iracundiam nihilominus præceps, quæ violenta & assidua equitatione ac vigiliis alebatur, cum venationi supra modum indulgeret; a venationibus vero cessans, saltationibus, pilæ jactatione, equis domandis, fabricandis armis, ferroque ac malleo versando desudaret, laboris ac inediæ patiens, ac fere abstemius, somnique modici; In Musicam, & Poeticam propensus versus & ipse scite pangebat, Poetasque in pretio habebat; quos tamen equorum generosorum instar ajebat alendos, non saginandos. Inter eos eminebat *Ronsardus* Nobilis Vindocinensis. Scripsit & egregium *De Venatione* Librum Rex *Carolus IX.* Sumpserat pro emblemate duas culumnas coronatas & intersertas, cum hac epigraphe: *Pietate & Justitia*, ut nulla esse his virtutibus firmiora Regnorum fundamenta significaret. Adfuere Christiane & pie morienti *Jacobus Amiotus* Episcopus Autissiodorensis, & Magnos Franciæ Eleemosynarius, ejus olim Præceptor, & *Arnaldus Sorbinas*, Doctor Theologus Parisiensis, ejus Majestati a Concionibus, postea Nivernensis Episcopus, qui & ipsum Funebri Oratione laudavit, & Vitam illius peculiari Commentario scripsit. Unicam ex uxore *Elisabetha Austriaca* filiam reliquit, seque gaudere dixit, quod ea ætate moriturus, nullos liberos Regni hæredes relinqueret, quippe qui proprio exemplo expertus esset, quam sit infelix Regum puerorum conditio, & quam deplorandus Regni status, cui pueri tempestates inter & tumultus præsunt. Paucis ante obitum mensibus, die scilicet 22. Januarii solemni Edicto confirmaverat, & in Senatus Parisiensis Commentarios referri, atque executioni mandari jusserat Articulos 46. a Clero Gallicano sua auctoritate ac mandatis congregato recens conditos, suæque oblatos Majestati pro reformatione Ecclesiasticæ Disciplinæ inter bellorum civilium tumultus & Hæreseos pestem valde labefactatæ. Codicem a Clero oblatum, Edictumque Regis habes Tomo 5. Commentariorum Cleri Gallicani, Tit. 11. pag. 494. & 507. De Gestis *Caroli IX.* & Bellorum civilium historia, quibus eo regnante Gallia conflagravit, legendi *Belleforestius* Lib. 6. *Jacobus Augustus Thuanus* in Historia sui temporis, *Henricus Caterinus Davila* in Historia Bellorum Civilium, *Lancelotus*, *Vossinus Poplinerias*, qui licet Sectam Calvinianam professus esset, Historiam tamen bellorum civilium fideliter ac sincere scripsit, non ad partium suarum decus. Unde ab ipsis Calvinianis in Synodo Rupellana anno 1571. improbata ac damnata est, ut refert *Genebrardus* in Chronico. Legi possunt & alii recentiores Historiæ Francorum Scriptores, & inter alios *Varillasius* in Historia *Caroli IX.*

SCHOLION.

In hoc Articulo, pag. 324. hanc velut meam propositionem notant Religiosi Censores: *Carolus Nonus nocuit sæpe Religionis Catholicæ rebus ut auctoritatem suam tueretur.*

R. De Carolo Nono id non scripsi, sed de Catharina Regina ejus Matre. Id certo norunt, quicumque Historiam vel a limine salutarunt.

ARTICULUS X.

De Henrico III.

I. HEnricus Poloniæ Rex, nuntio de morte *Caroli IX.* accepto, statim a Polonia in Gallias ad Regnum capessendum properavit, quod perpetuis in angoribus ac periculis rexit, domesticis pariter & externis agitatus tumultibus. Poloniæ Regno ipsum excidisse, Regni Ordines Stenziciæ congregati declararunt, in ejusque locum elegerunt *Stephanum Bathorium* Transsylvaniæ Principem, ea lege, ut *Annam*, *Sigismundi Augusti* sororem duceret. In Gallia *Franciscus* Dux *Alenconius* Regis frater defectionem fecit, anno 1575. Cum hoc *Henricus Borbonius* Rex Navarræ, & *Henricus Condæus* Princeps, cum non exigua Calvinistarum manu conjuncti conductis in auxilium Germanis Duce *Casimiro*, Palatini Septemviri filio novum Regi patriæque bellum intulerunt. Interventu *Catharinæ* Reginæ Matris pax in Bellilloci Cœnobio juxta Lochias in Turonibus confecta mense Maio an. 1578. Edictumque in favorem Seditiosorum & Hæreticorum conditum est non minus iniquum quam coactum, capita 62. continens, quorum præcipua erant; Ut præteritorum abolita memoria, & Catholicæ Religionis exercitio in omnibus urbibus & locis, in quibus intermissus fuerat, restituto, libera *Religionis Prætensæ Reformatæ*, tunc primum sic appellatæ, professio per universum Regnum permitteretur, dummodo per locorum Dominos liceret. Ut Synodos etiam seu Nationales seu Provinciales Sectæ suæ Calviniani celebrare possent, modo iis unus ex Regiis Præfectis interesset. Ut de Sacerdotum & Monachorum Apostatarum conjugiis jam contractis nulla amplius in foro controversia moveretur; liberi ex iis suscepti legitimi censerentur, & in bona mobilia & adventitia soli dumtaxat succederent, ab omni alia successione tam directa quam collaterali exclusi. Ut religionis Prætensæ reformatæ Professores ad Honores, Magistratus, & publica Munia non secus ac Catholici admitterentur. Ut in quolibet Senatu Classis Judicum bipartita constitueretur, in qua Judices ex utraque religione pari numero sederent, ac Jus inter Calvinianos & Catholicos dicendum, tam in civilibus, quam in capitalibus causis. Ut memoriam eorum, qui Novæ religionis, aut præteritorum tumultuum occasione, quocumque supplicio affecti essent, in integrum, eorumque hæredes in bona restituerentur. Ut omnium ad Ordinum querelas & monitiones audiendas Comitia Regni libera infra sex menses Blesis celebrarentur. Ut urbes in diversis Provinciis securitatis causa Calvinianis & Catholicis fœderatis traderentur. *Alenconio* Duci Bituriges, Turones, & Andes attributi. Multa etiam *Casimiro* Principi concessa. Declaratum quidquid illi præterito bello fecissent, in Regis obsequium ab ipsis factum. Quæ omnia fusius & expressius explicata legere est in Edicto quod editum est in Collectione *Fontanonis* Tom. 4. Tit. 7. pag. 307. & in Commentariis Cleri Gallicani, Tom. 6. Ad extaras copias e Regno emittendas cum multa pecunia esset opus, exhaustumque ærarium, Rex a *Gregorio XIII.* Pontifice Maximo alienandi Ecclesiæ bona ad summam quinquaginta millium aureorum annui reditus, facultatem obtinuit. Diploma Pontificium in Senatu Parisiensi die septima Septembris promulgatum est, absque tamen approbationn clausulæ ipsi insertæ; ut distractio bonorum fieret invitis etiam & repugnantibus possessoribus, & aliis quibusdam conditionibus additis in favorem Cleri. Diploma & Senatus-Consultum legere est Tom. 4. Parte 6. Commentariorum Cleri Gallicani Tit. 5.

Civile Bellum.

Pax.

Pacificationis Edictum non minus iniquum quam coactum in favorem Hæreticorum.

Henoticum fœdus.

II. Extortum ab *Henrico III.* in gratiam hæreticorum Edictum, Principum, Nobilium, Urbium, Provinciarumque Henoticum Fœdus, Catholicæ Religionis, Regiæque reverentiæ & auctoritatis tuendæ specie peperit, quam conspirationem hoc anno conceptam, ac deinde novis occasionibus firmatam, *Ligam* appellare consuevimus. Cujus quidem fœderis Rex non tam honesto quam necessario consilio Caput ac Principem se declaravit in Comitiis Blesensibus mense Novembri celebratis, quo auctoritatem omnem sibi vindicans, cæteros, qui eam ambirent, intra officii & obsequii jurati fines contineret. His in Comitiis de omnium Ordinum consilio a Rege decretum est, ut ad Catholicæ, Apostolicæ & Romanæ Ecclesiæ unitatem omnes Regiæ ditioni subditi revocarentur; quod Decretum Novis Calvinianorum motibus occasionem dedit, quamvis Rex publico Diplomate declaravarit se nec ipsorum bona sequestraturum, nec in eorum personas animadversurum, sed ab omni injuria & molestia tutos præstiturum, modo se domi quietos continerent. Arma itaque rursus in Regem sumpsere perduelles, *Casimirum* Palatinum in perniciem regni rursus solicitarunt cum Sueciæ, Daniæ, Angliæ Regibus, cum Germanis Protestantibus, cum Helvetiis Sacramentariis, adversus Regem, Patriam & Catholicos fœdus inierunt, Regias urbes priori bello occupatas retineates & alias porro invadere conati, Bello fracti, quod Regiorum Ducum virtute prospere gerebatur, pacem sibi optatam, nec ingratam Regi acceperunt, quæ ad Bergeracum in Petrocoriis cum Rege Navarræ Septembri mensa anno 1577. confecta est, & Pictavii die 5. Octobris a Rege confirmata. Edicto sancitum, ut Religionis Catholicæ exercitium in omnibus Regni urbibus ac locis restitueretur, unde ab Hæreticis eliminata fuerat; Calvinianæ publica professio iis in locis continuaretur, quæ tenebant, iis exceptis quæ hoc ultimo bello fuerant ab illis occupata: Liberum tamen illis esset, ubicumque vellent, commorari, nec ad aliquid conscientiæ suæ repugnans cogerentur quoad Religionis professionem: ac nihilominus Catholicorum Festos Dies, & in matrimo-

Comitia Blesensia.

Novi Calvinistarum perduellium motus.

Pacificationis Edictum Pictaviense.

trimoniis contrahendis gradus consanguinitatis & affinitatis ab Ecclesia Catholica, Apostolica, & Romana præscriptos observare tenerentur: Magistratus & Munera publica gerere possent: Judicandis Calvinianorum litibus Camera in singulis Parlamentis erigeretur, in qua non æquali (ut olim) numero utriusque Religionis Senatores, sed majore Catholici sederent. Addita sunt & alia capita superioribus Pacificationis Edictis fere comprehensa. Istud autem habes in collectione *Fontanonis* Tom. 4. Tit. 7. pag. 318. & Tom. 6. Commentariorum Cleri Gallicani. Occitani, Aquitani, & Delphinates Calviniani Edicto non parebant, nec ab hostilibus actibus temperabant. Quamobrem *Catharina* Regina Mater, Cardinalis *Borbonii*, Ducis *Mompenserii*, Delphini Principis, & aliorum e Sanctiori Regis Consistorio, comitatu & consiliis adjuta, Neraci cum Rege Navarræ congressa est, Februario mense, anno 1579. ut de mediis ad Edicti postremi promovendam executionem conducibilibus cum ipso, & *Condæo* Principe, aliisque factionis ejusdem conveniret. Cujus collationis Capita, & Edicta in eorum confirmationem data, apud *Fontanonem* Tom. 4. Tit. 7. pag. 330. & sequentibus, & Tom. 6. Commentariorum Cleri Gallicani legi possunt.

Equestris Ordo Spiritus Sancti ab Henrico tertio institutus.

III. Equestrem *Sancti Spiritus* Ordinem anno ineunte 1579. *Henricus* III. instituit, seu recens institutum solemni Torquatorum Equitum & Commendatorum creatione, ac sacra Supplicatione celebravit die prima Januarii, cum in memoriam duplicis Coronæ ipsa die Pentecostes Dei providentia sibi collatæ, cum ut Catholicos Proceres hujus honoris insignibus & præstandi ab illis Sacramenti Religione sibi arctius obstringeret. *Ludovici* Hierosolymorum & Siciliæ Regis, qui anno 1352. ejusdem nominis Ordinem condiderat, exemplo, cujus Institutionis Diploma Veneti *Henrico* Regi e Polonia redeunti exhibuerant, ipsum hunc Ordinem instituisse certum est.

Cleri Gallicani Conventus Melodunensis.

Eodem anno Kalendis Septembris, Cleri Gallicani Conventus cum Regis licentia Meloduni celebratus, Ecclesiasticam Disciplinam temporum injuria collapsam saluberrimis Decretis instauravit. Edita sunt Tom. 1. Commentariorum Cleri Gallicani. *Arnaldus Pontacus* Vasatensis Episcopus; & *Nicolaus Angelerius* Briocensis in Aremorica, ille cum selectis ex primo & secundo ordine Deputatis, iste cum universis Præsulibus, aliisque Ecclesiasticis Viris, qui Melodunensi Conventui interfuerant, Cœtus universi nomine gravissimas ad Regem Orationes habuerunt, quibus duo potissimum remedia curandis Ecclesiæ Gallicanæ malis idonea proposuere, scilicet Disciplinæ collapsæ restaurationem, & dignorum Præsulum delectum. Ad Disciplinam restituendam, Tridentini Concilii per omnes Regis ditiones promulgationem supplices postularunt, quam Sacer Ordo in Comitiis Blesensibus rogaverat: ad optimorum Præsulum delectum, Sacrarum Electionum restitutionem optandam significarunt. Quam fœda tunc esset Gallicanæ Ecclesiæ facies, hæresum grassatione, perturbatorum temporum injuria, Regis incuria & socordia, qui lusui & voluptati mancipatus, Ecclesiam negligebat, ex istorum Antistitum Orationibus manifestum est. Viginti & octo Archiepiscopatus & Episcopatus Præsulibus destituti erant, Cœnobia innumera Abbatibus, nulla in iis divini cultus habita ratione sive cura, profanis ab hominibus, quin etiam a mulieribus tenebantur, dilapidabantur. In Occitaniæ & Aquitaniæ Provinciis, in quibus sex & triginta Diœceses numerantur, nullum anno proxime elapso Chrisma fuerat consecratum, seu ob Episcoporum absentiam, seu ob paucorum admodum in suis Ecclesiis manentium ægritudinem, seu ob Ecclesiarum vacationem; & ad Chrisma quærendum Pyrenæorum juga superare, in Hispanias penetrare necesse fuerat. Beneficia impune vendebantur. Abbatiæ fœminis in dotem assignabantur, post earum obitum in hæredes æquis portionibus dividendæ: tam infamis corruptela vidente Rege, Consilio ejus probante serpebat. Denique eo progressum erat malum, ut Aulici adulatores Regis familiaritate & gratia abusi, ejus Majestati persuasissent nobiliorum & opulentiorum Beneficiorum in Commendas laicas erectionem; ejusque etiam nomine Annatæ Sacerdotiorum vacantium percipi cœpissent. Hæc & alia mala ac scandala stylo vehementi & libero Præsules Religiosissimi Regi exposuerunt, atque pia Cleri consilia de Ecclesiæ reformatione, & Disciplinæ instauratione, auctoritate sua juvaret, supplicarunt. Extant istæ Orationes, & expostulationes aliæque variis temporibus & occasionibus a Cleri Deputatis ad eumdem Regem habitæ, Tomo 5. Parte 7. Commentariorum Cleri Gallicani.

Cleri supplicationibus respondit Rex: Justis de causis, quæ adhuc starent, Concilii Tridentini promulgationem a *Carolo* IX. Fratre ac Decessore suo concessam non fuisse, nec magis a se posse concedi Jus Nominationis ad Archiepiscopatus, Episcopatus, & Abbatias Concordatis inter Sedem Apostolicam & Reges Decessores suos pactis firmatum abdicare se non posse: at curaturum ut dignæ & idoneæ personæ Ecclesiis præficiantur, juxta Edictum in Blesensibus Comitiis datum. Cæterum Cleri Postulata circa Disciplinam, Jurisdictionem, & Immunitates Ecclesiasticas confirmavit Edicto dato Parisiis an. 1580. Februario mense, & in Senatu promulgato die 5. Martii. Extat To. 5. Commentariorum Cleri Galicani parte 8. tit. 11. pag. 517.

VI. Dum Rex Cleri postulatis facilem se præberet, Disciplinæ restaurationem auctoritate sua promoveret, Jurisdictionem ac Immunitatem Ecclesiasticam Edictis suis tueretur, de Ecclesia bene mereri satageret, maximam ipsi apud ferventiores Catholicos invidiam concitavit *Genevæ*, quæ sentina erat Calvinianæ hæresis, & præcipuum omnium Apostatarum & Impiorum confugium, Fœderatorumque Helveticorum suscepta protectio an. 1579. Nec propterea Calviniani in Galliis a

Genevæ protectio a Rege suscepta.

tumultibus temperarunt. Navarrus *Cadurcum* civitatem Episcopatu & Academia insignem ea improviso aggressus, expugnavit, diripuit. Aliorum oppidorum in Aquitania, Pictonibus, Sanctonibus, Septimania, & Delphinatu occupationes, direptionesque, sequutæ. *Condæus* Princeps in Angliam, Belgium, Germaniam, auxiliares copias conscripturus convolaverat. Rex habito

Civile Bellum.

delectu triplicem Exercitum Ducibus *Bironio* Polemarcho, *Carolo Lotharingo* Maynix Duce, *Jacobo Matignono* etiam Polemarcho, in Aquitaniam, in Delphinatum, & ad *Feram* Veromanduorum, quam *Condæus* occupaverat, obsidendam immisit. Atque insuper ut Hæreticis omnem excusandæ perduellionis ansam præriperet, Diplomate die tertia Junii anno 1580. promulgato Edicta superiora in ipsorum gratiam facta confirmavit, addita Sanctione, ut qui beneficio eorum uti vellent, domi ab omni injuria securi manerent; & qui illis molesti essent, a Magistratibus plecterentur. Bellum ab Hæreticis temere susceptum, cum illis infeliciter cederet, Rex Navarræ ad pacem faciendam se

Pax confecta.

difficilem non præbuit, quam optabat, & *Franciscus* Dux Andegavensis Regis Frater, ab Ordinibus Belgii ad eorum defensionem evocatus. Hinc impetrata a Rege facultate, in Petrocorios concessit, de pace cum

Flex.

Navarro acturus. Collatio ad Flexiam *Gursonii* comitis domum habita, cui & Dux *Mompenserius*, & *Pompontus Bellevræus* Regis nomine aderant. Post multas difficultates, in certa capita transactum est, die 26. Novembris, eaque Edicto confirmata, quod Rex 26. Decembris Blesis ratum habuit, & a Senatu Parisiensi die 26. Januarii anno sequenti promulgatum est; quo & Edictum Septembris anni 1577. & Collationis Neracianæ capita confirmabantur, cum nonnullis ampliationibus. Edictum illud & Flexianæ Collationis capita habes in collectione *Fontanonis* Tom. 4. tit. 7. pag. 335. & sequentibus.

Cleri Gallicani Comitia.

V. Anno 1582. Clerus Gallicanus Parisiis congregatus Sacræ reformationis negotium apud Regem prosecutus est, perorante *Reginaldo Belnensi*, Bituricensi Archiepiscopo, qui Sacri Conventus nomine publicationem Tridentini Concilii, & restitutionem Electionum, ceu duo ad constituendam Disciplinam conducentia ab ejus Majestate rogavit. Rex de Concilii promulgatione mature se deliberaturum respondit; Electionum propositionem commotiori animo elusit: sex alia Cleri postulata confirmavit Edicto dato ad Fontemblaudi mense Julio ejusdem anni. Extat Tom. 6. Commentariorum Cleri Gallicani, tit. 11. pag. 529. Oratio vero Bituricensis Archiepiscopi pag. 41. ejusdem Tomi. Eadem rursus a rege postulavit Clerus Gallicanus Parisiis congregatus anno 1585. Sacri Cœtus nomine perorante *Claudio Angennio* Episcopo & comite Noviomensi, Pari Franciæ, die 14. Octobris. Sed in tam frequentibus urgentibusque religiosissimi Cleri postulatis de Tridentini Concilii promulgatione, semper addita ea exceptio est, ut Rex illud promulgari juberet, *Salvis Libertatibus & Immunitatibus Ecclesiæ Gallicanæ*.

VI. Anno 1585. Fœderati Galliæ specioso Fidei Catholicæ conservandæ obtentu, & impediendi ne Princeps Hæreticus in regnum succederet, si forte

Rex

Rex nulla relicta prole moreretur (obierat enim Dux Andegavensis Frater regis unicus, Jusque ad regnum *Henricum Borbonium* Navarræ regem proxime spectabat.) *Borbonio* Cardinali, ac *Guisiis* belli civilis facibus, arma sumpsere, nec se depositurος profitebantur, donec bellum cum Hæreticis decretum, in Supremis regni Curiis promulgatum, a rege, Principibus, ac proceribus, solemni Jurejurando approbatum esset. Qui interim Viroduno, Tullo, Lugduno, aliisque civitatibus in partes pertractis vel occupatis, bellum teterrimum toto regno incenderunt. Alia ex parte Navarrus & *Condæus* Princeps, qui tempestatem illam a *Guisiis* ferali in eos odio, & impotenti regnandi cupiditate animatis concitatam in se ruituram videbant, delectus habuerunt, ut se, Calvinianamque Sectam tuerentur. Quamquam Navarrus scriptis Apologiis, ad Regemque missis, Hæreticum pertinacem, & relapsum, (quod ipsi objiciebant Fœderati) se esse negaret, quippe qui doceri cuperet veritatem, si forte ab ea aberrarat, ac legitimi Concilii, in quo Calviniani audirentur, Decretis pariturum se profiteretur, & Abjurationem, post Sambartholomæam stragem factam, nullius esse roboris contestaretur, utpote a captivo metu mortis extortam.

Civile Bellum magis exardescit.

Rex ad eas angustias redactus, ut vel cum Hæreticis vel cum Fœderatis conveniret, ambabus factionibus dissipandis impar, suæque conscius debilitatis, & in dies timidior, interventu Reginæ Matris concordiam cum Fœderatis iniit, qua in summa decretum est, ut copiæ utrimque conscriptæ in Calvinianos converterentur, ac civitates & arcea, quæ in Fœderatorum erant potestate, penes eos permanerent. Secundum hæc, Edictum a Rege mense Julio conditum est an. 1585. quo sibi perspectum & exploratum esse dicens, divisos religione populos in civilib. a negotiis facile convenire non posse, & juxta Dei verbum, omne regnum in se ipso divisum ad ruinam inclinare: decrevit ut nullus deinceps toto regno alterius religionis usus esset, quam Catholicæ, Apostolicæ, & Romanæ; addita capitis, & bonorum proscriptionis pœna, Edictisque superioribus revocatis, quibus Novæ religionis libera professio Calvinianis concessa fuerat. Jussit insuper ut Calvinianæ superstitionis Ministri intra mensem; cæteri, qui Catholicam religionem profiteri nollent, intra sex menses regno excederent: omnis Magistratus incapaces essent: Cameræ Bipartitæ in Senatibus in eorum favorem erectæ abrogarentur: Urbes ipsis ad securitatem creditas statim ab Edicti promulgatione dimitterent. Quæcumque vero a Fœderatis per hos recentes motus tam in regno quam extra gestæ essent, tamquam studio religionis Catholicæ conservandæ ac tuendæ facta comprobavit. Mandavit denique ut omnes in verba Edicti hujus solemni Sacramento adigerentur, eaque de re publica conficerentur Instrumenta. Promulgatum est in Senatu, ipso rege sedente, die 18. Julii. Extat in Collectione *Fontanonis* Tom. 4. tit. 7. pag. 343.

Henrici tertii Concordia cum Fœderatis.

Edictum contra Hæreticos promulgatum.

VII. *Henricus* Rex Navarræ Militem (ut diximus) ex Germania conscripserat. Huic *Annas* Dux *Joiosæ* cum Regio Exercitu in finibus Petrocoriorum occurrit. An. 1587. Pugna ad Curtrasium commissa, qua cecidit *Joiosias*; victoria penes Navarrum fuit. Germani porro multis ab *Henrico* Duce *Guisio* lacessiti prœliis, ad *Alnetam* in Belsia profligati sunt die 24. Novembris. Hoc anno in locum *Stephani Bathorii*, qui superiori obierat, Poloniæ Rex electus est *Sigismundus* hujus nominis *Tertius*, *Joannis* Sueciæ Regis filius, & *Maximilianum Austrium* competitorem debellavit. Poloniæ Regis titulum *Henricus* Rex Christianissimus nihilominus retinebat, nec Jure suo se excidisse contendebat, id armis vindicaturus, si quando compositis Galliæ rebus licuisset. Anno millesimo quingentesimo octogesimo octavo perduellium Fœderatorum tumultibus Gallia mirum in modum dilacerata est. *Guisii* Ducis contra Regis prohibitionem, Lutetiam adventus, Helvetiorumque & Gallorum Prætorianorum in Urbem a Rege vitæ suæ securitati consulente, in quam non semel jam conjuratum erat, introductio Populum repente commovit. Commotio in seditionem, seditio in apertam defectionem erupit. Rex metu consternatus, in fugamque compulsus, Fœderatorum postulatis aures accommodavit. Edictum Rothomagi mense Julio ab ejus Majestate conditum est, quo de suo erga Religionem Catholicam eximio studio multa præfatus, ad Catholicorum concordiamanciendam, inprimis Juramentum, in Sacris Regiæ Inaugurationis præstitum renovat, de perpetua Religionis Catholicæ, Apostolicæ, & Romanæ Professione, & vita, si opus sit, ad ejus conservationem profundenda; de exterminandis toto Regno Regiisque ditionibus, Hæresibus universis & Schismatibus a Sacris Conciliis & præcipue a Tridentino damnatis; nulla umquam pace vel induciis cum Hæreticis sanciendis; nullo Edicto in eorum favorem condendo. Omnes etiam Principes, Proceres, Regni Ordines, civitates, cunctos denique tam Ecclesiasticos quam Sæculares ad exterminationem hæreseos pari Sacramento obstringere se jussit: Jurare itam, si Regem nulla relicta prole mascula mori contigeret, nullum Principem Hæreticum aut Hæresis fautorem, se in Regem admissuros. Declaravit insuper & promisit Rex, nulli se Officia Militaria collaturum nisi Catholicæ, Apostolicæ & Romanæ Religionis apertis Professoribus. Ad Præfecturas, Magistratus & munera publica admitti vetuit, nisi de quorum Religione Catholica, Apostolica & Romana, attestationibus Episcoporum, vel Generalium eorumdem Vicariorum, aut Parochorum, ac decem virorum integerrimæ fidei constaret. Regiam tuitionem Fœderatis promisit, addita conditione, ut cuncti Catholici cum Rege conjuncti Jurejurando sponderent, se debitam fidem Regi servaturos, ab omni fœdere ac societate huic pactioni, & Regiæ Personæ, vel auctoritati contrariis, tam intra quam extra Regnum discessuros. Tum pro bono pacis, & Religionis Catholicæ, Apostolicæ, & Romanæ, præteritorum motuum & injuriarum oblivio sancita. Hoc Edictum Rothomagi die 19. Julii, die vero 21. Lutetiæ in Senatu promulgatum est, & a Rege, omniumque Ordinum Catholicis, tam in Aula quam extra Aulam, solemni Sacramento confirmatum, quod etiam *Honoratus Laurentius* in Senatu Aquarum-Sextiarum Advocatus Catholicus, *Henotici* titulo singulari Libro laudavit, in quo multa de unica Religione retinenda, deque Hæresi armis extirpanda luculenter disseruit. Istud porro Edictum legere est in Collectione *Fontanonis* Tom. 4. Tit. 7. pag. 157. Fuere & alia nonnulla Regem inter & Fœderatos conventionis arcana capita, nimirum de Exercitibus adversus Hæreticos mittendis, ac Ducibus eorum constituendis, de Synodi Tridentinæ promulgatione salvis Juribus ac Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ, de urbibus securitatis a Fœderatis ad sexennium retinendis: de bonis Hæreticorum in belli usus distrahendis. Concessum insuper *Guisio* Duci supremum Exercituum Imperium toto Regno, nisi Rex in exercitu præsens esset; ipsumque Carnuti benigne Rex excepit. Verum novis postea suspicionibus odiique fomentis in exacerbato Regis animo male obducta cicatrix renovata est qui suam ab egregiis illis Fœderatis violatam Majestatem, eversamque auctoritatem non dolere non poterat. Videbat enim se necessitate compulsum, Regiam demissa Majestatem ad Pacta cum subditis suis, iisque perduellibus ineunda, sibique conditiones a Conjuratis præscriptas, & velut imperatas. *Guisios* hujus, aliarumque injuriarum auctores noverat. Suspiciones auxerunt literæ *Sixti V.* Pontificis Maximi ad *Borbonium* Cardinalem & *Guisium* Ducem, die 15. Julii scriptæ, & statim ab eorum emissariis publicatæ, quibus Pontifex, laudato utriusque in promovenda Religionis causa studio, Legatum a Latere se mittere significabat, cujus opera & auctoritate utriusque optimi conatus adjuvarentur, & quicum sua consilia bonum Religionis spectantia tutissime communicare possent. *Guisium* vero singulari elogio *Machabæis* comparabat, qui pro Patria, pro Templo, pro Lege Dei & Religione immortali cum laude decertarunt. Indictis interim celebrarique cœptis Blesis Regni Comitiis, cum nimiam *Guisiorum* potentiam, quam factiosorum favor in dies magis efferebat, tunc etiam Regem urgentium ut Magister Equitum, Ordinum Decreto Dux Guisius renuntiaretur, labefactatum Regis Imperium sustinere non valeret; & ab ipso *Henrici Guisii* fratre *Mayenio* Duce, & a nonnullis aliis ejusdem familiæ, *Guisii* fortunam ipsi invidiosam, Regi formidabilem, sibi odiosam, occulto livore prosequentibus secreto Rex moneretur a temerariis *Guisii* consiliis sibi caveret: facta demum fide consiliorum cum Romano Pontifice, cum Hispaniæ Rege & Sabaudiæ Duce a Guisiis initorum, atque molitionum ad fovendam in Regno specie Religionis seterrimam factionem ac civile bellum incendendum, ad Regiam Auctoritatem evertendam, ad fundamentales Regni Leges pessumdandas, *Guisios* e medio tollere Rex decrevit. Rei Majestatis erant, solitum Judiciorum ordinem servare in tanta omnium erga ipsos propensione periculosum videbatur: quamobrem ipsos a Stipatoribus suis Rex confodi jussit. *Henricus* Dux 23. Decembris, postridie *Ludovicus* Cardinalis ejus frater cæsi sunt, anno Christi 1588. Cardinalis

Novum Henrici tertii Edictum contra Hæreticos & ad Henotici Fœderis firmitatem.

Blesensia Comitia.

Guisiorum Principum cædes.

dinalis *Borbonius*, & *Petrus Espinacus* Lugdunensis Archiepiscopus, Guisianæ factioni penitus addictus, comprehensi & in custodiam traditi. Hic vitæ discrimen subiit, cujus gratia ipsi a Rege facta, rogante *Malinie Luxio* ejus nepote. Is porro coram delegatis Judicibus seu coram Cardinale *Gondio* Archiepiscopo Parisiensi, aut coram Episcopo Bellovacensi respondere jussus, constantissime respondit: In se Galliarum Primatem quæstionem haberi non posse, nisi a Summo Pontifice, aut Judicibus ab eo constitutis: rogare Regem ne conscientiæ suæ vim afferret. Si tamen Cardinali *Mauroceno* Sedis Apostolicæ Legato habita cum Præsulibus Blesis existentibus deliberatione, ita videretur, se ad respondendum paratum: sed scireot qui ita censerent, se, non Archiepiscopum Lugdunensem, Immunitatis Ecclesiasticæ violandæ auctores fore. Legatus autem Pontificius Regem adiens, Ipsum ob necem *Guisii* Cardinalis excommunicatum denuntiavit. *Borbonium* Cardinalem, & Lugdunensem Archipræsulem dimitti postulavit, ejusque Majestatem monuit, ut a Summo Pontifice errati veniam rogaret. Cui Rex Supremis Principibus licere respondit, cum de crimine læsæ Majestatis agitur, pœnas de omnibus suis subditis sumere.

VIII. Rex post *Guisiorum* necem exultabundus, Reginam Matrem ex morbo decumbentem adiit, se tandem nunc Regem esse prædicans: quæ imminentium præsensione quadam malorum, ab eo quæsivit an motus ex ea cæde oritoros prævidisset, suaque in omnes eventus disposuisset negotia; seque vereri ait, ne res eo statu non essent, quo ipse existimaret. Obiit anno sequenti ineunte, die 5. Januarii Fœmina Regnatrix. Interim Parisienses, qui Guisianum nomen pene adorabant, accepto *Guisiorum* cædis nuntio *Carolum Lotharingum* Aumaliæ Ducem Summum Urbis Præfectum constituerant. Concionatores in Regem impotenter debacchabantur, Dux *Nemerosius* Guisiorum frater uterinus, qui e custodia evaserat, Lutetiæ præsens pronos in seditionem animos irritabat. Rex Catholicos promereri, sibique magis obstringere studens, bellum contra Hæreticos vi quam antea majore gerendum statuit, ac promulgato in Comitiis Diplomate Catholicorum Unionem proximo Edicto factam confirmavit: Quod actum erat, id ob violatas illius Edicti Leges factum dixit, pœnaque ad mali auctores contracta, cæteros qui factionis participes fuissent ab omni quæstione immunes esse jussit, modo in posterum ab omnibus coitionibus, factionibus, & secretis molitionibus abstinerent. Quod Edictum ab Ordinibus solemni Jurejurando confirmatum est, anno ineunte 1589.

IX. Quin misera illa funestaque tempora æterno silentio præterire liceat, quibus teterrimæ factionis conjurationisque furor in sacra suggesta, in Pœnitentiæ tribunalia, in Monachorum austeriorum Cœnobia, in Doctorum celeberrima Collegia peoetravit, ac plerosque adversus Regem ceu tyrannum, hypocritam, & perfidum publicæ fidei, libertatisque Comitiorum violatorem, Concionibus, Consiliis, Scriptis, Responsis, Decretis animavit & ad defectionem solicitavit. Tunc Parisiensibus Theologis Libellus a factiosis oblatus est, Prætoria & Ædilium, civiumque Catholicorum nomine, quo quærebant an Galli Sacramento fidelitatis & obedientiæ *Henrico III.* præstito solvi possent? An tuta conscientia possent arma sumere, coire, pecunias colligere ad Religionis Catholicæ defensionem adversus ejusdem *Henrici* ac fautorum ejus nefaria consilia. Super quibus Articulis responderunt Theologi nonnulli die septima Januarii, primum, *Populum solutum esse a Sacramento fidelitatis & obedientiæ Henrico præstito: deinde, eum posse licite & tuta conscientia armari, uniri, pecunias colligere, &c.* Hancque Conclusionem ad Papam transmittendam decreverunt, ut eam Sanctæ Sedis auctoritate confirmaret, Ecclesiæque Gallicanæ gravissime laboranti opem ferret. Seditiosum illud ac ferale Decretum frustra quis objiciat contra Supremam Regum nostrorum auctoritatem: frustra quis ea eo probare aggrediatur hanc non fuisse semper Sacræ Facultatis doctrinam, quod Ecclesia nullam vel indirectam habeat in Regum temporalia potestatem, & quod subditi numquam a Sacramento fidelitatis & obedientiæ Regibus præstito absolvi possint. Istud enim Decretum, quamvis Facultatis nomine editum sit, Ordini tamen tam celebri, tam pio, tam erudito immerito affingitur. Septuagiota Magistri dumtaxat convenisse dicuntur: at multo plures erant Parisiis Doctores, & verisimillimum est solos Guisianæ factionis Magistros convenisse, quos Fœderati perduelles secundum vota sua responsuros certo scirent. Nec ex eo septuaginta Magistrorum numero omnes in extremam illam abiere sententiam, ut habet Decretum, sed *Joannes Faber* Decanus, ac seniores illius Conventus Magistri, juniores a tam præcipiti ac temerario consilio avertere conati, rem integram ad Summum Pontificem remittendam censuerunt, ut ex sinceris illius temporis Commentariis compertum est. Tertio, quamlibet liberam deliberationem fuisse factiosi prædicarint in Decreto tunc edito, certum est ex Historia, bonorum omnium & in Regis obedientia permanentium libertatem factiosorum tyrannide oppressam fuisse, cum *Achilles Harlæus* Senatus Princeps, & quinquaginta tam Præsides quam Senatores, ejus suasionibus & exemplo in Regis fide & obsequio constantes, e Senatu in custodiam ad Arcem Bastiliæ a factiosis abrepti: cum legibus inter arma silentibus, a Senatu parte reliqua, *Aumaliæ* Duce Urbis Præfecto imperante, jusjurandum pro defensione Factionis Henoticæ præstitum est: cum Henotica Factio Parisiis adeo prævaleret, ut Consilium creaverit ex quadraginta omnium Ordinum viris eidem Factioni addictissimis, qui de causæ communis (ut vocabant) negotiis decernerent: cum Dux *Meduanius* seu *Mayenius* illius Consilii Decreto Generalis Vicarius & Locum tenens Coronæ Franciæ constitutus est, penes quem esset summa belli negotiorumque potestas: cum insignibus Franciæ & Throno vacuo, ac inscriptione, *Sigillum Regni Franciæ*: inter hæc (inquam) liberam esse potuisse Theologorum Parisiensium deliberationem quis sibi persuadeat? Quarto, factiosi illi Magistri ad Decretum illud condendum variis rationibus ex Sacris Scripturis, Canonicis Sanctionibus, & Decretis Pontificum se inductos falso ajunt, ut populo fucum faciant. Quis enim vero Scripturæ locus, qui Canones, quæ Pontificum Decreta, obedientiam ac fidelitatem Jure Divino Regi debitam, pro subditorum arbitrio solvi posse, arma in Reges sumi, pecunias colligi, coitiones & fœdera iniri posse docent? Sane *Sixtus V.* Pontifex Maximus, ad quem Decretum illud seu Consilium miserant, ipsum ut temerarium improbavit, ut ipse *Claudio Angennio* Cenomanensi Episcopo Regis Oratori postmodum testatus est. Quinto, indirectæ auctoritatis Romanorum Pontificum in regum temporalia patronis non favet illud factiosorum quorumdam Theologorum responsum, cum ante ullum Decretum Pontificis in Regem, populum esse solutum a Sacramento fidelitatis & obedientiæ Majestati ejus præstito responderint: Quin etiam ulterius progressi, Regis nomen, & Orationes pro ipso in Missa recitari solitas induxerint, aliasque pro Catholicis Principibus substituerint. Sexto, Sacra Facultas Parisiensis frequentibus, justis, liberisque Comitiis, tranquillis temporibus deinceps non semel congregata, non solum doctrinam hujus Decreti, sed Propositiones indirectam Romani Pontificis vel Ecclesiæ auctoritatem in Regum temporalia, & potestatem exauctorandi Reges etiam Hæreticos vel Hæreticorum fautores, affirmantes, *ut falsas, erroneas, temerarias, seditiosas, Verbo Dei & Traditioni contrarias*, damnavit & proscripsit. Iniquus ergo in celeberrimum, sanctissimum, ac doctissimum Ordinem esset, qui Decretum seu Consilium, tumultuosis temporibus a factiosa juniorum quorumdam Magistrorum turba editum, Sacræ Facultati tribueret, ac velut ejus doctrinam obtruderet. Denique quod opinionis illius patroni in Reges Hæreticos aut Hæresis fautores Pontifici tribuunt, quodque sibi tribuebat *Sixtus V.* tunc in Cathedra *S. Petri* sedens, se non posse in *Henricum* III. agnovit, in quem Monitorium quidem paulo post decrevit ob *Guisiorum* cædem, & *Borbonii* Cardinalis ac Lugdunensis Archiepiscopi detentionem, quo Monitorio excommunicationis solum, non exauctorationis minas Regi intentabat. Multo minus id licitum erat subditis erga Regem sincere Catholicum, hæresis & Hæreticorum hostem & persecutorem acerrimum; qui temporum dumtaxat calamitate & rerum necessitate compulsus, Edicta quædam Calvinianæ factioni concesserat, ne Catholica Religio, & Regia Auctoritas ab ipsa in utramque armata penitus opprimeretur: qui denique inter dissolutos Aulæ mores, luxumque quo diffluebat, inter voluptates obscœnas, quibus prisca illius Ducis quondam Andegavensis virtus elanguerat, viresque emarcuerant, ut vix idem Rex factus agnosceretur, non solum Religionis Catholicæ, Apostolicæ, & Romanæ publicam professionem studiumque præ se tulerat semper ac servaverat; verum etiam quosdam pietatis in animo foverat igniculos identidem erumpentes, sive cum Ordinem *Sancti Spiritus*, sive cum Pœnitentium Sodalitia instituit, si-

Seditiosum quorumdam Theologorum Responsum.

Responsum illud Sacræ Facultati Parisiensi immerito affingitur.

ve cum ipse demissa Majestate in publicis Supplicationibus Pœnitentis habitu processit; & Confraternitatibus dato nomine, *Davidis* instar coram Arca saltantis, contemptui ac ludibrio Politicorum se exposuit, populari devotione.

X. Parisiensium vesaniam imitatæ pleræque totius Regni præcipuæ civitates, a Rege defecerunt, multaque Nobilitatis accessione aucta est Henoticæ Factionis potentia. Rex Edictis armisque perduelles vel ad officium revocare, vel domare constituit: Senatum Parisiensem, & Rationalium Curiam, Turones transtulit, Inducias cum Navarræ Rege pepigit, quem amantissime complexus, in belli societatem contra Fœderatos induxit. Dum hæc gererentur, *Sixtus V.* Pontifex Maximus Monitorium emisit, de quo disseruimus Cap. 6. Articulo 22. Synopseos hujus.

Sixti V. Monitorium contra Regem.

Rex per Cenomanensem Episcopum suæ Majestatis Oratorem satisfacere Pontifici de *Gusii* Cardinalis nece conatus fuerat; læsæ Majestatis reum, cujuscumque sit Ordinis ac Dignitatis, Regi subditum, a Rege plecti posse exposuerat, se Regni sui tranquillitati, & suæ Auctoritatis ac Personæ securitati consulere aliter non potuisse, quam initæ contra se ac Regiam Familiam conjurationis Auctores, & Henoticæ Factionis capita e medio tollendo: Cardinalis *Borbonii* liberationem quam Pontifex urgebat, in suam Regnique perniciem cessuram; cum perduelles eum Regem creare decrevissent.

Regis rationes Pontifici per Oratorem propositæ.

Sed Pontifex a Fœderatis in *Henricum III.* incitatus, tam gravium rationum pondere flecti noluit: nec satis attendit, Reges de his quæ ex arcani sui Consilii deliberatione geruntur, in his quæ temporalia, & publicam tranquillitatem spectant, uni Deo reddere debere rationem. Sane si hæc paulo consideratius attendisset, de *Gusiorum* cæde Regem in quæstionem postulandum non censuisset, & ad hanc speciem forte accommodasset verba *Theodoreti* Interrogatione 7. in librum 3. Regum, *Salomonis* factum expendentis, qui *Adoniam* fratrem interfici jussit. *Diversa sunt* (inquit) *hominum vitæ genera. Nam alii quidem summam exercent Philosophiam, alii autem virtutem, quæ dicitur politica aut civilis: alii vero Regiam aut Imperatoriam. Oportet ergo unumquemque judicare ex vitæ ratione quam sequitur. Non est itaque a Solomone exigenda Prophetica neque Apostolica perfectio; sed ea quæ conveniunt Regibus, sciebat autem ipsum Orniam* * *affectare tyrannidem, conatus enim erat Regnum arripere. In priori ergo quod aggressus erat audaci facinore ei ignoverat, & salvum futurum eum promiserat, dummodo modeste se gereret. Postquam autem petiit Patris conjugem, non ei quidem concessit postulatum, quod viam straverat ad tyrannidem; sed Regni prospiciens tranquillitati, eum jussit interfici.* Cæterum nec Gusianam cædem excusare, quod Sacerdote Pacifico & Doctore indignum esset; nec Regem accusare ac damnare quod privato non licet, mihi animus est: Deo enim soli Domino suo Rex stat aut cadit.

** Sive Adoniam.*

Mors Henrici Tertii.

XI. Cum Rex Lutetiam oppugnaturus, ad *Sancti Clodoaldi* Municipium stativa posuisset, immani parricidio trucidatus est Kalendis Augusti, anni 1589. Quid a me nefarii parricidæ patriam, nomen, professionem quæris? Utinam ipsum quoque nescire licuisset! Parricidium non semel alii tentaverant: Id executus est filius perditionis. Hunc Monachum fuisse negat Auctor Libelli cui titulus est; *Fatum S. Clodoaldi*, * vernaculo idiomate anno 1572. editi, alii plerique omnes contrarium afferunt. Illius conjecturis & rationibus, vel aliorum auctoritati tantum quisque tribuat quantum tribuendum judicabit. Istius immanitatem sceleris pene adæquarunt, immo aliqua ratione superasse dici possunt, qui laudibus extulere sicarium illum a Diabolo subornatum, Martyrem prædicare non veriti. Vixit *Henricus tertius* annos pene triginta novem, regnavit annos quindecim. Pie mortuus est, expiata semel iterumque Sacramentali Confessione conscientia, postquam lethale vulnus accepit. Ejus morte defecit *Valesiorum* Stirps Regno idonea, Jusque Regni ad Borboniam Domum devolutum est. De ejus Regno, Gestisque & civilibus tumultibus quibus funestatum est, legendi *Thuanus* Præses, Davila, Commentarii de Henotica Factione, & Diaria ejusdem Regni, *Matthæus* Henrici IV. Historiographus, aliique recentiores Historiæ Gallicæ Scriptores.

**Le Fatalité de S. Cloud.*

SCHOLION I.

In hoc Articolo, pag. 349. Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *In Cleri Gallicani postulatis de Tridentini Concilii promulgatione, semper addita ea exceptio est, ut Rex illud promulgari juberet*, SALVIS LIBERTATIBUS ECCLESIÆ GALLICANÆ.

R. Historiæ res est, ex Cleri Gallicani postulatis, quæ in Commentariis de Cleri ejusdem rebus edita sunt, comprobata.

SCHOLION II.

Eumdem Articulum Religiosi Censores his verbis perstringunt: *Lege quæ dicit de quodam Decreto Universitatis Parisiensis de absolutione a juramento fidelitatis.*

R. Decretum quorumdam Theologorum Parisiensium Henoticæ factioni addictorum, qui responderunt Populum solutum esse a Sacramento fidelitatis & obedientiæ Henrico III. præstito, ubi commemoravi, subjunxi: *Seditiosum illud ac ferale Decretum frustra quis objiciat contra supremam Regum nostrorum auctoritatem; frustra quis ex eo probare aggrediatur hanc non fuisse semper Sacræ Facultatis Doctrinam, quod Ecclesiam nullam vel indirectam habeat in Regum temporalia potestatem, & quod subditi nunquam a sacramento fidelitatis & obedientiæ Regibus præstito absolvi possint. Istud enim Decretum, quamvis Facultatis nomine editum sit, Ordini tamen tam celebri, tam pio, tam erudito immerito affingitur.* Quod ibidem probo. Nec facti quæstio censuram ullam meretur, nec juris, cum sit Ecclesiæ Gallicanæ & Sacræ Facultatis Parisiensis doctrina, quam Ecclesia, sive Sedes Apostolica umquam damnarunt.

SCHOLION III.

In eodem Articulo, p. 365. Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Reges non tenentur de temporalibus Papæ respondere.*

„ R. Reges de his quæ ex arcani Consilii sui deliberatione geruntur, in his quæ temporalia & publicam tranquillitatem spectant, uni Deo reddere debere rationem, recte scripsi. Quotiescumque vero de rebus spiritualibus agitur, ubi de Fide & Moribus, de Sacramentis, de Ecclesiastica Disciplina, de omnibus ad salutem animæ pertinentibus, Ecclesiæ, Pastorumque Regimini spirituali subduntur Reges ipsi, sicut oves cæteræ Christi sanguine redemptæ: præsertimque Regimini & directioni Romani Pontificis, unius non solum ovium, quas inter & Reges censentur, sed & Pastorum omnium Pastoris.

Nota.

DEcretum a Facultate Parisiensi editum neque tunc, neque præcedentibus temporibus alienum fuisse a mente DD. ejusdem facultatis ex sequentibus putant demonstrari. Exhibent primo Perandæ testimonium in Epistola ad Legatum Cajetanum, quam dedi post articulum 22. capitis primi, ubi testatur Facultatem eo progressam, ut urgeret Pontificem ad alterum Regem Galliæ pronunciandum, declarandumque. Considerant deinde jam antea DD. Gallos suffragatos fuisse illi sententiæ, qua indirecta Pontificis potestas in temporalia adstruitur, quos recensui ibi. Demum jam antea menti DD. Facultatis eamdem sententiam insedisse, ex eo coniiciunt; quod, ut infra videbimus, Concilia Constantiense, & Basileense præfatam sibi asseruerunt potestatem, nequaquam reluctantibus Facultatis Parisiensis Oratoribus, qui ibi aderant.

ARTICULUS XI.

De Henrico IV.

POst *Henrici* III. necem, ad Francorum Regimen assumptus est *Henricus Borbonius* Navarræorum Rex, Regum nostrorum ejus nominis *Quartus*, & ob res præclare gestas *Magni* cognomen promeritus; accepto prius ab eo Jurejurando de Religione Catholica, Apostolica & Romana inviolata conservanda, absque ulla etiam Disciplinæ mutatione vel innovatione. De virorum Ecclesiasticorum personis & bonis, cæterorumque omnium dignitatibus, honoribus, juribus & privilegiis illibatis custodiendis: de acquiescendo in Decretis Concilii quamprimum convocandi; de nullius alterius quam Religionis Catholicæ Roma-

Romanæ publico usu toto Regno permittendo, nec aliis quam ejus Professoribus, ad Magistratus aut Præfecturas promovendis, nisi iis locis, quæ tunc a Calvinianæ partis hominibus tenerentur in quibus nihilominus Catholica Religio restitueretur. Idque locum haberet, donec Pacificatione generali ab Ordinibus Regni aliter constitutum foret. Quæ in Senatu Parisiensi Turonibus sedente 14. Augusti anno 1589. promulgata sunt. Contra Regem nondum Catholicum Fœderati bellum instaurarunt, Duce *Carolo Meduano*, seu *Mayenio*, fratre *Henrici Guisii* jussu *Henrici* III. interempti. Dira subinde tota Gallia rerum perturbatio secuta est, cum certantibus internecino odio Partibus, non civitates dumtaxat, sed familiæ ipsæ intestinis dissidiis arderent, aliis Regi, aliis Henoticæ Factioni studentibus; aliis Interregnum approbantibus, aliis novum Regem creare volentibus. Quibus ut satisfaceret, invidiamque declinaret Dux Meduanus, *Carolum* Cardinalem *Borbonium* Regis Patruum, qui in custodia adhuc habebatur, Regem a Fœderatis salutari curavit illius nominis *Decimum*. Cardinalis *Cajetanus* Legatus in Gallias a *Sixto V.* missus, improvida agendi ratione turbas majores excitavit, *Philippo II.* Hispaniarum Rege Pontificem frustra solicitante & per Oratores vehementer urgente, ut Sacratis Viris in Regis fide, & obsequio constantibus diras imprecaretur, nec ullo umquam tempore se *Henricum* pro Rege habiturum declararet. Regiis interim Fœderatorumque copiis ad *Yvriacum* pugnantibus, Rex insignem retulit victoriam, per quam *Egmondanus* Comes Hispanorum auxiliorum ductor occubuit. Post hæc, Lutetiam arctissima obsidione vallavit *Henricus IV.* cum interim *Carolus Borbonius* obiit. Parmensi Duce ad opem Parisiensibus ferendam e Belgio subeunte, soluta obsidione Rex in eum duxit exercitum: at Duce pugnam detrectante, vim belli alio convertit.

Bellum Civile.

Parisiensium quorumdam Theologorum Responsum contra Henricum IV. Sacræ Facultati minime tribuendum.

Hæc anno 1590. gesta, quo Parisiensium Theologorum pars Henoticæ devota factioni ad Articulos Prætoris & Ædilium nomine paulo ante obitum Cardinalis *Borbonii*, quem Regem *Carolum X.* appellabant, respondit 1. Adveniente ejus morte, aut eodem in favorem *Henrici Borbonii* cedente Jure Regni, Gallus non posse tuta conscientia ipsum *Henricum*, aliumve Principem fautorem hæreseos, in Regem admittere; etiamsi ab hæresi, criminibus & censuris fuisset absolutus: quod evidens perfidiæ ac subversionis Religionis & Regni periculum immineret. 2. De hæresi suspectum, aut ejus fautorem censendum, qui pacem cum *Henrico* procuraret, aut pro viribus non impediret. Absque juris quippe divini violatione, & pœna damnationis æternæ, de pace cum illo agi non posse. 3. Qui eidem *Henrico* ad sanguinis usque profusionem resisterent, Martyrii palmam consecuturos. Quod Decretum 7. die Maii editum, tam non est Sacræ Facultati Parisiensi tribuendum, quam Decretum Senatus nomine a Magistratibus Henoticæ Factionis Curiam occupantibus tunc editum, quo sub pœna capitis prohibebant, ne quis de pace cum *Henrico Borbonio* sancienda sermonem injiceret, non est tribuendum Senatui Parisiensi, qui Regis auctoritate Turones translatus fuerat. *Gregorius XIV.* & *Clemens VIII.* Pontifices Maximi, ille toto Pontificatu, hic ineunte, *Henrico* IV. minus æqui fuere, & fœderatis favere, zelo quidem Catholicæ Religionis, sed non secundum scientiam. Dux *Meduanus* Comitia Parisiis celebranda, anno 1593. indixit, Rex convocationem, omniaque in iis decernenda, nullius auctoritatis esse vel fore declaravit, pœna læsæ Majestatis iis qui adessent intentata. Colloquio inter utriusque Partis Catholicos habito in pago Surenæ, quo armorum suspensio ad certum tempus decreta est, cum nihilominus Fœderati de novo creando Rege consilia in Comitiis agitarent, quæ per ambitiosas Hispanorum propositiones, & dissensionem Principum irrita fuere, Rex Episcopis & Theologis ab Henotica Factione alienis Meduntam convocatis, omnem Fidei Catholicæ, Apostolicæ, & Romanæ rationem edoceri voluit. Seria de ejuranda hæresi cogitatio ipsi a Deo indita est, cum ab eo interrogati Calvinianæ Sectæ Ministri, utrum Catholicæ Romanæ Religionis Professores, in sua Religione & Communione salutem æternam consequi possent, id negare non sunt ausi, Catholicis constantissime asserentibus, neminem ex Calvinianæ Sectæ Professoribus, nisi ea sincere abdicata, damnationem æternam evasurum. Ex hit quippe responsis invicem collatis collegit prudentissimus Princeps, longe sibi tutius esse eam Religionem profiteri, in qua certam esse spem salutis pars utraque fateretur, quam illam in qua salutem Professorum omnium ac Sectatorum desperandam pars altera crederet atque propugnaret.

Henrici IV. Conversio.

II. Fausta igitur illuxit dies 21. Julii anni 1593. qua Rex auditis circa controversos Articulos, circa quos aliquam adhuc difficultatem patiebatur, doctissimis Præsulibus de nullo amplius Catholicæ Fidei capite dubitare se professus est. Quamobrem communi Præsulum Theologorumque consilio decretum est, ut Ei tam bene animato, pœnitenti, ac supplici, Absolutio quamprimum concederetur; cum periculum ejus saluti, Ecclesiæ Gallicanæ, & regno ex mora immineret: A Summo vero Pontifice, de rei necessitate certiore facto, Absolutionis confirmationem, Regis, ejusdemque Ecclesiæ nomine postulandam. Ritu solemni Catholicam Fidem professus *Henricus* & ab hæresi, ac peccatis, prævia Sacramentali Confessione absolutus, die 25. Julii *S. Jacobo* sacra, Cardinali Placentino Sedis Apostolicæ Legato frustra intercedente, Nivernensem Ducem impetrandæ veniæ causa Romam ad *Clementem* VIII. Oratorem misit. Quod cum differret cunctabundus Pontifex, Inaugurationis Sacra Rex *Carnuti* suscepit a *Nicolao* ejusdem Urbis Episcopo, die Dominica 27. Februarii, anno 1594. quod Durocottorum Remorum, ubi ea Solemnitas peragi consuevit, in hostium potestate esset. Lutetiam deinde 22. Martii cum armato milite a *Brissaco* urbis Præfecto intromissus, præteritorum omnium gratiam civibus concessit: Duci *Feriæ* aliisque Ministris *Philippi* Regis Catholici incolumibus abire permisit, una cum Hispanis, Neapolitanis, & Belgis Præsidiariis: Senatum integrum restituit: antiqua Privilegia & immunitates Urbi & Academiæ confirmavit: Calvinianæ Sectæ publicam professionem intra decem ab Urbe regia leucas, juxta Edictum *Henrici Tertii* anno 1577. datum prohibuit. Quidquid contra reges *Henricum Tertium* & *Henricum Quartum* decretum fuerat, Senatusconsulto abolitum, quidquid Meduano Duci attributum, rescissum est: eique ac cæteris Lotharingæ familiæ Principibus mandatum ut Regi obedientiam præstarent, gravissimis pœnis in personas & bona alioquin statutis; in memoriam denique receptæ & ad Regis obsequium redactæ Urbis, solemnis Supplicatio in perpetuum decreta die 22. Martii. Lutetiæ exemplo Urbes plurimæ se regi dedidere. Conceptam inde lætitiam turbavit *Joannis Castelli* facinus, qui regem ultro aggressus est die 27. Decembris. Ejus Majestatem Deus servavit. *Petrus* Cardinalis *Gondius* Parisiensis Episcopus, nonnullos e Clero insanis scrupulis anxios hærere animadvertens, an preces pro salute regis essent inter Sacra fundendæ, quousque ejus Absolutio a Summo Pontifice confirmata fuisset; Theologos Parisienses convocavit, ab iisque sciscitatus est, quid de his, & de parricidio in eum prætextu religionis tentato, & olim in *Henricum Tertium* perpetrato censerent. Qui matura deliberatione habita, unanimi consensu responderunt: „Subditos universos plenam obedientiam Henrico Regi præstare, precesque tum publicas cum privatas „pro ejus incolumitate & prosperitate Deo offerre „debere. Nullo pacto cuiquam licere *Henrico* IV. „Regi Christianissimo insidiari, aut consilium id audiendi dare, religionis, periculi fidei, aut quovis „alio prætextu; quinimmo rem esse nefandam & „detestandam. *Henrici* vero *Tertii* immane parricidium tantum abesse ut Facultas umquam probasset, „aut probaret, ut contra exhorresceret ac detestaretur, una cum aliis ejusmodi facinoribus, eorumque auctoribus consciis, & approbatoribus. Quæ sic in Aula Episcopali deliberata die 16. Januarii anni 1595. solemnibus comitiis in Sorbona die 21. habitis confirmata sunt. Eodem anno Pontifex a *Jacobo Perronio* Ebroicensi Episcopo, regio Oratore, & *Arnaldo Ossato* exoratus, Absolutionem regi concessit iis conditionibus, & solemnitate, quas in ejusdem *Perronii* postea Cardinalis relationibus legere est. Tum vero certatim ad regiam fidem & obsequium redeuntibus proceribus, ac civitatibus, Henotica Factio penitus dissipata est, cum Dux Mercorius Aremoricam tenens, eam demum Provinciam regi restituisset, quod anno dumtaxat 1598. factum est, quo & pax *Vervini* cum Hispanis inita.

Absolutio.

Inauguratio.

Parisiorum deditio.

Sacra Facultatis Parisiensis Responsio ad quæstiones ab Episcopo Parisiensi propositas.

Absolutio Regi concessa a Summo Pontifice.

III. Cleri Gallicani Comitia Parisiis cum *Henrici IV.* licentia habita sunt anno vertente 1595. quibus delegatus *Claudius Angennius* Cenomanensis Episcopus, cum nonnullis aliis Præsulibus, egregiam ad ejus Majestatem Orationem habuit die 24. Januarii anni 1596. qua inter alia ad sanandos Ecclesiæ Gallicanæ morbos necessaria remedia, promulgationem Tridentini Concilii ab ea Sacri Cœtus nomine postu-

Cleri Gallicani Comitia.

postulavit, salvis tamen Libertatibus & Immunitatibus Regni & Ecclesiæ Gallicanæ. Eodem nomine Regem rogavit ut sacras electionea restitueret. Hæc Oratio edita est Tom. 5. Commentariorum Cleri Gallicani, pag. 527. Ad hæc quidem nihil, sed ad alia quædam capita postulationum ejusdem Religiosissimi Cętus perbenigne responsum a Rege est, qui secundum ejus preces Edictum promulgavit mense Majo, quod in eodem commentariorum Tomo, pag. 560. legere est. Easdem preces de Concilii Tridentini promulgatione, ac sacratum electionum restitutione, aut idonearum certe personarum ad sacras Præfecturas nominatione, abrogatione, Pensionum laicarum super Beneficia constitutarum, aliorumque abusuum emendatione apud Regem ingeminavit Clerus Religiosissimus anno 1598. Parisiis congregatus perorante *Francisco Guesleo* Archiepiscopo Turonensi die 28. Septembris. Hujus Oratio edita est, cum humanissima Regis Responsione pag. 157. Tom. 5. Commentariorum Cleri Gallicani.

Nannetense Pacificationis Edictum.

Eodem anno Nannetense Pacificationis Edictum Calviniaois ad arma pronis, nec tumultuari desinentibus Rex concessit Aprili mense necessitate compulsus, nec alia ratione civiles tumultus compescere se posse existimans. Illud ægre admodum post iteratam Regis Jussionem a Senatu Parisiensi promulgatum est die decima-quinta Februarii, anno 1599. Unum & nonaginta capita complectitur, præter sex & quinquaginta de quibus secreto conventum est, quæ Rex Edicto inseri noluit. Editum est in Collectione *Fontanonis* Tom. 4. Tit. 7. pag. 361. Tom. 6. Commentariorum Cleri Gallicani nec-non seorsim Cura *Beraardi & Senlieri*, qui id egregiis Commentariis & Observationibus illustrarunt.

Henrici IV. Nuptiæ.

IV. Eodem anno, Matrimonium Regis cum *Margarita Valesia*, trium superiorum Regum Sorore ante 27. annos contractum, sententia Judicum in partibus a *Clemente VIII.* Summo Pontifice delegatorum dissolutum est, nullumque declaratum, ob consanguinitatis gradum, defectumque consensus in *Margarita* quæ contra suam voluntatem a patre *Carolo IX.* & Matre *Catharina* nulla Pontificis dispensatione significata *Henrico* tunc Navarræ Regi nupserat; ut ipsamet contestata est, aliisve documentis probatum fuit. Rex nova cum *Maria Medicea* Nuptias celebravit anno millesimo sexcentesimo. Pax Sabaudiæ Ducis cum Rege sequuta est, Salutiarum cum Bressia permutatione facta. Rex adesse dignatus est Disputationi Doctissimi Præsulis *Jacobi Davy Perronii* Ebroicensis Episcopi & paulo post Cardinalis, cum *Philippo Mornæo Plessio* Nobili Normanno Salmuti Præfecto, præcipui inter Calvinistas nominis, ad Fontembellamqueum habitæ coram selectis ex utraque parte Judicibus, in qua doctissimus Episcopus *Mornæum Plesium*, in Libro quem Gallico idiomate *De Missæ Abusibus* scripserat, falsarum citationum, interpolationumque plurimarum convicit. Acta Collationis a doctissimo Cardinali *Perronio* edita sunt. Anno 1602. mense Junio severissimum Edictum in duella Rex promulgavit. Religiosissimos Patres Societatis Jesu, occasione facinoris *Joannis Castelli* proscriptos, agnita eorum innocentia toto Regno honorifice restituit, anno millesimo sexcentesimo-quarto, nobileque Collegium Fixæ in Andibus iisdem erexit; ac suam de eadem celeberrima Societate præclaram & æquissimam opinionem orbi universo testatus est, *P. Petro Cotono* ejusdem Societatis viro singulari pietate, doctrina, facundia spectabili, in Concionatorem & Conscientiæ suæ Moderatorem adlecto. Ex quo tempore Christianissimi Reges pietatem, doctrinam, prudentiam, fidem hominum ejusdem Societatis experti, unum ex *S. Ignatii* filiis semper a Confessionibus habuerunt, nonnullos indentidem a Concionibus, ut est sacra illa familia facundissimorum Concionatorum feracissima. Equestris Ordo *S. Mariæ de Monte-Carmelo*, & *S. Lazari*, ab eodem Rege institutus est anno 1608. Octobri mense. *Philibertus Nerestangus* Ordinis Magister creatus. *Henricum* Regem Christianissimum, virtute militari, civili prudentia, admirabili benignitate, ingentibus denique rebus pace belloque, manu & consilio gestis vere *Magnum*, cum omnes immortalem cuperent, unius detestandi sicarii parricidium abstulit Lutetiæ Parisiorum die 14. Maii anni 1610. postridie quam incredibili apparatu *Mariam Mediceam* conjugem apud *S. Dionysium* coronandam curaverat, anno ætatis 57. Regni 22. Tres filios, totidemque filias ex *Maria Medicea* uxore reliquit, *Ludovicum*, qui post ipsum regnavit, hujus nominis *XIII. Justum* cognominatum, *Magni* Patrem. Alterum qui puer obiit, & *Joannem Baptistam Gastonem*, Ducem Aurelianensem: *Elisabetham*, quæ *Philippo IV.* Hispaniarum Regi; *Christianam*, quæ *Philippo Amedæo* Pedemontio Principi, & deinde Sabaudiæ Duci; & *Henricam Mariam*, quæ *Carolo I.* Majoris Britanniæ Regi nupsit. De hujus Regni Historia legendi *Davila*, *Matthæus*, *Harduinus Perefixius* Parisiensis Archiepiscopus in Vita *Henrici Magni*, & alii Historiæ Gallicæ Scriptores.

Pax cum Sabaudia Duce.

Disputatio Perronii Præsulis cum Mornæo Plessio.

Societatis Jesu innocentia a Rege agnita & vindicata.

Equestris Ordo S. Mariæ de MonteCarmelo & S. Lazari institutus.

Henrici IV. liberi.

SCHOLION.

In hoc Articulo, pag. 366. Editionis 1. Religiosi Censores hanc propositionem notant: *Duo Pontifices fuerunt contrarii Henrico IV. sed non secundum scientiam.*

„ R. Scripsi Gregorium XIV. & Clementem VIII.
„ Pontifices Maximos, illum toto Pontificatu, hunc
„ ineunte *minas æquos fuisse Henrico IV. & Fœderatis favisse, zelo quidem Catholicæ Religionis, sed non secundum scientiam.* Nam ut ait Auctur Anonymus Tractatus *De Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ*, Leodii editi anno 1684. lib. 2. cap. 2. *Lumen illud Spiritus Sancti, quod Summo Pontifici adest, cum explicanda sunt Fidei Mysteria, & tradenda Morum præcepta, non perpetuo illi hypocritarum fraudes, Aulicorum adulationes, improborum mendacia detegit, non adversus ambitiosorum importunitatem, Magnatum preces, suspecta Officialium consilia immotum servat.* Quæ scripsi eo loci, meram facti quæstionem spectant. Moderatiori stylo hoc Historiæ caput perstringere non potui.

Nota.

NOn solum Gregorius XIV. & Clemens VIII. sed Sixtus etiam V. qui post Gregorium XIII. Petri Cathedram conscendit, Henrico IV. sese infensum ostendit, illum fidelium communione interdiceodo, regnoque inhabilem pronuntiando, ut narrat Spondanus ad annum 1585. quamvis fœdus cum Hispanis adversus illum inire recusaverit, eodem Spondano teste ad annum 1590. n. 5. Nimis autem audacter dictum a Natale videtur, hos Pontifices Henrico, zelo, qui non esset secundum scientiam, restitisse. Ipsi ne regno potiretur obstabant, quia heresim ejurare renuebat; quia maxima pars Galliæ & Clerus potissimum, catholicum regem postulabat, & quia leges fundamentales regni non alium Regem nisi catholicum patiebantur: nil proinde deerat huic zelo, quo posset affirmari secundum scientiam non fuisse. Deus ipse hunc zelum probasse videtur: nam tandem ab Henrici mente eam caliginem repulit, quæ illi suos errores non permittebat agnoscere; unde cito cessarunt Pontificum iræ, cum solam hæresim in Henrico execrarentur, & Fides Catholica in Gallia præservata fuit ab interitu, quod venerat in aliis regnis, ubi Principes heterodoxi dominabantur.

CAPUT XII.

DE REGIBUS Hispaniæ.

ARTICULUS I.

De JOANNE Castellæ, FERDINANDO & ALFONSO Aragoniæ, JOANNE & EDUARDO Lusitaniæ Regibus.

I. AB Anno millesimo trecentesimo nonagesimo ad annum usque millesimum quadringentesimumseptimum quo migravit e vita 8. Kalendas Januarias, Castellæ Regnum moderatus est Rex *Henricus*, de quo egimus in Synopsi Historiæ Sæculi 14. Ipsi successit *Joannes* bimulus filius, cum *Ferdinandus* ejus patruus ultro delatam a Proceribus regiam Dignitatem eximia animi moderatione, fideque & amore in Nepotem repudiasset. Regina Vidua, & *Ferdinandus* regni procuratores ex defuncti Regis testamento declarati. Summa belli Maurici *Ferdinando* delata. *Ferdinandi* ad Aragoniæ regnum provecti, & *Catharinæ* Reginæ Matri præpropero obitu continui in Castella motus extiterunt & graves; cum Rex in umbra & mollitie educatus, Aulicorum imperio obnoxius esset, Christiani tamen nominis proferendi, & Mauricæ gentis in Hispania extirpandæ studio Granatense bellum gessit. Ipsum inter & *Alfonsum* ac *Joannem* Reges Aragonum & Navarræ bellatum est. Intestinis dissidiis

Joannes Rex Castellæ.

diis ardebat Castellæ Regis *Alvaro Luna* qui summa apud Regem gratia & auctoritate valebat ipsum inter & *Henricum* Infantem ejus fratrem simultates fovente. Sed Regio favore ad tyrannidem abusus *Alvarus*, cum ipsi regi metuendus evasisset, datis Judicibus capite damnatus est. Obedientiam *Patri da Luna* in retinendis Pontificiæ Dignitatis Insignibus pertinacis abdicavit, & in Concilium Constantiense consensit, missis ad illud Oratoribus. Obiit Vallisoleti, 13. Kalendas Augusti anno 1454. Religiosissimus Princeps fuit, Literarum amator Doctorumque Virorum fautor, quibuscum lubentissime congrediebatur. Ejus celebratur præclara illa vox: *Malo subditos abundare, quam fiscum; Quia potentissimi Regni Princeps pauper esse non potest*. *Ex Maria* filia *Ferdinandi* Regis Aragonum, uxore sua, filium reliquit *Henricum* regni Successorem. De *Joanne* Rege legendi *Rodericus Sanctius* Historiæ Hispanicæ P. 4. *Alfonsus a Carthagena* in Anacephaleosi regum Hispaniæ, cap. 92. *Mariana* Libris 19. 20. & 21.

Joannis Castellæ Regis præclara Sententia.

II. Aragoniæ regnum ab anno millesimo trecentesimo nonagesimo-quinto ad annum millesimum quadringentesimum-decimum rexit *Martinus* de quo egimus in Synopsi superioris Sæculi. Post ejus obitum varii motus animorum erant, de Successore deligendo, sententiis in omnes partes distractis. De Jure successionis amplissimæ familiæ disceptabant, suas singuli Candidati clientelas habebant, propriosque fautores. Convenit, ut ex tribus præcipuis regni Nationibus, Catalonia, Aragonia, & Valentia terni delecti Judices Controversiam finirent. Auditis Competitorum rationibus, collatisque Judicum suffragiis, *Vincentius Ferrerius* Ordinis FF. Prædicatorum Vir Sanctissimus omnium nomine *Ferdinandum* Aragoniæ regem renuntiavit, *Eleonoræ* Sororis defuncti *Martini* Regis filium, pridie Kalendas Julii, anno 1412. Comitem Urgelitanum, solum ex omnibus regni Candidatis obstinatius Jus suum armis persequentem, in ordinem redegit *Ferdinandus*, captumque perpetuo carceri addixit. Siciliam ab obitu *Martini* Regis turbatam brevi per suos Duces pacavit: Sardiniam pene deperditam, induciis cum hostibus factis continuit, quæ postea sub Aragoniam ditionem revocata est universa. Habito Perpiniani colloquio cum *Sigismundo* Imperatore, & regum Castellæ, Galliæ, & Navarræ Oratoribus *Petrum de Luna* præsentem hortatus & obtestatus est, ut cessione, vel abdicatione Pontificatus pacem terris Ecclesiæque redderet, Æmulorum exempla sequeretur. Pervicax animus cum flecti non posset, immo cum se Peninsulam proripuisset, oppidi firmitate Pontificiam Dignitatem tueri parans; *Ferdinandus*, cum Regno suo, ejus Obedientiam ejuravit, auctore *S. Vincentio Ferrerio*. Regium Edictum in eam sententiam promulgatum est 8. Nonas Januarii, anno 1416. Obiit die secunda Aprilis ejusdem anni, quem regni quartum ætatis 43. numerabat. In omnibus rebus ita semper honestatem ac decus præ se tulit, ut *Honesti* cognomen promeritus sit & consecutus. Multum ingenii, multum artis & industriæ in eo fuit ad conciliandas omnium voluntates, id crebris sermonibus usurpare solitus: *Ad tuenda tenendaque Regna, Regibus aptius esse diligi, quam timeri*. Quatuor filios *Alphonsum*, *Joannem*, *Henricum*, & *Sanctium*, duasque filias, *Mariam* & *Eleonoram*, ex *Eleonora* conjuge reliquit. *Alfonsum* primogenitum regni hæredem dixit. *Laræ* Principatum, *Medinam Campestrem Balaguerim*, *Joanni* legavit. *Henricus* Militiæ *S. Jacobi* Magister, *Albuquerquium* obtinuit. *Sanctius* Alcantaræ moderator Supremus. *Montalbanum*. *Maria Joanni II.* Castellæ regi; *Eleonora Eduardo* Lusitaniæ nupta est. *Ferdinandi* Vitam Libris tribus scripsit *Laurentius Valla*, quos habes Tom. 1. *Hispaniæ illustratæ*. Hoc ipsi contexuit Elogium: *Fuit Ferdinandus parum excultus literis, sed ut in illo sæculo, & ut in Hispana Nobilitate, non indoctus: Doctorum tamen mirifice fautor, & suorum ad studia hortator. Nulli domesticorum salarium numerari voluit, nisi qui testimonium a Sacerdote attulisset, eo anno se esse confessum, & Corpus Domini communicasse. Execrantium Numina punitor acerrimus. Aleatores ut pestes exosus. Pro absentibus, & quos ipse misisset, quam pro his qui aderant, diligentior; quippe qui scripta eorum nomina in privato quodam libello habebat, & quoties quippiam vacaret, quod conferendum esset, ad illud tamquam ad Ephemeridem se conferebat. Nec petentibus statim Beneficia conferebat, sed duo hæc prius animadvertebat, an alteri indultum esset, & an alius dignior. Nihil intercedente pecunia contulit; nam ejus minime avarus. Auxitque pecunia sua, quam ex Castella advexerat, Aragoniam, Valentiam, Cataloniam, ideoque ægre ferebat non posse munificentiam consuetam exercere in tanta proventuum exiguitate ex suis Regnis; solitus dicere: Non agere Regem, qui non plus quam posceretur, donaret. In Patrimonio Regali tuendo tenax, quod qui alienarent, ajebat inimicos sibi potius parare quam amicos*. Legendi & *Hieronymus Surita* Historiæ Rerum Aragonensium Lib. 11. *Hieronimus Blanca* in Rerum Aragonensium Commentariis, & *Joannes Mariana* in Historia Hispaniæ, Lib. 19. & 20.

Ferdinandus Rex Aragoniæ.

Petri de Luna obedientiam ejurat.

Preclara Sententia.

Ferdinandi Regis liberi.

Elogium.

III. *Ferdinando* in Regnum Aragoniæ successit ejus primogenitus *Alphonsus*, literis eruditus, gloria militari illustris, sed erga Ecclesiam non ita propensus ac Pater; quippe qui cum *Martino V.* & *Eugenio IV.* simultates ad schisma usque exercuerit, quod ipsi Neapolitani Regni Jura, in *Ludovicum* & *Renatum* Andegavenses a *Joanna* Regina translata, attribuere recusarent. Quod Regnum dum occupare post *Ludovici* obitum niteretur, a Genuensibus navali victus certamine, & cum Fratribus captus, ad *Philippum* Mediolani Ducem, cujus in Ditione tum erat Genua, perductus est: a quo humanissime acceptus, & libertati redditus, ad Neapolitanam oppugnationem rediit. Militibus per aquæductum intromissis, Urbe potitus est, postridie Kalendas Junii, an. 1442. moxque reliquum Regnum Victori deditionem fecit. *Eugenio* deinde Pontifici reconciliatus, pro ipso bellum gessit in Piceno contra *Sfortianos* Ecclesiasticæ Ditioni infestos. Uxorem duxit *Mariam Joannis II.* Castellæ Regis sororem, quæ Marito absente & Neapolitani Regni expugnatione occupato, Aragonium Regnum magna prudentiæ fama moderata est. Obiit *Alphonsus*, militari virtute *Magnanimi* nomen promeritus, Neapoli 5. Kalendas Julias, anno 1458. ætatis 66. Literas in pretio habuit, virisque eruditione præstantibus tantum tribuit, ut iis se inclinata quamvis ætate docendum præberet. *Laurentio Valla*, *Antonio Panormitano*, *Georgio Trapezuntio*, familiariter usus est. A Rege quodam Hispano dictum referente quopiam, *Literas Principem non decere*: Eam vocem *non Regis* dixit *esse*, *sed bovis*. Ejus faceta dicta, sales, jocique notantur magno numero, ad indicium acuti ingenii, elegantis, prompti, atque præstantis. In ejus laudibus nimii sunt Hispani, quibus incomparabilem sane Principem fuisse ultro concederem, nisi impotenti regnandi ambitioni jus omne divinum atque humanum subjecisset, Religionis ac fidei humanæ ad commoda utilitatesque suas dumtaxat observator; ac veneri intemperantius indulsisset. *Joannem* Fratrem Vasconum Regem, Aragonii Regni hæredem instituit, Neapolitanum, quasi armis partum, *Ferdinando* filio notho legavit. Ejus Vitam quatuor libris complexus est *Antonius Panormitanus* qui ipsi ab Epistolis fuit; ad quam *Æneas Silvius* Commentarios addidit. Eam Libris 10. prosecutus est *Bartholomæus Facius* Genuensis; præter quos de *Alfonso* Rege legi possunt, *Surita*, *Hieronymus Blanca*, *Jovius*, *Collenutius*, *Fazellus*, *Mariana*, &c.

Alfonsus Rex Aragoniæ.

Neapolitanum Regnum sibi subjicit.

Alfonsus Rex literarum amans.

IV. *Joannes* Lusitaniæ Rex anno millesimo trecentesimo octogesimo-tertio regnandi initium fecerat. Cum *Joanna* Castellæ Rege bellum gessit. Inter utramque gentem honestis conditionibus sancita pax anno 1431. Numerosa prole auctus, propter angustiam Ditionis, novos in Africa Principatus filiis parare cogitavit: magnaque instructa classe, *Septam* Mauritaniæ Tingitanæ urbem munitissimam uno die expugnavit, magna Saracenorum strage. Ea victoria contigit die 21. Augusti, an. 1415. Ecclesiam Olisiponensem Metropolitica dignitate augeri curavit: Codicem *Justiniani* in patrium sermonem verti jussit a *Joanne ab Aregis* Viro Juris Consultissimo, *Bartoli* quondam auditore. Magnificam ejus pietatem sacra testantur ædificia, & imprimis Regium illud Cœnobium Batallense Virgini Deiparæ eo loco dicatum, quo celebrem illam victoriam de Rege Castellæ adeptus est. Clementiæ laude nemini Regum inferior fuit. Nonnullis enim qui in ejus caput conjuraverant, non pepercit modo, sed muneribus illos affecit. Obiit pridie Idus Augusti, anno 1433. ætatis 75. Regni 49. *Rex bonæ memoriæ* a Lusitanis cognominatus. Præter *Blancam* & *Alfonsum* brevis ævi pueros, ex *Philippa* uxore *Joannis* Lancastriæ Ducis filia suscepit *Eduardum* Regni Successorem, *Petrum* Ducem Conimbricensem, *Henricum* Ducem Visensem, & Militiæ *Jesu Christi* Magistrum, *Joannem* Militiæ *S. Jacobi* Summum Moderatorem, *Fernandum* Magistrum Militiæ Avisiensis Cisterciensis Ordinis, & *Isabellam Philippo III.* Burgundiæ Duci, Flandriæ, Hannoniæque Comiti, nuptam. *Henricus*

Joannes Rex Lusitaniæ.

Bellum Africanum.

Joannis Lusitaniæ Regis liberi.

vicus Princeps in Mathematicis doctissimus, propter sola Astrorum studia cœlebs vixit. Magnam partem Atlantici litoris penetravit, in quo oppida & civitates, insulæque plurimæ repertæ sunt. Quibus in locis omnibus Christi Fides ejus opera innotuit, præsertim in Insula *Lignorum*, quæ vulgo *Madiera* vocatur. Tandem morte interceptus, has Navigationes ad Coronam Regni tamquam fundum hæreditarium transmisit,, quæ per manus traditæ, ad tempus *Joannis II.* Lusitaniæ Regis derivatæ sunt (inquit *Damianus a Goes.*)

Eduardus Rex Lusitania.

V. Successit Patri *Eduardus*, annos natus 42. cui ad cæteram felicitatem numerosa proles fuit, ex unis nuptiis suscepta cum *Eleonora* filia *Ferdinandi* Aragoniæ & Siciliæ Regis: *Alfonsus* Primogenitus, cui Patre superstite, inter Lusitanos primum Principis nomen inditum; *Ferdinandus* Dux Viscensis, Militiarum *Jesu Christi* & *Jacobi* Magister; *Philippa* brevi ævi; *Eleonora* quæ *Friderico III.* Imperatori collocata est; *Catharina Carolo* Navarræ Principi, & deinde *Edoardo IV.* Angliæ Rege pacta, sed cœlebs mortua; *Joanna* nupta Henrico Castellæ Regi. Magnum ipsi mœrorem attulit clades a fratribus in Africa accepta in Tingitana obsidione, anno 1437. ubi *Ferdinandum* Saracenis obsidem dare coacti sunt, donec Lusitani, *Septa* dedita, universa Africa decederent. Obiit *Eduardus* Rex die 9. Decembris, 1438. animi corporisque dotibus præstantissimus Princeps, literisque valde deditus; qui *De Regni moderatione*, *De Fido Consiliario*, & *De arte Equitandi*, libros edidit. Regnum ipsius fuit annorum quinque, dierum septem & triginta.

Lusitanorum clades in Africa.

JOANNIS DOMINICI MANSI

Nota.

ÆNeas Sylvius in opusculo de viris ætate sua claris Alphonsum Aragoniæ Regem ita paucis depingit: *Vir brevi corpore, animi immensurati, periculorum contemptor, luxuriæ deditus, fidei varius, pecuniæ largus distributor, magnanimis viris affectus, numquam quiescens, doli structor.* Opusculum istud ex Vaticano codice ab Amico exceptum, ego primus evulgavi in Appendice ad Orationes Pii II. Lucæ edita anno 1759.

ARTICULUS II.

De HENRICO IV. Castellæ: JOANNE II. Aragoniæ: & ALFONSO V. Lusitaniæ Regibus.

Henricus Rex Castellæ.

I. JOanni Castellæ Regi successit *Henricus* filius, annum agens ætatis trigesimum, cum paulo ante Patris obitum *Blancam* uxorem, Regis Navarræ filiam, post annos conjugii quatuordecim repudiasset, impotentem ex maleficio causatus. Divortii Sententia ub administratore Segobiensis Ecclesiæ pronuntiata primum, deinde ab Archiepiscopo Toletano confirmata auctoritate *Nicolai V.* Pontificis Maximi; non sine admiratione orbis terrarum. Ardenti erat ingenio *Henricus*, pusillo tamen, oppletoque fœditate. Venationis & Musices præcipuum studium. Cultus moderatus, aqua potus, cibus nimius, mores dissoluti, atque omnibus turpitudinum maculis vita deformis: quibus rebus corpus labefactatum, atque morbis obnoxium fuit. *Liberalis* illi atque *Impotentis* cognomina vulgo affixa sunt, alterum ex profusa liberalitate, qua donandis oppidis, profundendis sine judicio thesauris, Majores omnes superasse videbatur. Mitis sermo atque comis fuit, clementia nimia. Hac morum varietate factum, nulla ut tempora turbulentiora extiterint, quam *Henrici* Regno, quod annorum viginti trium fuit, mensium quatuor, dierum duorum. Mauricum bellum gessit, haud magno operæ pretio. Anno millesimo quadringentesimo sexagesimo-tertio cum *Ludovico XI.* Rege Christianissimo ad Fontarabiæ fines colloquium habuit de controversia quæ Catalanos cum Aragoniis dudum commiserat, cujus Judicium *Ludovici* Regis arbitrio partes permiserant. Secundum *Henricum* contra Aragoniæ Regiam pronuntiatum est. Quæ Sententia nova bella succendit. Horum tumultuum opportunitatem nacti Castellæ Proceres, in *Henricum* Regem conjurarunt, *Alfonso* ejus Fratre in partes abrepto. Ne injuste commoti viderentur, querelarum causas obtenderunt: quod Rex Mauros apud se versari permitteret; Magistratus venales exponeret: *Bertrandum* Conjugis suæ adulterum dignitatibus augeret: Filiam adulterio natam, contra Regni Leges, jusque *Alfonsi* Patris, Regni hæredem renuntiasset. Hæc si mutarentur, libenter arma positurus. Regem tanta socordia invaserat, ut his monitionibus vix moveretur. Cumque armis vindicare nollet injuriam, concordia tentata est, & his pacta conditionibus; Ut *Alfonsus* Frater Regni hæres esset jure suo. *Bertrandus* se *D. Jacobi* Magisterio abdicaret. Fœdere facto, *Alphonsus* Segobia in Regia Castra deductus est, undecim annorum adolescens. In ejus verba a cunctis qui aderant juratum, anno millesimo quadringentesimo sexagesimo quarto, sed brevis concordia fuit. Sopita potius quam dissipata conjuratio. Anno sequenti, exauctorato per summum nefas *Henrico Alfonsum* ejus Fratrem Castellæ Regem proclamarunt. *Alfonsus Carillus* Toletanus Archiepiscopus, magno vir animo, sed & inquieto, ducem se tanti sceleris exhibuit. Summum etiam Pontificem *Paulum* II. decipere studuerunt, eique persuadere, hæc *Pii* II. ipsius Decessoris consilio facta. Quam calumniam *Jacobus* Cardinalis Papiensis, honoris ac nominis *Pii Secundi* studiosissimus, Pontifice coram & Cardinalibus confutavit. Dicta ejus confirmarunt *Henrici* Oratores, rogaruntque, per literas declararetur, Romanum Pontificem harumce molitionum nec auctorem fuisse nec Approbatorem. Legatus Cardinalis *Papiensis* Epistola 122. & *Mariana* Lib. 23. Cap. 9. *Henricum* Regem inter & Proceres conjuratos ad *Olmedum* pugnatum est ancipiti victoria 12. Kalendas Septembris anno millesimo quadringentesimo sexagesimo septimo. Legionensis interim Episcopus *Antonius Venerius* a *Paulo* II. cum potestate legatus in Castellam, qui Censurarum Ecclesiasticarum terrore conjuratos Episcopos ac Proceres ad Regis obsequium revocaret. Diras denuntianti, *Pontificias partes negarunt esse de Republica statuere & ad Concilium proximum ab ea denunciatione provocarunt.* Regem ad turpia Consilia concordiæ, quibus ludibrio habebatur Majestas, insita compulit ignavia. Hac Pactione, simul & Reginæ impudicitia, novos spiritus conjurati sumpserunt. Rex in tantis malis pene ab omnibus destitutus, mente etiam pererrabat, & privati propemodum habitu vagabatur, decem tantum Equitibus stipatus. Quibus in angustiis Placentiæ Comitis potestati se permittens, in ejus urbis arce splendide acceptus, habitusque, quatuor mensibus hæsit. Hæc anno 1468. gesta. Secundum hæc, Paulus II. perduelles Proceses Nova legatione ad sanitatem lovitavit; & quoniam non parebant, piorum numero exemit. His commoti potius quam territi, Legatos Romam amandarunt: quibus non prius facta est Pontificem conveniendi potestas, ac ne ad Urbem quidem accedendi, nisi juratis *Alphonso* Regios titulos handquaquam adscripturos. Admissis tandem, gravissimisque verbis increpitis mandatum, ut Pontificis nomine diras omnes conjuratis denuntiarent, nisi ad Regis obsequium redirent. Vindicaturam Numen impios illorum ausus. Juvenem Principem, alicui criminis reum immatura morte pœnas daturum. Inane oraculum non fuit. Principis obita, Toleti deditione, Pontificis studio, multorum animi ad *Henricum* Regem conversi. *Isabella* Regis Soror ad capessendum Regnum a conjuratis frustra solicitata. Ejus molestia effectum ut veniam ab *Henrico* propositam, & conditiones pacis acciperent: secundum quas *Isabella* fraterni Regni hæres renuntiaretur, sex oppidis tunc ejus potestati contraditis jurament obstrictæ ne cui nuberet absque Regio consensu: Regina, filiaque notha in Lusitaniam amandarentur, permissu Pontificis Romani repudii Libello dato: Proceres bonis omnibus, honoribusque restituerentur, quæ dissidii tempore erant ablata, *Isabella* inconsulto Rege nupsit *Ferdinando* Aragoniæ Principi, lege propinquitatis a Summo Pontifice, non soluta, licet ejus veniam a *Pio II.* datam Toletanus Archipræsul affirmarit. His conditionibus, anno 1471. pactum conjugium: Ut *Henrico* Regi superstiti sua auctoritas constaret: defuncto, rerum Castellæ summam *Isabella* administraret: neque *Ferdinandus* suo nomine quidquam donaret: Ne Magistratus externis mandaret: De Immunitate, Jure, & Legibus Gentis ne quidquam diminueret: ac nisi uxoris voluntate Reipublicæ partem ullam attingeret. Hæc omnia arcano constituta. Literæ ad Pontificem, *Henricum* Regem, cæterosque Reges ac Principes datæ, quibus festinatæ nuptiæ excusabantur. Iratus tamen Rex, *Joannam* filiam notham, *Carolo* Aquitaniæ Duci *Ludovici XI.* Christianissimi Regis fratri collocatam, justam prolem esse cum Regina juratus, *Isabella*

Bellum Civile.

Conjuratio in Regem.

Paulus tertius Pontifex Max perduelles ad Henrici Regis obedientiam revocare satagit.

Pax confecta.

bella publicis tabulis abdicata, Regni hæredem declaravit, Proceribus novo Sacramento in ejus verba adactis. His connubiis gravissimi belli Hispanos inter Gallosque materia parabatar, nisi *Caroli* Aquitaniæ Ducis obitu, qui ante Matrimonii consummationem contigit, discussa tempestas fuisset; *Isabella* paulo post *Henrico* fratri conciliata, *Rodericam Borgiam* Cardinalem, Sedis Apostolicæ Legatum, Rex Madriti maximo honore excepit anno 1473. Episcopi ac Sacerdotes a Legato eam in urbem ex tota ditione evocati, frequentes convenere. Subsidium Pontifici Romano ad belli Turcici sumptus, volente Rege, concessum: de Disciplina Ecclesiastica restauranda actum est: cujus quanta esset tunc temporis in Hispania prulapsio, *Mariana* eleganter exponit lib. 23. cap. 18. *Invaserat pudenda Litararum inscitia in Sacerdotes Hispaniæ: usque eo at pauci Latine scirent, ventri, gulæque servientes. Avaritia rapaces in Ecclesiam Dei manus injecerat. Emere Sacerdotia, olim simonia, tunc industria erat: Neque intelligebant cæci Principes, cæciqua Pontifices, inare Dea fieri impiam cammercii genus: quod facias an patiaris, perinde est.* His malis ut remedium adhiberetur, a Romano Pontifice impetratum est, ut in singulis Ecclesiis Cathedralibus bina Sacerdotia seu Præbendæ Theologo una, altera Jure-Consulto obveniret. Pontificii Diplomatis fragmentum *Mariana* describit: Obiit *Henricus* Castellæ Rex 3. Idus Decembris anno 1474. ætaris 45. Regni 26. De quo legendi *Rodericas Sanctias* Palentinus Episcopus, Historiæ Hispanicæ P. 4. cui sub hujus Reguo finem imposuit; *Ælias Antonias Nebrissensis*, Decadis 1. lib. 1. & 2. & *Mariana* lib. 23. & initio libri 24.

De Disciplina Ecclesiastica in Hispania restauranda agitur.

II. Post *Alfonsam* in Aragonia regnavit *Joannes II.* Vasconum Rex, ejus frater; quem *Magnum* Hispani appellant. Dotale Navarræ Regnum ipsi attulerat *Blanca* Regina. Ad *Carolum Viana* Principem ex eo Matrimonio susceptum matris jura post ejus obitum translata. *Joannes* dominandi avidus, filium ad Comitia Cataloniæ evocatum in custodiam tradidit. Catalani ad violationem publicæ fidei frementes, arma pro Principis libertate sumpserunt, patremque compulerunt ut carcere soluto Catalonia cederet. Sed alio medio Regi satisfactum, homini alieno a naturæ & humanitatis legibus, cum infelix Princeps 9. Kalendas Octobris an. 1461. morbo extinctus est (ut nonnulli crediderunt) animi ægritudine contracto, seu (at plurimorum constanti opinione vulgatum fuit) lento veneno: quo fortuitus morbus putaretur, vitalibus in custodia corruptis, anno ætatis 44. Juvenis meliore fortuna patreque benigniore dignissimus. Ingenium Literis dederat. Hujus extant monumenta, Libri Aristotelis *Da Moribus*, vulgari lingua donati, brevis *De Vascanum Regibas* Historia, præterea versus non inelegantes, quos ad lyram pangere solitus erat. Optimis Legibus Regnam munivir Rex *Joannes*; de quibus *Hieronymas Blanca* in Aragonensium Rerum Commentariis. Ex *Joanna* secunda uxore, *Friderici* Almirantis Castellæ filia, suscepit *Ferdinandum* Regnorum hęredem, *Joannem* Ferdinando Neapolitano Regi nuptam, *Mariam* & *Eleonoram* quæ innuptæ obierunt. E vita migravit Barcinone ad 14. Kalendas Februarii, anno millesimo quadringentesimo septuagesimo-nono, ætatis septuagesimo-secundo.

Joannes II. Rex Aragonum.

Ejus in Filium Crudelitas.

III. Post *Edaardi* mortem, rerum Lusitanarum summa ad *Alfonsum* filiam, Regem ejus nominis V. translata est, sexcennem puerum. Regni procurationem ex viri testamento suscepit *Eleonara* Regina Mater: sed Lusitani fœminæ Imperium impatienter ferentes, *Petra* Conimbricæ Duci Regis patruo, ejus tutelam Regnique administrationem commendarunt. Hunc *Alfonsus*, ubi adolevit, ob suspiciones & calumnias in exilium amandatum, postea *Santarenam* ad se venientem ut accusationes dilueret, quod Militibus stipatus defensionis causa veniret, ducto in eum exercitu oppressit, & triduo reliquit insepultum inter vilissima cadavera. Hujus filiam duxerat *Isabellam*, ex qua *Joannem*, primogenitum suscepit, in cunis extinctum; *Jaannam* quæ Christo se consecravit in Parthenone Dominicani Ordinis, & *Joannam* alterum paterni Regni hęredem. Invicti animi Princeps, sed magis ad belli quam ad pacis artes aptus prædicatur. Fretum Herculeum trajecit: multasque de Saracenis victorias reportavit. Unde illi cognomentum *Africano*, Tingin, Zelen seu Arzillam, Alcasserem, Seguesium, & alias Africæ urbes debellavit, suæque ditioni adjecit. Domi remisso fuit animo, tantoque justitiæ neglectu vixit, ut Nobilium insolentiam, ipso regnante auctam, *Joannes II.* ejus filius vix coercere potuerit. Tanta præterea fuit comitate & humanitate, ut de Majestata multum detraheret. Hinc multorum improbæ postulationes, & Regii patrimonii distractio. Aliena contempsit consilia: ex quo graves in errores incurrit. Cæterum animi magnitudine, liberalitate & clementia excelluit. *Joannam Henrici IV.* Castellæ Regis filiam, neptem suam ex sorore *Jaanna*, mortuo *Henrico* sponsam accepit, Castellæ hæredem designatam, ejusque suscepta caasa grave bellum gessit adversus *Ferdinandum* & *Isabellam* Reges Catholicos; cujus exitus hand fuit Lusitano felix. In Galliam *a Ludavica XI.* auxilia rogaturus cum frustra venisset, pacem facere necesse fuit, *Jaanna* Princeps spe Regni frustrata, tardiorique destinata conjugio cum *Joanne* filio *Ferdinandi* Regis Conimbricæ in Divæ *Claræ* Monasterio vestem mutavit: sacratæque Virginis officium susceptum necessario, ad multam ætatem egregie præstitit, pertæsa rerum humanarum inconstantiæ varietatisque. Ex his contracto mœrore in febrim incidit *Alfonsus* Lusitaniæ Rex, quæ ipsum oppressit *Sintræ* in quo conclavi natus erat, ad 5. Kalendas Septembris anno millesimo quadringentesimo octogesimo-primo, ætatis quinquagesimo, Regni quadragesimo-tertio. Religiosorum ac doctorum hominum fautorem, Literarum studiis eruditum, qui primus Lusitanorum Regum Bibliothecam in propriis ædibus instruxerit; cibo, potu, & venere continentissimum, qui ab uxoris obitu annos tam 23. dumtaxat natus, summa castitate ad mortem usque vixerit, gentis Historici prædicant, & inter alios *Duardus Nonias*, *Leo* Jurisconsultus, Libro *De vera Regum Partugalliæ Genealogia*. Addit *Antonius Vasconcellus*, in redimendis captivis adeo profusum fuisse, ut Captivoram Redemptor vulgo nominaretur.

Alfonsi V. Regis elogium.

Bellum Africanum.

ARTICULUS III.

De FERDINANDO & ISABELLA Hispaniarum, JOANNE II. & EMMANUELE Lusitaniæ Regibus.

I. HEnrici Regis obitu, Castellæ Regnum ad *Ferdinandum* Aragonium, & *Isabellam* ejus uxorem, sororem *Henrici* pervenit, per quos Aragonia Castellaque unam in Monarchiam coaluerunt. Quibusdam Proceribus in *Jaanne* Principis fide perseverantibus, & Lusitaniæ Rege causam ejus suscipiente, bellum sustinendum fuit. *Zamora* a Lusitano capta, paulo post a *Ferdinanda* recepta est. Pugna ad *Taurum* urbem commissa, dubio ancipitique marte. *Taurus* deinde, aliæque arces de Lusitanis captæ. Bætica *Ferdinandi* & *Isabellæ* virtute prudentiaque pacata Castellam inter & Lusitaniam sancita pax an. 1479. Licentia superiorum temporum multa in Castella erant depravata, Mauris, Judæisque cum Christianis promiscue versantibus, nullo non commercii genere. Prava consuetudine asuque non pauci a piis infecti: plures Sacra Christiana quæ susceperant, patria superstitione abdicata, fide inconstanti, nullo vetante deserebant. Malo adhibitum remedium. Inquisitio in Castellæ Regno a *Ferdinando* & *Isabella* instituta. Huic Præfectus *Thomas Turrecremata* ex Dominicano Ordine vir prudens doctusque, Segobiensis Conventus Prior, præcipua apud Reges gratia, eorumque Majestati a Confessionibus. Auctoritas initio Castellæ finibus terminata, quarto post anno in Aragoniam transiit, *Gaalbe* & *Ortesia* ex eodem Ordine veteri instituto Inquisitoribus amotis. A *Turrecremata* Edictis proposita spe veniæ, homines promiscuæ ætatis, sexus, conditionis, ad decem & septem millia ultro crimina confessos commemorant: duo millia crematos igne, majori numero in vicinas Provincias fuga dilapsos. Ita *Mariana*, ex antiquioribus monumentis, Lib. 24. Cap. 17. Pace cum Lusitanis facta, Bellum Granatense Regum *Ferdinandi* & *Isabellæ* auspiciis, ductuque decem annis gestum est, plenum variis casibus, atrox præliis, successu lætum faustumque Hispaniæ, totique Christiano nomini; Maurorum Imperio ab stirpe convulso, quod septingentis amplius annis ea parte steterat in Hispania altis nixum fundamentis. Granata capta die secunda Januarii, anno 1491. De hujus belli historia legendi *Ælius Antonius Nebrissensis*, Decade 2. & *Mariana* Lib. 25. Ruscinonenses & Ceretanos ad Aragonium Imperium revocavit Rex *Ferdinandus* inito cum *Carolo VIII.* Rege Christianissimo fœdere, anno 1493. Idem annus *Christophori Columbi* reditu ex felici in Novum Orbem, sub *Ferdinandi* & *Isabellæ* Regum

Ferdinandus & Isabella Hispaniæ Reges.

Sacra inquisitio in Castella Regno instituta.

Bellum Granatense.

Florida & Hispaniola novi Orbis Insularum inventio.

Quid juris in Novum Orbem ex Alexandri VI. donatione Catholicis Regibus accesserit?

Ferdinandus Regno Neapolitano potitur.

gum auspiciis, Navigatione, Insignis lætusque fuit: Insularum *Principum*, quam deinde regionem *Floridam* nuncuparunt, & *Hispaniola* auri feracissimæ detectione nuntiata. De quarum Insularum inventione, legenda est ipsius *Columbi* Epistola ad *Raphaelem Sanxis*, edita Tom. 2. *Hispaniæ Illustratæ*, pag. 1282. Mox novi Orbis Donationem ab *Alexandro VI.* Romano Pontifice impetrarunt, qui nullum in eo Jus habebat, nisi permittendi ut illuc Evangelium inferretur, & Concionatores ad Christianam Religionem propagandam in eas oras mittendi: quod studium Catholici Reges etiam præ se ferebant; quamvis & Imperii fines dilatandi, & immensarum opum cupido eos æque sollicitarent. Quamobrem viribus armorum, non *Alexandri* VI. Diplomati debent Hispaniæ Reges quidquid Novi Orbis potiuntur. *Ludovico* XII. Regi Christianissimo infidus ingratusque *Ferdinandus*, in ipsum de Regno Neapolitano arma movit; quo potitus est, Gallis magna clade affectis: pulsisque anno 1503. Obiit *Isabella* Hispaniæ Regina, *Ferdinandi* conjux ad sextum Kalendas Decembris anni Domini 1504. fœmina animi magnitudine & prudentia nulli secunda, honestissimisque moribus, qui Canarias, Novum Orbem, ejectos Mauros, & hanc magnitudinem suam Hispania maxima parte debet. Maritum enim, etsi magnum ex se Principem, haud tamen tam altum splendidumque, ad ingentia illa facinora leniter impellebat, ducebatque. Hæredem ex asse in Regno Castellæ, cum nullum masculum superstitem haberet, *Joannam* majorem filiam scripsit, unaque *Philippum* Archiducem, Belgii Principem, ejus virum: addito tamen, juxta quæ ante biennium Regni Ordines postulaverant, si valetudine vel absentia, aut ob aliam quamcumque causam *Joanna* impediretur, aut omnino nollet Regni curam suscipere: uti ejus loco & nomine *Ferdinandus* Rex ejus administrationem susciperet, dum *Carolus* Nepos vigesimum annum attigisset. Regni procurationem *Ferdinandus* retinuit. Inde nata ipsum inter & *Philippum*, Socerum & Generum gravis controversia, quæ non multo post composita est. Anno 1505. alteram duxit uxorem *Ferdinandus Germanam Fuxensem*, Christianissimi Regis *Ludovici* XII. Neptim ex Sorore; quicum Fœdus iniit. Anno sequenti, *Philippus* Ardhidux cum uxore *Joanna* in Castellam profectus est: cui post unum & alterum colloquium, Castellæ administratione cessit, in avitum Aragoniæ Regnum secedens, indeque Neapolim contendens, ut res illius Regni componeret. Obiit interim *Philippus* Archidux, jureque uxorio Castellæ Rex. *Ferdinandus* ad Castellæ administrationem revocatus, cum *Joanna* Regina ejus filia, nec vellet, nec præ mentis infirmitare posset ad res gerendas incumbere. Interim *Ximenio* Hispaniæ Cardinali, Archiepiscopo Toletano, auctore ac duce, *Ferdinandus* Rex bellum Africanum felici successu confecit. Oranum, Bugia, Algerium, Tripolis captæ. Tunecius Rex & Tremesenius vectigal annuum Catholico Regi obtulerunt, Christianosque captivos omnes libertate donarunt. In ea Expeditione, *Petri Navarri* egregii belli Ducis virtus emicuit. Qui de his plura cupit, *Gomecium* consulat in Vita *Ximenii* Cardinalis, Lib. 4. & *Marianam* Lib. 29. Cap. 18. 22. & 23. Obiit *Ferdinandus* Rex Catholicus in vico Madrigalegio ad Castra Julia, dum Hispalim peteret, decimo Kalendas Februarii anno 1516. Sacramentis Ecclesiæ procuratus a *Thoma Matiense* Ordinis FF. Prædicatorum, qui ipsi a Confessionibus erat; anno ætatis circiter 63. Regni Aragoniæ ab obitu Patris 37. Castellæ 42. Princeps justitiæ cultu, prudentiæ laude, animi præstantia, imperii modestia, Religionis amore, bonarum artium studio excellentior omnibus qui umquam in Hispania extiterunt: in quo præter infidelitatem & inconstantiam in servandis promissis (qui sane fœdus in Rege nævus est) vix aliquid reprehensione dignum reperias. Condito Testamento, Cæsaraugustanum Præsulem Aragoniis rebus præfecit: Castellæ *Ximenium* Cardinalem, dum *Carolus* Nepos omnium Regnorum hæres, qui tunc in Belgio agebat, in Hispaniam veniret. *Adrianus* Decanus Lovaniensis, de *Caroli* Principis mandato Hispaniæ Cardinali in gerendis Castellæ rebus consors accessit.

Bellum Africanum.

Ferdinandi Regis obitus.

[illegible]gium.

Joannes II. Rex Lusitania.

II. *Alfonso* Lusitaniæ Regi successit in Regnum filius ejus *Joannes* II. ob animi præstantia, rerumque gestarum gloria *Magni* cognomen promeritus: multis egregiis virtutibus cæteros ætate sua Reges æquans, plures etiam superans. Initam initio Principatus in ipsius caput, ob servitatem judiciorum, conjurationem Deus avertit. De qua legendus *Mariana* Cap. ultimo Libri 25. de Rebus Hispaniæ. Res Guineæ sive Æthiophiæ Occiduæ prosecutus, missa classe sub ductu *Didaci Desambuco*, arcem eo loco, ubi auri permutatio cum cæteris mercedibus fieri cœperat, consentiente *Caramanza* regionis Principe, sub nuncupatione *S. Georgii* condidit, quæ postea in civitatem crevit. De his plura *Barrosius* Historiæ Asianæ Lib. 3. Sub ejusdem Regis auspiciis, *Jacobus Canus* Nobilis Lusitanus Regnum Congi in Æthiopia navigationibus suis detexit, Regemque ad Fidem Christi suscipiendam hortatus, nobiles quosdam pueros accepit, *Cazata*, seu (ut alii vocant) *Zacuta* Moderatore; per quem Rex *Congi* Lusitanum rogabat, ut illos Christianis Sacris initiatos, & in Religione rite institutos, cum piis aliquot doctisque Sacerdotibus remitteret, quorum opera Fides prædicari, & Ecclesia eo in Regno fundari posset. Qui in Lusitaniam appulsi, a Rege honorifice ac peramanter accepit & habiti sunt: qui & *Cazutam* e Sacro Fonte suscepit, eique nomen imposuit *Joannes*. Qua de re, præter *Joannem Barrosum* jam laudatum, legendus est *Maffæus* rerum Indicarum lib. 1. Non multo post, anno scilicet 1487. Promontorio *Bonæ Spei* transmisso, in Lusitaniam redit *Bartholomæus Diacus*, Rex vero *Joannes* terrestri itinere misit, qui Asiæ & Æthiopiæ inferioris regiones lustrarent, *Petrum Covillanium*, & *Alfonsum Payvam*. *Petrus* ad Æthiopiæ regem, quem *Pretiosum Joannem* vocant, pervenit, literasque *Joannis* Lusitaniæ regis obtulit. Cui adeo fuit acceptus, ut redire ipsi in Lusitaniam non permiserit, amplis possessionibus & nobili conjuge donato. Quamobrem literis dumtaxat Lusitaniæ regi aperire potuit visa explorataque, tam de *Calecutio*, & de *Ormutia* Insula ad Sinus Persici fauces jacente, a se lustratis, quam de Æthiopia. Lusitanarum Navigationum fructus sub *Joanne* Rege fuit Christianæ Fidei propagatio in Regno *Congi*, operantibus præsertim Dominicanis. Obiit *Joannes* Lusitaniæ Rex ad Balnea Alborensia in Algarbiis, die 25. Octobris an. 1495. ætatis 40. Regni 15. nulla prole legitima relicta. Illud semper habebat in ore, quod & opere comprobavit: *Indignum eam esse Regis nomine, cujus voluntas alieno penderet arbitrio*. Unde cum ex Angliæ Proceribus quidam e Lusitania ad suos rediisset, rogatus a rege quid in hac regione observatione dignum visum esset, respondit: *Vidisse hominem, qui cum omnibus imperaret, imperabat ei nemo.* In Beneficiis conferendis & remunerendo nullam faciebat moram. Id enim quod dare decreverat, cito dabat & sponte sua ne videretur magis ab eo extortum quam datum. Quare & accipientibus majora & honorificentiora videbantur Beneficia, ad quæ a Rege gravissimi judicii vocarentur: & gratia manebat apud ipsum, non apud Ministros. Hæc & alia in *Joannis* II. laudem apud *Duardum Nonium* lib. De vera Regum Portugalliæ Genealogia, *Vasconsellum* in Anacephalæosi, *Osorium* lib. 2. aliosque Lusitanæ Historiæ Scriptores legere est, qui ipsum in cœlum efferunt.

Fides a Lusitanis in Regnum Congitanum Æthiopiæ regionem illata.

Joannis Lusitaniæ Regis præclara sententia.

Emmanuel Lusitaniæ Rex.

II. Post *Joannis* Regis obitum, *Emmanuel* ejus Patruelis, Patruo *Ferdinando* natus, Pacis Juliæ Dux, Lusitaniæ Rex salutatus est. Initio regni, ut *Isabellam* Hispaniæ Principem, *Ferdinandi* & *Isabellæ* Regum filiam, conjugem promereretur, iisdem rogantibus, Mauros & Judæos Lusitaniæ finibus abscedere jussit, servitutis metu proposito, si qui post designatum tempus restitissent. Mauri in Africam continuo transmiserunt. Judæis non eadem facultas extitit, quibus paulo post novo Edicto filii sunt subtracti quatuordecim annis minores, & ad Baptismum compulsi: Quin & majores natu variis modis & indignis vexati, Christo nomen dederunt, plerique animo simulate. Unde postmodum occasione data, ad patriam superstitionem sunt reversi. *Emmanuelis* Regis mandato & auspiciis *Vascus Gama* Nobilis Lusitanus in Indiam Orientalem felici navigatione penetravit, regiones illas exploraturus, an. 1497. Post ejus reditum, Sæculo 16. ineunte, nova in Indiam a rege transmissa Classis, Duce *Petro Alvari Caprali* Nobili Lusitano. Ea navigatione detecta *Brasilia*; quam paulo post *Americus Vespucius* Florentinus, ejusdem *Emmanuelis* Regis nomine diligentius exploravit: a quo & ea Pars Novi Orbis, quæ Lusitanis paret, *America* appellata est. Missis deinde cum validioribus Classibus, copiisque, *Alfonso Albuquercio* & *Francisco Almedia*, quos Indiarum Proreges dixit, *Malacam*, *Molucas*, *Brasiliam*, aliasque Insulas antea incognitas Imperio suo adjecit. Multos reges subegit, & tanto maris terrarumque dissitus intervallo, tributarios & vectigales reddidit; alios in clientelam & amicitiam suscepit. Babyloniæ regis Classem superavit. Africanorum regum vires ingentes sæpe contudit.

Ejus Imperio Malaca, Moluco, Brasilia, aliaque Novi Orbis Insula adjecta.

tulit. Lusitaniam aum, argento, margaritis, ammatibus, alisque Orientalibus mercibus divitem; Indos & Æthiopes Evangelii prædicatione ditiores effecit. *Helenæ* Aviæ *Davidis Pretiosi Joannis* Æthiopum Imperatoris, ipsiusque *Davidis* literas per *Matthæum* Oratorem cum exquisitis muneribus missas, Latine reddidit *Paulus Jovius*; Libro suo *De Æthiopum Moribus* inseruit *Damianus a Goes*. De victoria a se in Africa reportatis, de *Azamoræ* expugnatione, *Almedinæ*, *Thitis*, & aliarum civitatum deditione, literas dedit ad *Leonem X.* Pontificem Maximum, quas legere est Tom. 2. *Hispaniæ Illustratæ*, pag. 1315. Novos titulos sibi sumpsit *Domini Guineæ*, *& Conquistæ Navigationis ac Commercii Æthiopiæ*, *Arabiæ*, *Persiæ*, *atque Indiæ*, *& Regis Algarbiorum*, *citra ultraque Mare in Africa*, &c. A vino per totam vitam abstinuisse; oleum nusquam gustasse, cibi parcissimum fuisse, inter ipsos ludos aliquid serii negotii egisse; decimas exemptionibus, venditionibus, alisque contractibus, fisco solvi solitas, Clericis, Monachis, & Sacratis Virginibus, Religionis ergo remisisse, Lusitani Scriptores produnt. Tres uxores habuit, scilicet *Isabellam* Hispaniæ Principem, ex qua filium suscepit *Michaelem* in cunis extinctum; *Isabellam* sororem *Joannæ*, quæ ipsi peperit *Joannem* Regni Successorem; *Isabellam Caroli V.* Imperatoris uxorem, *Beatricem* quæ *Carolo* nupsit Sabaudiæ Duci; *Ludovicum* Ducem Pacensem, *Ferdinandum*, *Alfonsum*, & *Henricum* S. R. E. Cardinales, *Eduardum*, *Mariam*, & *Antonium* brevia ævi infantes. Duxit tandem *Eleonoram* altera conjuge defuncta, *Philippi* Castellæ Regis filiam, *Caroli V.* Imperatoris sororem, ex qua suscepit *Carolum* mense quarto decimo ætatis defunctum, & *Mariam*. Obiit Rex felicissimus die 13. Decembris, anno 1521. ætatis 53. Regni 27. inchoato, magno sui relicto desiderio. Unde ejus ætatem auream Lusitani semper appellarunt. De ipsius gestis legendi *Osorius* Episcopus Silvensis in Algarbiis, & *Vasconcellus* S. J. in Anacephalæosi Regum Portugalliæ.

Ejus in Africa victoria.

Emmanuelis Regis liberi.

S C H O L I O N.

In hoc Articulo, pag. 391. & 392. Religiosi Censores hanc propositionem notant: *Alexander VI. nullum habebat jus donandi Indias Hispanis. Id debent Hispani suis armis, non Diplomati Alexandri.*

R. Nullum revera in Indiis temporale jus habebat Alexander VI. sed jus unum permittendi ut illuc Evangelium inferretur, Concionatores ad Christianam Religionem propagandam in eas plagas mittendi, Ecclesiam in illis fundandi, Episcopatus erigendi, &c. Sane Regna donare non potest, qui non est supremus illorum dominus: porro Summum Pontificem supremum esse Regnorum omnium Mundi Dominum temporalem, ne ipse quidem Cardinalis Bellarminus existimavit; & hujus opinionis falsitatem probat *Martinus Azpilcueta* Navarrus in Relectione cap. *Novit*, *De judiciis*, Notabili tertio.

Nota.

IN Alexandri XI. donationem inter alios hæreticos stylum acuit Hieronymus Benzo *l. 3. hist. nov. Orb. c. 3.* qui habetur *tom. 2. hist. Americ. p. 6.* ac Auctor libri, cui titulus: *Mare liberum*, *sive de jure*, *quod Batavis competit ad Indicana commercia*. Sed & inter ipsos catholicos sub lite fuit an Alexander potuisset Indiarum Reges dominio suo privare, cum non defuerint qui opinati sint non aliud Regibus Castellæ, & Lusitaniæ contulisse, quam quoddam *superintendentiæ & patrocinii jus* in illos infideles, postquam fidei catholicæ suavi jugo colla submisissent: *Valent. tom. 3. controv. disp. 1. q. 10. p. 7. v. ad secundum. Molin. dis. 29. & 35. Suar. de fid. disp. 32. sect. 2. num. 7. Freitas de Imper. Asiat. c. 7. & cap. 9. num. 2. & cap. 12. a num. 1.* aliique. E contra eo extendendam Pontificis potestatem, ut Indiarum regna Hispanis concedere potuerit, non pauci contendunt. *Jo. Lupi de Palacios in Tract. de Insul. Mar. Ocean. Masquard. de Sugaris in Tract. de Jud. & Infidel. p. p. c. 14. Francisc. Vargas de Episcop. Jurisd. confirm. 10. Anastas. Germon. de Sacror. immun. l. 3. c. 13. Anton. de Herrera hist. general. Indiar. decad. 1. l. 2. c. 4.* ac plures alii; eisque illi omnes addendi, quibus placet in Papa directam agnoscere potestatem in omnem qua late patet orbem terrarum. Audiatur Thomas Bosius de sign. Eccl. l. 4. c. ult. *His*, ait, *addi posset quod supra diximus, ab Alexandro VI. Indias occidentales & orientales æquis partibus inter Castellanos & Lusitanos divisas. Quod cum multis de causis efficere posset ille, tum vero ea quam S. Antoninus tradidit, quia scilicet Pontifex Christi Deique Vicarius quodcumque voluerit in terris ligat, ac solvit ob publicum bonum, jusque ipsi est infideles punire, cum juxta lumen naturale nequaquam vivunt, atque omni dominio privare. Atque ita non modo hæc potest, quatenus est necessarium ad salutem animarum, sed etiam quatenus est utile ad bonum publicum: Nam cum Christus Petro dixit, pasce, jussit ut subditos aleret omni subsidio spirituali ac temporali, ut post clarissimos Doctores adnotavit omni virtutum genere florentissimus Cardinalis Toletus.* Verum cum Bellarminus, quem communiter postea Theologi sequuti sunt, non aliam nisi indirectam in Pontifice quoad temporalia potestatem agnoscat, nullamque respectu infidelium eaque numquam usum fuisse putet, de Alexandri VI. donatione *lib. 5. de Roman. Pontif. cap. 2.* hæc habet: *Respondendum est non eo consilio factum, ut Reges illi proficiscerentur ad debellandos Reges infideles novi orbis & eorum regna occupanda, sed dumtaxat, ut eo adducerentur fidei Christianæ prædicatores, ac protegerent, & defenderent cum ipsos prædicatores, tum christianos ab eis conversos. Et simul ut impediret contentiones & bella Principum christianorum, qui in illis novis regionibus negotiari volebant.* Nec ab hac opinione, ut quidam putarunt, recessisse dicendum est per ea, quæ habet in Recognitionibus, seu Retractationibus ad eumdem librum & caput, illius enim verba ita sonant: *Quod attinet ad Bullam Alexandri VI. de divisione orbis nuper inventi, & debellatione Indorum occidentalium, cum ea scriberem, Bullam non videram, & ideo sequutus sum doctrinam Cardinalis Cajetani in 2. 2. q. 66. art. 8. Franc. Victor. in 2. relect. de jur. bell. & domin. & Dominic. a Soto in 4. d. 5. q. unic. art. 10. ad 5. tum propter eorum rationes, tum quia Cajetanus vixit tempore Alexandri VI. & supervixit, proinde facile scire potuit, quid sibi voluerit Alexander Pontifex, cum orbem recens inventum divisit.*

A R T I C U L U S IV.

De CAROLO Hispaniarum Rege & Imperatore hujus Nominis QUINTO, & JOANNE III. Rege Lusitaniæ.

I. DE *Ferdinandi* Regis Avi sui obitu certior factus *Carolus* Princeps in Belgio agens statim se Regem Hispaniarum dixit. De cujus gestis cum superius egerimus Cap. 5. de Imperatoribus Occidentis, Articulo 4. Paralipomena quædam dumtaxat hic attingemus ad Historiam Hispaniæ pertinentia. Paulo post *Caroli* Regis adventum in Hispaniam, obiit *Franciscus Ximenius*, Cardinalis Hispaniæ appellatus & Archiepiscopus Toletanus pene octogenarius, sexto Idus Novembris anno 1517. gravi febre correptus, quam ipsi peperit dolor ex missione ab Aula, publicisque negotiis conceptus, procurata Belgarum Aulicorum artibus, summæ ejus auctoritati invidentium. *Ximenii* res gestas octo Libris complexus est *Alvarus Gomecius* Toletanus. Vitam Gallice edidit vir Eloquentissimus D. Spiritus Flechier, Nemausensis Episcopus. Cum extremis vitæ temporibus serius, quam solebat, prodiret in publicum, & ea de re ejus æmuli apud Regem *Ferdinandum* conquererentur, multum inde detrimentum privatorum negotiis accedere causati, respondit Rex: *Plus momenti in unius Ximenii salute ad Reipublicæ incolumitatem verti, quam in omnium privatorum negotiis.* Anno Christi 1520. Mexica *Ferdinandi Cortesii* virtute subacta est, & Regum Catholicorum Imperio addita. Anno Christi 1525. *Franciscus Pizarus* Hispanus ad Isthmi Novi Orbis lævam *Peruam* * invenit, & octavo post anno, capto occisoque iniquissime contra fidem datam *Atabalipa* ejus Imperatore, universam Catholici Regis subjecit Imperio: omnium quæ repertæ sunt, venæ auri & argenti beatissimam gentem, si tanti fecisset hæc metalla, quanti Natio quæ illam ad ea potiunda ficta specie Religionis invasit ac pene delevit. Crudelitatem & carnificinam, quam Hispani in Novi Orbis incolas exercuerunt, ex quibus apparuit, ipsos Navigationes difficillimas primum suscepisse ad auri sacram famem explendam, non ad Fidem Christi propugnandam, probatæ fidei Auctores, nec ipsis Hispanis ullatenus suspecti, memoriæ prodiderunt. In his eminet *Bartholomæus Casa*, Castellanus, Episcopus Regiæ Civitatis *Chiapæ* in illa Nova Hispania, ex Ordine FF. Prædicatorum assumptus; qui

Cardinalis Ximenii obitus.

Mexica, & Perua Catholici Regis Imperio subdita.

* *Le Perou.*

Hispanorum in Novi Orbis incolas [illegible].

in Hispaniam navigavit, ut *Carolum V.* ad coercendam suorum immanitatem excitaret: editisque Hispanica lingua Commentariis, Hispanorum in illam regionem appulsorum feritatem ac nequitiam toti orbi manifestam fecit, asserens, quadraginta annorum spatio ad suum inde discessum, sublata de medio fuisse tyrannica illa & infernali (ut vocat) crudelitate amplius quindecies dena centena millia hominum, & intertas duorum millium leucarum Hispaniearum importatam vastitatem: cum nihilominus illi Novi Orbis homines optimis moribus præditi essent, maximeque dociles ad Christianam Religionem Legemque suscipiendam. Cujus loco, paucos illos, qui superstites fuere, Hispani docuerint, quæ in eum Orbem intulerant flagitia, blasphemias, furta, scortationes, aleam, aliaque id generis vitia, ad quæ comis eorum ac simplex indoles sua sponte non ferebatur. Hæc confirmant *Joannes Metalius Metellus*, Sequanus Jurisconsultus, præfatione in Historiam *Osorii* Lusitani de Rebus ab *Emmanuele* Rege gestis, ad *Antonium Augustinum* Archiepiscopum Tarraconensem; & *Hieronymus Benzonius* Mediolanensis, in suis Novi Orbis, quem pluribus annis peragravit, Historiis Italicis; quas Latio donavit una cum Auctariis & Annotationibus ex aliis hujusmodi Relationum Auctoribus *Theodorus de Bry* Leodiensis, Americæ Parte V. qui & Præfatione in Partem 4. ait, nullam se nosse gentem, in quam justius quadret quod Romanis quondam exprobratum a Britannis legimus apud *Tacitum* in Agricolæ Vita: *Raptores Orbis, postquam cuncta vastantibus defuere terræ, & Mare scrutantur; si locuples hostis est, avari: si pauper ambitiosi, quos non Oriens, non Occidens satiaverit: soli omnium opes atque inopiam pari affectu concupiscunt; auferre, trucidare, rapere falsis nominibus Imperium; atque ubi solitudinem faciunt, pacem appellant*. Quod tamen *Carolo* V. imputari nolim: Nam etsi nonnulli Theologi hanc Hispanorum violentiam, tyrannidem, cædesque, Jure Divino & humano licitas esse; & ad Christianam Fidem propagandam conducibiles obstinatissime contenderent, & *Genesius Sepulveda* Cordubensis, quicum *Bartholomæus Casa* ea de re acerrime concertavit: Religiosissimi tamen, doctissimi, & vere Spiritu Dei animati Præsulis, ejusdem scilicet *Bartholomæi* rationibus, monitis, adhortationibus ferventissimis victus Cæsar, Leges a Ducibus ac Præfectis servandas sanxit, quibus Hispanorum sævitiam coerceret, Indosque de sua clementia melius in posterum sperare juberet. Quos non armis ad fidem compellendos, sed benigne Sacra Doctrina, Verbi Divini prædicatione & sanctis exemplis ex infidelitatis tenebris educendos, judicavit postea *Pius V.* & *Sepulvedæ* aliorumque feralem opinionem in pulvere sepultam jacere æternum voluit. A *Paulo* III. Pontifice Maximo *Carolus V.* impetravit ut Novi Orbis & Indiarum Occidentalium Ecclesiæ, a Provincia Metropolitanæ Ecclesiæ Hispalensis cui suberant, disjungerentur, Hispalensi Archiepiscopo consentiente; Urbesque illarum regionum amplissimæ, *Mexica, S. Dominici & Regum* in Metropoles erigerentur; suis cuique Episcopatibus Suffraganeis attributis. Id factum anno 1547. Anno superiori miserat Cæsar in Peruanam provinciam *Petrum Gascam* Præsidem, virum Juris Consultissimum & integerrimum, qui Duces tyrannidem jam olim in miseros incolas exercentes, prudentia sua & industria in casses Justitiæ tractos, extremo supplicio affecit mense Aprili anni 1548. & Leges ab Imperatore conditas pro Indorum ab Hispanis injuste oppressorum levamento promulgavit, ut refert *Ulloa* in Vita *Caroli* V. Hispaniæ Regnum, aliasque ditiones tam in Europa, quam in America & Novo Orbe, *Philippo* filio suo unico cessit *Carolus* V. anno 1555. cum nominis sui gloriam *Plus ultra* dilatasset, quam Hercules ille monstrorum domitor laborum & itinerum suorum fines protulerat.

Crudelitas illa Carolo V. minime imputanda.

Novæ Metropoles in Indiis Occidentalibus erectæ.

II. Lusitaniæ Regnum *Emmanuel* Rex ad *Joannem* majorem natu filium, ejus nominis *Tertium* moriens transmisit. Is Classes in Indiam & Ethiopiam maximas destinavit: cum *Davide* Ethiopum Rege fovit amicitiam: ad ipsum Oratores misit, ab eoque suscepit. Legationis Æthiopicæ caput fuit *F. Christophorus Licanati*, in Baptismate *Zaga Zabo*, hoc est, *Gratia Patris*, nominatus, Episcopali Dignitate insignis. Cum ipso rediit *Franciscus Alvares* Sacerdos, *Emmanueli* Regi *Joannis* III. Patri a Sacris, ab eoque missus in Æthiopiam Orator. Huic David Æthiopum Imperator Legationem imposuit ad Romanum Pontificem, eique literas credidit ejus offerendas Sanctitati: ac dedit in Mandatis ut suo, Regnorumque suorum nomine, filialem ei obedientiam præstaret, anno 1524. suas adjunxit ad Christi Vicarium literas *Joannes Lusitaniæ* Rex sacri hujus commercii sequester, quas *Clementi* VII. reddidit *Franciscus Alvares*, cum *Davidis* Æthiopum Imperatoris literis ac muneribus, cujus etiam nomine ejus Beatitudini obedientiam exhibuit. Has literas a *Paulo Jovio* latinitate donatas, Libro suo *De Æthiopum Moribus* * inseruit *Damianus a Goes*. Quo in Libro quidquid de Moribus & Religione Christianorum Æthiopum scripsit, se didicisse profitetur a *Zaga Zabo* Æthiopico Oratore, quicum Ulisypone familiariter congressus est, & ex Libro quem *Franciscus Alvares* de eodem argumento edidit. Anno 1536. *Badar* Rex *Zambri* sive Cambaiæ, Baeaim civitatem nobilissimam, Diumque in Litoris Indici ingressu positam, natura & arte munitissimam, negotiationi ac bello opportunam, Lusitanis cessit, ut a continuis illorum in Regnum suum invasionibus, pace cum ipsis facta, liber esset. Ejus possessionem iniit *Joannis* III. nomine *Nonnius Acunia* Indiarum Prorex, lætissimumque nuntium tam faustæ deditionis ad ipsum citissime transmisit. Is vero lætitiæ partem effudit in sinum *Pauli* III. Pontificis Maximi datis ad ipsum ea de re literis, quas legere est Tom. II. *Hispaniæ Illustratæ*, pag. 1316. Cumque non minus esset Christianæ Religionis propagandæ quam amplificandi Imperii studiosus, Apostolicos Viros e Societate Jesu a Summo Pontifice & a *S. Ignatio* impetravit, *Simonem Rodericum & Franciscum Xaverium*, Lusitanum illum, hunc Navarrum; qui Evangelium Indis Orientalibus prædicarent. Et *Xaverius* quidem, quem unum Apostolatus hujus gloria manebat, in Indiam cum *Martino Alfonso Soaza* Indiarum Prorege designato navigavit, accepto a Rege Diplomate Pontificio, quo eum Nuncium Apostolicum in totis qua late patent Indiarum regionibus amplissima cum potestate creandum curaverat. *Simonem* vero ad excolendam pietate Lusitaniam, & Collegium Societatis condendum retinuit. Egregia bello facinora Lusitani regnante *Joanne* III. in India edidere, præsertim in Propugnatione Diensis civitatis, adversus *Solimanum* II. Turcarum Imperatorem, ipsam oppugnantem per *Solimanum* Eunuchum, Epirotæ Ægypti præfectum, anno 1528. & adversus *Mamadium* Cambaiæ Regem, nepotem *Baduarii*, ipsam obsidentem per *Sofarem Chium* Fidei Christianæ desertorem, anno 1546. De priori Oppugnatione Librum unum, de altera tres Libros scripsit *Damianus a Goes* Eques Lusitanus. De qua etiam *Jacobi Trevii* Lusitani Commentarius extat *Joanni* III. *Invictissimo Lusitaniæ & Algarbiorum Regi, Africo, Arabico, Æthiopico, Persico, Indico*, dicatus. Quos Libros & Commentarios habes Tom. 2. *Hispaniæ illustratæ*. Obiit *Joannes* III. Lusitaniæ Rex die 11. Junii anno 1557. ætatis 55. Regni 36. Quæstiones publicas de Fide in Lusitania haberi, primus a summis Pontificibus impetravit. Literarum studia excitavit; Olisiponensem Academiam Conimbricam transtulit, Doctorumque auxit honorarium. Benignitatis & clementiæ laudem promeritus est, ad absolvendum quam ad condemnandum propensior. In eligendis optimis Magistratibus diligentiam adhibuit singularem. Ex *Catharina* conjuge, filia *Philippi* I. Castellæ Regis, plures suscepit liberos, nullum habuit superstitem.

Joannes Tertius Rex Lusitaniæ.

* *Tom. II. Hispaniæ Illustratæ.*

Christiana Religio in Indias Orientales propagata.

Lusitanorum sub Joanne tertio Rege egregia bello facinora.

Inquisitio in Lusitania instituta.

Academia Conimbricensis.

ARTICULUS V.

De PHILIPPO II. Hispaniarum, SEBASTIANO & HENRICO Lusitaniæ Regibus, & Regni utriusque in PHILIPPO Rege Catholico conjunctione.

I. PHilippus *Caroli V.* Imperatoris filius, & Regnorum hæres, *Mariam* Angliæ Reginam uxorem duxit: nec tamen ab Ordinibus impetrare potuit ut Angliæ Rex coronaretur. Maxima clade Gallos affecit ad *Quintini* Fanum per *Emmanuelem Philibertum* Sabaudiæ Ducem, anno 1557. Pace cum *Henrico* II. Rege Christianissimo composita, & Matrimonio firmata, quo *Elisabetham* ejus filiam, defuncta *Maria* priori conjuge, uxorem duxit, in Hispaniam reversus est, Belgii procuratione relicta *Margaritæ* Sorori, *Octavii* Ducis Parmensis conjugi, anno 1559. Christianissimi Regis Oratoribus Principem locum post Cæsareos præripere conatus, Venetiæ Senatusconsulto causa cecidit anno 1558. & Romæ Decreto *Pii Quarti* Pontificis Maximi anno 1569. Fœderatis perduellibus adversus *Henricum Tertium* Regem Christianissimum, tuendæ

Philippus secundus Rex Hispaniæ.

tuendæ specie Religionis conjunctus, Bellum civile, conjurationemque Factionis Hcnoticæ studiis omnibus, viribusque fovit. Ab *Henrica Magno* pacem obtiuuit Vervinonsi Tractatu, anno 1598. Bellum Africanum gessit, Regnumque Tunetarum recuperavit *Joanais Austriaci* virtute anno 1573. sed brevis fuit de tam felici eapeditione lætitia. Anno enim sequenti Hispani a Classe & terrestri Exercitu *Solimi* Turcarum Imperatoris magna clade affecti, totaque Africa pulsi sunt. *Pio V.* Pontifici Maximo & Serenissimæ Venetorum Reipublicæ auxilia misit contra Turcas suorum Dueum culpa pene inutilia. *Geusios* (id nomen fœderatis & perduellibus Calvinistis in Belgio datum) per *Ferdinandum Alvarez a Toleta* Albæ Ducem domuit, Religionem in Provincia procuravit, Tridentinum Concilium & Librorum prohibitorum Indicem promulgari jussit, anno 1568. Belgas deinde violentis eaactionibus a se & universo Hispano nomine alienavit Dux Albanus. *Geusii* sub *Arausicani* Ducis vexillis iterum rebellarunt, Protestantibus Germanis, & segregibus Gallis opem ferentibus Anno 1576. Belgii Ordines Hispanis, eorumque fautoribus perduellibus publico Diplomate declaratis, Fœdus inter se inierunt, Consilii sui ac Fœderis sede Bruxellis constituta. Eo se obstrinxere non Hæretici tantum, sed Catholici etiem, & Ecclesiastici Viri. Frustra illud impedire tentavit *Joannes Austriacus* Regis Catholici nothus frater, Belgii Prorex designatus, quamvis Privilegiorum antiquorum & Immunitatum confirmationem Provinciis offerret. Fœdus Gandavi pactum die 9. Novembris, his conditionibus; Ut præteritorum oblivione sancita, deinceps inter Brabantiæ, Flandriæ, Artesiæ, Hannoniæ, Valencenarum, Insulæ, Duaci, Tornaci, Namurci, Ultrajecti, Mechliniæ, Hollandiæ & Zelandiæ Provincias, firma & sincera pax & concordia esset; in id ut communibus consiliis & viribus Hispanos Belgii hostes declaratos, & cæteros externos Milites, Belgio ejicerent: Ut iis ejectis, Ordines Generales congregarentur, in quibus de Reipublicæ administratione, de Religiono, de armis ageretur: Ut *Albani* Ducis Decreta in Hæreticos suspenderentur; Ut *Arausicanus* Præfectus Maris, & Hollandiæ ac Zelandiæ Præses esset *Philippi* Regis nomine, donec digressis e Belgio Hispanis, aliter ab Ordinibus decerneretur: Interim Religio Catholica Romana integra ubique, etiamquo in Hollandia ac Zelandia maneret. Anno 1577. Formula quædam Pacis inter *Joannem Austriacum* & Fœderatos Belgii Ordines condita est, haud diu duraturæ, quamvis ei *Perpetui Edicti* nomen inditum fuesit, eamque confirmaverit Rex *Philippus*; secundum quam Hispani omnes e Belgio amandati; *Austriacus* in Proregem receptus. *Arausicanus* novarum turbarum auctor fuit. Is Brabantiæ Gubernator proclamatus. *Matthias* Archidux Austriæ ab iis, quibus Catholica Religio cordi erat in Belgium vocatus, ut eam contra *Arausicani* Ducis molitiones tueretur, summam ejus auctoritatem considerans, Fœdus eum eo pepigit, Belgiique Præfectus fiduciaria potestate senuntiatus est, donec Rea aliter ex Ordinum sententia decerneret: Gandavensique Fœdere confirmato, Catholici & Geusii mutuam amicitiam ac defensionem jurarunt. *Austriacus* publicus hostis declaratus: ejus socii & asseclæ in jus vocati; nisi ad diem quintum decimum comparerent, tamquem patriæ hostes pariter proscripti. Cum *Elisabetha* Angliæ Regina mutui auxilii fœdus initum. Dux Arausicanus *Matthiæ* Archiducis Vicarius in Belgii Præfectura Ordinum Decreto constitutus. Bellum exinde *Joannem Austriacum* inter & Ordines majori acerbitate gestum, *Alexandro Farnesio* Ducis *Octavii Parmensis* filio cum Hispanorum & Italorum copiis in *Austriaci* auxilium advolante. Insignem de Geusiis victoriam retulit *Austriacus* anno ineunte 1578. cujus in præcipuo vexillo Crux depicta erat cum hec tessera: *In hoc signo vici Turcos; in hoc signo vincam Hæreticos*; fausto prorsus omine. Ordinibus suppetias tulere *Franciscus* Dux Andegavensis, *Henrici* Francorum Regis Frater, & *Joannes Casimirus* Palatinus Princeps. Inter hæc sub Arausicani Ducis auctoritate præcipua *Geusii* & numero & audacia crescere; Edictum a *Matthia* Arehiduce & Ordinibus extorquere de libera professione Calvinianæ Religionis in eivitatibus omnibus & locis, quæ illam amplecti vellent; Catholicorum templa invadere; sacras opes prædari, diripere; in Clericos & Monachos sævire: omnem Catholicæ Religionis cultum, ubi viribus superiores erant, abolere. Hannoniæ & Artesiæ Proceres, Catholicæ Fidei, quam pessumdari dolebant, tenacissimi, a communi fœdere tecesserunt, novumque

Belgicorum Ordinum fœdus adversus Hispanam Dominationem.

pro Catholicæ Religionis tuitione inierunt. His *Malecontentorum* nomen inditum, quod nec a Rege, nec ab Ordinibus starent, quod neutra pars illis satisfaceret, pro Religione non minus quam pro libertate vitam profundere paratis. Obiit *Joannes Austriacus* Kalendis Octobris anni 1578. anno ætatis 32. eo ipso die, quem ob Lepantinam & Tunetanum victorias festum agere consueverat. Illi in Belgii administrationo suffectus *Alexander Farnesius* Parmensis Princeps, qui singularis fortitudinis ac virtutis laude priscis Imperatoribus æquandus, totam belli molem in ea Provincia multos annos sustinuit.

Classis Hispanica clades.

Classis ingentis ac formidandæ centum circiter & quadraginta navium ad invasionem Angliæ adornatæ, anno 1588. ut *Elisabetham* Reginam e Solio dejiceret, ac Religionem Catholicam restitueret, cui Classi *Invincibilis* nomen inditum, ab Anglis ex parte dissipatæ tempestatibusque ac naufragiis quassatæ, cladem *Philippus Secundus* æquo animo tulit; Deo ac Sanctis gratias agens & per Hispaniam agi præcipiens, quod gravior, tristiorque non fuisset, afflictisque Militibus & Nautis misericordiam exhibuit singularem; Ducibus tantum nonnullis, qui mala officio suo functi erant, in ordinem redactis. Quæ clades casterium veluti fuit ejus ambitioni ac fastui a Deo adhibitum. Non parum enim superbum Principem pupugerunt hostium ejus Infelicitati insultantium dicteria, signataque ab ipsis pes ludibrium numismata cum Classe passis velis fugiente, & inscriptione: *Venit, Vidit, Fugit*. Patrem se esse oblitus est, ut Regem probaret: naturalem pietatem extinxit, ut Majestatem tueretur: cum *Carolum* filium primogenitum ex *Maria* Lusitana, ses novas (ut vulgatum est) molitum, in custodiam tradidit; in qua victus intemperie, & ciborum ingurgitatione post longam inediam, continuaque frigidæ aquæ potatione, contracta dysenterie, mortem sibi maturavit. Quam nihilominus imminentem sentiens, Christiano ac pœnitenti animo excepit, Ecclesiæ Sacramentis procuratus die 24. Julii, anno 1568. ætatis 24 Alii veneno extinctum ferunt, & varias carceris ac mortis ejus causas afferunt; pro suo quisque affectu vel in patris vel in filii memoriam stylo sævientes. Paulo post, Octobri scilicet mense, mortua est *Isabella* Regina *Philippi Secundi* uaor, Regis Christianissimi soror, ex immaturo partu, qui eum illa periit. Cujus loco postea *Philippus Annam* filiam *Maximiliani* Cæsaris, suamque ex sorore neptem cum Summi Pontificis venia quartis Nuptiis uxorem duxit. Bullæ *Cœnæ Domini* promulgationem a *Pio V.* ubivis Christianarum Gentium imperatam, suis in Regnis ac Ditionibus prohibuit, ob illud præcipue caput, quo Principes piorum Cœtu submovet, qui ab Ecclesiæ Ministris tributa, vectigalia, aliaque onera, quibus reliqui subditi obnoxii sunt, exegerint. Ita refert *Gabutius* in Vita *Pii V.*

Carolum filium primogenitum in custodiam tradit Philippus II.

Mors Caroli Principis.

Bullam Cœnæ Domini in suis Regnis ac Ditionibus prohibet Philippus II.

II. *Joanni* III. Lusitaniæ Regi successit *Sebastianus* ejus ex filio *Joanno* prædefuncto, & *Joanna Caroli V.* Imperatoris filia posthumus Nepos, trium annorum puer, sub tutela Aviæ *Catharinæ* ejusdem *Caroli* sororis, & *Henrici* Cardinalis, Patrui. Is aunum dumtaxat 24. natus, Expeditionem in Africam paravit, ut *Mahometum Xeripium* contra *Abdelmelechum* fratrem, quicum de regno Maroci & Fessæ bellabat, ab eo pene attritum juvaret. Hujus Expeditionis per se ipsum Dux esse voluit *Sebastianus* Rex. Juvenilis ardor, gloriæ cupiditas, & Christiani nominis propagandi desiderium flagrans, ipsum rapuit in medios hostea, nec quidquam ipsum deterrentibus Aviæ, *Catharinæ*, *Henrici* Patrui Cardinalis, & *Philippi* Regis Catholici Avunculi sui prudentioribus consiliis. Pugnatum est *Alcazariam* versus in campis Tonitensibus, die 4. Augusti anno 1578. *Abdelmelechus* gravi licet ægritudine oppressus, in lectica deferri voluit ad prælium, ut Mauris animus adderet, & *Hametem* juniorem fratrem bello præfectum consilio regeret. Mauros ab *Edaardo Menese* Duce Lusitano fractos retrocedere animadvertens *Abdelmelechus*, e lectica insiliit in equum, & ira vires sufficiente, in medios perrupturus pergebat ut pudore præsentie sua injecto, fugam suorum sisteret. Qui a suis vix revocatus, & præ ira compresso pene spiritu, ex equo titubans eecidit, indeque in lecticam illatus, monitis qui circa eum erant ut mortem suam celarent, animam efflavit, Princeps insigni fortitudine, prudentia, æquitate, nec Christianis infestus; qui & conditiones pacis gloriosas, utilesque *Sebastiano* Regi obtulerat. Christiani a Mauris *Abdelmelechi* furore animatis promiscue cæsi, *Sebastianus* Rex initio summi Im-

Sebastianus Rex Lusitaniæ.

Bellum Africanum.

Sebastiani Regis Magnanimitas.

peratoris officio functus, in tanta suorum strage frustra strenui Militis munus obibat, in singulas acies excurrens, & plerumque inter medios hostes viam sibi ferro aperiens, stupentibus Barbaris, & in juvene Principe tantum pugnandi robur mirantibus. Jam tres equos in prælio ictibus suffossos amiserat, & a Mauris salvam vitam spondentibus ut se dederet rogabatur, cum gloriam vita potiorem ducens, in medios cum tribus dumtaxat Equitibus, qui ei adstabant, prorupit, incredibili virtute obvios quosque cædens, quousque duobus suorum occisis, ipse quoque diuturna pugna deficiens, captus, & exarmatus est: exortaque de tanto Captivo inter Mauros rixa, a quodam Centurione confossus est, præsente *Nonio Mascharegna* qui solus e Lusitanis Proceribus cum ipso superetat. Vixit *Sebastianus* annos 24. menses 7. dies 15. Ejus cadaver secundo post prælium die inter mortuos septem vulneribus confossum, a *Sebastiano Resendio* ejus Domestico inventum, a *Melchiore* autem *Amaralio* Regio Consiliario captivo, qui in Lusitano Exercitu Duumvirum Capitalem agebat, agnitum est; postea vero ab aliis Proceribus & Nobilibus Lusitanis, & a *Vincentio Fonseca* Ordinis FF. Prædicatorum, qui Regi a Concionibus fuerat, deinde Archiepiscopo Goensi: ut facile convinci potuerint Impostores, qui *Sebastiani* Regis quasi e pugna elapsi, personam posthæc mentiti sunt.

Mors Sebastiani Regis.

Henricus Cardinalis Rex Lusitaniæ.

III. Nuntio de *Sebastiani* Regis nece in Lusitaniam perlato, Regia Insignia nomenque suscepit *Henricus* Cardinalis Presbyter *SS. Quatuor Coronatorum*, & Archiepiscopus Eborensis, magnus ejus Patruus, *Joannis III.* frater, *Emanuelis* Regis filius, ad quem Regnum jure devolutum erat cum cœlebs obiisset *Sebastianus*, nec illus esset agnatione propinquior. Annum agebat ætatis 67. & languida ejus valetudo Regnum brevi vacaturum minabatur, incerta successione: Competitores erant *Philippus* Hispaniæ Rex ex Isabella *Henrici* sorore, & *Emanuelis* Regis majore filia natus; *Philibertus Emanuel* Dux Sabaudiæ ex *Beatrice* filia *Emanuelis* Regis altera genitus, *Rayantius Farnesius* Dux Parmensis, ex *Maria* filia *Eduardi* Henrici fratris pronatus; *Catharina* minor ejusdem *Eduardi* filia, nupta *Joanni* Brabantiæ in Lusitania Duci. *Antonius* Crati Prior *Ludovici* Henrici fratris filius nothus, ad Regnum ambiendum Populi favore & ipse sublevabatur. *Catharina* denique *Henrici* Francorum Regis Mater Jus in illud Regnum remota quidem ab origine repetebat, sed cui temporis diuturnitate, & violenta aliorum possessione præscribi non potuisse contendebat. Horum omnium Jura a celeberrimis illius ætatis Jurisconsultis disceptata sunt. *Philippus* Rex Catholicus suum per literas & Oratores *Henrico* Regi & Lusitanis proceribus exposuit, ubi rationes nihil possent, armis vindicare paratos. Bis ab *Henrico* Rege congregata de Regni successione Comitia, nullo operæ pretio: quin majores ex iis motus secuti. Obiit *Henricus* Rex Amerini, dum Regni Conventus ageret die 9. Januarii, an. 1580. cum mense 17. regnasset.

Philippus II. Lusitaniæ Regnum sibi subjicit,

IV. *Philippus II.* Rex Catholicus potenti Exercitu terra marique comparato, jus suum armis vindicare decrevit, certus Theologorum suorum Responsis, quos conscriptis jam copiis, & instructa classe consuluerat, ut aliquid famæ daret, se nullo conscientiæ vinculo teneri ad subjiciendum se hac in Controversia Jurisdictioni aut arbitrio cujuscumque; cum nullum agnosceret hac in re Superiorem; nec quidem Undecimvirum, qui ab *Henrico* Rege fuerant de Jure successionis in Regnum Judices constituti: cum ipsos nullam a se habere auctoritatem perspicuum esset & quæ a Rege mandata fuerat, ipsius morte desiisset: vel denique Romani ipsius Pontificis *Gregorii Decimi-tertii* qui causæ judicium ad se trahere conabatur pacis componendæ studio; cum res mere solii esset, Auctoritati Pontificiæ, ac Sacræ Jurisdictioni nullatenus subjecta. Interim *Antonius* Crati Prior a Lusitanis ab Hispana dominatione abhorrentibus Rex proclamatus est. Prælio dirempta controversia, die 25. Augusti anni 1580. ad vicum *Alcantaram* mille passus ab *Olisippone* distantem. Profligatus & in fugam versus est *Antonius*. Lusitania universa in *Philippi* Regis Hispaniarum ditionem ac potestatem redacta est bello intra quinquaginta octo dierum spatium confecto. Indiæ etiam Orientalis, & Africæ Arces, Lusitaniæ Regibus subditæ, ad ejus obedientiam concesserunt. Regni Comitia Tomari habuit anno 1581. ibique rebus constitutis, Olisipponem solemni pompa ingressus est die Festo SS. Apostolorum *Petri* & *Pauli*. Subigendæ supererant *Azoræ*, Insulæ in *Antonii* fide pertinaces. Classis

Antonius a Lusitanis Rex salutatus, a Philippo vincitur.

Gallica sexaginta circiter navium, sex millia circiter bellatorum vehens, a *Catharina Medicæa* Christianissimi Regis Matre, sub *Philippi Strozzi* Florentini ductu & imperio, in auxilium *Antonii* transmissa. Classes Inter Hispanam & Gallicam pugna commissa est, & magna contentione pugnatum die 26. Julii anno 1582. Victoria penes Hispanos stetit. *Sanctacrucius* Hispanæ classis Præfectus captivos omnes Gallos in quibus erant 28. Proceres, ex cætera nobilitate 52. cum gregariis militibus, ad mortem damnavit, & carnificis gladio, aut furca extingui jussit, inaudito etiam apud gentes immanitate barbaras crudelitatis exemplo. Quin & Sacerdotem Gallum, cui singulos peccata confiteri permisit: postea eodem supplicio affecit. Truculentum facinus contra usum omnem Christianorum, contra fas omne Religionis Catholicæ, Rex *Philippus* imperaverat, cujus Mandata *Sanctacrucius* opposuit Hispanorum Militum precibus, pro captivorum salute ipsum interpellantibus. Unde & *Sanctacrucium* ex illa expeditione reducem summo honore *Philippus* Olisippone excepit. Ubi & gratiam præteritorum Lusitanis qui ab *Antonio* steterant, olim factam ampliavit, Clericis tamen & Monachis semper exceptis, quos ad duo millia hujus belli occasione delevit. *Albertum* Cardinalem *Austriacum Mariæ* Augustæ sororis suæ filium, ac *Rudolphi* Cæsaris fratrem, Lusitaniæ Proregem creavit, quem & Apostolica per totum Regnum Legatione ornavit *Gregorius* XIII. Pontifex Maximus. De *Sebastiano* & *Henrico* Lusitaniæ Regibus, & de rebus a *Philippo* II. gestis pro Regno Lusitaniæ obtinendo, lege *Antonium Viperanum* lib. *De obtenta Portugallia*, quem *Alberto* Cardinali Austriæ Archiduci, Lusitaniæ Proregi dicavit; & *Hieronymum Conestaggium* Patritium Genuensem Libris decem *De Portugalliæ conjunctione cum Regno Castellæ*.

Sanctacrucii Hispania Classis Præfecti in Gallos captivos crudelitas.

Obiit *Philippus secundus* in Monasterio *S. Laurentii Escurialis*, quod Regio sumptu septem a Madrito leucis extruendum curaverat, & amplissimis reditibus locupletaverat, & in quo sepulturam elegerat, die 13. Septembris anno millesimo quingentesimo nonagesimo-octavo, ætatis 75. Regni Hispaniæ a Patris renuntiatione 43. Lusitani 18. a *Garsia Loaisa* Toletano Archiepiscopo Ecclesiasticis Sacramentis procuratus; Princeps in Politicis rebus administrandis eximius, in adversis constans, consilio melior quam manu: de quo scite a quopiam dictum est: Neminem umquam absque motu plura movisse. Quippe qui domi sedens, negotium cæteris per cunctas pene orbis regiones facessiverit. Immortali certe laude dignus, quod Hispaniam ab hæresi, quæ alia Regna infecit, puram illibatamque servaverit: Cujus dominationem nisi fastus incredibilis & severitas immanis dedecorassent, inter absolutissimos Principes numerari posset ac celebrari. Hæredem omnium Regnorum & Ditionum reliquit *Philippum* filium, ejus nominis *Tertium*, superstitem unum ex pluribus quos ex variis uxoribus susceperat, natum annos 20. Belgicis Provinciis *Claræ Eugeniæ Isabellæ* filiæ suæ, quam *Alberto* Archiduci uxorem destinaverat, in dotem attributis, cum Burgundiæ & Carolesii Comitatibus.

Editi sunt Tom. 1. Hispania Illustrata.

Philippi Regis obitus.

Ejus elogium.

C A P U T XIII.

DE REGIBUS ANGLIÆ XV. & XVI. Saeculis.

A R T I C U L U S I.

De HENRICO IV. HENRICO V. HENRICO VI. & EDUARDO IV.

Henricus IV.

I. R*ichardo secundo* Rege anno millesimo trecentesimo nonagesimo-nono, exauctorato, & ex abundanti abdicare coacto, Angliæ Regnum usurpaverat Henricus *Lancastrius*, ejus nominis *Quartus* appellatus, superstite licet *Rogeris* Marchiæ Comite, cui jure agnationis corona debebatur: sed mensura juris vis erat. Regnum sibi firmavit parricidio. *Richardum* sustulit, veritus ne ad ipsum Angli pro innata levitate deficerent. Ad minuendam invidiam facinoris, vulgatum est, ipsam spontanea inedia mortem sibi conscivisse: quod *Polydorus Virgilius* non admittit; in medio relinquit *Harpsfeldius*. Variis motibus, conjurationibusque Procerum, *Henrici Percii*, & *Duglassii* Comitis Scoti, bellisque civilibus in VVallia excitatis, turbulentum ejus Regnum fuit & inquietum. Congregato Conventriæ Parlamento, cum Proceres VVickleffia-

ckleffiani hæreseos veneno afflati Regi suaderent, ut exhausto ærario, in Ecclesiæ bona manum mitteret, animose restitit *Thomas Arundellius* Cantuariensis Archiepiscopus. Rex propositum sibi esse dixit, Ecclesiæ Jura, Libertatemque servare. Clerus subsidia Regi concessit, ut refert *VValsinghamus*. Bello fuit a Gallis lacessitus, donec *Isabellam* Caroli VI. Regis Christianissimi filiam, *Richardi II.* Regis uxorem, cum dote & supellectili in Galliam remisisset. VVickleffistas execratus est & insectatus. In Regni Comitiis novi Principatus exordio celebratis, Regem obtestatus est *Arundellius* Archipræsul, ut Provisiones abrogaret, per quas fiebat ut docti & pii viri in Academiis rerum victusque inopia premerentur, studiaque deserere cogerentur, cum opima interim Beneficia indoctis & ambitiosis accrescerent. Rex id se curaturum promisit. Ecclesiæ commodas Leges tulit, statuitque ne ulla Ecclesia in proprietatem alicujus sive Cœnobii sive Capituli transferretur, nisi congrua portione delibata ad commodam Vicarii sustentationem, & altera ad pauperum Parochianorum usum quotannis eroganda. Edixit etiam ne Clerici ad sæculare tribunal traherentur, & ne pro Regiæ familiæ commeatu res suas vendere cogerentur. Vetuit insuper ne pueros infra 14. ætatis annum Religiosi Mendicantes monastico habitu induerent, absque parentum vel tutorum consensu. Pacato Regno, de sacra in Palæstinam expeditione consilia agitavit, Comitiaque Regni indixit ea de re cum Ordinibus deliberaturus. Clerus Anglicanus anno 1412. a *Thoma Arundellio* Cantuariensi Archipræsule in Synodo congregatus, a Rege plurima postulavit Ecclesiæ Libertates & Privilegia, quæ convellebantur in dies, spectantia. Summa capita postulatorum *Harpsfaldius* refert, Historiæ Ecclesiasticæ Anglorum Sæculo 15. *Postulatum est, ne cum quisquam a Clero proscribatur aliquam ob causam, decimæ, oblationes, & bona Ecclesiæ idcirco regiis usibus cederent. 2. Ne cum Vicarii propter Vicariæ tenuitatem atque vilitatem, accessionem & incrementum, ubi Rex aliquarum Ecclesiarum esset patronus, apud Ecclesiasticum Tribunal postularent, cognitio illa Rescripto (ut fiebat) Regio interpellaretur. 3. Ne, cum fructus Ecclesiarum, quarum Patronus erat Rex, sequestrarentur, quod Curæ Parochiali idonee non prospiceretur, Regis Rescriptum ad Ecclesiasticorum cognitionem perturbandam decerneretur. 4. Ne Cœnobia, e quibus exteri quasi Regni hostes ejecti essent, Laici usurparent, sed alii Monachi ex Anglis sufficerentur.* Cleri petitionibus ne Rex satisfaceret morte interveniente vel alia causa prohibitus est. Obiit die 20. Martii, anno 1413. Londini in ædibus Abbatis VVestmonasteriensis, in cubiculo cui nomen *Jerusalem*, ex quo impletum vaticinium collegit, quo prænuntiatum fuerat *Jerusalem* sibi fatalem fore. Collegium VVindesoriense magnificis ædibus, possessionibus, privilegiis, & cumprimis delato illuc *S. Georgii* Martyris Ordinis Periscelidis & Militiæ Anglicanæ Patroni capite, ornavit.

Henricus IV. Leges Ecclesiæ commoda.

Anglicani Cleri postulata.

Henricus V.

II. *Henrico* IV. in Angliæ Regnum successit *Henricus* V. eius filius, 26. annorum Princeps, quem Regem factum, solutiorem adolescentiæ vitam ejectis ex Aula voluptatum lasciviæque sociis, ita emendasse tradunt *VValsinghamus* & *Polydorus Vergilius*, ut cæteris virtutis & modestiæ exemplo esset. Carthusianis, & Brigittanis Virginibus duo Cœnobia extruxit, fundavit, locupletavit. Ad Magistratus & publica Munera viros integerrimos, & ab omni avaritiæ labe aut partium studio puros adlegit. Sic inito a pietate & justitia Imperio, bellum Galliæ intulit occasione captata ægritudinis *Caroli* VI. feruliumque dissidiorum inter Principes flagrantium. Gallis Azincurtio prælio superatis, occupata Normannia, aliisque provinciis, Regem, Regnumque, cum *Catharina* Regis filia sibi collocata, tradente *Philippo* Burgundiæ Duce, in potestatem accepit, Regnique hæres & Rector, iniquissime proscripto *Carolo* Delphino Regis filio, renuntiatus est, anno millesimo quadringentesimo vigesimo. Injustarum victoriarum cursum stitit Deus Gallicis rebus propitius. Obiit enim in Castro Saltus Vicennarum prope Parisios, die ultima Augusti, anno 1422. De quo legendi *VValsingamus* & *Polydorus Vergilius* Libro 22.

Bellum Gallicum.

Henricus VI.

III. Filium unicum reliquit ex *Catharina* Regis Christianissimi *Caroli VI.* filia *Henricum Sextum* Regni hæredem, anniculum puerum, cujus educationem *Thomæ* Exoniæ Duci, & *Henrico* VVintoniensi Episcopo commendavit. *Joannem Betfordiæ* Ducem, fratrem suum, Regni Francorum: *Humfredum* fratrem alterum, Ducem Clocestrensem, Regni Anglici Procuratorem instituit. *Henricus* VI. Rex Franciæ ab Anglis proclamatus & coronatus, haud diu potitus est iis, quæ Pater ipsi in Gallia reliquerat. „ Hebetatæ sunt, pauloque post prorsus interiere omnes „ Anglorum vires & recens gloria (inquit *Harpsfeldius*) & quæ Pater in Gallia, aut re, aut spe pos„ sedit universa & suum etiam postea Regnum inte„ stinis dissidiis, importunaque suorum ambitione, „ cum ipsa vita filius perdidit. Ortis in Anglia domesticis Principum dissidiis, *Humfredo* Regni Procuratore in Comitiis apud Buriam per calumniam accusato, deinde ab æmulis interempto, Angli intra quinquennium Normannia tota & Aquitania exciderunt; Galliaque demum sunt penitus ejecti anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo tertio. Post hæc, invalescente Principum factione cujus auctor erat *Richardus* Dux Eboracensis, Rex *Henricus* collatis signis ab illo superatus est anno millesimo quadringentesimo sexagesimo; & Consilii Decreto sancitum, ut post *Henrici* mortem Hæreditas Regni familiæ Eboracensi veniret, interimque *Richardus Eboracensis* Regni Rector esset. *Margarita* Renati Andegavensium Ducis filia, *Henrici* Regis conjux, virilis animi fœmina, haud exigua manu contracta pro viri libertate, qui captivus Londini detinebatur commisso prælio, *Richardum* profligavit, cæcidique. Tum subeuntem auxilio *Richardum* alterum VVarvicensem Comitem in fugam conjecit, ac virum restituit in Regnum. Postea *Eduardus* Marchiæ Comes *Richardi* filius, Comitis VVarvicensis auxilio *Henricum* vicit, & ex Anglia, cum *Margarita* conjuge in Scotiam fugere compulit, Rexque ipse renuntiatus est tertio Kalendas Julii, anno millesimo quadringentesimo sexagesimo primo.

Angli ex Gallia penitus ejecti.

Henricus ab Eduardo Marchiæ Comite victus, & ex Anglia pulsus.

Eduardus quartus.

IV. *Eduardus* Rex hujus nominis *Quartus* appellatus, Comitiis habitis, Regni statum civili bello collapsum restituere satagit; eoque auctore omnia *Henrici* Acta rescinduntur. *Henricus* collecto apud Scotos Exercitu victus pro more est; cumque in Angliam inconsiderate rediisset, captus, Londinumque ad *Eduardum* ductus; in custodiam traditus est. Tum *Eduardus* hostili metu pene solutus, convocato ad VVestmonasterium Parlamento, rebus domesticis constituendis totum fere quadriennium impendit, conciliare satagens Principum Nobilium, Populique animos, illosque omni humanitatis & beneficiorum genere promereri. Externorum etiam Principum & amicitias & affinitates quæsivit. Atque in primis *Margaritam* sororem *Carolo* Philippi Burgundionum Ducis filio collocavit: deinde *Richardum* VVarvicensem comitem in Galliam misit, qui *Bonam* filiam *Ludovici* Sabaudiæ Ducis *Carolæ* Reginæ Francorum sororem, sibi uxorem peteret. Dum comes in Regia Francorum eo de matrimonio ageret cum *Ludovico* XI. apud quem degebat *Bona* in Reginæ comitatu, *Eduardus* mutato repente consilio, alteram uxorem duxit, *Elisabetham*, *Richardi Riverii* comitis filiam, *Joannis Graii* Equitis viduam. Hinc initium ortæ *VVarvicensem* inter & *Eduardum* simultatis, quæ in apertas inimicitias erupit. De *Henrico* in Regnum restituendo consilia cum amicis communicavit *Richardus* VVarvicensis, quæ *Ludovici* XI. Christianissimi Regis ope ad exitum feliciter perduxit anno millesimo quadringentesimo septuagesimo primo. *Eduardus* vero *Carolo* Burgundiæ Duce suppetias ferente Regnum quod amiserat, recepit sexto post mense: & *Richardo VVarvicensi*, in pugna interfecto. *Eduardo* VVaalliæ Principi, unico *Henrici* Regis filio, nec-non ipsi *Henrico* vitam eripuit anno millesimo quadringentesimo septuagesimo-primo. Regnavit *Henricus* VI. Angliæ Rex annos octo & triginta, & post receptum regnum, sex menses. Vixit annos 52. Princeps pietate, simplicitate, patientia in adversis, aliisque egregiis virtutibus Deo acceptissimus: cujus sanctimoniam miracula ad ejus sepulchrum patrata comprobasse tradit *Polydorus Vergilius* Libro 24. de iisque agit *Harpsfeldius* Historiæ Ecclesiasticæ Anglorum Sæculo 15. cap. 5. *Eduardus* vero obiit anno millesimo quadringentesimo octogesimo tertio, quinto Idus Aprilis ætatis anno 51.

Henricus sextus in Regnum restitutus.

Henrici sexti mors & sanctimonia.

JOANNIS DOMINICI MANSI

Nota.

DE celebri pugna ad Azincurtiam legendus est Æneas Sylvius in opusculo sæpius a me laudato de Viris ætate sua claris, qui & addit Henricum cum vidisset plures remansisse in exercitu suo de Gallis captivos, quam esset militum suorum numerus, ac propterea timeret, ne captivi illi arma resumerent cum suorum periculo, interfici omnes illos jussisse paucis e proceribus exceptis, inter quos Dux Aurelianensis vivus superfuit. Tum prosequens addit: *Hinc origo victoriarum fuit, hinc nomen ejus crevit, hinc territi Gallici comparere numquam ausi sunt, ubi ejus vexilla viderunt. At is postea morbo contracto vitam finiit, qui si aliquandiu vixisset, omnium fert opinio, Regnum Franciæ in ejus potestatem venisset; nec ipsa hoc contentus, ut est ambitus humanus, ampliora quæsivisset. Hic apud Anglicos omnes plumas, in quibus dormiebatur, prohibuit, lectosque lana dura fieri decrevit, ne corpora hominum mollescerent, hujusque mens erat, accepto Franciæ Regno omnes vineas amputare, vinique usum suis subditis interdicere; nam fieri homines vino languidos, inertes, insensatosque dicebat. Quo fit, ut morti suæ, quamvis magnæ virtutis fuerit, minus condoleam, libentius enim ipsa, quam vina carere; quamvis fatear, si quis eo modo bibat, ut mos est Anglicis, vinum hebetare hominis ingenium.*

ARTICULUS II.

DE EDUARDO V. RICHARDO III. & HENRICO VII.

Eduardus V.

I. DUos filios minorennes reliquerat *Eduardus* IV. scilicet *Eduardum* VValliæ Principem, annum ætatis circiter 13. agentem & *Richardum* Ducem Eboracensem, biennio minorem, sub tutela *Richardi* fratris Glocestriæ Ducis. Hic majorem natu *Eduardum* Angliæ Regem proclamavit ejus nominis *Quintum*. Sed paulo post *Eduardum* ipsum, ac *Richardum* fratrem nothos, *Elisabetham* Reginam matrem adulteram, adornata calumnia denuntiari curavit, subornato ad eam publicandam e suggestu *S. Pauli* Londinensis Pseudo-Theologo quodam nomine *Shaio* Duce *Bukingamiæ* favente, & auctoritate sua immani calumniæ pondus addente. Denique *Eduardo* Rege ejusque fratre *Richardi* interfectis, tyrannidem invasit, Rexque appellatus est, *Richardus* ejus nominis *Tertius*. Longa non fuit tam gravibus parta sceleribus dominatio. *Henricus* enim Richemandiæ comes, *Henrici Sexti* ex fratre nepos, Anglici regni legitimus hæres, *Thoma Stamleio* & *Guillelmo* fratribus aliisque proceribus, quos magno numero in partes traxerat ad excutiendum Tyranni jugum opitulantibus, illum justo prælio fudit ceciditque ad 11. Kalendas Septembris, anno millesimo quadringentesimo octogesimo-sexto. De his legendi *Polydorus Vergilius* Libro 25. Anglicanæ Historiæ, *Thomas Morus* in Vita *Richardi*, & *Nicolaus Harpsfeldius* Historiæ Ecclesiasticæ Anglorum Sæculo 15. Cap. 6.

Richardi Glocestriæ Ducis immanis calumnia.

Richardus tertius.

Henricus VII.

II. *Henricus* VII. ex multiplicibus insidiis divina providentia servatus, avitum regnum vindicata ab immanis Tyranni dominatu patria, consecutus est. *Elisabetham* Regis *Eduardi* IV. filiam ex Eboracensi familia uxorem duxit. Quo Matrimonio Lancastriorum & Eboracensium famosa illa, & Anglis exitialia odia restincta sunt. Hujus regis saluti contra ascititios & personatos *Eduardi* regis, & *VVarvicensis* comitis filios, aliasque conjurationes & seditiones gravissimas Deus Optimus Maximus consuluit: summamque tandem & singularem ab omnibus tam domesticis quam externis bellis quietem illi indulsit. Ad cujus boni cumulum & illa felicitas accessit, ut accuratior illa atque exquisitior Latinæ, Græcæ, & Hebraicæ linguæ, artiumque optimarum cognitio, quæ diu in Anglia jacuerat, & viri undequaque doctissimi florere passim inciperent: quos inter *Joannes Coletus* Londinensis Ecclesiæ *S. Pauli* Decanus & Concionator egregius, nomen sibi peperit immortale. Leges tulit Ecclesiæ & Reipublicæ utilissimas, quibus fœneratores, mulierumque raptores coercuit. Episcopis, aliisque Ecclesiæ Præfectis negotium facessi vetuit ob Clericorum incontinentium incarcerationem. Advocatos instituit, qui causas pauperum gratis agerent. Princeps erat insigni prudentia, modestia, temperantia, benignitate, ab omni fastu & arrogantia alienissimus; justi & æqui observantissimus qui tamen Judiciorum severitatem misericordia & lenitate, ut se dabat occasio, prudenter temperaret. Singulari erga Deum, & Divina, Sacratosque Viros pietate afficiebatur. Binas, ternasque quotidie Missas audiebat. Pauperum miserias profusa liberalitate sublevabat. Pecuniæ colligendæ, mulctæ præsertim nomine ab iis qui in Leges peccabant, populo studiosior videbatur, quam tamen adhuc vivens piorum consilio restituit. Omnis etiam pecuniæ quam a Judicibus Fisci præter Jus corrasisse sibi videbatur, restitutionem supremis tabulis imperavit. Cœnobia & Xenodochia plurima extraxit, ornavit. Morti proximus, Edicto toto regno promulgato, omnibus qui Leges violassent, pœnas remisit. Ab ea gratia excepit fures & homicidæ, quod hæc facinora non ipsum, sed alterum læsissent. Obiit 11. Kalendas Maii anno millesimo quingentesimo octavo, ætatis quinquagesimo-secundo regni vigesimo-quarto. Octo filios ex *Elisabetha* uxore suscepit, quatuor mares, totidem fœminas, tres dumtaxat superstites reliquit, *Henricum* VValliæ Principem, regni hæredem, *Margaritam* & *Mariam*. De ipso plura *Polydorus Vergilius* Libro 26. & *Harpsfeldius* 15. Sæculo Historiæ Ecclesiasticæ Anglorum cap. 7.

Henrici septimi elogium.

Henrici septimi Liberi.

ARTICULUS III.

De HENRICO VIII.

I. SEptimi post *Henrici* mortem Rex Angliæ salutatus est *Henricus* VValliæ Princeps ejus filius, Anglorum Regum, ejusnominis *Octavus*, annorum duodeviginti adolescens. *Catharinam Ferdinandi & Elisabetha* Hispaniæ Regum filiam, *Arthuri* fratris sui Viduam, qui nullos ex ea liberos susceperat: immo ob ætatis imbecillitatem, ac lentum, quo conficiebatur, morbum, nequidem virginitatis ejus florem delibasse dicebatur, *Julio* II. Pontifice Maximo juris humani, quod unum obstabat, vinculum solvente de Theologorum & Jurisperitorum doctissimorum consilio, uxorem duxit: Ex qua tres filios, duasque filias suscepit, paucis post nativitatem mensibus præreptos. Sola *Maria* utrique parenti superstes vixit. Cum *Julio* II. & Hispaniæ Rege adversus *Ludovicum* XII. Regem Francorum fœdus iniit, Pisanum Concilium execratus est, Regni sui Antistites ad Lateranense mittendos decrevit. Rerum civilium & bellicarum gloriæ novum decus addidit, cum adversus *Lutherum* pro summa Religionis Catholicæ Libellum edidit plenum pietatis & eruditionis, propter quod Illustre *Defensoris Fidei* nomen Pontificio *Leonis* X. Diplomate consecutus est. *Thomas VVolsæus* non humili tantum loco, sed & vili natus, ad summas Ecclesiæ, Aulæque Dignitates adrepserat, Eboracensis Archiepiscopus, Regni Cancellarius, S. R. E. Cardinalis, & Sedis Apostolicæ per totam Angliam a Latere Legatus creatus; vir summa apud Regem gratia & auctoritate. Quo ut ad sua consilia *Carolus* V. uteretur, per ipsumque *Henricum* Regem in societatem belli contra Gallos traheret, ipsum observantia, beneficiis, promissis obstringere sibi nitebatur, frequentes ad ipsum literas augusta manu dabat, subscribebatque hunc in modum: *Filius vester & cognatus Carolus*: quin & Summi Pontificatus spem injiciebat, si res suas in Angliæ Regia promoveret. Verum cum bello adversus Gallos prospere gesto, captoque *Francisco* Rege in prælio Ticinensi, Anglicorum auxiliorum haud amplius egeret Cæsar, ejus in *VVolsæum* studium deferbuit. Quocirca ille *Carolo* infensissimus evasit, & Christianissimo Regi se totum addixit. Jam alienus erat a *Catharina* conjuge *Henrici* Regis animus. Morum dissimilitudo maxima fastidium augebat in dies. *Catharina* media nocte surgebat, ut nocturnis precibus interesset. Mane hora quinta ornabat se quam citissime, nihil sibi temporis, præter id solum quo vestiebatur, perire dicens. Sub Regiis vestibus *S. Francisci* habitu, cujus Tertio Ordini nomen dederat, utebatur. Singulis Sextis Feriis & Sabbatis jejunabat: in Vigiliis Festivitatum Deiparæ Virginis solo pane & aqua vivebat: Quartis & sextis Feriis peccata Sacramentali Confessione expiabat: Dominicis diebus Eucharistiam singulari pietatis affectu sumebat: Officium B. Virginis quotidie persolvebat: Sex horas matutinas quotidie in Templo Sacris Officiis intenta transigebat. Pomeridiano tempore, Sanctorum Acta Puellis suis adstantibus ad duas horas legebat: Inde Tem-

Henrici octavi Nuptiæ.

Henricus octavus contra Lutherum scribit.

VVolsæus Cardinalis Politicarum artium peritissimus.

Catharinæ Reginæ pietas.

Templum repetens, vacabat orationi ad horam Cœnæ, quam sumebat parcissimam. Flexis orabat genibus absque pulvinari. Omnium denique virtutum cultu eminebat. *Henricus* contra levis & in libidines pronus, cum Nobilibus Puellis, quas Regina in comitatu & ministerio habebat, colludere, frequentior in Gynæceo versari quam in Templo, saltare lubentius quam orare; sanctimoniam Reginæ suspicere, furtivas cum aliis venari voluptates. *VVolsæus* Cardinalis politicarum artium quam Religionis, rationum suarum atque commodorum quam justitiæ studiosior, Reginæ sanctissimæ fœminæ gratus esse non poterat. Hic itaque ut Regi placeret, ut Reginam læderet, ut de Cæsare, cujus erat matertera, vindictam sumeret, *Henrici* connubium cum *Catharina* legitimum non esse, quod *Arthuri* Principis ejus fratris vidua esset; nec in eo salva conscientia ipsum manere posse, ejus Majestati suggessit, usus etiam ad id ope *Joannis Longlandi* Lincolniensis Episcopi, conscientiæ ipsius Moderatoris: salutem Regis in discrimine versari, nisi *Catharinæ* repudium diceret. Esse Regi Christianissimo Sororem *Margaritam* Ducis *Alenconii* Viduam, juvenem ac eleganti forma Principem, quam postulare posset uxorem. Id conjugium firmandæ inter utramque Regiam paci opportunum fore; utque ambo Reges conjunctis viribus Cæsarem ad *Clementem* VII. Pontificem Maximum, quem per summum nefas in custodia detinebat, restituendum libertati, & *Francisci* I. filios, quos obsides habebat, dimittendos compellerent. Hoc pacto non solum Anglorum, sed & Francorum Regem, & Summum Pontificem promereri *VVolsæus* satagebat. Decreta in Gallias Legatio, cujus Princeps *VVolsæus*. Præter generalia Mandata tribus ex æquo Oratoribus a Rege data, singularia quædam ille accepit, ut de procurando *Catharinæ* divortio; de Matrimonio *Henrici* cum *Margarita Alenconia*, & de filiis Christianissimi Regis ex manu Cæsaris eruendis ageret. Vix Caletum pervenerat *VVolsæus*, cum secreta Mandata a Rege accepit, ne ullum de novo Matrimonio cum Regis Christianissimi Sorore contrahendo verbum faceret, sed de reliquis dumtaxat capitibus ageret. Jam enim *Annæ Bolenæ* amore captus & illaqueatus *Henricus*, Nuptias cum ipsa meditabatur, si divortii negotium ex sententia succederet. Arte magis quam naturalibus illecebris hominum amores sibi conciliare potis erat *Anna*. Ipsam enim eximie pulchram censeri nævi non mediocres minime permittebant. Sed labiorum venustas, vestium elegantia, saltandi & fidibus ludendi peritia, lepida & ad facetias ac jocos composita indoles, *Henrici* Regis libidinem illexerunt, inflammaverunt. Meretricium animum specie quadam & larva pudoris obduxerat; se cuiquam hominum potiundi sui corporis facultatem nusquam daturam jurabat, nisi conjugali jure, sæpius a Rege rogata, ipsum repulsa magis devinciebat, accendebat. Multa de ipsa probra vulgata sunt, quod scilicet *Henrici* Regis filia esset, ex *Boleni* Equitis uxore furtivo concubitu suscepta, dum *Bolenus* in Galliis versaretur: quod plurimis stupris cum in Anglia, tum in Gallia se contaminasset: quod Rex cum ejus Sorore stupri consuetudinem habuisset: quæ etsi a *Sandero* in Anglicani Schismatis Historia ut certa asserantur, non sum tamen credulitatis tantæ ut pleraque hujusmodi conficta, & in vulgus emissa non addubitem in odium Divortii, novarumque nuptiarum *Henrici*, & consecuti Schismatis. Quamquam *Annæ Bolenæ* posterius adulterium, propter quod a Rege capite damnata est, haud incredibilia esse suadeat quæ de prioribus ejus stupris publicata sunt: nec etiam verisimile non sit *Henricum* sua cupiditate raptum & excæcatum, probrosum incestumque Matrimonium contraxisse, ut libidinem expleret: ideoque illum a Deo in reprobum sensum traditum, repulsa conscientia, conculcata Dei lege, Fidei tandem naufragium fecisse. Ut ut est, *Henricus* uxorem expetens *Annam*, quæ concubinæ loco esse nollet, de divortio flagrantissimis studiis egit cum *VVolsæo* Cardinali ex Gallica Legatione reduce. Projectæ vir adulationis, nihil æque metuens ac variantis fortunæ vices, casumque a Regis gratia & primaria auctoritate, nihil negligit ejus ut expectationi satisfaciat. Mittitur ad Summum Pontificem Legatio, postulantur Judices *Campegius & VVolsæus* ipse, Cardinales. Causa Divortii Romæ primum in selectorum Theologorum & Cardinalium Consessu disceptata: concessi deinde Judices quos Rex optabat. Ab ipsis Regina appellavit, primum quod locus Judicii parum æquus videretur, cum *Henricus* hujus litis Actor rerum in Anglia potiretur, ipsa in Hispaniis nata, ibi peregrina esset. Deinde quod sibi suspecti essent Judices, utpote Regi devincti, immo & subditi, *VVolsæus* ob VVintoniensem Episcopatum, Eboracensem Archiepiscopatum, Abbatias plurimas; *Campegius* ob Sarisberiensem Episcopatum dono Regis obtentum. Causæ nihilominus cognitionem rogante Rege ac importunius urgente, Legati suscepere. Prolata in medium, discussaque Regiorum Procuratorum momenta contra *Henrici* & *Catharinæ* Matrimonium, contra *Julii* II. Diploma, qui illius contrahendi veniam fecerat: quæ Reginæ Advocati luculenter confutarunt. Totam causæ disceptationem accurate refert *Sanderus* Lib. 1. Sic vero contrahit *Edmundus Campianus* Societatis Jesu Sacerdos piissimus & doctissimus, sub *Elisabethæ* Reginæ persecutione Martyrio coronatus, in Narratione *De Henrici* Divortio. *A Rege Patroni, Leviticum jus urgere, probare coitum; Diploma spurium & suppositititum dicere, genuinum ostendi, in quorum postremo tacita subnauotur conjunctio corporea, nimium sibi Pontificem sumere, qui nullum finem nec modum facit divinum etiam præceptum remittendi. Arthurum primo mane sitivisse, haustis plenum cyathum, Hispanicas oras valde calentes & siccas per jocum dictitasse. Consiliarii Reginæ contra: In demortui fratris thalamum, qui nullum heredem reliquisset, non modo potuisse fratrem subrogari, sed etiam apertissimis Scripturæ testimoniis debuisse; id tamen ad tempus: post Ecclesiam cavisse ne quis hujuscemodi connubium appeteret. Hominum facta per homines temperari. Carnalem omnino copulam dejerare; id esse consummationem cujusque Matrimonii. Sponsum jam, priusquam cum uxore rem habuisset, ab eadem segregatam, & virginem obiisse. Cautionem adjectam recentiori Diplomati; quod Leges interpretentur & conjectent coitum, si non ana supervenerit. Arthurum neque per ætatem, neque per valetudinem, dare operam rei uxoriæ potuisse. Confictum esse figmentum* Hispanicum a *Sycophanta quappiam non infacete*. Reginæ porro patrocinabantur Cantuariensis Archiepiscopus *Guillelmus Varanus*, Roffensis Episcopus *Joannes Fischerus*, quatuor alii pietate pariter & doctrina spectatissimi Præsules, totidemque Theologi, non ad aulicam auram flectere sententias, sed ad Scripturam Sacram, Traditionem, Sacrosque Canones quæstiones expendere soliti. Hi & verbis, & libris quos Legatis Apostolicis exhibuere, diserte probarunt, nullam in terris esse potestatem, quæ Regis cum *Catharina* Matrimonium a Deo conjunctum dissolvere posset aut disjungere. Rex Apostolicos Legatos acriter urgebat ut causam finirent: procrastinabant illi, præcipue *Campegius*, festinationem in causa tanti momenti calumniæ obnoxiam fore, & in orbis Christiani scandalum cessuram dicens: accuratius ac scrupulosius causæ examen esse non posse, in qua de Matrimonii per viginti annorum cohabitationem pacificam, & liberorum susceptionem roborati dissolutione; de prolis generosæ atque adeo Regiæ, *Mariæ* scilicet VValliæ Principis, quam hucusque *Henricus* pro legitima habuerat, & in spem successionis in Regnum educaverat, cujus ut legitimæ Nuptias tot Principes ambiverant, abjectione & exhæredatione; de Cæsaris offensione; de Christiani populi divellenda concordia, de Pontificia dispensatione in irritum mittenda, ageretur.

Catharinæ Reginæ repudium Henricus meditatur.

Henricus octavus Annæ Bolenæ amore captus.

Causa Divortii Henrici octavi cum Catharina Regina disceptatur.

II. Pontifex interim Appellationis a Regina interjectæ habita ratione, causam ad se revocavit, ulteriori ejus cognitione Legatis interdicta. Ejus examini præfectus *Paulus Capisucchus* Romanæ Rotæ Duodecimvirum Decanus, qui demum totam ejus seriem Pontifici referret ac explicaret. Regi ac Reginæ dicta dies ut legitimos Procuratores Romam mitterent. Rex *Thomam Crammerum* misit. Theologorum & Jurisconsultorum quorumdam suffragia redimere conatus est ad divortii necessitatem adstruendam, ut *Reginaldus Polus* tunc Parisiis degens lib. 3. De Unione, *Petrus Ferdinandus* Basileensis Episcopus, & *Cochlæus* contra *Morisonum* scribens, testantur. Frustra *Polum*, frustra *Thomam Morum* viros integerrimos tentavit. Viri ex omni ratione doctissimi *Catharinæ* Reginæ causam Scriptis tuiti sunt. Rex quo Pontificem terreret, Edicto vetuit ne quis e suis subditis quicquam in Romana Curia, absque suæ licentia Majestatis peteret deinceps aut procuraret. *VVolsæum* vero, qui Divortii quidem consilium primus suggesserat, postea negotium remissus tractaverat, denique rem pœnitendam se commisisse fassus fuerat, Cancellarii Dignitate abdicatum, ac Episcopatu Vintoniensi, Palatio quod Londini habebat magni-

Apud Sanderum Lib. 1. p. 49. 50.

Cardinalis VVolsæi casus.

magnificentissimum, immensis opibus spoliatum, & in Ecclesiam suam Eboraceosem relegatum; ab *Henrico* Northumbriæ Comite paulo post apprehendi, captivumque Londioum duci jussit. At in ipso itinere ad Lecestriæ oppidum obiit ad 4. Kalendas Decembris, anno 1530. Cum in eum velut in reum læsæ Majestatis manus injicerentur, has in voces erupit: *Utinam nihilo magis læsa Majestatis Divinæ reus essem! Nunc autem dum nulli rei magis vacabam, quam ut Regi penitus inservirem, & in Deum peccavi, & Regis gratiam non obtinui.* Extincto sub idem tempus *Guillelmo Varano* Cantuariensi Archipræsule, Rex *Henricus* ad eum Archiepiscopatum nominavit *Thomam Cranmerum* qui *Thomæ Boleno* Annæ Patri erat a Sacris; virum qui se in omnibus ad Regis nutum componeret, nullamque aliam Religionis ac Disciplinæ normam sectaretur. Mox inito cum *Francisco I.* Rege Christianissimo contra Cæsarem fœdere, Turnonium & Tarbiensem Cardinales Gallos ad Summum Pontificem mitti obtinuit, qui Regis utriusque nomine Pontificem ad probandum *Catharinæ Reginæ* repudium, novique conjugii facultatem concedendam vehementius orgerent. Cum vero Ecclesiasticos Viros frequentissimos a partibus *Catharinæ* stare, divortium execrari animadverteret, Clerum subigere decrevit, suæque voluntati mancipare. Adornata calumnia de infractione Legis, quam Angli *De Præmanire* vocant, Sacrum Ordinem universum in Jus vocavit, quod Pontificiorum Legatorum auctoritatem contra Regis Mandata coluissent ac propugnassent: ideoque, Clericorum totius Regoi bona in commissum cecidisse, & fisco esse obnoxia pronuntiavit. Clerus omni destitutus patrocinio, præsertim cum *Cranmerus* Cantuariensis, & *Leius* Eboracensis Archipræsules fœde Regem adularentur, quadraginta aureorum millia ejus obtulit Majestati quasi ad expiationem criminis, supplicans ut pœnam reliquam condonare dignaretur, pro summa illa potestate quam in Regno suo tam in Clerum, quam in Laicos ipsam habere fatebantur. Ex his initiis graviorem tempestatem auguratus *Thomas Morus*, Cancellarii Dignitate se abdicavit. In illius locum suffecit Rex *Thomam Audlaeum* mediocris fortunæ hominem cui ad tuendam splendide dignitatem Monasterium locupletissimum *Ecclesiæ Christi Londini* situm, cum redditibus omnibus dono dedit, Canonicis Regularibus in alia ejusdem Ordinis Monasteria distributis.

Anglicani Cleri oppressio.

III. *Clementem VII.* Pontificem Maximum certiorem fecerant Cardinales Galli, quorum supra meminimus, de periculo Angliæ imminente ab impotenti amore quo *Annam* deperibat *Henricus*, nisi sua Sanctitas, quantum Jura fasque permitterent, ejus votis indulgeret: ita affectum esse, ut *Annam* ducere non dubitaret, quamvis Apostolica Sede repugnante. Quamobrem Christi Vicarius frænum ejus libidini injicere tentavit, Apostolico Diplomate ipsi prohibens sub pœna Anathematis, ne pendente lite de divortio novum conjugium iniret, aut in prioris præjudicium quidquam attentaret. Sed Rex instar juvenci indomiti vincula disrupit, spretisque Patris optimi monitis ac mandatis, *Annam Bolenam* Pembruchi prius Marchionissam creatam ad 18. Kalendas Decembris anni 1532. clam uxorem duxit, Nuptiis a *Rolando* quodam Presbytero ante Solis ortum celebratis, cui primum suum cum *Catharina* connubium Pontificia Sententia diremptum esse persuasit, sibique factam novarum Nuptiarum potestatem. *Annæ* favore ad summæ auctoritatis ac dignitatis fastigium evectus est *Thomas Cromvellus*, homo vafer, ambitiosus, avarus, Lutheranæ Factioni addictus, totique Ecclesiastico Ordini infestus. Hunc Rex ut hominem *Annæ* gratum, & suis Consiliis Ministrum aptissimum sociare statuit *Cranmero* Archiepiscopo, & *Audlæo* Cancellario, ut per illum Triumviratum ex sua sententia singula gererentur. Primo itaque Regiis Scriniis illum præfecit, tum sibi a Secretis constituit, postea Equitem Auratum & Baronem, deinceps Essexiæ comitem creavit, Magnum etiam regni Camerarium & Sigilli secreti Custodem; postremo non solum Consilii sui Primum, verum etiam suum in Causis Ecclesiasticis Vicarium Generalem. Ab eo porro, aliisque Politicis regi persuasum est, ut in Comitiis regni novum ab omnibus Viris Ecclesiasticis exigeret Sacramentum, quo eamdem suæ Majestati obedientiam jurarent, quam antea Romano Pontifici promittere consueverant, in causis etiam Ecclesiasticis & spiritualibus. Tentationi cessit ante omnes *Joannes Fischerus* Episcopus Roffensis; illo Juramento adjecta exceptione, quam Rex sibi non ingratam fore testatus est, (*quantum per Dei verbum liceret*) Hac Anglicani Cleri columna concussa, cæteri facile Regis voluntati cesserunt. Secundum hæc *Cranmerus* ea lege creatus Archiepiscopus Cantuariensis ut divortium regis lata Sententia approbaret, Romano etiam Pontifice repugnante, frustra in jus vocata *Catharina*, pronuntiavit necessitatem Jure Divino impositam esse regi, illam utpote defuncti fratris sui uxorem dimittendi concessamque novi contrahendi conjugii libertatem. Hac sententia fretus *Henricus*, quam quinque ante menses clam sibi copulaverat, *Annam* solemni pompa duxit. Nuptiis pridie Idus Aprilis, quæ Vigilia erat Resurrectionis Dominicæ celebratis, nova Sponsa Regio Diademate ornata est postridie Kalendas Junii anni 1533.

Henricus clandestinum cum Anna Bolena Matrimonium init.

Impium juramentum a Viris Ecclesiasticis extorquet Henricus Octavus.

Cranmerus Cantuariensis Archiepiscopus divortii Sententiam Regem inter & Catharinam Reginam pronuntiat.

IV. Cum hujus Matrimonii fama pervagata fuisset, *Clemens Septimus* justis Cæsaris querimoniis permotus, simul & abjecta spe *Henricum* ab *Annæ* complexibus abstrahendi, nisi forte adhibita Censurarum Ecclesiasticarum severitate, maxime cum ejus Oratores Massiliæ in ipso cubiculo Pontificio coram *Francisco* rege Christianissimo, Christi Vicario insolenter obloqui, & de iis quæ hac in causa gereret, ad futurum Concilium appellare non dubitassent; cum etiam Rex Christianissimus sanctissime contestatus esset, se in iis, quæ contra Religionem, & obedientiam Sedi Apostolicæ debitam ab *Henrico* fierent, nullum ipsi favorem aut auxilium impensurum: Pontifex Romam reversus, peremptoriam tulit Sententiam, qua ejectionem ac spoliationem *Catharinæ* Reginæ a possessione Juris Conjugalis, & Reginalis Dignitatis, & Matrimonium inter *Henricum* & *Annam* contractum, nulla, injusta, & attentata fuisse & esse declaravit: „Prolemque susceptam vel suscipiendam, illegitimam fuisse & „esse: Ipsamque *Catharinam* Reginam ad suum pristinum statum & quasi possessionem Juris Conjuga„lis & Reginalis Dignitatis restitui: *Annam* a regio „thoro, & quasi possessione ejusdem Juris & Digni„tatis ejici ac amoveri debere: prout ipse Pontifex „restituit & reponit, rejicit & removet. *Henricum* „regem in majoris Excommunicationis, & alias Cen„suras & pœnas, ob inobedientiam & contemptum „Mandatorum Sedis Apostolicæ incurrisse declaravit: suspenso nihilominus ad mensem Censurarum effectu, ut Pontificiæ Sententiæ ac Mandatis commodius Rex parere posset.

Clementis VII. Acta hac in causa.

Censura in Regem lata.

V. His exacerbatus *Henricus* sub pœnis gravissimis edixit, ne quis in posterum *Catharinam* Reginam vel *Henrici* regis uxorem, sed tantum *Arthuri* Principis Viduam appellaret; *Mariam* ex *Catharina* filiam, quam ante *Walliæ* Principem regnique hæredem universi Ordines jurato professi fuerant, omni regio ornamento detracto, tamquam spuriam & illegitimam, ad *Catharinam* Matrem remisit, ut privatam cum ea vitam ageret: Constituti famulorum loco in *Catharinæ* domo custodes & exploratores: in ejus amicos patronosque sævitum. Nata interim est *Annæ* filia *Elisabetha*, septimo Idus Septembris, in pervigilio Nativitatis Deiparæ Virginis, quinque mensibus post solemnes nuptias necdum elapsis. Mox initium Piorum persecutioni datum; Roffensem Episcopum *Joannem Fischerum*, *Thomam Morum*, ducentos Fratres Minores de Observantia nuncupatos in carcerem detrusit, quod Matrimonium *Catharinæ* acerrime defenderent: iniquam Juramenti formulam a Rege propositam, qua profitendum erat nuptias regis cum *Anna* legitimas esse, natamque ex iis prolem *Elisabetham* verum esse regni hæredem exclusa *Maria* Principe, quasi ex Matrimonio illegitimo prognata, palam improbarent. Exinde celebrata regni Comitia 3. Nonas Novembris, anno 1534. in quibus ab *Henrico* de communi Præsulum depravatorum, ac Procerum sententia, *Maria* Princeps natalium honore, omnique regnandi jure privata est: omnes honorum tituli, ac successionis jura in *Elisabetham* translata. Dein omnis Potestas ac Jurisdictio in Anglos & Hibernos Romano Pontifici in perpetuum tempus abjudicata & abrogata: perduelles declarati, qui in Romano Pontifice primatum Jurisdictionis & Auctoritatis colerent. Anglicanæ Ecclesiæ Summum & unicum in terris Caput Rex declaratus, cujus unius esset suprema auctoritate errores, hæreses, abusus omnes emendare: cui eo nomine omnium Sacerdotiorum Annatæ, ac Decimæ solverentur. Nomen Papæ ubique inductum, proscriptumque, ac in Litaniis impia & sacrilega ista verba *Henrici* mandato apposita: *Ab Episcopi Romani tyrannide, & detestandis enormitatibus libera nos Domine.* Cum autem *Henrici* defectionem a Romano Pontifice Catholici omnes execrarentur: cum *Franciscus I.* Rex Christianissimus

Henrici contumacia & furor.

Elisabetha ex Anna Bolena nativitas.

Regni Comitia.

Henrici Octavi a Summi Pontificis obedientia & ab Ecclesia defectio.

ejus

ejus Osstores ea de re ne quidem audire voluisset: Cum ipsi *Lutherus & Calvinus* usurpatum ab eo Ecclesiæ primatum non probarent; jussit ut sui tam Concionibus, quam Libris editis, hanc novam Auctoritasem suam Ecclesiasticam suerentur. Qua regis voce excitati sunt ad concionandum plurimi, ad scribendum etiam nonnulli, quorum aliqui id sponte faciebant, quod hæresi faverent, ut *Sausonus*, *Fauus*, *Morsonus*, & alii: quidam vero coacte, ne regem offenderent, ut *Gardinerus* Wintoniensis, & *Tonstallus* Dunelmensis, Episcopi. *Reginaldum Polum* consanguineum suum frustra ad scribendum pro monstruoso suo primatu hortatus est: quin immo hunc ille fortiter oppugnavit quatuor Libris *De Unione Ecclesiastica* Regi inscriptis. Quibus quidem regis odium ita in se commovit, ut patriæ proditor, reusque læsæ Majestatis ab eo fit declaratus, vitaque ejus multiplicibus insidiis deinceps appetita; mater, frater, avunculus necati, familia universa illius causa afflicta & prope extincta fuerit. Immani etiam furore insectatus est Religiosos tyrrannidis ac Schismatis sui impugnatores, Ordinum præcipue *Carthusiani*, *S. Brigittæ*, & *S. Francisci* Professores, ex quibus plurimi *Henriciana* persecutione Martyres consecrati, una cum *Joanne Fischero* Episcopo Roffensi, & *Thoma Moro*, de quorum gloriosis agonibus legendus *Sanderus* lib. 1. *De Schismate Anglicano*.

Henriciana piorum persecutio.

VI. His acceptis, *Paulus Tertius* Pontifex Maximus, qui *Clementi Septimo* successerat, *Henricum*, ejusque complices in Jus vocat: illum, nisi pareat, Regno ac Dominiis omnibus privatum denuntiat: Hos in pœnas omnes Legibus præscriptas incurrisse, cum bonis omnibus diffidatos, & Christiana sepultura privatos esse jubet ac decernit. „ Loca omnia, in quibus „ Rex fuerit, Ecclesiastico subjicit Interdicto: *Henrici* vassallos & subditos a juramento fidelitatis ab„ solvit: Communionem omnem & commercium cum „ *Henrico* vel ejus subditis prohibet; omnesque con„ tractus com illis factos aut faciendos, irritos pro„ nuntiat: Prælatis, aliisque Viris Ecclesiasticis præci„ pit, ut ex Anglia, & aliis *Henrici* Ditionibus quam„ primum exeant. Principibus Viris, Ducibus, ac re„ liquæ Nobilitati Anglicanæ, us vi ac armis se Hen„ rico opponant, eumque e Regni finibus ejicere ni„ tantur. Cæterorum regum ac Principum cum *Henrico* confœderationes, contractus, pacta & conventa „ omnia quovis modo stabilita, irrita facit & nulla: „ Eosque ut *Henricum* ac cæteros Ecclesiæ rebelles sa„ cris armis persequantur, donec Sedi Apostolicæ col„ la submiserint, erroresque agnoverint, in Domino „ hortatur. Ut prædictæ personæ rebelles & infide„ les, *Henrici* sequaces, ubicumque terrarum appre„ hensi & intercepti fuerint, in servos ipsi, & om„ nia eorum bona capientibus cedant, edicit. „ Cujus quidem Sententiæ dilata executio est, quod interim in Anglia ejusmodi rerum mutationes acciderint, quæ novas spes de *Henrici* emendatione excitarent. Sed frustra invitabatur ad pœnitentiam, cujus cor obdurescebat in dies, & qui novis sacrilegiis ac flagitiis facinorum suorum mensuram cumulabat. Aggressus est inter alia Monasteriorum visitationem tamquam Summum Anglicanæ Ecclesiæ Caput. *Leum* Juris Civilis Professorem, Sacris Ordinibus non initiatum, lustrandis Monachorum ac Sacrarum Virginum Ædibus, & inquisitioni in eorum vitam ac mores præfecit. Cujus Visitationis hæ fuere leges; primum, ut omnium vitia disceret: deinde, ut qui minor 24. annis esset e Monasterio exire, & ad sæculum reverti cogeretur; qui vero major esset, non cogeretur quidem, sed tamen exire, si vellet, impune posset: Exeuntibus loco religiosi habitus togam Sacerdotalem, & aureos octo daret Abbas: Virgines sacræ more sæcularium feminarum vestirentur: pretiosissima quæque Ecclesiarum ornamenta, & Sanctorum Reliquiæ Regis Quæstoribus traderentur. Eo vero consilio hæc instituta Visitatio est, ut Rex omnem evertendi ac diripiendi Monasteria occasionem captaret. Pridie ergo Nonas Februarii anno 1535. minora quæque Monasteria, quorum annui census nonnisi ad septingentos circiter aureos æstimabantur ex Comitiorum Regni sententia invasit. Hoc primo impetu Monasteria trecenta septuaginta sex oppressa sunt, ex quorum spoliis in Fiscum Regium cesserunt anni census ad centum circiter & viginti millia aureorum; in supellectili vero bonisque mobilibus ad quadraginta fere millia; Religiosorum utriusque sexus decem amplius millia ad sæculum redierunt. Inter hæc obiit Serenissima pientissimaque Regina *Catharina*, cujus sanctitatem non solum vitæ religiosissime transactæ tenor, eximiæque in tanto fastigio virtutes, non solum invicta in rebus adversis constantia, patientia, charitas, humilitas, reverentia, & observantia erga Regem, ex marito licet persecutorem crudelissimum; sed & literæ quas paulo ante obitum scripsit ad *P. Joannem Forestum* Ordinis FF. Minorum Professorem, conscientiæ quondam suæ moderatorem, qui in carcere Londinensi a duobus annis detinebatur Martyrii candidatus; & aliæ quas in extremis posita scripsit ad Regem, quæ ex corde ipsius, quamvis saxeo, lachrymas elicuerunt, locupletissime testantur. Legi possunt apud *Sanderum* lib. 1. pag. 107. & 112. Paulo post *Anna Bolena*, divinæ matura ultioni, adulterii & incestus convicta & damnata est. Postridie mortis *Annæ Bolenæ*, Rex *Joannam Seimeram*, quam ea vivente deperibat, uxorem duxit.

Pauli tertii Acta in Henricum octavum.

Monasteriorum visitationem usurpat Henricus, pro Summo Anglicanæ Ecclesiæ capite se gerens.

Catharina Regina obiit.

Anna Bolena adulterii & incestus convicta damnatur.

VII. Paulo post indictis Comitiis insimul & Synodo ad sextum Idus Junias ejusdem anni 1536. ea rescidit, quæ pro *Elisabetha* Bolenæ filia in *Mariæ* Principis detrimentum olim decreverat. Tum in utroque Concilio disceptari jussit ac deliberari, quæ forma Religionis ac divini cultus deinceps in Anglia tenenda ac servanda esset, intacto tamen Primatu suo, quem ut apertius etiam tunc exerceret, *Thomam Cromvelem* supremum suum Vicarium Generalem in causis Ecclesiasticis ac spiritualibus constituit, eique Sigillum peculiare tradidit quo in hujusmodi negotiis uteretur. Illum etiam suo nomine ac loco præsidere voluit Synodis omnibus & conventibus Episcoporum, quamvis laicus esset omnisque bonæ eruditionis expers. In iisdem Comitiis & Synodo, post varias de Fide disceptationes, Libellus auctoritate publica editus, qui vulgo *Sex Articulorum* appellatur, cum hac inscriptione: *Articuli per Regiæ Majestatis Serenitatem constituti*. Horum primus in Eucharistiæ Sacramento *Transsubstantiationem* credi jubet. Alter *Communionem sub una specie ad salutem sufficere* declarat. Tertius, *Cælibatum Sacerdotem retinendum* sancit. Quartus *vota castitatis & viduitatis* non temere facta, *necessario persolvenda* decernit. Quintus, non modo *Missarum celebrationem Juri Divino consentaneum esse*, verum & *Missas privatas* fieri *bonum ac necessarium* esse asserit. Sextus denique *Auricularem Confessionem in Ecclesiam necessario conservandam* edicit. Qui secus aut docuerit aut crediderit, post 12. diem Junii proxime sequentis, illum *tamquam hæreticum* suppliciis affectum iri gravissimis Regia Serenitas, cum utriusque Senatorii Ordinis, & plebis in Comitiis adunatæ consensu decernit.

De forma Religionis in Anglia tenenda, in Synodi & Regno Comitiis agitur.

VIII. De *Henrici* VIII. sceleribus, sacrilegiis, immanitate in pios quosque, certior factus *Paulus* III. Romanus Pontifex, & quod *S. Thomæ* Cantuariensis Archiepiscopi sacram memoriam violasset, eum ceu proditorem damnasset, corpus ejus comburi, cineres in ventum spargi jussisset; suspensam hucusque Sententiæ in eum latæ publicationem impexavit Diplomate dato Kalendis Januarii, anno 1538. Dum hæc Romæ gererentur, *Henricus* quatuor Ordinum Mendicantium Religiosos Viros ex suis Monasteriis ejecerat; ipsorumque Ædes usurpaverat: Postmodum etiam cœtera utriusque sexus Monasteria invasit, eorumque bona in fiscum redegit. *Jana Seimera* in partu defuncta quo filium profudit *Eduardum*, quartam duxit uxorem, *Annam* sororem *Guillelmi* Cliviæ & Juliæ Ducis: cujus brevi pertæsus *Cromvele* harum conciliatore Nuptiarum ab Ordinibus Regni hæreseos, perduellionis, feloniæ, repetundarum damnato, capiteque truncato, cum ipsa divortium fecit, & cum *Catharina Hovarda* Ducis *Nortfolciæ* Nepte quintas Nuptias celebravit. His diebus lepidum illud Anglicanæ Ecclesiæ Caput Legem edidit perpetuam de Nuptiis, Comitiorum etiam auctoritate firmatam, qua statuebatur; Ut si quæ personæ in Levitico non prohibitæ, solo consensu per verba de præsenti Matrimonium, nulla carnali copula subsequuta, contraxerint; ambæ vero postea, vel earum altera, Nuptiis cum tertia persona in Levitico non prohibita contractis, carnali copula easdem consummaverint, hæ posteriores, quas copula firmasset, non priores illæ, quas solus consensus statuisset, ratæ atque legitimæ haberentur: adeo ut cum olim Juris Gentium regula fuisset: *Nuptias non concubitus, sed consensus facit*; jam deinceps *Henrici* regula esse cœpesit: *Nuptias non consensus, sed concubitus constituit.* Quam tamen regulam violare non dubitavit & in Legem ipse suam commisit, cum *Annam Clivensem*, cujus Nuptias non solo consensu, sed septem etiam mensium concubitu firmaverat, eo tantum prætextu repudiavit, ipsaque vivente alteram duxit, quod in altesius Nuptias antea consensisse fingeretur. Hujus porro

Henricus octavus Monasteriorum bona in fiscum redigit.

Pudenda lex de Nuptiis ab Henrico Octavo lata.

Legis tantopere postea puduit ipsos Protestantes, ut muttuo *Henrico* eam rescindi curaverint. Post hæc *Catharina Hovarda* ob adulterium, cum Procis, ex Ordinum Sententia, neci tradita, *Catharina Parram* Baronis *Latimeri* Viduam, sextis nuptiis sibi copulavit. Inane erat Regis ærarium, etsi opes immensas ex Ecclesiis & Monasteriis corrasisset: unde gravissimis tributis, & antea inauditis populum vexavit; & inter alia, indictis Comitiis ad 8. Kalendas Decembris anni 1545. omnibus & singulis auctoritate publica tam decimam quam quintamdecimam sibi solvendam ex omnibus censibus annuis totius Angliæ; ea bonis vero mobilibus duas integras decimas imposuit. Eorumdem etiam Comitiorum assensu & auctoritate potestatem summam accepit in Ptocotrophia & Xenodochia, in omnia etiam Nosocomia, Seminaria, & Collegia, in omnes denique Missarum fundationes, sacrasque oblationes: ut dum viveret, da his omnibus, eorumque bonis, Basilicis, ædificiis, ac censibus annuis, pro suo arbitratu statueret ac disponeret.

Sextæ Henrici octavi Nuptiæ.

IX. Gravi correptus ægritudine, mortemque imminentem prævidens, de reconciliatione cum Romana Ecclesia & Summo Pontifice cogitavit, eaque de re cum Episcopis nonnullis agit; sed præterita ejus crudelitas effecit ut nemo insidias non timeret, nemo ipsum sincere loqui arbitraretur, nemo animi sui sensa libere aperire & veritatem dicere auderet. Respondit unus: Ejus Majestatem cæteris mortalium sapientiorem esse: Illum divino consilio Pontificis Romani Primatum abdicasse, nec jam solicitum esse debere, cum publica Regni Lege Judicium illud confirmatum esset. *Stephanus Gardinerius* Vintoniensis Episcopus seorsim Regi suasisse fertur, ut si fieri posset, Ordinibus Regni convocatis rem tanti ponderis cum iis communicaret. Sin ad congreganda Comitia tempus non suppeteret, saltem animi sui sententiam scripto exponeret: Deum solo cordis voto contentum esse quando res propter necessarium impedimentum executioni mandari non potest, sed prævaluit adulatorum turba, qui veriti ne Religionis mutatione ipsi bonis Ecclesiasticis exciderent, Regi persuaserunt, ut scrupulos omnes abjiceret: 25. die ante mortem Ecclesiam FF. *S. Francisci de Observantia* aperiri, & expiari jussit, Missamque in ea celebrari, ac in Parochiam erigi, certo attributo censu; in eaque scribi voluit hæc verba: *Ecclesia Christi ab Henrico* VIII. *Angliæ Rege fundata.* Sacramentum Eucharistiæ summo semper in honore habuit. Quocirca cum paulo ante obitum sub unica specie, ut consueverat, communicaturus surgeret ut Christi corpus genu flexo adoraret; Zuingliani vero qui adstabant, dicerent posse Majestatem suam in tam imbecilli valetudine sedentem in cathedra Eucharistiam sumere, respondit: „ Si me non modo usque ad terram dejicerem, sed & sub ipsam terram submitterem, ne „ sic quidem satis honoris huic Sanctissimo Sacramen„ to mihi viderer delaturus. „ Literis excultus fuit, virosque fovit literatos. Episcopos (præter unum *Cranmeram* Cantuariensem, quem ad eam Dignitatem promovit ut suæ libidini in divortii negotio serviret) & doctos & minime malos plerumque nominavit: adeo ut multi postea sub *Eduardi* & *Elisabethæ* Regno ob Catholicæ religionis professionem carceres & vincula subierint. Schismatis, ebrietatis, libidinis, avaritiæ, crudelitatis infamia nonnullas, quibus præditus erat, præclaras dotes obscuravit, obruit. Condito Testamento statuit, ut *Eduardus* filius *ex Jana Seimera* novennis sibi in Regnum succederet; secundum hunc, si obiret absque liberis, regnaret *Maria* Princeps ex *Catharina* priori conjuge filia: tertia esset in Jure successionis *Elisabetha* ex *Anna Bolena* suscepta: his deficientibus, ad illos Regnum devolveretur, ad quos jure communi pertineret. Deinde impuberi filio sexdecim Tutores & Curatores pari potestate constituit, eosque magna ex parte Catholicos: jussitque ut in Fide ac Religione Catholica educaretur, excepto Primatus Ecclesiastici titulo, quem in ipsum transfudit; & ut regnum ab hæresibus purgaret. Obiit *Henricus* VIII. Angliæ Rex Londini ad 5. Kalendas Februarii anno 1547. Regni 38. ætatis 56.

Extrema Henrici Octavi ægritudo, & obitus.

Henrici octavi Testamentum.

ARTICULUS IV.

DE EDUARDO VI.

EDuardus novem annorum puer secundum supremam Patris voluntatem, Rex Angliæ & Hiberniæ, summumque Anglicanæ Ecclesiæ Caput proclamatus est. Inter Tutores ipsi a parente datos orta dissensione, quod Catholici Regnum ad Ecclesiæ Romanæ communionem & Summi Pontificis obedientiam revocare vellent, alii perseverandum in Schismate ducerent, *Eduardus Seimerus* Herfordiæ Comes, & paulo post Somerseti Dux, *Janæ* quondam Reginæ frater, *Eduardi* Regis Avunculus, totam ad se rapuit auctoritatem, seque solum Regis Tutorem ac Regni Protectorem dixit. Ejus favore Hæresis in Anglia caput extulit: *Martino Bucero*, *Petro Martyri*, *Bernardino Ochino*, similibusque pellibus ad Cathedras Theologicas, & Templorum suggesta patuit aditus: ad eos audiendos coacta juventus est, Theologia Scholastica ex Academiis proscripta, exauctorati SS. Patres; Sacrorum Bibliorum Codices fœde interpolati. Comitia Regni Londini pridie Nonas Novembris ejusdem anni 1547. celebrata, quorum Decreto novi administrandorum Sacramentorum Ritus constituti sunt, Liberque ea de re editus ac publicatus. De Sanctorum Imaginibus toto Regno abolendis deliberatum. Missæ Sacrificium abrogatum. Vasa sacra, Cruces, candelabra aurea, argentea, Regis fisco adjudicata. Imperata sub utraque specie Communio Eucharistica. Vulgaris idiomatis usus in Sacra introductus. Hæretici Visitatores instituti, qui omnia Catholicæ Religionis monumenta, signa, tesserasque everterent, abolerent. Qui ab impia novitate abhorrebant Episcopi, *Stephanus* Wintoniensis, *Cuthbertus* Dunelmensis, & alii, in carceres conjecti, postea Dignitatibus exuti. Hæretici, perditique homines in eorum loca intrusi. Hic Religionis in Anglia sub *Eduardo VI.* status. Obiit ille pridie Nonas Julii, anno 1553. ætatis 16. Regni 7. eodem mensis die quo *Henricus* ejus Pater, *Thomam Morum* capite truncari jusserat. Post ejus mortem, *Joannes Dudlæus* Comes Vvarvicensis qui *Eduardum Seimerum* Somerseti Ducam, & Regni Protectorem, capita plecti publico Judicio curaverat, *Joannam* Ducis Suffolciensis filiam *Henrici* VIII. Neptem, Reginam renuntiavit, Prætore Londinensi, sex primariis Senatoribus in ejus verba jurare compulsis. Verum Proceribus, Nobilitate, ac Plebe universa ad *Mariam* Principem *Henrici* VIII. ex *Catharina* filiam, cujus evidentissimum jus erat, concurrente, *Dudlæus* quoque animo fractus *Mariam* Reginam conclamavit, & Magistratui se dedidit; cujus Sententia post dies aliquot perduellionis damnatus, capite plexus est, ejurata prius hæresi, & Catholicæ Professione Fidei edita.

Hæresis in Anglia recepta.

ARTICULUS V.

DE MARIA REGINA.

MAriæ faustum nomen, Imperiumque Catholicæ Religioni fuit. Regios titulos simul sumpsit, & supremi Ecclesiæ Anglicanæ Capitis appellationem, Primatusque Ecclesiastici Dignitatem a Patre impie usurpatam, ab *Eduardo* fratre sacrilege retentam respuit, abdicavit: *Edmundum* Londinensem, *Stephanum* Vvintoniensem, *Cuthbertum* Dunelmensem Episcopos *Thomam Nortfolciæ* Ducem, *Eduardum Courtenæum* Marchionis Exoniensis olim ab *Henrico* VIII. occisi filium, injuste carceribus damnatos, in libertatem ac pristinos honores restituit: *Stephanum* Vvintoniensem Episcopum Regni Cancellarium creavit: Exilii & perduellionis contra *Reginaldum* Cardinalem *Polum* latam ab *Henrico* Rege iniquissimam Sententiam rescidit: gravissimum vectigal populo ab *Eduardo* Rege impositum condonavit. Post Inaugurationis solemnia Kalendis Octobris anni 1553. celebrata, Comitiis eodem menses convocatis, Sententiam de *Henrici* & *Catharinæ* parentum divortio quondam latam inprimis rescindi, & illorum Matrimonium legitimum, susceptamque ex ea Prolem pariter legitimam pronuntiari curavit. Nupsit *Philippo* Hispano, *Caroli V.* Imperatoris filio. Harum occasione Nuptiarum, magis autem Catholicæ Religionis odio, in cujus restaurationem Pientissima Regina incumbere decreverat, exorta in ejus Majestatem conjuratio perduellium supplicio aut carcere dissipata est. *Suffolciæ* Dux, aliique capite plexi, *Elisabetha* Reginæ soror, conjurationis particeps, in custodiam tradita. Mox præcipuas curas ad restituendam Religionem *Maria* convertit. Quod ut felicius ac facilius conficeret, exteros omnes, qui nec publicam personam gererent, nec Regnicolarum juribus donati essent, ad certum diem, gravissima indicta pœna, Regno exire jussit. Hoc Edicto supra triginta millia Hæreticorum ex Anglia excedere compulsa, *Buceri* & *Fagii* cadavera exhumata & cremata sunt. Cardinalis *Polus* a *Julio* III. Pontifice Maximo, Serenissima Regina postulante,

Catholica Religio in Anglia restituta.

in An-

in Angliam a Latere Legatus, supplices Ordines, Regnumque totum a Schismate absolvit, ac Sedi Apostolicæ reconciliavit, in Profesto *S. Andreæ* Apostoli enno 1554. Missi Romam Oratores, Regum & Ordinum nomine obedientiam ejus Sencltitati exhibituri. Exin Legatus in Religione instauranda, in Cleri Populique Disciplina restituenda, in reformandis Academiis, in moribus emendandis, in antiquis Institutis, piisque Consuetudinibus postliminio reducendis, hortationibus, Synodis, Decretisque sanctissimis invigilavit, ac pro virili leboravit. Quuniam vero difficultas adversus reconciliationem cum Apostolica Sede ab iis objecta erat, qui bona Ecclesiastica ab *Henrico* Rege distracta possidebant, Legatus propter bonum pacis & unitatis Ecclesiasticæ, publico Instrumento, Summi Pontificis nomine & auctoritate, omnes de hujusmodi bonis in Schismate acquisitis, quoad pœnas & Censuras Canonicas, in perpetuum liberos & absolutos declarevit. Primitias vero & decimas fructuum, quæ *Henrici* & *Edaordi* Regum Sanctionibus in Fiscum inferebantur, Clero deinceps persolvi decretum est. Matrimonie in gradibus prohibitis contracta, una cum prole ex iis suscepta, legitima esse decrevit, data iis qui sic contraxerant, venia. Episcopos Religione Catholicos, sed in Schismate creatos, una cum sex novis Episcopatibus ab *Henrico* VIII. erectis confirmavit. Quæ omnia ut prudentissime constituta, rata deinde habuit *Paulus* IV. Obiit *Maria* diuturniori ævo digna Princeps 17. Kalendas Decembris, anno 1558. ætatis 44. Regni 5. De cujus Historia legendi *Sanderus* lib. 11. de Schismate, *Natalis Comes* lib. 7. *Thuanus* lib. 13. *Sleidanus* lib. 25. *Belcarius* lib. 26. *Florimondus Ramundus* lib. 7. & alii.

ARTICULUS VI.

De ELISABETHA Regina.

I. QUam faustum Catholicæ in Anglia Religioni *Mariæ* Regnum, tam infaustus eidem fuit ac perniciosus *Elisabethæ* Principatus. Hæc *Maria* Scotiæ Regina se frustra pro hærede gerente Angliæ Regina summo omnium Ordinum consensu salutata est, annos tunc nata viginti quinque, literis politioribus exculta, & linguarum Latinæ, Italicæ, Gallicæ perita, egregiis naturæ ac ingenii prædita dotibus, gerendæ Reipublicæ capacissima; ac magnorum Principum numero celebranda, nisi tot naturæ, studii, Politicæ ornamenta hæresi & crudelitate, quam in pios exercuit, dedecorasset. Nec tamen statim impietatem prodidit: nam quamdiu vixit Maria ejus soror Catholicam semper simulavit Religionem: sed postea verita, ne qua etiam ipsi fieret controversia de natalibus, juteque regnandi, damnatis *Clementis* VII. & *Pauli* III. Romanorum Pontificum sententia nuptiis *Henrici Octavi* cum *Anna Bolena*, ex quibus nata erat, Proleque ex iis suscepta illegitima declarata; operæ pretium existimavit politicis artibus erudita mulier, & animo jam infidelis, Romanæ Ecclesiæ jugum excutere, novam Religionis Ecclesiasticique Regiminis formam introducere decrevit & stabilire. Pedetentim tamen hoc in negotio procedere voluit, ac primum solam Raligionis permittere libertatem: deinde Catholico ritu inaugurari ab Episcopo Carleolensi 18. Kalendas Februarii, anno 1559. qua in Solemnitate solitum Juramentum præstitit de Fidei Catholicæ defensione, & Privilegiorum ac Libertatum Ecclesiasticarum conservatione. Inaugurationemque suam Romano Pontifici curevit significari per *Eduardum Carnum*, qui *Mariæ* sororis Legatione functus, adhuc in Aula Romana versabatur. *Paulus* IV. ut erat Dignitatis suæ & Auctoritatis retinentissimus, Responsum dedit nutantis in Anglia religionis statui parum opportunum: Regnum Angliæ feudum esse Apostolicæ Sedis, nec potuisse ipsam, obstante maxime natalium vitio, administrationem Regni inconsulta eadem Sede assumere: Illamque hortatus est, quo cuncta rite fierent, ut se ejus arbitrio permitteret, paternum erga se animum in Pontifice probatura. Egisse etiam dicitur per Oratores *Henricus secundus* Rex Christianissimus, ne Summus Pontifex gratiosius responsum daret, quippe qui vereretur ne *Elisabetha* Hispaniarum Regi *Philippo*, aut *Ferdinando* Cæsaris cognominis filio nuberet, quæ Nuptiæ Gallicis rebus incommodæ futuræ essent. (Ita enim *Bellefarestius* Lib. 6. *Camdenus* in *Elisabethæ* Vita, & *Thuanus* Lib. 20. referunt.) Hac occasione ausa est *Elisabetha* hæresim, quam animo fovebat, publice profitendi, & in Regno stabiliendi.

Elisabetha Acta & Decreta Mariæ Reginæ de Religione rescindit.

II. Convocatis itaque Regni Comitiis, prævalente contra Episcoporum suffragia Nobilitate, obtinuit, ut Acta & Decreta *Mariæ* omnia de Religione abolerentur, *Edoardi autem* fratris restituerentur. Interim vero lata Lege ne ullum Romano Pontifici obsequium præstaretur, ipsa Patris & Fratris exemplo omnem Jurisdictionis non solum temporalium, verum etiam Ecclesiasticarum rerum & causarum plenitudinem sibi assumpsit, cum omni visitatione, correctione, reformatione Cleri, cum omni auctoritate Episcopos creandi, Synodos convocandi, atque in iis præsidendi, Leges & Constitutiones condendi; cum omni cognitione ac punitione errorum, hæresum, schismatum, abusuum; denique cum omni facultate substituendi alios quoscumque vellet, etiamque simplices Laicos in iisdem negotiis; nulla Episcoporum habita ratione, nisi quantum ipsa concederet: ita ut Jurisdictionem potestatemque Episcopalem non tenerent aut exercerent, *Nisi ad beneplacitum Reginæ, nec aliter nisi per ipsam, & a Regali Majestate derivatam Auctoritatem:* Neque ista quidem tamquam recens usurpata sibi attribuens, sed tamquam ad antiquum Jus Regale Anglicum pertinentia. Quamobrem supremi Capitis Ecclesiastici nomine attribuit sibi in perpetuum primi anni cujuscumque Beneficii integros fructus: omnesque Cœnobiorum possessiones ante sacris usibus a *Maria* Regina restitutas, partim Fisco addixit, partim Nobilitati distribuit. Vicarios & Commissarios in Spiritualibus constituit: Sigillum ad causas Ecclesiasticas peculiare cudit. Imagines sacras omnes a Templis, aliisque locis deturbari jussit, excepta Christi Crucifixi, quam in domestico sacello servavit, publiceque exponi permisit. Missæ Sacrificium, cum reliquo omni Sanctissimo Ritu prædicandi, & Sacramenta administrandi, sustulit. Novaque Sacra, cæremonias, precesque lingua vulgari, ad normam præsertim Lutheranorum præscripsit; quamvis Calviniana dogmata maxima ex parte profiteretur; secundum quæ Schismaticam illam Ecclesiam suam institui voluit. Ad hæc, convocato Parlamento, Archiepiscopos omnes, Episcopos, Prælatos, totumque Clerum novo Juramento obstringere decrevit: Qui recusarent, prima vice Beneficiis bonisque omnibus mulctari, & in carcerem detrudi; altera vice perduellionis damnari, & capite plecti edixit. Hæc autem est Schismatici, quod Supremitiæ vocant, Sacramenti formula.

Firmato Schismate novam Religionis formam instituit.

Novum Supremitiæ Juramentum a Clero exigit.

III. *Ego N. prorsus testificor & declaro in conscientia mea, Reginam esse solam Supremam Gubernatricem & istius Regni Angliæ, & aliorum omnium suæ Majestatis dominiorum, & regionum non minus in omnibus Spiritualibus atque Ecclesiasticis rebus vel causis, quam temporalibus; & quod nemo externus Princeps, persona, Prælatus, Status, vel Potestatus, aut facto, aut jure habet aliquam Jurisdictionem, Potestatem, Superioritatem, Præeminentiam, vel Auctoritatem Ecclesiasticam aut Spiritualem in hoc Regno. Ideoque plane renuntio & repudio omnes externas Jurisdictiones, Potestates, Superioritates, atque Auctoritates.* Id Juramentum, factamque ab *Elisabetha* in Religione & Ecclesiæ Regimine immutationem cum Episcopi omnes execrarentur, a Regina exauctorati, & relegati, aut in varios carceres conjecti sunt. Melior etiam pars Cleri, variorum Ordinum Monachi, Catholici Doctores, Nobiles Laici utriusque sexus in veteri Religione constantes, vel in custodiam dati, vel in exilium amandati. Cruenta deinde persecutio in Sacerdotes, Monachos, Concionatoresque Catholicos, & ferventiores quosque Catholicæ Fidei professores ac defensores excitata Martyres plurimos consummavit: de quibus *Sanderi* Continuator Lib. 3. De Schismate Anglicano; *Diarium Rerum pro Religione Catholica in Turri Londinensi gestarum ab anno* 1580. *ad annum* 1585. ab uno ex Catholicis ibidem captivis scriptum; & Appendix sive Lib. 4. Schismatis Anglicani ex *R. P. Ribadeneiræ* Societatis Jesu Libris excerptus, legi possunt. Hanc persecutionem acrius inflammavit *Pii V.* in *Elizabetham* severa Constitutio data quinto Kalendas Martii anno 1570. qua ipsam Angliæ Regno, omnique alio Dominio, Dignitate, Privilegio privatam declaravit, omnesque ac singulos ejus subditos a Juramento fidelitatis absolvit, lato in eos qui illius Legibus ac Mandatis parerent, anathemate. Quam Constitutionem *Gregorius* XIII. & *Sixtus* V. innovarunt & confirmarunt: Quorum Diplomatibus exacerbata magis *Elizabetha*, crudeli carnificina in Catholicos grassata est. Perduellibus Scotis adversus *Mariam Stuartam* Reginam favit, ad se confugientem in custodiam dedit, oppressit, ultimo supplicio affecit, approbata quam iniquissimi Judices in eam tulerant Sententia, solis fulta calumniis, quas innocentissima Regina diluerat. Sententiæ sub-

Elisabetha persequitur Catholicæ Fidei professores ac defensores.

Mariam Scotiæ Reginam opprimit.

scripsit *Elizabetha* Kalendis Februarii anno 1587. *Maria* vero capite truncata est die 18. Februarii, anno ætatis 45. captivitatis 19. Princeps in Fide Catholica constantissima, in cujus odium oppressa & interfecta est, eximia in Deum pietate, invicta animi magnitudine, prudentia supra sexum, forma præstantissima. De cujus causa, oppressione, damnatione, ac triumphali morte pluribus agunt *Camdenus* in Vita *Elizabethæ* Reginæ, *Romualdus Scotus* in Summario *De Morte Mariæ Stuartæ*, ubi rationes legere est quibus Cancellarius Angliæ, & Prolocusor *Packeringias* ipsius necem *Elizabethæ* persuaserunt, una cum eorum quæ eidem *Mariæ* objecta sunt, confutatione, & *Obertus Barnestapolius* in Epistola ad *Joannem* B. Germanum, quam anno post *Mariæ* Scotlæ Reginæ mortem *Guillelmo* Cardinali *Alano* dicatam in lucem emisit hoc præfixo titulo: *Maria Stuarta, Regina Scotiæ, Dotaria Franciæ, Hæres Angliæ & Hyberniæ, Martyr Ecclesiæ, Innocens a cæde Darleana*. Legendus & P. *Caussinus* Societatis Jesu vir eloquentissimus Tom. 2. Aulæ Sanctæ *Philippo secundo* Regi Catholico infensissima *Elisabetha*, magisque Catholicæ Religioni, cum Belgis perduellibus adversus illum fœdus init. *Genses* pecunia juvit & milite; Classem in Hispaniam immisit haud multo feliciori successu, quam *Philippus* Invincibilem suam in Angliam immiserat. Nuptias ejus plures Principes ambierunt, *Ferdinandus* Cæsaris ejusdem nominis filius, *Carolus* Maximiliani Cæsaris frater, *Franciscus* Dux Andegavensis frater *Henrici* Regis Christianissimi; & ex Anglis *Nortfolciæ* Dux, & *Arundeliæ* Comes: At illa spes singulorum, pro rerum suarum opportunitate fovit, omnes elusit; se Virginem permansuram asserens, velleque ut in marmore sub quo sepulta jaceret, inscriberetur: *Hic jacet Elisabetha, quæ & tot annos Regina, & tota ætate sua Virgo extitit.* Obiit anno millesimo sexcentesimo-tertio, die quarta Aprilis, ætatis anno septuagesimo, Regni quadragesimo-quinto; de cujus gestis plura *Camdenus* in ejus Vita.

Elizabetha obitus.

JOANNIS DOMINICI MANSI

NOTÆ.

DE PIO II.

REgni Neapolitani possessionem Ferdinando Aragonio concessit Pius, querelas Principum Andegavensium, qui sibi illud deberi asserebant, negligens; qua in re non nimis quidem amori in nepotem Antonium Piccolomineum Melphiæ ducem indulsit, ut P. Alexander hic criminatur. Ipse enim Pontifex in una ex orationibus, in Mantuano conventu habitis, hoc factum suum egregie excusat. Curas suas Pius verterat in expeditione Turcica apparanda; huic vero consilio suo maxime obstitisset, si Italiam bello periculoso implicitam reliquisset. Curandum igitur prius sibi esse intelligebat de pace Italiæ reddenda. Id vero numquam impetrasset, nisi Regni Siculi possessionem Aragonio, qui jam fere totum subegerat, concessisset. Ita enim Aragonius voti sui compos factus deposuisset arma, statimque Italia quievisset a bello. Nec enim tunc pronum erat Gallis arma inferre in Italiam pro jure Andegavensium vindicando. Id Pium persuasit, ut Ferdinando Aragonio indulgeret, reservato tamen suo jure Andegavensibus, de quo in tempus aptius se cogniturum spopondit. Hæc pro se Pius, quæ sane probabilia sunt, valentque ad eam invidiam a laudatissimo Pontifice removendam, quam P. Alexander impingit.

In conventu celebri Mantuano, quem Pius celebravit, pluries ab illo, & eloquentissime peroratum esse constat; semel quidem pro Concilio ad omnes Patres, causas conventus hujus indicendi, habendique exponens. Bis etiam verba palam habuit ad Gallos; semel cum ad se primum introducti, ea quæ haberent a Rege suo in mandatis oratione magnifica narrarunt. Ad singula respondit Pius egregie, celebratasque suas a Gallicis legatis laudes modeste a se repellens, in Regem eorum ingeniose convertit. Iterum vero Gallos audivit querentes de neglecto a Pontifice jure optimo Andegavensium, egregie semper de Apostolica Sede merentium, ut Aragoniensibus immeritis faveret. Rogabant igitur, ut injuria aliis impensum Pontificium favorem, sibi merito restitueret. His Gallorum expostulationibus respondit pro concione Pius, fuse & luculenter demonstrans, Andegavensium jus in Regnum Siculum, nec per se potius esse supra jus Aragoniensium; utrique enim Pontificum Romanorum largitione (aliis in Andegavenses, aliis in Aragonios alternantes) se illud tenuisse agnoscebant. Quod igitur a Romanis Pontificibus ante se præstitum fuisset, ut in quam partem maxime vellent, inclinarent; id æque sibi vindicasse se demonstrabat, ut quos maxime vellet, sive Andegavenses, sive Aragonios præferret. Cæterum ita se favisse Andegavensibus ajebat, ut jus integrum, de quo postea cognosceretur, Andegavensibus reservaset. Tum ea prosequutus est, quæ superius indicavi. Postremo in ipso absolvendi cœtus articolo verba habuit postrema; res in eo colloquio gestas sub uno conspectu proponens, & quid sperandum esset de summa re, cujus causa convenerant, declarans. Orationes illas omnes, quarum postrema nondum lucem aspexerat, una cum aliis omnibus Pii orationibus, sive jam editis, sive adhuc ineditis publice a me exponendas propediem expectare eruditos volo.

In eodem Mantuano conventu, vel saltem Pio regnante, conditas credo eas leges, quas Cardinales in Conclavi ad Pontificis electionem coeuntes jurabant, spondente pro se quoque illas se servaturum, si forte in Pontificem eligeretur. Eas leges Paulum II. in sua electione acceptasse, atque nuncupato voto, se illas servaturum spopondisse, scribit P. Alexander in articulo de rebus a Paulo gestis. Integras vero illas ego in meo Conciliorum supplemento tom. V. ubi de conventu Mantuano, e MS. Codice evulgavi, & in eodem conventu vel sub Pio stabilitas, ex ipso legum ipsarum testimonio demonstravi.

De SIXTO IV.

SIxtum IV. conjurationis in Mediceos, cives Florentinos potentissimos, & jam tunc patriæ suæ principatum affectantes, conscium fuisse æquales eorum temporum scriptores quidam affirmant. Hujus vero suspicionis ratio unice petebatur ex Hieronymo Riario Pontificis nepote, Florentiæ tunc agente, quem amicitia cum conjuratis intima reddebat suspectum. Verum Sigismundus de Comitibus Fulginatensis, gravis in primis auctor & æqualis eorum temporum, in sua historia MS. cujus portionem quandam ego apud me servo, suo forte tempore edendam, siquidem contigerit ut reliqua parte potiar, in ea se versari opinione dicit, quæ Hieronymum absolvit. Probabilis sententiæ suæ conjecturas has affert. *Mihi certe mores, ac naturam Hieronymi intuenti probari non potest; præsertim cum omnibus fere conjuratis justas inimicitias intercessisse cum Laurentio Medices sciam; nec ullam causam esse, cur Hieronymus, præter naturam, præterque institutam suam, in Laurentium Medices, multa, & magna beneficia sibi debentem, sævire voluerit; cum iis, quos vitæ suæ insidias fecisse compererat ignoverit tantum, quod monuisse eatenus ne amplius facerent, incolumitatem, & fortunas concesserit. Præterea neque in vultu, neque in motibus Hieronymi quidquam sævum, aut atrox fuit: contra, omnia plena tranquillitatis, plena clementiæ, plena beneficentiæ. Maximam gloriam in dandis beneficiis ponere. Injuriarum facillime oblivisci; non modo benevolentia, sed significatione benevolentiæ alligari, votis amicorum occurrere; rebus quam verbis gratificari malle. Ejus etiam continentiæ & modestiæ esse, ut cum apud Statum propinquum suum tantum auctoritate & gratia posset, quantum nec nostra, nec Patrum nostrorum memoria quisquam apud Pontificem aut Principem potuit, esset autem corporis egregii, formæque elegantis: nullum petulans, aut arrogans dictum, factumque in cujusquam pudicitiam cum aut famam ab eo manarit. Quibus rebus adducor ut credam, eum ab hujusmodi scelere longissime abfuisse.*

De

De INNOCENTIO VIII.

QUæ de concessa Norvegis ab Innocentio facultate sacrificii in aqua tantummodo conficiendi, hic afferuntur in notis P. Roncagliæ, ut demonstrentur conficta esse omnia & per calumniam impacta Innocentio; adeo valida, & ad persuadendum apta judico, ut nihil præter hoc unum addendum succurrat; nimirum Pontificem hunc adeo fuisse circomspectum in rebus gravibus, & ad religionis dogma pertinentibus, ut nihil definire vellet, quin prius consultandum viris gravissimis & doctissimis traderet. Ita se gessit in damnandis Joannis Pici sententiis nonnullis, quas ille se defensurum publice proposuerat. Neque enim prius damnare eas voluit, quam delectorum in eam rem Theologorum audito consilio, & consultatione diligenti præmissa. Vix autem credo Theologos ejus ætatis, si ab Innocentio de concessione ista consulti fuissent, aliter responsuros quam juxta opinionem tunc apud illos pervulgatam. Quæ vero tunc maxime obtinebat apud doctos sententia in eo erat, (& merito quidem) ut negaret Sacrificium sive in unico tantum pane, sive in pane, & aqua confici potuisse. Vide S. Thomam 2. part. q. 80. art. 12. ad prim. Narrat insuper Volaterranus (qui unicus est auctor fabellæ hujus) ad hæc impetranda ab Innocentio missam fuisse Romam ex Norvegia Legationem. Hujus tamen Legationis ne verbum quidem occurrit, nedum apud alios, sed nec apud Stephanum Infessuram, quamquam ille in suo Diario nihil ex rebus paulo celebrioribus quæ Romæ accidebant omisit, & alias Legationes ad Innocentium missas non siluit. Suspiciosa igitur Legationis hujusce, quæque ex illa pendet dispensationis concessæ veritas, efficitur.

Quæ vero fuerint Joannis Pici Mirandulæ comitis sententiæ a Theologis, quibus id negotii a Pontifice mandatum est, censura notatæ hic subjungere visum est opportunum. Erui illas ex opere Petri Garziæ Xativæ urbe in diœcesi Valentina nati, & Ussellensis in Hispania Episcopi cui titulus: *Determinationes Magistrales contra conclusiones apologeticas Joannis Pici Mirandulani*. Dicavit illud auctor Innocentio VIII. a quo jussus est *Libellum apologeticum* ejusdem Pici discutere una simul cum Joanne Episcopo Tornacensi, domus pontificiæ magistro. Ambo Libellum hunc Pici in examen revocantes, visi sunt reperisse se in eo quædam reprehensione, & censura dignissima. Hæc autem Pontifici repræsentata anathemate confixa sunt. *Sanctitas sua prædictos errores damnavit, & anathematizavit.* Ex his intelligimus Pontificem censura inussisse sua non asserta quidem, quæ publice se defensurum Picus exposuit, ut P. Alexander scribit, sed apologeticum librum in eorum defensionem scriptum. Hoc Pici apologeticum inter ejus opera legitur.

I. Christus non veraciter & quantum ad realem præsentiam descendit ad Inferos, ut ponit Thomas & communis via, sed solum quoad effectum.

II. Peccato mortali finiti temporis non debetur pœna infinita secundum tempus, sed finita tantum.

III. Nec Crux Christi, nec ulla imago adoranda est adoratione latriæ, etiam eo modo, quo ponit Thomas.

IV. Non assentior communi sententiæ Theologorum, dicentium posse Deum quamlibet naturam suppositare, sed de rationali tantum hoc concedo.

V. Sicut nullus opinatur aliquid ita esse præcisse, quia vult sic opinari, ita nullus credit aliquid esse verum præcise quia vult credere ita esse verum.

Propositio huic respondens.

Non est in libera potestate hominis credere articulum fidei esse verum quando sibi placet, & credere non esse verum quando sibi placet.

VI. Qui dixerit, accidens existere non posse, nisi inexistat Eucharistiæ, potuit Sacramentum tenere, etiam tenendo panis substantiam non remanere.

VII. Si teneatur communis via de possibilitate suppositionis respectu cujuscumque creaturæ; dico quod sine conversione substantiæ panis in corpus Christi, vel paneitatis annihilatione, fieri potest ut in altari sit corpus Christi secundum veritatem Sacramenti: quod sit dictum loquendo de possibili, non de sic esse.

VIII. Illa verba; hoc est Corpus meum, *quæ in consecratione dicuntur, materialiter tenentur, & non significative.*

IX. Magis impropria dicuntur de Deo quod sit intelligens vel intellectus, quam de Angelo quod sit Anima rationalis.

X. Anima nihil actu, & distincte intelligit nisi seipsam.

XI. Nulla est scientia, quæ nos magis certificet de Divinitate Christi, quam magia, & cabala.

XII. Miracula Christi non ratione rei factæ, sed ratione modi faciendi, suæ divinitatis argumentum fuat certissimum.

XIII. Rationabilius est credere Origenem esse salvum, quam credere ipsum esse damnatum.

Præstat denique elogium quod æternæ Innocentii memoriæ posuit Sigismundus Fulginatensis, cujus supra memini, hic describere. *Nemo fuit ex tanto numero Cardinalium quin ad ipsum Joannem Baptistam* (Cibu qui dein fuit Innocentius VIII.) *suffragium, quod hactenus nulli Pontifici contigisse legitur, libens conferret; ut verius vero illud Comici videatur: nihil esse homini melius facilitate atque clementia; quæ si in ullo homine unquam fuit, in ipso Innocentio fuit permaxima; neminem enim a conspectu suo tristem discedere passus est; omnes amplexu & osculo dignabatur; cum magnis, mediocribus, infirmis conjunctam aliquam gratiam habebat: monitum Salvatoris nostri infixum habens:* Discite a me quia mitis sum & humilis corde. *Hæc præcipue eum virtus evexit, quanquam aliis abundabat, prudentiaque altissima præditus erat. Hic pacis, copia, & justitiæ titulum tamquam signum aliquod ad bene de se sperandum omnibus prætulit, & præstitit, quantum in eo fuit summa cura, & diligentia, quanquam Apostolicæ sedis dignitas & præservandæ a dominatu Turcarum Italiæ amor, consilia pacis sibi breve tempus interferit; ad quam tamen ad primam occasionem, oblitus utilitatum suarum, ita avide redit, ut invitus ab eo dimotus videretur, prout paulo post ostendemus.*

De Pio III.

MEmoriæ Pii III. hæc pauca offerenda censeo, quandoquidem, ne majora de illo ad pontificiam dignitatem evecto celebrarentur, vetuit brevitas illa temporis plus nimis arcta, qua supremam potestatem gessit. Vir fuit non illiteratus, ac Literatorum virorum amator. Extant Epistolæ ejus nonnullæ inter Jacobi Papiensis Epistolas editæ; sunt penes me etiam aliæ ejusdem ad Felinum Sandæum, quas forte juris publici cum sese offeret opportunitas, faciam. Pontifex etiam Literas quasdam scripsit; saltem unica est apud me ad Canonicos Ecclesiæ Cathedralis Lucensis, qua leges præscribit pro conservanda Bibliotheca Felini, qui per eos dies defunctus capitulo Ecclesiæ illius eam legaverat, & supremæ voluntatis suæ curatorem Franciscum Card. Senensem, nempe eumdem Pium III. reliquerat.

Mores ejus religiosissimos, sanctimoniæ plenos atque suavissimus, scriptores omnes prædicant. Unicum proferam Bartholomæum Senaregam, qui rerum Genuensium historiam tunc scribebat, vulgatam Rer. Ital. To. XXIV. *A sui creatione illud frequenter in ore habuit: Non armis opus esse amplius sed de pietate, & religione omnibus cogitandum, quæ prædicatio totam Italiam in spem certam erexit quietioris status, bellorum terroribus undique sublatis.*

De PAULO III.

CElebris est nostris hisce diebus controversia, an libellus ille Pauli III. jussu confectus, *consilium virorum doctorum de emendanda Ecclesia* continens a Paulo IV. in vetitorum Librorum censum relatus sit; cum reipsa in indice repudiatorum librorum occurrat *Liber inscriptus: Consilium de emendanda Ecclesia*, Schelhornius tum alibi non semel, tum in Epistola ad Cardinalem Quirinum contendit Paulum IV. reipsa consultationem hanc cui & ipse interfuerat, suaque subscriptione probaverat demum rejecisse, atque inussisse censura. Cardinalis Quirinus in suis ad judicium Actorum Lipsiensium mensis Augusti anni 1747. *Animadversionibus* omnes eloquentiæ eruditionisque suæ nervos intendit, ut evincat alium omnino esse librum, quem Pauli IV. censura ferit; vel si eumdem, improbari asserit adornatam a Sturmio ejus consilii cum additis ex suo nonnullis editionem. Mihi communis cum Cardinali Quirinio olim sedit opinio, & nunc pariter eadem probatur. Vix profecto in animum inducere possum, a Paulo tam publica censura damnari potuisse librum, cujus scribendi ipse cum sociis auctor fuerat. Numquid non intelligebat quantum ea censura invidiam in se excitasset? Eo provocassent hæretici, ut demonstrarent, merito a se accusari Romanos Pontifices, tamquam ab omni reformandorum morum consilio abhorrentes. Rem dispiciamus pro-

prius.

pius. Index *Librorum prohibitorum* sub Paulo IV. editus, ac dein cæteri sub aliis Pontificibus fuerunt: *Liber conscriptus, consilium de emendanda Ecclesia.* Num probabile est unicum tunc forte Librum produisse de hoc argumento? Reformationem omnes in Germania heterodoxi orthodoxique crepabant. Notus est liber Nicolai de Clemangis inscriptus: *De corrupto Ecclesiæ statu.* Extant in collectione Conringii, anno 1650. edicta nonnulla *quibus doceretur necessitas reformationis Ecclesiæ Romanæ &c.* Ipse pariter Schelhornius e MS. Cod. vulgavit Friderici Staphili *Consilium de reformanda Ecclesia* Ferdinando I. Imperatori suggestum. Fieri igitur potuit ut similis tituli similisque argumenti Liber ab alio quopiam scriptus, a Paulo IV. sub hoc titulo proscriberetur. Quod & mihi probabilis hæc ratio persuadet, nimirum in Indicibus Romanis cum de Consilio hoc Novenvirali certo agitur, titulum illi præscribi hunc: *Consilium delectorum Cardinalium;* Libri vero de quo agimus titulus est: *Consilium de emendanda Ecclesia.* Cedo mihi Elenchum Librorum prohibitorum a P. Francisco Magdaleno Capiferro sacræ cong. Indicis a secretis, confectum, editumque Romæ anno 1632. in 12. ubi ad Literam C. lego: *Consilium delectorum Cardinalium. Vide Æquitatis discussio.* Porro Libellus iste: *Æquitatis discussio, &c.* apologia est libelli: *Consilium delectorum Cardinalium,* de quo hic agimus. Ita ergo in indice Romano indicatur Consilium Novenvirale; non vero hoc alio titulo: *Consilium de emendanda Ecclesia.* Nec abs re etiam animadverto Consilium illud in vetustis Indicibus referri in classe incertorum Auctorum, seu librorum nomen auctoris sui nequaquam præferentium. Consilium vero Novenvirale auctores suos adscriptos exhibet; quare si de hoc ipso Consilio in Indice ageretur, profecto in classem librorum a certis auctoribus scriptorum referendus fuerat. Hæc pauca dare in præsentia opportunum censui, ne intactam præterire velle viderer quæstionem, tanto nunc partium ardore agitatam, quæ tamen pro Romana Ecclesia patronum nacta est validissimum, cujus manibus totam, quanta est, illam relinquo, certum tenens nulli melius, tutiusque commendari potuisse.

In Amœnitat. Histor. Eccl. tom. 2. p. 399.

DE JOANNE HUS.

Quæ dogmata Joannes Hus propugnaverit, quæque illi immerito appinxerint Catholicæ fidei Zelotes imperiti, nemo melius erudire nos potest præ Laurentio Byzino, qui apud VVenceslaum Imperatorem novæ urbis Pragensis Cancellarium agens, Husso studebat, & rerum tum & deinceps gestarum commentarium scripsit, vulgatum a Ludevvig *Reliquiar.* T. VI. p. 124. Tradit schismatis ab Hussitis reiiciendi, abjiciendi cœremonias sacras, a lituriga vestes removendi, Confessionem auricularem tollendi, atque cum illa una pariter jejunia quadragesimalia festosque dies, Dominico excepto, subducendi, tum & Purgatorii, invocationis Sanctorum, atque Imaginum cultus dogmata ejurandi auctorem primum se præbuisse Martinum Loquis Moravum; socios Joannem Oilezin & Conradum cum aliis Taboritis, qui omnes ex oraculo cujusdam VVenceslai regis pincernæ in Praga pendebant. Prædicandi dogmata ista exordium non ante annum 1420. factum, idest post Hussi obitum quinquennio, idem Byzinus adnotavit. Ex quo illud consequitur, verissime existimasse P. Alexandrum nihil, vel fere nihil Hussum cum Heterodoxis ætatis nostræ habuisse commune.

Ceterum non ita purum ab omnibus prorsus illis hæreseos criminibus Hussum judico, quin justam ita de se suspicandi in nonnullos rationem ab eo datam negem. Sæpe sub catholicorum verborum tegumento hæreticum sensum occulere visus est, quod illi exprobrat Stephanus Carthusiæ Dolanensis Prior in Antihusso, vulgato a P. Pex Anecdot. T. IV. part. 2. pag. 363. Sacrorum Lipsanum osorem quis non dixerit eum, qui factiosos suos permittebat Sacras Reliquias projicere, conculcare, violare, quamvis sub obtentu abjiciendi profanum cultum, quem forte præstare possunt fideles profana pro sacris venerantes? Palam omnibus indiscriminatim docebat pro concione: *Quod sola contritio sufficeret ad salutem sine confessione oris mortali Sacerdoti.* Id vero licet sensu Catholico propugnari posset, in contritione enim confessionis votum continetur, quod sufficit ad implendum divinum præceptum si forte sacerdos absit; attamen hæreseos suspicione non caret, ut idem Stephanus toto cap. X. demonstrat, tandem concludens: *Quod pro sola contritione Magister ille Hus ita arduis allegationibus disputat, videtur pro non facienda (al. fienda) Confessione magis præsumptionem, quam ædificationem laicis inculcare, & maxime in illa Chrysostomi allegata per ipsum auctoritate, quæ sic personat: Non tibi dico, ut tu prodeas in publicum, nec apud alios te accuses; sed obedire te volo Prophetæ dicenti:* Revela viam tuam ante Dominum; confitere peccata tua apud verum Judicem, cum oratione delicta tua pronuncia, non lingua, sed conscientiæ tuæ memoria, & tunc demum spera te misericordiam consequi posse.

De BOHEMORUM Compactatis.

Quamvis de Bohemorum compactatis diligenter, & copiose P. Alexander disputaverit; nonnulla tamen addere juvat post hujus Auctoris obitum a Viris doctissimis in lucem publicam extracta. Compactatorum epitomen Cochlæus quidem, ut hic in Historia adnotatur, retulit, integras tabulas cum monumentis aliis huc pertinentibus vulgavit Leibnizius in *Mantiss.* Cod. Juris Gentium p. 138. Quæ compactata postquam cum Legatis Concilii conventa fuerunt, ad ipsum Concilium relata sunt. Quid dein statuerit Concilium silet P. Alexander; narrat vero testis oculatus, Æneas Sylvius in oratione de Compactatis Bohemorum coram Callisto Papa III. habita, vulgata a Muratorio Anecdot. T. 3. p. 309. ex qua hic ipsa ejus verba dare juvat: *Cum res Basileæ concludi non posset, missi legati sunt in Bohemiam viri sapientes, & qui divinæ atque humanæ legis peritiores habebantur. Qui petitionibus Bohemorum ad verum discussis, nonnulla cum his capitula confecerunt* (hæc ipsa nempe quæ a Leibnizio recitata jam dixi) *quæ Compactata dicuntur. Horum vigore abdicant a sese Bohemi quosvis articulos erroneos, illo dempto, qui de communione duplici nuncupatur. Neque enim super hoc Legati, & Bohemi convenire potuerunt; cum illi ex præcepto Salvatoris Communionem Calicis deberi populo dicerent; nostri negarent. Conventum tamen inter eos est hanc disceptationem ad Concilii decisionem remitti. Bohemos autem in omnibus universalis Ecclesiæ ritum resumere debere, excepta Sacramenti communione, quam sub duplici specie his qui usum rationis* * *haberent ex auctoritate universalis Ecclesiæ concedi voluerunt. Intervenerant & aliæ pleræque pactiones, quarum meminisse non est modo necessum. Annuit S. Synodus ratum quod legati fecere; nam quamvis Theutones adversarii viderentur, aliis nationibus non placuit infinitas pene animas perditum iri communione negata. Constabat enim, paucis exceptis, qui mentis inflatione contra Patrum instituta juraverant, Bohemorum populum errore seductum. Declaravit deinde Synodus Communionem Calicis, quoad populares non cadere sub præcepto Domini; nec licere Laicis illam sibi auctoritate propria usurpare; misitque Philibertum Normanicæ Constantiæ Pontificem eruditum & integrum virum, qui legatione inter Bohemos utens (favente Sigismundo Cæsare, qui per hunc modum & Pragam, & Regnum recuperavit) in usum Compactata redegit. Intervenerant & aliæ inter Regni communitatem, & Sigismundum pactiones, quibus Ecclesia Pragensis Joanni de Rokezana promissa. Post hæc exortæ sunt notissimæ illæ inter summum Pontificem Eugenium & Patres, qui Basileæ remanserunt contentiones.* Tum prosequitur narrans civiles turbas Bohemiæ regnum agitasse: ex quibus factum est, ut religiones omnino negligerentur, paulatimque populus ad impietatem, cui jam assuerat rediret, cum demum addit: *Petita est tamen aliquoties & ab Eugenio & a Nicolao* (IV. Papa) *Compactatorum confirmatio, sed cum Rochezana simul in Archiepiscopum efflagitaretur, anima nigra & pestilens, abhorruit Apostolica sedes alterum cum altero simul admittere.* Cætera Æneas persequens, narrat quomodo Joannes Card. S. Angeli, & Nicolaus de Cusa Cardinalis Bohemos ad concordiam reducere S. Romanæ Ecclesiæ admisi sint: frustra tamen illi, pristina semper consilia pertinaciter retinentibus Bohemis. Atque ita extractum fuisse tempus ait usque ad eum annum quo eandem ipse venisset ad Pontificem ab Imperatore Friderico III. missus, ut de reducendis Bohemis secum ageret; cum præsertim nihil illi peterent, nisi ut Compactata olim a Basileensi Concilio impetrata sibi assererentur. Poscebant tamen simul & pro Rokesana viro Hussiticæ hæreseos suspecto Pragensem Cathedram. Hæc Æneas, a quo tamen nihil impetratum est. Sed ipse pariter Æneas in Petri cathedram tandem assumptus cum Bohemicam legationem pro obtinendis compactatis excepisset, se concessurum negavit, seque omni de iis deinceps impetrandis Bohemos privavit. Hæc de Compactatis, de quibus sæpe etiam deinceps actum scio: nam sub Pio IV. de in-

* In meo Cod. MS. deest rationis.

de indulgénda Bohemis sub utroque symbolo Eucharistia iterum tractatio invaluit, exorarique se tandem Pontifex permittens Bullam de Concessione illa signavit, quamvis justis deinde de causis non prodivit in publicum.

Et merito quidem Romani isti Pontifices in Compactatorum concessione difficiles sese præbuerunt; quamquam enim pro pace toti Regno restituenda, servandisque ad Fidem Bohemis id demum concedi posse videretur, ut in communione Eucharistiæ cum pane sacro accepto, de calice etiam sacro potarent; simul tamen credendum illis fuerat nullo Dei præcepto ad id fideles obstringi. Bohemi vero tamquam ex Dei mandato de utroque symbolo communicare volebant. Quare nec eorum Sacerdotes umquam monebant populum ut id crederent, nec populus aliter quam olim Hussitæ credebat. Quæ animi affectio tunc etiam illis inerat, cum maxime pacem cum Catholica Ecclesia composuisse videbantur. Id præcipue ostenderunt ipsi Bohemorum legati, post initam cum legatis Concilii pacem ad Concilium ipsum venientes. Hæc enim de illis reperi in vetustissimo & tunc scripto Codice Bibliothecæ Vindobonensis Cæsareæ. *Post audientiam ibidem in Concilio consuetam Ambasiatores Bohemorum protestationem hanc habuerunt.*

Nos Oratores Regni Bohemiæ, protestamur nomine præfati regni, quod si præfatus articulus communionis sub utraque specie, quoad materiam de præcepto, secus determinetur, quam secundum Judicem compactatum in Ægra; quod talem determinationem vel sententiam nullatenus intendimus suscipere, nec in eam consentire; immo eidem ex nunc expresse contradicimus: petentes instrumenta ad perpetuam rei memoriam. Nihil profecto certi definitum fuisse in Ægra quoad præceptum sumendi calicis satis constat. Altero insuper post eam legationem an. 1434. convenientes in Synodum ex universo Bohemiæ regno Clerici definierunt: *Communio divinissima Eucharistia sub specie utraque, panis scilicet & vini, utilis multum & saluti expediens, toti credentium populo est necessaria, a Domino præcepta Salvatore, sicque communicantes merito fide Scriptura a Spiritu Domini, etiam Prælati dissentiant, licite faciunt; nec ideo populi profani dicendi sunt, nec veluti hæretici puniendi.* Hujus, ita vocari si placeat, Synodi acta ego in mea Conciliorum collectione Tom. VI. pag. 550. ex Vindobonensi Cæsarea Bibliotheca eruta vulgavi.

Aliam Compactatorum abusionem Pius II. Bohemis exprobravit in ea, quam ad ipsos habuit, oratione, cum eorumdem compactatorum approbationem ab ipso petituri venissent. In ea enim ait ex compactatis ipsis didicisse se, sponsionem a Concilio factam fuisse de facultate concedenda, si id per legatos postulassent, *Sacerdotibus eorum communicandi eas personas, quæ in annis discretionis constitutæ reverenter & devote postulaverint, cum additione, quod Sacerdotes sic communicantes dicerent semper, quod non sub specie panis caro tantum, nec sub specie vini sanguis tantum, sed sub qualibet specie est integer totus Christus. Nunc vero*, addit ipse Pius, *hæc pollicitatio numquam impleta est, cum vestri Sacerdotes non servarint conventa.*

Nec ipsi pariter Bohemi ad hanc de se suspicionem augendam, confirmandamque parum contulere. Postquam enim res Ecclesiæ suæ cum Basileensibus Patribus plane composuisse visi sunt, anno demum post eam concordiam sexto, Christi scilicet 1442. collecti in cœtum Magistratus, Clerusque Pragensium definierunt: *Ut nullus audeat prædicare, quod tantum sumitur sub una specie, quantum sub utraque.* Perinde enim hoc erat, ac concordatis directe repugnare; justamque de sinceritate fidei Bohemicæ suspicionem præbere.

De Scriptoribus qui Lutheranam hæresim impugnarunt.

VEniam profecto dabit V. Cl. P. Alexander, si adjiciendum aliquid suscipio Catalogo a se contexto (alioqui tamen copioso) de Scriptoribus, qui rem Lutheranam Sæculo XVI. impugnarunt; id enim me acturum proposui, ut erudita ejus historia magis, magisque ornaretur, atque illustraretur. Veniam etiam ab æquis lectoribus me impetraturum spero, si eruditionis partem hanc mihi sumo, homo Italus, a quo nihil præclarum sperandum esset de re in Germania plerumque expedita, & a Germanis scriptoribus fere repetenda. In enim mihi commodi, quod ex angustia Bibliothecarum nostrarum comparari nequaquam posset, mihi contulit Vindobonense iter, ante paucos hosce menses confectum, ubi librum hac in re incomparabilem nactus sum, Bibliothecam nempe antiquam Vindobonensem civicam adornatum opus a Cl. Philippo Jacobo Lambeker a secretis Civitatis Vindobonensis, & Civicæ illius Bibliothecæ custode. Plures in eo opere censentur Germanici Scriptores Sæculi XVI. in Lutherum & Lutherana dogmata, quos omnes, iis tamen omissis, qui & P. Alexandro innotuerunt, hic dabo, nonnullis adjectis cujuscumque tandem gentis extiterint, quos pauperculum penu meum recondit. *Augustinus Alveldensis* Franciscanus, Lipsiensis, cujus est libellus duplex, alter de *Sede Apostolica* Germanice editus in f. absque loci, & anni adscriptione, alius inscriptus *Malagma optimum contra F. Joannem Lonicerum, & F. Martinum Lutherum*, in 4. absque loco & tempore. *Thomas Rhadinus*, Todescus. Oratio in Martinum Lutherum in 4. Coloniæ 1520. & altera ejus adversum Melanchtonem in 8. Romæ 1522. *Joannes Antonius Modestus*. Oratio ad Carolum Cæsarem contra Martinum Lutherum in 4. Argentinæ 1521. *Jacobus Hochstratanus*. Cum Divo Augustino colloquia contra enormes atque perversos Martini Lutheri errores in 4. vol. 2. Coloniæ, *Gaspar Sasgerus*. Scrutinium divinæ Scripturæ pro conciliatione quorumdam dissidentium dogmatum in 4. Basileæ 1522. *Ejusdem*, Replica contra periculosa scripta post scrutinium divinæ Scripturæ, in 4. sine anno & loco. Ejusdem tractatus de Purgatorio, Germanice in 4. Monach. *Joannes Dietembergius*. Tractatus contra Martini Lutheri libellum de abusu Missæ in 4. sine loco & anno. *Ejusdem* Refutatio Lutherani Libelli de hominum doctrinis in 4. Argent. 1523. qui ambo Libri Germanice scribuntur cum tertio alio ibidem edito an homines per bona opera regnum cœlorum mereri possint. *Fridericus Nausea*, Blancicampianus dein Viennensis Archiepiscopus. De divinis in Ecclesia officiis vernacula lingua agendis ad Senatum Norimbergensem crisis in 4. absque loco & anno. Ejusdem contra universales catholicæ Fidei adversarios in 4. Mogunt. 1529. *Bartholomæus de Usingen*. Libellus de falsis prophetis vitandis; de Cœlibatu Sacerdotum, & de Matrimonio eorumdem responsio ad sermonem Langii in 4. Ejusdem de merito bonorum operum contra factionem Lutheranam in 4. Ambo prodierunt Erphordii an. 1525 *Joannes Mensingius*. Oratio de Sacerdotio Ecclesiæ Christi Catholicæ adversus Lutherum. Ejusdem examen scripturarum, & argumentorum Martini Lutheri pro abroganda Missa oratio secunda. Utrumque opus prodiit anno 1527. loco ignoto. *Nicolaus Herborn* Locorum communium adversus hujus temporis hæreses Enchiridion in 12. absque loco 1528. Ejusdem Monas sacrosanctæ Evangelicæ doctrinæ in 8. Coloniæ 1529. *Georgius Wicelius*. Ducentæ sententiæ ex V. & N. Testamen. convincentes necessitatem bonorum operum ad justificationem & vitam æternam, Germanice, in 8. 1534. Ejusdem Apologia contra Lutheranos Germanice in 8. Lipsiæ 1535. *Joannes Helter Corbachius*, Malleolus Christianus in 8. Colon. 1535. Hæc omnia ex Lambekero dedi.

Reliquos ex meo thesauro librario profero. *Joannes Driedo*, Brabantinus, cujus opera P. Alexander indicat hic cap. V. Art. II. *Ludovicus Mojoranus*, Gravinas, Canon. Reg. Lateranensis. Clypeus Militantis Ecclesiæ in 4. Romæ 1575. *Laurentius Arctarus*, Faunteus Polonus. Cœnæ Lutheranorum, & Calvinistarum oppugnatio in 4. Posnaniæ 1586. *Joannes Genesius Sepulveda*, Hispanus. De fato, & libero arbitrio adversus Lutherum in 4. Romæ 1526. *Joannes Maria Verratus* Ferrariensis Carmelita. Disputationes adversus Lutheranos to. 2. Venetiis 1544. editio secunda. *P. Franciscus Romæus a Castellione*. Tusus ord. Pr. De libertate operum, & necessitate in 4. Lugd. 1538. *F. Everhardus Bellick*, Carmelitarum per inferiorem Germaniam Provincialis, Judicii Universitatis & Cleri Coloniensis defensio in 8. Paris. 1545. *Alphonsi* etiam *Salmeronis* celebris Soc. Jes. Theologi, scripta quædam in Lutherana dogmata, præsertim de Purgatorio, & de Indulgentiis aliaque commemorat Alegambe in Biblioth. Soc. Jesu; quamvis typis expressa nondum prodierunt. Præterea *Philippi Archinti*, Mediolanensis, Episcopi Burgi S. Sepulchri, & in Urbe Roma sub Paulo III. vicarii edictum Christianum de Fide & Sacramentis, quod Romæ prius productum, denuo Cochlæi opera formis Ingolstadiensibus iterum excusum est, an. 1546. In Miscellaneis quoque suis l. 2. tract. 4. Cochlæus meminit Prioris apud Prædicatores Francfordiæ qui Lutheri 139. articulos reprobavit. Quoniam vero & Poetas in Lutherum armatos producit P. Alexander, est & mihi in promptu Poeta, quem classi Vatum Anti-Lutheranorum adjungam. Is est Junior *Ludovicus Parisetus* Regiensis, cujus sunt Epistolæ, metrice scriptæ, editæ Regii an. 1541. Ex his Epistolis quædam lib. IV. est ad Lutherum, ejusque dogmata egregie confutat.

La-

Lucenses quoque mei sæculo illo patronos sese Ecclesiæ Romanæ adversus Lutheranos exhibuerunt. *Henricus Bucellius*, ex opusculis nonnullis piis æque, & elegantibus de Amore Dei, & de Religione typis jam evulgatis clarus, calamum etiam in Lutheranos strinxit datis geminis justæ molis voluminibus *adversus Lutheranorum conclusiones Comitiis Augustæ Vindelicorum* oblatas; quamquam opus illud, luce alioquin non indignum, in pluteis Bibliothecę collegii nostri S. Mariæ Curtis Orlandingorum adhuc occulitur. Ven. *P. Paulinus Bernardini*, e sacra Prædicatorum familia, vir genere, moribus, & scientia clarus, concordiam catholicam adversus hęreticos Italice scripsit, & vulgavit Florentiæ an. 1552. in 8. adjecta in fine Italica versione ex latina versione operis Germanici a *Georgio Vicellio* scripti de statu doctrinæ & moribus Lutheranorum. Hæc mihi addenda catalogo Scriptorum antilutheranorum, a P. Alexandro confecto succurrerunt, ut plenior ille redderetur; quamquam neque hac mea accessione rem totam confectam agnosco; adeo enim multi ex omni gente, lingua, professione exorientem tunc Lutheranam hæresim suffocare nisi sunt, ut ex hoc toto virorum doctorum, varie per orbem dispersorum, consensu, validum conficiatur argumentum, quo ficta illa & mendax arguatur; Veteri enim adagio pervulgatum novimus: *Quod dicunt omnes, est verum.*

DE JOANNE A TURRECREMATA.

JOannes de Turrecremata Hispanus ex Ordine Prædicatorum S. R. E. Cardinalis, demum & Episcopus Sabinensis vir omnigena eruditione præstantissimus, & Pontificiæ auctoritatis in Concilio Basileensi vindex acerrimus. Hunc utique insignem Theologum, & Ordinis sui decus eximium, quamquam P. Alexander non siluit, iterum mihi commemorandus venit, quod ejus nonnulla habeam promenda a nullo hoc usque scriptore, qui ejus memoriam posteris commendarunt, adnotata. Pertinent hæc ad catalogum operum ab homine laboriosissimo editurum. Hæc igitur habeo, quæ de operibus ejus promam. *Expositio brevis & utilis super toto Psalterio* Romæ primum vulgata An. 1470. & 1746. in 4. ac dein sæpe alias.

Meditationes in vitam Christi excusæ Antuerpiæ 1607. in 12.

Sermones de tempore, & de sanctis. Lugduni 1509. in 4.

Quæstiones Spiritualis convivii super Evangeliis tam de tempore, quam de sanctis, Norimbergæ 1478. *fol.*

Flos Theologiæ pro sermonibus aplicabilis circa Textum Epistolarum, atque Evangeliorum, Basileæ 1481. *fol.*

Expositio omnium S. Pauli Epistolarum, Basileæ 1495. ut ex Beughemio refert Fabricius.

Commentaria in Decretum Gratiani fol. vol. quatuor Venetiis 1578. Prior tamen editio est Lugdunensis 1519. Tom. 5. fol.

Summa de Ecclesia, Romæ 1489. *fol.* & sæpe alias excusa.

De Pontificis maximi, Conciliique generalis auctoritate ad Basileensem Oratorem in Concilio Florentino. Extat in Tom. 17. Concil. Venetæ editionis.

Flores sententiarum D. Thomæ Aquinatis de auctoritate summi Pontificis collecti in Concilio Basileensi; excusi sunt novissime Neapoli 1715. in 8.

Commentaria in regulam S. Benedicti ad Arsenium Monachum Florentinum in 4. *Venetiis* 1500.

De Reformatione, seu Decisiones in regulam S. Benedicti pro conscientia Prælatorum, & subditorum, Venetiis 1718. *in* 8.

De veritate Conceptionis B. Mariæ Virginis tractatus in 13. *partes divisus, Romæ* 1547. *in* 4.

De efficacia aquæ benedictæ contra Petrum Anglicum in Bohemia, in 4. sine loco & anno.

De Corpore Christi adversus Bohemos, Basilea & Delphis sine anno in 4.

Contra principales errores Mahometis, & Turcarum, in 4. sine anno & loco.

Apparatus super Eugenii IV. decreta de unione Ecclesiæ Græcæ cum latina. Prodiit cum summa de Ecclesia Venetiis 1561. in 4.

Contra principales errores Mahometis, & Turcarum, in 4. sine anno & loco.

Apparatus super Eugenii IV. decrete de unione Ecclesiæ Græcæ cum latina. Prodiit cum summa de Ecclesia Venetiis 1561. in 4.

Dissertationes duæ de Eucharistiæ veritate. Leguntur in Actis Concilii Florentini.

Meditationes depictæ in Ecclesiæ ambitu S. Mariæ de Minerva, Romæ 1498. in 4.

Defensio revelationum S. Birgittæ. Hujus operis prior tantum pars excusa erat in fronte operum S. Birgittæ; posterior vero hucusque in MSS. latens, me primum auctore exiit in lucem in supplemento Conciliorum to. IV. pag. 910.

Quodlibetica cum sermonibus Petri de Alliaco, Argentorati 1490.

De Pontificatu S. Petri concio coram Patribus Basileensibus habita nondum prodiit.

Quæstio quædam facta per eumdem dum erat Magister S. Palatii. Prodiit Conciliorum to. XVIII. pag. 1427. sed & ante prodierat excusa Venetiis in 4. an. 1563.

Reprobationes 38. articulorum qui dicuntur esse Hussitarum qui sunt in Regno Bohemiæ non editæ.

Collecta per D. Cardinalem S. Sixti sub petitione D. Regis Franciæ ut aliud tertium celebraretur Concilium. Me curante lucem vidit in Supplemento Conciliorum to. V. pag. 235.

Votum pro avvisamenta quod Papa debeat jurare servare decreta de Conciliis generalibus continuandis &c. Ego primum vulgavi supplementi Conciliorum to. V. pag. 799.

Repetitiones quædam super quibusdam propositionibus Augustini de Roma. Edidi ego omnium primus in Supplemento Conciliorum to. IV. pag. 1023.

Tractatus contra avvisamentum quoddam Basileensium, quod non liceat appellare a Concilio ad Papam mea opera primum extractus in lucem, ibidem pag. 1299.

Oratio ejusdem in Moguntino Conventu habita cum esset eo missus orator per Eugenium Pontificem, *in* Suplem. Concil. to. V. pag. 64.

Responsio ejusdem in blasphemam & sacrilegam invectivam ad SS. Canonem justissimæ condemnationis congregationis Basileensium, ibid. pag. 76.

Salomonis tractatus in favorem Eugenii contra decreta Concilii Constantiensis, & contra gesta in Concilio Basileensi, in eodem meo Spplem. to. IV. pag. 746.

Tractatus in quo ponuntur impugnationes quarumdam propositionum quas quidam Mag. in Theologia, nominatus Alfonsus de Matricali, posuit & asseruit in disputatione publica in Romana Curia die XXI. Junii anno 1443. *Non editus.*

Salus animæ, seu stabilimentum Fidei Catholicæ, Londini 1509.

Responsio ad quæstionem quamdam sibi propositam per Fratres Ordinis S. Birgittæ; an scilicet Fratres, qui in Diaconatus officio in Religione S. Augustini, S. Salvatoris nuncupati, recepti sunt dum ad Sacerdotium assumuntur, debeant habere locum infra alios Sacerdotes tredecim, de quibus in capitulo X. regulæ, vel debeant habere locum infra alios Sacerdotes secundum ordinem temporis, quo recepti sunt in Monasterio. Servatur in Codice quodam MS. Bibliothecæ Canonicorum Majoris Ecclesiæ Lucensis.

Tractatus quidam contra Madianitas & Ismaelitas adversarios & detractores fidelium, qui a populo Israelitico originem trahunt. Extant in eodem Codice MS.

Contemplationes MSS. in Cod. Vaticano a Fabricio Bibliothecæ medii ævi l. 9. indicantur, sed nondum sunt editæ cum sequentibus.

Symbolum quinquaginta veritatum Fidei contra quinquaginta errores Manichæorum.

Disputatio de veritate & adoratione Sanguinis Christi qui Mantuæ servatur.

Quæstiones de Deo & Angelis.

Contra certos hæreticos noviter impugnantes paupertatem Christi & Apostolorum.

Libellus pro defensione Romani Imperii.

Libellus de nuptiis spiritualibus.

Gratiani decretorum libri quinque secundum Gregorianos Decretalium libros, titulosque digesti per Joannem a Turrecremata cura Justi Fontanini Archiepiscopi Ancyrani vulgati & præfatione, & scholiis illustrati vol. duo in fol. Romæ lucem viderunt an. 1726.

IN

IN HISTORIAM ECCLESIASTICAM SÆCULI XV. ET XVI. DISSERTATIONES SELECTÆ.

DISSERTATIO PRIMA

DE SCHISMATE QUOD PISANO ET CONSTANTIENSI CONCILIIS OCCASIONEM DEDIT.

DISSERTATIONIS ARGUMENTUM.

Quæ Pontificibus Avenione sedentibus, scilicet Clementi VII. & Benedicto XIII. parebant Ecclesiæ ante Pisanam Synodum, Schismaticæ non erant. Gallicana autem Ecclesia & Academia Parisiensis præcipuam in procuranda Ecclesiæ Pace navarunt operam.

I. POst *Gregorii* XI. obitum, qui anno millesimo trecentesimo septuagesimo octavo contigit, die vigesima septima Martii *Bartholomæus Prignanus* Barensis Archiepiscopus in tumultu electus est, Populo Romano seditiosis vocibus inclamante, *Romanum vel Italum volumus*; ignemque intentante Conclavi, nisi Romanus Italusve Pontifex crearetur. Sacrum Collegium viginti tribus Cardinalibus constabat; sex Avenione remanserunt, cum *Gregorius Undecimus* Romam petiit; unus a Legatione Seraaaniana nondum redierat; a sexdecim reliquis, quorum quatuor Itali, unus Hispanus, undecim Galli, peracta Barensis Archipræsulis electio, qui *Urbanus Sextus* appellatus est. Ipsum ut verum Pontificem specie tenus coluerunt; deinde ab ipso defecere partim acerba ejus indole, præcipitibus accusationibus, asperis intempestivisque increpationibus offensi, partim impressionem ac violentiam in ejus electione factam causati, quæ propterea nulla & irrita esset. Duodecim Ultramontani Anagniam secesserunt, ubi coram *Petro de Croso* Archiepiscopo Arelatensi, S. R. E. Camerario ac Judice Ordinario Protestationem ediderunt, sua subscriptione ac juramento firmatam de violentia in *Urbani Sexti* electione illata, quæ ipsam secundum Canones nullam effecerat. Illum per Viros Religiosos, per Prælatos, per Cardinales Italos ab eodem ad se missos honeste monuerunt, ut qui optime nosset se per impressionem electum, legitimum Pontificem non esse, Dignitate cederet, Insignia deponeret, Schisma gravissimum in Ecclesia ne incenderet. Ipsi deinde non jam ut *Urbano*, sed ut *Bartholomæo Barensi* in Sedem Pontificiam intruso, a Camerario dicta dies, Jus suum ut tueretur. Non comparentem tredecim Cardinales Ultramontani, duodecim nempe illi qui Conclavi adfuerant, cum Ambianensi tunc reduce, facientes ultra duas partes omnium Cardinalium in Urbe existentium tempore obitus *Gregorii* XI. illum Sententia lata intrusum & nulla præcedente electione Canonica Sedi Apostolicæ incubantem declararunt ac denuntiarunt, literasque ea de re ad omnes Orbis Christiani Principes, ad Fideles universos, nec-non ad ipsummet *Urbanum* seu (ut vocant) Barensem intrusum dedere. Quæ Sententia ac literæ extant in MSS. Cod. Vaticano, Fuxensi, & S. Victoris Parisiensis. Literas ad omnes Fideles Encyclicas, apud *Odericum Raynaldum* legere est ad annum 1378. Num. 48. & in Historia Universitatis Parisiensis Tom. 4. pag. 476. Literæ ad Reges & Principes editæ sunt *Spicilegii Acheriani* Tom. 6. pag. 41. & eorumdem Cardinalium literæ ad Universitatem Parisiensem, pag. 44. Ad tredecim Cardinales Ultramontanos tres Itali juridice vocati accessere, *Florentinus*, *Mediolanensis*, & *Ursinus*. Apud *Urbanum* unus remansit Cardinalis *S. Petri*, qui & paulo post obiit, Augusto scilicet mense. Fundos, quem locum ut securiorem elegerant, cum omnes convenissent, novum Pontificem summo suffragiorum consensu elegerunt *Robertum* Gebennensis Comitis fratrem, Sanctorum duodecim Apostolorum Cardinalem, Presbyterum, annos duntaxat natum triginta sex, die vigesima prima Septembris qui *Clemens VII.* appellari voluit. Obiit *Urbanus* tertio Idus Octobris anno 1389. postquam Sedem annis undecim, mensibus sex, diebus sex vel novem infeliciter tenuisset. Suffectus ipsi est a Cardinalibus quatuordecim illius Obedientiæ, qui tum Romæ versabantur, *Petrus Thomacellus* sub nomine *Bonifacii Noni*. Obiit *Clemens VII.* in sua Obedientia Pontifex appellatus, Avenione, ex apoplexia, decimo sexto Kalendas Octobris anno millesimo trecentesimo nonogesimo quarto. In illius locum ab ejusdem Obedientiæ Cardinalibus electus est *Petrus de Luna*, Aragonius, nobilissima familia ortus, Juris utriusque peritissimus, *Sanctæ Mariæ in Cosmedin* Diaconus Cardinalis, die vigesima octava Septembris, qui sibi nomen assumpsit *Benedicti* XIII. Defuncto *Bonifacio* Kalendis Octobris anni 1404. omnium Cardinalium Romæ degentium suffragiis electus est *Cosmatus Melioratus*, decimo sexto Kalendas Novembris, & *Innocentius* VII. appellatus. Defuncto *Innocentio* octavo Idus Novembris, anno 1406. subrogatus est *Angelus Corarius* S. Marci Presbyter Cardinalis, qui nomen assumpsit *Gregorii* XII. Anno millesimo quadringentesimo nono, die quinta Junii, *Benedictus* XIII. & *Gregorius* XII. Pisani Concilii Sententia Pontificatu dejecti sunt, ob invictam in fovendo Schismate pertinaciam. Decima quinta Junii ab utriusque Obedientiæ Cardinalibus in uno Collegio conjunctis electus est *Petrus Philargi*, vulgo *De Candia* dictus, Sanctorum duodecim Apostolorum Presbyter Cardinalis: qui sibi nomen sumpsit *Alexander V.* Synodi Sententiæ non paruerunt *Petrus de Luna* & *Angelus Corarius*, in Dignitate retinenda, contra Juramenti solemnis religionem, quo se, priusquam eligerentur, & deinceps obstrinxerant, obstinatissimi. *Alexandro V.* legitimo Pontifice ad meliorem vitam translato die tertia Maii, anno 1410. Bononiæ electus est *Baltassar Cossa* legitimis Cardinalium septemdecim suffragiis, die 17. Maii qui nomen sibi sumpsit, *Joannes* XXIII. Is a Synodo Constantiensi, quam indixerat, die vigesima nona Maii anno 1415. depositus, Concilii Sententiam suscepit, & Pontificia Insignia deposuit. Eadem Synodus Edicto solemni vetuit, ne tum ille, tum *Angelus de Corario*, & *Petrus de Luna* in Pontifices religerentur. *Angelus de Corario* in sua Obedientia *Gregorius* XII. nuncupatus, Sessione 14. ejusdem Concilii die quarta Julii ejusdem anni celebrata, per Procuratorem *Carolum de Malatestis* Arimini Dominum, Pontificatui renuntiavit. *Petrus de Luna* dictus in Obedientia sua *Benedictus* XIII. Concilii Constantiensis Sententia depositus est Sessione 32. die prima Aprilis, anno 1417. celebrata. A Cardinalibus triplicis Obedientiæ jam in uno Collegio conjunctis, aliisque triginta Electoribus, quos Synodus designaverat, in Summum Pontificem electus est *Odo Columna* die undecima Novembris ejusdem anni, qui *Martini V.* nomen assumpsit. *Petrus de Luna* in Schismate obfirmatus, Paniscolæ, quæ Arx erat munitissima in Aragonia, ad Mare, ditionis Lunen-sium

Urbani VI. electio.

Protestatio juridica 12. Cardinalium de violentia in ejus electione illata.

Aliorum Cardinalium accessio.

Clementis Octavi electio.

Alii Pontifices in Schismate electi.

sium Procerum, se ad obitum usque pro Pontifice gessit. Quin etiam morti proximus, quam obiit anno 1424. qui a dubii Pontificatus exordio trigesimus erat, duobus, quos reliquos habebat, Cardinalibus, sub pœna maledictionis æternæ præcepit, ut alium post obitum suum Pontificem designarent. Antipapæ jussioni paruerunt Schismatici Cardinales, & *Ægidium Sancii Muñonis* Barcinonensis Ecclesiæ Canonicum elegerunt, qui ab *Alphonso* Aragoniæ Rege suis rationibus Ecclesiæ unitatem ac pacem postponente, ad umbratilem pudendamque Dignitatem suscipiendam compulsus est, & *Clementis* VIII. nomen usurpavit. Pace tandem Regnum inter & Sacerdotium sancita, agente *Petro* Cardinali Fuxensi ex Ordine FF. Minorum assumpto, Sedis Apostolicæ Legato, *Ægidius* Antipapa sponte abdicavit, Cardinalibusque suis auctor fuit *Odonem Columno* in Pontificem eligerent, & *Martinum Quintum* renuntiarent: quod die vigesima sexta Julii anno 1429. peractum est, ut Acta Legationis Cardinalis Fuxensis a *Bzovio* nostro edita testantur. Ita Schisma teterrimum extinctum est, quod uno & quinquaginta annis duraverat. His ad Historiæ intelligentiam præmissis, demonstro quod probandum hac Dissertatione suscepi, Gallicanam, Hispaniensem, aliasque Ecclesias, *Clementi VII.* & *Benedicto* XIII. Avenione sedentibus, ante Pisanam Synodum, tam sine Schismatis crimine adhæsisse ac paruisse, quam Romanam, Italicam, Anglicanam, & alias *Urbano VI. Bonifatio IX. Innocentio VII. & Gregorio XII.* Romæ sedentibus.

Propositionis Probationes.

II. Cum ita obscura sunt duorum de Pontificatu contendentium jura, ut post multas virorum doctissimorum cum in Theologia tum in Jure disceptationes, post plurimos Tractatus ad electionis utriusque discutienda merita editos, certo ac evidenter ab omnibus Sapientibus & erga Catholicam unitatem bene affectis cognosci non possit quis sit verus ac legitimus Pontifex, tunc alterutri qui bona fide adhærent, parentque, a Schismatis crimine immunes censendi sunt. Illi enim *Ecclesiæ Catholicæ radicem ac matricem* agnoscunt & tenent: illi Ecclesiasticæ *Unitatis origini, Cathedræ Petri & Ecclesiæ principali, unde unitas Sacerdotalis exorta est; & in qua unitas ab omnibus servatur*, communione consociantur. Illi Romanam Ecclesiam, *in qua Apostolicæ Cathedræ semper viguit Principatus*, velut cæterorum *omnium Matrem & Magistram* agnoscunt ac venerantur: Illi tandem Ecclesiæ diligunt unitatem, quam ferventissimis votis optant, & studiis omnibus quærunt ac procurant, Ecclesiam audire parati, & illi obsequi, si alterutrum contendentium legitimum esse Pontificem pronuntiet. In hoc porro schismate adeo obscura erant & dubia contendentium jura, ut post multas virorum doctissimorum Dissertationes, plurimosque Tractatus editos, quorum nonnulli extant in Bibliotheca S. Victoris Parisiensis, cæteri in Vaticana, aliisque insignibus, certo ac evidenter ab omnibus Sapientibus & erga Catholicam unitatem bene affectis cognosci non posset quis esset verus ac legitimus Pontifex, cum utraque pars momentis gravissimis niteretur: Ecclesiæ igitur quæ negotio diligenter examinato, alterutri bona fide adhærebant, a Schismate immunes fuisse censendæ sunt.

S. Cyprianus Ep. 40. 45. 55. & Lib. de Unitate Ecclesiæ.

Optatus Milevit. Lib. II. contra Parmen.

S. Hieronymus in Epist. ad Damasum. S. Augustinus. Concilia passim.

Monumentorum utriusque partis expositio & comparatio.

III. Porro quam obscura res esset, quam gravia & speciosa partis utriusque momenta, eorum compendiosa comparatione expono. *Urbanum VI.* per impressionem electum Clementini allegabant. Banderesios nempe seu Præfectus Regionarios Urbis *Gregorio XI.* in extremis agente multos conventos & consilia habuisse inter se, & aliis cum Civibus Romanis atque exteris Italis, quibus plures Curiæ Prælati, & inter alios *Bartholomæus* Barensis Archiepiscopus interfuerant. In iis fuisse deliberatum ut viæ omnes tentarentur ad Romani vel Itali electionem in Summum Pontificem procurandam. Defuncto *Gregorio*, eosdem Banderesios Cardinales ante Conclavis ingressum, adiisse, sive seorsim singulos, sive omnes simul subinde convenientes, illos adhortatos primum fuisse ad Romani vel Itali electionem, tum terrorem a populo injecisse ad seditionem prono, & in ipsos verisimiliter insurrecturo, nisi votis ejus annuerent. Cardinales respondisse, de his in Conclavi se deliberaturos factumque quod Christianæ rei conducibilius foret. Si vi aut minarum terrore sese populi desiderio accommodare in electione cogerentur, sic electum Pontificem non fore, sed intrusum. Dum Sacra Novemdialia pro defuncto Pontifice agerentur, Banderesios Nobiles Romanos, qui Cardinalibus adversus popularem seditionem præsto esse possent, Urbe expulisse. Montanos & efferos homines ad portarum, pontium, portuumque custodiam constituisse. Antequam Cardinales Conclave ingrederentur, plateam *S. Petri* populo magna ex parte armato plenam fuisse, adeo ut palatium vix ingredi ipsis liceret. Cum iis seditiosam turbam Vaticanum ingressam, portas ejus nocte tota apertas tenuisse, armatis hominibus circumdedisse. Ægre tandem clauso Conclavi, Regionum Capita multis cum Civibus supervenisse, ingressum in Conclave præter fas & morem postulasse, Cardinalibus denuntiasse ut mentem suam circa electionem Romani vel Itali, quod populus optabat, aperirent; alioqui certum ipsis periculum immineret. Commotam armatamque plebem, cum custodibus Conclavis, non illis quidem ex Nobilium Ordine (ut moris erat) delectis, sed infimæ sortis hominibus, qui Cardinalibus merito suspecti essent, illam maxime palatii partem occupasse, quæ subtus Conclave sita erat; nocte tota contigationes & parietes contis & lanceis concussisse, furiosis clamoribus intermixtis: *O Romano lo volemo, ovvero Italiano*. Ignem etiam ac mortem intentasse Cardinalibus, si alium eligerent. Clamoribus, minisque minime cessantibus, ipsos ex abrupto *Bartholomæum* Barensem Archiepiscopum in ea trepidatione Pontificem renuntiasse, ea fiducia quod eam Dignitatem quasi depositum reciperet, ut præsens averteret periculum, eam vero opportuno tempora dimitteret, ut qui, pro sua Canonum peritia, ipsam irritam esse nosset, cum impressionem ac violentiam Cardinalibus illatam propriis oculis usurpasset. Addebant, Omnes Cardinales, a *Gregorii Undecimi* obitu ad tempus usque impressionis, apud se constitutum habuisse, Pontificem non eligere nisi ex Collegio, Ultramontanos quidem Ultramontanum, Italos Italum. Ad electionem Itali condescendisse propter vitandum mortis periculum, dixerunt. Quosdam dixisse; Barensem Archiepiscopum se eligere, animo quidem ut esset verus Papa, terrore tamen mortis. Romanum unum contestatum esse, Nemini se daturum suffragium nisi impressio cessaret, plenaque libertate frueretur. Tres Ultramontanos protestatos, electionem nullam fore. Aliquos ea conditione Barensem Archiepiscopum elegisse, ut cum primum ad locum tutum accedere possent, eum iterum eligerent. Cum remisso aliquantulum populi tumultu plures e Cardinalibus in Sacello Palatii, absentibus interim & insciis trium Ordinum Primariis, ad novam *Bartholomæi* electionem procedere cœpissent, populum renovatis majori furore clamoribus in Conclave quatuor partibus perfractum cum armis irrupisse, & Cardinalibus in intimum Sacrarium confugientibus, illud etiam securibus confregisse, & Cardinales hinc inde circumdedisse. Unum eorum ut seditionem comprimeret, dixisse populo; Cardinalem *S. Petri* electum, qui Romanus erat, sed electioni consensum accommodare nolle. Illi ergo persuaderent, ut Summam Dignitatem susciperet, atque a tumultu quiescerent. Dum autem ii hac arte decepti invitum & reluctantem in Sede collocarent, ut Pontificem adoraturi, Cardinales re infecta sese e Palatio sensim subduxisse metu attonitos, partem latenter in suas ædes, partem in Arcem Sancti Angeli, partem extra urbem dissimulato habitu se recepisse. Electione vero Barensis Archipræsulis pomulgata, cum eam Romani gratam haberent, illum intra Palatium in Pontificia Camera substitisse; postridie Cardinales frustra rogantes ut e Palatio pariter exiret, ad locum tutum extra Urbem accederet, ubi de ipsius electione canonice ageretur, in Palatium revocasse; per Banderesios, aliosque Magistratus frequenter, importune ursisse, objecto majoris scandali periculo: nec satis ipsi fuisse quod Cardinales qui se in Arcem receperant, Schedulam ad cæteros misissent, qua facultatem eis impertiebant eum suo etiam nomine in Sede Pontificia collocandi; voluisse ut & ipsi se sisterent, eum per se adoraturi. Illos cæterosque omnes pejora veritos, & maxime direptionem bonorum, & familiarum cædem ad Palatium rediisse, eum solemni ritu exaltasse, coronasse, ut verum Pontificem externis actibus privatim publiceque coluisse; ea tamen interius mente, ut nihil inde novi Juris acquireret. Aliud tandem non ausos quamdiu Romæ fuerunt, durante semper metu in viros constantes cadente, & imminente mortis periculo, si electionem impugnassent. Sed quamprimum data opportunitas, ipsos Anagniam se recepisse, servato Juris ordine *Bartholomæum* Barensem Archiepiscopum in Sedem Apostolicam intrusum; eamdem Sedem vacantem declarasse, *Robertum Gebennensem* summo consensu, liberrimisque suffragiis in Pontificem elegisse, qui *Clementis VII.* nomen assumpsit. Ita rem gestam exposuerunt

runt tredecim Cardinales publico Instrumento juridice edito Anagniæ, cui subscripserunt omnes, illudque ad omnes Ecclesias & Principes miserunt. Inscribitur *Attestatio Cardinalium de Electione Urbani VI.* Legi potest apud *Odoricum Raynaldum* ad annum 1378. & in Historia Universitatis Parisiensis, Sæculo sexto. Ejusdem factionis, tumultus, impressionis in *Urbani VI.* electione testes sunt coævus Auctor Anonymus Vitæ Gregorii Undecimi, *Bonincognius* qui tum vivebat, Lib. 4. Historiæ, *S. Antoninus* III. P. Chronicorum Tit. 22. Cap. 2. Addit *Simon Cramandus* Patriarcha Hierosolymitanus in Tractatu ea de re conscripto, qui MSS. extat in Bibliotheca Regalis Abbatiæ S. Victoris Parisiensis, *Pontium Veraldi*, qui *Bartholomæo* Barensi Archiepiscopo familiaris & amicus fuerat, ipsi *Simoni* sub juramento asseruisse, *Bartholomæum* se præsente dixisse, cum simul essent in Basilica S. Petri, & Cardinalibus Conclave adeuntibus popularis tumultus excitatus esset: „ Vides quales modi servantur. „ Vere quicumque erit electus in isto tumulto, non „ erit Papa: Nec ego vellem sic ei obedire; nec de„ bent hoc facere quicumque boni Catholici. *Alphonsus* quidem illius temporis Monachus, in Tractatu quem de hoc Schismate edidit, cujus meminis *Gobelinus* in Cosmodromio, Ætate 6. cap. 74. clamores populi non fuisse urgentium, sed precantium, asserit. Sed cæterorum omnium qui de Schismate scripserunt, testimonio refellitur, & ipsius *Jacobi de Sena* qui *Factum* (ut vocans) Universitati Parisiensi misit pro *Urbani* causa. * Quamquam ille rem aliter narret, ac Barensem Archipræsulem Pontificiam Dignitatem recusasse asserat, donec accedentes ad eum Cardinales, tam qui extra Urbem, quam qui in Arcem S. Angeli se receperant, ipsum denuo libere & unanimiter elegerunt. *Theodoricus Niemus*, qui se tunc *Bartholomæo* adhæsisse testatur, vim pariter agnoscit, sed inde totum processisse significat, quod populus Barensem electum esse audiens, *Joannem de Baro* Lemovicensem, *Gregorii* XI. quondam Cubicularium, hominem ob superbiam & lasciviam cunctis invisum, creatum esse Pontificem crederet. *Factum missum per Bartholomæum sub Bulla Regi Castellæ*, id est per ipsum *Urbanum VI.* quod ab *Odorico Raynaldo* editum est ad annum 1378. num. 73. preces dumtaxat a Magistratibus Populoque Romano apud Cardinales repetitas exponit, ut Italum eligerent, ne si Ultramontanus eligeretur, Sedem iterum transferret gravissimo Christianæ Romanæque rei detrimento. Magistratus Urbis Sacramento se obstrinxisse ad Cardinalium personas familiasque custodiendas. Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Camerarium Custodem Conclavis designasse minime suspectam, scilicet Massiliensem Episcopum, cui Cardinales Tiburtinum & Tudertinum Episcopos & nonnullos Ultramontanos adjunxerunt; qui functi sunt officio suo diligenter & fideliter, ac Personas Cardinalium ab omni violentia, impressione, & injuria defenderunt, quamdiu fuerunt in Conclavi, & donec celebrata est electio. Gallos, præsertim Lemovicenses, ante Conclavis ingressum de Barensis Archiepiscopi electione in Summum Pontificem deliberasse. Cum Conclave sunt ingressi, multos ex Romanis Palatium circumdantes altis vocibus clamasse; *Papa Romano volemo:* quæ verba multis vocibus tam in ingressu quam post ingressum Palatii, & publice repetierunt. Conclave tamen bene undique clausum & munitum fuisse. Actum de Barensis Archipræsulis electione in Papam. Cardinalem *Ursinum* disturbare conatum electionem, & cæteris persuadere ut Fratris Minoris electionem ad illudendum populo simularent: Consilium hujusmodi repudiatum. Conclavi adhuc clauso & undique munito, & omnibus qui in *Palatio* & circa illud erant silentium tenentibus, Cardinalem Lemovicensem audientibus cæteris elegisse *Bartholomæum* Barensem Archiepiscopum in Romanum Pontificem, hac verborum formula: *Ego pure & libere eligo & assumo in Papam Dominum Bartholomæum Archiepiscopum Barensem, animo & voluntate quod sit verus Papa:* & statim duas partes Cardinalium & amplius *pure & libere* eumdem pariter elegisse. Dilata electionis promulgatione, ex quibusdam Episcopi Massiliensis verbis male intellectis increbuisse rumorem quod Cardinalis *S. Petri* Pontifex electus esset. Populum ad ejus ædes concurrentem ejus supellectilem pro more diripuisse: partem circa Palatium remansisse gestientem & præ lætitia clamantem: *Romanum volumus, Romanum habemus.* Vocasum interim Barensem Archiepiscopum in Palatium cum aliis Prælatis; iterumque *pure, libere, concorditer & unanimiter* electum, *& animo & voluntate ut*

* *Editum est in Historia Universitatis Parisiensis Tomo 4. p. 458.*

esset verus Papa. Cum electione nondum promulgata Conclave apertum esset, aliquos e Populo Romano ingressos explorandi causa an & quis Pontifex electus esset, metuentes nimirum ne Cardinales ipsis illusissent. Tunc Cardinales metu popularis furoris, quod Romanum non elegissent, Cardinalem *S. Petri* electum simulasse: quem dum plebs decepta revereretur, Cardinales a Conclavi egressi in suas ædes reversi sunt. Seditione interim Populum inter & Milites Arcis S. Angeli excitata, rumorem dissipatum electum Pontificem ad necem quæri, quod Romanus non esset. Propterea ipsum in loco secreto Palatii delituisse, donec electio promulgata esset. Cardinales vero timentes Romanorum impetum ob simulatam Cardinalis *S. Petri* electionem, se in Arcem recepisse: Consuluisse *Urbano* ut e Palatio recederet, & ad locum tutum se conferret. Die sequenti significatam Magistratibus *Urbani* electionem: Cardinales qui in ædibus suis remanserunt, illi Decretum electionis obtulisse: ipsum professum fuisse electioni de se factæ se non assensurum, nisi fuisset libera & canonica: de unanimi consensu ab ipsis certiorem factum: Cardinales qui in Arcem S. Angeli se receperant, schedula suis subscriptionibus munita cæteris potestatem fecisse collocandi Electum in Sede Pontificia. Monitos deinde a Senatore, aliisque Urbis Magistratibus, deposito metu ad Palatium accessisse, iterum in Barensem Archiepiscopum *unanimiter & pure consensisse, ut esset Papa;* ipsum in Throno Apostolico ritu solemni collocasse; die Dominicæ Resurrectionis adstantibus omnibus Cardinalibus fuisse coronatum, qui tribus mensibus continuis ipsum ut legitimum Pontificem coluerunt, & in Missarum solemniis, publicisque precibus Pontificem appellarunt; Beneficia pro se, pro consanguineis, familiaribus & amicis ab ipso petierunt & impetrarunt; a Consistorio pro confirmatione *Wenceslai* Bohemiæ Regis in Regem Romanorum ab ipso celebrato, aliisque adfuerunt, literas ad Christianos Principes, & ad Cardinales Avenione degentes dederunt, quibus eum canonice electum nuntiabant, & pro vero ac legitimo Pontifice habendum & colendum. Cardinales ab ipso defecisse, quod Pensiones a Principibus ipsos recipere vetuisset; plerosque severius objurgasset, Curiam reformare aggressus esset; nonnulla, quæ injuste postulabant, ipsis negasset; Cardinales ex Italia cæterisque Nationibus ad æqualitatem numeri Ultramontanum creare decrevisset. His de causis ab ipso alienatos Cardinales Ultramontanos Anagniam secessisse: Ex quo tamen eo secesserunt, ad ipsum literas & nuntios ut ad verum Pontificem destinasse, & publica Instrumenta Literasque nota Pontificatus ipsius consignasse. Schismaticos proinde esse concludit, qui his non obstantibus *Robertum Gebennensem* Fundis in Pontificem elegerunt. Tam diversa rei gestæ narratio & expositio manifeste probat, neutrius partis jus evidens fuisse, nec ita certo constitui potuisse quis esset canonice electus; cum in ipsius facti expositione, ex qua Juris cognitio ac decisio pendebat, non convenirent.

IV. Impressionem aliquam ac metum in electione *Urbani Sexti* intervenisse fatebantur doctissimi Juris ipsius vindices, *Joannes de Ligano & Baldus* Jurisconsulti; sed talem impressionem fuisse negabant, quæ metum justum viris constantibus incutere potuisset. *Supposito* (inquit Joannes de Ligoano) *quod hæc omnia facta fuerint ad metum incutiendum, ut electio fieret de Romano vel Italico, quod credo verissimum, duo sunt ponderanda, primum an isti actus inducant metum sufficientem, nullitatem electionis inferentem: secundo supposito quod inducant, an electio celebrata dici debeat impressiva.* Probat quod isti actus metum sufficientem non inducant. 1. *Quia deputati fuerunt Custodes Conclavis sufficientes, & intervenerunt juramenta & promissiones de observando eis ut libertatem plenarie haberent circa actum electionis juxta formam* Capitis, Ubi periculum de Electione, *in Sexto.* 2. *Quia supposito quod metus cadens in constantem hic intercessisset, non propter hoc vitiatur electio, nisi interitum passus fuerit Juris remedio suffultus; Nam quæ metu omittuntur vel fiunt, obligant efficaciter, nisi præmissa fuerit Protestatio. At hic nulla Protestatio fuit præmissa nec ante electionis actum, nec in actu electionis.* 3. Quia ubi intervenit metus cadens in constantem, *si supervenit actus spontaneus, ille est illius metus purgativus.* At quamvis metus cadens in constantem *Urbani* VI. electionem præcessisset, tamen actus electionis liberrimus fuit. In prima enim electione dixerunt Cardinales, quod *eo animo ipsum elegerunt ut esset verus Papa: quæ verba sunt metus exclusiva,*

Joannis de Ligano Argumentu pro Urbano VI.

Apud Odoricum Raynald. ad ann. 1378. Nu. 30. & seq.

Non enim est verisimile quod quis proferat quod mente non gerit: ergo mens adfuit quod esset verus Papa: qui non esset, si metu cadente in constantem elegissent: Nam poterant non eligere, poterant eligere, & dicere quod metu ducti vel protasluri. Præterea, secundæ electionis actus priorem a violentia purgasset, si quæ revera intercessisset: Quia binus actus fortius exprimit mentis declarationem quam unus, & tanto fortius quanto pluries iteratus: maxime cum timor non induceret ad secundam electionem: sufficiebat enim vim inferentibus unica electio. Iteratus ergo actus electionis processit a libera voluntate, quod probant verba eligentium cum dixerunt: Nunc possumus eligere, quia cessavit tumultus. Nec obstat ingressus violentus cum fractura Conclavis; quoniam ille subsequens non vitiat actum præcedentem. 4. Ex actu spontaneo Coronationis præsumitur libertas electionis; cum non possit coronari, nisi canonice electus. Item, Libertatem præcedentis actus electionis, demonstrat sequens debitæ recognitionis. At ipsum ut verum Papam recognoverunt in Consistoriis, in Divinis Officiis per ipsum participando, in Promotionibus Prælatorum consensum præstando, in Beneficiis de manibus ipsius accipiendo & aliis conferri faciendo. Ex quibus demonstratur, quod amplius reclamare non possunt prætextu consensus non præstiti vel expressi.

Baldi argumenta pro Urbani VI. electione.

V. Baldus quoque in tractatu pro Urbano edito, quem ad calcem Tomi 17. Annal. Ecclesiasticor. Oderici Raynaldi legere est, probat Urbanum VI. electum in Summum Pontificem concorditer & canonice, quamquam obstreponte populari seu militari tumultu. Ex concordia namque verbali præsumi concordiam mentalem; & sicut præsumitur scriptura vera, ita etiam & vivæ vocis, actum prolatum; ut C. De Fide Instrumentorum. In exercendi: & C. De Probationibus Cum precibus tuis; Secundo, Quod clamor extra locum Conclavis inducit metum Cardinalibus existentibus solis infirmato Conclavi, nullo modo potest constare certa & necessaria probatione, cum ei visus non attestetur. Nam (ut ait Dinus) ad probandum verum hominis actum, requiritur visus. Unde metus hoc casu probari non potest nisi præsumptive: sed talis præsumptio de facili tollitur per alias præsumptiones, ut notat Innocentius, Extra. „ De eo qui furtive Ordinem suscepit. C. Innotuit, in fine, ubi dicit: Contra has probationes quæ „ procedunt ex præsumptione, facile admittitur in con„ trarium probatio. Et certe hoc casu non debet præsumi metus: quia ex qualitate personarum, præsumendi sunt motus animorum: unde animi virorum fortium verba non timent: sicut naturaliter exprimere facit ff. ad L. Tull. Pecul. Famosi: & C. Si quis imperu. Maledix. L. 1. ubi dum dicit: Ex personis hominum dicta pensamus. 2. Metus non vitiat, nisi intercesserit per præsens: Nam nullum vitium quod respiciat originem, actum vitiat, nisi præcedat; ita quod habeat se ad actum per modum causæ impedientis. Cum ergo hic non appareat, nec sit verum, nec possit apparere quod metus præcesserit electionem Domini nostri Urbani, manifestum est quod nec præsumptive, nec quoquo modo contra dictam electionem infertur. 3. Eorumdem legitimum consensum probat ex Coronatione, quæ vim habuisset electionis, etiamsi electio nulla præcessisset, sicut si Electores Imperii venirent Romam, & sine alia electione facerent per habentes potestatem coronari Imperatorem, non est dubium quod Imperator esset, quia nec actus nec consensus deesset. 4. Quia ratihabitio supplet, quod defuit actui ut patet in Matrimonio; & cum a causa efficiente non removetur auctoritas, nec a subjecto removetur acceptabilitas, consensus etiam id quod nullum erat ratificare potest. 5. Quia perseverantes præsumuntur voluntarii; & dicuntur perseverare, qui non contradicunt confestim; Porro non contradixerunt nec protestati sunt Cardinales; & nullo protestans, habet significationem super consensum. 6. Quia testimonium æquivalet electioni: Nam testimonium alicui perhibentes ex ipso electioni consenserunt, ut expresse legitur & notatur 62. Dist. C. Nulla. Porro Cardinales perhibuerunt Urbano testimonium quod canonice in Pontificem electus esset. 7. Quia non est præsumenda in Cardinalibus fictio quæ inducat, vel inducere possit Schisma. Porro si ficte Urbanum coronarunt, destructores, & subversores Cathedræ S. Petri probantur. 8. Ex ordine factum deprehenditur, facti pondus, & facientis affectus, ait Ambrosius super illud Psalmi Adhæsit pavimento anima mea. Item, si displicebat, non debuerunt reverti. Item contra notorios actus proprios non debent audiri nec contra proprias literas. Nam si primis literis creditur, ergo non secundis contrariis: ut ex De Test. Cod. C. Præterea & maxime quando sunt munita authenticis sigillis. 9. Ubi dubitatur de justitia metus Cardinales non sunt judices. 1. Quia in propria causa non possunt judicare, ut C. ne quis in sua causa L. 1. 2. Quia notat Innocentius, Extra, De Verbor. Signific. Ex parte in Christo, ubi sic ait: „ Si aliquis autem vellet Pa„ pæ crimen objicere, de hoc nullus potest cognosce„ re. 9. Q. 3. Facta aliorum: nisi de hæresi 40. Dist. si Papa. Item si de proprietate ejus agitur, vel juris, nullus nisi ipse solus cognoscit. 9. Q. 3. Ne viol. & cap. sequentibus. 3. Quia sunt suspecti, et quod deponunt contra ipsum, licet nulliter. 4. Quia nullo jure videbatur hoc eis concedi; & ipsi non habent aliam potestatem quam a Jure concessam. 5. Quia in casu dubii ipsi tenentur habere electum pro Papa, ut expresse legitur & notatur 79. Dist. C. Si duo, & C. Si quis pecunia.

Probat præterea Vir Jurisconsultissimus, cum non constaret de nullitate prioris electionis non licuisse Cardinalibus ad aliam procedere: Quia quando de nullitate non potest liquere, nec discuti, illud quod etiam est nullum, habetur pro aliquo. Et sane esset inconveniens dare Cardinalibus potestatem delinquendi & quandocumque vellent, ponendi mundum in Schismate.

Probat denique, in dubio parendum esse primæ investitæ de Pontificatu. 1. Quia præsumitur pro eo qui habet titulum & possessionem. 2. Quia Prior tempore, potior est jure: immo in juribus quæ non possunt esse nisi apud unum in solidum, secundus tempore non dicitur secundus, sed generis nullius, & primus non tam potior quam solus invenitur. 3. Quia dubius Papa est verus Papa: nam electio duarum partium habetur pro definitiva Sententia; tamen post ipsam non spectetur alia, ut eleganter dicit textus in dicto C. Licet de vitanda: & Sententia pro veritate habetur, præsertim Sententia tanti Collegii: dico de Sententia prima; quia per ipsam fuit functus officio suo.

Joannis Fabri, & Petri de Barreria argumenta pro jure Clementis VII.

IV. Joannes Fabri Abbas S. Vedasti, & Petrus de Barreria Cardinalis Æduensis, Juris Canonici peritissimi, Jus Clementis septimi doctissimis Tractatibus adversus laudatos Jurisconsultos propugnarunt; eorumque argumentis responderunt. 1. Justum fuisse metum: Nam ubi est mentis trepidatio capitalis periculi, cui resisti non potest, licet possit conditionate vitari, non est tantum verisimilis, verum etiam notorius justus metus, qui reddit electionem nullam, ut patet ex C. In Nomine Domini: immo sic nullum quod non debet admitti in Papam qui taliter est electus, sed ei juste resistitur ut C. 1. 79. Dist. & C. Si quis pecunia; & C. Licet de vitanda. Sed hic intervenit talis trepidatio ante nominationem Bartholomæi in nominatione; & post, actibus semper continuatis: Ergo ejus electio est nulla. Ita ratiocinatur Cardinalis Æduensis. Minorem vero Propositionem probat ex congregatione Rusticorum & Populi sine ratione ad urgendam Romani vel Itali electionem precibus vel vi. 2. Ex Romanorum Nobilium qui Cardinales tueri potuissent, expulsione. 3. Ex consiliis agitatis ut Romanus vel Italus Pontifex precibus vel vi obtineretur. 4. Ex numero congregatorum, cui non poterat resisti. Quia rogati a Cardinalibus Magistratus ut plebem armatam seditiosumque vulgus expellerent, id præstare noluerunt, sed omnibus simul, & singulis privatim significarunt, ipsis imminere periculum, nisi Romanum vel Italum se electuros, ante Conclavis ingressum, pollicerentur. 6. Quia portas palatii fregerunt, subtus Conclave tumultuati sunt nocte tota, interdum etiam clamantes, Moriantur. Ex quibus colligit, quod Preces non fuerunt simplices, sed dolosæ & armatæ. Nec fuit metus periculi tantum, sed mortis, & sic talis qui cadit in constantem: Nec verisimilis tantum, sed probatus, ex quod notorius, quia incussus a populo, & in populo.

In Histor. Universit. Paris. Tom. 4. p. 525. & 529.

Cardinalis Æduensis Responsio ad objectiones in gratiam Urbani VI. propositas.

Ad objectionem de præstitis Juramentis a Magistratibus de Custodia Conclavis & Cardinalium defensione, respondet: Ista Juramenta esse fragilem cautionem, cui non debet se quis committere. Ut ff. ad Trebell. L. Qui ita. Et sunt adversus tot facta contraria; & sunt præstita contra assertionem eorum qui asserebant, quod non poterant cohibere periculum, si non fieret quod populus optabat: & super impossibili, quod etiam ipsi posito quod vellent, non possent cohibere plebem, ut patuit ex facto. Item fuit Juramentum fallax & dolosum: Nam primo consuluerant, & in hoc remanserant, quod haberent Romanum vel Italicum prece vel vi, quia hoc expediebat Reipublicæ Romanorum. Immo tale Juramentum potius erat perjurium, quod fiebat ad fallendum.

Ad objectionem de protestatione non facta, respondet: sufficientem Protestationem præmissam. Dictum enim fuit Romanis, quod non observabant bonum virum;

Nam

Nam ea qua taliter agereatur nulla essent. Et ea dixerunt Majoribus civitatis: & per consequens videntur dixisse tot civitati; ut *ff. ad. Trebell.* C. Municipibus, ff. De sebus dubiis, L. 2. Addit, *Impossibile esse protestari in periculo mortis*. Præterea, falsum est quod omissa Protestatione firmetur actus: *Nam si qui timore mortis intraret Monasterium, etiamsi non protestaretur*, Professio irrita esset.

Ad objectionem de libertate eligendi quemlibet Romanum vel Italum, ex qua ad Barensis Archiepiscopi electionem compulsos non fuisse Cardinales colligebant, respondet: Cum ex toto orbe Christiano dignum eligere liceat, ademptam ipsis fuisse libertatem hoc ipso quo ad eligendum Romanum vel Italum sunt adstricti. Sane si per vim ipsis prohibitum esset, ne Romanum vel Italum eligerent, ipsis adempta libertas eligendi censeretur, multo magis ergo censetur violata libertas, si contra dispositionem Juris ad Romanum vel Italum eligendum sint coacti.

Ad objectionem de ratihabitione electionis per actus subsequentes, respondet: *Electionem, quæ nulla est propter defectum consensus, qui non intervenit, sed vitiosus est jure naturæ, non posse confirmari per actus subsequentes: Quia quod non est, non confirmatur. Unde habetur in Regulis Juris: Non firmatur tractu temporis, quod de Jure ab initio non subsistit.*

Ad objectionem de secunda electione, respondet; Nullam intervenisse electionem canonicam. Ad eam enim (ut ait *Innocentius*) requiritur *consensus duarum partium Cardinalium liber & non vitiosus, notorie animo eligendi adhibitus, in personam habilem, si electioni consentiat*. At duæ partes Cardinalium libere in *Bartholomæum* Barensem Archiepiscopum non consenserunt. Nec inthronizatio, reverentia, coronatio, collatio Beneficiorum vel Dignitatum, vim electionis habent, præsertim quamdiu metus visque durant, quibus irrita facta est electio. Porro *Semper duravit idem timor, & eadem causa timendi; imo magis erat causa timendi post, quam ante, quamdiu fuerunt sub potestate Romanorum. Nam ut haberent Papam Romanum vel Italum quantopere minas & terrores inferendo, tot injurias atroces & tantam violentiam committendo: tanto magis verisimile quod laborarent pro tenendo quem credebant habere. Turpius enim ejicitur &c. Et licet causa vel justus titulus possessionem justificet, ut L. 2. C.* De Aeq. Poss. *tamen possessio non justificat causam seu titulum, ut L. 2. in præc. ff.* Proemptore, & L. Quod vulgo, *eod. tit.*

Ad objectionem de incompetentia Cardinalium ad testimonium judiciumque ferendum hac in causa, respondet: Non esse causam ipsorum propriam, sed Ecclesiæ. Porro *pluribus testibus omni exceptione majoribus deponentibus & denuntiantibus ad utilitatem publicam, non privatam, ad idem concordantibus, fides adhibenda est indubia*. Cum itaque Cardinales sint hujusmodi, *qui æquiparantur Præfectis Prætorio, & deponant ad utilitatem publicam, ut scilicet Ecclesia de vero Capite provideant; eorum testimonio est standum.*

Ad objectionem de Literis ad Principes missis, quibus Cardinales *Urbanum* legitime electum esse nuntiarunt, respondet: Eas ad illius petitionem scriptas esse, quem repellere fas ipsis tunc non erat absque vitæ periculo: Romanis enim compertum fuisset illos electionem ratam non habere; atque ita eorum impetum non effugissent. Nec in eo rerum statu contrarias literas scribere poterant, quæ facile fuissent interceptæ, & venissent in notitiam Romanorum. At ubi Roma sunt egressi, & in loco tuto, scilicet Anagniæ versati sunt, contrarias literas scripsere ad Principes quibus *Bartholomæum* Barensem Archiepiscopum per impressionem electum & Sedem Apostolicam intrusum significarunt: Idque Attestatione publica præmisso jurejurando facta coram *Petro de Craso* Arelatensi Episcopo, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Camerario ac Judice Ordinario, cui subscripsere singuli numero duodecim, omnibus notum esse voluerunt. Scripserunt in primis ad Regem Christianissimum *Carolum V.* & ad Universitatem Parisiensem per M. *Joannem de Gaignecourt* Baccalaureum Theologum, ut ejus Majestatem de impressione & violentia in electione *Urbani* factis certiorem redderent: deinde in eumdem finem suos ad eam Oratores misere, Famagustanum Episcopum, & P. *Nicolaum de Sancto Saturnino* Sacri Palatii Magistrum, Ordinis FF. Prædicatorum doctissimum, ac Religiosissimum Professorem. Scripserunt & ad Parisiensem Universitatem, eique totam rerum post *Gregorii XI.* obitum Romæ gestarum seriem significarunt per *Petrum de Corbcia* Regium Secretarium; denuntiantes *S. Petri* Sedem habere in Urbano *Sessorem Apostaticum, unicæ Domini tunicæ invasorem, quem non tradidit canonica electio, Spiritus Domini non vocavit, non stabilivit consensus, sed truculenta rabies, & sæva timoris incussio in Apostolica Sede intrusit.*

Tom. 6. Spicilegii, pag. 44.

Addit *Henricus de Hassia* in Dialogo de hoc Schismate tunc edito, Cardinalium unum, statim post electionem *Urbani*, ad Regem Christianissimum scripsisse, ne literis ab ipsis, quamdiu Romæ degerent, datis ullam fidem adhiberet; quia metu conturbati scriberent, & facerent omnia pro votis Populi & electi, ut vitæ suæ consulerent.

Extat ... in Bib... ... Paris. & in Va...tic.

Ad objectionem ex *Urbani* possessione petitam, respondet Abbas S. Vedasti: *Vere possessorem non fuisse, cum non habuerit canonicam Institutionem*, juxta Regulas Juris. *Beneficium Ecclesiasticum non potest licite sine Institutione canonica obtineri*. Et: *Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit*. Nec posse dici spoliatum, cujus notoria intrusio est: nec debere ipsi fieri restitutionem, ne detur occasio peccandi, ut constat ex C. *Literas: De Restitutione Spoliatorum*; & ex C. *Inquisitionis: De Sententia Excommunicationis*. Præterea singularem esse rationem de intruso in Sedem Pontificiam, *a quo licite quilibet se subtrahere potest*, ut constat ex *C. Si quis pecunia. 79. Dist. Quod ei nulla dari debet audientia. 33. Dist.* Addit Cardinalis Æduensis: *Cardinales potuisse eligere legitime, non obstante prima electione vel nominatione nulla: Quia cum Sedes vacaret, nec aliquem haberet titulum intrusus, immo esset notorie non admittendus, & jus eligendi pertineat ad Cardinales, quo non possunt privari, absque dubio eligere potuerunt: Quia nullum est impedimentum. Non enim præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum, juxta Regulam Juris. Et sic* (inquit) *electio facta tenet. Quare Sanctissimus Pater D. Clemens VII. verus Papa & Vicarius Christi Jesu, & sibi tamquam vero Capiti Ecclesiæ obediendum, omni exceptione semota.* Id appositis exemplis ex Jure Canonico petitis confirmant Parisienses Doctores in Tractatu tunc edito. Quemadmodum (inquiunt) receptio Ordinum ab eo qui non est Episcopus, & ingressus Religionis non approbatæ, non impediunt Matrimonium secutum: sic electio prima quæ notorie nulla est, ipso Jure non præstat impedimentum secundæ.

VII. Objiciebant Urbanistæ: Cardinales dumtaxat Ultramontanos *Robertum Gebennensem* elegisse.

Respondebant Clementini, ipsos duas & amplius Sacri Collegii partes fuisse, & ad eamdem electionem accessisse tres Cardinales Italos. Et revera id ipsi testati sunt in literis ad Principes, quæ apud *Bzovium* ad annum 1358. Num. 18. & in Historia Universitatis Parisiensis, pag. 526. legi possunt: „ Per omnes „ DD. Ultramontanos, qui erant tredecim, facta nobis responsione; tandem in nostri præsentia duodecim ex his elegerunt decimum tertium, scilicet D. tunc Cardinalem Gebennensem quem Clementem VII. appellaverunt, cujus electioni per nos non extitit contradictum: cognovimus enim & reputavimus electionem esse canonicam. „ Idipsum publico Instrumento protestatus est *Simon de Brossano* Cardinalis Mediolanensis in mortis articulo, anno Christi 1381. die 26. Augusti. „ Volens (*inquit*) de Christianitate „ omne dubium removere & de cordibus quorumcumque Fidelium istud Schisma pestiferum radicitus extirpare, & ut populus Christianus ad unitatem Sanctæ Matris Ecclesiæ reducatur, pro qua unione stando de medio velut indifferenter, nec ad unam partem nec ad aliam declinando usque ad hæc tempura, una cum Reverendissimis Patribus & Dominis meis Petro Episcopo Portuensi, dicto Florentino, & Jacobo de Ursinis bonæ memoriæ, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus fideliter laboravi. Idcirco nolens quidquam sub verborum involucro neque ambigue loqui, neque obscure, sed clare, attentis omnibus quæ intervenerunt in facto hujusmodi Schismatis, & his quæ disponuntur & ordinantur in Jure expresse: Dico & assero, & aperte declaro, electionem Bartholomæi tunc Barensis factam fuisse per impressionem, & nullam ipso jure, sicut etiam Reverendissimi Patres & Domini Cardinales Ultramontani hoc idem declaraverunt & publicaverunt. Et electionem Sanctissimi in Christo Patris D. N. D. Clementis, & divina clementia Papæ VII. factum a numero sufficienti RR. PP. & DD. Cardinalium esse validam & canonicam. Item dico, quod si verbo, scripto, disputatione vel opere, aliquid umquam dixerim vel fecerim contra præfatum Sanctissimum Patrem & D. nostrum Papam Clemen- „ tem,

Tom. 4. Hist. Univers. Paris. p. 563.

Tom. 6. Spicilegii pag. 46.

„ tem, confiteor me errasse, & humiliter veniam pe-
„ to, & recommendo animam meam & familiam
„ meam eidem SS. Domino nostro Papæ Clementi
„ tamquam vero Christi Vicario, & Beati Petri Suc-
„ cessori legitimo.

Cardinalem *Jacobum de Ursinis*, cujus mentionem facit illa *Simonis* Cardinalis Mediolanensis Protestatio, morti proximum sibi dixisse, *Urbanum esse verissime Papam*, publicis tabulis vulgavit Episcopus Viterbiensis cujus Relationem ex MS. Vaticano laudat *Odoricus Raynaldus* ad annum 1379. Num. 3. At hanc Relationem falsi convincit ejusdem *Jacobi* Cardinalis *de Ursinis* authentica Protestatio coram publicis Notariis facta antequam e vivis excederet, die 13. Augusti, anni 1379. qua se una cum *Petro* Portuensi Episcopo, & *Simone* da *Brossano* Cardinalibus, Synodi Oecumenicæ ad abolendum Schisma celebrationem optasse profitetur, ac eum agnoscere Pontificem, quem Ecclesia in Concilium congregata legitimum pronuntiaret. *Ego vero* (inquit) *me illum pro Papa tenere fateor, & teneo, qui per Sanctam Matrem Ecclesiam & Concilium fuerit approbatus. Et si verbo, scripto, vel opere aliquid umquam fecerim vel dixerim contra illum qui sic declaratus fuerit; fateor me errasse, & correptioni & determinationi Sanctæ Matris Ecclesiæ & Concilii me submitto, & ex nunc humiliter veniam peto.* Hoc Instrumentum edidit *Odoricus Raynaldus* ad annum 1379. Num. 2.

VIII. Qui ab *Urbano* stabant, Jus illius a Viris doctissimis & Jurisconsultissimis agnosci, ac propugnari objiciebant. Qui *Clementi* adhærebant, ejus obedientiam a Viris æque eruditis vindicari respondebant. Quibusdam Jurisconsultis Italis anteponendos esse Cardinales Juris Canonici peritos, & gestorum in utraque electione testes occulatos, quorum magna pars Itali erant; Gallicanos omnes Præsules ac Doctores, qui electionis utriusque merita in variis Ecclesiæ Gallicanæ & Academiæ Parisiensis Conventibus discusserant; Hispanos item Præsules & Doctores, qui in Generalibus Regni Castellæ Comitiis ad *Medinam de Campo* in Diœcesi Salmanticensi a *Joanne* Rege congregati an. 1381. accuratius examinatis duorum mensium spatio Instrumentis omnibus Regiis Oratoribus ab *Urbano & Clemente* traditis, necnon Scriptis pro utriusque causa editis, item Inquisitionum ab iisdem Oratoribus Romæ & Avenione factarum Actis; auditis etiam *Urbani & Clementis* Legatis; *Urbanum* per notoriam impressionem electum ac intrusum, *Clementem* libere & Canonice electum verum ac legitimum esse Pontificem pronuntiaverant. Quod examen quanta consideratione, deliberatione, diligentia factum sit, probant antiqua rei gestæ monumenta in Codice membranaceo 298. foliorum ad memoriam posteritatis descripta jussu *Petri de Luna* Cardinalis Aragonii, *Clementis* VII. in Hispaniis Legati; quem Codicem a se in Arce Paniscolæ inventum Cardinalis Fuxensis *Martini V.* Legatus in Bibliotheca celeberrimi Collegii Tolosæ a se condiri, & ex suo nomine appellati deposuit, & nunc in Bibliotheca Illustrissimi *D. Harlæi*, Supremi Senatus Parisiensis Principis, asservatur. *Urbani* Obedientiæ maximum pondus addebant *Petrus* Regiæ Aragoniæ Princeps, Ordinis FF. Minorum Professor, sanctitatis & cœlestium visionum fama celebris, & *Catharina Senensis* Tertii Ordinis *S. Dominici* Virgo Sanctissima, quæ ipsum *Urbanum* adhortata est frequentibus Epistolis ut bono animo esset; persuasit ut novum Cardinalium Collegium crearet, cum veteres ad ejus obedientiam revocare frustra conata esset; eo jubente in Consistorio Sermonem habuit, Cardinales ad constantiam excitavit; ad *Carolum* V. Regem Christianissimum pro *Urbano* scripsit vehementes sane literas; quidquid sibi inerat ingenii, facundiæ, zeli, quidquid auctoritatis ob pervagatissimam sanctimoniæ famam, ad *Urbani* promovendam obedientiam contulit. Non minus juvabant, promovebant, roborabantque *Clementis* Obedientiam *Petrus de Luxenburgo* Cardinalis ab ipso creatus, sanctimonia & miraculis clarus, & *S. Vincentius Ferrerius* doctrina, sanctitate, zelo Apostolico, prophetiæ dono, aliisque charismatibus, & miraculis illustris.

IX. Ex his omnibus conficitur, quæstionem illam, Quis legitimus Pontifex esset, *Urbanus Sextus*, aut *Clemens Septimus*? numquam ita eliquatam fuisse, quin dubia apud plurimos non remanserit; & utramque partem iis momentis fultam fuisse, quæ viros sapientes, pios ac eruditos afficere possent ac movere. Unde Ecclesia in Conciliis Pisano & Constantiensi quæstionem hanc in medio reliquit. Quamvis igitur is esse videatur Ecclesiæ sensus, *Urbanum* ejusque Successores Romæ sedentes *Bonifacium* IX. *Innocentium* VII. *Gregorium* XII. fuisse veros ac legitimos Pontifices; numquam tamen *Clementem* VII. qui adversus *Urbanum* VI. electus est, solemni aliquo judicio Antipapam declaravit aut Schismaticos pronuntiavit, qui illi & *Benedicto* XIII. ante Pisanum Concilium adhæserunt ac paruerunt. Quamvis enim legitimi fortassis Pontifices non essent, id tamen tunc exploratum non erat. Unde invincibilis ignorantia, bona fides, adhæsio firma Cathedræ *S. Petri* centro Ecclesiasticæ unitatis, animus ad parendum Ecclesiæ judicio hac etiam in causa comparatus, Prælatos, Clericos, Fidelesque cæteros, ipsorum addictos obedientiæ a Schismatis crimine immunes ac insontes præstiterunt. Quo fit ut *Odorico Raynaldo*, aliisque Scriptoribus Italis, & aliis quibusdam jure meritoque succenseant viri eruditi & cordati, quod Reges Christianissimos *Carolum* V. & *Carolum* VI. Reges etiam Catholicos *Joannem* Castellæ ac Legionis, & *Joannem* Aragoniæ, *Carolum* Navarræ, aliosque Principes, Prælatos, Doctores Gallicanæ, Hispanicæ, aliarumque Ecclesiarum, qui *Clementem* VII. & *Benedictum* XIII. ut legitimos Pontifices coluerunt, velut Schismaticos passim insectentur. In hanc tamen Sententiam propensior deinceps Ecclesia Catholica fuit, cui humillime subscribimus, *Urbanum-Sextum* ejusque Successores *Bonifacium* IX. *Innocentium* VII. & *Gregorium* XII. ante Concilii Pisani Sententiam & *Alexandri Quinti* electionem veros ac legitimos Pontifices fuisse; unde Sanctissimum Patrem ac Dominum nostrum nunc Ecclesiæ Romanæ & Catholicæ Pontificem virtutibus non minus quam Dignitate Maximum, *Innocentium Duodecimum* Ecclesia appellat universa, qui *Undecimus* dicendus esset, nisi *Innocentius Septimus* tempore Schismatis electus verus ac legitimus Pontifex censeretur. Sed ista quæstio (ut satis probasse mihi videor) tempore Schismatis eliquata non erat; unde venialiter in ea falli poterant Viri cum primis Catholici ac Religiosi, immo Ecclesiæ integræ, absque crimine Schismatis; quia Romanum Pontificem Christi Vicarium, *S. Petri* Successorem, Jure Divino Potestatem ac Jurisdictionem habere in tota Ecclesia & super Fideles universos credebant; se ad parendum ipsi teneri profitebantur: illi dumtaxat parere volebant, & porro se obsequi existimabant, qui Canonice electus esset: in eo solum fallebantur (si tamen fallebantur) quod eum Canonico electum ac verum Pontificem existimarent qui forte non erat. Æque ergo venialis fuit eorum error, ac eorum qui de Sacramento Eucharistiæ Catholice sentientes, Hostiam forte non consecratam, quæ a sacrilego Sacerdote qui verba consecrationis omisisset, aut intentionem legitimam consecrandi non habuisset, in Altari expositam adorarent. Illi enim idololatræ inique dicerentur, cum verum Christi Corpus, quod sub Hostiæ consecratæ symbolis reipsa & substantialiter præsens cum Ecclesia Catholica credunt, adorare intendant, & adorare se putent, in facti dumtaxat, quod fidem non spectat, quæstione decepti, nimirum an hæc Hostia consecrata sit. Sic in præsentiarum dicendum, Ecclesias quæ *Clementi* VII. & *Benedicto* XIII. in schismate electis adhæserunt & paruerunt, Schismaticas inique appellari, & Christianissimos atque Catholicos Reges, Prælatos, Doctores, Clerum, populumque illarum Ecclesiarum, inique velut Schismaticos traduci: qui de Romani Pontificis Primatu recte sentientes, ac in Romani Pontificis & Cathedræ *S. Petri* communione vivere volentes ac mori, eum venerabantur qui legitimus forte Pontifex non erat: quia in quæstione dumtaxat facti fallebantur, quod quidem obscurum erat, & difficultatibus pene inextricabilibus implicatum. Nec spectabat ad fidem an *Bartholomæus* Archiepiscopus Barensis, vel *Robertus*, Cardinalis Gebennensis Canonice in Pontifices electi essent. Et sicut *Jacob* ad *Liam* pro *Rachele* suppositam accedens, adulter vel incestuosus non fuit, quia suam esse putans, bona fide & maritali affectu ad eam accedebat: Ita Prælati, Principes, populus, Ecclesiæ integræ, quæ Cardinalium omnium Relationi & attestationi, plurimis aliis maximi ponderis Instrumentis, & testimoniis suffultæ, causa diligenter ac mature discussa credentes, ad *Clementis* VII. loco legitimi Pontificis forte suppositi, Obedientiam, Catholico affectu, & animo colendi verum ac legitimum Christi Vicarium & *S. Petri* Successorem, & in ejus communione manendi, se adjunxerunt, a Schismate immunes jure meritoque censentur.

A Schismatis crimine immunes fuere, qui Clementi Septimo & Benedicto XIII. ante Pisanum Concilium adhæserunt.

Præterea, qui erroneas opiniones sequuntur, Controversiis quibusdam non omnino eliquatis, & Ecclesiæ Judicio finitis, in quo acquiescere parati sunt, in crimen hæreseos non incurrunt. Nec ergo rei sunt Schismatis, qui Intruso forte in Sedem Pontificiam

adhæ-

adhærent, legitimum esse Pontificem arbitrati, obrationes admodum probabiles, eoque consilio & diligentia adhibitis, quæ in tanti momenti negotio par est adhiberi. Siquidem parati sunt eum ut legitimum Pontificem colere, quem Ecclesia talem declaraverit. Sic porro dispositi erant & affecti Prælati, Doctores Christianissimi & Catholici Reges, ac populi, qui *Clementis VII. & Benedicti XIII.* Obedientiæ adhæserunt; Ita erat affectus inter alios *Carolus Quintus* Rex Sapientissimus, qui morti proximus professus est: „ Quod ipse non ex cognatione carnali, seu alia inordinata affectione quacumque motus, sed solum determinatione & declaratione Cardinalium, Prælatorum, & aliorum Clericorum, & Consilii sui deliberatione intervenientibus, credens bene & licite facere, partem Clementis Papæ tenuerat & tenebat. In casu autem quod sic se habendo, dicerent eum aliquando errasse, (quod propter prædicta non crediderat nec credebat) suæ tamen erat intentionis velle semper tenere & sequi opinionem & declarationem Sanctæ Matris ac universalis Ecclesiæ, & quod fieret ac determinaretur super hoc per Generale Concilium, vel aliud conveniens, ne de contrario, si quid inscienter egisset, a Deo posset redargui, vel culpari; cupiens in Protestatione & Confessione hujusmodi, ut verus Ecclesiæ filius stare perpetuo firmiter & manere „. Hanc Protestationem Christianissimi Sapientissimique Regis apud *Odoricum Raynaldum* legere est ad annum 1380. Num. 10. Nec ipse igitur, nec Gallicani Præsules & Doctores, Clerus, & Populus, aliique in aliis Ecclesiis similiter affecti, qui *Clementem VII. & Benedictum XIII.* ut legitimos Pontifices coluerunt, Schismatici sunt censendi. Illi enim dumtaxat *proprie Schismatici dicuntur, qui propria sponte & intentione se ab unitate Ecclesiæ separant, quæ est unitas principalis*: ut ait *S. Thomas* Secunda Secundæ Quæst. 39. Art. 1.

Clemens VII. & Benedictus Decimustertius ante Pisani Concilii Sententiam proprie Antipapæ non fuerunt.

Sed nec vere & proprie Antipapæ fuerunt *Clemens* VII. & *Benedictus* XIII. ante Sententiam a Pisano Concilio in ipsum latam: Siquidem universalis Ecclesia eos ut tales non habuit, nec de ipsorum electione Judicium tulit: sed dubii Pontifices. Nec igitur vere & proprie Schismatici fuere qui ipsis adhæserunt. *Schismatici enim dicuntur, qui subesse renuunt Summo Pontifici & qui membris Ecclesiæ ei subjectis communicare recusant* (ut ibidem ait *S. Thomas*.) Qui autem dubio Pontifici adhæret, quem Canonice electum probabiles rationes ipsi persuadent, non renuit simpliciter Summo Pontifici subesse, sed illi quem intrusum existimat cum Prælatis & Doctoribus Ecclesiæque non modica parte: Schismaticus igitur proprie non est censendus. Ne vero quis me novam sententiam, aut Romanæ Sedi injuriosam propugnasse objiciat, quod interdum ab imperitis patiuntur Ecclesiastici Scriptores, Sententiæ meæ immo Sacræ Facultatis Parisiensis & Ecclesiæ totius Gallicanæ, quæ *Clemeorem* VII. & *Benedictam* XIII. ante Pisanæ Synodi Sententiam Antipapas non fuisse, seque, & alias Ecclesias ipsis adhæsisse absque crimine Schismatis propugnant, Auctores profero ac vindices omni exceptione majores, Christianissimum Doctorem *Gersonium*, *S. Antoninum* Florentinum Archiepiscopum, & *Joannem* Cardinalem *a Turrecremata*, duos illos quidem ex Ordine FF. Prædicatorum assumptos, nec Romanis Theologis suspectos, & *Henricum Institoris* ejusdem Ordinis Professorem.

X. *Gerfonino* in Tractatu *De modo se habendi tempore Schismatis*, ea tempestate edito, ita scribit: *Ad tollendam quorumdam in præsenti Schismate pertinaciam dignum duxi quædam fundamentalia per me posita, sub aliarum Conclusionum compendio ponere.*

1. *Quocumque de Papatu Contendentium demonstrato, non est Hæreticum dicere: A. non est Papa.*

Ratio est, quoniam nulla propositio ad cujus verificationem exigitur veritas unius propositionis contingentis & ad fidem impertinentis, est de necessitate aut integritate fidei. Constat autem quod ad verificationem illius: A. est Papa, exigitur non solum unam, sed multas contingentes pure esse veras, ut quod electio fit rite celebrata, & ab illis qui habebant potestatem, &c.

2. *In Schismate præsenti tam dubio temerarium, injuriosum, & scandalosum est asserere, omnes tenentes istam partem vel alteram, vel omnes neutrales etiam absolutos, esse universaliter extra statum salutis, vel excommunicatos, vel rationabiliter de Schismate suspectos.*

Ratio est, quia multi sunt ex utraque parte, & neutrales, quibus non est materia ista clarificata, qui rationabiliter possunt negare vel dubitare istam propositionem, quocumque contendentium demonstrato: A. est aut fuit rite electus. A. non est Schismaticus aut Hæreticus, & consimiles ad quas sequitur: A. non est Papa. Assumptum docet experientia, & tot Doctorum diversæ adversæque sententiæ. Et constat multos esse simplices, qui ad talia dubia investiganda non tenentur altos sequi, nec moveatur favore, vel odio seu quæstu ad non consentiendum huic parti vel illi, & parati sunt obedire veritati sufficienter agnitæ, nec sunt pertinaces, igitur nec excommunicati; nec de Schismate rationabiliter suspecti. Tota ratio fundatur in hoc quod numquam fuit tam rationabilis vehemens causa dubitationis in aliquo Schismate, sicut in isto. Cujus signum evidens est varietas opinionum Doctorum & inter doctissimos & probatissimos ex utraque parte. Qui etiam suppletis eis quæ facti sunt concessis adhuc restarent quæstiones Juris ad utrumlibet disputabiles, quæ omnia incertitudinem rationabilem generant in hoc Schismate, & ab errore perniciose plures excusant. Potest igitur illud dici rationabiliter dubitabile, quod plurimi & maxime Sapientes dubitabile reputant & prædicant.

Addit *Gersonius*, quod *Non expedit unam partem generaliter vitare alteram, & facere scissuram in principalibus actibus Religionis Christianæ, & fraternam charitatem violare. Verum est enim quod singularitas in opinione propria contumaciter alios condemnans incomparabiliter videtur esse periculosior & deterior quam communicatio fraternalis per charitatem, quæ est compago membrorum Ecclesiæ sub intentione semper recta & firma de obediendo Ecclesiæ. Etenim qui aliter agit pro incerto vero, ille se exponit certæ violationi fraternæ charitatis. Nec oportet allegare Jura super periculis & maledictionibus eorum qui non obediunt præceptis & Institutionibus Summi Pontificis & Sententiis. Habet enim locum talium allegatio apud illos qui nulla possunt rationabili causa excusari, quia sciunt vel scire debeant talem vel talem esse suum Superiorem. Si vero est ignorantia probabilis, sicut est in præsenti Schismate apud multos de utraque Obedientia, & apud Neutros, non reputantur talibus Sententiis alligati.*

XI. *S. Antoninus* III. P. Chronicorum Tit. 22. cap. 2. & impressionem in *Urbani* VI. electione factam narrat Auctorum antiquiorum testimonio fultus, & eos qui *Clementi* VII. adhæserunt, *a* Schismate excusat. „ Solemnibus (*inquit*) exequiis Gregorii XI. celebratis, Principaliores ex Romanis congregati decreverunt Cardinales pie & instanter obsecrare, ut placeret eis in Apostolicum eligere Romanum, vel saltem Italicum. Satis enim eis videri Gallos regnasse in Romana Sede: jam ad cives Romanos Italosque redire Honorem illum congruum fore. Et secundum Chronica non solum omnes Cardinales adunatos, sed & sigillatim quemlibet eorum deprecabantur. Domini autem Cardinales benigne eos audiebant, & responsa humana, generalia tamen eis exhibebant. Vulgus autem audacius loquebatur, per vicos & plateas clamitando: *Romanum volumus.* Quod cum familiares Cardinalium audientes Dominis suis retulissent, considerantes conditionem illius Populi Romani præcipitem & inconsideratum ut torrentem impetuosum in tumultus & seditiones effluere, sibi ipsis pavere cœperunt. Unde & commiserunt modum placandi Romanos Cardinali Lemovicensi, qui magis practicus & sagax inter omnes existimabatur Ultsumontunos. Hic autem amicissimum sibi fecerat Archiepiscopum Barensem, qui dicebatur Dominus Bartholomæus... Hunc ergo accersens, ut astutum consuluit, quid fieri posset, ut Populus Romanus quietaretur, & Curia Romana in Gallias rediret: qui post plurima colloquia respondit: Hoc esse remedium, ut unum nomine tantum, alium re & facto eligerent, quem postea sublato periculo nominarent. Nec ei hoc displicuit verbum. Intrantes ergo Cardinales in Conclave, & de providendo solicitii vacanti Sedi, post aliquot dies, cum Bartholomæum præfatum eligendum decernerent, solum ad Romanorum impetuosum rumorem vitandum, ut alio in loco tutiori alium crearent, unus ex eis Cardinalibus, qui alium non sperabat quam se intronizandum, notum fieri fecit ad extra, Ultramontanum electum. Quod cum vulgus expectans audisset, furiis invectum Conclave fregit, & cum minis & terroribus irruit in eos. Sed cum didicisset Italicum electum, scilicet Bartholomæum Barensem Archiepiscopum, conquievit ab insolentiis desistens. *Impressionem ac violentiam ex* Leonardo Aretino *confirmat*. Leonardus tamen in fine Libri 8. Historiæ Florentinæ sic breviter dicit:

„ Quod

„ Quod cum ingressi Conclave Patres de Successore deligendo cogitarent, insurgens Romana plebs nullius certi hominis impulsu, sed suopte ingenio permota, Romanum Pontificem ex Civibus Romanis, vel saltem ex Italicis creari debere clamitabat. Hæc dicta postulataque, cum non inconsona rationi viderentur, augetur tumultus, crescensque multitudo paulatim ad usque Conclave pervenit. Patres conterriti, quoniam Romanus vel Italus eligi postulabatur, Bartholomæum Archiepiscopum Barensem elegerunt. Hunc & posteris diebus, cessante jam metu, venerari ut Pontificem perseveraverunt: Principibus ac Communitatibus per orbem (ut moris est) per suas literas solemnes intimarunt, Bartholomæum, quem Urbanum Sextum nuncuparunt, Canonice ab eis electum in Romanum Antistitem. *Tum de ipsius moribus, & Cardinalium ab ipso defectione subdit:* „ Fuit autem in homine illo natura inquieta & dura. Et tunc præter spem ad tantæ Dignitatis fastigium sublevatus, intolerabilis videbatur. Nulla Patribus gratia, quod se potissimum delegissent, nulla humanitas, nulla conciliatio animorum, sed contumax, & minabundus, & asper, malebat vitari & metui potius quam diligi. Ea perversitas Patres induxit metu & indignatione aliorsum respicere. Itaque clam inter se de electione conquesti, cum & metum & violentiam Populi Romani accusarent, abire a novo Pontifice omnes ferme cœperunt. *Et infra*: Fundis Congregati Cardinales, novam provisionem ediderunt, eligentes Cardinalem Gebeonensem, & Clementem Septimum nuncuparunt, per orbem literis disseminantes, hanc esse Canonicam electionem, quia liberam; non illam Urbani, utpote violentam & coactam. Et inde inchoatum est Schisma pessimum, ut duo dicerentur in Ecclesia Dei, Urbanus & Clemens. Urbano ut vero Pontifici adhæsit Italia, Alemannia, & Hungaria. Clementi vero Francia, Hispania, Catalonia. Asserebant Obedientiales Clementis, suum esse verum Papam, ax electione ejus Canonica, utpote libera, non coacta; non illam Urbani, quia metu coactam, & ejus sequaces Schismaticos & excommunicatus. E contrario Obedientes Urbano Clementem affirmabant Apostaticum, non Apostolicum, &c. Multæ disputationes factæ sunt circa istam materiam, multi libelli editi pro utriusque partis defensione. Peritissimos viros in Sacra Pagina & Jure Canonico habuit, toto illo tempore quo duravit id Schisma, utraque pars seu Obedientia, ac etiam Religiosissimos Viros, & (quod majus est) etiam miraculis fulgentes: nec umquam sic potuit illa quæstio decidi quin semper apud plurimus remaneret dubia. Nam etsi necessarium sit credere, sicut unam esse Catholicam Ecclesiam, non plures; ita & unicum ejus Pastorem Vicarium Christi, juxta id Joannis X. *Fiet unum ovile & unus Pastor*: tamen si contigit plures per Schisma creari seu nominari Pontifices Summos uno & eodem tempore, non videtur saluti necessarium credere istum esse vel illum, sed alterum illorum, qui scilicet fuerit Canonice assumptus. Qui autem fuerit Canonice electus, non tenetur quis scire, sicut nec Jus Canonicum, sed in hoc populi sequi possunt Majores suos seu Prælatos.

Idem Sanctus Archipræsul Tit. 23. Cap. 8. §. de Sancto *Vincentio Ferrerio* agens, idem confirmat. „ Sanctus (*inquit*) Vincentius, etsi cursum suum pene consummaverat sub obedientia Benedicti XIII. Avenione cum Curia sua residentis, & illum Italici cum pluribus aliis Nationibus Apostaticum & Schismaticum arbitrarentur cum sequacibus suis; Urbanum, cum Successoribus in Urbe remanentibus; Apostolicum, verum Christi Vicarium, Petri Successorem assereotes, in nullo hoc habet Sancti merita obumbrare, vel sanctitatem minuere. Est enim Articulus fidei credere, sicut una est Ecclesia Sancta Catholica, ita & unicum ejus esse Pastorem: Sed non est Articulus credere istum vel illum esse, quando plures se nuncupant & ab aliis arbitrantur esse Summi Pontifices, & res ipsa obscura est, nec sufficienter declarata. Siquidem utraque pars habuit peritissimos viros in omni facultate, & sanctissimos viros. Et licet plures Disputationes & Opuscula fuerint edita, numquam tamen ita quæstio decisa est, quin remanserit apud multos dubia. Unde qui erraverunt in eo, satis excusavit eos apud Deum ignorantia facti, & quasi invincibilis. Et propterea Spiritu Sancto operante, ad unionem faciendam sumpta fuit via cessionis, cum non sufficeret via disceptationis. Et quia ille Benedictus obstinatus mansit in sua pertinacia ad non cedendum, privatus fuit omni Jure, si quod habuisset in Papatu. Et tunc Beatus Vincentius, qui prius prædicaverat pro Obedientia ejus, cernens ejus duritiam, prædicavit expresse contra eum ut Hæreticum & Schismaticum, & quod ei non esset obediendum, & adhæsit Concilio Constantiensi & gestis in eo.

XII. Cardinalis *Joannes a Turrecremata*, in Summa *De Ecclesia*, Lib. 4. part. 1. Cap. 14. quartam istam Propositionem statuit: „ Illi qui facta exacta diligentia, ad sciendum veritatem, quis sit verus Papa, & non potuerunt plene clarificari, & inducti aliquibus probabilibus rationibus adhærent Antipapæ, cum proposito tamen semper adhærendi vero Pontifici ipso facto quod de hoc veraciter informari possent, videntur excusati a labe & reatu Schismatis. *Quam propositionem ex eo probat quod* ignorantia istorum est omnino involuntaria, cum sit invincibilis, & absque aliqua inordinatione voluntatis; & per consequens absque culpa est actus sequens. Unde Dominus Ulricus in Summa sua dicit; si quis de aliquo agendo dubius magis peritos consulit de quo nullam habet auctoritatem expressam, utrum ita sit vel non sit, dummodo formet sibi bonam conscientiam, postquam magis peritos consuluit: etiam si res aliter se habet, non peccavit. Fecit enim quod potuit: Deus autem nihil requirit ab homine impossibile. *Quintam propositionem subdit:* Simplices populi & idiotæ non habentes scientiam Juris nec facti videntur excusari a labe Schismatis & reatu, obediendo & adhærendo illi, cui obediebant & adhærebant Prælati sui: si habeant tamen animi promptitudinem obediendi cuicumque, cujus Jus vel Deo revelante, vel Ecclesia declarante, vel alio quovis modo valeret sufficienter monstrari. *Propositionem istam probat ex eo quod* isti tenebantur obedire Prælatis suis, juxta illud: (*Hebr. ult.*) Obedite præpositis vestris, & subjacete illis: & sequi quod mater sua Ecclesia tenet, juxta illud Job. 1. Boves arabant, & asinæ pascebantur juxta illos: quia videlicet minores, qui significantur per asinas, debent in credendis adhærere majoribus, qui per boves significantur, ut Gregorius in 2. Libro Moralium exponit.

XIII. *Henricus Institoris* Ordinis FF. Prædicatorum Professor, & Fidei Censor in Bohemia & Moldavia ab *Alexandro VI.* institutus, qui florebat anno millesimo quingentesimo, in libro adversus Pikardos seu VValdenses Hæreticos, argumenta nonnulla referens ac solvens, quibus discessionem suam ab Ecclesia Romana excusabant, sextam ipsorum objectionem ita proponit: „ Tempore Schismatis ubi duo vel tres se ingerebant pro Summis Pontificibus, sine Obedientia Romanæ Ecclesiæ Fideles salvabantur: ita & nunc quod jam per Regnum Bohemiæ plures neutraliter vivunt. *Ad quam sic respondet*: In illo Schismate illi fuerunt vere & proprie Schismatici, qui præsentes, scientes factum contra Jura, scienter vel contra conscientiam fecerunt Schisma tale, passionibus ducti amoris vel odii cupiditatis & ambitionis: Alii vero qui uni vel alteri, Urbano scilicet vel Clementi Obedientes adhærebant, moti ad hujusmodi tenendum non temporalitate, sed ex conscientia, ex auditis consiliis peritorum, non erant vere & proprie Schismatici, etiamsi ei, qui non erat verus, adhæsissent; quia præter intentionem eorum erat error & divisio eorum; Quamvis enim ignorantia Juris divini vel Naturalis neminem excuset, ut dicit Gratianus in dicto Cap. non tum erat talis ignorantia: Quia etsi credere in unum Caput, sicut in unam Ecclesiam Catholicam, etiam de Articulis Fidei, qui spectant ad Jus Divinum, sit necessarium: Fideli tamen credere hunc esse illud unum Caput vel aliud, cum duo sunt gerentes se pro Papa, non est Articulus fidei, sed qui secundum Jura Ecclesiæ est electus; quod scire pertinet ad factum in se & ad Jus Canonicum. Quamvis ergo una pars excommunicaret alteram cum Sequacibus, & Schismaticos nuncuparet, qui simpliciter inhærebant, excusari videbantur a vitio Schismatis.

Ex quibus compertum est, nec Prælatos & Clerum, nec Principes populumque Galliæ, Hispaniæ, aliarumque Nationum, qui *Clementi VII. & Benedicto XIII.* post accuratum causæ istius examen probabilibus rationibus vel Majorum suorum sive Prælatorum doctrina & auctoritate ducti, adhæserunt, Schismaticos fuisse. His confectis, exponendum est quomodo Ecclesia Gal-

licana

licana & Academia Parisiensis studium operamque omnem ad extinctionem funesti illius Schismatis contulerint.

Ecclesia Gallicana & Academia Parisiensis studium operamque omnem ad extinctionem Schismatis contulerant.

XIV. Rex Sapientissimus *Carolus V.* Cardinalium Literis, & Famagustani Episcopi ac *F. Nicolai a S. Saturnino* Sacri Palatii Magistri, quos ad ejus Majestatem miserant, relatione certior factus, de his quæ Romæ contigerant in electione *Urbani*, & de eorumdem Cardinalium secessione ad novum legitimumque Pontificem eligendum, Clerum Gallicanum, Sacræ Facultatis Parisiensis Doctores, & Juris utriusque Consultissimos Viros in Palatium congregavit Septembri mense, anno 1378. de tanti momenti negotio deliberaturos. „ Eo in „ consessu seu Archiepiscoporum, triginta Episcoporum, „ complurium Cœnobiorum Patrum, simul Theolo„ giæ, Jurisque & Civilis & Pontificii Professorum, „ constitutum est, Cardinalibus Romana Comitia sanc„ do improbantibus, non assentiendum, nisi majore con„ silio gravioreque deliberatione. Idque Cardinalium Nunciis, Regis nomine significavit Abbas Sancti Vedasti *Joannes Fabri*, Sacri Juris Doctor, & Regi a Sanctioribus Consiliis, in Aula Majoris Palatii. Id constat ex Scripto ejusdem Abbatis tradito Flandriæ Comiti, quod editum est in Historia Universitatis Parisiensis, Tom. 4. p. 525. ex Chronico MS. *Caroli V.* quod extat in Regia Bibliotheca, ex Continuatore *Nangii*, & *Paulo Æmilio*, &c. Cum vero Cardinalium Attestationem, cujus supra meminimus, nec-non Acta Fundanorum Comitiorum, quibus in Summum Pontificem electus fuerat *Robertus* Cardinalis Gebennensis *Clemens* VII. nuncupatus, Rex Sapiens accepisset & hanc electionem a Cardinalibus etiam Italis, & ab iis qui Avenione ab obitu *Gregorii Undecimi* manserant, summo consensu approbatam, Conventum alterum Clari, Nobilium, & Sanctioris Concilii Patrum, in Saltu Vicennarum habuit mense Novembri. Negotio matura deliberatione, magnaque libertate discusso, ventilatis, quæ utrique parti favere videbantur, momentis ac rationibus, cum nonnulli, & inter alios Cameracensis Episcopus neutras partes adsciscendas assererent: in *Clementis VII.* Obedientiam frequentioribus suffragiis itum est. Ita rem enarrat Abbas *S. Vedasti* in Scripto supra laudato: „ Tunc Rex convocavit Prælatos & Clericos, „ Consiliarios suos, & alios Nobiles Parisiis existentes „ pro tunc & in magno numero, qui ad eum accede„ rent apud Nemus Vicennarum, quos ibi congregatos „ sigillatim adjuravit quod omni favore postposito sibi „ consuleretur quid in hac materia esset acturus: Qui „ omnes & singuli dederunt Regi consilium quod se „ declararet & determinaret ad partem D. Clementis „ VII. cujus promotionem canonicam reputabant, & „ contra Bartholomæum Barensem, cujus nominatio „ fuerat violenta & impressiva, & quæ nullum ei Jus „ tribuerat in Papatu. Igitur post tot informationes „ memoratas, post tot habita consilia, & multo plura „ quam scripsimus, Dominus noster Rex 16. die men„ sis Novembris determinavit stare pro parte D. Papæ „ Clementis, quam tenet, per ea quæ in Consiliis mul„ tis invenit, fore juri & rationi consonam. „ Viam porro Concilii Generalis ante celebrandi quam Rex, & Ecclesia Gallicana alterutri Obedientiæ se addicerent, merito non placuisse Patribus, scripsit Vedastinus Abbas: Quia vix infra quadriennium ob tumultus bellicos convocari potuisset nec a quo vocarentur Prælati exploratum erat: Ideoque cavendum fuisse ne intrusus usorpatione sua tamdiu gauderet. Congregandum quidem Concilium, cum Pontifex legitime electus de hæresi postmodum accusatur: sed ubi vitium electionis evidens est examine Concilii opus non esse. Quamobrem Cardinales jure discessisse ab Intruso, & alium elegisse.

Hac in negotio prudenter se gessit Carolus V. Rex Christianissimus.

Parisiensis Academiæ deliberatio & doctrinale judicium.

XV. Cum vero in Academia Parisiensi de Jure utriusque Contendentis ultro citroque disputaretur, Erudisi Ordinis sententiam Rex Sapiens rogavit, datis ad eum literis. Generalia Comitia octava Januarii 1379. apud Cistercienses congregata. Ob negotii gravitatem, quod accurato egebat examine, protrahendæ venia deliberationis ab ejus Majestate postulata est, utque communi Facultatum omnium consensu Doctrinale Judicium ferretur. Rex annuit Doctorum postulatis, & ad diem vigesimam Maii sequentis concessis inducias. Quo tempore, Laudunensem Episcopum, & Abbatem *S. Vedasti* ad eos misit, qui deliberationem ac Responsum urgerent, summa tamen suffragiorum libertate permissa, ut ex regiis literis constat, quarum hæc sunt verba: „ Vos intimo cordis affectu rogamus, vobis nihilomi„ nus districte præcipiendo mandantes, quod cunctis pas„ sionibus, immoderatis favoribus, vel odiorum fomen„ tis ab animo vestrum cujuscumque rejectis, solum „ Deum & ejus Judicium habentes præ oculis, ad di„ rimenda schismata, imminentibus etiam scandalis ob„ viando, super contentis nostris in apicibus vobis ul„ timate directis, sic mature, sancte, & juste, & de„ liberate, & cum effectu reali concludere studeatis, „ nobis super id vestra laturi Responsa, quod cedat ad „ laudem divinam, & Ecclesiæ ac Fidei firmitatem, „ & illibatam pariter unitatem, &c. „ Comitiis habitis, tres Facultates, Theologica scilicet, Decretorum, Medicinæ, duæque Nationes Facultatis Artium, Gallicana & Normanna, *Clementis VII.* ceu vero ac legitimo Pontifici, adhærendum esse responderunt, seque illi adhærere sunt professæ. Nationes Picardiæ & Angliæ neutras partes eligendas senserunt. Tandem & illæ ad Theologorum & Sacri Juris Doctorum Sententiam accessere, summoque omnium Facultatum consensu Decretum de *Clementis* Obedientia profitenda editum est. Responsum Regi per Rectorem & quatuor Facultatum Deputatos dedit Academia. *Simon Freron* Sacræ Theologiæ Professor omnium Ordinum nomine peroravit, Regi gratias egit immortales, quod Academiam tam pie, tam benigne ad veritatem justitiamque inquirendam ac propugnandam adhortari ejus Majestas dignata esset: Eum rogavit ut ejusdem Academiæ moras æqui bonique duceret, juxta illam *Gregorii Magni* sententiam: *Minus Maria præstitit, quæ cito credidit, quam Thomas qui diu dubitavit*, Declarationis Academicæ Instrumentum in ejusdem Universitatis Historia editum est, Tom. 4. p. 566. Artium Facultati, cujus nationes duæ hoc in negotio diu hæsitaverant, gratulatus est *Clemens VII.* quod tandem electionem suam ad Pontificiæ Dignitatis apicem canonicam declarasset: „ Ad nostrum (*inquit*) pervenit auditum, quod in „ & super Electionis negotio de nobis ad apicem Sum„ mi Apostolatus canonice celebratæ, de quo forsan, „ ut aliquorum relatione didicimus, aliquantulum hæ„ sitastis, ad charissimi in Christo filii Caroli Regis „ Francorum illustris instantiam, Responsionem bene„ volam, & orthodoxæ fidei congruam immo Christi„ colæ Populo necessariam, pia mente dedistis: Super „ qua vestræ devotionis eximiæ puritatem charitatis „ visceribus amplexantes, vobis gratiarum referimus „ multiplices actiones. „ Hasce Literas datas 7. Augusti, anno 1379. legere est in Historia Universitatis Parisiensis, Tom. 4. p. 778.

Tractatus de unione Ecclesiæ, inter Bonifacium X. & Carolum VI. Regem Christianissimum habitus.

XVI. Anno millesimo trecentesimo nonagesimo secundo, de Unione Ecclesiæ Tractatus habitus est inter *Bonifacium Nonum & Carolum Sextum* Regem Christianissimum, agente *Petro* Carthusiæ Astensis in Lumbardia Priore, qui ipsum *Bonifacium* adiens, Literas ad Regem ab eo impetravit, quibus ejus rogabat Majestatem, ut Ecclesiæ Unioni procurandæ incumberet, nihil se omissurum pollicitus, quo res Piis omnibus adeo optata felicem exitum consequi posset. *D. Petro* socium adjunxit *D. Bartholomæum de Ravenna* Carthusiæ Insulæ Gorgonæ Priorem. Angelos pacis Avenionem primo accedentes ingrate suscepit *Clemens VII.* & contra jus omne detinuit; donec re Parisiis pervulgata, Rex, Academia supplicante, *Clementem* monuit eos dimitteret. Lutetiam itaque circa Natale Domini pervenerunt, Regique *Bonifacii* literas obtulere, quarum hæc erant verba ad ejus Majestatem permovendam aptissima: „ Cum venit in mentem quod tu ex ea non solum „ vetustissima atque nobilissima, sed etiam Christianis„ sima & virtuosissima progenie ducis originem, de „ qua multi & inclyti Reges ac Principes prodiere, ut „ etiam eorum aliqui fluctuantem Ecclesiam & Rem„ publicam, fidei integritate, & industria, indefessis „ laboribus, gravioribus periculis, magnisque sumptibus „ juverunt, foverunt, defensarunt, & ad portum sa„ lutis ac tranquillam duxerunt stationem, & vice ver„ sa, cum fuit opus, nonnulli tui Progenitores etiam „ in recenti memoria, ab eadem Ecclesia præcipuos ho„ nores, & opportuna commoda reportaverunt: Qua„ mobrem tanta inter Ecclesiam piam Matrem & Pro„ genitores ipsos filios connexio indissolubiliter viguit, „ ut Ecclesia absque illis, & illi sine Ecclesia, si re„ censeantur Annales, numquam vel raro magnificum „ feliciter quid tentarunt: spes nos bona fovet, quod „ propitio Deo, ad unitatem & sedationem hujusmodi „ multa operaberis laude digna; & forte ista Ecclesiæ „ calamitosa divisio tuis operationibus magna ex parte „ sopietur . . . Ideoque tuam Serenitatem requirimus, „ paterne monemus, rogamus, hortamur & obsecramus „ per viscera misericordiæ Jesu Christi, per desidera„ tam salutem, per æternum præmium, quatenus hanc „ Dei causam prompte suscipiens, & constanti animo „ persequens, commendanda dignorum Progenitorum „ vestigia imitatus, ad intemeritatem veritatis & uni-

„ tatis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ te conformans, ad hujusmodi reprobi Schismatis & divisionis remissionem, & Ecclesiæ reintegrationem, ingenii tui vires & efficaces operas adhibere velis, nec ulterius retardare . . . Nos enim quamprimum te ad id dispositum fore senserimus, parati sumus tecum apponere partes nostras, nihil de contingentibus mittendo. „ Editæ sunt hæ literæ Tomo sexto *Spicilegii Dacheriani*, p. 54.

Religiosis Nunciis Rex ore tenus responsum dedit, de quo *Bonifacium* certiorem facerent, Se studium omne viresque ad unionem Ecclesiæ promovendam adhibiturum. Literas nullas dedit, ne *Clementis* causæ nocere videretur. Publicæ Supplicationes Parisiis pro Schismatis extinctione fieri cœptæ. Tunc & *Clemens* ut nihil sibi unione Ecclesiæ antiquius esse persuaderet, Missam votivam pro ipsa a Deo postulanda composuit celebraturis Indulgentias erogans: quod tamen simulate ab eo factum probavit eventus, cum *F. Joannem Goulan* Carmelitam Parisios misit, qui concessis Apostolicæ Sedis auctoritate Indulgentiis, Tractatum Unionis disturbaret, omnesque in *Bonifacium* concitaret. Ista constant ex Monacho Sandionysiano Lib. 12. Cap. 7. & ex *Juvenali de Ursinis* in Historia *Caroli VI.* Sed & *Bonifacius* accepto Regis Christianissimi responso ab ore Carthusiensium, quos ad ejus Majestatem miserat, & duorum aliorum ejusdem Ordinis Professorum, quos ipsis Romam redeuntibus Rex adjunxerat, alienum ab unione animum præ se tulit, nisi Rex ejurata *Clementis* Obedientia suam profiteretur, ac Regnum, Belgium, VVasconiam, Lotharingiam, Britanniam, ad suas partes traduceret. Ista constant ex aliis ipsius *Bonifacii* Literis, quas Tomo Sexto *Spicilegii Dacheriani*, p. 57. legere est.

Parisiensis Academia de modis extinguendi Schismatis deliberat.

XVII. Anno 1393. die Conversioni *S. Pauli* sacra, Academia Parisiensis, quæ facultatem a Rege ac Principibus Regni Moderatoribus obtinuerat inquirendi in vias extinguendi Schismatis, quas ejus Majestati & Consilio suggereret, ad *S. Martini de Campis* ritu solemni Deo supplicatura processit. Sacris operatus est *Guido Moncelli* Sandionysianus Abbas: de pace Ecclesiæ præclare dixit *Guillelmus Varrant* ejusdem Cœnobii Prior in Sacra Facultate Doctor Theologus; Regis ac Principum voluntatem ad divinum unionis opus propensissimam commendavit, omnes hortatus est ut ipsis constantiam in bono proposito a Deo obtinere satagerent. *Ut autem Regio obtemperaretur Præcepto, & ut uniuscujusque animus definiendo liber esset, in Universitate iterum publice divulgatum est, ut quod cuilibet mens dictaret pro Unione habenda, notaret in Schedula, quam & infra unam arcam fortiter obseratam, & in claustro S. Maturini repositam, quasi in gazophylacium mitteret, nemine compellente.* Schedulæ singulorum suffragia rationibus fulta continentes, a Deputatis lectæ & collatæ. In eam sententiam omnes consensisse compertum fuit; Commodiores ad Schismatis extinctionem vias eligi atque adhiberi non posse, quam cessionem & renuntiationem plenariam utriusque de Summo Pontificatu Contendentis; vel mutuam compromissionem amborum in aliquos eligendos qui negotium summa auctoritate decernerent, ac finirent, vel Concilii Generalis celebrationem. Quæ cum in Comitiis retulissent, ab Academia decretum est, ut de hisce viis ac mediis finiendi Schismatis Epistola Regi offerenda scriberetur; hanc susciperent curam, quoad rerum dispositionem, *Petrus de Alliaco* & *Ægidius de Campo* in Sacra Facultate Parisiensi Doctores; quoad verborum delectum ornatumque Orationis, *Nicolaus de Clamengiis* Baccalaureus Navarricus, Rhetor ea tempestate insignis. Omnem industriam adhibuit *Petrus de Luna* Clementinus Cardinalis, Ducis Bituricensis auctoritate fultus, ut Academiæ consilia conatusque disturbaret. Audientiam tamen favore Ducis Burgundiæ, alterius Regis Patrui, die ultima Junii impetrarunt Oratores Academici, ac Epistolam Universitatis ejus Majestati obtulerant, sic inscriptam: *Christianissimo ac Religionis orthodoxæ zelantissimo Principi Carolo Dei gratia Regi Francorum Illustrissimo, devota suæ Celsitudinis filia Universitas Studii Parisiensis, devotæ & filialis obedientiæ sinceritatem.*

Monachus Sandionys.

Via Cessionis ac renuntiationis.

Postquam Regis pietatem effusissime laudavit, *qui se & sua universa in hujus execrabilis scissuræ resartionem impensurum* pollicitus erat, *etsi Regni sui aut corporis impendium negotium hujusmodi deposceret*: tres vias exponit extinguendi Schismatis, unanimi Virorum Academicorum consensu approbatas; Alias nihilominus, *si quæ sunt commodiores seu faciliores*, minime se excludere profitetur. De priori via, cessionis scilicet ac renunciationis, cui potissimum insistit, hæc habet: „ Prima igitur via est Cessionis & Renuntiationis plenariæ utriusque partium, scilicet D. nostri Papæ, & alterius de Summo Pontificatu Contendentis ad totale jus illud quod habet in Papatu, vel se habere prætendit, sive cessio illa in manibus vel præsentia amborum Collegiorum in unum convenientium pro bono pacis fieret, sive in manibus aut in præsentia sui Collegii pars quælibet seorsum cederet; sive postremo in manibus aut præsentia aliquorum per eos aut sua Collegia nominandorum; sive aliis modis rationabiliter excogitandis. Qua Cessione facta, per veteres Cardinales, de futuro Pontifice fieret provisio, seu pro bono pacis per Collegia amborum. Et hanc viam, PRINCEPS CHRISTIANISSIME, adceler, convenient & efficax hujus plagæ lethiferæ remedium, cæteris in hac nostra Epistola contentis anteponimus, tum propter facilitatem faciendi: sic nempe labores, sumptus, difficultates plurimæ, maxima denique Christianitatis totius vitarentur dispendia; cum propter universorum Fidelium utriusque Obedientiæ, totiusque in genere Christianitatis in cordibus & conscientiis perfectam atque integram absque remorsu aliquo quietationem: cum maxime propter Principum & Regnorum utriusque adhærentiæ honorem ex integro conservandum, & devitandum scandalum. Quod judicio nostro summopere attendendum pensandumque hac in materia est; Fratres quippe omnes sumus in Christo. Et non-ne Domini vox est, qua qui fratrem scandalizaverit a nobis expellere præcipimur, etiamsi pes fuerit, manus, aut oculus? Tum propter apparentiam rationum utriusque partis, qualis nequaquam in Schismate alias visa est. Tum propter adhærentium fixam atque radicatam cujusque partis ad suum, ut nulla verisimilis spes sit, aut nos ad aliam partem accedere, aut alios ad nostram ullatenus verti posse. Et profecto ad hanc viam debet eos proprii amor honoris inducere, voluntariosque reddere, ne si discussio fiat, in alterius eorum aut amborum ignominiam res veniat. Debet & gregis Christi, cui se præesse dicunt, lugubris, exitiosa, & miserabilis dissipatio, eis non æquo animo (si quid misericordiæ & compassionis habent) intuenda. Debet zelus animarum dicti gregis, pro quibus, si perditæ sint ex eorum neglectu, suæ in ultionem reposcentur a Domino. Debet præterea tam virtuosi operis atque sublimis meriti apud Deum respectus. Debet nominis gloria qua ipsi perenni laude succedentibus sæculis hoc in omnium ore hominum & scriptis celebrabuntur, plus profectu quam si uterque eorum centum aut ducentis annis etiam virtuose pacateque præsedisset. Debet postremo charitas amplissima, qua præditi esse debent, quaque pro ovibus suis juxta Supremi Pastoris Sententiam, suam etiam animam exponere adstringuntur. Quanto igitur amplius in tam horrendo scandalo gregis sui temporalem suum statum in tam evidenti bono Ecclesiæ resignare?

Via mutua compromissionis.

XVIII. Viam subinde mutuæ compromissionis exponit Academia, ejusque commoda prædicat. „ Per hanc viam (*inquit*) vitaretur Concilii Generalis difficultas, cessaret cavillatio dicentium, Quod in illo Concilio Generali D. noster Papa ob ampliorem numerum aliorum jus suum exponeret discrimini. Per hanc maturior esset terminatio facti quam nos omnes maximopere desiderare debemus. Per hanc quoque nota perversæ dominandi ambitionis tolleretur, quam rigorosa nimium & pertinax defensio cogniti etiam juris sæpe numero inducit. Denique subterfugiens viam istam æquitatis sectatricem, charitatis & amicitiæ plenissimam, vehementem de injusto titulo suo suspicionem in omnium animos hominum ingerere videretur. Nam præsumptio juris est rationis judicio consentiens, quod æque si non amplius nocens, atque injustus alieni usurpator, æquitatem judicii propriæ causæ diffidens subterfugit; sicut justus innocensque propriæ innocentiæ conscientia securus hoc appetit.

XIX. Secundum hæc, objectiones diluit hanc viam unionis improbantium. Prima objectio erat Summum Pontificem nullatenus posse in aliquos compromittere, se ipsum eorum Judicio subjiciendo.

Respondet Academia: Nihil ad rem id pertinere, Quia „ illic neuter eorum se tamquam Papa subderet, sed tamquam in dubium revocatus, de suo atque alterius in Papatu jure: immo quilibet eorum ab adversa parte sua velut Papatus invasor & usurpator arguitur, & quoad hoc arbitrio se subdere postulatur. Simila quippe omnino, ut videtur in Concilio Generali, si super hoc ageretur, & in parte ista censendum est. Constat vero quod illic neuter eorum ut Papa præsederat: Quare nec etiam isthic ut Papa se sub-

subjicit. Præterea id falsum est quod subjungitur, Papam non posse se ipsum in alterius ditionem submittere. Numquid Christo major erit, de quo sacratissima Evangelii profitetur Historia, Quia erat subditus illis, Matri scilicet & Joseph? Matri namque suæ, hoc est, Sanctæ Ecclesiæ, quam Fidelium omnium Matrem esse constat, si ipse Catholicus est, materno jure subditur. Nisi forsan quis dixerit; postquam Sponsa facta est, Matrem esse destitisse. Numquid Petrum anteibit, cui non ad Evangelii veritatem ambulanti Paulus in faciem libere restitit? Quam Pauli correctionem submisse & humiliter sustinuit. Numquid & Papatus jure a fraternæ correctionis eximetur lege, ut eidem omnium agendorum licentiam impune donemus? De Deo solo Job Sanctus id loquitur: *Non est qui dicat tibi; Cur ita facis?* Caveant qui hunc titulum soli divinæ omnipotentiæ debitum in se ipsos usurpando transtulerint ... Ab eisdem percuntari lubet, juta si quæ prohibent, Divina ne an humana, ac pure Positiva sint? Non divina profecto aliqua allaturi sunt; restat ergo ut Positiva sint; quibus (ut ipsi ajunt) Papa non est subjectus: Idcirco semetipsum compromittendo submittens, non contra illa ageret. Nihil igitur causæ est quominus se subjicere ac compromittere possit; & mirum est quod non videns hæc dicentes, sese illi Potentiæ, quam Cœlo æquare volunt, tam aperte derogare.

Via Concilii Generalis.

XX. De tertia via, Concilii scilicet Generalis, hæc subdit Universitas: „ Quamvis via ista a nonnullis adulatoribus, ac hujusmodi monstruosæ sectionis fautoribus ab ipsius Initio usque ad ista tempora magis turbandi studio quam veritatis radice, velut inepta omnino repudiata sit; tamen absque fermento affectionis malignæ veritatem intuenti non adeo refellendam esse satis liquido clarescet. Nam ut ab altiori repetamus, unde variæ hæreses sæculis anteactis in Ecclesiam Christi irruperunt, nisi quia ante Piissimi Constantini Imperium Christianis Præsulibus in unum conveniendi licentia interdicta erat: Qua ab Ipso accepta, Conciliorum universalium Decretis hæreses innumeræ perversissimæ cum suis assertoribus damnatæ sunt, sicque Catholica Fides intemerata permansit. Si igitur ad tollendum hoc pestiferum schisma, quod jam propter longam moram hæresis speciem habet (Inveteratum quippe schisma, sicut ait Augustinus, hæresis est.) non liceat Ecclesiam congregari, repudiatis præsertim viis superioribus, quid restabit? Profecto sicut per ignaviam inexcusabilem negligentiam amborum, de quibus sermo, Præsulumque & Collegiorum suorum, jam per sexdecim annorum spatium hoc dissidium duravit, ita adhuc per totidem, attenta majori semper invalescentia, & pacis turbatoribus, durare poterit, sicque in oblivionem cum Græcorum dissidio usque in finem sæculi perducetur. Quis igitur obviabit surgentibus hæresibus, cum ab altero plectendus, ad alteram de facili pro impunitate confugiet? &c. Christus Dominus noster legem nobis statuens de fratre corripiendo, si quid fortasse in nos peccaverit, præcepit ut eum primo inter nos & ipsum solos corrigeremus; deinde, si non audiat, testes aliquos nobiscum assumamus: & tunc, si nihilo magis audierit, Ecclesiæ nunciemus. Cum igitur per tam longa jam annorum curricula neuter alterum nec se solo audire, nec testibus adhibitis voluerit, quin etiam nec spes ulla audiendi reliqua sit, quid jam restare videtur, si Christi præcepta impleamus, nisi id dicere Ecclesiæ, in Concilio Generali convocatæ, quam si ipsi, vel alter, audire recusaverint, aut ipsius judicio nequaquam obtemperare, plane & libere cum Christo fateamur eos nobis Ethnicos & publicanos habendos.

Adversariorum pacis objectionibus Academia respondet.

XXI. Adversariorum pacis objectiones mox diluit Academia. „ Quomodo (*inquiebant*) Papa noster electus jus suum clarum adduces in discrimen, & illud, de quo constat, in dubium revocabit? *Respondet illa*: Quid clarum vocatis? Certumne an verum? Si verum, cum hæc veritas nunc sub modio lateat, nec a tantis Catholicis cerni possit, eam super candelabrum per Concilium ponite, ut omnibus qui in domo Dei sunt, eluceat. Si certum, videte ne verbo abutamini, qui id certum appellatis; de cujus obscuritate atque ambiguitate tanta semper fuit & est apud tantam Fidelium portionem contentio? ... Sed esto, certum verumque sit illud, quod certum unicuique esse prædicatis, respondebit tamen vobis Adversarius vester ita esse dicentibus, Judicium rem istam deposcere, nec fidem vestris dictis se ullo pacto habiturum, qui contendens, contra eum pars estis. In Judicium itaque descendite. Quid enim vultis? (*inquit Adversarius vester*) Ille quem Papam dicitis, aut jure suo fidit, aut diffidit. Si diffidit, modice ponderandum est Juris illius discrimen: Nam & alii merito diffidere habent. Si confidit, confidat in Domino, & Dominus justitiam suam tuebitur, nec fluctuare permittet .... Et præsertim cum pendente Concilio, pro Justitiæ habenda declaratione fierent a cunctis Fidelibus ex Indicto Ecclesiæ Orationes devotæ apud Deum.

XXII. Objiciebant alii, quod *Minor multo numerus Concilii pro una partium, & major pro altera staret.*

Respondet Academia, Hanc objectionem nullius esse momenti: „ Primo quidem (*inquit*) quia Spiritus Sanctus Concilio assistere, ipsum quoque dirigere pia fide creditur, quem non est verisimile ipsum errare sinere in hac Christianæ pacis materia .... Deinde malæ mentis est & carnaliter nimium sapientis sic male de hominibus suspicari, ut quilibet veritate dilucide patefacta, contra agnitam etiam veritatem pro ea parte pertinax & obstinatus maneat, quam ante discussionem secutus sit? Quid quod S. Gregorius tantus Ecclesiæ Pastor se quatuor Concilia Universalia tamquam quatuor Evangelii libros venerari & colere profitetur, quod minime affirmaret, si ea errare posse tam facile, sicut hi dixerunt, crederet. Sed fac ut errare possint, quandoquidem hi errorum somniatores hoc volunt, quem tardius a duobus erratum ire putemus, aut hunc vel hunc se Papam dicentem, aut Concilii totalis Sententiam super hoc definientem? Num tanta imprudentia quisquam erit, quin Concilium in hoc remotius ab errore absuturum dicat? Minus igitur discrimen est Concilio credere in hoc casu, quam partibus.

XXIII. Obstrepebant adversarii: *Quis dabit auctoritatem Concilio?* Respondet Academia: *Eam dabit consensus omnium Fidelium, Dabit Christus in Evangelio dicens*: „ Ubicumque duo vel tres, in nomine meo erunt congregati super terram, &c. *Dabit & Domini jussus ad Moysen in Deuteronomio*: Si (*inquit*) difficile & ambiguum apud te Judicium esse perspexeris & videris verba variari, venies ad Sacerdotes Levitici generis, quæresque ab eis, qui judicabunt tibi judicii veritatem. *Quid autem reperietur dissensione ista magis difficile, magis ambiguum, magis in verbis varium? Ubi non modo verba varia currunt, sed contraria penitus & invicem pugnantia? Nec hoc quidem inter paucos, sed inter pene æquales orbis Christiani partes, altera, quod amplior est prætendente, & altera quod sanior.*

XXIV. His ita expositis, declarat Academia, Si alter dissidentium aut uterque, vias illas mira obstinatius refugiat, nec aliam extinguendo Schismati opportunam offerat, eum ut *Schismaticum* & *Hæreticum* habendum: *Nec gregis Christi Pastorem, sed direptorem potius ac Tyrannum; sicque ejus deinceps nec jussis obediendum: Nec eidem regiminis ullum administrationem, immo nec patrimonium Ecclesiæ quo utitur, relinquendum: Ipsam quoque ob ovili Jesu Christi ut lupum infestissimum penitus abigendum, pœnisque acerbissimis Schismaticorum plectendum, nec in terra viventium, sed cum Dathan & Abiron nequissimis Schismaticis portionem ejus habendam: Quippe qui gregis Pastorem se dictitans, non ad debitam ipsius adunationem, sed magis ad perpetuam quantum in se est, dissipationem dispersionemque tendit.*

XXV. Denique ad Regem orationem convertit: ejus Majestatem hortatur & obsecrat, ut ad pacem & unitatem Ecclesiæ totis animi medullis incumbat; meminerit solum se Principem Christianissimum nomen non otiosum tenere: quod in omnibus semper Ecclesiæ angustiis ei Majores ipsius præsidium ante alios tulerant: nolit privilegium tam nobile, titulum tam magnificum amittere; hunc honorem a se auferri non sinat, aut alterum in isto ante se venire; defendat jus suum, defendat nomen, defendat decus: moveat ipsum omnium Catholicorum & fratrum in Christo expectatio, quæ tota in re ista de ejus Persona pendet; omnes Principes Catholicos ejus in hoc negotio manum præstolari, tamquam ejus cui jure, consuetudine, potentia, cæterisque adminiculis magis istud debitum. Atque enumeratis pari eloquentiæ vi Schismatis istius incommodis, Epistolam absolvit, Deum obsecrans ut quassatam pene undis ratem suam, nec jam sine sua ope subniti valentem, tandem aliquando servet, ventis & mari imperans. Clauditur Epistola his verbis: *Datum in nostra Congregatione Generali apud S. Bernardum, ut moris est in arduis, celebrata unani-*

mi Facultatum singularum & Nationum consensu, 8. *Idus Junii*, *Vigilia videlicet Pentecostes ; qua die Spiritus Sanctus Discipulorum mentibus in unum congregatorum illapsus est, charitate concordes inundantis gratiæ profusione replevit ; quem & nostro tum concordi Conventui ea hora adstitisse, pia & verisimili conjectura credimus*, *Anno Domini* 1394. edita est hæc Epistola ex MSS. Bibliothecæ Sancti Victoris Parisiensis, & Collegii Navarrici, nec-non ex Historia Sandionisiani Monachi, Tom. 7. *Spicilegii Dacheriani*, pag. 81. & Tom. 4. Historiæ Universitatis Parisiensis, pag. 687.

XXVI. Quamvis Academiæ deliberatio dicendique libertas, Ecclesiæ statui & tempori plane opportuna, Regi, Principibus, Proceribus ac Prælatis, inter quos eminebat *Simon Cramaudus*, Patriarcha Alexandrinus, vehementer placuisset, artibus tamen *Petri de Luna* Cardinalis Aragonii, & Ducis Bituricensis effectum est, ut cum ad certum diem Academiæ Deputati, responsum accepturi, ad Aulam rediissent, Regni Cancellarius Regis nomine illis significaverit ipsius Majestati non placere, ut ea de re viri Academici deinceps agerent, ac ne literas hoc de negotio aliunde scriptas reciperent, nisi prius Regi oblatas. Qui Cancellario Academiæ nomine libere denuntiarunt, Ipsam a lectionibus, concionibus, omnibusque aliis Studiorum actibus cessaturam nisi & donec justis ejus petitionibus satisfieret. Ita referunt Sandionysianus Monachus, & *Joannes Juvenalis de Ursinis*, in Historia *Caroli Sexti*. Extant in MSS. Codicibus Victorinu & Navarrico Academiæ Coloniensis literæ ad Parisiensem hoc ipso anno 1394. datæ die quinta Julii, quibus ipsi zelum pro unione Ecclesiæ gratulatur, hortaturque ad sanctum opus studiis omnibus ac viribus promovendum. Editæ sunt cum Academiæ nostræ Responso, Tom. 6. *Spicilegii*. Extant & aliæ a *Joanne* Rege Aragoniæ die vigesima Augusti Barcinone scriptæ, quibus rogat Academiam nostram ut mentem suam consiliumque de unione Ecclesiæ, viisque ad ipsam procurandam opportunis aperiat. Paratum enim se pro defensione Fidei & unione Populi Christiani, non solum Regna sua ac facultates omnes ; sed & vitam ipsam exponere. Ex quibus facile quivis intelligit, quanta fuerit semper apud exteras etiam gentes Academiæ Parisiensis existimatio & auctoritas.

Joannis Regis Aragonia Litera ad Parisiensem Academiam.

Edita sunt Tom. 4. Histor. Universit. Paris. p. 106. Academia Parisiensis Litera ad Clementem VII.

XXVII. Universitatis Epistula de Viis ad sedandum Schisma ineundis Regi oblata, de Majestatis ejus Mandato ad *Clementem VII.* transmissa est, ad quem eadem Acadamia literas alias dedit, quibus ipsum hortata est ut Viarum hujusmodi aliquam amplecteretur. Ad id ex officio se teneri Doctores iis literis profitentur, quo & Summi Pontificis, & Regis saluti, ac totius Ecclesiæ sunt obnoxii. „ In pastoribus siquidem „ & Doctoribus maxime totum regimen Ecclesiæ con„ sistit : Faciant (*inquit*) Pastores ipsi quod suum „ est. Nos certe nostrum docendi, si Dominus annue„ rit, nullatenus omittemus officium, quod quamquam „ omni tempore congruum sit & necessarium ; præci„ pue hoc tempore, quo tam multis angustiis, æru„ mnis & scandalis per hoc execrandum Schisma Ec„ clesia atteritur. „ Graviter expostulant, quod in his silentium a Rege *Doctoribus Ecclesiæ & lucernis ardentibus* imponi *inimicus homo* (Petrus de Luna) postulasset. *Clementem* monent, rogant, obtestantur, per fidem integerrimam, per fœdus inviolandum, per amorem amplissimum & sincerissimum quem ad Sponsam Ecclesiam habere debet, per Pastoralis vigilantiæ debitam sollicitudinem, ut hanc sacratissimam concordiam, quæ in ejus manu sita est, absque mora intendat. Satis jam expectatum, exurgendum tandem aliquando ad pacem esse, desides torpentesque animos ad hujus rei aggressum excitandos, nisi Schisma perpetuum in Ecclesia permittere proponant. Rem in tantam perniciem erroresque jam processisse, ut plures passim dicere non vereantur : „ Papæ sint, & non mo„ do duo aut tres, sed decem aut duodecim, immo „ & singulis Regnis singulos præfici posse, nulla sibi „ invicem Potestatis aut Jurisdictionis auctoritate præ„ latos. „ Editæ sunt hæ Literæ Tom. 6. *Spicilegii*, pag. 119. & in Historia Universitatis Tomo quarto, pag. 699. Scripsit ejusdem argumenti literas Academia nostra ad Clementinos Cardinales, quibus eas inseruit, quas ad *Clementem* scribebat, illosque hortata est, ut laborem hunc suum pro unione Ecclesiæ sincera mente susceptum, quem Sacro Collegio gratum esse arbitratur, fovere, adjuvare, & ad prosperum exitum dirigere dignentur. Summumque Pontificem cujus lateri jugiter assistunt, quorum ipse consilio in agendis uti debet, monere, urgere, hortari, allicere ad hoc opus sanctissimum, quantum in eo fuerit, mature & celeriter exequendum. Ad quod etiam suam operam & industriam eadem Academia pollicetur. Has Literas Tomo Sexto *Spicilegii*, pag. 113. & Tomo quarto Historiæ Universitatis Parisiensis, pag. 700. legere est. His acceptis atque perlectis *Clemens* nullo Academiam dignatus responso est, id unum dixisse fertur : *Literæ istæ malæ sunt & venenosæ.* Quod cum Parisios perlatum esset, continuo ad eumdem rescripsit Academia, Vix se credidisse, quod de illo vulgatum est : Si falsum sit id ipsum dixisse grata Responsione propensam demonstret ad pacem Ecclesiæ voluntatem. Si verum sit, mirari se vehementer quod tam indignæ voces ore Pontificio exciderint. Tractatum de unione Ecclesiæ tam sanctum esse, ut nec veneno pollui, nec venenum admittere ullum in se possit, etiamsi quis cuperet infundere. Doctores Parisienses intentione sincera hoc in negotio processisse, & ad concordiam usque processuros, ne quis eos tepescere, aut tædio victos esse suspicetur. Nihil omnino Literis Academiæ ad ejus Sanctitatem scriptis veneni inesse, aut deprehendi posse, si articulatim examinentur. *An illud* (inquit) *venenosum est, quod labenti Ecclesiæ in ipsius exitio condolemus? Quod officii debito & conscientia ducti, hunc laborem suscepisse nos dicimus? Quod Principem Christianissimum Carolum Regem Francorum ad hoc opus ineundum induximus? Quod Sanctitatem vestram ad id ipsum pia quidem & firma charitate commonefecimus? Unde hæc venenosa sunt, non videmus. Si quis acutius cernit in dignoscendis venenis, ab eo libenter multum doceri vellemus, qui cautiores alias in devitandis anguibus venenosis & tutiores essemus. Cæterum illa forsitan venenosa arguitur cautio, qua in * inimicum hominem tam salubris propositi ac operis, quantum quidem in se erat, turbatorem, paululum & non certe pro rei magnitudine induximus. Quod si id vitio datur, quid, quæsumus, deterius aut magis virulentum est, vel ad pacem Ecclesiæ laborantes viis talibus qualibus impedire, atque tam sanctum laborem funditus exinanire satagere ; vel Doctores Ecclesiæ ad ipsius unionem perseverantem operam impendere, Schismatisque nutritores, qui vere Schismatici sunt, refellere . . . Ille venenosus potius erat dicendus, qui errori schismaticæ perfidiæ hæresis suspicionem cumulaverit, Doctoribus Ecclesiæ perpetuum machinans imponere silentium, nec quidquam de hoc ad eos pertinere, ausus ore sacrilego evomere.* Denique *Clementem* rogant Parisienses Doctores ut ignoscat, si fortasse vehementius rescripserint : In aliis rebus blandiri aliquatenus fas esse, sed Catholicam veritatem, de qua agitur, fictas assentationes palpantium non recipere. Supplicant, ad Universitatem rescribat, mentem suam consiliumque aperiat. Si trium Viarum, quas Academia proposuit, aliquam acceptam habuerit, se plurimum gavisuros : Si quartam convenientiorem meditatus fuerit, eam Academiæ patefaciat. Extant hæ literæ in MSS. Codicibus Victorinæ & Navarricæ Bibliothecæ, ex quibus editæ sunt Tom. 4. Historiæ Universitatis Parisiensis, pag. 701. Antequam vero ad *Clementem* pervenirent, diem obiit 16. Kalendas Octobris anno millesimo trecentesimo nonagesimo quarto.

Academiæ Parisiensis Literæ ad Clementinos Cardinales.

Aliæ Parisiensis Academiæ ad Clementem Septimum Literæ.

* *Petrum de Luna Cardinalem Aragonium.*

XXVIII. Audito *Clementis VII.* obitu, Parisiensis Academia Regem adiit per Deputatos, ejusque supplicavit Majestati, 1. Ut Cardinales moneret quatenus electione supersederent, donec super unionis negotio plenius deliberasset, modumque ac viam promovendi tantum opus elegisset. 2. Ut Prælatos & Barones Regni, Viros etiam Academicos opere & sermone potentes, cum præcipuæ auctoritatis, spectatæ probitatis, & propensæ ad Ecclesiæ pacem voluntatis Civibus congregaret, qui de modo procedendi in tam sancto arduoque negotio una deliberarent. 3. Ut de unione scriberent ad *Bonifacium* Romæ sedentem, & ad Principes obedientiæ ipsius adhærentes : precesque publicas ac solemnes Supplicationes pro extinctione Schismatis per totum Regnum imperaret. 4. Ut ipsi Universitati Parisiensi liceret ad reliquas orbis Christiani Academias eo de negotio scribere, ab illisque literas recipere, non rogato Regis assensu. Academiæ postulatis Rex annuit, habitoque cum suis Consilio, semel iterumque scripsit ad Cardinales, diebus 22. & 24. Septembris, 1394. rogans ut electionem differrent, donec Oratores de unione Ecclesiæ cum ipsis acturos misisset. Ita refert Sandionysianus Monachus in Historia *Caroli Sexti* Regisque Literas exhibet, quas Tomo sexto *Spicilegii Dacheriani* legere est, pag. 62. & in Historia Universitatis Parisiensis, Tom. 4. pag. 710.

Academia preces Regi Carolo sexto oblata post obitum Clementis Septimi.

Regis & Academia Litera ad Cardinales Clementinos.

Scripsit

Sctipsit ad eosdem Academia, illosque magnis laudibus efferens, obsecravit ne electionem maturarent, donec Adversarii, id est, *Bonifacii* ad concordiam Ecclesiæ voluntas explorata esset, ac nndiqne tentatæ pacis viæ, quam Sede vacante facilius obtineri posse constabat. Nec eos movere debere quod alterius obedientiæ Cardinales *Urbano* defuncto successorem elegerint: Illos enim malo exemplo id egisse, ipsis, qui ad unionem Ecclesiæ optime affecti erant, nequaquam imitando. Editæ sunt hæ literæ ex MS. Victorinæ Bibliothecæ, Tom. 4. Historiæ Universitatis Parisiensis pag. 711. Datæ sunt die vigesima tertia Septembris. Qua etiam die ad Prælatos & Capitula Cathedralium Ecclesiarum Academia scripsit, eodem animi affectu rogans, ut preces, curas, operam ad procorandam Ecclesiæ pacem conferrent: missis ad Regem, & ad Cardinales Oratoribus, aut certe scriptis literis, pro Ecclesiæ pace supplicarent, quam uno spiritu quæstiam, unoque consensu rogatam, obtinere facilius esset. His tamen Monitis insuper habitis Clementini Cardinales die vigesima octava Septembris in Pontificem elegerunt *Petrum de Luna*, S. Mariæ in Cosmedim Cardinalem, confecta Jurisjurandi formula, qua se obstrinxerunt, ne Schismatis fautores viderentur, quod ad ipsius extinctionem modis omnibus laborarent fideliter & diligenter futuroque Pontifici auxilium, consilium & favorem darent ad unionem ac pacem Ecclesiæ promovendam. Et quicumque ipsorum electus esset, *Omnes vias utiles & accommodas ad unitatem Ecclesiæ & unionem prædictam ejusdem sane & veraciter, sine machinatione seu excusatione vel dilatione quacumque servaret & procuraret, usque ad cessionem etiam inclusive per ipsum de Papatu faciendam, si Dominis Cardinalibus* tunc existentibus, vel futuris, *vel majori parti eorumdem, id pro bono Ecclesiæ & unitatis prædictæ expedire videretur*. Huic Schedulæ subscripsere singuli, tactis sacrosanctis Evangeliis. Ex Monacho Sandionysiano edita est Tomo sexto *Spicilegii*, pag. 64. & in Historia Universitatis Parisiensis pag. 730.

Petrus de Luna Pontifex Avenione eligitur.

Regis & Academiæ Parisiensis Literæ ad Benedictum Decimum tertium & Cardinales.

XXIX. Ad *Petrum de Luna* electum Avenione Pontificem, *Benedictum* XIII. appellatum, Rex & Academia Oratores miserunt. Utriusque nomine ipsum adiit, ipsique Obedientiam pollicitus est M. *Petrus de Alliaco* Ecclesiæ & Universitatis Parisiensis Cancellarius, Regi ab Eleemosynis. Literas ejusdem Academiæ illi porrexit de ipsius electione gratulatorias, & adhortatorias ad Ecclesiæ pacem, quæ in ejus potestate sita erat. Ex Monacho Sandionysiano editæ sunt Tomo sexto *Spicilegii*, pag. 65. & Historiæ Universitatis Parisiensis Tomo sexto, pag. 713. Datæ sunt die vigesima tertia Octobris, anno 1394. Ad Cardinales quoque scripsit Academia, ipsos rogans ut in unionis opere promovendo novo Pontifici consilio subsidioque præsto essent, ut per ipsos potius quam per terrenam Potestatem ad prosperum exitum hocce negotium perduceretur; suamque si ullius momenti esset, operam ipsis non defuturam pollicita est: His literis illas inseruit, quas ad *Benedictum* scribebat, ut majorem in ipsis fiduciam demonstrarent, illosque arctius obstringeret ad unionem viis opportunis, & maxime via cessionis, procurandam. Editæ sunt Tomo sexto *Spicilegii*, pagina 125. & Tomo quarto Historiæ Universitatis Parisiensis, pag. 716. Voluntatem ad Unionem propensissimam simulavit *Benedictus*, missis ad Regem Christianissimum, aliosque Principes Nuntiis, datisque literis ad Academiam Parisiensem per *Ægidium Bellemarium* Avenionensem Episcopum, & *Petrum Blavii* Juris Canonici Doctorem, quas Tomo sexto *Spicilegii*, pag. 123. & Tomo 4. Historiæ Universitatis, p. 724. legere est.

De viis unionis agitur in Conventu Præsulum & Doctorum a Rege congregato.

XXX. Anno 1395. Gallicanæ Ecclesiæ Præsules ac Doctores præcipui Februario mense Parisios a Rege Christianissimo congregati ad agendum de Viis Unionis, quam se vehementer optare *Benedictus* profitebatur *Simone Cramaudo*, Patriarcha Alexandrino, & Ecclesiæ Carcassonensis Administratore perpetuo. Conventus præside, præmisso juramento Sententiam dixerunt. Imprimis via facti improbata est, quæ bella incenderet, dissensiones Regum & Regnorum foveret, per quam forsan legitimus Pontifex succumberet, nec finis imponeretur Schismati: Siquidem alterutrius victoria non persuaderet Fidelibus ipsum esse verum Pontificem. Via reductionis *Bonifacii* Romæ Sedentis Regumque, Principum, Prælatorum, ac Populi ipsi adhærentium ad Obedientiam *Benedicti*, impossibilis judicata est propter istorum obstinationem, Schismatis diuturnitatem, Prælatorum, & aliorum Virorum Ecclesiasticorum Promotiones, quod partis adversæ Principes æqualitatem servari vellent; & quod *Bonifacio* cedente ejus Obedientia *Benedictum* propterea non coleret, nec cedente *Benedicto* Rex & ejus subditi propterea parerent *Bonifacio*. Tres itaque viæ ab Academia Parisiensi jam olim Regi propositæ maturius & accuratius discussæ sunt. Via Concilii Generalis non placuit, propter difficultatem ac prolixitatem: Quia partes vocare & audire necesse fuisset; & quælibet pars alteri parti suspecta extitisset, nec ad eum accessisset adversa Obedientia, cui Pontificia Dignitas frequentioribus suffragiis esset adjudicanda; quia Sententiam a Schismaticis latam objecisset, adeoque irritam. Via compromissi non minoribus obnoxia difficultatibus visa est, tum quoad Arbitrorum electionem, tum ratione rei de qua agebatur, quæ utpote spiritualis sub compromissum vel arbitrium cadere non posse plerisque videbatur: Tum quia, si uterque contendens Pontificatu cedere se profiteretur ex hypothesi quod ita judicarent Arbitri, cessio hujusmodi conditionalis Jure nulla esset: Quia sicut consensus Paparum post electionem Canonicam debet esse purus & simplex, non recipiens conditionem extrinsecam, sic renuntiatio debet esse pura & libera, absque ulla conditione præsertim extrinseca; Tum quia verisimile non erat, quod Contendentes de via cessionis compromitterent, quorum honori magis consultum esset si libere cederent, quam ad Arbitrorum Sententiam: Tum etiam quia Arbitrorum Sententia non parit actionem, nisi approbata fuerit: Nemo vero Sententiam ab Arbitris hac in causa latam executioni mandare posset *Benedicto* & *Bonifacio* invitis, cum Superiorem non agnoscerent. Quamobrem, secundum Academiæ Parisiensis Consilium, cui Carthusienses etiam & Celestini subscripserant Ascetæ, Viam Cessionis utriusque Contendentis commodiorem, compendiosiorem, & efficaciorem esse ad Schisma extinguendum & optatissimam piis omnibus Ecclesiæ unionem procurandam, judicatum est, nec aliam exquirendam esse aut sequendam. Sic autem procedendum, ut primum ab ipso *Benedicto* & a Rege Christianissimo significaretur Obedientiæ suæ Principibus, deinde a solo Rege Principibus alterius Obedientiæ, qui hanc significationem a *Benedicto* gratam non haberent. Postquam autem illi *Bonifacio* suo cessionem persuasissent, de modo futuræ electionis agerent. Ita rem narrat Sandionysianus Monachus, e cujus Historia descripta hujusmodi Narratio, edita est Tomo VI. *Spicilegii*, pag. 74.

Via cessionis opportunior ad Schismatis extinctionem judicatur.

Oratores ad Benedictum Decimum tertium a Rege mittuntur, qui ad viam cessionis amplectendam ipsum urgeant.

Secundum hæc, Oratores ad *Benedictum* misit Rex Christianissimus Fratrem suum *Ludovicum* Ducem Aurelianensem, & Patruos *Joannem* Bituricensem & *Philippum* Burgundiæ Duces, cum selectis Prælatis, Proceribus, ac Doctoribus, qui ipsum ad Viam Cessionis amplectendam urgerent. Sed hebdomadum spatio ea de re cum ipso actum est: At ille Regis, Cleri Gallicani, & Academiæ vota multiplici tergiversatione elusit; hanc viam se rejicere declarans, quod nec a Jure statuta esset; nec a Patribus usurpata, quin immo aliquando repulsa, possetque non solum in Dei offensam, damnum Ecclesiæ, exempli perniciem, contemptum clavium, & censuræ ac libertatis Ecclesiasticæ læsionem, sed etiam in scandalum Prælatorum, & aliorum Catholicorum Principum, Christique Fidelium suæ Obedientiæ ignominiam redundare. Ipse cum Æmulo, & utroque Collegio in locum idoneum ad hoc eligendum sub fide & secura Protectione Regis Christianissimi convenirent, de Ecclesiæ unione acturi, & tunc se viam seu vias convenientes declaraturum, quibus unio tam optata procurari & consummari posset. Si hac via concordia iniri non posset, eligerentur utrimque viri probi & erga Ecclesiæ pacem bene affecti, qui auditis & examinatis juris & facti utriusque partis rationibus, pronuntiarent quis legitimus esset Pontifex. Si vero hac etiam via Schisma finiri non posset, se propositurum, aut accepturum vias rationabiles, honestas & juridicas, per quam, seu quas sine Dei offensa, exempli pernicie, ac Ecclesiæ Romanæ & Fidelium scandalo, pax Ecclesiæ sanciretur. Hanc responsionem in forma diplomatis Serenissimis Ducibus significari jussit Avenione die vigesima Junii anno 1395. quam & altero Diplomate confirmavit die vigesima octava ejusdem mensis. Utrumque editum est Tomo sexto *Spicilegii* pag. 126. & 130. *Benedicti* responsionem Cardinales vehementer improbarunt, viamque Cessionis a Rege propositam præ cæteris quibuscumque viis se elegisse

Benedicti Responsio.

gisse

gisse & eligere tamquam breviorem & utiliorem ad Schisma tollendum, eamque se consulere *Benedicto* XIII. publicis literis, singulorum subscriptione munitis sunt contestati; seque in hujusmodi proposito cum Rege constanter permansuros, ac illius executionem, pro suo Jure & officio promoturos. Hoc instrumentum editum est Tomo sexto *Spicilegii*, pag. 131. Tractatum Regiorum Oratorum cum *Benedicto*, summam Orationis ab *Ægydio de Campis*, Sacræ Facultatis Parisiensis Doctore in Consistorio habitæ, hoc assumpto Themate: *Viam veritatis elegi*, &c. *Benedicti* Responsum, Cardinalium singulas opiniones in viam unionis conspirantes, narrat Sandionysianus Monachus in Historia *Caroli Sexti*, et quæ Excerpta hanc Legationem Tractatumque spectantia in eodem *Spicilegii* Tomo, pa. 134. & sequentibus edita sunt. Quibus de rebus legendus etiam *Juvenalis de Ursinis* in ejusdem Regis Historia.

Via cessionis Cardinalibus accepta.

XXXI. Scripserat Academia Parisiensis per suos Oratores gravissimam ad *Benedictum* Epistolam (quam & Encyclicam ad universos Christi-Fideles esse voluit) qua viam Cessionis ad sedandum Schisma præ omnibus opportunam firmissimis argumentis demonstrabat, ex quadruplici radice desumptis: 1. Viæ ipsius, 2. Causæ, 3. Contendentium, 4. Ecclesiæ. Ex parte viæ, quadruplici item ratione: 1. Ob facilitatem. 2. Ob securitatem. 3. Ob perfectionem. 4. Ob honorem utriusque Obedientiæ. Ex parte causæ, quadruplici pariter argumento: 1. Ex diuturnitate Schismatis. 2. Ex probabilitate rationum utriusque partis. 3. Ex earumdem partium in rebus gestis earumque relationem pugna. 4. Ex difficultate Judicum & Præsidentiæ. Ex parte contendentium, & sempiterna gloriæ mercede ob insigne istud & heroicum charitatis opus, ex immortalitate nominis quam apud posteros tam egregio facinore consequerentur; & contra ex damnatione æterna, cujus in periculum incurrerent, si præsentissimum illud Schismatis remedium pertinaciter respuerent; & ex opprobrio atque infamia, quæ ipsorum nomini in sempiternum tempus adhæreret. Denique ex miseranda & lugubri Ecclesiæ facie, & ex assidua istius Viæ postulatione. Edita est hæc Epistola Tomo quarto Historiæ Universitatis Parisiensis, pag. 740. Cæterum nec *Benedicto* reddi potuit, nec Academiæ Oratores audientiam in Consistorio, rogantibus licet Principibus ab ipso impetrarunt; nec aliud præter verba duriora minasque ab ipso retulerunt.

Encyclica Parisiensis Academiæ Epistola.

XXXII. Quamobrem adversus Censuras ac privationes quas in ipsam, ejusque Supposita proxime decreturus videbatur *Benedictus*, Juris remedio se muniens Academia, ab ipso de omnibus gravaminibus illatis vel deinceps per se ipsum aut delegatos ab eo judices vel Executores inferendis, appellavit *Ad proximum futurum unicum, verum, orthodoxum, pacificum, & universalem Papam, ejusque Sanctam Apostolicam Sedem, seu ad illum qui de hujusmodi causa Appellationis de jure cognoscere poterit*. Hujus appellationis Instrumentum, quam *Benedicto* significandam suscepit *M. Joannes de Craona*, Procurator ab Universitate ad eum finem institutus, editum est Tomo sexto *Spicilegii*, pag. 143. & Tomo quarto Historiæ ejusdem Universitatis, pag. 803. His auditis, Constitutionem edidit *Benedictus*, qua in Procuratoris illius invectus audaciam declaravit: *Non licuisse seu licere a Romano Pontifice appellare; & Appellationem a Jure prohibitam ac damnatam esse, ac nullam, nulliusque efficaciæ existere, roboris vel momenti, ac omni Juris effectu carere*. Data est Avenione 3. Kalendas Junii, an. 1396. Quæ cum ad ejusdem Academiæ notitiam pervenisset, ab illa rursus appellavit, ac prioris Appellationis suæ vindicavit æquitatem. Diluit imprimis calumniam sibi impactam, numquam se adversus Romanam Ecclesiam rebellasse, sed eam semper coluisse, fovisse, ac pro virili defendisse contestatur: quin immo nec ipsius *Benedicti* Obedientiam excutere voluisse, quamquam ad pestiferi Schismatis extinctionem ipsum Canonice monuerit & adhortata sit ad cedendum, eo dumtaxat casu quo ejus cederet Æmulus. Appellationem ab ipso necessariam fuisse justis de causis, præcipue pro subventione Ecclesiæ miserabiliter deploratæ. Ubi de Schismate vel suspicione Hæreseos agitur, Summos ipsos Pontifices tam vivos quam defunctos Superiorem habere Judicem; vivos, Concilium Generale; defunctos, Successorem: Ab ipsis itaque appellari posse. Romanos Pontifices Prædecessorum suorum Acta sæpe correxisse vel rescidisse: *Clementem V.* Gesta *Bonifacii VIII.* emendasse: Regem Christianissimum *Philippum Pulchrum* & Ecclesiam Gallicanam, a *Bonifacio* occasione Constitutionis, *Unam Sanctam*, ad Concilium & ad futurum legitimum Pontificem appellasse: *Clementem V.* istius Constitutionis effectus suspendisse. Si Cathedra *S. Petri* Præsidentes in ea impeccabiles redderet, Appellationem a Romano Pontifice illicitam fore, quia nec fratrem Christianum gravare posset; at e contrario rem se habere. Quamobrem iterum appellat ad proximum futurum unicum, verum, orthodoxum, pacificum & universalem Papam, ejusque Sanctam Sedem Apostolicam. Secundæ istius Appellationis Instrumentum editum est Tom. 4. Historiæ Universitatis Parisiensis, pag. 821.

Academiæ Parisiensis Appellatio a Benedicti Decimi tertii Gravaminibus.

XXXIII. Interim Oratores ad Reges exteros miserat, literasque scripserat Academia Parisiensis, ut eos ad Schisma compescendum, & ad Viam Cessionis, ad id præ cæteris opportunam ac magis efficacem, urgendam excitaret. *Richardus* Angliæ Rex Parisiensium Doctorum Literas, ac Viam Cessionis ab ipsis propositam, Studii Oxoniensis examini permisit. Hanc improbarunt Oxonienses, argumentis Parisiensium respondere conati, Concilii Generalis viam potius eligendam censentes, tamquam dignitate & auctoritate cæteris quibuscumque præstantem. Prolixas ea de re literas ad Serenissimum Angliæ Regem scripsere, die 10. Martii anno 1396. quas Tom. 4. Historiæ Universitatis Parisiensis legere est, pag. 776. Oxoniensium Sententiam confutavit, & propositas ab Academia Parisiensi vias vindicavit G. Præpositus Tornacensis, in Sacra Facultate Parisiensi Doctor Theologus, tribus Tractatibus editis, qui MSS. extant in Victorina Bibliotheca. Tandem *Petrus Regis* Abbas *S. Michaelis in Periculo Maris*, in eadem Sacra Facultate Doctor, cum Alexandrino Patriarcha & Archiepiscopo Viennensi ad Angliæ Regem pro Ecclesiæ pace a Rege Christianissimo Legatus, de Via Cessionis cæteris omnibus anteponenda tam erudite disseruit, ad eamque teneri *Benedictum* vi Juramenti in Conclavi præstiti, aliisque argumentis, tam evidenter ejus Majestati demonstravit, ut eam Rex idem Serenissimus admiserit, ac auctoritate sua conjunctisque cum Rege Christianissimo studiis promovere decreverit. Dissertatio *Petri Regis* ex MS. Victorino edita est Tom. 4. Historiæ Universitatis Parisiensis, pag. 755. Ad Viam Cessionis urgendam eo maxime confirmatus est Angliæ Rex, quod missis Romam & Avenionem ad *Bonifacium* & *Benedictum* Oratoribus, cum iis quos Rex Christianissimus miserat, utrumque colludere compertum habuit, respondente *Bonifacio*, se lubenter cessurum, si *Benedictus* prior cederet, quod minime ipsum facturum certo sciebat. *Wenceslaus* etiam Rex Romanorum, Electores Imperii, Bavariæ & Austriæ Duces, in Comitiis Francofordiensibus Viam Cessionis amplexi sunt, secundum Parisiensis Academiæ Sententiam, anno 1397. Eidem quoque *Sigismundus* Hungariæ Rex, nec-non Castellæ & Navarræ Reges adhæserunt, ac Oratores miserunt ad *Bonifacium*, qui ipsi Cessionem suaderent, sed frustra: ipsos enim vel ambiguis responsis delusit ut *Theodoricus Niemes* testatur; vel aperte respondit se esse verum ac legitimum Pontificem, nec ullo modo renuntiaturum Dignitati, ut *S. Antoninus* scribit 3. P. Chronicorum Tit. 22. Cap. 3. §. 2.

Richardus Angliæ Rex Theologorum Parisiensium rationibus persuasus, viam cessionis urgere statuit.

Alii Reges & Principes cessionis viam pariter amplectuntur.

XXXIV. Anno 1398. die 22. Maii celebrari cœptus est Generalis Ecclesiæ Gallicanæ Conventus, Parisios a Rege convocatus pro extirpatione Schismatis, & prosecutione unionis Ecclesiæ: cui interfuerunt, Rege ob morbum absente, Frater ejus ac Patrui, *Ludovicus* Aurelianensis, *Joannes* Bituricum, & *Philippus* Burgundiæ Duces, *Carolus* Rex Navarræ, *Ludovicus* Dux Borbonius, Regis Avunculus, *Arnaldus de Corbia* Regni Cancellarius, aliique Principes ac Proceres Regii Consilii: *Simon Cramaudus* Alexandrinus Patriarca, undecim Archiepiscopi, sexaginta Episcopi, septuaginta Abbates, Procuratores Capitulorum sexaginta & octo, Rector Academiæ Parisiensis, cum Procuratoribus singularum Facultatum; Deputati Universitatum Aurelianensis, Andegavensis, Magalonensis, & Tolosanæ, Doctores in Theologia & in utroque Jure plurimi. *Simon Cramaudus* Concilii Præses, expositis omnibus quæ hucusque pro extinctione Schismatis, & unione Ecclesiæ procuranda gesta erant, negotium proposuit de quo deliberandum erat; an scilicet pro executione viæ Cessionis, quam Ecclesia Gallicana Rexque Christianissimus dudum susceperant, & quam *Benedictus XIII.* pertinaciter respuebat, ipsi Obedientia ex parte, vel penitus subtrahenda esset, id est, an suspensio dumtaxat subsidiorum, & collationis Beneficiorum in ipsum decernenda, an ab ejus Obedientia omnino recedendum, ejusque Jurisdictio in omnibus excutienda. Quæstio in utramque partem a

Viris

Obedientiam omnem Benedicto Decimo tertio ſubtrahendam decernitur.

Viris Doctiſſimis ventilata eſt, omnibuſque diligenter diſcoſſis, ex trecentis qui ſuffragium tulere ducenti qoadraginta-ſeptem omnem omnino Obedientiam *Benedicto* quamprimum fubtrshendam cenſuerunt, præter Univerſitates, quarum ſingulæ unius tantum ſuffragii pondus habuere: Viginti circiter decernendam quidem ſubtractionem voluerunt, ſe executionem differendam, dom *Benedictus* iterom moneretur: Circiter ſexdecim rutſus a Clero Gallicano monendum cenſuerunt, ac poſtea totam ejus Obedientiam congregandam ad deliberandum quid porro agendum eſſet. Cæteri ſingulares in ſententias abiere. Id conſtat ex Actis iſtius Conventus, quorum ſummam ex MS. Cod. Victorinæ Bibliothecæ *Spondanus* deſcripſit ad annum 1398. Num. 5. & 6. Suffragia *Petri Ravati* ſeu *Rabani*, Epiſcopi *S. Pontii*, Dominicani cujuſdam, & *Joannis de Costa* Legum Doctoris in Academia Toloſana in gratiam *Benedicti*, & pro continuatione Obedientiæ: *Simonis Cramaudi* Patriarchæ Alexandrini; *Petri Regis* Abbatis S. Michaelis in Periculo Maris, *Ægidii de Campo*, & *Petri Plaoul* Theologorum Pariſienſium, pro ſubtractione, habet idem MS. Codex, nec-non ſententiam Academiæ Pariſienſis ad Regem directa; quæ in ejuſdem Univerſitatis Hiſtoriæ Tom. 4. a pag. 831. ad pag. 847. legi poſſunt. Academiæ Sententia ſic habet: *Diſcuſſis cum omni maturitate his quæ ſunt juris & facti; juris (inquam) triplicis, divini, naturalis, & humani, nedum ſemel, ſed ſæpius, non in una Congregatione, ſed pluribus, rectis intentionibus, juſtiſque conſcientiis concluſimus, Lege Divina maxime nos ad id aſtringente, licitum, expediens, ac neceſſarium eſſe pro bono unionis Eccleſiæ, Vos, Princeps Chriſtianiſſime, ſingulosque Chriſticolas, a Benedicti ipſius Obedientia ex nunc ceſſare totaliter atque recedere. Sic non modo particulariter collationes Beneficiorum atque pecuniarum exactiones non amplius ei tolerandas aſſerimus, quod alias feceramus, immo nec aliqualem Obedientiam eidem permittendam.* Omnibus auditis, *Arnaldus de Corbia* Regni Cancellarius, Regis nomine totalem Obedientiæ ſubtractionem *Benedicto* ſine mora denuntiandam pronunciavit die 28. Julii; cujus Oratio in hujus Conventus concluſione habita, *Spicilegii* Tom. 6. pag. 153. edita eſt ex Monacho Sandionyſiano in Hiſtoria *Caroli Sexti*. Huicce Concluſioni Caſtellæ Regis Orator, qui Deliberationi adfuerat, Domini ſui nomine aſſenſum præbuit. Chriſtianiſſimi Regis Edictum de ſubtractione, quam *Benedictus* miſſo ad Regem Cardinali Pampilonenſi, prohibere fruſtra tentaverat, die 28. Julii promulgatum eſt, & in Regeſtum Supremæ Senatus Pariſienſis Curiæ relatum die 29. Auguſti. Rationes ſubtractionis in Edicto ſuo Rex explicat. „ Per opinionem (*inquit*) ejuſdem Concilii comperto inter cætera quod Excellentes in Eccleſia ſicut aſſerit Auguſtinus, parati debent vigilanter intendere, ne propter ſuos Honores ſuperbe agendo Schiſmata faciant, unitatis compage diſrupta, ſobditi vero ita obedire ipſis, ut ſemper eis Chriſtum anteponant, ne eorum vana auctoritate ſeducti, ſe a Chriſti unitate dirumpant: Quodque illi vere Schiſmata faciunt, qui contra Conſtitutiones Canonicas aliquid proterve agunt, per id Eccleſiam dividentes; immo & qui alicujus temporalis commodi, maxime gloriæ & Principatus ſui gratia, falſas & novas opiniones vel gignunt vel ſequuntur, veri Hæretici ſunt, & qui ſcindunt Eccleſiam, eadem ratione Schiſmatici. Quod inſuper Papæ etiam unico & indubitato præcipienti, & multo magis notorie facienti aliquid quo Eccleſiæ univerſalis turbatio, ſubverſio vel deſtructio ſequi veriſimiliter timetur, ſub pœna ſeu periculo peccati mortalis obediendum non eſt, cum mala futura præcaveri debeant, non juvari. Cum etiam Petro & ejus Succeſſoribus ad ædificationem, non ad deſtructionem ſit collata poteſtas. Comperto præterea quod quia duo Cootendentes prædicti pluries requiſiti ſuppliciter & juxta Evangelicam doctrinam ſufficienter moniti, refutarunt & refutant pertinaciter acceptare viam, qua ad ipſius unitatem Eccleſiæ perveniri poſſit facilius & commodius; immo & ſuis ambitionibus intenti, verſique in laqueum tortuoſum, & ubique ponentes ſcandalum, ipſam damnabiliter fugiunt integrare, ſatagentes quiſque videlicet in ſua Obedientia retinere Cathedram, quæ (ut verbis Auguſtini utamur) eo foret utique fructuoſior, quo gregem depoſita magis colligeret, quam retenta diſſiparet; cum pro parte Chriſti Epiſcopi eſſe debeant, vel non eſſe; cumque non propter eos Epiſcopi ſint, ſed propter populum cui Sacramenta miniſtrant.

Regis Edictum de Obedientia ſubtractione.

„ Quia etiam Contendentes prædicti ad obviandum hujuſmodi unitati proventus Eccleſiaſticos diſſipando, & ad id reddendo Chriſticolas ſuis corruptionibus indiſpoſitus, notorium. Schiſma faciunt, ſive fovent: ac, quantum eſt in eis, cauſam perpetuationis præbent, crimen Schiſmatis incurrendo .... Si multi Clerici a communione Anaſtaſii pro longe minori cauſa, etiam ſine Sententia & Declaratione ſe Canonice abegerunt; ſi etiam Guido Archiepiſcopus Viennenſis poſtmodum factus Calixtus II. una cum Prælatis in Concilio Viennæ aſſiſtentibus a Paſchalis II. Obedientia recedere tunc decrevit: Multo magis pro vitanda notorietate ſcandali, fautoris Schiſmatis, ſubverſionis Eccleſiæ, & animarum periculo, ambitioneque & cupidine Contendentium eorumdem, jubemur a Domino per Moyſen ab hujuſmodi praviſſimorum hominum conſortio ſeparari, ne ſimul pereamus in peccatis eorum: Cum juxta Sacrum Eloquium, Sacrificium eorum ſit panis luctus, omnes ex eo comedentes contaminans; & digni ſint morte non ſolum qui faciunt, ſed & qui facientibus quomodocumque conſentiunt. Præterea ne de cætero habeant unde hujuſmodi dolendo Schiſmati fomenta miniſtrent; cum præſertim illi non debeant aliquid nomine Eccleſiæ poſſidere, qui nolunt in pace colere Pacis Auctorem; immo utilius eſurienti panis tollitur, ſi de cibo ſecurus juſtitiam negligat, quam frangatur ut injuſtitiæ deditus acquieſcat: Totalis Obedientia eſt eis & eorum cuilibet deneganda. Nec nos & cæteros Principes Catholicos debent hominum vaniloquia, prout ait Pelagius, in aliquo retardare dicentium, quod Papam perſequimur. Errant certe: Non enim perſequitur, niſi qui ad malum cogit: ille vero qui ea, quæ male aguntur reprimit, & animarum ſalutem requirit, non perſequitur. Sed quia malum eſt Schiſma eſſe, per nos & Reges cæteros hujuſmodi opprimi debere homines, & Canonicæ Scripturæ auctoritas, & Paternarum Regularum veritas docet. Nos itaque, qui ut Reges cæteri Domino per Prophetam nunc præcipue intelligere jubemur, quando fidei murum ſic ubique aries lacerat inimici, præmiſſis omnibus & ſingulis aliis in hac parte conſiderandis, ſignanter violatione Juramenti in introitu Conclavis præſtiti .... In nomine Sanctæ ac Individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: Ex quo Contendentes ob ambitioſam pertinaciam ab eorum Obedientia repellunt cunctum populum Chriſtianum... dicentes cum Malachia: Propitius ſit nobis Deus: ab Obedientia totali ipſius Benedicti, Nos etiam, Clerus, & Populus Regni noſtri, & Delphinatus, de prædictorum vocatorum conſilio & aſſenſu recedimus, nontiamuſque auctoritate præſentium receſſiſſe. Volentes inter cætera quod ab in antea ipſi Benedicto, ſuiſque Collectoribus, & aliis Officiariis quibuſcumque, ſuis etiam complicibus, fautoribus, & ſequacibus, & procuratoribus eorumdem, nullus cujuſcumque conditionis fuerit, de reditibus, proventibus & emolumentis Eccleſiaſticis, quomodocumque & ex quacumque cauſa ſolvere ac reſpondere præſumat. Quod etiam occurrentibus vacationum caſibus, aſſumantur ad Prælaturas, Dignitates, & alia Beneficia vacantia electiva per electionem: Cæteris etiam Beneficiis providuatur per Collationem eorum, ad quos hujuſmodi electio & collatio ſpectant, adhibitis etiam ad hæc ſolemnitatibus, & aliis ſolitis ac etiam opportunis. De Beneficiis vero complicum, fautorum & ſequacium prædictorum, per Ordinarios provideatur debite, vel aliis ea concedantur in Commendam perſonis idoneis, donec alias Canonice ſit proviſum.

Cardinales Avenionenſes ab obedientia Benedicti pariter recedunt.

XXXV. Cardinales Avenionenſes, duodeviginti numero, habito inter ſe conſilio, ab Obedientia *Benedicti* pariter ſeceſſerunt, & Villam Novam citra Rhodanum, oppidum Regis Francorum ſe receperunt, Literaſque ad Regem Chriſtianiſſimum dedere 17. Septembris, quarum hæc ſunt verba: „ Conſideratis ac etiam ponderatis omnibus, quæ per veſtram Serenitatem ac etiam per nos in hac parte facta ſunt, nec-non cauſis motivis, quæ Veſtram ad hoc Sacram Majeſtatem impulerunt, aliiſque rationibus quibus in conſcientiis noſtris urgemur, multiſque inter nos habitis conſiliis & deliberationibus digeſtis: Nos omnes numero decem & octo exiſtentes, & Sacrum Collegium Romanæ Eccleſiæ facientes, unanimi & concordi omnium voluntate & aſſenſu, ea quæ per Serenitatem Veſtram, Eccleſiam & Clerum Regni veſtri & Delphinatus facta ſunt, concernentia receſſum ab Obedientia totali dicti Benedicti, collegialiter lau-

„ dav-

davimus & approbavimus, laudamus & approbamus. Nosque nihilominus a totali Obedientia ipsius recedere decernimus, recedimus, & asseruimus recessisse, & cum Serenitate prædicta concurrere in prosecutione elterius agendorum, sperantes in Domino quod ex vestro Regali præsidio suffragante, repulsis ambitionibus hominum, Thronus Dei, id ast, Ecclesia Sancta Dei, tot inundationibus concussa elevabitur in sublime, & qui post nubilum dat serenum, inclytam sponsam suam oculo clementiori ex alto respicit, non ferens eam in sui nominis injuriam diutius conculcari.

Benedictus Denmus tertius ad cessionem urgetur.

XXXVI. Dum Parisius de Subtractione Obedientiæ ageretur, *Bussicaldus* Polemarchus a Rege missus ut *Benedictum* ad cessionem armorum terrore cogeret, obsessam primum Avenionem paulo post de consensu civium ingressus fuerat, ipsumque polliceri compulerat, numquam se e Palatio eciturum, quin pax Ecclesiæ reddita esset. Qua de re tam Cardinales quam cives sponsores se ac fidejussores constituerant, ac propterea custodias adhibuerant. Suadente postea concordiam per Oratores Aragonum Rege, ad eas conditiones adductus est *Benedictus*, ut causam suam potastati Christianissimi & Aragonii Regum permitteret. Hoc accepto responso, Oratores Lutetiam, ut in mandatis habebant, profecti sunt, ea de re cum Rege & ejus Consilio deliberaturi. Mature discusso negotio, convenit, et si *Benedictus* promitteret, cedente, vel mortuo, vel ægroto Æmulo renuntiare, & ad Conventum pro Ecclesiæ unione celebrandum se conferre, interimque a palatio, vel alio loco ubi ejus mansio conducibilis videretur, sine consensu Regum non recedere: Christianissimum Regem curaturum ut Cardinales & cives Avenionenses a quacumqua via facti in ipsum cessarent, illum una cum centum familiaribus ac domesticis, in tutelam suscepturum, ejus securitati rebusque ad vitam commode agendam necessariis provisurum, salva semper obedientiæ subtractione, cui derogare non intendebat ejus Majestas. Hæc Regiis Oratoribus ægre admodum promisit *Benedictus* mense Aprili anni 1399. mansitque in palatio ab omni vi & injuria securus, sed adhibita foris custodia ne suo arbitrio recedere posset. Ista constant ex *Froissardo*. ex *Zurita* Hispano Scriptore, ex MSS. Victorinæ Bibliothecæ & ex *Juvenali de Ursinis*. Sic arctatus *Benedictus*, Epistolam scripsit ad Regem, ad excitandam commiserationem aptissimam, quæ apud *Gersonium* in Trilogo de Schismate legi potest, Tom. 1. Oper. pag. 506. Ea tempestate varii Commentarii pro Subtractione & contra Subtractionem a Viris Eruditis editi sunt. Ipsam egregio Tractatu propugnavit *Simon Cramaudus* Alexandrinus Patriarcha, oppugnavit *Nicolaus de Clamengiis* jam addictus *Benedicto*, cui ab Epistolis fuit. Qua de re Epistola ipsius 17. ad *Carolum Sextum* Regem Christianissimum elegans sane ac vehemens legenda est, post annos quatuor data. Sed præ ceteris Subtractioni adversata est Academia Tolosana, *Benedicto* quam Ecclesiæ paci magis addicta, quæ petulantissimam Epistolam ad Regem scripsit de ejusdem Subtractionis vitio & injustitia, deque Obedientia *Benedicto* restituenda; Subtractionem tanta deliberatione tantaque solemnitate factam ab Ecclesia Gallicana, & aliis ex Parisiensis Academiæ consilio, eno studio Schismatis abolendi, leoninam, cruentam, fallacem, perfidam, prævaricatricem, perniciosissimam, rapidam, viperinam, monstruosam, Schismatis & hæresis genitivam, a Patre mendacii procuratam, legis divinæ abrogativam; Regem ipsum ejus auctorem, infamem; ipsius Procuratores crudeles, perniciosos, Schismaticos, ignorantes, ignominiosos, furibundos, viperarum progeniam, Hæreticos, parricidas, appellare ausa, similibusque conviciis insectari, quæ trivium quam Academiam, scurras quam Doctores magis redoleant. Ex MS. Regalis Abbatiæ Sancti Victoris Parisiensis edita est Tomo 5. Historiæ Universitatis Parisiensis ad annum 1402. pag. 4. Contra istam Epistolam editi fuere varii Tractatus, quorum duo præ cæteris accurati in eodem Codice habentur, quorum etiam meminit *Spondanus* ad eumdem annum num. 6. unus G. Præpositi Tornacensis ad Ducem Burgundiæ, alter Auctoris Anonymi ad *Carolum Sextum* Regem Christianissimum. Eidem Epistolæ respondit Academia Parisiensis, ac Responsionem Regi obtulit, quæ inserta ast Dialugo *Gersonii* in Materia Schismatis, in qua hæc animadversione digna, ad Subtractionis justitiam comprobandam. „ Quantum licet dubitare de D. Benedicto an perdiderit jus in Papatu, aut quod Obedientiæ ad ipsum est Ecclesia pestifera, tantumdem fas est ab ejus Obedientia secedere. Neque enim negabitis, quoniam pro culpa Hæresis aut Schismatis Papa fieret inferior quolibet Christiano. Jura sunt ad hoc plenissima. Neque præterea latet vos, Potestatem Papalem datam esse in ædificationem Ecclesiæ non in destructionem: Quo abusa in destructionem Ecclesiæ notorio existente, non-ne exemplo Pauli resistere in faciem gerenti sa pro Papa liceret? Nonne sibi dici posset, Cur ita facis? Et, o Deus arbiter æquissime! quo pacto mirantur istud quidam hominum, cum in rebus longe minoribus id licere fieri magno assensu concederent? Si enim palatium suum, sive Civitatem suam Papa facibus accensis pro sua libidine quæreret concremare: Si Paganos armatos, si agrorum depopulatores moliretur apud Christianos intromittere (etiam ubi nihil prædicaretur adversum) si Virgines ingenuas, aut matronas honorabiles violare satageret; quis tam indulgentissimus umquam aut blandus adulator ad Papam fuit, qui negaret his ausibus obviandum esse? Quis Papam ipsum si verba non sufficerent, diceret non debere factis arceri? Jure naturali conceditur vim vi repellere: Ideoque conceditur personæ singulari fas esse Papam aut Regem ligare, vel carceri mancipare, eis injuste persequentibus hanc personam, si sibi non aliunde pateret propriæ mortis aut impudicæ violationis effugium. Si hoc in damnis corporalibus tam liquidum est, quid de spiritualibus incommodis longe gravioribus relinquitur æstimandum? Jungamus hanc rationem ad rem quæ agitur: Si subtracti habuerunt probabiles vehementesque conjecturas, aut certas rationes, ex his quæ facta sunt, quod Dominus Benedictus adversabatur Ecclesiasticæ unitati, numquid non bono fine & intentione poterat hæc fieri Subtractio? Quæritis quo pacto? Sic quippe ut non assumeret Obedientiam sibi factam in valamen aliquod nequitiæ aut protelationis Schismaticæ pravitatis; idque mille mediis, aut continuando honores suos sine procuratione unionis, aut promovendo sibi faventes in hac libidine dominandi, aut nunc aperte, nunc occulte non faventes sibi, persequendo … Nullas legum interpretationes subdolas aut fictas adducimus: solis innitimur regulis Juris divini & naturalis. Hæ sunt regulæ quas Summus Ecclesiæ Prælatus propter Ecclesiæ utilitatem stabilivit: Quod Papæ, si apostatet a fide, resistendum est in facie: & si non recte ambulet ad veritatem Evangelii: Quod vim vi licet repellere: Quod Deo magis est obediendum quam hominibus: Quod bonum publicum præferendum est particulari. Istis (inquam) innitimur, non (ut falso criminamini) talibus: Quod facienda sunt mala ut bona eveniant: Quod persequendus est Papa verus, ut Schismaticis salus detur: Nondum ita vestri similes sumus, ut ita desipiamus. Quid ergo multos turpiter involvunt Sophismata, dum nimis fugiuntur? Quia enim videre nequeunt quomodo Papa verus aut pro tali habitus, desinere possit esse Papa, aut non habendus est pro tali, ipsi non capiunt qua ratione Subtractio possit, immo & debeat in casu, justissima reputari. Hoc est (inquiunt) inobedientem esse; hoc est persecutorem Capitis existere; cum tamen nulla secessio a Capite dici debeat inobedientia, nisi legi divinæ fuerit contraria. Est autem divina lex jubens recedere a tabernaculis impiorum; jubens fratrem, postquam audire noluerit Ecclesiam, habendum esse sicut Ethnicum & Publicanum; jubens præterea oculum aut membrum aliquod eruendum esse, ne totum corpus sua contagione depravet: Quæ divina jussio qualiter ad rem, quæ tractatur, adaptari debeat, insinuatum est „. Addit Academia Parisiensis, Tolosanorum Epistolam, quæ libellus famosus verus appellari meretur, multa complecti, quæ si ad severum examen vocarentur, de errore in fide, de crimine in bonis moribus, de inobedientia læsæ Majestatis Regiæ, & aliis pluribus damnanda parerent. *Quæ omnia elisadere* (inquiunt Academici) *sicut & principalem causam nostram justificare, parates non asserimus, quantum & quemadmodum Tu, REX SAPIENTISSIME, jusseris, qui hactenus nos individuos Coadjutores tuos assumere dignatus es: Neque enim diversum a Te quidquam agere, fas putat discretio nostra.* Tum Oratione ad Studii Tolosani Magistros conversa, perperam & imprudenter eos a communi Regis & Regni consilio discessisse ostendit. „ Itaque petimus rationem, Fratres, quo fructu, quave utilitate complacuerit sejungi a communi Regis & Regni

Obedientia subtractio contra Tolosana Academia Epistolam propugnata.

„ gni consilio? Periret quippe omnis politus ordo, si ea quæ communi sunt assensu conclusa, quilibet pro suo motu capitis vel inculpare, vel ad novam censuram revocare contenderet. Ubi enim fuit unquam tam aperta, tam concors Sententia, quæ non adversis calumniantium linguis carpi posset; aliis amore, aliis ignorantia, aliis sola contrariandi protervia, aut pruritu novas res moliendi vexatis? Sed neque Conciliis Generalibus præstitus est olim assensus unanimis taliter ut non ex aliqua parte contradictores invenirentur. Æquum est idcirco legibusque & consuetudine sancitum, ut in ore majoris partis stet omne Communitatis judicium. Alioquin si cuilibet assidue fas esset obniti, nihilo plus ageretur, quam si inter naucleros ejusdem navis odiosum continuaretur jurgium, illis velum tendere, istis laxare; illis dextrorsum, aliis sinistrorsum ex adverso conari, implacabili animositate tentantibus. Deliberatione enim majoris partis acceptata, nonne consultius est ei vos opem ferre, vel nequaquam pertinaciter adversari, & ita portum qualemlibet attingere, quam sub dubia spe melioris portus confundere interim omnia seditione certissima? Multa proinde tolerari debent jam facta, quorum incœptis contradicere dignum erat. Esto, vobis appareant, vel forte sint saniora consilia: nihilominus apud communitatem, cujus estis pars parva, ambulantem in opposita sententia, quid prodest tractus vester pertinax aliorsum? Immo quid aliud operatur quam contentiones, scandala, animositates, & disturbia ad rem omnem, quæ agitur, salubrius finiendam? Negotium aliquod grande, priusquam conclusione firmetur, opus habet consultatione, in qua sit animus in consulendo liber. Porro acceptata conclusione, tunc est tempus faciendi, non dijudicandi. Quod si opposueritis præceptum Domini, Ut non peccet aliquis sequendo multitudinem: Hoc de criminibus, quæ bene fieri nequeunt, intelligi necesse est: Non enim talia unquam licere faciet quantuslibet numerus peccantium & stultorum. At vero secus est in eis quæ fieri bene possunt; quibus conscientiam propriam ad aliorum formare judicium, quandoque licitum, quandoque debitum est; qualiter esse dicimus in proposito, ubi ea quæ in facto sunt, non quæ Fidem immediate respiciunt, ventilantur.

Obedientia Benedicto Decimo tertio quibus conditionibus restituta.

XXXVII. Anno 1403. Avenione, ubi inclusus in Palatio tenebatur, *Benedictus* evasit auctoritate & favore Ducis Aurelianensis, arte *Roberti Bracquemontii* Nobilis Normanni. Mox datis ad Regem Christianissimum, cæteros Principes, ac Parisiensem Academiam Literis, scripsit, Se ea, quæ pro resarcienda Ecclesiæ pace olim spoponderat, fideliter adimpleturum. Hinc restituta ipsi a Cardinalibus primum & civibus Avenionensibus Obedientia est. Rex Castellæ, ex Conventus Vallisoletani Sententia eidem se subjecit. Idem in Galliis a Rege factum, rem præsertim urgente ipsius Fratre Duce Aurelianensi, qui *Benedicti* totus erat. His porro conditionibus ipsi restituta Obedientia: 1. Quod Scripto declararet, se acceptam habere viam cessionis Æmulo cedente, mortuo, vel ejecto. 2. Quod omnes injuriæ occasione Subtractionis ultro citroque factæ condonarentur. 3. Quod intra annum convocaret Concilium universale suæ Obedientiæ, in quo de prosecutione unionis, de Ecclesiæ libertatibus, de subsidiis & oneribus impositis a Pontificibus Clero Gallicano, ageretur: cujus Concilii Decreta ab ipso *Benedicto* religiose servarentur. Id constat ex Monacho Sandionysiano in Historia *Caroli Sexti* Lib. 23. Cap. 4. 5. & 6. ex MS. Victorino, & ex Schedula die 28. Maii ejusdem anni in Basilica Principe Deiparæ Virginis promulgata, quæ ex eodem MSS. edita est in Historia Universitatis Parisiensis, Tom. 5. pag. 64. Edictum Christianissimi Regis de Restitutione Obedientiæ *Benedicto* facta, datum die penultima Maii ejusdem anni, ibidem legere est, pag. 66. Hoc Edictum toto Regno promulgari jussit, cum Dux Aurelianensis a *Benedicto* redux retulisset ipsum conditiones in Schedula, cujus supra meminimus, præscriptas approbasse, ac Diplomate confirmasse, ut ex Regiis Literis compertum est, ibidem editis, pag. 69. Eodem animo Rex & Ecclesia Gallicana Obedientiam *Benedicto* restituerunt, quo subtraxerunt, studio scilicet Ecclesiasticæ pacis; cum ille ad cedendum Pontificatu se obstrinxisset, quo ex promisso spes certissima de Schismatis extinctione concipiebatur. Sed solæ verba dedit, conditiones a se acceptas violavit. Una ex illis erat confirmatio electionum, consecrationum, collationum, quæ tempore Subtractionis ab Ordinariis factæ fuerant; ad quam se difficilem præbuit. Eam ob rem missi ad ipsum a Rege & ab Academia Oratores, quorum unus erat Venerabilis *Gersonius* ejusdem Academiæ Cancellarius, cujus Oratio ad *Benedictum* habita Massiliæ sub hoc Themate: *Benedic hæreditati tuæ*, die 9. Novembris, habetur Tom. 1. Operum ipsius, pag. 270. Coram eodem Sermonem habuit solemni die Circumcisionis Domini Tarasconæ, ubi & *Quatuor Considerationes de Pace* ex sacro Suggestu exposuit.

Considerationes de Pace, a Gersonio e sacro suggestu coram Benedicto Decimo-tertio expositæ.

Prima Consideratio: *Finis Politiæ Ecclesiasticæ, & cujuslibet legis eam regulantis, est pax salutifera.* Hanc explicans, opiniones *in perniciem Ecclesiæ & pacis salutiferæ* adinventas perstringit; ut *Quod non licet disputare de potentia Papæ. Quod non potest ipsi dici: Cur ita facis? Quod non potest in aliquo casu Ecclesia sine eo convocari vel aggregari. Quod hic est Fidei Articulus: Benedictus est Papa:* (exempli gratia) *Quod non potest in aliquo casu ad Concilium Papa vocari. Quod absque eo non stat salus*, &c.

Consideratio Secunda: *Qualibet in Ecclesiastica Hierarchia Potestas in pacem salutiferam ordinatur.* Laudat verba studium Ecclesiasticæ pacis præ se ferentia, quæ ab ore *Benedicti* non semel audivit: *Paratus sum* (inquiebat Hypocrita insignis) *etiam usque ad mortem vel immolationem proprii corporis, si ita res exigat, Ecclesiasticam unionem procurare; quanto amplius usque ad proprii Status abdicationem?* Viam cessionis in casu necessariam esse probat ex his *S. Dionysii Alexandrini* verbis in Epistola ad Donatum: *Si invitus, ut ais, ad hoc venisti, ostendis in eo, si dimittis volens. Oportuerat quidem etiam pati omnia ne scinderetur Ecclesia Dei. Et erat non inferior gloria sustinere Martyrium pro eo ne scinderetur Ecclesia, quam est illa, ne Idolis immoletur; immo majus hoc puto Martyrium esse quam illud, quia unusquisque pro sua tantum misericordia, in hoc vero pro omni Ecclesia Martyrium sustinet.*

Consideratio tertia: *Quilibet rationis capax obligatur secundum vocationem suam, pacem Ecclesiæ salutiferam procurare; Ille orando, hic disputando, hic prædicando, hic exhortando, hic agendo, vel quolibet alio modo.* Considerationem hanc explicans, ait, quod observatione maxime dignum est: *Stat aliquem adhærentem justæ parti plus esse de Schismate culpabilem, quam alterum qui adhæret parti falsæ; ut si primus aliqua passione vitiosa tractus obsistat quominus fiat pax, nec audire paratus sit Ecclesiam: Alius quærat cum omni solicitudine vias pacis, promptum habens animum obediendi Ecclesiæ Judicio, seu veritati, dum sibi claresceret. Ea namque quæ dissensionem afferunt in præsenti Schismate, sunt talia quæ in facto maxime consistunt; in quibus errare sine periculo salutis potest non solum iste vel ille; sed etiam in talibus Ecclesia fallere dicitur & falli. Porro manifestari potest ex radice hac quales excusantur a vitio Schismatis; Et quod stat scire quod Schisma est in Ecclesia, & tamen nescire quis in ea sit Schismaticus.*

Consideratio quarta: *Tantum est pacis salutiferæ bonum, ut pro ejus adeptione neque mundanus honor, neque status, neque gradus, neque propria utilitas debeant aliquem deterrere, & nihil prorsus nisi peccatum contra legem Dei æternam.*

Benedictus Decimus-tertius studium pacis ostentat, missis Romam Oratoribus cum Bonifacio Nono tractaturis.

XXXVIII. Anno 1404. *Benedictus* orbi Christiano persuadere volens se pacem Ecclesiæ ex animo optare, Episcopos S. Pontii & Malleacensem, & Electum Ilerdensem, cum Abbate *S. Facundi*, necnon *F. Bertrando Radulphi*, Ordinis FF. Minorum, & *Francisco de Pavo* Viro Nobili, Massilia Romam ad *Bonifacium IX.* ibi sedentem de pace tractaturos misit. Romam ubi pervenere, ad eum admissi rogarunt coram Cardinalibus illius Obedientiæ, ut ambo simul Pontifices commodum convenirent in locum, de unione acturi ad quam *Benedictus* paratissimus esset. Responsum in diem alteram distulit *Bonifacius*. Gratum illud Oratoribus non fuit; verbisque durioribus hinc inde prolatis, ut *Theodoricus Niemus* testatur, *Bonifacius* in ipsos commotus, ad acerbum calculi dolorem accedente febri, obiit Kalendis Octobris. *Benedicti* Nuntios Præfectus Arcis S. Angeli eadem Arce conclusit, *Bonifacio* mortis causam extitisse calumniatus, nec ante libertate donavit, quam florenorum quinque millia solvissent:

Bonifacii Noni obitus.

Hujus Obedientiæ Cardinales, quantum potuere, adhortati sunt, ut a novi Pontificis electione abstinerent, quo via ad Ecclesiæ unionem commodior pateret; sed auditi non fuere, quod existimarent illi

hæc ab ipsis subdole proponi, ut *Benedicti* causam promoverent. Conclave igitur ingressi Cardinales octo, ante omnia Juramento se obstrinxerunt, ut quisquis ex eorum Collegio Pontifex renuntiaretur, libera se Pontificia Dignitate abdicaret, cum alterius Obedientiæ Pontifex ad extinctionem Schismatis idem præstaret. Interim de *Bonifacii* obitu, & Nuntiorum a *Benedicto* missorum detentione certior factus Rex Christianissimus, ad Cardinales illius Obedientiæ literas dedit, rogans, ut a Successoris electione abstinerent, saltem donec Oratores suos ad eorum Collegium misisset: utque Nuntios missos Romam a *Benedicto*, ac ibi contra Jus gentium & fidem Salvi Conductus, priusquam Urbem ingrederentur, concessi detentos pristinæ libertati restitui curarent. Hæ Regis Literæ Tom. 6. *Spisilegii*, pag. 159. editæ sunt. Antequam vero Romam pervenissent, Pontifex electus est *Cosmatus Melioratus* in sua Obedientia *Innocentius Septimus* appellatus. Hic ad Academiam Parisiensem Literas dedit, die 17. Februarii anni 1405. quibus propensum ad extinctionem Schismatis animum demonstrabat, & quæ in *Benedicti* Oratores acta erant, excusabat. Hæ *Innocentii Septimi* Literæ in eodem *Spicilegii* Tomo, pag. 171. legi possunt.

Regis Christianissimi litera ad Cardinales illius Obedientiæ.

Innocentii Septimi electio.

Benedicti & Innocentii collusio.

XXXIX. Eodem anno *Benedictus* unionis studium præ se ferens, mense Majo Genuam navigavit. Sed cum petitis ab *Innocentio* Viterbii tunc agente liberi commeatus literis pro Nuntiis quos ad ipsum missurus esset, qui de unione cum ipso agerent, eas *Innocentius* fraudem suspicatus denegasset, occasionem unde *Benedictus* arripuit de sua in unionem propensione gloriandi, pervicacem Æmulum se invenisse effutiens, & literas quoquoversum adversus illum dirigens, quas *Innocentius* contrariis Epistolis refellebat, revocans in dubium, an verus & legitimus Pontifex, qualem se existimabat, de unione agere deberet cum intruso. Qua de re eum male apud plurimos audivisse *Theodoricus Niemus* refert; & utrumque arguit quod malis artibus inter se colluderent, ne cedere cogerentur.

Academia Parisiensis postulata.

XL. Anno 1406. Cum *Antonius de Chalanto* Avenionensis Collegii Cardinalis a *Benedicto* missus ad Regem, ut novos in ipsum Parisiensis Academiæ motus compesceret, ab ejusque Majestate impetraret ne Doctores audirentur; multa in Latina Oratione qua Regem & Principes fatigavit, adversus eos dixisset qui Subtractionem Obedientiæ antea persuaserant, & *Benedictum* ad Cessionem urgebant; Magister *Joannes Parvi* in Sacra Facultate Parisiensi Doctor Theologus, ejusdem Academiæ nomine coram Rege ejusque Consilio Cardinalis Orationem confutavit, *Benedicti* ludificationes palam exposuit, triaque ab ejus Majestate postulavit: Primo ut Tulosanorum Doctorum Epistola contra Subtractionem Obedientiæ quatuor ab hinc annis scripta, ut Regi pariter & Ecclesiæ Gallicanæ injuriosa damnaretur. Secundo ut eadem Ecclesia liberaretur ab exactionibus, quibus ipsam *Benedictus* opprimebat: Tertio, ut Subtractio Obedientiæ olim ipsi facta innovaretur. Proceribus varia in studia distractis, in eam tandem omnes convenere sententiam, ut Edicto Regis negotii difficillimi Judicium ad Supremam Senatus Parisiensis Curiam remitteretur. Causam orarunt Magistri *Petrus Plaoul* & *Joannes Parvi* Doctores Theologi. Ille contra Tolosanæ Academiæ Epistolam; hic adversus *Benedictum*, a quo ut subtraheretur iterum totalis Obedientia postulavit, cum eas non implevisset conditiones, quibus ipsi fuerat restituta. Unum id ad unionem Ecclesiæ maturandam remedium superesse. Academiæ postulatis ut Patres annuerent, institit *Joannes Juvenalis de Ursinis* Regius Advocatus. Cum autem *Benedicti* Defensores moras necterent, jubente Rege Jus ut Academiæ diceretur, tribus Senatusconsultis causa finita est. Primum die 17. Julii pronuntiatum, Academiæ Tolosanæ Epistolam igne damnavit. Alterum die 7. Augusti datum, pecuniarum subtractionem *Benedicto* fieri decrevit. Utrumque Regio confirmatum Edicto est, quod in Historia Parisiensis Universitatis legitur pag. 120. & 127. Tertii capitis ab Academia propositi discussio, subtractionis scilicet renovandæ, ad Ecclesiæ Gallicanæ post Festum omnium Sanctorum Parisios congregandæ Cœtum remissa est.

Senatus consulta.

Ecclesiæ Gallicanæ Conventus.

Frequens Prælatorum Conventus ad Festum *S. Martini* in Palatio habitus est coram Rege, Delphino, Principibus, Proceribus, & Senatu. Adfuere Archiepiscopi & Episcopi sexaginta-quatuor, Abbates centum & quadraginta, Doctorum ex omnibus Regni Academiis ingens numerus. Utque Juris ordo servaretur, selecti sunt sex viri eruditione præstantes qui pro *Benedicto*, totidem qui pro Academia causam dicerent.

Pro Academia inprimis perorarunt Magister *F. Petrus ad Boves* Theologus Parisiensis Ordinis FF. Minorum, hoc assumpto Themate: *Adestis omnes filii Israel, decernite quid facere debeatis* (Judic. cap. 22.) Ejus Orationis Summa fuit, Prælatos in Concilium convenire posse, ut Ecclesiæ succurrant, si forte Romanus Pontifex eam perturbaret, offenderet, aut pessumdaret. Fas ipsis esse illi resistere, & circa illius gesta deliberare ac Sententiam dicere. Reges Christianissimos auctoritatem habere convocandi Synodos Ecclesiæ Gallicanæ, etiam ubi de fide agitur, idque ex Historiæ monumentis esse manifestum. *Petrum de Luna* Pontificatu cedere debere; alioqui ab ejus Obedientia secedendum. Regem decernere posse ut interim in Ecclesia Gallicana Beneficiis electivis electione canonica, cæteris collatione ab Ordinariis provideretur.

Eodem collineabat Magistri *Joannis Parvi* in Sacra Facultate Doctoris Oratio sub hoc Themate: *Recedite a tabernaculis impiorum hominum, & nolite tangere ea quæ ad eos pertinent, ne involvamini in peccatis eorum.*

Sabbato ante Dominicam primam Adventus, *Simon Cramaudus* Patriarcha Alexandrinus & Episcopus Pictaviensis peroravit hoc assumpto Themate ex *Ozeæ* 1. Cap. *Et congregabuntur filii Juda, & filii Israel pariter, & ponent sibimet Caput unum*, &c. Neutri Contendentium parendum esse demonstravit. Summum Pontificatum ad unionem in Sancta Ecclesia conservandam institutum esse. Errare, qui Episcopos in Synodo congregatos hujus causæ Judices esse negarent. Incommodis obviam iri posse Appellatione ad Concilium Generale. Interim in causis ordinariis Appellationes ab Episcopis ad Metropolitanos, a Metropolitanis ad Primates dirigendas. Convenientius fore ut causæ Ecclesiasticæ in ipso Regno finirentur, in Conciliis Provincialibus Jure communi celebrandis, quam extra deferrentur. Dispensationes Subtractionis tempore ab Ordinariis concedendas ea lege ut ii quibuscum fuerit dispensatum, ad Summum Pontificem redeant ratihabitionem postulaturi, cum Ecclesiæ provisum fuerit. Cæterum melius Ecclesiæ fore, si dispensationes minus frequentes essent.

Die Lunæ sequenti, Magister *Guillelmus Filastrius* Doctor in utroque Jure & Ecclesiæ Rhemensis Decanus, pro *Benedicto* dixit, hoc sumpto Themate: *Manete in dilectione mea.* (Joan. 15.) *Benedictum* ad Cessionem cogendum non esse, nec ab ejus Obedientia secedendum, Oratione vehementi ostendit. Cum vero Regis & Ecclesiæ Gallicanæ auctoritatem imminuere visus esset, Regemque Pontifici in temporalibus etiam subjicere, altera die veniam a Rege humillime postulare compulsus est; palamque profiteri, Regem nullum in temporalibus Superiorem in terris agnoscere. Regnum a nemine mortalium tenere, nullique obnoxium esse. Imperatoriam Auctoritatem ac Dignitatem in ditionibus suis habere, mixtam ejus Potestatem esse, mediumque inter spiritualia & temporalia locum obtinere.

Sabbato sequenti 4. Decembris, *Amelius de Brolio* Turonensis Archiepiscopus pro *Benedicto* peroravit hoc sumpto Themate: *Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham, quoniam Dii fortes terræ vehementer elevati sunt.* (Psalm. 45.)

Undecima Decembris, *Petrus de Alliaco* Episcopus Cameracensis pro *Benedicto* dixit, hoc sumpto Themate: *Pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra & intelligentias vestras.* (Ad Philipp. 4.) Concilium Generale istius Obedientiæ congregandum ostendit, cæteras vias propositas minus convenientes aut impossibiles esse.

Pro Academia Parisiensi disseruit *Petrus Regis* Abbas S. Michaelis in Periculo Maris præsente Rege, hoc sumpto Themate: *Da nobis auxilium de tribulatione, quia vana salus hominis.* (Psalm. 107.) Summo Pontifici jure obsisti posse probavit, ad unionem Ecclesiæ procurandam. Papam Conciliorum Generalium Decreta immutare non posse, sed ad eorum observantiam teneri &c.

Die 15. Decembris, Magister *Petrus Plaoult* Doctor Theologus & insignis Ecclesiæ Parisiensis Canonicus, patria Leodiensis pro Academia peroravit hoc sumpto Themate: *Convertantur retrorsum omnes qui oderunt Sion.* De Regis potestate similibus in causis præclare dixit. Nullum hominem mortalem Corporis Mystici Christi, quod est Ecclesia, Dominum esse probavit. Summum Pontificem errare posse, sicut

& pec-

& peccara. Ministrorum Ecclesiæ Primum asse, & ipsos corrigendi auctoritatem habera, si officio suo dasint. Hunc spectari possa, val ut Romanæ Ecclesiæ quasi privatæ Diœceseos Episcopum, vel ut Ecclasiæ Romanæ, quatanus per *Sancti Petri* Sedam cæterarum Caput affecta est. Hac ratione ipsum Ecclesiæ Universali præesse. Illam esse Sedem Apostolicam, quæ errara non potast. Subtractionis tempora cum Sada Apostolica fore conjunctos, qui Sedenti in ea non adhæserint; quia secassio ab Obedientia utriusqua Contendentis ad unionam Ecclasiæ procurandam decernetur, cujus semper erunt, qui nautrius erunt Pontificis. Ista constant ex Monacho Sandionysiano Lib. 26. *Joanne Juvenali de Ursinis* in Historiam *Caroli Sexti*, & MSS. a clarissimo Viro *Dionysio Godefrido* dafloratis in Obsarvationibus ad Historiam *Caroli sexti*.

XLI. Die 20. Decembris, *Joannes Juvenalis de Ursinis* Ragius Advocatus peroravit hoc sumpto Themata: *Viriliter agite & confortetur cor vestram, omnes qui speratis in Domino*. (Psal. 26.) Regem Christianissimum, qui *dexterum Ecclesiæ brachium* est auctoritatem jusque habera probavit Regni sui Clerum congregandi ad Consilium da Ecclesiæ negotiis exquirendum: & ejusmodi Convantui præessa *tamquam Caput*: * Idque præstara posse nemina postulante, quotias axpedira judicat: Ibique da agendis deliberara, & executionam eorum imperare quæ illo in Consilio deliberata, ac dacreta erunt. Rationibus atiam gravissimis ostendit, Parisiensis Academiæ postulatus contra *Benedictum* annuendum esse.

** Non Ecclesiæ, sed Regni, cujus & Vivi Ecclesiastici membra sunt.*

His ita disceptatis, Gallicani Præsules postridia eodem in loco congregati Santantiam dixere. Visum omnibus est, Concilio Ganerali opus essa *ad Reformationem Ecclesiæ in Capite & in membris*. Decratumque, secassionam a *Petra de Luna* iterum faciandam: Interim Ecclasia Gallicana suis Legibus regeretur, ac antiquis Libertatibus frueretur: Ordinarii Beneficia Ecclasiastica conferrent, quæ ad eorum collationam spectabant; electivis secundum Jus antiquum via electionis & confirmationis provideretur. Ita refert *Joannes Juvenalis de Ursinis*, in Historia *Caroli sexti*. Parisiensis Academiæ Propositionas & Conclusiones, Generali Ecclesiæ Gallicanæ Cœtui dia 3. Januarii traditas, Consiliumqua Regi datum legare est Tom. 5. Historiæ ajusdam Universitatis p. 135. 136 & 137.

Obedientiam Benedicto XIII. iterum subtrahendam esse decretum est.

Christianissimum Ragem his verbis Viri Academici alloquuntur. „Non sumus, Christianissime Princeps, non „sumus talibus rationibus instituti, ut in hac totius Ecclasiæ causa, ax qua salus tot gantium pendat, na„turæ legibus ac Raligioni nostræ non pareamus, qui„bus edocamur illis obsistare, qui dum tenant Ecclasia„rum gubernacula, nagligantia, ambitione, Schismata, „Hæresi, sunt pene omnibus miserabilam pestam al„laturi. Itaque quoniam D. Benedictus in hac mataria „de veritata pertinaciter rennit informari & sufficiantar „informatus eam impugnavit & impugnari facit: Cum „etiam non tantum Vos, Christianissima Princeps, sed „vobiscum tota Ecclasia Gallicana quoniam perperam „& notorie Schisma faciebat, & quantum in ipso erat, „criman Schismatis incurrans, causam divisionis per„petuam præbebat, Obedientiam ab eo subtraxit: Cum „deniqua non solum in negligentia, sed etiam perjuriis „debilitatus, & fraudolantis pollicitis irretitus, ax nulla „parta purgatus in sua persevaravit pertinacia, Hæresis „non modicam suspicionem incurrens, non possumus si„bi obedira, & Christo servire. Ideo quantum in nobis „est, ab eo nos subtrahimus, na Schismatis aadem ma„cula contaminemur. Et quia luca clarius intelligimus, „tali. Schismatico neminem sufficiantar informatum li„cite posse obedire, Vobis ax nostrarum conscientia„rum sinceritate consulimus, Christianissima Princeps, „ut omnam Obedientiam ab eo subtrahatis.

Parisiensis Academiæ Conclusiones.

XLII. Conclusiones vero istæ erant. „1. Quicumqua „Prælatus, etiam Papa, atiamsi non juraverit cedera, „pro unione taman Ecclasiæ, & pro tam gravi scan„dalo vitando, sicut est Schisma præsens, nec alias „sedari potest, tenetur cedera, etiam invitus.

„2. Papa qui juravit pro unione Ecalesiæ cedare quo„tiescumque vidabitur Collegio Dominorum Cardina„lium, vel majori parti eorum, obligatus est Deo propter „jusjurandum, quia istud juramantum dirigitur ad Deum „principaliter, & Deo principaliter obligatur, & Eccla„siæ Militanti, in cujus favorem unio fienda ast. Nec „tala juramentum per hominem est remissibile: Sicque „Ecclesia aliam viam admittera non tenetur, aum per „præmissa sit jus in Papam & Christo & Ecclesiæ.

„3. Papa qui juravit cedere pro unione Ecclesiæ, quo„tiescumque videbitur Collegio DD. Cardinalium vel „majori parti, hoc viso & deliberato per eosdem Cardinales „tenetur cedere, & axpressa recusans perjurus est, & „infidelis Deo & hominibus, & male sentiens de fide, „& tamquam de fide suspectus potest da Hæresi accu„sari; & nisi cedat, racusans pertinacitar tamquam „Hæreticus, per Concilium Prælatorum declarandus.

„4. Electus in Papam ea intantiona quod cedet quan„documque, & sine quo non alias fuisset alectus, de qua „intantione apparet per juramentum ipsorum Cardina„lium; si & post pertinaciter contradicit cedera, re„quisitus solemniter, ax tunc talis non ast reputandus „Papa; sed ab ejus Obedientia libere recedi potest, et„iam sine declarationa.

„5. Papa notoria faciens contra juramentum suum, „est notorie criminosus crimine pessimo, & per conse„quans contumax & rabellis: Sicque quia contuma„cia notoria super crimina tam notorio ast Hæresis, est „tamquam Hæreticus habendus ac persequendus.

„6. Quia perjurium directa raspicit Dei irreverentiam, „quæ propria est Christianæ Raligioni contraria; Prin„cipes sæculares, qui perjuria punire possunt, consurgan„tes contra Papam notorie dalinquentem, aut cogantas „aum cedera, merentur apud Deum, & sunt dumtaxat „Jurium Executores, ac juramenti violati persecutores: „Nec resistit personæ qualitas, cum per præmissa reddida„rit sa indignum Privilegio Clericali, & Dignitata Papali.

XLIII. Decretum Ecclesiæ Gallicanæ, Christianissimiqua Regis Edictum da Subtractione Obedientiæ sacundum Academiæ Parisiensis postulata & conclusiones, habentur in Historia ajusdem Universitatis Tom. 5. pag. 137. 138. 141. Horum taman promulgationem differri placuit, donac *Benedicti* & novi Pontificis Romæ sadentis prætentarantur animi. Mortuo anim *Innocentio VII.* a Cardinalibus illius Obediantiæ electus fuerat *Angelus de Corario* dictus *Gregorius* XII. Legatosque ad Ragem miserat cum literis ajus Majestati & Acadamiæ Parisiensi denuntiantibus, ipsum ad unionem Ecclesiæ propensissimum, immo ad Cessionam paratissimum, ut qui ea conditiona cum cæteris Cardinalibus jurata in conclavi, Pontifax electus assat. Scripserat etiam ad *Petram de Luna*, Cessionem offerens ad pacem Ecclesiæ reddandam, modo ille pariter cederet, ajusque Cardinales cum Romani Collegii Cardinalibus convanira vallent ad Canonicam unius Pontificis alectionem faciendam: Nullosque se Cardinales creaturum, nisi ad numerum utriusque Collegii æquandum, si & ipse hanc legem sibi imponeret. Hæ Literæ datæ die 15. Decembris habentur apud *Odoricam Raynaldum* ad annum 1406. Nu. 15. *Benedictus* non minus unionis studium ostentavit, datis ad *Gregorium* reciprocis literis, quibus puram & simplicem Cessionam iisdam conditionibus pollicebatur. Hæ Litaræ Massiliæ apud *S. Victorem* 11. Kalandas Fabruarii anno 1407. scriptæ, habentur apud *Theodoricum Niemam*, *Nicolaum de Clemangis*, qui *Benedicto* ab Epistolis arat, & *Odoricum Raynaldum* ad eum annum Num. 1. Rex porro Christianissimus ancyclicis ad universos Christi Fideles litaris significavit missurum se Oratores ad utrumqua Contendantem, qui illis gratularentur, quod viam Cessionis a sua Majestate tanto studio procuratam amplecti vallant, eosque adhortarentur, ut ad vitandas itineris difficultates, pericula personarum, querelas litium, & quæcumqua subterfugia, cederent absantes, uterqua in loco suo, aut in Collegiorum suorum manibus, aut per literas exhibitas, aut per Procuratores constitutos: quas preces si admitterent, confestim ambo Collegia unum convanirent in locum ad unici Pontificis electionem celebrandam. Si vero per se convanire vallant ad Cessionem faciandam, nullatenus se impediturum, immo potius adjuturum: Cæterum Oratores suos *Benedictum* ad quem primo accessuri essent, obsecraturos, ut famotis ambagibus ac tricis, infra decem dies scripto promitteret, sa viam Cessionis, cæteris postpositis, ad exitum perducturum; & infra decem alios dies de circumstantiis ajusdam viæ executionem spectantibus mantem suam Ragis Oratoribus aperiret: Quod nisi sincare præstaret, ab ao sa velut a Schismatico secessurum; & ea de re eosdem Oratores cum ajus Cardinalibus, vel iis secusantibus, cum alterius Obedientiæ Collegio acturos. Has Ragis Christianissimi Literas apud *Theodoricum Niemum*, & apud *Bochellum* in Decretis Ecclesiæ Gallicanæ, Lib. 4. Tit. 22. Cap. 3. & apud *Odericum Raynaldam* Num. 52. legere est. Literas etiam ad *Gregorium*, & ejus Cardinales scripsit Rex Christianissimus, quibus ipsos adhortatus ast, ut in Ecclesiæ unione procuranda constantes essant, ac præstitum de Cessiona juramentum servarent. Editæ sunt Tomo 6. *Spicilegii*, pag. 175. & 177. Idibus Martii ajusdem anni. *Gregorius*

Innocentii Septimi obitus.

Gregorii Decimi-secundi electio.

Gregorius & Benedictus de Pontificatu contendentes colusionibus suis fucum faciunt.

Nuntios ad *Benedictum* destinavit, quibus honorifice ab illo Massiliæ susceptis, post longas disceptationes, pactum est, ambos cum suis Collegiis Saonam in Liguria conventuros ad Festum S. Michaelis, aut saltem ad Festum omnium Sanctorum, mutua securitate jurata, aliisque conditionibus utrimque admissis, quæ apud *Theodoricum Niemum* Tractatu 2. Cap. 10. & *Odoricum Raynaldum* Num. 4. legi possunt.

XLIV. Missi a Rege Christianissimo sub id tempus Oratores ad *Benedictum* Massiliæ agentem, *Simon Cramaudus* Alexandrinus Patriarcha, Turonensis Archiepiscopus, Bellovacensis, Cameracensis, Meldensis, Trecensis, Ebroicensis Episcopi; Claravallensis, Gemeticensis, S. Dionysii & S. Michaelis Abbates, &c. nil ab eo retulerunt præter ambigua de Cessione promissa; Diploma quo se ad eam obstringeret, quod Regis nomine postulabant, obtinere non potuerunt. A subtractione tamen denuntianda tunc abstinuere, ne Tractatui Saonæ ineundo obicem apponerent. Patriarcha cum parte Collegarum Romam profectus, *Gregorium* reperit a Conventu Saonensi penitus alienum, ac novas subinde difficultates injicientem, locique mutationem urgentem, ut Monachus Sandionysianus, & *Juvenalis de Ursinis* tradunt, in Historia *Caroli Sexti*. Interim *Benedictus* Regis & Ecclesiæ secessionem metuens, Constitutionem edidit 14. Kalendas Junii, qua in omnes & singulos qui ab ipso seu a Successoribus Romanis Pontificibus canonice intrantibus appellaturi, vel ab ejus Obedientia recessuri forent, & in hujusmodi Appellationibus aut subtractione perseveraturi, etiamsi Cardinalitia, Patriarchali, Archiepiscopali, Episcopali, Imperiali & Regali, aut alia quacumque Ecclesiastica vel Sæculari dignitate fulgerent, excommunicationis Sententiam promulgavit, a qua, præterquam a Romano Pontifice, nisi dumtaxat in mortis articulo absolvi non possent: & si per viginti dies eam indurato animo sustinerent, eos omnibus Beneficiis, & Privilegiis a Sede Apostolica concessis privatos denuntiavit; & vassallos prædictorum omnium, tam Ecclesiasticorum quam laicorum a juramento, fidelitate, & quacumque alia obligatione, quibus eis tenebantur, absolutos, & omnibus feudis, juribus, honoribus, officiis, & aliis bonis immobilibus, quæ ubilibet a Romana vel aliis Ecclesiis haberent, ipso jure exutos. Constitutio illa fulminatrix *Petri de Luna* edita est Tomo 6. *Spicilegii*, pag. 182. Illam tamen statim non emisit, ne pacem prior turbasse videretur.

XLV. Anno 1408. cum Rex Christianissimus *Gregorium & Benedictum* de Pontificatu contendentes suis collusionibus fucum orbi Christiano facere perspectum haberet, 12. Januarii Parænetícas literas ad universos Christi Fideles publicavit, quibus recensitis quæ hactenus ea in causa egerat, Principes, Antistites, Christianosque omnes ad obedientiam utrique contendenti subtrahendam adhortatus est, ut ea ratione ad Cessionem uterque compelleretur, & pax Ecclesiæ sanciretur: Suamque Majestatem una cum Ecclesia Regni sui ab utriusque Obedientia recessuram ad Festum proximum Dominicæ Ascensionis significavit, nisi Unio interim fieret. Hæ literæ legi possunt apud *Theodoricum Niemum*, apud *Gersonium* Tom. 1. pag. 315. & in Historia Universitatis Parisiensis, Tom. 5. pag. 147. Secundum hæc cum *Benedictus* ad Portum Veneris appulisset, Lucam se contulit *Gregorius*, illucque Nuntios ad ipsum *Benedictus* misisset de loco intermedio aut viciniori, quo in unum convenire possent, acturos,* spes adhuc aliqualis unionis affulsit. Variæ ab utraque parte conscriptæ sunt literæ, varii pro *Gregorio* editi Tractatus ejus pertinaciam in Saonæ declinatione excusantes, quorum nonnullos Annalibus suis inseruit *Odoricus Raynaldus* ad annum 1407. Omnibus tandem innotuit ipsos data opera mores nectere, & universo orbi Christiano illudere. Cumque contra pacta conventa, & juramentum in Conclavi præstitum & post creationem suam renovatum, quatuor novos Cardinales *Gregorius* creasset, toto suæ Obedientiæ Collegio repugnante; veteribusque Cardinalibus prohibuisset ne absque ejus licentia Luca exirent, vel inter se convenirent, aut eum Regis Christianissimi Oratoribus, ac *Benedicti* Legatis colloquerentur; hi ab ipso omnes ad unum defecerunt, Pisas secesserunt: Suæque Secessionis rationem Fidelibus universis Encyclicis Literis exposuerunt, quæ apud *Odoricum Raynaldum* ad hunc annum Num. 8. habentur. Utque se adversus ejus minas ac Sententias munirent, ab ipso ad ipsum, & ad Concilium, nec non ad futurum Pontificem appellarunt. Appellationis Instrumentum extat apud *Theodoricum Niemum* Tractatu 6. Cap. 10.

Cardinales Obedientiæ Gregorii ab eo deficiunt, & Pisas secedunt.

& apud *Odoricum Raynaldum* ad annum 1408. num. 9. Quo Mandatorum ipsius nullitate, injustitia, gravaminibusque expositis subdunt: „ Ab ipsis Præceptis, „ ac aliis omnibus gravaminibus post prædicta forte „ secuturis, præfati Cardinales, in quantum eis li„ cet, & in quantum possunt, provocant & in his „ scriptis appellant. Et primo quia ratio appetitui no„ scitur esse superior, & intellectus dominari sensi„ bus, a vobis Pater Beatissime, irrationabiliter de„ cernentibus, ad vosmet secundum rectam rationem „ & melius informatum: Item si discretio persona„ rum requiritur a vobis, Pater Sancte, Vicario, „ ad Dominum nostrum Jesum Christum, qui judi„ caturus est vivos & mortuos & sæculum per ignem: „ Item ad Generale Concilium, a quo & in quo so„ lent gesta etiam Summorum Pontificum quæcum„ que pertractari, decerni, & judicari: Item ad Pon„ tificem futurum, cujus est gesta inordinata sui Præ„ decessoris in melius reformare. “ Cardinalium querimoniis ea in Appellatione expressis *Gregorii* nomine responsum est. Responsionem exhibet ibidem *Odoricus Raynaldus*.

XLVI. Interea *Benedicto* ad Portum Veneris agenti redditæ sunt Christianissimi Regis Literæ, quibus significabat, nisi unio ad diem Ascensionis facta esset, se cum Regno suo ab ejus Obedientia recessurum. His acceptis, *Benedictus* Bullam anno superiori datam, qua subtractionem sub pœna Excommunicationis, aliisque gravissimis prohibebat, necnon Appellationes a Papa ad Concilium, in Gallias misit Regi significandam; aliasque ad ejus Majestatem Literas dedit, quibus ipsam hortatus est, ut Secessionis consilium deponeret, ac adversus calumniatores expostulavit, contestatus per se non stare quin fieret unio; perstringens etiam eos qui ab ipso appellare non veriti, varios errores contra sinceritatem fidei spargebant, & permittebantur *Conclusiones nefarias, falsa intermiscendo pro veris, procaciter sustinere*. Editæ sunt hæ Literæ Tomo 6. *Spicilegii*, pag. 178. De illis deliberatum est in Consilio Regis & Senatu Parisiensi, ipso Rege, Principibus, Præsulibus, & Viris Academicis præsentibus, Magistro *Joanne Curtecoxa*, Doctore Theologo, Natione Normanno, pro Regiorum Jurium & Gallicanæ Ecclesiæ Libertatum defensione perorante, & *Benedictum* non modo Schismaticum, & perturbatorem pacis & unitatis Ecclesiæ, verum etiam in Regiam Majestatem injurium, conclamante: neque amplius appellandum *Benedictum*, aut Papam, vel Cardinalem, aut nomine alterius cujusquam dignitatis, nec ipsi obediendum tamquam Pastori Ecclesiæ, sub pœna fautorum Schismatis & Hæreseos: omnesque & singulos qui favorem, consilium & auxilium in Regno, Delphinatu, omnibusque Ditionibus Regiis Dicto *Petro de Luna* præstarent, crimen læsæ Majestatis evidenter incursuros: Decretum est eas Literas iniquas & injustas, lacerandas esse. Quod executioni mandatum est. De iis etiam habita quæstio, qui *Benedicto* favebant, & hanc in ipsum agendi rationem calumniabantur; quidam in carcerem conjecti, alii publicis ignominiæ notis inusti: Remensi etiam Archiepiscopo, & Episcopo Cameracensi *Petro de Alliaco* liberius locutis, dicta dies; qui minime comparuerunt, ne in ipsos etiam sæviretur. *Bussicaldo* Genuæ Gubernatori mandatum, ut si fieri commode posset, *Benedictum* comprehenderet ac detineret. Secessionis a *Benedicto* & Neutralitatis Edictum ad Ascensionem Domini promulgatum est. Is vero in Italia aut Gallia tuto se deinceps versari non posse intelligens, e Portu Veneris ad Illiberitanum Cataloniæ Portum appulit, & Perpinianum se recepit, ubi & Concilium celebravit centum circiter & viginti Prælatorum ex Regnis Castellæ, Aragoniæ, & Navarræ, quorum variæ fuerunt Sententiæ, quibusdam censentibus *Benedictum* continuo cedere debere per Legatos; aliis tempus ducentibus, asserentibusque ipsum verum quidem Christi Vicarium esse, ac inprimis Catholicum: qui tamen & ipsi auctores fuere, ut propter Ecclesiæ bonum ac unionem, viam renuntiationis cæteris omnibus præponeret; ac Legatos cum plenaria potestate ineundæ concordiæ mitteret. Interim Gallicanæ Ecclesiæ concilio Parisios convocato, ab undecima Augusti ad quintam Novembris, cui præfuit Senonensis Archiepiscopus, privatio Beneficiorum & Dignitatum in quoscumque fautores, participes, & defensores *Petri de Luna*, velut Hæretici & Schismatici ab Ecclesia præcisi decreta est: Nominatim vero Beneficiis omnibus ac Jurisdictione Ecclesiastica in Galliis privati sunt, Cardinales quondam Auxitanus, de Flisco, de Chalanto, Auxitanus Archiepiscopus,

Benedicti Bulla & Litera ad Regem.

Secessionis a Benedicto & Neutralitatis Edictum in Galliis promulgatum

Concilium Ecclesiæ Gallicanæ.

S. Pon-

-S. Pontii, Mimatensis, Biterrensis Episcopi; Abbas S. Saturnini Tolosani, & *Guigo Flandrini* lator Epistolæ damnatæ Universitatis Tolosanæ contra Sententiam Academiæ Parisiensis & Ecclesiæ Gallicanæ de Subtractione Obedientiæ *Benedicto* facienda, nec-non Generales FF. Prædicatorum & Minorum. Statuti sunt etiam Articuli communes de modo providendi Beneficiis durante Neutralitate: Denique Statuta seu Monita, vel (ut ea ætate loquebantur) Advisamenta de regimine Ecclesiæ Gallicanæ tempore ejusdem Neutralitatis, die 5. Novembris deliberata sunt, de Absolutionibus, Dispensationibus, Judiciis, Appellationibus, & modo providendi Beneficiis: ita ut dispensationes, absolutiones, aliæque Ecclesiasticæ causæ, secundum earum naturam aut gravitatem, vel ad Sedis Apostolicæ Pœnitentiarios, vel ad Superiores Ordinum, & ad Episcopos Diœcesanos, vel ad Concilia Provincialia referrentur. Beneficiorum vero collatio ab Ordinariis Collatoribus fieret; Episcopi a Metropolitano; Archiepiscopi a Synodo Provinciali confirmarentur. Hæc autem deliberata sunt *Salvis Juribus Coronæ Franciæ, & Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ, salva etiam debita Sanctæ Sedi Apostolicæ reverentia, & Domino Papæ futuro legitimo, clave non errante*. Hæc Statuta seu Advisamenta habentur in MS. Victorinis a *Spondano* laudatis, apud Monachum Sandionysianum in Historia *Caroli VI.* & apud *Bochellum* Lib. 4. Decretorum Ecclesiæ Gallicanæ, Tit. 22. pag. 677. Plura etiam Instrumenta Consultationum & Deliberationum circa Beneficiorum provisiones habitarum in illa Synodo Nationali Parisiis celebrata, Tomo 5. Historiæ Universitatis Parisiensis edita sunt a pag. 175. ad pag. 184.

XLVII. Audita Cardinalium a *Gregorio* secessione, suis ipsos Literis *Carolus Sextus* Rex Christianissimus hortatus est, ut cum Cardinalibus Avenionensis Collegii convenirent, Ecclesiæ unioni ac paci consulturi. Has Literas datas 22. Maii 1408. apud *Odoricum Raynaldum* ad hunc annum num. 20. legere est. Cardinales Avenionenses pariter hortata est Academia Parisiensis, ut cum Romanis Cardinalibus ad extinguendum Schisma & ad agendam legibus in ambos de Pontificatu Contendentes, jungerentur. Hæ literæ datæ die 29. Maii habentur inter Epistolas *Nicolai de Clemangiis*, pag. 187. Cum *Gregorius*, Concilio ad Festum Pentecostes anni sequentis in Provincia Aquilejensi indicto, in quo de pace Ecclesiæ ageretur, novem adhuc Cardinales contra solemnis Juramenti fidem ac religionem creasset, antiqui utriusque Collegii Cardinales Liburnum convenerunt; qua ex Urbe ad Regem Christianissimum & ad Parisiensem Academiam die ultima Junii scripsere, suam ad pacem Ecclesiæ procurandam, prout Regia Majestas per Literas suaserat, concordiam nuntiantes, Divino certe Spiritui, potius quam humanæ industriæ adscribendam. Editæ sunt hæ Literæ Tomo 6. *Spicilegii*, pag. 190. Die prima Julii, Gregoriani Cardinales Encyclicam ad Fideles universos publicarunt Epistolam, qua expositis causis cur a *Gregorio* secessissent, omnes pariter ad ejus obedientiam ejurandam hortabantur, utque ipsis Cardinalibus ad unionem Ecclesiæ præficiendam manum auxiliatricem porrigerent. Edita est ibidem, p. 192. Legatur hujus Schismatis Historia a *Petro Puteano*, Viro clarissimo & erudito, Gallico idiomate scripta.

SCHOLION I.

In hac Dissertatione, num. 9. pag. 470. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc velut meam propositionem notant: *Non spectat ad fidem an Bartholomæus Barensis sit Papa*.

R. Hæc propositio non est mea, sed ista: *Nec spectabat ad fidem an Bartholomæus Archiepiscopus Barensis vel Robertus Cardinalis Gebennensis canonice in Pontifices electi essent*. Ad fidem quidem spectat, Eum qui canonice fuerit Pontifex electus legitimum esse S. Petri successorem, & Summum Pontificem: sed ad fidem non spectat illum esse verum Pontificem, cujus dubia electio est. Et cum plures de Pontificatu contendunt, sacro Collegio duas in partes scisso, quarum utraque suam electionem legitimam esse contendit, & in duas etiam partes scissa est infeliciter Ecclesia, & partium jura obscura sunt; hunc vel illum determinante verum Pontificem esse non pertinet ad fidem, donec Ecclesia judicaverit quinam legitime sit electus.

SCHOLION II.

In eadem Dissertatione, sub eodem num. pag. 472. Religiosi Censores hæc notant: *Ne vero quis me novam sententiam, aut Romanæ Sedi injuriosam propugnare objiciat, quod interdum ab imperitis patiuntur Ecclesiastici Scriptores, sententiæ meæ auctores profero*.

R. Hanc Scriptorum Ecclesiasticorum aliquando sortem esse, aliorum exemplis didiceram, experientia tandem ipse mea probavi. Quam vero hic propugno sententiam, non esse novam, aut Sedi Apostolicæ injuriosam ostendi ex Gersonio, S. Antonino, Joanne Cardinali a Turrecremata, & Henrico Institoris istius opinionis defensoribus; quod scilicet schismatici non fuerint, qui Clementi VII. & Benedicto XIII. ante Pisani Concilii sententiam bona fide adhæserunt.

SCHOLION III.

In eadem Dissertatione, num. 31. Religiosi Censores hanc propositionem notant: *Papæ vivi habeat superiorem, Concilium Generale*.

R. Non meum, sed Parisiensis Academiæ Responsum est, quod historice refero: *Ubi de Schismate, vel suspicione hæreseos agitur, Summos ipsos Pontifices tam vivos quam defunctos superiorem habere Judicem; vivos Concilium Generale, defunctos successorem*. Inde culi Censorii auctores propositionem meam interpolarunt, hæc verba supprimentes, *Ubi de schismate, vel suspicione hæreseos agitur*. Istud Academiæ Parisiensis Responsum editum est Tomo Quarto Historiæ ejusdem Universitatis, pag. 740. ex cujus collatione intelligi potest quam fideliter illud citaverim.

SCHOLION IV.

In eadem Dissertatione, n. 40. pag. 537. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc velut meam propositionem notant: *Rex Galliæ tamquam caput cogere potest Concilium, eique præesse*.

R. Hæc propositio non est mea; sed ita scripsi eo loci: *Joannes Juvenalis de Ursinis Regius Advocatus Regem Christianissimum, qui dexterum Ecclesiæ brachium est, auctoritatem jusque habere probavit Regni sui Clerum congregandi ad Consilium de Ecclesiæ negotiis exquirendum; & ejusmodi Conventui præesse tamquam caput*. Non mea hæc propositio est, ut patet, sed Joannis Juvenalis de Ursinis, historice tantum a me relata, non dogmatice asserta. Nec tamen Catholicus ille Advocatus dixit Regem Galliæ posse congregare Concilium Œcumenicum; aut cuicumque alteri Concilio, in quo de fide, disciplina, aut de causis quibuscumque Ecclesiasticis agendum sit, præesse posse tamquam caput Ecclesiæ: procul ab ore Catholico Hæreticæ hujusmodi propositiones: sed dixit Juvenalis de Ursinis, posse Regem congregare Clerum Regni sui ad consilium exquirendum, & ejusmodi Conventui præesse tamquam caput; *Non Ecclesiæ, sed Regni, cujus & Viri Ecclesiastici membra sunt*. Sic mentem Advocati Catholici ad marginem explicui.

DISSERTATIO II.

DE CONCILIO PISANO OECUMENICO.

Pisa, Pisæ Urbs, Etruriæ Sedes Archiepiscop.

Historia ipsius exponitur: Oecumenici nomen & Auctoritas ipsi asseritur: Latæ ab ipso contra GREGORIUM XII. & BENEDICTUM XIII. in suis Obedientiis Pontifices Maximos appellatos Sententiæ Æquitas demonstratur.

I. CUm in unum Collegium convenissent utriusque partis Cardinales, Concilii celebrationem Pisæ ad diem 25. Martii, anni Domini millesimi quadringentesimi noni decrevere, quod ex toto orbe Christiano atque Catholico congregatum, universalem Ecclesiam repræsentaret, ad ejusdem unionem procurandam, compulsis ad cessionem, quam juraverant, æmulis Pontificibus, aut Canonico Judicio exauctoratis, novoque, unico & legitimo Pontifice electo. Decreverunt etiam ut ambo Contendentes ad Concilium vocarentur, ejus Decretis parituri. Si adesse renuerent, sacer nihilominus haberetur Consessus, & quod e re Ecclesiæ foret, statueret: Quisque autem a Cardinalibus partis suæ vocaretur: Qui & suæ Obedientiæ Prælatos, aliosque convocarent, & Regum ac Principum auxilium ad tantæ molis negotium consummandum implorarent:

Concilium Pisanum ab utriusque Obedientiæ Cardinalibus in unum Collegium unitis jure convocatum.

Literæ

Literæ Cardinalium Obedientiæ quondam *Benedicti* ad ipsum datæ 14. Julii 1408. quibus ipsum vocant ad Concilium Pisanum, editæ sunt Tom. 6. *Spicilegii*, p. 200. Ita sunt inscriptæ: „ Sanctissimo Domino nostro, Domino Benedicto XIII. miseratione divina, Summo Pontifici, sui humiles & devoti Oratores, Episcopi, Presbyteri, & Diaconi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, nunc in Liburno Pisanæ Diœcesis existentes, pro nobis & aliis Reverendissimis Patribus Dominis Cardinalibus, pro nunc absentibus, nobis adhærentibus & adhærere volentibus in hac parte, cum supplici & devota sui recommendatione utriusque hominis sospitatem. „ Ubi Schismato malum, viam Concilii repulsam, viam cessionis longis tempore declinatam exposuerunt, de obicibus ab utroque contendente unioni appositis hæc habent: „ Et quamvis ex post exactis annorum curriculis fuerit hæc via sancta & necessaria, communi omnium Fidelium judicio præelecta, cum Angelo Corrario Gregorio nominato, per vestram Sanctitatem recepta, & etiam approbata; tot tamen & tantæ in illius habenda executione adhibitæ difficultates, variationes, dilationes ac repudia circa locorum electionem & securitates hinc inde, quod nullus effectus secutus est, nec abinde speratur modo aliquo proventurus, sed quodam recessu in dicto pacis tractatu, immo verius repudio perenni, abiistis in viam longinquam, numquam ad Agni nuptias per unitatis vinculum, ut a multis creditur, intraturi. Quæ mala considerantes provide, ac pia mentis consideratione pensantes Reverendissimi Patres nominati in parte alia Cardinales, a dicto Angelo Corrario, Gregorio nominato, ad omnem viam habendæ unionis mente & proposito indurato, recesserunt juxta divina mandata. Ad quos de vestræ Sanctitatis permissu & voluntate expressa quatuor ex nobis directi fuere, & convenientibus in Liburno cum quatuor ex eis nominatis Cardinalibus, demum nos omnes & ipsi in unum convenientes, perspeximus communi & concordi voto, & matura deliberatione habita cum multis Prælatis notabilibus, ac quamplurimis Literatis Viris Deum timentibus & pacem Ecclesiæ habentibus in fervore charitatis, fore necessarium, ut per Ecclesiam universalem congregatam huic tam pestilenti morbo & inveterato laqueo erroribus fidem tangentibus pleno, subveniatur & occurratur in brevi ad serenandas omnium Fidelium conscientias, errores submovendos notorios, virtutes inserendas, morum & Ecclesiæ Reformationem debitam & salubrem: & quod per nos in nostra Obedientia, & alios nominatos Cardinales in sua, Prælati & alii qui convocandi fuerint, convocentur per nos in civitate Pisana, & per illos in eadem ad terminum 25. diei Martii proxime futuri. Et hunc modum convocationis assumpsimus propter Neutrales, & illos qui de obedientia dicti Angeli ad nostram; & etiam illos de nostra qui ad vestram & dicti Angeli vocationem nullatenus venirent; & propter defectus alias habitos in convocatione Concilii, de quo sæpissime & diversis temporum intervallis fuit per nos Sanctitas vestra requisita, & eidem humiliter supplicatum, & aliquando promissum, sed nullatenus adimpletum. Et ut omnis adhibeatur cautela, ex abundanti vobis tenore præsentium supplicamus, & instanter requirimus, quatenus quantum in vobis est, dictæ convocationi præbeatis assensum & opem; & quod Sanctitati vestræ placeat in dictis loco & termino personaliter interesse &c. Hæc enim convocatio ad locum & terminum ansedictos nullo valet colore difficultari, impediri, seu quocumque conficto pallio differri, declinari, seu mutari: cum etsi in vestra Sanctitate corporalis infirmitas, vel aliud occurreret impedimentum seu alias absentiæ justa causa, possit & debeat, de quo vos solemniter requirimus, & aliis fuit per nos consultum hoc Dei tam necessarium negotium, quoad illa quæ per vos facienda existunt, per Deputatum a vobis perfici, & per procuratorem sufficienti & speciali Mandato ac irrevocabili munitum, cessio pro parte vestra fieri valeat; Angelo nominato Gregorio cedente in propria persona, vel per Procuratorem similem potestatem habentem, & irrevocabile & speciale Mandatum vel ipso sublato de medio, vel canonice per Ecclesiam ejecto. Quod si dictæ convocationi opem & assensum præstare refugeritis, & in loco & termino antedictis convenire, vel deputatum Procuratorem destinare; cum extra terminos Italiæ nequeant partes, seu ipsarum altera, ad consummationem unitatis habendæ multis consideratis, ita commode & utiliter convenire, attento quod per Concilia particularia Schisma extirpari non posset: Nos, & alii, qui ad vocationem nostram venerint, procedemus in negotio unionis habendæ, & Schismatis tam horrendi, errorumque fidem tangentium extirpatione, cum Collegio partis alterius, aut cum Concilio vocatorum per nos & ipsos attentis promissis juratis & conventis per Sanctitatem vestram & dictum Angelum, ut dictaverit Spiritus Sancti gratia, & alias fuit per Sanctos Patres in Romana Ecclesia salubriter observatum, vestra, & dicti Angeli, seu alterius absentia non obstante, &c. Et si (quod absit) præmissis vellet vestra Sanctitas impedimentum præstare; cum nihil sit per quod fiendæ unitati, ad quam tendimus, posset per potestatem aliquam juste fieri, cum in hoc prosequamur voluntatem divinam; Ecclesia, cujus unitati claves a Christo concessæ sunt, talia non pateretur sub dissimulatione transire.

II. Editæ sunt in eodem *Spicilegii* Tom. p. 205. Literæ quibus Cardinales *Benedicti XIII.* convocant omnes Prælatos, & alios de sua Obedientia ad Concilium Pisanum: in quibus enarratis quæ huc usque in Schismate contigerant, & impedimentis quæ ambo Contendentes unioni apposuerant, hæc habet: „ Et perpendentes ex prædictis indispositionibus tam ipsius Domini benedicti, quam Angeli unionem Ecclesiæ patenter impediri, immo verius Schisma perpetuari, nisi celeriter occurratur: convenimus in unum cum Collegio partis alterius & nominatis Cardinalibus, qui a dicto Angelo recesserant, quos reperimus bene dispositos ad extirpationem Schismatis, & unionem in Dei Ecclesia procurandam. Et considerantes ad invicem quod ex indispositionibus prædictis, contumaciis, & pertinaciis, si staretur arbitrio duorum Contendentium de Papatu, numquam Schisma extirparetur, immo quodammodo perpetuaretur in ævum: & etiam attendentes quod Schisma quos inquinat, æquat, & non solum qui Schisma facit & fovet, sed etiam qui patitur, & extirpare negligit, eodem involvitur crimine & delicto: Considerato etiam quod Contendentes de Papatu non solum Juramento & voto ac promissione multiplici, sed etiam Jure Divino & Canonico, & sub pœna damnationis æternæ, si refugerint, tenentur & multipliciter sunt adstricti pacem dare Ecclesiæ per viam cessionis, attenta Schismatis diuturnitate & involutione, ac magna adhærentia quam utraque pars habere dignoscitur; quæ via etiam est ab omnibus Christi Fidelibus approbata & necessaria reputata: Et etiam considerato quod ex indispositionibus prædictis complures se subtraxerunt & se neutrales fecerunt ab Obedientia utriusque, multique se parant ad similem Subtractionem seu Nautralitatem faciendam. Quodque si diffugia & dilationes Contendentium ulterius attenderentur & expectarentur, qui se sic simul separant & dispergunt, maxima quasi ex proposito seu condicto locorum distantia, ut de eorum reductione in unam seu mutua conventione spes nulla de cætero habeatur, errores succrescerent, cum Schisma mater errorum existat, & inveteratum transit in hæresim, juxta divinas & canonicas Sanctiones . . . Considerato etiam quod duobus Contendentibus de Papatu, qui de facili ad pacem reduci nequeunt, Concilium Generale seu Ecclesia congregata Judex est competens controversiæ prædictæ, quæ merito tangit fidem. Et quod Concilium est per Cardinales, maxime in contumaciam, defectum, seu negligentiam Contendentium, convocandum, cum ipsi duo Contendentes contra se & intentiones suas Concilium nullo modo congregarant, ut experientia præteritorum docuit & docet: Cum etiam Neutrales seu Subtracti de facili ad eorum convocationem non haberent convenire, & sequerentur alia pericula evidentia in impedimentum tam desideratæ unionis. Habita ad invicem inter Nos & Collegium partis alterius deliberatione matura, & etiam cum multis Prælatis, Nobilibus ac magnis Literatis in Theologica & Canonica Facultate & civili, sequentes gesta & exempla Sanctorum alias virtuose in Romana Ecclesia observata, deliberavimus quod per nos in parte & obedientia nostra Concilium seu Ecclesia convocetur in certo loco & termino, & idem fiat per Collegium seu Cardinales nominatos alterius partis in eodem termino & loco, cum auxilio & benigno suffragio Regum & Principum utriusque Obedientiæ, quibus nunc Romana & universalis Ecclesia permaxime noscitur indigere, &c. Quocirca prædictam deliberationem vestrum singulis intimamus & notificamus, precamur, & sub debito

„ Jo-

„ Juramenti, quo Ecclesiæ Romanæ tenemini, requirimus, quatenus in quantum Deo placere cupitis, & defensioni fidei assistere, & pro unitatis vinculo procurando velitis in termino 25. diei mensis Martii proxime futuri, ad quem etiam terminum Domini Cardinales alterius partis Prælatos & alios suæ Obedientiæ convocant, in civitate Pisana ... convenire & comparere, ad fines & effectus prædictos inspirante gratia Spiritus Sancti prosequendos, & feliciter consummandos.

III. Ibidem pag. 255. editæ sunt Literæ Cardinalium *Gregorii XII.* quibus Obedientiæ suæ Prælatos, aliosque ad idem Concilium convocant. Rationes ob quas Concilium Œcumenicum celebrare necessarium visum est, luculenter ac perspicue exponunt: tum gravissimis invictissimisque momentis probant id a Cardinalibus, utroque Contendente invito, convocari posse ac celebrari, in illo Christianæ rei statu. „ Habitis, (*inquiunt*) & consideratis maturis consiliis Universitatum, Magistrorum Studii Parisiensis, & Bononiensis, quæ Universitates maxime inclinabant in has conclusiones, quarum plurimæ ad scripturam publicam & authenticam roboratam sigillis sunt redactæ: Videlicet primo, quod uterque, & Dominus Gregorius, & qui se ex altera parte pro Papa gerit, ex debito Officii Pastoralis veri vel prætensi, jure communi, circumscripto quolibet juramento & voto, stante Schismate tam inveterato cum tanto populi scandalo, tenentur & debent credere, eo quo propter dubia juris & facti super Papatu aliter non potest commode dari unio & pax in Ecclesia Dei, ne plus temporalem dignitatem quam æternam salutem & unitatem ac æternam vitam appetere videantur, & quia finis Pastoralis officii est providere unitati gregis, paci & saluti animarum populi Christi. Secundo, quod longe fortius adstringuntur concurrentibus tam solemnibus vinculis, ut promissionis, voti, & juramenti. Tertio, quod Papa stante tali Schismate pertinaciter resistendo in complendo quod vovit & juravit, ad quod etiam absque voto & juramento tenetur, incurrit crimen notorium, propter quod subjicitur provisioni Concilii, & ultra hoc concluditur Schismatis nutritor & fautor, cujus obstinatione & vetustate descenditur in hæresim, & fides læditur Deo & Ecclesiæ debita, cujus etiam provisio spectat ad Concilium. Quarto, quod etiam stante dubio an hoc incrementum Schismatis transeat in hæresim, vel an tale sit debitum ex quo provisio spectet ad Concilium, quod cognoscere in dubio ad idem pertinet. Quinto, quod stante dubio Papatus inextricabili propter dubium facti & juris, ne in subversionem fidei Ecclesia sic remaneat divisa perpetuo cum tanto scandalo & animarum perditione, provisio spectat ad Concilium & Ecclesiam universalem, ut utrumque, eis non cedentibus, possit a Papatu ejicere. Sexto, quod stantibus terminis, ut stant, & ambobus detrectantibus implere quod jurarunt & voverunt, cum eo hoc nutriant Schisma manifestum, subditi possunt & debent ab eorum Obedientia recedere, & tenentur, cum eo eorum Obedientia palpabiliter videant utrumque in suo malo nutriri proposito; & etiam peccant si non subtrahunt tamquam principaliter Schisma facientes, vel saltem indirecte auxilium præbentes nutritoribus Schismatis antiquati, nec sententiis Contendentium de Papatu aliquatenus propter hoc valent alligari. Ultimo ex factis & dictis quæ supra ponuntur, quæ universo mundo notoria sunt, satis notorie patet utrumque detrectare implere quod debebat, & ad quod tenetur ex debito officii & juramenti, cum saltem potuerunt cedere per Procuratores idoneos, vel uterque in manibus Collegii sui, & sic dare pacem populo Christi; cum uterque de jure & forma juramenti arctetur ad nihil de utilibus, necessariis, aut quomodolibet opportunis omittendum, cum etiam ab utriusque pendeat potestate solvere perplexitatem conditionum juramenti, si qua subsit; & si quæ circa hoc excusationes allegentur, frivolæ sunt, & eorum cognitio est Concilii.

„ IV. Quibus visis & pluribus inter nos habitis consiliis firmavimus nos unire cum Dominis alterius Collegii, & Liburnum accedentibus nobis, ac eis Dominis Cardinalibus ex altera parte in sufficienti numero nobiscum congregatis, in unum nos univimus propositum, ut modis omnibus justis, & sanctis, & secundum Canonicas Sanctiones, populo Christi de unione & pace provideremus. Et considerantes quod ipsi de Papatu Contendentes contra se minime Concilium integrum congregarent, ut præteritorum experientia docuit & docet, & etiam præterita negligentia; & maxime quia Dominus Gregorius negavit cessionis viam, & eam ut diabolicam reprobavit, ad quam tractandam etiam Concilium denegasse videtur: Attendentes etiam quod uterque permaxime est de convocando Concilio suspectus, ut aut nolit, aut nimium dilatet, aut etiam minus fideliter congreget, cum verbis & factis viam impediant ad Schisma tollendum, ad cujus finem Concilium congregatur, cum perpendat uterque se congregato Concilio verisimiliter excludi, & uterque multifarie declaraverit se anhelare ut in Papatu etiam cum divisione remaneat. Item propter probabiles dubitationes de Papatu, tam ex facto & facti antiquitate, quam ex jure descendentes, & propter obedientias separatas, neuter quoad totam Congregationem utriusque obedientiæ, quæ in tali casu tota est necessario congreganda, potest se ostendere Papam indubitatum, nec in solida possessione pacifica Papatus existit, sic ut eo modo quo oporteat valeat Concilium totum congregare; nec uterque de facili ad hoc potest induci ut congregent simul, tum propter eorum indispositionem ad hoc, quæ perpenditur ex retro factis & dictis, tum propter nimiam eorum distantiam in re tantam celeritatem desiderante: Tum quia saltem casualiter Canones inferioribus Concilii Congregationem permittunt: nullus autem proportionabilior casus isto: Tum quia ad Congregationem Concilii requiruntur per nos; & per Concilium requirentur, ut consentiant, & si consentiunt, bene quidem; alias Concilium procedere poterit; cum ab eorum potestate pendere non debeat an de criminibus suis inquiratur, de quibus per Concilium potest inquiri; nec ut perpetuo sic Ecclesia lacerata remanere debeat.

V. Alias ad *Gregorium* literas ejus Cardinales dedere die 16. Julii, quas exhibet *Odoricus Raynaldus* ad annum 1408. nu. 33. quibus ipsum hortantur, ut ad Concilium Pisis celebrandum accedat, pacem Ecclesiæ redditurus, cessione quam vovit & juravit; alioqui contra ipsum, ipsique faventes, legibus actum iri. Quæ de convocatione & auctoritate præsidendi Concilio Summo Pontifici convenienter in jure habentur, tunc tantum locum habere declarant, cum unus est indubitatus Pontifex; non vero cum duo de Pontificatu contendunt, quorum obscura sunt Jura, & qui insuperhabita Ecclesiæ pace, promissorum fide, juramenti ac voti religione, dubiam Dignitatem pertinaciter retinent, semperque retinere volunt. Et quamvis ipsi Concilia convocarent, prout convocabant *Gregorius & Benedictus*, ille in Aquilejensi Provincia, iste Perpinianum, Concilia hujusmodi Generalia non essent, nec Schisma extinguere valerent. Potestatem ergo convocandi Concilium œcumenicum ad Cardinales utriusque Collegii, jam Spiritus Sancti gratia conjunctos, esse devolutam. „ Dicimus, & de jure prætendimus potestatem convocandi &; congregandi Sacrum Generale Concilium ad nos totaliter devolutam, ex eo etiam maxime quod ex retrogestis estis in dicta Congregatione suspecti; cum nonnisi postquam præsensistis nos ad dictam convocationem parari, hoc umquam velle facere ostendistis: Et quia nec possibile sit per ambos vos in uno loco tale Generale Concilium convocari, nec vocatio illorum obedientia alterius partis posset recte dici Concilium Generale, nec in eo de altero irrequisito aliquid definiri, nec requisitus etiam cum parte sua accederet; & si accederet, & si ambo præsideretis, prout in uno Papa indubitato probabiliter dici posset, essetis in eodem corpore & unicæ Ecclesiæ duo Capita quasi monstrum: Nec Jura quæ de Congregatione Generalis Concilii Auctoritate Papæ loquuntur, vindicant sibi locum, cum duo contendunt contra vota & juramenta de Papatu, &c. Gregorio in memoriam revocant, quod olim ad *Benedictum* scripserat, ut eum ad locum mutuæ cessionis concorditer eligendum urgeret: „ Non enim semper de jure suo disputandum est: Sæpe rigor ipse utilitati & tempori cedit. Nam si mulier illa & juri suo renuntiare, & filio suo proprio spoliare se voluit, ne sectionem unius pueri videret, quanto magis nos, si malitia operante ad optatam unionem pervenire non possumus per vias Justitiæ, pie cedendum videtur?

VI. Die 24. Septembris, Cardinales *Benedicti* ad ipsum literas dedere, quas Tom. 6. *Spicilegii*, pag. 225. legere est, quibus illum rursus adhortati sunt, ut ad Pisanum Concilium accederet. Modum convocationis justum atque Canonicum esse, necessarium, ac etiam opportunum; Quia numquam de Concilii Generalis utriusque obedientiæ in unum locum & eodem tempore *Gregorius* cum ipso concordaret;

nec

nec ad utriusque vocationem Subtracti & Neutrales convenirent : „ Estque convenientius Canonibus, verisque „ consonum opinionibus, & Sanctorum Patrum exem„ plis merito imitandum, duobus de Papatu contenden„ tibus, quorum neuter ab universali Ecclesia pro vero „ Pontifice habitus est seu receptus, & quorum Obe„ dientia per multorum subtractiones & neutralitates „ in dies diminuitur & aufertur : super quorum Con„ troversia necessarium est utriusque partis Concilium „ convocandum, quod per Cardinales partis utriusque „ potius, in quibus quantum ad membrorum cohæren„ tiam attinet, est reformatum unitatis vinculum, & „ qui ad hoc solum agunt ut quantum ad subjectionem „ & communionem Capitis inter fideles existat unifor„ mis charitas, convocetur universalis Ecclesia in Con„ cilium Generale : Quorum vocutioni potius parebi„ tur, quam per Sanctitatem vestram & Gregorium, „ quorum Auctoritas ad effectus contemptu plenos de„ ducitur, negligiturque taliter quod, ad vocationem „ vestrum & ipsius, universalis, qui quæritur, non „ sequeretur profectus. Hæ literæ *Benedicto* traditæ sunt a *Joanne Guiardi* Archipresbytero Pictaviensi, quem propterea Cardinales Perpinianum miserant. Respondit ille, Se Concilium Generale Perpinianum convocasse, ibi de mediis ad unionem Ecclesiæ utilibus deliberaturum ; ad illud itaque accederent suas rationes declaraturi. Ejus Responsio data die 17. Novembris, edita est in eodem *Spicilegii* Tomo, pag. 232.

VII. Missus interim ab utroque Collegio in Gallias & in Angliam Cardinalis Burdegalensis, in Germaniam vero ad Comitia Francofordiensia *Landolphus* Cardinalis Barensis, qui Principes ad favendum Concilio Pisis indicto hortarentur, utque Ditionum suarum Præsules ad illud accedere permitterent, Oratoresque destinarent, *Henricus* Angliæ Rex Concilio assensum præbuit, ad illudque Oratores misit, nec non selectos ex Academia Oxoniensi Theologos. Principes ac Præsules Imperii Concilii convocationem pariter approbarunt uno excepto Romanorum Rege *Roberto* qui *Gregorio* addictissimus erat. Anglis Parisios transeuntibus propensionem ac studium erga pacem Ecclesiæ solemni oratione gratulatus est *Gersonius* Parisiensis Academiæ Cancellarius, ejusdem Academiæ nomine. Extat illa Tomo 2. ipsius Operum, pagina 291. In ea probat Ecclesiam licite in aliquibus casibus sine Summo Pontifice, & absque illius auctoritate posse congregari ; alioqui periclitaretur Ecclesia : quod nonnullis exemplis palam facit ; puta, si periculum Ecclesiæ immineret, sive in temporalibus, sive in spiritualibus, & tunc nullus esset Pontifex, nec posset prius institui, quam provideretur Ecclesiæ per assensum communem. Item si Pontifex in amentiam perpetuam incidisset. Item si depravatus esset in intellectu per Hæresim & in affectu per enormes & scandalosos mores, & ad Ecclesiæ destructionem palam laboraret. Item, si rogatus & monitus dare nollet auctoritatem, id est, assensum Concilio, ut impræsentiarum. Quia signum est quod non vult audire Ecclesiam, si non vult eam congregare. Item ubi probabiliter dubitatur quod Fideles numquam ei præstabunt Obedientiam qualemcumque aut non satis utiliter atque concorditer. *In talibus & similibus casibus, Congregatio Ecclesiastica sumit auctoritatem & virtutem seipsam uniendi ex divino semine per universum corpus suum diffuso*. Et ad hoc est textus Legis, Deuteron. 17. & notat Christus Matth. 18. resolvens tandem omnia ad Ecclesiæ Judicium : *Si* (inquit) *Ecclesiam non audierit, &c.*

Gersonii Oratio Gratulatoria ad Anglos.

VIII. Pisanum Concilium stata die 25. Martii, an. 1409. inchoatum est. Præfuit Cardinalis Pictaviensis utriusque Collegii Decanus. Adfuere XXII. Cardinales, quatuor Patriarchæ, scilicet Alexandrinus, Antiochenus, Hierosolymitanus, & Gradensis ; Archiepiscopi duodecim per seipsos, & totidem per Procuratores ; octoginta Episcopi, & duo supra centum aliorum Procuratores ; Abbates octoginta septem, quos inter Cisterciensis, Claravallensis, Grandimontesis, Camaldulensis, & Vallis Umbrosæ ; Generales quatuor Ordinum Mendicantium, Magnus Rhodi Magister cum sexdecim Commendatoribus, Prior Generalis Equitum S. Sepulchri, & Procurator Generalis Teutonicorum Equitum, Magni Magistri totiusque Ordinis nomine ; Academiarum Parisiensis, Tolosanæ, Aurelianensis, Andegavensis, Monspeliensis, Bononiensis, Florentinæ, Cracoviensis, Viennensis, Pragensis, Coloniensis, Cantabrigiensis Deputati ; trecenti & amplius Doctores in Theologia, & Jure Canonico ; Regum Franciæ, Angliæ, Lusitaniæ, Bohemiæ, Siciliæ, Poloniæ, & Cypri, Ducum Burgundiæ, Brabantiæ, Lotharingiæ, Bavariæ, Pomeraniæ, Marchionis Brandeburgensis, Lantgravii Thuringiæ, & omnium pene Germaniæ Principum Oratores. Solemnibus secundum Conciliorum morem peractis, electisque Officiariis Concilii, Advocato Synodi postulante, post triplicem citationem *Gregorii* & *Benedicti* de Summo Pontificatu contendentium, prima, secunda, & tertia Sessione factam ad valvas Ecclesiæ per duos Cardinales a Concilio designatos, tertia ipsa Sessione contumacea declarati sunt his verbis : „ Sancta Synodus Dominum Petrum de Luna, Bene„ dictum XIII. nominatum, Dominum Angelum Co„ rario, Gregorium XII. nuncupatum de Papatu con„ tendentes, & quantum in eis est, Ecclesiam Dei no„ torie in Schismate tenentes, legitime requisitos, vo„ catos, & provocatos in causa Schismatis & Fidei ad „ hoc præsens Sanctum & Generale Concilium, & om„ nia in eo agenda, non venientes seu legitime com„ parentes per se vel per alios, nec termino statuto „ satisfacientes, licet expectatos post terminum per duas „ Sessiones, reputat, decernit, & declarat in causa „ Schismatis & Fidei contumaces ; & ordinat in eorum „ contumaciam ad ulteriora debere procedi, & proce„ dendum fore. „ Sessio sequens ad diem 15. Aprilis indicta ; & eo usque tempus ampliatum est Cardinali Tudertino, qui *Gregorio*, & Cardinalibus *De Flisco*, *Auxitano* & *De Chalanto*, qui *Benedicto* adhærebant : Qui si dicta die non comparerent, in ipsos sicut & in duos Contendentes, legibus ageretur.

Acta Pisani Concilii.

IX. Sessione quarta, Rigensis Archiepiscopus, Wormatiensis Episcopus, Electus Verdensis, a *Roberto* Bavariæ Duce in Romanorum Regem electo missi, ad *Gregorii* partes propugnandas admissi sunt & auditi. Verdensis Electus 24. Quæstiones seu difficultates proposuit adversus ea quæ in *Gregorium* a Cardinalibus gesta erant. Leguntur in Actis Concilii ex Codice Gemmeticensi primum editis Tom. 6. *Spicilegii* ; & deinde in Labbeana Conciliorum Editione, cum Responsionibus a *Petro de Ancharano* Doctore Bononiensi : editis, ab eoque in Synodo lectis Sessione 7. Præcipuæ erant. 1. Utrum Cardinales ei quem ut legitimum Pontificem agnoscebant ac venerabantur, Obedientiam subtrahere potuerint, ante causæ cognitionem, & Sententiam latam ? Responsum est : In Schismate quod duo de Pontificatu contendentes notorie fovent, recusando pertinaciter viam cessionis ad quam solemni Juramento se obstrinxerunt, Obedientiæ subtractionem non solum ipsis licite fieri posse, sed debere. Qui enim agnoscebatur prius ut Papa legitimus, *ex actis & gestis notorie ostendit se esse Schismaticum immo Hæreticum, & ideo cessavit esse Papa : & licet non possit eligi alter Papa ante Sententiam, tamen ante Sententiam potest ab eo recedi*. 16. *Quæst*. 7. Sane *Gloss. in Cap.* Sacerdotes. 11. *Quæst*. 7. *Glossa in Cap.* Cum non liceat de Præscript. *Maxime in casu nostro, ubi qualitercumque obediendo sibi favetur in Schismate ; non obstante Cap.* Ratione 8. *Quæst*. 4. *quia ibi pro dubia suspicione recedebatur. Item obediendo in aliis non favebatur ibi crimini vel hæresi, hic secus*.

Quæstiones a Verdensi Electo propositæ adversus ea quæ in Gregorium a Cardinalibus gesta erant.

Responsiones Petri de Ancharano.

2. Si Cardinales dubitant an *Gregorius* sit legitimus Pontifex, cur non dubitant an sint legitimi Cardinales cum ab ipso creati fuerint ? Porro si de ipsorum Cardinalitia Dignitate sit dubium, cur se ingerunt electioni Summi Pontificis ? Responsum est : Dubium de *Gregorii* Pontificatu *ex nova causa* emersisse, *Quia factus Schismaticus vel Hæreticus* ; quod Cardinalatum præcedentem non attingit.

3. Utrum Concilium Generale convocare possint cum nullam supra Concilium auctoritatem habeant ? Responsum est : Ubi Concilium est convocandum in causa Fidei vel Schismatis, quæ aliter finiri non potest ; *& Papa amicus illud congregare non vult, negligit, aut non potest*, quia forte furiosus vel alia ratione, *non est dubium quin Cardinales hoc possint. Nec est de substantia Concilii quod convocans habeat Auctoritatem super Concilium : sicut Archiepiscopus vocat Concilium*, quod tamen ipso superius est, *quia de eo appellatur ad Concilium*. C. multis. 17. *Dist. Clem.* 1. *in fine* De Sent. Excommun. *§. De casu* C. Si forte 65. *Dist. Sic duæ partes Capituli vocant Capitulum*, & tamen Capitulum est superius. Nec obstat quod *Gregorius* Concilium in Aquilejensi Provincia indixisset. Eo enim tendebat hæc indictio, ut Concilii Generalis convocationem impediret, a quo uno pax Ecclesiæ reddi poterat, compulsis ambobus Contendentibus ad cessionem quam juraverant ; quod particulare Concilium unius Obedientiæ efficere non poterat. *Gregorio* itaque Generale Concilium declinante, & cedere pertinaciter recusante, Cardinales convocare illud poterant, *etiamsi indubitatus Papa esset : immo ex defe-*

Bum

Sum eorum Clerus Romanus potuisset convocare, ut notant *Ostiensis* & *Joannes Andreas*, in Cap. *Licet*, *De Electione*.

4. Utrum *Gregorius* parere Concilio teneretur, cujus pars erant ejus Adversarii, qui a *Benedicto* stabant, pars illi subtraxerat Obedientiam; pars Neutralitatem professa erat? Responsum est: *Neutrales & subtractos magis idoneos esse ad cognoscendum de isto casu Schismatis, & ad introducendum unionem in Ecclesia Dei, quam illos qui firmiter obediunt alteri & ejus partem sustinent & procurant. Ideo hoc non impedit quin vocatus comparere teneatur, ex quo vocatio alias est debite facta: Nec possunt dici adversarii vel inimici, quia ex culpa ipsorum vocatorum procedit hæc subtractio, & criminis impositio*, juxta Cap. Si de rebus 23. *Quæst.* 7. Nec est diffidendum de Judicio Concilii Generalis 20. *Quæst.* 1.

5. Qua ratione duo Collegia, quorum unum verum ac legitimum, alterum falsum ac illegitimum est, in unum convenire potuerint, & alterum alteri jus ac potestatem eligendi Summum Pontificem tribuere? Responsum est: Ex Juramentis in Conclavi utriusque partis factis de omni opera ac diligentia ad extirpationem Schismatis conferenda, ipsos ad conveniendum in unum obstrictos fuisse, ad unionem Ecclesiæ promovendam. *In quo casu etiam cum Excommunicatis & Schismaticis communicare liceret*, 23. *Quæst.* 3. Antecessor. *Nec requiritur habilitatio, nec Cardinalatus creatio, quia etiam Electores possunt ad eligendum secum assumere aliquos, qui jus eligendi non habent. Nec in Cardinales potest aliquid objici circa Cap.* Licet De Electione.

His propositis, Verdensis Electus Regis Romanorum nomine postulavit, ut Concilium alium in locum transferretur, quo *Gregorius* se conferret, libereque Pontificatu cederet, modo idem præstaret *Benedictus*. Synodus ab Oratoribus postulavit, ut quæ proposuerant, scripto traderent, Principisque sui Mandata exhiberent. Quod cum ægre admodum præstitissent, ac Synodus responsionem in alium diem distulisset, mutua contentione demonstrarunt, ob aliud non venisse nisi ad unionem impediendam, & non expectato responso, Patribusque insalutatis abierunt, affixa ad Ecclesiæ valvas Protestatione contra Concilium, cujus nulla habita ratio est. Die 21. Aprilis, Diniensis Episcopus, ex Ordine FF. Minorum, hoc Themate Concionis assumpto, *Mercenarius fugit, quia mercenarius est*, Objectiones Oratorum Regis Romanorum egregie confutavit.

X. Sessione quinta, quæ 24. Aprilis celebrata est, Advocatus Concilii rerum a Schismatis exordio gestarum diffusam narrationem ex Scripto recitavit. Concilii Promotor postulavit, ut duorum Collegiorum unio, Concilii convocatio, duorum Contendentium citationes, & contumaciæ illorum declaratio a Sacra Synodo confirmarentur: Iidemque ut Notorii Schismatici lata sententia abjicerentur, ipsisque prohibetur, ne pro Summo Pontifice se gererent: Cunctique Fideles ab eorum obedientia, non obstante cujuslibet Juramenti vinculo absolvarentur, iisque vetaretur ne dictis Contendentibus auxilium vel favorem præstarent, sub pœnis Excommunicationis, & aliis per Sacros Canones statutis. Et si Concilii Sententiæ parere contemnerent, a Sæcularibus Potestatibus comprimerentur. Postulavis insuper, ut omnes Processus, & Sententias ab iisdem Contendentibus latas, Synodus irritas diceret.

Sexta, septima, & octava Sessionibus, deputati sunt a singulis Nationibus Commissarii, qui testes audirent, & Instrumenta examinarent utriusque Contendentis causam spectantia, quamvis id necesse non esset ob factorum evidentiam. Sessione ipsa octava declaratum est, unionem utriusque Collegii ad extinctionem Schismatis & ad pacem Ecclesiæ procurandam jure factam esse: A Cardinalibus ita conjunctis Concilium Ecclesiæ universalis congregari potuisse quod isti negotio provideret: *Hic esse Generale Concilium repræsentativum totius Ecclesiæ Catholicæ, rite, juste, & rationabiliter fundatum & congregatum: & ad hoc Generale Concilium, tamquam ad unicum Superiorem & Judicem in terris, pertinere hujusmodi causæ, & omnium propositorum contra Benedictum & Gregorium contendentes, seu colludentes, cognitionem, examinationem, decisionem & omnimodam determinationem omnium & singulorum ad dictam causam pertinentium, quoquo modo dependentium, incidentium, seu emergentium.*

XI. Sessione nona, pronuntiavit & decrevit Synodus, ex justis & rationabilibus causis a *Petro de Luna*, qui *Benedictus XIII.* & *Angelo Corario*, qui *Gregorius XII.* dicebantur, improbe contendentes de Papatu, & ab ipsorum cujuslibet Obedientia licuisse recedere libere & impune, ex quo constitit eos non habere, vel non habuisse voluntatem uniendi Ecclesiam per viam juratam & ab Ecclesia electam. Pronuntiavit insuper, utrique subtrahendam esse Obedientiam. Sententias omnes & Censuras ab alterutro latas in detrimentum unionis Ecclesiæ contra se subtrahentes aut subtractos ab ipsorum Obedientia, irritas declaravit. Item, Omnes qui in hac causa Judices esse possent, etiam legitimos testes esse posse; quod in favorem fidei, & pro Schismatis extirpatione decretum est. Observatis in sequentibus Sessionibus solemnibus Juris quoad citationes Contendentium & auditiones testium contra illorum ambitionem, pertinaciam, perjurium, &c. Sessione 13. Magister *Petrus Plaoult*. in Sacra Facultate Parisiensi Doctor Theologus, postea Silvanectensis Episcopus, & Sorbonæ Provisor, ex ejusdem Academiæ sententia declaravit, Ambos Contendentes censendos esse Schismaticos & Hæreticos pertinaces, & ab Ecclesia præcisos & abjectos, & quantum opus esset, præcidendos & abjiciendos. Tum de Ecclesiæ Auctoritate præclare dixit, hoc sumpto Themate: *Congregabuntur filii Juda & filii Israel pariter, & ponent sibimet Caput unum* (Oseæ 1.) Eamdemque Ecclesiam *esse Romano Pontifice Superiorem*, pluribus rationibus probavit; ex parte materiæ, scilicet animarum; ex parte formæ, quæ est Spiritus Sanctus; ex parte causæ efficientis, quæ est ipse Christus; ex parte finis, qui est ipse Deus in Ecclesia Triumphante. Deinde *Petrum de Luna* Schismaticum, pertinacem, Hæreticum, etiam proprie sumpta hæresi, a Pontificatu excidisse, & per Concilium tamquam de facto talem ejiciendum ac privandum: in eaque Sententia esse non solum Parisiensem, sed Andegavensem, Aurelianensem, Tolosanamque Academias asseruit. Bononienses Doctores Parisiensibus consentire, quidam Episcopus Italus testatus est. Die 1. *Junii*, Pisanus Archiepiscopus suo & aliorum Commissariorum nomine Relationem fecit accuratam Inquisitionum contra *Petrum de Luna* & *Angelum de Corario* habitarum.

Sententia depositionis in Petrum de Luna & Angelum de Corario lata.

Sessione 15. lecta est citatio Contendentium ad audiendum Sententiam definitivam Concilii in causa unionis Ecclesiæ, Fidei & Schismatis. Lata revera & promulgata contra ipsos Sententia est, tamquam in notorios Schismaticos, & antiqui Schismatis nutritores, defensores, fautores, pertinaces, nec-non notorios Hæreticos & a fide devios, notoriisque criminibus perjurii & violationis voti irretitos, universalem Ecclesiam notorie scandalizantes, cum incorrigibilitate, contumacia & pertinacia notoriis, evidentibus & manifestis; quibus se omni honore & dignitate, etiam Papali, indignos reddiderunt. Utrumque Sacra Synodus nihilominus privat & abjicit, inhibet ne aliquis eorum pro Summo Pontifice gerere se præsumat. Ecclesiam Romanam vacare declarat, Christianos omnes ab eorum Obedientia in perpetuum absolutos denuntiat; sub pœna Excommunicationis, aliisque pœnis Catholicis vetat ne ipsis pareant; ipsos & eorum fautores a Sæcularibus Potestatibus comprimi jubet, singulos Processus & sententias ab ipsis latas, ad cautelam mittit in irritum; creationes Cardinalium ab *Angelo Corario* factas a die tertia Maii, & a *Petro de Luna* a die decima quinta Junii anni millesimi quadringentesimi octavi, fuisse & esse nullas, irritas, & inanes pronuntiat.

XII. Sessione decima sexta Cardinalium Schedulam ex pulpito legit Pisanus Archiepiscopus, qua Deo, Ecclesiæ Romanæ, & Sanctæ Synodo promittunt in verbo veritatis, quod si quis ipsorum in Summum Pontificem eligatur, præsens Concilium continuabit nec dissolvet, aut dissolvi permittet, donec ab eo facta sit debita & sufficiens *Reformatio universalis Ecclesiæ, & Status ejus, tam in capite, quam in membris*. Si vero aliquem Cardinalium absentium, vel extra Collegium, ad Summum Pontificatum assumi contingat; procurabunt ut eadem promissione se obstringat, antequam ejus electio publicetur.

Sessione decima septima, de Romani Pontificis electione agi cœptum. Synodus Cardinalibus utriusque Obedientiæ jus suffragii dedit in electione, etsi dubium moveri posset quinam essent legitimi Cardinales. Irrita rursus & nullius momenti declaravit, quæ a *Petro de Luna* quocumque tempore, & ab *Angelo de Corario* a die tertia Maii anni 1480. decreta & facta essent contra Principes, Prælatos, alios Viros Ecclesiasticos, Academias, Collegia, Communitates urbium, castrorum, &c. singularesque personas unionem Ecclesiæ procurantes ac promoventes. Regis Aragonum Ora-

Oratoribus concessa audientia est, nec-non *Petri de Luna* Legatis, ob Regis reverentiam; quamvis de jure audiri non deberent contra Sententiam in *Hæreticum* (ut dicitur) latam, sed extra Synodum sunt audiri, nec ullus ipsis habitus honos.

Alexandri V. electio.

Die 15. Junii, post solemne Sacrum, & Sermonem habitum ab Episcopo Novariensi sub hoc Themata: *Eligite meliorem, & eum ponite super solium.* (4. Reg. 10.) Cardinales numero XXIV. Conclave sunt ingressi. Die 26. ejusdem mensis unanimi consensu in Summum Pontificem elegerunt *Petrum Philargi*, alias *Philaretti*, vulgo *De Candia* nuncupatum, titulo SS. duodecim Apostolorum Presbyterum Cardinalem, qui nomen sumpsit *Alexandri Quinti*. Sessiona 18. Decreto electionis promulgato, Pontifex Concionem habuit hoc sumpto Themate: *Erit unum ovile, & unus Pastor.* Dominica sequente 7. Julii solemni ritu coronatus est.

Sessione 19. habita decima Julii, Summus Pontifex *Alexander* ut conscientiarum quieti consuleret, cum in dubium verteretur a multis quis a Schismatis exordio fuisset Romanus Pontifex, omnes Censuras & Sententias dicti Schismatis occasione hinc inde latas irritas declaravit, omnesque dictis Censuris & Sententiis irretitos ad cautelam absolvit. Item omnes & singulas dispensationes factas per Contendentes, super Matrimoniis & aliis casibus forum conscientiæ spectantibus, eorum durante Obedientia, ratas habuit & confirmavit.

Sessiona 20. cui Siciliæ Rex *Ludovicus* interfuit die vigesima septima Julii, *Alexander V.* Sacro approbante Concilio, omnes & singulas electiones, postulationes, promotiones, confirmationes, collationes, quascumque provisiones, quibusvis personis pacifice possidentibus & huic Sacro Concilio, ejusque Decretis adhærentibus, de quibuscumque Prælaturis, Dignitatibus, & Beneficiis Ecclesiasticis, Consecrationesque Episcoporum, & Ordinationes Clericorum, per illos Contendentes de Papatu, aut eorum alterum, seu eorum Prædecessores, aut eorum mandato vel auctoritate, temporibus & locis in quibus eisdem realiter & libere præstabatur Obedientia, dum tamen ante Sententiam & canonica factæ essent, nec in detrimentum unionis, ratas habuit & confirmavit. Item electiones, postulationes, ipsarum admissiones, confirmationes, mutationes, collationes, præsentationes, institutiones, permutationes, & quasvis Provisiones huic Sacro Concilio, & ejus Decretis adhærentibus de quibuscumque Beneficiis Ecclesiasticis & Prælaturis per Electores, Confirmatores, Patronos, Ordinarios, & quoscumque Provisores ad hoc habentes potestatem & auctoritatem, canonice factas temporibus & locis subtractionis & Neutralitatis, in quibus hujusmodi Contendentibus Obedientia non præstabatur, dummodo canonice factæ essent, pariter approbavit. Itam, omnes & singulos Beneficia Ecclesiastica, Dignitates, Personatus, vel Officia Curata, seu Parochiales Ecclesias titulo ordinario assecutus, & possessionem pacificam jam adeptos, dum tamen canonice, & alias quam per privationem adhærentium huic Sacro Concilio, & ejus Decretis hujusmodi Beneficia obtinuerint, iis libere & pacifice frui permittit; etiamsi speciatim Sedi Apostolicæ reservata essent. Se tamen derogare Pontifex declarat *Ordinationibus circa præmissos Articulos factis in ultima Congregatione Prælatorum, & aliorum Ecclesiasticorum Parisiis facta.* Item legibus agendum decrevit contra obedientes & adhærentes pertinaciter *Petro de Luna* & *Angelo Corrario* ceu contra fautores Hæreticæ Pravitatis. Hac etiam Sessione Pontifex *Sacro approbante Concilio*, certis magnis & arduis causis moventibus, Synodum alteram Œcumenicam ad triennium indixit, videlicet anno 1412. mense Aprili loco idoneo, anno antea declarando celebrandam. Omnes denique dispensationes ab Episcopis Diœcesanis in partibus neutralibus concessas de ætate ad obtinenda Beneficia, Dignitates, aut Prælaturas necessaria: omnes etiam absolutiones & restitutiones in integrum in foro pœnitentiali, tam per Contendentes de Pontificatu, quam Ordinarios, tempore Schismatis factas in Casibus Sedi Apostolicæ Reservatis, approbavit & confirmavit.

XIII. Sessione vigesima prima, quæ die 7. Augusti celebrata est, Summus Pontifex Sacro approbante Concilio decrevit, ut bona immobilia Ecclesiæ Romanæ seu aliarum Ecclesiarum nullatenus alienarentur aut in hypothecam traderentur, usque ad proximum Concilium Generale, in quo maturior ea de re haberetur deliberatio. Decrevit præterea jussitque, eodem approbante Concilio, ut Synodi Provinciales & Diœcesanæ secundum formam Juris, & Concilii Generalis celebrarentur; nec-non Capitula Monachorum & Canonicorum Regularium. Tertio statuit eodem Sacro approbante Concilio, Translationes de invitis non facere, nisi parte audita & vocata & de consensu majoris partis Cardinalium, justisque de causis. Quarto, mittendos Nuntios ad Reges & Principes ad promulgationem hujus Concilii & executionem Decretorum ipsius promovendam. Quinto multa retro debita Cameræ Apostolicæ ratione Majorum & Minutorum Servitiorum generosus Pontifex remisit, sicut Sessione præcedenti reservationes de Spoliis defunctorum Prælatorum, & fructuum obvenientium Sede vacante, a quibusdam prædecessoribus suis factas remiserat. Sexto omnibus qui Concilio interfuerant, ejusque Decretis adhærebant, Indulgentiam Plenariam concessit, infra duos menses, & in articulo mortis applicandam. Septimo, *Reformationem Ecclesiæ in Capite & in membris* a Concilio Decretam, Conciliumque ipsum prorogavit Pontifex ad alterius usque Concilii Œcumenici, ad triennium indicti, celebrationem: Hæc omnia constant ex Actis Concilii ex Gemeticensis Abbatiæ MS. editis Tom. 6. *Spicilegii Dacheriani*, ex aliis item antea editis in Biniana Conciliorum Collectione, & ex Monacho Sandionysiano in Historia *Caroli Sexti*. Nam tamen idem ubique est Sessionum numerus. Non viginti tres in Actis Binianæ Collectionis; in editis vero a *D. Luca Dacherio* XXI. dumtaxat numerantur.

XIV. Pisanam Synodum *S. Antoninus* ut legitimam & Œcumenicam non agnovit, 3. P. Chronicorum Tit. 22. §. 11. *Per Pisanum Concilium* (inquit) *vel Conciliabulum, (cum non esset alicujus eius eorum, qui se gerebant pro Pontifice auctoritate congregatum) non erat ablatum ipsum Schisma, sed augmentatum, tribus jam se pro Papa gerentibus.* Et §. sequenti de *Alexandro V.* loquens, ait ipsum anno uno *Sedem S. Petri tenuisse secundum communem opinionem*; significans ex sua Sententia *Alexandrum V.* legitimum non fuisse Pontificem, sed *Gregorium* XII. Cum *S. Antonino* sensit *Cajetanus* Cardinalis Tractatu 2. De Auctoritate Papæ & Concilii, Cap. 11. *Ad secundam objectionem* (inquit) *de Successione ad Concilium Pisanum dicitur. Quod nec illud Concilium constat fuisse certum & indubitatum, ut cæteris omissis patet ex duobus, primo, quia assertio ista revocaret antiquum Schisma. Quid enim aliud est dicere, Concilium illud Pisanum cum Alexandro V. certum & indubitatum, quam certe & indubie damnare Gregorium XII. & Benedictum XIII. cum suis Obedientiis? Hoc autem est redire ad illud Schisma.* Ad hanc opinionem *Sanderus* accedit Lib. 7. De Visibili Monarchia, ubi de tribus Pontificibus tempore Constantiensis Concilii verba faciens, de Gregorio XII. sic loquitur: *Quem titulum justissimum habuisse putaverim.* Qui Scholia scripsit *S. Antonini* Chronico addita, & *Odoricus Raynaldus* ad annum 1409 Num. 79. & 80. eidem sententiæ subscribunt. Cardinalis *Bellarminus* Lib. 1. *De Conciliis & Ecclesia*, Cap. 8. Concilium Pisanum *nec approbatum, nec reprobatum*, esse docet. Non approbatum ut asserat, movetur auctoritate *S. Antonini*, & quod eventus idem ostendisse videatur: coactum enim Concilium fuit ad Schisma tollendum, & tamen illud non sustulit, sed auxit. *Si autem* (inquit) *sine dubio fuisset reprobatum, etiam sine dubio Alexander Sextus se non Sextum, sed Quintum appellasset. Adde quod est ferme communis opinio, Alexandrum & qui ei successit Joannem fuisse veros Pontifices. Et certe ex tribus qui tum se pro Pontificibus gerebant, isti maxime ut veri Pontifices colebantur.*

Petrus Maturus.

Concilii Pisani auctoritas œcumenica defenditur.

At *S. Antonini* hac in re auctoritas non multum nos movet: illi enim, & paucis qui ipsum secuti sunt, Auctoribus, Romanæ, & Universalis Ecclesiæ Sententiam opponimus, quæ Pisanum Concilium seu legitimum & Œcumenicum agnovit, cum *Alexandrum V.* & *Joannem* XXIII. ut veros ac legitimos Pontifices agnoverit in Concilio Constantiensi congregata quod *Joannis* ipsius auctoritate convocatum est. Porro veri Pontifices non fuissent, nisi *Gregorius* & *Benedictus* tum superstites legitime depositi fuissent: Nec legitime fuissent depositi, nisi Pisanum Concilium legitimum extitisset. Quamvis enim *Gregorius* potestatem dederit *Joanni Dominici* Cardinali Ragusino convocandi suo nomine Concilii Constantiensis, idque præstiterit 14. Sessiona his verbis: *Istud Sacrum Concilium Generale convoco, & omnia per ipsum agenda authorizo & confirmo juxta modum & formam prout in Literis Domini nostri nunc lectis plenius continetur:* Hujusmodi tamen convocatione opus non fuit ut Synodus Constantiensis legitima & vere Œcumenica esset,

set, cujus Sessiones quatuordecim jam celebratæ fuerant & in octava damnatus eum suis erroribus *Wicleffus*. Sed œconomia quadam permisit Synodos pro bono Ecclesiasticæ pacis, ut *Gregorius* ad Cessionum paratissimus, ea solemnitate cederet, ae speciem illam Pontificiæ Majestatis & Auctoritatis, data ad cedendum Procuratione exbiberet, ne cessisse videretur invitus. Id tantilli solatii venerando Seni datum, ne severiori Juris discussione ac observantia Ecclesiæ unio retardaretur. His autem adversus Pisanam Synodum præjudiciis occopatus videri potest Sanctus Archipræsul Florentinus a *Joanne Dominici*, cujus discipolus fuerat, uno ex quatuor illis Cardinalibus, quos violata jorisjurandi religione *Gregorius* XII. creaverat, & qui eidem *Gregorio* ad ipsius ofque Cessionem constanter adhæsit, ejusque Legationes obiit.

Aliis Auctoribus *Gersonium* oppono non solum in locis superius laudatis, sed in Tractato *De Auferibilitate Papæ ab Ecclesia*, Consideratione 20. scribentem: *Hi nutu Dei & Spiritus Sancti, sicut credendum est, inspiratione tracti fuerunt, qui ad convocationem Sacri Concilii Pisis celebrandi dederunt operam*. Oppono *Ægidium* Cardinalem Viterbiensem in Historia MS. 20. Sæculorum, ubi de Cardinalibus Benedictinæ & Gregorianæ Obedientiæ sic loquitor: *Duce Deo, illi Avenione, hi Romæ solvunt, utrique tandem Religioni consulturi, pandunt vela ventis, utrique Pisas, eodem non vento, sed Numine potius afflante, pervehuntur. Patres rem mirati, ac divinam Providentiam animadvertentes, attoniti tanto eventu primum, deinde incredibili affecti lætitia, alteri amplectuntur alteros, alteri ad Schisma abolendum alteros adhortantur*. Accedont *Dominicus Jacobatius* Cardinalis, lib. 3. De Conciliis, *Azorius*, pag. 2. lib. 5. cap. 17. Sacra Facultas Parisiensis, Academiæ ceteræ, quæ Deputatos ad Pisanum Concilium miserunt. Et quidem nullius ponderis est *S. Antonini*, aliorumque ratio, sed caduca prorsus, nimirum quod Pisanum Concilium a Summo Pontifice congregatum non fuerit. Esto enim secundum legem communem necesse sit ut Concilia Summi Pontificis auctoritate congregentur, aut certe ipso consentiente & probante, cum verus est, legitimus ac certus Pontifex, nec recusat illa congregare urgente Ecclesiæ necessitate; negari tamen merito non potest quin Synodus Œcumenica absque Summi Pontificis auctoritate convocari & celebrari possit, si nullus sit, vel dubius & Schismaticus; seu duo Contendentes de Pontificatu, qui juratam cessionem exequi nolunt, sed pertinacia sua Schisma fovent. Nisi enim tunc auctoritatem haberent Cardinales, vel Catholici Principes Concilium congregandi, & agendi contra eos qui pro Pontificibus se gerunt, Christus Ecclesiæ suæ non satis prospexisse videretur: Hinc *Adrianus* II. in Epistola quæ lecta est & approbata in Octava Synodo, Actione 7. scribit: *Romanum Pontificem de omnium Ecclesiarum Præsulibus judicasse legimus, de eo vero quemquam judicasse non legimus. Licet enim Honorio ab Orientalibus Anathema dictum sit; sciendum tamen est quod super hæresi fuerat accusatus; propter quam solum licitum est minoribus Majorum suorum moribus resistere*. Quod Theologi omnes ad causam Schismatis pariter extendunt, quia Schisma inveteratum facile in hæresim degenerat, & quia sua collusione, ambitione, pertinacia Schisma fovent, *Unam Sanctam Ecclesiam Catholicam* non credere præsumuntur. Cum igitur *Angelus Corrario* dictus *Gregorius* XII. & *Petrus de Luna*, dictus *Benedictus* XIII. manifeste de Pontificatu colluderent, Schismatis fautores essent, pacem & unitatem Ecclesiæ dare per viam mutuæ cessionis ab ipsis alias approbatæ, Juramento irrevocabiliter firmatæ, & ab ipsorum altero voto etiam roboratæ, pertinaciter recusarent; cum etiam suspicionem hæreseos incurrissent, asserentes viam mutuæ cessionis ad unionem Ecclesiæ procurandam esse malam, perniciosam, & diabolicam: absque ipsorum auctoritate convocari, celebrarique potuit Concilium, in quo adversus ipsos ageretur, & eorum exauctoratio decerneretur. Sane hæreseos notam illis inustam probat Synodi Sententia ab *Oderico Raynaldo* relata ad annum 1409. qua inter alias exauctorationis ipsorum rationes hæc tertio loco profertur: *Quia errores fidei oppositos & hæresim continentes manifeste & notorie, tenuerunt pertinaciter & indurate asseruerunt, prædicaverunt, seu alias publice dogmatizaverunt & defenderunt, dum dixerunt in sua ambitionis defensionem, Quod via mutuæ cessionis per ipsos jurata tam sancta & justa, auctoritatibus Novi & Veteris Testamenti conveniens, Sanctorum dictis pariter & exemplis, & determinationi Ecclesiæ, & quæ summæ Charitatis & unitatis existit, continens summum & perfectum bonum, erat mala, iniqua, exosa, perniciosa, diabolica, & continens peccatum, si fieret, seu executioni mandaretur pro unione habenda. Quæ Assertiones ad derogationem fidei, & quantum in eis est, in correptionem Articuli*, Unam Sanctam Ecclesiam *evidenter & inexcusabiliter censentur pertinere*.

XV. Illud *S. Antonini*, aliorumque fundamentum Venerabilis *Gersonius* evertit in Sermone habito coram *Alexandro* Papa in die Ascensionis Domini, ubi de Pisano Concilio sic loquitor: *Unde convocatio Concilii tam mira? Unde prius discordantium mandita confusio? Unde tot Præsulum ac Sapientum concursus tam celer? Non causa esse dissensionis, sed pacis. Non vocavit Papa, fuit conventiculum. O ridenda & irrationabilis nimium ratio! Neque vero ad quatuor illa Concilia, quæ in Actibus Apostolicis describuntur, Petrus vocasse memoratur. Neque Synodus Nicæna jussu Silvestri, sed Constantini convenisse legitur. Ad Quintum universale Potius Concilium contra Theodorum Nestorii discipulum, nemine convocante sese Patres exhortati sunt. Fuere ergo conventicula? Cave diveris. Coluntur tamquam Evangelica. Quid si Schisma dubios reddit Christianos, quem duorum pro Papa colant? Quid si (quod perrarum est) Summus Pontifex labatur in hæresim, ut legimus Liberium Arianæ pravitati subscripsisse? Quid si in tolerandis moribus Christianitatem gravaret? An adversus tantos morbos nullam relinquis medelam? Relinque, inquias. Credo sane. Nam imperfectam nimium Ecclesiasticam Politiam adstrueres, nec a Deo, cujus perfecta sunt opera, salubriter institutam (quod credere nefas est) si quis in eam morbus posset incurrere, contra quem nulla posset adhiberi medicina. Sed tamen nulla memoratis casibus relinquitur, si non aliquando sine Papæ vocatione convenire possit Ecclesia.*

XVI. Hanc doctrinam Christianissimus Doctor tradit explicatius in Tractatu qui inscribitur: *Propositiones utiles ad exterminationem præsentis Schismatis per viam Concilii Generalis*: Parte 4. ipsius Operum p. 105. quas quidem propositiones operæ pretium fecero si subjecerim.

„ 1. In unitate Ecclesiæ Capitis, Christi Sponsi Ecclesiæ, plene ac perfecte consistit unitas corporis mystici totius Ecclesiæ Christianæ, juxta illud: *Christus est Caput Ecclesiæ*: & illuc: *Omnes unum Corpus sumus in Christo*.

„ 2. Licet Papa in quantum Christi Vicarius quodammodo dici possit Caput Ecclesiæ, & ipsius Sponsus, tamen Ecclesiæ unitas non necessario dependet aut originatur ab unitate Papæ. Patet ex prima; & etiam quia nullo modo existente Papa, semper Ecclesia remanet una, juxta illud Canticorum: *Una est Columba mea*: & illud Symboli: *Unam Sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam*.

Sede scilicet vacante.

„ 3. A Christo Capite & Sponso Ecclesiæ Corpus Mysticum, quod est Ecclesia, originator, & immediate potestatem habet, & auctoritatem, ut ad suam unitatem conservandam rite valeat seipsam ad Generale Concilium ipsam repræsentans congregare, Patet ex illo verbo Christi: *Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, in medio illorum sum*. Ubi advertendum est, quod non dicit: *In nomine Petri*, vel *In nomine Papæ*, sed *In nomine meo*: dans intelligere quod ubicumque congregantur Fideles, cum hoc fiat in nomine suo, hoc est, in Christi fide, & pro Ecclesiæ suæ salute, ipse assistit eis tamquam Director & infallibilis Ecclesiæ Rector. Confirmatur: Quia alias Christus non fuisset sufficiens fundator Ecclesiæ Sponsæ suæ.

„ 4. Non solum Auctoritate Christi, sed etiam communi Jure naturali, præmissam potestatem habet Corpus Mysticum Ecclesiæ Dei. Patet; Quia quodlibet corpus naturale naturaliter resistit suæ divisioni, & distractioni; & si sit corpus animatum, naturaliter congregat omnia membra, omnesque vires suas ad conservandam suam unitatem & repellendam suam divisionem. Simili quoque modo & quodlibet corpus civile, seu civilis communitas, vel politia rite ordinata. Ideoque corpus spirituale seu mysticum Ecclesiæ Christianæ quod ordinatissime compositum est, (Ipsa quidem Ecclesiastica Politia in Canticis describitur velut *Castrorum acies ordinata*) simili jure uti poterit

„ ad suam unitatem conservandam, & quamlibet Schismaticam divisionem repellendam, tamquam suæ ordinationis destructivam.

„ 5. Præmissa Auctoritate & auctoritativa potestate usa est Ecclesia Primitiva. Patet; Quia in Actibus Apostolorum quatuor leguntur Concilia Generalia congregata; & non habetur quod sola auctoritate *Petri* fuerunt convocata, sed communi consensu Ecclesiæ.

„ 6. Post incrementa nascentis Ecclesiæ primitivæ præmissa auctoritas & potestas congregandi Generalia Concilia rationabiliter limitata fuit & restricta, sic scilicet quod sine Auctoritate Papæ nulli liceret hujusmodi Concilia congregare. Patet ex Juribus communibus, quæ habentur in Decreto & Decretalibus. Et ratio fuit, ut honoraretur Sedes Apostolica, & ut obviaretur Hæreticis vel Schismaticis, qui quandoque ad libitum pro potentia Principum sæcularium Concilia vocari & congregari procurabant ad suorum errorum fulcimentum.

„ 7. Præmissa limitatio seu restrictio non tollit quin prædicta auctoritativa potestas semper absolute remaneat in ipsa universali Ecclesia. Patet; Quia Jura positiva non possunt ab Ecclesia absolute tollere illam Potestatem quæ ei convenit divino & naturali Jure.

„ 8. Non obstante limitatione seu restrictione præmissa, in certis casibus Ecclesia sine Auctoritate Papæ potest Concilium Generale celebrare. Patet per prædicta. Et etiam, quia quod est in favorem Ecclesiæ introductum, non est in ejus damnum & grave periculum observandum: Sed prædicta limitatio seu restrictio, quæ in favorem Ecclesiæ jure positivo legitur introducta, posset in certis casibus eidem gravissime præjudicare. Et specialiter possunt tres casus assignari. Primus est, Si vacante Sede occurreret hæresis, vel alia Ecclesiæ persecutio, cui esset per Generale Concilium obviandum. Secundus si in casu necessitatis vel manifestæ utilitatis vocandi Concilium, Papa esset furiosus aut Hæreticus, vel aliis ad hoc inutilis, vel insufficiens; si super hoc requisitus, Concilium vocare recusaret, aut damnabiliter negligeret. Tertius, si plures essent contendentes de Papatu, ita quod nulli eorum tota obediret Ecclesia, nec ad alicujus eorum, aut amborum simul vocationem compareret, sicut esse videtur in præsenti Schismate. In his igitur aut similibus casibus, clare patet ex præmissis, quod absque auctoritate Papæ posset & deberet Ecclesia Generale Concilium celebrare.

„ 9. Jura positiva quæ communiter dicunt, quod absque Papæ Auctoritate non est fas Generale Concilium congregare, debent civiliter intelligi, scilicet, quando est unicus Papa concorditer ab Ecclesia receptus, ad congregandum hujusmodi Concilium, occurrente evidenti utilitate, idoneus & paratus. Patet ex prædictis, & ea doctrina Aristotelis 10 Ethicis ubi loquitur de Epikeia.

„ 10. Pro sedando præsenti Schismate, absque Auctoritate Papæ, immo ipso contradicente, potest Auctoritate universalis Ecclesiæ Generale Concilium congregari; & non solum per Dominos Cardinales convocari, sed etiam in casu per quoscumque Fideles, specialiter majores & potentiores, qui vel auctoritativa potestate, vel charitativa admonitione, scirent & possent ad executionem cooperari. Patet ex præmissis.

XVII. Ecclesiæ magis favet illa *Gersonii* & Sacræ Facultatis Parisiensis, nec-non Gallicanæ Ecclesiæ, & aliarum quæ ad Concilium Pisanum convenerunt, vel eidem adhæserunt, Sententia, quam opposita *Petri de Luna* in Actis Barcinone editis; in quibus contra Pisanos Patres hunc in modum loquitur: *Potestatem & Auctoritatem convocandi Generale Concilium a tempore Sanctorum Apostolorum solis Romanis Pontificibus reservatam temere usurpantes, Prælatos tam obedientes quam ab eadem Obedientia etiam eorum malitia procurante subtractos, ad Generale Concilium, immo verius Conciliabulum, per eos Pisis de facto celebrandum, seu verius profanandum, per diversas mundi provincias per literas de facto citaverant, & fecerant convocari.*

XVIII. Addendum, inter conditiones Concilii Generalis a *Gelasio I.* in Epistola ad Episcopos Dardaniæ assignatas, convocationem a Summo Pontifice factam non recenseri, sed solum Apostolicæ Sedis approbationem: *Per bene gestam Synodum*, (inquit) *id est, secundum Scripturas, secundum Traditionem Patrum, secundum Ecclesiasticas Regulas, pro Fide Catholica & communione prolatam, quam cuncta recepit Ecclesia, quam maxime Sedes Apostolica comprobavit*, &c. Porro Sedes Apostolica Pisanum Concilium approbavit, confirmavit *Alexander V.* Romana suscepit Ecclesia, quæ *Alexandrum* seu legitimum Pontificem venerata est. Confirmavit, inquam, *Alexander V.* primo in fine ipsius Concilii Pisani, ut in Actis a D. *Luca Dacherio* Tom. 6. *Spicilegii*, deinde in Labbeana Conciliorum Collectione editis legitur: *Item Dominus noster, Sacro approbante Concilio decernit, quod per dictum Dominum nostrum, cum Cardinalium consilio, deputentur Nuntii solemnes, & mittantur ad Reges & Principes, cunctos Fideles ad publicandum & prosequendum Auctoritate Domini nostri Papæ & Sacri Concilii Acta in isto Sacro Concilio.... Item Dominus noster Sanctissimus cum consilio Concilii intendit reformare Ecclesiam in Capite & in membris.* Confirmavit iterum eamdem Synodum singulari Diplomate post ejus celebrationem. Diploma confirmationis datum Bononiæ an. 1409. a. Kalendas Februarii legere est apud *Odoricum Raynaldum* Num. 7. cujus hæc sunt verba: *De consilio Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, prædictam Sententiam, & omnia alia & singula, quæ per Concilium hujusmodi pro tollendo Schismate & reintegratione memorata facta fuerunt, utpote provide & maturum venerandorum Patrum, immo universalis Ecclesiæ auctoritate & concordia facta, rata habentes & grata, ea auctoritate Apostolica ex scientia approbamus, & præsentis scripti patrocinio communimus, decernentes non minoris existere vigoris & firmitatis hujusmodi Sententiam, nec-non omnia & singula acta in eodem Generali Concilio in hac parte, quam fuerunt, & sunt alia Concilia in diversis arduis negotiis ipsius Ecclesiæ celebrata &c.* Et in suprema ægritudine, cum nosset mortem prope instare, adstantibus Cardinalibus, *Testatus est per eam mortem, quam ante oculos se continuo cernere dicebat, nec reformidare, conscientia bene acta vitæ motus, se existimare & credere, quæ in Concilio Pisano decreta fuissent, recte atque integre facta esse omnia, sine dolo malo fraudeve.* Cum hæc dixisset, lachrymantibus omnibus qui aderant, obiit, illud Salvatoris verbum proferens: *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis.* Ita referunt *Platina & Ciaconius* noster in vita *Alexandri V.* Et *Dominicus Tempesta*, Romanus in Vita, Alexandri V. *Dimissa* (inquit) *Synodo Pisana, Bononiam profectus, ægritudine quadam corporis oppressus, cum se proximum morti nosset, accitis Cardinalibus, iisque ad concordiam & Ecclesiæ bonum cohortatis, rursus Concilii Pisani Decreta tamquam æquo jure facta confirmavit.* Eadem pene habet *Simon Starovolscius* in Epitome Conciliorum Romæ edita.

XIX. Nullius etiam roboris est ratio altera ob quam *S. Antoninus*, & alii, Pisanum Concilium legitimum & Œcumenicum non fuisse contendunt, quod scilicet Schisma non sustulerit, sed auxerit. Sustulit enim quantum in se erat, Schismaticis Pseudo-Pontificibus exauctoritatis, legitimo Pontifice electo; quamvis utriusque pertinacia in Ecclesiæ Judicio acquiescere nolentis, Schisma continuatum sit. Sicut ergo alia Concilia ad evertendas hæreses, Hæreticosque comprimendos, & ad Schisma Græcorum extinguendum congregata, ceu legitima & Œcumenica recipimus, veneramur, & prædicamus, quamvis post eorum celebrationem nihilominus grassatæ sint hæreses, eodemque Schismate Ecclesia Græca divisa fuerit a Latina: sic legitima & Œcumenica fuit Pisana Synodus, etsi Schisma penitus non extinxerit; cum ad illius extinctionem fecerit quidquid jure poterat & debebat. Præterea, longe facilius Schisma extinctum est quam fuisset nulla celebrata Synodo, & *Benedicto* atque *Gregorio* non abdicatis. Maxima siquidem orbis Christiani pars ab illorum Obedientia secessit, utriusque Collegii Cardinales conjuncti sunt, unicus Pontifex legitimus electus est. Concilium alterum Generale indictum, scilicet Constantiense; cujus tandem Auctoritate Schisma penitus abolitum est.

XX. Inanis est & *Cajetani* objectio, & quæ in ipsum facile retorquetur. Asserere namque Pisanam Synodum legitimam non fuisse, est renovare Schisma, & damnare *Alexandrum V. Joannem XXIII.* immo & *Martinum V.* in Concilio Constantiensi electum: quia Ecclesia Constantiæ congregata nihilo plus habuit juris ut *Benedictum & Joannem XXIII.* dejiceret, *Martinum V.* crearet, quam Pisana Synodus ut *Benedictum* exauctoraret, ac *Gregorium*.

Sed

Sed (inquies) cur cessio *Gregorii* XII. ut dubii Pontificis Constantiæ admissa, si post Synodi Pisanæ Sententiam certo certius erat Antipapa?

Respondeo, id œconomiæ datum, ad majus unionis & pacis Ecclesiasticæ robur ac firmamentum. Nam & post Concilium Constantiense, mortuo *Petro de Luna* tunc Pseudo-Pontifice, duo reliqui Schismaticæ illius partis Cardinales *Ægidium Sancii Muntonis* Barcinonensem Canonicum elegerunt in Cathedra pestilentiæ Successorem. Hunc Antipapam esse certissimum erat, & tamen ejus cessio & spontanea abdicatio admissa est, permissumque ut ejus umbratici Cardinales *Martinum* V. ab Ecclesia universa legitimum Pontificem agnitum eligerent. Hæc tolerata solemnia, nec severiori Jure cum Antipapa & Schismaticis Cardinalibus actum, ut Schismatis reliquiæ abolerentur.

XXI. Ab universa Ecclesia susceptam ac probatam non fuisse Pisanam Synodum objiciunt: illi quippe *Benedicti* XIII. & *Gregorii* XII. Obedientias non adhæsisse. Verum elumbis est hæc Objectio. Partes enim *Petri de Luna*, & *Angeli Corarii* minima erant nominis Christiani portio ab Ecclesiæ corpore divisa, quam repræsentabat universam Pisana Synodus, & ab unico vero & legitimo Summo Pontifice distracta, scilicet ab *Alexandro* V. & ab ejus Successore *Joanne* XXIII. atque Pseudo Pontificibus adhærebat ac Schismaticis. Sicut ergo in aliis Schismatibus, Novatiani, verbi gratia contra S. Cornelium, Ursicini contra S. Damasum, Laurentii contra Symmachum, Petri Leonis contra *Innocentium* II. Octaviani adversus *Alexandrum* III. &c. qui stabant ab Antipapa non impediebant quominus Ecclesia universa legitimum Pontificem colere censeretur; Ita in illo, de quo agimus, Schismate, Aragoniæ & Scotiæ Reges, & Comes Armeniacus, eorumque subditi, qui *Petro de Luna* & post Synodum Pisanam adhæserunt; & *Ladislaus* Apuliæ Regulus, cum paucis urbibus Italiæ, qui *Angelum Corarium* coluerunt, non impedivere quin Ecclesia Pisanum Concilium suscepisse, & *Alexandrum* V. in eo electum colere diceretur. Sane si Ecclesiam universam in sex partes distribuamus, compertum erit vix sextam partem *Petro de Luna* & *Angelo Corario* adhæsisse; reliquas autem quinque partes integras *Alexandro* V. & *Joanni* XXIII. paruisse, & Pisanam atque Constantiensem Œcumenicas Synodos, & Ecclesiam Catholicam constituisse. Schismatica enim factio pars est, quæ se a toto divulsit: Ecclesia Catholica totum est. Qui sunt in parte divulsa, in toto non sunt: Qui sunt in Schismate, ad Ecclesiam unam Sanctam Catholicam non pertinent. Ita contra Donatistas ratiocinabatur *S. Augustinus*.

XXII. Defensores *Petri de Luna* & *Angeli Corarii* objiciebant, Summum Pontificem nec a Concilio Generali deponi posse, cum inferior Superiorem condemnare non possit; Papa vero nullum in terris Superiorem habeat, & *Prima* Sedes *a* nemine judicetur, & illius Præsulem suo sine quæstione Deus reservaverit arbitrio, ut habetur in Jure. Ita Anonymus Auctor Commentarii tunc temporis editi, apud *Odericum Raynaldum*, ad annum 1409. Num. 74. Et ipse *Petrus de Luna* in Actis Judiciariis Barcinone editis contra Pisanæ Synodi Patres: *Non considerantes* (inquit) *quod inferior Superiorem non potest solvere vel ligare, Jurisdictionem & Potestatem judicandi Sedem ipsum sibi temeritate sacrilega vendicantes* ...... *In Nos depositionis Sententiam promulgarunt*.

Verum caduco fundamento hujusmodi Objectio nitebatur, falsis propositionibus. Siquidem Concilium Generale superius esse Summo Pontifice, illumque ab Ecclesia in Concilio Generali congregata judicari posse in causis hæreseos, Schismatis, & aliis, si quæ sunt, universalis Ecclesiæ statum spectantibus, dogma Ecclesiasticum est a Sacra Synodo Constantiensi assertum, ac declaratum. Nec Juris exceptio quæ Romanum Pontificem humano Judicio subducit, Ecclesiæ, Conciliique Generalis ipsam repræsentantis Jurisdictioni derogat; sed ab aliis Episcopis divisim sumptis, aut a Synodis particularibus Provinciarum, Nationum, Diœceseon, judicari posse Summum Pontificem negat. Et de criminibus personalibus loquitur, quæ totius Ecclesiæ statum non spectent. De his enim dictum supponitur in Actis pseudepigraphis Sinuessanæ Synodi in causa *Marcellini* Papæ: *Prima Sedes a nemine judicatur*. De his dixit *Ennodius* in Apologetico pro causa Symmachi edito: *Aliorum forte hominum causas Deus voluerit per homines terminare: Sedis istius Præsulem suo sine quæstione reservavit arbitrio*. Tandem etsi de vero, certo, ac indubitato Pontifice concederetur, quod deponi numquam possit, (quod Doctores omnes, Parisienses præsertim, non concedunt) non tamen de Antipapa, aut de Pontifice dubio idem asseri posset. Porro *Benedictus* & *Gregorius* dubii saltem Pontifices erant: postquam vero contra solemnis promissi, juramenti, voti, fidem ac religionem, viam cessionis ad unionem Ecclesiæ procurandam pertinaciter respuerunt, Schismatis fautores fuerunt, & Pseudo-Pontifices: A Concilio igitur potuerunt judicari ac deponi, secundum quamcumque opinionem. Sed falso illi principio, quo Lunensium & Corariorum objectio contra Pisanam Synodum nitebatur, firmissima Doctoris Christianissimi *Gersonii* principia opponimus in Tractatu *De Auferibilitate Papæ ab Ecclesia*: Consideratione 10.

XXIII. „ Auferibilis est in casibus dabilibus Vicarius Sponsus Ecclesiæ ab ipsa Ecclesia, & hoc per eam, vel per Concilium Generale repræsentans eam: vel per aliquos ad hoc per eam institutos, sive consentiat ipse Vicarius, vel non consentiat suæ cessioni.

„ Sumitur imprimis argumentum pro hac Consideratione, ex veritate præcedentis. Nam, si Vicarius Sponsus potest resignare sponte, ipsi Ecclesiæ dando libellum repudii; cum Sponsus & Sponsa non debeant quoad hoc impari jure censeri, poterit similiter repudiare Sponsum talem ipsa Ecclesia Sponsa, dum par ratio vel potior adducitur pro ipsa contra Sponsum; vel quia prostituere quærit eam, quantum in se est, vel tyrannide sæva tractare laniando eam, vel bona sua dilapidando; vel quia abuti conatur ea in perniciem filiorum. Nullum quippe statum, nullum gradum dignitatis, nullum ministrationis genus dedit Deus, nisi in ædificationem suam & utilitatem communem. Patet *ad Ephes.* 4. & *ad Corinth.* 6. Dedit utique ad pacem ejus, *cujus fines posuit pacem*. Et hanc operatur dilectio: Propter quod finis Legis ab Apostolo ponitur dilectio, in qua etiam fundavit Christus Officium Pastorale. *Si diligis me* (inquit Christus Petro) *pasce oves meas*. Sed quis non videat casus multos esse possibiles, quorum aliqui nunc tacti sunt, in quibus Ecclesia non ædificaretur, sed destrueretur; non uniretur, sed dissiparetur; non pasceretur, sed depasceretur, si non cederet voluntarius vel ejiceretur invitus hic, qui in Vicarium Sponsum Ecclesiæ rite & canonice fuerat ordinatus? Nec sit cuiquam illud admirationi quod dicimus, quasi contrarientes illi Jussioni, *Nolite tangere Christos meos*, quando etiam uni singulari personæ fas esset in casu violentiæ attentatæ per Papam verum contra castitatem suam, vel vitam, vim vi repellere cum appositione inculpatæ tutelæ, & ita licite stabit quod tangat Papam violenter, vel in Mare dejiciat: Cur similiter in casu non liceat idem toti Ecclesiæ pro defensione sua, & violentiæ attentatæ cauta repressione?

Et Consideratione 11. „ Auferibilis est in casu Vicarius Sponsus Ecclesiæ per Concilium Generale, eo non consentiente vel invito celebratum.

„ Fateamur prius quod regulariter Concilium Generale non est celebrandum, de jure etiam divino, non vocante vel approbante Papa, si est unicus, nec adversus eum allegatio legitima. Sed regulæ generales bene suscipiunt exceptiones, sicut in Grammaticalibus, ita & in Moralibus: præsertim ubi casus particulares incidunt modis variabilea infinitis: ad quas exceptiones ordinata est lex superior interpres aliarum, quam Aristoteles vocat [illegible] & alia divinior, quam ἐπιείκειαν appellat. Hæc autem lex semper habet locum in interpretatione legum aliarum particularium, ubi deficere cernitur ratio & finis institutionis ipsarum. Finis autem legum omnium, nedum humanarum, sed divinarum, est dilectio, quæ unitatem operatur: Sit ergo casus, ubi legis alicujus observatio dissiparet unitatem, & obesset publicæ saluti, quis ratione utens diceret eam teneri oportere? Nimirum nec sibi ipsi quisquam vellet hoc fieri, quanto minus tota communitas rationabiliter hoc fugiet? Quod si quis interrogaret; Qua auctoritate fulcietur vel utetur hujusmodi Concilium Acephalum, ut videtur, sine Papa? Respondendum quod Auctoritate Christi Capitis sui & indefectibilis Sponsi: Auctoritate præterea legum suarum, tam divinæ quam naturalis, quæ hanc licentiam vel necessitati, vel manifestæ charitati, vel religiosæ pietati concedunt: pro quo facit textus Marci de excusatione discipulorum vellentium spicas in Sabbato per legem necessitatis confirma-

„ tam

„ tam exemplo David, qui comedit Panes propositionis.

Consideratione 15. „ Auferibilis est in casu Vicarius Sponsus Ecclesiæ per Ecclesiam vel Generale Concilium, nedum consiliative aut dictative vel denuntiative, sed auctoritative, judicialiter atque juridice.

„ Præsupponimus quod Jurisdictio idem est, quod Juris dictio seu potestas, vel Jurisdictio est facultas propinqua dicendi Jus; & solet restringi ad coactivam Jurisdictionem, quæ fertur vel dicitur in alterum invitum. Sequitur protinus ex hac descriptione Considerationis veritas, quomodo Ecclesia seu Concilium habet in casu facultatem propinquam, vel auctoritatem seu potestatem dicendi Jus etiam in alterum qui in Papam fuit rite susceptus & electus. Nolumus tamen impugnare, quin Summus Pontifex habeat potestatem regitivam & auctoritativam respectu omnium hominum, quantum Christus voluit & cognovit expediens sibi dare pro exercendo eam, non pro se tantummodo, sed magis ad utilitatem Ecclesiæ: Qualem auctoritatem non habet totum Ecclesiæ residuum, nisi unitive quodammodo vel elective. Et ex ista divisione verum est, quod claves datæ sunt nedum uni, sed unitati: Ea hoc tamen non habetur quod Ecclesia tota vel Concilium absente Papa, præsertim suo demerito, non possit auctoritativam Jurisdictionem exercere, sicut lex quædam divina & indeviabilis, ad reducendum ipsum vel corrigendum, vel compescendum, ne noceat ipse, nedum Ecclesiæ, sed sibimet, &c. Judicabat olim *Petrus* per dissimulationem, *Paulus* ei restitit in faciem (*ad Galat.* 2.) Introducebat *Petrus* rem novam in Ecclesia Dei; ad Centurionem Gentilem intravit (*Actor.* 10.) subortum est murmur in Ecclesia; ita ut compulsus sit *Petrus* doctrinam insequi quam tradidit scriptis, ut paratus esset coram tota Ecclesia rationem reddere de ea, quæ in ipso erat, fide & spe; alioquin non sibi credidisset Ecclesia. Quanto fortius & rationabilius possunt duo Contendentes diffamati apud bonos & graves de Schismate, de Perjurio, de Hæresis suspicione, compelli rationem reddere, si se cognoverint innocentes.

Consideratione 18. „ Auferibilis est Vicarius Sponsus Ecclesiæ tamquam Hæreticus aut Schismaticus, etiam ubi in casu ipse non est veraciter & mentaliter talis.

Consideratione 19. „ Auferibilis est Vicarius Sponsus Ecclesiæ per Ecclesiam, etiam sine culpa, quamvis non sine causa.

Casus aliquos proponit, quibus id fieri posset. I. „ Ubi coram tota Ecclesia vel Concilio Generali proponeretur & probaretur per testes, quod Papa, qui forte est detentus inter Saracenos, jam obiit; & cum Ecclesia jam non possit commode diutius remanere sine Papa, videtur omnino quod in hoc casu Concilium poterit creare novum Papam; & cum non possint esse duo simul, videtur quod primus erit destitutus per Concilium. Posset etiam destitui ubi constaret de vita, si de eo ablata esset spes redeundi. II. Ubi quis rite electus in Papam efficeretur adeo inutilis propter indispositionem corporalem, ac propter carentiam perpetuam usus rationis, quod per Concilium jam per eum congregatum, dum sanæ mentis erat, expedivit aliter provideri de Summo Pontifice. III. Ubi post electionem Canonicam alicujus in Papam per Cardinales ipsi Cardinales omnes morerentur priusquam possent electionem suam Canonicam publicare; Constat quod Ecclesia non tenetur hunc recipere pro Papa, & ita posset ad electionem alterius procedere. IV. Ubi nullo modo Cardinales etiam viventes possent facere fidem sufficientem de electione Canonice facta circa unum: Qualis casus videtur esse & fuisse in Schismate præsenti. Et ideo circumstantia ejus multum justificat Processus habitos contra hujusmodi Contendentes, & adversus Cardinales. V. Propter communem errorem aut æstimationem subditorum, aut ipsorum malitiam generalem, de quibus non est præsumendum quod umquam debeant Obedientiam præstare tali, qui fuit in Papam rite electus: tamen alteri noviter eligendo parati sunt. Ut forte si Græci vellent ad unitatem Ecclesiæ redire, dummodo tolleretur Papa jam existens, & novus rite & canonice crearetur. Confirmat hoc imaginatio casus illius, juxta positionem *Innocentii* & aliorum Juristarum, qui dicunt, hominem expresse professum in Religione posse uxorem ducere pro salvatione magnæ gentis, aut ad fidem conversione. Cur non similiter pro aliquo tanto bono posset rite electus, per Ecclesiam aut Concilium Generale destitui, bono zelo & integra charitate. VI. Ubi per juramentum & votum aliquis in Papam rite electus, se ipsum ad Cessionem obligasset, sed differret hoc adimplere in scandalum populorum, putantium ex tali facto Papæ, quod neque juramentis suis obligantur, neque votis, qualem casum habere videmur in manibus. Licet autem horum casuum pars maxima numquam extiterit, nec porro extitura sit, ad explicandam tamen Ecclesiæ potestatem plurimum conducunt, ut monet *Gersonius*.

XXIV. Addiderim, quod etsi nec promissis, nec juramento, neque voto ad Cessionem se obstrinxisset, non modo dubius, sed verus ac legitimus Pontifex cedere Pontificatu nihilominus teneretur ad Ecclesiæ pacem procurandam, si aliter consummari non posset: Adeoque si in Dignitate retinenda eo in casu esset pertinax, exauctorari posset ab Ecclesia ut fautor Schismatis. Sane Episcopos, & consequenter Summum Pontificem Episcoporum Episcopum, ad Episcopatus dimittendos teneri, si ad unitatem & pacem Ecclesiæ resarciendam necesse fuerit, *S. Augustinus* & trecenti cum illo Episcopi Africani non modo verbis, sed animi præparatione docuerunt in causa Schismatis Donatistarum, ut constat ex eorum Epistola ad *Marcellinum* Tribunum ante Collationem Carthaginensem data, quæ inserta est Libro *S. Augustini* De Gestis cum *Emerito* Donatistarum Episcopo, ex ejusdem *S. Augustini* verbis ibidem. Sic habet Episcoporum Epistola: „ Sic ejus (*Ecclesiæ*) nobiscum teneant unitatem, ut non solum viam salutis inveniant, sed nec honorem Episcopatus amittant... Poterit quippe unusquisque nostrum honoris sibi socio copulato vicissim sedere eminentius, sicut peregrino Episcopo juxta considentem Collegam hoc cum alterutris Basilicis utrumque conceditur, utroque altero cum honore mutuo præveniente. Quia ubi præceptio charitatis dilataverit corda, possessio pacis non fit angusta; ut uno defuncto, deinceps jam singulis singuli pristino more succedant... Aut si forte Populi Christiani singulis delectantur Episcopis, & duorum consortium inusitata rerum facie tolerare non possunt, utrique de medio discedamus, & Ecclesiis singulis, damnata Schismatis causa, in unitate pacifica constitutis, ab his singulis in Ecclesiis singulis annuentibus unitati factæ, singuli constituantur Episcopi.

Subdit S. Augustinus: *Dicam Charitati vestræ & commemorem rem dulcissimam & suavissimam, quam Domino adjuvante sumus experti. Cum ante ipsam Collationem inter nos aliqui Fratres de hoc re colloqueremur, quia pro pace Christi Episcopi debeat esse, aut debeant non esse: Quod vobis fatendum est, circumspicientes omnes Fratres & Coepiscopos nostros, non facile nobis occurrebant qui hoc vellent suscipere, & de hac humilitate Domino sacrificare; Dicebamus, ut fieri solet; Ille potest, ille non potest; Ille consentit, hoc ille non tolerat, loquentes magis pro suspicionibus nostris, qui corda illorum videre minime poteramus. Quando autem ventum est ut hoc palam fieret in Concilio universorum tam frequenti pene trecentorum Episcoporum, sic placuit omnibus, sic exarserunt omnes, ut parati essent Episcopatum pro Christi unitate deponere, & non perdere, sed Deo tutius commendare. Duo ibi vix inventi sunt quibus displiceret: Unus annosus Senex qui hoc etiam dicere liberius ausus est, alter voluntatem suam tacito vultu significavit. Sed posteaquam illum Senem liberius hoc dicentem obruit omnium fraterna correptio, ille mutante sententiam, vultum etiam ille mutavit.*

Epistolæ verba sequuntur in Collatione cum *Emerito* recitata: *Quid enim dubitemus Redemptori nostro Sacrificium istius humilitatis offerre? An vero ille de cœlis in humana membra descendit, ut membra ejus essemus, & nos ne ipsa ejus membra crudeli divisione lanientur, de cathedris descendere formidamus? Propter nos nihil sufficientius, quam ut Christiani, Fideles, & obedientes simus. Hoc ergo semper sumus. Episcopi autem propter Christianos Populos ordinamur. Quod ergo Christianis Populis ad Christianam pacem prodest, hoc de nostro Episcopatu faciamus.*

S. Augustinus subjunxit: *Propter nos hoc debemus esse quod vos. Quid debes esse tu? Cuicumque loquor vestrum. Christianus, fidelis, obediens: hoc tu propter te, hoc & ego propter me: Ergo quod tu propter te & ego propter me, semper esse debemus. Quod autem*

sum

sum propter te, sim si tibi prodest; non sim, si tibi obest.

Epistola: *Si servi viles sumus, cur Domini æternis lucris pro nostris temporalibus sublimitatibus invidemus? Episcopalis Dignitas fructuosior nobis erit, si Gregem Christi deposita magis collegerit, quam retenta disperserit.*

S. Augustinus: *Fratres mei, si Dominum cogitamus, locus ista altior specula vinitoris est, non fastigium superbientis. Si cum velo retinere Episcopatum meum, disperdo Gregem Christi, quomodo est damnum Gregis honor Pastoris?*

Epistola: *Nam qua fronte in futuro sæculo promissum a Christo sperabimus honorem, si Christianam in hoc sæculo noster honor impedit unitatem?*

In Append. Concil. Constant. Tom. 12. Concil. Edit. PP. Labbei & Cossartii, pag. 1438. & 1444.

XXV. Secundum hæc principia, Cardinales *S. Marci*, & Cameracensis *Petrus de Alliaco*, Constantiæ, paulo ante celebrationem Concilii, scripserunt: *Summus Pontifex, quanto verior Pastor est Ecclesiæ, tanto libentius, ferventius & citius debet pro pace & unione Ecclesiæ aggredi viam cessionis & offerre. Patet Conclusio ex dictis Summi Pastoris dicentis:* Bonus Pastor animam suam ponit pro ovibus suis: *Hæc est igitur boni Pastoris proprietas, ut animam suam ponat pro ovibus suis, quando opus est; si non ponit, non est bonus Pastor. Si autem animam tenetur ponere, quod est vitam ponere, multo magis accidentia vitæ, honorem, potestatem, dominatum, & hæc omnia, quæ si desiderantur, vana sunt?* &c.

2. *Licet regulariter Papa verus & canonicus de Heresi cum notorio crimine Ecclesiam scandalizante non infamatus, nec suspectus, nequeat ab aliquo particulari Collegio, seu persona singulari contra ea quæ sunt sui juris compelli, vel arctari: tamen ab universali Ecclesia, seu Concilio Generali ipsam repræsentante, attenta prolixitate casus præsentis, pro pace Ecclesiæ celerius procuranda, juste posset ad Cessionem compelli.*

3. *Si in casu prædicto Papa dictam viam pertinaciter recusaret, legitime posset, tamquam Schismaticus, & de fautoria Schismaticæ pravitatis suspectus, rationabiliter condemnari.*

4. *In casu prædicto Papam tamquam hæreticum vel Schismaticum condemnantes, & dictam condemnationem justam & canonicam fore firmiter asserentes, nullatenus Hæretici sunt censendi; sed magis oppositam pertinaciter affirmantes.*

5. *Qui nunc reprobant viam cessionis, dicentes, eam esse irrationabilem, illegitimam, & injustam secundum se & ad se ipsam, secundum rationes Juris, inducunt fundamentum Pisani Concilii, ipsiusque robur infirmant, & totam hanc obedientiam scandalizant.*

SCHOLION I.

In hac Dissertatione, nu. 11. pag. 557. Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Invictissimis rationibus probat ad Concilium pertinere judicium de utroque contendente de Papatu.*

R. Loquor de tempore Schismatis, quo nullus est certus & indubitatus Pontifex. *Editæ sunt* (inquam) *Literæ cardinalium Gregorii XII. quibus Obedientiæ suæ Prælatos, aliosque ad idem Concilium convocant. Rationes ob quas Concilium œcumenicum celebrare visum est necessarium, luculenter ac perspicue exponunt: tam gravissimis invictissimisque momentis probant, id a Cardinalibus, utroque Contendente invito, convocari posse ac celebrari, in illo Christianæ Rei statu.* Hæc erat Ecclesiæ sententia, cum Pisanum & Constantiense Concilia congregata sunt, quam historice refero.

SCHOLION II.

In eadem Dissertatione, nu. 7. pag. 564. Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Ecclesia in aliquibus casibus potest se ipsam congregare.*

R. Gersonii Propositio est a me historice relata, non dogmatice asserta. En verba mea: *Anglis Parisios transeuntibus propensionem ac studium erga pacem Ecclesiæ solemni Oratione gratulatus est Gersonius Parisiensis Academiæ Cancellarius. In ea probat Ecclesiam licite in aliquibus casibus sine Summo Pontifice & absque illius auctoritate posse congregari,* &c. Nec in illa tantum Oratione, sed in Tractatu *De Potestate Ecclesiæ*, Consideratione XII. id asserit Gersonius, ubi tamen docet quod & nos propugnamus, *Congregationem Concilii legitima auctoritate factam dici regulariter a Papa.* Sed dum nullus est Papa, vel incertus, nemo Theologorum diffitetur quin Ecclesia congregare se ipsam possit.

SCHOLION III.

In eadem Dissertatione Num. 15. pag. 582. ad 587. Religiosi Censores has Propositiones notant: *Gerson ut evertit doctrinam Sancti Antonini, probans quod sine Papa potest congregari Concilium, & multa sunt congregata præter casum hæresis... Potest Papa deponi.*

R. Hæc tantum historice refero non dogmatice. Gersonii Propositiones sunt, cujus verba subjicio ex Sermone habito coram *Alexandro V.* in die Ascensionis Domini. Papam dubium, & Ecclesiæ paci atque unitati pertinaciter repugnantem, Concilioque Generali, legitimo, & Ecclesiam universalem repræsentanti parere nolentem, deponi posse certum est. Nemo Theologorum Catholicorum non fatetur, etiam Bellarminus Cardinalis, Concilium Generale tempore Schismatis Romano Pontifice superius esse.

SCHOLION IV.

Eamdem Dissertationem nu. 22. perstringit hæc Indiculi Censorii nota: *Pag. 592. probat quod Papa non est supra Concilium: extollit Gersonii doctrinam & Parisiensium usque ad 599.*

R. Concilium Generale superius esse Romano Pontifice; illumque ab Ecclesia judicari posse in causis hæreseos, Schismatis, & aliis, si quæ sunt, universalis Ecclesiæ statum spectantibus, doctrina est Sacræ Facultatis Parisiensis & Ecclesiæ Gallicanæ Concilii Constantiensis fulta Decretis, Sessionibus quarta & quinta, quæ saltem de tempore Schismatis, & de dubiis Pontificibus intelligi nemo Theologorum diffitetur, quale tempus erat, & quales Pontifices, cum Pisanum Concilium celebratum est: de quo in ista Dissertatione agitur. Gersonii doctrinam hic præter modum non extollo, sed simpliciter expono.

ANIMADVERSIONES in Concilium Pisanum, an nempe legitimum sit judicandum.

§. UNICUS.

Non satis apparet Concilium Pisanum œcumenicum, legitimumque fuisse.

Revera quamplures cum P. Natali sentiunt Synodum Pisanam inter œcumenicas legitimasque adnumerandam; ac Bossuet *in Defens. Declar. p. 2. l. 9. c. 12.* non sine temeritate ipsius auctoritatem rejici posse affirmavit. An vero satis appareat non esse ambigendum, an legitima fuerit, ac œcumenica, ex sequentibus apparebit.

Concilium Pisanum œcumenicum non fuisse ex eo probare contendunt, quod Gregorii ac Benedicti Obedientiæ non tam exiguæ fuere, ut iis semotis, qui Pisis ad Concilium celebrandum convenerant, dici possent universale Concilium, seu universam Ecclesiam exhibere. Gregorio igitur antea & post Concilium Pisanum Regnum Neapolitanum, & Siciliæ adhærebant, Romandiola, Duces Bavariæ, ac plurimi Germaniæ Episcopi. Benedicto vero parebant Arragonia, Navarra, Castellæ, Scotia, Baleares, Corsica, Sardinia, aliæque regiones. Quapropter in Apologia Eugenii contra Basileenses dictum fuit Gregorii, ac Benedicti Obedientias *fuisse non modicam Christianitatis partem.* Et Cardinalis S. Marci in *Cedul. super 3. conclus. in Act. Conc. Constant.* non exiguas Ecclesiæ partes Benedicti, & Gregorii Obedientias existimavit, dum ait: *Cum per tales divisiones Ecclesia jam schisma Græcorum tot annis sustinuerit, nec minus in præsenti periculum imminet Hispaniarum, quæ non est minor Christianorum portio, quam Græcia christiana: insuper & multarum gentium Germaniæ, & Italiæ.* Hinc non pro veritate scripsisse comperimus Bossuet, qui præfatas Obedientias Ecclesiæ *frustula* appellat. Frustra etiam Obedientiam Benedicti Concilio Pisano adnumerandam putet, quia in Synodo, quam Perpiniani habuit, sancitum fuerit mittendos Pisas procuratores, qui nomine Benedicti, si Gregorius etiam cederet, Papatum abdicaret. Cum etenim, hoc decreto non obstante, post electionem Alexandri V. Pisis habitam, adhuc Benedicto adhæserit, nec Alexandrum ceu legitimum Pontificem agnoverit, falso Obedientia Benedicti Concilio Pisano adscribitur. Iis autem ita se habentibus, observare est quod P. Natalis tom. 8. pag. 334. affirmare non veretur dubium esse potuisse, an Concilium Lugdunense I. esset œcumenicum universam Ecclesiam repræsentans, quia aberant Episcopi

Ita-

Hungariæ a Tartaris vastatæ, Germaniæ bello perturbatæ, & Terræ Sanctæ præter Episcopum Berytensem, Si vero ex horum Præsulum, qui ob varia impedimenta ad Concilium non accesserant, absentia, non satis constare potuisse dicit P. Natalis, an illud Concilium inter Œcumenica esset adnumerandum, id potiori ratione de Pisana Synodo quisquis sentiet, cum Antistites multo plures absuerint.

At neque absque fundamento asseri, an legitima esset Pisana Synodus, id ostendit, quod Alexander V. in ea electus, ejusque successor Joannes non temere velut illegitimi Pontifices respuebantur, de quorum tamen legitima electione ambigendi locus non erat, si indubitanter Pisana Synodus œcumenica, & legitima habenda fuisset, Quod vero absque temeritatis nota ut Christi Vicario tot catholici Alexandro V. obedire tenuerent, ostendunt conclusiones Petri de Alliaco Episcopi Cameracensis, qui sedente Concilio Constantiensi, librum scripsit de Ecclesiæ & Cardinalium potestate. Is igitur in prima ex conclusionibus a Philippo Labbeo editis, quæ leguntur in appendice Concilii Constantiensis, ita habet: *Licet concilium Pisanum fuerit legitime, ac canonice celebratum, & duo olim contendentes de Papatu juste, & canonice condemnati, & electio Alexandri V. fuerit rite ac canonice facta, propter hæc omnia teneat Obedientia Domini nostri Papæ Jo. XXIII. tamen duæ Obedientiæ duorum contendentium probabiliter teneat contrarium, in qua opinionum diversa & adversa varietate non sunt minores difficultates juris & facti, quam ante Concilium Pisanum erant de justitia duorum contendentium.* Asserit quidem Alliacensis legitimum fuisse Concilium Pisanum, legitimamque Alexandri electionem; at intelligendum est ita affirmasse ex sententia, quæ vigebat apud Obedientiam Joannis. Si etenim nullatenus dubitandum credidisset de canonica ejusdem Concilii potestate, ac Alexandrum, aliis rejectis, canonice fuisse in Pontificem electum, nimis incoherenter statim subdidisset *ex probabilibus rationibus* Gregorii ac Benedicti Obedientias adhuc illis adhærere; neque per Concilium Pisanum illas juris & facti solutas difficultates, ex quibus quisnam esset legitimus Pontifex inspicere non concedebatur, Profecto, si certo constasset Alexandrum V. legitime electum fuisse, ac proinde legitime illi postea suffectum Joannem, & constare necesse erat illegitime Gregorium & Benedictum pro Romanis Pontificibus se habuisse: quod tamen post Pisanum Concilium adhuc sub lite ex probabilibus rationibus fuisse fassus est Alliacensis doctrina præstantissimus, eorum quæ tunc agebantur scientissimus, & Joanni XXIII. addictissimus, utpote qui ab eo purpura fuisset decoratus. Rationes sibi faventes Benedictus XIII. in Conventu Perpiniani habito, tanta eloquentia septem horarum spatio ita prosequutus est, ut auditores attonitos reddiderit; atque probabilitate prorsus non exutos demonstrarunt, non solum tot Regna quæ ipsi parebant, sed etiam tot viri doctrina ac sanctitate præclari, inter quos numerabantur duo Fratres Vincentius & Bonifacius Ferrarii, qui a Benedicto etiam post Concilium Pisanum non recesserunt. Ipse Maymburgus numquam satis sibi constans, in historia de magno occidentis schismate ad an. 1415. tandem scripsit, *eorum sententiam, qui Benedictum pro vero Pontifice agnoscebant, probabilem fuisse, quamvis contraria magis probabilis esset, & ideo viros sanctitate, doctrina, & dignitate præcipuos potuisse illam secura conscientia amplecti.* Nec refert Concilium Constantiense non æque ac Gregorium iisdem honoribus Benedictum prosequutum fuisse; ita etenim erga illum se gessit quia non æque animum paci adjicere voluit. Interim ex præfatis animadvertas, an vere dicere potuerit Bossuet Synodum Pisanam ita schismatis immanem belluam lethali vulnere percussisse, ut postea Constantiense Concilium conficere illam potuerit.

Plura etiam observare est ex Concilio Constantiensi, ex quibus comperimus Concilium Pisanum non habitum fuisse certæ indubitatæque auctoritatis. Quamquam igitur videretur Concilium Constantiense Jo: XXIII. pro legitimo Papa habuisse, utpote quod ab eo fuerat convocatum; nihilominus non putasse prorsus de ipsius legitima electione non esse ambigendum ex eo dignoscitur, quod initio Concilii ab eo juramentum voluit præstandum de sua abdicanda dignitate, quoties duo alii de Papatu contendentes idem facere non renuerent. Ubi autem quæso adinvenire est hanc fuisse Ecclesiæ praxim, ut schismate gliscente certus Pontifex ad suam dimittendam dignitatem cogeretur? Scimus vero e contra Ecclesiam semper pro indubitato Pontifice decertasse, ut quisquis videbit, si consulat historias schismatis inter Damasum & Ursicinum, inter Bonifacium atque Eulalium, inter Symmachum & Laurentium &c. Ipse Bossuet *lib. 9. p. 2. c. 51.* irridet Bellarminum quasi voluerit in omni casu Papam dubium esse Papam nullum, atque id solum admittendum dicit, ubi contendentium electio inextricabilibus dubiis obscura remaneat; atque ita Ecclesiam semper Antipapas respuisse, quamquam contra electionem legitimi Pontificis oblatrarent, atque Principes & regna in suas partes pertraxissent.

Si deinde Concilium Constantiense habuisset Joannem pro indubitato Pontifice, qualem habere debuisset, si Concilium Pisanum indubitatæ credidisset auctoritatis, necesse erat Gregorium pseudo-Pontificem judicasse, quod judicium Synodo Constantiensi non tribuendum sequentia demonstrant. Quamvis igitur nec Pisana Synodus, nec ab illa electus Alexander V. nec Joannes ejusdem successor agnoscere ut Cardinalem voluerint Fratrem Joannem Dominici, quem Gregorius Cardinalem renuntiaverat; nihilominus Synodus Constantiensis, agente potissimum Cardinali Alliacensi, ut Gregorii Legatum agnovit, galero purpureo insignem ingredi Constantiam passa est, Gregoriique insignia ædibus suis appendere. Dum vero legantur quæ *sess. 14.* evenere, dignoscimus noluisse Gregorium abdicare papatum, nisi prius obtinuerit nullam Joannis fieri mentionem, Sigismundum Imperatorem sua delegatione Concilio præsidere, atque ex sua auctoritate Concilium Constantiense convocare, quasi prius non rite fuisset congregatum. Hæc sane demonstrant Concilium Constantiense Gregorium indubitanter ut pseudo-Pontificem non habuisse, ac proinde indubitanter pro legitima Synodum Pisanam, quæ Gregorium papatu exuerat, & Alexandrum elegerat, non agnovisse.

Illud etiam animadversione dignum est, Alexandrum V. una cum Pisana Synodo decrevisse in posterum inquirendum esse contra Gregorii & Benedicti adhærentes tamquam hæreticos, seu hæreticorum fautores: atque ut ita ageretur Joanni studentes in Concilio Constantiensi instasse. Verum Concilium hac via incedendum non putavit, neque ab iis abhorruit, qui Gregorio, ac Benedicto adhærebant; unde ipse Gersonius *s. p. oper.* ita ait: *In schismate præsenti cum dubio temerarium, injuriosum, scandalosum est asserere omnes tenentes istam partem, vel alteram esse extra statum salutis, vel excommunicatos vel de schismate suspectos* Ita Gersonius, velit nolit, docuit Concilium Pisanum indubitatæ non fuisse auctoritatis; dum etenim ita dubio procul foret credendum, cum Gregorium ac Benedictum deposuerit, ipsorumque Obedientias ut hæreticorum fautrices haberi voluerit, consequens esset non temere de Schismate suspectas, ac extra statum salutis judicare potuisse.

Ex præfatis colligo non adhærendum Natali dum dicit iis, quæ hucusque retuli, Concilium Constantiense non obstitisse, non quia haud sibi constaret omnia Pisis legitime acta, sed œconomiæ causa; ne scilicet nova impedimenta paci Ecclesiæ reddendæ insurgerent. Addit Maymburgus *lib. 5.* *Hist. Magn. Schism. Occid.* ita Constantiæ actum esse, ut cum quodam apparatu pompaque Gregorii synagoga tumularetur. Iis, inquam, non adhærendum, nam PP. Constantienses non obsequutos fuisse Gregorio cujusdam inanis solatii causa illud suadet, quod Cardinalis Alliacensis, ut supra innui, fassus fuerit adhuc post Concilium Pisanum non minores quam antea juris, & facti superesse difficultates de justitia ad Papatum contendentium: ac ipse Maymburgus, cujus verba supra dedi, non potuerit non agnoscere Benedicti Obedientiam ex probabilibus rationibus eidem adhæsisse. Sed & Gersonius supra citatus rationem reddens cur in Schismate eo tempore grassante, nullus habendus esset pro schismatico, seu excommunicato, ita habet: *Tota ratio fundatur in hoc, quod numquam fuit tam rationabilis, & vehemens causa dubitationis in aliquo schismate, sicut in isto, cujus signum evidens est varietas opinionum Doctorum, & inter doctissimos, & probatissimos ex utraque parte.... Potest ergo illud dici rationabiliter dubitabile, quod plurimi & maxime sapientes dubitabile reputant, & prædicant.* Et S. Antoninus *Chron. 3. p. tit. 22. cap. 2. §. 6.* hæc habet: *Illuc quoque Constantiam accessit Cardinalis Ragusinus Dominus Joannes Dominici Ordinis Prædicatorum pro Obedientia & parte Gregorii, qui a multis Deum timentibus & peritis adhuc reputabatur Pontifex summus.* Joannes vero Justinianus super Constitutionem *Moyses* editam Florentiæ an. 1449. ita ait; *Potiora jura papatus, ut no-*

tum

ergo indobitanter legitima Pisana Synodus, quæ Gregorium ac Benedictum exauctoraverat, quando adhuc post latam in eos sententiam probabilibus, & potioribus etiam rationibus maxime Gregorius ut verus Pontifex habebatur!

Quæ hucusque attuli nullius esse momenti demonstrant ea argumenta, quibus legitimum fuisse Concilium Pisanum probare nituntur. Si etenim objiciatur Ecclesiæ consensus, quo primum Alexandrum V. ac deinde Jo. XXIII. veros Pontifices agnovit, respondetur id absque fundamento asseri, cum & ii qui eis adhærebant, fassi sint adhuc post ipsorum electionem Gregorium & Benedictum ex probabilibus rationibus Pontificatum non dimisisse; neque damnari eos posse, qui in ipsorum obedientia perseverabant. Si pariter objiciatur Jo. XXIII. Concilium œcumenicum Constantiæ congregasse, illudque ut legitimum habendum non fuisse, quoties diceretur de ipsius potestate ambigi potuisse; respondetur quod dum certo non constat quisnam tamquam Christi Vicarius colendus sit, non desinunt Concilia esse legitima, etsi Papæ convocatio seu consensus ejusdem desit celebrationi, unde nil esset quare ex hoc capite Concilio Constantiensi possemus detrahere. Opponunt postremo quod Rodericus Borgia an. 1492. in Romanum Pontificem electus, Alexander VI. voluit nuncupari, quando non Sextus, sed Quintus erat appellandus, si Alexander in Pisana Synodo ad Pontificatum evectus indubitatus legitimusque Pontifex non extitisset. At ultraquamquod, ut bene observat Raynaldus falsi Stephani, falsique Joannes &c. in Pontificum serie fuerint numerati; quod & accidere potuisse nemo non videt, quando & ipsi Pontifices numeri notam suo nomini addiderunt, statim ruit allata conjectura, quoties ex certis constantibusque monumentis ostendatur Ecclesiam Alexandrum Pisis electum ut indubitatum Pontificem non agnovisse. Id autem satis innotescere vidimus, cum & ipsius fautores id scribere non omiserint.

Pro harum Animadversionum coronide juvat hic observare, an vere dicere potuerit Bossuet *in Defens. p. 2. l. 9. c. 51.* omnia in Synodo Pisana peracta ab eo principio pendidisse quod Concilii Generalis auctoritas absolute, atque etiam extra schisma, in summis Ecclesiæ rebus prævalet. Esto quorumdam hanc fuisse sententiam, nullibi apparet ita Synodum Pisanam judicasse. Siquidem, si sua potiore potestate quemvis Pontificem, dum pax Ecclesiæ gregisque salus exposcant, ut honori suo Dignitatis abdicationem anteponat, ad eam dimittendam cogere posse sensisset, sess. 15. non deposuisset contendentes de Papatu, tamquam *notorios Schismaticos, & antiqui schismatis nutritores, notorios hæreticos, a fide devios &c. atque adeo ipso jure dejectos*. Eadem ratione ab eis discedendum dicebant Cardinales, & florentissimæ Academiæ, ut ex Spicilegio *tom. 6.* & ex Raynaldo *tom. 17. ad an.* 1408. *num. 9.* adnotat idem Bossuet. Ubi igitur Synodo constitisset in præfatis casibus potuisse etiam in Papas certos animadvertere, non cogitasse de objiciendo crimine hæresis contendentibus de Papatu, nam hujusmodi crimine se non fœdatos facillime ostendere poterant; neque ob præfatum crimen potius *ipso jure* a Papato excidisse declarasset, quam sua potestate deposuisse. His accedit Academias declarasse ut ibidem innuit Bossuet, posse tunc Concilii potestate e solio dejici Gregorium, & Benedictum propter inextricabile dubium quoad ipsorum electionem; unde inverosimile est in Synodo Pisana eam communiter viguisse opinionem, quod Papa indubius Synodi potestati subderetur.

Non videtur Bossuet Synodum satis consulere potuisse paci Ecclesiæ, si etiam in Papam certum auctoritatem obtinere non credidisset, quia Papæ dubii adhuc post latam in eos depositionis sententiam, tamquam certi essent, imperabant. Quæ tamen ratio, si foret attendenda, probaret neque Concilii auctoritate satis potuisse Antipapas damnari; etenim etiam post latam in eos sententiam, ut certos Papas se gerebant. Sicut ergo id præstabat lata in eos damnatio, ut Ecclesia veros Antipapas posset agnoscere, atque ita ab eis recedere, & schismati finem imponere; ita dicendum est de sententia depositionis in Papas vere dubios pronunciata, in quos Synodus exercere potest auctoritatem.

Addit Bossuet, quod cum nullibi legatur Christum Synodo contulisse potestatem in Pontifices schismaticos & hæreticos, dicere cogimur Synodum Pisanam sententiam ferendo in Pontifices ut schismaticos & hæreticos, ita se gessisse, quia universim putaverit esse Pontifice superiorem. Sed nonne scimus ex Verbo Dei scripto, & tradito hæreticam ad Ecclesiam non pertinere? Nonne in hac revelata veritate continetur Papam hæreticum non amplius caput esse Ecclesiæ? Nonne proinde scimus ipsi Ecclesiæ, & Concilio subesse? Quia statim ob crimen hæresis desinit esse Papa, puto Synodum Pisanam hanc ob rationem in Benedictum & Gregorium procedendo potius *ipso Jure* a papatu dejectos declarasse, ut ex sess. 15.

DISSERTATIO III.

DE CONCILIO CONSTANTIENSI OECUMENICO, RERUM IN EO GESTARUM SUMMAM EXPONENS.

Constantia, Constance, urbs libera in Suevia, Sedes Episcopalis sub Moguntina Metropoli.

Cum Synodi Pisanæ auctoritati *Gregorius* XII. & *Benedictus* XIII. in sua Obedientia Pontifices appellati non parerent, jamque sua pertinacia Pseudo-Pontifices evasissent; & nihilominus *Gregorium* nonnullæ civitates Italiæ, *Benedictum* Hispaniæ magna pars ut Pontifices legitimos colerent, errore facti, quod ipsis persuasum non esset Pisanam Synodum Œcumenicam esse, aut ipsos Jure depositos, & in eorum locum legitime electum unicum ac verum Pontificem *Alexandrum V.* &, qui defuncto *Alexandro* successerat, *Joannem* XXIII. Synodo altera opus erat, seu Pisanæ ipsius redintegratione & continuatione, quam scilicet suspensam dumtaxat, & in tempus magis opportunum reservatam, non penitus dissolutam voluerat *Alexander Quintus* Pontifex Optimus. Quamobrem *Joannes* XXIII. ut primum Pontificiam Cathedram ascendit, de transferendo Pisano Concilio in commodiorem locum, ad quem tutus omnibus pateret accessus, & de restituenda Ecclesiæ unitate ac disciplina, ac imprimis de profligandis erroribus *Wickleffi* & *Joannis Hus*, serio cogitare cœpit. Itaque re cum *Sigismundo* Imperatore per Legatos communicata ac deliberata, Synodum Œcumenicam Constantiæ, quæ Germaniæ urbs est prope Helveticos, in Moguntina Provincia Kalendis Novembris anni 1414. celebrandam indixit, Diplomate dato Laude, quinto Idus Decembris anno 1413. quod incipit: *Ad pacem & exaltationem Ecclesiæ*. Initio Concilii præfuit *Joannes* XXIII. legitimus Pontifex; Sessionibus plerisque post ejus fugam habitis præfuit *Joannes* Episcopus Ostiensis, Cardinalis Vivariensis nuncupatus, quatuor postremis Sessionibus *Martinus V.* Sessione 41. Pontifex electus, qui & ipsam Synodum confirmavit. Quadraginta quinque Sessionibus absoluta est. Annis quatuor & sex mensibus duravit, scilicet ab ineunte Novembri an. 1414. ad 22. Aprilis 1418. Concilium solemni ritu inchoatum die Lunæ quinta Novembris, dumque Sacris operaretur Pontifex, lecta illius Mandato Schedula est a *Francisco* SS. Cosmæ & Damiani Diacono Cardinali, qua significabat, Se 5. Idus Decembris, Pontificatus anno 5. indixisse Concilium Generale Constantiæ celebrandum Kalendis Novembris anni sequentis, *continuando Sacrum Pisanum & Generale Concilium super Reformatione Status ejusdem Ecclesiæ*, de Venerabilium Fratrum suorum S. R. E. Cardinalium consilio; peractisque solemnibus, *Sacro approbante Concilio, primam Sessionem* celebrandam indixit 16. Novembris.

Synodi tempus.

Præsides.

II. Ipsi præfuit Summus idem Pontifex *Joannes* XXIII. Sermonemque habuit, quo omnes adhortatus est ut solerter meditarentur quæ ad Ecclesiæ statum & pacem pertinerent. Deinde *Franciscus* Cardinalis Florentinus legit Diploma convocationis Concilii. Subjecit ex scripto Admonitionem Pontificis de perpendendis, & ad suam & Sacræ Synodi notitiam perducendis quæ utilitatem & incrementum Catholicæ Fidei, VVickleffianorum errorum damnationem, debitam Ecclesiæ reformationem & tranquillitatem spectarent; Item de ordine ac modestia in Concilio servandis, juxta Toletani Concilii 11. Canonem primum. Ac ne forte Sessionum occasione turbæ excitarentur, eadem auctoritate declaravit, ex ordine sedendi nullum alicui Ecclesiæ aut personæ præjudicium futurum. Denique Synodi Ministri & Officiales, imprimisque Notarii ex qualibet Natione sunt electi, Italica scilicet, Gallicana, Germanica, & Anglicana. In has enim divisum Concilium est, seu in Concilium illæ sunt adunatæ; Ad quas postea Hispanica Natio quinta accessit, relicto *Petro de Luna*.

III. Prima die Martii, quatuor Nationibus in Palatio Apostolico congregatis, præsente *Sigismundo* Imperatore, Antiochenus Patriarcha *Joannem* XXIII. totius Concilii nomine supplex rogavit, ut ad reddendam Ecclesiæ absolutissimam pacem Pontificatu cederet abdicantibus Æmulis, aut quoties ejus Cessione Ecclesiæ unio procurari posset; quod se præstiturum ultro promisit. Qua de re solemne juramentum ac votum edidit coram Synodo, *Sessione Secunda* die 2. Martii, anni 1415. hoc tenore: *Ego Joannes Papa* XXIII. *propter quietem totius Populi Christiani profiteor, spondeo, promitto, voveo, & juro Deo, & Ecclesiæ, & huic Sacro Concilio, sponte & libere dare pacem ipsi Ecclesiæ per viam meæ simplicis cessionis Papatus, & eam facere & adimplere cum effectu juxta deliberationem præsentis Concilii, si & quando Petrus de Luna, Benedictus* XIII. *& Angelus de Corario, Gregorius* XII. *in suis Obedientiis nuncupati, Papatui quem prætendunt, per se vel Procuratores suos legitimos simpliciter cedant, & etiam in quocumque casu Cessionis vel decessus, aut alio, in quo per meam cessionem poterit dari unio Ecclesiæ Dei ad extirpationem præsentis Schismatis.* Et dum legebat hæc verba in Schedula, *Spondeo, promitto, voveo, & juro Deo,* flexit genua versus Altare, ponendo manus ad pectus & addidit hæc verba: *Et ita promitto observare.* Secundum hæc, ipsi gratias egit Imperator, & deposita corona, flexisque genibus, pedes ejus osculatus est. Ipsi etiam gratias habuit Patriarcha Synodi nomine. Tum *Joannes de Scribanis* Concilii Procurator publicum ea de re Instrumentum a Synodi Notariis fieri postulavit. Diploma Pontificium ea de re confectum exhibent Acta Concilii in MS. Regalis Abbatiæ S. Victoris Parisiensis, quæ deinceps Acta Victorina vocabimus, nec-non Monachus Sandionysianus in Historia *Caroli VI.*

Joannis Vigesimi tertii juramentum.

IV. Ineunte Februario advenerant *Gregorii* XII. & *Benedicti* XIII. seu *Angeli de Corario*, & *Petri de Luna* Legati, quorum aliqui Cardinalitiis Infulis ornati erant, quibus uti permissum ipsis est pro bono pacis, licet in cæterorum consortium admissi non fuerint, nisi post *Gregorii* Cessionem, & conjunctionem cum Synodo. *Ludovicus* Bavariæ Dux, qui *Gregorium* colebat, ejusque Legati coram Imperatore promiserunt, se nihil non effecturos ut Cessione ab ipso impetrarent. Cæteri ejusdem Obedientiæ Doctores petiere, ne *Joannes* Concilio præesset, atque omnium vota libera essent: ea conditione se Concilio Obedientiam præstituros polliciti sunt. Nuntii vero *Petri de Luna* nihil aliud obtulere, nisi ut *Sigismundus* Imperator cum ipso & *Ferdinando* Rege Aragonum conveniret Niciam civitatem maritimam in ora Liguriæ, ut de via moduque unionis deliberarent. Die 5. Martii, Christianissimi Regis Oratores, *Ludovicus* Bavariæ Dux, Reginæ Frater, Archiepiscopus Remensis, Episcopi Carcassonensis, & Ebroicensis, & *Gersonius* qui & Parisiensis Academiæ Legationem obibat, Constantiam sunt ingressi, ibidemque magna pompa excepti, cæterorum Principum Oratoribus, Prælatisque plurimis ad duo millia equorum obviam progressis. Ita referunt Acta Victorina, & Diaria Cerretana. Die vero 15. ut in iisdem Actis memoriæ proditum est, Synodus sex rerum capita a *Joanne* XXIII. postulavit. Primo ne dissolveretur Concilium donec unio perfecta esset. Secundo, ne alium in locum transferretur. Tertio, ne ipse Pontifex inde recederet. Quarto, ut constitueret Procuratorem ad renuntiandum efficaciter ejus nomine. Quinto, ut Diplomata his de rebus ederet. Sexto, ne Prælati, aut alii ad Concilium vocati recederent, nisi ratione infirmitatis, aut paupertatis. Ad quæ Pontifex die sequenti respondens, primum postulatorum caput concessit. Ad secundum ait, videri commodius ut Concilium ad locum aliquem Niciæ vicinum transferretur, ubi Imperator cum *Petro de Luna* & Rege Aragonum colloqui & de mediis unionis conferre debebat. Ad quartum, Sibi in animo esse cessionem per se ipsum exequi: Idque honestius fore, sive res, sive personæ, sive Ecclesia & Concilium spectarentur. Ad quintum & sextum nulla responsio legitur, sed eam colligere facile est. Cum autem his Pontificis responsionibus factum satis Nationibus non esset; vehementius postularunt ut Procuratorem constitueret, ad Cessionem exequendam, ne forte mutaret sententiam, utque collusio vitaretur. Sed & Legati *Angeli de Corario* Dominum suum Niciam non iturum contestati sunt, sed venturum Constantiam, aut procurationem daturum ad Cessionem peragendam. Legati etiam *Petri de Luna* se nihil acturos cum Synodo aut *Joanne* XXIII. professi sunt, sed cum solo Imperatore ad quem missi erant. Quæ dum agerent, *Joannes* e Constantiensi civitate se subduxit, Schaffusiamque aufugit, *Friderici* Austriæ Ducis oppidum, quatuor miliaribus Constantia distans, ne Pontificatu, juxta promissa, se abdicare cogeretur. Eam ob rem commotis omnibus quibus pax Ecclesiæ cordi erat, *Sigismundus* Imperator bono animo esse jussit, se Concilii Protectorem fore, & unionem usque ad mortem procuraturum pollicitus. Continuo vero *Joannes* misso Constantiam Archiepiscopo Remensi *Reginaldo de Carnuto*, quem forte Schaffusiæ reperit, significavit Patribus, Non ideo se discessisse ne promissionem impleret, nec odio Imperatoris, aut animo dissolvendi Concilium, sed ut libere ac secure promissa implere posset. Eo tempore *Joannes Gersonius* Christianissimi Regis & Academiæ Parisiensis Orator, biduo post recessum *Joannis*, nempe die 23. Martii, quæ erat Vigilia Dominicæ Palmarum, Sermonem habuit quo Concilii Generalis Auctoritatem supra Papam, viamque cessionis 12. Considerationibus tractavit. Habetur inter ejus Opera Tom. 1. pag. 366. Hunc tamen *ita Pontificem Concilio subjecisse, ut non absolute & formaliter, sed causaliter tantum & in necessitatibus Ecclesiæ, de quibus tunc agebatur, in dubio de vero Pontifice id velles intelligi*, Spondanus observat ad hunc annum Num. 8. sed Illustrem Auctorem sensum *Gersonis* per se satis obvium & evidentem assecutum non fuisse, ipsius Sermonis contextus demonstrat. *Ecclesia* (inquit) *vel Generale Concilium eam repræsentans, est Regula a Spiritu Sancto directa, tradita a Christo, ut quilibet cujuscumque status, etiam Papalis, existat, eam audire, ac eidem obedire teneatur; alioquin habendus est ut ethnicus & publicanus. Patet ex immutabili Lege divina, Matthæi 18. promulgata . . . Ecclesia vel Generale Concilium, dum dictat aliqua regimen Ecclesiæ concernentia, Papa non sic est supra jura etiam positiva, quæ possit pro libito dissolvere talia dictata per Ecclesiam, eo modo & intentione quibus dictata conclusaque sunt . . . . . Ecclesia vel Generale Concilium quamvis non possit tollere plenitudinem Potestatis Papalis a Christo supernaturaliter & misericorditer collatæ, potest tamen usum ejus limitare sub certis Regulis ac Legibus, ad ædificationem Ecclesiæ, propter quam Papalis Auctoritas, & alterius hominis collata est. Et in hoc est totius Ecclesiæ Reformationis stabile fundamentum . . . . . Ecclesia vel Generale Concilium potuit & potest congregari sine expresso consensu vel mandato Papæ etiam rite electi, & viventis, in multis casibus. Unus inter cæteros est quæ accusatus & evocatus sit ut audiat Ecclesiam juxta Evangelicam auctoritatem allegatam, cui lege subjectus est, & ipse renuit contumaciter Ecclesiam convocare. Alius casus: Ubi materiæ grandes concernentes regimen Ecclesiæ veniunt terminandæ per Generale Concilium, & Papa renuit contumaciter illud vocare. Alius; Si etiam dictatum sit per Generale Concilium, quod debeat tali vel tali tempore convocari. Alter casus est, ubi est probabilis dubitatio super contendentia plurium de Papatu.*

Synodus sex rerum capita a Joanne Vigesimo tertio postulavit.

Joannis Vigesimi tertii fuga.

Sermo Gersonii.

V. Die 26. Martii, ut habent Acta Victorina, Sandionysianus Monachus, & *Gobelinus*, seu 25. ut habent editi, *Tertia Sessio* celebrata est Præside *Petro de Alliaco*, Cardinali Cameracensi. Cardinalis *Franciscus Zabarella* ex Pontificalis præscripta formula Patres hortatus, ut pie ac Sancte se gererent, justeque in omnibus judicarent, has Constitutiones ex Decreto Synodi publicavit: Primo, *Quod ipsa Synodus fuit & est rite & juste convocata Constantiam, & similiter recte, & rite, & juste initiata & celebrata.* Secundo, *Quod per recessum Papæ vel aliorum Prælatorum non est dissolutum Sacrum Concilium, sed remanet in sua integritate & auctoritate, etiamsi quæ Ordinationes factæ fuissent in contrarium, vel in futurum fierent.* Tertio, *Quod istud Sacrum Concilium non debet dissolvi, neque dissolvitur usque ad extirpationem præsentis Schismatis, & quousque Ecclesia sit reformata in fide & moribus, Capite & membris.* Quarto, *Quod ipsum Sacrum Concilium non transferatur ad alium locum, nisi ex causa rationabili & ab ipso Concilio deliberanda & concludenda.* Quinto, *Quod Prælati & alii qui Concilio interesse debent, non recedant ante finem Concilii nisi ex causa rationabili, examinanda per Deputatos a Synodo: tuncque recedens teneatur dimittere potestatem suam aliis remanentibus, sub pœnis jure & aliis per Concilium indicendis.*

VI. Joan-

Joannis Vigesimi tertii excusationes inanes judicantur.

VI. *Joannes* XXIII. datis ad Principes literis recessum suum excusavit, moxque in Castrum *Lausemberg* Diœcesis Basileensis, ac paucis post diebus *Fribargum* abscessit. *Sigismundus* Cæsarem, Synodumque accusavit oppressam ab iis suffragiorum libertatem, eversumque juris ordinem conquestus est. Synodus Encyclicis Literis excusationes *Joannis* frivolas & inanes esse demonstravit, Synodum ab ipso perperam accusari. Habentur in Actis Victorinis, & in Diariis Cerretanis. Addunt hujusmodi Acta, Cardinales quatuor, qui a *Joanne* e Schaffusia redierant Constantiam die 27. Martii, Literas ac Mandata ab ipso retulisse, quibus pollicebatur se constituturum Procuratorem ad cedendum se etiam absente vel nolente: futuros autem ad eum finem Procuratores omnes & singulos Cardinales, ita ut tres eorum, cum tribus ex octo a se electis Prælatis, suo nomine Mandatum Cessionis exequi possent. Instituturum quoque Vicarios ad negotium Concilii omnes & singulos Cardinales Constantiæ agentes, qui unum e suo Ordine Concilii Præsidem eligerent, Rogare autem ut de Provisione ejus post Cessionem ageretur, utque Imperator ac Synodus ejus post Cessionem securitati caverent.

VII. Die 30. Martii, celebrata fuit *Sessio quarta* cui una cum Imperatore interfuere ducenti Patres, in quibus erant novem Cardinales, ut Acta ex Appendice Suriana edita testantur; Sacris operatus est Antiochenus Patriarcha, præfuit *Jordanus* Episcopus Albanensis, Cardinalis *De Ursinis*: Adfuere Regum Franciæ, Angliæ, Poloniæ, Norvegiæ, Cypri, Navarræ Oratores, *Joannes de Vicecomitibus* Dux Mediolanensis, & Marchio Montisferrati. *Franciscus Zabarella* Cardinalis Florentinus promulgavit Constitutiones a Synodo Generali approbatas, quibus imprimis decretum est;

Concilii Generalis potestatem immediate a Christo esse, Concilium declarat.

Quod ipsa Synodus in Spiritu Sancto legitime congregata, Generale Concilium faciens, Ecclesiam Catholicam Militantem repræsentans, potestatem a Christo immediate habet, cui quilibet cujuscumque status vel dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire tenetur in his quæ pertinent ad Fidem, & extirpationem dicti Schismatis, & Reformationem Generalem Ecclesiæ Dei in Capite & in membris. Deinde prohibitum est ne *Joannes* XXIII. absque Synodi deliberatione & consensu, Officia vel Officiarios seu Ministros, quorum absentia Concilium verisimiliter dissolveretur vel læderetur, e civitate Constantia ad alium locum transferret aut vocaret; quod si facere tentaret adhibitis Censuris, laeisve Sententiis, illæ irritæ essent ac inanes: Jussitque Synodus ut Officia sua libere exercerent. Decretum etiam est, ut quidquid idem Pontifex contra quoscumque Prælatos & Viros Ecclesiasticos, aut Ministros Concilio adhærentes tentaret, pariter irritum esset. Item, ut de qualibet Natione tres eligerentur ad cognoscendum de causis recedere volentium a Synodo. Demum, ut pro bono unionis novi non crearentur Cardinales, iisque tantum pro Cardinalibus haberentur, qui in recessu *Joannis* Pontificis e civitate Constantiensi publice pro talibus agnoscebantur.

Concilii Generalis auctoritas declaratur.

VIII. *Sessione quinta*, quæ die sexta Aprilis ejusdem anni 1415. celebrata est, confirmatæ sunt synodali Definitione Constitutiones præcedenti Sessione editæ ac promulgatæ, eaque imprimis qua declaratur: *Concilium Generale Ecclesiam Catholicam repræsentans, potestatem a Christo immediate habere, cui quilibet cujuscumque status vel dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire tenetur in his quæ pertinent ad Fidem & extirpationem Schismatis, & Reformationem Ecclesiæ in Capite & in membris.* Porro de Auctoritate & sensu istius Decreti Sessionibus 4. & 5. Concilii Constantiensis editi, Dissertatione sequenti agemus. In eadem Sessione declaravit Sacra Synodus, teneri *Joannem* XXIII. ad cedendum Pontificatu, non solum in casibus ejus Schedula comprehensis, verum & in alio quocumque ad unionem, & pacem Ecclesiæ utili: istique Concilii Definitioni stare debere: Quod si contemneret vel differret, pro abjecto a Papatu haberetur, omnisque Obedientia illi subtraheretur. Item ejus recessum clandestinum fuisse illicitum: Ipsi nomine Concilii denuntiandam ut revertatur promissa pro unione Ecclesiæ, voto & juramento firmata, impleturus; alioqui contra eum tamquam fautorem Schismatis, & suspectum de hæresi, secundum Canones actum iri. Si vero ad Synodum redire promissaque implere velit, dandas ipsi securitatis Literas, & ejus ac suorum statui post cessionem provisum iri ad arbitrium quatuor ab ipso, & quatuor a Synodo eligendorum. Secundum hæc, nominati sunt Commissarii in materia Fidei contra *Wickleffi* & *Joannis Hus* doctrinam, Cameracensis & S. Marci Cardinales, Dolensis Episcopus & Cisterciensi Abbas.

IX. *Sessio sexta* die 17. Aprilis celebrata est, in qua Sacris operatus est *Nicolaus* Gnesnensis Archiepiscopus, præfuit *Joannes* Episcopus Ostiensis, Cardinalis Vivariensis. Proposita est, & ab universa Synodo approbata forma Procuratorii super cessione Pontificatus a *Joanne* XXIII. facienda pro Ecclesiæ unione; illumque obligari ad illud ea forma dandum decretum est. Ad ipsum etiam decreta est Legatio duorum Cardinalium, & Episcoporum, Abbatum, atque Doctorum aliquot ex singulis Nationibus, qui reditum Constantiam illi suaderent, vel accessum ad unum ex tribus locis vicinis et designatis, cum *Sigismundi* Augusti Salvo Conductu, quem Acta Victorina exhibent, dato 18. Aprilis: Interimque dum expectaretur responsio, ab omni actione judiciaria contra ipsum temperaretur. Secundum hæc, alii etiam contra *Joannem Hus*, & damnatos in Academiis Parisiensi, Pragensi, Oxoniensi *Joannis Wicklef* Articulos, designati Judices. *Hieronymus de Praga* in Jus vocatus. Libelli famosi in civitate Constantiensi sub pœna Excommunicationis prohibiti. Statutum ut literæ ad Reges, Principes, & Academias, Concilii nomine scriberentur, pro rerum hactenus gestarum significatione. Denique lectæ sunt literæ Parisiensis Universitatis ad *Joannem* quibus eum hortabatur ut ad Concilium rediret; aliæque ad Nationem Italicam, ut hujusmodi reditum urgeret.

Citatio Joannis Vigesimi tertii.

X. *Sessio Septima* celebrata est die secunda Maii Præside *Joanne* Cardinali Vivariensi. In ea citatio in *Joannem* XXIII. auctoritate Synodi publicata est ad novem dies, infra quos reverteretur Constantiam, & in Concilio cum fautoribus & affeclis suis compareret, de fuga, aliisque criminibus responsurus, dato ei Salvo-conductu cum a Patribus, tum ab Imperatore. In eadem Sessione contumacia *Hieronymi de Praga* a Promotoribus Concilii probata est, & ea de re publica Instrumenta confecta.

Joannis Wicklef Articuli memoriaque damnantur.

XI. *Octava Sessione*, quæ die quarta Maii celebrata est, damnata est doctrina ac memoria *Joannis Wicklef*, ac speciatim Articuli 45. ibidem inserti, quidam ut notorie hæretici, alii erronei, alii ut scandalosi, & blasphemi, quidam ut piarum aurium offensivi, nonnulli ut temerarii & seditiosi. Ejus pariter Libros omnes & Tractatus Concilium igne damnavit. Damnationem insuper 260. Articulorum ejusdem Hæresiarchæ, ab Universitate Oxoniensi factam, ratam habuit Sacra Synodus. Ejus denique ossa exhumari jussit, & procul ab Ecclesiæ sepultura projici, secundum canonicas & legitimas sanctiones. Secundum hæc, in Cœtu Nationum deliberatum est *Fridericum* Austriæ Ducem ad veniam ac misericordiam ab Imperatore admitti posse. Venit ille cum Duce Bavariæ & Burgravio Norembergensi, seque & omnia sua *Sigismundi* Augusti potestati permisit, & *Joannem* Papam reducere pollicitus est, dummodo tam ei quam suis de vita & bonis cautum esset; & interim obses Constantiæ permaneret, dum omnia executioni mandarentur. Ad oppidum Cellæ duobus tantum milliaribus Constantia distans, ductus est infelix Pontifex, ibique diligenter custoditus datis ipsi in consortium & solatium *Vitali* Episcopo Tolonensi, una cum aliis octo viris honoratis, duobus ex qualibet Natione. Annulum Piscatoris ab eo recepit Præsul Tolonensis, misitque Constantiam, ut Acta Victorina testantur.

Inquisitores in Joannem Vigesimum tertium nominantur.

XII. *Sessione Nona* die 13. Maii celebrata eodem Præside, prolata citatione alias contra *Joannem* Pontificem decreta, accusataque ejus contumacia a promotoribus Concilii, Cardinalis Florentinus ejusdem literas exhibuit, quibus causæ suæ defensionem quibusdam Cardinalibus commiserat: Sed objicientibus promotoribus personalem citationem esse, causamque criminis, in qua nullus per procuratorem admitteretur; ad observanda Juris solemnia rogati sunt duo Cardinales Diaconi & quidam Prælati Nationum, ut ad valvas Ecclesiæ se conferrent, inquisituri an *Joannes* advenisset. Recusantibus Cardinalibus, id executi sunt Prælati, ac demum delegati sunt a Synodo in causa Inquisitionis contra eumdem Pontificem Commissarii, Cardinales *De Ursinis* & *S. Marci*, Episcopi Concordiensis & Tervisinus, ac *Joannes Bononiensis*, Sacri Palatii Apostolici causarum Auditor, Nationis Italicæ: Dolensis Episcopus, Abbas *S. Lupi*, & *Guillelmus Meligniis* dicti Palatii Auditor, Nationis Gallicanæ: Episcopus Metseburgensis, *Andreas* electus Posnaniensis, & *Bertholdus de Vuildungen*, ejusdem Palatii Auditor, Nationis Germanicæ: Episcopus Linchfeldensis, & Abbas B. Ma-

riæ extra muros Eboraci, Nationis Anglicanæ. Denique constituti sunt Judices ad audiendas causas quas ad Synodum deferrentur.

Sententia suspensionis in Joannem Vigesimumtertium a Concilio lata.

XIII. *Sessione Decima* die 14. Maii celebrata, eodem præside, urgentibus Concilii promotoribus rursum quæsitus *Joannes* Papa ad valvas Ecclesiæ & extra a duobus Cardinalibus, & duobus Prælatis Nationum, nec repertus, de totius Synodi sententia declaratus est contumax, cum suis fautoribus. Deinde Cardinalis *S. Marci* ad Synodum retulit, ex testium auditione constare, dictum *Joannem* Papam fuisse dilapidatorem bonorum Ecclesiæ Romanæ, simoniacum, scandalosum, perturbatorem Fidei Christianæ, & alias talem quod merito deberet suspendi ab administratione bonorum Ecclesiasticorum, spiritualium & temporalium. His auditis, communibus Patrum suffragiis decreta est ac publicata contra ipsum Sententia, qua *Ab omni Administratione Pontificatus tam spirituali quam temporali* suspensus est, eo quod legitimis documentis constaret, Ipsum a tempore suæ Assumptionis, *Papatum ipsum, & Politiam Ecclesiæ, in scandalum notorium ipsius & Ecclesiæ, male administrasse, rexisse, & gubernasse, vitaque sua damnabili & nefandis moribus, populis exemplum Vitæ malæ præbuisse & præbere: insuper Ecclesias Cathedrales, Monasteria, & cætera Beneficia Ecclesiastica pretio appretiato simoniace notorie distribuisse; bonaque & jura Romanæ & aliarum Ecclesiarum plurium notorie dilapidasse*; quodque ex charitate monitus, ad meliorem frugem redire noluisset. Atque omnibus Fidelibus cujuscumque dignitatis & conditionis prohibitum est, ne ipsi deinceps directe vel indirecte parerent velut Pontifici, sub pœna fautoriæ Schismatis. Factis post hæc diligentioribus Inquisitionibus antequam in ipsum ferretur ultima damnationis Sententia, missi sunt Cellam ad eum quinque Cardinales, qui ei significarent Acta in Synodo contra ipsum, & capita his Inquisitionibus contenta. Quibus ille paratum ad Cessionem seu Constantiæ seu alibi faciendam se exhibuit, & Synodo Œcumenicæ in omnibus se pariturum, latamque ab illa Sententiam approbaturum professus est.

Articuli contra Joannem Vigesimumtertiam objecti & probati.

XIV. Sessione 11. die Maii 25. celebrata, præside semper Cardinali Vivariensi, promotores Concilii petierunt legi Articulos contra *Joannem* XXIII. objectos & probatos, de notoria dilapidatione bonorum Ecclesiæ, simonia in adeptione Cardinalatus, collatione & distractione Beneficiorum ac bonorum Ecclesiasticorum, Gratiarum, Indulgentiarum, Dispensationum, Reliquiarum, oppressione pauperum ac Virorum Ecclesiasticorum, fuga in habitu indecenti, vita impudica, scandalosa, incorrigibili &c. Qui Articuli numero 94. sunt recensiti, testium numero ac dignitate designatis. Additi sunt alii nulla probatione fulti, de veneno in necem *Alexandri V.* parato, & de hæresi contra Resurrectionem mortuorum & vitam æternam. Delati sunt hi Articuli ad miserum Pontificem, & cum illo communicati, ut ad illos responderet. Qui respondit: *Volo quod Concilium sit defensio mea, quod scio errare non posse: nec alia defensione quacumque uti volo*. Cumque ad audiendam Sententiam dies ipsi crastina diceretur, respondit: *Summe mihi placet Sententia ipsa, quam cum omni reverentia, etiam cum bireti mei depositione recipiam, eamque (quantum in me fuerit) confirmabo*. De quibus publicum Instrumentum confectum est.

Depositionis Sententia in Joannem Vigesimumtertium a Concilio lata.

XV. *Sessione* 12. die 29. Maii celebrata, præside Cardinali Vivariensi, eorum quæ cum *Joanne* XXIII. gesta erant, ac Responsorum ejus Relatione facta a *Joanne* Vaurensi Episcopo, decretum est, Ut si Sedem Apostolicam quovis modo vacare contingeret, ad electionem futuri Summi Pontificis nullo modo procederetur sine deliberatione & consensu hujus Sacri Generalis Concilii Constantiensis. Si contrarium fieret, ipso facto irritum esset ac inane. Lata deinde est depositionis Sententia in *Joannem Papam* XXIII. qua Synodus pronuntiat recessum ipsius a civitate & Concilio Generali Constantiensi, clam, noctu, hora suspecta, in habitu dissimulato & indecenti, fuisse & esse illicitam, Ecclesiæ Dei & ipsi Concilio notorie scandalosum, pacis & unionis Ecclesiæ turbativum & impeditivum, Schismatis inveterati nutritivum, a voto, promissione, & juramento per ipsum *Joannem Papam* Deo & Ecclesiæ, & huic Sacro Concilio præstitis deviativum; Ipsumque *Joannem* simoniacum notorium; bonorumque & jurium, nedum Romanæ, sed & aliarum Ecclesiarum plurimque locorum dilapidatorem manifestum; malumque spiritualium & temporalium Ecclesiæ Administratorem & Dispensatorem fuisse & esse; inhonestis ac dissolutis moribus Populum Christianum notorie scandalizantem ante assumptionem ad Pontificatum, & deinceps ad hæc usque tempora; in illisque criminibus post monitiones debitas, & ex charitate iteratas, pertinaciter perseverasse. Propter quæ Sancta Synodus ipsum a Pontificatu & omni ejus administratione amovet, privat, deponit, universos & singulos Christianos ab ejus obedientia, fidelitate & Juramento absolutos declarans. Prohibet denique Synodus ne *Balthasar Cossa nuper Joannes Papa* XXIII. vel *Angelus de Corario Gregorius* XII. vel *Petrus de Luna Benedictus* XIII. *in suis Obedientiis sic nominati*, in Pontifices iterum eligantur: Quod si fiat, totum irritum erit & inane. Sententiam porro Synodi sibi significatam idem *Balthasar*, nuper Pontifex ratam habuit, & Pontificia Insignia deposuit. Qua de re publicum Instrumentum confectum est. Observatione porro dignum est, quod *Joannes* XXIII. *Papa* simpliciter appellatus est ab Œcumenica Synodo, donec exauctorationis Sententia in ipsum lata est, & deinceps *nuper* aut *olim Papa*; at *Angelus de Corario, & Petrus de Luna, Gregorius* XII. & *Benedictus* XIII. *in suis Obedientiis nuncupati*. Ex quo evidens est, Œcumenicam Synodum Constantiensem non spectasse *Joannem* XXIII. ut dubium Pontificem, sed ut verum ac legitimum, reum tamen, cum Judiciariam Auctoritatem in ipsum exercuit, ipsumque suspendit, ac demum Pontificatu privavit: adeoque Concilium superius Pontifice existimasse ac declarasse, non solum dubio, sed vero ac legitimo, non solum in casu schismatis, sed simpliciter & absolute. Qua de re sequenti Dissertatione uberius agemus.

Decretum de Laicorum Communione sub unica specie.

XVI. *Sessione* 13. die 15. Junii, eodem Cardinali præside celebrata, Decretum editum est de Communione sub unica specie a laicis, iisque jejunis sumenda, contra Bohemos Hussitas; declaratumque hanc consuetudinem ad evitandum aliqua pericula & scandala esse legitime introductam, licet in primitiva Ecclesia Sacramentum Eucharistiæ sub utraque a Fidelibus sumeretur: cum firmissime credendum sit, *Integrum Christi Corpus & Sanguinem tam sub specie panis, quam sub specie vini veraciter contineri. Unde cum hujusmodi consuetudo ab Ecclesia & Sanctis Patribus rationabiliter introducta, & diutissime observata sit, habenda est pro lege, quam non licet reprobare, aut sine Ecclesiæ Auctoritate pro libito mutare. Quapropter dicere, quod hanc consuetudinem aut legem observare, sit sacrilegum aut illicitum, censeri debet erroneum, & pertinaciter asserentes oppositum, tamquam Hæretici arcendi sunt, & graviter puniendi*. Præsulibus etiam jussit Synodus sub pœna Excommunicationis, ut presbyteros communionem sub utraque specie ministrantes, censuris Ecclesiasticis ut hæreticos coerceant, invocato etiam (si opus fuerit) brachii sæcularis auxilio. In eadem Sessione constituti sunt Judices ad causas quarumcumque hæresum & errorum in Fide Catholica & Moribus; & contra quascumque personas, cujuscumque status essent aut dignitatis.

Cessio Gregorii XII.

XVII. *Sessione* 14. die quarta Julii celebrata, de Cessione *Gregorii* XII. actum est, quam in manibus *Sigismundi* Augusti, non Synodi fieri voluit. Quam ob rem non præfuit ei initio Cardinalis, sed Augustus ipse: nec facta est mentio Concilii, aut Sedis Apostolicæ, sed tantum Imperatoris. De cujus mandato lecta sunt ejusdem *Gregorii* Diplomata duo data Arimini, tertio Idus Martii anno sui Pontificatus nono; quorum altero *Joanni Dominici* Cardinali Ragusino suæ obedientiæ, *Joanni* Patriarchæ Constantinopolitano, *Wernero* Archiepiscopo Treverensi, *Ludovico* Comiti Palatino Rheni, & *Carolo de Malatestis* Domicello Ariminensi, & Provinciæ Romandiolæ pro Sede Apostolica Rectori, facultatem tribuebat, ipsius vice ad pacem & unionem Ecclesiæ promovendam. Concilium Constantiæ collectum, in quantum per Regem, & non per *Balthasarem Joannem* XXIII. dictum convocatum esset, suo etiam nomine convocandi & comprobandi, & quæ in eo fierent pariter confirmandi: ea lege ut *Balthasar* ipse nec præesset, nec adesset: Altero pleniorem *Carolo de Malatestis* tribuebat facultatem ad illud exequendum. Qui illam omnem transtudit in *Joannem* Cardinalem *Ragusinum*, qui Declaratione solemni Concilium *Gregorii* nomine convocavit & confirmavit, cui titulus est: *Schedula auctorizationis Concilii*. Post hæc *Joannes Ragusinus* in Cardinalium cæterorum consortium receptus est. Mox *Joannes* Cardina-

dinalis Ostiensis Præsidis personam resumpsit, peractisque pro more aliarum Sessionum solemnibus, lectum est Procuratorium *Gregorii decimisecundi* ad cedendum Pontificatu datum *Carolo de Malatestis*. In quæstionem ab ipso vocatum est, num convenientius esset abdicationem Pontificatus modo fieri Constantiæ, an vero expectari quousque cum *Petro de Luna* Tractatum Niciæ iniisset. A Concilio decretum est, conducibilius esse unioni Ecclesiæ, ut in hac ipsa Sessione Constantiæ fieret. Varia deinde Concilii Decreta promulgata sunt. 1. Ut Acta omnia Judiciaria, Censuræ, Sententiæ, pœnæ in Obedientiis *Joannis XXIII.* & *Gregorii XII.* latæ ac decretæ occasione vel ex causa Schismatis, irritæ essent. 2. Ne Romanus Pontifex durante Concilio eligeretur absque ejusdem Concilii deliberatione & consensu. 3. Ut omnia quæ *Gregorius XII.* in sua obedientia alias recte & canonice gesserat rata essent. 4. Ne Decretum iteratam ejus electionem vetans, factum ad ejus inhabilitatem intelligeretur, & quasi Pontificiæ Dignitatis incapax esset, sed pro bono pacis Ecclesiæ, & futuris scandalis, scrupulis, & suspicionibus vitandis. 5. Ut *Gregorii* Cardinales statim post ejus Cessionem reciperentur. 6. Ut Curiæ ipsius Ministri suis in Officiis & Gradibus confirmarentur. 7. Synodus Imperatorem *Sigismundum* adhortata est, ut Concilii securitati, ac libertati futuræ electionis Summi Pontificis provideret, exacto a Consulibus & Civibus Constantiensis civitatis juramento; quod ipse Edicto solemni præstitit. Mox *Carolus de Malatestis* Arimini Dominus, vi Procuratorii sui renuntiavit ac cessit juri, titulo, & possessioni eidem *Gregorio* in Pontificatu Romanæ & universalis Ecclesiæ competenti, *Coram Domino nostro Jesu Christo, qui Ecclesiæ suæ Caput est & Sponsus in hac Sacrosancta Synodo Sanctam Romanam & Universalem Ecclesiam repræsentante*. Quam cessionem Concilium ratam habuit ac collaudavit.

In hac ipsa Sessione decretum est, monendum esse *Petrum de Luna* Concilii auctoritate, ut intra decem dies promissam toties cessionem exequeretur: quod nisi præstaret, eum Synodus ex tunc declaravit fuisse & esse notorium Schismaticum incorrigibilem & pertinacem, hæreticum, omnique honore & dignitate abjectum, & privatum.

Damnatio Joannis Hus.

XVIII. Sessione 15. die sexta Julii celebrata, eodem Præside Cardinali Ostiensi, post Decretum de servando silentio sub gravissimis pœnis *Joannis Hus* Articuli ac Libri damnati sunt, ipseque Hæreticus declaratus, & uti talis ab Ordine Sacerdotali dejiciendus, & Curiæ sæcularis judicio relinquendus. In eadem Sessione damnata est Propositio: *Quilibet tyrannus*, &c. quondam a *Joanne Parvi* Theologo Parisiensi asserta, ad cædem Ducis Aurelianensis, mandato Ducis Burgundiæ factam, a crimine vindicandam. De quo *Parvi* errore & infami Apologemate, ejusque damnatione, in Synopsi, Cap. 3. Articulo 2. actum est. Demum promulgata est Synodi Constitutio contra omnes & singulos cujuscumque ordinis & dignitatis, qui accedentes ad Concilium ipsum Constantiense, & ad quælibet alia futura Generalia Concilia, aut ab iis redeuntes invaderent, detinerent, mutilarent, occiderent, aut spoliarent.

Error Joannis Parvi damnatur.

Sigismundus Imperator, & Concilii Delegati in Aragoniam suscipiunt pro Schismatis Extirpatione.

XIX. Sessione 16. quæ die 11. Julii celebrata est, Turonensis Archiepiscopus, aliique nonnulli Episcopi, Abbates, & Doctores, omnes numero XII. constituti sunt Procuratores Concilii, qui una cum *Sigismundo* Augusto ad Regem Aragoniæ & *Petrum de Luna* proficiscerentur, ut eum ad cessionem exemplo *Joannis* & *Gregorii* inducerent. Pientissimi Regis conatus variis subterfugiis delusit homo ambitiosus & pervicax *Petrus de Luna*, ac tandem Perpiniani, ubi cum Regibus, & Nuntiis Concilii Constantiensis congressus est, secedens, Paniscolam se recepit. Quo rursus frustra vocato, & novam cum Regibus & Oratoribus collationem renuente, inter *Sigismundum* Cæsarem & Delegatos Concilii ex una, & Oratores Regum Aragoniæ, Navarræ & Castellæ, & Comitum Fuxi & Armaniaci, qui *Petro de Luna* parebant, ex altera, (adstantibus etiam & cooperantibus Christianissimi Regis Oratoribus) post varios tractatus demum concordatum est in duodecim Articulos quos *Sigismundus* Imperator, *Alphonsus* primogenitus *Ferdinandi* Regis Aragonii, Patre ægrotante & absente, aliique Principes & Oratores, subscriptione sua confirmarunt, facto de eis Instrumento die 13. Decembris 1415. In eadem Sessione Parisiensis, Metensis, Virdunensis, & Leonensis, Episcopi, Commissarii deputati sunt ad promulgandam Excommunicationem contra Nobiles quosdam Prædones, qui Prælatos & Doctores a Rege Christianissimo & Academia Parisiensi ad Concilium missos; & qui ad eumdem Regem pro bono universalis Ecclesiæ a Sacra Synodo & *Sigismundo* Cæsare mittebantur, intercepissent, spoliassent, detinuissent, vexassent.

XX. Sessione 17. quæ die 15. Julii celebrata est, Synodus *Sigismundo* Imperatori in Aragoniam eunti ritu solemni bene precata est; Diploma Legationis *Angeli de Corario* olim *Gregorii XII.* & Provisionis ejusdem lectum & approbatum fuit Summo consensu Patrum; Excommunicatio & privatio bonorum, dignitatum, officiorum in eos decreta, qui *Sigismundo* Cæsari & aliis cum ipso in Aragoniam pro Schismatis extirpatione iter Concilii nomine suscipientibus, molesti forent: solemnes Supplicationes pro fausta eorum profectione ac reditu imperatæ. In prima quæ die 21. Julii facta est, *Joannes Gersonius* Sermonem habuit *De Viagio Regis Romanorum* (Ita nempe inscribitur Tomo 1. Operum ipsius, pag. 145.) in quo duodecim Propositionibus seu Directionibus, de Auctoritate Conciliorum Generalium etiam supra Romanum Pontificem disseruit, quod de tempore dumtaxat Schismatis ab ipso intellectum frustra monet *Spondanus* ad annum 1415. Num. 54. cum id figmentum nona, decima, duodecima Directio refellant. Nona quippe sic habet: „ Concilium Generale sic est supra „ Papam, & alium quemlibet de Ecclesia, quod ipsum „ Papam potest deponere pro quocumque crimine, de „ quo notorie & incorrigibiliter scandalizatur Ecclesia. „ *Decima vero sic:* Concilium Generale, quamvis „ non possit nec debeat plenitudinem Potestatis Papalis commissam a Christo Petro & Successoribus ejus „ tollere vel minuere, eamque revereri debeat, & „ amplecti: potest nihilominus usum Potestatis illius „ certis Legibus & Statutis limitare in ædificationem „ Ecclesiæ. *Duodecima tandem*: Concilium Generale „ potest & debet constituere crebriorem Generalium „ Conciliorum celebrationem, quam retroactis temporibus fuerint celebrata, ut de decennio in decennium, præfixa Summis Pontificibus ista lege quam „ transgredi non liceat.

Sermo Gersonii.

XXI. Sessione 18. quæ 17. Augusti die celebrata est, demandata est quatuor Episcopis potestas finiendi, cum aliorum totidem ex omnibus Nationibus Assessorum consilio, causas & querelas omnes ad Synodum delatas & deferendas causis tantum Cathedralium Ecclesiarum aliisque majoribus exceptis. Literæ deinde conscribi ac dari jussæ de gratiis a *Joanne XXIII. olim Papa* concessis, usque ad ipsius Administrationis in spiritualibus & temporalibus suspensionem, exorbitantibus & Expectativis exceptis. Missi tandem Oratores in Italiam ad *Angelum de Corario* Episcopum Cardinalem olim *Gregorium XII.* nominatum, & Cardinales cum ipso existentes, pro negotiis unionis Ecclesiæ.

Hieronymus de Praga errores ejurat.

XXII. Sessione 19. quæ die 23. Septembris celebrata est, *Hieronymus de Praga* errores *Wickleffi* & *Joannis Hus* ejuravit; & quidquid dixisset, Judicio sacri Concilii Constantiensis subjecit, seque in veritate Ecclesiæ Catholicæ semper mansurum professus est, & Canonum severitati obnoxium fore, si contra sentiret aut prædicaret. Deinde Constitutio edita est in favorem Strictioris Observantiæ apud FF. Minores, Provinciarum Franciæ, Burgundiæ, ac Turonensis, promovendæ. Tertio, declaratum est quasvis Salvi-conductus literas ab Imperatore, Regibus, & aliis sæculi Principibus concessas Hæreticis, vel de hæresi suspectis & accusatis, non prohibere quin Ecclesiastici Judices *contra ipsorum errores inquirant, eosque puniant, quantum justitia suadebit, si suos errores revocare pertinaciter recusaverint*. Quarto, causas hæresis certis Judicibus Concilium commisit. Quinto statutum est, ut omnes & singuli Beneficiarii Concilio præsentes fructus Beneficiorum suorum reciperent, ac si in iis residerent. Sexto, ut de Provisionibus ad Patriarchales, Metropolitanas, & alias Ecclesias a *Joanne* olim Papa XXIII. ante Suspensionem illius factis, sub nomine & sigillo Synodi, Literæ concederentur. Denique ut *Carolina* Constitutio seu *Caroli IV.* Imperatoris Diploma, statuta quondam a *Friderico II.* in favorem Ecclesiasticæ libertatis confirmans, cum additionibus Ecclesiæ commodis, promulgaretur, ejusque executio decerneretur.

Capitula inter Sigismundum Imperatorem & Legatos Concilii una parte, &

XXIII. Sessione 20. quæ die vigesima prima Novembris celebrata est, supplicante *Georgio* Tridentino Episcopo, Monitorium contra *Fridericum* Austriæ Ducem decretum est, qui bona, juraque Ecclesiæ Tridentinæ invaserat.

XXIV. Die trigesima Januarii anno 1416. Congre-

gati,

Regum ac Principum Petro de Luna adhærentium ex altera concordata.

gatio Generalis in majori Ecclesia Constantiensi celebrata est, in qua Legatorum ad *Petrum de Luna*, & *Ferdinandum* Aragonum Regem missorum audita Relatio, *Jacobo* Turonensi Archiepiscopo Collegarum nomine loquente. Tum Capitula inter *Sigismundum* Augustum & Legatos Concilii Constantiensis ex una parte; & Regum ac Principum *Petro de Luna* adhærentium ex altera, anno superiori, die 13. Decembris Narbonæ concordata, proposita sunt, & in altera Congregatione, die quarta Februarii, communi Patrum consensu approbata. Quorum Capitulorum numero 12. hic tenor erat: 1. Ut a Patribus Constantiensibus fieret nova Convocatio Regum & Prælatorum Obedientiæ *Benedicti* Constantiæ infra tres menses sistendorum; ita tamen ut Literæ convocationis Regibus, & per ipsos Prælatis mitterentur. 2. Ne quid in eo Concilio tractaretur de rebus eosdem Reges, aut Prælatos, cæterosque Obedientiæ prædictæ spectantibus, sed tantum de extinctione Schismatis, & Ecclesiæ unione. 3. Ut quicumque eorum ad Concilium accederent, statim ejus reciperentur in consessum, quemadmodum aliarum Obedientiarum suscepti fuerant Antistites; & per Concilium sic unitum contra *Benedictum* Pontificatui pure & libere renuntiare nolentem ageretur. 4. Ut omnes Censuræ ac Sententiæ latæ contra Reges, Principes, Academias, & quasvis personas Obedientiæ *Benedicti* per *Gregorium* & *Joannem*, eorumque Prædecessores, & per Concilium Pisanum, a tempore exorti Schismatis, abolerentur; immo & contra *Benedictum* ipsum, si pure & libere cederet. 5. Ut confirmarentur Collationes omnes a *Benedicto* factæ, gratiæque ab illo concessæ in sua Obedientia. 6. Ut Cardinales *Benedicti* venientes ad Concilium, admitterentur cum aliis ad electionem novi Pontificis. 7. Ut Ministri Romanæ Curiæ a *Benedicto* constituti non deponerentur, modo illi non adhærerent facta Subtractione. 8. Si *Benedictus* ante abdicationem obiret, non esset alius Pontifex quam qui a Concilio eligeretur. 9. Ut provideretur super Titulis Cardinalium, ad quos duo vel plures ex diversis Obedientiis fuissent nominati. 10. Ut *Benedicto* ad Concilium ire volenti, aliisque ex ipsius Obedientia, provideretur de Salvo-conductu Regum ac Principum, per quorum ditiones transiturus esset. 11. Ut Conventa utrinque juramento firmarentur, & a singulis Constantiensis Concilii Patribus ac Principum Oratoribus probarentur. 12. Ut Conventorum Instrumenta cuilibet parti traderentur.

Damnatio Hieronymi Pragensis in hæresim relapsi.

XXV. Sessione 21. die trigesima Maii, anno 1416. celebrata, *Hieronymus de Praga* in hæresim, quam ejuraverat relapsus, damnatus est, & sæculari potestati relictus.

XXVI. Sessione 22. Regis Aragonum Oratores ad Concilium sunt admissi, & post *Joannem Gersonium* Christianissimi Regis Oratorem, qui primo loco sedebat, collocati. Tum capita Narbonæ convente executioni e Concilio mandari cœpta.

XXVII. Sessione 23. die quinta Novembris anni 1416. celebrata, duodecim Commissarii a Synodo nominati sunt ad inquirendum contra *Petrum de Luna*, ut in jus vocari, & contra ipsum usque ad absolutam Schismatis extirpationem procedi posset.

Citatio Petri de Luna decernitur.

XXVIII. Sessione 24. die 28. Novembris habita, *Stephanus Episcopus* Dolensis, jubente Synodo legit citationem contra *Petrum de Luna* decretam, ut ad centesimum diem Constantiæ coram Œcumenica Synodo se sisteret, vel ad septuagesimum a significatione ipsi facienda, si liber ad eum pateret accessus; vel in Ecclesia Dertusensi, cui Peniscolæ oppidum suberet; aut aliqua alia ejusdem Diœcesis promulganda.

XXIX. Sessione 25. die 14. Decembris celebrata, Fuxensis Comitis Oratores in Consessum sunt admissi. Olomucensis Ecclesiæ vacantis Administratio in spiritualibus & temporalibus *Joanni* Episcopo Lutomussensi commendata est usque ad electionem futuri Summi Pontificis, & ex post ad tres menses immediate sequentes.

XXX. Sessione 26. celebrata die 24. Decembris Regis Navarræ Oratores ad Concilium sunt admissi; & ad pacem inter Nationes fovendam decretum est, nihil omnino excellentiæ seu præeminentiæ, aut cujuscumque alterius juris, proprietatis, aut possessionis, cuiquam Nationi accrescere vel decrescere ex loco sessionis, responsionis, scriptionis, & aliis hujusmodi.

XXXI. Sessione 27. celebrata die 20. Februarii, 1417. Præside *Joanne* Episcopo Cardinali Ostiensi, Commissarii in causa Tridentinæ Ecclesiæ e Concilio deputati, de Monitorii contra *Fridericum* Austriæ Ducem, bonorum ejusdem Ecclesiæ invasorem, decreti executione Relatione facta, ejusdem contumaciam accusarunt.

Sententia in Fridericum Austriæ Ducem.

XXXII. Sessione 28. celebrata die tertia Martii ejusdem anni, Synodus lata Sententia declaravit, *Fridericum* Austriæ Ducem, ob vexationem *Georgii* Tridentini Episcopi, ejusdem Ecclesiæ, & oppidorum, castrorum, villarum, bonorum & jurium ad eam pertinentium occupationem, invasionem, ac detentionem; & ob violatum juramentum quo in *Sigismundi* Augusti Judicio super Tridentini Episcopi querelis acquieturum se promiserat, Anathematis & sacrilegii vinculis innodatum, perjuriique reum, nec-non pœnas privationis & inhabilitationis in Carolina contentas incurrisse; ejusque complices & fautores iisdem pœnis subjacere; eorumque loca Ecclesiastico supposuit Interdicto, quousque satisfecissent, & absoluti fuissent. Executionem vero Sententiæ *Sigismundo* Augusto demandavit, cæterorumque etiam Principum auxilium invocavit.

XXXIII. Sessione 29. celebrata die octava Martii, Promotores & Notarii in causa contra *Petrum de Luna* nominati fuere: ejus accusata contumacia est; publicaque Instrumenta ea de re confecta.

S. Vincentius Ferrerius ad subtractionem Obedientiæ Petro de Luna faciendam Aragonum Regem adduxit.

XXXIV. Sessione 30. celebrata die decima Martii, Subtractionem Obedientiæ a *Ferdinando* Aragonum Rege *Petro de Luna* factam suadente *S. Vincentio Ferrerio*, Ordinis FF. Prædicatorum, Sacra Synodus approbavit ac laudavit; ejusdemque *Petri de Luna* Constitutionem quamdam, tamquam unionis Ecclesiæ obicem, nullius esse aut fuisse roboris declaravit. Quod de *Sancto Vincentio Ferrerio* dixi, *Joannes Gersonius* in Epistola ad ipsum e Concilio Constantiensi scripta testatur, cujus hæc sunt verba: „ Nominatissimo Doctori & Prædicatori zelanti salutem animarum, Magistro Vincentio de Ordine FF. Prædicatorum, Patri meo in Christi charitate dilectissimo, Joannes de Gerson. Tanta de virtutibus tuis, Doctor egregie, fama referente crebrius accepi, tanta specialiter in collocutione familiari cum Reverendo Patre Domino Generali tui Ordinis Prædicatorum agnovi, ut mihi videaris recte figuratus, secundum nomen tuum, per illud Apocalypsis: *Vidi & ecce equus, & qui sedebat super illum habebat arcum, & data est ei corona, & exiit vincens ut vinceret*. Exiisti quidem ut vinceres, o Vincenti gloriose: sed quales tu vinceres, qua ratione, quibus armis, quo apparatu bellico, quali arcu tu tandem ipse coronatus triumphares? Respondet ille cujus es imitator Paulus, dicens; *Arma militiæ nostræ non esse carnalia*; cum reliquis similibus, qualia melius ipse nosti... Reddunt tuæ charitati, tuoque zelo pacis Ecclesiasticæ testimonium hoc insigne, hoc celeberrimum præconium, tum multi, tum nominati, quod inclito Aragonum Regno numquam fuissent concordata pacis Capitula; numquam subtractio, quæ tam viriliter & legitime facta est ab illo, nimis, proh dolor! erga Matrem Ecclesiam obdurato Petro de Luna, fuisset attentata, si non Auctoritatis tuæ pondus, & consilii robur addidisses: cujus favoris tam egregii Nos ipsi Sacro Generali Concilio præsentes, desideratissimæ pacis, annis jam fere 40. miserabiliter exulantis, fructum & reditum proximum expectamus, *&c.*

Monitorium contra Comitem Virtutum.

XXXV. Sessione 31. die ultima Martii celebrata, Monitorium contra *Philippum* Comitem Virtutum ex familia Vicecomitum Mediolanensium promulgatum est, qui *Albertum* Astensem in Lombardia Episcopum, vi armata captum, in carcerem conjecerat; ut nisi Episcopum libertati restitueret, Ipse & ejus complices Anathemati ejus Terræ & Dominia Interdicto subjicerentur. Quod in hoc Monitorio habetur, *Attendentes quod subditi in eorum Prælatos & laici in Clericos nullam habent jurisdictionem & potestatem*; Regum & Supremorum Principum potestati & jurisdictioni in Clericos non derogat. Comes enim Virtutum Astensis Episcopi supremus non erat Dominus. Et ex Imperatorum Regumque Legibus ea dudum invaluerat laudatissima consuetudo, ne quis Procerum, Optimatum, aut Magistratuum, Clericorum causas auctoritate sua cognosceret. Exemptionem itaque Clericorum supponit Concilium Constantiense, non a Summis Pontificibus dumtaxat vel Conciliis sancitam, sed ab Imperatoribus ac Regibus olim concessam, ab Ecclesia laudatam, & diuturna possessione firmatam. Qui Reges, etsi Clericos a Magistratuum suorum, aut Comitum, vel etiam Principum sibi subditorum censura quandoque absolverunt, seu universim, seu certis in causis, nusquam tamen a jugo Regiæ Majestatis solutos ac prorsus liberos esse concessere in causis temporalibus ac profanis.

Clericorum immunitas.

In

In eadem Sessione decretum est, ut *Guillelmus* Bajonensis in Aquitaniâ Episcopus, olim a *Petro de Luna* in Schismate constitutus, & Concilio præsens, mortuo jam *Petro* ejus competitore Obedientiæ *Joannis XXIII.* tamquam verus Episcopus a Clero & Populo Bajonensi agnosceretur & coleretur: Capituloque ejusdem Ecclesiæ vetitum na ad alterius Præsulis electionem procederet.

Actiones Judiciariæ in Petrum de Luna.

XXXVI. Sessionibus 32. 33. & 34. calebratis diebus prima Aprilis, duodecima Maji, & quinta Junii, Judiciariæ Actiones in *Petrum de Luna* continuatæ sunt, contumax declaratus est, Commissarii ad testes super certis Articulis contra ipsum audiendos deputati, de testium examine Relatio ad Synodum facta: In Jus iterum vocatus Pseudo-pontifex ad dicendum, objiciendum & proponendum coram Commissariis, quidquid dicere, objicere, & proponere vellet contra testes in hac causa auditos; eorumque dicta, & Instrumenta prolata; causæ series coram Synodo recensita est, Inquisitiones lectæ, omniaqua secundum Juris apices ad Sententiam proxime ferendam necessaria peracta sunt.

Regis Castellæ Oratores Concilio conjuncti.

XXXVII. Sessione 35. die decima-octava Junii *Joannis* Regis Castellæ & Legionis Oratores, quos inter spectabilis erat *F. Ludovicus de Valle Oleti* Ordinis FF. Prædicatorum, in Sacra Facultate Parisiensi Doctor Theologus, Concilio sunt conjuncti, & acta in hanc diem contra *Petrum de Luna* approbarunt, Concordataque Narbonensia cum ab ipsis, tum a Synodo, eorum respectu executioni fuere demendata.

XXXVIII. Sessione 36. die vigesima-secunda Julii, peremptoria citatio contra *Petrum de Luna* publicata est, ut vigesima-sexta ejusdem mensis, in Ecclesia Constautiensi se sisteret, definitivam Synodi sententiam causa sua auditurus, Censuras, Sententias, & pœnas ab ipso contra bonum unionis latas aut decretas, eadem Synodus irritas pronuntiavit: Gratias omnes & dispensationes ab ipso concessas, & omnia alia ab eodem in ditionibus *Joannis* Regis Castellæ & Legionis acta ad diem usque decimam octavam Junii ultimo præteriti, pro bono pacis approbavit & confirmavit.

Sententia in Petrum de Luna.

XXXIX. Sessione 37. celebrata die vigesima-sexta Julii, Præside *Joanne* Cardinali Episcopo Ostiensi in *Petrum de Luna* Benedictum XIII. in sua Obedientia nuncupatum lata est Exauctorationis Sententia tamquam perjurum, universalis Ecclesiæ scandalizatorem, fautorem & nutritorem inveterati Schismatis, pacis & unionis Ecclesiæ impeditorem & turbatorem, Schismaticum & Hæreticum; Articuli Fidei, *Unam Sanctam Ecclesiam Catholicam* violatorem pertinacem, cum scandalo Ecclesiæ Dei, incorrigibilem, notorium & manifestum: ac omni titulo, gradu, honore indignum, a Deo ejectum & præcisum omni jure in Pontificatu quomodolibet illi competente privatum, & ab Ecclesia Catholica, tamquam membrum aridum præcisum Sacra Synodus pronunciavit: omnes Christianos ab ejus Obedientia, juramentis, obligationibus ipsi quomodolibet præstitis absolvit.

XL. Sessione 38. celebrata die vigesima octava Julii, Sententiæ contra Oratores *Henrici* Infantis Castellæ & eorum consanguineos vel familiares latæ a die prima Aprilis anni 1416. rescissæ sunt. Revocata est facultas Oratoribus Regis Aragoniæ concessa de suffragiis pro omnibus Prælatis & Ecclesiasticis Viris Ditionum ejusdem Regis tam intra quam extra Hispaniam ferendis; decretumque ut Prælatos tantum Hispanos repræsentarent; & Oratores Regum Castellæ, Lusitaniæ, & Navarræ, repræsentarent pariter Regnorum singuli suorum Prælatos, & alios qui ad Concilia vocari consueverunt.

Decretum de Conciliis Generalibus statotempore celebrandis.

XLI. Sessione 39. celebrata die nona Octobris anni 1417. Decretum perpetuum de Conciliis Generalibus stato tempore celebrandis editum est, ut scilicet quinquennio post absolutionem Concilii Constantiensis aliud celebraretur; & illo absoluto aliud septennio post ac deinceps singulis decenniis, in locis a Pontifice Romano per mensem ante finem cujuslibet Concilii de ejusdem Concilii consensu, vel in defectum Pontificis ab ipso Concilio indicendis: *Ut sic per quamdam continuationem semper aut Concilium vigeat, aut per termini pendentiam expectetur.* Quem terminum liceat Summo Pontifici de consilio S. R. E. Cardinalium ob emergentes forte casus breviare, sed nullatenus prorogare; nec locum pro futuro Concilio celebrandu destinatum absque evidenti necessitate mutare. Decretum sic incipit: *Frequens Generalium Conciliorum celebratio, agri Dominici cultura est præcipua.*

Provisio adversus futura Schismata.

Addita est provisio adversus futura Schismata; nimirum ut si Schisma oriri contingat, ipso Jure terminus Concilii tunc forte ultra annum pendens, ad annum proximum abbreviatus censeatur. Ad quod omnes Prælati, & cæteri qui ad Concilium ire teneantur, sub pœnis Juris, & aliis per Concilium imponendis, absque alia vocatione conveniant: nec-non Imperator, cæterique Reges & Principes, vel personaliter, vel per Oratores, tamquam ad commune incendium extinguendum concurrant. Quilibet vero pro Romano Pontifice se gerentium infra mensem a die qua noverit alium vel alios Insignia Pontificatus assumpsisse, teneator, sub Interminatione maledictionis æternæ & amissione Juris si quod forte sibi quæsitum esset in Pontificatu, nec-non inhabilitatis ad quaslibet Dignitatet, Concilium intra mensem in loco prius designato indicere, Competitores ad causam dicendam provocare, ad Concilium accedere, nec inde recedere donec per Concilinm causa Schismatis sit finita. Nullus insuper Contendentium de Pontificatu ipsi Concilio ut Pontifex præsideat; immo postquam inceptum fuerit Concilium, omnes ipso jure sint ab administratione suspensi. Quod si forte electionem Romani Pontificis per metum in constantem virum cadentem seu impressionem fieri contingat, irrita sit, nec per sequentem consensum, etiam cessante metu, rata fiat. Non tamen liceat Cardinalibus ad aliam electionem procedere, nisi sic electus obierit vel cesserit, donec a Concilio Generali de electione hujusmodi fuerit judicatum, &c.

Formula Professionis Fidei a Pontificibus electis edenda.

In eadem Sessione formula Professionis Fidei a singulis futuris Pontificibus in suæ Creationis primordiit, & ante Electionis ipsorum promulgationem emittendæ, præscripta est, cujus hic est tenor: *Ego electus in Papam, omnipotenti Deo, cujus Ecclesiam suo præsidio regendam suscipio, & B. Petro Apostolorum Principi, corde & ore profiteor, quamdiu in hac fragili vita constitutus fuero, me firmiter credere & tenere Sanctam Fidem Catholicam secundum Traditiones Apostolorum, Generalium Conciliorum, & aliorum Sanctorum Patrum. Maxime autem Sanctorum octo Universalium Conciliorum, videlicet primi Nicæni, secundi Constantinopolitani, tertii Ephesini, quarti Chalcedonensis, quinti & sexti Constantinopolitanorum, septimi item Nicæni, octavi quoque Constantinopolitani, nec-non Lateranensis, Lugdunensis, & Viennensis Generalium etiam Conciliorum: Et illam Fidem usque ad unum apicem immutilatam servare, & usque ad animam & sanguinem confirmare, defensare, & prædicare; Ritum quoque Sacramentorum Catholicæ Ecclesiæ traditum omnimode prosequi & observare.*

Translationes Episcoporum.

Secundum hæc Synodus edito Decreto prohibuit ne Translationes Episcoporum & superiorum Prælatorum, ipsis invitis fiant, absque magna & legitima causa quæ vocata parta cognita fuerit & judicata de consilio S. R. E. Cardinalium, vel majoris partis eorumdem, & cum subscriptione.

Ecclesiæ Reformatio in capite & in membris.

Prohibita est altero Decreto Reservatio & perceptio a Pontificibus Romanis fieri solita procurationum Ordinariis & aliis inferioribus Prælatis debitarum ratione Visitationis, nec-non & Spoliorum decedentium Prælatorum, aliorumque Clericorum, sive in Curia Romana, sive extra obierint.

XLII. Sessione 40. celebrata die trigesima Octobris anno 1417. Præside *Joanne* Ostiensi Episcopo Cardinali decretum est, futurum Romanum Pontificem proxime eligendum, cum hoc Sacro Concilio, vel deputandis per singulas Nationes *debere reformare Ecclesiam in Capite & in membris, & Curiam Romanam, secundum æquitatem, & bonum regimen Ecclesiæ*, ante dissolutionem Concilii, super certis Articolis, scilicet: 1. *De numero, qualitate, & natione Cardinalium:* 2. *De Reservationibus Sedis Apostolicæ:* 3. *De Annatis, communibus servitiis, & minutis:* 4. *De Collationibus Beneficiorum, & Gratiis Expectativis:* 5. *De confirmationibus Electionum:* 6. *De causis in Romana Curia tractandis, vel non:* 7. *De Appellationibus ad Romanam Curiam:* 8. *De Officiis Cancellariæ, & Pœnitentiariæ:* 9. *De Exemptionibus, & incorporationibus tempore Schismatis factis:* 10. *De Commendis:* 11. *De fructibus medii temporis:* 12. *De non alienandis bonis Romanæ Ecclesiæ:* 13. *Propter quæ & quomodo Papa possit corrigi & deponi:* 14. *De extirpatione Simoniæ:* 15. *De Dispensationibus:* 16. *De Provisione Papæ & Cardinalium:* 17. *De Indulgentiis:* 18. *De Decimis.* Deinde decretum ast, ut absentia Cardinalium *Petri de Luna* non obstante, ad novi Pontificis electionem procederetur: Qui tamen si re integra advenirent, & Concilio adhærerent, admitterentur cum aliis. Denique

formu-

formula eligendi Romanum Pontificem præscripta est, de consensu Cardinalium, ut scilicet hac vice dumtaxat, ad eligendum Romanum Pontificem, ipsis adjungerentur sex Prælati, vel aliæ honorabiles Personæ Ecclesiasticæ in Sacris Ordinibus constitutæ, de qualibet Natione in eadem Synodo pro tunc existentes, quos seu quas quælibet ipsarum Nationum per se ad hoc infra decem dies aligerer. Utque nemo verus & legitimus Pontifex haberetur, nisi a duabus partibus Cardinalium, & ab adjunctorum e qualibet Natione duabus etiam partibus electus esset.

Novi Pontificis electio.

XLIII. Sessione 41. celebrata die octava Novembris, Præside (ut in cæteris) *Joanne* Cardinali Ostiensi, lecta est Constitutio *Clementis Sexti*, quæ incipit, *Licet*, de modo & forma Conclavis; præscripta juramenta ab Electoribus Romani Pontificis, & Custodibus Conclavis emittenda, nominati Electores Cardinalibus a qualibet Natione adjuncti; promulgata Excommunicatio, atque Beneficiorum, Officiorum, & Dignitatum privatio contra eos, qui *ex abusiva licentia*, res & bona electi Pontificis invaderent. Denique Cardinales numero viginti Concilio præsentes, una cum cæteris triginta Electoribus a quinque Nationibus designatis Conclave sunt ingressi, paratum in Domo Communitatis, Civitatis Constantiensis. Ac tertio post die, nempe undecima Novembris, concordibus suffragiis in Romanum Pontificem elegerunt *Odonem* seu *Othonem Columna*, S. Georgii ad Velum Aureum Diaconum Cardinalem, qui *Martinus Quintus* appellari voluit: & die Dominica 21. Novembris in Ecclesia Constantiensi solemni ritu coronatus est.

Martinus V. Concilio deinceps præsidet.

XLIV. Sessione 42. celebrata die vigesima-octava Decembris, Præside *Martino Quinto* Pontifice Maximo, *Sigismundus* Augustus, & *Ludovicus* Bavariæ comes, absoluti sunt ab onere custodiæ *Balthasaris Cossa* olim *Joannis XXIII.* Quem in manus ipsius Pontificis, aut ab eo nominandorum, traderent.

Reformationis Capita.

XLV. Sessione 43. celebrata die vigesima-prima Martii, anno 1418. eodem præside *Martino* Pontifice, quædam Reformationis capita decreta ac promulgata sunt. Primum, de Exemptionibus abrogandis, quæ ab obitu *Gregorii Undecimi* concessæ essent, iis exceptis, quæ uni toti Ordini, & quæ Ecclesiis, Monasteriis, Capitulis, Conventibus, Beneficiis, sive locis ea temporis intercapedine sub modo Exemptionis aut conditione fundatis concessæ erant. Secundum, de revocandis unionibus Beneficiorum ex eo tempore factis, nisi ex legitimis verisque causis factæ fuerint, licet Apostolicæ Sedis intervenerit Auctoritas. Tertium, de fructibus Beneficiorum vacantium non attribuendis Romano Pontifici, vel Apostolicæ Cameræ, sed Juris, & Consuetudinis, vel Privilegii dispositioni relinquendis. Quartum, de suspensione simoniace Ordinatorum, deque nullitate electionum, postulationum, & quarumvis provisionum simoniace factarum. Declarant Synodus & Pontifex, quod sic promoti *Non possunt facere fructus suos, sed ad illorum restitutionem, tanquam iniqua ablatorum, teneri. Dantes vero & recipientes ipso facto Sententiam Excommunicationis incurrere, etiamsi Pontificali aut Cardinalatus præfulgeant Dignitate.* Quintum, de Dispensationibus revocandis, quibus conceditur Electis seu Provisis ad Ecclesias, Monasteria, & quæcumque Beneficia, ne munus Consecrationis Episcopi, sive Benedictionem Abbatis, sive debitos & annexos aliis Beneficiis Ordines suscipiant: *Quia Beneficia propter Officia conceduntur, & absurdum est ut qui Beneficia obtineat, recusent aut negligant Officium exercere.* Sextum, de Decimis, & aliis oneribus, Ecclesiis & Ecclesiasticis Personis non imponendis a quovis Romano Pontifice inferiore: Nec ab ipso Romano Pontifice *generaliter super totam Clerum, nisi ex magna & ardua causa & utilitate universalem Ecclesiam concernente, & de consilio, consensu, & subscriptione Cardinalium & Prælatorum, quorum consilium commode haberi poterit. Nec specialiter in aliquo Regno vel Provincia inconsultis Prælatis ipsius Regni vel Provinciæ, & ipsis non consentientibus, vel eorum majori parte:* & eo casu a Viris Ecclesiasticis colligantur. Septimum, de vita & honestate Clericorum, præcipue circa vestes & Tonsuram.

Decretum de numero & qualitate Cardinalium.

XLVI. His addenda, quæ *Philippus Labbeus* in Appendice ad Concilium Constantiense edidit, tamquam ad Sessionem quadragesimam spectantia, & quæ ex duobus Codicibus MSS. uno Bibliothecæ Vaticanæ, altero Palatinæ publicavit *Emmanuel a Schelstrate*, Vaticanæ Bibliothecæ Præfectus, & ad Sessionem potius 43. reducenda observavit. 1. De numero & qualitate Cardinalium, & modo promotionis eorum, statuit ut deinceps numerus Cardinalium S. R. E. *adeo sit moderatus, ut nec gravis sit Ecclesiæ, nec superflua numerositate vilescat*; qui ex omnibus orbis Christiani partibus, proportione servata, quantum fieri poterit assumantur, *Ut notitia causarum & negotiorum in Ecclesia emergentium facilius haberi possit, & æqualitas regionum in Honoribus Ecclesiasticis observetur.* Numerus ad 24. definitur: Quos viros esse oporteat, scientia, moribus, & rerum experientia excellentes, Doctores in Theologia, aut in Jure Canonico vel Civili, præter admodum paucos e Stirpe Regia, aut Ducali, vel magni Principis oriundos, in quibus competens literatura sufficiat; non Fratres aut Nepotes ex fratre vel sorore alicujus Cardinalis viventis, &c. Secundum, de Provisionibus Ecclesiarum, Monasteriorum, Prioratuum, Dignitatum, & aliorum Beneficiorum, aliquem ad Episcopales Dignitates eligi vetat, *nisi sit Doctor, aut Licentiatus cum rigore examinis, in Theologia, aut Jure Canonico vel Civili.* Tertium, de Annatis, quo statuitur, ut pro sustentatione Summi Pontificis, & S. R. E. Cardinalium, de Ecclesiis & Monasteriis virorum dumtaxat vacantibus & vacaturis, solvantur pro fructibus primi anni, a die vacationis, summæ pecuniarum in Libris Cameræ Apostolicæ taxatæ, quæ communia servitia nuncupantur; si quæ vero male taxatæ sunt, juste taxentur. Si autem infra annum bis Ecclesiæ vacaverint, semel tantum solvatur; nec debitum hujusmodi in Successorem transeat, &c. Extat Nationis Gallicanæ Deliberatio Constantiæ facta ante *Martini V.* electionem, de non solvendis Annatis, & communibus ac minutis servitiis, & Responsio ejusdem Nationis ad Appellationem per Cardinales ministerio *Joannis de Scribanis* contra eam factam, quæ apud *Nicolaum de Clemangiis*, apud *Orthuinum* in Fasciculo Rerum Expetendarum, & inter Probationes Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ legi possunt: Sed de Annatis infra differam, ac ea retractabo, quæ de eo argumento olim scripsi. Quartum, de causis in Romana Curia, vel extra tractandis statuit, ut causas quæ ad Forum Ecclesiasticum de jure vel consuetudine non pertinent, Curia Romana ad se non trahat, nisi de consensu partium. Quæ vero ad ipsam per appellationem devolutæ sunt, aut ad eam alias de jure pertinent, in ea tractentur. Cæteræ committantur in partibus. Matrimonialium causarum primæ cognitio non habeatur in Curia. Appellationes frustratoriæ ante Diffinitivam Sententiam interpositæ sub gravibus mulctis prohibentur. Quintum, de Exemptionibus, idem habet ac primum Editionis *Binii* & aliorum, licet prolixius & explicatius. Sextum, de Commendis, vetat ne in posterum Monasteria, aut magni Prioratus Conventuales, ultra decem Religiosos, & Officia Claustralia habere consueti, Dignitates Majores post Pontificalem in Cathedralibus, sive Ecclesiæ Parochiales, ulli Prælato, etiam Cardinali, dentur in Commendam. Septimum, de fructibus medii temporis, idem est cum tertio Binianæ ac aliarum editionum. Octavum de non alienandis rebus Ecclesiasticis, omnes alienationes rerum immobilium & jurium Ecclesiæ Romanæ, sine Concilii consensu, & subscriptione majoris partis Cardinalium illius Obedientiæ; nec-non omnes alienationes rerum similium aliarum Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum Beneficiorum, sine consensu libero Rectorum, & Ministrorum eorumdem, per quoscumque pro Romanis Pontificibus se gerentes, a tempore *Gregorii XI.* Pontificis Maximi factas penitus revocat. Alienationes autem a Prælatis & Ministris, præter & contra juris formam factas rescindit. Nonum, *De quibus causis Papa corrigi possit vel deponi*, hoc tantum habet: *Non videtur, prout nec visum fuit in pluribus Nationibus, circa hoc aliquod novum statui vel decerni.* Decimum, De Simoniacis, idem habet cum quarto vulgatarum Editionum. Undecimum, de Dispensationibus, idem est cum quinto earumdem Editionum. Duodecimum, De Residentia, jubet ut Episcopi, & Superiores hujusmodi, in suis Ecclesiis & Diœcesibus, Abbates autem in suis Monasteriis personaliter resideant, x quibus si sex menses continuos absuerint, perceptione fructuum & proventuum per biennium sint privati: qui fructus Ecclesiis & Monasteriis applicentur. Si biennio absuerint, Ecclesiis ipsis, & Monasteriis priventur. Item declarat Pontifex, Se non intendere dispensare circa Beneficia incompatibilia obtinentes. Decimumtertium, De Provisione Papæ & Cardinalium, ipsorum sustentationi aliter non posse provideri declarat, quam hucusque factum est, scilicet per Beneficia, & communia

Qui ad Episcopatum promovendi.

Annatæ.

De Causis.

Commenda.

Alienationes rerum & jurium Ecclesiæ.

Residentia.

Indulgentiarum moderatio. munia servitia, quæ vacantiæ nuncupantur: Sed quæ Beneficia non possunt a Cardinalibus possideri declarat. Decimum quartum, De Indulgentiis, Pontificem deinceps a nimia Indulgentiarum effusione temperare statuit, ne vilescant, & olim concessas ab obitu *Gregorii XI.* citra perpetuas; itam quæ dicuntur de pœna & culpa, sive da plena remissione, concessas locis; item omnes concessas ad instar alterius Indolgentiæ, revocat & irritas declarat. Decimum quintum, De Decimis & aliis oneribus Ecclesiasticis, idem est cum sexto vulgatarum Editionum.

Per hæc vero & alia cum singulis Nationibus concordata, nec-non per ea quæ in Cancellariæ Regulis posita sunt, factum esse satis Articulis de Reformatione facienda, die trigesima Octobris proxime præteriti promulgatis, Synodus declaravit.

Cardinalium & Nationum dissensio circa Reformationis negotiam. XLVII. Sed quod Reformationis negotium attinat maxima fuit circa illud Cardinalium & Nationum dissensio. Nationes enim Germanica & Anglica, *Sigismundo* Augusto incitante, Reformationem electioni præmitti volebant; Cardinales vero cum Nationibus Italica, Hispanica, & Gallicana, prius electionem fieri: Quia *si Reformatio fienda est de deformatis, quæ major est* (inquiebant) *aut esse potest in corpore deformitas, quam carere Capite, & acephalum esse? Illa igitur prior tamquam magis necessaria debet esse Reformatio, quæ corpus ipsum ad caput veformet, & informet.* Ita docet protestatio ab ipsis facta post Sessionem 38. quam ex quatnor Codicibus MSS. edidit *M. Emmanuel a Schelstrate*. Natio Anglicana, jubente Serenissimo Magnæ Britanniæ Rege, Germanicam dimisit, & tribus aliis se adjunxit. Duo etiam Cardinales, Bononiensis, & Senensis, cum nonnollis Prælatis, ad frequentiorem accessere sententiam. Tandem *Sigismundus* Augustus & Germani eo se recepere, ut securitas ipsis daretur *per Decretum irritans*, quod post electionem Papæ fieret Reformatio, anta coronationem ipsius, & administrationem aliquam. Id Cæsari datum, cautionisque Decretum his Verbis conceptum est: *Sacrosancta, &c. statuit & decrevit, quod futuras Summas Pontifex per Dei gratiam, & pro primo assumendus, cum hoc Sacro Concilio vel deputandis per singulas Nationes, debeat reformare Ecclesiam in Capite & Curia Romana, secundum æquitatem & bonum regimen Ecclesiæ, antequam hoc Concilium dissolvatar, super materiis Articulorum, videlicet, &c.* Ita Fragmenta Actorum Concilii, ex codicibus MSS. ab *Emmanuele a Schelstrate* edita. De ista Nationum dissensione circa Reformationis negotium, legendus atiam *Gobelinus Persona* in fine Cosmodromii.

JOANNIS DOMINICI MANSI

Nota.

Animadversiones in Concilium Pisanum.

COncilii Pisani acta multia additamentis ampliora ego in meo ad Concilia Labbeana supplemento, a pag. 810. usque ad 1242. exhibui, quorum pars desumpta est ex Martene Vet. Mon. tom. VII. sed multo etiam major ex MSS. Codicibus suffecta. Nam responsio Petri de Ancharano, cujus summa tantum exhibita ab aliis est, integra apud me extat ex Lucanis Codicibus. Hanc vero Petrus non quidem pleno Concilio, orandi more, recitavit, sed de scripto dedit, eum Oratores Roberti Ducis Bavariæ, & Regio Romanorum, ac Imperatoris quorum propositis dubiis Petrus late respondet, jam e Concilio clam se subduxerat. Labbeus ejus tantum summam ex Dacherii Spicilegio acceptam suffecerat. Illam ergo legas in eodem Supplemento a p. 1099. usque ad pag. 1130.

Dedi insuper nomina Patrum, qui Concilio interfuerunt multo correctiora, & auctiora, quam quæ sint apud Martene, eademque mihi suffecit MS. Codex Universitatis Taurinensis, in cujus magno volumine Acta Concilii hujus exhibentur. Est etiam ibi fragmentum Scripti ab Antonio de Butico missi ad Cardinales qui Concilio intererant, quorum jura egregie defendit. Scriptum vero istud, quod Antonius imperfectum reliquit morte impeditus, dein supplevit egregius alius Doctor Matthæus de Mattasellanis cujus supplementum in Vaticana Bibliotheca extare compertus scio.

Insuper ex eodem Taurinensi Codice vulgatum est votum Theologorum, quos Pisani Patres consulendos censuerunt, utrum sibi de jure liceret utrumque Pontificem abrogare, & tertium eligere. Subscribunt huic sententiæ Archiepiscopi, & Episcopi plures, Cardinales, Universitatum Magistri, Magistri Ordinis Prædicatorum Ordinis Minorum, Carmelitarum, & servorum B. M. V. Clausit hæc omnia scriptum Cataldini de Boncompagnia de Risso ad Joannem XXIII. quo jura Pisani Concilii tuetur ac vindicat.

Concilii proximo futuri indictio. XLVIII. Sessiona 44. celebrata die decima nona Aprilis, anno 1418. Pontifex *Decreto hujus Generalis Concilii satisfacere* cupiens ac volens, inter alias disponenti, *Ut Generalia Concilia celebrentur in loco quem Summus Pontifex per mensem ante finem hujus Concilii, approbante & consentiente Concilio designare teneatar, Concilium proxime futurum Papiæ celebrandam, eodem consentiente & approbante Concilio indixit.*

Plenaria Indulgentia quibus conditionibus a Martino V. concessa. XLIX. Sessione 45. celebrata die vigesima secunda Aprilis, anni 1418. absolutum est Concilium, quod annis quatuor & sex mensibus duraverat, concessaque est a Summo Pontifice Plenaria Indulgentia omnibus qui Concilio intersuerant, semel in vita, & semel in morte ea lege ut pro Absolutione in vita, per annum qualibet feria sexta jejunarent, & pro Absolutione Plenaria in mortis articulo per alium annum, nisi legitime impediti essent, quo casu alia pietatia peragerent opera; eum onere jejunandi qualibet feria sexta post annum alterum, usque ad finem vitæ, vel alia pietatis opera peragendi. *Confirmatio Concilii.* Denique Summus Pontifex omnia Decreta Synodi *in materia Fidei conciliariter facta* approbavit & confirmavit. Quod quo sensu sit intelligendum, sequenti Dissartatione exponemus.

SCHOLION I.

Hanc Dissertationem num. 11. pag. 616. his verbis perstringit Indiculus Censorius: *Joannem* XXIII. *infelicem Pontificem vocat.*

R. Pontificem qui pertinacia sua, inconstantia, fuga e Synodo Œcumenica Constantiensi contra juramentum suum, dissolutis moribus, captionem ac depositionem sibi arcessivit, *infelicem* vocare licuit.

SCHOLION II.

Eamdem Dissertationem n. 15. p. 621. Censoria hæc animadversio petit: *Notanda quæ dicit de Sententia in Joannem* XXIII. *tamquam in certum Pontificem.*

R. Observavi *Joannem* XXIII. *Papam* simpliciter appellatum a Concilio Constantiensi, donec exauctorationis Sententia in ipsum lata est; & deinceps, *nuper*, aut *olim Papam*: at Angelum de Corario & Petrum de Luna *Gregorium* XII. *& Benedictum* XIII. *in suis Obedientiis nuncupatos*. Ex quo evidens esse diai, Synodum Constantiensem non spectasse Joannem XXIII. ut dubium Pontificem, sed ut verum ac legitimum, reum tamen, cum judicioriam auctoritatem in ipsum exercuit, ipsumque suspendit, ac demum Pontificatu privavit. Hæc Observatio facti quæstionem spectat, non dogmatis.

JOANNIS DOMINICI MANSI

Nota.

OPtarem utique ut P. Alexander in re tam gravi sese a ludendo abstineret; lusum enim appello argumentum de legitimo Pontificatu Joannis XXIII. deductum ax instrumento confecto de renunciatione supremæ dignitatis a Joanne XXIII. factæ, quæ tamen verba non sunt ejusdem instrumenti, ut male hoc P. Alexander, sed statuti a Concilio facti ne *ullo unquam tempore reeligatur in Papam Dominus Balthasar Cossa nuper Joannes Papa* XXIII. *nec Angelus de Corario Gregorius* XII. *nec Petrus de Luna Benedictus* XIII. *in suis obedientiis sic nominati*. Hæc postrema verba ambigua sunt num referri potius ad duos posteriores Pontifices vel ad tres simul debeant. Insuper Martinus V. in sua Bulla data Romæ anno Pontificatus sui III. confirmatoria damnationis Hæresum, Joannem hunc æque ac geminos alios *in sua obedientia Papas appellat*. At ponamus Concilium tanquam verum Papam Joannem novisse; adhuc tamen jus illi inerat in hunc Pontificem utpote de Hæresi suspectum & condemnatum. Ex hoc igitur nihil inferas de Jure Concilii in Pontificem certum & legitimum.

SCHOLION III.

In eadem Dissertatione num. 17. p. 622. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc velut meam propositionem notant; *Sigismundus Imperator initio præfuit Concilio Constantiensi.*

R. Concilio Constantiensi præfuisse Sigismundum Augustum non dixi, sed præfuisse initio dumtaxat Sessionis decimæ quartæ, in qua de Cessione Angeli de Corario, in sua Obedientia dicti Gregorii XII. actum est, quam scilicet in manibus Imperatoris, non Synodi fieri voluit. Historiæ res est; ex Actis Concilii Constantiensis probata, in quibus hæc habentur: *Die Jovis quarta mensis Julii fuit tenta Sessio generalis, per Sanctam Synodum Constantiensem in Ecclesia cathedrali Constantiensi supra dicta . . . . . . in cujus quidem Sessionis principio præfatus Dominus Romanus Rex indutus vestibus regalibus recessit de sua Sede solita, & transivit ad aliam Sedem positam in fronte Altaris*, TAMQUAM PRÆSIDENS PRO TUNC IN CONCILIO. Et infra, *Anno & indictione quibus supra, Sede Apostolica Pastore vacante, die vero Jovis quarta mensis Julii fuit Sessio Generalis, in qua Serenissimus Romanorum & Hungariæ Rex, tamquam Imperator in insigniis regalibus* PRÆSIDEBAT. Hæc Concilii Constantiensis Acta.

SCHOLION IV.

Eamdem Dissertationem num. 20. pag. 627. Edit. primæ Religiosi Censores hac nota confingunt: *Contra Spondanum ex Gersonio probat Concilium habere absolutam potestatem supra Papam, certum & contrarium vocat figmentum.*

R. Quæstionem dogmatis hic non attingo, sed solam Quæstionem facti; quid nimium ea de re senserit Gersonius. Figmentum vocavi sensum qui Gersonio affingitur contra illius mentem expressamque sententiam.

SCHOLION V.

Eamdem Dissertationem N. 35. p. 634. Edit. primæ spectat nota illa Censoria: *Vide quæ dicit de immunitate Clericorum a Potestate Regali quam negat.*

R. Clericorum immunitatem quamcumque non nego, sed solum immunitatem a dominio & legibus Principum, eorumque judicio, in causis mere temporalibus & profanis. Sane S. Petrus Epistola 1. cap. 11. compellans eos quos prius vocaverat *Genus electum, Regale Sacerdotium, Gentem Sanctam*, scilicet Christianos omnes cujuscumque sint ordinis, addit: *Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive Regi quasi præcellenti, sive Ducibus tamquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum, quia sic est voluntas Dei, &c.* Et S. Paulus ad Romanos Cap. 13. *Omnis anima Potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas nisi a Deo: quæ autem sunt a Deo, ordinata sunt. Itaque qui resistit Potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Quem locum S. Joannes Chrysostomus sic interpretatur: *Facit hoc Apostolus, ut ostendat Christum Leges suas non ad hoc induxisse ut politicas evertat, sed ut ad melius instituat, ostendens quod ista omnibus imperentur, & Monachis & Sacerdotibus.* Et paulo post: *Etiamsi Apostolus sis, etiamsi Propheta, sive tandem quisquis fueris.* Item confirmat S. Augustinus in Expositione quarumdam Propositionum ex Epistola ad Romanos: *Cum animus* (inquit) *constemus & corpore; quamdiu in hac vita temporali sumus, oportet nos ex ea parte quæ ad hanc vitam pertinet, subditos esse Potestatibus, id est, hominibus res humanas cum aliquo honore administrantibus.*

SCHOLION VI.

In eadem Dissertatione, n. 45. pag. 644. Religiosis Censoribus hæc displicent: *Extat Nationis Gallicanæ Deliberatio Constantiæ facta de non solvendis Annatis.*

R. De hac Deliberatione historice tantum loquor; de illius æquitate, aut doctrina in ea contenta, non pronuntio, nec illam expendo. Hæc igitur mera Historiæ & facti res est.

Nota.

AN Concilium Constantiense inspexerit Joannem XXIII. tamquam certum legitimumque Pontificem disces ex iis, quæ infra animadvertenda duxi in Decreta sessionis IV. & V. ejusdem Concilii.

Non semel P. Natalis adnotat quam potestatem exercere potuerint Imperatores in Concilia, exercendo nempe jus protectionis, illius securitati invigilando &c. ac propterea Sigismundus Concilio universam Ecclesiam repræsentanti, non potuit præsidere tamquam Caput, omnino etenim id alienum est a laici Principis jurisdictione; sed ea solum ratione Præsidentis gessit officium, ne mora ad schisma abolendum interponeretur, cum Gregorius Papatui renunciare renuerit, nisi in manibus Imperatoris.

De Concilii potestate an Pontificiæ prævaleat sermo erit post sequentem Dissertationem.

Quoad Clericorum immunitatem videnda quæ dixi alibi.

DISSERTATIO IV.

DE AUCTORITATE ET SENSU DECRETORUM SESSIONUM IV. ET V. SYNODI CONSTANTIENSIS CONCILII GENERALIS AUCTORITATEM SPECTANTIUM.

I. ANtiquam & perpetuam Ecclesiæ Gallicanæ de Conciliorum Generalium Auctoritate deque Constantiensium horumce Decretorum sensu sententiam expressit Illustrissimus florentissimusque pietate & doctrina Clerus, in Generali Conventu eamdem Ecclesiam repræsentante, anno millesimo sexcentesimo octogesimo secundo, in celebri Declaratione de Ecclesiastica Potestate quam *Ludovicus Magnus* Rex Christianissimus per universum Regnum ditionesque suas promulgari statuit ac jussit, & in omnium Senatuum, Curiarum, & Academiarum Commentarios & Acta referri, Edicto perpetuo & irrevocabili dato Martio mense ejusdem anni. Hoc porro Instrumento Religiosissimus Clerus declarat: *Sic inesse Apostolicæ Sedi ac Petri Successoribus, Christi Vicariis rerum spiritualium plenam potestatem, ut simul valeant atque immota consistant, Sacræ Oecumenicæ Synodi Constantiensis a Sede Apostolica comprobata, ipsoque Romanorum Pontificum, ac totius Ecclesiæ usu confirmata, atque ab Ecclesia Gallicana perpetua religione custodita Decreta de Auctoritate Conciliorum Generalium, quæ Sessione quarta & quinta continentur: Nec probari a Gallicana Ecclesia qui eorum Decretorum, quasi dubiæ sint auctoritatis ac minus approbata robur infringant, aut ad solum Schismatis tempus Concilii dicta detorqueant.* Qua quidem Declaratione hanc & alias finire Quæstiones Ecclesia Gallicana non intendit, ut ipsi imponit Anonymus Libertatum ejus Impugnator in suo Tractatu Lib. 3. Cap. 14. sed sententiam dumtaxat suam declarare, ac solis ejusdem Ecclesiæ membris non aliarum Ecclesiarum Prælatis aut Doctoribus seu Professoribus legem statuere, illud usurpans respectu illorum quod S. Cyprianus alia occasione: *Cæterum scimus quosdam quod semel imbiberunt, nolle deponere, nec propositum suum facile mutare, sed salvo inter Collegas pacis & concordiæ vinculo, quædam propria, quæ apud se semel sint usurpata retinere. Qua in re nec nos vim cuiquam facimus, aut legem damus, cum habeat in Ecclesiæ administratione voluntatis suæ arbitrium liberum unusquisque Præpositus, rationem actus sui Domino redditurus . . . . . Nemini præscribentes, aut a Communione, si diversa senserit, removentes.* Atque hanc ipsam opinionem ab antiquo in Gallis receptam, ut Dogma Fidei suis non proponit Ecclesia Gallicana, sed ut probabiliorem, & Scripturæ Sacræ ac Traditioni magis consonam. Quæ vero de consilio Illustrissimi Cleri Gallicani in Declaratione illa edenda, iniquo stylo ac petulanti scribit Anonymus ille in ejusdem Cleri & Ecclesiæ Gallicanæ injuriam, nec non Christianissimi Regis, qui declarationem Edicto suo roboravit ac promulgavit, quamvis ut ab homine visionem cordis sui nulla verisimilitudine, nullo fundamento fultam in vulgus effundente scripta, nullius futura sint apud æquos æstimatores ponderis. Quamvis Religiosissimis Archiepiscopis, Episcopis, aliisque Viris Ecclesiasticis, probitate, doctrina, dignitate spectatissimis, consilium exponentibus

Ecclesiæ Gallicanæ Sententia.

Num. 11

Tractatus De Libertat. Eccle. Gallic. editus Leodii apud Matthiam Hovium 1684.

Ecclesia Gallicana aliarum Ecclesiarum Prælatis ac membris legem non statuit.

Sententiam suam ut dogma fidei non proponit.

tibus suum major sit adhibenda fides, quam Anonymo Scriptori ea de re judicanti: intactum tamen relinquere non possum, quod tanta effutiit levitate. Ac primum quidem, ab omni veri specie alienum est, quod Antistites Reverendissimi Declarationem de Ecclesiastica Potestate eo consilio ediderint, *Ut Curia Romana Propositionibus illes perturbata, cogitationes suas a Regaliæ negotio averteret*; ut ille calumniatur. Nec enim ite affecti sunt Pissimi Præsules, & Romanæ Sedis, Sanctissimique Pontificis in ea sedentis observantissimi, ut ejus Beatitudinem Curiamque perturbare velint: Nec tam abjecto indignoque consilio ducuntur in Dogmaticis Propositionibus exponendis; sed uno studio veritatis, & antiquæ doctrinæ propugnandæ, alienos a Fide & Communione Romanæ Ecclesiæ homines ad Catholicam Religionem, ad Ecclesiam *Matricem & originalem Fidei*, ad Pontificii Primatus confessionem & observantiam facilius revocandi; opinionum varietatem, Ecclesiæ Gallicanæ, Regnique paci in illius doctrinæ capitibus periculosam prohibendi, peregrinarum opinionum torrentem sistendi, ne ad naufragium Libertatum nostrarum exundet. Ac tanto minus verisimilis est illa Scriptoris Anonymi, & aliorum forsan male feriatorum hominum suspicio, quod Sapientissimi, Prudentissimique Præsules persuasum habere non potuerint, Romanam Curiam perturbari posse Declaratione doctrinæ, quam Gallicanam Ecclesiam & Sacram Facultatem Parisiensem longe ante Concilii Constantiensis tempora propugnasse novit, & post Constantiense Concilium, apertius, frequentius, firmius ac perseverantius defendisse, etiam in Sacra Synodo Tridentina, ut ex *Pulavicini* Cardinalis Historia, & ex Eminentissimi Cardinalis *Lotharingi* literis ad *Britonem* Secretarium suum, cum *Pio IV.* Pontifice Maximo communicandis perspectum est. Et quis sibi persuasisset, Sanctissimum Pontificem perturbari vel terreri posse Propositionibus quatuor a Fide & unitate Catholica nequaquam alienis, de quibus nihil hucusque pronuntiavit ac diffinivit Ecclesia; quas Scripturæ Sacræ, Traditioni, Sacris Canonibus, Historiæque Ecclesiasticæ Monumentis omnino consentaneas florentissima Ecclesia, & doctissima totius orbis Christiani Academia, censent, ac invicte, se probare confidunt? Quid quod pissimum, æquissimum, & pacis amantissimum Pontificem, in Regaliæ causa rationibus quibus Jus Regium fulcitur, possessioni Regis, Majestatis ejus Christianissimæ in Romanam & universalem Ecclesiam, Religionemque Catholicam meritis amplissimis, Ecclesiæ Gallicanæ consensui, ejusdem Ecclesiæ, Regnique moribus, paci, tranquillitati concessurum tandem aliquando sperare licuit, ut propterea terrorem injicere non fuerit opus? Sed & Regem Potentissimum Invictissimumque, aliis machinis Urbem Curiamque Romanam turbare ac terrore complere potuisse, nemo non fatebitur, si id quidem ipsius Majestas in animo habuisset; aut quia pietate, charitate & observantia erga Sedem Apostolicam, & sedentem in ea Sanctissimum Pontificem prædita est, habere potuisset, ut propterea Cleri Gallicani declaratio, Regiaque Sanctio illam promulgans & roborans, necessariæ non fuissent. At longe aliud est REGIS vere MAGNI ingenium, qui territum aliunde imminentibus periculis Pontificem, ac perturbatam Curiam (quod Deus avertat) Regum Decessorum a Majorum suorum exemplo, solaretur potius, confirmaret, juvaret, recrearet, ut Filium Ecclesiæ Primogenitum decet, quam terrere sibi proponeret ac perturbare. Falsissima præterea Anonymi illius Auctoris ac similium Assertio est, quod Gallicanus Clerus ille tam solemniter edita Declaratione Sedem Apostolicam *Auctoritate ac Dignitate sua exuat*: Siquidem Ecclesiæ Gallicanæ, & quotquot in Galliis sunt Academiæ, dogma fidei nihilominus esse censent, quod Romanus Episcopus unus sit Jure Divino Summus in Ecclesia Pontifex, cui omnes Christiani parere tenentur: & qui immediate a Christo non honoris solum aut dignitatis, sed & Potestatis ac Jurisdictionis Primatum habeat. Ad universalis etiam Ecclesiæ Disciplinam pertinere profitentur, sit Majores Ecclesiæ Causæ ad Sedem Apostolicam referantur; ut in Fidei ac dubiæ Disciplinæ causis consulatur illud Christianæ Religionis oraculum: Ut ad honorandam *S. Petri* memoriam Appellationes ex toto Orbe Christiano ad Romanum Pontificem fieri possint, secundum Canones; Ut ipsos Canones temperare possit, eorum executionem in omnibus Ecclesiis urgere, promovere; eorumque infractores, cujuscumque sint ordinis & dignitatis, pœnis Canonicis coercere: Ut casus sibi reservare, Indulgentias concedere, Leges ad Ecclesiæ ædificationem concedere valeat. Omnem denique prærogativam tum a Christo, cum ab Ecclesia, Sedi Apostolicæ et Romano Pontifici concessam, in omnibus & per omnia salvam esse volunt Gallicani Præsules & Doctores. Putida itaque calumnia est, quod Sedem Apostolicam auctoritate ac dignitate sua exuat Cleri Gallicani Declaratio: Nisi in eo posita fingatur Romani Pontificis auctoritas & dignitas, ut Reges exauctorare, orbis Christiani pacem perturbare, bellis ac cædibus occasionem dare, Canones pro arbitrio & absque causa solvere, Disciplinam Ecclesiasticam evertere, alienas a Scriptura Sacra & Traditione opiniones quasi Fidei Dogmata propugnare, obtrudere, quodvis peccati genus committendi cum impunitatis privilegio potestatem habere, Ecclesiam non audire, sed spernere valeat. Hæc quidem certe Romanis Pontificibus negat Ecclesia Gallicana: Sed in illis auctoritatem & dignitatem Sedis Apostolicæ sitem esse jure merito inficiatur: Neque horum omnium licentiam partem esse Auctoritatis suæ Sedes Apostolica censet ac docet. Quamobrem si quæ in Romana Curia ex Declaratione Cleri Gallicani orta esset perturbatio, sane præter voluntatem Religiosissimi ac florentissimi Cleri, nullaque ab Illustrissimis Præsulibus occasione data contigisset. Verum quæ istius Declarationis necessitas? (inquit auctor Anonymus) Illam satis explicuit Clerus ipse Declarationis exordio. *Ecclesiæ*, inquit, *Gallicanæ Decreta & Libertates a Majoribus nostris tanto studio propugnatas, earumque fundamenta Sacris Canonibus & Patrum Traditione nixa multi diruere moliuntur; nec desunt qui earum obtentu Primatum Beati Petri ejusque Successorum Romanorum Pontificum a Christo institutum, iisque debitam ab omnibus Christianis obedientiam, Sedisque Apostolicæ, in qua Fides prædicatur, & unitas servatur Ecclesiæ, reverendam omnibus gentibus Majestatem imminuere non vereantur. Hæretici quoque nihil prætermittant, quo eam Potestatem, qua pax Ecclesiæ continetur, invidiosam & gravem Regibus & Populis ostentent, iisque fraudibus simplices animas ab Ecclesiæ Matris, Christique adeo communione dissocient. Quæ ut incommoda propulsemus, Nos Archiepiscopi & Episcopi Parisiis Mandato Regio congregati, Ecclesiam Gallicanam repræsentantes, una cum cæteris Ecclesiasticis Viris nobiscum Deputatis diligenti tractatu habito, hæc sanciende & declaranda esse duximus, &c.* Sed si seclusis illis incommodis ac malis, quæ utinam non experiremur ac sentiremus! Suæ Declarationis necessitatem contra Scriptoris Anonymi calumnias Clerus Gallicanus tueri etiam potest his quæ præfatur *Gersonius*, *Vir pro sua pietate, doctrina, & zelo* (ut Anonymus ipse fatetur) *plurimum commendandus*, Tractatu de Potestate Ecclesiastica: *Potestas Ecclesiastica debet ab Ecclesiasticis quid, & qualis, & quanta sit agnosci: Habet hoc itaque fieri, ut & honoretur cognita, cum Deus dederit talem potestatem hominibus, ut in suis terminis honorata servetur; ne plus debito falsæ eam opiniones vel deprimant, vel exaltent. Quorum primum est sacrilegæ impietatis, alterum de adulatione pestifera suspectum est. Constat igitur quod de potestate Ecclesiastica disputare vel inquirere, nedum licet, sed decet & expedit; tantummodo sit intentionis oculus simplex & rectus. Quidni liceat, cum de ipsius Omnipotentis Dei Potestate crebro fiat absque omni temeritate conquisitio?* Sicut ergo Deus, Optimus Maximus Viris Theologis non irascitur de ipsius Potestate disputantibus, quia ipsum nihilominus omnipotentem confitentur, sincera fide ac religione ipsum colunt & adorant; & ad laudem Potestatis ipsius divinæ pertinet, quod ea ipsi negentur possibilia, quæ æternæ rationi ac Legi, providentiæ, sanctitati infinitæ repugnant: Ita iisdem Theologis succensere ac irasci non solent Sanctissimi Pontifices, de Ecclesiastica & Pontificia Potestate disserentibus, & in iis Quæstionibus ingenia sua exercentibus, quæ ab Ecclesia finitæ non sunt, nec eorum disputationibus ab eadem interdictæ: Quia Sedis Apostolicæ Primatum Jure Divino institutum nihilominus confitentur, eamdem Sedem, & Sedentes in ea Romanos Pontifices, Christi Vicarios, sincera observantia colunt, illisque parendum verbo & exemplo, secundum Canones, quavis data occasione docent; & quod Plenitudini Pontificiæ Potestatis aliqua negant, ad laudem ipsius pertinet, ut scilicet non possit nisi quæ sancta, quæ justa, quæ Scripturæ Sacræ, Traditioni, Canonibus Spiritu Dei conditis consentanea sint: Pertinet ad laudem Christi Deique gloriam, quod scilicet potestatem talem hominibus dederit in ædificationem, non in destructionem; & Ecclesiam suam Suprema Potestate

Clerus Gallicanus a calumnia vindicatur.

Ecclesiæ Gallicanæ doctrina de Romani Pontificis Primatu & suprema auctoritate.

De Potestate Ecclesiastica disserere licet.

testate donaverit, Sanctique Spiritus sui assistentia ad finem usque sæculorum dirigat & gubernet, qua fit ut secundum promissa sua a veritate deficere aut deviare numquam possit.

Declarationem vero Ecclesiæ Gallicanæ Rex Edicto suo roboravit, doctrinamque antiquam in ea explicatam in omnibus Regni ac Ditionum suarum Academiis & Scholis tradi jussit, ac propugnari, contrarium a nemine subditorum suorum vel advenarum in Regno suo & Ditionibus iisdem commorantium doceri, ob easdem rationes quas Religiosissimus Clerus in ejusdem Præfatione Declarationis exponit, scilicet ut Hæretici facilius ad Romanæ Ecclesiæ communionem, & ad Sedis Apostolicæ Majestatem Primatumque Summi Pontificis colendum adducantur: Utque Ecclesiarum Regni sui Libertates, quarum tuitionem in sua Inauguratione juravit, & Regiæ suæ Jura inconcussa subsistant. Enimvero cum Summi Pontificis primatus, & debita Sedi Apostolicæ canonica obedientia atque communio, Suprema Conciliorum Generalium Auctoritas, Supremum etiam & nulli in terris Potestati umquam obnoxium Regis Imperium, Libertatum nostrarum præcipua fundamenta & fulcimenta sint, Declarationem hujusmodi Dogmatum Rex Maximus & Sapientissimus Auctoritate sua merito communivit. Id si Anonymo Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, & Declarationis Religiosissimi Cleri Impugnatori novum & minime necessarium fuisse videatur, audiat iterum Venerabilem *Gregorium*. In Tractatu qui inscribitur: *Discussio illius Assertionis, SENTENTIA PASTORIS ETIAM INJUSTA TENENDA EST*: ita scribentem. *Rex Christianissimus Francorum juravit in sua Consecratione defendere & tenere Jura & Libertates Ecclesiarum Regni sui . . . Rex idem habuit convocationem & Concilium Prælatorum, ad quorum Deliberationem conclusit solemniter per Arrestum Curiæ suæ Supremæ Parlamenti, quod Ecclesia Gallicana in se & in membris suis ad suas antiquas & legitimas Libertates reduceretur, &c. . . . . Rex idem potest se tueri contra procedentes in eum vel suos occasione prædicta, sicut contra volentes usurpare possessiones temporales Regni sui: immo magis, quantum spiritualia & Ecclesiastica potiora sunt temporalibus . . . Rex idem debet habere subditos suos, præsertim Ecclesiasticos, favorabiles in dicta prosecutione, & Obedientes: Juxta monitionem Apostolicam debent obedire Regi tamquam præcellenti; & hoc præcipue dum utitur sua legitima Potestate in observationem proprii Juramenti, & Ecclesiasticæ Libertatis tuitionem. . . . Rex idem debet protegere subditos suos, si præmissorum occasione & propter obedientiam sibi factam pati habeant, & assumere causam in se & sub hac Protectione subditi tum Sæculares quam Ecclesiastici debent & possunt in quiete vivere, non plus sapientes quam oportet . . . Rex idem potest rationabiliter conqueri de subditis suis præsertim Ecclesiasticis, si in prædicta reductione Libertatum inveniantur tepidi, & tergiversatores, & claudicantes; & potest ab eis per se aut suos exigere rationes quibus moventur sentire contra Deliberationes nedum Consilii sui, sed suorum Prælatorum, ac Universitatum Regni sui.* Hæc Gersonius Vir (ut Anonymi verbis utar,) *pro sua pietate, doctrina, & zelo plurimum commendandus.* His præmissis de illo duntaxat Declarationis Capite impræsentiarum differendum est, Decretorum Concilii Constantiensis occasione, ac suscepti Operis ratione postulante, quo Generalium Conciliorum Sacrosancta exponitur Auctoritas.

Tom. I. Oper. Gerson. p. 250.

II. Hoc Declarationis celeberrimæ caput impugnandum suscepit *M. Emmanuel a Schelstrate* Sacræ Theologiæ Doctor & Vaticanæ Bibliothecæ præfectus, Dissertatione cum aliquibus Concilii Constantiensis fragmentis edita Antuerpiæ anno 1683. quam in tria capita partitur. Capite primo, vindicat eorum sententiam, qui Decreta Sessionum 4. & 5. dubiæ auctoritatis esse affirmant; idque tribus mediis ostendere aggreditur. Primo, quod Decretum Sessionis 4. prout ad nos pervenit, genuinum non sit; sed a Concilio Basileensi corruptum. Secundo, quod Decreta Sessionis 5. sine debita & communi deliberatione ab una Obedientia *Joannis* XXIII. eaque non integra, edita sint, protestantibus etiam contra illa Cardinalibus, & Galliæ Regis Oratoribus. Tertio, quod Concilium Constantiense Sessionibus 4. & 5. non sufficienter Ecclesiam universalem repræsentaverit, Capite 2. probandum sibi sumit Constantiensis Concilii Patres post Sessionem 38. primam Decretum Sessionis quintæ ita interpretatos fuisse, ut nihil faciat ad superioritatem Concilii. Decretum vero secundum de puniendo Pontifice contumace, numquam de vero & indubitato Pontifice intelligere ausos. Capite denique 3. contendit, nec Patres Constantienses, post trium Obedientiarum unionem, nec *Martinus V.* illa Decreta umquam confirmasse: quin potius superioritatem Pontificiam & facto & verbo sustinuisse.

III. Hæc Viri Clarissimi Theoremata ut refellam, non contradicendi libido me instigat, sed materiæ necessitas, Historiæ leges, suscepti Operis institutum, officii denique multiplicis ratio, quo Ecclesiæ Gallicanæ doctrinam, Edicti Regii æquitatem, impugnatam ab Adversariis veritatem, ut ejusdem Ecclesiæ Sacerdos, ut Regis Christianissimi subditus, ut Sacræ Facultatis Parisiensis Doctor Theologus, tueri teneor ac propugnare. Quod ita exequar, ut quod in eadem Academia a Magistris doctissimis tum qui floruerunt olim, & scriptis Rem Christianam illustrarunt; tum qui nunc in isto Christianæ Sapientiæ Palladio, in ista totius Eruditionis Matrice docent, hoc de argumento didicerim, non quod ipse finxerim, scribere, & ad posteros me transmittere profitear. Ut autem sequar methodum *M. Emmanuelis a Schelstrate*, primum describenda sunt duo, de quibus agimus, Sacræ Synodi Constantiensis Decreta, deinde tria capita Schelstrateanæ Dissertationis totidem Articulis refellenda.

DECRETUM I.

SESSIONIS QUARTÆ.

HÆc Sancta Synodus Constantiensis Generale Concilium faciens, pro extirpatione præsentis Schismatis & unione ac Reformatione Ecclesiæ Dei in capite & in membris fienda, ad laudem omnipotentis Dei, in Spiritu Sancto legitime congregata, ad consequendum facilius, securius, liberius, & uberius, unionem & reformationem Ecclesiæ Dei, ordinat, disponit, statuit, decernit, & declarat, ut sequitur.

Et primo, quod ipsa Synodus in Spiritu Sancto congregata legitime, Generale Concilium faciens, Ecclesiam Catholicam militantem repræsentans, potestatem a Christo immediate habet, cui quilibet cujuscumque status vel dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire tenetur in his quæ pertinent ad Fidem & extirpationem dicti Schismatis, & Reformationem generalem Ecclesiæ Dei in capite & in membris.

DECRETUM II.

SESSIONIS QUINTÆ.

ITem declarat, quod quicumque cujuscumque conditionis, status, dignitatis, etiam Papalis, qui mandatis aut præceptis hujus Sacræ Synodi, & cujuscumque alterius Concilii Generalis legitime congregati, super præmissis, seu ad ea spectantibus, factis vel faciendis, obedire contumaciter contempserit, nisi resipuerit, condignæ pœnitentiæ subjiciatur, & debite puniatur, etiam ad alia juris subsidia, si opus fuerit, recurrendo.

ARTICULUS I.

Illorum Sententiam Clerus Gallicanus merito improbet, qui Decreta Sessionis IV. & V. Concilii Constantiensis dubiæ Auctoritatis esse affirmant.

I. QUæ enim Decreta ab Œcumenico Concilio condita sunt, *secundum Scripturas Sacras, secundum Traditionem Patrum, secundum Ecclesiasticas Regulas, pro Fide Catholica & Communione; quæ cuncta recepit Ecclesia; quæ maxime Sedes Apostolica comprobavit* (ut ait *Gelasius I.* Pontifex Maximus, in Epistola ad Episcopos Dardaniæ) eorum auctoritas in dubium perperam revocatur. At Concilii Constantiensia Decreta duo, quartæ nimirum & quintæ Sessionis, de Conciliorum Generalium auctoritate, ab Œcumenica Synodo condita sunt *secundum Scripturas Sacras, secundum Traditionem Patrum, secundum Ecclesiasticas Regulas*; Hæc *cuncta recepit Ecclesia*, & *Sedes Apostolica comprobavit*: Perperam igitur eorum auctoritas in dubium revocatur.

§. I.

§. I.

Decreta illa duo sunt Oecumenici Concilii, ab Ecclesia recepta, a Sede Apostolica confirmata.

II. AB Œcumenica Synodo esse condita fateri necesse est, nisi Synodus Constantiensis e numero Conciliorum Generalium expungatur, quod salva fidei veritate fieri non potest, cum Synodus ipsa se *Generale Concilium facere, in Spiritu Sancto legitime congregatum, universalem Ecclesiam repræsentans*, asserat: idque vere ab ipsa assertum confirmet *Martinus V.* in Diplomate dato in ipso Concilio Constantiensi octavo Kalendas Martis anno 1418. Quo inter Articulos de quibus interrogandus est Wickleffista vel Hussita Hæreticus, vel de his Heresibus suspectus, cum ad Ecclesiam redit, tres istos præscribit, Concilii Constantiensis & Decretorum illius auctoritatem spectantes.

„ Item, utrum credat, teneat & asserat, quod quodlibet Concilium Generale, & etiam Constantiense „ universalem Ecclesiam repræsentet.

„ Item utrum credat, quod illud, quod Sacrum Concilium Constantiense, universalem Ecclesiam repræsentans, approbavit & approbat in favorem fidei & „ salutem animarum, quod hoc est ab universis Christi Fidelibus approbandum & tenendum: & quod „ condemnavit & condemnat, esse fidei vel bonis moribus contrarium, hoc ab eisdem esse tenendum pro „ condemnato, credendum, & asserendum.

„ Item utrum credat, quod condemnationes Joannis „ VVicklef, Joannis Hus, & Hieronymi de Praga, „ factæ de personis eorum, libris & documentis, per „ Sacrum Generale Constantiense Concilium, fuerint „ rite & juste factæ, & a quolibet Catholico pro talibus tenendæ, & firmiter asserendæ.

III. Præterea, *Martinus V.* Sessione ultima professus est, *Quod omnia & singula determinata, conclusa, & decreta in materiis fidei per præsens Concilium conciliariter, tenere & inviolabiliter observare volebat, & numquam contraire quoquo modo. Ipsaque sic conciliariter facta approbat & ratificat, & non aliter, nec alio modo.*

Hanc etiam Synodum & ejus Decreta approbarunt & confirmarunt duo sequentia Concilia Generalia, Senense, & Basileense, illud a *Martino V.* istud ab *Eugenio IV.* usque ad translationem in civitatem Ferrariensem approbatum, ut in Dissertatione de ipso instituenda probabimus. Nam in Concilio Basileensi quinquies repetita sunt, & confirmata in publicis Sessionibus celeberrima illa Constantiensis Synodi de Conciliorum Generalium auctoritate Decreta, antequam translatio Synodi Ferrariam ab *Eugenio IV.* sancita esset: idque præsentibus & consequentibus ipsius Legatis secunda & decima octava Sessione. Et ipse *Eugenius IV.* in literis ad *Fridericum Tertium* Romanorum Regem anno 1447. paulo ante obitum datis, Decreta Concilii Constantiensis universim approbavit. „ Concilium autem Generale Constantiense (*inquit*) Decretum *Frequens*, ac alia ejus Decreta, sicut cætera alia Concilia Catholicam militantem Ecclesiam „ repræsentantia: ipsorum potestatem, auctoritatem, „ & eminentiam, sicut & cæteri Antecessores nostri, „ a quorum vestigiis deviare nunquam intendimus, „ suspicimus, amplectimur, & veneramur „. Refert *Odoricus Raynaldus* ad hunc annum num. 6. tom. 18. Annalium Ecclesiasticorum.

Tertio, *Pius II.* in Bulla Retractationis data Romæ sexto Kalendas Maias, anno 1463. Concilium Constantiense, & hæc ipsa Decreta confirmat. „ Cum his „ (*inquit*) & Generalis Concilii Auctoritatem & Potestatem complectimur, quemadmodum & ævo nostro Constantiæ, dum ibi fuit Synodus Universalis, „ declaratum definitumque est. Veneramur enim Constantiense Concilium, & cuncta quæ processerunt, „ a Romanis Pontificibus nostris Prædecessoribus approbata. *Nec enim istius Professionis immutaunt verba immediate præcedentia, quibus de Summo Pontifice sic loquitur*: Qui etsi filius est propter regenerationem, propter dignitatem tamen Pater habetur; „ & sicuti filiationis causa venerari debet Ecclesiam „ tamquam Matrem; ita & Prælationis causa præfertur ei ut Pastor Gregi, Princeps populo, Rector „ familiæ: „ Loco enim illius verbi, *præfertur*, in quibusdam MSS. legi, *præest*, ad marginem hujus Diplomatis observatur in Labbeana Conciliorum Collectione, Tom. XIII. pag. 1415. Quam lectionem meliorem esse ac sinceriorem non dubito; cum persuasum habeam *Pium II.* sincere professum fuisse complecti Synodi Generalis Constantiensis Decreta, quibus tamen & sibi ipsi manifeste contradixisse videretur si Romani Pontificis Auctoritatem Concilii Generalis Auctoritati anteponendam ibidem affirmasset. Denique in Romana Conciliorum Generalium Editione Concilium Constantiense suum locum obtinet, atque *Oecumenicum* simpliciter inscribitur & appellatur, non (ut Cardinali *Bellarmino* appellare placuit) *partim approbatum, partim reprobatum*. Ex his constat, Decreta illa duo Concilii Constantiensis de Conciliorum Generalium Auctoritate, Sessionibus 4. & 5. condita, esse Decreta Synodi Œcumenicæ, quæ *cuncta recepit Ecclesia, & Sedes Apostolica comprobavit*. Ex quo sequitur, illorum auctoritatem jure in dubium revocari non posse: Maxime cum doctrinam tradant Scripturis sacris, Traditioni Patrum, & Ecclesiasticis Regulis plane consentaneam.

§. II.

Decreta Concilii Constantiensis de Conciliorum Generalium Auctoritate, sunt Scripturæ Sacræ consona.

III. ET de Scripturis quidem Sacris id probant Parisienses Theologi, tum ex verbis Christi, Matthæi 18. *Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*: Tum ex illis Joannis 24. *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis*. Tum ex verbis Synodi Herosolymitanæ Apostolorum & Seniorum, ad finiendam controversiam de legalium ceremoniarum observantia congregatæ, Actuum 15. *Visum est enim Spiritui Sancto & nobis*. Quæ manifeste probant, Conciliorum Generalium Auctoritatem esse immediate a Christo derivatam. Ad prim. loci explicationem afferunt *Cælestini I.* verba in Epistola ad Ephesinæ Synodi Patres, quæ Actione 2. legitur: „ Spiritus Sancti testatur præsentiam Congregatio Sacerdotum. Verum est enim quod legimus, „ quia nec potest veritas mentiri, cujus in Evangelio „ ista Sententia est: *Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi & ego sum in medio eorum*. Quod cum ita sit, si nec huic tam brevi numero Spiritus Sanctus deest, quanto magis cum interesse credimus, quando in unum convenit tanta „ turba Sanctorum? Sanctum namque est pro debita „ sibi veneratione Concilium, in quo utique nunc Apostolorum frequentissimæ illius, quam legimus, congregationis aspicienda reverentia est. Numquam his „ defuit Magister, quem receperant prædicandum. „ Affuit his semper Dominus & Magister: sed nec „ docentes a suo Doctore deserti sunt umquam. Docebat ille qui miserat, docebat qui dixerat quid „ docerent, docebat qui in Apostolis suis se confitemit audiri. *Ad secundi & tertii loci explicationem afferunt verba* S. Leonis *Epistola 62. seu 93. in Editione* P. Quenellii *ad* Theodoretum *Episcopum Cyri*. „ Hæc præcipue præsenti occasione credimus admonendum, Frater Charissime, ut quotiescumque divina gratia administrante, illos, qui foris sunt, fonte doctrinæ aut submergimus, aut purgamus, in „ nullo ab illis, quas Spiritus Sancti divinitas in Chalcedonensi Concilio protulit, Fidei Regulis recedentes, inter utrumque hostem novellæ perfidiæ sermonem nostrum cum omni cautela libremus: non „ jam, quod absit, tamquam de dubiis disceptantes; „ sed auctoritate summa, quæ bene definita sunt, „ astruentes. *Et Epistola 73. seu 115. in Editione* P. „ Quenellii *ad Leonem Augustum*: Quod opus (*inquit*) virtutibus vestris gloriæque conveniens, calerem & Deo placitum habebit effectum, si Sanctam „ Chelcedonensem Synodum de Domini Christi Incarnatione firmatam, nulla permiseritis retractatione „ pulsari: Quid in illo Concilio per Spiritum Sanctum „ congregato, tam plenis atque perfectis definitionibus cuncta firmata sunt, ut nihil ei regulæ, quæ „ ex divina inspiratione prolata est, addi possit aut „ minui. *Et Epistola 78. seu 131. ad eumdem Imperatorem*: Præceptioni vestræ (*inquit*) in eo adnitor obedire, ut aliquos de Fratribus meis dirigam, „ qui apud vos præsentiæ meæ instar exhibeant, & „ quæ sit Apostolicæ Fidei regula demonstrent, patefacientes in omnibus, & probantes, non esse omnino inter Catholicos computandos, qui definitiones „ venerabilis Synodi Nicænæ, vel Sanct. Chalcedonensis Concilii regulas non sequuntur: Cum utrorumque „ Sancta Decreta ex Evangelico manifestum sit fonte „ prodire, & quidquid non est de irrigatione Christi, „ poculi esse viperei. Prænoscat igitur Pietas tua: „ hos quos spondeo dirigendos, non ad confligendum „ cum hostibus fidei, nec ad certandum contra ullos a Sede Apostolica profectnros: Quia de rebus & apud Ni-

„ cæam,

„ cæam, & apud Chalcedonem, ficut Deo placuit, definitis, nullum audemus inire tractatum: Tamquam dubia vel infirma fint, quæ tanta per Spiritum Sanctum fixit auctoritas. *Et Epist. 55. seu 79. Editionis* P. Quenel. *ad* Pulcheriam Augustam *data*: Consensiones vero Episcoporum, Sanctorum Canonum apud Nicæam conditorum regulis repugnantes, unita nobiscum vestræ fidei pietate in irritum mittimus, in omnibus Ecclesiasticis causis his legibus obsequentes, quas ad pacificam observantiam omnium Sacerdotum, per trecentos decem & octo Sacerdotes Spiritus Sanctus instituit. Quæ testimonia Anonymum Auctorem Tractatus De Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ fugerunt, vel illa dissimulavit, ut Scripturæ loca pro Concilii Generalis immediate a Christo accepta Auctoritate a Parisiensibus Theologis prolata facilius eluderet.

IV. Sed & aliis Scripturæ Sacræ locis nititur Sacræ Facultatis Parisiensis doctrina, illo præsertim Matthæi 18. „ Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore duorum vel trium stet omne verbum. Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ: Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi ficut Ethnicus & Publicanus. Romanus Pontifex frater noster est circumdatos infirmitate, & peccato obnoxius, Patrem quippe Deum nobiscum invocat, Orationem Dominicam & ipse recitans, *Pater noster qui es in cælis*, oransque ut sibi peccata remittantur. In ipsum itaque fraterna correctio exerceri potest & debet, maxime si in graviora peccata prolabatur, quæ plurimis offensioni sint & scandalo. Sic *Paulus* reprehendit *Petrum* non recte ambulantem ad veritatem Evangelii. Si vero fratrem corripientem, vel adhibitis testibus, non audiat, Ecclesiæ denunciari potest, quæ certe non est ipse Pontifex, quia non est idem judex & reus, corripiens & correctus. Unde *Sanctus Gregorius Magnus*, *ad Joannem* Constantinopolitanum scribens, qui se Universalem inscribebat, ait se bis per Responsales suos ipsum corrigere studuisse: „ Sed (*inquit*) si in mea correctione despicior, restat ut Ecclesiam debeam adhibere. *Et* Silvester secundus *Epistola ad* Seguinum *Senonensem Archiepiscopum*: Constanter dico quod si ipse Romanus Episcopus in fratrem peccaverit, sæpiusque admonitus, Ecclesiam non audierit, hic, inquam, Romanus Episcopus præcepto Dei est habendus ficut Ethnicus & Publicanus. Porro deferri non potest Summus Pontifex, sive ob Hæresim, sive ob Schisma, sive ob mores dissolutos, ad Ecclesiam dispersam, quæ ipsum corrigere vel coercere potis non esset, sed ad Ecclesiam in Concilio generali, quod totius nominis Christiani repræsentatio est, congregatam: quam audire debet ut matrem filius: quia *Non habebit Deum Patrem, qui Ecclesiam noluerit habere Matrem*. Si autem Ecclesiam, sive Concilium Generale ipsam repræsentans non audierit, habeatur ficut Ethnicus & Publicanus. Quomodo vero denuntiari posset Ecclesiæ, & ab ea corrigi, nisi ejusdem Ecclesiæ & Synodi Generalis ipsam repræsentantis potestas esset Pontificia superior, & Ecclesia potestatem clavium a Christo immediate accepisset, qua Fideles omnes, & ipsum Romanum Pontificem ligare possit & solvere? Unde Christus ibidem subdit; *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in Cœlo; & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in Cœlo*. Qui locus probat invicte, claves immediatius Ecclesiæ quam *Petro* datas, cui collatæ sunt quatenus Ecclesiam repræsentabat, ut toties repetit *S. Augustinus*, cujus unum hic describo locum instar omnium, ex Sermone 108. De Diversis. „ Inter Apostolos (*inquit*) pene ubique solus Petrus totius Ecclesiæ meruit gestare personam, propter ipsam personam quam totius Ecclesiæ solus gestabat, audire meruit; Tibi dabo Claves Regni Cœlorum. HAS ENIM CLAVES NON HOMO UNUS, SED UNITAS ACCEPIT ECCLESIÆ. Hinc ergo Petri excellentia prædicatur, quia ipsius universitatis & unitatis Ecclesiæ figuram gessit, quando ei dictum est: Tibi trado, quod omnibus traditum est. Nam ut noveritis Ecclesiam accepisse Claves Regni Cœlorum, audite in alio loco quid Dominus dicat omnibus Apostolis suis, *Si cui dimiseritis peccata, dimittentur ei: Si cujus tenueritis, tenebuntur*. Hoc ad claves pertinet, de quibus dictum est: *Quæ solveritis in terra, soluta erunt & in Cœlo; & quæ ligaveritis in terra, ligata erunt & in Cœlo*. Sed hoc Petro dixit, ut scias quia Petrus universæ Ecclesiæ personam tunc gerabat, audi quid ipsi dicatur, quid omnibus Fidelibus sanctis: *Si peccaverit in te Frater tuus, corripe illum inter te & ipsum solum; Si te non audierit; adhibe tecum unum vel duos. Scriptum est enim: In ore duorum vel trium stabit omne verbum: Si nec ipsos audierit, refer ad Ecclesiam; Si nec ipsam audierit, sit tibi ficut Ethnicus & Publicanus. Amen dico vobis, quia quæ ligaveritis in terra, ligata erunt & in Cœlo, & quæcumque solveritis in terra, soluta erunt & in Cœlo*. Columba ligat, Columba solvit; ædificium supra Petram ligat & solvit.... Merito etiam post Resurrectionem Dominus ipsi Petro oves suas commendavit pascendas. Non enim inter Discipulos solus meruit pascere dominicas oves: sed quando Christus ad unum loquitur, unitas commendatur, & Petro primitus, quia in Apostolis Petrus est primus. Ex his diluitur Objectio, quam ex Clavibus *S. Petro* datis petit Auctor Anonymus Libri contra Libertates Ecclesiæ Gallicanæ, Lib. 5. cap. 10. Num. 7. Hoc autem argumentum ex cap. 18. *S. Matthæi* depromptum urget Christianissimus Doctor *Gersonius* in Tractatu, *De Potestate Ecclesiastica*, Consideratione 4. docetque fundari in hoc textu & „ potestatem diffiniendi, determinandi, statuendi, decernendi, constituendi Præcepta, Leges, & Canones; procedendi denique contra non Obedientes usque ad Sententiam Excommunicationis inclusive: immo secundum Canones nunc institutos, usque ad invocationem brachii sæcularis: Quia dicitur in textu, *Quod si Ecclesiam non audierit*, &c. Audire igitur debet Ecclesiam quilibet frater noster, qui dicit ad Deum, *Pater noster*, ficut explicat alibi Christus; *Qui vos audit, me audit*... Et fundatur prædicta Potestas Ecclesiastica Jurisdictionis in unitate, vel unione tali, quemadmodum notasse videtur B. Augustinus, quod Claves Ecclesiæ datæ sunt unitati. Verumtamen hoc non impedit quin datæ sint Petro, tamquam Monarchæ, legitimisque Successoribus suis, principalibus tamen Ecclesiæ: Primo ratione indeviabilitatis; quia *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam*, nec deficiet fides ejus; non ita de Papa: Secundo, ratione Regulabilitatis; quoniam habet regulare usum Potestatis Papalis, non sic e converso. Tertio, ratione Multiplicitatis; quoniam Ecclesia continet Potestatem quamlibet Ecclesiasticam, etiam Papalem, non sic Papa, præsertim in extensione. Quarto ratione obligabilitatis; quia Ecclesia potest concedere leges obligantes etiam ipsum Papam, tam quoad personam, quam respectu usus potestatis: Non sic e converso potest Papa judicare totam Ecclesiam, vel usum suæ potestatis limitare. Idem argumentum urget *Joannes Major* Parisiensis etiam Theologus celeberrimus, Commentario in cap. 18. *S. Matthæi*. Idem argumentum urget *Tostatus* Abulensis Episcopus in eumdem *S. Matthæi* locum Quæst. 108. Commentariorum.

V. Utuntur Parisienses Theologi & altero Scripturæ Sacræ loco, Actorum 8. *Cum audissent Apostoli, qui erant Hierosolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Joannem*. Quæ verba expendens *Gersonius* in Tractatu De Ecclesiastica Potestate, Consideratione 11. *Apostoli* (inquit) *miserunt in Samariam Petrum & Joannem, tamquam subditos Ecclesiæ*. Et *Renatus Benedictus* Sacræ Facultatis Parisiensis olim Decanus, in Panoplia Catholicorum adversus hodiernas Hæreses *Gregorio XIII.* Pontifici Maximo dicata, anno millesimo quingentesimo septuagesimo-quinto, eumdem locum ita tractat: „ Quo non intellecto abutuntur, qui ex eo colligunt, Petrum non fuisse cæteris Apostolis superiorem. Nam non est missus ab aliquo in particulari, sed ab illis congregatis: Qui Ecclesiam repræsentabant. Non fuit autem Beatus Petrus Superior tota Ecclesia, ficut nec nunc Successor ejus Papa saltem in determinando; Aliud autem esse puto forsan in determinationum executione. Quare non est mirum, si ab Apostolis congregatis, id est ab Ecclesia missus est „. Quam interpretationem æqui bonique duxit *Gregorius XIII.* doctissimus & optimus Pontifex.

§. III.

Bellarmini Cardinalis & Auctoris Anonymi Objectiones ex Scriptura Sacra petitæ diluuntur a Theologis Parisiensibus.

VI. QUatuor Scripturæ Sacræ locis doctissimus Cardinalis *Bellarminus*, & alii abutuntur ut probent Summum Pontificem simpliciter & absolute esse supra Ecclesiam universam, & supra Concilium Generale, ita ut nullum in terris supra se Judicium agnoscat. Primus legitur in Evangelio S. Lucæ, Cap. 12. *Quis est fidelis dispensator & prudens*,

quem

quem constituit Dominus super familiam suam? Ex quo loco ita ratiocinatur: „ Hic per dispensatorem intelligunt Episcopum *Ambrosius* in hunc locum, & *Hilarius*, & *Hieronymus* in Cap. 24. *Matthæi*. Et quamvis Patres non expresse loquantur de Episcopo Romano, tamen sine dubio sententia Scripturæ illa est: Ut Episcopi particulares sunt Summi Œconomi in suis Ecclesiis, ita esse Episcopum Romanum in Ecclesia universa: unde *Ambrosius* in illud 1. ad Timotheum 3. *Ut scias quomodo oporteat te conversari in Domo Dei, &c.* ait: *Domus Dei Ecclesia dicitur, cujus hodie Rector est Damasus.* Et *Chrysostomus* hunc ipsum locum, *Qui est fidelis servus, &c.* de *Petro* exponit. Quod autem Œconomus summus sit supra familiam, & ab ea judicari ac puniri non possit, patet ex hoc eodem loco. Dominus enim ait: *Quem constituit Dominus super familiam suam.* Et ibidem: *Quod si dixerit servus ille in corde suo; Moram facit Dominus meus venire, & cœperit percutere servos & ancillas, edere & bibere, & inebriari, veniet Dominus servi illius in die qua non sperat & dividet eum, partemque ejus cum infidelibus ponet.* Ubi vides Dominum servare suo judicio servum illum, & non committere judicio familiæ. Idem etiam docet usus omnium familiarum: Nulla enim est in qua liceat inferioribus famulis, etiam simul congregatis, punire vel expellere Œconomum, etiamsi pessimus sit; id enim ad summum Dominum totius familiæ pertinet.

Non Ambrosius, sed Hilarius Romanæ Ecclesiæ Diaconus.

Alter locus habetur *Joannis* ultimo, ubi Christus „ ait S. Petro: *Pasce oves meas.* Constat autem Pastorem ita præesse ovibus (inquit *Bellarminus*) ut nullo modo ab eis judicari possit. Eodem utitur argumento Anonymus Auctor Tractatus *De Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ*, Lib. 5. Cap. 10.

Tertius locus est ad Ephesios 4. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores ad consummationem Sanctorum, in opus Ministerii, in ædificationem Corporis Christi... Veritatem autem facientes in charitate: crescamus in illo per omnia qui est Caput Christus.* „ Idem vero Christus communicat *Petro*, ut habemus in Concilio Chalcedonensi Actione 3. ubi Legati Sententiam pronuntiant in *Dioscorum*, & in Epistola Concilii ad *Leonem*. Porro caput a membris regi, & non ea potius regere, contra naturam est, sicut etiam est contra naturam quod membra sibi caput præcidant, cum forte graviter ægrotat.

Quartus locus, ad Ephesios 5. ubi Christus Ecclesiæ Sponsus dicitur: *Viri diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam, & tradidit se ipsum pro ea.* „ Idem convenit *Petro*: Nam in Concilio Generali Lugdunensi, ut habetur Cap. *Ubi periculum, De Electione* in Sexto: loquens Concilium de electione Romani Pontificis. *Acceleret* (inquit) *utilis, pernecessaria totius Mundi Provisio, idoneo celeriter eidem Ecclesiæ Sponso data.* Est autem contra Apostolum ad Ephesios 5. ut Sponsa præsit Sponso, & non potius subsit. In summa illud est *Bellarmini* ratiocinium: Nomina quæ tribuuntur Christo, Pastoris, Sponsi, Capitis, Patris familias, probant ipsum esse supra Ecclesiam. Atqui eadem tribuuntur Summo Pontifici; Est enim Summus Œconomus, Pastor, Caput, Sponsus Ecclesiæ: Est ergo supra Ecclesiam.

Duo alia loca addit Auctor Anonymus Tractatus *De Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ*, Lib. 5. Cap. 10. Primum ex Cap. 16. *Sancti Matthæi*, ubi habetur, *Sanctum Petrum* fundamentum Ecclesiæ a Christo constitutum dicente: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam:* „ Quibus verbis, inquit, manifeste declaratur, eum ejusque Successorem Romanum Pontificem ita se habere ad reliquorum Fidelium Cœtum, sicut fundamenta ad ædificium: Atqui ratione & experientia compertissimum est, firmitatem ædificii a fundamento, non autem fundamenti ab ædificio pendere. In eumdem ergo modum firmitas in Fide ac Religione, non a reliquis Fidelibus in Summum Pontificem, sed a Summo Pontifice in reliquos Fideles provenit.

Alter locus est Lucæ 22. ubi Christus ait: *Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat Fides tua, & tu aliquando conversus, confirma fratres tuos.* Ex quo sic ratiocinatur: Episcopi etiam congregati non desinunt esse fratres Successoris *Petri*: Ergo ab eo debent confirmari: Pro ipso enim Christus oravit, ne deficeret fides ejus, ut posset deficientes aut titubantes fulcire.

VII. Verum hæc tum *Bellarmini*, tum Auctoris Anonymi ratiocinia nullius plane sunt roboris. Atque ut a *Bellarmino* incipiam, fallacia peccat ejus ratiocinium, cum ea nomina, easque dotes, ex quibus Christum Ecclesia superiorem esse probatur, persuadere contendit quod *S. Petrus* & ejus Successores sint pariter supra Ecclesiam, quia Christus eadem cum ipsis nomina & officia communicavit, scilicet œconomi, Pastoris, Sponsi, Capitis. Ut enim recte colligeret doctissimus Cardinalis, necesse esset, ut illa nomina dotesque *S. Petro* & *ejus* Successoribus Romanis Pontificibus a Christo eodem modo convenirent. At eodem modo non conveniunt: Christus enim est Summus Pater familias & Dominus in domo sua, scilicet Ecclesia: Summus Pontifex non est Dominus Ecclesiæ, nec Pater-familias Supremus, sed Dispensator, Ecclesiæ Christi Sponsæ subjectus, & reddendæ utrique rationi obnoxius. Christus est Pastor & Dominus ovium, quas acquisivit sanguine suo; Romanus Pontifex Pastor est, non dominus ovium Christi. Unde Christus ait S. Petro: *Pasce oves meas*: non *oves tuas*. Christus est summum & essentiale Caput Ecclesiæ, in omnia membra influens, eaque regens auctoritate excellentiæ: Summus Pontifex Ecclesiæ Caput est ministeriale secundarium, non intus in membra influens, sed exterius sub Christo & pro Christo regens. Christus Ecclesiæ Sponsus est proprie, Summus Pontifex minus proprie. Christus enim ita cum Ecclesia conjunctus est, ut sit unum corpus cum ipsa juxta illud a *S. Augustino* toties inculcatum: *Caput & membra unus est Christus*: Mundavit eam lavacro aquæ in verbo vitæ: Sponsavit eam sibi in fide & in sempiternum: Se illi ita conjunxit, ut nec illa Sponsum, nec ille Sponsam repudiare possit: Summus Pontifex non est unum corpus cum Ecclesia, sed est pars Ecclesiæ, primumque Mystici Corporis Christi membrum: Non est conjunctus Ecclesiæ in æternum, sed quamdiu Pontifex fuerit. Defuncto Summo Pontifice universalis Ecclesia vidua non est, cujus Sponsus Christus, a mortuis redivivus non moritur, sed in æternum vivit. Denique repudium (ut ita loquar) Pontifex Ecclesiæ dare potest, abdicando Pontificatum, sicut fecit *S. Cælestinus V.* & vicissim Ecclesia potest ipsum repudiare, a Pontificatu removendo, ut removit *Joannem XXIII.* Perperam ergo colligit *Bellarminus*, Romanum Pontificem esse absolute supra Ecclesiam, quia Christus supra Ecclesiam est.

Theologorum Parisiensium Responsio ad argumenta Bellarmini & Auctoris Anonymi.

Verum ad loca singula expressius ut respondeam; Ad primum dico, Hunc locum de omnibus Episcopis, vel Doctoribus, non de solo Romano Pontifice a SS. Patribus exponi, a *S. Irenæo* Lib. 4. adversus Hæreses, Cap. 44. a *S. Hilario* Cap. 27. in Matthæum, a *S. Ambrosio* in Cap. 12. S. Lucæ, a *S. Joanne Chrysostomo* Homilia 78. in Matthæum, a *S. Hieronymo* in Cap. 24. S. Matthæi, a *S. Augustino* Lib. De Quæstionibus Evangelicis, Cap. 26. a *S. Isidoro Pelusiota* Lib. 3. Epist. 145. ad *Theodosium* Episcopum, a *S. Leone* Epistola 90. seu 78. in Editione *P. Quenellii*, ad Ravennium Arelatensem Episcopum, a *S. Petro Chrysologo* Sermone 26. De Fideli Dispensatore, a *S. Gregorio Magno* P. 3. Pastoralis, Cap. 5. ab *Agobardo* Lugdunensi Archiepiscopo in Tractatu de Modo Regiminis Ecclesiastici ad Clericos & Monachos Lugdunenses. Nullus istorum Patrum hunc locum ita interpretatur, ut suo arbitrio interpretatus est *Bellarminus*; nullus ex eo collegit, aut colligi posse innuit, Romanum Pontificem simpliciter & absolute esse supra Ecclesiam universalem, & supra Concilium Generale, ita ut nullum in terris supra se Judicium agnoscat. Peccant itaque, quicumque hunc locum ita interpretantur, contra regulam de Scripturis interpretandis a Sacra Synodo Tridentina præscriptam, eum in proprios sensus, contra unanimem SS. Patrum consensum explicantes, & detorquentes. Certe si suo judicio eos omnes Christus reservat, de quibus hunc locum Patres explicant, nec familiæ judicio committit, sequitur nullum Episcopum, nullum Doctorem aut Prædicatorem, ab Ecclesia judicari posse; quo quid absurdius? Præterea, quæ inter œconomum & servos instituitur a Christo comparatio, inter Summum Pontificem & Episcopos institui non potest, sed quæ inter œconomum & fratres illius institui posset, quibus familiæ administratio & bonorum illius procuratio in solidum commissa esset. Nam Episcopi famuli non sunt Summi Pontificis, sed ejus Fratres, Comministri, Consacerdotes, Coepiscopi; non ab ipso, sed a Christo immediate Auctoritatem habentes, qua *Ministri* sunt *Novi Testamenti*, & *Dispensatores Mysteriorum*

rum

ram Dei. Et Œconomatus familiæ Christi seu *Episcopatus unus est, cujus a singulis in solidum pars tenetur* (ut *S. Cyprianus* ait) sive (ut ait *Symmachus* Papa) *Ad Trinitatis instar, cujus una est atque individua potestas, unum est per diversos Antistites Sacerdotium*. Nec etiam Ecclesia ancilla est, sed Regina Christi Sponsa, *quæ tenet & possidet omnem Sponsi sui & Domini potestatem*, ut loquitur *S. Bonaventura* P. 6. Cap. 5. *Breviloquii* sui ex dictis *S. Augustini*. Œconomum ergo Summum judicare potest, si officio suo in ejus perniciem ac detrimentum abutatur: Alias Christus Ecclesiæ Sponsæ suæ satis providisse non videretur. Ita ratiocinatur *Petrus de Alliaco* Cardinalis Cameracensis in Libro *De Auctoritate Ecclesiæ* scripto in Concilio Constantiensi, Cap. 5. 3. part. „ Tam de „ jure humano, inquit, quam divino concedendum „ est, Papam posse ab universali Ecclesia vel a Ge„ nerali Concilio eum repræsentante in multis casi„ bus judicari, & condemnari, & ab eo ad Concilium „ in multis casibus appellari, videlicet in casibus Ec„ clesiæ destructionem tangentibus: Quia aliter se„ queretur, ipsum Christum, verum & supremum „ Caput Ecclesiæ, & Institutorem ejus sapientissimum, „ eam non perfecte & sufficienter ordinasse, quod est „ hæreticum, & contra illud Deuteronomii 32. *Dei* „ *perfecta sunt Opera*. Patet per contrarium, quia „ illa Communitas non est sufficienter ordinata, quæ „ perditioni suæ & demolitioni publicæ non potest „ occurrere; sic esset de Ecclesiastica Politia in casu „ quo Papa per hæresim manifestam, & tyrannidem „ apertam, aut aliud notorium crimen, conaretur eam „ subvertere, & nemo ei dicere posset, *Cur ita facis?* „ Per viam juris eidem resistendo, id est, ab eo ap„ pellando, eum accusando, & per Concilium judi„ cando. Hoc esset Papæ concedere potestatem non „ in ædificationem, sed in destructionem, quod est „ contra sententiam Apostoli, quam non solo verbo „ docuit, sed exemplo firmavit, quando scilicet Petro „ restitit in faciem „. Sic respondent Theologi Parisienses.

VIII. Ad locum alterum respondent, ut jam innui, Summum Pontificem esse Pastorem visibilem omnium Fidelium loco Christi, ejusque Primatum *Super alias Ecclesias particulares* (ut Concilii Constantiensis Wiclefianam & Hussiticam hæresim damnantis verbis utar) laudatis Christi verbis, *Pasce oves meas*, probari; non vero superiorem universali Ecclesia & Concilio Generali Auctoritatem. Præterea, non *S. Petro* dumtaxat, sed omnibus Episcopis, in persona *S. Petri* dictum est a Christo, *Pasce oves meas*, ut docet Auctor Libri *De Dignitate Sacerdotali*, apud *S. Ambrosium* Cap. 2. *S. Chrysostomus* Homilia 78. in Matthæum & Homilia 31. de *B. Philogonio*, *S. Augustinus* Tractatu 47. in *Joannem*, & alii Patres, & Ecclesia ipsa in Præfatione de Apostolis. Hæc etiam verba ad se pertinere docet vacante Sede Pontificia Romanus Clerus, & ad Clerum Carthaginensem absente Episcopo; cum hunc in modum scribit post *S. Fabiani* Martyrium, & *S. Cypriani* secessum: *Cum incumbat nobis, qui videmur Præpositi esse, & vice Pastoris custodire gregem, &c. Denique ipse Dominus* Simoni ait; Pasce oves meas. *Nolumus ergo, Fratres dilectissimi, vos mercenarios inveniri, sed bonos Pastores, cum sciatis tam non minimum periculum incumbere, si non hortati fueritis fratres nostros stare in fide immobiles, ne præceps iens in idololatriam funditus eradicetur fraternitas*. Atqui nemo dixerit, Episcopos, vel Romanum, aut alterius Ecclesiæ Clerum, Sede vacante, esse supra Ecclesiam universam & supra Concilium Generale, ita ut nullum in terris supra se judicium agnoscant. Neque ergo asserendum est de Romano Pontifice: Quamvis sit *Primus Pastor Ecclesiæ*, ut vocatur ab *Hadriano I.* in Epistola ad Episcopos Hispaniæ, & a Conciliis Moguntino & Aquisgranensi. Tandem, cum hæc verba *Pasce oves meas*, dictæ sint *Petro* ut *Ecclesiæ Catholicæ personam gerenti*, sicut illa, *Quæcumque solveritis, &c.* ut docet *S. Augustinus* lib. *De Agone Christiano*, cap. 30. Tractatu 47. in *Joannem*, & Enarratione in Psalmum 108. sicut Claves Ecclesiæ a Christo immediatius quam S. Petro traditæ sunt, sic & oves pascendi Auctoritas. Ad Ecclesiam ergo, & ad Concilium universale ipsam repræsentans, pertinent primitus illa Christi verba, *Pasces oves meas*; adeoque Summus Pontifex non est ea superior. Nec illa ovilis & Pastoris analogia prohibet quin ovile Christi collective sumptum, seu Ecclesia in Concilio Generali congregata, Vicarium Pastorem universis ovibus a Christo præpositum arcere possit, si perniciem sibi moliatur, si destruat, mactet, & perdat; si mercenarium se potius quam Pastorem optimum exhibeat. Sic respondent *Almanus* lib. *De Auctoritate Ecclesiæ & Conciliorum Generalium*, Cap. 8. in solutione rationum *Cajetani*, & alii Theologi Parisienses.

Petrus de Alliaco, Lib. De Auctorit. Eccles. Cap. 4. III. Parti.

IX. Ad tertium locum respondent, Summum Pontificem caput esse Ecclesiæ ministeriale, non principale. *Quamvis Papa concedatur esse Caput Ecclesiæ* (inquit Cardinalis Cameracensis) *tamen hoc est sub principali & essentiali Capite Christo; & ideo subordinatio corporis Ecclesiæ ad Papam, est solum accidentalis; essentialis ad Christum, a quo immediate habet Auctoritatem*. Porro licet caput essentiale & principale Ecclesiæ, scilicet Christus, sit absolute supra universalem Ecclesiam, tamen caput ministeriale, scilicet Summus Pontifex, Ecclesiæ universali & Synodo Generali eam repræsentanti subditum est; cum ab ea reformari possit. Unde Concilia Constantiense, & Basileense congregari dicunt Generalia Concilia *ad Reformationem Ecclesiæ Dei in Capite & in membris*. Et *Julius II.* in Summum Pontificem electus, plurima inter capita, hæc duo juravit: *Generale Concilium congregare intra biennium*, & *reformare Ecclesiam in Capite & in membris*. Romanus Pontifex Ecclesiæ caput est, non a corpore independens, sicut Christus, sed ejus sustentatione & ope indigens, sine qua firmitatem suam, vigorem & dignitatem amitteret. Quocirca *Sixtus Tertius* ad Episcopos Illyrici scribebat: *Ut omne corpus Capite regitur, ita ipsum Caput, nisi suo corpore sustentetur, firmitatem & vigorem suum perdit, & non tenet quam habuerat dignitatem*. Christus & Ecclesia *Caput & Corpus dicuntur ab Apostolo frequenter, & ideo una persona sunt, quia & corpus capitis corpus dicitur, & caput corporis atque corpus. Non enim ad se dicitur caput, sed ad corpus* (inquit *Agobardus* Lugdunensis Archiepiscopus lib. contra *Felicem Urgelitanum*) At Summus Pontifex & Ecclesia universalis non sunt una persona, nec Ecclesia est corpus Summi Pontificis, sed Corpus Christi: Itaque Pontifex Ecclesiæ universalis caput est, id est, primum membrum sub Christo, sub quo & reliqui Episcopi sunt particularium Ecclesiarum capita, & universalis Ecclesiæ membra. Unde *S. Gregorius Magnus* lib. 4. Epist. 38. ad *Joannem* Constantinopolitanum Episcopum ait: *Certe Petrus Apostolus primum membrum sanctæ universalis Ecclesiæ est. Paulus, Andreas, Joannes, quid aliud quam singularium sunt plebium capita? Et tamen sub uno capite omnes membra sunt Ecclesiæ*. Hoc sensu Chalcedonensis Concilii Patres *S. Leonem* Synodi *Caput*, id est, *Primum Membrum* appellarunt, quod propter dignitatem cæteris membris præerat, sed tamen supra Ecclesiam & Synodum Generalem, ipsam repræsentantem, simpliciter & absolute non erat. Neque hæc verba, *Sicut Caput*, ὡς κεφαλὴ similitudinem omnimodam, sed proportionem dumtaxat aliquam significant. Primum Ecclesiæ, Conciliique Generalis membrum, Ecclesiæ, & Concilii pars est, adeoque ipsi præponi debet Ecclesia; quia *Universum partibus semper optimo jure præponitur*: ut ait *S. Augustinus* lib. 2. *De Baptismo*, cap. 4. Nec eadem ratio est capitis Ecclesiæ ministerialis & capitis humani, quod præcidi absque corporis interitu non potest: Corporis enim humani caput omnium spirituum animalium & sensuum fons est & origo, nec aliud eo abtruncato substitui loco illius potest: At caput ministeriale, scilicet Episcopus vel Summus Pontifex, non influit spiritum in Ecclesiam, in quam influxus omnis per Spiritus subministrationem a Christo est; & mortuo vel amoto capite ministeriali, vivit Ecclesia, nec acephala dici potest, Christum caput habens, & visibili capite seu per obitum, seu alias ab Ecclesia ablato, potest aliud substitui. Hinc Turonense Concilium 2. Canone 19. ait: *Rectius est Caput morbidum, si curari non potest, amputetur, quam grex per eumdem inficiatur. Talis ergo Sacerdos & Pastor non debet a populo venerari, sed renui, qui non formam Disciplinæ sed vitii docet, dum se ipsum non corrigit*.

Apud Odoricum Raynaldum.

X. Quartus locus probat Christum esse unicum totius Ecclesiæ Sponsum, quæ propterea ipsi subjecta est: At summum Pontificem non eodem modo Sponsum esse probat, sed Sponsum Vicarium. Hoc modo Episcopi suarum sunt Ecclesiarum Sponsi, ut *S. Athanasius* Apologia 2. & *Innocentius Tertius* de Translationibus Episcoporum statuens asserunt. Sponsus autem Vicarius, seu Sponsæ Christi custos, etsi Ecclesia particulari sit superior, non tamen Ecclesia universa, quæ ipsi libellum repudii dare potest. Ita docet *Gersonius*

libro

libro *De Auferibilitate Papæ ab Ecclesia*, Consideratione 10. *Auferibilis est*, inquit, *Vicarius Sponsus Ecclesiæ ab ipsa Ecclesia in casibus dabilibus, & hoc per eam, vel per Concilium Generale repræsentans eam, vel per aliquos ad hoc per eam institutos, sive consentiat ipse Vicarius, vel non consentiat suæ cessioni. Nam si Vicarius Sponsus potest resignare sponte, ipsi Ecclesiæ dando libellum repudii; cum Sponsus & Sponsa non debeant quoad hoc impari jure censeri, poterit similiter repudiare Sponsum talem ipsa Ecclesia Sponsa: dum par ratio vel potior adducitur pro ipsa contra Sponsum: Vel quia prostituere quærit eam quantum in se est, vel tyrannide sæva tractare lacerando eam, vel placitando, bona sua dissipando, vel quia abuti conatur ea in perniciem filiorum. Nullum quippe statum, nullum gradum dignitatis, nullum ministrationis genus dedit Deus, nisi in ædificationem & utilitatem communem. Patet ad Ephesios 4. & ad Corinthios 6. Sed quis non videat casus multos esse possibiles, quorum aliqui nunc tacti sunt, in quibus Ecclesia non ædificaretur, sed destrueretur; non uniretur, sed dissiparetur; non pasceretur, sed depasceretur, si non sederet voluntarius, vel ejiceretur invitus hic, qui in Vicarium Sponsum Ecclesiæ rite fuerat ordinatus?* &c. Quæ totidem verbis repetit *Thomas Illyricus* Italus ex Ordine Minorum Theologus, in *Clypeo Papali*, quem adversus *Lutherum* edidit, & *Hadriano Sexto* nuncupavit; Qui ut erat doctissimus & optimus Pontifex, hanc doctrinam gratam habuit. Quod autem Episcopus & Summus Pontifex Vicarii Sponsi recte vocentur, confirmat Consecrationis Episcopalis Ritus in Pontificali Romano, in quo Consecrator Episcopi annulum mittit in digitum annularem dexteræ manus illius dicens: *Accipe annulum, Fidei scilicet signaculum, quatenus Sponsam Dei, videlicet Ecclesiam Sanctam, intemerata fide illibatam custodias:* Non ait, *Sponsam tuam*, sed, *Sponsam Dei*.

XI. Ad quintum locum ex Matthæi 16. Capite, cui suum superstruit ratiocinium Auctor Anonymus, respondent Theologi Parisienses, Ecclesiam, quæ *Domus Dei* est, a secundo, minusque præcipue fundamento, scilicet *S. Petro*, ejusque Successore Romano Pontifice firmitatem in fide & religione non accipere, nec fundamentum hujusmodi esse ipsa domo superius, præstantius, & firmius: Sed a primario & principali fundamento, scilicet Christo, qui Ecclesiæ ipsius fundator simul & fundamentum est (de quo Apostolus dicit: *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Jesus*, qui & ait: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, non *Ecclesiam tuam*) immediate habere ut sit *Columna & firmamentum veritatis*; & ut *Portæ Inferi adversus eam non prævaleant*. Illudque unum fundamentum esse supra ædificium; quia artifex non est pars domus, sed ipsa superior; At fundamentum illud secundum, minus præcipuum, & ministeriale Ecclesiæ, pars ipsius est, adeoque præponi Ecclesiæ non debet, cum totum majus esse sua parte, communis sensus doceat, & *Universum partibus semper optimo jure præponatur*, ut ait *S. Augustinus*. Nec dissimulare debuerat Anonymus ille Gallicanarum Libertatum Impugnator, explanationem illius loci quadruplicem a Patribus & Ecclesiasticis Tractatoribus afferri. Quidam illius sensum esse docent, quod Ecclesia super *S. Petrum* a Christo sit ædificata; scilicet *Tertullianus* Lib. De Præscriptionibus Hæreticorum cap. 22. *Origenes* in cap. 17. S. Matthæi, *S. Cyprianus* lib. De Unitate Ecclesiæ, & Epistola 73. ad Jubajanum, *S. Hilarius* c. 16. in Matthæum, *S. Basilius* in caput 2. Isaiæ, *S. Ambrosius* Sermone 48. *S. Epiphanius* in Ancorato, *S. Hieronymus* in cap. 16. S. Matthæi, & Epistola 57. ad Damasum, *S. Augustinus* Epistola 165. ad *Generosum*, Concione 2. in Psalm. 30. & Lib. 1. Retractationum cap. 21. *S. Cyrillus* Alexandrinus Lib. 2. in Joannem cap. 12. *S. Leo* Epist. 75. sive 125. Editionis *P. Quesnellii* ad Leonem Augustum, *S. Maximus* Taurinensis Episcopus Homilia in Natali SS. Petri & Pauli, *Theophylactus* & *Euthymius* in Cap. 16. S. Matthæi, &c. Alii hunc locum exponunt eo sensu, quod non supra *Petrum* dumtaxat, sed super omnes Apostolos & eorum Successores a Christo ædificata sit Ecclesia. Sic *Origenes* Tractatu 1. in Cap. 6. S. Matthæi, *S. Cyprianus* Epist. 27. de Lapsis, *S. Hieronymus* Lib. 1. contra Jovinianum, *S. Augustinus* in Psalm. 86. *Theodoretus* in eumdem Psalmum, & in c. 43. Ezechielis, *Etherius* & *Beatus* Lib. 1. contra Elipandum, *Paschasius*, *Radbertus* Lib. 4. in Matthæum, &c. Plurimi hunc locum eo sensu interpretantur, quod super illam Fidem, quam confessus est *S. Petrus* dicens, *Tu es Christus Filius Dei vivi*, ædificata sit a Christo Ecclesia. Sic *SS. Hilarius* Lib. 6. De Trinitate, *Gregorius Nyssenus* Lib. De Adventu Domini, *Ambrosius* Lib. 6. in Lucam, Cap. 9. *Hilarius* Diaconus in Cap. 2. Epistolæ ad Ephesios, *Chrysostomus* Homilia 55. & 83. in Matthæum, *Augustinus* Tractatu 7. in Joannem, *Cyrillus Alexandrinus* Lib. 4. in Isaiam, & Lib. 4. de Trinitate, *Juvenalis* Hierosolymorum Episcopus in Literis Synodicis ad Presbyteros & Archimandritas, *S. Leo* Sermonibus 2. & 3. in Anniversario Assumptionis suæ die, *S. Petrus Chrysologus* Sermonibus 53. & 74. *Theodoretus* Epistola 77. ad *Eulalium* Episcopum, & Epistola 146. ad *Joannem* Œconomum; *Eucherius* Lugdunensis Archiepiscopus, seu alius sub ejus nomine, Homilia in Natali S. Petri, *Felix III.* Pontifex Maximus Epistola 5. ad *Zenonem* Imperatorem, *S. Gregorius Magnus* Lib. 3. Epistola 33. ad *Theodelindam* Reginam, Venerabilis *Beda* Homilia in Feriam 3. post Dominicam Palmarum, & in Cap. 21. Sancti Joannis, *Joannes Damascenus* Oratione de Transfiguratione Domini, *Hadrianus I.* Pontifex Maximus in Epistola quæ Actione 2. Septimæ Synodi lecta & probata est, & in altera ad Episcopos Hispaniæ, *Christianus Druthmarus* Commentario in Evangelium S. Matthæi, cap. 35. *Jonas* Aurelianensis Episcopus Lib. 3. De Cultu Imaginum, *Hincmarus* Remensis Archiepiscopus Opusculo 33. contra Hincmarum Laudunensem Episcopum, Capp. 5. & 45. *Nicolaus I.* Epistola 2. ad *Michaelem* Imperatorem, & Epistola 6. ad Photium, *Joannes* VIII. Pontifex item Maximus Epistola ad *Petrum* Comitem, *Theophanes Ceramens* Archiepiscopus Tauromenii Homilia 45. *Theodorus Abacara* in Epistola Orthodoxa, *Stephanus* VI. Pontifex Maximus Epistola 2. Synodus Trosleiana, Canone 15. *S. Odo* Cluniacensis Abbas Sermone de Cathedra Sancti Petri, *Rupertus* Abbas Tuitiensis Lib. 3. in Matthæum, *Innocentius II.* Pontifex Maximus in Epistola ad Episcopos Senonensis Concilii, quod contra errores *Petri Abaelardi* celebratum est. *Hadrianus IV.* in Epistola ad *Fridericum* Imperatorem, *Urbanus* III. in Epistola ad Archiepiscopos, Episcopos, & Abbates, *S. Thomas* Quæstione 25. Supplementi, Art. 1. in Argum. *Sed contra*, & *Stephanus* Parisiensis Episcopus cum Sacra Facultate Parisiensi, in Literis quibus *S. Thomæ* doctrinam commendant, anno 1325. datis *Alfonsus Tostatus* in Cap. 15. S. Matthæi Quæstione 67. *Jodocus Clichtoveus* Theologus Parisiensis in Compendio Veritatum ad Fidem pertinentium, contra erroneas Lutheranorum Assertiones, *Joannes Ekius* Lib. De Primatu S. Petri contra Lutherum, *Renatus Benedictus* in Panoplia adversus novas hæreses *Gregorii XIII.* Romano Pontifici dicata. Alii denique Patres & Tractatores Ecclesiastici locum illum explicant eo sensu, quod super petram Christum ædificata sit Ecclesia. Sic *S. Hieronymus* in Cap. 7. S. Matthæi, *Augustinus* Sermone 13. De Verbis Domini, Tractatu 124. in Joannem & Lib. 1. Retractationum, Cap. 21. *Theodoretus* in Cap. 3. Epistolæ 1. ad Corinthios, Venerabilis *Beda* in Cap. 16. Sancti Matthæi, *Paulinus* Aquilejensis Episcopus Lib. 1. contra *Felicem* Urgelitanum Episcopum, *Dungalus* Diaconus Lib. contra *Claudium* Taurinensem Episcopum, *Rabanus Maurus* Lib. 4. De Universo, Cap. 1. *S. Anselmus* in Cap. 16. S. Matthæi, *Petrus Lombardus* Parisiensis Episcopus, Magister Sententiarum nominatus, in Cap. 2. Epistolæ ad Ephesios, *Joannes Saresberiensis* Carnotensium Episcopus, Epistola 166. ad Cantuariensem Archiepiscopum, *Celestinus III.* Pontifex Maximus Epistola 14. ad Lincolniensem, *Innocentius III.* Sermone 2. De Consecratione Pontificis, *S. Thomas* in Cap. 4. Epistolæ 1. ad Corinthios, ad ista verba: *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus.* Has (inquam) expositiones quatuor dissimulare non debuit Auctor Anonymus, quæ licet conciliari facile possint, quia veræ sunt singulæ, nec veritas repugnat veritati, ex iis tamen compertum est, *S. Petrum* & ejus Successores Romanos Pontifices, non esse præcipua Ecclesiæ fundamenta, quæ firmitatem in Fide & Religione eidem Ecclesiæ vel Synodo Generali ipsam repræsentanti tribuant; sed fundamentum præcipuum & primarium Christum esse; & petram illam super quam Ecclesia fundata est, adversus quam inferi portæ non prævalebunt; Manifestum est (inquam) non a *S. Petro*, & ejus Successoribus Pontificibus Romanis, sed a Christo Ecclesiæ firmitatem & indeficientiam derivari: Ab illo scilicet fundamento, de quo *S. Augustinus* Tractatu 124. in Joannem ait: *Ecclesia fundata est super Petram, unde Petrus nomen accepit. Non enim a Petro Petra, sed Petrus a Petra. Sicut non Christus a*

Sententia Christi, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam &c. quadruplex explicatio a Patribus allata.

** Seu potius alius Auctor Sermonum S. Ambrosio adscriptorum.*

Christiana, sed Christianus a Christo vocatus. Ideo quippe ait Dominus: Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, *quia dixerat Petrus:* Tu es Christus Filius Dei vivi. *Super hanc ergo, inquit, Petram quam confessus es, ædificabo Ecclesiam meam.* Petra enim erat Christus: *Super quod fundamentum etiam ipse ædificatus est Petrus* „ Fundamentum quippe aliud ne„ mo potest ponere, præter id quod positum est, quod „ est Christus Jesus. *Ecclesia ergo quæ fundatur in Christo claves ab eo Regni cælorum accepit in Petro; id est, potestatem ligandi solvendique peccata.* Quam explicationem priori non minus probabilem nisi censuisset *S. Augustinus*, eum hic & alibi non tradidisset, nec utramque lectoris optioni permitteret, Lib. 1. Retractationum Cap. 21. ubi recensens quod Libro contra Epistolam *Donati de S. Petro* dixerat, *In illo tamquam in petra fundatam esse Ecclesiam*, subdit: *Sed scio me postea sæpissime sic exposuisse, quod a Domino dictum est:* „ Tu es Petrus & super hanc Petram ædificabo „ Ecclesiam meam: *ut super hanc intelligatur, quam confessus est Petrus dicens:* Tu es Christus Filius Dei vivi. *Ac si Petrus ab hac Petra appellatus personam Ecclesiæ figuraret, quæ super hanc Petram ædificatur, & accepit claves Regni cælorum. Non enim dictum est illi.* Tu es Petrus, *sed* Tu es Petrus, Petra autem erat Christus, *quem confessus Simon sicut eum tota confitetur Ecclesia, dictus est Petrus. Harum autem duarum sententiarum, quæ sit probabilior, eligat lector.* Illud solum Fundamentum, quod est Christus, supra Ecclesiam esse, *S. Augustinus* sensit de quo ait, Ennarratione in Psalmum 86. *Fundamentum & lapis angularis ipse est ab imo surgens, si tamen ab imo. Etenim origo fundamenti hujus summitatem tenet. Et quemadmodum fundamentum, corporeæ fabricæ in imo est: sic & fundamentum spiritualis fabricæ in summo est. Si ad terram ædificaremur, in imo nobis ponendum erat fundamentum. Quia cælestis fabrica est, & ad cælos præcessit fundamentum nostrum.*

XII. Quod de Ecclesiæ firmitate & indeficientia, ab hoc uno fundamento, quod est Christus Jesus, non a *S. Petro* & Romano Pontifice, pendente dicunt Parisienses Theologi, *Innocentii* III. auctoritate confirmant locum illum, *Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam*, tractantis Sermone 11. de Consecratione Pontificis: *Cum enim, inquit, idem sit ipse fundator & fundamentum Ecclesiæ, profecto portæ inferi non prævalebunt adversus eam, quia fundamentum immobile perseverat, de quo dicit Apostolus:* „ Fundamentum positum est, præter quod aliud poni „ non potest, quod est Christus Jesus . . . . *Fundata erat supra petram, super illam videlicet de qua dicit Apostolus: Petra autem erat Christus.* Idem confirmant auctoritate *S. Thomæ* in Cap. 4. Epistolæ 1. ad Corinthios, duplex fundamentum distinguentis. *Unum quidem quod per se habet soliditatem, sicut rupes aliqua supra quam ædificium construitur. Et huic fundamento Christus comparatur. Ipse enim est petra de qua dicitur Matthæi 6.* Fundamentum enim erat supra firmam petram. *Aliud est fundamentum, quod habet soliditatem non ex se, sed ex alio solido subjecto, sicut lapides qui primo supponuntur petræ solidæ. Et hoc modo dicuntur Apostoli fundamentum Ecclesiæ, quia ipsi primi superædificati sunt Christo per fidem & charitatem. Unde dicitur ad Ephesios 11.* Superædificati supra fundamentum Apostolorum.

Ecclesiæ firmitas & indeficientia seu infallibilitas a Christo immediate derivatur.

XIII. Denique secundum expositionem triginta quinque Patrum & Tractatorum Ecclesiasticorum superius laudatorum, qui nomine Petræ super quam ædificata est Ecclesia Fidem intelligunt, quam *S. Petrus* confessus est, hæc verba: *Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam*, ad fidem *S. Petri* & Ecclesiæ, non ad ejus, aut Successorum Pontificum personam referentur (inquiunt Theologi Parisienses). Hæc *S. Leonis* mens est Sermone 3. de Anniversario Assumptionis suæ ad Pontificatum, in quo Christum sic loquentem inducit: *Quia tu es Petrus, id est, cum ego sim inviolabilis petra, ego lapis angularis, qui facio utraque unum, ego fundamentum, præter quod nemo potest aliud ponere: Tamen tu quoque petra es, qui mea virtute solidaris, ut quæ mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia.* „ Et super hanc „ petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi „ non prævalebunt adversus eam. *Super hanc, inquit, fortitudinem æternum extruam Templum, & Ecclesiæ meæ Cælo inferenda sublimitas in hujus Fidei firmitate consurget. Hanc confessionem portæ inferi non tenebunt, mortis vincula non ligabunt. Vox enim ista, vox vitæ est.* Ea mens *Hadriani I.* in Epistola ad Episcopos Hispaniæ: *Beatus Petrus*, inquit, *solus pro se & pro omnibus, & pro unitate unus, testimonium perhibens Fidei, dicentis:* Tu es Christus Filius Dei vivi: *Qui mox confessionis præmium adeptus, & Cæli janitor, & ligandi solvendique arbiter factus est animarum, statimque Dominus:* „ Et ego dico tibi, tu es „ Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam „ meam: *Super hanc, inquit, petram, quam confessus es, & a qua vocabulo sortitus es dignitatem, super hanc soliditatem Fidei ædificabo Ecclesiam meam, & idcirco portæ inferi, id est Heretici, non prævalebunt adversus eam.* Ea mens *Nicolai I.* Epistola 6. ad Photium scribentis: *Christus supra soliditatem Fidei suam Sanctam dignatus est stabilire Ecclesiam, secundum illius veridicam vocem dicentis: Amen dico tibi, Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Ea mens *Stephani VI.* Epistola 2. *Catholica*, inquit, *Christi & Dei nostri Ecclesia fundata super firmam petram, Apostoli videlicet Petri confessionem, licet plurimis tempestatibus & fluctibus agitatur, nihilominus confirmatur & augetur.* Ea mens *Innocentii II.* in Epistola ad Episcopos Concilii Senonensis: *Testante*, inquit, *Apostolo, Sicut unus Dominus, ita una Fides esse dignoscitur, in qua tamquam in immobili fundamento, præter quod nemo potest aliud ponere, firmitas Ecclesiæ Catholicæ inviolata consistit. Inde est, quod Beatus Petrus Apostolorum Princeps, pro eximia hujus Fidei confessione a Domino ac Salvatore nostro audire meruit:* Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: *Petram utique firmitatem Fidei, & Catholicæ unitatis soliditatem manifeste designans.* Ea mens *Urbani III.* in Epistola ad Archiepiscopos, Episcopos, & Abbates: *Cælestis*, inquit, *altitudo consilii firmam retinens in sui dispositione censuram Sacrosanctam Romanam Ecclesiam, ad cujus regimen sumus, licet insufficientes, assumpti, supra petram Fidei soliditate fundavit, illud ei tribuens Apostolicæ confessionis fortitudine firmamentum, cui nec procella turbinis, nec prævalere possit spiritus tempestatis.* Iste ergo Sedis Apostolicæ Traditio jure merito dici potest, quam confirmat Oratio in Missa Vigiliæ Apostolorum *Petri & Pauli* in Missali Romano præscripta: *Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut nullis nos sinas perturbationibus concuti, quos in Apostolicæ confessionis petra solidasti.* Cum ergo non aliter credat & aliter oret Ecclesia, quia *Legem credendi lex statuit supplicandi*, ut scribit *Cælestinus I.* ad Episcopos Galliæ: Doctrina ejus ac Fides est, Ecclesiam supra confessionem *S. Petri* a Christo fundatam esse, adeoque hæc verba Christi, *Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam*, ad eamdem Fidem, & ad Catholicam Ecclesiam, in qua prædicatur, esse referenda.

Explicationes illius sententiæ Christi Luc. 22. Ego pro te rogavi, Pater, ut non deficiat Fides tua, &c.

XIV. Ad postremum locum ex cap. 22. *S. Lucæ* desumptum, quem affert Anonymus Libertatum Gallicanarum Impugnator, Parisienses Theologi respondent: Quatuor illius explicationes a Patribus & Ecclesiasticis Tractatoribus afferri, intra quas tamen haud recte collimat auctor ille, cœtum Episcoporum, Concilium Generale universalem Ecclesiam repræsentans, facientium, seu ipsam Ecclesiam Catholicam, quæ *Columna est & firmamentum veritatis*, & cui Spiritus Sanctus ex Christi promissione jugiter adsistit, a Romano Pontifice in Fide & Religione confirmari: Cum Ecclesia & Concilium Generale in Fidei Morumque doctrina errare non possint, idque fide sit tenendum; Pontificem autem in Hæresim labi posse, vel Canones ipsi, Pontificesque in suis Decretis supponant. Patrum ergo & Tractatorum Ecclesiasticorum maxima pars Christum orasse tradit pro *S. Petro* perseverantia finali in vera fide, & gratia, ne scilicet Passionis suæ tempore, quo Apostolis gravissime tentatio imminebat, ipseque concutiendus erat & casurus, fidem amitteret, sed ut fide fervere in ipso lapsu, cito resurgeret, fortiorque divina gratia factus, fratres, id est, cæteros Apostolos in fide confirmaret. Idque privilegium esse personale *S. Petri*, quod ad Successores non manaverit, Sic exponunt hunc locum *Tertullianus* lib. De Fuga in Persecutione, cap. 2. *S. Cyprianus* lib. de Oratione Dominica, *S. Hilarius* lib. 6. de Trinitate, *S. Basilius* Homilia 22. De Humilitate, *S. Joannes Chrysostomus* Homilia 83 in Matthæum, *S. Ambrosius* in Psalmum 43. & in cap. 22. Evangelii S. Lucæ, Concilia Carthaginense & Milevitanum in Epistolis Synodicis ad *Innocentium I.* Pontificem Maximum, *S. Augustinus* lib. De Correptione & Gratia, cap. 6. 8. & 12. *S. Cyrillus Alexandrinus* lib. 11. in Joannem, *S. Leo* Sermone 2. in Natali Apostolorum

Petri,

Petri, & Pauli, *Prosper* in Epistola ad Rosinum, *Theodoretus* Oratione de charitate, Venerabilis *Beda*, *Theophylactus*, *Oecumenius*, *Euthymius*, in cap. 22. S. Lucæ, *B. Petrus Damiani* Sermone 27. de SS. Petro, & Paulo, *Drogo* Ostiensis Episcopus, lib. De Sacramento Dominicæ Passionis, *Innocentius Tertius* Sermone 1. de SS. Petro, & Paulo, *Hugo* Cardinalis, *Albertus Magnus*, *S. Thomas*, *S. Bonaventura*: Glossa Interlinearis, *Nicolaus de Lira*, *Dionysius Carthusianus*, Cardinalis *Cajetanus*, *Joannes Major*, *Joannes Arboreus*, *Joannes Benedictus*, *Joannes Gagneus* in c. 22. S. Lucæ, *Dominicus Bannes* Ordinis Prædicatorum doctissimus Theologus, Commentario in Secunda Secundæ *S. Thomæ*, Quæst. 1. Art. 10. Dubio 4. Conclus. 3. &c. Nonnulli hunc locum ad Romanam Ecclesiam flectunt, pro qua Christus oraverit, ut a Fide nusquam deficeret, scilicet *Agatho* Pontifex Maximus in Epistola ad Constantinum Pogonatum Imperatorem, quæ in Synodo 6. Actione 4. lecta & laudata est, *B. Petrus Damiani* Sermone 23. de Nativitate S. Joannis Baptistæ, *S. Thomas* in Expositione Symboli, *Joannes* XXII. in Diplomate Canonizationis *S. Thomæ*, &c. Quidam Sedi S. Petri, sive Sedi Apostolicæ hunc locum accommodant, Christumque pro ea orasse docent, ut a Fide nusquam deficiat; scilicet *Leo IX.* Epistola 5. ad Petrum Antiochenum, *Gregorius Septimus* lib. 2. Epistola 31. & lib. 3. Epistola 18. *S. Bernardus* Epistola 190. ad Innocentium II. *Innocentius Secundus* Epistola ad Concilium Senonense, *Innocentius Tertius* cap. *Majores*, *De Baptismo*, *& ejus effectu*, & Sermone 2. & 3. de Consecratione Romani Pontificis. Alii denique hunc locum de universali Ecclesia & de Concilio Generali ipsam repræsentante interpretantur, pro qua, & pro quo Christus oraverit, ne deficeret fides ejus. Hanc explicationem juvant *Leo Nonus* Epistola 9. ad *Michaelem* Constantinopolitanum Episcopum, *S. Thomas* secunda secundæ, Quæst. 1. Art. 6. dicens, *Universalis Ecclesiæ fidem non posse deficere*, *Domino dicente*, *Lucæ* 23. *Ego pro te rogavi*, *Petre*, *ut non deficiat fides tua*. S. Bonaventura in cap. 22. S. Lucæ, *Thomas Waldensis*, cujus Opus Diplomata Pontificio *Martinus V.* approbavit, Tom. 1. Doctrinalis Fidei Lib. 2. Art. 2. Cap. 19. Eam interpretationem amplectuntur Parisienses Theologi, *Petrus de Alliaco* Cardinalis & Episcopus Cameracensis, Lib. *De Auctoritate Ecclesiæ* P. 3. Cap. 1. & 4. *Gersonius* in Tractatu *De Potestate Ecclesiastica*, Consideratione 4. *Almainus* Lib. *De Auctoritate Ecclesiæ*, Cap. 10. *Cyprianus Benetus* Ordinis Prædicatorum, in Tractatu *De non mutando Paschate*, Fundamento 13. *Franciscus Victoria*, Relectione *De Potestate Papæ & Concilii*, quotquot hodie Parisiis docent Sacræ Facultatis Doctores & Professores. Salvis itaque Juribus Romanæ Ecclesiæ & Sedis Apostolicæ, in qua singulari Christi protectione Fides *S. Petri* illibata hucusque prædicata est, & porro prædicabitur, (ut pie confidimus, precamurque) universalis Ecclesiæ, Conciliique Generalis eam repræsentantis Fidem ex Christi promissione firmitatem & indeficientiam habere asserimus, nec a Romano Pontifice precario illam accipere, sed ab ipso Christo & Spiritu Sancto. Quamobrem debilitate sua concidit Auctoris Anonymi ratiocinium contra Supremam Conciliorum Generalium Auctoritatem ex verbis Christi Lucæ 22. depromptum. Licet enim *S. Petro* dictum sit: *Rogavi pro te*, *ut non deficiat fides tua*, hæc tamen quodam sensu ipsi dicta sunt ut Ecclesiam universam repræsentanti, quam proinde immediatius spectat illa Salvatoris promissio. Unde licet ex hoc loco recte colligeretur non errandi Privilegium Romano Pontifici convenire (quod tamen recte colligi negant Theologi Parisienses, nisi Ecclesiæ consensus accesserit) non sequeretur tamen illud non convenire etiam Ecclesiæ & Concilio Generali eam repræsentanti, immediate ex concessione Christi, & ex adsistentia immediata Spiritus Sancti, independenter a Romano Pontifice: Sicut Claves datæ sunt a Christo *S. Petro* ut Ecclesiæ personam gerenti, & tamen Ecclesiæ datæ sunt immediatius, adeo ut Ecclesiam Claves habere dependenter a *S. Petro* & ejus Successoribus, sano sensu dici non possit.

§. IV.

Primum argumentum ex Controversia de celebratione Paschatis.

Decretu Concilii Constantiensis de Suprema Conciliorum Generalium Auctoritate, Traditioni Patrum, & Ecclesiasticis Regulis consona sunt.

XV. PAtres Œcumenicam Synodum ut Supremum ultimumque Catholicæ Ecclesiæ tribunal agnovisse & habuisse, multa sunt quæ plane persua-

deant ingeniis nullo studio partium, nullo opinionum præjudicio occupatis. Primo, quod in Controversia de celebratione Paschatis ante Nicænam Synodum gestum est. Res sic se habuit. Secundo cadente sæculo, gravis controversia exorta est, eo quod omnes per Asiam Ecclesiæ vetusta quadam Traditione nixæ, quartadecima Luna Pascha celebrarent (quo die, præscriptum erat Judæis ut agnum immolarent) eaque omnino Luna in quemcumque septimanæ diem incidisset, finem jejuniis imponerent; cum tamen reliquæ totius orbis Ecclesiæ, more ex Apostolorum Traditione profecto, Dominica dumtaxat sequente Resurrectionis Christi Solemnitatem peragerent. Frequentes ea de re Synodi convenere in Palæstina, in Ponto, Romæ, in Gallia, „ Quæ uno consensu Ecclesiasticam Regulam universis Fidelibus per Epistolas tradiderunt, ne videlicet ullo alio quam Dominico die Ministerium Resurrectionis Domini umquam celebretur, utque eo dumtaxat die Paschalium Jejuniorum terminum observemus . . . Extat inter alias Epistola Synodi Romanæ: cui Victoris Episcopi nomen præfixum est. „ Ita refert *Eusebius* Lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ Cap. 23. Versionis *Valesii*. Episcopi tamen Asiatici, moram sibi a Majoribus traditum retinendum esse acriter contendebant, quem scripta ad *Victorem* & ad Romanæ Urbis Ecclesiam Epistola *Polycrates* Ephesinus Episcopus vindicavit. Tum *Victor* Pontifex Maximus „ illico omnes Asiæ vicinarumque Provinciarum Ecclesias, tamquam contraria rectæ Fidei sentientes, a communione abscindere conatus est; datisque literis universos, qui illic erant, Fratres proscribit, & ab unitate Ecclesiæ prorsus alienos esse pronuntiat. Verum hæc non omnibus placebant Episcopis. Proinde Victorem ex adverso hortati sunt, ut ea potius sentire vellet, quæ paci & unitati, charitatique erga proximum congruebant. Extant etiamnum eorum literæ, quibus Victorem acerbius perstringunt. Ex quorum numero Irenæus in Epistola quam scripsit nomine Fratrum, quibus præerat in Gallia, illud quidem defendit, solo die Dominico Resurrectionis Domini Mysterium esse celebrandum: Victorem tamen decenter admonet ne integras Dei Ecclesias morem sibi a Majoribus traditum custodientes a communione, abscindat. „ Ita refert *Eusebius* Lib. laudato, Cap. 24. Ex quibus patet, Asiaticos Episcopos *Victoris* Romani Pontificis definitioni ac Decreto, etsi in Synodo Romana condito non cessisse, nec ad cedendum se adstrictos existimasse. Cessissent autem, si Sedem Apostolicam ultimum Ecclesiæ tribunal; & sedentem in ea Pontificem indeficientis Judicii Privilegio absolute & simpliciter donatum a Christo credidissent. Morem autem retinuere suum celebrandi Paschatis ad Nicænam usque Synodum, cujus tandem Decreto de Paschate celebrando die Dominica Lunam decimam quartam proxime sequente, paruerunt Orientales omnes, Syri, Cilices, Mesopotami; quotquot in *Causa Festi claudicabant*, ut loquitur *S. Athanasius* Epistola de Synodis Arimini & Seleuciæ. Quid ita? Quia *omnium consensu controversia de ea re suscepta prudenter & commode sedata est* in Concilio Œcumenico, ut habet Epistola Synodica ipsius Concilii Nicæni ad Alexandrinam Ecclesiam, apud *Theodoretum* Lib. 1. Historiæ Ecclesiasticæ, Cap. 2. Persuasum itaque habuerunt Asiatici, & quotquot in celebratione Paschatis a Romana cæterisque Ecclesiis dissentiebant, Concilium Œcumenicum supremum & ultimum esse Tribunal, in quo Religionis controversiæ finirentur. Unde ex tunc inter Hæreticos numerati sunt, eorumque nomen execrata Ecclesia est, qui pertinaciter morem illum celebrandi Pascha Luna 14. in quamcumque diem incideret, nihilominus retinebant, ut constat ex SS. *Epiphanio*, *Augustino*, & *Theodoreto*, in libris quos de hæresibus scripsere, ubi de Quartodecimanis, & Audianis agunt.

Secundum argumentum ex quæstione de Baptismo Hæreticorum.

XVI. Idem demonstratur ex iis quæ gesta sunt in Quæstione de Baptismo Hæreticorum, sæculo tertio. Baptismum ab Hæreticis collatum cum abdicasset *Agrippinus* Carthaginensis Episcopus cum Africana Synodo, & ab iis ad Ecclesiam venientes baptizandos sanxisset, error ille altas in Africa radices egit, indeque in Orientem propagatus, Conciliis etiam Iconiensi & Synadensi firmatus est, & magni nominis viros sanctitate & doctrina insignes, *Firmilianum* præsertim Cæsareæ in Cappadocia Episcopum, & *Dionysium Alexandrinum*, propugnatores habuit. Eumdem errorem *S. Cyprianus* Carthaginensis Episcopus Africæ Primas, cum omnibus Coepiscopis suis fortiter defendit, & tribus Conciliis celebratis stabilivit, doctrinam Catholicam, & Scriptoris Sacris consonam esse falso persuasus. *Stephanus*

I. Pontifex Maximus pro muneris Apostolici ratione, novam perniciosamque doctrinam damnavit, intentato illius Defensoribus Anathemate, sanxitque, *Nihil novandum, nisi quod traditum est*, ut idem *S. Cyprianus* in Epistola ad *Pompejum*, & *Vincentius Lirinensis* in Commonitorio Cap. 9. testantur, Quid inde? Nec Africani Episcopi, & *S. Cyprianus* inprimis, neque Cappadoces cum *S. Firmiliano*, neque cum *S. Dyonisio Alexandrino* Ægyptii Auctoritati ac Definitioni *Stephani* Romani Pontificis cesserunt, ac errorem ab ipso damnatum deposuerunt, Ipsummet errare arbitrati. Unde *S. Cyprianus* Epist. 74. ad *Pompeium* scribebat: „ Quia desiderasti in notitiam tuam perferri quid mihi ad literas nostras Stephanus frater noster rescripserit, misi tibi Rescripti ejus axemplum, quo lecto, magis ac magis ejus errorem denotabis, qui Hæreticorum causam contra Christianos, & contra Ecclesiam Dei asserere conatur . . . Inter cætera vel superba, vel ad rem non pertinentia vel sibi ipsi contraria, quæ imperite atque improvida scripsit, etiam illud adjunxit, ut diceret: Si quis argo a quacumque Hæresi vendrit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in pœnitentiam. „ Non censabant scilicet *S. Cyprianus* & Africani Episcopi, *S. Dionysias* Alexandrinus, *S. Firmilianus* & alii, indeficientis judicii Privilegium Romano Pontifici a Christo esse collatum, qui tamen Plenarii seu Generalis Concilii Auctoritati cessissent, si quod iis temporibus celebratum esset, in quo ista de Baptismo Hæteticorum dirempta fuisset controversia, ut sæpius inculcat *S. Augastinus* contra Donatistas scribens. Plenarium itaque seu Genarale totius Ecclasiæ Concilium, non solam Sedem Apostolicam, ut supremum ac ultimum Ecelesiæ tribunal agnoscebant: Alioqui non magis illius quam istius judicio cessuros *S. Augustinas* dixisset. Nec ob aliam rationem Ecclesiæ communione frui permissi sunt, nec Hæreseos damnati fuere, quam quod nullum celebratum fuerat Plenarium totius orbia Christiani Concilium, in quo eliquata veritas firmaretur, ut idem inculcat *S. Augustinus*, S. Cyprianum & Africanos Episcopos excusans. Absolutis vero Magistris, erroris damnati sunt Discipuli, scilicet Donatistæ, atque ut Hæretici habiti ac proscripti sunt ab Ecclesia universa, quia Plenarium Concilium Baptismum ab Hæreticis collutum approbavit, ratumque ac legitimum esse sanxit, & ab Hæresi ad Catholicam Ecclesiam venientes, si Baptismo verbis Evangelicis consecrato tincti essent, non esse baptizandos, sed manus impositione recipiendos. Qui vero sic ratiocinatur *S. Augustinus*, qui *S. Stephani* I. Pontificis Maximi Decretum ne semel quidem Donatistis objicit, qui nusquam ipsis improperat quod post Romani Pontificis supremum, ultimum, indeficiens judicium, in errora pertinaciter maneant, sed quod Plenatii Concilii, quod universalis Ecclesiæ Auctoritati non cedant, ille censet Concilii Generalis & universalis Ecclesiæ, non Romani Pontificis tribunal, supremum, ultimum, ac indeficiens esse, ad quod Religionis controversiæ deferantur, ejus judicio finiendæ. *S. Augustini* loca exhibeo.

Lib. 1. Da Baptismo contra Donatistas, Cap. 7. „ Jam ne videar humanis argumentis agere, quoniam Quæstionis hujus obscuritas prioribus Ecclasiæ temporibus ante Schisma Donati magnos viros, & magna charitate præditos, Patres Episcopos, ita inter se compulit salva pace disceptare atque fluctuare, ut diu Conciliorum in suis quibusque regionibus diversa Statuta nutaverint, donec Plenario totius orbis Concilio, quod saluberrime sentiebatur, etiam remotis dubitationibus firmaretur.

Ejusdem Libri Cap. 18. „ De Baptismi ergo quæstione jam, quantum urbitror, satis disserui, & quia hoc manifestissimum Schisma est, quod Donatistarum nomine nuncupatur, restat, ut hoc de Baptisma pie credamus, quod universa Ecclesia a sacrilegio Schismatis remotu custodit: In qua tamen si aliud alii & aliud alii adhuc de ista quæstione salva pace sentirent, donec Universali Concilio unum aliquid eliquatum sincerumque placuisset, humanæ infirmitatis arrorem cooperirat charitas unitatis.

Lib. 2. Cap. 4. „ Sanctus Cyprianus satis ostendit, facillime sa correcturum fuisse sententiam suam, si quis ei demonstraret Baptismum Christi sic dari posse ab eis, qui foras exierunt, quemadmodum amitti non potuit, cum foras exirent: Unda multa jam diximus, nec nos ipsi tale aliquid auderemus asserere, nisi universæ Ecclesiæ concordissima Auctoritate firmati, cui & ipse sina dubio cederet, si jam illo tempore quæstionis hujus veritas eliquata & declarata per Plenarium Concilium solidaretur. Si enim Petrum laudat & prædicat, ab uno posteriore Collega patienter concorditerque correctum, quanto citius ipse, cum Concilio Provinciæ suæ, universi orbis Auctoritati, patefacta veritute, cessisset.

Et Cap. 7. „ Nolita ergo nobis Auctoritatem objicere Cypriani ad Baptismi repetitionem, sed teneta nobiscum exemplum Cypriani ad unitatis conservationem. Nondum enim erat diligenter illa Baptismi quæstio pertractata . . . Sic diligentius inquisita veritas docuit quæ post magnos dubitationis fluctus ad Plenarii Concilii confirmationem perducta est.

Cap. 9. „ Cyprianus hac attestatione satis osteodit, multo magis se fuisse commemoraturum, si quod de hac re Transmarinum vel universale Concilium factum esset. Nondum autem factum arat, quia consuetudinis robore tanebatur orbis terrarum, & hæc sola opponebatur inducere volentibus novitatem, quia non poterant apprehendere varitatem. Postea tamen dum inter multos ea utraque parte tractatur, & quæritur, non solum inventa est, sed etiam ad Plenarii Concilii Auctoritatem roburque perducta, post Cypriani quidem passionem, sed antequam nos nati essemus. Hanc autem fuisse consuetudinem Ecclesiæ, quæ postea multis discussis ambagibus, perspecta veritate, Plenario Concilio confirmata est, satis ostenditur.

Cap. 15. „ Fuit aliquando de Baptismo dubitatio: Qui diversa senserunt, in unitate manserunt. Ea dubitatio procedente tempore, perspecta veritate, sublata est. Quæstio quæ nondum finita Cyprianum non deterruit, ut recederet, vos finita ut redeatis, *invitat*.

Quæstio finita non arat *S. Cypriani* tempore, quia nondum per Plenarium Concilium dubitatio sublata erat & perspecta veritas; posteriori tempore finita est, quia per Concilium Plenarium judicata.

Lib. 4. Cap. 6. ait, Si minus aliquid da obscurissima Quæstione *S. Cypriano* revelatum est, ut magnitudo charitatis ejus, qua unitatem non daseruit, probaretur, non ideo quemquam tantis ejus meritis virtutum & tantæ copiæ gratiarum, debere se audere præponere, „ Quia Universalis Concilii firmitate admonitus videt aliquid quod ille non vidit, quia plenarium de hac re Concilium nondum habebat Ecclesia.

Lib. 5. Cap. 17. Majus in *S. Cypriano* Robur virtutis eminuisse, ait, „ Cum ista Quæstio nondum discussa nutaret, quod aliter sentiens, quam multi Collegæ tantam moderationem obtinuit, ut Ecclesiæ Dei Sanctam Societatem nulla Schismatis labe truncaret. . . . Neque illius huic sententiæ, in qua ei visum est aliter suscipiendos ab Hæreticis venientes, quam vel in præteritum suscipiebantur, sicut ipse testatur, vel nunc suscipiuntur: sicut totius orbis Christiani Plenario Concilio rationabilis consuetudo firmata est, meam præpono sententiam, sed Ecclesiæ Sanctæ Catholicæ, cujus universitatis ipse non fuit, sed in ejus universitata permansit. „ Similia babet Lib. 6. Cap. 2. 7. 8. 13. 35. & Lib. 7. Cap. 1.

XVII. Idem suadetur ex iis quæ idem *S. Augustinus* habet de causa *Ceciliani* Carthaginensis Episcopi, cujus occasione Schisma fecerant Donatistæ ipsius Ordinationem accusantes quasi a Traditoribus Sacrarum Scripturarum peracta esset. Absolutus fuerat *Cecilianus*, Donatistæ damnati, tum in Romana Synodo, Præside *Melchiade* Pontifice Maximo, cum in Concilio Arelatensi 1. nec ideo tamen a Schismate & insectatione *Ceciliani* cessabant, effutientes, quod improbis litigatoribus solemne est, cum causa ceciderunt, se malos judices passos esse. Quid ad hæc *S. Augustinus*? Urgat-ne *Melchiadis* Romani Pontificis Judicium peremptorium fuisse, quod retractare nefas esset? Nequaquam, sed potuisse Donatistas plenarium Concilium adire reponit, ibique ostendere *Melchiadem* & Coepiscopos mala judicasse, ut eorum sententia rescinderetur, Hoc nempe tribunal superfuisse. Quod cum non fecerint, nulla illis superest conquerendi ratio. Verba *S. Augustini* subjicio Epistola ad *Glorium*, *Elusium* & alios centesima sexagesima secunda, „ Sed postquam ipsis rebus experti sunt cum Ceciliano permanere communionem orbis terrarum, & ad eum a Transmarinis Ecclesiis communicatorias literas mitti, non ad illum quem sibi scelerate ordinaverant, puduit eos semper tacere, quia posset eis objici cur paterentur ignaram per tot gentes Ecclesiam communicare damnatis, & cur se ipsi ab innocentis orbis terrarum communione præciderent, elegerunt, sicut dicitur, ad duas fraudes agere causam cum Ceciliano apud Ecclesias Transmarinas, parati ad utrumque, ut si eum potuissent quacumque ver-

Tertium argumentum ex causa Ceciliani.

„ sutia

„ sutia falsæ criminationis evincere, satiarent plenissime cupiditatem suam; si autem non possent, in eadem quidem perversitate durarent, sed jom tamen quasi haberent quod dicerent malos Judices se esse perpessos, quæ vox est omnium molorum litigatorum, cum fuerint etiam manifestissima veritate superati: quasi non eis ad hoc dici posset & justissime dici: Ecce putemus illos Episcopos qai Romæ judicarunt, non bonos Judices fuisse; restobat adhunc Plenarium Ecclesiæ universalis Concilium, ubi etiam cum ipsis Judicibus causa posset agitari, ut si mole judicasse convicti essent, eorum Sententiæ solverentur; Quod utrum fecerint, probent: Nos enim non factum esse facile probamus ex eo quod totus orbis non eis communicat: Aut si factum est, etiam ibi sunt victi, quod ipsa eoram separatio manifestat „. Ex his meridiana luce clarius probatur *S. Augustinum* agnovisse *Plenarium Ecclesiæ universalis Concilium* non Romanam Synodum Præside *Melchiade* Romano Pontifice in causa *Ceciliani* celebratam, supremum esse & ultimum totius Ecclesiæ tribunal; Alioqui vere non dixisset ac sincere: *Restabat adhuc Plenarium Ecclesiæ universalis Concilium, &c.*

Quartum argumentum ex causa Apiarii.

XVIII. Idem probatur ex iis quæ gesta sunt in causa *Apiarii* Presbyteri ab Episcopis Africanis, tempore *S. Augustini & Zosimi, Bonifacii, Celestini I.* Pontificum Maximorum. Gradu & communione submotus *Apiarius* ab Africana Synodo, ad Sedem Apustolicam confugit, obtinuitque a *Zosimo* ut *Faustinus* Episcopus in Africam Legatus a latere mitteretur, causæ cognitionem suscepturus, cum duobus Presbyteris Legationis sociis. In Synodo Africana, cui interfuit, de Appellationibus ad Romonam Sedem actum, & utrum Nicænis Canonibus niterentur, quos *Zosimus* allegaverot, Sardicenses intelligens, quæsitum est. Frustra laboravit *Faustinus* a *Celestino* iterum missus ut decretam a Summo Pontifice *Apiarii* restitutionem exequeretur. In Synodo namque, præsente ipso *Faustino*, propria confessione convictus est criminum, ob quæ fuerat ab Episcopo Siccensi depositus. Africani Patres, quorum unus erat *S. Augustinus*, Epistolam ad *Celestinum I.* scripsere, qua rei gestæ seriem exponentes, & de *Faustino* vehementer conquesti, Summum Pontificem rogarunt, ne ab ipsis excommunicatos in Communionem ultra acciperet: Deinde nu Presbyterorum & inferioram Clericorum Appellationes admitteret, quia nullo Concilio id Ecclesiæ derogatum erat Africanæ; immo Nicænis Canonibus repugnabat. Tertio, ne Legatos a Latere mitteret in Africam ad exeqoendum Sententias Romæ latas, quia nulla Synodo id constitutum inveniebatur. Quæ enim allegata erant per *Faustinum* Concilii Nicæni Decreta, id non habere, ut constabat ex aathenticis exemplaribus Nicænorum Canonum a *Cyrillo* Alexandrino & *Attico* Constantinopolitano Antistite in Africom missis. „ Impendio deprecamur, ut deinceps ad vestras aures hinc venientes non facilius admittatis, nec a nobis excommunicatos in communionem ultra velitis accipere, quia hoc etiam Nicæno Concilio definitum facile advertit Venerabilitas tua. Nam etsi de inferioribus Clericis vel Laicis videtur ibi præcaveri, quanto magis hoc de Episcopis voluit observari, ne in suo Provincia communione suspensi, a tua Sanctitate vel festinato, vel præpropere, vel indebite videantur communinni restitui? Presbyterorum quoque & sequentium Clericorum improba refugia, sicut Te dignum est, repellat Sanctitas tua: Quio & nulla Patrum definitione hoc Ecclesiæ derogatum est Africanæ, & Decreta Nicæna sive inferioris ordinis Clericos, sive ipsos Episcopos, Metropolitanis suis apertissime commiserunt, &c. *Et infra:* Nam ut aliqai tamquam a tuæ Sanctitatis Latere mittantur, nulla invenimus Patrum Synodo constitutum. Ex quibus apparet, *S. Augustinum* & Africanos Episcopos agnovisse Pontificiæ Potestatis usum secundum Canones esse moderandum; Romanum Pontificem Canonibus Nicænis teneri; Concilii Generalis Auctoritatem superiorem esse Pontificia: Siquidem Concilii Generalis Decretis cedere perati erant, si ordinem illam Judiciotam ab ipso constitutum novissent: Romani vero Pontificis Mandato novum ordinem Judiciorum, Africanæ Ecclesiæ Ignotum ejusque moribus repugnantem, invehere volentis, cedere se debere non senserunt.

Argumenti ex Epistola Siricii ad Anysium petitis infirmitas.

XIX. Ante *S. Augustinum* landandus erat *Siricius* Pontifex Moximus, ex cujus Epistola ad *Anysium* Thessalonicensem Episcopum, & cæteros Episcopos Illyrici de causa *Bonosi* Episcopi hæretici, quam Synodus Capuana eidem *Anysio* & Macedonibus Episcopis commisserat, colligunt *Almainus*, & post eum recentiores Auctores, Concilium esse supra Pontificem. Quid ita? Quia *Siricius* judicare sibi non licere, quasi ex Synodi auctoritate profitetur. *Ideo*, inquit, *primum est ut ii judicent, quibus judicandi facultas est data. Vos enim totius, ut scripsimus, Synadi vice decernitis, nos quasi ex Synodi auctoritate judicare non convenit.* Verum hoc argumentum prætermisi lubens, quod certu nihil probat, quia nimis probat. Si enim alicujus esset momenti, conficeret non Generale tantum, sed nationale Concilium, quale Capuanum erat, esse Romano Pontifice superius, nec solum istius Concilii, sed delegotorum ab eo Judicum auctoritatem esse supra Pontificiam, quod nusquam admisero, nec (ut arbitror) salva Primatus Pontificii divino jure instituti confessione admitti potest. Quomodo vero sit intelligendus hic locus, olim exposui Dissertatione 27. in Historiam Ecclesiasticam Sæculi 4. Propositione 3. in Responsione ad objectionem septimam, quam lector, si lubet, consulat.

Quintum argumentum ex Actis in causa Nestorii & Ephesino Concilio.

XX. Luculentius probant Parisienses Theologi, Concilium Oecumenicum Supremum esse & ultimum Ecclesiæ tribanal, adeoque Romano Pontifice superius ex iis quæ in causa *Nestarii* gesta sunt, & ex Actis Ephesini Concilii. Res ita se habet. Cum *Nestorius* Constantinopolitanus Episcopus hæresim prædicasset, *Celestinus I.* Pontifea Maximus a *S. Cyrillo Alexandrino* admonitus, acceptisque ipsius *Nestorii* literis & quaternionibus hæresim continentibus, Romæ celebravit Synodum, in qua excommunicationis & depositionis Sententia in illum Hæresiarcham lata est, nisi intra decimam a denuntiatione diem, errores suos *aperta & scripta confessione* damnarot. *Sancta Cyrillo Alexandrino* vices suas ad execotionem Sententiæ demandavit *Celestinus*. Convocavit ille Synodum Alexandrinam ex tota Ægypti Diœcesi, ipso anno 430. Synodica missa ad *Nestorium* est cum *Celestini* Pontificis literis. Denuntiata ipsi *Celestini* Sententia, præscripta errorum ejuratio, fidei professio, imperata denique subscriptio 12. Anathematismia a *Cyrillo* editis. Non paruit *Nestorius* in erroribas pertinax: Quamobrem Œcumenicam Synodum congregare operæ pretium fuit; hanc indixit *Theodosius Augustus* Ephesi celebrandam. Anno 431. celebrata est. In eo retractata est *Nestorii* causa, licet a *Celestino* & Synodo Romona domnati, tum ab Alexandrina Præside *Cyrillo* Romani Pontificis hac in causa Vicario & Legato. Actione 1. Canonice vocatur ad Sanctæ Synodi tribunal; *Religiosissimus & Reverendissimus Episcopus Nestorius*, non secus ac alii Antistites, a Patribus appellatar; Lecla ejus Epistola, qua audita Patres Hæreticum *Nestorium* conclamarunt, ipsique Anathema sunt imprecati: *Quicumque Nestorium non anathematizat, Anathema sit: Hunc recta fides anathematizat: Hunc Sancta Synodus anathematizat. Omnes Nestorii Epistolam & dogmata anathematizamus; Omnes Hæreticum Nestorium anathematizamus.* Lecta deinde Excerpta ex ejus Commentariis & quaternionibus; in Sermones, quos Ephesi habuerat, inquisitam est. Tandem probatis ejus blasphemiis & contumacia legitimorum documentorum fide, Synodus in eam Sententiam tulit his verbis. *Dominus noster Jesus Christus, quem suis ille blasphemis vocibus impetivit, per sanctissimam hanc Synodum eumdem Nestorium Episcopali Dignitate privatum, & ab universa Sacerdotum consortio & cœtu alienum esse decrevit.* Ex his porro evidens est, Œcumenicam Synodum supremum esse ac ultimum Ecclesiæ tribunal, ad quod causæ Fidei & Religionis, post Romani etiam Pontificis Judiciam & Sententiam, deferuntur, in eoque retractantar, ac examinantur perinde ac si a Summo Pontifice judicatæ non essent, ac tandem ita finiuntur, at deinceps retractari non possint.

Sextum argumentum ex causa Eutychetis & Actis Chalcedonensis Concilii.

XXI. Idem demonstratur ex iis quæ gesta sunt in causa *Eutychetis*, & ex actis Chalcedonensis Synodi. *Flavianus* Constantinopolitanus Episcopus *Eutychetis* hæresim, ejusque personam in Concillo suo damnaverat: *Flaviani* Jadicium confirmaverat *S. Leo* Pontifex Maximus; novam hæresim confoderat celeberrima illa ad *Flavianum* Epistola, *Dioscorus* Alexandrinus Patriarcha *Eutychetis* patrocinium suscepit, & *Chrysapii* Eunuchi favore a *Theodosio* Augusto impetravit ut secunda Synodus Ephesina convocaretur, in qua lata contra *Eutychetem* Constantinopoli Romæque Judicia revocarentur ad examen. Annuit *S. Leo*, misit Legatos, scripsitque ad Synodum in hæc verba:

Verum

Verum quia etiam talium non est negligenda curatio, & pie ac religiose Christianissimus Imperator haberi voluit Episcopale Concilium, ut Pleniore Judicio omnis possit error aboleri: Fratres nostros Julium Episcopum, Renatum Presbyterum, filium meum Hilarium Diaconum, cumque his Dulcitium Notarium probatæ nobis fidei, misi: Qui vice mea sancto Conventui vestræ fraternitatis intersint, & communi vobiscum sententia quæ Domino sint placita constituant. Hoc est, ut primitus pestifero errore damnato, etiam de ipsius, qui imprudenter erravit, restitutione tractetur: Si tamen doctrinam veritatis amplectens, sensus hæreticos, quibus imperitia ejus fuerat irretita, plene aperteque propria voce & subscriptione damnaverit. Quamvis rem Synodali non indigere tractatu S. Leo censeret, annuit tamen ut celebraretur Synodus, in qua pleniore judicio posset error aboleri. Majorem itaque Synodi Generalis Auctoritatem esse persuasum habebat, quam Pontificiam. Quis enim ad inferius tribunal causam deferens aut deferri permittens, id se facere aut permittere dixerit, ut quod a superiori Judice decretorio Judicio pronuntiatum est, pleniore judicio tractetur, & validius ac efficacius opprimatur iniquitas?

XXI. Cum vero Chrysaphii malis artibus ac potentia, nec-non Dioscori tyrannide, Ephesina illa Synodus in apertum Latrocinium evasisset, in quo violata Romani Pontificis Majestas, omnis Judiciorum ordo subversus, Eutyches absolutus, Flavianus damnatus, S. Leo Synodum legitimam a Theodosio Augusto congregari rogavit: Utque interim omnia in eo statu manere juberet in quo fuerant ante omne Judicium, donec major ex toto orbe Sacerdotum numerus congregaretur, Synodum esse necessariam scripsit ut fidei consuleretur & unitati, maxime cum Flavianus appellasset. Id constat ex Epistola 25. seu 40. Editionis P. Quenellii ad Theodosium Augustum: Cui Sacramento, inquit, quia impie nunc a paucis imprudentibus obviatur, omnes partium nostrarum Ecclesiæ, omnes Mansuetudini vestræ cum gemitibus & lacrymis supplicant Sacerdotes, ut quia & nostri fideliter reclamarunt, & eisdem libellum Appellationis Flavianus Episcopus dedit, Generalem Synodum jubeatis intra Italiam celebrari, quæ omnes offensiones aut repellat aut mitiget, ne aliquid ultra sit vel in fide dubium, vel in charitate divisum... Quam autem post Appellationem interpositam hoc necessario postuletur, Canonum Nicææ habitorum Decreta testantur, quæ a totius Mundi sunt Sacerdotibus constituta, quæque subter annexa sunt. Sardicenses Canones Nicænorum nomine adornat. Scripsit ea de re & ad Pulcheriam Augustam, rogans ut Concilium a Theodosio Imperatore impetraret, Quo diligentius universa, quæ offensionem generaverant, retractarentur, omnibus querelis & præjudiciis partis utriusque interim suspensis. An vero necesse fuisset Synodum Oecumenicam congregari, ne aliquid ultra esset in fide dubium? an id tam enixe postulasset ab Imperatore S. Leo, nisi plane persuasum habuisset, Concilium Generale supremum esse & ultimum Ecclesiæ tribunal? Enimvero, si & ipse, & Ecclesia cum ipso universa sensisset Romanum Pontificem absolute esse supra Concilium Generale, ita ut nullum supra se Judicem in terris agnoscat, satis habuisset rescindere omnia quæ in Ephesino Latrocinio gesta erant, Flavianum restituere, damnare Dioscorum, damnationem Eutychetis aggravare & confirmare: Quæ longe facilior & compendiosior via fuisset. Ejus enimvero Sententiam omnes Ecclesiæ ultro suscepissent ac executioni mandassent: siquidem in ea fuissent opinione, Sedem Apostolicam ultimum esse totius Ecclesiæ tribunal, & Summi Pontificis irretractabile esse Judicium non accedente Ecclesiæ consensu.

XXII. Synodum, quam S. Leo postulabat, non concessit Theodosius, sed Martianus Augustus, qui ipsi in Imperium successit, eam congregavit Chalcedonem, consentiente S. Leone, qui & Legatos ad eam misit, & per eos Concilio præfuit: In illo ejusdem S. Leonis Epistola ad Flavianum examinata est, & cum Symbolis Niceno & Constantinopolitano, nec-non cum S. Cyrilli Synodicis Epistolis collata, ut palam fieret omnibus, an cum ipsis in doctrina & positione fidei consentiret. Rem ita se habere cum agnoscerent Patres, laudatam Epistolam summo consensu approbarunt ac susceperunt, ut S. Petri confessioni congruentem, & communem quamdam columnam existentem adversus perverse sentientes ad confirmationem rectorum Dogmatum. Et secundum illam, Eutychianam hæresim Synodus damnavit, & Fidei Definitionem edidit. An quæso, Chalcedonensis Concilii Patres S. Leonis Epistolam examinassent? An causam Eutychetis tanto studio retractassent? Id ne passi essent ipsius Leonis Legati, qui Synodo præerant, nisi una hæc omnium fuisset sententia, Synodum Oecumenicam non Apostolicam Sedem, Supremum & ultimum esse totius Ecclesiæ tribunal & Romani Pontificis Judicia posse a Concilio Generali retractari? Id S. Leo postea professus est Epist. 63. seu 93. Editionis P. Quenellii ad Theodoretum Episcopum Cyri, ut alias observavi. Gloriamur, inquit, in Domino qui nullum nos in nostris fratribus detrimentum sustinere permisit, sed quæ nostro prius ministerio Dominus definierat, universæ fraternitatis irretractabili firmavit assensu: Ut vere a se prodiisse ostenderet, quod prius a prima omnium Sede formatum, totius Christiani orbis Judicium recepisset: Ut in hoc quoque Capiti membra concordent. Concilii ergo Œcumenici, non Romani Pontificis Judicium irretractabile censet S. Leo & Sedis Apostolicæ Judicium Auctoritate Synodi Generalis firmari, adeoque Concilium esse ipso Pontifice superius.

Septimum argumentum ex causa trium Capitulorum, & quinta Synodo.

XXIII. Idem confirmatur ex iis quæ in causa trium Capitulorum, & in Quinta Synodo gesta sunt. Anno 553. Synodus Constantinopoli congregata est a Justiniano Imperatore in causa Trium Capitulorum, Eutychio Constantinopolitano Patriarcha Præside, cum Vigilius Pontifex Maximus Constantinopoli nunc existens, adesse Concilio ac præsidere recusasset, atque ad vitandas insidias, ob improbatum Justiniani de Trium Capitulorum damnatione Edictum, sibi structas, Chalcedonem secessisset. Coacta Synodus Ipsum honorifica Legatione convenit Eutychii Constantinopolitani & aliorum Patriarcharum, & sexdecim Metropolitanorum, quibus Patricios Imperator adjunxit. Ab his semel, iterumque interpellatus Vigilius, ut causam Trium Capitulorum cum cæteris Episcopis disceptare vellet, quemadmodum suis literis Eutychio pollicitus erat: respondit, se intra dierum aliquot spatium, quid sibi de controversia videretur, ad Imperatorem scripto transmissurum, quod statim, ob ægritudinem, præstare non poterat. Post dies viginti, pridie scilicet Idus Maji, Constitutum suum ad Justinianum dedit, quo suam de Tribus Capitulis copiose declarat sententiam. Theodori Mopsuesteni Capitula configit, ac errores, sed ejus nomini personæque parcit, nemini licere asserens, secundum Sedis Apostolicæ Decreta „ Noviter aliquid de „ mortuorum judicare personis: sed in hoc statu relin„ qui, in quo unumquemque dies supremus invenit. „ Statuit ac decernit, Nihil injuriam atque obtrecta„ tionem probatissimi in Calcedonensi Synodo viri Theo„ doreti Episcopi Cyri, sub taxatione nominis ejus a „ quoquam fieri, vel proferri; sed custodita in omni„ bus personæ ejus reverentia, quæcumque scripta vel „ dogmata, ejus & cujuslibet nomine prolata, Nestorii „ atque Eutychetis manifestantur erroribus consonare, „ anathematizat atque damnat. Declarat Chalcedonen„ sis Concilii Patres, Ex verbis Epistolæ viri venerabilis „ Ibæ rectissimo ac piissimo intellectu perspectis, & ex „ Gestis apud Photium & Eustathium habitis, & ex ipsius „ Ibæ Episcopi præsentis a præsentibus intentione discus„ sa, justissime orthodoxam ejus pronuntiasse Fidem: „ Quamobrem statuit ac decernit, Cum in omnibus, tum „ in Venerabilis Ibæ Epistola, intemeratum Patrum „ Chalcedonensium manere Judicium. Statuit tandem „ ac decernit, Nulli ad Ordines & Dignitates Ecclesia„ sticas pertinenti licere quidquam huic de tribus Capitu„ lis Constituto contrarium conscribere, proferre, com„ ponere, vel docere, aut aliquam post præsentem De„ finitionem movere ulterius quæstionem. Nihilominus „ Quinta Synodus Tria Capitula damnavit. Inprimis Ana„ themate confixit eos qui defenderent, Impium Theodo„ rum Mopsuestenum, & impia ejus Conscripta: Dein„ de eos qui defenderent impia Theodoreti Scripta, quæ „ contra rectam Fidem, & contra sanctam Ephesinam „ Synodum, & S. Cyrillum, & 12. ejus Capitula expo„ suit, & omnia quæ conscripsit pro Theodoro & Nesto„ rio: Eos tandem qui defenderint Impiam Epistolam, „ quam dicitur Ibas ad Marin Persam Hæreticum scri„ psisse, & non anathematizant eam, & defensores ejus, „ & eos qui dicunt eam rectam esse vel partem ejus, & „ eos qui scripserunt vel scribunt pro ea, vel pro impie„ tate quæ in ea continetur, & præsumunt eam defen„ dere, vel insertam ei impietatem, nomine SS. Patrum, „ vel Sancti Chalcedonensis Concilii „. Si persuasum fuisset Quintæ Synodi Patribus, Romani Pontificis, non vero Concilii Generalis tribunal, esse supremum & ultimum tribunal totius Ecclesiæ Catholicæ, ejusdemque Pontificis Judicium de quæstionibus Religionis esse irretractabile, Vigilii Constitutum de Tribus Capitulis amplexi essent: Quod tantum abest ut fecerint, ut potius Definitiones Constituto plane contrarias ediderint, Capitulaque damnaverint; quæ illæsa & intacta esse volebat,

bat, & a qeovis damnari prohibuerat. Præterea, si *Vigilius*, & qui Sententium ipsius de Tribus Capitulis sequebantur, Occidantales Episcopi, Summum Pontificem absolete & simpliciter esse supra Concilia Generalia, ita ut nullum in terris Judicem supra se agnoscat, sensissent, eam attulissent rationem contra Quintam Synodum. Eam usurpasse Judicium controversiæ a Sammo Pontifice decretoria Sententia finitæ conclamassent: Ab ipsa temere attentatam Trium Capitulorum damnationem contra *Constitutum* Pontificium, cui parere deberet, utpote Summo Pontifice inferior, suamque ab eo Auctoritatem emendicans. At neque *Vigilio*, nec Africanis, & Istriæ Episcopis, qui asqae ad Schisma Tria Capitula defenderunt, & Quintam Synodum rejecerunt & impugnarunt, id venit in mentem, ut constat ex Scriptis *Facundi* Hermianensis Episcopi pro Trium Capitalorum defensione, & ex Epistola *Pelagii II.* Pontificis Maximi ad *Eliam* Aquilejensem, & alios Episcopos Istriæ, qua eorum objectionibus adversus Trium Capitulorum damnationem respondet. Sane eum Quintæ Synodi Judicium tandem amplexus sit & confirmaverit *Vigilius*, Tria impia Capitula pariter damnaverit, omnes, qui rectam fidem servantes a quatuor Synodis Œcumenicis prædicatam, ipsa damnaverunt vel damnabant, *Fratres & Consacerdotes esse* definiverit datis ad *Eutychium* Patriarcham literis; agnovit Concilium nihil sibi temere arrogasse, nec indebitam auctoritatem usurpasse, cum Trium Capitulorum damnationem contia ejus *Constitutam* definivit. Agnovit itaque illius & cujusvis Concilii Generalis Auctoritatem sua suisse & esse saperiorem. Agnoverunt cam ipse, tem adhærentes ei Præsules, se in Trium Capitulorum defensione errasse: *Errorem tandem cognoverunt* (inquit *Pelagius II.*) erroremque illum suum recte ab Œcumenica Synodo fuisse correctum. Unde cognita veritate sententiam mutarunt, *S. Petrum* imitati, qui a *S. Paulo* reprehensus, priorem de jugo Circumcisionis Gentibus ad Ecclesiam venientibus imponendo sententiam abdicavit.

Argumentum 8. ex S. Gregorio Magno.

XXIV. Conciliorum Generalium Auctoritatem magnificis verbis extolit *S. Gregorius Magnus* lib. 1. Epistola 24. ad Joannem Constantinopolitanum Patriarcham, omnesque eorum Decretis teneri profitetur, nec ipsos Romanos Pontifices excipiens, quia, inquit, *fuat universali consensu constituta*. Proinde se, non illa destruere, qaisqais præsumit solvere quos ligant, aat ligare quos solvunt: & omnes contrarium sapientes anathemate percellit. Magni Pontificis verba subjicio. „ Quia corde ereditur ad justitiam, ore aatem confes„ sio fit ad salutem: sicat Sancti Evangelii quatuor „ libros, sic quatuor Concilia sascipere & venerari me „ fateor; Nicænum scilicat, in quo perversum Arii „ dogma destruitur: Constantinopolitanum quoque in „ quo Eunomii & Macedonii error convincitur: Ephe„ sinum etiam primum, in qao Nestorii impietas ja„ dicatar: Chalcedonense vero, in quo Eutychis, „ Dioscorique pravitas reprobatur, tota devotione com„ plector, integerrima approbatione custodio: Quia in „ his, velut in quadrato lapide, Sanctæ Fidei stru„ ctura consurgit, & cujuslibet vitæ atque actionis „ norma consistit. Quisquis eorum soliditatem nun te„ net, etiamsi lapis esse cernitur, tamen extra ædi„ ficium jacet. Quintum quoque Concilium pariter „ veneror, in quo Epistola, quæ Ibæ dicitur erroris „ plena, reprobatur; & Theodorus personam Media„ toris Dei & hominum in duabus subsistentiis sepa„ rans, ad impietatis perfidiam cecidisse convincitur. „ Scripta quoque Theodoreti, per quæ B. Cyrilli Fi„ des reprehenditur, ausu dementiæ prolata refutan„ tur. Cunctas vero, quas præfata veneranda Conci„ lia personaa respuunt, respuo: quas venerantar, „ amplector: Quia dum universali sunt consense con„ stituta, se & non illa destrait, quisquis præsumit „ aut solvere quos ligant, aut religare quos solvunt. „ Quisquis ergo aliud sapit, Anathema sit.

Novum argumentum ex Synodo sexta Generali.

XXV. Acta Sextæ Synodi manifeste probant Concilium Generale Supremum esse ac altimum Ecclesiæ tribunal. Quamvis enim a *Martino I.* Pontifice Maximo in Synodo Lateranensi damnata esset Monothelitarum Hæresis, Sectæque Principes Anathemate confixi; Quamvis ejusdem hæresis ac Sectatorum damnationem *Agatho* in Synodo frequentissima Romæ celebrata confirmasset; hanc tamen controversiam causamque Sexta Synodus Oecamenica retractavit. Hæreticorum scripta, lataque adversus ipsos Judicia examinavit, dogmaticam *Agathonis* Pontificis Epistolam discussit, & cum doctrina SS. Patrum ac saperiorum Conciliorum diligenter collatam suscepit, ut constat ex Actione 8. ex Epistola Synodica ad *Agathonem*, & ea Literis, Constantini Imperatoris ad *Leonem Secundum* in quibus hæc habentur. „ Cum protinus Suggestionem San„ cti Papæ Agathonis ad Potestatem nostram ii qui „ vice ajus fungebantur, obtulissent, eam Serenitati „ nostræ porrexerunt. Quam eum jassissemus omnibus „ audientibus recitari, sanæ nec adulteratæ Fidei cha„ racterem in ea perspeximus. Perpensis enim Evan„ gelicis & Apostolicis vocibus comparatisque cam ipsa „ iis, quæ a sanctis & Universalibus Conciliis statuta „ ac definita sunt: Collatis præterea testimoniis, quæ „ afferebat, cum Paternis libris, nihil non concinens „ inventum est ac nihilum immutata veræ Confessio„ nia ratio in ea perspecta. Ac veluti ipsum Princi„ pem Apostolici Chori, primæqae Cathedræ Anti„ stitem Petrum contuiti sumus mentium nostrarum „ oculis totius Dispensationis Mysterium divinitus elo„ quentem verbaque hæc per aas literas Christo fa„ cientem: *Ta es Christas Filias Dei vivi*. Nam ipsum „ totum Christum nobis sacræ ejus literæ differendo „ exprimebant: Quas omnes libentibus animis since„ reque accepimus, & veluti Petrum ipsum ulnis ani„ mi suscepimus „. Cum Hæreticis vero Synodus eadem *Honorium* Romanum quondam Pontificem damnavit lectis ejus ad *Sergium* Epistolis. Porro nisi Concilium Generale, non Sedem Apostolicam, Supremum esse ac ultimum totius Ecclesiæ tribunal, in quo religionis controversiæ decretorio Judicio finiantur, *Agatho* Pontifex Maximus, & totus cum eo Christianus orbis existimasset, permisisset ne *Martini I.* ac Synodi Lateranensis Jadicium a Saxta Synodo retractari; Permisisset-ne Synodum Oecumenicam celebrari, quæ causam Monothelicam de novo examinaret, quasi nihil ea de re confectum esset; An ejus Epistolam dogmaticam a Synodo examinari ejus Legati patienter tulissent? An *Honorium* Pontificem at hæreseos fautorem inter Hæreticos damnari? Nonne clamassent injeriam fieri Sedi Apostolicæ, Concilium sibi nimium tribuere, & suæ potestatis fines transgredi, Romanorum Pontificum Sententias, Gesta Synodalia, Epistolas examinare, ac retractare non posse; multo minus Romanum Pontificem cum Hæreticis damnare: siquidem inferior nullam Jurisdictionem in Superiorem habet; Romanus autem Pontifex est absolute & simpliciter supra Generalia Concilia, ita ut nullum supra se judicem in terris agnoscat; Id cum *Agathoni*, ejus Legatis, Ecclesiæ totius Episcopis & Ecclesiasticis Viris his temporibus non venerit in mentem, liquet omnibus persuasum fuisse, Concilium Generale esse Supremum & ultimum Ecclesiæ tribunal in quo Religionis controversiæ decretorio Judicio finiantur.

Argumentum 10. ex Synodo Octava.

XXVI. Oecumenica Synodus 8. Canone 21. Concilia Generalis auctoritatem esse Pontificia superiorem supponit, siquidem controversias & quæstiones Romanam Ecclesiam, adeoque & Summum Pontificem ei præsidentem spectantie a Concilio judicari statuit, servata tamen erga ipsum revereutia, ita ut audacter contra ipsum Sententia non dicatur, cum scilicet Ecclesiam audire peratus fuerit. *Porro si Synodus Universalis fuerit congregata, & facta fuerit etiam de Sancta Romanorum Ecclesia quævis ambiguitas & controversia, oportet venerabiliter, & cum convenienti reverentia de proposita quæstione sciscitari & solutionem accipere, aut profectum facere; non tamen audacter Sententiam dicere, contra Summos Seniores Romæ Pontifices*. Non prohibet Synodus ne usquam & nulla occasione Sententia feratur a Concilio Generali in Romanum Pontificem, etiamsi Hæreticus vel Schismaticus, aut moribus perditissimus evadat, nec monentem Ecclesiam audiat, nec ad meliorem frugem recipere se velit; alioqui frustra quæstio a Synodo haberetar in causis ipsum spectantibus, cum omnis quæstio ad judiciam ordinetur: Sed vetat ne *audacter*, ne facile, ne absque diligenti examine & matura deliberatione, cæterisque remediis tentatis, in Romanos Pontifices feratur a Concilio Sententia, ut *Photius* & *Dioscorus* in Prædatoriis Conciliis fecerant. Id ex superioribus verbis ejusdem Canonis manifestum est: *Quisquis autem* (inquit) *tanta jactantia & audacia usus fuerit, ut secundum Photium vel Dioscorum, in scriptis vel sine scriptis, injurias quasdam contra Sedem Petri Apostolorum Principis moveat, æqualem & eandem quam illi condemnationem recipiat*. Audacia itaque, non justitia Patribus in Concilio Generali congregatis prohibetur in causis Romanum Pontificem spectantibus. Meminisse enim debent esse Caput Ecclesiæ visibile & ministeriale, seu primum Sanctæ Ecclesiæ membrum, quod nisi remediis omnibus prius tentatis, & desperata sanitate, gravissimoque periculo; nisi id fierat,

Eccle-

Ecclesiæ imminente, abscindi non debet: *Sed pro loco quem in corpore Christi tenet, pro dignitate ac divino Primatu, cum reverentia tractari; ac lenibus remediis, quantum fieri potest, si graviter secundum animam ægrotet, a Synodo curari.*

Argumentum undecimum ex Leone tertio.

XXVII. Pene mihi exciderat, quod tamen non levis hac in quæstione momenti est, *Leonis Tertii* testimonium in Collatione quam de Symbolo habuit cum *Bernario* & *Jesse* Episcopis, & *Adalardo* Abbate, missis Romam a *Carolo Magno* anno 809. cujus Acta scripsit *Smaragdus* Abbas. Cum enim Symbolum in Gallicana Ecclesia, cum additione particulæ, *Filioque*, cantari Pontifex non probaret; quia Nicæna & Constantinopolitana Synodus, a quibus Symbolum conditum est, hanc vocem non indiderunt, & sequentes Synodi Œcumenicæ, Ephesina scilicet, Chalcedonensis, quinta quoque & Sexta, additionem quamvis aut mutationem prohibuerunt: Gallicani Præsules hanc *Leoni* quæstionem proposuere: „ Numquid non bene „ iidem auctores tunc fecissent, si quatuor tantum „ addendo syllabas, tam pernecessarium Fidei Sacra„ mentum cunctis deinceps sæculis perspicuum redde„ retur? *Respondit Pontifex*: Sicut non audeo dicere, „ non bene fecisse, si fecissent; quia procul dubio si„ cut cætera quæ vel omiserunt, scientes utique, & „ non tam humana, quam divina illuminati sapientia „ fecerunt; ita quoque non audeo dicere istud eos no„ bis minus intellexisse; perpendisse cur dimiserunt, „ vel cur dimissum ne ultra mitteretur, sicut & cæ„ tera prohibuere. Tu & tui videte quid sentiatis de „ vobis. Nam & ego Me illis non dico præferam, „ sed etiam illud absit mihi ut coæquare præsumam. Res clara est: *Leo Tertius*, non solum se Conciliis Generalibus præferre, sed etiam coæquare nefas esse ducit. Se igitur absolute & simpliciter supra Ecclesiam universam & supra Concilium Generale esse non sentiebat, ita ut nullum in terris supra se Judicium agnosceret, quemadmodum asserit *Bellarminus* Cardinalis.

Argumentum 12. ex Glabro Rodulpho, & communi Gallicanæ Ecclesiæ Sententia sæculo undecimo.

XXVIII. Undecimo ineunte sæculo, Gallicani Episcopi Romanum Pontificem Concilio Generali & ejus Decretis superiorem non esse censebant, si vera sunt quæ refert *Glaber Rodulphus*, Cluniacensis Monachus, lib. 2. Historiarum sui temporis Cap. 4. *Joannes XVIII.* Pontifex Maximus, Ecclesiæ Lucensis seu Bellilocensis Monasterii consecrationem *Petro* Cardinali, rogante *Fulcone* Andium Comite, ejusdem Cœnobii Fundatore, commiserat. Id cum *Hugo* Turonensis Archiepiscopus, cujus in Diœcesi conditum erat Monasterium, tum alii Galliæ Præsules molestissime tulerunt, quod contra Canones attentatum videretur, quibus & ipse Romanus Pontifex subditus videbatur. „ Quod utique „ audientes Galliarum quique Præsules (*inquit Glaber*) præsumptionem sacrilegam cognoverunt ex „ cæca cupiditate processisse. Universi etiam pariter „ detestantur, quoniam nimium indecens videbatur, „ ut is, qui Apostolicam regebat Sedem, Apostolicum „ primitus ac Canonicum transgrediebatur tenorem. „ Cum insuper multiplici sit antiquitus auctoritate ro„ boratum, ut non quispiam Episcoporum in alterius „ Diœcesi istud præsumat exercere, nisi Præsule, „ cujus fuerit, compellente seu permittente. Tum ubi narravit, Ecclesiam ipsa Dedicationis die vehementissimo turbine concussam corruisse, divino Judicio id factum interpretatur, idque multis persuasum ait, ut præsentibus ac futuris quibusque loco admonitionis esset, ne quid simile agerent. „ Licet namque, „ *inquit*, Pontifex Romanæ Ecclesiæ, ob dignitatem „ Apostolicæ Sedis, cæteris in orbe constitutis reve„ rentior habeatur, non tamen ei licet in aliquo trans„ gredi Canonici moderaminis tenorem. Sicut enim „ unusquisque Orthodoxæ Ecclesiæ Pontifex ac spon„ sus propriæ Sedis, uniformiter speciem gerit Salva„ toris, ita generaliter nulli convenit quidpiam in al„ terius procaciter patrare Episcopi Diœcesi. Licet hæc *Glabri* narratio aliqua emendatione seu expositione indigeat ut observavi in Synopsi Historiæ Ecclesiasticæ 11. Sæculi, Cap. 1. Art. 1. ex ea nihilominus colligitur hanc tum fuisse in Gallicana Ecclesia communem sententiam, Romanum Pontificem Ecclesiam secundum Canones regere debere; ad Canonum observantiam teneri; adeoque supra Canones, & ipsa Concilia in quibus Spiritu Dei conditi sunt, absolute & simpliciter non esse, Idque etiam in Cluniacensium Schola *Glaber* didicerat.

XXIX. Id confirmatur ex iis quæ gesta sunt in Concilio apud *Ansam* an. 1025. ab Archiepiscopis duobus, Viennensi & Tarentasiensi, & novem Episcopis celebrato. *Gauslenus* Matisconensis Episcopus de *Burchardo* Viennensi Archipræsule conquestus est, quod sine licentia & assensu suo *contra Canonum Statuta*, Monachos in Cœnobio Cluniacensi, quod Matisconensis Diœcesis est ordinasset. Archipræsul *Odilonem* Abbatem, quo auctore Ordinationes celebraverat, defensorem adduxit. Privilegium a Romana Ecclesia Cluniacensibus concessum protulit Sanctus Abbas „ Quod „ eis libertatem tribuebat, ut nulli in cujus territo„ rio degebant, nec alicui aliquatenus subjacerent Epi„ scopo, sed quemcumque vellent, adirent, vel de „ qualibet regione adducerent Episcopum qui faceret „ Ordinationes vel Consecrationes in eorum Monaste„ rio. Relegentes ergo Sancti Chalcedonensis & plu„ rimorum authenticorum Conciliorum Sententias, „ quibus præcipitur, qualiter per unamquamque re„ gionem Abbates & Monachi proprio debeant Epi„ scopo subjici, & ne Episcopus in Parœcia alterius „ audeat ordinationes vel Consecrationes absque licen„ tia ipsius Episcopi facere, decreverunt Chartam non „ esse ratam, quæ Canonicis non solum non concor„ daret, sed etiam contrairet Sententiis. *Archiepisco„ pus autem* ratione convictus, a Gausleno *Matisco„ nensi Episcopo* veniam petens, loco satisfactionis, & „ per quales ipse voluit fidejussores, ut unoquoque „ anno, quamdiu ambo viverent, tempore Quadrage„ simæ sufficientiam olei de olivis ad conficiendum „ Chrisma ipsi persolveret sine negligentia „ se obstrinxit. Summum ergo Pontificem supra Canones Concilii Chalcedonensis, & aliorum Conciliorum Generalium non esse, & irritum habendum quidquid contra illorum tenorem concessisset, vel decrevisset, Gallicanis illis Præsulibus persuasum erat.

Argumentum 13. ex Innocentio tertio.

XXX. *Innocentius III.* Pontifex Maximus Concilio Generali se subditum esse, & ab eo se posse coerceri agnovit, ut probat ejus Epistola ad *Augustum Philippum* Regem Christianissimum, 106. Libri 15. „ In „ carnali, *inquit*, commercio inter Te ac Reginam „ conjugem tuam adeo est processum, quod si etiam „ illi tantum confessioni vellemus insistere, quam nu„ per eadem Regina fecisse proponitur coram præ„ dicto Abbate de Trapa, & dilecto filio Magistro Ro„ berto de Corzon, nunc Tituli S. Stephani in Cœlio „ Monte Presbytero Cardinali, non auderemus super „ hujusmodi casu de nostro sensu pro te aliquid dif„ finire, propter illam Sententiam Evangelicam quam „ ipse Christus expressit, videlicet, *Quod Deus con„ junxit, homo non separet*; cum absque dubio nec „ Sanctorum exempla, nec Patrum Decreta, inten„ tioni tuæ in hoc articulo suffragentur. Verum si „ super hoc, absque Generalis deliberatione Concilii „ determinare aliquid tentaremus, præter divinam „ offensam & mundanam infamiam, quam ex hoc „ possemus incurrere, forsan Ordinis & Officii nobis „ periculum immineret, cum contra præmissam Ve„ ritatis Sententiam nostra non possit Auctoritas dis„ pensare. Non veniebat in dubium an Matrimonium consummatum solvere Summus Pontifex posset, ne quidem an ratum; cum evidens sit Christi Sententia, *Quod Deus conjunxit, homo non separet*; Sed utrum impedimento aliquo intercedente, cujus veniam indulgere posset Pontifex, vel divortium permittere, id posset consummato Matrimonio. Rex porro allegabat suum cum *Ingeburga* Matrimonium consummatum non fuisse. *Quod etsi commixtio sexuum in eorum carnali commercio intercessisset, commixtio tamen seminum in vase muliebri non esset subsecuta*; ut constat ex Epistola sequenti. Hoc est quod in Concilio Generali disceptandum scribit *Innocentius III.* an Matrimonium in specie facti proposita consummatum esset, ut observat D. *De Marca* Lib. 4. *De Concordia Sacerdotii & Imperii*, Cap. 17. Cæterum fore ut *Ordinis forsan & Officii sibi periculum immineret*, scribit *Innocentius*, si supra hoc *absque Generalis deliberatione Concilii determinare aliquid tentaret*. Unde vero periculum illud, nisi a Concilio, a quo se posse coerceri agnoscit, si de Lege Divina dispensaret? Non censebat igitur *Innocentius III.* Romanum Pontificem simpliciter & absolute esse supra Concilium Generale, ita ut nullum supra se in terris Judicem agnoscat.

§. V.

Bellarmini & Auctoris Anonymi Objectionibus, ex Patribus, & Regulis Ecclesiasticis, contra Supremam Conciliorum Generalium Auctoritatem, respondetur.

Objectio prima.

XXXI. OBjiciunt Adversarii celebrem illum *S. Augustini* locum in Sermone 11. *De Verbis Domini*, Cap. 10. ubi de Pelagianæ Hæreseos damnatione a

Sede

Sede Apostolica loquens, ait: *Causa finita est, error utinam aliquando finiatur!* Indeque colligunt, Sedem Romani Pontificis esse supremum & ultimum Ecclesiæ tribunal, in quo Religionis controversiæ decretorio judicio finiantur, non vero Concilium Generale.

Refellitur Maimburgus in Histor. Tract. de Ecclesia Romana & Episcoporum illius Privilegiis, C. 28.

Responsio.

Respondere nolim, quod abscisse Maimburgus respondet, Id tantum significare, causam Pelagianam finitam fuisse Romæ. Absolute & simpliciter finitam fuisse fateor, non quidem eo sensu quod a Concilio Generali retractari non posset, ad illudque deferri tamquam ad Tribunal Pontificio superius; sed quia sufficienter examinata causa fuerat, & Romanorum Pontificum Decreta Pelagianam Hæresim ad Relationem Africanarum Synodorum damnantia, accedente totius Ecclesiæ consensu firmata erant, & ubique conclamata fuerat ejusdem Hæreseos damnatio secundum *Innocentii* & *Zosimi* Sententiam. Africana Concilia præcessisse, ex hoc ipso loco patet: „ Redarguite contradi„ centes, & resistentes ad nos perducite. Jam enim de „ hac causa duo Concilia missa sunt ad Sedem Aposto„ licam; Inde etiam Rescripta venerunt. Causa finita „ est. „ Sane cum Hæresis in illa Ecclesia damnata est ubi erupit, & Nationalis Concilii Decreta Sedes Apostolica confirmavit, Rescriptaque de illius Hæreseos damnatione misit ad omnes Ecclesias, quæ ab iis summo consensu recepta sunt; causa sic finita est, ut novo examine, novaque cognitione non sit opus. Id autem in causa Pelagiana factum, testis est *S. Augustinus*, Epist. 157. ad Optatum. „ Hæresis novæ, *inquit*, „ vel Auctores vel certe acerrimi notissimique suasores „ cum Pelagius & Cœlestius extitissent, Conciliorum „ Episcopalium vigilantia in adjutorio Salvatoris, qui „ suam tuetur Ecclesiam, etiam a duobus Venerabili„ bus Antistitibus Apostolicæ Sedis Papa Zosimo & Pa„ pa Innocentio, nisi correcti etiam egerint pœniten„ tiam, toto Christiano orbe damnati sunt. De quibus „ exempla recentium Scripturarum sive quæ specialiter „ ad Afros, sive quæ universaliter ad omnes Episcopos, „ de memorata Sede manarant, ne forte ad vestram „ Sanctitatem nondum pervenerit, vobis curavimus mit„ ti. *Testis est & Marius* Mercator *in Commonitorio* „ *ad* Theodosium *Cap.* 12. Quæ omnia (*inquit*) su„ pra scripta Capitula continet illa Beatæ memoriæ „ Episcopi Zosimi Epistola, quæ Tractatoria dicitur, „ qua Cœlestius Pelagiusque damnati sunt, quæ & „ Constantinopolim, & per totum orbem missa, sub„ scriptionibus Sanctorum Patrum est roborata. „ Hinc Pelagianis Œcumenica Synodus Jure negata est, utpote minime necessaria, post competens sufficiensque Judicium, maxime cum *Cœlestius*, in Africa damnatus, ad Sedem Apostolicam appellasset. *S. Augustinum* eadem re audiamus Lib. 4. ad *Bonifacium*, Cap. ultimo. „ Aut „ vero, *inquit*, congregatione Synodi opus erat, ut „ aperta pernicies damnaretur: Quasi nulla Hæresis ali„ quando nisi Synodi congregatione damnata sit: cum „ potius rarissimæ inveniantur, propter quas damnandas „ necessitas talis extiterit: Multoque sint atque incom„ parabiliter plures, quæ ubi extiterunt, illic impro„ bari, damnarique meruerunt, atque inde per cæteras „ terras devitandæ innotescere potuerunt. Verum isto„ rum superbia, quæ tantum se extollit adversus Deum, „ ut non in illo velit, sed potius in libero arbitrio glo„ riari, hanc etiam gloriam captare intelligitur, ut pro„ pter illos Orientis & Occidentis Synodus congrege„ tur. Orbem quippe Catholicum quoniam, Domino „ eis resistente, pervertere nequeant, saltem commove„ re conantur: Cum potius vigilantia & diligentia Pa„ storali, post factum illic competens sufficiensque ju„ dicium, ubicumque isti lupi apparuerint, conterendi „ sint sive ut sanentur atque mutentur, sive ut ab alio„ rum salute atque integritate vitentur. „ Cæterum ultima de Pelagianis habita cognitio est in Ephesina Synodo Oecumenica, ibique eorum causa ut supremo, ita & peremptorio Judicio sic finita est, ut numquam postea retractari posset. Id constat ex Relatione Syno„ di ad *Cœlestinum* I. Pontificem Maximum. „ Porro „ autem perlectis in Sancta Synodo Commentariis A„ ctorum in depositione impiorum Pelagianorum & Ce„ lestianorum, Cœlestii, Pelagii, Juliani, Persidii, Flo„ ri, Marcellini, Orentii, & eadem cum illis sentien„ tium quæ a Pietate tua de ipsis decreta & constitu„ ta sunt, judicavimus & nos ea solida firmaque perma„ nere debere, & idem omnes tecum statuimus, eos pro „ depositis habentes. „ Et inter Ephesinos Canones primus & quartus depositionis pœnam decernunt adversus Episcopos & Clericos qui privatim vel publice *Pelagii* & *Cœlestii* nefaria dogmata propugnarunt vel propugnabunt. Unde *S. Prosper* hanc hæresim Nestorianæ consanguineam, una cum ipsa cecidisse, & uno tumulo sepultam fuisse canit in utriusque Epitaphio: Quasi Pelagiana hæresis antea multis ictibus concussa, tum ab Africanis Synodis, aliisque; tum a Romanis Pontificibus, tum demum ceciderit, & sepulta fuerit, cum ab Ephesina Synodo Oecumenica lethalem ictum accepit, ab eaque supremo, ultimo, decretorio, irretractabili judicio damnata est.

Objectio Secunda.

XXXII. Objicit Anonymus Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ Impugnator Lib. 5. Cap. 11. loca omnia *S. Augustini* in quibus *S. Petrus* Ecclesiam repræsentasse dicitur, cum claves accepit, scilicet Tractatu 50. & 118. in *Joannem*, Sermone 13. *De Verbis Domini*, & Sermone 108. *De Diversis*, quem postremum locum instar omnium superius protuli §. 9. ex quibus hoc instruit adversus Parisienses Theologos, qui pro suprema Conciliorum Generalium Auctoritate scripserunt, ratiocinium, ei [quod ex iisdem locis ac testimoniis eruunt, plane contradictorium: *Ei, per quem repræsentatur Ecclesia universalis, conveniunt quæcumque in Scripturis sacris tribuuntur Ecclesiæ ipsi. Atqui per Petrum repræsentatur Ecclesia universalis: Ergo Petro conveniunt quæcumque in Scripturis sacris tribuuntur Ecclesiæ ipsi; Verbi gratia, quod sit columna & firmamentum veritatis, quod qui eam non audierit, sit habendus tamquam Ethnicus & publicanus, &c.* Prima propositio, inquit, est quasi primum principium eorum, qui Conciliorum Generalium Auctoritatem altius extollunt. Secundam concedunt, & testimonio *S. Augustini* confirmant. Qui ergo negari potest conclusio legitima consequentia illata?

Responsio Theologorum Parisiensium.

Hanc Objectionem facile diluunt Parisienses Theologi. Respondent scilicet, Ei per quem perfecte repræsentatur Ecclesia universalis, tamquam per Cœtum ex universa Ecclesia collectum, omnia tribui (seu ut congruentius loquar, & ut loquuntur Theologi nostri, non prout ipsis affingit Anonymus) omnem auctoritatem, Jurisdictionem, infallibilitatem convenire, quæ in Scripturis Sacris tribuitur Ecclesiæ ipsi: Non autem ei per quem repræsentatur Ecclesia minus perfecte, tamquam per personam clavium potestatem exercentem, quas Ecclesia in *Petro* accepit a Christo Capite & Sponso, & per *Petrum* ejusque Successores tractat & administrat: Quia actiones sunt suppositorum. Ecclesia autem, & quælibet Communitas non est una *persona natura, sed juris*; unde quamvis Jurisdictionem supremam habeat, *quantum ad originem & virtutem*; non tamen *quantum ad usum*, respectu earum actionum quæ ab aliqua singulari persona exerceri postulant, ut ait *Tostatus* Abulensis Episcopus in Cap. 15. Numerorum, Quæst. 48. „ Impossibile est, *inquit*, in „ communitate esse jurisdictionem secundum actum; est „ tamen jurisdictio secundum originem, & secundum „ virtutem, quia omnes personæ accipientes jurisdictio„ nem, ex virtute communitatis accipiunt, quia ipsæ „ possunt per se judicare, communitas autem non. Ita „ autem videtur de Clavibus Ecclesiæ, quia illæ datæ „ sunt a Christo toti Ecclesiæ. Quia tamen non pote„ rat tota Ecclesia dispensare illas, cum non esset ali„ qua persona, tradidit eas Petro nomine Ecclesiæ. „ Jurisdictionem autem magis esse in Ecclesia, & ut loquitur, *radicalius*, quam in Prælato, ex eo probat, quod ante suam electionem vel institutionem, nullam Jurisdictionem habet; nec eo mortuo, vel cedente, Jurisdictio expirat; sed manet in Ecclesia, a qua confertur alteri per electionem legitimam & Canonicam. Hanc autem Jurisdictionem „ Ecclesia a nullo suscipit, post„ quam semel a Christo suscepit. Ideo illas per origi„ nem & virtutem habet. Et quando confert eas Præ„ lato, non confert eas modo quo habet, scilicet quan„ tum ad originem & virtutem; sed quantum ad usum. „ In utroque tamen sunt integræ Claves. *Rem exemplo illustrat domini alicujus rei & usufructuarii.* Nam „ dominus habet usum rei, & confert illum usum al„ teri; sed non eo modo quo habet, quia sibi reservat „ usum ut proprietario, alteri concedit ut usuario vel „ usufructuario: *Sic in Ecclesia*: Ipsa enim non habet „ claves quantum ad usum. Omnia autem ista descen„ dunt ex hoc, quod Ecclesia non est aliquid unum „ per se potens habere administrationem clavium; Ideo „ illas alteri commendat: Si autem posset per se ad„ ministrare, non committeret alicui Prælato. „ Summus ergo Pontifex Ecclesiam repræsentat, ut Caput, ut membrum Ecclesiæ præcipuum, ut *Monarcha Primas* (sic enim post *Gersonium* loqui placet) id est, ut ovium & Pastorum omnium Summus Pastor: Quemadmodum Rex Poloniæ Regnum universum repræsentat; Sed Ecclesiam non repræsentat modo perfectissimo,

Quæst. 49.

Lib. de Auferibilitate Papæ ab Ecclesia, Consideratione VIII.

mo, & cum ea extensione qua Concilium Generale. Sicut Serenissimus Rex Poloniæ Regnum universum eo modo perfectissimo, & cum ea extensione non repræsentat, qua Generalia Regni totius Comitia. Unde sicut una Potestas est Regia Poloniæ atque Comitiorum; amplior tamen & ad plures negotiorum species extensa in Comitiis quam in Rege: Ita (inquiunt Parisienses Theologi) una est Ecclesiæ Summique Pontificis Potestas, sed magis est extensa in Ecclesia, quam in Summo Pontifice: Quia Ecclesiæ Potestas Pontificiam includit, & in ipsos Pontifices Maximos potest exerceri. Id explicant exemplo Characteris Episcopalis & Sacerdotalis, qui unus est, secundum opinionem *S. Thomæ*, pluriumque Theologorum; sed tamen ad aliquos actus extenditur in Episcopo, ad quos non extenditur in simplici Sacerdote, scilicet ad Confirmationem & Ordinationem.

His addunt Parisienses Theologi observationem *Petri de Alliaco* Cardinalis & Episcopi Cameracensis in Tractatu *De Auctoritate Ecclesiæ*, quem in ipsa Synodo Constantiensi, scripsit 3. *P.* c. 1. „ Sciendum est (inquit) quod quantum ad propositum pertinet, aliquid dicitur tripliciter esse in alio. Primo tamquam in subjecto, sicut virtus est in anima, & accidens in substantia. Secundo, tamquam in objecto, sicut aliquis effectus esse dicitur in sua causa, vel in suo fine, quia in illum tendit tamquam in suum objectum finale. Tertio modo, tamquam in exemplo, ut res visa dicitur in speculo, vel aliqua doctrina in libro, quia ibi est repræsentative: Primo ergo plenitudo potestatis est in Papa tamquam in subjecto ipsam recipiente & ministerialiter exercente. Secundo, est in universali Ecclesia tamquam in objecto ipsam causaliter & finaliter continente. Tertio, est in Generali Concilio, tamquam in exemplo ipsam repræsentante, & regulariter dirigente. Primum patet ex immediate dictis, quod Papa proprie loquendo est Minister hanc Potestatem subjective recipiens, & administrative dispensans, juxta illud Matthæi 20. *Qui Præcessor est in vobis, fiat sicut Ministrator*, Secundum patet, quia plenitudo Potestatis non est causaliter propter Papam, sed Papa & ejus Potestas propter Ecclesiam, & ad eam ordinatur sicut ad finem, id est, ad ejus ædificationem; quia, secundum sententiam Apostoli, secundæ ad Corinthios 10. & penult. hanc Potestatem dedit Dominus *in ædificationem Ecclesiæ, & non in destructionem*. Tertium patet ex eodem verbo Apostoli, quia si Papa uteretur hac Potestate ad destructionem Ecclesiæ, Generale Concilium est exemplum vel speculum dictam universalem Ecclesiam repræsentans, & ejus vice & nomine, abusus hujusmodi Plenitudinis Potestatis coercens, regulans, & dirigens ... Ex præmissis patet, quod sicut plenitudo potestatis est in Generali Concilio repræsentative, ita aliquo modo, licet non æqualiter est in Romana Ecclesia, quia ipsam universalem Ecclesiam repræsentat, & in condendis Ecclesiasticis Juribus seu Canonibus, ipsius vices gerit; & hoc sibi competit ratione sui Capitis, scilicet Papæ, qui huic Ecclesiæ specialiter præest. Et ideo Romana Ecclesia dicitur Sedes Apostolica, quia in ea sedet Apostolicus, id est, præsidet Apostoli Petri Successor.

Cardinali Cameracensi subscribit doctissimus ejus discipulus *Gersonius* Lib. *De Potestate Ecclesiastica* Consideratione 10. & 11. *Potestas Ecclesiastica*, inquit, *in sua plenitudine est formaliter & subjective in solo Romano Pontifice*. Et quibusdam præmissis, in quibus est axioma illud Philosophi, *Actiones sunt suppositorum*, hanc descriptionem tradit; „ Plenitudo Potestatis Ecclesiasticæ est potestas Ordinis & Jurisdictionis, quæ a Christo collata est supernaturaliter Petro sicut Vicario suo & Monarchæ Primo pro se & suis Successoribus legitimis usque in finem sæculi, ad ædificationem Ecclesiæ Militantis pro consecutione felicitatis æternæ.

„ Potestas Ecclesiastica in sua plenitudine, est in Ecclesia sicut in fine, & sicut in Regulante applicationem & usum hujusmodi plenitudinis Ecclesiasticæ Potestatis per se ipsam vel per Generale Concilium ipsam sufficienter & legitime repræsentans. Potest etiam dici, in Ecclesia vel in Concilio, hæc plenitudo Ecclesiasticæ Potestatis nedum esse finaliter, sed aliis duobus modis, videlicet quoad applicationem ad hanc vel illam personam, & quod usum regulandi, si fortassis in abusum verti quæreretur. Constat his tribus modis plenitudinem Ecclesiasticæ Potestatis esse in Ecclesia & in Generali Concilio, tamquam in gerente vices ejus. Et quidem de duplici modo, primo & secundo, non est difficultas; similiter nec de tertio, si consideremus descriptionem plenitudinis Ecclesiasticæ Potestatis, ubi ponitur quod data est ad ædificationem Ecclesiæ. Cum igitur Summus Pontifex habens eam, sit peccabilis, & possit hanc potestatem in destructionem velle convertere; similiter Sacrum Collegium, quod ei datum est & coassistit quasi Communitas Aristocratica, non est in gratia vel fide confirmatum; superest ut aliqua sit relicta inobliquabilis & indeviabilis regula ab optimo Legislatore Christo, secundum quam possit abusus hujusmodi Potestatis reprimi, dirigi atque moderari. Hæc autem regula est vel Ecclesia, vel Generale Concilium. Unde cum medium virtutis aliter non habeatur nisi prout Sapiens judicabit, finalis resolutio ad hanc sapientiam fiet ad Ecclesiam, ubi est sapientia indeviabilis, vel ad Generale Concilium.

Addit Christianissimus Doctor, quod „ Plenitudo Ecclesiasticæ Potestatis, si consideretur in sua latitudine, ipsa non est in solo Papa, nisi quodammodo fontaliter, potestative & originaliter suo modo. Hæc enim latitudo Potestatis complectitur in se alias Potestates Ecclesiasticas collective a summo usque deorsum. Et est in eis plenitudo Ecclesiasticæ potestatis Papalis, tamquam pars integralis in suo toto; & ita non est major vel superior ad totam Ecclesiam, sicut nec pars major toto. Si vero consideretur hæc plenitudo in sua supremitate, tunc absque ulla dubitatione plenitudo Ecclesiasticæ potestatis Papalis superior & major est ad reliquas: Sed jam illud quod reliquum est nullo pacto potest constituere Generale Concilium, juxta illud quod dictum est prius quod Generale Concilium in sua ratione formali includit de necessitate Papalem auctoritatem, sive Papa sit, sive non sit: Quia si Papa est, & vult facere debitum suum de congregando Concilium, certe debet auctorizari per ipsum: Si vero pertinaciter renuit in destructionem Ecclesiæ, jam tunc agendum est, ac si non esset; & remanat in Ecclesia potestas seipsam congregandi, & sibi providendi, ac ordinandi de potestate Papali.

Objectio tertia ex S. Joanne Chrysostomo.

XXXIII. Objicit Anonymus Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ Impugnator c. 12. ejusdem Libri nonnulla *S. Joannis Chrysostomi* testimonia, quæ contra Parisiensium Theologorum opinionem de Concilii Generalis Auctoritate supra Romanum Pontificem nihil plane conficiunt, sed Primatum duntaxat *S. Petri*, vel fidei ejus excellentiam ardoremque probant, ut illud Homil. 55. in Matthæum, ubi verba illa Christi: „ Vos autem quem me esse dicitis? & S. Petri *confessionem expendit*: Petrus omnium Apostolorum os, vertex consortii totius .... Cum omnes interrogati essent, ipse solus respondet ... Et quandoquidem de sententia vulgi petebat, omnes responderunt: cum vero de sua eos rogaret, Petrus confestim præsilivit, ac præveniens ait: Tu es Christus Filius Dei vivi. „ At (inquit Anonymus) Sanctus Chrysostomus *S. Petrum* agnoscit *Verticem consortii totius*, non Apostolorum tantum seorsim acceptorum.

Theologorum Parisiensium Responsio.

Id Theologi Parisienses non diffitentur: *Petrum* inter Apostolos congregatos primum esse, Principem, Caput agnoscunt: Petri Successorem Romanum Pontificem congregatis etiam Episcopis præsidere, in Concilio primas habere: Sed ex hoc recte colligi negant quod sit absolute supra Ecclesiam universam, & Concilium Generale ipsam repræsentans. At (inquit Anonymus) rata fuit *Petri* sententia, & a Christo ipso approbata, non expectato aliorum suffragio. Quid inde colligere vult auctor ille? An solius Pontificis Romani sententiam in Conciliis Generalibus audiendam, nec aliorum Episcoporum assensum necessarium esse? Id vero absque errore asseri non potest, & ex Apostolorum praxi in Concilio Hierosolymitano refellitur. Sed nec Apostoli tunc cum a Christo sunt interrogati, velut in Concilio congregati erant, ut Ecclesiæ Doctores: sed ut Discipuli in Christi Schola instituebantur, & a Magistro de fidei mysteriis erudiebantur: Nec *Petrus* cum præclaram illam edidit confessionem, Primatum Apostolici Collegii & Ecclesiæ totius sub Christo Præfecturam acceperat, quam in præmium confessionis accepit his verbis: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*. Frustra ergo auctor Anonymus hunc *S. Chrysostomi* locum contra Parisiensium Theologorum opinionem urget.

Instat: *S. Petro* vere & proprie factam esse promissionem de ædificanda super ipsum Ecclesia, & tradendis illi clavibus Regni cœlorum, docet *Sanctus Chrysostomus*, & vere, proprie, immediate claves illi a Christo datas, ex ejus verbis colligitur; & *Ecclesiæ Pastorem & Caput* constitutum; & *universo terrarum orbi* a Christo *præpositum*.

Hæc

Hæc nemo Parisiensium Theologorum, nemo Catholicorum negat. Sed quid hæc ad præeminentiam Summi Pontificis supra Concilium comprobandam? Negat an *S. Chrysostomus* Ecclesiæ claves esse datas in *Petro*; & illi ut Ecclesiæ personam gerenti collatas? *Pater quidem*, inquit, *revelationem ei Filii sui dedit: Filius autem partim ut tum Patris, quam Filii sui revelationem ubique terrarum posset seminare, partim ut quamvis homo esset mortalis, cœlesti tamen potestate polleret, & claves haberet Regni Cœlorum: Ita Petrus Ecclesiam per universum orbem amplificatam cælo etiam ipso validiorem monstravit. Transibunt* (inquit Christus) *cœlum & terra, verba autem mea non transibunt*. Id autem expressius confirmat Homilia 79. hæc verba Christi, *Amas me, Petre? Pasce oves meas*, expendens. *Cum tertio*, inquit, *ipsum interrogasset, hoc amoris argumentum esse confirmavit: quod non ad Sacerdotes solummodo dictum est, verum etiam ad singulos nostrum, quibus vel minimus quidem grex commissus esse videtur: nec enim quia minus est, negligi debet. Pater namque meus complacuit in ipsis. Habet unusquisque nostrum ovem, ad pinguia eam pascua ducat*. Denique in ipsa Homilia 55. *S. Chrysostomus*, hæc Domini verba: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, refert ad *Fidem atque confessionem Petri*. Et illa: *Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam*, ad Ecclesiam, non ad *Petrum* refert. *Si vero adversus Ecclesiam non prævalebunt, multo minus adversus me prævalebunt. Non enim turbari te convenit, cum audieris quia tradar & crucifigar*. Quantum porro hæc interpretatio Parisiensium Theologorum opinionem juvet, nemo in his rebus vel mediocriter versatus non intelligit.

Alter locus quem profert Anonymus ex Sermone de *SS. Petro & Paulo*, ubi *S. Petrum* vocat *Splendorem totius Mundi, Apostolorum Doctorem, firmam fidei Petram*, nihil magis ad propositum facit. Nam & alii Apostoli *lux mundi* a Christo sunt appellati, & *S. Petrus* Apostolorum Doctor vocatur, ob Divinitatis Christi confessionem, in qua ipsos prævenit; quamquam alii non a *Petro* sed a Christo & Spiritu Sancto immediate cœlestem doctrinam acceperint, & S. Paulus *non ab homine*, sed per revelationem Jesu Christi se accepisse profitetur. Et cum *Petro* non recte ambulanti ad veritatem Evangelii in faciem restitit, vere ipsum docuit. Vanum est ergo nec ullatenus ad rem istud Anonymi ratiocinium. *Si Petrus erat Splendor mundi, si Apostolorum Doctor, ab ipso alii, non ab aliis ipse instrui atque doceri indiguit*. Quanto consultius ad hæc Quintæ Synodi Œcumenicæ verba Collatione 8. attendisset? „ Licet Sancti Spiritus gratia & circa singu-„ los Apostolos abundaret, ut non indigerent alieno „ consilio ad ea qua agenda erant; non tamen aliter „ voluerunt de eo quod movebatur, si oporteret Gentes „ circumcidi, definire, priusquam communiter congre-„ gati, Divinarum Scripturarum testimoniis unusquis-„ que dicta sua confirmaverunt. Unde communiter de „ eo sententiam protulerunt ad Gentes scribentes: *Vi-„ sum est Spiritui Sancto & Nobis* . . . Sed & Sancti „ Patres qui per tempora in Sanctis quatuor Conciliis „ convenerunt antiquis exemplis utentes, communiter „ de exortis hæresibus & quæstionibus disposuerunt, „ certo constituto, quod in communibus disceptationi-„ bus, cum proponuntur quæ discutienda sunt, veri-„ tatis lumen tenebras expellit mendacii.

Tertius locus, ex Homilia 3. in Acta Apostolorum ab Anonymo laudatus, nihil aliud probat quam *S. Petrum* habuisse jus eligendi Apostolum in locum *Judæ* proditoris, *par omnibus*. Quod autem addit Anonymus, habuisse jus par omnibus non seorsim, sed etiam simul sumptis, proprium ipsius, idque absurdissimum figmentum est, non *S. Chrysostomi* doctrinam. Quod autem S. Doctor subdit: *Merito primus omnium auctoritatem usurpat in negotio, ut qui omnes habeat in manu: ad hunc enim dixit Christus, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos*: Probat quidem Primatum *S. Petri*, & prerogativam suffragii ratione Primatus in negotiis Ecclesiæ ipsi convenientem, non vero præeminentiam supra Ecclesiam universam.

Objectio quarta ex Concilio Chalcedonensi.

XXXIV. Objiciunt *Bellarminus*, & Anonymus Auctor, Concilium Chalcedonense in Epistola ad *S. Leonem*, Romanum Pontificem Caput ac Patrem appellare: *Rogamus igitur* (inquiunt Patres) *& tuis Decretis nostrum honora Judicium; & sicut nos Capiti in bonis adjecimus consonantiam, sic & Summitas tua filiis, quod decet adimpleat*. Caput autem Concilii dicitur Pontifex (inquit Anonymus) non tantum quod primo ac præcipuo loco sit, sed quia ut ait idem S. Leo, *Christus ab ipso quasi quodam Capite dona sua velut in corpus omne diffundit*. Sicut ergo quilibet Episcopus, quatenus Ecclesiæ particularis Caput, ipsa superior est, ejusque Pastor & Doctor, quem audire & sequi tenentur, non solum singuli, sed etiam omnes illius Diœcesis homines, nec ad eos de illius doctrina & regimine spectat judicare, sed ad Superiorem extra Diœcesim; ita Summus Pontifex, Ecclesiæ universæ Caput, ipsam solus melius quam cætera membra sine ipso videtur exhibere, ejusque Pastor & Doctor est, cui tenentur obedire tum laici, tum Clerici, tum seorsim, tum conjunctim, quotquot intra Ecclesiam sunt.

Responsio Theologorum Parisiensium.

Respondent Theologi Parisienses; Ex appellatione & officio Capitis ministerialis, id est, *primi Ecclesiæ membri*, non recte colligi Romani Pontificis præeminentiam supra Concilium, sed solum quod in Concilio primas habeat, quatenus ipsi per se vel per Legatos præest, & eo *auctore* omnia decernuntur, propter prærogativam suffragii; quamvis cæteri Episcopi ut Judices definiant, & major suffragiorum numerus prævaleat. Unde sicut particularis Ecclesiæ Episcopus Pastor est omnium & singulorum suæ Diœcesis hominum, & illi omnes obedire tenentur; & tamen Concilio Provinciali subest a quo potest judicari & coerceri, quia membrum est Ecclesiasticæ Provinciæ: Ita Summus Pontifex totius Ecclesiæ Pastor est; super omnes Ecclesias particulares Primatum habet: omnium Christianorum Pater & Doctor est, omnes ipsi parere tenentur. Subest tamen Ecclesiæ universæ, & Synodo Generali, quia ejus membrum est & pars nobilissima quidem, sed pars nihilominus: *Universum* autem *partibus semper jure optimo præponitur*, ut S. Augustinus ait, communisque sensus docet. Sic emendandum est obliquum Auctoris Anonymi ratiocinium. Quod vero ex *S. Leone* subdit, ex Epistola 89. seu 59. in Editione *P. Quenellii* desumptum, non probat Auctoritatem cæterorum Episcoporum, & Concilii etiam Generalis a *S. Petro* derivari, quod contendit Auctor ille, sed significat ligandi, solvendi, pascendi potestatem originaliter (ut ita loquar) & in ipsa Apostolicæ, Pontificalisque Dignitatis institutione atque principio, *S. Petro* a Christo traditam pro cæteris Episcopis, atque adeo omnes per illum & in illo accepisse a Christo. Hic igitur locus: *Hujus muneris Sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, ut in Beatissimo Petro Apostolorum omnium summo, principaliter collocarit; & ab ipso quasi quodam Capite dona sua velit in corpus omne manere*: Hic, inquam, *S. Leonis* locum cum altero conferendus est, & per ipsum explicandus, Sermone 3. in Anniversario die Assumptionis suæ, cujus hæc sunt verba: *Dicitur beatissimo Petro*: Tibi dabo claves Regni, &c. *Transivit quidem etiam in alios Apostolos jus Potestatis istius & ad omnes Ecclesiæ Principes decreti hujus constitutio commeavit; sed non frustra uni commendatur, quod omnibus intimetur. Petro enim ideo singulariter creditur, quia cunctis Ecclesiæ Rectoribus Petri forma præponitur.*

Objectio quinta ex Epistolis Variorum ad Concilium Chalcedonense.

XXXV. Objicit *Bellarminus* Epistolas ex variis locis ad Concilium Chalcedonense scriptas, & Actione 3. recitatas, quæ omnes ita incipiunt: *Sanctissimo & beatissimo universali Patriarchæ Magnæ Romæ Leoni, & Sancto Universali Concilio congregato in Chalcedonensi civitate, &c.* Nemo autem, inquit, in toto Concilio fuit, qui reclamarit ac dixerit, Non debere Pontificem anteponi toti Concilio.

Responsio Theologorum Parisiensium.

Respondent Theologi Parisienses, Non sequi quod Pontifex sit supra Concilium, quia ejus nomen Concilii nomini in Epistolis illis præponitur. *Leo* Concilio per suos Legatos præerat; quidni *Leoni* & Concilio Epistolæ inscriptæ fuissent? Sed is ordo Pontificis præeminentiam supra Concilium non probat: Alioqui & *Anatolium* Constantinopolitanum Patriarcham superiorem fuisse Concilio colligitur, quia Actione 3. plerique Episcopi, de *Dioscoro* ferentes judicium, non *Leonem* solum, sed & Anatolium Concilio præponunt. Unum instar omnium profero *Diogenem* Cyzici Metropolitam: *Consentio*, inquit, *his quæ statuta sunt a sanctissimo & beatissimo Archiepiscopo Romano Leone, & his quæ a sanctissimo & beatissimo Regiæ Novæ Romæ Anatolio, & præsente sancto & universali Concilio*. Verum attendere potius debuerat doctissimus Cardinalis ad eum, quem Ecclesia servat, ordinem in sacris Actibus & precibus publicis, quæ Deo ad Altare funduntur, ubi orationes pro Ecclesia, & Ecclesiæ commemoratio, commemorationem Summi Pontificis, & orationes pro eo antecedunt, ut patet ex Missæ Canone, ex Orationibus quæ Feria 6. in Parasceve Domini post Passionem canuntur; ex Missis in quibus Orationes pro Ecclesia &

Papa præscribuntur certis Dominicis & Feriis io Missali Romano, & ex Litaniis. Si quam igitur vim habet *Bellarmini* ratiocinium, probat Ecclesiam Romanam censere, *Ecclesiam* universalem esse supra Romanum Pontificem, quia ipsi in Sacris Ritibus præponitur. Nam *Legem credendi lex statuit supplicandi*, ut scribit *Celestinus I.* ad Episcopos Galliæ. Denique in Professione Fidei quam Tridentina Synodus & *Pius IV.* præscripserunt, Ecclesia Romano Pontifici præmittitur. *Et unam Sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam .... Item Sacram Scripturam juxta eum sensum quem tenuit & tenet sancta Mater Ecclesia cujus est judicare de vero sensu & interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto ... Sanctam Catholicam & Apostolicam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum Matrem & Magistram agnosco; Romanoque Pontifici, Beati Petri Apostolorum Principis Successori, ac Jesu Christi Vicario, veram obedientiam spondeo.* Porro sicut *S. Augustinus* in *Enchiridio* ad *Laurentium*, Cap. 56. Spiritum Sanctum esse supra Ecclesiam colligit & super omnem creaturam, eo quod in Regula Fidei ante Ecclesiam ponatur: Quia *Si creatura, non Creator esset, profecto creatura rationalis esset. Ipse enim esset summa creatura, & ideo in Regula Fidei non poneretur ante Ecclesiam, quia & ipse ad Ecclesiam pertineret, in illa ejus parte, quæ in cœlis est.* Ita recte colligitur, Romanum Pontificem esse inferiorem Ecclesia, quia in Regula Fidei post Ecclesiam ponitur, utpote pars Ecclesiæ quæ militat in terris, primumque illius membrum.

Objectio sexta.

XXXVI. Objicit *Bellarminus* verba Concilii Sinuessani in causa *Marcellini* Papæ; *Prima Sedes a nemine judicatur.* Item Concilii Romani sub *Silvestro*, Canone ultimo: *Nemo judicabit primam sedem.* Item Concilii Romani V. sub *Symmacho*, Librum *Ennodii* Auctoritate Synodali donantis, in quo habetur: *Aliorum hominum causas Deus voluit per homines terminari: Sedis istius Præsulem suo sine quæstione reservavit arbitrio.*

Responsio Theologorum Parisiensium.

Respondent Theologi Parisienses & Sinuessanæ Synodi Acta, & Romanæ Synodi sub *Silvestro*, esse pseudepigrapha, ipsasque Synodos commentitias, eaque est omnium Eruditorum sententia; & laudatas utriusque Concilii sententias probare solum Primam Sedem ab inferioribus Sedibus, aut particularibus Synodis non judicari, non vero a Synodo Œcumenica. *Ennodium* vero & Romanam sub *Symmacho* Synodum, de occultis tantum criminibus intelligi, quæ nec probantur, nec legitimis documentis & testimoniis probari possunt, qualia erant quæ impingebantur *Symmacho* a Schismaticis. Hæc Synodum Romanam divino servasse arbitrio, si quæ forte essent, cum apud homines purus & innocens appareret. Cæterum nec *Symmachum*, qui Romanæ Synodi examini causam suam permisit, nec Synodum ipsam, quæ istius causæ cognitionem suscepit, dimisse absolute aut sensisse quod *Ennodius* scripsit: Romanæ Sedis Præsules *cœlo tantum debere innocentiam*. Pontifex vero qui Synodi Romanæ ex tribus tantum Provinciis conflatæ, Romana, Mediolanensi, & Ravennatensi judicium non declinavit, multo minus Generalis Concilii Judicium declinasset.

Objectio septima ex S. Leone.

XXXVII. Objicit *Bellarminus* locum *S. Leonis* Epist. 84. ad *Anastasium* scribentis: „ Magna Dei dispositione „ provisum est, ne omnes sibi omnia vindicarent, sed „ essent in singulis Provinciis singuli, quorum inter „ fratres haberetur prima sententia, & quidam rursus „ in majoribus urbibus constituti, curam susciperent „ ampliorem, per quos ad unam Petri Sedem univer„ salis Ecclesiæ cura conflueret, & nihil umquam a suo „ Capite dissideret. „ Jam si cura universalis Ecclesiæ ad *Petrum* pertinet (inquit *Bellarminus*) certe etiam Concilii, quod universalis Ecclesiæ vicem gerit.

Responsio Theologorum Parisiensium.

Respondent Theologi Parisienses, *S. Leonem* ibi non loqui de Ecclesia in Concilio congregata, sed per totum orbem dispersa, cujus etsi cura ad Romanum Pontificem confluat, non sequitur quod sit absolute & simpliciter supra Concilium Generale: Sicut nec Metropolitanus est absolute & simpliciter supra Concilium Provinciale, ita quod ab eo judicari non possit, quamvis ad Metropolitanum universæ Provinciæ cura confluat, secundum Canonem 4. Nicænæ Synodi, cujus hæc sunt verba: *Firmitas eorum, quæ geruntur per unamquamque Provinciam, Metropolitano tribuatur Episcopo.* Non tamen Inficiantur Parisienses Theologi, quin Conciliorum cura ad Romanum Pontificem præ cæteris pertineat, sive jus ea convocandi, & eis præsidendi spectetur, sive obligatio Canones exequendi & auctoritas exigendi eorum observantiam ab omnibus Episcopis, Ecclesiasticis Viris, & Christianis universis. Qua obligatione se constringi *S. Leo* agnovit Epist. 55. sive 79. Editionis *P. Quesnellii* ad *Pulcheriam* Augustam: *Quoniam*, inquit, *contra statuta paternorum Canonum, quæ ante longissimæ ætatis in urbe Nicæna spiritualibus sunt fundata Decretis, nihil cuique audere conceditur: Ita ut si quis diversum aliquid decernere velit, se potius minuat, quam illa corrumpat. Quæ si, ut oportet, a cunctis Pontificibus intemerata serventur, per universas Ecclesias tranquilla erit pax & firma concordia: Nullæ de mensura honorum dissensiones, nullæ de Ordinationibus lites, nullæ de Privilegiis ambiguitates, nulla erunt de alieni usurpatione certamina, sed ei qui jure charitatis rationabilis est, & morum & officiorum ordo servabitur.* Et infra: *Consensiones vero Episcoporum, Sanctorum Canonum apud Nicæam conditorum regulis repugnantes, unica nobiscum vestra Fidei pietate in irritum mittimus, & per Auctoritatem B. Petri Apostoli generali prorsus definitione cassamus, in omnibus Ecclesiasticis causis his legibus obsequentes, quas ad pacificam observantiam omnium Sacerdotum, per trecentos decem & octo Antistites Spiritus Sanctus instituit: Ita ut etiam multo plures aliud quam illi statuere decernant, in nulla reverentia sit habendum, quidquid fuerit a prædictorum constitutione diversum.* Cum ait, neminem posse aliquid contrarium Nicænis Canonibus decernere, ne Romanum quidem Pontificem excipit *Sanctus Leo*; excepturus utique, si se supra Ecclesiam universam, & supra Concilium Generale esse credidisset.

Objectio octava ex Gelasio I.

XXXVIII. Idem Cardinalis, & Anonymus libertatum Ecclesiæ Gallicanæ Impugnator lib. 5. Cap. 4. duplicem *Gelasii I.* locum objiciunt: primum ex Epistola 13. ad Episcopos Dardaniæ. *Cuncta*, inquit, *per Mundum novit Ecclesia, quoniam quorumlibet Sententiis ligata Pontificum Sedes Beati Petri Apostoli jus habeat resolvendi, utpote quod de omni Ecclesia fas habeat judicandi, neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio: Siquidem ad illam de qualibet Mundi parte Canones appellari voluerunt, ab illa autem nemo sit appellare permissus.* Sine controversia a minore ad majorem appellatur (inquit *Bellarminus*): Appellari autem a Concilio ad Papam, non contra, perspicuum est ex *Gelasio*. Addit Anonymus, *Gelasium* ibidem variis exemplis Auctoritatem Summi Pontificis supra Concilia confirmare. Sic enim habet: *Sed nec illa præterimus, quod Apostolica Sedes frequenter (ut dictum est) more Majorum, etiam sine ulla Synodo præcedente, & absolvendi quos Synodus iniqua damnaverat, & damnandi, nulla existente Synodo, quos oportuit, habuerit facultatem. Sanctæ memoriæ quippe Athanasium Synodus Orientalis addixerat, quem tamen exceptum Sedes Apostolica, quia damnationi Græcorum non consensit, absolvit. Itemque sanctæ memoriæ Flavianum Pontificum Congregatione damnatum pari tenore, quoniam sola Sedes Apostolica non consensit, absolvit: potiusque qui illic receptus fuerat, Dioscorum secundæ Sedis Præsulem sua Auctoritate damnavit, & impiam Synodum non consentiendo submovit, &c.*

Alter *Gelasii* locus habetur Epist. 4. seu in Commonitorio ad *Faustum*, cujus hæc sunt verba: *Nobis opponunt Canones, dum nesciunt quid loquantur, contra quos hoc ipso venire se probant, quod Sanctæ Sedi sanæ rectaque suadenti parere fugiunt. Ipsi sunt Canones, qui Appellationes totius Ecclesiæ ad hujus Sedis examen voluere deferri, ab ipsa vero nusquam prorsus appellari sanxerunt, ac per hoc illam de tota Ecclesia judicare, ipsam ad nullius commeare Judicium. Nec de ejus umquam præceperunt Judicio judicari, Sententiamque illius constituerunt non oportere dissolvi, cujus potius sequenda Decreta mandarunt.*

Addit auctor uterque *Nicolai* I. testimonium Epist. 8. quæ est ad *Michaelem* Imperatorem scribentis, „ Quo„ niam cum secundum Canones, ubi est major aucto„ ritas Judicum inferiorum sit deferendum, ad dissol„ vendum scilicet, vel ad roborandum, patet profecto „ Sedis Apostolicæ, cujus Auctoritate major non est, „ Judicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam „ de ejus liceat judicare judicio: Siquidem ad illam de „ qualibet Mundi parte Canones appellari voluerunt, „ ab illa autem nemo sit appellare permissus: Juxta „ quod & Bonifacius atque Gelasius Sanctissimi Præ„ sules, non suis adinventionibus, sed Ecclesiæ Ro„ manæ consuetudines non ignorantes dicunt.

Theologorum Parisiensium responsio.

Respondent Parisienses Theologi *Gelasium*, non loqui de Concilio Generali, quod Sedis Apostolicæ Judicium retractet, sed de unaquaque Sede sigillatim accepta, nimirum Alexandrina, Antiochena, Constantinopolitana, quæ de Primæ Sedis Judicio judicare non potest; Non loqui de Appellatione a Romana Sede ad Synodum Generalem, sed de Appellatio-

latione a Romana Sede ad aliam Sedem, ad Synodum Provincialem, aut Nationalem, quæ numquam permissa est. Canones enim qui de qualibet mundi parte ad Romanæ Sedis eaamen Appellationes deferri sanxerunt, & ab ea nusquam appellari, ut ait *Gelasius*, sunt Canones Sardicenses, tertius, quartus, & septimus, quos de causis Episcoporum in Synodo Provinciali aut Nationali judicatis loqui manifestum est legentibus, non de causis Concilii Generalis judicio finitis: Mens *Gelasii* patet ex statu controversiæ, quæ *Gelasium* inter & eos qui *Acacio* favebant, *Euphemium* præsertim Constantinopolitanum Episcopum erat, qui nomen *Acacii* a *Felice* III. in Romana Synodo damnati in sacris Dyptichis pertinaciter retinebat. Hac in causa non vertebatur in dubium an Romanus Pontifex Conciliis Generalibus & Sacris Canonibus subesset: Id enim apud omnes constabat. Sed qui favebant *Acacio*, ejus causam ab uno Romano Pontifice judicari posse negabant. Hi quidem opponebant Canones quibus statuitur ut Episcoporum causæ judicentur in Conciliis atque finiantur: Sed *Gelasius* id necesse non esse reponit, cum Hæreticorum jam a Conciliis damnatorum Sectatores aus fautores damnantur, quia ex forma Conciliorum, quæ auctores hæresum damnarunt, continuo possunt damnari, maxime a Sede Apostolica, cui Canonum executio per universum orbem Christianum incumbit. *Acacium* porro cum *Petro Moggo* Eutychianæ hæreseos convicto communicasse, & hæreticos fovisse; adeoque a Sede Apostolica merito fuisse communione submotum, secundum Synodi Chalcedonensis tenorem. Sedis autem Apostolicæ Judicium ac Decreta hac in causa & similibus, a quibuslibet Patriarchis, & Episcopis, ac Ecclesiis particularibus religiose servari debere, non retractari, cum Canones ita sanxerint. Non esse, inquam, retractanda Sedis Apostolicæ judicia, secundum formam Conciliorum Generalium, & in eorum executionem lata, quia ipsa Conciliorum Œcumenicorum Decreta irretractabilia sunt. *Gelasii* verba subjicio in Epistola ad Episcopos Dardaniæ, ex quibus mens ejus cuique rem attenta consideratione & absque præjudiciis expendenti, explorata erit ac manifesta. „ Acacium, *inquit*, non putant jure damnatum, quod non speciali Synodo videatur fuisse dejectus, & insuper dementiam suæ vanitatis accumulant, pueriliter adjicientes, præcipue Pontificem Regiæ civitatis. Quapropter stultitiam respuentes inanium querelarum percurrere vos oportet ab ipsis Apostolis, & considerare prudanter, quoniam Patres nostri Catholici doctique Pontifices, in unaquaque hæresi quolibet tempore suscitata, quidquid pro veritate, pro communione Catholica atque Apostolica, secundum Scripturarum tramitem, prædicationemque Majorum, facta semel congregatione sanxerunt, inconvulsum voluerunt deinceps firmumque constare: Nec in eadem causa denuo, quæ præfixa fuerant, retractari qualibet recenti præsumptione permiserunt: Sapientissime prævidentes, quoniam si Decreta salubriter cuiquam liceret iterare, nullum contra singulos quosque prorsus errores stabile persisteret Ecclesiæ Constitutum, ac semper iisdem furoribus recidivis omnis integra Definitio turbaretur. *Et infra*: Quæ majores nostri divina inspiratione cernentes, necessarie præcaverunt, ut quæ contra unamquamque hæresim coacta Synodus, pro Fide, communione, & veritate Catholica atque Apostolica promulgasset, non sinerent post hæc novis retractationibus mutilari, ne pravis occasio præberetur, quæ medicinaliter fuerant statuta, pulsandi: Sed Auctore cujuslibet insaniæ, ac pariter errore damnato sufficere judicarunt, ut quisquis aliquando hujus erroris Communicator existeret, principali Sententia damnationis ejus esset obstrictus: Quoniam manifeste quilibet vel professione sua, vel communione posset agnosci. *Id ubi confirmavit ex gestis in causa Sabelliana, Ariana, Macedonianæ, & Nestorianæ hæresum, subdit*: Quibus convenientes ex Paterna Traditione perpensis, confidimus quod nullus jam veraciter Christianus ignoret, Uniuscujusque Synodi Constitutum, quod universalis Ecclesiæ firmavit assensus, non aliquam magis exequi Sedem præ cæteris oportere quam Primam: Quæ & unamquamque Synodum sua auctoritate confirmat, & continuata confirmatione custodit, pro suo scilicet Principatu, quem B. Petrus Apostolus Domini voce perceptum, Ecclesia nihilominus subsequente, & tenuit semper & retinet „. Causam deinde *Acacii* exponens, ipsum *Petri Moggi* communione pollutum ostendit, & *secundum formam Synodi Chalcedonensis, qua error, cui communicavit, elisus est*, a Sede Apostolica fuisse damnatum.

Id confirmatur luculentius ex Pontificis ejusdem Commonitorio ad *Faustum*, Legationis Apostolicæ munus Constantinopoli gerentem: „ Euphemium vero miror, *inquit*, si ignorantiam suam ipse non perspicit, qui dicit Acacium ab uno non potuisse damnari. Itane non perspicit, secundum formam Synodi Chalcedonensis Acacium fuisse damnatum? Nec novit eam, aut se nosse dissimulat, in qua utique per numerosam Sententiam Sacerdotum erroris hujus Auctores constat fuisse damnatos; sicut in unaquaque hæresi a principio Christianæ Religionis & factum fuisse, & fieri, manifesta rerum ratione monstratur, Decessoremque meum executorem fuisse veteris Constituti, non novæ Constitutionis auctorem? Quod non solum Præsuli Apostolico facere licet, sed cuicumque Pontifici, ut quoslibet & quemlibet locum, secundum Regulam hæreseos ipsius ante damnatæ, a Catholica communione discernant. Acacius quippe non fuis novi vel proprii inventor erroris, ut in eum nova Scita prodirent, sed alieno facinori sua communione se miscuit. Itaque necesse est ut in illam recideret justa lance Sententiam, quam cum suis Successoribus per convenientiam Synodalem susceperat Auctor erroris. Nobis opponunt Canones, dum nesciunt quid loquantur, &c. *Et post verba in Objectione descripta subdit*: In hac ipsa causa Timotheus Alexandrinus, & Petrus Antiochenus, Petrus, Paulus, Joannes, & cæteri, non solum unus, sed plures utique nomen Sacerdotis præferentes, sola Sedis Apostolicæ sunt Auctoritate dejecti, cujus rei testis etiam ipse docetur Acacius, qui præceptionis hujus extitit executor. Quod utique sicut Apostolicam Sedem juxta formam Synodicam fecisse manifestum est, sic neminem resultare potuisse, certissimum. Hoc igitur modo recidens in consortium damnatorum est damnatus Acacius, qui eorum damnationem, antequam prævaricator existeret, fuerat executus.

Ex his porro *Gelasii* testimoniis nullatenus extundi potest, a Synodo Generali ad Summum Pontificem appellari, Summi vero Pontificis judicia in Generali Synodo non retractari, quod *Bellarminus* asseverat. Nec id probant exempla a *Gelasio* adducta eorum, quos a Synodis damnatos, Sedes Apostolica quia non consensit, absolvit, præsertim *SS. Athanasii & Flaviani*. A Synodis enim universalibus damnati & depositi non fuerant, sed *Athanasius* quidem ab Eusebianis in Synodo Tyria; *Flavianus* vero a *Dioscoro* in Synodo Ephesina II. convocatione quidem Œcumenica, non tamen Auctoritate, quia ejusdem Dioscori Tyrannide in apertum evaserat Latrocinium. Et quamvis sola Sedes Apostolica *Athanasium & Flavianum* absolverit provisorio Decreto, non consentiendo eorum damnationi, eorum nihilominus causæ in Conciliis Generalibus retractatæ & decretorio Judicio finitæ; & Romanorum Pontificum *Julii & Leonis* latæ pro ipsis Sententiæ, post accuratam causæ totius cognitionem, confirmatæ sunt: *Athanasii* quidem in Synodo Sardicensi, ut testantur ejusdem Synodi Epistolæ ad Presbyteros & Diaconos Alexandriæ & ad Ægyptios ac Africanos, & S. ipse *Athanasius* Apologia 2. *Flaviani* vero in Chalcedonensi. Ejus vero causam in alia Synodo legitima retractandam judicavit *S. Leo*, quamquam ipsum, non consentiendo absolvisset, *Dioscorum* damnasset, ac impiam Synodum non consentiendo submovisset. Id patet ex ipsius *Leonis* Epistola ad *Theodosium Augustum* 25. seu 40. Editionis P. Quenellii; *Omnes Mansuetudini vestræ cum gemitibus & lachrymis supplicant Sacerdotes, ut quia & nostri fideliter reclamarunt, & iisdem libellum Appellationis Flavianus Episcopus dedit, Generalem Synodum jubeatis intra Italiam celebrari, quæ omnes offensiones ita aut repellat, aut mitiget, ne aliquid ultra sit vel in fide dubium, vel in charitate divisum*. Idem confirmatur ex Epistola *Valentiniani* Imperatoris ad eumdem *Theodosium* qua ipsum rogat, ut quia *Constantinopolitanus Episcopus secundum solemnitatem Conciliorum per libellos Romanum Episcopum appellavit, propter contentionem quæ orta est de Fide*, annuat ut idem Beatissimus Romanæ civitatis Episcopus, *congregatis ex omni orbe etiam reliquis Sacerdotibus intra Italiam, omni præjudicio submoto, a principio omnem causam quæ vertitur, solicita probatione cognoscens Sententiam ferat, quam fides & ratio veræ divinitatis expostulat*. Porro Conciliorum Generalium Auctoritas supra Pontificiam probari luculentius non potest, quam ex causarum illarum in Synodo Generali retractatione, quarum cognitionem Pontifices Romani susceperant, & de quibus Sententiam tulerant.

Ad *Nicolai I.* testimonium respondent Theologi Pari-

Parisienses : Hunc non Romanæ Sedis Auctoritatem
cum Ecclasiæ universæ vel Concilii Generalis Aucto-
ritate comparare, ut *Bellarminus* & Anonymus Auctor
persuasum habuerunt, sed eum Sedis Constantinopoli-
tanæ Dignitata & Privilegiis. Sedis enim utriusqua
Privilegia expendit, affirmatqua cum ax aliis, tum ex
hoc quoque Capite Romanam Constantinopolitanæ an-
tecellere, quod Romanæ Judicium minime retractetur,
nec cuiquam aliarum Sedium de ajus liceat Judicio
judicara, cum tamen Constantinopolitani Episcopi Judi-
cium apud Sedem Apostolicam retractari possit.

Objectio nona ex S. Gregorio

XXXIX. Objicit *Bellarminus* testimonium *S. Gregorii*
Lib. 9. Ep. 39. ad *Theotistam* Patriciam scribentis: *Si
B. Petrus, cum a Fidelibus culparetur, Auctoritatem
quam in sanctam Ecclesiam acceperat, attendisset, res-
pondere poterat ut Pastorem suum oves reprehendere non
auderent; sed si in querela Fidelium aliquid de sua
potestate diceret, doctor mansuetudinis non fuisset. Hu-
mili ergo eos ratione placavit.*

Responsio Theologorum Parisiensium.

Respondeot Theologi Parisienses, Ex eo tastimonio
contra Supramam Conciliorum Auctoritatem nihil con-
fici, cum *S. Gregorius* S. Patrum ejusque Successores
aum Synodo Generali non comparat, sed aum singulis
Fidalibus, quorum querelis non ax potestata, sed ex
ratione respondere dabent, & eos humili rationa pla-
care, si forte ab ipsis reprahenduntur; Nec ait *S. Pe-
trum* Auctoritatem io Sanctam Ecclasiam accepisse, ut
rafert doctissimus Cardinalis, sed in tota Ecclesia. *Gre-
gorii* verba subjicio. „ Petrus, *inquit* potestatem Regni
„ cœlastis acceperat, ut quæque in terra ligaret vel
„ solveret, essent in Cœlo ligata vel soluta. Supra
„ Mare ambulavit, ægrotantes umbra curabet, peccan-
„ tes verbo occidebat, mortuos oratione suscitabat; &
„ quia ex admonitione Spiritus ad Cornelium Gantilem
„ fuerar ingressus, contra eum quæstio a Fidalibus fa-
„ cta ast, cur ad Gentiles intrasset & comedisset cum eis,
„ eos in Baptismata suscapisset: & tamen idam Apo-
„ stolorum Primus, tanta donorum gratia repletus,
„ queralæ Fidalium non ax potestate, sed ex ratione
„ respondit, causam per ordinem exposuit, quomodo
„ vas quoddam velut linteum, in quo quadrupedia
„ tarræ & bestiæ & reptilia atqua volatilia inarant, de
„ Cœlo submitti vidarit, vocemque audierit, *Surge
„ Petre, occide, & manduca*; qualiter tras viri vene-
„ rint, aum ad Cornelium vocantes: qualiter Spiritus
„ Sanctus hunc aum ais ire præceperit; qualiter idam
„ Spiritus Sanctus, qui vanira in baptizatos in Judæa
„ post Baptismum consuaverat, in Gentibus ante Ba-
„ ptismum venit. Si enim cum a Fidalibus culparetur,
„ AUCTORITATEM QUAM IN SANCTA EC-
„ CLESIA ACCEPERAT, attandisset, raspondata po-
„ tarat, Ut Pastorem suum oves quæ ei aummissæ
„ fuerant, reprehendera oon audarent. Sad si in que-
„ rela Fidelium aliquid da sua potestata diceret, pro-
„ fecto Doctor maosuatudinis non fuisset. Humili argo
„ eos ratione placavit, atque in causa reprehensionis
„ suæ etiam tastes axhibuit dicens: *Venerunt autem
„ sen fratrar isti*. Si ergo Pastor Ecclesiæ, Apostolo-
„ rum Princeps, signa & miracala singulariter faciens,
„ non dedignatus ast in causa reprehensionis suæ ra-
„ tionem humiliter reddere; quantu magis nos pecca-
„ tores, cum de re aliqua reprehendimur, reprehenso-
„ res nostros humili rationa placara dabemus? Cætatum
quam magnifice da Conciliorum Auctoritata senserit *S.
Gregorius*, nec se supra aam axtulerit, constat ex Epist.
ipsius 24. Lib. 1. ad *Joannem* Constantinopolitanum Pa-
triarcham, cujus verba superiori §. Num. 25. descripsi.

Objectio decima ex Paschali Secundo.

XL. Objiciunt *Bellarmines*, & Anonymus Liberta-
tum Ecclesiæ Gallicanæ Impugnator, lib. 5. Cap. 54.
Paschalis II. Sententiam, Epist. ad Archiapiscopum Pa-
normitanum, relata a *Baronio* a Codica Vaticano ad
annum 1102. Cap. *Significasti*, Extra, *De Electione*: cu-
jus hæc sunt verba: *Ajunt in Conciliis Statutum non
inveniri, quod Romanæ Ecclesiæ Legem Concilia ulla præ-
fixerint, cum omnia Concilia per Romanæ Ecclesiæ Au-
ctoritatem & facta sint, & robur acceperint, & in eorum
Statutis Romani Pontificis patenter excipiatur auctoritas.*

Responsio Theologorum Parisiensium.

Respondent Theologi Parisienses, 1. Concilia per
Romanæ Ecclesiæ auctoritatem ao sensu facta dici a
Paschali II. quod Romani Pontifices val aa convoca-
rint, vel consenserint, ut ab Imperatoribus convoca-
rentur, & ad ea Legatos suos miserint, qui eorum oo-
mine præfuerunt, val eorum Acta & Decreta consansu
suo confirmarunt. 2. Concilia per Rumanæ Ecclesiæ
Auctoritatem robur accepisse, eo sensu, quod Romani

Anno 1129.

Pontifices eorum Definitiones atque Canonea promul-
garunt, eorumque axecutionem imperarunt ac promo-
verunt; non eo sensu quod omnem Auctoritatem suam
a Romanis Pontificibus acceperint. Nam (ut docet
Sacra Facultas io Formula Revocationis *F. Joannis Sar-
razin* præscripta) *Quandocumque in aliquo Concilio
aliqua instituuntur, tota Auctoritas dans vigorem statu-
tis, resides non in solo Summo Pontifice, sed principa-
liter in Spiritu Sancto, & Ecclesia Catholica*. 3. Nulla
Concilia Romanæ Ecclesiæ legem præfixissa, & in eo-
rum Statutis Romani Pontificis exceptam Auctorita-
tam, eo sensu, quod Concilia Rumanis Pontificibus
manus absolute non ligavarint, ne Canones temperent
ac illorum saveriorem observantiam remittent, ubi ne-
cessitas vel utilitas Ecclesiæ id exposcit: Non eo sensu
quod Romana Ecclesia, Summusque Pontifex nullis
Concilioram legibus teneantur ac subdantur, & quod
Papa Canonum observantia sit solutus, aut a Concilii
Generalis coercitiona immunis si prima & maxima,
quam a Christo accepit Auctoritate, in Canonum Spi-
ritu Dei conditorum, & totius mundi reverentia con-
secratorum, dastructionem, Ecclesiæque detrimentum
abuteretur. Nam (ut ait *Facundus Hermianensis* Lib.
2. pro Dafensione Trium Capitulorum, Cap. 6.) *Ille
non in destructionem paternæ sententiæ, sed potius in
defensionem atque ultionem, primam accepit & maxi-
mam Potestatem; ne aliquid contra veritatem, sed pro
veritate plus cæteris Consacerdotibus potest. Paulus
enim dicit Apostolus: Non enim possumus aliud adver-
sus veritatem, sed pro veritate.*

Sed *Gersonium* ea de ra audiamus Lib. *De Potestate
Ecclesiastica* in Concilio Constantiansi adito; Conside-
rationa 10. ubi quorumdam responsionem rafallit, as-
serentium, Concilia, in omnibus Constitutionibus suis
Romani Pontificis Auctoritatam excapisse. „ At vero,
„ *inquit*, respondent alii, non originem Ecclesiasticæ
„ Potestatis positam a Jure Divino tantumdam consi-
„ darantes, quantum respiciunt Decretales cum Glos-
„ sis, allegationibus, concordantiis sina numero Docto-
„ rum unius ad alterum, ut ovium gregi mos est:
„ Respondent, inquam, per unicum verbum, quod
„ semper intallexit Concilium Generale Auctoritatem
„ Summi Pontificis acceptam asse in omni Constitu-
„ tiona sua qualicumque: Nimirum quia posuerunt isti
„ Papalem Auctoritatem supra Concilium, aut saltem
„ non imparem. Est autem certum apud eos, quod
„ per in parem, & minor in Superiorem non habet
„ imperium. Benadictus autam Deus qui per hoc Sa-
„ crosanctum Constantiense Concilium, illustranta Di-
„ vinæ Legis lumina, danta ad hoc ipsam vexationa
„ præsentis Schismatis intallectum, liberavit Ecclesiam
„ suam ab hac pestifera perniciosissimaqaa doctrina:
„ Qua sampet manante, perseverasset semper Schisma
„ nutritum ab ea. Declaratum nempe decretumque
„ est, quod & sine Papa Generale Concilium convo-
„ cari, & a Concilio Papa judicari certis casibus po-
„ test. Quod insuper habet Auctoritatem Genarale Con-
„ cilium præscribera Leges seu Regulas, secundum
„ quas plenitudo Potestatis Papalis, non quidem in se,
„ quæ semper eadam ast; sed io usu suo modaranda,
„ regulandaque est. Neque putandum est insuper, Con-
„ cilia Generalia sic axcepisse Papalem Auctoritatam in
„ Constitutionibus suis, ut eidem permitteretur affre-
„ nis libertas ea dastruendi levissime quæ tanta gravi-
„ tate & digesta Sapientum maturitate condita sunt.
„ Intelligitur argo Papalis Auctoritatis axceptio facta,
„ prout occurrans necessitas, val evidans utilitas po-
„ stulabat: ubi pro tunc recursus ad Generale Conci-
„ lium non patabat. Alioqui non erat ibi usi plenitu-
„ dina Papalis Potestatis, sed abuti plenissima.

Cæterum *Paschalis II.* cujus in tastimonio axplican-
do varsamur, non is atat, qui supra Conciliorum Ge-
neralium Auctoritatem, Pontificiam extolleret, cum
val Concilii Laterenensis Episcuporum plus minus cen-
tum Judicio Privilegium da Investituris *Henrico* Impe-
ratori a se concessum subdiderit, Fideiqua Professionam
coram Synodo ediderit, qua se Ganeralium Conciliorum
Decretis & Sacris Canonibus subditum professus ast:
Ac demum Concilium Privilagium illud, *Privilegium*
axecrationis causa nuncupatum, damnavarit ac rasci-
darit. *Paschalis II.* Conciliique verba subjicio: „ Por-
„ ro scriptum illud quod magnis necessitatibus coa-
„ ctus, non pro vita mea, noo pro saluta aut gloria
„ sed pro solis Ecclasiæ necessitatibus sine Fratrum
„ Concilio aut subscriptionibus feci; super quo nulla
„ conditione, oulla promissiona constringimur; sicut
„ prave factum agnosco, ita prava factum confiteor
„ & omnino corrigi Deo præstante desidero. Cujus
„ correctioois modum, Fratrum qui convenerunt, con-
„ silio judicioqua constituo, na forta per hoc imposte-
„ rum detrimentum aliquod Ecclesiæ aut animæ meæ
præ-

„ præjudicium relinquatur. Tunc communi omnium favore laudatum est, ut Fratres, qui donum a Deo sapientiæ scientiæque perceperant, maturius super hoc consilium communi deliberatione susciperent, quid sequenti die per inspirationem Spiritus Sancti responderent. Die itaque seuta, quæ ultima Concilii fuit, Fidei suæ veritatem, Sanctis Patribus per omnia congruentem, Dominus Papa Paschalis audientiæ totius Concilii cuposuit, asserens se Scripturas Sanctas Veteris & Nuvi Testamenti, & Concilia Universalia veneranda suscipere; ac venerari, quæ Catholica Ecclesia suscipit ac veneratur, ita dicendo: Amplector omnem Divinam Scripturam, scilicat Veteris & Novi Testamenti, Legem scriptam a Moyse, & a Sanctis Prophetis; amplector quatuor Evangelia, septem Epistolas Canonicas & Epistolas gloriosi Doctoris B. Pauli Apostoli, Sanctos Canones Apostolorum, quatuor Universalia Concilia, sicut quatuor Evangelia, Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum, & Chalcedonense; Decreta Sanctorum Patrum, Romanorum Poutlficum, & præcipue Decreta Domini Papæ Gregorii, & beatæ memoriæ Papæ Urbani: quæ ipsi laudaverunt, laudo; quæ ipsi tenuerunt, teneo; quæ confirmaverunt, confirmo: quæ damnaverunt, damno; quæ repulerunt, repello; quæ interdiuerunt, interdico; quæ prohibuerunt, prohibeo in omuibus & per omnia, & in omnibus semper perseverabo.

In calce hujus Professionis, ex ore omuium, qui ad consulendum hesterna deliberatione convenerant, Engolismensis Episcopus Gerardus hanc in scriptis sententiam recitavit: Privilegium illud, quod neu est privilegium (neque enim dici debet Privilegium, sed Pravilegium) pro libertate captivorum & Ecclesiæ a Domino Papa Paschali per violentiam Henrici Regis extortum Nos omnes in hoc Sancto Concilio cum eodem Domino Papa congregati, Canonica Censura, & Ecclesiastica Auctoritate, Judicio Sancti Spiritus damuamus, & irritum esse judicamus, atque omnino cassamus. Siccine locuti fuissent Pontifex & Episcopi, qui credidissent vel sensissent, Romanum Pontificem simpliciter & absolute esse supra Ecclesiam univarsam & supra Generale Concilium, ita ut nullum in terris supra se Judicium cognoscat? An vero Gallicani Præsules qui idem Privilegium seu *Pravilegium Paschalis II.* in Synodo Viennensi an. r t t a. damnarunt ac resciderunt, minatique sunt, ni Decreta sua confirmaret, se ab ejus obedientia recessuros, (ut constat eu eorum Epist. Synodica) Romanum Pontificem Generali Concilio superiorem, vel ejus irreformabile Judicium nullo Ecclesiæ accedente consensu sentiebant? Porro inter hujus Viennensis Concilii Patres sedebant Episcopi sanctitate & doctrina conspicui, *S. Hogo* Gratianopolitanus, & *S. Godefridus* Ambianensis. Præerat *Guido* Viennensis Archipræsul Sedis Apostolicæ Legatus, postea Summus Pontifeu *Callistus II.*

Objectio undecima ex Concilio Lateranensi Tertio.

XLI. Objeiunt *Bellarminus*, & Anonymus Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ Impugnator, Sententiam Lateranensis Concilii sub *Alexandra III.* quæ Cap. *Licet*, Extra, *De Electione* habetur: *In Romana Ecclesia*, inquit, *aliquid specialiter constituitur, quia uon poterit ad Superiorem haberi recursus.* Ubi Concilium docet, inquit *Bellarminus*, majori cautela debere eligi Romanum Pontificem, quam alios Episcupos, uuia si eligatur malus Episcopus, potest ille corrigi & deponi per Romanum Pontificem: Si autem eligatur malus Pontifex Summus, non est remedium ullum: Non enim habet Superiorem a quo deponi possit.

Responsio Theologorum Parisiensium.

Respondent Theologi Parisienses. Hæc verba *Alexandri III.* & Concilii: *In Romana Ecclesia recursus ad Superiorem haberi poterit*, Generale Concilium non excludere, sed alias dumtaxat Sedes, & cæteros Episcopos. Is enim Decreti sensus est: In eligendis & constituendis Pontificibus rationem aliam esse Romanæ, aliam cæterarum Ecclesiarum. In cæteris Ecclesiis, si contra Canones eligatur Episcopus, huic Disciplinæ vulneri facile remedium adhiberi, cum Ecclesiæ cæteræ Romanum Pontificem Superiorem habeant, cujus est Canonum executioni per totum orbem invigilare, qui proinde vitiosam electionem canonice rescindere, & male constitutum Episcopum deponere potest. In Romana vero Ecclesia, si Pontifex contra Canones eligatur, non est qui huic malu tam prompte & tam facile remedium afferat: Quia in reliquorum Episcoporom ordine nullus est, a quo perversa Romani Pontificis electio rescindatur, & perperam electus removeatur. Concilium quidem Generale celebrari potest, quod electionem contra Canones factam abroget, & legitimum Pontificem creet: Imperatoris, ac Regum Christianorum & Catholicorum auuilium implorari potest, ut iis jubentibus ac faventibus, vicinarum saltem Provinciarum Synodus congregetur, quæ merita electionis & Electi discutiat, ut factum est in Schismate quod inter *Damasum & Ursicinum*, inter *Bonifacium & Eulalium*, inter *Symmachum & Laurentium* olim conflatum est. Sed multis incommodis, & diuturni Schismatis periculo hæc remedia obnoxia sunt, nec sunt adeo præsentia ac Romani Pontificis aditus in controversiis de aliorum Præsulum electione emergentibus. Quamobrem *Alexander* III. & Concilium Lateranense caotionem mauimam in præscribenda electionis Pontificiæ forma adhibent, ut quod malum in aliis Ecclesiis interdum contingit, a Romana in perpetuum, si fieri potest, avertatur. Mens illorum eu Decreti verbis perspicua est: „ Statuimus, ut si forte inter Cardinales de substituendo Summo Pontifice non poterit esse plena concordia, & duabus partibus concordantibus, pars tertia concordare noluerit, aut sibi alium præsumpserit nominare, ille absque ulla exceptione ab universali Ecclesia Romanus Pontifex habeatur, qui a duabus partibus concordantibus electus fuerit & receptus. Si quis autem de tertiæ partis nominatione confisus (quia de ratione esse non potest) sibi nomen Episcopi usurpaverit, tam ipse, quam hi qui eum receperint, Excommunicationi subjaceant, & totius Sacri ordinis privatione mulctentur, ut Viatica etiam eis (nisi tantum in ultimis) Communio denegetur; & si non resipuerint, cum Dathan & Abiron (quos terra vivos absorbuit) accipiant portionem. Præterea, si a paucioribus quam duabus partibus aliquis electus fuerit, ad Apostolatus officium, nisi major concordia intercesserit, nullatenus assumatur, & prædictæ pœnæ subjaceat, si humiliter noluerit abstinere. Eu hoc tamen nullum Canonicis Constitutionibus, & aliis Ecclesiis præjudicium generetur, in quibus debet majoris & sanioris partis sententia prævalere: Quia quod in eis dubium venerit, Superioris poterit Judicio definiri: In Romana Ecclesia speciale aliquid constituitur, quia non poterit ad Superiorem recursus haberi.

Nomine superioris, ad quem in dubio electionis Romani Pontificis recurri non possit, Concilium Generale ab *Alexandro* III. intellectum non fuisse, confirmat *Julii* II. Decretum de Simoniaca Romani Pontificis Electione, cujus hæc sunt verba: *Liceat Cardinalibus, qui electioni prædictæ Simoniacæ interfuerint, & a præfato sic electo discesserint, adhibitis secum aliis Cardinalibus qui hujusmodi electioni simoniacæ consenserunt, & postea eisdem Cardinalibus in dicta Simonia non complicibus se univerint, si se cum eisdem unire voluerint, alioquin sine eis, ad ulterius nihilominus Pontificis electionem, non exspectata alia Sententia declaratoria simoniacæ electionis hujusmodi, libere, alias tamen canonice devenire, & Concilium etiam Generale indicere & convocare in loco idoneo, prout eis videbitur expedire, non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, & præcipue felicis recordationis Alexandri Papæ III. quæ incipit: LICET DEVITANDA DISCORDIA.*

Mens denique *Alexandri* III. innotescit eu literis, quibus Episcopos per Tusciam constitutos ad Concilium convocat, ad emendanda, quæ digna emendatione videntur, & ad promulganda quæ saluti Fidelium expediunt: *Ut quod bonum est, secundum consuetudinem antiquorum Patrum provideatur & firmetur a multis, quod si particulariter fieret, non facile posset plenum robur habere.* At si se Concilio Generali Superiorem existimasset *Alexander* III. majus robur habiturum credidisset, quod a se particulariter fieret, quam quod in Concilio Generali plurimorum suffragiis ac Judicio firmaretur.

Objectio 12. ex Innocentio Tertio.

XLII. Objicit Cardinalis *Bellarminus* testimonium *Innocentii Tertii* Sermone 2. De Consecratione Pontificis: „ In tantum, *inquit*, mihi Fides necessaria est, ut cum de cæteris peccatis Deum Judicem habeam, propter solum peccatum quod in Fide committitur, possem ab Ecclesia judicari.

Responsio Theologorum Parisiensium.

Respondent Theologi Parisienses, Hunc *Innocentii Tertii* locum non probare quod *Bellarminus* asserit, Summum Pontificem simpliciter & absolute esse supra Concilium Generale, ita ut nullum in terris supra se Judicium agnoscat: Cum liquido probet Pontificem saltem in causa Fidei Concilio subesse, & ab eo posse judicari. Cæterum hic nomine peccati quod in Fidem committitur, non solum hæresim proprie dictam intelligi, sed quamcumque pravitatem, quæ publicam Ecclesiæ offensionem importaret, quamque monitus emendare nollet. Id constare ex altero loco §. superiori descripto, ubi in causa divortii *Philippi Augusti*, Fidem non spectante, id

te, id genus peccati admittere se posse fatetur, propter quod Ordinis & Officii periculum etiam immineret.

Objectio 13. ex Bonifacio Octavo.

XLIII. Objicit *Bellarminus* Bonitacii VIII. testimonium in Constitutione, *Unam Sanctam*, Tit. *De Majoritate & Obedientia*, cujus hæc suns verba: „ Si deviat terrena Potestas, judicabitur a Potestate spirituali; Si deviat spiritualis, minor a majori; si vero suprema, a Deo solo, non ab homine poterit judicari, testante Apostolo: Spiritualis homo judicat omnia, ipse a nemine judicatur.

Responsio Theologorum Parisiensium.

Respondent Theologi Parisienses: Hanc *Bonifacii* Constitutionem editam inter gravissima illa dissidia, quæ inter illum & *Philippum Pulchrum* Regem Christianissimum exarserunt, a *Clemente V.* rescissam, aut certe temperatam cap. *Meruit de Privilegiis*, ab Ecclesia Gallicana non receptam, nullius esse hac in causa roboris. Deinde, verba illa non esse *Bonifacii* definientis, sed male ratiocinantis, & locum Apostoli in alienum sensum detorquentis, ut paret ex unanimi SS. Patrum consensu illum de viris quibuslibes spiritualibus sive justis exponentium, quos tamen nemo dixerit nullum in terris Superiorem habere a quo judicari possins. Patrum loca indigitare satia fuerit, *S. Iræni* lib. 4. consra Hæresea, cap. 53. *S. Athanasii* libro de Incarnatione Christi, *S. Joannis Chrysostomi* in Epist. 1. ad Corinthios cap. 2. *Hilarii*, Romanæ Ecclesiæ Diaconi, cujus Commentarii sub *S. Ambrosii* nomine sunt editi, in eumdem locum. *S. Augustini*, lib. De Genesi ad Literam 12. cap. 24. & lib. 3. De Baptismo cap. 18. *Theodoreti*, Venerabilis *Bedæ*, *Theophylacti*, *Oecumenici*, *Lanfranci* Cantuariensis Archiepiscopi, in eumdem Apostoli locum, &c.

Objectio decima-quarta ex Conciliorum necessaria confirmatione a Romano Pontifice.

XLIV. Objiciunt *Bellarminus*, & Anonymus auctor, Ea Concilia recipi, quæ Romanus Pontifex approbat & confirmas, ea rejici, quæ improbat. Ipsa Concilia Decretorum suorum Confirmationem a Romano Pontifice postulasse, ut ex eorum Actis patet, præcipue, Nicæni, Constantinopolitani 1. Ephesini, Chalcedonensis, Constantinopolitani 3. seu 6. Generalis. Id testari *Gelasium* in Epist. 13. ad Episcopos Dardaniæ scribentem: „ Prima Sedes unamquamque Synodum auctoritate sua confirmat. Et, Sanctæ memoriæ Flavianum, Pontificum congregasione damnatum, pari teore, quoniam sola Sedes Apostolica non consensit, absolvit; potiusque, qui illic receptus fuerat, Dioscorum secundæ Sedis Præsulem sua auctoritase damnavit, & impiam Synodum (*Ephesinam 2.*) non consentiendo, ac pro veritate, ut Synodus Chalcedonensis fieret, sola decrevit. *Idem testari* Nicolaum I. *Epist. 8. cujus hæc sunt verba:* Non ergo dicatis, non eguisse vos in causa pietatis Romanæ Ecclesiæ, quæ collecta Concilia sua auctoritate firmat, sua moderatione custodit. Unde quædam eorum, quia consensum Romani Pontificis non habuerunt, valetudinem perdiderunt. Quomodo non egeat quælibet Synodus Romanæ Sedis, quando in Ephesino Latrocinio cunctis Præsulibus, & ipsis quoque Patriarchis probantibus, nisi Magnus Leo, imitator scilicet illius Leonis, de quo scriptum est, Vicit Leo de Tribu Juda, divinitus excitasus, os aperiens, totum orbem, & ipsos quoque Augustos concuteres, & ad pietatem commoveret, Religio Catholica penisus corruisses „. Quod Pontifices Conciliorum Decreta aliquando reprobaverint, perspicuum esse ex Epist. 52. *S. Basilii* ad *S. Athanasium*, in qua scribit rogandum esse Romanum Episcopum, ut mittat aliquos in Græciam, qui ejus nomine Concilium Ariminense rescindant: Item ex Epistola *Damasi* ad Episcopos Illyrici, Concilium illud reprobantis; Tum etiam ex Epistola *S. Leonis* 55. ad *Pulcheriam*, quæ sic habet: *Consensiones Episcoporum, Canonum apud Nicænum conditorum regulis repugnantes, in irritum mittimus, & per auctoritatem B. Petri Apostoli generali prorsus definitione cassamus.* Ex Epistola denique *S. Gregorii* 34. Libri 4. in qua scribit: *Cuncta Acta illius Synodi, Sede contradicente Apostolica, soluta sunt.* Id autem apertum est signum superioritatis (inquit *Bellarminus*.)

Responsio Theologorum Parisiensium.

XLV. Respondent Theologi Parisienses, ea quidem Concilii dumtaxat recipi, quæ Romanus Pontifex approbat & confirmat: Sed eam confirmationem non ita accipiendam & intelligendam, ut totum robur Concilii sit a Romano Pontifice, adeo ut Œcumenica Synodus legitime congregata, gestaque, nullius futura sit auctorisatis, nisi a Romano Pontifice confirmetur. Quis enim dixerit; Symbolum Nicænum, & Constantinopolitanum, Synodi quoque Ephesinæ, Chalcedonensis, & aliarum Definitiones Fidei, Scripturis Sacris & Traditioni consonas, Hæresum peremptrices, nullam vim habituras, si Romani Pontifices eas approbare noluissent? Quis Nicænos Canones Spiritu Dei conditos, ab iis vim suam omnem & Auctoritatem mutuari asseveret? *Tota* igitur *Auctoritas dans robur statutis Conciliorum Generalium, principaliter residet in Spiritu Sancto, & in Ecclesia Catholica*, ut docet ab antiquo Sacra Facultas Parisiensis. Quamobrem Summi Pontificis confirmatio in eo solum posita est, quod Synodi Decretis consentiat, quod ea promulget, executioni mandari jubeat, ipsemet exequatur (inquiunt Theologi Parisienses) quod ex Epistola *S. Leonis* 61. seu 87. Editionis *P. Quesnelli*, ad Episcopos, qui in Synodo Chalcedonensi congregati fuerant, directa, colliguns, in qua declarat quomodo Gesta Synodalia approbaverit, & confirmaverit, consensum nimitum adhibendo his quæ in causa fidei decresa erant. Quod tamen non fecit quasi robur alioqui Sacrosanctis Decretis deesset, quæ ad normam Epistolæ ipsius dogmaticæ ad *Flavianum* & Paternæ Traditionis condita fuerant, Legatis, qui vicem ejus in Synodo gesserant, consentientibus; sed ut damnatis Eutychianæ Sectæ asseclis os obstrueret, qui adversus Sanctæ Synodi Decreta excipiebant, hæc unanimi omnium consensu non esse condita, nec recepta, immo Sedem Romanam ita illis contradixisse, ut omnino suum consensum his adhibere renuisset. Nimirum ex eo quod Legati *S. Leonis* adversus Canonem 28. intercessissent, improbassetque ipse *Leo*, occasionem hujus calumniæ spargendæ sumpserant Hæretici, Chalcedonensem Synodum ab Apostolica Sede repudiatam esse. „ Omnem (*inquit*) fraternitatem vestram nosse non ambigo, Definitionem Sanctæ Synodi, quæ ob confirmationem Fidei in Chalcedonensi civitate celebrata est, toto corde me fuisse complexum: Quia nulla sinebat ratio, ut qui unitatem Catholicæ Fidei dolebam ab Hæreticis fuisse turbatam, non exultanter in integrum redisse gauderem. Hoc autem non solum ex ipso beatissimæ consensionis effectu, sed etiam ex Epistolis meis, quas post reditum meorum ad Constantinopolitanæ urbis Antistitem dedi, potuissetis agnoscere, si vobis responsionem Sedis Apostolicæ manifestare voluisset. Ne ergo per malignos interpretes dubitabile videatur, utrum quæ in Synodo Chalcedonensi per unanimitatem vestram de Fide statuta sunt, approbem, hæc ad omnes Fratres & Coepiscopos nostros, qui prædicto Concilio interfuerunt, Scripta direxi, quæ Gloriosissimus & Clementissimus Princeps, sicut poposci, in notitiam vestram mittere pro Catholicæ Fidei amore dignabitur: ut & fraterna universitas, & omnium Fidelium corda cognoscant, me non solum per Fratres, qui vicem meam exsecuti sunt, sed etiam per approbationem gestorum Synodalium, propriam vobiscum unisse sententiam, in sola videlicet causa Fidei „. Hoc sensu Concilium confirmant omnes Episcopi, qui illius Decretis subscribuns. Unde *S. Cyrillus Alexandrinus* Ep. ad *Acacium* Melitensem Episcopum, de *Sixto III.* Romano Pontifice scribit: *Si qui Epistolam tamquam a Philippo Romanæ Ecclesiæ Presbytero scriptam attulerint, perinde sonantem ac si Sanctissimus Episcopus Sixtus depositionem Nestorii moleste acceperit, eique opem tulerit, ne credat hoc Sanctitas tua. Scripsit enim consona sanctæ Synodo, omniaque illius gesta confirmavit, ac nobiscum sentit.* Hoc sensu *Martinus* I. Pontifex Sanctissimus Lateranensis Concilii contra Monothelitas ipso Præside celebrati Acta a Gallicanæ Ecclesiæ Episcopis confirmari optavit, ut constat ex ejus Epistola ad *S. Amandum* Trajectensem Episcopum. *Synodale*, inquit, *conventione omnium fratrum & Coepiscoporum nostrorum partium illarum effectu, secundum tenorem Encyclicæ a nobis directæ, Scripta una cum subscriptionibus vestris Nobismet destinanda concelebrent, confirmantes atque consentientes iis, quæ pro orthodoxa Fide, & destructione Hæreticorum vesaniæ nuper exortæ a nobis statuta sunt.* Hoc sensu *Stephanus Junior* de Synodo Iconomachorum loquens, eam hoc nomine respuendam probat, quod Romani Pontificis ac cæterorum Patriarcharum libellis confirmata non fuerit. *Qui Oecumenicum istud Concilium vocari queat, quod nec Romanus Antistes, citra cujus Auctoritatem nullo modo fieri potest ut res Ecclesiæ ad normam dirigantur, gratum habuit, nec Alexandrinus comprobavit, nec Antiochenus, nec denique Hierosolymitanus? Ubinam eorum libelli sunt? Aut quinam per diversa loca missi sunt, in quibus falsum vestrum Concilium confirmaretur, ut hac ratione Oecumenicum censeri possit?* Ex hoc porro confirmationis genere colligi non potest eum qui Synodum confirmat, superiorem esse Synodo, alioqui sequeretur

tur Gallicanos Episcopos Lateranensi Concilio, & Romano Pontifice illi præsidente, superiores esse. Sequeretur cæteros Patriarchas non minus quam Romanum Pontificem Concilio superiorem auctoritatem habere.

Addiderim, quod olim a me observatum est, Synodum quidem Generalem, in Spiritu Sancto legitime congregatam, & universalem Ecclesiam repræsentantem, Auctoritatem a Christo immediate habere, non a Summo Pontifice: Sed quia conditiones quædam ad Synodum Œcumenicam necessario concurrunt, ut scilicet secundum Scripturas Sacras, secundum Traditionem Patrum, secundum Ecclesiasticas Regulas cum plena suffragiorum libertate, consentiente regulariter Summo Pontifice, & per seipsum vel per Legatos, si voluerit, Præsidente, & Suffragii prærogativa gaudente, celebretur ab Episcopis ex toto orbe Christiano convocatis, nemine, qui jus habuerit, excluso: Aliquam in Ecclesia Auctoritatem esse necesse est, ad quam spectet judicare ac declarare quod cum harum conditionum concursu Synodus gesta sit: Qua ex declaratione, Christianorum omnium obligatio ad ejus Decreta cum de fide, tum de morum disciplina recipienda consequitur. Id porro præstat Romanus Pontifex, cum Synodi Generalis decreta promulgat, eorumque executionem imperat. Id Canonicarum Scripturarum exemplo illustrabam, quæ Auctoritatem a Deo immediate habent, cujus verbum sunt, & cujus assistente ac dictante Spiritu a Sanctis Dei hominibus sunt conscriptæ: & tamen ad Ecclesiam spectat declarare quænam Canonicæ ac Divinæ sint, ut ejus veluti sigillo ab Apocryphis discretas Fideles omnes internoscant: Unde *S. Augustinus* ait: *Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ moveret Auctoritas*; & ex ea declaratione nascitur obligatio Christianorum, ut eas Canonicarum numero & loco habeant. Ita Summi Pontificis est declarare, quæ Concilia vere Œcumenica sint, ad ipsum spectat judicare an iis instructa sint conditionibus quæ Concilii Œcumenici rationem constituunt; ea promulgare, eorum executionem jubere ac promovere quamvis necessariam ab ipso non habeant, sed a Christo immediate acceptam supremam Auctoritatem. Hujus explicationis fundamentum accepi ex ipsa Epistola *Gelasii* ad Episcopos Dardaniæ, quam *Bellarminus* objicit, in qua de Ephesino Latrocinio sic loquitur: „ Sicut id quod Prima Sedes non probaverat, constare non potuit, sic „ quod illa censuit judicandum, Ecclesia tota suscepit: Ubi etiam consequenter ostenditur, quia male „ gesta Synodus, id est, contra Scripturas Sanctas, „ contra doctrinam Patrum, contra Ecclesiasticas Re„ gulas, quam tota merito Ecclesia non recipit, & „ præcipue Sedes Apostolica non probavit, per bene „ gestam Synodum, id est secundum Scripturas, secun„ dum Traditionem Patrum, secundum Ecclesiasticas „ Regulas, pro Fide Catholica & communione prola„ tam, quam cuncta recepit Ecclesia, quam maxime „ Sedes Apostolica comprobavit, & debuerit, & po„ tuerit immutari. „ Ibidem explicat *Gelasius*, quid sit confirmari Synodum a Romano Pontifice: Nihil aliud esse nimirum quam promulgari, executioni mandari, illiusque Synodi Sacrosancta Decreta, ab ipso imprimis custodiri. „ Quibus, *inquit*, ex divina Tradi„ tione perpensis, confidimus quod nullus jam veraci„ ter Christianus ignoret, Uniuscujusque Synodi Con„ stitutum, quod universalis Ecclesiæ probavit assen„ sus, non aliquam magis exequi Sedem præ cæteris „ oportere, quam Primam, quæ unamquamque Syno„ dum Auctoritate sua confirmat, & continuata mo„ deratione custodit. „ At confirmatio quæ in consensu, promulgatione, executione, & custodia legis posita est, non probat eum qui confirmat, superiorem esse eo qui Legem tulit. Quis enim Præfectum Prætorio supra Imperatores fuisse colligat, quod latas ab ipsis Leges promulgaret, earumque executionem curaret? Quis Senatum esse supra Regem inferat, quia ejus Edictis assensum præbet, eaque promulgat, & executioni mandari jubet?

XLVI. Idem est *Nicolai I.* ac *Gelasii* sensus, cujus verba mutuatur. Est certe cum Definitiones Conciliorum Generalium sint Oracula Spiritus Sancti, juxta illud, *Visum est Spiritui Sancto & nobis*, non est in potestate Summi Pontificis ut Concilii vere Œcumenici Definitionem rescindat; alias Spiritus Sanctus non doceret omnem veritatem, nisi Romano Pontifici placeret illam approbare; quod vel cogitare impium est. Fateor tamen Deum permisisse nusquam, neque (ut confidit Christiana pietas) permissurum ut Summi Pontificis consensum non adhiberent, aut non adhibeant Œcumenicorum Conciliorum Definitionibus ac Decretis Fidem spectantibus: Nusquam permisisse ut ea Concilia seu Œcumenica approbarent & reciperent, vel approbent ac recipiant, quæ in Fidei causa perperam gesta sunt, & contra Scripturas Sacras, contra Patrum Traditionem, contra Regulas Ecclesiasticas. Sane cum adversus veritatem nihil possint, sic gestam Synodum approbare & confirmare, non est in ipsorum potestate positum. Quam si approbarent, ipsi Anathemate ab Ecclesia damnarentur. Si, inquam, *Damasus* Synodum Ariminensem approbasset, assensuque suo firmare voluisset; si *Leo* Ephesinam secundam, robore nihilominus caruissent. *Non enim firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit*, ut habet Regula Juris. Porro Concilia illa per se erant irrita; robur itaque nancisci non poterant consensu Romani Pontificis, aut legitima & Œcumenica ejus confirmatione evadere: Siquidem efficere ille non potest ut hæresis sit veritas Catholica, ut quod injustum est sit justum. Ecclesia igitur *Damasum* damnasset cum Arianis, si Synodum Ariminensem suscepisset; *Leonem* damnasset cum *Dioscoro* & Eutychianis, si Latrocinium Ephesinum comprobasset, his Apostoli fulta verbis: *Licet nos, aut Angelus de Cœlo evangelizet vobis præterquam quod evangelizavimus vobis, Anathema sit. Si quis vobis evangelizaverit præter id quod accepistis, Anathema sit.* Verum quia Dei providentia singularis, Christi Ecclesiam suam gubernantis protectio, Spiritus Sancti Sedis Apostolicæ Præsules dirigentis assistentia, *S. Petri* qui *in sua Sede vivit & præsidet*, quique *Fidei columna est & Ecclesiæ Catholicæ fundamentum*, intercessio, hactenus effecerunt ut Romani Pontifices bene gesta Concilia approbarent, male gesta rejicerent, ut eorum officii ratio postulabat, & ex eorum dissensu & improbatione Fidelibus universis innotuit hujusmodi Conciliorum pravitas & insanitas, hinc *Nicolaus I.* ait: *Quædam eorum, quia consensum Romani Pontificis non habuerunt, valetudinem perdiderunt.*

XLVII. Synodum igitur Ariminensem *Damasus* irritam non fecit, sed irritam declaravit, cum revera talis esset, ejusque Decreta Arianam Hæresim sub verborum ambiguorum involucris tegentia, *per vim & contentionem extorta* essent, ut *S. Basilius* in Epistola superius laudata, & *S. Athanasius* in Epistola ad Africanos, testatur. Id autem a Romano Pontifice declarari operæ pretium duxit *S. Basilius*, tum quia ratione Primatus ad ipsum pertinebat *corrigere* eos qui *distorti & obliqui* erant, & præjudicium ex Ariminensi Concilio contra Nicænam Fidem faciebant: Tum quia Concilium illud in Romana Provincia fuerat celebratum, cui per se vel per Legatos interesse ac præesse debuerat, nec tamen interfuerat, neque consultus fuerat de capitibus decernendis. Unde silentium illius in conscientiam & approbationem Concilii ductum fuisset, nisi ejus dissensus omnibus innotuisset, missisque in Græciam Legatis, Acta hujusmodi Concilii irrita declarasset. Nec vero solus *Damasus*, sed & *nonaginta cum illo Episcopi ex Italia & Gallia*, Formulam Ariminensis Concilii improbarunt, scripta ex Romana Synodo ad Episcopos Illyrici Epistola, ut *Theodoretus* testatur Lib. 2. Historiæ Ecclesiasticæ Cap. 17. Addit: „ Præ„ judicium aliquod fieri non potuisse per numerum A„ rimini congregatum, quando constat, neque Roma„ num Episcopum, cujus ante omnia expectanda erat „ sententia, neque Vincentium, qui tot annorum Epi„ scopatum integre gesserat, neque alios talibus præ„ buisse consensum; *maxime cum Episcopi qui per fraudem a Nicæna Fide deflexerant*, confiterentur sibi „ subreptum, quod non intelligerent Patrum sententiæ „ apud Nicæam constitutæ hoc esse contrarium. „ En rationes cur irritum esset Ariminense Concilium, & ob quas illud improbarunt, non solum Romanus Pontifex, sed *Vincentius*, & alii Episcopi, quos tamen esse Concilio Generali superiores nemo dixerit. Denique Concilium Ariminense Oecumenicum non fuit, cum Orientales interim Seleuciæ congregati essent; & quamvis convocatione & Numero Præsulum, non tamen auctoritate Oecumenicum fuisset, cum secundum Scripturas, secundum Traditionem Patrum, secundum Regulas Ecclesiasticas, pro Fide & Communione Catholica celebratum non fuerit: Adeoque non conficitur Pontificem Romanum Synodum Generalem aliquando rescidisse, quia rescidit, id est, irritam declaravit Ariminensem.

XLVIII. De Synodo Ephesina Secunda idem dicendum, non ideo ipsam irritam fuisse, quia a *S. Leone* improbata & rejecta, sed ideo rejectam & improbatam, quia irrita erat. Id constat ex Epistola *S. Leonis* 25. seu 40. Editionis *Quesnellii*, ad *Theodosium Augu-*

stam data. „ Dum, *inquit*, privatæ causæ Religionis exercentur obtentu, commissum est impietate paucorum, quod universam Ecclesiam vulneraret. Comperimus enim non incerto nuncio, sed fidelissimo rerum quæ gesta sunt narratore Hilario Diacono nostro (qui vix, ne subscribera per vim cogeretur, effugit) convenisse ad Synodum plurimos Sacerdotes; quorum utique frequentia consultationi & judicio profuisset, si is qui sibi locum principem vindicabat, Sacerdotalem modarationem custodire voluisset, ut (sicut moris est) omnium sententiis ex libertate prolatis, id tranquillo & æquo constitueretur axamine, quod & Fidei congrueret, & arrantibus subveniret. In ipso autem judicio non omnes qui convenerant, intarfuisse cognovimus. Nam alios rejectos, alios didicimus intromissos, qui pro supradicti Sacerdotis arbitrio, impiis subscripeionibus captivas manus dederant, & nociturum statui suo scirent, nisi imperata fecissent: Talamque ab ipso prolatam esse Sententiam, ut dum unus homo impetitur, in omnem Ecclesiam sæviretur. Quod nostri ab Apostolica Sede directi, aden Impium, & Catholicæ Fidai contrarium esse viderunt, ut ad consentiendum nulla potuarint oppressione compelli; constantarque in eadem *Synodo*, sicut decuit, fuerint protestati nequaquam id quod constituebatur, Sedem Apostolicam recapturam: quoniam revera omne Christianæ Fidei Sacramentum, quod absit a temporibus vestræ Pieratis, exscinditur, nisi hoc sceleftissimum facinus, quod cuncta sacrilegia excedit, aboleatur. *Et Epist.* 41. *ad* Pulcheriam *Augustam:* Quæ enim, *inquit*, congregata apud Ephasum Synodo, sopienda & sananda pacis remedio credebantur, bæc non solum in majora pacis dispendia, sed (quod nimis dolandum) etiam in ipsius Fidei, qua Christiani sumus, axcidia processerunt. Et hi quidem qui missi sunt, quorumque unus vim Alexandrini Episcopi sibi omnia vindicantis effugiens, rerum gestarum nobis ordinem fideliter nuntiavis, reclamarunt, sicut oportuit unius hominis non tam judicio quam furori; protestantes ea quæ per vim metuque gererentur, Sacramentis Ecclesiæ, & ipsi Symbolo ab Apostolis instituto præjudicare non posse, nec sa ab ea Fide ulla injuria separandos, quam plenissime expositam atque digestam a Sede Beati Apostoli Petri ad Sanctam Synodum datulissent. Cujus cum recitatio, poscentibus Episcopis, non sit admissa . . . . . Scripsimus ad gloriosissimum Principem, ut Fidem in qua renatus per Dei gratiam regnat, nulla sinat novitate corrumpi. „ Nec tamen solus Ephesinum Latrocinium reprobavit *S. Lea*, sed tota cum ipso Occidentalis Synodus, ut constat ex *Hilarii* Diaconi literis ad *Pulcheriam* Augustam: „ Vestra, *inquit*, veneranda Clementia cognoscat, a præfato Papa, cum omni Occidentali Concilio, reprobari omnia, quæ in Ephe- so contra Canones per tumultum & odia sæcularia a Dioscero Episcopo gesta sunt, & nulla ratione hæc in his partibus suscipi posse, quæ per potentiam prædicti, non sine læsione Fidei & præjudicio Sanctissimi Viti * innoxanque commissa sunt. „ Immo & *Marcianus Augustus* Ephesinum Lattocinium cassavit, id est, cassum declaravit, ut protector Ecclesiasticæ Disciplinæ, & executor Canonum: ut scrbit *S. Leo* Epist. 43. seu 73. ad ipsum data. „ Prior, *inquit*, Synodus Ephasina Nestorium cum dogmate suo merito justeque damnavit . . . Sequens vero in prædicta civitate, non potest vocari Concilium, quod in eversionem Fidei suissa constat agitatum: quudqua vestra Clementia amore veritatis Catholicis adfutura, aliud statuendo cassavit, Gloriosissime Imperator. „ Ex quo tamen colligi non potast *Marcianum Augustum* suisse supra Concilium Genarale.

* *Flaviani*

XLIX. Quod vero Canonem 28. Concilii Chalcedonensis Constantinopolitani Patriarchæ prærogativam spectantam, & *Anatolii* ambitu, absentibus Legatis Apostolicis, & reclamantibus, quasi exturtum, in irritum miserit *S. Lea*, non probat ipsum suisse superiorem Concilio, sed suisse Canonum in Synodo Nicæna Spiritu Dei conditorum custodem & vindicem quibus Canon ille repugnabat. Atqua horum Canonum auctoritata novam illam dispositionem sa cassata, id est, irritam declarara profitetur, quibus & ipse obsequium debet & reverentiam. Integrum *S. Leonis* locum eahibeo. „ Consensiones vero Episcoporum, Sanctorum Canonum apud Nicæam conditorum regulis repugnantes, unita nobiscum vestræ fidei pietata, in irritum mittimus, & per Auctoritatem Beati Petri Apostoli generali prorsus definitione cassamus, in omnibus Ecclasiasticis causis his Legibus obsequentes, quas ad pacificam observantiam omnium Sacardotum, per trecentos decem & octo Antistites Spiritus Sanctus instituit: Ita ut atiam si multo plures aliud quam illi statuere decernant, in nulla reverentia sit habendum, quidquid fuerit a prædictorum Constitutione diversum. „ Quod Epistola sequenti ad *Anatolium* confirmat luculentius, ac se irritum & cassum declarasse Canonem illum significat, quod per se auctoritate vacuus esset, irritus & cassus, utpote Nicænis Canonibus contrarius, aliena jura perturbans & evartens, intercedentibus Sedis Apostolicæ Legatis promulgatus, elationi & ambitui favens. „ Doleo etiam, *inquit*, Dilectionem tuam in hoc esse prolapsam, ut sacratissimas Nicænorum Canonum Constitutiones conareris infringere: Tamquam opportuna se tibi hoc tempus obtulerit, quo secundi honoris privilegium Sedes Alexandrina perdiderit, & Antiochena Ecclesia proprietatem tertiæ dignitatis amisarit: ut bis locis juri tuo subditis, omnes Metropolitani Episcopi proprio honore priventur. Quibus inauditis, & numquam ante tentatis ita præventis excessibus, ut Sanctam Synodum ad eatinguendam solum hæresim, & ad confirmationem Fidei Catholicæ studio Christianissimi Principis congregatam, in occasionem ambitus trahas, & ut conniventiam suam tibi det, impellas: Tamquam refutari nequeat, quod illicite voluerit multitudo, & illa Nicænorum Canonum per Spiritum vere Sanctum ordinata conditio in aliqua cuiquam sit parte solubilis. Nulla sibimet de multiplicatione congregationis Synodalia Concilia blandiuntur, nequa trecentis illis decem atque octo Episcopis quantumlibet copiosior numerus Sacerdotum vel comparare se audeat, vel præferre: Cum tanto divinitus Privilegio Nicæna sit Synodus consecrata, ut siva per pauciores, sive per plures Ecclesiastica Judicia celabrentur, omni penitus auctoritate sit vacuum, quidquid ab illorum fuerit constitutione diversum. Nimis argo hæc improba, nimis sunt prava, quæ sacratissimis Canonibus inveniuntur esse contraria. In totius Ecclesiæ parturbationem superba hæc tendit elatio, quæ ita abuti voluit Concilio Synodali, ut Fratres in Fidei tantummodo negotio convocatos, & definitione ejus causæ quæ erat curanda, perfunctos, ad consentiendum sibi aut depravando traduceret, aut terrando compelleret. Inde enim Fratres nostri ab Apostolica Sede directi, qui vice mea Synodo præsidebant, probabiliter atque constanter illicitis ausibus obstiterunt, aperte reclamantes, ne contra Instituta Nicæni Concilii, præsumptio reprobæ novitatis assurgeret. *Et infra:* Sancti illi & venerabiles Patres, qui in urbe Nicæna sacrilego Ario cum sua impietate damnato, mansuras usque in finem mundi Leges Ecclesiasticorum Canonum condiderunt, & apud nos, & in toto orbe terrarum, in suis Constitutionibus vivunt; & si quid usquam alitar quam illi statuera, præsumitur, sine cunctatione cassatur. „ Vox igitur *Cassamus*, apud *Sanctum Leonem* locis laudatis, idem sonat ac irritum declaramus, & cassum pronuntiamus. Quo sensu aa voa in Decretalibus atiam usurpatur, ut constat ex Cap. *Cum dilectus*, *De alectione & electi potestate*. Cassetis, id est, inquit Glossa, *nullam pronuntietis*, & Cap. *Accedens*, *Ut lite non constet*. Cassavimus, „ id est, Cassam denuntiavimus (*inquit Glossator*) Cum enim sententia nulla est, non debet cassari, sed cassa & irrita denuntiari: Quia quod nihil est, cassari non potest, & omnia restituenda sunt in pristinam causam per talem sententiam habita.

L. *S. Gregorius* Epistola 34. Libri 4. *a Bellarmino* laudata, de particulari Synodo Constantinopoli celebrata loquitur, in qua *Joannes* illius Sedis Archiepiscopus se universalam Patriarcham inscripserat, quod nomen cum *superbum* esset ac *universalis Ecclesiæ viscera perturbaret*, (ut loquitur Sanctus idem Pontifex Epistola 26. ejusdem Libri ad *Eulogium & Anastasium*, Alexandrinum & Antiochenum Patriarchas data) nec *S. Leo* a Synodo Chalcedonensi oblatum, nec ullus Pontificum Romanorum sibi tribuisset; *Quia si unus Patriarcha universalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur:* Synodi illius Acta cassaverat *Pelagius secundus*, cujus sententiam *S. Gregorius* confirmavit, ut ipse testatur tum in ea Epistola, tum in illa quam laudat *Bellarminus* ad *Constantinam* Augustam data, cujus hæc sunt verba: *Præterea judicio, quia Piissimi Domini Scripta suscepi, ut cum Fratre & Consacerdote meo Joanne debeam esse pacificus; & quidem sic Religiosum Dominum decuit, ut ista præciperet Sacerdotibus: Sed cum sa nova præsumptione atque superbia idem Frater meus Universalem Episcopum appellet, ita ut san-*

cta

Ela memoriæ Decessoris mei tempore adscribi se in Synodo tali hoc superbo vocabulo faceret, quamvis cuncta Acta illius Synodi, Sede contradicente Apostolica soluta sint; triste mihi aliquid Serenissimus Dominus innuit, quod non eum corripuit, qui superbit: Sed magis ab intentione mea declinare studuit, qui in hac causa Evangeliorum & Canonum Statuta humilitatis atque rectitudinis virtute defendo. Qua in re a prædicto Fratre & Consacerdote meo contra Evangelicam sententiam, contra Beatum quoque Petrum Apostolum, & contra omnes Ecclesias, contraque Canonum Statuta agitur. At ex eo quod *Pelagius II.* & *S. Gregorius* particularem Synodum, quæ res novas, & toti Ecclesiæ injariosas decreverat, in irritum miserint, colligitur quidem illos fuisse particulari ista Synodo superiores; non vero fuisse absolute & simpliciter supra Ecclesiam universam, quod probandum suscepit *Bellarminus*.

LI. Nec intactum relinquunt Parisienses Theologi, quod idem Cardinalis in objectione sua ait, Ipsa Concilia Confirmationem Decretorum suorum a Romanis Pontificibus postulasse, idque ex *Actis* 1. 2. 3. 4. 5. & 6. Conciliorum Generalium patere. Quinimmo (inquiunt) incertum istud, & de primis quatuor Conciliis falsum est. Nicænam Synodum Actorum suorum confirmationem a *S. Silvestro* petiisse, & *S. Silvestrum* eam dedisse, nulla coævorum vel suppariam auctorum testimonia probant. *Eusebius* lib. 3. De Vita Constantini, *Julius I.* in Epistola ad Orientales, *Liberius* in Epistola ad Constantium, & in Dialogo cum eodem Imperatore, apud Theodoretum; *Sanctus Hilarius* lib. contra Constantium, *S. Athanasius* Orationibus 1. & 2. contra Arianos Epistola de Nicænæ Synodi contra Hæresim Arianam Decretis, Epistola ad Solitarios, lib. De Synodis Arimini & Seleuciæ, & Epistola ad Episcopos Africæ, *Rufinus* lib. 1. Historiæ Ecclesiasticæ, *S. Leo* passim in Epistolis, *Socrates & Theodoretus* lib. 1. Historiæ Ecclesiasticæ & alii Scriptores Ecclesiastici veteres, Nicænæ Synodi meminerunt, ejus auctoritatem commendant; postulatam a *Silvestro*, aut ab eo datam Actorum illius Synodi confirmationem non memorant. Epistolam Concilii ad Alexandrinam Ecclesiam, & ad Ægypti, Libyæ, & Pentapolis Episcopos, mox laudati *Socrates & Theodoretus* referunt; Epistolam Concilii ad *Silvestrum* Pontificem, aut *Silvestri* ad Concilium nullam referunt. Et quæ Tom. 2. Conciliorum editæ sunt, ab Eruditis omnibus ut supposititiæ rejiciuntur; ac supposititias probant styli barbaries, putidæque phrases: *Vestro oris consortio confirmetur . . . Paulino & Juliano Summis Consulibus . . . . Atque in gremio vestræ Synodi parva propter disciplinam alligabo præcepta . . . Cum Episcopis totius Urbis Italiæ examinatam universitas vestri sancti Concilii dignetur accipere veritatem &c.* Item *Victorini* nescio cujus mentio, qui Cyclos Paschæ pronuntiabat fallaces. Item Anachronismus evidens, quo Synodus Actorum suorum confirmationem a *Silvestro* postulasse supponitur quinto vel sexto die postquam inchoata est. Item adscriptus Epistolæ *Silvestri* Consulatus *Constantini* & *Constantii* Anachronismum exhibet alterum. Non negamus tamen *S. Sylvestrum* Nicæno Concilio consensisse per Legatos, qui nomine ipsius Sacrosanctis Decretis condendis præfuerunt. Consensus iste confirmatio vocetur, non repugnamus: Quo sensu *Liberius* ad *Constantium* scribit: *Tranquillitate tua consentiente sic omnia discutiantur; ut quæ fuerint judicio Sacerdotum Dei confirmata, cum constiterit in Expositione Fidei, quæ inter tantos Episcopos apud Nicæam præsente sanctæ memoriæ Patre tuo confirmata est, universos consensisse.* Et in Dialogo cum eodem Imperatore: *Ego primum generalem fieri posco subscriptionem, qua Fides apud Nicæam exposita confirmetur.* Verum ista confirmandi ratio, (inquiunt Parisienses Theologi) non magis probat *S. Silvestrum* fuisse Nicæna Synodo superiorem, quam cæteros Episcopos, qui ejus Symbolo ac Decretis consenserunt & subscripserunt.

LII. Orientales Episcopi *Damasum* Pontificem rogant Epistola, quam *Theodoretus* refert libro 5. cap. 9. ut *Rebus* in Oecumenica Synodo superioris anni *legitime & secundum Ecclesiæ Canones constitutis congratuletur*. At hujusmodi congratulatio non probet Pontificem esse Superiorem Concilio, vel omnem Concilii auctoritatem ac robur a Summi Pontificis approbatione derivari. Fatemur nihilominus, accedente dumtaxat *Damasi* & totius Ecclesiæ Occidentali consensu, iisdem Hæresibus in Romana Synodo damnatis, quas Constantinopolitana 1. confixerat, illam Oecumenicam evasisse. Verum consensus *Damasi* non magis probat ipsum fuisse supra Ecclesiam universam, quam cæterorum Episcoporum Occidentis consensus eos probet fuisse absolute & simpliciter Ecclesia universali, & Synodo Oecumenica superiores. Quamquam primæ sint partes Romani Pontificis in Synodo, & ejus præ cæteris expectanda sit sententia, utpote cæterorum capitis.

LIII. Ephesina Synodus rerum a se gestarum Relationem ad *Celestinum* misit, confirmationem ab illo nullam petiit. Nec vero necessaria erat, cum *Celestinus* per Legatos præsens & præsidens Definitioni Fidei, Actisque omnibus consensum præberet, atque præjudicatam ab ipso causam, secundum ejus Epistolæ ac Sententiæ in *Nestorium* latæ tenorem Synodus judicasset, ut constat ex illis Synodicæ Sententiæ verbis: *Coacti per Sacros Canones & Epistolam Sanctissimi Patris & Comministri Celestini Romanæ Ecclesiæ Episcopi lacrymis subinde perfusi ad lugubrem hanc contra eum Sententiam necessario venimus.* Et in Relatione ad Imperatores, Actione 3. *Celestinum* cum Occidentali Synodo *eamdem de fide Sententiam magna consensa prædicasse* testantur, & *Celestini* Synodique illius Legatos consensum illorum Oecumenico Concilio exposuisse, & in scriptis exhibuisse. Quamobrem (inquiunt Ephesini Patres) *Necessario, quod Officii ratio postulabat, de consensa illorum nobiscum ad Majestatem vestram retulimus, ut Pietati vestræ certo constet, Judicium, quod paulo ante a nobis exiit, esse unam communemque totius orbis terrarum sententiam.*

LIV. Synodus Chalcedonensis confirmationem a *S. Leone* petiit, non definitionis Fidei, quæ secundum Epistolam ipsius ad *Flavianum* edita erat; clamantibus Patribus post illius Epistolæ lectionem: *Hæc Patrum Fides, hæc Apostolorum Fides: omnes ita credimus, Orthodoxi ita credunt, Anathema ei qui ita non credit. Petrus per Leonem ita locutus est.* Immo Synodus Chalcedonensis magis confirmavit Definitionem Fidei a *Leone* contra Eutychianam Hæresim editam, quam illa Synodi Chalcedonensis Definitionem, ut ex ipsius ad *Theodoretum* Epistola superius laudata colligitur: *Quæ nostro prius Ministerio Dominus definierat* (inquit) *universæ Fraternitatis irretractabili firmavit assensu.* Non petiit etiam a *S. Leone* Synodus Chalcedonensis latæ in *Dioscorum* confirmationem Sententiæ, cujus pronuntiationem ejus Legatis Patres detulerant: *Petimus* (inquiunt Patres Actione 3.) *vestram Sanctitatem, qui habes, magis autem qui habetis locum Sanctissimi Papæ LEONIS, promulgate in eum, & Regulis infestam contra eum proferte Sententiam. Omnis enim & tota universalis Synodus concors efficitur vestræ Sanctitatis Sententiæ.* Et *Paschasinus* Legatus *S. Leonis* nomine hanc ediderat his verbis: *Sanctissimus & Beatissimus Archiepiscopus Magnæ & Senioris Romæ Leo, per nos & per præsentem Sanctam Synodum, una cum ter Beatissimo & omni laude digno Beato Petro Apostolo, qui est petra & crepido Catholicæ Ecclesiæ & rectæ fidei fundamentum, nudavit eum tam Episcopatus Dignitate, quam etiam & ab omni Sacerdotali alienavit Ministerio.* Quo tamen ex loco suffragii dumtaxat prærogativa *S. Leonis* in Synodo, non superioritas supra Synodum ipsam Oecumenicam probari potest (ut Anonymus Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ Impugnator contendit) siquidem tota Synodus cum *S. Leonis* Legatis judicavit: Sicut Senatusconsultum omnium Patrum Conscriptorum judicio ac suffragio, totiusque Senatus Auctoritate editur, quamvis ab uno Senatus Principe proferatur. Solam ergo Canonis 28. quo Sedis Constantinopolitanæ Privilegia sancita erant, confirmationem Chalcedonense Concilium a *S. Leone* postulavit, id est, ejus consensum, quo sine ratus esse ex omni parte non poterat, cum ejus Legati intercessissent. Id ex Epistola Concilii ad Ipsum data compertum est. His enim, quæ de Fide erant decreta, expositis, ajunt Patres: „ Hæc sunt, quæ Tecum, „ qui spiritu præsens eras, & complacere tamquam „ fratribus deliberasti, & qui pæne per tuorum Vica„ riorum sapientiam videbaris a nobis, efficimus. *Tum „ referunt quæ de Constantinopolitanæ Ecclesiæ Privi„ legiis sanxere, iisque expositis subdunt*: Quæ igitur „ ad interemptionem quidem totius confusionis, con„ firmationem vero Ecclesiasticæ Ordinationis definivi„ mus, hæc sicut propria, & amica & ad decorem „ convenientissima, dignare complecti, Sanctissime & „ Beatissime Pater. Qui enim locum vestræ Sanctita„ tis obtinent Sanctissimi Episcopi Paschasinus & Lu„ centius, & qui cum eis est Reverendissimus Presby„ ter Bonifacius, his ita constitutis vehementer resi„ stere tentaverunt, procul dubio a vestra Providentia „ inchoari & hoc bonum volentes: ut sicut Fidei, sic „ bonæ ordinationis vobis deputetur effectus. Nos enim curan-

„ curantes tam Piissimos & Christi amicos Imperatores, qui super hoc delectantur, quam Clarissimum Senatum, & totam Imperii civitatem opportunum credidimus esse honoris ejus confirmationem ab universali Concilio celebrari, & velut hæc a tua Sanctitate fuerint inchoata, eo quod fovare semper studeas, roboravimus . . . Rogamus igitur & tuis Decretis nostrum honora Judicium; & sicus nos Capial in bonis adjecimus consonantiam, sic & Summitas tua filiis, quod decet, adimpleat. „ Ex eo autem quod Romanus Pontifex Concilii Generalis Decretis consensum adhibeat, vel ex eo quod illa promulget, ac executionem eorum imperet, ac promoveat, in quo posita est & illa confirmatio quam Sexta Synodus ab *Agathone*, & aliæ ab aliis Pontificibus petierunt, & acceperunt, haud recta colligitur, ipsum Pontificem esse absolute & simpliciter Concilio Superiorem. Unda Tridentini Concilii Patres, uno excepto Granatensi Archiepiscopo, unanimi consensu confirmationem Synodi a *Pio IV.* Pontifice Maximo postulandam censuerunt, ut refert *Palavicinus*; cum tamen omnes Pontificem esse supra Concilium non censerent, immo Galli quotquot aderant Præsules Concilium Superius esse Pontifice, in ipsa Synodo acrirat constantarque propugnassent.

Huic Parisiensium Theologorum Doctrinæ hac in parte consentit *Dydacus Payva* Lusitanus Theologus qui in Concilio Tridentino magnam sibi celebritatem nominis peperit. Lib. 1. Defensionis Tridentinæ Fidei, fol. 35. „ Quod si forte eveniat (*inquit*) ut Romanus Pontifex a Conciliorum placitis, quæ confirmare debuisset, opinione deflectat . . . Conciliorumque Sententias aspernetur, non aliter quidem de ea re statuendum judico, quam si a veterum Synodorum quæ omniam sunt sæculorum consensione commendatæ, & tamquam quatuor Evangelia Gregorius venaratur, Fide descisceret: Cum par sit in omnibus generalibus & legitimis Synodis Potestas, & æqua Auctoritas. Cujuslibet enim vitæ atque actionis existat, quisquis Sanctissimarum quinque Synodorum soliditatem non tenet, etiamsi lapis esse cernatur, tamen extra ædificium jacet, (ut inquit Gregorius.) Cum enim Summus Pontifex ita divinas functiones exerceat, ut hominis naturam non exuerit, accidereque fortassa possit, ut Fidem, quam Pastoris Officium præstans integerrima docet, humana infirmitate pressius aliquando deserat, & tetra errorum caligine offundatur, id certa nihil debet Synodorum integritati detrahere, suntque illa semper studiose amplectenda, quæ Oecumenica & Universalia Concilia in Spiritu Sancto legitime congregata concludunt. Eum præsertim non a Romanis modo Pontificibus, sed a Christo etiam illam, qua excellunt, Auctoritatem acceperint: quam tamen a Romanis Pontificibus pendere dicimus, quia ab iis sunt Generalia Concilia non solum convocanda, sed atiam moderanda. At ubi æque & legitime coacta . . . Potestate sibi a Christo concessa, involuta aperiunt, & abdita mysteria in lucem emittant. Convocatam enim Chalcedonensem Synodum fuisse, inquit Pulcheria Augusta, ut sine aliqua commotione atque contentione, quæ a Domino Christo fulssent revelata, communiter ab omnibus confirmarentur. Quod illa Gregorii Sanctissimi Pontificis de quinque Generalibus Synodis oratio præ se ferre mihi videtur. *Cunctas*, inquit, *quas præfata veneranda Concilia personas respuunt, respuo, quas venerantur, amplector: Quia dum universali sunt consensu constituta, se & non illa destruit quicumque præsumit aut solvere quos religant, aut ligare quos solvunt.* Qui vero fieri poterat, ut universali consensu Conciliorum firmitudinem Sanctissimus Pontifex tribueret, si ex Romani Pontificis confirmatione universa extaret; posseque ille universali consensu spreto diversum concludere? Aut quæ est illa universalium Synodorum tanta dignitas a Gregorio commendata, si Divina eas vi cœlestique instinctu affectas esse dubitavit? Sin Episcoporum mentes & ora dum Ecclesiæ res in Conciliis agitantur, Spiritus Sancti admirabilis quædam institutio informat, ne a vero dimoveantur, atque ideo dicuntur in Spiritu Sancto legitime congregati, quid est quod non Sanctissimo in primis Paracleto, a quo informantur, omnem qua Concilia eminent, Auctoritatem referamos acceptam? „

Tum Cardinalis *De Turrecremata* sententiam verbaque laudat affirmantis, Concilii de dogmatibus fidei definitiones Romani Pontificis esse Judicio præferendas. „ Si talis (*inquit*) casus contingeret, quod Patres universi in Synodo universali convenientes, unanimiter aliquam definitionem Fidei facerent, cui sola persona Papæ contradiceret, dicerem judicio meo, quod Synodo standum esset, & non personæ Papæ. Judicium enim tantorum Patrum Universalis unius Synodi, in materia Fidei merito præferendum videtur Judicio unius hominis.

LV. Tandem quæ Anonymus ipse Libertatum nostrarum Impugnator de Conciliis scribit Cap. 1. Libri secundi, liquido probant ea robur suum ac Auctoritatem a Summi Pontificis confirmatione non habere, sed a Spiritu Sancto. „ Apostoli (*inquit*) Spiritu Sancto repleti, exortas circa Circumcisionem, & alias observantias legales, difficultates, non seorsim, ut facile poterant, enodarunt; sed in Concilium congregati, post longam disquisitionem, solverunt. Notanda sunt autem verba a quibus incipit Decretum illud Apostolicum: *Visum est*, inquiunt, *Spiritui Sancto & Nobis*. Quæ quidem verba argumento sunt quod Spiritus Sanctus Conciliis maxime Oecumenicis præsit, ea illustret, & ad veritatem infallibiliter dirigat. Porro cum primum in unoquoque genere sit mensura & regula cæterorum, illud Apostolorum exemplum sequi debent, qui in illorum locum succedunt, quando tempora incidunt quæ id exposcant. Is fuit omnibus retro sæculis Catholicæ Ecclesiæ sensus . . . A Conciliis Generalibus, in quibus Summus Pontifex Caput visibile Ecclesiæ, & præcipua ejus membra, id est, Pastores conjunguntur, repræsentatur Ecclesia illa, quæ ab Apostolo dicta est, *Columna & firmamentum veritatis*. (1. ad Timoth. 3.) Quam qui non audet, debet, ut Ethnicus & Infidelis, exterminari. Quæcumque ab Ecclesia sic congregata oracula proferuntur, a promissione divina plenissimam obtinent Auctoritatem.

Objectio decima quinta, ex Decretis Conciliorum Summi Pontificis nomine editis.

LVI. Objicit idem Anonymus sibi ipsi contradicens: Concilia Œcumenica, nisi Summi Pontificis Auctoritatem Superiorem esse cognovissent, quomodo ejus, non suo nomine, Decreta communi consensu constituta edi passa essent; ut Auctoritatem a Pontifice mutuari, approbationem tantum a Concilio habere intelligerentur? Quod in iis dumtaxat Conciliis observatum legimus, quibus interfuit ipsemet Papa, quo expressius significaretur, personæ ipsi Summi Pontificis, quatenus *Petri* Successoris, hanc competere prærogativam.

Addit ad objectionis confirmationem: Regem Galliæ Comitiis Regni Superiorem esse, qui revocaret in dubium, læsæ Majestatis reus haberetur; eamque superioritatem omnes intelligunt in eo significatam, quod quæ in Comitiis deliberata sunt, Regis nomine inscribuntur, & Auctoritate promulgantur. Itaque Summus Pontifex Generalibus Ecclesiæ Comitiis, seu Concilio Œcumenico Superior est, cum ejus nomine Definitiones & Decreta Concilii edantur.

Theologorum Parisiensium responsio.

Respondent Theologi Parisienses: In octo prioribus Conciliis Œcumenicis, Decreta communi consensu constituta, solius Concilii nomine edita esse, juxta formam Concilii Hierosolymitani Apostolorum de Legalium Ceremoniarum observentia, cujus definitio his concepta verbis est: *Visum est Spiritui Sancto & Nobis*. Lateranensia, Lugdunensia, & Viennense Concilia, quamvis aliter Definitiones suas exprimant, scilicet sub nomine Romani Pontificis, *Sacro approbante Concilio*, nihil in re ipsa immutasse, quia hac formula solum exprimitur prærogativa suffragii Summo Pontifici in Concilio competens, qua rerum gerendarum ac decernendarum Concilio auctor est, quod & in prioribus Conciliis habuit. Unde *Valentinianus* & *Marcianus* Imperatores ad *S. Leonem* scribunt: „ Tuam Sanctitatem, Principatum in Episcopatu Divinæ Fidei possidentam, Sacris Literis in principio justum credimus alloquendam: Invitantes atque rogantes, ut pro firmitate & statu nostri Imperii, æternam Divinitatem tua Sanctitas deprecetur; ut & tale propositum atque desiderium habeamus; quatenus OMNI IMPIO ERRORE SUBLATO PER CELEBRANDAM SYNODUM, TE AUCTORE, maxima pars circa omnes Episcopos Fidei Catholicæ fiat, ab omni scelere pura & intemerata consistens. *Scribit ad eumdem* Pulcheria *Augusta*: Et illic facto Concilio, & de Catholica Confessione, & de his Episcopis qui ante hoc segregati sunt, sicut Fides & Christiana pietas exigit, TE AUCTORE DECERNANT. Illa prærogativa potiti sunt *S. Celestinus* I. in Ephesina, *S. Leo* in Chalcedonensi, *Agatho* in Sexta, *Hadrianus* I. in 7. *Hadrianus* II. in 8. Synodis, in quibus secundum formam & tenorem literarum ab ipsis directarum & latæ ab iis Sententiæ, causæ Ecclesiasticæ finitæ sunt, & hæreses damnatæ. Nihil amplius significat hæc formula, *Innocentius* vel *Clemens Sacro*

appro-

approbante Synodo. Quamquam antiqua ratio modusque Definitiones edandi Concilii nomine, quam Synodus Constantiensis, Basileensis, & Tridentina retinendam duxerunt, longe convenientior videatur (inquiunt Theologi Parisienses.) Pro veteri illa formula fortiter certavit *Petrus Cardinalis de Alliaco* in Concilio Constantiensi, in quo Adversarios passus est, qui ipsum initio Concilii apud *Joannem XXIII.* accusarunt, & hanc adversus ipsum Schedulam conscripserunt.

„ Casus super quo Reverendissimus Dominus Cardinalis Cameracensis consilium habuit cum Sacræ Theologiæ Magistris Regularibus & Sæcularibus diversorum Studiorum, est iste. Si 45. errores Joannis Wicklef contra Fidem damnari debent per Summum Pontificem sub hac consueta forma alias in Conciliis observata, videlicet: *Nos hoc Sacro approbante Concilio*, *vel* absque expressione Summi Pontificis, *Sacrosanctum Concilium damnat & reprobat*, *&c.* & ibi per eum allegatur, quod per Concilium, & non per Papam, quia Concilium est majus Papa, cum sit totum, & Papa sit pars ejusdem; & ita ex Actibus Apostolorum, & quibusdam Decretis Sanctorum, magis consonum videbitur Scripturæ Sacræ. Unde & magis Theologica facta est contentio inter supradictos Magistros, quorum de numero quinquagintaduo fuerunt suæ opinionis: cæteri vero viriliter ei restiterunt in faciem, dicens, Concilium per se nullam Auctoritatem habere, nisi ex Capita, & per consequens non debere sententiare, neque definire tamquam principale, sed Caput Concilio consentiente. Inde deventum est, verbis verba trahentibus, quod ipse Dominus Cardinalis asseruit, quod Concilium est supra Papam, & potest eum deponere; aliis paucis exceptis, in faciem verisimiliter ei contradicentibus, unde remansit in suo proposito, cum intentione illa proponendi Concilio.

Ad hanc vero Schedulam *Joanni XXIII.* rescripsit *Petrus de Alliaco*, „ *offerens se responsurum coram Cardinalibus, omnibus Magistris in Theologia convenientis; & tunc paratus fuit respondere ponendo sex propositiones in hac forma*. Dico primo, quod quærere an errores contra Fidem in hoc Sacro Concilio damnandi, debeant per Summum Pontificem damnari sub hac forma: *Nos hoc Sacro Concilio approbante damnamus*, *&c.* aut sub ista, *Sacrosanctum Concilium damnat*, *&c.* non est quæstio inutilis, aut supervacua, nec ad materiam Fidei, quæ tractatur est impertinens. Patet, quia utraque forma in Decretis Generalium Conciliorum reperitur. Nam, sicut tunc fuit allegatum, secunda forma condemnandi habetur in multis Libris Conciliorum, & etiam Decreti, & Decretalium, ubi sic dicitur: *Placuit Sacro Concilio*; vel, *Concilium diffinit*; vel, *Statuit Sanctum Concilium*. Papa etiam aliquando dicit: *Sacri Auctoritate Concilii & consensu; atque reliquorum Fidelium & cunctorum Consiliariorum nostrorum consultu diffinitum est*. Et primo habetur in multis Constitutionibus Synodalibus, & maxime in Juribus novis.

„ Secundo dico, quod Theologi dicentes primam formam esse convenientiorem quam secundam, & Theologiæ magis consonam vel conformem, non inconvenienter aut improbabiliter loquuntur: nec per hoc reprobant, sed approbant secundam formam essa convenientem. Sed quod alia sit Theologiæ conformior, patet, quia in Actibus Apostolorum Auctoritas diffiniendi attribuitur Concilio, & non specialiter Petro, ubi dicitur: *Placuit nobis collectis in unum*, *&c.* Et B. Gregorius XV. Dist. Canone *Sicut*, ubi dicit se quatuor Concilia, sicut S. Evangelii quatuor Libros venerari, subdit causam; *Quia universali consensu constituta sunt*. Unde videtur sequi quod Auctoritas diffiniendi, maxime in materia Fidei, pertinet ad Concilium Generale. Et idem dicunt aliqui, quando agitur de facto Papæ, quod patet in Conciliis Symmachi, ubi dicunt Episcopi, *Decernimus, & Synodali Auctoritate roboramus, ut Synodalis Ordinatio vigeat*. Et in subscriptionibus Episcoporum dicitur: *His Constitutis Synodalibus a nobis probatis atque firmatis*, & multa alia hujusmodi.

„ Tertio dico, quod ex præmissis sequitur, quod dicta Schedula est erronea, & in se est destructiva auctoritatis Concilii Pisani, & per consequens Domini nostri Papæ, & præsentis Concilii, quæ ex illo dependet. Patet, quia dicta Schedula ponit & approbat, Concilium nullum per se auctoritatem habere, nisi ex Capite, videlicet Papa; & per consequens, non debere sententiare neque definire tamquam principale, sed Capite Concilio consentiente. Nam constat quod Concilium Pisanum non habuit Auctoritatem sententiandi & diffiniendi a Papa, tamquam ex Capite, quia auctoritate Papæ non fuit congregatum, sed magis ipso contradicente, cum ibi duo Contendentes fuerint condemnati, quorum alter erat Papa, sicut communiter tenebat Ecclesia Christiana.

„ Quarto, dico circa prædictam Schedulam, quod etiam ex præmissis sequitur, quod sicut Concilium Pisanum, ita & illud Concilium in aliquo casu esse potest supra Papam, & potest eum deponere. Patet, quia non apparet major ratio de uno quam de alio.

„ Quinto dico, quod Concilium præsente Papa, a quo ipsum Concilium convocatum est, est velut unum corpus mysticum, cujus Papa est Caput, & alii sunt membra; & ideo, secundam aliquos, non solum falsam, sed fatuum esset dicere, quod major sit auctoritas partis, quam totius corporis.

„ Sexto, ex præmissis sequi videtur, secundum aliquos, quod falsa est quorumdam Juristarum opinio dicentium, quod in Concilio Generali Papa dumtaxat judicat, & diffinit, & si eo non præsente ibi aliqua statuerentur, Concilium nihil statuit, sed suadet & consulit; nec Papa tenetur sequi deliberationem vel suasionem Concilii, sed quod standum videretur sententiæ Papæ, si contradiceret Ecclesiæ vel Concilio. Patet, quia universalis Ecclesia a Christo, & non a Papa, hoc privilegium auctoritatis habet, quod in Fide errare non potest: & hanc etiam auctoritatem, secundum aliquos, habet Concilium universalem Ecclesiam repræsentans: Sed talem auctoritatem non habet Papa, cum errare possit in Fide: Unde in hoc major est auctoritas Concilii vel Ecclesiæ, quam Papæ: Unde oppositum dicere, multis esset Hæreticum & ex Juribus male intellectis erronee conclusum. „ Hæc *Petrus de Alliaco* Cardinalis & Episcopus Cameracensis, in Tractatu, *De Ecclesiæ auctoritate*, scripto Constantiæ, cap. 2. Tertiæ Partis. Eminentissimo Præceptori consentit doctissimus discipulus *Gersonius*, libro *De potestate Ecclesiastica*, Consideratione 11.

Quæcumque vero duarum formularum in Concilii Definitionibus ac Decretis usurpetur, Concilio Superiorem esse Romanum Pontificem non probat, ut superius diximus. Quamobrem ipsi Pontifices, qui Sacri Approbatione Concilii Synodica Decreta sub nomine ediderunt, majorem esse Conciliorum Generalium auctoritatem, quam suam significarunt. Audiatur *Alexander* III. in Literis Concilii Lateranensis III. convocatoriis. „ Quia (*inquit*) in Ecclesia Dei correctione videmus quamplurima indigere, tam ad emendanda quæ digna emendatione videntur, quam ad promulganda quæ saluti Fidelium visa fuerint expedire: de diversis partibus personas Ecclesiasticas decrevimus evocandas, quarum præsentia & consilio, quæ fuerint salubria statuantur; & quod bonum, secundum consuetudinem antiquorum Patrum, provideatur & firmetur a multis. Quod si particulariter fieret, non facile posset plenum robur habere. „ At si major esset Romani Pontificis, quam Concilii Generalis auctoritas, plenius robur haberet aut saltem æquale, quod ab ipso fieret particulariter, ac id quod fieret a toto Concilio communiter.

Audiatur & *Innocentius Tertius* in Literis Concilii Lateranensis IV. convocatoriis. *Inter omnia desiderabilia cordis nostri* (inquit) *duo in hoc sæculo principaliter affectamus: ut recuperationem videlicet Terræ Sanctæ, ac Reformationem universalis Ecclesiæ, valeamus intendere cum effectu . . . Quapropter habito super his cum Fratribus nostris, & aliis viris prudentibus frequenti ac diligenti tractatu, prout tanti solicitudo propositi exigebat, hoc tandem ad exequendum prædicta de ipsorum consilio providimus faciendum, ut quia hæc universorum Fidelium communem statum respiciunt, Generale Concilium, juxta priscam Sanctorum Patrum consuetudinem convocemus*. Nec in iis porro, quæ universorum Fidelium communem statum respiciunt, Generalis Concilii convocatione opus esset, si Romanus Pontifex esset absoluta supra Ecclesiam universam, & super Concilium Generale; maxime si judicium ejus irreformabile sit, & infallibile nullo accedente Ecclesiæ consensu, ut contendit Anonymus Libertatum nostrarum Impugnator.

Audiatur *Gregorius* X. in Literis convocatoriis Concilii Lugdunensis II. „ Lugendum & amplius (*inquit*) pariter & horrendum, quod cum ille Summus Agricola, sator bonorum omnium & plantator; agrum mundi hujus diligenter excolens, in eo semina

„ veri a

verit semen bonum: inimicus homo tanta invenitur in ipso superseminasse vitiorum zizania & errorum, ut ea deflere magis liceat, quam narrare: Idemque ager quotidie potius arescere videatur ad ignem, quam albescere inveniatur ad messem. Hæc dum ministerio considerationis debitæ, mentis nostræ præsentantur obtutibus, ignis in nostris meditationibus exardescit; & ad tanta discrimina relevanda suspirat affectus, zelus accenditur, & spiritus animatur. Ad quod cum nos sufficere non posse sciamus, levamus oculos nostros ad montem, montem quidem Dei, montem uberem, montem pinguem, unde opportunum nobis provenire auxilium & humiliter petimus, & devote speramus. Et quia salubre in his adhiberi remedium interest generaliter omnium; Nos cum Fratribus nostris, aliisque viris prudentibus, exacto & frequenti tractatu præhabito, prout tantæ necessitatis instantia exigebat, de ipsorum Concilio, Generale Concilium, sicut imitatione digna Sanctorum Patrum consuetudo laudabilis Nos instruit, opportuno tempore decrevimus congregandum: ut in eo tam circa præmissa, quam circa cætera, quæ salutem respiciunt animarum, illo Deo auspice, communi consilio inveniatur provisio, & ejusdem Approbatione Concilli roboretur, &c. Quorsum vero approbatio Concilii ad robur provisionis circa necessitates Ecclesiæ inveniendæ desideratur, si Concilium robur nullum habet nisi ab auctoritate Romani Pontificis, & ille auctoritatem habet superiorem Ecclesiæ universæ & Concilii Generalis Potestate?

Responsio Theologorum Parisiensium ad comparationem Summi Pontificis & Concilii cum Rege & Comitiis Regni, ab Anonymo institutam.

Audiatur *Clemens V.* in Literis convocatoriis Concilii Viennensis, iisdem verbis scribens, quibus *Gregorius X.* mox laudatus. Audiatur *Clemens septimus* qui *Hadrianum VI.* proximum *Leonis X.* Successorem in Cathedra Pontificia secutus est, illius (inquam) *Leonis*, qui *Lutheri* errores personamque damnavit, & formulam, *Sacro approbante Concilio*, in Synodo Lateranensi V. usurpavit. Sic autem habet *Clemens septimus* in literis ad *Franciscum I.* Regem Christianissimum datis, anno Christi 1533. „ Superiore biennio, *inquit*, cum Serenissimum Cæsarem in conventu Augustano nihil remedii ad hæresim Lutheranorum in Germania tollendam præ illorum obstinatione, afferre potuisse audiremus, solumque Concilii Generalis remedium, a nostris Prædecessoribus in casu simili usitatum, & ab ipsis Lutheranis postulatum, superesse videremus: habita super hoc cum Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus deliberatione ad ipsius Concilii Generalis indictionem in Italia & loco ad hoc commodiore celebrandi devenire intendentes, idtuæ Majestati, sicut Cæsari, & cæteris Principibus, significandum communicandumque duximus „. Porro solum Generalis Concilii remedium, post Sententiam Pontificis, ad hæresim tollendam non superesset, si Romanus Pontifex esset supra Concilium Generale. Remedium autem illud non multo post adhibitum est, scilicet Sacrosanctum Concilium Tridentinum, in quo Lutherana Hæresis peremptorio Judicio damnata est.

Ad comparationem Summi Pontificis & Concilii cum Rege & Comitiis Regni Galliæ, respondent Theologi Parisienses: Non ex eo dumtaxat Regem Ordinum Conventu superiorem probari, quia Majestatis ejus nomine inscribuntur ac promulgantur, quæ ibi deliberata sunt; sed quia unius Regis Auctoritate ac voluntate cuncta geruntur, sanciuntur ac decernuntur, soliusque consilii, vel supplicationis vim habent, quæ a Deputatis proponuntur ac deliberantur, non Judicii, aut Legis, nisi Rex hujusmodi deliberationes Edicto roboret. Quod eo ex radice petitur, quod Regni Gallici regimen sit penitus Monarchicum. At Concilii Generalis Decreta, quamvis Romani Pontificis nomine inscribantur ac promulgentur, una tamen illius Auctoritate, voluntate ac Judicio non conduntur, cum Episcopi in Conciliis sint Judices, vincereque debeat, sicut in Senatu, sententia plurimorum. Discriminis ratio est, quia Ecclesiæ regimen non est mere Monarchicum, sed Aristocratia temperatum; nec absoluta auctoritate vel proprio motu, sed Canone regitur Ecclesia, juxta illud *Celestini I.* in Epist. ad Episcopos Illyrici: „ Dominentur nobis Regulæ, non Regulis dominemur; simus subjecti Canonibus, cum Canonum præcepta servamus. *Et illud* S. Leonis in *Epist. ad Episcopos per Campaniam & Picenum constitutos*: Omnia Decretalia Constituta, tam beatæ recordationis Innocentii, quam omnium Prædecessorum nostrorum, quæ de Ecclesiasticis Ordinibus & Canonum sunt promulgata disciplinis, ita vestram Dilectionem custodire debere mandamus, ut si quis illa contempserit, veniam sibi deinceps noverit denegari. *Epist.* 54. *ad* Marcianum *Augustum*: Ad meum tendit reatum, si Paternarum Regulæ Sanctionum, quæ in Synodo Nicæna ad totius Ecclesiæ regimen Spiritu Dei instruente sunt conditæ, me, quod absit, connivente violentur, & major sit apud me unius Fratris voluntas, quam universæ Domus Domini communis utilitas. *Epist. ad Episcopos Cæsareensis Mauritaniæ*: Quam diligens & quam prudens habenda est dispensatio divinorum Munerum & cœlestium Dignitatum, ne in aliquo Apostolica & Canonica Decreta violentur; & his Ecclesia Domini regenda credatur. *Et illud* Gelasii primi *Epist.* 9. *ad Episcopos Lucaniæ, scribentis*. Necessaria rerum dispensatione constringimur, & Apostolicæ Sedis moderamine convenimur, sic Canonum Paternorum Decreta librare, & retro Præsulum Decessorumque nostrorum præcepta metiri, ut quæ præsentium necessitas temporum restaurandis Ecclesiis relaxanda deposcit, adhibita consideratione diligenti, quantum fieri potest temperemus, quo nec in totum formam veterum videamur excedere Regularium. *Et Hormisdæ in Indiculo dato* Ennodio & Fortunato *Constantinopolim Legatis*: Canonem solvere, in Religionem committere est. *Et* Agapeti I. *ad* Cæsarium *Arelatensem Episcopum scribentis*: In nullo contra priscæ Definitionis Constituta vel Regulas pro qualibet occasione, vel sub cujuscumque personæ respectu venire præsumimus... Divini consideratione Judicii, necesse nobis est, quidquid Synodalis decrevit Auctoritas, inviolabiliter custodire „. Et *S. Gregorii Magni* Libro 2. Epistola 9. ad *Joannem* Larissæum Episcopum scribentis: *Hac consona Sanctis Patribus definitione sancimus, ut qui sacris nescit obedire Canonibus, nec sacris administrare, nec Communionem capere sit dignus Altaribus*. Et *Silvestre* II. Epistola ad *Seguinum* Senonensem Archiepiscopum: *Sit lex communis*, inquit, *Ecclesiæ Catholicæ, Evangelium, Apostoli, Prophetæ, Canones Spiritu Dei constituti, & totius mundi reverentia consecrati, & Sedis Apostolicæ Decreta ab his non discordantia*: Et B. *Gregorii* VII. Epistola 58. Libri 2. ad *Manassen* Archiepiscopum Remensem scribentis: *Ecclesiasticas causas, non potentiæ magnitudine, sed justitiæ censura finire oportet*. Et Lib. 5. Epistola 5. ad Clerum & Populum Aquilejensem: *Nibil novi, nibil nostris adinventionibus superinducere conamur, sed illud solummodo quærimus, quod & omnium salus postulat & necessitas, ut Evangelica & Canonica servetur Auctoritas. Non secundum arbitrium nostrum, sed per viam & Doctrinam Orthodoxorum Patrum incedere capimus*. Et *Eugenii* III. Epistola 10. ad *Arnaldum* Coloniensem Archiepiscopum scribentis: *Apostolica Providentia, secundum Sacrorum Canonum Institutiones, universas regit Ecclesias*. Denique *Innocentii* III. Epistola 115. lib. 11. ad Cantuariensem Archiepiscopum scribentis: *Quæ in derogationem Sanctorum Canonum attentantur, tanto potius infringi volumus & carere robore firmitatis, quanto Auctoritas universalis Ecclesiæ, cui præsidemus, ad id nos provocat & inducit*.

Ratio altera discriminis inter Concilia respectu Romani Pontificis, & Regni Ordines respectu Regis, est quod Romanus Pontifex Ecclesiæ & Concilii Generalis membrum est: Rex non est membrum Ordinum Regni & Comitiorum, sed supremus Dominus: Regni Ordines non habent Auctoritatem immediate a Christo, sed a Rege: At Ecclesia universalis, & Concilium Generale Auctoritatem a Christo immediate habent, non a Romano Pontifice; & quod Spiritum Sanctum Ordinibus Regni Christus Dominus non promisit, quo dirigente nusquam errarent: Sed Ecclesiæ, & Concilio Generali ipsum repræsentanti perennem Sancti Spiritus assistentiam ac directionem pollicitus est, cujus afflatu & auctoritate Decreta fidem & morum reformationem spectantia conduntur, ut jure merito dicant Patres in Synodo congregati: *Visum est Spiritui Sancto & nobis*. Unde Synodus Basileensis in Responsione Synodali ad Oratores *Eugenii IV.* quæ incipit, *Cogitanti*: ait: *Nec comparandum est Corpus Ecclesiæ aliis Politicis Corporibus Civitatum & Universitatum, quia in medio hujus corporis est Christus, qui ipsum regit, ne erret. Alia autem Politica Corpora humanis & variis voluntatibus gubernantur*. Ordinum Regni & Conciliorum discrimen fusius explicat egregius Sacræ Facultatis Parisiensis Doctor *Thomas de Corsellis*, in Propositione facta Biturigibus in Conventu Ecclesiæ Gallicanæ præsente Rege Christianissimo *Carolo* VII. nomine Synodi Basileensis, anno millesimo quadringen-

gen-

gentesimo quadragesimo. „ Nec ullatenus (*inquit*) „ sunt audiendi qui ad alliciendum Reges & Principes in contrarium Auctoritatis Conciliorum dicunt: „ Quod si Concilia Generalia possent corrigere & deponere Summos Pontifices, pari ratione quod Populi „ haberent corrigere & deponere Principes sæculares. „ Qui enim talia dicunt, manifeste Auctoritatem Conciliorum, & Declarationem Fidei super hoc factam „ destruunt; non plus tribuentes Auctoritatis ipsi congregationi Ecclesiæ quam uni communitati sæculari „ quæ non habet Auctoritatem a Christo corrigendi, „ aut puniendi Principem suum; Sed si bene inspiciant „ definitiones Concilii Constantiensis, reperient in hoc „ magnam differentiam: Nam ipsum Concilium Constantiense reprobavit illum Articulum 17. inter Articulos Joannis Hus contentum „: Quod Principes haberent puniri ad arbitrium Populi: *& tamen alterum probavit*, Quod Concilium Generale habet immediate potestatem a Christo &c. *& hoc etiam apparet ex Sacris Scripturis, cum Christus ipse assignans differentiam inter hoc & illud dicat*: „ Reges Gentium „ dominantur eorum, Vos autem non sic. *Et Beatus* „ *Petrus in Canonica dicit de Pastoribus*: Non ut dominantes in Clero, sed forma facti gregis. *Doctores quoque lucide declarant, quomodo Papa non est Dominus rerum Ecclesiæ, sed Minister. Valde quoque extraneum est, & a veritate alienum dicere, Quod non plus spiritualitatis reperiatur in Congregatione legitima Ecclesiæ, quam in una communitate sæculari, aut non specialior assistentia Spiritus Sancti de quo Christus ad ipsam dixit*: „ Mittam vobis Spiritum veritatis, ut „ maneat vobiscum in æternum. (*Joannis XIV.*)

Tandem etsi plene satisfacere debeat Anonymo Libertatum nostrarum Impugnatori, & aliis invidiosam illam comparationem Comitiorum Regni & Concilii Generalis instituentibus, discrimen utriusque regiminis, Ecclesiastici & Politici, Regum Gentium, & Prælatorum Ecclesiæ a Christo Domino ac Magistro nostro assignatum Matthæi XX. Marci X. & Lucæ XXII. & importune contendentes his *Tertulliani* verbis, Lib. de Præscriptionibus Hæreticorum Cap. 8. repellere possimus: *Nobis curiositate opus non est post Christum Jesum, nec Inquisitione post Evangelium*: Tamen ex abundanti objectionis illorum vanitas his SS. Patrum sententiis ostendi potest: S. Joannis Chrysostomi Homil. 66. in Cap. 20. S. Matthæi *Non externis similia nostra sunt. Nam apud Gentes, qui Principes sunt, ipsi dominantur; apud nos autem, qui altimus est ipse summa tenet.* S. Hieronymi Epistola 30. ad Oceanum: *Aliæ sunt Leges Cæsarum; aliæ Christi; aliud Papinianus aliud Paulus noster præcipit.* S. Augustini Epist. 250. ad *Apringium* Judicem: *Alia causa est Provinciæ alia Ecclesiæ. Illius terribiliter gerenda est administratio, hujus clementer commendanda est mansuetudo.* S. Leonis Epist. 54. seu 78. Edit. P. Quenellii, ad Martianum Augustum, *Alia ratio est rerum sæcularium, alia divinarum.* Apollinaris Sidonii Lib. 4. Epist. 14. ad Polemium: *Noveris, non ut est, apud Præsulem Fori, sic esse apud Judicem Mundi.* Gelasii I. in Epist. ad Anastasium Imperatorem: *Duo sunt, quibus principaliter Mundus hic regitur, Auctoritas Sacra Pontificum, & Regia Potestas .... Si quantum ad ordinem pertinet Disciplinæ, cognoscentes Imperium Tibi superna dispositione collatum, Legibus tuis ipsi quoque parent Antistites, ne vel in rebus mundanis exclusæ videantur obviare sententiæ. Quo ergo Te decet affectu eis obedire, qui prærogandis venerabilibus attributi sunt Mysteriis?* Ex quibus patet Ecclesia sæcularibus non esse permiscenda, neque ex Politico Regimine ac Regali trahendam esse ad Ecclesiasticum Regimen consequentiam, cum alia sit utriusque forma; & utraque Potestas suos habeat limites. *Nicolai I.* denique in Epist. 8. ad *Michaelem* Imperatorem: *Sed cum ad verum ventum est & eumdem Regem atque Pontificem, ultra sibi nec Imperator Jura Pontificatus arripuit, nec Pontifex nomen Imperatorium usurpavit: Quoniam idem Mediator Dei & hominum homo Christus Jesus sic actibus propriis dignitatibusque distinctis officia utriusque discrevit ut & Christiani Imperatores, pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro cursu rerum temporalium tantummodo Imperialibus Legibus uterentur.* Ex quibus colligitur, a Regio jure petendum non esse argumentum pro Jure Summi Pontificis, nec ex Concilii Auctoritate pro Comitiorum Regni potestate; cum Regia & Pontificia Potestas proprium habeant ac diversum regendi modum ex institutione divina.

§. VI.

Decretum Sessionis Quartæ Concilii Constantiensis, de Synodorum Generalium Auctoritate, genuinum integrum, inviolatum ad nos pervenit.

Dubium ab Emmanuele Schelstrate excitatum.

LVII. DUbium de istius Decreti sinceritate & integritate mortalium omnium primus excitavit *D. Emmanuel a Schelstrate* Vaticanæ Bibliothecæ Præfectus in Dissertatione sua, cap. 1. Articulo 5. „ Primam (inquit) rationem dubitandi subministrant „ omnes Editiones Constantiensis Concilii, quæ Editionem Coloniensem *Petri Crabbe* præcesserunt, in „ quibus non reperitur illa particula, *& ad Fidem*. „ Enimvero desideratur illa in Editione Constantiensis „ Concilii anno 1499. inchoata & anno 1500. absoluta in Imperiali oppido *Hagenow*, qua non reperitur „ antiquior. Secunda Editio prodiit an. 1511. Mediolani typis *Gotardi de Ponte*, opera *Zachariæ Ferreri* Subasiensis Abbatis Vicentini: Tertia an. 1524. „ Lutetiæ, Typis *Galioti a Prato*, opera *Jacobi Merlini* Doctoris Parisiensis, in Collectione Conciliorum, „ quæ anno 1530. Coloniæ iterum prodiit ex Ædibus „ Quentelianis. Et in his omnibus Editionibus ultima „ Decreti verba Sessione 4. leguntur: *Obedire tenetur in his quæ pertinent ad extirpationem dicti Schismatis, & Reformationem Generalem Ecclesiæ Dei in Capite & in membris*. Ubi particula *& Fidem*, nullatenus reperitur. Observat deinde Vir Clarissimus, Decreta Constantiensis Concilii primum collecta & edita in lucem jussu Concilii Basileensis. Hujus collectionis provinciam duobus Cardinalibus, duobus Episcopis, duobus Theologiæ Doctoribus, & Archidiacono Zagabiensi fuisse demandatam. Hoc cum anno 1442. absolutum esset a Deputatis supradictis, Opus fideliter conscriptum fuisse & Bulla plumbea pendente in chordula fericea & per omnes chartas inferioris marginis transeunte bullatum. Ex hoc Codice jussu Basileensis Synodi eascripto, & a Deputatis subscripto *Joannem Heber ex Ederdorff*, Sacræ Theologiæ Baccalaureum anno 1405 copiam (ut loquitur) propria manu extraxisse, quam cum suo originali concordare testatus fuit *Matthias Strinbach* publicus auctoritate Apostolica Notarius; & hanc copiam quæ anno 1499. ad *Hieronymum de Croatia* Juris utriusque Doctorem spectabat, eodem anno Typis mandatam in Imperiali oppido *Hagenow*.

Respondetur objectionibus Emmanuelis a Schelstrate.

LVIII. Gratias amplissimas debent *D. Emmanueli a Schelstrate* Respublica Literaria, quod observatione illa sua Decretorum Concilii Constantiensis, prout ad nos pervenerunt sinceritatem præter intentionem suam confirmaverit. Siquidem ex ea patet, vix majorem adhiberi potuisse curam ac diligentiam in Actis ac Decretis illius Concilii colligendis, quam quæ a Patribus Synodi Basileensis adhibita est. Viris siquidem omnium Ecclesiæ Ordinum dignitate, doctrina, probitate spectatissimis hanc provinciam demandarunt, qua fideliter sunt perfuncti. *Opus* (inquit) *fideliter conscriptum fuit*. Collectionem Basileenses Patres approbarunt, Bulla Concilii Codici appensa, ejusdemque fore fidei declararunt, ac si Bulla ejusdem Concilii Constantiensis munita forent. Cedo, si quæ Actorum cujuslibet alterius Synodi Acta magis authentica, & majori cura descripta & collata ad nos pervenerunt. Sed observationi *D. Schelstrate* addendum est, tunc ab annis decem Concilium Basileense duo illa, de quibus agimus, Constantiensis Decreta laudasse, excripsisse, renovasse, confirmasse iisdem omnino verbis, quibus nunc in Actis Concilii Constantiensis, Romanæ, Regiæ, Labbeanæ Editionis leguntur, idque non semel, sed quinquies, in publicis Sessionibus, antequam Synodus Ferrariam ab *Eugenio IV.* transferretur, cum ejus Legati Concilio præessent, ac inprimis *Julianus*, Titulo *S. Angeli* Cardinalis, Acta ac Decreta Concilii Constantiensis solitus nocturna versare manu, versare diurna, ut *Eugenii* Mandatis pareret, qui jusserat, ut juxta Concilii Constantiensis Decreta Basileense dirigeret, ut constat ex verbis ejusdem Cardinalis ad *Eugenium* scribentis: *Sed quid opus est hoc aliunde probari, quam per literas Sanctitatis vestræ? Ipsa in iis confectis 11. Kalendas Junii mandat mibi quod expedito negotio Bohemiæ, cujus finis expectatur in brevi, dirigam gressus meos ad Basileam pro Concilio celebrando: ET IBI OPPORTUNE PROVIDEAM JUXTA MIHI INJUNCTA, ET ORDINATA, IN CONCILIO CONSTANTIENSI*. Repetita (inquam) fuerant iisdem verbis, atque confirmata duo illa, de

quibus

quibus agimus, Concilii Constantiensis Decreta, in Synodo Basileensi, Sessionibus secunda, tertia, duodecima, decima-sexta, & decima-octava, antequam Synodus ipsa Basileensis Acta Constantiensis Concilii colligi, & in uno Codice describi curasset an. 1442. Adeoque licet ab illo Codice sive ab ejus transumpto abfuisset illa particula, *Ad fidem*, non recte colligeret *D. Emmanuel a Schelstrate*, hanc in genuinis Concilii Constantiensis Actis fuisse desideratam. Sed hujus conjecturæ confutandæ onere nos liberavit ingenua ipsius confessio hanc particulam in antiquissimis Concilii Constantiensis Manuscriptis haberi ac legi declarantis. *Attamen*, inquit, *si genuina & vera esset Actorum a Basileensibus collectorum copia, ea qua prima Constantiensis Concilii Editio prodiit, non deessent forsan, qui de particula*, Ad Fidem, *an Decreto addenda sit, dubitare pergerent. Verum cum ego antiquissima Manuscripta Constantiensis Concilii particulam illam habere animadverterim, concesso libenter Basileensium in illius omissione errore, aliam in ponendis certis verbis graviorem adjungo*. Omissionem illius particulæ in Typographorum incuriam & oscitantiam prudentius & consultius quam in Patrum Basileensium errorem Vir Clarissimus retulisset, cum nulla Manuscripta viderit in quibus desideretur; & Synodus Basileensis in Decretis Concilii Constantiensis quinquies in publicis Sessionibus, & in Responsione Synodali ad Oratores *Eugenii IV.* quæ incipit, *Cogitanti*: hæc verba, *Et ad Fidem*, habeat eodem ordine, quo in Actis Synodi Constantiensis leguntur.

LIX. Graviorem errorem, immo fœdam Decreti Sessionis 4. Concilii Constantiensis interpolationem Patribus Basileensibus affingit *D. Emmanuel a Schelstrate*, horum additione verborum, ut ipse contendit, commissam, *Et reformationem generalem Ecclesiæ Dei in Capite & in membris*. „Hæc sunt, *inquit*, quæ a „Decreto Sessionis 4. abesse debuerant. Mirum & novum hoc quidem videbitur, idque contra omnium Editionum fidem; quæ post primam Constantiensis Synodi editionem hæc verba retinuerunt. *Sed cum res indubitata evadat ex omnibus Codicibus MSS.*, nihil aliud Editiones Conciliorum efficere possunt, quam errorem semel a Basileensibus inchoatum hucusque perseverasse. Tres Codices MSS. continentes Acta Constantiensis Concilii a Notariis ipsius conscripta, ex quibus Basileenses Decreta compilarunt, non habent illa verba in primo Decreto Sessionis 4. *Et ad Reformationem generalem Ecclesiæ Dei in Capite & in membris*. Codices quatuor MSS. continentes Gesta indubitata Constantiensis Synodi quorum duo circa ipsius Constantiensis Concilii tempus conscripti sunt, licet habeant multo plura quam hactenus edita, nullam tamen mentionem faciunt in Decreto Sessionis 4. de Reformatione Ecclesiæ in Capite & in membris. Quinimmo in uno ex istis Codicibus post hæc Decreti verba *Ad Fidem*, *& ad extirpationem dicti Schismatis*, notatum erat: *Ista* (nimirum Articulus) *imperfecte fuit factus, ideo suppletur in Sessione sequenti*. Quibus indicatur clausulam *de Reformatione Ecclesiæ in Capite & in membris*, abesse debere a Decreto Sessionis 4. ideoque illud Decretum renovatum fuisse in Sessione 5. Duo demum Codices continentes Regestum Actorum Constantiensis Concilii quorum unus circa tempus ipsius Concilii scriptus spectavit ad Eminentissimum Cardinalem *Sirletum*, aliud antiquo charactere Italico conscriptus est, licet omnia Acta contineant a prima Sessione usque ad electionem *Martini V.* nullam tamen mentionem faciunt in Decreto Sessionis 4. *de Reformatione Ecclesiæ in Capite & in membris*. Addit, cæteros quos vidit, Codices recentiores se prætermittere, in quibus tamen omnibus prædicta verba desiderantur ut indubitatum sit a Basileensibus erronee Decreto Sessionis 4. adjuncta, & a Collectoribus Conciliorum, errore Basileensium deceptis, Typis edita.

LX. Mirum quidem videtur viris egregie cordatis *D. Emmanuelem a Schelstrate*, tanta confidentia asserere, hæc verba Decreto Sessionis 4. a Patribus Basileensibus addita fuisse, *Remque indubitatam evadere ex omnibus Codicibus MSS.* quasi præter novem Codices, quos laudat, Romæ a se inspectos ac lectos, nulli essent in reliquo terrarum orbe, aut soli Vaticani fidem facere indubiam possent, quasi & mendosi Codices in Vaticana Bibliotheca nulli essent, de qua scripsit olim Cardinalis Baronius, *Similem esse sagenæ missæ in mare & ex omni genere piscium congreganti*. Quasi Exscriptores etiam & Librarii indeficientis Scripturæ privilegio seu inerrante calamo donati desuper fuissent. Tres quos laudat Codices MSS. Acta Concilii Constantiensis continere dicit a Notariis ipsius conscripta. An immediate, adeo ut originalia sint, & autographa? Non credimus, neque ita conjicienti, & suam conjecturam non probanti, credere tenemus. Ipsi vero decem saltem Codices MSS. optimæ notæ opponimus, quos non vidit, Parisiis extantes in Bibliothecis Regia, Colbertina, Regalis Abbatiæ *S. Victoris*, Collegii Navarrici, &c. in quibus Acta Concilii Constantiensis fideliter descripta continentur, quæ Decretum Sessionis 4. habent cum his verbis: *Et ad reformationem generalem Ecclesiæ Dei in Capite & in membris*. Atque inter Manuscripta Victorina habentur singularum sessionum Concilii exemplaria, quæ ex ipso Constantiensi Concilio a Præsulibus Theologisque Nationis Gallicanæ Parisios, statim atque celebrata fuerant, mittebantur, in quibus Decretum Sessionis quartæ iisdem omnino verbis legitur, quibus in Editione Haganoensi & tribus subsequentibus, nec non in Crabbiana, Romana, Biniana, Regia, Labbeana, cum his verbis: *Et ad Reformationem generalem Ecclesiæ Dei in Capite & in membris*. Opponimus & Codices Germanicos & Belgicos, *quibus undique collectis usum se testatur Petrus Crabba* Mechliniensis, Ordinis FF. Minorum de Observantia, vir eruditus & diligens, in Editione sua Coloniensi Conciliorum anni 1551. in qua vel minutissimas lectionum varietates, & dictionum, syllabarum, ac literarum etiam defectus vel redundantiam notavit, qui tamen nullam varietatem lectionis in Decreto Sessionis 4. Concilii Constantiensis judicavit, sed illud edidit cum his verbis, quæ in omnibus, quos præ manibus habuit, Codicibus Manuscriptis legerat: *Et ad Reformationem generalem Ecclesiæ Dei in Capite & in membris*. Iisdem verbis legitur Decretum istud in Manuscriptis exemplaribus longe pluribus *undecumque conquisitis*, quibus usum se testatur *Laurentius Surius* Cartusianus in Editione sua Coloniensi Conciliorum anni 1597. *in quibus erant nonnulla admirandæ vetustatis*. Ac quarum fidem cum *aliquot locorum millia se emendasse, plurima etiam illustrasse, & suæ integritati restituisse*, in Domino glorietur, Decretum tamen Sessionis 4. Concilii Constantiensis iisdem verbis edidit, quibus illud vulgo legimus quia iisdem verbis conceptum legit in omnibus, quæ vidit, Exemplaribus Manuscriptis. Quid Codices a *Severino Binio* illustratos commemorem? Quid Vaticanos, & aliarum Almæ Urbis Bibliothecarum ab Editionis Romanæ Curatoribus, quæ *Pauli V.* Pontificis Maximi auctoritate prodiit anno 1628. inspectos? An criterium illis deerat, quo sincera exemplaria discernerent a mendosis? An Codices non viderunt, quos *D. Schelstrate* vidit? An cum aliis non contulerant? Quin id fecerint, dubium non est, exploratumque habuerint, sinceriores, antiquiores, & melioris notæ Codices Actorum Concilii Constantiensis Decretum Sessionis 4. iis exhibere verbis, quibus illud ediderunt, cum hacce clausula, *Et ad Reformationem generalem Ecclesiæ Dei in Capite & in membris*. Regia etiam & Labbeana Editiones mirifice confirmant Codices omnes Regiæ hujus Urbis ita prorsus Decretum illud habere. Sane si *PP. Labbe & Cossartius* vel unum legissent Codicem MS. in quo hæc verba defuissent, ea de re pro sua ingenuitate monuissent lectorem, cum eorum studia prodat hæc Nota ad Marginem ejusdem Decreti, prout in Sessione 11. Concilii Basileensis innovatur & confirmatur: *Quomodo, cur, & quando hoc verificetur, vide præsertim Jo. de Turrecremata in sua Summa De Ecclesia, Libro 2.* Ejusdem sinceritatem ac integritatem Decreti adversus *Emmanuelem a Schelstrate* se luculenter probare putat Auctor recentior * ex Venerabilis Parisiensis Ecclesiæ Cancellario *Joanne Gersonio* Christianissimi Regis ad Constantiense Concilium Oratore. Laudat ejus Tractatum *De Potestate Ecclesiastica*; alterum qui inscribitur: *An & quomodo liceat in causis fidei a Summo Pontifice appellare?* Sermonem *Pro Viagio Regis Romanorum* Directione 1. & Sermonem coram Concilio habitum Dominica 11. post Epiphaniam, in quam incidebat *S. Antonii Festivitas*, quibus in locis ab ipso proferri ait Decretum Sessionis 4. iisdem verbis, quibus illud habemus, & legimus. Tum MSS. Codices Operum *Gersonii* magno apparatu laudat, ut nulla falsi suspicio oriri possit. Verum si magis attenta consideratione *Gersonium* legisset, animadvertisset ipsum his in locis laudare Decreta Sessionis 5. non Sessionis 4. Tractatu namque de Potestate Ecclesiastica, Consideratione 4. hæc habet: „Audire „igitur debet Ecclesiam quilibet frater noster, qui dicit ad Deum, *Pater noster*. Confirmant hanc sententiam statuta & practicata in hoc Sacro Constantiensi Concilio, præsertim sexta Aprilis anni 1415.

„ in

* *Ludovici Maimburgii Hallucinatio.*

„ in Sessione publicata: cujus inter cætera sunt hæc duo Decreta prima: Et primo declarat quod ipsa in Spiritu Sancto legitime congregata, Generale Concilium faciens, & Ecclesiam Catholicam militantem repræsentans, potestatem immediate a Christo habet, cui quilibet, cujuscumque Status vel Dignitatis, etiamsi papalis existat, obedire tenetur, in his quæ pertinent ad Fidem, & extirpationem dicti Schismatis, & Generalem Reformationem Ecclesiæ Dei in Capite & in membris. Item declarat, quod quicumque, cujuscumque Status vel dignitatis, etiamsi Papalis existat, qui Mandatis, Statutis seu Ordinationibus aut præceptis hujus Sanctæ Synodi, & cujuscumque alterius Concilii Generalis legitime congregati super præmissis, seu ad ea pertinentibus, factis vel faciendis, obedire contumaciter contempserit, nisi resipuerit, condignæ pœnitentiæ subjiciatur, & debite puniatur, etiamsi ad alia Juris remedia si opus fuerit, recurrendo. „ Hæc autem sunt Decreta Sessionis 4. quæ die Sexta Aprilis revera celebrata est, non Sessionis 4. quæ habita est die trigesima & penultima mensis Martii. Primum Decretum laudat ac refert in Sermone pro Viagio Regis Romanorum, directione 1. & illud tribuit *Sessioni publicæ quinto Aprilis habitæ* (ita in editis habetur) sed legendum *sexto*, ut in Tractatu *De Potestate Ecclesiastica*. Noo ergo Sessionis 4. penultima die Martii celebratæ Decretum est. In Tractatu, *Quomodo, & an liceat in causis Fidei a Summo Pontifice appellare?* Decretum utrumque laudat iisdem verbis, sed illa profert ex *publica Sessione celebrata die sexta Aprilis*: quæ Sessio quinta est. Tandem in Sermone Dominica II. post Epiphaniam, cum qua Festum *S. Antonii* concurrebat, coram Concilii Constantiensis Patribus habito, ejusdem Sacræ Synodi Judicia laudat de Auctoritata Ecclesiæ Synodaliter congregatæ; & duo Decreta conjunctim recitat iisdem verbis, eodemque tenore, quo illa protulit in duobus Tractatibus superius indicatis: ut manifestum sit illa ad Sessionem V. referri. *Gersonii* itaque testimoniis in alterum usum servatis, ad alia momenta progredior.

Patres Basileenses a calumnia vindicantur.

LXI. Longe verisimilius est mendosos esse Codices *D. Emmanuelis a Schelstrate*, in quibus hæc verba desunt, *Et ad Reformationem generalem Ecclesiæ Dei in Capite & in membris*, quam quod a Patribus Basileensibus addita fuerint, interpolatumque ab ipsis fuerit Sessionis quartæ Decretum. Concilium enim Pisanum, cujus Constantiense continuatio fuit, aperte declarat Sessione ultima, se omnino attendisse ad Reformationem generalem Ecclesiæ in Capite & in membris: Et quia tam necessarium opus perficere non potuerat, ideo ad proximam Synodum illud remittit. *Item*, inquit, *cum Dominus noster Papa cum consilio Concilii intenderet reformare Ecclesiam in Capite & in membris, & jam multa per Dei gratiam sint expedita per ipsum Dominum nostrum Papam; & multa alia statum & favorem Prælatorum ac aliorum inferiorum concernentia restent, quæ propter regressum Prælatorum & Ambasiatorum de præsenti expediri non possunt; propterea idem Dominus noster Sacro requirente & approbante Concilio, dictam Reformationem suspendit & continuat, usque ad proximum jam indictam Concilium & præsens Concilium prorogat & continuat usque ad illum terminum, qui præfixus est omnibus ad Concilium convocatis.* Diceodum ergo, Concilium Constantiense ad Reformationem Generalem Ecclesiæ Dei tam in Capite quam in membris, ex Decreto Synodi Pisanæ congregatum, statim se ad tam sacrum opus accinxisse. Unde Sessione 3. diserte profitetur se ad istam Reformationem promovendam fuisse congregatum, nec dissolutum iri donec ex omni parte fuerit absoluta. *Hæc Sancta Synodus Sacrum Generale Concilium Constantiense nuncupata, pro Reformatione & unione Ecclesiæ in Capite & in membris fienda, in Spiritu Sancto legitime congregata, decernit, declarat, diffinit & ordinat*, &c. *Item quod istud Sacrum Concilium non debet dissolvi, neque dissolvitur, usque ad extirpationem præsentis Schismatis, & quousque Ecclesia sit reformata in Fide & moribus, & Capite & membris.* Quæ cum ita sint, quidni idem Concilium iisdem verbis usum fuerit Sessione 4. quæ Sessione 3. usurpavit, cum se hunc in finem congregatum profiteatur, & revera illud in eumdem finem congregari voluerit Pisana Synodus?

Præterea, ipsum, de quo agimus, Sessionis 4. Decretum, prout illud ex suis Manuscriptis refert *D. Emmanuel a Schelstrate*, hanc initio clausulam habet, hisque conceptum est verbis, quæ mutilum esse arguant, nisi hæc quæ desunt verba, *Et ad Reformationem generalem Ecclesiæ Dei in Capite & in membris*, in fine suppleantur & addantur. Illud subjicio prout a Viro Clarissimo describitur pag. 4. „ Hæc Sancta Synodus Constantiensis & Generale Concilium faciens, pro extirpatione præsentis Schismatis, & unione, AC REFORMATIONE ECCLESIÆ DEI IN CAPITE, ET IN MEMBRIS FIENDA, ad laudem omnipotentis Dei in Spiritu Sancto legitime congregata ad consequendum facilius, securius, uberius, ac liberius unionem AC REFORMATIONEM ECCLESIÆ DEI, ordinat, diffinit, statuit, decernit, & declarat, ut sequitur: Et primo, quod ipsa in Spiritu Sancto legitime congregata, Generale Concilium faciens, Ecclesiam Catholicam militantem repræsentans, potestatem a Christo immediate habet, cui quilibet, cujuscumque status vel dignitatis, ETIAMSI PAPALIS existat, obediro tenetur in his quæ pertinent ad Fidem, & extirpationem dicti Schismatis. „ Quis hiulcum non videat esse Decretum, nisi addatur hæc clausula, quam meliora notæ & venerandæ antiquitatis Manuscripta, omnesque Editiones habent? *Et ad Reformationem Generalem Ecclesiæ Dei in Capite & membris.*

Patres Basileenses Concilii Constantiensis Decreta non interpolarant,

LXII. Denique Parisienses Theologi hanc interpolationem Decretis Sessionis 4. Concilii Constantiensis, a Domino *Schelstrate* Basileensibus Patribus attributam, merum esse figmentum somniumque luculentissime probant cum ex illius impossibilitate, tum ex inutilitate. Ex impossibilitate quidem, quia Constantiensis Concilii Acta & Decreta præ manibus erant omnium, antequam Synodus Basileensis conveniret: Prælati qui Concilio adfuerant, Decretorum exemplaria ad suas Ecclesias detulerant; quidam etiam miserant ante reditum ut primum quæque Sessio celebrata fuerat, ut Gallicani, quod probat Codex MS. Bibliothecæ *S. Victoris* Parisiensis, Acta illa & Decreta continens, prout a Prælatis vel Theologis Gallicanis Constantia mittebantur Parisios. Doctores quorum consilio & ope Decreta fuerant condita, illa cum amicis suis, & rerum Ecclesiasticarum Peritis (ut fieri solet) communicaverant. Et cum pax Sancti Concilii opera & auctoritate parta ad omnes pertineret, quidquid in illo decretum fuerat, ad omnes Ecclesias haud dubio pervenerat. Impossibilis erat itaque illorum interpolatio Decretorum, nisi omnia Exemplaria Manuscripta, per omnes Occidentis Ecclesias sparsa, quæ apud Prælatos, Doctores, viros quosque rerum Ecclesiasticarum studiosos asservabantur, a Basileensibus Patribus supprimerentur; quod qui fingeret, se ridendum omnibus propinaret. Certe cum *Clemens Quintus* nonnullas Concilii Viennensis Constitutiones immutare voluit ac emendare, certus de illius immutationis impossibilitate, quamdiu illarum Constitutionum exemplaria præ manibus omnium essent, Bullam edidit, referente *Joanne Andrea* ad primam *Clementinam*, qua sub pœna Excommunicationis omnibus præcipit ut quæ pænes illos essent exemplaria, aut ad Deputatos deferrent, aut flammis abolerent. Porro de Basileensibus Patribus nihil ejusmodi legitur aut traditur: Quod tamen præstare debuissent, si in Decretis Concilii Constantiensis aliquid immutare, si quid demere, vel addere voluissent. Quo ergo fundamento asseritur, Patres Basileenses Decreti Sessionis 4. interpolationem, quæ spectatis rerum circumstantiis impossibilis erat, attentasse? Purum putum istud figmentum ac somnium est.

Præterea, si aliqua Decretorum Concilii Constantiensis interpolatio a Basileensibus Patribus facta fuisset, hanc ipsis exprobrassent *Eugenius IV.* & Cardinales, Episcopi, ac Theologi ipsi adhærentes, quorum plerique Synodo Constantiensi adfuerant. An contra se adduci passus fuisset Decreta Summus Pontifex, quæ a suis Adversariis novisset interpolata? Non ne hac de re totius orbis Christiani fidem appellasset? Ex quo sane æterna Patrum Basileensium nomini conciliata fuisset invidia, perennisque nota dedecoris inusta: Hoc ratiocinium fortius adstringo. Eruditis omnibus exploratum est, Patres Basileenses sua contra *Eugenium* Decreta, prioraque ab *Eugenio* ipso approbata, Decretorum Concilii Constantiensis auctoritate confirmare; his Decretis fretos, sua de Synodi Basileensis, & cujuscumque alterius Generalis Concilii auctoritate supra Romanum Pontificem Decreta edidisse; priorem, ac posteriorem Concilii dissolutionem, ab *Eugenio* factam, irritam declarasse, *Eugenium* in Jus vocasse, Decreta, & Gesta sua in Responsione Synodali ad *Eugenii* Oratores, & in aliis Epistolis Synodalibus, nec non Florentiæ per suos Oratores coram ipso *Eugenio*, auctoritate Decretorum Synodi Constantiensis pur-

purgasse, vindicasse. Qua ratione, quæso, fieri potest, ut in contentione tam ferventi, in tanta animorum commotione, adversus aliqoem Decreta fœde interpolata & adulterata proferantur, qui interpolationem illam non solus novit, sed orbis cum ipso universus, nec ille tamen tam iodignam facinus Adversariis suis objiciat & exprobret? Quod tamen nusquam fecit *Eugenius*, nec qui ab ejus partibus stabant Cardinales, Episcopi, Theologi doctissimi, & inter alios *Joannes de Turrecremata*, qui Concilii Constantiensis Decreta Conciliorum Generalium auctoritatem spectantia, penitus infixa memoriæ tenebant, & diligenter expenderant, aliasque Responsiones excogitaverant, quibus illorum vim elevarent, ad serviendam causæ *Eugenii*, cujus defensionem contra PP. Basileenses susceperant. Attendat iosuper cordatus quisque, difficile admodum esse, immo impossibile moraliter, ut Synodus tota, cui præest vir severæ virtutis, constantissimæ integritatis, qualis erat *Ludovicus Alemanus* Cardinalis & Archiepiscopus Arelatensis, cujus sanctitas miraculis comprobata est, qui in Beatorum album adscriptus est a *Clemente VII.* Pontifice Maximo; cui adsunt Præsules, secundi Ordinis Sacerdotes, Doctores pietate conspicui, gloriæ & honoris ipsius Synodi studiosissimi, summo consensu in Decretorum Concilii Generalis interpolatione conveniat, ex qua æterni probri ac infamiæ periculum subiret.

Patres Basileenses Concilii Constantiensis Decreta non interpolarunt.

LXIII. Verum etiamsi hanc interpolationem commode, & absque ullo vituperii & invidiæ periculo Patres Basileenses exequi potuissent, illius inutilitas æquos rerum æstimatores adducere debet, illam ut minime attentatam concludant. Magni quidem erat momenti ac ponderis Basileensibus Patribus Declaratio Concilii Constantiensis de Conciliorum Generalium auctoritate a Christo immediate accepta *ad Reformationem Ecclesiæ Dei in Capite & in membris*, ut & ipsi tam optatæ Reformationi incumberent. At nihil intererat io qua Sessione Declaratio illa edita fuisset, An in quarta, vel in quinta, cum non minor esset Sacri Concilii in una quam in altera Sessione auctoritas. At io quinta Sessione habentur expresse illa verba in priori Decreto, *Et ad Reformationem generalem Ecclesiæ Dei in Capite & in membris*, in omnibus Codicibus Manuscriptis, cunctisque Editionibus, ut nemo diffitetur, ne quidem *D. Emmanuel a Schelstrate*: Prorsus ergo inutilis erat Patribus Basileensibus interpolatio Decreti Sessionis 4. per istorum additionem verborum. Nec solum in Decreto Sessionis 5. leguntur, sed & Sessione septima, in Citatione *Joannis* XXIII. in qoa Synodus ait, se illum per nonnullos Prælatos, & alios insignes viros, ad eum ex parte hujus Sacri Concilii Legatos transmissas monuisse ac ursisse, ut ad ipsum Sacrum Concilium, & ad civitatem Constantiensem, ex qua se fuga subduxerat, quantocyus rediret, *Ea quæ pertinebant ad extirpationem præsentis Schismatis & Reformationem Ecclesiæ in Capite & in membris faciendam, impleturus, & cum effectu facturus sicut promiserat, voverat, juraverat, & in suis Literis super convocatione dicti Concilii concessis, se facturum publicaverat*. Eadem verba inferius in eodem Citationis Instrumento repetuntur, diciturque ipsum *Joannem* XXIII. ex Constantiensi civitate & Concilio Generali fugisse, ut *Generalem Reformationem Ecclesiæ, per dictum Sacrum Concilium in Capite & in membris faciendam* evitaret. Ter etiam eadem verba repetuntur, in Sententia Suspensionis adversus eumdem Pontificem lata Sessione 10. Quæ omnia satis evincunt Patres Basileenses hæc verba, *Et ad Reformationem generalem Ecclesiæ Dei in Capite & in membris*, nullo operæ pretio addituros fuisse Decreto Sessionis 4. Nec verisimile esse quod addiderint, cum pœne ubique io eo Concilio legantur. Nec mirum, cum hæc Reformatio una ex causis fuerit ob quas convocatum est. Addiderim, *D. Emmanuelem a Schelstrate* satis attenta consideratione non perpendisse, *Eugenium IV.* agnovisse Concilium Basileense ad hanc Reformationem Ecclesiæ promovendam congregatum juxta Decreta Concilii Constantiensis; adeoque nihil fuisse causæ cur Patres Basileenses hæc verba Decreto Sessionis 4. addaient, aut si addiderint, hujus interpolationis conscium fuisse & approbatorem *Eugenium*. Istius Pontificis verba in Literis quibus Decretum de Concilii Basileensis dissolutione rescindit, Sessione 16. lectis & approbatis, subjicio. *Dudum Sacrum Generale Basileense Concilium per Generalium Constantiensis & Senensis Conciliorum Statuta, Ordinationesque felicis recordationis Martini Papæ V. ac nostras, pro extirpatione Hæresum, pace populi Christiani, AC GENERALI REFORMATIONE ECCLESIÆ IN CAPITE ET IN MEMBRIS ET PERTINENTIBUS AD EA, legitime inchoatum, ex certis causis in aliis nostris Literis expressis dissolvimus.*

Objectio D. a Schelstrate.

LXIV. Objicit *D. Emmanuel a Schelstrata*: Art. 2. Post fugam *Joannis* XXIII. a Concilio Constantiensi Scafusam, cum tres Cardinales, ad eum a Collegio deputati, Constantiam reversi essent, & coram Rege Romanorum ac Nationibus vigesima octava Martii varia nomine *Joannis* Papæ de Procuratoribus statuendis obtulissent, omnia, teste Regesto Constantiensis „ Concilii, *tamquam ludicra* & ficte pro parte *Joannis* XXIII. oblata, per Regem Romanorum & „ alios ibidem adstantes, reputata fuisse; ac ibidem „ unanimiter vociferatum. *His non obstantibus fiat* „ *Sessio, fiat Sessio*. Secundo, haberi ex Regesto & „ Gestis post tam inconsultam vociferationem die sequanti vigesima nona Martii constitutum fuisse, ut „ Sessio quarta celebraretur in crastinum, statimque „ nominata Capita quæ volebant in ea statuere, & „ ob hæc magnam concertationem fuisse tam inter „ Nationes quam Cardinales; Qui ultimi, auctore „ Cardinale Florentino difficultatem fecerunt veniendi ad Sessionem 4. nolentes Decretorum ab ipsis impugnatorum publicationi interesse; Ideoque Regem „ Romanorum die vigesima nona apud Nationes plurimum laborasse, ut Decreta a Cardinalibus impugnata omitterentur, sed *non potuisse concordare*: „ Obtinuisse tamen ab eis: *quod Sessio usque ad horam decimam prorogaretur, & in crastinum usque ad illam horam viderent, si possent ad invicem concordare*. „ Ex „ quibus verbis patet etiam in ipsis Nationibus fuisse „ magnam animorum discordiam. Tertio, ex eodem „ Regesto haberi observat, die sequenti 30. Martii, „ mane hora septima, convenientibus in Palatio Episcopali Rege Romanorum, Cardinalibus, & Nationibus, fuisse *plurimum altercatum super Capitulis* in Sessione publicandis; & tandem Cardinalibus „ cum Nationibus non concordantibus, inceptam fuisse Missam: Cumque Prælati sederent in Concilio „ cum Mithris & Pluvialibus, ad Sessionem 4. celebrandam, Cardinales & Ambassiatores Regis Franciæ noluisse Sessioni illi interesse: *Quia super Diffinitionibus non fuerant habitæ nec sufficienter petitæ deliberationes eorum*. Ideoque Regem Romanorum ad se vocasse Deputatos Nationum, & ingressum cum duobus Cardinalibus, *S. Marci & Florentino*, primam Capellam Ecclesiæ Constantiensis: „ ibique habitam fuisse *non modicam disceptationem* „ inter Regem, Cardinales & Deputatos Nationum, *super Capitulis prælibatis: Et tandem divino Flamine inspirante, in unam sententiam convenisse, quod tantum Capitula infra scripta in dicta Sessione statuerentur*, & omitterentur Capitula a Cardinalibus impugnata. „ Sic (inquit *D. Emmanuel*) ut a Sessione „ quarta non solum absit Decretum de puniendo quocomque contumaciter obedire nolente; sed & Articulus de Reformatione Ecclesiæ in Capite & in membris, a primo Decreto abesse debeat, cum & illi „ articulo Cardinales contradixissent.

Responsio.

LXV. Ad hæc facilis est & obvia Responsio, Altercationem nullam fuisse inter Cardinales & Deputatos Nationum de his vocibus: *Et ad Reformationem generalem Ecclesiæ Dei in Capite & in membris*; sed de certis *Capitulis*: Cardinales voces illas non impugnasse, quæ a Pisano Concilio consecratæ erant, quas *Joannes XXIII.* in Literis Convocatoriis ipsius Concilii Constantiensis usurpaverat, illud hunc in finem indictum significans; quas ipsa Sancta Synodus Sessione 3. suis Decretis inseruerat, ad id se convenisse declarans, ut in eam Reformationem incumberet. Christianissimi Regis Oratores multominus de his vocibus disceptasse, cum nihil magis in votis haberent quam salutarem illam Ecclesiæ in Capite & membris Reformationem, ut io toto Concilii decursu opere comprobarunt, & *Gersonius* imprimis Parisiensis Academiæ Cancellarius, Oratorum unus, cujus Scripta id tota spirant. Disceptatio ergo fuit dumtaxat de Capitulis ac Decretis, quibus de Summi Pontificis punitione statuebatur, si hujus Sacri Concilii Generalis, & cujuscumque alterius legitime congregati Mandatis ac Sanctionibus parere nollet: Item declarabatur *Joannem* XXIII. in plenaria libertate fuisse & existere; prohibebatur etiam ne Romanam Curiam, & ejus Ministros, ab urbe Constantiensi ad alia loca traduceret, sine Sanctæ Synodi consensu: Diffiniebatur præterea ipsum cedare debere Pontificatu in quocumque

que casu, in quo cessio ipsius bono unionis Ecclesiæ Dei evidenter utilis esse posset; qua de re Concilii diffinitioni stare teneretur. Si, jubente Synodo, Pontificatus Insignia ponere contemneret, vel differret, ex nunc prout ex tunc pro exauctorato habendum, & omnem ei subtrahendam obedientiam. Item, discessum ipsius clandestinum Constantia fuisse illicitum, & bono unionis Ecclesiæ Dei nocivum. Nisi infra tempus ipsi a Synodo statuendum rediret, contra eum tamquam fautorem Schismatis, & suspectum de Hæresi processum iri. Hæc sunt de quibus Cardinales cum Nationibus concordare non poterant Sessione 4. hæc de quibus disceptatum est, ut habet Regestum Concilii: *Fuit plurimum super infra scriptis & aliis capitulis altercatum*. Cardinales porro & Oratores Regis Christianissimi interesse Sessioni quartæ non recusabant, quod decretis seu decernendis penitus repugnaret, sed quod ipsis *adhuc non fuerat plene aperta materia agendorum in illa Sessione*, ut habent *Gesta* Concilii in Codicibus MSS. *D. Emmanuelis a Schelstrate*. Ex quibus etiam discimus, quod *Rex tractavit cum Cardinalibus, & per ejus medium adhibito quodam moderamine in expediendis in illa Sessione, Cardinales consenserunt interesse, & fecerunt quod etiam interfuerint Ambassiatores Regis Franciæ*. Moderamen illud fuit ut illa dumtaxat Decreta in hac Sessione promulgarentur, quæ in ea legimus; alia ad pleniorem deliberationem in sequenti sessione remitterentur. Sed unanimi consensu Decretum istud de Conciliorum Generalium auctoritate & alia quæ Sessione 4. in Manuscriptis nostris, & in omnibus Editionibus habemus a Nationibus conclusa, a Patribus diffinita, ab Oratoribus Principum accepta fuisse, Regestum ejusdem Concilii testatur apud *D. Schelstrate* his verbis. „Et tandem, „Divino Flamine inspirante in unam sententiam convenerunt, quod tantum Capitula infrascripta in dicta Sessione statuerentur. Fuit ergo dicta Sessio de consensu & voluntate Domini Regis, & omnium Dominorum Cardinalium in Constantia existentium, quatuor Nationum, & Oratorum Regum & Principum celebrata: & omnes Cardinales in Constantia existentes, qui non erant infirmitate gravati, interfuerunt: cui Sessioni Reverendissimus in Christo Pater D. Joannes Episcopus Albanensis Cardinalis De Ursinis præsedit, & Reverendissimus Pater D. Joannes Patriarcha Antiochenus Missam celebravit. Qua finita, Reverendissimus in Christo Pater D. Franciscus SS. Cosmæ & Damiani Archidiaconus Cardinalis, SACRO CONSTANTIENSI APPROBANTE CONCILIO, legit Capitula infra scripta.

In Nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

„Hæc Sancta Synodus Constantiensis, & Generale Concilium faciens, pro extirpatione præsentis Schismatis, & unione ac Reformatione Ecclesiæ Dei in Capite & in membris fienda, ad laudem omnipotentis Dei in Spiritu Sancto legitime congregata, &c.„ Prout Sessione 4. in editis, excepta illa clausula, *Et ad generalem Reformationem Ecclesiæ in Capite & in membris*, quam mendosi codices *D. Emmanuelis a Schelstrate* in fine primi Decreti non habent, quoad hoc Caput ex Gallicanis, Germanicis, Belgicis, aliisque Vaticanæ Bibliothecæ emendandi.

Quod autem in uno ex istis Codicibus notatur, hunc Articulum *imperfecte fuisse factum, ideo suppleri in Sessione sequenti*, non indicat clausulam de *Reformatione Ecclesiæ in Capite & in membris*, Decreto Sessionis quartæ abesse debere: sed illi deesse declarationem, quod ipse Romanus Pontifex, qui *statutis vel præceptis hujus Sacræ Synodi, & cujuscumque alterius Concilii Generalis legitime congregati, obedire contempserit, condignæ pœnitentiæ subjiciatur, & debite puniatur, etiam ad alia juris subsidia, si opus fuerit, recurrendo*. Et istud suppletum est in secundo decreto Sessionis 5.

§. VII.

Decreta Sessionis quintæ Concilii Constantiensis, de Auctoritate Generalium Conciliorum supra Romanum Pontificem, cum debita deliberatione, & consentientibus omnibus, quorum intererat, condita sunt.

LXVI. HÆc Decreta sine matura & debita tantæ rei deliberatione, & pluribus contra clamantibus, edita contendit *D. Emmanuel a Schelstrate* Articulo 2. Capitis 1. Dissertationis suæ; sed hanc exceptionem, dudum a quibusdam Theologis Ultramontanis excogitatam, nullo nisi fundamento, aut certe caduco & ruinoso, gravissimis momentis demonstrant Theologi Parisienses. Primo, quia hujusmodi Quæstio de Auctoritate Concilii supra Romanum Pontificem annis 40. quibus Schisma dividebat Ecclesiam, examinata per orbem fuerat & discussa, Parisiis, Avenione, Romæ, Pisis in Concilio Generali quinque annis ante Constantiense celebrato. In quo quidem Concilio depositi fuerant duo Pontifices, qui ambitione sua Schisma in Ecclesia fovebant, electusque *Alexander V.* qui legitimus Papa habitus est; & id quidem secundum Sententiam Academiæ Parisiensis, *Ecclesiam esse supra Papam* docentis, quam Magister *Petrus Plaoult* Doctor Theologus Parisiensis & Socius Sorbonicus, postea Silvanectensis Episcopus & Sorbonæ Provisor, gravissimis rationibus confirmavit Sessione 13. subjunxitque Andegavensem, Aurelianensem, & Tolosanam Academias in eadem esse opinione: Quin & omnes Theologos qui ad hanc Synodum confluxerant ex variis orbis Christiani partibus & Academiis, *inter quos fuerat habita plena deliberatio super ista materia*, nec-non Florentinam & Bononiensem Academiam, ut Acta testantur. Eadem tempestate, cum *Gregorius* XII. Cardinalibus Obedientiæ suæ prohibuisset, ne absque ejus licentia Luca discederent, illi a Pontifice ad Concilium appellarunt his verbis: *Item ad Generale Concilium, a quo, & in quo solent Gesta etiam summorum Pontificum quæcumque retractari, decerni, & judicari*. Atque ex appellantium numero erat *Odo Columna*, S. Georgii ad Velum Aureum Diaconus Cardinalis, qui in Concilio Constantiensi Pontifex electus, *Martinus V.* appellatus est. Communis igitur erat Cardinalium Obedientiæ Gregorii XII. & aliorum Patrum Synodi Pisanæ Sententia, Concilium esse superius Romano Pontifice, ut mirum non sit eos postea in Concilio Constantiensi hanc doctrinam diffinivisse. Hujus Appellationis Instrumentum in *Spicilegio* Dacheriano, & in Labbeana Conciliorum Collectione editum est. Eadem erat Sententia Cardinalium *Benedicti XIII.* ut patet ex eorum Literis Concilii convocatoriis, cui si vellet impedimenta præstare, *Ecclesia, cujus unitati claves a Christo concessæ fuat, talia non pateretur sub dissimulatione transire*.

LXVII. In Concilio etiam Constantiensi, statim ab initio, quæstionem istam diligenter examinatam fuisse, constat ex *Petro* Cardinali *De Alliaco* Tractatu *De Auctoritate Ecclesiæ*, conscripto Constantiæ, P. 3. Cap. 2. *Quia*, inquit, *nonnulli Adversarii veritatis & erroris defensores, hanc mihi imposuerunt infamiam, quod disputare volebam de plenitudine Potestatis Romani Pontificis, ut ejus ac Romanæ Ecclesiæ Potestatem extollerem, & deprimerem Auctoritatem Concilii Generalis: Ideo ad hanc maculam expurgandam, declarabo qualiter non solum nunc, sed jamdudum Concilium Generale stabilire nisus sum, & specialiter in hujus Concilii initio. Unde tunc grave & periculosum dicti Joannis Papæ odium incurri: Tam propter aliquas Conclusiones, quas posui ad hunc finem, ne præsens Concilium dissolveretur, donec & quousque in ipso pleno congregato esset tractatum de perfecta & integra Ecclesiæ unione, & ejus debita Reformatione in Capite & in membris; & quod oppositum dicere aut facere saperet fautoriam Schismatis, & Hæreticæ Pravitatis: Tum etiam quia quidam ejus fautores & impugnatores dictarum Conclusionum, adversus me quasdam accusationes conscripserunt, &c.* Idem constat ex Schedula *Joannis* Patriarchæ Antiocheni pro Auctoritate Papæ supra Concilium, *Joanni* XXIII. directa initio Concilii Constantiensis, quam idem Cardinalis *De Alliaco* refert Cap. sequenti, & Cap. ultimo refellit velut *erroneam, & Politiæ Christianæ periculosissimam*. Quamvis testetur, dictum Patriarcham, post Schedulæ publicationem suæ, *in præsentia Sacri Collegii se excusavisse, quod illam Schedulam non scripserat determinative, sed arguitive*.

LXVIII. Tertio hanc quæstionem in Concilio Constantiensi ventilatam fuisse statim post fugam *Joannis* XXIII. adeoque ante Sessionem quartam, constat ex *Theodorico Niemo* in Vita *Joannis* XXIII. referente, quod cum alioqui Concilium ipsius, qui legitimus Pontifex agnoscebatur, discessu solutum contenderent, Summumque Pontificem esse Concilio Superiorem: *Eis responsum fuit alacriter per plures de ipso Concilio viros magnæ Auctoritatis & scientificos, scilicet quod Papa non esset supra Concilium, sed sub Concilio, & facta est illic contentio magna hinc & inde.*

Idem constat ex Venerabili *Gersonio* Parisiensis Academiæ Cancellario, & Christianissimi Regis, ejusdemque Universitatis ad Concilium Oratore, in Sermone habito in loco Sessionis generalis ejusdem Concilii coram Patribus, in Vigilia Dominicæ in Ramis Palmarum, post recessum recentem *Joannis* XXIII. ab eodem Concilio & urbe Constantiensi. Quo in Sermone duodecim Considerationibus explicuit Ecclesiæ & Concilii Generalis Auctoritatem supra Pontificem Romanum, quarum una est: *Ecclesia vel Generale Concilium eam repræsentans, est Regula a Spiritu Sancto directa, tradita a Christo, ut quilibet cujuscumque Status, etiam Papalis existat, eam audire, ac eidem obedire teneatur, alioquin habendus est ut Ethnicus & Publicanus. Patet ex immutabili Lege divina Matthæi* XVIII. *promulgata.*

Altera: *Ecclesia vel Generale Concilium, dum dictat aliqua regimen Ecclesiæ concernentia, Papa non sic est supra Jura etiam Positiva, quod possit pro libito dissolvere talia dictata per Ecclesiam, eo modo & intentione quibus dictata conclusaque sunt.*

Tertia: *Ecclesia vel Generale Concilium, quamvis non possit tollere plenitudinem Potestatis Papalis, a Christo supernaturaliter & misericorditer collata, potest tamen usum ejus limitare sub certis Regulis ac Legibus, in ædificationem Ecclesiæ, propter quam papalis auctoritas collata est. Et in hoc est totius Ecclesiasticæ reformationis stabile fundamentum.*

Quarta: Ecclesia vel Generale Concilium potuit & potest congregari sine expresso consensu vel mandato Papæ etiam rite electi & viventis, in multis casibus. *Unus inter cæteros est, quia accusatus & evocatur sit ut audiat Ecclesiam, juxta Legem Evangelicam allegatam, cui Legi subjectus est, & ipse renuit contumaciter Ecclesiam convocare &c.* Hæc doctissimus Cancellarius die 23. Martii, adeoque ante Sessionem tertiam, quæ die 25. ejusdem mensis celebrata est.

LXIX. In ea porro Sessione, Decreta Sacra Synodus edidit, quibus satis innotescit, quænam Patrum omnium mens esset de Conciliorum Generalium auctoritate. Scilicet Cardinalis Florentinus *juxta deliberationem Concilii*, has Constitutiones promulgavit. *Hæc Sancta Synodus, sacrum Generale Concilium Constantiense nuncupata, pro reformatione & unione dictæ Ecclesiæ in capite & in membris fienda, in Spiritu Sancto legitime congregata, decernit, declarat, diffinit & ordinat . . . . Quod per recessum Domini nostri Papæ de hoc loco Constantiensi, vel etiam per recessum aliorum Prælatorum, seu aliorum quorumcumque non est dissolutum hoc sacrum Concilium, sed remanet in sua integritate & auctoritate; etiamsi quæ ordinationes factæ essent in contrarium, vel in futurum fierent . . . . Item quod istud Sacrum Concilium non debet dissolvi, neque dissolvitur, usque ad extirpationem præsentis Schismatis & quousque Ecclesia sit reformata in Fide & moribus, in capite & in membris . . . Item quod ipsum Sacrum Concilium non transferatur ad alium locum nisi ex causa rationabili, & de consilio hujus Concilii deliberanda & concludenda.* Certe qui hujusmodi Decreta condunt, nullatenus dubitant de Auctoritate Concilii Generalis supra Romanum Pontificem: proindeque cum alia postea Decreta hac de re fuerunt, vere dici non potest illa absque deliberatione edita fuisse. Veritas enim omnibus jam explorata, prolixiori examine non indiget.

LXX. Quinto, Decreta Sessionis quintæ post sufficientem & maturam deliberationem condita fuisse, confirmatur ex *Gersonio* qui ipsa laudat ut *Determinationem sive Constitutionem Generalis Concilii Constantiensis*, In Tractatu qui inscribitur: „ Quomodo & an liceat in „ causis Fidei a Summo Pontifice appellare? *Ubi & hæc* „ *habet*: Sequeretur septimo, quod Concilium Genera- „ le non esset supra Papam vel Judex Papæ legitimus, „ cujus oppositam determinavit & practicavit Sacrum „ Constantiense Concilium. Non enim processum est „ ad inchoandum Depositionem Joannis, quousque fuis- „ set Articulus iste declaratus, sicut apparet ex Actis „ ejusdem Concilii, quoniam aliqui videbantur super „ hoc hæsitare. *Eadem decreta laudat & profert in* „ *Tractatu* De Potestate Ecclesiastica, *Consideratione* 4. „ *Et Consideratione* 12. *ubi recensens quæ Romano Pon-* „ *tifici tribuit adulatio, hæc habet*: Concedit insuper „ quod super Jus est potens ab altero Jus suum tolle- „ re, & quod nec ab eo appellari, neque eum judicia- „ liter evocari, nec obedientiam ab eo subtrahi, præ- „ sertim extra casum hæresis, sit aliquatenus possibile. „ Hic solus Symbolum Fidei condere, hic solus causas „ ejusdem Fidei, & Majores cæteras tractare potest; „ solus Diffinitiones, Regulas, Leges, & Canones con- „ dit. Alioqui quidquid per alios diffinitur, decerni- „ tur, conditur, statuitur, irritum est & inane. Nec „ aliquid ex eis, quæ statuerit, potest nisi per ipsum „ quomodolibet cassari vel infringi. Fallor si non ante „ celebrationem hujus Sacrosanctæ Constantiensis Syno- „ di sic occupaverat mentes plurimorum, literalium ma- „ gis quam literatorum ista traditio, ut oppositorum dog- „ matizator fuisset de hæretica pravitate vel notatus, vel „ damnatus. Hujus rei signum accipe, quia post declara- „ tionem ex Theologiæ principiis luce clariorem, & quod „ urgentius est, post determinationem & practicationem „ ejusdem Sanctæ Synodi, inveniuntur qui talia palam „ asserere non paveant. Tam radicatum, & ut cancer „ serpens, tam medullitus imbibitum fuit hoc priscæ a- „ dulationis virus lethiferum. *Eadem Decreta commen-* „ *dat ac profert Sermone habito coram Concilio Constantien-* „ *si in Festo S.* Antonii, *his verbis*: Habet Summus Pon- „ tifex plenitudinem Potestatis Ecclesiasticæ subjective, „ ordinative, regulative, & suppletive, super singulos „ de Ecclesia. Nihilominus habet Ecclesia Synodaliter „ congregata plenitudinem Potestatis, etiam super Pa- „ pam, ordinative, regulative, & suppletive. Quæ „ verba quomodo sint accipienda, Tractatulus quidam „ nuper editus pandit . . . Quamvis ultra multiplicare „ Sermones quid opus est super ea Veritate, cujus deci- „ sio clarissima solidissimaque facta est per hoc Sacrum „ Concilium? Cui non licet obniti, nec ipsam in argu- „ menta deducere: quoniam disputationum, & argumen- „ tationum, & evasionum frivolarum nullus umquam es- „ set finis, sed casus assiduus in errores absurdos & im- „ pios. Vere & graviter Ecclesiastes intonuit: *Quia cito* „ *non profertur contra malos Sententia, filii hominum ab-* „ *sque ullo timore perpetrant mala.* Numquid non ideo „ Sacræ hujus Synodi Constantiensis impugnantur Judi- „ cia? Quæ sic habent, &c. „ Tum duobus Sessionis 5. Decretis ad verbum recensitis continenter subdit: „ Huic „ Veritati fundatæ supra petram Sacræ Scripturæ quisquis „ a proposito detrahit, cadit in Hæresim jam damnatam, „ quam nullus umquam Theologus, maxime Parisiensis, „ & Sanctus asseruit. Vidi nuper Sanctum Thomam & „ Bonaventuram (hic reliquorum libros non habeo.) Dant „ supremam & plenam summo Pontifici Potestatem Ec- „ clesiasticam, recte proculdubio, sed hoc faciunt in com- „ paratione ad Fideles singulos, & particulares Ecclesias. „ Dum etiam comparatio facienda fuisset ad Auctorita- „ tem Ecclesiæ Synodaliter congregatæ, subjecissent „ Papam, & usum Potestatis suæ, eidem Ecclesiæ, tam- „ quam Matri suæ cujus legem dimitti non debere, tra- „ dit Sapiens: tamquam præterea regulæ vel legi dire- „ ctivæ & regulativæ infallibiliter cui se submittere tene- „ tur omnis frater peccabilis de Ecclesia, cujus Aucto- „ ritatem & Judicia si non audierit frater quilibet, etiam „ Papa qui nobiscum dicit: *Pater noster*, audiatur quid „ jusserit omni Catholico Christus: *Sit tibi sicut Ethnicus* „ *& Publicanus*; id est excommunicatus.

LXXI. Denique etiamsi sufficiens omnino deliberatio circa hanc materiam ante Sessionem 4. habita non fuisset, quod tamen a vero longe alienum est; nihilominus cum ex Actis a *D. Emmanuele Schelstrate* laudatis ista quæstio fuerit *ad longum* discussa ante Sessionem 5. & post Disputationem Cardinalis Florentini cum Deputatis Nationum, deliberationemque maturam, Sessio 5. confirmaverit Decretum Sessionis 4. perperam Decretum illud rejicitur tamquam sine debita deliberatione conditum: maxime cum Acta illa Schelstratensia nullam aut minus sufficientem habitam fuisse deliberationem non dicant, sed solummodo illam habitam non fuisse cum Cardinalibus. Cæterum hæc Decreta *per singulas quatuor Nationes conclusa & deliberata*, melioris notæ Codices MSS. Actorum Concilii Constantiensis, & Editio Crabbiana, cæteræque testantur. Nullius enimvero momenti est, quod *D. Schelstrate* ex Gestis Concilii objicit: *Fuisse per Cardinalem Florentinum cum aliquibus Deputatis aliqualiter disputatum: quasi vi aliqualiter*, indicet a Deputatis Nationum cum *Francisco* Cardinali *Zabarella* super capitulis controversis non sufficienter disputatum fuisse. Quasi aliqualis Disputatio & Collatio cum doctissimis Theologis habita satis non fuisset ad dis-

ficale

ficultatem omnem ac dubitationem abstergendam ; si quæ in menta Florentini Cardinalis cica hanc quæstionem superesset, Sed dicamus ingenue, quod res est, longiori disputatione opus non fuisse, cum quæstio jam ante satis ventileta & eliquata fuisset ; nec dubitaret Cardinalis Florentinus da suprema Conciliorum Auctoritate, quippe qui tertiæ & quartæ Sessionis Decreta, quibus illa suncita est, *juxtu deliberationem sanctæ Synodi* pronuntiasset ; sed illa dumtaxat Decreta, quæ *Joannis XXIII.* personam spectabant, minus grata forsan baberet. Unde noluit illa pronuntiare, sed hanc provinciam cessit Electo Poznaniensi, Sed esto, quidam Cardinales non consensissent : non-no sufficit quod cæteri Præsules Decreta omnia summo consensu probaverint ; cum in Conciliis paucorum dissensus Definitionem non impediat ?

Objectio D. Schelstrate.

LXXII. Objicit D. *Emmanuel a Schelstrate*, quod in Regesto Concilii Constantiensis in duobus Codicibus MSS. habetur, Cardiualos, & Oratores Christianissimi Regis ante Sessionem quintam *Protestationem in Cameru Paramentorum Palatii Constantiensis secreto fecisse, quod propter scandalum evitandum ad Sessionem ibant, non animo consentiendi bis quæ audroverant in ipsa statui debere.* Postquam vero Vir Clarissimus mirifice prædicavit, ea se in lucem proferre, *quæ bucusque ignoravit orbis Catbolicus*, testimonium adducit Cardinalis *De Turrecremata*, Libro 2. de Ecclesia, cap. 99. scribentis: *Neque ipsam integram Joannis XXIII. Obedientiam consensisse, quoniam plures Patres doctissimi illius Obedientia illis non præstiterunt consensum suum ; item nec ipse in sua Obedientia vocatus Joannes XXIII. quoniam cam post recessum suum a Constantia Scaphusæ constitutus audiret præfatam Declarationem conclusam, Dominis Oratoribus Regis Franciæ visitantibus cum amaro animo conquestus est, falsa quædam & erronea adversus Auctoritatem Romani Pontificis Decreta per æmulos suos, post recessum ejus esse conclusa.* Pofert denique testimonium *Eugenii IV.* in sua Apologia contra PP. Basileenses, P. 8. scribentis: *Qui Constantiæ sedebant, unius tantum Obedientiæ Synodum faciebant, nec tamen bi omnes in eam sententiam convenerunt, sed nonnulli reclamavere graviores, qui strepente multitudine superati, sicut bis novissimis temporibus, quibus carnales exaberant passiones, factum esse, manifestum est, audiri nequiverunt.*

Responsio.

LXXIII. Fucus fieret Orbi Catholico si *M. Emmanuelis a Schelstrate* objectiones dumtaxat audirentur, nec expenderentur Acta ipsa quæ profert. Verum si considerentur attentiue, hanc Protestationem Cardinalium & Oratorum Regis Christianissimi (si quæ tamen facta sit) emissam non fuisse contra Decretum de Auctoritate Concilii supra Summum Pontificem, aliaque in præcedenti Sessione condita, manifestum erit, sed id maxime Caput illam spectare, quod de plena securitate Papæ additum est bis verbis: *Item declarat, quod Dominus Joannes Papa, & omnes Prælati, & alii in eodem Concilio existentes, in plenaria libertate fuerunt, & existunt, ut visum est dicto Sacro Concilio, nec ad notitiam dictorum vocatorum seu dicti Concilii contrarium deductum est ; & boc testificatur dictum Sacrum Concilium coram Deo & hominibus.* Hanc (inquam) Declarationem spectat maxime Protestatio Cardinalium & Oratorum Christianissimi Regis in Camera Paramentorum secrete facta, „ Quod propter scandalum vitandum ad Cessionem ibant, non animo consentiendi bis quæ audiverant in ipsa statui debere, maxime quod Dominus noster Papa, & alii in Concilio existentes, io plena securitate fuerant, quorum plura statuta non sunt, sed ad Sessionem aliam reservata. " Verba ipsa sunt Actorum a *M. Schelstrate* editorum ; ex quibus evidens est, Protestationem supradictam Cardinalium & Oratorum Christianissimi Regis factum fuisse maxime contra unum Sessionis quintæ Caput, quod est do plena securitate *Joannis XXIII.* & contra alia quædam quæ in hac Sessione statuta non sunt, sed ad Sessionem alteram reservata, quæ scilicet spectabant *Procuratorium super renuntiatione Papatus facienda* per eumdem *Joannem XXIII.* quæ tandem Sessione sexta decreta sunt, ut ex Actis patet. Sane Cardinalium & Oratorum Gallorum Protestatio Decreta illa non spectat, quæ omnibus *Divino Flamine inspirante in unam sententiam convenientibus*, partim condita fuerant Sessione quarta, partim hac ipsa Sessione quinta constituta & confirmata sunt, *ut in editis* leguntur, non vero *in aliam Sessionem reservata*. Capitula vero quæ istud da plena securitate *Joannis XXIII.* ipsique adhærentium, præcedunt, & illa imprimis de Conciliorum Generalium Auctoritata supra Papam, partim deliberata fuerant Sessione quarta, omnibus *in unam sententiam convenientibus*, ut habent Acta *D. a Schelstrate*, bis verbis : „ Habita fuit non modica disceptatio inter Dominum Regem, Dominos Cardinales, & deputatos Nationum, super Capitulis prælibatis ; & tandem Divino Flamine inspirante, in unam sententiam convenerunt, quod tantum Capitula infrascripta in dicta Sessione statuerantur " : Partim etiam in Sessione quinta, in qua frequentiores erant Patres, constituta sunt & confirmata, & illud ipsum contra quod emissa fuerat Protestatio, in rem judicatam summo consensu transiit, post emendationem eorum quæ Cardinalibua, & Oratoribus displicebant, communi consilio factam. Id ex ipsis Actis a *D. Emmanuele a Schelstrate* editis totus discet Christianus Orbis ; sic enim habent post Sessionem quartam : „ Die Sabbati sexta mensis Aprilis, eum per prius inter Dominos Cardinales, & Nationes altercatum fuisset super correctione & emendatione Capitulorum in præcedenti Sessione statutorum, tandem ordinatum & conclusum est, quod supradicta Capitula modo infrascripto corrigerentur . . . . Tandem quinta Sessio celebrata est, Reverendissimusque in Christo Pater D. Joannes Episcopus Albanensis Cardinalis De Ursinis in ipsa Sessione præsedit, & Reverendissimus in Christo Pater D. Andreas Lascharis Electus Posnaniensis, post finitum Officium, pronuntiavit Capitula infrascripta.

In Nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

Hæc Sancta Synodus Constantiensis Generale Concilium faciens, &c. at *in editis Sessione quinta* (inquit *D. a Schelstrate.*) Ne igitur sibi Vir Clarissimus blandiatur, quod ex ejus Actis innotescant, *quæ bucusque ignoravit Orbis Catbolicus*, imprimis *Oratores Regis Galliæ una cum Cardinalibus, contra Decreta Sessionis quintæ protestatos fuisse*, quod *divina providentia factum* nunc auguratur, *cum Galliæ Clerus Decreta illa tamquam indubitatæ Auctoritatis babuit, omnibusque tamquam a Concilio Generali edita proposuit.*

LXXIV. Verum ut in totius Orbis Christiani luce istiue propositionis falsitas exponatur, quam non satis attenta Consideratione Vir clarissimus propugnat, *Christianissimi Regis Oratores contra Decreta Sessionis quintæ de suprema Conciliorum Generalium auctoritate fuisse protestatos* ; id merum esse figmentum ab omni veri specie alienum, rationibus luculentissimis demonstrant Theologi Parisienses. Nam *Gersonius* Oratorum unus, tribus post Sessionem quintam mensibus Sermonem habuit ad Patres Synodi Constantiensis, eum *Sigismundus* Imperator profectionem adornaret ad *Petrum de Luna* in sua Obedientia *Benedictum XIII.* nuncupatum, ut ipsum, eique adhærentes, ad Concilium una cum aliis adduceret, eumque ad unionem Ecclesiæ cessione sua procurandam hortaretur. Quo quidem in Sermone, cui titulus est, *De Viagio Regis Romanorum*, Doctor Christianissimus palam & aperte profitetur, Decreta Sessionis quintæ ita esse ad unionem Ecclesiæ non solum utilia, sed etiam necessaria, ut unicum ad eam restituendam remedium viderentur : proinde illa ubique promulganda & æternum duraturis characteribus conscribenda. Nec solum Decretum istud laudat coram Patribus, qui illud condiderunt, sed etiam asserit, post illius promulgationem nemini licere de illius veritate vel minimum dubitare ; neque ad illius confirmationem probationibus opus esse, cum illius veritas ex semetipsa omnibus pateat. Ulterius etiam progressus est, eum ibidem asserera non dubitavit, hanc Definitionem in Scriptura Sacra fundatam essa, neque eam absque perniciosissimi erroris nota impugnari possu. Quis porro sibi persuaserit, *Gersonium* Regis Christianissimi & Academiæ Parisiensis ad Concilium Oratorem, virum doctissimum & prudentissimum, hunc Sermonem de Sessionis 5. Decretis, Conciliorum Generalium supremam auctoritatem explicantibus, ad Patres Constantienses habere potuisse, si nomine Regis ipse & Collegæ Legationis intercessissent, quominus hæc ipsa Decreta in illa Sessione promulgarentur ? Venerabilis *Gersonii* verba subjicio. „ Assignetur (*inquit*) pro prima parta, quæ est de via pacis, prima Lex sive Directio liberans iter nostrum a primo scandalo ; quæ data est in Sessione publica sexto * Aprilis anni præsentis. Concilium Generala potestatem a Christo immediate habet, cui quilibet, cujuscumque Status, vel Dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire tenetur, in his quæ pertinent ad Fidem, & extirpationem Schismatis, ac generalem Reformationem Ecclesiæ Dei in Capite & in membris. „ Conscribenda prorsus esse mihi videretur in eminentioribus

Protestatio Cardinalium & Oratorum Regis Christianissimi non spectat Decreta de Conciliorum Generalium auctoritate.

* *Mendose habetur, in editis, Quinto.*

„ locis

„ locis, vel insculpenda per omnes Ecclesias saluberrima hæc Determinatio, Lex vel Regula, tamquam directio fundamentalis, & velut infallibilis, adversus monstruosum horrendumque offendiculum, quod hactenus positum erat per multos de Ecclesia in itinere mandatorum Dei: determinantes ex testibus Glossæ, non ad Regulam Evangelicam & Æternam acceptis, Papam non esse subjectum Generali Concilio, neque judicari posse per ipsum. Quod præterea Generale Concilium totum ab ipso robur immediatum sumebat: Nec poterat sine eo, casu quocumque, vel convocari, vel stabiliri: Quod nemo poterat ei dicere: Cur ita facis? Quoniam solutus erat Legibus, & supra Jus; & ita de plurimis per quæ blanda, fallax, & subdola Adulatio fovebat libidinem dominandi, & tyrannidem Ecclesiæ destructricem: Papatum seu ejus usum convertebat ita, ut non pateret via reductionis seu pacis. Scripsit super hoc errore vel scandalo Reverendissimus Pater Dominus Cardinalis Cameracensis, Præceptor meus Inclytus dudum & nuper, antequam fieret hæc Constitutio, reputans esse perniciosum sic asserere: sicut & de multis dictis per quosdam innitentes suis Juribus positivis annotavit. Nunc ex quo jam Lex posita est, nec jam licet dubitare, probationes omittamus: Sola hæc probatio sufficeret, SI ECCLESIAM NON AUDIERIT, SIT TIBI SICUT ETHNICUS ET PUBLICANUS. Itane de Sessionis 5. Concilii Constantiensis Decretis coram Patribus locutus fuisset *Gersonius*, si Christianissimi Regis Oratores, quorum ille unus erat hujusmodi Decretis intercessissent, & adversus illa Protestationem emisissent?

LXXV. Præterea, Decreta Sessionis quintæ Concilii Constantiensis, Generalium Conciliorum auctoritatem spectantia, conscripta fuere & recepta in Pragmatica Sanctione apud Bituriges in Conventu Generali Ecclesiæ Gallicanæ condita, & *Caroli* VII. Christianissimi Regis Auctoritate promulgata; quod nequaquam factum esset, si Regii Oratores his Decretis in Synodn Constantiensi intercessissent, & adversus illa fuissent protestati. Tertio, *Thomas de Corsellis* Theologus Parisiensis, Concilii Basileensis ad *Carolum* VII. Orator, luculentam Orationem ad Eumdem habuit Avarici Biturigum, in qua omnibus exploratum esse asseruit, hæc decreta de Conciliorum Generalium auctoritate a Concilio Constantiensi promulgata fuisse, eaque palam & publice in Gallorum Imperio recepta. „ Sicut autem (*inquit*) in hac doctrina Fidei invariabili perseveravit Sancta Synodus, sic etiam specialiter hoc Christianissimum Regnum eamdem assidue tenuit. Nam primo tempore Concilii Pisani, dum auctoritate ipsius Concilii Sententia lata est in duos Contendentes de Papatu (quorum alterum oportebat in Papatu jus habere) Rex clarissimæ memoriæ Genitor vester Sententiæ Concilii obedivit, & eum, quem Papa reputaverat, deseruit. Similiter tempore Concilii Constantiensis, lata Sententia contra Joannem XXIII. quem verum Papam Rex & Regnum reputabant, obedivit Rex ipse Sententiæ Concilii, & non ulterius ipsi Joanni: interfueruntque Oratores Regii, & alii Præclarissimi de hoc Regno, in ipso Concilln Constantiensi, ut Cardinalis Cameracensis, Cancellarius Parisiensis, & cæteri permulti, tam ibi, quam in Concilio Pisano in tanto numero Prælatorum, & Doctorum peritissimorum, qui nunc vix similis posset inveniri.... Sed & tempore Concilii Basileensis Vestra Majestas auctoritatem Conciliorum Generalium & Declarationem Fidei in Concilio Constantiensi factam jugiter sustinuit.... Demum eamdem Declarationem de Concillorum auctoritate, in sua Pragmatica Sanctione inseruit: sicque in hac eadem Fide Vestra Majestas, & Christianissimum Regnum semper fuit. Neque necessarium esset pro his quæ per Ecclesiam determinata sunt, allegationes aliarum auctoritatum & doctrinarum facere; quoniam facta Declaratione, illam credere oportet „. Ita ne vero locutus fuisset *Thomas de Corsellis*, si *Carolus Septimi* Christianissimi Regis, quem alloquebatur, Pater, his Constantiensis Concilii Decretis per Oratores suos intercessisset? Quarto, *Jacobus Almainus*, & *Joannes Major*, asserunt doctrinam horumce Decretorum, doctrinam esse Ecclesiæ Gallicanæ & Scholæ Parisiensis, maxime a diebus Concilii Constantiensis. Num vero ea fuisset ab hujus Concilii celebratione Ecclesiæ Gallicanæ doctrina, si Regii Oratores in eadem Synodo his Decretis intercessissent? Quinto Cardinalis *A Lotharingia* superiori sæculo de rebus ad Concilium pertinentibus ad *Britonem* Secretarium suum, Romæ agentem, scribens Epistolam cum *Pio* IV. Pontifice Maximo communicandam, declarat Ecclesiam Gallicanam semper *Concilium Constantiense totum & integrum tamquam Generale Concilium suscepisse, Gallosque omnes usque ad ultimam sanguinis effusionem propugnaturos Concilium Generale esse Romano Pontifice superius, secundum ejusdem Synodi Constantiensis Decreta*. Siccine vero scripsisset doctissimus & prudentissimus Cardinalis, si Regii Oratores Decretis Concilii Constantiensis de Conciliorum Generalium Auctoritate intercessissent?

LXXVI. Responsionem illa Theologorum Parisiensium mirum in modum confirmat comparatio quam faciunt Conciliorum in quibus alicujus Pontificis vel Principis nomine Protestatio contra aliqua Decreta facta fuit cum Concilio Constantiensi, & diversus utrorumque exitus. In exemplum adducunt intercessionem Legatorum *S. Leonis* in Concilio Chalcedonensi adversus Canonem 28. de Privilegiis Constantinopolitanæ Sedis. Petierunt illi, ut hujusmodi contradictio sua in Actis ejusdem Concilii describeretur. Quæ quidem tanti fuit ponderis & efficaciæ apud Romanos, ut per plurium sæculorum intervalla Canon ille Romæ admissus non fuerit, nec Episcopis Constantinopolitanis concessum Privilegium quod ipsis Canone Chalcedonensi tributum fuerat. Unde sic ratiocinari licet: Si intercessio legatorum Romani Pontificis in causa Disciplinæ hanc Romæ vim habuit, ut Canon a Concilio Œcumenico conditus, vix & post longa temporum intervalla fuerit a Romanis Pontificibus admissus: non ne Protestatio, si quæ umquam a Christianissimi Regis Oratoribus contra Decreta Sessionis 5. Concilii Constantiensis facta fuisset; eumdem debuisset in Galliis effectum sortiri quem Romæ sortita est Pontificiorum Legatorum contradictio, omnemque his Decretis auctoritatem apud Gallos abrogare? Id tamen tantum abest ut contigerit, ut e contra Gallicana Ecclesia, Academiæ, Senatus, ista Decreta statim susceperint, semperque exinde venerati sint. Quamobrem verisimile non est, Christianissimi Regis Oratores adversus hæc Decreta fuisse protestatos.

Alterum exemplum Theologi nostrates adducunt Concilii Tridentini, in quo *Caroli* IX. Christianissimi Regis Oratores intercesserunt quominus nonnulla Decreta, quæ Gallicanæ Ecclesiæ lædere visa sunt libertates, promulgarentur. Contra nonnulla pariter intercessit Cardinalis *A Lotharingia*, ut in Commentariis rerum ad Synodum Tridentinam spectantium legere est. Hinc Concilium illud, licet alias Sacrosanctum, & quoad dogmata & diffinitiones fidei ab omnibus vere Catholicis receptum; nullatenus tamen, quantumvis Roma postulante, quantumvis rogante sæpius Clero Gallicano, quantum ad ea quæ disciplinam spectant promulgari concesserunt Christianissimi Reges. Cum itaque Constantiensis Concilii decreta de Conciliorum Generalium Auctoritate, Sessionibus quarta & quinta edita Galli ab initio susceperint, Christianissimi Reges Sanctionibus suis illa inseruerint, Senatus ea laudaverit, secundum illa docuerint omnes Regni Academiæ, argumento est, nullam adversus illam factam fuisse a Regiis Oratoribus Prnteftationem. Porro si Oratores Regii non intercesserunt, ut invicte probatum est, de Cardinalium intercessione ac protestatione, æquo jure dubitari potest, cum utrosque in Protestatione conjungant Codices *M. Emmanuelis a Schelstrate*: eoque majori fundamento de illa dubitatur, quod in cæteris Codicibus MSS. Gallicis, Belgicis, Germanicis, nullum illius vestigium appareat.

LXXVII. Tandem etsi Decretorum istorum occasione aliquam Cardinales inter & Nationes ortam discordiam daremus, id tamen ipsorum auctoritati nihil detraheret. Sane si alicujus esset ponderis *M. Emmanuelis* ratiocinium, fides omnium Diffinitionum & Decretorum Synodalium, atque Canonum vacillaret. Quid enim in Conciliis frequentius, quam Patrum & Theologorum, vel circa dogmata, vel circa disciplinam, in ferendis suffragiis varietas, dissensio, concertationesque interdum acerrimæ? Sed tandem post hominum disputationes Spiritus Sanctus judicat; & ut Spiritus Sanctus per Sacram Synodum pronuntiavit, disputationum æstus conquiescit; & quicumque seu Prælatus, seu Theologus, aut alius, modo vere Catholicus, ante dogmatis diffiniendo contradiait, post diffinitionem silet & credit. Legatur Concilii Chalcedonensis Actio quinta, in qua circa istud caput Diffinitionis, quo duæ in Christo naturæ dicuntur unitæ inconvertibiliter, inseparabiliter, & inconfuse, magna Episcoporum pene cæterorum & Legatorum Sedis Apostolicæ dissensio fuit, acerrimaque concertatio. Legatur Concilii Tridentini Historia

gia

ria a *Palavicino* conscripta, quæ frequentes & acerrimas inter Episcopos disputationes ac dissensiones circa dogmata diffinienda commemurat, quæ tamen decretorum auctoritati non obfuerunt, neque vim diffinitionum elevant, quia tandem Spiritu Sancto afflante ac dirigente in eamdem omnes convenere sententiam. Ita de Constantiensis Concilii Decretis Sessionis quintæ dicendum est. Quamvis quidam Cardinales statim non consensissent, quamvis etiam repugnassent, ea nihilominus ut Synodi Œcumenicæ Decreta haberi & cum veneratione suscipi debent ab omnibus qui Christiano & Catholico nomine censentur; non solum quia majori parti Patrum primo placuerunt, & frequentioribus suffragiis approbata sunt, & confirmata; sed quia tandem a tota Synodo summo consensu promulgata sunt. Si quid in contrarium *Joannes a Turrecremata*, *Rodericus* Episcopus Calaguritanus, & *Eugenius IV.* scripserunt, ut Decretorum auctoritatem elevarent, quorum pondere premebantur, eorum testimonium non recipimus, sed *Eugenio* ipsummet opponimus *Eugenium*, qui laudata Concilii Constantiensis Decreta, in Basileensi quinquies renovata, semel iterumque approbavit Apostolicis Literis, quibus ipsam Synodum Basileensem ratam habuit ad tempus usque Translationis ab ipso factæ Ferrariam. Utrique vero, sicut & alteri Scriptori, quem nobis objicit *M. Emmanuel a Schelstrate*, Acta ipsa Concilii opponimus, ex Codicibus MSS. antiquis & optimæ notæ eruta a *Felice Cantelorio* viro diligentissimo & erudito, quæ pro suo singulari erga Historiam Ecclesiasticam amore transmisit Parisios Eminentissimus S. R. E. Princeps *Franciscus* Cardinalis *Barberinus*: Ex quibus Appendix Concilii Constantiensis edita est, in qua hæc leguntur sub finem Sessionis quintæ: „ Quibus Articulis sive Constitutionibus le-
„ ctis, DICTUM CONCILIUM EOS ET EAS UNI-
„ FORMITER APPROBAVIT ET CONCLUSIT
„ ITA FORE SERVANDUM, Super quibus lectu-
„ ris & approbationibus, Magister Henricus de Piro
„ Promotor ipsius Concilii, & omnium ibidem existen-
„ tium nomine Procuratoris, a RR. PP. Dominis Se-
„ dis Apostolicæ Protonotariis ibidem existentibus,
„ omnibusque aliis Notariis & Tabellionibus per di-
„ ctum Concilium ad hoc deputatis, & eorum quoli-
„ bet, unum vel plura, tot quot fuerint necessaria,
„ publicum & publica, Instrumentum & Instrumenta
„ postulavit ad perpetuam rei memoriam, Præsentibus
„ ibidem Illustribus & Magnificis Viris D. Ludulfo
„ Duce Saxoniæ, Hermanno Comite Seniori Caul,
„ Philippo Magno Comite de Hungaria, Joanne de
„ Vicecomitibus de Mediolano, Marchione Montisfer-
„ rati, cæterisque Nobilibus, & Ambassiatoribus Re-
„ gum & Principum, Universitatum Studiorum, seu
„ Communitatum in numero copioso „. (Lebbeanæ Collectionis Tomo 12. pag. 1468.) Sed & in MSS. omnibus Gallicanis, Germanicis, Belgicis, & in omnibus Editionibus, quæ ad fidem vetustissimorum Codicum prodierunt, idem habetur de uniformi Decretorum quintæ Sessionis a Sacra Synodo approbatione & conclusione, ad finem ejusdem Sessionis: *Quibus Articulis sive Constitutionibus lectis, dictum Concilium eos & eas uniformiter approbavit & conclusit. Super quibus Henricus de Piro Promotor & Procurator ipsius Concilii, nomine ejusdem Concilii petiit Instrumentum.*

LXXVIII. Nullius demum ponderis est, quod ex *Joannis* XXIII. dissensu petitur argumentum. Reus erat ille clandestini ex Concilio discessus, obicis Ecclesiæ unioni & paci appositi, voti & juramenti infractorum, simoniæ, malæ administrationis bonorum Ecclesiæ, aliorumque criminum; Synodum Judicem propterea verebatur; quid mirum ergo si grata ipsi non fuere Decreta, quæ Synodi Auctoritatem in Summos Pontifices declarabant? Sed adversus Sacrosancta illa Decreta inanes effundens querimonias, secum ipse pugnabat infelix ille Pontifex. In Bulla enim Convocationis, *Pisanum Concilium* seu *Generale* laudaverat, & in ejus executionem Constantiense Concilium Generale indixerat; velut ejusdem Pisani continuationem ad Ecclesiæ Reformationem absolvendam. Porro Pisanum Concilium doctrinam de Suprema Conciliorum Auctoritate & eminentia supra Summos Pontifices non solum asseruerat, sed redegerat ad praxim, lata in duos de Summo Pontificatu contendentes Sententia, & electo *Alexandro V.* cui successerat *Joannes Vigesimus tertius*. Ejus vero consensu non egebant Concilii Constantiensis Decreta ut rata essent, cum a Spiritu Sancto per Synodum in ipso legitime congregatam essent condita. Esto non consenserit Decretis Sessionis 5. consentire tamen ac parere debuit; ejusque dissensui Synodi totius assensus præponi debet ac præponderare, ipso *Eugenio Quarto* Judice, qui Bulla 3. inter eas quas revocavit, ut legitur Sessione 16. Concilii Basileensis, (sed non revocavit quoad hoc caput, quod ejusdem Concilii & cujuscumque alterius Œcumenici Auctoritati non erat incommodum) asserere non dubitavit, quod *si quæ statuenda forent in Conciliis, Catholicam Fidem respicerent; vel, si non fierent, statum universalis Ecclesiæ principaliter perturbarent, tunc Concilii Sententia esset potius attendenda*, quam Summi Pontificis. Porro nisi condita fuissent Sessionis quintæ Decreta de Concilii Generalis Auctoritate supra Romanum Pontificem, status universalis Ecclesiæ magis ac magis perturbatus fuisset, nec Schisma tam feliciter fuisset extinctum: Potius itaque attendenda est, quoad hujus etiam declarationem Dogmatis, Sententia Concilii Constantiensis, quam *Joannis* XXIII. Sed & ipse meliori postea consilio usus, Decretis Sessionis quintæ assensum præbuit, siquidem Concilium agnovit *pro suo Judice*, & Sententiam Exauctorationis a Concilio in se latam approbavit ac ratam habuit, ut probat Instrumentum eoram Sedis Apostolicæ Protonotariis ea de re confectum, quod Sessione 12. ejusdem Concilii Constantiensis legere est. Id *Eugenio IV.* responderunt olim Basileenses Patres: „ Item, de consensu Joannis Papæ
„ XXIII. legitur in Libro de Gestis istius Concilii com-
„ positis per Protonotarios, in Responsione quam fecit,
„ quando fuerunt sibi exhibiti Articuli Processus Con-
„ cilii. Dixit enim, quod nullam defensionem facere
„ volebat, affirmans Concilium Constantiense Sanctis-
„ simum esse, errareque non posse, & quod ipse num-
„ quam contradicere vellet, cum id sibi minus non esset,
„ quam publice fateri, in Papatu nullum jus habere.

§. VIII.

Synodus Constantiensis Sessionibus 4. & 5. sufficienter Ecclesiam Universalem repræsentabat, ut ejus Decreta omnes ubique Fideles obligaret.

Objectio D. Schelstrate.

LXXIX. DEcretorum Sessionis 4. & 5. Synodi Constantiensis Auctoritatem ut elevent *D. Emmanuel a Schelstrate* Articulo 3. Capitis primi Dissertationis suæ, & Anonymus Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ Impugnator Libro 5. cap. 15. veteri cantilena Eruditorum aures fatigant: Constantiensem scilicet Synodum in istis Sessionibus sufficienter universalem Ecclesiam non repræsentasse ajunt, ad quam tunc sola *Joannis* XXIII. Obedientia convenerat. Sed tunc demum Generale Concilium fuisse, universalem repræsentans Ecclesiam, cum *Gregorii* XII. & *Benedicti* XIII. Obedientiæ Synodo se conjunxerunt ad pacem Ecclesiæ procurandam. Hanc Responsionem modulantur secundum notas *Eugenii* IV. in sua contra Patres Basileenses Apologia, & *Joannis a Turrecremata* in Summa De Ecclesia, Lib. 2. Cap. 99. „ Addit *D. Schel-*
„ *strate*, non permisisse *Gregorium* unionem Obedien-
„ tiæ suæ (ut constat ex Actis) nisi improbando
„ convocationem Concilii a *Joanne Vigesimo-tertio* fa-
„ ctam, & aliam novam faciendo. Ita Bullas ejus te-
„ stari a quatuor Protonotariis Sessioni 14. insertas, in
„ quarum prima data Arimini 3. Idus Martii, *Grego-*
„ *rius* contendit *Joanni* Cardinali *S. Sixti*, & Electo
„ Constantinopolitano Patriarchæ, suis ad Concilium
„ Nuntiis, aliisque de obedientia sua Constantiæ exi-
„ stentibus *Congregationem ipsam, in quantum per di-*
„ *ctam Serenitatem Regiam, & non per Balthasarem se*
„ *nuncupari facientem Joannem Papam Vigesimum Ter-*
„ *tium vocatam, vice sua ad prædictorum effectum con-*
„ *vocandi & auctorizandi in Generalem Concilium, re-*
„ *mota tamen omni modo dicti Balthasaris præsidentia,*
„ *& præsentia ab iisdem.* „ Et hanc *Gregorii* Bullam
„ non solum Actis suis inseruit Constantiense Conci-
„ lium, sed consentientibus quatuor Nationibus *Bartho-*
„ *lomæus* Archiepiscopus Mediolanensis publice legit
„ duas Schedulas, quarum una in effectu continebat:
Quod Concilium memoratum dictam convocationem, auctorizationem, & confirmationem, in quantum ad eumdem Gregorium pertinet, & attinet eis, admittit & Collegium ipsius Domini Gregorii nuncupati alteri Collegio, videlicet olim Joannis Papæ XXIII. & e converso, unita omnimodo fore decrevit. Altera vero continebat in effectu, quod Notarii rogati de præmissis, non faciant mentionem in Instrumentis suis de Papa vel Sede Apostolica, sed de Sigismundo Romanorum Rege, &c. & Regno Romanorum, usque ad Cessionem per Collum nomine dicti Gregorii faciendam. „ Hæc omnia
„ in

„ in Regesto Actorum Concilii habentur. Ex quibus patet, *Gregorium* cum omni sua Obedientia coram toto Concilio Sessione 14. professum fuisse, illud eo usque debita Auctoritate non fuisse convocatum, ideoque ut Generale esset, alia convocatione indiguisse, improbando illam quæ a *Joanne* XXIII. facta erat: Ipsumque Concilium non damnasse illam Obedientiam sic sentientem, sed potius convocationem admisisse, & *Joannis* ac Sedis Apostolicæ mentionem omisisse in Actis usque ad Cessionem a *Carolo de Malatestis* nomine *Gregorii* factam.

Objectionem suam confirmat *D. Emmanuel a Schelstrate*, ex iis quæ Narbonæ acta sunt inter *Sigismundum* Romanorum Regem Concilii nomine, & Principes Obedientiæ *Benedicti*, scilicet Reges Aragonum, Castellæ, & Navarræ, & Comites Fuxensem & Armeniacum. Hic scilicet, ut testatur Archiepiscopus Narbonensis in Epistola quæ extat in Regesto Concilii MS. Concordata de unione inita sunt, „ quod certis modis & temporibus literæ convocationis fierent tam ex parte Obedientiæ *Benedicti*, quam ex parte Congregationis Constantiensis. Inter certos autem modos unus fuit, ut hæc esset literarum inscriptio ex parte Concilii „: *Miseratione divina Episcopi, Presbyteri & Diaconi Cardinales, Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, Prælati, & cæteri in Constantia Provinciæ Moguntiæ in Christi nomine congregati, Illustri Principi Ferdinando Dei Gratia Aragonum & Siciliæ Regi, &c.* „ sine ulla mentione Generalis Concilii. Et sexaginta literæ cum hac inscriptione missæ sunt a Concilio ad Regem Aragonum pro Prælatis suis tam in Regno Aragoniæ, quam aliis Regnis & Terris constitutis. Observat demum idem Archiepiscopus Narbonensis, quod hac unione mediante *erit Constantiæ Universalis Synodus totius Christianitatis*: „ Ac si innueret, ante unionem reipsa talem non fuisse, prout apertius volunt ipsa Concordata Narbonensia, in quibus non fiebat mentio Constantiensis Synodi tamquam Generalis, nisi addito, *sic per ejus Obedientiam nuncupata*. In quibus statuebatur, novam Concilii convocationem ex utraque parte faciendam: adeo ut Patres Obedientiæ *Benedicti* alios Constantiæ constitutos ad Concilium Universale vocarent: In quibus demum vetabatur Patribus Constantiæ constitutis, ne in literis convocatoriis nomen Generalis Concilii usurparent. Et Concordata hæc omnia continentia non solum inita sunt a Deputatis Concilii, sed & quatuor Nationes Concilium Constantiense cum Sacro Cardinalium Collegio constituentes hæc ipsa acceptarunt, & Juramento confirmarunt, ut patet ex Actis Sessionis 20.

Addit *D. Emmanuel a Schelstrate* ex Gestis Concilii hucusque ineditis: „ Quando Aragonenses ad Concilium venere, exortis ante unionem quibusdam difficultatibus, Legatos Regis expresse dixisse, *Quod quidem vellent se unire Concilio, non tamen reputare esse Generale Concilium, neque agi de Rebus Concilii Generalis, donec venirent Legati Regis Castellæ*. His autem consonant Literæ scriptæ a Rege & Regina Castellæ *Ad congregationem quatuor Nationum in Constantia. Sic enim*, ut subdunt ipsamet Gesta, *intitulantur Literæ*. „ Ac si notassent, Castellanos Congregationem Constantiensem ne quidem habuisse pro Concilio. Idemque observant eadem Gesta de literis Regis Scotiæ quibus *se recommendat Concilio, quod vocat Congregationem in Constantia*.

Addit denique Vir Clarissimus ex iisdem Gestis, quod hucusque *ignorasse Orbem Catholicum* ait: „ Cum Sessione 14. editum fuisset terribile Decretum de non eligendo sine assensu Concilii Pontifice, Cardinales, quia id factum erat sine prævia Collegii deliberatione, post Sessionem trigesimam-octavam apud omnes Nationes protestatos esse, quod Decretum illud haberent pro invalido & nullo; & Nationem Hispanam postea adjunxisse, se illo Decreto, licet alias validum existeret, minime teneri, quia Sessione 14. nondum adfuerat Concilio. Et hæc adeo rationi consentanea existimarunt Nationes Italiæ & Galliæ, ut Hispanorum dicta laudaverint & approbarint, quandoquidem ea Protestationi sub nomine suo factæ inseri permiserint. Ex quibus, inquit, videre potest Orbis Catholicus, qua ratione prætendatur Concilium Sessione 5. sufficienter Ecclesiam Universalem repræsentasse, ut Fideles omnes obligentur ejus Decretis, quibus cum statuerentur, non solum Hispani assensum suum non præbuerunt, sed nec Obedientia *Benedicti* XIII. nec Obedientia *Gregorii* XII. interfuere.

LXXX. Respondent Theologi Parisienses: Absentiam Episcoporum ex nonnullis Provinciis aut Regnis non impedivisse quominus Generale tunc esset Concilium Constantiense, cum Sessiones 4. & 5. celebratæ sunt. Omnes Episcopos Antiocheni Patriarchatus, qui plurimas complectebatur Provincias, cum *Joanne* Patriarcha suo ab Ephesina Synodo abfuisse, cum lata in Nestorium Sententia est, cum damnata Hæresis, edita Fidei Definitio, *S. Cyrilli Alexandrini* Anathematismi approbati, aliaque in Synodi totius decursu condita Decreta: nihilominus ipsam fuisse vere Œcumenicam, atque in Œcumenicarum numero habitam iri, etiamsi Orientales postea *Nestorii* damnationi & Definitioni Fidei non præbuissent assensum. *Eutherius Thyanensis*, & *Helladius Tarsensis* Episcopi, nomine Episcoporum *e diversis regionibus, id est, ex Euphratesia, ex utraque Cilicia, secunda Cappadocia, Bythinia, Thessalia & Mœsia*, acerbissimam ad *Sixtum Tertium* Pontificem Maximum Epistolam contra Sacram Synodum Ephesinam ejusque Gesta scripserunt, ejus *Sanctitatem orantes, ut manum porrigeret salutarem, ut auferret Mundi naufragium, omninoque horum inquisitionem juberet fieri, & his illicitis cœlestem superinduci correctionem* (Verba sunt Epistolæ cum aliis a P. *Lupo* editæ cap. 117.) An propterea Œcumenica non erat Ephesina Synodus? A Concilio *Tridentino* aberant Germaniæ totius, & Provinciarum præterea plurimarum Episcopi, cum priores Sessiones celebratæ sunt. Duodequinquaginta dumtaxat aderant Antistites, cum de Libris Canonicis, de Traditionibus, de Regulis intelligendi Scripturam Sacram, de peccato originali, de Justificatione, Decreta conscripta sunt, Canonesque conditi ac promulgati: Et tamen de isto titulo, *Universalis Ecclesiam repræsentans*, Tridentinæ Synodo tribuendo tunc actum ac deliberatum est; a quo ideo temperatum fuit, ne Lutheranorum auribus vulnus infligeret, quos ad resipiscendum Patres alliciebant, & quod antiquiora Concilia hunc sibi titulum non tribuerint; non quod vere & jure usurpari non posset, ut observat *Palavicinus* lib. 6. Historiæ ejusdem Concilii. Et Sessione 3. 4. 6. & 7. se nihilominus Œcumenicam inscripsit, hoc modo: *Hæc Sacrosancta Oecumenica & Generalis Tridentina Synodus, in Spiritu Sancto legitime congregata, &c.* Et quæcumque in illis Sessionibus diffinita sunt, noluerunt Pontificii Legati ut in sequentibus retractarentur, cum frequentior adfuit in Concilio Patrum numerus. Quid ita? Satis Ecclesiam Universalem per eum Episcoporum Cœtum repræsentari persuasum erat, omnibus legitime convocatis, & ad statam diem, qua cœpta Synodus est, expectatis. Ita cum Synodus Constantiensis legitime convocata esset, ejusque sonus in totum Christianum orbem exiisset, eorum absentia, qui ex industria, & nulla cogente necessitate abfuerunt, Pseudopontificum partibus post Concilii Pisani Sententiam pertinaciter adhærentes, non impediebat quin Synodus Generalis esset, universalem Ecclesiam repræsentans.

Secundo, cum Episcopi aliarum Obedientiarum, *Gregorii* scilicet XII. & *Benedicti Decimi-tertii* ad Concilium accesserunt, adversus Decreta Sessionis quartæ & quintæ non reclamavere. In Concordatis Narbonensibus Sessione 20. promulgatis Obedientia *Benedicti* concedit ut convocationes Concilii utrinque ita fiant, *Ut deferunt honori Concilii Constantiensis, scilicet pro extirpatione Schismatis & Hæresum, pro sancta unione Romanæ Ecclesiæ, PRO REFORMATIONE UNIVERSALIS ECCLESIÆ IN CAPITE ET IN MEMBRIS, & pro unico eligendo Pastore, & pro aliis causis & rationibus, quæ ad Generale Concilium pertinent & spectant*. Id vero quid aliud est, quam auctoritatem Concilii supra Summum Pontificem agnoscere? Et Sessione 40. cui omnes Obedientiæ aderant, in unam operante Spiritu Sancto conjunctæ, inter alia Capita super quibus Pontifex proxime eligendus cum hoc Sacro Concilio, vel deputandis per singulas Nationes, *debet reformare Ecclesiam in Capite & in membris*, istud propositum & ab omnibus acceptum fuit ordine 13. *ITEM PROPTER QUÆ ET QUOMODO PAPA POSSIT CORRIGI ET DEPONI*. Convenit ergo inter omnes Obedientias, legitimum Pontificem propter certa crimina deponi posse. A quo autem corrigi & deponi potest nisi a Concilio? Qua ratione vero Concilium corrigere ac deponere Summum Pontificem poterit, nisi Auctoritatem in ipsum habeat, sitque illo absolute & simpliciter superius? Sessio ergo quadragesima unanimi consensu & frequenti ex omnibus Obedientiis Concilio, confirmat Decreta Sessionum quartæ & quintæ. Quamobrem Sessiones illæ ab omnibus celebra-

Responsio Theologorum Parisiensium.

bratæ, utpote ab omnibus acceptæ & approbatæ censeri debent.

Tertio, si Decreta Sessionum quartæ & quintæ dubiæ auctoritatis essent, quia illis condendis non aderant omnes Obedientiæ, eodem Jure in dubium revocanda essent quæcumque in eodem Concilio decreta sunt usque ad Sessionem 35. in qua demum cum duabus aliis Obedientiis plene conjuncta est Obedientia *Benedicti XIII.* Oratoribus Regis Castellæ, ac Prælatis illius Regni ad Concilium accedentibus. Attamen omnes Catholici hactenus summa cum Religione susceperunt Diffinitiones Sessionis octavæ, in qua damnati sunt Articuli 45. *Joannis Wicklef.* Omnes acclamarunt depositioni *Joannis* XXIII. factæ Sessione duodecima. Omnes Decreto de Communione populi sub unica specie Sessione decima tertia edito se obligari senserunt. Orthodoxorum nemo derogavit auctoritatem Sessioni decimæ quintæ, in qua damnati fuerunt errores & Persona *Joannis Hus*, nec Sessioni vigesimæ primæ adversus *Hieronymum de Praga*. In illis tamen Sessionibus nondum omnes convenerant Obedientiæ, cum *Gregorii* XII. Obedientia nonnisi in decima quarta Sessione, & Obedientia *Benedicti* XIII. partim Sessione vigesima secunda, quoad Regnum Aragoniæ, partim Sessione trigesima quinta quoad Regnum Castellæ, Concilio conjunctæ fuerint. Sicut ergo omnes illæ Sessiones auctoritatem per Ecclesiam obtinuerant universam, licet earum celebrationi omnes non adfuerint Obedientiæ; quidni pariter auctoritatem irretractabilem obtinebant Decreta Sessionum quartæ & quintæ, maxime cum ab omnibus approbata fuerit *Joannis* XXIII. exauctoratio vi Decretorum illorum facta, & *Martinus* V. qui illi suffectus est, totus veneratus sit Christianus orbis, & Sessione quadragesima omnes Articulum istum Reformationis admiserint: *Propter quæ & quomodo Papa possit corrigi & deponi?* Circa quem visum non est Patribus ut aliquid novum statueretur, ut habent MSS. Codices Vaticanus & Palatinus a *D. Schelstrate* laudati: *Non videtur, prout nec visum fuit in pluribus Nationibus, circa hoc aliquod novum statui vel decerni:* Non alia certe de causa, nisi quod sufficiebant Decreta Sessionum quartæ & quintæ, quæ Summam Pontificem Auctoritati & correctioni Concilii Generalis omnino subdunt.

LXXXI. Audiatur celeberrimus *Thomas de Corsellis* Theologus Parisiensis in Propositione solemni facta Biturigibus in Conventu Ecclesiæ Gallicanæ, præsente *Carolo* VII. Rege Christianissimo. *Et quia*, inquit, *aliqui volunt dicere quod Declaratio supra posita* de potestate immediate a Christo &c. *non fuit facta per Ecclesiam, eo quod tunc non erant in Constantia omnes Obedientiæ, sed sola obedientia Joannis* XXIII. *patet quod ex istis literis Martini Papæ & totius Concilii aperte confutatur. Nam in prædictis interrogatoriis ponuntur sequentia:* „ Item interrogetur utrum credat „ quod sententia lata super condemnatione Articulo„rum *Joannis Hus*, & *Joannis VVicklef*, per Sacrum „ Concilium fuerit rite & legitime lata. „ *Et tamen manifestum est quod illa Sententia fuerit lata antequam essent ibi tres Obedientiæ. Similiter etiam ponit interrogatorium de Declaratione facta in Concilio Constantiensi super Communione Dominicæ Eucharistiæ sub utraque specie, quæ fuit facta dum adhuc ibi erat sola Obedientia Joannis. Et sic apparet ex decursu Literarum prædictarum, quod Martinus approbat fuisse verum Concilium Constantiense repræsentans universalem Ecclesiam, non solum pro tempore quo jam ibi erant tres Obedientiæ, sed etiam pro tempore præcedenti, in quo licet non ibi essent actu omnes, tamen omnes erant vocatæ, & postquam ibi fuerunt, approbaverunt ibi antea fuisse Concilium, sicut apparet ex tenore Literarum prædictarum. Et sic Auctoritate Apostolicæ & universalis Ecclesiæ, per Papam, Cardinales, & omnes qui tunc in Concilio Constantiensi aderant, confutatur ipsorum positio, qui nunc Auctoritatem Conciliorum Generalium impugnare volunt.* Invictum argumentum est, quo *Thomas de Corsellis* utitur, ut probet Concilium Constantiense fuisse vere, & proprie Generale ab initio, & ut tale agnitum a *Martino V.* & omnibus Obedientiis. Scilicet cum Errores *Joannis VVicklef* & *Joannis Hus*, eorumque libros, & personas Concilium damnavit, tunc omnes Obedientiæ non aderant. Attamen *Martinus V.* in Bulla quæ extat ad calcem hujus Concilii, quæ a toto Concilio probata est, non aliter de illo loquitur quam de Concilio Generali, cum adversus illos Hæresiarchas sententiam dixit; Decernitque idem Pontifex, ut qui a VVicklefistis & Hussitis ad Ecclesiam reverterentur, se illius Decreta, tamquam a Concilio Generali edita, profiterentur suscepturos. *Item*, inquit, *utrum credat quod condemnationes Joannis VVicklef, Joannis Hus, & Hieronymi de Praga, factæ de personis eorum, libris, & documentis, per Sacrum Generale Constantiense Concilium, rite & juste factæ, & a quolibet Catholico pro tali tenendæ & firmiter asserendæ?* Si ergo Concilium Constantiense, fatente *Martino V.* Generale fuit, cum pronuntiavit adversus Hæreticos in causa Fidei, cui judicio non aderant tres Obedientiæ: Quidni etiam Generale dicitur, & universalem Ecclesiam sufficienter repræsentans Sessionibus 4. & 5. cum Decreta de suprema Conciliorum Generalium Auctoritate edidit, licet tres Obedientiæ utrique Sessioni non adfuerint?

LXXXII. Licet vero *Gregorius* XII. non permiserit unionem Obedientiæ suæ cum Concilio, nisi improbando convocationem a *Joanne* XXIII. factam, novamque promulgando: licet etiam ex Narbonensibus Concordatis Concilium Constantiense titulum & nomen Concilii Generalis in Literis novæ convocationis omiserit; perperam tamen inde colligit *D. Emmanuel a Schelstrate* Generale Concilium ab initio non fuisse. Id enim œconomiæ datum. Ardens, inquam, pacis & unionis desiderium, quo Synodi Constantiensis Patres agebantur ad salutem Fidelium & Ecclesiæ tranquillitatem procurandam, effecit ut parum attenderent ad titulos, qui ipsis a cæteris Obedientiis aut Obedientiarum potius reliquiis denegabantur; & ut *Gregorii* ad cessionem pareri, Principumque a *Benedicto* stantium, sed jam ad unionem propensorum, & ad ejus Obedientiam ejurandam accinctorum, Propositiones ultro pro bono pacis admitterent. Hac itaque consideratione multa tulit Concilium Constantiense, multa permisit & concessit, ut omnes saluberrima pace per orbem in Christo conjungerentur. Qua in re Patres illi Religiosissimi & Sapientissimi Catholicos illos Africæ Episcopos imitari voluisse videntur, qui vel honorum suorum negligentia & jactura dignitatum, Donatistas ad Ecclesiæ unitatem revocare voluerunt. Qua de re *S. Augustinus* Sermone a. ante Collationem Carthaginensem, quem post editionem *Sirmondi*, cum veteri Codice MS. Colbertinæ Bibliothecæ collatum novæ suæ Conciliorum Collectioni inseruit Clarissimus *Baluzius* Tom. 1. pag. 125. ait: „ Episcopi vultis esse nobi„scum? (*Donatistæ*) estote. Non vult Populus duos „ Episcopos, nobiscum in hæreditate fratres estote. „ NON PROPTER HONORES NOSTROS IMPE„DIAMUS PACEM CHRISTI. Quem honorem in „ cœlesti pace accepturi sumus; si honorem nostrum „ non in terrena lite defendamus. Tollatur paries er„roris, & simul simus. Agnosce me fratrem, agno„sco te fratrem, sed excepto errore, excepta dissen„sione. Hoc corrigatur, & meus es. Cur non vis es„se meus: Ego, si te corrigas, volo esse tuus. Ergo „ sublato errore de medio, tamquam pariete maceriæ, „ contradictionis & divisionis, esto frater meus, & ego „ sum frater tuus, ut ambo simus ejus qui Dominus „ est & meus & tuus. HÆC DICIMUS AMORE „ PACIS, NON DIFFIDENTIA VERITATIS. Hoc „ enim rescripsimus, hoc propositum legistis, quia „ causam conferendam non fugimus, immo ut conferatur instamus. „ Ibi, ut patet, *S. Augustinus*, aliique Episcopi Africani, propter honores suos impedire nolebant pacem Christi; ad pacem illam Ecclesiæ restituendam Episcopatus Donatistis concedebant; e Sedibus suis descendere parati erant ob amorem ejus qui e sinu Patris in terras descendit, naturamque nostram assumpsit, ut nos cum Deo reconciliaret. Hoc humilitatis sacrificium alacri animo offerre volebant ei, qui Sacrificium passionis suæ obtulit ut Ecclesiam Sanguine suo acquireret: se propter Ecclesiam Episcopos esse meminerant, adeoque & Episcopatu cedere ad Ecclesiæ unitatem, salutemque fratrum, non recusabant (ut alibi ait *S. Augustinus*) Ex hac tamen concessione & humilitate nemo concludere legitime poterat, Episcopos Afros non esse veros Episcopos, aut licere per Ecclesiæ Canones duos in eadem urbe Episcopos consecrari: nemo, inquam, id colligere poterat, quia hæc omnia ab Episcopis Catholicis concedebantur, *amore pacis, non diffidentia veritatis*. Sic etiam licet Synodi Constantiensis Patres pro bono pacis, & ad unionem Ecclesiæ universalis procurandam, titulum Synodi Generalis in Concordatis Narbonensibus, & in novæ convocationis literis ad alias Obedientias missis omiserint nemo inde concludere legitime potest, Concilium Constantiense non fuisse vere & proprie Generale quousque aliarum Obedientiarum reliquiæ ad illud accessissent; quia Sacra Synodus *propter honores suos impedire nolu-*

lait pacem Christi, & quidquid tunc temporis *Angelo de Corario* in sua Obedientia *Gregorio* XII. nuncupato, & Principibus Obedientiæ *Petri de Luna*, quem *Benedictum* XIII. appellabant, concessit, id ab ipsa *amore pacis, non diffidentia veritatis*, concessum est. Nec tamen eadem Sacra Synodus titulum *Generalis* abjecit, sed retinuit, cum in ipsa Sessione 14. in qua cessit *Gregorius*, octies legatur hic titulus: *Sacrosancta generalis Synodus Constantiensis*, & in ipso Decreto quo hujusmodi Cessio approbata est, „ Sacrosancta „ Generalis Synodus Constantiensis in Spiritu Sancto „ legitime congregata, universalem Ecclesiam Catho„ licam repræsentans, &c. „ Eumdem titulum retinet Sessionis 15. in Sententia lata contra *Joannem Hus*, & deinceps in aliis Sessionibus, quoties aliquid majoris momenti decernit. In ipsis etiam Concordatis Narbonensibus indicatur, Constantienses Patres Concilium Constantiense Generale Concilium appellare. „ Pro„ pterea in favorem dictæ unionis consequendæ, est „ Concordatum inter Serenissimum Dominum Regem „ Romanorum, & alios DOMINOS DE CONCILIO „ CONSTANTIENSI QUOD AB EIS SACRUM „ CONCILIUM GENERALE APPELLATUR, &c. Et revera Literæ convocatoriæ a Synodo scriptæ ad Regem Aragonum, Episcopos Regnorum ipsius convocant ad Synodum Constantiæ congregatam, ceu Generalem, „ Requirimus (*inquiunt*) & monemus, qua„ tenus ob Dei nostri reverentiam ad tractandum una „ nobiscum super infra scriptis veniatis & subditos ve„ stros qui possint & debeant Conciliis Generalibus in„ teresse, quos una vobiscum præsentibus convocamus, „ moneatis, &c. *Et infra*. Compareatis ad Schisma „ sedandum, unionem Ecclesiæ procurandam, Refor„ mationem etiam ipsius Ecclesiæ tam in Capite quam „ in membris complendam, & dejectionem dicti Bene„ dicti effectualiter faciendam, & ad electionem futu„ ri Romani Pontificis procedendum, ac pro aliis cau„ sis & rationibus quæ ad GENERALE CONCILIUM „ de Jure pertinent & spectant. „ Eatant Sessione 22. Atque in hac ipsa Sessione Synodus se Generalem inscripsit in Decreto de voce Oratorum Regis Aragoniæ: *Sacrosancta Generalis Synodus Constantiensis in Spiritu Sancto legitime congregata &c.* Item Sessione 23. in Commissione deputatorum contra *Petrum de Luna*, Sessione 24. in ejusdem *Petri* citatione: *Sacrosancta Generalis Synodus Constantiensis in Spiritu Sancto legitime congregata, universalem Ecclesiam repræsentans, &c.* Sicque in sequentibus Sessionibus; & tamen omnes Obedientiæ Synodo conjunctæ non fuerunt ante Sessionem trigesimam quintam, in qua Regis Castellæ & infantis *Henrici* Oratores a Concilio sunt admissi. Denique Obedientiæ omnes exauctorationi *Joannis Vigesimi tertii* cæterisque in eorum absentia gestis tum in causa Fidei, cum Disciplinæ, subscripserunt. Non dubitarunt igitur quin Concilium Constantiense Generale ab initio fuisset. Sed quia probrosum videbatur, quod tandiu Concilio Generali conjunctæ non fuissent, ut earum consuleretur honori, sicut & Ecclesiæ paci, lubens hunc titulum omisit Concilium Constantiense in Literis convocationis ad Principes datis, tulitque ut ab ea Appellatione abstinerent, ne se ipsos damnare cogerentur: sicut *S. Cyrillus Alexandrinus* in pace cum Orientalibus inita post Ephesinam Synodum, Orientales non adegit ad retractanda Capitula, quæ suis contra *Nestorium* Anathematismis ab eadem Sacra Synodo probatis opposuerant, nec ad revocandas calumnias in eis sparsas contra doctrinæ suæ integritatem: Quia *Recuperandæ unitatis cupidus, in defensione dictorum suorum noluit immorari, ne controversia hac dissensione terminum non daretur*; ut ait *Facundus Hermianensis* Lib. 6.

Ad id tandem quod postremo loco *D. A Schelstrate* objicit, Cardinales post Sessionem 38. protestatos fuisse contra Decretum Sessionis 14. de non eligendo sine assensu Concilii Pontifice, quod Decretum illud haberent pro invalido & nullo; Respondemus, id oppido falsum esse. Natio quidem Hispanica, dixit, se his Decretis modum electionis Summi Pontificis proxime faciendæ spectantibus *non ligari, etiamsi valida existerent*, quia in ea opinione erat, Decreta Disciplinam spectantia non obligare absque acceptatione, cum exceptiones statuunt a jure communi, quale erat Decretum illud Synodi Constantiensis, *Omnia Jura Positiva in Conciliis Generalibus edita, & ipsorum Statuta, Ordinationes, Consuetudines, & Privilegia quibuscumque concessa*, suspendens, in quantum ejusdem Decreti effectum possent impedire. Falsum (inquam) est quod contra Decretum illud protestati sint Cardinales & Nationes Italica, Hispanica & Gallicana: immo ejus promptam executionem postularunt a Germanica Natione, quæ Romani Pontificis Electioni ad unionem Ecclesiæ consummandam necessariæ moras injiciebat, hoc freta Decreto. Is autem erat Decreti illius, vel Decretorum illorum tenor, „ Sacrosancta Generalis Synodus Con„ stantiensis, ad facilius, liberius, & utilius integram „ unionem Ecclesiæ consequendam, pronuntiat, statuit, „ & ordinat, quod prætextu cujuscumque cessionis, „ aut vacationis Sedis Apostolicæ sive Papatus, duran„ te præsenti Concilio factæ vel faciendæ, ad Electio„ nem futuri Romani Pontificis nullatenus procedatur „ sine deliberatione & consensu hujus Sacri Generalis „ Concilii. Et si quid fieret, sit ipso facto Auctorita„ te hujus Sacri Concilii irritum & inane, &c. *Item*: „ Sacrosancta, Generalis Constantiensis Synodus, ut „ Ecclesiæ Sanctæ Dei eo melius & sincerius provi„ deatur, statuit & ordinat, pronuntiat & decernit, „ quod proxima Electio futuri Romani Pontificis fiet „ modo, forma, loco, tempore & materia per Sacrum „ Concilium ordinandis. „ Quonam vero collineat Cardinalium & trium Nationum Protestatio? An ad hujus abrogationem ac eversionem Decreti? Immo vero ad ejus executionem: Ut scilicet modus electionis futuri Pontificis concludatur, & via Nationibus omnibus proposita, & a tribus Nationibus, videlicet Italica, Hispanica, & Gallicana, multo majorem & saniorem partem Concilii facientibus, nec-non a Collegio DD. Cardinalium acceptata, ab ipsa etiam Natione Germanica approbetur, quam urgent, ut cum cæteris Nationibus, Cardinalium Collegio, de modo faciendæ electionis, & maxime de electoribus, sine mora tractat, conveniat, & concurrat, ad vitanda pericula, quæ ex diuturna Sedis Apostolicæ vacatione Ecclesiæ imminent universæ. Alioqui damna ex mora emersura cum in spiritualibus, tum in temporalibus dictæ Nationi Germanicæ imputanda. Quæ si ulterius differat tractatum de modo futuræ electionis, aliæ Nationes & Sacrum Collegium per opportuna remedia providebunt. Hic unus est Protestationis scopus, non ille quem *D. Emmanuel a Schelstrate* affingit, ut ex verbis ejusdem Protestationis patet, prout eam refert ex quatuor MSS. „ Obla„ ta jam (*inquiunt*) & aperta via plana per duos S. „ R. E. Cardinales, per quam verus & indubitatus „ Sponsus Ecclesiæ Christi Vicarius haberi poterat, „ videlicet, quod ad eligendum Summum Pontificem „ aliqui de singulis Nationibus cum Cardinalibus per „ Sacrum Collegium deputarentur, quorum tamen nu„ merus Cardinalium numerum non excederet, & a„ lias prout in cedula oblata super hoc continetur. Ec„ ce jam Sponsa lugens differtur, ecce novæ discor„ diæ, & ab illa via plana deviæ suscitantur. Licet „ enim illa via per duos Cardinales omnibus in hoc „ sacro Concilio Nationibus, & Congregationibus, „ quæ per Nationes fuerunt, oblata exstiterit, & tres „ Nationes, Italiæ videlicet, Galliæ, & Hispaniæ, „ quæ faciunt multo majorem & saniorem partem „ Concilii, & ultra dicti Domini Cardinales illam ac„ ceptaverint, & justam, sanctam, & ad perfectam „ unionem Ecclesiæ efficacem reputaverint & repu„ tent: ista tamen Natio venerabilis Germaniæ su„ per hoc sæpius interpellata respondere noluit, im„ mo respondere jam tribus mensibus distulit. Con„ siderantes San. Rom. Eccl. Cardinales, qui præfa„ tam viam obtulerunt, & dictæ tres Italiæ, Galliæ, „ & Hispaniæ Nationes, & attendentes Ecclesiam apud „ omnes vacare, & jamdiu vacavisse; quamque sit pe„ riculosa, quamque damnosa Sedis Apostolicæ ac uni„ versalis Ecclesiæ præsens vacatio, & quod propter „ communia & nota pericula atque damna spiritua„ lia, tamen majora & periculosiora his temporibus „ imminent, renovandi videlicet deterioris & pene in„ sanabilis Schismatis, &c. . . . . . Vos præfatam ve„ nerabilem Nationem Germaniæ, singulaque ejus Sup„ posita pluries, & instanter exhortati sunt, & requi„ sierunt, quatenus attentis periculis Ecclesiæ Sanctæ „ Dei velletis per vos vel Deputatos vestros, cum „ dictis tribus Nationibus, Italiæ, Galliæ, Hispaniæ, „ & Cardinalibus, super modo futuræ electionis, ma„ xime de electoribus tractare & convenire, ut super „ hoc per sacrum Concilium ordinato ad Summi Pon„ tificis electionem procederetur tempore opportuno, „ quod facere & super hoc respondere multis diebus „ distulistis, & non fecistis, licet asseratis sine vestro „ consensu & ordinatione Concilii super modo, for„ ma, loco, tempore, & materia ad dictam electio„ nem non posse procedi, obstantibus quibusdam hu„ jus Concilii Decretis quibus nos Hispanica Natio, „ etiamsi

„ etiamsi alias valida existerent, non ligamur. Et quia procedente tempore etiam præfata pericula atque damna semper augentur, nos Deputati ex parte & & nomine trium Nationnm prædictarum, Italiæ, Galliæ, & Hispaniæ, atque sacri doctorum DD. Cardinalium Collegii, & nostro ac omnium his adhærere volentium de præsenti vel in futurum, vos Nationem prædictam Germaniæ & vestra singula Supposita exhortamur & requirimus, iterum ac tertio monemus, exhortamur; exhortantur, requirunt & monent tres Nationes & Cardinales prædicti, per viscera misericordiæ Jesu Christi . . . velitis per vos vel Deputatos, aut Deputandos a vobis cum aliis Nationibus & Cardinalium Collegio, vel cum Deputatis ab illis, de modo fiendæ electionis & maxime de materia quantum ad electores, celeriter & sine moræ dispendio tractare, concurrere, convenire & concordare, ad vitanda prædicta pericula, & in tanta concordia fiet Electio, quod in ea concordet totus populus Christianus. Protestamur autem nomine quo supra, & obtestamur, protestantur & obtestantur tres Nationes & Cardinales prædicti Deum Patrem omnipotentem, Filium & Spiritum Sanctum omnes Sanctos ac Virtutes cœlorum. . . Quod si deinceps Ecclesiam ipsam Sanctam Dei pro carentia Summi Pontificis Canonice eligendi, seu prætextu dilationis & more electionis ipsius, seu fiendæ ordinationis modi electionis ejusdem; aut alias, detrimenta aut damna aliqua vel pericula in spiritualibus vel temporalibus incurrat, nihil eisdem tribus Nationibus & Collegio Cardinalium valeat imputari, sed super his sint & habeantur insontes: sed vobis Nationi Germaniæ & vestris Suppositis possit & debeat merito imputari. *Et infra:* Nulla igitur causa subest differendi tractatum super modo futuræ Electionis, qui si per prædictam venerabilem Nationem ulterius plus debito differatur, protestamur nomine dictarum trium Nationum, & Collegii Cardinalium & protestantur eædem Nationes & Collegium de providendo Ecclesiæ Dei per remedia opportuna, maxime cum præter Collegium Cardinalium, ad quod de jure scripto magis pertinet Electionis prædictæ materia, dictæ Nationes tres, & multo magis cum dicto Cardinalium Collegio multo majorem partem & saniorem hujus sacri Concilii faciunt, & majorem partem universalis Ecclesiæ repræsentant. „ Ex his discet *Orbis Catholicus*, quorsum illa Cardinalium, & trium Nationum Protestatio facta sit, illamque adversus Decretum Sessionis decimæ quartæ editam non esse, ut fingit *D. Emmnnuel a Schelstrate*, cum potius illius Decreti executionem urgeat; tamque ex illa extundi non posse quod Concilium Constantiense Sessionibus 4. & 5. universalem Ecclesiam sufficienter non repræsentaverit, quam quod nulli sint Antipodes. Tandem Cardinales & tres Nationes supradictas Protestationem non emisisse adversus Decretum decimæ quartæ Sessionis tamquam invalidum & nullum, ut asserit *D. a Schelstrate*, patet ex Sessione quadragesima in qua Sacra Synodus Decretum edidit de modo & forma eligendi Summum Pontificem & de electoribus pro hac vice dumtaxat, *de speciali & expresso consensu & voluntate concordi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium in eadem Synodo personaliter assistentium, & Collegii eorumdem, ac omnium Nationum præsentis Concilii.* Quis porro in dubium revocare potest, an hæc sit executio Decreti Sessionis decimæ quartæ, quo sancitum est ut *Proxima Electio futuri Romani Pontificis fiat modo, forma, loco, tempore, & materia per Sacrum Concilium ordinandis?*

ARTICULUS II.

Illorum sententiam Clerus Gallicanus merito improbat, qui Decreta Sessionis quartæ & quintæ Concilii Constantiensis Supremam Synodorum Generalium auctoritatem declarantia, de solo Schismatis tempore intelligunt.

I. ID ex ipsis Decretorum illorum verbis perspicuum est ingeniis nullo præjudicio occupatis. Illa enim Decreta, in quibus non solum *de Schismatis extirpatione*, verum etiam *de Fide & generali Reformatione Ecclesiæ in Capite & membris* agitur, & declaratur *quod in iis seu ad ea spectantibus, factis vel faciendis*, Summus Pontifex obedire *tenetur Concilio*, perperam ad solum Schismatis tempus detorquentur: Sed laudata Concilii Constantiensis Decreta non solum *de Schismatis extirpatione*, verum etiam *de Fide & Reformatione generali Ecclesiæ in Capite & in membris* agunt, *in hisque, & omnibus ad ea spectantibus*, Summum Pontificem subesse Concilio, ejusque *Mandatis & Statutis obedire teneri* declarant; perperam itaque ad solam Schismatis tempus detorquentur.

Decreta præterea quæ Romanum etiam Pontificem, non solum hujus Sacræ Synodi, sed *cujuscumque alterius Concilii Generalis* Mandatis & Statutis super præmissis, seu ad ea spectantibus factis vel faciendis subjiciunt, & *si obedire contumaciter contempserit, puniri* jubent, ad solum Schismatis tempus perperam restringuntur; Sed Decreta supra laudata Romanum etiam Pontificem, non solum hujus Sacræ Synodi, *sed cujuscumque alterius Concilii Generalis* Mandatis, & Statutis super præmissis, & ad ea spectantibus, factis vel faciendis subjiciunt; & si *obedire contumaciter contempserit, puniri* jubent: Ad solum itaque Schismatis tempus perperam restringuntur.

Tertio, vi horumce Decretorum lata est in *Joannem* XXIII. depositionis Sententia Sessione duodecima: & tamen hunc ceu legitimum Pontificem habebat, colebatque Constantiensis Synodus: nec damnatus est propter Hæresim, aut Schisma, sed propter clandestinum recessum a Synodo & civitate Constantiensi, de nocte, hora suspecta, in habitu dissimulato & indecenti; propter voti, promissionis & juramenti violationem, simoniam, bonorum & Jurium Ecclesiæ Romanæ, aliarumque dilapidationem; malam spiritualium & temporalium Ecclesiæ administrationem, mores inhonestos, vitamque scandalosam ante & post assumptionem ad Pontificatum, & incorrigibilitatem, ut ex tenore Sententiæ contra ipsum latæ compertum est. Ex his autem consequens esse videtur, quemlibet Pontificem ob similes causas a quacumque Synodo Generali in Spiritu Sancto legitime congregata, universalem Ecclesiam repræsentante, deponi posse.

Quarto, Sacra Synodus Basileensis, antequam Ferrariam ab *Eugenio IV.* transferretur, hæc Decreta quinquies in solemni Sessione renovans & confirmans, illa de quovis Concilio Generali legitime congregato, & de legitimo etiam Pontifice intellexit, nec ad solum Schismatis tempus pertinere.

Quinto, *M. Thomas de Corsellis* Theologus Parisiensis, in propositione solemni Bituricibus facta, in Conventu Ecclesiæ Gallicanæ, coram Christianissimo Rege *Carolo Septimo* de sensu Decretorum Sessionis quartæ & quintæ Concilii Constantiensis hæc habet: *Patet etiam dictum eorum nullam habere apparentiam, qui dicunt, prædictam Declarationem* de Auctoritate immediate data a Christo, &c. *factam fuisse solum pro Concilio Constantiensi, & non pro aliis, cum dicatur in prædicta Declaratione:* „ Si quis cujuscumque Dignitatis, etiamsi Papalis, Statutis & mandatis hujus Sanctæ Synodi ET CUJUSLIBET CONCILII GENERALIS LEGITIME CONGREGATI, obedire contempserit, &c. *Etiam, quæ apparentia moverit ad dicendum quod Concilium Constantiense habuisset auctoritatem immediate a Christo, & alia non; quodque quatuor prima Concilia Generalia, quæ tantæ auctoritatis fuerunt, non habuerunt immediate auctoritatem a Christo, & Concilium Constantiense illam habuerit?*

Denique argumenta omnia, quibus Theologi Parisienses Concilii Generalis Auctoritatem supra Romanum Pontificem demonstrant, Articulo superiori §. 2. & 4. exposita, de quocumque Concilio Generali id invicte probant, non de illo solum quod Schismatis tempore celebratur.

Objectio D. Schelstrate.

II. Objicit *D. Emmnnuel a Schelstrate*, cap. 2. Protestationem illam de qua in fine superioris Paragraphi diximus, post trigesimam octavam Sessionem a Cardinalibus & tribus Nationibus factam. Scilicet cum Natio Germanica tractatui de modo electionis Summi Pontificis moras injiceret hac ratione, quod ante electionem absolvenda erat Ecclesiæ Reformatio; & quod agere de modo electionis ante Reformationem erat contra Decreta Concilii, & contra Capitula Narbonæ Concordata: Responderunt tres Nationes una cum Sacro Collegio: *Nulla Decreta contradicere, immo velle contrarium. In omnibus enim locis, ubi vel Concilium, vel dicta Capitula de agendis in isto Concilio loquuntur, semper præponunt unionem, quæ unio nec est nec dici potest perfecta, nisi Ecclesia unum Caput ministeriale habens, cui corpus Ecclesiæ uniatur. Duplex enim, secundum sacros Doctores, est unio Ecclesiæ: una membrorum invicem, quæ jam creditur esse facta, altera membrorum ad Caput, ut constituatur corpus integrum & perfectum, & ista non est facta, igitur primo loco fienda*. Deinde in Capitulis Narbonensibus dixerunt hunc esse ordinem: *Quod agatur de electione Petri de Luna, de Electione Summi Pontificis, & de Reformatione Ecclesiæ in Capite & in membris.* „ Et hic ha-

,, bes sensum Decreti primi Sessionis quintæ (inquit ,, D. Schelstrate) per Decreta enim Concilii a Natione Germanica objecta, intelliguntur Decreta Sessionis quintæ, in quibus solum agitur de Reformatione Ecclesiæ in Curia Romana, sive Capite: & ,, illa Decreta quocumque tandem sensu Sessione illa ,, ab una Obedientia sint edita, post Sessionem trigesima octavam unitis jam tribus Obedientiis hoc sensu intelligenda dicuntur, ut non de Concilio seorsim sumpto, quem sensum superioritati Concilii favere existimaverant Cardinales, sed Concilio cui ,, verus & indubitatus Pontifex adest, qui sensus nihil ,, ad superioritatem Concilii facit, intelligantur. Neque ego sum (inquit *D. Schelstrata*) qui ita Decreta expono, sed ipsimet Concilii Constantiensis ,, Patres, Sacrum Cardinalium Collegium, tota Natio Italica, Natio Hispanica, & quod Caput est, ,, ipsa Natio Gallicana, cujus Bituricensis Archiepiscopus, ipsius Regis Galliæ Legatus, integram Protestationem publicasset, nisi ob factum occasione Regis Romanorum tumultum, in lectione illius pergere impeditus fuisset.

Addit, dum aliqui Reformationem in Capite per Concilium seorsim sumptum aggredi tentabant, permisisse Deum talia occurrere, quæ hunc errorem corrigerent, & illam sine ipso Pontifice fieri non posse ostenderent: *Si enim Reformatio fienda est*, inquiunt tres Nationes cum Collegio Cardinalium, *quæ major est aut esse potest in corpore deformitas, quam carere Capite, & acephalum esse? Illa igitur prior tamquam magis necessaria debet esse Reformatio, quæ corpus ipsum ad Caput reformet, & informet; & contrarium asserere, vel facere, non videtur esse securum.*

Responsio. III. Mirum quanta confidentia Vir Clarissimus asserat, ipsos Concilii Constantiensis Patres, Cardinalium Collegium, Nationes Italicam, Hispanicam, Gallicanam, Decreta Sessionis quintæ, in quibus solum agitur de Reformatione Ecclesiæ in Capite, exposuisse non de Concilio seorsim sumpto, sed de Concilio cui verus & indubitatus Pontifex adest: cum tamen totum illud (pace ipsius dixerim) purum putum figmentum sit. Nullum istius distinctiunculæ in tota illa Protestatione, vel in Actis Concilii vestigium apparet, nullum invenitur fundamentum. De Sessionis quintæ Decretis ne minimum quidem verbum in illa Cardinalium ac trium Nationum Protestatione occurrit, in quibus tamen falsum est solum agi de Reformatione Ecclesiæ in Capite ut ait *D. Schelstrata*, ad ea non satis attendens; loquuntur enim expressis verbis *de Reformatione Generali Ecclesiæ Dei in Capite & in membris*, in qua & eam spectantibus, factis vel faciendis, *quemlibet cujuscumque conditionis, status, dignitatis, etiamsi Papalis, mandatis hujus Sacræ Synodi, & cujuscumque alterius Concilii Generalis obedire teneri* decernunt. Sane de Sessionis quintæ Decretis speciatim non loqui Cardinales & tres Nationes in verbis Protestationis suæ a *D. Schelstrate* laudatis, evidentissimum est: *Nulla Decreta contradicunt, immo volunt contrarium. In omnibus enim locis ubi vel Concilium vel dicta Capitula de agendis in isto Concilio loquuntur, semper præponunt unionem.* At si de sensu Decretorum Sessionis quintæ actum esset, ut igratis asserit *D. Schelstrate*, omnia Concilii loca generatim & indefinite non laudassent, sed Sessionem quintam indigitassent. Nec verisimile est ita cæcos fuisse Germanicæ Nationis Præsules & Doctores, ut Decreta Sessionis quintæ objicerent ad probandum operæ pretium esse ut Reformatio ante Summi Pontificis electionem absolveretur, cum hæc Decreta capita de quibus in Concilio deliberandum est, hoc ordine designent: *Quæ pertinent ad Fidem, & extirpationem Schismatis, & Reformationem Ecclesiæ in Capite & in membris.* Verisimilius est illos spectasse Sessionis tt. Decreta, qua in Sessione Reformatio cæteris præmittitur: ,, Hæc S. Synodus Sacrum Generale Concilium ,, Constantiense nuncupata PRO REFORMATIONE ,, ET UNIONE IN CAPITE ET IN MEMBRIS ,, FIENDA IN SPIRITU SANCTO LEGITIME CONGREGATA, decernit, declarat, diffinit, & ordinat, &c. Item quod sacrum illud Concilium non debet dissolvi, neque dissolvitur, usque ad extirpationem præsentis Schismatis, & quousque Ecclesia sit ,, reformata in fide & moribus, & Capite & membris. ,, Spectabant etiam Caput secundum Concordatorum Narbonensium, in quo Reformatio diserte præponitur Electioni, eum decernitur faciendas esse convocationes generaliter ut deferatur honori Concilii Constantiensis, scilicet ,, pro extirpatione Schismatis & ,, hæresum, pro sancta unione Romanæ Ecclesiæ; ,, PRO REFORMATIONE UNIVERSALIS ECCLESIÆ IN CAPITE ET IN MEMBRIS, ET ,, PRO UNICO ELIGENDO PASTORE.

Neque vero Cardinales, & Nationes Italica, Hispanica & Gallicana in dubium revocabant an Concilium Generale Ecclesiam in Capite reformare posset, id est, Romanum Pontificem, cum in persona sua & usu potestatis, tum in Romana curia; id enim in rem diffinitam ac judicatam transierat Sessionibus quarta & quinta: quarum Decretis ea potestas asserta fuerat non tantum Concilio, cui Summus Pontifex in salutaris Reformationis negotio consentiret, ut *D. Schelstrate* Sacro Cardinalium Collegio & tribus Nationibus affingit, sed etiam Concilio seorsim sumpto, quod scilicet eo quidem tempore celebraretur, quo verus ac indubitatus Pontifex Ecclesiæ præesset, sed tamen in Generali Ecclesiæ Reformatione in Capite & in membris Synodo Generali universalem Ecclesiam repræsentanti collaborare nollet, ejusque Mandatis parere. Id ex secundi Decreti Sessionis quintæ verbis evidentissimum est. ,, Item declarat, quod quicumque cujuscumque ,, conditionis, status, dignitatis, etiamsi Papalis, qui ,, Mandatis, Statutis, seu Ordinationibus aut præceptis ,, hujus Sacræ Synodi, ET CUJUSCUMQUE ALTERIUS CONCILII GENERALIS LEGITIME CONGREGATI, super præmissis, seu ad ea pertinentibus, ,, factis vel faciendis, obedire contumaciter contempserit, nisi resipuerit, condignæ pœnitentiæ subjiciatur, ,, & debite puniatur, etiam ad alia Juris subsidia (si ,, opus fuerit) recurrendo. ,, Sane Decretum illud frustra conditum esset, sensumque non solum nugatorium, sed prorsus ridiculum præ se ferret, si de Concilio dumtaxat intelligeretur, cujus Decretis Summus Pontifex præbuisset assensum. Is enim esset sensus: Si Papa Decretis hujus Sacræ Synodi, & cujuscumque alterius Concilii Generalis legitime congregati, Reformationem Ecclesiæ in Capite statuentibus ac mandantibus, explorata ejusdem Papæ voluntate habitoque consensu conditis, obedire contumaciter contempserit, condignæ pœnitentiæ subjiciatur, & debite punietur, si voluerit. Quid vero hoc sensu absurdius & ineptius est? Concilium quodcumque Generale, in Spiritu Sancto legitime congregatum, potest reformare Ecclesiam in Capite, id est, in persona Summi Pontificis, & Curia Romana, si Pontifex velit, & ipsum in casu contumaciæ punire ac deponere, si ipse velit; si vero nolit, id Concilium non poterit. Non-ne Decreta laudata sic exponere, eadem frustrare est, ac Sacræ Synodo sensum absonum affingere? Quæstio itaque non erat inter Nationem Germanicam ex una parte, & Collegium Cardinalium ac Nationes Italicam, Hispanicam, & Gallicanam ex altera, de Potestate ac Auctoritate Concilii supra Romanum Pontificem; in eoque conveniebant omnes, Sacram Synodum Ecclesiam in Capite reformare posse, ejusque Decretis quocumque tempore conditis, & Fidem, extirpationem Schismatis, ac dictam Reformationem spectantibus obedire teneri; & si parere contumaciter contemneret, posse puniri ac deponi. Sed agebatur de reformationis illius executione & ordine, an scilicet electioni Pontificis præmittenda esset, an post electionem differenda. Germani præmitti volebant reformationem: Cardinales & tres aliæ Nationes accelerari postulabant electionem: non quod Sacra Synodus potestatem non haberet statuendi de Reformatione Ecclesiæ in Capite ante electionem Pontificis, sed quod non ita conveniens ac securum videretur, ut habet Protestatio laudata: & quia Pontificia electio ad Ecclesiæ tam diuturno Schismate laceratæ reformationem pertinebat. ,, Si reformatio, *inquiebant*, ,, fienda est de deformatis, quæ major est aut esse potest in corpore deformitas, quam carere Capite & ,, acephalum esse? Illa igitur prior tamquam magis ,, necessaria debet esse reformatio, quæ corpus ipsum ,, ad caput reformet, & contrarium asserere vel facere, ,, non videtur esse securum.

IV. Præterea tres Nationes & Cardinales non contendebant ut remitteretur omnino reformationis in Capite negotium post electionem Pontificis, sed consentiebant ut eodem tempore de reformatione & modo electionis tractaretur, ut eadem Protestatio docet. *Nullam autem omnino causam* (inquiunt) *immo nec occasionem habere videtur dicta Natio & ejus Supposita differendi præmissa, nec ullam causam allegant, nisi quod ante electionem fiat reformatio; quæ causa nulla est, quoniam & fieri reformationem dictæ tres Nationes & Cardinales volunt, & cupiunt, prout jam ad hoc suos cum cæteris Nationibus Deputatos dede-*

dederunt ; qui ad hoc agant , & illis agentibus potest etiam eodem tempore agi de modo electionis Summi Pontificis, prout eidem Nationi sæpe expositum & petitum. Tertio, contra Nationem Germanicam hoc argumentum contorquent: Sequi secundum ejus postulata, quod reformatio etiam membrorum electioni Pontificia præmittenda sit, quia eodem ordine ponitur in Decretis Concilii *Reformatia Ecclesiæ in Capite & in membris.* Id autam conveniens non esse, quia reformatio membrorum Ecclesiæ nusquam facta est, nec vero fieri posse videtur sina Summo Pontifica. *Præterea* , inquiunt, *aadem ratione prius ageretur de reformatione membrorum, quam Capitis , quia in eodem ordine ponantur, quod usque ad annum, immo sine Summo Pontifice nunquam esset factam, nec fieri posse videtur.* Quibus verbis id discriminis innuunt inter Capitis & membrorum reformationem , quod reformatio Capitia a Concilio Generali seorsim sumpto fieri possit, adeoque Pontificis electioni præmitti, non vero membrorum reformatio. Tandem Sacra Synodus antequam de modo & forma aligendi Summum Pontificem decerneret, Reformationem Ecclesiæ in Capite auspicata est , gravissimaque Decreta adidit salutarem illam Reformationem spectantia, quibus Romanum Pontificem obstrinxit, scilicet Decretum *Frequens* , de Generalium Conciliorum celebratione; alterum, *De Professione Fidai a Romanis Pontificibus facienda antequam eorum Electio publicetur.* Aliud *De Prælatorum Translationibus*, quo statutum est, *Ne Romanus Pontifex invitorum Episcoporum & Superiorum translationes faciat absque magna & rationabili causa, quæ vocata parte cognita fuerit & decisa de consilio S. R. E. Cardinalium , vel majoris partis eorumdem, & cum subscriptione .* Aliud *De Spoliis & Procurationibus*, quo *Reservationes spoliorum seu bonorum quorumcumque Prælatorum , Cardinalium etiam , vel ipsius Papæ familiarium , Officialium , & quorumvis Clericorum, in Curia Romana vel extra decedentium*, Romano Pontifici prohibentur, & exactiones Collectoribus seu aliis Auctoritate Apostolica Deputatis vetantur. Quæ Decreta dubius dumtaxat Pontifices spectare , ut fingit *M. Emmanuel Schelstrate*, tam falsum est quam quod falsissimum, ut ex ipsorum lectione cuique patet attente considerati. Nec refert quod nullam pœnam decernant , nullam mentionem coactionis faciant , ut Vir Clarissimus objicit. Necasse enim non est pœnam decarai ut lex obliget ; aec sequitur superiorem non esse Legislatoris auctoritatem iis quibus Leges præscribit , si in singulis Legibus coactionis mentionem non faciat, aut pœnas non adjungat; satis ast quod pœnas dacernere possit adversus Legum a se latarum transgressores, aut generatim pœnas ipsis inflictum iri declaraverit. Porro Sacra Synodus Sessione quinta declaraveras, Summos etiam Pontifices, qui suis & cujuscumque alterius Concilii Generalis Mandatis & Statutis obedire contumaciter contemneret , debitas pœnas daturos , & alia Juris remedia , (si opus foret) ad eos coercendos adhibenda : non erat igitur necessarium ut sequentibus de Reformatione Ecclesiæ in Capite Decretis pœnæ adjungerentur , aut coactionis mentio fieret , quoniam planum erat Pontificem a Synodo posse coerceri , si hæc exequi contumaciter contemneret. Nullius ergo momenti est illa Viri Clarissimi Responsio,

Objectio altera D. Schelstrate.

V. Objicit idem *M. Emmanuel a Schelstrate* Gesta Concilii , quorum fragmenta ex quatuor Codicibus „ MSS. edidit, referre, quod *Sigismundo* Rege Romanorum , cum Natione Germanica de novo proponente ut Reformatio præcederet , magna iterum in Concilio orta est controversia , & insistentibus quatuor „ Nationibus cum Collegio Cardinalium pro acceleratione electionis, scilicet Italica, Hispanica, Gallicana, & Anglicana ; tandem victam Nationem Germanicam consensum præbuisse, petivisseque *assecurationem , & cautionem per Decretum irritans , quod post Electionem Papæ fieret Reformatio ante Coronationem Papæ , & Administrationem aliquam ; postea fuerunt factæ diversæ formæ Decreti ad hoc . Tandem fuit dictum, Quod Papa electus ligari non poterat .* Notanda sunt, inquit, hæc ultima verba post seriam „ deliberationem pro finali responsione data . Ex iis „ enim non difficile colligitur, alism longe fuisse mentem Patrum Constantiensium de Auctoritate Summi „ Pontificis , quam Orbi Catholico obtrudere conata „ fuit turba Basileensium. „ Ita loquitur de Patribus toto orbe venerandis, quos etiam moriens veneratus est *Eugenius* IV. ut constat ex illius Constitutione quæ incipit*: Etsi circu orbis*, ab *Oderico Raynaldo* relato ad annum 1447. *Num.* 12.) „ Pergit *M. SCHELSTRATE.* Enimvero , si Concilium seorsim sumptum sit „ supra unicum & legitimum Pontificem, & de legitimo Pontifice intelligenda sint Decreta Sessionis „ quintæ , cur Concilium Constantiensa hæc Decreta „ in præsenti locum habere noluit ? Cur non renovavit , Pontificem obedire debere Concilii Decretis, sic „ ut qui obedire contempserit , debite puniatur ? Cur „ his fundamentis innixum non judicavit electionem „ Pontificis in casu contumaciæ irritandam ? Nihil horum tentavit Concilium, quia aliena fuerunt a mente „ Patrum Constantiensiam : unde Germanis responsum est: *PAPA ELECTUS LIGARI NON POTEST*.

Responsio Theologorum Parisiensium.

VI. Respondent Theologi Parisienses, Admissa MSS. a *D. Schelstrate* laudatorum fida, quæ majori discussiona & Eruditorum inspectione libera ad sui confirmationem egereat, cum ex iis fragmenta dumtaxat quædam sibi (ut putat) faventia ediderit; Verba illa ax quibus palmare argumentum Vir Clarissimus sibi conficere videtur, adversus Ecclasiæ Gallicanæ & Sacræ Facultatis Parisiensis sententiam, de Concilii cujuscumque Generalis Auctoritate supra Romanum Pontificem legitimum, Decreta Sessionis 4. & 5. Synodi Constantiensis asplicantium, nihil efficare, quia prolata non fuerunt a Concilio, neque a majori Nationum parte , sed a nonnullis dumtaxat Deputatis Cardinalium & Nationum , ad condendam formulam Decreti circa modum electionis futuri Pontificis, & Reformationis faciendæ, in æstu disputationis, sina ullo prævio axamine eorum quæ in superioribus Sessionibus decreta fuerant , ut patet ex ipsismet Gestis a *D. Schelstrate* laudatis. „ Postea (*inquiunt*) fuerunt factæ diversæ formæ Decreti ad hoc. Tandem fuit dictum , Quod Papa electus ligari non poterat . Et semper agebatur per Deputatos Cardinalium & Nationum omnium de concordando Articulos Reformationis. Sed pauci & vix „ poterant concordari; una Natio volebat uno modo, „ alia alio, & diu fuit laboratum , & parum actum, Ex quibus verbis patet , nonnullos ax Deputatis Cardinalium & Nationum , cum inter se convenire non posseat circa formam Decreti , illa verba inter disputandum vel conferandum protulisse; *Papa electus ligari non potest*. Quod quidem a viris prudentibus, & qui consideratissima ratione hæc expenderint , haberi non potest tamquam a Concilio diffinitum aut prolatum in explicationem eorum quæ in quarta & quinta Sessione decreta fuerant , & quorum virtuta & auctoritate freti ejusdem Concilii Patres *Joannem* XXIII. deposueraat.

VII. Præterea , ax his quæ Sacra Synodus decrevit, & ipsa *Martinus V.* Pontifex ab omnibus electus in Concilio gessit , objectio *M. Emmanuelis a Schelstrata* penitus dissipatur. Et quidem post Sessionem trigesimamoctavam tandem inter Cardinales & Nationum omnium Deputatos, Regemque Romanorum , sequestre Wintoniensi Episcopo Regis Angliæ Patruo , convenit , „ Quod „ daratur per Decretum Concilii in forma infrascripta „ cautio da fienda Reformatione post electionem Papæ, „ & expedirentur Capitula Rasformationis concordata „ per omnes Nationes, & darantur Deputati ad ordinandum modum electionis . *Forma autem Cautionis & Decreti hæc erat :* Sacrosancta , &c. Statuit & decrevit , quod futurus Summus Pontifex per Dei gratiam & pro primo assumendus , cum hoc Sacro Concilio vel Deputandis per singulas Nationes , debeat „ reformare Ecclesiam in Capite & Curia Romana secundum æquitatem & bonum regimen Ecclesiæ , antequam hoc Concilium dissolvatur , supra materiis „ Articulorum , videlicet , &c. „ Ita habent Gesta Concilii MSS. laudata a *M. Schelstrate* . Sessione trigesimanona , Decretum editum ast , cui Papam ipsum subditum esse Sacra Synodus voluit, de Concilio intra quinquennium , tum post septennium , deinceps tandem post decennium celebrando , quod incipit , *Frequens* . Ejus verba adscribo , quæ propositionem illam, *Papa electus ligari non potest*, tam a Concilii mente , quam a veritate alienissimam liquido probant. „ Ea propter hoc „ Edicto perpetuo sancimus , decernimus , & ordinamus, „ ut amodo Concilia Generalia celebrentur , & quod primum a fine hujus Concilii in quinquennium immediate sequens , secundum vero a fide illius immediata sequentis Concilii in septennium , & deinceps „ da decennio in decennium perpetuo calabrentur in „ locis , quæ Summus Pontifex per mensem ante finem „ cujuslibet Concilii, approbante & consentiente Concilio , vel in ejus defectum , ipsum Conciliam deputare & assignare teneatur , ut sic per quamdam continuationem semper aut Concilium vigeat , aut per „ termini pendentiam expectetur : Quem terminum liceat Summo Pontifici , de fratrum suorum Sanctæ „ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio , ob emer-

„ gentes

„ gentes forte casus abbreviare; sed nullatenus prorogetur. Locum autem pro futuro celebrando Concilio deputatum absque evidenti necessitate non mutet „. Sessione 40. propositi fuere plures Articuli de Reformatione Ecclesiæ *in Capite & in membris* a Romano Pontifice *cum hoc Sacro Concilio* perficienda, antequam Concilium dissolveretur, scilicet „ De numero, qualitate & netione Dominorum Cardinalium. Item, De Reservationibua Sedis Apostolicæ. Item, de Annatis, communibus servitiis & minutis. Item, de Collationibus Beneficiorum & Gratiis Expectativis. Item de Confirmationibus Electionum. Item, de causis in Romana Curia tractandis vel non. Item de Officiis Cancellariæ & Pœnitentiariæ. Item de Exemptionibua, & Incorporationibus tempore Schismatis factis. Item de Commendis. Item de fructibus medii temporis, &c. Item de non alienandis bonis Romanæ Ecclesiæ. ITEM PROPTER QUÆ, ET QUOMODO PAPA POSSIT CORRIGI VEL DEPONI, &c. Sacra Synodus ex omnibus Obedientiis conflata Sessione quadragesima non revocat in dubium an Summus Pontifex a Concilio Generali corrigi possit vel deponi; immo id supponit velut dogma Sessionis quintæ Decretis declaratum, quæ proinde non intelligit de solo tempore Schismatis, sed de legitimo Pontifice: crimina dumtaxat particulatim recenseri propter quæ sit puniendus vel deponendus, modumque vult præscribi, quo in hujusmodi causa procedatur. Porro *Martinus V.* palam & aperte professus est se hisce Decretis esse ligatum, quoniam in executionem Decreti Sessionis trigesimæ nonæ convocavit intre quinquennium Concilium Generale, ac Literas ea de re Sessione quadragesima quarta promulgavit his verbis: „ MARTINUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI, &c. Cupientes ac volentes Decreto hujus Generalis Concilii satisfacere, inter alia disponenti, quod omnino Generalia Concilia celebrentur in loco, quem Summus Pontifex per mensem ante finem hujus Concilii, approbante & consentiente Concilio deputare & designare teneatur pro loco dicti proxime futuri Concilii celebrandi: eodem consentiente & approbante Concilio civitatem Papiensem tenore præsentium deputamus, & etiam assignamus, statuentes & decernentes, quod Prælati & eliqui ad Generalia Concilia debent convocari, tempore prædicto civitatem ipsam Papiensem accedere teneantur „. Sessione vero quadragesima-tertie idem Pontifex, postquam varia Decreta, & multa etiam cum singulis Nationibua inita Concordata promulgasset, voluit ut Concilium Instrumento publico fidem omnibus faceret sibi ab eodem Pontifice circa Reformationis Articulos Sess. 40. propositos fuisse factum satis: Quod ut postulabatur, præstitum est, hoc tenore: „ MARTINUS, &c. Decernimus & declaramus, Sacro approbante Concilio, per Decreta, statuta, & ordinata, tam lecta in præsenti Sessione, quam concordata cum singulis Nationibus ejusdem Concilii, & quæ in nostra Cancellaria poni volumus, & Literis in forma publica sub sigillo Vicecancellarii volentibus confici atque tradi, HUIC SACRO CONCILIO SUPER ARTICULIS CONTENTIS IN DECRETO SUPER REFORMATIONE FIENDA, die Sabbati trigesima mensis Octobris proxime præteriti promulgato, FUISSE ET ESSE JAM SATISFACTUM. Quibus Decretis ac Statutis sic (ut præmittitur) lectis * Reverendissimus Pater D. Joannes Episcopus Ostiensis de voluntate Nationum ac ipsius Synodi, & eorum Nominibua, respondit in hunc modum; De mandato Nationum respondeo, Quod placent Nationibus Decreta recitata, & cuilibet Nationi placet concordia cum ipsa per Dominum nostrum facta & per præmissa fatentur dicto Decreto jam esse satisfactum... Super quibus omnibus & singulis præmissis & eorum quolibet, Magister Joannes de Scribanis Promotor Sacræ Synodi prædictæ & Fiscalis Cameræ Apostolicæ petit sibi tam Domini nostri Papæ, quam Synodi nominibus, a Protonotariis, Notariis atque scribis ejusdem Synodi fieri unum vel plura, publicum seu publica Instrumenta, ad perpetuam rei memoriam. Pontifex qui tanta cautione ac diligentia approbat, ac omnibus palam facit, publicisque Instrumentis vult consignari & cunctis innotescere, quod Synodi Constantiensis Mandatis ac Statutis, propositisque ab eadem Sacra Synodo Articulis de Reformatione Ecclesiæ in capite & in membris satisfecerit, isne, quæso, his Decretis ac Mandatis se non ligatum existimat? Isne illud quorumdam Deputatorum effatum non satis considerate prolatum approbat? *Papa electus ligari non potest.*

** Edita fuit a P. Labbè in Appendice Concilii, & ab Emmanuele Schelstrato ex MS. Vaticano & Palatino.*

Quomodo intelligendum illud effatum, Papa electus ligari non potest?

VIII. Nec solus *Martinus V.* sed & alii Romani Pontifices, & Ecclesia quæ illorum Epistolas suscepit, hujus pronuntiati damnant falsitatem, *Papa electus ligari non potest*. Existimabat-ne *Julius Primus* Papam electum ligari non posse, qui ad Orientales scribebat de *S. Athanasii* causa: *Quid, quæso, Nos oportuit facere? An non quod Ecclesiastici Canones?* An Papam electum ligari non posse sentiebat *Cœlestinus I.* qui ad Episcopos Illyrici scribit? *Dominentur nobis Regulæ, non Regulis dominemur, simus subjecti Canonibus, cum Canonum præcepta servamus.* An Papam electum ligari non posse sentiebat *Zosimus*, ad *Aurelianum* Arelatensem Episcopum scribens? „ Cum adversus Patrum Statuta venitur, non tantum illorum prudentiæ atque sententiæ, qui in ævum victura sanxerunt, sed ipsi quodammodo Fidei & Catholicæ Disciplinæ irrogatur injuria. Quid enim tam sanctum & venerabile est, quam penitus non exorbitare ab itinere Majorum, quorum Canonica Instituta velut quædam fundamenta sunt ferendis Fidei jacta ponderibus? *An Papam electum ligari non posse arbitrabatur* S. Leo, *ad* Marcianum *Imperatorem scribens*? Privilegia Ecclesiarum, Sanctorum Patrum Canonibus instituta, & venerabilis Synodi Nicænæ fixa Decretis, nulla possunt improbitate convelli, nulla novitate mutari. In quo opere, auxiliante Christo, fideliter exequendo, necesse est me perseverantem exhibere famulatum, quoniam dispensatio mihi credita est, & ad meum tendit reatum, si paternarum Regulæ sanctionum, quæ in Synodo Nicæna ad totius Ecclesiæ regimen, Spiritu Dei instruente, sunt conditæ, Me, quod absit, connivente violentur „. An Papam electum ligari non posse credebat *Gelasius Primus* ad Episcopos Dardaniæ scribens? *Uniuscujusque Synodi constitutum, quod universalis Ecclesiæ probavit assensus, nullam magis exequi Sedem præ cæteris oportere quam Primam?* An Papam electum ligari non posse persuasum habebat *Hormisdas*, scribens in Indiculo quem *Ennodio & Fortunato* Episcopis Constantinopolim allegatis dedit? *Canones solvere, in Religionem committere est.* An Papam electum ligari non posse censebat Joannes II. ad *Cæsarium Arelatensem* de causa *Contumeliosi* Rejensis Episcopi scribens? *Rigorem Canonum servare necesse est.* An Papam electum ligari non posse dixisset *Agapetus I.* qui de bonorum Ecclesiasticorum alienatione Sacris Canonibus Romano etiam Pontifici prohibita ad *Cæsarium Arelatensem* scribit? „ Tanta est Deo propitio & ad ea concedenda quæ alimoniis proficiunt pauperum, & circa tuæ Fraternitatis affectum nostra devotio, ut onerosum nobis nullatenus esse judicemus, quod annui vestris desideriis postulatis. Sed revocant Nos veneranda Patrum manifestissima Constituta, quibus specialiter prohibemur, prædia juris Ecclesiæ, cui nos omnipotens Dominus præesse constituit, quolibet titulo ad aliena jura transferre. Quæ in re vestræ quoque Sapientiæ credimus esse gratissimum quod in nullo contra priscæ Definitionis Constituta vel Regulas pro qualibet occasione, vel sub cujuscumque personæ respectu venire præsumimus. Nec tenacitatis studio, aut sæcularis utilitatis causa hoc facere Nos credatis, sed divini consideratione judicii necesse nobis est quidquid Synodalis decrevit auctoritas inviolabiliter custodire „. An Papam electum ligari non posse dixisset *S. Gregorius Magnus*, qui lib. 1. Epistola 24. ad *Joannem* Constantinopolitanum Episcopum de Synodorum Generalium Decretis scribit? „ Dum universali sunt consensu constituta, se non illa destruit, quisquis præsumit aut solvere quos ligant, aut ligare quos solvunt. *An Papam electum ligari non posse dixisset* S. Martinus Primus *Epistola 5. ad* Joannem *Philadelphiæ Episcopum scribens*? Sed omnino in iis qui libenter peccant & amant peccare, denegare oportet eam veniam, quæ in hujusmodi lapsibus ex dispensatione datur, ne & ipsi propter Canonis contemptum amplius graventur, & Nos in culpa simus, injuste agendi iis licentiam permittentes. Defensores enim divinorum Canonum sumus, non prævaricatores, quandoquidem prævaricationibus conjunctæ manifeste retributiones sunt „. An Papam electum ligari non posse dixissent Pontifices omnes, qui a septimo sæculo ad decimum tertium Professionem illam emittebant, quæ in Lib. Diurno Romanorum Pontificum edita est? Qua *B. Petro* Apostolorum Principi post Electionem suam, & ante Inaugurationem profitebantur, *Sancta Universalia Concilia usque ad unum apicem immutilata servare ... Diligentius autem & vivacius omnia Decreta Prædecessorum Apostolicorum Pontificum, quæque Synodaliter*

Epist. 34. seu 78. Edit. P. Quesnel.

Epist. 6.

liter statuerunt, & probata sunt, confirmare, & indiminute servare, & sicut ab eis statuta sunt, in sui vigoris stabilitate custodire; quaque vel quosque simili Auctoritatis Sententia condemnaverunt, vel abdicaverunt, simili Auctoritatis Sententia condemnare, &c. Si qua vero emerserint contra Disciplinam Canonicam, emendare; Sacrosque Canones & Constituta Pontificum nostrorum, ut divina & cœlestia mandata, custodire, utpote tibi redditurum me sciens de omnibus, qua profiteor, districtam in divino Judicio rationem, cujus locum divina dignatione perago, & vicem intercessionibus tuis adjutus impleo. Si præter hæc aliquid agere præsumpsero, eris mihi in illa terribili die divini Judicii depropitius. An Papam electum ligari non posse dixisset *Paschalis Secundus* qui ad *Basilium* Hierosolymitanum Regem Epistola 29. scripsit: *Unaquaque Provincia justitiæ suæ limitibus perfruatur. Nec enim possumus manifeste Sanctis Patrum nostrorum Constitutionibus obviare.* An Papam electum ligari non posse dixisset *Eugenius Tertius* qui Epistola 8. ad Germaniæ Episcopos scribit? *Contra Deum & Sacrorum Canonum Sanctiones nulli omnino petitioni possumus præbere consensum.* An Pontificem electum ligari non posse dixisset *Innocentius Tertius* ad *Philippum Augustum* scribens Epistola 106. libri 15. *Verum si super hoc absque Generalis deliberatione Concilii determinare aliquid tentaremus, præter divinam offensam, & mundanam infamiam, quam ex eo possumus incurrere, forsan Ordinis & Officii nobis periculum immineret.* An Pontificem electum ligari non posse sentiebant Cardinales qui *Paulum Secundum* elegerunt, & ipsemet ante electionem suam? Qui jurarunt singuli voveruntque Deo, Sanctisque Apostolis *Petro & Paulo*, si ad Pontificatum assumerentur, *Lapsos Curialium mores ad Patrum disciplinam restringere, Concilium Generale Christianorum intra triennium cogere, in quo & Principes sæculi ad tuendam Religionis causam accenderentur, agraque partes Ecclesiæ communi medicamento sanitatem reciperent*: & alias Leges observare, quas recenset *Jacobus* Cardinalis Papiensis Libro 11. Commentariorum. Utque *bis quotannis per Kalendas Decembres Maiasque Patres seorsum a Pontifice convenientes cognoscerent inter se an servata illæ judicarentur. Id si minus factum intelligerent, charitate quæ filiis in parentes est debita, usque ad tertia rememorationis officia, transgressionis & perjurii illum monerent, ad servandumque precarentur.* Mentem mutaverit *Paulus* II. post Assumptionem suam, Leges in Conclavi summo consensu latas, & a se semel iterumque juratas abrogaverit, Cardinales vi illata ad subscribendum placitis etiam non cognitis compulerit, Pontificem electum ligari non posse persuasus. Non ita sensit Sacrum Collegium, non ita Juris Pontificii Doctores, Theologique omnes, ut scribit ad ipsum Cardinalis Papiensis Epistola 81. „ Vovisti Cardinalis, vo„ visti & Pontifex, servaturum te Leges quæ in Con„ clavi sunt editæ, ad salutem publicam utiles, voti „ tui duobus in libellis Chirographum extat, dixisti „ cum scriberes, etiam sine voto servaturum te eas „ fuisse . . . . Non disputo nunc voto illo tenearis, „ an non, alterius loci & temporis sit inquisitio; tan„ tum dico, paucis exceptis, qui sublatis Legibus, „ faciliorem sibi ad Cardinalatum viam intelligunt, „ reliquos tam Pontificii quam Divini Juris Interpre„ tes, totum quoque Collegium, teneri te existima„ re „. An Papam electum ligari non posse credebant Cardinales quotquot post obitum *Pii Tertii* ad novi Pontificis electionem convenere, quorum singuli certas Leges unanimi consensu latas *pro defensione Catholicæ Fidei, pro conservatione Ecclesiasticæ Libertatis, & Reformatione Ecclesiæ in Capite & in membris*, se observaturos jurarunt, si ad Summum Pontificatum assumerentur; & inter alias, Generale Concilium intra biennium a creatione sua indicere & celebrare? Quas leges si Pontifex electus violaret, *tamquam transgressor voti ac fidei præstitæ, ac perjurus, tamquam otium perturbator & scandalizator Ecclesiæ & totius Christianitatis haberetur, & potestas* esset duabus partibus Sacri Collegii *congregandi Concilium Generale*, cujus Sententiæ esset obnoxius, cujusque judicio pœnas daret. An Papam electum ligari non posse credebat qui hoc in Conclavi electus est *Julius* II. qui ad istarum Legum observantiam juramento & voto post electionem se obstrinxit, ut septimo harum Capite sancitum erat, sub hac verborum formula? *Ego Julius Secundus Electus in Summum Pontificem, præmissa omnia & singula promitto, juro, & voveo observare & adimplere in omnibus & per omnia pure & simpliciter & bona fide realiter & cum effectu, & sub pœna perjurii & Anathematis, a quibus nec me ipsum absolvam, nec alicui absolutionem committam. Ita me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.* Refert *Odoricus Raynaldus*, Annalium Ecclesiasticorum Tom. 20. ad annum 1503.

IX. Ex his omnibus evidens est, effatum illud, *Papa electus ligari non potest*, eo sensu intellectum, quo illud accepit *M. Emmanuel Schelstrate*, Traditioni Sedis Apostolicæ prorsus repugnare, adeoque Sacræ Synodo Constantiensi absque injuria affingi non posse. Ratum igitur maneat, quod Gesta ipsa a Viro Clarissimo laudata docent, id a quibusdam tantum Deputatis inter conferendum prolatum, non satis considerata ratione, ut ex dictis patet. Si tamen mollire quis hoc aliquorum a Nationibus, & Cardinalibus Deputatorum Pronunciatum velit, & in sensum tolerabilem flectere, non repugnabo; sed hac interpretatione præsidium *M. Schelstrate* diruetur. Is ergo forsan fuerit illius Pronuntiati sensus: In materia qua de agebatur, Papam electum prohiberi non posse ac suspendi ab Administratione statim atque assumptus est, absque sua culpa, & Ecclesiæ Reformationem ad ipsum cum Sacro Concilio, cui præerit, pertinere; adeoque non posse excludi a consortio tam gloriosi operis. Is, inquam, forte sensus fuit Deputatorum, cum Nationi Germanicæ petenti *assecurationem & cautionem per Decretum veritans*, *quod post Electionem Papæ fieret Reformatio ante Coronationem Papæ & Administrationem aliquam*, responderunt: *Quod Papa electus ligari non poterat.*

X. Objectionem alteram, ad finem Capitis secundi Dissertationis suæ contra Ecclesiæ Gallicanæ sententiam depromis *M. Emmanuel a Schelstrate* ex Professione Fidei, quam Synodus Constantiensis Romano Pontifici proxime eligendo præscripsit Sessione trigesima-nona; in qua quidem Professione, (ut Vir Clarissimus observat) Patres enumerant omnia Concilia „ Generalia tam in Oriente quam Occidente ante il„ lud tempus celebrata, in quorum Decreta ad Fidem „ spectantia Pontifices ante Consecrationem jurare de„ bebant, solius autem Constantiensis Concilii mentio„ nem omiserunt. Nullum Concilium ex omnibus „ Generalibus tam specialem Constitutionem ediderat „ de observandis a quocumque, etiamsi Pontificalis „ Auctoritatis existat, Decretis Fidei a se statuendis, „ quam hoc Concilium Constantiense Sessione 5. & „ cum ageretur Sessione trigesima-nona de Professione „ Pontificis pro observandis Decretis Generalium Con„ ciliorum, adducuntur octo prima Concilia, quæ sunt „ omnia Generalia ab Orientalibus celebrata, & addu„ cuntur Concilia Romæ in Laterano, Lugduni, & „ Viennæ habita, quæ erant omnia Generalia ab Oc„ cidentalibus ante illud tempus celebrata, & Decre„ ta Fidei continentia: Constantiensis vero Concilii nul„ la fit mentio, licet jam plura edidisset de Fide De„ creta, quam ullum præcedens Concilium: Quid hic „ subsit, dicant, obsecro, qui norint: Nos sane (in„ quit *M. Schelstrate*) vel ex hoc loco evincimus, „ ipsum Constantiense Concilium Sessione 39. ad Fi„ dei Decreta a se edita Romanos Pontifices ante ap„ probationem adstringere noluisse.

Objectio D. Schelstrate.

XI. Respondetur, quod etsi diserta & expressa mentio non fiat Concilii Constantiensis in Professione Fidei, quam ipsa Sacra Synodus futuro Pontifici præscripsit, Decreta tamen Fidei ab eadem edita in hac Professione implicite continentur: siquidem Pontifex electus *corde & ore* profitetur, quamdiu in hac fragili vita constitutus fuerit, *Se firmiter credere & tenere sanctam Fidem Catholicam secundum Traditiones Apostolorum, Generalium Conciliorum, & aliorum Sanctorum Patrum.* Hæc porro Generalium Conciliorum appellatio Constantiense quoque complectitur. Deinde cum Sacra Synodus Constantiensis hanc Fidei Professionem Pontifici præscriberet, multo magis ipsi proponere censebatur Fidei dogmata contra *Wickleffum*, *Joannem Hus & Hieronymum de Praga*, nec-non *Joannem Parvi* diffinita: maxime cum Sessionibus quarta & quinta declarasset ac diffinivisset, Pontificem ipsum Romanum *teneri obedire Mandatis ac Decretis hujus Sanctæ Synodi, & cujuscumque alterius Concilii Generalis, in his quæ pertinent ad Fidem, extirpationem Schismatis, & Reformationem Generalem Ecclesiæ Dei in Capite & in membris.* Tertio, Pontifex eligendus vel damnationi errorum *Wickleffi*, *Joannis Hus*, & *Joannis Parvi* adfuerat, vel Concilio Constantiensi adhærens, eorum damnationem palam approbabat: Non erat igitur opus ut verbis profiteretur Fidem Concilii Constantiensis, quam se tenere factis ipsis testabatur. Quarto cum hi errores *dudum*

Responsio

a San-

a Sanctis Patribus & Generalibus Conciliis damnati essent, ut habetur in Sententia contra *Vuicklessum* Sessione 8. & in Sententia contra *Joannem Hus* Sessione 15. hoc ipso quo Pontifex Fidem profitebatur secundum superiorem Conciliorum Generalium diffinitiones, & doctrinam SS. Patrum, profitebatur & dogmata damnatis a sacra Synodo Constantiensi erroribus opposita. Quinto pendente adhuc Synodo, visum non est Patribus eam Fidei Professioni expresse inserere. Nec tamen inde sequitur ut colligit Magister *Emmanuel a Schelstrate*, Romanos Pontifices Decretis Fidei a Sacro Concilio Constantiensi editis adstrictos non fuisse, donec illa approbassent. Sicut enim absurde diceretur, *Sanctam Silvestrum* adstrictum non fuisse ad credendum Filium Dei esse consubstantiale & coæternum Patri antequam Nicænum Symbolum approbasset, quia Spiritus Sanctus per Sanctam Synodum id diffiniverat, & Anathema dixerat contrarium asserentibus, quo fuisset confixus ipse Pontifex, si eum Ario dixisset, Filium esse ex non entibus, Fuisse tempus quando non erat, Æterno Patri consubstantialem non esse, sed primam creaturam. Ita absque errore asseri non potest Summum Pontificem adstrictum non fuisse Decretis Fidei a Sacra Synodo Constantiensi latis antequam ipsa approbasset: siquidem Spiritus Sanctus per Sacram Synodum Articulos *Joannis Vuicklef*, & *Joannis Hus* non esse Catholicos diffiniverat, nec tamquam tales dogmatizandos, sed ex eis plures esse erroneos, alios scandalosos, aliquos piarum aurium offensivos, plures temerarios & seditiosos *nonnullos notorie hæreticos & jamdudum a Sanctis Patribus & Generalibus Conciliis reprobatos & damnatos*, ipsosque prædicare, dogmatizare, aut quomodolibet approbare prohibuerat. Propositionem etiam *Joannis Parvi*, tametsi non sub ejus nomine, hæreticam pronuntiaverat & pertinaciter illam asserentes Hæreticos declaraverat, & tamquam tales juxta Canonicas Sanctiones puniendos. Tenebatur itaque Summus Pontifex illos errores damnare, alioqui ut Hæreticus & ipse damnatus a Synodo fuisset. Quod probe intelligens *Martinus Quintus* in Concilio Constantiensi Pontifex electus, damnationem errorum *Joannis Vuiclef & Joannis Hus* a Synodo Constantiensi factam promulgavit; atque in eorum Sectatores ab Episcopis & Inquisitoribus agi præcepit, Constitutione quæ incipit: *Inter cunctas*, ab ipso Concilio approbata, qua vim diffinitionis fidei & damnationis hæresum prædictarum atque hæreticorum ab approbatione seu confirmatione sua tantum abest ut repetat, ut potius uni Concilio Generali Constantiensi illam tribuat. „ Quapropter, *inquit*, Generalis Constantiensis Synodus tantam fidelium & Fidei Orthodoxæ plagam & ruinam videns, exclamare compulsa est cum Augustino &c. Proinde Synodus præfata ad omnipotentis Dei gloriam ipsiusque catholicæ fidei ac Christianæ Religionis conservationem, augmentum, & animarum salutem & præservationem, eosdem Joannem Vvicklef & Joannem Hus, & Hieronymum qui inter cætera de Sacro Eucharistiæ Sacramento, & aliis Sacramentis Ecclesiæ, & Articulis Fidei, aliter quam Sancta Romana Ecclesia credit & tenet, & prædicat, & docet, quamplurima temere & damnabiliter credere ac tenere, prædicare atque docere pertinaciter attentabant, velut Hæreticos & pertinaces ac obstinatos, jam a communione Fidelium separatos de Domo Dei corporaliter ejecit, & spiritualiter ejectos declaravit, & alia nonnulla circa præmissa utilia & salubria statuit & decrevit, per quæ alii, qui causantibus Hæresiarchis, eorumque falsis doctrinis hujusmodi, spiritualiter de Domo Dei exierunt per vias Canonicas reducerentur ad semitas veritatis. Et inter ea de quibus interrogari jubet Vicklessistas & Hussitas, sive de his hæresibus suspectos, hæc præscribitur Interrogatio: „ Item utrum credat, quod condemnationes Joannis Vvicklef, Joannis Hus, & Hieronymi de Praga, factæ de personis eorum, libris, & documentis per sacrum Generale Constantiense Concilium, fuerint rite & juste factæ, & a quolibet Catholico pro talibus tenendæ & firmiter asserendæ". Nec non ista: „ Item utrum credat, quod illud quod sacrum Concilium Constantiense, universalem Ecclesiam repræsentans, approbat in favorem Fidei & ad salutem animarum, quod hoc est ab universis Christi fidelibus approbandum & tenendum; & quod condemnavit & condemnat, esse Fidei vel bonis moribus contrarium, hoc ab eisdem esse tenendum pro condemnato, credendum & asserendum". Cum Pontifex ab universis Christi Fidelibus approbandum & tenendum asserit, quod a Sacro Concilio Generali Constantiensi in favorem fidei & salutem animarum diffinitum est, & tenendum pro condemnato, quod ab eodem est damnatum ut Fidei vel bonis moribus contrarium, seipsum ab ea lege non magis excipit, quam a numero Christi Fidelium. Falsissimum igitur est quod *M. Emmanuel a Schelstrate* asserit, Patres Constantienses ad Fidei Decreta a se edita Romanos Pontifices ante approbationem adstringere noluisse.

ARTICULUS III.

Illorum Sententiam merito Clerus Gallicanus improbat qui Decreta Sessionis 5. Concilii Constantiensis ut minus confirmata robore carere existimarunt.

I. CONcilium Constantiense a Sede Apostolica confirmatum absque exceptione prorsus ulla Decretorum Sessionis quartæ & quintæ, Articulo 1. §. 1. hujus Dissertationis probavimus, primo ex verbis *Martini V.* in postrema Sessione declarantis, *Quod omnia & singula determinata, conclusa, & decreta in materiis Fidei per præsens Sacrum Generale Concilium Constantiense conciliariter teneri, & inviolabiliter observari volebat, & numquam contravenire quoquo modo, ipsaque sic conciliariter facta approbat & ratificat.* Porro Decreta Sessionis quintæ ad materiam fidei pertinent: Dogma enim Fidei est obediendum esse Concilii Generalis Decretis & mandatis in his quæ pertinent ad Fidem, & extirpationem Schismatis, & Reformationem Ecclesiæ. Et quamvis dogma Fidei non sit Concilium esse Romano Pontifice superius, adeo ut hæretici sint qui contrarium asserunt, quia dogma Fidei esse nondum Ecclesia diffinivit; ad materiam tamen Fidei & illud pertinet, ceu doctrina Scripturæ Sacræ & Traditioni consona, & ut talis a Concilio Generali declarata & confirmata. Hæc etiam Decreta *conciliariter*, id est, in solemni Sessione post accuratum examen, & maturum deliberationem condita sunt. Illa ergo a *Martino V.* sunt approbata & confirmata.

II. Idem Pontifex in Constitutione quam supra laudavimus, ubi inter condemnatos a Sacra Synodo Generali Constantiensi *Vuicklessi* errores hunc recensuit ordine 41. *Non est de necessitate salutis credere Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias Ecclesias*: hanc Censuram Concilii approbat, & approbando suam facit: *Error est, si per Romanam Ecclesiam intelligat universalem Ecclesiam aut Concilium Generale aut pro quanto negaret Primatum Summi Pontificis super alias Ecclesias particulares.* Qui primatum Romani Pontificis asserit super Ecclesias dumtaxat particulares non super Ecclesiam universalem & Concilium Generale illam repræsentans, non ne approbare atque confirmare censendus est Decreta Sessionis 5. declarantia, Quod Summus etiam Pontifex obedire tenetur Decretis Concilii Constantiensis, & cujuscumque alterius Concilii Generalis, in his quæ pertinent ad Fidem, ad extirpationem Schismatis, & generalem Reformationem Ecclesiæ Dei in Capite & in membris?

III. Idem constat ex quæstionibus quas ab hæresi redeuntibus fieri jubet, quarum una hæc est: *Item utrum credat, quod Papa canonice electus, qui pro tempore fuerit, ejus nomine proprio expresso, sit Successor Beati Petri, habens supremam Auctoritatem in Ecclesia Dei*? Accurate loquitur *Martinus V.* & in Constitutione, quam *Sacro approbante Concilio* promulgat, Concilii mentem, doctrinamque sequitur. Propterea non ait Summum Pontificem habere supremam Auctoritatem in *Ecclesiam*, sed, *in Ecclesia*. Sic verba temperat, ut Concilii Generalis superiori Auctoritati, Sessionis quintæ Decretis assertæ non derogaret. Altera quæstio seu interrogatio his verbis concepta est: *Item, utrum credat, teneat, & asserat quod quodlibet Concilium Generale, & etiam Constantiense, universalem Ecclesiam repræsentet?* Nulla fit Sessionum exceptio; ac proinde in quinta etiam Sessione universalem Ecclesiam repræsentabat; hujus itaque Sessionis Decreta etiam a *Martino V.* approbata sunt. *Item, utrum credat quod illud Sacrum Concilium Constantiense universalem Ecclesiam repræsentans, approbavit & approbat in favorem Fidei, & ad salutem animarum, quod hoc est ab universis Christi Fidelibus approbandum & tenendum? &c.* Decreta Sessionis 5. quibus sancitum est, *Concilium Generale potestatem a Christo immediate habere, in his quæ pertinent ad Fidem, ad extirpationem Schismatis, & Reformationem generalem Ecclesiæ Dei in Capite & in membris*;

bris; & quemcumque cujuscumque dignitatis, etiam Papalis, obedire teneri Statutis & Præceptis hujus Sacræ Synodi, & cujuscumque alterius Concilii Generalis super præmissis, & ad ea pertinentibus, &c. Hæc, inquam, Decreta in favorem Fidei, & ad salutem animarum condita, nemo sapienter negaverit. Sunt igitur a *Martino V.* confirmata. Præterea, Concilium Constantiense ubique Sessionum, universalem repræsentat Ecclesiam, ut docet *Martinus V.* in Constitutione illa sua, *Sacro approbante Concilio* edita; in suis itaque Diffinitionibus & Declarationibus dogmatum errare non potuit; idque cum persuasum esset *Martino V.* omnes Concilii Diffinitiones ac Decreta confirmavit; adeoque & Decreta Sessionis 5. Tandem *Martinus V.* cum Generale Concilium indixit Sessione 44. ut Decreto Generalis Concilii Constantiensis, quod incipit, *Frequens*, satisfaceret, quemadmodum ipse testatur; non potuit expressius hoc & alia Concilii Decreta, maxime Sessionis quintæ, ad quæ relationem habet, confirmare.

IV. Accedit *Eugenii Quarti & Pii Secundi* Constantiensem Synodum generatim, indefinite, & absque ulla prorsus exceptione vel restrictione Sessionum, aut Decretorum, tamquam Œcumenicam approbantium & confirmantium auctoritas, quorum verba Articulo 1. §. 1. hujus Dissertationis descripta, hic repetere non est opus.

Objectio Bellarmini.

V. ,, At (inquit *Bellarminus* Libro 2. De Conciliorum auctoritate, cap. 19.) *Martinus V.* diserte dixit se confirmare tantum ea Decreta de Fide, quæ facta erant *Conciliariter*, id est, more aliorum Conciliorum, re diligenter examinata: constat autem hoc Decretum sine ullo examine factum a Concilio Constantiensi. "

Responsio.

VI. Respondetur, Nullam umquam falsitatem majori asseveratione & confidentia prolatam ac scriptam. *Constat* (inquit doctissimus Cardinalis) *hoc Decretum sine ullo examine factum a Concilio*. Unde vero id constat? An ex Actis Concilii! An ex Scriptoribus coævis aut supparibus? Neutiquam. Immo constat ex his quæ in hacce Dissertatione scripsimus, prævio examine diligenti, & matura cum deliberatione conditum. Atque ut id extra omnem dubitationem positum sit, satis est quod in publica Sessione more solemni sit a Concilio *uniformiter approbatum & conclusum*, quod ita factum patet ex Actis. Quod si de Concilii Generalis Decretis in Sessione publica more solemni Conciliorum conditis ac promulgatis dicere liceat, vel fingere, quod *Bellarminus* de his Concilii Constantiensis Decretis scribit, sine ullo examine esse facta, via Hæreticis omnibus aperitur ad Conciliorum Diffinitiones eludendas, omniumque Decretorum in materia fidei auctoritatem elevandam. Quis enim Wickleffista aut Hussita non eadem confidentia diceret: Constat Articulos *Wickleffi & Joannis Hus* sine ullo examine damnatos? Male igitur intelligunt, τὸ *Conciliariter*, qui aliquid in publica Sessione diffinitum, declaratum vel decretum a Concilio putant, quod tamen *Conciliariter* diffinitum non sit vel decretum, & a *Martino V.* approbatum. Omnia enimvero probavit *Martinus V.* quæ in solemni totius Concilii Consessu sancita fuerunt. Id unum significat hoc verbo, *Conciliariter*; non vero quæ in privatis dumtaxat Nationum Collationibus, aut per deputatos, aut denique in Collegio tantum Cardinalium proposita fuerant, examinata, & deliberata; cujus generis erat damnatio cujusdam libri, cujus occasione hæc, quæ objiciuntur, verba protulit *Martinus V.* Absoluto scilicet Concilio, cum *Umbaldus* Titulo *S. Viti* Diaconus Cardinalis, de mandato Summi Pontificis, totiusque sacri Concilii, alta & intelligibili voce dixisset: *Domini, ite in pace*; & ab omnibus responsum fuisset, *Amen*, jamque de eodem mandato *Joanaes de Todimitis*, Catanensis Episcopus, ex Ordine FF. Prædicatorum assumptus, ambonem ascenderet, Legati *Wladislai* Serenissimi Poloniæ Regis & Illustrissimi Principis *Alexandri*, Magni Lithuaniæ Ducis, Dominorum suorum nomine Summo Pontifici & sacro Concilio supplicarunt, ut ,, Libellus cujusdam Fratris Joannis Falkemberch, notorie crudelissimas hæreses (ut dixerunt) continens, rite damnatus tamquam hæreticus per Deputatos in causa Fidei ac etiam per omnes Nationes Concilii, ac per Collegium Cardinalium (*ut constare publicis Instrumentis asserebant*) in Sessione publica per Sacrum Concilium damnaretur, seu publice damnatus pronuntiaretur, antequam præsens Concilium dissolveretur. Alioquin nomine quo supra protestabantur de gravamine, & de appellando ad futurum Concilium. *Quibus respondit Summus* [Pontifex] omnia & singula determinata, ec[...] in materia Fidei per præsens Sacr[um Con]cilium Constantiense, tenere, & [...] servare volebat, & numquam con[tra] modo, ipsaque sic conciliariter fact[a] ratificat, & non aliter, nec alio mo[do] vivæ vocis oraculum repeti jussit per A[...] *Tisis* Sacri Consistorii Advocatum, qui de[...] Apostolicæ Sedis Protonotariis & Notariis, ad dum Acta Concilii deputatis, petiit ejusdem nomine publicum seu publica Instrumenta con[fici in] æternam rei memoriam. Ex his colligitur, Decre[ta] Sessionis quintæ fuisse *Conciliariter* condita, siquidem non in privatis dumtaxat Nationum Collationibus, quod hac voce *Nationaliter*, exprimi potest (si hanc usurpare liceat) non per Deputatos tantum, aut in Collegio Cardinalium; sed in publica Sessione, more solemni Conciliorum edita sunt, viamque extinguendo Schismati facillimam aperuere: ac proinde illa etiam approbavit & confirmavit *Martinus V.* Pontifex Maximus.

Objectio D. Schelstrate.

VII. Objicit *M. Emmanuel a Schelstrate*; Certum ,, esse, *Martinum V.* per materias Fidei non intelligisse Decreta Sessionis quartæ & quintæ: tria namque materiarum genera in Constantiensi Concilio distingui solebant; unum materiæ Fidei; secundum materiæ unionis; tertium materiæ reformationis. Per primum, intelligebatur in Constantiensi Concilio illud quod fiebat contra tres Hæreticos: per secundum, quod fiebat contra tres Contendentes de Papatu, & pro trium Obedientiarum unione, ac electione veri & indubitati Pontificis: per tertium, quod fiebat pro reformanda Ecclesia in Capite & in Membris. Duo ultima nullam pati possunt controversiam: primum ex ipsis Actis patet: Ubi de materiis fidei mentio facta reperitur, semper agitur de iis quæ facta sunt contra *Joannem VVicklef*, *Joannem Hus*, vel *Hieronymum de Praga*, eorumque Articulos hæreticos, & numquam de alia materia. Ut autem hujus rei veritas magis patefiat, testantur Acta Constantiensis Concilii a quatuor Sedis Apostolicæ Notariis conscripta, quod cum Sessione 5. Electus Posnaniensis pronuntiaret Decreta superius allata, illa edita sint *per modum Constitutionum* ad consequendam facilius unionem, & reformationem, usque sic pronuntiatis statim addunt: *Quibus itaque peractis, supradictus Pater Dominus Andreas Electus Tezaaniensis legebat quædam Avisamenta in materia Fidei, & super materia Joannis Hus detenti per Concilium, & quedam Joanne VVicklef, quæ sequuntur, &c.* Distinctio fit inter Decreta per modum Constitutionum pronuntiata, & Avisamenta contra Hæreticos prælecta, quæ sola a Concilio ipso dicuntur versari in materia fidei: Unde iidem Notarii Sessione sexta mentionem facientes materiæ fidei, non de alio quam de *Joanne Hus* loquuntur; & Sessione septima, dum Statutum referunt, quod *quarta mensis Mai debeat fieri Sessio in materia fidei*, addunt *videlicet super condemnatione memoriæ Joannis VVicklef*. Neque aliud voluit *Martinus V.* per materias fidei, quam quod per illas in Constantiensi Concilio intelligebatur, neque aliud plane intelligere debuit, quando omnia & singula in materiis fidei conciliariter determinata probavit Sessione 45. enim vero occasione libelli *Joannis Falkembergh*, agebatur de Propositionibus notorie hæreticis damnandis, vel tamquam damnatas declarandis, adeoque de illis agebatur, quæ Concilium Constantiense per materias Fidei intelligebat. Quid ad hæc *Martinus Quiatus*? Respondit ad Prædicta, se solum confirmare quæ Conciliariter conclusa & decreta fuerant in materiis Fidei, qualia erant omnia illa contra *Joannem Hus*, *Joannem VVicklef*, *Hieronymum de Praga*, & Bohemos, in publicis Sessionibus determinata, quæ proinde speciali Constitutione, *Inter cunctas*, Constantiensi Concilio approbante, toti Ecclesiæ credenda proposuit: non autem illa contra *Joannem Falkembergh* proposita: quia licet causa ejus in materia fidei esset, non tamen conciliariter in publica Sessione determinata erant. Ex quibus manifestum est, quod *Martinus V.* per materias fidei nihil aliud intelligere debuit, sed & re ipsa nihil aliud intellexit, quam determinata, conclusa, & decreta contra Hæreticos, eorumque propositiones. Non confirmavit ergo Decreta Sessionis quartæ & quintæ de Superioritate Concilii intellecta.

VIII. Re-

Responsio.

VIII. Respondetur, Tres illas materias, circa quas versata est Sacra Synodus Constantiensis non ita distinctas esse, ut concurrere non possint, id est, ut eædem quæstiones & propositiones ad materiam unionis vel reformationis, & simul ad materiam Fidei interdum non pertineant. Nam Reformatio facienda erat *in fide & in moribus*, adeoque ad materiam fidei etiam pertinebat, Similiter ad unionem perfectam unum & indubitatum Pontificem eligi necesse erat; & tamen ad fidem pertinet quod hic Pontifex electus Canonice, puta *Martinus V.* sit successor *B. Petri* habens supremam auctoritatem in Ecclesia Dei. Unde Hæreticos ad Ecclesiam redeuntes interrogari jubet *Martinus V.* in Constitutione laudata, utrum id credant. Pariter Constitutiones Synodales Auctoritatem Concilii Generalis diffinientes, etsi viam ad unionem faciliorem aperiant, ad materiam tamen Fidei & Reformationis etiam spectant, siquidem Fideles omnes adstrictos declarant ad obediendum Statutis Concilii Generalis *in his quæ pertinent ad Fidem, extirpationem Schismatis, & Reformationem Ecclesiæ in Capite & in membris*. Fidem itaque, unionem, & Reformationem juvant, sicque ad triplicem illam materiam revocantur. Diffiniunt insuper, Concilium Generale Catholicam Ecclesiam repræsentare, & a Christo immediate potestatem habere: quæ dogmata sunt in materia Fidei comprehensa. Unde *Martinus V.* Hæreticum ad Ecclesiam redeuntem interrogari jubet: *Utrum credat, teneat, & asserat, quod quodlibet Concilium Generale, & etiam Constantiense, universalem Ecclesiam repræsentet. Item, Utrum credat quod illud quod Sacrum Concilium Constantiense universalem Ecclesiam repræsentans, approbavit & approbat in favorem Fidei & ad salutem animarum, quod hoc est ab universis Christi Fidelibus approbandum & tenendum*. Cum itaque illa ad Fidem pertineant, fatente *M. Emmanuele a Schelstrate*, quæ *Martinus V.* Constitutione, *Inter cunctas*, toti Ecclesiæ credenda proposuit, dogma fidei est, quod Concilium Constantiense in omnibus Sessionibus universalem Ecclesiam repræsentaverit: dogma item fidei est, quod quicquid approbavit in favorem fidei & ad salutem animarum, sit ab universis Christi Fidelibus tenendum. At Decreta Sessionis quintæ ad salutem animarum & in favorem fidei condita sunt: siquidem *ad consequendum facilius, securius, liberius Unionem, & Reformationem Ecclesiæ Dei*, ut habent Acta, & Clarissimus adversarius fatetur; & Reformatio Ecclesiæ circa Fidem & mores versari debebat, ut docet eadem Sacra Synodus Sessione tertia, Se dissolvi non debere, nec dissolutum iri declarans, usque ad extirpationem Schismatis, & *quousque Ecclesia sit reformata in Fide & moribus, & Capite & membris*.

Præterea *Gersonius*, qui Concilio Constantiensi interfuit, hæc Decreta Sessionis 5. esse in materia Fidei palam dixit, in Sermone habito coram Patribus ejusdem Concilii in Festo *S. Antonii*. Recensitis enim Decretis illis statim subdit: *Huic veritati fundatæ supra Petram Sacræ Scripturæ, quisquis proposito detrahit, cadit in hæresim jam damnatam*. Et in Tractatu *De Examine Doctrinarum*, Consideratione 3. *Superest quoque remedium Concilii Generalis, cujus finalis, auctoritativa, judicialisque potestas fundata est, indestructibiliter in illo verbo Christi.* „ Quod si Ecclesiam non audie„ rit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus. *Cui legi haud dubie subest Papa, licet hactenus multis hæc veritas non placeret propter inordinatum favorem ad Summum Pontificem vel Scripta sua male suscepta, plusquam ad Christum & Evangelia. Nunc autem opposita falsitas est hæresis expresse damnata per Concilium Constantiense*. Idem dixit Magister *Thomas de Corsellis*, in Propositione facta Bituricibus in Conventu Ecclesiæ Gallicanæ anno 1440. *Nec dubium est* (inquit) *hanc esse declarationem Fidei Catholicæ, quæ est de Auctoritate data Ecclesiæ immediate a Christo qui est veritas prima, & primum objectum Fidei, a quo dependet universa fides nostra. Vigore autem hujus declarationis fuit postea editum Capitulum*, Frequens, *etiam postquam omnes Obedientiæ ibidem advenerant, in quo statutæ sunt pœnæ in casu quo Schisma insurgeret, non sedente Concilio contra Papam, si non congregaret Concilium infra annum, aut si personaliter ad ipsum non veniret, videlicet pœnæ cadendi a Jure Papatus, & inhabilitationis ad omnes dignitates active & passive: Quas pœnas non potuisset statuere ipsa Synodus Constantiensis in illum qui haberet verum jus in Papatu, nisi ad hoc Auctoritatem immediate a Christo habuisset, quemadmodum in prædicta declaratione ponitur*. Idem sensit *Almaÿnus* libro *De Auctoritate Ecclesiæ*, cap. 8, *Ista argumenta* (inquit) *parum motiva sunt ad inferendum quod sit error intolerabilis dicere, quod Concilium sit supra Papam: immo oppositum est error totius Ecclesiæ destructivus, & Ecclesiæ sponsæ Christi perniciosissimus*. Ita senserunt alii Theologi Parisienses, ac Viri Doctissimi qui Concilio Basileensi adfuerunt; & in eo Concilii Auctoritatem pro sua virili propugnarunt. Attamen dicere noluimus, uti nec sentimus, doctrinam de Auctoritate Concilii supra Romanum Pontificem esse Dogma Fidei, & oppositam opinionem esse Hæreticam; Parcamus Romanis auribus, parcamus Ecclesiasticæ unitati. Cum Romanæ Ecclesiæ Theologis Fide conjuncti sumus, ut communione: Cathedræ *S. Petri* utrique jungimur: Summi Pontificis Primatum, non honoris dumtaxat, sed Potestatis & Auctoritatis, immediate a Christo super omnes Ecclesias particulares institutum & acceptum, pariter profitemur & colimus: In quæstionibus nonnullis de Potestate Ecclesiastica dissidemus quidem, ut in hac de Concilii potestate supra Romanum Pontificem, aut Romani Pontificis supra Concilium. Sed ista dissensio fidei summam non spectat; quamvis ad materiam fidei aliquo sensu quæstiones hujusmodi pertineant, quia Ecclesiæ & Summi Pontificis potestas, de cujus amplitudine disputatur, fidei Dogmata fundat plurima; quamvis quæcumque circa illam Potestatem quæstiones excitantur, fidem per se non spectent, nec errores omnes in quos circa illas impingitur, sint contra fidem. Sicut materia Sacramentorum, materia fidei est, nec tamen errores omnes qui contra doctrinam Sacramentorum vulgati sunt, veræ sunt hæreses, nisi ab Ecclesia ut tales sint damnati. Hinc Synodus ipsa Constantiensis Articulos *Joannis VVicklef, Joannis Hus, Hieronymi Pragensis*, vocat materiam fidei quamvis omnes hæretici non sint, sed quidam simpliciter erronei, vel temerarii. Satis nimirum est ad hanc appellationem, ut Christus, Sacramenta, Ecclesia, circa quæ hujusmodi errores versantur, sint materia seu objectum fidei nostræ, & illorum errorum plurimi vere & proprie hæretici sint, Sic Decreta duo Sessionis quintæ, de quibus dissentimus, ad materiam fidei spectare dici possunt; quia Ecclesiæ & Concilii Generalis legitime congregati Auctoritas, & quam declarant, ad objectum fidei nostræ pertinet, & propositiones quædam illis Decretis diffinitæ, ita pertinent ad fidem, ut oppositæ sint vere hæreticæ. Dogma scilicet fidei est, quod Concilium Generale universalem Ecclesiam repræsentet, Dogma fidei est ex isto consequens, quod Concilium Generale in Spiritu Sancto legitime congregatum errare non possit. Dogma fidei est, quod Concilii Generalis statutis seu ordinationibus aut præceptis, ad Fidem, extirpationem Schismatis, Reformationem Ecclesiæ pertinentibus, omnia ejusdem Ecclesiæ membra parere teneantur. Adeoque Decreta Sessionis 5. ad materiam fidei ratione istorum dogmatum pertinent; quamvis propositionem de Concilii Auctoritate supra Papam, ut ipsum puniat, ac deponat, si statutis suis ac mandatis obedire contumaciter contempserit, esse Dogma fidei tota Ecclesia non conveniat. Quæ cum ita sint, *Martinus V.* approbans *omnia & singula determinata, conclusa, & decreta in materiis Fidei per Sacrum Generale Concilium Constantiense conciliariter*, Decreta etiam quintæ Sessionis, de quibus dissentimus, approbavit & confirmavit.

Doctrina de Auctoritate Concilii supra Romanum Pontificem non est dogma fidei. Sessionis 5. Decreta Concilii Generalis auctoritatem spectantia ad materiam Fidei quaratione pertinent

IX. Quamquam etsi daremus *M. Emmanueli a Schelstrate Martinum Quintum* per materias Fidei dumtaxat intellexisse illa quæ contra *Joannem Vicklef, Joannem Hus, Hieronymum de Praga*, & Bohemos, in publicis Sessionibus determinata sunt, nihil contra nos conficeret: Quia non ait Pontifex, quod ipsi Clarissimus Adversarius affingit, „ Se solum confir„ mare, quæ Conciliariter conclusa & decreta fuerant „ in materiis Fidei; *sed* omnia singula determinata, „ conclusa, & decreta in materiis Fidei Conciliari„ riter, se approbare & ratificare, & non aliter nec „ alio modo: „ Id est ex iis quæ in materiis Fidei conclusa sunt, illa tantum se approbare & rata habere, quæ in publica Sessione, more solemni Conciliorum conclusa, determinata & decreta fuerant, non autem per Deputatos, per Collegium Cardinalium, aut per Nationes, sicut damnatio libri a *Joanne Falchembergh* editi. Sane si ea solum approbasset *Martinus V.* quæ contra Hæreticos diffinita erant, aliter locutus esset, ac respondisset, se ea solum approbare, quæ in materiis fidei Conciliariter diffinita erant: Sicut *S. Leo* ad Episcopos, qui in Sancta Chalcedonensi Synodo convenerant, scribit, „ Se per approba-

„ tio,

„ tionem Gestornm Synodalium propriam *cum ipsis* unisse Sententiam, in sole videlicet fidei causa, propter quam Generale Concilinm, & ex præcepto Christianorum Principum, & ex consensu Apostolicæ Sedis placuit congragari: ut damnatis Hæreticis, qui corrigi noluissent, nulla pœnitus resideret de vera Domini nostri Christi Incarnatione dubitatio. „ Non ita locutus est *Martinus V.* quia mens ejus non fuit Decreta dumtaxat a Concilio in materiis Fidei, prout contra unionis, & reformationis materias dividuntur, approbare & confirmare, seu damnationem dumtaxat errorum *Joannis Wicklef*, *Joannis Hus*, *Hieronymi de Pragu*, & Bohemorum, necnon Parricidalis & Hæreticæ Propositionis: *Quilibet Tyrannus*, quem mirum est *M. Emmanuelem a Schelstrate*, in materiis Fidei a Concilio Constantiensi finitis non recensere: Sed omnia consensu suo comprobavit & confirmavit, quæ ad Fidem, quæ ed extirpetionem Schismatis, quæ ad Reformationem Ecclesiæ in Capite & in membris, ab eadem Sacra Synodo in Sessionibus publicis decreta fuerant, ob quas causas congregata fnerat Synodus, quibus condendis Decretis & ipse interfuerat: Alioquin sequeretur ipsum latam in *Joannem Vigesimum tertium* & *Petrum de Luna* depositionis Sententiam, & *Angeli de Corario* seu *Gregorii XII.* cessionam non approbasse, nec suam electionem ratam babuisse, uti nec Decrete Synodi modum & formam illius electionis spectantia, quia bæc non sunt decreta & facta contra Hæreticos, proindeque non pertinent ad materias fidei Conciliariter conclusas, secundum explicationem *M. Emmanuelis a Schelstrate*. Quæ quam ab omni veri specie aliena sint, nemo cordatus non intelligit.

Objectio D. Schelstrate.

X. Objicit *M. Emmanuel a Schelstrate* „ Longe aliam habuisse *Martinum V.* de Sedis Apostolicæ Auctoritate opinionem, quam ut illam Concilio seorsim sumpto submitteret; neque se ut hoc probet, alio testimonio indigere, quam ex Actis Sessionis 45. desumpto. Sessione 13. (inquit) elegerat Concilium Commissarios in causa fidei ex Collegio Cardinalium quatuor, & ex Nationibus plures ad audiendum & examinandum causas Hæresum & errorum in Fide Catholica, & moribus, undecumque habuissent, & haberent originem. Cum autem Rex Poloniæ, & Dux Lithuaniæ scripsissent ad Concilium pro remedio contra exortas in suis regionibus Hæreses, Oratores Regis Poloniæ, & Ducis Lithuaniæ, unum ex fautoribus hæresum ad deputatos Judices detulerant, & libellum ejus Hæresibus scatentem damnandum obtulerant, ac reipsa per Judices Fidei a Sacro Concilio Constantiensi deputatos rite & cum omni debita solemnitate & maturitata damnatum receperant. Neque his contenti, per omnes Nationes ejusdem Concilii ac Sacrum Collegium S. R. E. Cardinalium, dictum Sacrum Concilium integrantes & constituentes, conclusum & ordinatum in publicis & authenticis Scripturis obtinuerant, quod dictus libellus *tamquam hæreses continens, in Sessione publica per Sacrosanctum Concilium publice damnaretur, seu damnatus nuntiaretur*. Quæ omnia licet a Concilio seorsim sumpto facta essent, adeo ut nibil aliud restaret, quam in publica Sessione libellum damnatum declarari, solus *Martinus V.* ne fieret effecit; & cum a multis multa dicerentur, imposito omnibus silentio, non petito ullo Patrum consensu, sola Auctoritate Pontificia, de illo nihil declarandum esse constitnit, & omnium Nationum & Cardinalium Decreto solus obstitit: atque ostenderet sibi supremum in rebus Fidei Judicium competere, Acta in materiis Fidei, & a Concilio Constantiensi decreta, confirmatione sua indigere monstravit, & verba quibus confirmabat, in publica Sessione corem Patribus Constantiensibus iterato pronuntiari mandavit, iisque tacentibus, & nibil contradicentibus, Actis Concilii inseri jussit.

Responsio.

XI. Respondetur, *Martinum V.* hac agendi ratione ostendisse quidem Summum Pontificem Concilii Deputatis, Collegio Cardinalium, Congregationibus Nationum, superiorem esse, nec eorum deliberationibus adstringi ac ligari; non vero demonstrasse quod Concilio superior esset, ejusque Decretis obedire non teneretur. Nationes quidem, & DD. Cardinales deliberaverant, libellum *Joannis Fulkembergh* tamquam hæreses continentem, in Sessione publica damnandum, sed res Concilio in publica Sessione proposita non fuerat. Proponere pertinebat ad Summum Pontificem, & id quidem cum prærogativa suffregii. Id

Martini V. Sententia de Concilii Generalis Auctoritate Concilii Constantiensis Decretis consentanea.

e re Christiana esse visum noa est *Martino V.* sive quod satis Fidei consultum esset, per hoc quod libellus illa novas forte non continens hæreses, aut non satis exploratas, a Deputatis in causa Fidei, & Nationibus, & Collegio Cardinalium, damnatus esset, nec ea res Concilii judicio indigeret, seu propter obscuritatem ac facilem suppressionem libelli, seu propter dispositionem & affectum Auctoris ad revocandum aut exponendum ee, quæ in ejus Opere hæreseos accusabantur. Ut ut est, Concilium seorsim sumptum, bunc libellum cum erroribus in eo contentis conciliariter non damnaverat, id est, in publica Sessione more solemni Conciliorum, re a Concilii Præside proposita & in deliberationem missa, post solemne Sacrum precesque, Patribus sigillatim, ordine suo ac libere suffragantibus, vel Primariis Nationum earum suffragationem palam referentibus. Virum Clarissimum proferre oportebat Decretum aliquod a Synodo Constantiensi in publica Sessiona hoc modo conditum, quod *Martinus* V. non approbaverit, ut inde colligeret, Pontificem esse supra Concilium saorsim sumptum. Sed frustra bujus rei exemplum in Concilio Constantiensi quæreret. Persuasum enimvero erat *Martino* V. se Concilii Decretis ligari, eis parere debere, ec eam approbare Sententiam, quæ a majori parte Concilii prolata fuisset. Quod cum a Clarissimis etiam Thomistis confirmatum video, incredibili gaudio afficior. Sic *Dominicus Soto* Ordinis FF. Prædicatorum doctissimus Theologus in 4. Sententiarum Dist. 20. Quæst. 1. Articulo quarto in Responsione ad secundam objectionem: „ Non aliter, *inquit*, Concilium habet Auctoritatem a Summo Pontifice, quam quod Episcopi creantur ab ipso . . . . Et hi per Auctoritatem Episcopalem, quam a Christo susceperunt, dum publico nomine congregantur, habent Auctoritatem, quibus Spiritus Sanctus, ut errare nequeant, assistit . . . Et e contrario, si Concilium est supra Papam, non est quod ipse a Concilio ullam recipiat Auctoritatem: Sed quia omne membrum etiam Caput, est pars totius; & ideo debet stare Decreto & Sententiæ totius. Sic Franciscus Victoria, *ejusdem Ordinis, Salmanticensis Academiæ in Primaria Cathedra Professor, Relectione* 4. De Potestate Papæ & Concilii, *Propositione* 2. Si Concilium, *inquit*, declarat aliquid esse de Fide, aut de Jure Divino, Papa in hoc nihil potest aliter declarare aut immutare, maxime si tale Jus spectat ed Fidem, vel ad mores Ecclesiæ universalis. Probatur, quia in illis Concilium errare non potest, juxta promissum Christi Lucæ 22. *Ego rogavi pro te &c.* & Math. 18. *Ubicumque fuerint duo vel tres, &c.* Et non minus est Spiritus Sanctus in quocumque Concilio Generali, quam in Concilio Apostolorum, ubi Spiritu Sanctus assistebat, *Actuum* 15. *Visum est Spiritui Sancto, &c.* Confirmatur, quia si in illis Concilium errare posset, Papa errare posset, & si utrumque errare posset, standum esset potius Concilio. Sicut ergo postquam determinatum fuit in Concilio Apostolorum, quod legalia erant extincta, non potuit Petrus aliter deffinire: Ita in quocumque Concilio Generali. Et patet, quia si errare posset, non esset Ecclesia fundata super firmam petram, cum semper maneret dubia & vacillaret: Nec Evangelium esset certum, cum Augustinus dicat, Se non credere Evangelio nisi propter Auctoritatem Ecclesiæ.

Concilium esse Summo Pontifice superius, quidni sensisset *Martinus V.* post Concilii Constantiensis Decreta ac Diffinitionem, quam suo consensu probaverat, qui jam olim in Pisano Concilio, in hanc iverat sententiam, a *Gregorii* XII. Obedientia, postquam illius Synodi judicio depositus est, recedens, & *Alexandro V.* ac deinde *Joanni* XXIII. ejus Successori adhærens? Et tamen *Gregorium* XII. ante Synodi Pisanæ judicium ut legitimum Pontificem coluit, cum successisset *Innocentio Septimo* a quo ipse *Odo Columna*, in Pontificatu *Martinus V.* appellatus, Infulis Cardinalitiis ornatus fuerat. Legitimum itaque Pontificem a Concilio posse deponi senserat, ob pertinaciam in retinenda Dignitate, qua ob Ecclesiæ pacem cedere debuisset. Concilium etiam Constantiense non aliter *Martinus V.* confirmavit, quam ejus Decretis consentiendo, eaque promulgando, & exequendo, non quasi ipsis Auctoritatem dans ac robur, quo antea carerent. Auctoritatem siquidem ac vigorem principaliter habent a Spiritu Sancto & ab Ecclesia Catholica, non a solo Romano Pontifice, ut loquitur ac docet Sacra Facultas Parisiensis. Et

certe Concilii Constantiensis Diffinitiones ac Decreta tum in materia Fidei, cum in aliis materiis edita vim per se habere Fideles omnes obligandi, agnoverat ac declaraverat *Martinus V.* antequam Regis Poloniæ & Ducis Lithuaniæ Oratoribus responderet, *Quod omnia & singula determinata, conclusa, & decreta in materiis Fidei per Sacrum Generale Concilium Constantiense conciliariter, approbabat & ratificabat*, ut constat ex ipsius Constitutione quæ incipit: *Inter cunctas*; & ex interrogationibus quas Hæreticis ad Ecclesiam redeuntibus fieri jubet: „ Utrum credant, teneant & asserant, quod quodlibet Concilium Generale, & etiam Constantiense universalem Ecclesiam repræsentet. Item, utrum credant, quod illud, quod Sacrum Concilium Constantiense, universalem Ecclesiam repræsentans, approbavit & approbat in favorem fidei & ad salutem animarum, quod hoc est ab omnibus Christi Fidelibus approbandum & tenendum; & quod condemnavit & condemnat, esse Fidei vel bonis moribus contrarium, hoc ab tisdem esse tenendum pro condemnato, credendum, & asserendum. Item, utrum credant quod condemnationes Joannis Wicklef, Joannis Hus & Hieronymi de Praga, factæ de personis eorum, libris, & documentis, per sacrum Generale Constantiense Concilium, fuerint rite & juste factæ, & a quolibet Catholico pro talibus tenendæ & firmiter asserendæ „. At constitutio, *Inter cunctas*, in qua hujusmodi interrogationes præscribuntur, edita fuerat a *Martino V.* octavo Kalendas Martii, *sacro approbante Concilio*, ac proinde ante Sessionem 45. Responsionem autem illam de approbatione eorum quæ in materiis Fidei conclusa ac decreta fuerant conciliariter, dedit Sessione 45. & ultima, celebrata die 22. Aprilis, dimisso jam his verbis Concilio, *Ite in pace*. Quamobrem si in hac *Martini V.* responsione posita est Concilii Constantiensis confirmatio, ut contendit *M. Schelstrate*, liquido constat Concilii Decreta Fideles omnes obligasse ante ipsius Pontificis confirmationem, statim atque fuere promulgata.

Denique quod addit Vir Clarissimus, ostendisse *Martinum V.* supremum Judicium in rebus Fidei sibi competere, Theologi Parisienses ultro concedunt ad sensum venerabilis *Gersonii*, in Tractatu *De Examine Doctrinarum*, Consideratione II. hanc Propositionem statuentis: *Examinator Juridicus doctrinarum Fidem tangentium Papa Supremus est in terris, post Generale Concilium, vel cum ipso, &c.*

Objectio D. Schelstratæ, petita ex prohibitione Appellationum a Summo Pontifice ad Concilium.

XII. Objicit tandem *D. Emmanuel a Schelstrate*: „ Dum *Paulus Veladiuuri* unus ex Regis Poloniæ Legatis animadvertisset, Libelli damnationem minime publicandam, Protestationem & Appellationem ad futurum Concilium prosequi tentavit: Sed ut loqui cœpit, statim *fuit ipsi de mandato Domini nostri Papæ silentium impositum sub pœna Excommunicationis, quo quidem silentio imposito idem Paulus tacuit*. Summus autem Pontifex ostensurus mentem suam de supremo Successorum *Petri* in causis Fidei judicio, in Consistorio publico anno 1418. Constantiæ habito Constitutionem ad perpetuam rei memoriam fecit, & præsentibus pluribus Concilii Patribus promulgavit, in qua repetitur hæc Assertio: *Nulli fas est a Supremo Judice, videlicet Apostolica Sede, seu Romano Pontifice Jesu Christi Vicario in terris appellare, aut illius judicium in causis Fidei, quæ tamquam majores ad ipsum & Sedem Apostolicam referendæ sunt, declinare*. Quam Constitutionem occasione Oratorum Regis Poloniæ editam innuit *Gersonius* in Tractatu: *Quomodo & an liceat a Summo Pontifice appellare, & ejus judicium declinare?* Et conatur ostendere ipsam oppositam esse Declarationibus sexto Aprilis anno 1415. editis, quæ sunt ipsamet Decreta Sessionis 5. Porro qui Romanum Pontificem supremum in terris Judicem dicit, alium in terris Judicem supra ipsum non agnoscit. Unde & ad Concilium Generale appellari non permisit *Martinus*, quod Romanum Pontificem ejus Judicio minime subjiciendum putarit. Hæc Pontifex ille ab ipso Constantiensi Concilio electus promulgavit in Consistorio publico Constantiæ habito, ut orbis universus agnosceret, Decreta Sessionis 5. de superioritate Concilii intellecta nullatenus confirmata fuisse a *Martino V.* sed potius rejecta & improbata, ut damnari nequeat sententia illorum, qui Decreta Sessionis quintæ, tamquam minus confirmata, robore carere existimabant. Easdem autem Appellationes a Romano Pontifice ad Concilium prohibuere *Pius Secundus* Literis Mantuæ in Conventu Principum publicatis an. 1460. *Julius Secundus* & *Bulla in Cœna Domini* quotannis Romæ legi solita, unde illi nomen, a *Gregorio Decimo-tertio* renovata.

Responsio Theologorum Parisiensium.

XIII. Respondent Theologi Parisienses, *Martini V.* Constitutionem expresse non damnare Appellationes quascumque a Summo Pontifice, sed „ quæ temere & absque justa causa fierent, ab iis qui majorum causarum cognitionem Sedi Apostolicæ eriperent, contendentes pertinaciter illas solum in Concilio Generali judicandas atque finiendas, ut Poloni Oratores occasione Libri *Joannis Falkembergh* contendere nisi erant, cum summa Sedis Apostolicæ & Novi Pontificis, conservandæ Fidei studiosissimi, & in Hæreticos egregie animati injuria. Cæterum casus esse aliquos, in quibus a Summo Pontifice ad Concilium, etiam in causis Fidei, appellari posset, quamvis admodum infrequentes, & qui neque hucusque contigerunt, nec umquam fortassis contingent (ut a Christo & Spiritu Sancto Pontifices Maximos in judicandis Fidei controversiis dirigente pie speramus) Casus hujusmodi *Martinus V.* Constitutionem non complecti, adeoque non pugnare cum Decretis Sessionis 5. Concilii Constantiensis de Auctoritate Concilii Generalis supra Romanum Pontificem. Quæ tamen Constitutio ob verborum ambiguitatem, & timorem periculi, quod suberat ne illa plures abuterentur ad Conciliorum Generalium Auctoritatem elevandam, & quod secundum speciem Decretis Sessionis 5. contraria videretur, aut videri posset, plurimorum egregie Catholicorum & Eruditorum animos commovit, teste *Gersonio* Doctore Christianissimo, in Tractatu ea occasione edito, cui titulus est: *Quomodo & an liceat in causis Fidei a Summo Pontifice appellare, seu ejus Judicium declinare?* quorum rationes profert ac probat, & *Martini V.* Constitutionem reverenter exponit. Imprimis vero probat Appellationes illas a Summo Pontifice ad Concilium esse licitas, auctoritate determinationis, sive Constitutionis Generalis Concilii Constantiensis Sessione 5. Secundo, rationibus ducentibus ad *inconvenientia manifesta contra Jus Divinum pariter & humanum*. „ Sequeretur enim primo (inquit) quod Papa non subjiceretur Legi Divinæ vel Evangelicæ, quæ generaliter absque omni exceptione promulgata est a Christo (Matth. 18.) dum loqueretur *Petro*, sicut tradit Ecclesia, & circumstantia textus satis indicat: *Si peccaverit in te frater tuus &c.* Sequitur, *Dic Ecclesiæ; quod si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus &c.* Hoc autem consequens est erroneum manifeste: quoniam Papa est frater noster, alioquin non deberet dicere, *Pater noster*, sed *Pater mi*, sed nec Cardinales, nec Episcopos fratres appellare deberet. Sequeretur secundo, quod *Paulus* egisset contra Jus Divinum & humanum dum restitit *Petro* in facie, hoc est, publice & coram Ecclesiæ Congregatione, sicut habetur ad Galatas 2. Hæc enim resistentia non fuit minor provocatio *Pauli* contra *Petrum*, quam fuisset Appellatio ad Ecclesiam, immo fuit æquivalenter Appellatio. Unde etsi *Petrus* desistere noluisset, fuisset ab Ecclesia condemnandus. Sequeretur tertio, quod Papa, qui est membrum totius corporis Ecclesiæ, sicut homines alii, si scandalizaret totum corpus, ipse non esset rescindendus, ut totum corpus sanum fieret, contra Doctrinam Christi fundatam in similitudine Juris Naturalis. *Matth.* 16. Sequeretur quarto, quod *Petrus* Summus Pontifex non debuisset compelli reddere rationem ab Apostolis fratribus, qui erant in Judæa, quia visitaverat *Cornelium* Gentilem, cujus tamen oppositum dicitur *Actuum* 2. Sequeretur quinto, quod alicui injuriato per Papam, sicut potest evenire tam in corpore, quam in membris; immo in fama, circa ea quæ pure Fidei sunt, non pateret in casu dabili aliqua defensio, vel gravaminis sublevatio: Quod est contra Jus Naturale, cui Jus Divinum non repugnat. Sequeretur sexto, quod in nullo casu Papa posset judicari vel deponi per Generale Concilium, quantumcumque criminosus esset, vel scandalosus Ecclesiæ. Sequeretur septimo, & magis ad hominem, quod Concilium Generale non esset supra Papam, vel judex Papæ legitimus, cujus oppositum determinavit & practicavit sacrum Constantiense Concilium. Non enim processum est ad inchoandum depositionem *Joannis XXIII.* quousque fuisset Articulus iste declaratus, sicut apparet ex Actis ejusdem Concilii; quoniam aliqui videbantur super hoc hæsitare. Constat autem, quod ab omni homine qui habet legitimum superiorem Judicem, sive sit unus homo, sive una communitas, potest, si rationabilis & urgens immineat causa, fieri Appellatio ad eumdem Judicem.

Gersonii Sententia.

XIV. His

XIV. His uberius expositis, subdit Gersonius: „ Postremo, dimissis illis quæ sunt in facto circa justificationem Appellationis Dominorum Polonorum; (Nam multa hinc & inde diversa, imo adversa & contraria videntur afferri, circa quæ Theologicum negotium non versatur) convertatur tandem inquisitio particulatæ quæstionis circa ultimam particulam suam, quæ sic habet: *Quod nullis fas est, &c. Illius, videlicet Apostolicæ Sedis seu Romani Pontificis Judicium in causis Fidei, quæ tamquam majores ad ipsum & Sedem Apostolicam deferendæ sunt, declinare.*

„ Sunt aliqui, sicut dicitur, qui minus istam particulam sustinibilem reputant, quam præcedentem, qualificantes eam, Quod est polam Hæreticalis, & totius Ecclesiasticæ Hierarchiæ circa Fidei conservationem finalem & resolutivam subversiva. Nituntur autem fundare dictum suum in aliquibus Propositionibus quas reputant Catholicas Veritates.

„ Prima Propositio. „ In causis Fidei, Judicium inniti debet infallibili Regulæ, sic quod ultimus & supremus Judex, cujus sententiæ necessario standum est tamquam vere Catholicæ, non sit in fide deviabilis, alioquin staret in casu, quod homines obligarentur assentire contra Fidem.

Secunda Propositio. „ In causis Fidei non habetur in terra Judex infallibilis, vel qui non sit deviabilis a Fide de lege communi, præter ipsam Ecclesiam universalem, vel Concilium Generale eam sufficienter repræsentans.

Tertia propositio. „ In causis Fidei nullus particularis homo per suam determinationem potest de propositione non hæretica facere hæreticam, sicut nec de Catholica non Catholicam. Ita nec Papa, nec Episcopus proprie & vere loquendo, possunt propositionem aliquam hæreticare. Possunt tamen propositionem aliquam, quæ videtur aliquibus non hæretica, declarare quod sit hæretica, & hoc judicialiter, sicut Doctores scholastice hoc faciunt, vel doctrinaliter. Et hoc appellatur facere Articulum, diversimode tamen: Quia Papæ determinatio pœnalis extendit se ad omnes Fideles, sed Episcopalis tantummodo ad subditos suos, ut præcise est Episcopalis.

Quarta propositio. „ In causis Fidei nulla determinatio judicialis Episcopi, immo nec Papæ solius, præcise ut est Episcopi vel Papæ, ligat Fideles ad credendum quod ita sit de veritate Fidei, quoniam tam Papa quam Episcopus deviabiles sunt a fide: obligat tamen subditos sub pœna excommunicationis talis determinatio, quod non dogmatizent oppositum talis determinationis, nisi appareat manifesta ratio repugnandi vel per Sacram Scripturam, vel per revelationem, vel per Ecclesiæ seu Concilii Generalis determinationem.

Quinta propositio. „ In causis fidei, sicut potest declinari judicium Episcopi, si appareat a Fide devius, & requiri judicium Papæ, sic de Papa respectu Generalis Concilii, suo modo, dici potest. Et hæc est ad formam responsiva sequens ex præmissis; juncto, quod apud Summum Pontificem, & ejus Sedem Romanam potest esse quandoque raritas peritorum in Sacris literis, & in vera Fide probatorum, magis quam apud quosdam ex ipsis qui Generalia habent Studia Sacræ Scripturæ, & aliarum Facultatum.

Sexta propositio. „ In causis Fidei illa causa dicitur major esse, non quæ est de re majori, sicut de Trinitate & unitate Personarum, sed quæ difficilis est & ambigua ad determinandum, juxta textum Scripturæ (*Exodi* 18. *Deuteronomii* 17. *Paralipomenon* 19.) in quibus fundantur Canones dicentes, Quod causæ majores fidei sunt ad Sedem Apostolicam referendæ.

Septima propositio. „ In causis fidei poterit una causa dici major apud aliquem Episcopum vel Diœcesim, quæ apud alium Episcopum vel Diœcesim non reputabitur esse major, vel ad Superiorem sicut Papam remittenda: quia scilicet apud talem Episcopum vel Diœcesim, propter abundantiam Theologorum, causa talis non reputabitur difficilis vel ambigua: sed per Sacram Scripturam jam damnata vel approbata.

Octava Propositio. „ In causis Fidei, non minus aliquando occurrendum est sive per Episcopum, sive per Summum Pontificem, sive per Generale Concilium, dum cernuntur oriri scandala, & errores crudeles & impii contra pacificum convictum Populi Christiani, qui maxime consistit in observatione mandatorum Dei, de servando juramento, & de non interficiendo homines auctoritate propria, & non præstando ad usuram, vel de non rapiendo, vel de non adulterando; quam dum insurgunt errores contra aliquos de Articulis Fidei, qui numerati sunt in Symbolo.

„ Formant igitur rationem suam, qui prædictam particulam impugnant, juxta Propositiones præmissas, præsertim juxta quinque primas, quod fas est in casibus concernentibus causas Fidei declinare illius Judicium, qui reperitur devius a Fide, vel eis quæ Fidei sunt, cum suis Consiliariis vehementer suspectus, per aperta signa nimiæ dissimulationis, vel acceptationis personarum, vel aliunde multis modis. Sed loquendo semper cum reverentia, staret aliquem Summum Pontificem, cum suo Collegio, sic posse deficere circa ea quæ sunt Fidei, quemadmodum Petrus & alii Apostoli defecerunt in Passione: immo quod minus videretur, sicut Petrus deficiebat, nec recte ambulabat ad veritatem Evangelii & reprehensibilis erat, dum Paulus sibi restitit in faciem, ac proinde declinabat ejus Judicium. Ergo fas est interdum Summi Pontificis Judicium in causis Fidei declinare.

„ Hæc autem dicta sunt vel argumentata magis ad veritatis Inquisitionem, quam ad alicujus, præsertim Sanctissimi Domini Martini Papæ reprehensionem: attento, quod Constitutio sua quantum ad illa quæ fundantur in facto, non jacet sub Theologica reprehensione; & quantum ad alia quæ Jus concernunt dicerent benevoli sui, Quod non obstantibus allegationibus in oppositum, illa potest suscipere rationabilem & veram interpretationem, sicut recipiunt Constitutiones Positivæ Decretis insertæ, quibus innititur: sic intelligendo, quod non est fas appellare, vel ejus Judicium in causis Fidei declinare, non quidem pro omni casu, sed quando facit id quod in se est, & quando non apparet devius a Fide, sed ambulat recte ad veritatem Evangelii, sine personarum acceptione: quemadmodum in prooemio & narratione suæ Constitutionis dicit esse faciendum per Summum Pontificem, & quod ita facit, affirmat. Nam Constitutiones & Leges, secundum Aristotelem, feruntur universaliter, quamvis in aliquo casu dabili pati possint instantiam.

„ Porro Dominus noster tollere poterit efficaciter suspicionem sinistram, quæ contra Sanctitatem suam fieri posset, si dicta sua factis compenset: hoc est, si sponte, nullo requirente, damnet doctrinam illam pestiferam & crudelem contra Polonos, cum similibus aliis, cum tali celebritate & rigore, qualem Fidei materia vergens in scandalum & perniciem Reipublicæ postulat & requirit, procul abjecta qualibet acceptione personarum „. Hanc porro Constitutionis *Martini V.* explicationem Optimo Pontifici displicuisse non legimus, aut ipsum Piissimo Doctori *Gersonio* ob ejus Tractatus doctrinam succensuisse, aut Tractatum ipsum censoria nota inussisse. Hanc doctrinam ab Illustrissimo Præceptore *Petro de Alliaco* Cardinali Cameracensi *Gersonius* acceperat. Ille enim in Tractatu *De Auctoritate Ecclesiæ*, edito in ipso Concilio Constantiensi, anno 1417. Cap. 4. tertiæ partis, ait: *Ex omnibus præmissis concluditur, quod tam de jure humano quam divino concedendum est, Papam posse ab universali Ecclesia, vel a Generali Concilio eam repræsentante, in multis casibus judicari, & condemnari, & ab eo ad Concilium in multis casibus appellari, videlicet in casibus Ecclesiæ destructionem tangentibus.* Eamdem secuti sunt doctrinam *Almainus*, *Major*, aliique Scholæ Parisiensis Theologi & Facultas universa in Censura Libri *Jacobi Vernantis*, quatuor Propositiones contra Supremam Concilii Generalis Auctoritatem in sexta configens his verbis: *Hæ quatuor Propositiones falsæ sunt, & quatenus quædam asserunt & innuunt, in nullo casu a summo Pontifice appellari posse; Sacræ Conciliorum Auctoritati detrahunt, ac germanis Ecclesiæ Gallicanæ Libertatibus sunt contrariæ.* Hæc a me historice relata Lector accipiat, ut innotescat Responsio Theologorum Parisiensium ad Objectionem ex *Martini Quinti* Constitutione petitam.

Sententia Cardinalis de Alliaco.

Hæc historice dumtaxat ab Auctore referuntur.

XV. Respondent iidem Theologi, *Pium II. Julium II. & Gregorium XIII.* omnes ad futurum Concilium Appellationes non prohibuisse, sed vagis, promiscuis ac frivolis Appellationibus modum imposuisse. Tunc enim erant, qui ne decretas Sacris Canonibus pœnas luerent, utque Obedientiæ Romano Pontifici debitæ jugum excuterent, ad futurum Concilium appellabant, quod nusquam forte, quoad viverent,

Responsio aliorum Theologorum Parisiensium.

rent, congregendum esset. Hic abusus Ecclesiæ perniciosissimus Summorum Constitutionibus Pontificum repressus est, non res ipsa (inquiunt) certis in casibus admodum infrequentibus licita & salutaris.

Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos ultra citraque nequit consistere rectum.

Ad futurum Concilium temere & injuste appellaverant *Sigismundus* Dux Austriæ, & *Gregorius Heymburgius* Jurisconsultus, communione absenti; quia quidquid *Pius II.* in eorum causa decreverat, ex Canonum præscripto ipsum decrevisse manifestum erat. Quamobrem eorum Appellationes merito damnatæ sunt, & similes quæcumque prohibitæ. Mens *Pii II.* ex Constitutionis ipsius tenore liquido patet, *Execrabilis*, inquit, *& pristinis temporibus inauditus tempestate nostra inolevit abusus, ut a Romano Pontifice Jesu Christi Vicario, cui dictum est in persona Beati Petri* „ Pasce oves meas, & „ Quodcumque ligaveris super terram erit ligatum & in cœlo, *nonnulli spiritu rebellionis imbuti, non sanioris cupiditate judicii, commissi evasione peccati ad futurum Concilium provocare præsumant, quod quantum sacris Canonibus adversatur, quantumque Reipublicæ Christianæ noxium sit, quisquis non ignarus Jurium intelligere potest. Namque, ut alia prætereamus, quæ huic corruptelæ manifestissime refragantur, quis non illud ridiculum judicaverit, quod ad id appellatur, quod nusquam est neque scitur quod futurum sit? Pauperes a potentioribus multipliciter opprimuntur, remanent impunita scelera, nutritur adversus Primam Sedem rebellio, libertas delinquendi conceditur, & omnis Ecclesiastica Disciplina & Hierarchicus Ordo confunditur.* Præterea mentem *Pii II.* aperit ejus Epistola quadringentesima ad Burgimagistros & Senatum oppidi Nurimbergensis. „ Cum, *inquit*, nullum Regnum, ut ipsius Domini „ nostri verbis didicimus, in se divisum stare possit, „ quonam modo Sacrosanctum stabit Ecclesiæ Regnum „ si illi qui Christi Supremi Regis Vicario parere con„ temnunt, de Regni non valeant sorte depelli? Ad„ versus hoc inquassabile fundamentum & Ecclesiæ „ firmam petram, hæresis quædam a parvo tempore, „ citra sensum visa suboriri, pullulavit, quæ sub o„ vium vestibus lupos rapaces intrinsecus celans, sub „ Appellationis specie Ecclesiæ satagit unitatem con„ vellere. Nam si quæ Christi unicus Vicarius, Ca„ nonibus Sacris etiam & Juri scripto inhærendo, de„ crevit, statuitque, & servari, ut dignum est, præce„ pit, calumniatores malevoli & perversi subterfu„ gere justitiam præsumentes, per ludibria frivolarum „ Appellationum ad futurum Concilium, ceu ad id „ quod nusquam est, ac supra Christi Vicarium esse „ aut reperiri nequit, obedientiam quæ est de neces„ sitate Ecclesiæ & salutis universorum improbe de„ clinant ac temere. Adunt Parisienses Theologi, in privatis quidem causis hujusmodi prohibitiones Appellationum ad futurum Concilium locum habere, non autem in causis communibus, præcipue si Regibus, Regionibus, Ecclesiis injuria inferretur, ex qua Fidei vel unitatis Ecclesiasticæ læsio, vel Disciplinæ manifesta interversio sequi posset. Referuntur inter Probationes Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, Cap. 13. Formulæ plures Appellationum a Papa ad futurum Concilium in Galliis interjectarum per Reges, Ecclesiam Gallicanam, aut Academiam Parisiensem, sed ex iis Formulis constat, hæc remedia numquam adhibita, nisi cum de causa communi, & manifesta Canonum eversione ageretur, aut Libertatum, morumque in hoc Regno & Ecclesia Gallicana receptorum aperta violatione.

Hæc historice duntaxat ab Auctore referuntur.

XVI. Prima occurrit Appellatio *Philippi Pulchri* Regis Christianissimi, Cleri Gallicani, Academiæ Parisiensis, omniumque Ordinum a *Bonifacii VIII.* Gestis ac Decretis ad futurum Generale Concilium: qua de Appellatione relege quæ diximus Dissertatione nona in Historiam Sæculi 13. & 14. Articulo 4. & inter alia memineris, ipsos utramque Auctoritatem implorasse, Concilii vel futuri legitimi Summi Pontificis, non quod dubitarent an ad Concilium vel ad Summum Pontificem appellandum esset, ut fingit nuperus Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ Impugnator Lib. 10. Cap. 6. aut quod ambigerent an legitimus ac verus esset Pontifex, cum ad hujus usque dissidii tempora ipsum pro vero & legitimo Pontifice agnovissent, Sanctum *Ludovicum* ab ipso inter Divos adscriptum solemni ritu colerent: ab eo Beneficiorum Provisiones & Confirmationes, aliasque gratias a legitimis Pontificibus postulari solitas accepissent; sed quod Concilium a futuro Pontifice congregandum sperarent, quod nihilominus de *Bonifacii* gestis ac persona judicare posset, utpote Jure Divino Summo Pontifice superius. Hanc Appellantium fuisse mentem Continuator Chronici *Guillelmi Nangii* coævus Auctor testatur ad annum 1313. „ Rex, *inquit*, cum urgente conscientia „ ulterius dissimulare non posset, ad Concilium Gene„ rale per Sedem Apostolicam promovendum, quod in „ isto casu Summo præest Pontifici, deliberatione super „ hoc multa maturitate præhabita, appellavit.

Occurrit secundo Appellatio *M. Joannis Dauvet* Procuratoris Generalis *Caroli Septimi* Christianissimi Regis nomine ac mandato a Comminationibus *Pii Secundi* in Conventu Mantuano adversus Regem ac Regnum, quod a Sanctionis Pragmaticæ defensione & observantia se deduci non pateretur. In hac autem Appellationis formula Regius Cognitor benigna expositione, mitigat Bullam *Execrabilis*, Appellationes ad futurum Concilium sub pœna Excommunicationis inhibentem, ea scilicet quam Theologis Parisiensibus adduci superius retulimus. „ Neque etiam æstimandum est „ (*inquit*) eumdem Sanctissimum Dominum nostrum, „ per Literas quas Mantuæ publicasse fertur, quæ in„ cipiunt, *EXECRABILIS ET INAUDITUS*, &c. „ voluisse prohibere, ut in nullo casu, sive tangat „ conservationem orthodoxæ Fidei, sive extirpationem „ Schismatis, sive universalem Reformationem Eccle„ siæ in Capite & in membris, super gravaminibus „ quæ per aliquem Summorum Pontificum inferri con„ tingeret Principibus & Regionibus, liceat quovia „ modo habere recursum ad Judicium Plenarii Con„ cilii; cum sub generali prohibitione non veniant ea, „ quæ speciali expressione indigerent, & præsertim ta„ lia ex quibus læsio Fidei orthodoxæ, Schismatum „ fomenta, atque gravissima decoloratio status Eccle„ siæ universæ sequi possent.

Occurrit tertio Appellatio Parisiensis Academiæ a Literis *Pauli Secundi* Pragmaticam Sanctionem rescindentibus, Legato Apostolico, qui ad earum executionem missus erat in Gallias, significata anno 1462.

Occurrit quarto Appellatio *Joannis Nanterre* Procuratoris Catholici de Legatione *Joannis Baule* Titulo S. *Susannæ* Presbytero Cardinali a *Sixto Quarto* per Gallias commissa, qui Legatus, homo turbulentus & audax, Regis Christianissimi consensu & licentia minime petitis & obtentis, nec Legationis suæ Literis pro more Regni receptis, Legationem exercere aggressus erat, Jurisdictionem ordinariam Prælatorum hujus Regni invaserat, Beneficiorum ad eorum collationem spectantium Nominationem & Provisionem sibi arrogaverat, & ingentem pecuniæ vim emunxerat atque corraserat, extra Regnum transferendæ, in grave detrimentum ipsius Regni, Jurium, Privilegiorum & Libertatum ipsius Regiæ Majestatis, nec-non in contemptum & enervationem Sacrorum Canonum in Generalibus Conciliis conditorum, ac Regnicolarum tum Ecclesiasticorum quam Sæcularium læsionem. Quamobrem dictus Procurator Catholicos a Pontifice minus debite consulto *Ad ipsum melius consulendum, aut ad illum vel illos, ad quem seu quos de jure provocare ipsi liceret*, appellavit, cui Tornacensis Episcopus, & Abbas *S. Launomari*, Apostolos (ut vocant) sub hac formula dedere: *Ob reverentiam universalis Ecclesiæ, ac Sanctissimi Domini nostri Papæ, ad quem seu quem appellastis, Appellationi vestræ deferimus venerantur, & hoc pro Apostolis vobis respondemus.*

Occurrit quinto, Appellatio Parisiensis Academiæ pro Libertate Ecclesiæ & Virorum Ecclesiasticorum immunitatibus ab indictione Decimæ ab *Innocentio Octavo* facta an. 1491. qua impositione seu indictione Decreta Concilii Constantiensis ludibrio haberi & funditus everti, Viri Academici conqueruntur, eamque tendere ad manifestam deformationem & destructionem totius Ecclesiæ Gallicanæ. Quamobrem *A Sanctissimo Domino Papa Innocentio Octavo minus debite consulto ad ipsum melius consulendum, nec-non ad Sacrosanctam Synodum Universalem celebrandam, illumque vel illos, ad quem seu ad quos de jure provocare & appellare ipsis licebat*, appellant. Ad utrumque appellabant, ad Pontificem melius consultum, vel ad Concilium Generale, non quod dubitarent an Concilium appellari posset, sed quia utroque remedio rebus suis prospicere volebant uno in subsidium alterius suffecto; seu quia sperabant Summum Pontificem emendatorum aut revocaturum Mandata vel Decreta, quæ minus consulto emiserat; seu quia Concilii cogendi & moderandi jus ad Sedem Apostolicam regulariter spectare agnoscebant;

adeo-

adeoque Appellationem ad Concilium Generale dici posse Appellationem ab ipso Pontifice seorsim sumpto ad ipsum cum Concilio Generali, & ex ipsius Concilii sententia judicantem, ut explicat Illustrissimus Archipræsul *Petrus de Marca* libro 4. *De Concordia Sacerdotii & Imperii*, cap. 17. *De Innocentio Octavo* porro observandum impræsentiarum est, ipsum Theologos Parisienses a Fidei Catholicæ defensione, & sincera in Sedem Apostolicam observantia laudasse, quamvis sententiam de auctoritate Concilii Generalis supra Romanum Pontificem, & de jure appellandi ab ipso Pontifice ad Concilium Generale certis in casibus, a Sacra Facultate Parisiensi constanter propugnari non ignoraret. Sic autem ad Theologos Parisienses scribebat 7. Idus Septembris anno 1486. „ Intelleximus, non sine „ magna cordis nostri lætitia sinceram animorum vestrorum devotionem, quam ad Nos, Sanctamque Romanam Ecclesiam, & Fidem Catholicam babetis, cum omne studium & curam vestram pro ejusdem Fidei defensione & hæresum extirpatione, sicut probatissimos quosque Christianos decet, incessante adhibueritis.

Occurrit denique Appellatio ejusdem Academiæ Parisiensis pro Sacrarum Electionum & Juris comunis defensione a Concordatorum Bononiensium promulgatione & Pragmaticæ Sanctionis abrogatione, ad futurum Concilium facta anno 1517. Ex quibus omnibus compertum est, hæc Appellationum ad futurum Concilium extrema remedia numquam a Gallis adhibita, nisi cum de causa communi, & de manifesta Canonum & Libertatum nostrarum eversione, vel Regiorum Jurium violatione & invasione ageretur; uno verbo in causis quæ universam Ecclesiam Gallicanam aut Regnum respicerent, non vero in causis privatis; atque *Pii Secundi* Constitutionem, quæ incipit, *Execrabilis*, ita intellexisse, ut in istis dumtaxat, non in illis, Appellationes a Summo Pontifice ad futurum Concilium sub pœna excommunicationis essent prohibitæ. Atque etiam ita intellexisse videtur *Leo X.* in Diplomate contra errores *Lutheri*, Hæresiarcham illum perstringens, quod a Summo Pontifice ob errores contra Fidem Catholicam merito in jus vocatus, *in vocem temerariæ Appellationis proruperit ad futurum Concilium, contra Constitutiones Pii Secundi, ac Julii Secundi, quibus cavetur ita appellantes Hæreticorum pœna plectendos*. Temerarias esse, illicitas, & damnatas Appellationes a Romano Pontifice ad futurum Concilium, Lutheranæ similes, a privatis, iisque de hæresi suspectis, accusatis, & in jus vocatis interjectas, ad declinandam Vicarii Jesu Christi, summi controversiarum, circa Fidem Catholicam in toto orbe Christiano emergentium, Judicis Jurisdictionem, ad excutiendum obedientiæ Jure divino ipsi ab omnibus Fidelibus debitæ jugum, ad errores pertinacius tuendos, ad pœnas canonicas vitandas; has, inquam, Appellationes illicitas esse & merito damnatas, & sic appellantes Hæreticorum pœnis coercendos Theologi Parisienses fatentur.

Mores Gallicani.

XVII. Cæterum, etsi jus appellandi a Romano Pontifice ad Concilium Galli propugnent certis in casibus quia sententiæ de auctoritate Conciliorum Generalium supra Romanos Pontifices, quam tuentur mordicus, consectarium est, nihilominus tamen Appellationes illæ jam non ita sunt in usu, sed loco illarum pro sanandis iisdem vulneribus remedium Appellationum *tamquam ab abusu* suffectum est, quarum usus longe antiquior, quam nomen, nec a prisca sunt alienæ Disciplina, & jure etiam naturali nituntur, secundum quod vim illatam vi repellere licet, dummodo inculpatæ tutelæ servetur modus. Adeoque si Romanus Pontifex Canonibus, Disciplinæ, Libertatibus, moribus in Ecclesia Gallicana receptis, aut Juribus Regiis vulnus forte inferat, Principis vel Senatus, qui vice sacra judicat, auxilium imploratur per Appellationem tamquam ab Abusu, & Pontificii Rescripti vel Mandati executio prohibetur ac impeditur; non quod Summa Romani Pontificis auctoritas vocetur in dubium; sed quod integerrimis Judicibus persuasum sit, ab illa Sede quam Canones præ cæteris exequi decet, quæ sua singulis Ecclesiis jura & Libertates servare debet, quæ juris & æqui custudiam ab aliis exigere, quæ scandalum vitare solet, ea Rescripta aut Mandata consulto non proficisci, quæ Sacris Canonibus, Regis aut Prælatorum, vel Ecclesiarum particularium Juribus, totius Ecclesiæ Gallicanæ Libertatibus & Moribus præscriptis ac probatis aperte repugnant, & absque gravi scandalo ac perturbatione executioni mandari non possunt. Ipsorum enim memoriæ penitus infixa est *Gregorii Septimi* sententia ad *Sancium* Aragoniæ Regem scribentis Epistola 50. Lib. 11. *Solet Sancta & Apostolica Sedes pleraque considerata ratione tolerare, sed numquam in suis decretis & constitutionibus a concordia canonicæ traditionis discedere*. Illa item *Alexandri Tertii* Cap. *Cum teneamur*, De Præbendis & Dignitatibus: *Si mandatum nostrum pro alicujus provisione receperit, qui aliud Beneficium habeat, de quo valeat commode sustentari, nisi forte in Literis ipsis de hoc mentio habeatur, aut si non potest id sine scandalo provideri, æquanimiter sustinemus, si pro eo mandatum nostrum non duxeris exequendum*. Item illa *Innocentii Tertii* Libro 1. Epistola ad Faventinum Episcopum scribentis: *Quæ in derogationem Sanctorum Canonum attentantur, tanto potius infringi volumus, & carere robore firmitatis, quanto Auctoritas universalis Ecclesiæ, cui præsidemus, ad id nos provocat & inducit*. Item ejusdem Rescriptum, Cap. *Cum olim de clericis conjugatis*, relatum, quo filium Græci Sacerdotis ex legitima uxore susceptum in Episcopum consecrari jubet; *Nisi pro eo quod inter Latinos Græci hujusmodi conversantur, regionis consuetudo repugnet*. Ubi *Joannes Andreas* recte observat, hanc exceptionem additam ob vitandum scandalum & offensionem, quæ inde contigere posset, si quid alienum a consuetudine recepta inter Latinos induceretur. Quando igitur ex Rescriptorum Pontificiorum executione scandalum, aut pacis perturbatio sequeretur, quia vel Canonibus & disciplinæ, moribusque præscriptis & probatis, vel Regum, aut Ecclesiarum Juribus & libertatibus vulnus infligunt, eorum executione merito supersedetur, nec id piorum Pontificum intentioni contrarium est.

Sententia Joannis Cardinalis a Turrecremata.

XVIII. Illud autem remedium Romanis forte minus invidiosum, ac tolerabilius est, quam Appellatio ad futurum Concilium; cum ab iis Auctoribus etiam admittatur, qui Pontificiam Auctoritatem supra Concilia Generalia extollunt. Qua de re audiendus *Joannes* Cardinalis *De Turrecremata* in Summa *De Ecclesia*, libro 11. c. 106. ubi quærit quid faciendum sit contra Papam, si contingeret eum aut moribus cum scandalo etiam Fidelium *incorrigibiliter* deformatum, aut potestate sua abutentem, & dilapidatorem esse Ecclesiæ, aut nonnisi per simoniam velle Beneficia Ecclesiastica conferre. Qui respondet, plura ad hoc esse remedia. Primum est humilis admonitio, & fraterna correctio. Secundum, ubi præcedens locum non haberet, devota oratio. „ Tertium „ remedium, ubi præcedentia occulto Dei judicio non juvarent, hoc superesset, videlicet resistentia: Resistendum enim esset in faciem per Dominos Cardinales, mala ejus opera exprobrando, ac rationibus convincendo, & etiam scandalis, & iis quæ Papa vellet attentare, se opponendo, sicut Paulus restitit Petro, quia non ambulabat ad veritatem Evangelii. Et sicut Episcopo vel Abbati, seu Priori dilapidatori Ecclesiæ, subditi resisterent & contravenirent, & ita in proposito, ut si Papa, prout exemplificat Dominus Petrus de Palude, thesaurum Ecclesiæ vellet dare parentibus suis, aut Ecclesiam Sancti Petri destruere, & ædificare palatia parentibus suis, aut dare patrimonium Sancti Petri, quod non licet, aut aliquid hujusmodi, quod tamen non est verisimile posse contingere, non esset ei permittendum, sed esset ei resistendum, & non obediendum, sine tamen depositione. Similiter si vellet contra statum universalis Ecclesiæ aliquid attentare, sicut si vellet omnes Episcopos deponere, aut similia, ex quibus universalis turbaretur Ecclesia. Et hoc modo dicunt Hostiensis, & Innocentius, & Archidiaconus, quod non esset Papa sustinendus, id est permittendus hoc facere, sed ei tamen cum humilitate & reverentia resistendum foret. Quarto, attento quod (ut dicit Sanctus Thomas in Secunda Secundæ) Papa potest incurrere simoniam, sicut alius quilibet homo, & oppositum dicere sit erroneum, ut dicit in 4. Sententiarum Dist. 25. tale remedium posset dari, videlicet, non acceptare ea quæ male & contra reverentiam & legem Dei gesta essent per eum, ut Promotiones, provisiones Beneficiorum, Collationes manifeste simoniace factas: quoniam cum tales in Ecclesiam non per Christum, qui est ostium, sed aliunde intrare præsumpserint, non Pastores Ecclesiarum, sed fures, & latrones arbitrandi sunt... Quintum remedium est convocare Concilium Generale, quæ convocatio esset facienda per Cardinales, ut ipse Papa id nollet congregare, aut per alios illis negligentibus, & hoc non ad deponendum Papam, sed ad tria prædicta faciendum cum majori solemnitate & auctoritate, videlicet primo ad monendum & exhortandum Papam de correctione sua. Secundum, quod Concilium facere deberet, ubi pri-

„ mum

num non sufficeret, est devotissimis precibus & jejuniis, & operibus rectis, divinæ clementiæ aures pulsare, ut dignaretur Ecclesiæ suæ misereri, ut eorum Pontificem aut illuminate dignaretur, aut auferte de medio. Hoc plana remedium esset magnæ virtutis . . . Tertium, quod Concilium debet facere, ubi prædicta ocultis nobis causis usquequaque non proficerant, etiam eum invocationa brachii sæcularis, ut puta Imperatoris, vel aliorum Principum, providere da modo & forma resistendi malis, quæ Papa tentatet facere, ne Eeclesia periclitaretur.

Sententia Silvestri Prieratis,

XIX. Audiendus *Silvester Prierat* Sacri Palatii Magister, Ordinis FF. Prædieatorum, in Summa, verbo *Papa*, ubi hæc habet: „ Quid autem faciendum sit quando Papa suis moribus Ecclesiam destruit, dicit idam Petrus Paludenus; Primo, non assa obediandum in multis, sed resistendum per honestam reprehensionem, aaemplo Pauli resistentis Petro in faciem. Unde si vellet totum thasaurum Ecclesiæ, aut patrimonium B. Petri dara parentibus ejus, vel Eeclesiam dastruere, & hujusmodi non esset permittandum, sed resistendum, taman sine depositione. Ratio ast, quia io destruendo nihil potest, & si de destructione constat, potest resisti. Secundo, orandum esset ut corrigeretur a Deo, vel de madio tolleretur; & contra ejus voluntatem Concilium convocandum, ut per illud Papa moneretur, vel Deus invocaretur, & rasistendo malis remedium imponeretar.

Sententia Cardinalis Jacobatii.

XX. Audiandas *Dominicus* Cardinalis *Jacobatius*, eadem remedia quæ *Joannes de Tarrecremata* & *Silvester Prieras* fusius exponens Lib. 8. *De Conciliis*, Art. 3. ubi & *Baldam* laudat in Cap. *Olim*, *De Rescriptis* dicentem, quod *Si Papa non vult uti rationibas, ubi tractatar de pericalo Maadi, debet compesci armis*: C. De Judæis, L. Nullus. *Et dicit referendo Archidiaconum, quod voleater dirigere virgam tortuosam, plicant per contrariam; & hoc noa potest fieri, nisi igae, & per ignem humiliatur illa virga sicat panis in igne positus. Unde subjunxit, atendam esse primo verbis, ut in* C. Novit, De Judiciis; *deinde herbis, tertio lapidibas, & ubi noa sufficit virtutis ingeniam, ibi valent armorum præsidiam & tutela.* Et in seato Remedio ait: *Concilium sic coadanatam invocabit brachiam sacalare (at pata Imperatoris vel aliorum Triacipum) ad provideadam do modo & forma resistendi malis qaæ Papa facere tentaret, ae Ecclesia periclitaretar.* *Pro* hoc 79. *Dist.* Si quis pecunia 63. *Dist.* Adrianus & C. In Synodo. *Unde tali Pontifici volenti destruere Ecclesiam debeat omnes Christiani resistere.* 24. Quæstione 1. C. *Memor.* 43. C. Sit Rector. 7. Quæstione 1. §. *Cum vero*. Atque hujus resistentiæ æquitatem probat a simili: *Sicut* (inquit) *Judicibus facientibus aliqaid de facto extrajudicialiter; licet de facto armata maau eis resistere.* Quam in rem L. *Prohibitam*, C. *De Jure Fisci*, compluresque Jurisconsultos laudat.

Cajetani Cardinalis sententia,

XXI. Audiendus *Thomas de Vio* Cardinalis *Cajetanus* Tractatu 1. *De Auctoritate Papæ & Concilii*, Cap. 27. „ Resistendum est ergo, *inquit*, etiam in faciem Papæ publice dilanianti Ecclesiam, verbi gratia, quia non vult dare Beneficia Ecclesiastica, nisi pro pecunia aut commutatione Officii, & eum omni reverentia & obedientia neganda est possessio talium Benaficiorum his qui emerunt, & allegenda est causa simoniæ etiam eum Papa commissæ. Et sine dubio Principes sæculi & clarius gladium de manu furiosi sic cum modestia tollerent. Multæ quoque sunt viæ, quibus absque rebellione Principes mundi, & Prælati Ecclesiæ, si vellent uti, resistentiam impedimentumque abosus potestatis afferrent. Sed quoniam Principes & Prælati non curant nisi qoasi somniando, cur conqueruntur quod non potest deponi? Cur opponunt, good Potestas dota ast in ædificationem, & non in destructionem? Abusoi namque Potestatis qui destruit, obviam eant congruis remediis, non obediendo, in malis non adulando, non tacendo, arguando, advocando Illustres ad increpandum exemplo Pauli, & præcapto ejusdem: Dicite Archippo, Vide Ministerium quod accepisti in Domino, ut illud implaas; (*Ad Coloss. ult.*) *& param aut nihil abuteretar Potestate.*

Sententia Francisci Victoria.

XXII. Audiendus *Franciscus Victoria*, in Sacra Facultate Parisiensi Doctor Theologus, & in Salmantieensi Primarius Professor, Ordinis FF. Prædicatorum Relectione 4. *De Potestate Papæ & Concilii*, in qua istas Propositiones statuit & probat. Decima Propositio: „ Si ex usu, & axperientia, aut providentia intelligeretur, quod si dispensaretur in aliqua Lage Ecclesiastica, vergaret in perniciem aut grava damnum Ecclesiæ & Religionis; Concilium posset hoc declarare & determinare, & atiam statuere ut in tali lage numquam dispensaretar. *Uadecima Propositio*: Videtur quod in tali determinatione Concilium errare non possit. *Duodecima Propositio*: Facta tali determinatione, numquam liceret Papæ dispensare io tali Lege & peccaret mortaliter dispensando aa qaacumqua causa. *Decima-septima Propositio*: Non samper Mandatum Papæ, aut dispensatio obligat subditos ad parendum. *Decima octava Propositio*; Facta tali Declaratione & Decreto Concilii, si Papa dispensarat, subditi non tenerentur parera tali dispensationi. *Vigesima-prima Propositio*: Non videtur permittendum cuicumque privato sua auctoritate resistere, & non parere Mandatis Pontificis, quantumcumqua essent contra determinationem Concilii. *Vigesima-secunda Propositio*: Facta tali Declaratione & Decreto Concilii, si Papa contrarium mandatet, possunt vel Episcopi, vel Concilium Provinciale per se resistera tali Mandato, vel etiam implorare Principes, ut auctoritate eorum resisterent Summo Pontifici, impediendo executionem Mandatorum ejus. *Tam subdit*: Quod mihi fecit animum tenendi hanc sententiam fait, quod Doctores agregii, & aliter magni defensores Auctoritatis Pontificiæ, etiam in ordine ad Concilium, tenent expresse hanc senrentiam, ut Cajetanus in ipso Opere in quo tenet Superioritatem Papæ supra Concilium c. 27. & *Silvester* in verbo, *PAPA*. *Tam laadatis utriusqae verbis subdit*: Ex his omnibus habetur, quod ubi Mandata & facta Papæ sunt in destructionam Ecclasiæ, potest ai resisti, & impediri executio Mandatorum; Ergo si jam constet ex detarminatione Concilii, quod hujusmodi dispensationes sunt in destructionem Ecclesiæ, poterunt Gubernatores ipsius Ecclesiæ & Principes resistere in his. Secundo, probatur, quia vim vi repellere licet Jure Naturali: Sed Papa infert vim hujusmodi Mandatis & dispensationibus, quia facit injuriam, ut supra probatum ast: Ergo licitum est tesistere illi. *Sequitur Corollariam*, Quod non solum liceret non parere talibus Mandatis, sed etiam facto & vi, si opus esset, resistere illi, & impedira armis executionem illorum Mandatorum: & maxima intarcedente publica Auctoritata, ut Principis; & comprehendere, & punire executores talium Mandatorum, semper tamen servando moderamen inculpatæ tutelæ, non excedendo reverentiam, nec negando aliquo pacto Auctoritatem illius, sed solum allegando quod hoc ast injustitia, & in detrimentum Ecclesiæ. *Vigesima-tertia Propositio*: Propter injustos dispensationes, vel alia Mandata insolentia, quæ in perniciem Ecclesiæ procaderent, posset convocari & congregari Concilium Generale contra voluntatem Papæ, ut ei tesisteret, & obviaret ajus insolentiæ. Hoc aapresse tenet Silvester, in varbo, *Papa*, §. Quod si Papa suis moribus destruit Eeclesiam Dei, potest convocari Concilium contra ejus voluntatem, ut per illud Papa moneatur, & Deus invocetur, & resistendo malis remadium apponatur. Hoe tenet expresse Turrecremata Assertor vehementissimus Pontificiæ Dignitatis, Lib. 3. Cap. 10. ubi loquens de Auctoritate Conciliorum: *Celebratio*, inquit, *Conciliorum utilis est ad refrænandum exorbitantias quorumdam Pontificum, qui Pontificatum suum aut contra Sanctorum Patrum Regalas pro voluntate exercent, aut simoniaca pravitate dehonestant, aut sæcali vanitate & vita scandalosa confundunt. Hac de causa congregatum legitur Concilium Episcoporum Italiæ Romæ per Imperatorem contra* Joannem XII. *qui venator, lubricus, & incorrigibilis erat.* Quod factum laudat, & approbat Turreeremata, & hoc est valde utile. Ut anim ait Hormisda Papa, in Epistola ad Episcopos per Hispaniam constitutos: *Difficile est, ut cujuscumque cor sic pravis cogitationibus induretur, ut in se patiatur culpandus fieri, cum Judicium noverit subeundum Concilii.* Unde etiam confirmantur quæ supra dicta sunt. Nihil etiam prodesset congregatio Concilii, nisi sua Auctoritate posset determinare, quibus in rebus Pontifex non debeat nec possit attentare contra Patrum Decreta & Sanctiones.

Sententia Davallii Professoris Sorbonici,

XXIII. Audiendus M. *Andreas Davallius* Doctor & Professor Sorbonicus, Tractatu *De suprema Romani Pontificis in Ecclesia Potestate*, P. IV. Quæstione ultima, ubi hæc habet: „ Dicas, Principes & Respublicas graviter nonnumquam conqueri se a

„ Pon-

„ Pontificibus graves injurias pati, nullumque ad has „ depellendas efficacius remedium esse præter provo„cationem ad Concilium Generale. Respondeo, Non „ licere propterea ad Concilium provocare; cum Prin„cipes sibi suisque rebus possint alia via consulere, „ scilicet non obediendo Mandatis Pontificis; immo si „ aliter non possunt sibi succurrere, strenue pruden„terque resistendo, & cum ea moderatione, quam su„periori Quæstione, ubi de iniquis & Ecclesiæ perni„ciosis dispensationibus assignavimus.

XXIV. Sed a praxi abstrahendo (Utinam enim hujusmodi remedia adhibere nusquam necesse sit!) Non satis apparet qua ratione prior via magis displicere Curiæ Romanæ debeat quam altera, inquiunt Parisienses Theologi. Videtur enim malis Pontificibus non minus incommodum ut Concilium ipsis invitis, in certis illis casibus, quos *Turrecremata*, *Silvester Prierias*, *Cajetanus*, *Jacobatius*, & *Victoria* designant, congregetur, quod eorum *exorbitantias* coerceat, quod remedium malis apponat ex abusu Pontificiæ Potestatis in Ecclesia grassantibus, quod determinet quibus in rebus non debeant attentare contra Patrum Sanctiones, cujus metus ipsos a malo arcere possit, *dum noverit Judicium subeundum Concilii*; quam ut ab ipsis ad futurum Concilium in iisdem casibus appelletur? Non-ne enimvero (inquiunt) convocatio Concilii hos in fines, & hoc modo facta, Appellatio quædam ad futurum Concilium est, aut certe vim Appellationis habet? Quid præterea malo Pontifici tolerabilius esset ad Concilii tribunal vocari, an ad Christi tribunal Judiciumque rapi? Subita periculum ne exturbaretur a Cathedra, vel ne privaret eum Deus vita? Concilium enim ad hoc etiam asserunt congregari *Turrecremata*, *Silvester Prierias*, *Jacobatius*, & alii Pontificiæ supra Concilium Auctoritatis Assertores vehementissimi, ut Ecclesia congregata suis a Deo precibus impetret ut malus Pontifex corrigatur, vel ejus providentia singulari *de medio auferatur*. Quid optabilius, ut Canonibus, an armis in ipsum agatur? Ut subeat Ecclesiæ Judicium, vel coerceatur armis Principum? Sed ad quid Concilium, si totam a Pontifice Auctoritatem habeat, si sit instar corporis, quod sine capite potest habere motum gravium, sed non motum vitalem, ut ait *Silvester*? An Auctoritatem Concilio dabit Pontifex ut exorbitantias suas, excessus, & abusum potestatis refrænet, ac moderetur? Non-ne Concilium se invito congregatum irritum dicet, si tota Concilii Auctoritas ab ipso est? Quis vero correctionis ab Ecclesia congregata erga Pontificem adhibitæ fructus erit, si correctionis ordo a Christo in Evangelio præscriptus observari non possit, ut *Si Ecclesiam non audierit, tamquam Ethnicus & Publicanus* habeatur? Quid Præsules magnis impendiis & difficultatibus in Concilium congregare necesse est, ut orent Deum Optimum Maximum, malum Pontificem ut gratia sua corrigat, vel de medio auferat? Cum in suis Ecclesiis manentes singuli, Sacrificium incruentum Deo quotidie offerre, precesque ardentissimas fundere in eumdem finem possint, interimque excubias agere super greges a Christo sibi creditos, & Mandatis ac Decretis palam injustis, si quæ ad ipsos perveniant, non parere, ac eorum executionem impedire?

Theologorum Parisiensium cum aliquis Auctoribus concertatio historica ab Auctore relata.

XXV. At (inquiunt Parisiensium Theologorum adversarii) Summi Pontifices hæreseos notam inusserunt Appellationibus a Summi Pontificis Judiciis ac Mandatis ad Concilium. Sed & Hæreticos declararunt (respondent illi) qui Summorum Pontificum Mandatis non parerent, vel ipsis resisterent. Et *Sanctus Ivo Carnotensis* Epistola 8. ad *Richerium* Senonensem Metropolitanam scribit; *Sedis Apostolicæ Judiciis & Constitutionibus obviare, plane est Hæreticæ Pravitatis notam incurrere, cum Scriptura dicat: Hæreticum esse constat, qui Romanæ Ecclesiæ non concordat.* His tamen non obstantibus, *Turrecremata*, *Cajetanus*, & *Jacobatius* Cardinales, *Silvester Prierias*, *Franciscus Victoria*, *Andreas Duvallius*, aliique Theologi, Pontificiam licet Auctoritatem supra Generale Concilium extollentes, exceptiones quasdam afferunt, & certis in casibus licitum esse, immo necessarium asserunt, Romani Pontificis Mandatis, palam scilicet injustis, vel in Ecclesiæ perniciem aut Fidelium offensionem cedentibus, non obtemperare, quin etiam resistere, cum his, quas explicant illi, cautionibus. Quid-ni ergo (inquiunt nostrates Theologi) & exceptiones afferre nobis liceat legis illius a *Martino V. Pio II. Julio II.* latæ adversus Appellationes & Appellantes ad futurum Generale Concilium, ut Majores nostri, viri cumprimis Catholici, Pontificii Primatus Jure Divino in-

stituti acerrimi defensores, & Sedis Apostolicæ observantissimi attulerunt. Ut in privatis quidem caosis veritæ intelligantur, non vero in communibus, quæ Canonum eversionem, & Ecclesiarum populosissimarum, verbi gratia, Gallicanæ, aut universalis Ecclesiæ statum spectarent; non ab hominibus privatis, seu privatis nominibus, sed ab ipsis Ecclesiis, vel Principibus cum illis conjunctis, salva reverentia Sedi Apostolicæ debita interjectæ, ad Fidem, vel Disciplinam tuendam, ad Regum vel Ecclesiarum Jura servanda, ad impediendum *Ne paulatim amittatur Libertas quam Ecclesiæ donavit Sanguine suo Dominus noster Jesus Christus* (ut loquitur sacra Synodus Ephesina) non autem ad frustrandam obedientiam, quam omnes Christiani, & omnes etiam particulares Ecclesiæ Jure Divino debent Sedis Apostolicæ Constitutionibus & mandatis *salubriter promulgatis*. Nam cum *Leone IV.* & LXXII. Episcopis in Concilio ipsi assidentibus, dicimus, dicemusque semper: *Si quis Dogmata, mandata, Sanctiones, vel Decreta, pro Catholica Fide, pro Ecclesiastica disciplina, pro correctione fidelium, pro emendatione scelestorum, vel interdictione imminentium vel futurorum malorum, a Sedis Apostolicæ Præsule salubriter promulgata contempserit, Anathema sit*, Dicemus & cum *Gregorio septimo*: *Qui Apostolicæ Sedis Saluberrimo Præcepto obedire noluerit, Idololatriæ peccatum incurrit, teste Samuele, & Beato Gregorio adstruente.* Hæc Theologi Parisienses quorum sententiam, rationes, responsa historice refero.

Objectio ex S. Antonino & Francisci Ferrariensis censura.

XXVI. Objicit Anonymus Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ Impugnator libro 5. Cap. 15. §. 9. *S. Antoninum* Archiepiscopum Florentinum, doctrina, pietate, & miraculis clarissimum, oppositam Parisiensium Theologorum & Cleri Gallicani sententiæ doctrinam valide defendere P. 3. Summæ, Tit. 23. Cap. 3. *De Appellatione Papæ*, §. 3. *Sed nec*, inquit, *ad Concilium Generale a Papa appellari potest: quia Papa omni Concilio superior est, nec robur habet quidquid agitur, nisi Auctoritate Romani Pontificis roboretur & confirmetur. Sentire ergo quod ad Concilium a Papa appellari possit, est hæreticum & contra illum Articulum, Sanctam Ecclesiam Catholicam.* Sic autem superius argumentatur: *Quicumque Privilegium Romanæ Ecclesiæ a Christo traditum auferre conatur, est hæreticus: Sed dicens & tenens, quod licet appellare a Pontifice Romano ad Successorem ejus, aufert Privilegium Romanæ Ecclesiæ a Christo traditum: Ergo talis manifeste est Hæreticus.* Et sic probat Minorem: *Quicumque sentit Romanum Pontificem non esse summum, supremum, & unicum Caput totius Ecclesiæ, auferre conatur Privilegium Romanæ Ecclesiæ a Christo traditum: Sed quicumque a Papa appellandum sentit, sentit Papam non esse summum & unicum Caput Ecclesiæ: Ergo, &c. Unde sequitur quod quicumque hoc sentit, facit contra Articulum Nicenæ Synodi, ubi dicitur*, Unam Sanctam Ecclesiam, *quia Ecclesia habet unitatem ex unitate capitis. Unde & Joannis X. dicit Christus*: Fiet unum ovile & unus Pastor. *Si licitum esset appellare a Papa, & ille ad quem appellatur, esset Caput; Sic Papa non esset Caput, vel essent duo Capita, quod esset monstruosum.* Affert idem Anonymus censuram *Francisci de Silvestris*, vulgo *Ferrariensis* a patria nuncupati, Ordinis Prædicatorum Magistri Generalis, in Commentario Libri 4. *S. Thomæ* contra Gentes, Cap. 76. in fine, scribentis: *Ex prædictis constat, vanam esse, & a Fide Christiana alienam opinionem dicentium, Concilium & Ecclesiam esse supra Papam, & ipsum Papam ab Ecclesia Auctoritatem habere, tamquam ab ipsa institutum.*

Responsio Theologorum Parisiensium.

XXVII. Respondent Theologi Parisienses *S. Antonini*, *Francisci de Silvestris*, & aliorum Auctorum Scholasticorum testimonia suæ sententiæ veritati, in Scriptura Sacra, Traditione, Conciliorumque Generalium Decretis fundatæ, & a Scriptoribus plerisque omnium Ordinum, pietate, & eruditione conspicuis approbatæ, præjudicare non posse. Siquidem *Veritati nihil præscribere potest, non intervalla temporum, non privilegia regionum, non patrocinia personarum* (ut ait *Tertullianus*) Sanctissimum Archipræsulem Florentinum ex vero principio falso ratiocinari, quia tribuit Adversariis consequentiam quam ipsi non admittunt, nec ex sententia ipsorum legitime illatam, Hæreticus certe est, qui negat Privilegia Romanæ Ecclesiæ a Christo tradita, vel ea auferre conatur: Hæreticus est, qui Romanum Pontificem totius Ecclesiæ Caput esse diffitetur: Sed falsum est (inquiunt) quod quicumque a Summo Pontifice appellari posse censet, neget ipsum esse summum & unicum Ministeriale Ec-

clesiæ Caput. Unicum enim post Christum illum assa profitemur Ecclesiæ Caput, & hoc nomine colimus, credimusque ipsum habere Jure Divino Primatum, non honoris tantum, sed Auctoritatis & Jurisdictionis super omnes Ecclesias particulares, & singulos Fideles: & nihilominus Concilio Generali inferiorem propugnamus (inquiunt) & ab ipso proinde ad Concilium appellari posse. Simili ratiocinio contra oppositæ sententiæ Assertores colligi posset: Quicumque negat Privilegia Ecclesiæ universali a Christo collata, Hæreticus est: Sed quicumque negat Ecclesiam Universalem, & Concilium Generale ipsam repræsentans, esse Romano Pontifice superius, negat Privilegia Ecclesiæ Universali a Christo collata: Igitur Hæreticus est. Sed ab hujusmodi censura utrimque temperare consultius est. Privilegium Romanæ Ecclesiæ esse censet *S. Antoninus*, quod Summi Pontificis Judicia etiam a Concilio Generali retractari non possint, & quod a Concilio judicari non possint. Id vero negant Theologi Parisienses. Unde qui contra ipsos id proferunt, id ipsum quod in quæstione est pro principio assumunt. Est tamen apud *S. Antoninum* quod Academiæ nostræ & Cleri Gallicani sententiæ mirum in modum faveat. Censet enim Summi Pontificis Judicium in causis Fidei non esse indeficiens, nisi accedente Ecclesiæ consensu: Quod si ita est, non est per se irretractabile, nisi Ecclesiæ consensus accesserit: Si non est per se irretractabile, potest a Concilio Generali retractari: Si potest a Concilio Generali retractari illud, ergo superius est: Si superius, ad ipsum ergo certis in casibus appellari posset a Summo Pontifice, præsertim ubi de Fidei periculo ageretur. Sic (inquiunt Parisienses Theologi) ex *S. Antonino* contra ipsummet argumentamur. Sed illum audire præstat eodem Capite hanc Objectionem sibi proponentem: „ Contingere „ posset quod Papa Hæreticus esset, & vellet Hære„ tica Statuta condere, quod si contingeret, deficeret „ Fides Petri, quia non esset qui in hoc casu posset „ resistere, nec teneretur Ecclesia Statutis ejus Hære„ ticis obedire. (Videtur ergo in hoc casu saltem li„ citum esse ad aliquem appellare.) *Sic vero respon„ det*: Ad illud dicendum, quod licet ut persona sin„ gularis ex motu proprio agens errare posset in Fi„ de; tamen utens Concilio & requirens adjutorium „ universalis Ecclesiæ, Deo ordinante, qui dixit, E„ go rogavi pro te &c. non potest errare. Nec potest „ esse quod Universalis Ecclesia accipiat aliquid tam„ quam Catholicum, quod est Hæreticum: quia Ec„ clesia universalis, quæ est Sponsa, & erit semper, „ & non habens maculam neque rugam. Ephes. 5. „ *Hæc est &c.* Item Sancta Romana Ecclesia, quæ „ semper immaculata permansit, Domino procurante, „ & B. Petro Apostolo opem ferente, in sæculo futuro „ permanebit sine ulla Hæreticorum insultatione: Cant. „ 5. dicit Sponsus de Ecclesia: *Amica mea, columba „ mea, immaculata mea.* „ CYPRIANUS 24. Quæst. 1. *C. Loquitur*, in fine: *Adulterari non potest Sponsa Christi, incorrupta est & pudica*. Subdit quidem *S. Antoninus*: „ Si Papa ut singularis persona in Hære„ sim laberetur notorie, adhuc tamen non esse appel„ landum a Papa: quia talis primo monendus est ab „ illis, qui in electione Papæ totum corpus Ecclesiæ „ repræsentant, qui sunt Romanæ Ecclesiæ Cardina„ les, & si admonitus vellet se corrigere, non debe„ rent eum judicare, sed ipsemet humiliter ab errore „ desistens, se ipsum deberet punire. Si autem vellet „ in Hæresi pertinaciter permanere, videretur a Papa„ tu eo ipso dejectus 24. Quæst. 5. Cap. *Audivimus*. „ Et minor est quolibet Clerico Catholico, ut dicit „ Glossa, nec videretur habere posse Summi Capitis „ dignitatem, si Fidei non tenuerit unitatem. „ Sed (inquiunt Parisienses Theologi) hanc Responsionem dudum evertit *Gersonius* noster, in Tractatu qui inscribitur, *Quomodo & an liceat in causis Fidei a Summo Pontifice appellare?* Cujus hæc sunt verba: „ Amplius, „ non est verum quod Papa, eo facto quo cadit in „ Hæresim, sit depositus a Papatu, sicut nec est ve„ rum de aliis Episcopis, quemadmodum ista materia „ declarata est alibi latius; reducendo hanc opinionem „ ad multiplex inconveniens, sicut ad incertitudinem „ Ecclesiasticæ Politiæ, & susceptionis Sacramentorum, „ & ad favorabilitatem damnatæ doctrinæ Joannis VVi„ cklef, quæ principaliter innitebatur tali fundamen„ to, Quod nullus existens in peccato mortali erat Pa„ pa, vel Episcopus, nec consecrabat, &c. Et qui be„ ne ponderat causas reprobationis hujus doctrinæ VVi„ cklef in hac parte, illæ similes causæ concludunt, „ quod hæresis, licet reddat Prælatum dignum depo„ sitione, juncta pertinacia, non tamen reddit eum „ depositum eo facto, sed requiritur humana deposi„ tio. Sicut enim nulla sanctitas, quantumcumque ma„ gna, constituit aliquem in statu Papali vel Episco„ pali nisi per electionem humanam de lege commu„ ni, contra opinionem Valdensium: ita nulla iniqui„ tas removet aliquem ab Episcopali gradu vel Papa„ li de communi lege, si non interveniat humana de„ positio.

Si Papa laberetur in Hæresim non esset ipso facto depositus.

Quod spectat *Franciscum de Silvestris*, ejus auctoritas non tanti est (inquiunt Parisienses Theologi) ut nos movere debeat: Quamquam ejus Censura nostram doctrinam non afficit, sed alteram tantum Propositionem ab ipso in eadem periodo copulatam, scilicet, „ Papam habere ab Ecclesia Auctoritatem tan„ quam ab ipsa institutum. *Hanc, inquam*, a Fide „ alienam opinionem „ ait: quam & nos cum ipso rejicimus & configimus, repetentes quod Sacra Facultas in Articulis Fidei contra *Lutherum* die 18. Januarii anno 1542. editis pronuntiavit & declaravit; 22. „ Certum est Concilium Generale, legitime congre„ gatum, universalem repræsentans Ecclesiam, in Fi„ dei & Morum determinationibus errare non posse. „ 23. Nec minus certum est, unum esse Jure Divino „ Summum in Ecclesia Christi militante Pontificem; „ Cui omnes Christiani parere tenentur. „ Hæc Theologi Parisienses. Cæterum lectorem admonere operæ pretium est, ea quæ hic desunt ad plenam Quæstionis de suprema Conciliorum Generalium Auctoritate tractationem, Dissertatione 8. quæ est de Concilio Basileensi, suppleri; præsertim Objectionum ex Florentina Synodo & Lateranensi sub *Leone* petitarum solutionem.

Papa non habet ab Ecclesia auctoritatem, sed a Christo immediate.

SCHOLION.

Religiosi Censores Dissertationem istam his verbis configunt: *Hæc Dissertatio tota cassanda, quia injuriosa Romanis Pontificibus, & plena derisoriis verbis falsisque doctrinis, deprimentibus auctoritatem Apostolicæ Sedis.*

R. Tam falsa hæc accusatio, quam vaga. Nihil in hac Dissertatione non serium, nihil Theologica gravitate indignum. Doctrina vero quam continet, Sacræ Facultatis Parisiensis & Ecclesiæ Gallicanæ doctrina est, historice tamen magis quam dogmatice a me tractata & exposita, ut ostendit ipse tractandi modus, & loquendi ratio in singulis pene probationibus & Responsionibus repetita: *Ita probant Theologi Parisienses: Sic respondent Theologi Parisienses*. Et hanc ipsam Parisiensis Academiæ & Ecclesiæ Gallicanæ doctrinam intra opinionis limites coercui; & ex eorum dogmatum numero non esse docui, quæ ab omnibus necessario credenda, sive tenenda & propugnanda sint. Ea verba mea pag. 650. Edit. primæ: „ Qua quidem de„ claratione hanc & alias similes quæstiones Ecclesia „ Gallicana non intendit, sed sententiam dumtaxat „ suam declarare, ac solis ejusdem Ecclesiæ membris, „ non aliarum Ecclesiarum Prælatis aut Doctoribus „ seu Professoribus legem statuere. Atque hanc ipsam „ opinionem ab antiquo in Galliis receptam, suis non „ proponit ut dogma Fidei Ecclesia Gallicana, sed ut „ probabiliorem, & Scripturæ Sacræ ac Traditioni ma„ gis consonam. „ Nec verius mihi objicitur quod Romanis Pontificibus injuriam faciam, & Sedis Apostolicæ auctoritatem deprimam: immo Sacrosanctam illam auctoritatem extullo pro viribus, pag. 653. Edit. primæ, ubi ceu *Dogma Fidei* profiteor, „ Quod Ro„ manus Episcopus unus sit jure Divino Summus in „ Ecclesia Pontifex, cui omnes Christiani parere te„ nentur; & qui immediate a Christo non honoris so„ lum aut dignitatis, sed & potestatis ac jurisdictio„ nis primatum habet. *Secundum hæc profiteor*, Ad „ universalis etiam Ecclesiæ disciplinam pertinere, ut „ Majores Ecclesiæ causæ ad Sedem Apostolicam re„ ferantur; & in Fidei ac dubiæ Disciplinæ causis con„ sulatur illud Christianæ Religionis Oraculum: ut „ ad honorandam S. Petri memoriam Appellationes ex „ toto orbe Christiano ad Romanum Pontificem fieri „ possint, secundum Canones: ut ipsos Canones tem„ perare possit, eorum executionem in omnibus Eccle„ siis urgere, promovere; eorumque infractores, cu„ juscumque sint Ordinis & Dignitatis pœnis Canoni„ cis coercere: ut casus sibi reservare indulgentias „ concedere, Leges ad Ecclesiæ ædificationem conde„ re valeat. Omnem denique prærogativam tum a „ Christo, tum ab Ecclesia Romanis Pontificibus con„ cessam,

„ cessam, in omnibus & per omnia salvam essa voln. Hoccine est Romanis Pontificibus injuriam facere, Sedis Apostolicæ auctoritatem deprimere? Pag. 696. „ Salvis itaque joribus Romanæ Ecclesiæ & Sedis Apostolicæ, in qua singulari Christi protectione Fides S. Petri illibata hucusque prædicata est, & porro |prædicabitur, &c. „ Hoccine est verbis illudere, injuriam Romanis Pontificibus facere, Sedis Apostolicæ auctoritatem deprimere? Pag. 735. „ Summus ergo Pontifex Ecclesiam repræsentat ut Caput, ut membrum Ecclesiæ præcipuum, ot MONARCHA PRIMUS (sic enim post Gersonium loqui placet) id ost, ot ovium & Pastorum omnium Summus Pastor. „ Hæccine sunt derisoria verba, Romanis Pontificibus injuriosa, Sedis Apostolieæ Auctoritatem Sacrosanctam deprimentia? Pag. 740. „ S. Petri successorem Romanum Pontificem congregatis etiam Episcopis præsidere, in Concilio primas habere, scripsit. Pag. 744. In Concilio primas habet, quatenus ipsi per se vel per Legatos præest, & eo AUCTORE omnia decernuntur. Pag. 776. Summi Pontificis est declarare quæ Concilia vere Oecumenica sint; ad ipsum spectat judicare an iis instructa sint conditionibus, quæ Concilii Oecumenici rationem constituunt; ea promulgare, eorum executionem jubere ac promovere. Pag. 778. Dei providentia singularis, Christi Ecclesiam suam gubernantis protectio, Spiritus Sancti Sedis Apostolicæ Præsules dirigentis assistentia, „ S. PETRI QUI IN SUA SEDE VIVIT AC PRÆSIDET, *quiquo* FIDEI COLUMNA EST ET ECCLESIÆ CATHOLICÆ FUNDAMENTUM, „ intereessio, hactenus effecerunt ut Romani Pontifices bene gesta Concilia approbarent, male gesta rescinderent. „ Hæccine Romanis Pontificibus injuriosa sunt, & Sedis Apostolicæ deprimunt auctoritstem!

Quod denique spectat Quæstionem ipsam & doctrinam de Concilii Œcumenici præeminentia, nihil aliud impræsentiarum ad excusationem meam proferam præter verba *Martini Aspilcuetæ Navarri* Doctoris celeberrimi, cap. *Novit*, *De Judiciis*, Notabili 3. ubi nolle se desioire ait cui potestas Ecclesiastica a Christo collata fuerit, an Ecclesiæ toti, an vero ipsi Petro. „ Quod non est consilium (*inquit*) facere in præsentia, propter illam maximam discordiam Romanorum & Parisiensium. Illi enim tenent Petro & successoribus datam esse hanc potestatem, atque ideo Papam Coocilio esse superiorem: ii vero, quibus Gerson adhæret, totam datam esse toti Ecclesiæ, licet exercendam per unum; atque ideo io aliquot saltem casibus Concilium esse supra Papam . . . . . . Hæc Sententia placuit Panormitaoo, qui pro Parisiensibus est, quem frequentius nostri sequuntur, ut tradit Decios, quam mordicus tuetur Jacobus Almaious a Sorbona Theologus, qui respondit Thomæ *a* Vio Libello justo, & Joannes Major in cap. 10. sup. Matth. qui idem facit, *ajens*, Romæ oemini permitti tenere Parisiensium & Panormitani sententiam; uec *rursus* Academiam illam Parisiensem pati ut contraria opinio afferatur in ea. „ Hæc Navarrus.

ANIMADVERSIONES in eam propositionem, quæ Concilia Œcnmenica Papæ proponit.

CUm Pontifex Rnmanns, quatenus privata persona est, possit in hæresim labi, indubium sane est tunc Concilii œcumenici judicio subesse, ut pote qui ob hæresis labem, cum ad Ecclesiam non pertineret, ejusdem Ecclesiæ caput esse desineret. Ubi etiam esset dubium, an aliquis sit Petri successor, quia e. g. Schismate grassante fuit electus, cum non satis constet Papæ jurisdictione potiri, posset Concilium in ipsum depositionis sententiam pronunciare, illum tamquam illegitimum habendo; quapropter ea viget apud Jurisperitos regula, quod paria sunt non esse, & oon apparere. Eo magis id servandum foret, quando plura incerta capita uni corpori Ecclesiæ monstruose præsidere contenderent, nam cum non potius unum quam alterum foret deponendum, æqua ratio eaposceret ut omnia ad dubium papatum dimittendum cogerentur. Quod si Papa dubius jurisdictioni Concilii est subjiciendus, multo magis in illum posset animadvertere, qui invalide Petri solium conscendisset, ut si in ipsius electione Canonica eligendi forma fuisset omissa; si per simoniam eligentium suffragia sibi comparasset, si electores per metum gravem ac injustnm ad uliquem eligendum coacti fuisseot &c. Ubi vero de legitima Papæ electione dubinm oriri non posset, si Ecclesiam male haberet, vel aliorum jura perperam invaderet &c. si preces io irritum cederent, quamvis & tunc nulli esset ioferior, posset illi resisti naturalis defensionis titulo, cum vim vi repellere concedatur. His prælibatis

§. I.

Ex S. Scripturo ostenditur Romanum Pontificem Conciliis œcumenicis esse anteponendum.

CUm Romani Pontificis præeminentia eu prærogativis D. Petro collatis resplendeat, supponere æquum est sub lite versari non posse apud Catholicos eadem privilegia, quæ Christus Petro concessit, ut sui Vicarii munere fungeretur, in Romanis Pontificibus ejusdem dignitatis successoribus perseverare. Et quidem si Ecclesia non debet fundamento, capite, ac pastore eapoliari, debent in Romano Pontifice illa perseverare privilegia, quibus Christus Petrum eaornavit, ut Ecclesiæ suæ fundamentum esset, caput, & Pastor; unde S. Leo serm. 2. de anniverf. assumpt. suæ ita ait: *Manet dispositio veritatis, & B. Petrus in accepta fortitudine Petræ perseverans, suscepta Ecclesiæ gubernacula non relinquit, perseverat videlicet Petrus & vivit in successoribus suis*. Privilegia ergo Petri expendamus.

Primo mihi occurrunt Christi verba, quibus Matth. 16. interrogans Apostolos ait: *Vos autem quem me esse dicitis?* Christo autem interroganti, aliis silentibus Apostolis, Petrus respondit: *Tu es Christus filius Dei vivi*, atque ita ipsius Divinitatem confitendo meruit audire: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni cœlorum & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cœlis*. Præfata verba ad Petrum spectasse aperta ipse textus ostendit; Christus enim semper ad Petrum, & de Petro loquebatur. Deinde quomodo putandum est Christum non alloquutum fuisse Petrum, dum præmium illius confessioni destinavit, illum Ecclesiæ suæ fundamentum cooftituendo? *Petrus dixerat*, ait S. Hieronymus in cap. 16. Matth. *Tu es Christus filius Dei vivi; mercedem recepit vera confessio — Quid est quod ait, ego dico tibi? Quia tu mihi dixisti: Tu es Christus filius Dei vivi, & ego dico tibi non sermone cassa — tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*. Similia habet *S. Basilius l. 2. cont. Eunom. S. August. enarrat. in Ps. 69. S. Leo Serm. 94. de Transf.* Fides ergo Petri fuit fundamentum veluti in abstracto, quia fuit ratio unde Petrus fundamenti prærogativam obtineret; atque ita una voce Patres Græci & Latini specialiter Petrum Ecclesiæ petram, crepidinem, ac fundamentum appellant. Sed & illud ostendit Christum alloquutum fuisse Petrum, quia si dicatur verba ad Ecclesiam, ut a capite sejunctam direxisse, manifesta vis fieret verbis evangelicis; hunc etenim ineptum redderent sensum: *Fundabo Ecclesiam super Ecclesiam*. Christi ergo promissio Petrum certissime respiciebat; sed quia nihilominus ad ipsum sua verba direxit, quatenus Ecclesiæ futurum erat fundamentum, necesse est simul in Ecclesiam intendisse, eum fundamentum, non propter se, sed propter ædificium super ipsum construendum ponatur. Quod si Christus Petrum, ac proinde & ipsius Successores totius Ecclesiæ fundamentum constituit, & œcumenici Concilii fundamentum esse voluit; cum etenim Concilium solum repræsentative universa Ecclesia ouncupetur, quid minus ipsa Ecclesia esse dicendum est. Ubi autem Romanus Pontifex ejusdem Concilii sit fundamentnm eidem superesse cognoscimus, siquidem ab ipso pendet, eidemque mutuat firmitatem. Quod si alia loquendi phrasi velimus id explicare, dicere possumus, quod dum Christus Romanum Pontificem Concilii voluit esse fundamentum, ejusdem Magistrum, ac Doctorem constituisse cognoscimus: discipulos vero a Magistro pendere necesse est.

Sed & observanda illa verba: *Tibi dabo claves regni cœlorum, & quodcumque ligaveris super terram erit ligatum & in cœlis, & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cœlis*. Sane & cæteris Apostolis ligandi, solvendique potestas fuit collata *Matth. 18. & Jo. 20.* unde & ad Episcopos ipsorum successores, cæterosque Sacerdotes pertinere cognoscimus. Nihilominus ex præfatis verbis quibus Christus solum Petrum alloquutus est, ipsi specialiter claves Regni concessas intelligimus, quod summam significare potestatem ipsa clavium vox innuit, ac eaem-

ac exempla Veteris Novique Testamenti, jura, & communis loquendi usus, agendique modus ostendit; & quidem in totum Ecclesiam, quæ per regnum cœlorum designatur, teste S. Gregorio *hom.* 15. *in Evangel.* Hinc S. Hilarius in cap. 16. Matth. ita exclamat: „ O beatus cœli janitor, cujus arbitrio claves æterni „ aditus traduntur, cujus terrestre judicium præjudi- „ cata auctoritas sit in cœlo, ut quæ in terris ligata „ sunt, aut soluta, statuti ejusdem conditionem obti- „ neant in cœlo. „ Si vero Christus Petro claves, summam nempe in Ecclesiam potestatem concessit, ac proinde multo magis in Concilia; jam eamdem supereminentiam in Romano Pontifice agnoscere cogimur: unde quæ Concilia clauderent ligarentque poterunt Romani Pontifices aperire & solvere.

Alter textus hic expendendus habetur *Jo. ult.* ubi ter Christo interrogante Petrum, an ipsum plus aliis diligeret, & respondente Petro: *Tu scis quia amo te*, bis illi pascendi suos agnos curam demandavit illis verbis: *Pasce agnos meos*, simulque oves, tandem dicendo: *Pasce oves meas*. Si non sciremus hic Christum cum uno Petro Sermonem habuisse, ex illis verbis textus: *Dicit Jesus Simoni Petro*, adhuc id cognosceremus quia solum Petrum quoad dilectionem examinat: quia ab ipso solo responsum accepit; & quia unum solummodo poterat interrogare, an supra cæteros, Joannem scilicet, Jacobum, & Thomam ibi præsentes, diligeret. Certum præterea est curam demandatam agnos ovesque pascendi, Summam potestatem importare, ut superfluum sit ad id ostendandum varia S. Scripturæ exempla afferre; nam & ipsum Pastoris munus id ostendit; neque enim ad eum dumtaxat cibum prabere pertinet, sed ducere insuper, reducere, verberare, tueri, mederi &c. Modo considerando Episcopos etiam in Concilio œcumenico coadunatos, quæri potest an constituti sint a Christo pastores, oves, & ovile, an vero tunc evadant Pastores illius Pastoris, cui Christus suorum agnorum, oviumque pascendarum curam demandavit? Si aliquis dicat Episcopos singillatim, non vero collective sumptos ad Petri oves pertinere, oportebit hujus distinctionis fundamentum ex S. Scriptura demonstrare, quod minime facturum credo. Et re vera quis vel potuit somniare Christum hoc in loco exequendo illud promissum jam factum Petro: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: Tibi dabo claves regni cœlorum*, singulos tantum fideles pascendos commisisse, non vero totum & universum simul ovile? Ubi quæso, dum pastori grex commendatur solum oves prout singulæ, non vero prout unum constant gregem commendantur? Ubi Princeps alicujus provinciæ cuidam regimen mandans singulos tantum vult illi commissos, non vero omnes etiam conjunctim? Et ipsi ergo Antistites in Concilio coacti oves Petri sunt; quapropter si ab ipso ejusque Successoribus pastoris officium gerentibus pascendi sunt, & gubernandi, eisdem subdi compertum est.

Cum præfata D. Scripturæ testimonia mire commendent supremam etiam supra Concilia œcumenica potestatem, ut ea ad alia distraherent non parum inter alios adlaborarunt Richerius, Launojus, Dupinius &c. unde operæ pretium est in ipsorum interpretationibus examinandis immorari.

§. II.

Expenditur prima interpretatio præfatorum locorum S. Scripturæ.

PRimo dicunt illa verba: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, ad Christum esse referenda, de quo ait Apostolus: *Petra autem erat Christus*. Hæc vero interpretatio desumpta est ex S. Augustino *l.* 1. *retract. cap.* 21. ubi illam ex eo probat, quia non dictum est Petro, *Tu es Petra, sed tu es Petrus. Petra autem erat Christus, quem confessus Simon, sicut eum tota Ecclesia confitetur, dictus est Petrus*. Verum communiter observant Augustino hanc interpretationem arrisisse ex ignorantia literarum Syriacarum. Christus igitur Syriace loquutus fuit, ac proinde dixit: *Tu es Cephas*, quod verbum idem significat ac *petra*, Hieronymo teste, qui in cap. 2. ad Galat. ait: *Non quod aliud significet Petrus, aliud Cephas, sed quam nos latine, & græce Petram vocamus, Hebræi & Syri propter linguæ intervicinitatem Cepham nuncupant*. Et quidem allatam interpretationem nec ipse patitur textus; cum etenim exhibeat Christum Petri confessionem remunerantem, non est unde dicamus de seipso ea verba intellexisse. Et *super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*; neque etenim aliud ibi tributum præmium Petri confessioni possumus agnoscere, nisi quod ipsum Ecclesiæ suæ Petram, ac Fundamentum destinaverit. Non per hoc tamen inficias quis ibit etiam Christum petram esse ac Ecclesiæ fundamentum; sed post Christum hujusmodi prærogativam etiam Petrum obtinuisse discimus, dum ipsi dictum est: *Tu es Petrus & super hanc petram, &c. Non solum*, ait Hieronymus in Jerem. c. 16. *Christus petra, sed & Apostolo Petro donavit ut vocaretur petra*. Et S. Leo *serm.* 3. *assumpt. suæ c.* 13. inducit Christum cum Petro ita alloquentem: „ Sicut Pater meus tibi manifestavit divinitatem „ meam, ita & ego tibi notam facio excellentiam „ tuam. Quia tu es Petrus; id est, cum ego sim in„ violabilis petra, ego lapis angularis, qui facio utra„ que unum, ego fundamentum præter quod nemo a„ liud potest ponere, tamen tu quoque petra es, quia „ mea virtute solidaris, ut quæ mihi potestate sunt „ propria, sint tibi mecum participatione communia. „ *Et Maximus Taurinensis Episcopus* hom. 1. in Natol. „ Petr. & Paul. *ait:* Hic est Petrus, cui Christus Do„ minus communionem sui nominis libenter indulsit. „ Ut enim, sicut Apostolus Paulus edocuit, petra erat „ Christus, ita per Christum Petrus factus est petra, „ dicente ei Domino, Tu es Petrus, & super hanc „ petram ædificabo Ecclesiam meam. „ Primum ergo & præcipuum Ecclesiæ fundamentum Christus est, secundarium Petrus.

§. III.

Expenditur altera interpretatio locorum S. Scripturæ.

REspondent deinde non collatam fuisse Petro, ejusque successoribus potestatem, qua Conciliis supereminerent; neque etenim diversam ipsi tributam auctoritatem putant, quando Christus illi communicavit potestatem ligandi, solvendi, pascendi &c. ab ea, quam concessit Apostolis *Matth.* 18. dum illis ait: *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo; & quæcumque solveritis super terram erunt soluta & in cælo*. Porro hæc Apostolorum potestas, quam denuo ipsis tribuit *Jo.* 20. talis non erat, ut & ipsis Conciliis possent imperare.

Ut igitur plenius Petri præeminentia resplendeat, observandum est ex præfatis Scripturæ locis haberi quidem Christum alios Apostolos pares constituisse Petro in Apostolatus dignitate, unde poterant utique fideles solvere, ligare, Ecclesias fundare &c. non vero in prærogativa capitis, & Ecclesiæ fundamenti. Id satis ostenditur quia ratio cur Petrus hæc obtinuerit privilegia, ea fuit, quod specialiter Christi Divinitatem confessus est, & quia speciali in Christum amore se flagrare dixit; ac proinde cum Christus specialem ejus confessionem, charitatemque remunerari voluerit, & specialem ipsi auctoritatem elargitum fuisse agnoscere necesse est. Hinc S. Basilius *l.* 2. *contr. Eunom.* ait de Petro. *Quoniam fide præstabat, Ecclesiæ ædificationem in seipsum recepit*. Et S. Leo *serm.* 94. de Transfig. *Tantum in hac fidei sublimitate complacuit*, nempe Christus, *ut beatitudinis felicitate donatus sacram inviolabilis petræ acciperet firmitatem, supra quam fundata Ecclesia portis inferi, & mortis legibus prævaleret*. Ipse S. Cyprianus, qui *lib. de unit. Eccl.* ait: *Hoc erant & cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi honoris, & potestatis*, ut ostenderet non coæquasse in ratione Capitis, & auctoritatis, ita subdit: *Primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia, & cathedra una monstretur*. Obtinuit ergo a Domino Petrus quod alii Apostoli minime sunt consecuti, unde dum antea pares in dignitate dixerat, clarum est solum ad invicem comparasse in prærogativa Apostolatus; cujus ratione ubique poterant fideles solvere & ligare, Ecclesias fundare &c. Id ipsum explicans S. Hieronymus l. 1. contr. Juvin. ita loquitur: *At dicis super Petram fundatur Ecclesia, licet id in alio super omnes Apostolos fiat, & cuncti claves regni cœlorum accipiant, & ex æquo super eos Ecclesiæ fortitudo solidetur; tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto schismatis tollatur occasio*. Omnes ergo dignitate apostolatus eminebant, sed uni Petro capitis competit eminentia; unde illum *primum lapidem Ecclesiæ, chori apostolici verticem* ex pœnitentia factum, dicit S. Nilus *ep.* 310. S. Leo etiam *serm.* 3. *anniverf. assumpt. suæ* ita ait: *Propter quod dicitur beatissimo Petro: tibi dabo claves regni cœlorum — Transivit quidem in alios Apostolos jus potestatis illius & ad omnes Ecclesiæ principes decreti hujus constitutio commeavit: sed non frustra uni commendatur, quod omnibus intimatur: Petro enim hoc singu-*

singulariter creditur, quia cunctis Ecclesiæ rectoribus Petri forma præponitur. Et in Epistola ad Episcopos provinciæ Viennensis scripsit Petro præ cæteris ligandi, solvendique datam fuisse potestatem, oviumque pascendarum. Jam vero antea Origenes *in cap. 16. Matth.* inter alia dixerat: *Si ad Evangelii scripta animum diligenter appellamus, ibi magnum inveniemus discrimen & excellentiam eorum quæ Petro præ iis quæ aliis dicta sunt, etiam in iis rebus, quæ Petrum inter, eosque, qui ter fratres objurgaverant, communes esse videntur.*

Prosequuntur PP. Petri singularem præeminentiam supra cæteros Apostolos explicare, dicendo uni ipsi datas claves, quas cæteris traderet, seu uni ipsi oves pascendi curam demandatam. Ita diserte asserit S. Optatus l. 7. his verbis: *Tamen bono unitatis B. Petrus, cui satis erat, si postquam negavit solam veniam consequeretur, & præferri omnibus Apostolis meruit, & claves regni cœlorum aliis communicandas solus accepit.* Firmilianus ad S. Cyprianum scribendo ait: *Hinc intelligi potest quod soli Petro Christus dixerit: quæcumque ligaveris super terram, erunt ligata & in cœlis.* Et S. Cyprianus disserens adversus Novatianos *lib. de unit. Eccles.* postquam retulit Christum dixisse ad Petrum, *tu es Petrus, & super hanc petram &c.* & *pasce oves meas*, subdit: *Super illum unum ædificat Ecclesiam, & illi pascendas mandat oves suas.* Ibi etiam redarguens Novatianum, qui Romæ sedente Cornelio, pro Romano se gerebat Pontifice ait: *Super illum unum ædificat Ecclesiam suam, quæ una est, & super unum, qui & claves ejus accepit.* Sed & Eulogius Patriarcha Alexandrinus apud Photium *Bibliot. cod.* 280. auctoritatem Romani Pontificis supra propriam extollens, ait: *Ideo nec Joanni, nec alii umquam Discipulo dixit Salvator: tibi dabo claves regni, sed soli Petro*. Qui hæc animadvertet, fateri necesse erit singularem quamdam prærogativam potestatis Petrum obtinuisse, dum claves obtinuit; cum etenim certum sit & aliis Apostolis easdem Christum tradidisse, ac propterea suæ Ecclesiæ fundamenta gregisque pastores elegisse, non alia ratione dicere potuerunt PP. uni Petro hæc munera demandata, nisi quia aliis non fuit communis illa capitis potestas, quam Petro Christus concessit: *Inter beatissimos Apostolos*, ait S. Leo Ep. 12. ad Anastas. Thessalon. c. 12. *in similitudine honoris fuit quædam discretio potestatis; & cum omnium par esset electio, uni tamen datum est ut cæteris præemineret.*

Id ipsum confirmarunt PP. dum specialiter Petrum commendarunt, quia esset Ecclesiæ crepido, fundamentum &c. *Tertul. de præscrip. cap. 22. de Monog. c. 6. Orig. in ep. ad Rom. l. 5. c. 6. & in Matt. tr. 3. S. Cyprian. ep. 40. 70. 71. 73. Epiphan. in Anchorat. Nazianz. orat. 6. &c.* Unde Apostolici Legati in Concilio Ephesino Petrum appellarunt Apostolorum Principem, caput fideique columnam, & Ecclesiæ Catholicæ fundamentum; sicut etiam in Chalcedonensi Petrum nuncuparunt petram, & crepidinem Catholicæ Ecclesiæ, & rectæ fidei fundamentum: nemo autem ex tot orientalibus Præsulibus hæc nomina singularem auctoritatem innuentia, non recte Petro aptari ausus est affirmare. Similiter PP. specialem Petri extollunt excellentiam, quia illi universa Ecclesia, sive omnes Christiani crediti fuerunt. *Hilar. Diac. in appendic. S. Ambros. S. Chrysost. hom. 55. in cap. 16. Matth. & in c. 41. Jo. & hom. 3. in Act. Apost. Sanctus Maxim. Episc. Taurin. tom. 3. in Nat. SS. Petr. & Paul. Arator Subdiac. hist. Apost. l. 1. S. Gregor. l. 5. ep. 20. S. Leo serm. 2. c. 4. & serm. 3. assump. suæ c. 2. &c.* Addunt, Petro ita creditas omnes Christi oves, ut simul Petro ipse Christus Apostolos, omnesque pastores crediderit: *De toto mundo*, ait S. Leo serm. 3. anniv. assump. suæ c. 2. *unus Petrus eligitur, qui & universarum gentium vocationi, & omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiæ Patribus præponatur, ut quamvis in populo Dei multi Sacerdotes sint, omnes tamen proprie regat Petrus*. Et S. Jo. Chrysostomus hom. 87. in c. 21. Matth. postquam Petrum appellavit *os Apostolorum, principem & verticem ipsius cœtus*, subdit ipsi commissam *fratrum curam*, nempe Apostolorum. Sed & *hom. 3. in Act. Apost.* de Matthiæ electione Judæ loco suffecti, ita ait: *Multitudini permittit judicium, simul eos qui eligebantur reddens reverendos, & seipsum liberans ab invidia, simultateque, quæ poterat a cæteris oboriri — At non licebat ipsi eligere? Licebat, & quidem maxime: verum id non fecit, ne cui videretur gratificari.* His verbis explicat S. Chrysostomus potuisse se solum facere Petrum, quod fecerunt omnes Apostoli in electione S. Matthiæ, ac proinde in uno Petro omnem eam fuisse potestatem, quæ in collegio erat Apostolorum; unde & hæc addidit: *Quamquam autem habebat jus par omnibus, tamen hæc congruenter fiebant ob virtutem viri.* Si vero quidquid erat in omnibus Apostolis simul sumptis potestatis, in solo Petro erat adinvenire, consequens sane est ipsum omnibus præfuisse. Hanc ob rationem ita antea de Petro exclamaverat: *Quam est fervidus? Quam agnoscit creditum a Christo gregem? Quam in hoc choro princeps est, & ubique primus omnium incipit loqui? Merito primus omnium auctoritatem usurpat in negotio, ut qui omnes habeat in manu: ad hunc enim dixit Christus: & aliquando conversus confirma fratres tuos.* Propterea igitur Petrus omnes Apostolos in manu habebat, quia illi confirmare fratres fuerat imperatum, quod sane ostendit illos regendi auctoritatem habuisse. Aliis demum omissis, unus audiatur S. Bernardus l. 2. de Consider. ita alloquens Eugenium: *Cui non dico Episcoporum, sed etiam Apostolorum sic absolute, & indiscrete tota commissæ sunt oves? Si me amas Petre, pasce oves meas. Quas? Illius vel illius populos civitatis, aut regionis aut certi regni? Oves meas, inquit. Cui non planum non assignasse aliquas, sed assignasse omnes? Nihil excipitur, ubi distinguitur nihil.*

Redit ergo jam expositum argumentum, quod si specialiter commendatus Petrus, quia præ cæteris crepido, & fundamentum sit Ecclesiæ; quia ipsi ita creditæ fuerint omnes Christi oves, ut nec ipsi Apostoli exciperentur, omniumque istorum collegio præesset; quia specialissima auctoritate minime aliis communi fuerit communitus, consequens est ita omnibus præfuisse, ut nulli posset subesse. Ita sonant Scripturæ verba, ac PP. voces; nec sunt futilibus interpretationibus divina eloquia enervanda, ut Petrus ejusque Successores Concilio subjiciantur.

§. IV.

Altera locorum S. Scripturæ interpretatio ad examen revocatur.

AD funditus Romani Pontificis præeminentiam eradicandam, aliam adinvenerunt locorum S. Scripturæ interpretationem, quod nempe Christus non tradiderit claves immediate Petro, sed Ecclesiæ, a qua tamen essent Petro concedendæ; atque ita dicunt male aptari Petro eam supremam potestatem, quam verba Christi videntur innuere, cum non Petrum, sed Ecclesiam fuerit alloquutus.

Verum primo respondendum est, quod si ita intelligatur Christus claves Ecclesiæ elargitus, ut simul non agnoscatur Petro suæ Ecclesiæ Capiti contulisse, nihil erit, audeo dicere, in S. Scriptura quod maxima non involvatur obscuritate. Illud certum est omnes catholicos potestatem Ecclesiasticam institutam fateri, quando Christus Matth. 16. dixit Petro: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Tibi dabo claves regni cœlorum*, & quando Jo. *ult.* eidem Petro ait: *Pasce agnos meos -- pasce oves meas*. His verbis apertissime patet solum Petrum fuisse alloquutum, cum Divinitatis confessionem, & ipsius amorem remunerari voluerit; tum quia cum pauci adessent Apostoli, ad universos Apostolos verba direxisse nec possumus opinari. Sed neque quando Christus universis Apostolis contulit jurisdictionem, dum *Matt.* 18. ipsis ait: *Quæcumque alligaveritis super terram erunt alligata & in cœlo &c.* & Jo. 20. *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis &c.* putandum est non ipsis immediate, sed Ecclesiæ contulisse. Profecto & si omnes tunc adessent Apostoli, non omnes aderant qui Ecclesiam constituebant, cui proinde concederet jurisdictionem. Sed quando etiam daremus Collegium Apostolicum universam tunc Ecclesiam confiasse, ubi nam constat non ipsorum singulis, sed Collegio Apostolorum collective sumpto traditam fuisse regendi Ecclesiam potestatem? Me quidem docet S. Scriptura a Petro Apostolos pependisse, utpote quam Christus ipsorum Caput, & principem constituerat, nullibi vero ab universo Collegio, seu ab Ecclesia, quasi ab ea jurisdictionem exercendi obtinuerint potestatem.

Præfatæ item interpretationi refragatur Apostolus iis in locis, ubi in corpore Ecclesiæ diversa membra distincta fuisse affirmat, neque habere eumdem actum dicit, atque ita ex Christi institutione esse, explicat illis verbis, ad Ephes. 4. *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam Prophetas &c.* Si vero Christus immediate soli Ecclesiæ auctoritatem contulisset, a qua

diver-

diversis diversa munera præstanda fuissent destinata, non Christus, sed Ecclesia alios esse Apostolos voluisset, alios Evangelistas, alios Prophetas &c. Sed neque rerum naturæ consonat ut Ecclesia a Christo reciperet potestatem, quam aliis communicaret; cum etenim ipsa grex Christi sit, non ipsa, sed Dominus gregis pastorem destinare par erat: quapropter S. Ambrosius hunc pastorem a Christo electum agnoscens *l. 5. de Fid. proleg.* sic ait: *Est Petrus ipsius Domini ad pascendum gregem electus judicio, qui tertio meretur audire: Pasce agniculos meos, pasce agnos meos, pasce oviculas meas*. Idem urgetur argumentum, dum Ecclesia ut Christi familia consideretur, sicut dicitur *Matt. 24. & Luc. 12.* neque etenim ad familiam, sed ad ipsum familiæ Dominum eidem servum fidelem præponere spectat. Ea demum assertores interpretationis quam impugnare assumpsi, subire debent gravissima incommoda, ut assignent tempus, quo Ecclesia claves Papæ, Conciliis, aliisque concesserit. Oportet item explicare an dici debeat Papam, aliosque Antistites jurisdictionem etiam a laicis ipsis concessam exercere, & ipsi etenim laici constant Ecclesiam. Debent demum edocere, quomodo non etiam ad ipsos laicos Ecclesiæ regimen pertineat, quia tunc Antistites potestatem exercerent, quam & ipsi laici contulissent.

Sed & præfata interpretatio ex eo manifestam redolet falsitatem, quod si Christus non Petro ut suæ Ecclesiæ capiti, sed ipsi Ecclesiæ claves immediate tradidisset, jam Pontifex non esset proximus, & immediatus Christi Vicarius, a quo accepisset jurisdictionem. Hoc quod asseruit Vvicklef, damnavit Concilium Constantiense, ipsius articulum trigesimumseptimum proscribendo, qui ita se habebat: *Ecclesia Romana est Synagoga Satanæ: nec Papa est proximus & immediatus Vicarius Christi, & Apostolorum*. Unde postea etiam Concilium Florentinum & ipsis Græcis consentientibus definivit, Pontifici Romano in B. Petro pascendi, regendi & gubernandi universam Ecclesiam a Domino Jesu Christo plenam traditam fuisse potestatem.

Illius interpretationis auctores, qui dixerunt claves non immediate Petro, sed Ecclesiæ traditas fuisse, opponunt quod fratrem, si non resipiscat, mandavit Christus Ecclesiæ esse denunciandum, ut ipsius potestate puniretur; atque ita jussit *Matt. 18.* illis verbis: *Dic Ecclesiæ*: Ecclesiæ ergo collata fuit jurisdictio. At hæc interpretatio quam primo forte adinvenit Blondellus Calvinista, statim corruit, si observetur nil aliud intendisse Christum quam quod in fratre corrigendo hic ordo servaretur, scilicet ut primo secreto; deinde coram uno, aut duobus testibus, tandem palam & maxime coram Ecclesiæ præfectis corriperetur: *D. Hieron. in cap. 18. Matt. D. Chrysost. hom. 61. in Matt. &c.* Nil aliud ergo ex hoc Christi mandato inferre licet, quam publice tandem corripiendum, qui a privatis correctionibus aures averteret, & maxime ab Ecclesiæ Præpositis.

Alter locus, ex quo dicunt ostendi Christum immediate Ecclesiæ jurisdictionem tradidisse, habetur *Luc. 10.* ubi Christus sic ait: *Designavit Dominus & alios septuaginta duos, & misit illos binos ante faciem suam in omnem civitatem, & locum quo erat ipse venturus*. At primo, ubinam ex iis verbis constat jurisdictionem aliquam Discipulis fuisse collatam? Sane non ad regendos spiritualiter populos mittebantur, cum non essent sacerdotali charactere insigniti, sed solum ad eos disponendos ne inutiliter Christum susciperent. Quod si ultro concedere velimus aliquam communicatam illis jurisdictionem, ex præfatis verbis satis appareret non collatam primo omnibus discipulis collective, adeout postea nomine totius cœtus, a quo eam obtinuissent, deberent exercere, sed dicere cogeremur ipsis singulis discipulis Christum tribuisse; nam ut Christi ministros, & executores se gerere debebant, atque ita illa ostendunt verba: *Misit illos binos &c.*

Ut probent jurisdictionem primo Communitati Christum concessisse ea etiam referunt verba, quibus *Jo. 17.* ita Christus ait: *Sicut me misit in mundum, ita & vos misi in mundum, & pro eis sanctifica me ipsum, ut sint & ipsi sanctificati in veritate, ut & ipsi in nobis unum sint, ut credat mundus quia tu me misisti, ut sint consummati in unum*. Quam vero hæc inutiliter hic urgeantur, ex eo apparet, quod Christi verba etiam laicos complectebantur, nam & ibidem Christus ait: *Non pro eis autem rogo tantum, sed & pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me ut omnes unum sint*. Dum proinde velint hic Christum Ecclesiasticam jurisdictionem concessisse, dicere oporteret eam communitati contulisse, ut non solum Ecclesiasticas personas, verum etiam ut laicos complectebatur: atque ita hoc deglutiendum esset absurdum quod postea Ecclesiæ ministris etiam laici conferrent jurisdictionem. Re vera autem præfato in loco non loquutus fuit Christus de unitate in communione Ecclesiasticæ jurisdictionis, sed de unitate charitatis; unde oravit Christus pro discipulis ut dum in mundo versarentur, servarentur a malo, atque ut tanta esset inter eos concordia animorum, quod exinde mundo innotesceret Christum a Patre missum fuisse. Sed pudet hujusmodi atque iis similia refellere, cum statim appareat inaniter objici; & eo maxime quia si quædam obscura viderentur, ex notissimis regulis per ea, quæ aperta sunt, explicanda nemo ignorat. Porro manifestissimum est Christum elegisse Petrum suæ Ecclesiæ caput, & principem, eique capitis jurisdictionem tribuendo voluisse ut alii ab eodem acciperent; ipsosque Apostolos, quibus idem Christus auctoritatem regendi Ecclesiam impertitus est, ab eodem Petro pependisse. Ipse Paulus Apostolus *ad Galat. 1.* ut demonstraret ab Ecclesia auctoritatem non obtinuisse ait: *Paulus Apostolus non ab hominibus, neque per hominem — Cum autem placuit ei, qui me segregavit ex utero matris meæ, & vocavit per gratiam suam, ut revelaret Filium suum in me & evangelizarem illum in Gentibus &c.* At quia in hac materia quædam S. Augustini loca non modicam ingerere videntur difficultatem, ideo in perscrutanda mente tanti Doctoris aliquatenus immorandum est.

Fatendum igitur est non semel S. Augustinum dixisse, Petro ut Ecclesiam repræsentanti Christum claves, jurisdictionem nempe concessisse; at mea sententia qui pessime de S. Augustino mereretur, vellet S. Doctorem non agnovisse ipsum Petrum alloquutum fuisse Christum, quando claves ipsi tribuit, ac pascendi oves officium, cum hoc illi demandaverit, ut ipsius confessionem, & amorem remuneraretur. Hæc tam aperta sunt in Evangelica historia, ut nullatenus potuerit S. Augustinus ignorare. Si præterea dum S. Augustinus voluit in persona Petri agnoscere Ecclesiam, eamdem Petri personam exclusisset, ineptissimum sensum Christi verbis assignasset: dicendo etenim e. g. *Pasce oves meas*, imperasset Ecclesiæ ut Ecclesiam pasceret. Dum igitur S. Augustinus non semel dixit claves Ecclesiæ in persona D. Petri repræsentatæ Christum concessisse, non exclusit Petrum, sed ipsum consideravit quatenus erat Ecclesiæ Caput, & Princeps, sub qua ratione ipsam Ecclesiam ferme repræsentabat: atque ita Rex, regnum, & pater familias familiam repræsentant. Sicut autem Rex repræsentans regnum in ipsum exercet auctoritatem, & pater-familias in suam familiam, ita & collata fuit Petro potestas in universam Ecclesiam, quam, ut Princeps ipsius erat, repræsentabat. Hanc mentem fuisse S. Augustini ostendit, *tract. 47. in Jo.* ubi sic ait: *Non in ipso Petro, sed in corpore suo ait: Petre amas me? pasce oves meas*: Et similia dixit, *lib. de agon. Ch. capit. 30.* Post præfata autem verba subdit Christum ter interrogasse, *ut ter confiteretur, qui ter negaverat, & ut ei suas oves pascendas tertio commendasset, ait illi: cum junior esses &c.* Non ergo eo Christi verba tendebant, ut vellet Ecclesiam alloqui quatenus a Petro esset sejuncta; neque etenim hæc ter negaverat, neque ter fuerat confessa; hoc autem cum præstiterit Petrus, planum est Augustinum significare voluisse Christum non alloquutum Petrum, ut singularis erat persona, sed quatenus ut caput & pastor fideles omnes, ovesque præferebat. Similia habet serm. 79. ubi postquam retulit illam Petri confessionem: *Tu es Christus filius Dei vivi*, subdit; *Unus pro multis dedit responsum, unitas in multis — Deinde addidit*, nempe Christus, *& ego dico tibi*; tamquam diceret: *quia tu dixisti mihi, tu es Christus filius Dei vivi, & ego dico tibi: tu es Petrus, Simon quidem antea vocabatur &c.* Hic Augustinus ostendit credidisse Simonis confessionem a Christo remuneratam illum vocando Petrum, & regni claves consignando; & tamen subdit: *Hoc autem nomen ut Petrus appellaretur, a Domino impositum est, & hoc in ea figura, ut significaret Ecclesiam*. Cum igitur Divinitatis confessio ipsi Petro, non Ecclesiæ adscribatur, fateri oportet Augustinum ipsum Petrum agnovisse a Christo Ecclesiæ petram, Rectoremque institutum; ac proinde Ecclesiam significasse ea ratione, qua Caput omnes sibi subditos repræsentat. Et re vera, dum S. Augustinus explicat qua ratione Petrus Ecclesiam repræsentaverit, non aliam affert quam sui primatus prærogativam:

Hoc;

Hoc agit, ait tra. 124. in Jo. *Ecclesia spe beata in hac vita ærumnosa; cujas Ecclesiæ Petrus Apostolus propter Apostolatus sui primatum gerebat figurata generalitate personatum*. Et super Ps. 108. *Sicut enim quædam dicuntur, quæ ad Apostolum Petrum proprie pertinere videantur, nec tamen habent illustrem intellectum, nisi cum referuntur ad Ecclesiam, cujus ille agnoscitur in figura gestasse personam, propter primatum, quem in discipulis habuit: sicuti est, Tibi dabo claves regni cælorum*. Semper ergo redit argumentum, quod sicut Caput repræsentans communitatem, & Rex regnum, eamdem gubernandi potestatem habent, ita quia Petrus, ut Ecclesiæ Caput ac Princeps ac Christo electus, illam repræsentabat, necesse est eam regendi potestatem a Christo Domino obtinuisse.

Hic obiter animadvertas quæso longe a mente Augustini Bossuetum processisse, dum in *Defens. p. 2. l. 13. c. 19.* dicit Augustinum voluisse Petrum repræsentasse Ecclesiam *in sacramento, in typo, in figura & quadam velut mystica persona*, ac proinde non fuisse in Petro *universam Ecclesiæ vim atque auctoritatem*. Nemo profecto dubitabat Monarcham ea ea tatione suum regnum repræsentantem, quia in eo supremam exercet auctoritatem, illudque ut caput moderatur, non statum exhibere in ipsum regnum universam vim ac potestatem. Cum proinde non semel Augustinus explicaverit Petrum universam repræsentasse Ecclesiam ex sui primatus prærogativa, quia nempe ejusdem caput, & principem Christus constituerat, jam hujusmodi repræsentatio simul exhibet supremam Petri universamque in omnem Ecclesiam auctoritatem.

Una cum Bossuet sentit P. Natalis in Superiore Dissertatione n. 32. ubi Petrum minus perfecte asserit repræsentasse Ecclesiam, quia illam repræsentabat, quatenus per ipsum jurisdictionem & potestatem exercebat. Hoc pacto dicit Polonorum Regem minus perfecte quam Comitia Regnum repræsentare, quia in his major est potestas; atque ita asserens majorem esse potestatem in Ecclesia quam in Papa, dicit Papam non posse Ecclesiam repræsentare. Verum ego ex supradictis aperte colligo aliter esse sentiendum. Dicendum ergo est, quod sicut Rex qui jure perfecte monarchico suum Regnum gubernat, illud perfectissime repræsentat, ita Petrus Ecclesiam. Sic dicendum esse comperio quia nullibi lego Ecclesiam Petrum elegisse eique minorem, quam ipsa habeat tribuisse potestatem. At clarum est apud S. Scripturam Sanctosque Patres Petrum a Christo electum fuisse suum Vicarium, Ecclesiæ suæ Caput, & Pastores, ac Domus suæ Patrem familias, neque adinvenire est diminutam ei concessisse potestatem, sicut faciunt Polonorum Comitia, dum Regni Regem eligunt. Cum proinde nil vetet dicere Petrum a Christo habuisse perfectum principatum in Ecclesiam exercendum, hac ratione illam perfecte repræsentasse quis neget? Neque attendenda in præsenti controversia quæ dixerint Tostatus, Aliacensis, Gersonius &c. a P. Natale citati; ea vero adnotabo §. 9. Sed & perpendenda quæ ea eodem P. Natali dicam sequente §. Nollet sane P. Natalis ita de Petro esse sentiendum, unde n. 46. dicit Ecclesiæ regimen non esse perfecte monarchicum; quod tamen gratis asseri alibi dixi, nam scimus a Christo Petrum constitutum fuisse suæ Ecclesiæ Principem supremumque rectorem, & nescimus huic gradui omnem prorsus convenientem jurisdictionem non concessisse. Addit Regem non esse Regni membrum, sicut Pontifex membrum est Ecclesiæ. Sed respondendum quod sicut Rex aptissime dicitur Regni Caput, ex quo infertur plenissimam in eo exercere jurisdictionem, ita & dicendum da Romano Pontifice, quatenus Ecclesiæ Capitis prærogativa decoratur. Subdit Regni Ordines habere potestatem immediate a Rege, minime vero Concilia a Romano Pontifice. Nos vero eodem modo dimetientes Pontificis ac perfecti Monarchæ omnimodam potestatem, dicimus quod sicut iste dat jurisdictionem inferioribus Judicibus, ac quandoque convocat multos ad Regni Comitia ipsis auctoritatem tribuendo, ita Summus Pontifex Episcopos creando illis confert jurisdictionem eamdemque judicandi potestatem impertitur, dum ad celebranda convocat Concilia: iis vero non obstat conciliares definitiones Spiritui S. tribui, ut supra ostensum est. Dum vero tandem dicit P. Naralis ea politico regimine trahendam non esse consequentiam ad regimen Ecclesiæ, respondeo, quod sicut ipse paulo ante explicaverat regimen Ecclesiæ juxta formam regiminis Regni Polonorum, ita & ego explicandum idem censeo juxta formam regiminis perfecte monarchici, cum sciamus Petrum electum fuisse Caput & Principem Ecclesiæ, nec legamus coarctatam ipsi concessam fuisse potestatem. Solum ergo quando indecens esset, sæcularia Ecclesiasticis miscenda non sunt. Sed redeamus ad S. Augustinum.

Ad mentem igitur S. Augustini magis percipienda duo hic juvat ulterius observare. Primum est, q… dum aliquid juxta sensum mysticxm eaplicare agg… ditur, non proinde literalem intendit infriugere. … quamvis *tra. 224. in Jo.* dicat Joannem Ecclesiæ triumphantis personam gessisse, dum super pectus Domini in cœna recubuit, non proinde intelligere voluit revera ibi Joannem non recubuisse. Et quamvis *tra. 51. in Jo.* dixerit Judam corpus malorum repræsentasse, & Petrum corpus Ecclesiæ in bonis tamen, ac propterea illi Christum dixisse: *& tibi dabo claves*, non ex eo sequitur Judam vere Christum non prodidisse, ita nec quod ipse Petrus vere cœli claves a Christo non acceperit. Secundum est, quod, ut alias adnotavi, S. Scriptura diversas admittit literales significationes, nec una alterius vim infringit; unde etsi daremus Sacræ Scripturæ textus etiam significare claves Ecclesiæ fuisse collatas, non cogeremur ideo dicere, & ipsius Rectorem easdem claves a Christo non accepisse. Videnda quæ dixi in Animadversionibus de Papæ infallibilitate §. 5. ubi & præfatos S. Scripturæ textus expendo.

Demum observare est duplici ratione PP. docuisse claves collatas fuisse Petro, ut Ecclesiam repræsentanti. Prima est quia cum exorta fuisset hæresis Montanistarum contendentium in Ecclesia dimitti non posse peccata, ex eo etiam suum confirmabant errorem, quod vellet potestatem clavium Petro collatam cum eodem interiisse. Ita Tertullianus jam Montanista ab iis quæ docuerat in Scorpiaco *cap. 10.* recedens, affirmavit *de pudic. c. 21. personaliter* Petro, non Ecclesiæ Christum claves consignasse. Ad Montanistas igitur refellendos inter alios S. Augustinus sæpe docet in Petro claves datas Ecclesiæ; unde *tract. 51. in Joannem* ait: *Si hoc Petro tantum dictum est, non hoc facit Ecclesia*: ac deinde ut ostenderet eo sublato non proinde in Ecclesia clavium potestatem interiisse, addit: *Si hoc ergo in Ecclesia fit, Petrus, quando claves accepit, Ecclesiam sanctam* significavit. *Et Serm. de quat. qu. q. 1. c. 5. & 6.* postquam dixit Petrum Ecclesiæ personam gestasse ubi claves accepit, easque etiam aliis Apostolis collatas, ac per eas quotidie in Ecclesia peccata dimitti, ita concludit: *Sed quoniam in significatione personam Petrus gerebat Ecclesiæ, quod illi uni datum est, Ecclesiæ datum est*. Mens ergo non erat S. Augustini affirmare Petrum claves non accepisse, sed solum eas a Christo non habuisse quatenus persona particularis erat, sed quatenus ex suo in Ecclesia principatu eamdem repræsentabat, ut exinde inferre posset clavium potestatem cum Petro non interiisse.

Altera ratio, quæ impulit PP. ad dicendum claves Ecclesiæ collatas fuisse, ea fuit quod ita loquendo significare voluerunt nullibi extra Ecclesiam catholicam peccata dimitti. Ita cum S. Cyprianus *ep. 73.* dixisset Dominum primo super Petrum Ecclesiam fundasse, & potestatem dedisse ut solveretur in cœlis, quod ipse solveret in terris, ac deinde cæteris etiam Apostolis remittendi peccata potestatem communicasse, tandem ita ait: *Unde intelligimus nonnisi in Ecclesia Præpositis, & in evangelica lege, ac dominica ordinatione fundatis, non licere baptizare, & remissam peccatorum dare*. Eumdem sensum amplexus est Firmilianus Cæsareæ Cappadociæ Episcopus apud S. Cyprianum. Et S. Augustinus *tra. 10. in ep. Jo.* ait: *remissio peccatorum Ecclesia est. Quomodo Ecclesia? Illi enim dictum est: Tibi dabo claves regni cælorum*. Ita voluit significare in una catholica Ecclesia, qua claves a Christo accepit, peccata dimitti. Idem docet S. Fulgentius fidus S. Augustini interpres, ex eo probans extra Catholicam Ecclesiam non esse peccatorum remissionem, quia hac in Petro claves regni accepit.

§. V.

Refellantur quæ respondet P. Natalis iis, quæ ex S. Scriptura observavimus ad vindicandam Romani Pontificis supra Concilia præstantiam.

NE P. Natalis S. Scripturæ auctoritate opprimeretur, conatur iis respondere, quæ pro præstantia Romani Pontificis supra Concilia allata sunt. Observat proinde nomen Patris familias, Pastoris, Capitis,

pitis, Fundamenti Romano Pontifici alia ratione quam Christo aptandum; est etenim Pater-familias, sed non supremus, ac proinde potius Dispensator reddendæ rationi obnoxius; est Pastor, sed non Dominus ovium; est Caput, non vero summum & essentiale, sed ministeriale & secundarium; est fundamentum non primarium & principale, sed minus præcipuum & ministeriale Ecclesiæ. Putat autem abs re prorsus dici posse hujusmodi Patrem-familias universæ Domui, Pastorem universo gregi, Caput universis membris dominari; ac perperam dici hujusmodi fundamentum universa domo esse præstantius.

Verum rerum natura considerata, ex hujusmodi responsione nullatenus labefactari argumentum pro præstantia Summi Pontificis efformatum credo. Demus igitur supremum Monarcham ad gubernandum Regnum Proregem; seu ad gubernandam Provinciam Gubernatorem destinare, Iste erit Caput secundarium, minus præcipuum, & ministeriale, neque erit Pastor supremus, nec Dominus Regni, seu Provinciæ. Modo expostulandum quid exinde inferre daretur? Minime quidem dicere possemus non præesse universo Regno, seu Provinciæ etiam collective sumptis, quia potestatu sibi tradita a Monarcha nulli subdito gubernaret; sed solum eidem Monarchæ subesse, eique rationem sui gubernii esse redditurum. Quis modo non videat ita de Romano Pontifice loquendum esse? Est quidem Caput secundarium minusque præcipuum, est Pastor non supremus, nec Dominus gregis; unde dicendum est Christo, supremo Capiti, ac præcipuo Pastori subesse, eique suæ administrationis rationem reddere debere: at neutiquam inferendum non superesse universæ familiæ, universo gregi, membrisque universis, quamvis collective considerentur. Unde hic non omittendum male aptari a P. Natale rationem fundamenti, quod Ecclesiæ suæ esse Petrum ejusque Successores Christus voluit. Male, inquam, ratiocinatur dicendo, quod sicut fundamentum minus quid est domo universa, ita & fundamentum minus præcipuum præponendum non est universæ Ecclesiæ: cum etenim ideo Christus super Petrum suam Ecclesiam ædificandam dixerit, quia ad eam regendam assumpserit, unde statim dixit, *Tibi dabo claves &c.* nullatenus verum est eum, qui sub Christo gubernare debebat Ecclesiam, singulis, non omnibus collective, præficiendum fuisse. Hanc utique nullis finibus coarctatam potestatem a Christo Domino Petro, ejusque Successoribus communicatam, passim explicarunt etiam PP. dum singularem in Petro auctoritatem, quatenus Caput, Pastor, atque Ecclesiæ erat fundamentum, considerarunt, cumque subditum Ecclesiæ esse numquam scripserint. Luculenter Pontificis jurisdictionem explicans S. Leo dixit Petro ipsam Christi Domini potestatem communicatam; unde *serm.* 3. *in Anniverſ. Assump. suæ* ait: *Manet dispositio veritatis, & B. Petrus in accepta fortitudine petræ perseveravit, suscepta Ecclesiæ gubernacula non reliquit; sic enim præ cæteris est ordinatus, ut dum petra dicitur, dum fundamentum pronuntiatur .. qualis ipsi cum Christo esset societas, per ipsa appellationum ejus mysteria nosceremus. Et serm.* 3. *de Assumpt. sua* ita Christum Petro loquentem repræsentat: *Sicut Pater meus tibi manifestavit Divinitatem meam, ita & ego tibi notam facio excellentiam tuam, quia tu es Petrus; Id est, cum ego sim inviolabilis petra, ego lapis angularis, qui facio utraque unum, ego fundamentum præter quod nemo potest aliud ponere; tamen tu quoque petra es, qui mea virtute solidaris, ut quæ mihi potestata sunt propria, sint tibi mecum participatione communia.*

Addit P. Natalis singulis S. Scripturæ locis respondendo, Romanum Pontificem esse quidem fidelem familiæ Dispensatorem, ita tamen ut id etiam Episcopis conveniat, immo & Doctoribus; esse quidem Christi gregis Pastorem, quod tamen officium Episcopis commune esse nemo inficiabitur, ac proinde ejusdem Pontificis non famuli, sed Comministri, Fratres ac Consacerdotes nuncupantur. Ita etiam sicut Romanus Pontifex debet dici Sponsi Ecclesiæ Vicarius, pari ratione Vicarios Sponsi Episcopos appellari autumare videtur.

At hæc satis exsufflantur ex iis quæ habet P. Natalis *tom.* 3. dum S. Petri primatum propugnat §. 3. & 4. Ibi optime agnoscit & ipsos Apostolos claves accepisse cum dependentia a Petro, & cum subordinatione ad ipsum, non æquo jure cum Petro. Agnoscit pariter quod licet Episcopi Fratres, & Comministri a Romano Pontifice nuncupentur, solus tamen Romanus Episcopus ob potestatis plenitudinem Episcopus Episcoporum potest appellari, ac proinde universæ Ecclesiæ præesse; particulares vero Episcopi extra suæ Diœcesis limites auctoritatem non exercent. Fatetur quod quamvis immediate a Deo auctoritatem acciperent, in illius exercitio dependentiam a Romano Pontifice deberent exhibere; ac proinde non æquo jure ac Romanum Pontificem esse Christi Vicarios dicit, cum in sola sua Ecclesia quivis Episcopus Christi vices gerat; in Ecclesia vero universa Summus Pontifex. Frustra igitur opponitur easdem nomina tam Romano Pontifici, quam Episcopis esse communia, quando ita uni Romano aptantur Pontifici, ut omnes Episcopi illi subditi sint; ac proinde Romanus Pontifex sit post Christum supremus familiæ Dispensator, supremus omnium Pastor, ipsorumque Pastorum Pastor supremus Christi Vicarius. Cum vero hæc omnia doceant nos S. Scriptura, ac SS. PP. Traditio, non est sane contra has Fidei nostræ regulas ex præfatis inferre Romanum Pontificem universæ Ecclesiæ ita præesse, ut non solum singulis, sed omnibus collective præsit, ac proinde & eisdem œcumenicis Conciliis. Ita cum sciamus unumquemque Episcopum in sua Diœcesi habere non solum primatum honoris, sed etiam jurisdictionis, statim inferimus & ipsi Diœcesanæ Synodo superesse; nec aliquis hujus illationis vim posset infringere quoadusque manifeste non ostenderet, ita primatum jurisdictionis ipsi collatum fuisse, ut singulis tantum, non vero omnibus collective posset imperare. Quæ proinde adesse potest difficultas, si Episcopi non solum ut Ecclesiæ membra, sed etiam ut ipsius Romani Pontificis considerentur quatenus membrum, sicut etiam ipsum corpus Capiti subjectionem exhibeant? Utique taliter se habent Episcopi, ut a Romano Pontifice in judicium vocari possint, ac ab eodem ob patrata crimina puniri, sicut etiam habent ab ipso in suæ jurisdictionis exercitio pendere: cur ergo P. Natalis renuit eos agnoscere, ut hujus capitis membra?

Ex prædictis etiam habetur non recte dixisse P. Natalem institui non posse inter Pontificem & *Episcopos* eam comparationem quam Christus inter *Œconomum* & servos instituit. Cum etenim verum sit ita Romanum Pontificem esse supremum Œconomum, ut id cæteris quibuscumque Episcopis coaptari non valeat, recte dicimus posse ab iis rationem exposcere, sicut Œconomus ab inferioribus servis. An vero id cohæreat cum recto Ecclesiæ gubernio, infra explicabo. Quanti etiam facienda sit in hac controversia auctoritas Alliacensis adnotabo §. XI. Cæterum quo sensu dictum sit in Concilio Constantiensi Romanum Pontificem primatum gerere *super alias Ecclesias particulares*, expendam in sequentibus Animadversionibus ubi, & fuse examinandum quando verum sit Concilia etiam ad Capitis reformationem intendere potuisse. Interim animadvertas quod dum ipse Pontifex annuerat Concilia de ipso reformando agere posse, non proinde illis se subditum declarare, sed solum ipsorum ope velle a se removere, quæ ad Ecclesiæ ædificationem non conducerent.

Demum etsi demus ea Christi verba *Pasce oves meas*, quibus S. Petrum est alloquutus, etiam Episcopis, & ipsi Romano Clero posse adscribi, nulla exinde adversus supremam Romani Pontificis potestatem ratio consurgit. Ita dicta fuisse S. Petro ex S. Scriptura & Traditione discimus, ut constitutus sit Pastor Pastorum, atque ita omnibus superesse pariter didicimus: at nulli, excepto Romano Pontifice, sub eadem ratione Christi verba aptanda compertum est.

Ne vero aliquid omittat P. Natalis ad enervandos illos S. Scripturæ textus, ex quibus præeminentia Romani Pontificis adstruitur etiam supra œcumenica Concilia, dicit *n.* 8. claves a Christo immediatius traditas esse Ecclesiæ, quam S. Petro, & sic pascendi auctoritatem; itemque *n.* 11. ita dici super petram ædificatam Ecclesiam, ut non solum ad S. Petrum, sed & ad omnes Apostolos, ipsorumque Successores hæc verba sint referenda, seu etiam ad ipsum Christum. Nec omittit n. 13. alteram expositionem, qua nomine petræ super quam ædificata est Ecclesia, fides explicatur, qua S. Petrus Christum esse Filium Dei vivi confessus est.

Verum etsi hujusmodi interpretationibus supra factum jam satis sit, juvat nihilominus hic eisdem occurrere ipsius P. Natalis verbis desumptis ex dissertatione IV. sæculi I. quæ est de S. Petri Primatu. Ut ergo §. 3. tertiam solveret objectionem, ita respondet: *Petro non sunt collatæ claves, nisi nomine Ecclesiæ; id est, ut Ecclesiæ Legato, nego: id est, ut Ecclesiæ supremo post Christum, & sub Christo Rectori, ac moderatori concedo. Illius itaque propositionis duplex potest esse sensus: primus quod S. Petrus Ecclesiæ nomine claves acceperit,* quemad-

quemadmodum Regius Orator, nomine Regis alicujus civitatis claves accipit, ita quam propterea nullam habet potestatem. At nequaquam ita est. Secundus, quod Ecclesiæ nomine claves acceperit, ut illius Rector & moderator: quomodo Princeps populi nomine gladium accipit, & ad ejus tuitionem totum regni splendorem convertere tenetur. Quo sensu S. Petrum claves nomine Ecclesiæ accepisse dixit S. Augustinus. En ipso suffragante P. Natale, S. Petrum Ecclesiam repræsentasse, quia ipsius erat Princeps & Moderator, non quatenus Legati Ecclesiæ personam repræsentabat. Sicut vero statim intelligo illum immediate aliquid accipere, cui mediante suo Legato aliquid tribuitur; ita mihi plane ignotum non immediate aliquid concedi illi, cui ratione suæ dignitatis confertur: atque ita dum Principi in signum suæ potestatis gladius offertur, immediatius illi quam populo oblatum dicimus. Immediatius ergo Petro, quia Princeps erat & Moderator Ecclesiæ, claves traditæ sunt, ipsoque mediante habuit Ecclesia.

Paulo vero infra explicando qua ratione Petrus, ac qua cæteri Apostoli claves acceperint, ita ait: *Cæteris Apostolis datæ sunt claves cum dependentia a Petro, & cum subordinatione ad ipsum, concedo, æquo jure cum Petro, nego. Ista responsio fundata est in doctrina Sanctorum Patrum, quorum testimonia ad primæ propositionis probationem adducta sunt, maxime Tertulliani in Scorpiaco, Optati Milevitani lib. 1. contra Parmenianum, & S. Leonis serm. 3. in anniversario die assumptionis suæ.* Æquo jure ergo cum Petro cæteri Apostoli non erant Ecclesiæ fundamenta, seu Rectores, sed cum dependentia a Petro, quem ex S. Scriptura, & Traditione unicum Ecclesiæ supremum Principem in ea Dissertatiooe exhibet Natalis. Qui vero suprema imperat potestate, omnibus non solum seorsim, sed etiam simul sumptis præest, neque ab hac regula recedendum, nisi aliter collatam supremam fuisse potestatem manifeste ostendatur. Minus demum obstat super Christum etiam ædificatam fuisse Ecclesiam; id etenim non excludit quin S. Petrus sit fundamentum secundum a Christo. *Christus igitur petra: sed & S. Petrus petra est, super quam Ecclesiæ ædificium fundatum assurgit*, ut ait, & demonstrat P. Natalis §. 3. citatæ Dissertationis in responsione ad primam objectionem.

Exponendo autem in responsione ad secundam objectionem, quomodo Ecclesia in confessione & fide Petri fundata iotelligeoda sit, dicit quod cum SS. PP. in fide Petri fundatam asserunt, causam indicant meritoriam, ob quam S. Petrus fundamenti Ecclesiæ assequutus est dignitatem, adeoque & supra ipsius fidem, & supra ipsum Petrum, qui subjectum erat illius Dignitatis, fundata recte affirmatur: *Utraque expositio catholica est*, subdit P. Natalis, *cum ea, quæ de fide Petri illa verba:* Et super hanc Petram *interpretatur, tum quæ ad ipsum Petri personam illa refert eo sensu, quem jam dicebamus. Sed inter utramque expositionem id interest discriminis, quod ista immediata est, illa mediata: ista primitiva & perpetua, altera adventitia & temporanea: ista ab initio Ecclesiæ quatuor sæculorum fere sola tradita, altera vero data occasione prolata. Nam ante Arianæ hæreseos ortum illa sola expositio viguit, quæ verba illa refert ad ipsum Petri personam, ut constat ex Tertulliano, Origene, & S. Cypriano, quorum verba in probatione propositionis adducta sunt. Cum vero Ariani Christi divinitatem palam impugnassent, Sancti Patres qui firmissimum Fidei catholicæ præsidium in illis S. Petri verbis* Tu es Christus Filius Dei vivi, *positum animadverterunt, istius confessionis dignitatem summis laudibus extulere. Unde quia S. Petrus illius in gratiam, & ob illius meritum, constitutus fuerat fundamentum Ecclesiæ, ipsammet confessionem fundamentum Ecclesiæ nuncuparunt metonymice, id est translato nomine effectus ad causam, ut Arianos illius impugnatores liberius ac verius velut fundamenti Ecclesiæ destructores insectari possent.*

§. VI.

Expenditur alter S. Scripturæ textus ex quo infertur Romanum Pontificem Concilio esse præferendum.

PRæeminentia Romani Pontificis supra Concilium infertur etiam ex eo quod *Luc.* 22. Christus ita Petrum fuerit alloquutus; *Simon, Simon, ecce Sathanas expetivit ut cribraret vos sicut triticum: ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua; & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Ex iis constat Sathanam in omnes eribrandos Apostolos intendisse, & nihilominus Christum se sollicitiorem ostendisse pro Petro, ut ipsius fides non deficeret. Ubi vero major potestas futura esset in Collegio Apostolorum, quam in Petro, ac proinde etiam in Conciliis, quam in Romano Pontifice, recta expostulabat ratio, ut Christus majorem pro Apostolis, quam pro Petro solicitudinem demonstraret; si etenim tunc illi in fide defecissent, nulla fuisset major potestas, e qua corrigerentur. Singulariter ergo rogando ne Petri fides deficeret, ostendit ab eo, quem jam fundamentum, & caput Ecclesiæ destinaverat, cæteros omnes pendere debuisse. Id innuens S. Leo *serm. 3. assumpt. suæ* ita ait: *Diabolus omnes exagitare, omnes cupiebat elidere, & tamen specialis a Domino Petri cura eligitur, & pro fide Petri proprie supplicatur, tamquam aliorum status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit.* Sed & Petri superior potestas colligitur ex cura ipsi demandata fratres confirmandi, quorum nomine cum omnes fideles intelligantur, etiam confirmandi Concilia, congregando nempe, corrigendo &c. intelligitur potestas elargita: porro qui alios confirmat, major potitur auctoritate. Hoc Petro ejusque Successoribus officium confirmandi fratres demandatum, explicans S. Agatho Papa in prima sua Epistola ad Imperatorem Constantinum Pogonatum, præmittit Romanam Ecclesiam numquam a via veritatis deflexisse, ejusque auctoritatem utpote Apostolorum Principis ipsas œcumenicas Synodos in cunctis esse sequutas; illibatamque semper fidem servasse, quia Christus oraverat pro Petro ne ipsius fides deficeret, curam insuper confirmandi fratres demandando. Postquam vero ita Romanos Pontifices ob indeficientiam fidei Petro collatam infallibiles dixit, ac ipsorum auctoritati & ipsa œcumenica Concilia se subdidisse, ita addit: *Consideret itaque vestra tranquilla Clementia, quoniam Dominus, ac Salvator omnium, qui fidem Petri non defecturam promisit, confirmare eum fratres suos admonuit, quod Apostolicos Pontifices meæ exiguitatis prædecessores confidenter fecisse semper cunctis est cognitum.* Idem ergo curam confirmandi fratres Petro, ejusque successoribus Christus contulit, quia in fide deficere non posse voluit; quapropter & ipsa œcumenica Concilia ipsorum auctoritatem sequuta sunt; unde consequitur & ipsa Concilia ab ejusdem Pontificibus confirmanda minorem obtinere potestatem.

Hunc S. Scripturæ textum, adductis variis ipsius interpretationibus infringere conatur P. Natalis num. 14. quas tamen ex iis, quæ dicta sunt in superiore paragrapho facile esset explodere: si etenim, ipso P. Natale fatente, Petrus ipse claves accepit, ipsi demandata est cura veræ doctrinæ pabulis oves Christi pascendi; si Petrus ipse constitutus est Ecclesiæ fundamentum, oportuit Christum orasse pro ipsius in Fide indeficientia; quia nullatenus credendum est Christum constituisse in sua Ecclesia Pastorem, qui falsis doctrinis suas posset oves alere, seu constabilisse fundamentum, quod posset deficere, eoque deficiente, maxima futura esset Ecclesiæ ruina. Quæ vero Christus contulit Petro ut Rectori, Pastori, ac Magistro Ecclesiæ, ejus Successoribus communia esse nemo catholicus dubitat, cum ad idem exercendum munus assumantur.

Sed perscrutando etiam quas refert P. Natalis interpretationes, nil allati textus efficaciæ derogari pro adstruenda Romani Pontificis præeminentia clarum est. Ultro igitur concedendo Christum orasse pro perseverantia finali Petri in vera Fide, forte-ne qui ita docent, asserunt Christum non orasse pro Petri fidei indeficientia, quatenus Ecclesiæ Magistri, & Doctoris munus ab ipso erat exercendum? Si vero & hanc interpretationem ut genuinam non rejecerunt, nemo affirmare audebit S. Scripturæ verbis non esse conformem. Videnda quæ dixi alibi, ubi Petrum Christi orationem respexisse demonstro, ejusque in Fide indeficientiam, ac munus confirmandi Fratres, Sanctos doctosque Pontifices ad se derivata prædicasse. Ibi etiam ostendo, quod dum hujusmodi prærogativæ de Ecclesia Romana celebrantur, non illi particulari Ecclesiæ a Capite præcisæ collatas intelligendum esse, sed præcipue ipsius Capiti Romano Pontifici a quo cæteræ Ecclesiæ instruuntur, ac in fide solidantur. Perpendendo igitur quæ ibidem dixi, omnes quas refert Natalis, interpretationes, non solum non excludere, quod Christus Petro in Fide inerrantiam obtinuerit, unaque ipsius Successoribus, videbitur, sed potius conducere ad hoc privilegium in eisdem constabiliendum.

Quædam tamen juvat hic non omittere. Primum est eam interpretationem, quæ refert Christi orationem ad Ecclesiam universalem, & Concilia, fundamentum non habere in veteri PP. Traditione; unde mu-

minime eos allegat P. Natalis. Quomodo vero S. Leo IX. clare afferat & explicet Christum orasse, ne fides deficeret in Petro, ejusque successoribus videas alibi. Idem sensisse S. Thomam citatum pag. 307. videas 2. 2. *quæst.* 1. *art.* 10. ubi postquam dixis symboli editionem ad eum pertinere, ad quem pertinet finaliter determinare quæ sunt Fidei, statim sebdit: *Hoc pertinet ad auctoritatem Summi Pontificis, ad quem majoras, & difficiliores Ecclesiæ causæ referuntur: Unde Dominus Luc. 22. Petro dixit, quem summum Pontificem constituit: Ego pra te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua &c.* Quamvis proinde daremus S. Leonem IX. ac S. Thomam dixisse Christum etiam pro Conciliorum inerrantia orasse, certo certius est eosdem affirmasse specialiter pro Petro ejusque Successoribus solicitum fuisse: atque hanc esse primariam sacri teatus significationem, quisquis legendo S. Scripturam comperiet.

Pensanda deinde sunt ea quæ habet P. Natalis sub eodem numero decimo quarto, quæ ita se habent: *Claves datæ sunt a Christa S. Petra ut Ecclesiæ personam gerenti, & tamen Ecclesiæ datæ sunt immediatins, adeo ut Ecclesiam clavas habere depeadenter a S. Petra, & ejus successoribus suna sensu dici non possit.* Hæc, ni mea me fallat opinio, cohærere non possunt cum iis, quæ §. superiore ex eodem P. Natale adnotavi; fatetur etenim Petrum claves accepisse, quatenus ut Caput, Princeps & Pastor Ecclesiæ eamdem repræsentabat; unde ipse Petrus quatenus Christi Vicarius fuerat electus, immediate ab eodem Christo claves accepit. Ad hanc dignoscendam veritatam mire conducunt omnia quæ habet P. Natalis tom. 4. ubi S. Petri primatum propugnat. Illud etiam addendum quod si immediatius Ecclesiæ claves datæ sint, illud consergit incommodum quod S. Petrus eas a Christo non habuerit, sed ab Ecclesia, sicut dicebant Edmundus Richerius, & Ludovicus Elias Dupinus, ut adnotavi alibi ea quorum hypothesi Sancti Petri primatem destrui omnes, quibus veritas cordi est, agnoverunt. Et quidem si hanc catholicam de S. Petri primatu fatemur veritatem, quia in S. Scriptura Petrus supra cæteros elatus dicitur, ipsiusque confessio primatus prærogativa remunerata; jam si hæc omnis immediatius de Ecclesia prolata dicamus, ea omnia corruunt fundamenta, quibus Catholici Petrum ejusque Successores eatollunt; difficillimum etenim est ostendere Ecclesiam postea claves Petro tradidisse, & in suum Monarcham ipsum, Successoresque elegisse. Hinc potius *sana sensu* dici non posse autumarem Ecclesiam immediatius claves habuisse, quas postea S. Petro contulerit.

Illud demum non prætereundum a P. Natale affirmari Christum non orasse, ne deficeret fides Petri quatenus Pontifex fuerat electus, ejusque Successorum, quia ra vera in hæresim supponunt se labi posse & ipsi Pontifices. Ab iis tamen afferendis abstinuisset, si considerasset supponi quidem Romanos Pontifices ut Doctores privatos in hæresim etiam posse labi, minime vero quatenus definiendo ut ipsius Magistri & Rectores eniversam edocent Ecclesiam quæ sunt credenda; atque id Christi orationem pro Petro ejusque Successoribus obtinuisse dicendum est.

§. VII.

Expenduntur ea S. Scripturæ Loca quibus probare conantur Concilia œcumenica Papæ superesse; & ostenditur ea eis Papæ præeminentiam nullatenus excludi.

POstquam vidimus ex privilegiis Petro, ejusque successoribus collatis, tam clare S. Scripturam indignare illorum supra œcumenica Concilia jurisdictionem, juvat hic expendere illa S. Scripturæ loca, quibus videtur Conciliorum potestas commendari, atque ita fiet ut magis veritas elucescat. Primo igitur in medium afferunt illa verba excerpta ex cap. 58. Matth. *Si peccaverit in te frater tuus, dic Ecclesiæ*: unde videtur tandem supremam jurisdictionem ipsi Ecclesiæ, adeoque Conciliis eam repræsentantibus collatam fuisse. Jam vero ex dictis paragrapho superiore constat præfatis verbis Christum præcipere voluisse, ut frater in suo crimine contumae tandem publice corriperetur. Deinde quæ ibi Christus mandavit, locum habere non possunt nisi respectu fratris, qui eidem Ecclesiæ subjiceretur, neque etenim in non subditum judiciariam potestatem valet Ecclesia exercere. Antea igitur probandum erat Romanum Pontificem, quem ex S. Scriptura Caput & Principem Ecclesiæ agnoscimus, eidem Ecclesiæ subesse, ut ex præfato teatu dignosceremus Ecclesiæ posse denunciari. Tandem si hic nomine Ecclesiæ intelligatur Concilium una cum suo capite, statim patet præfatum textum inaniter afferri, ut ex eo habeatur Concilium absque Papa consideratum eidem Papæ dominari. Si vero intelligatur Concilium absque legitimo Capite, statim nego esse œcumenicum, universamque Ecclesiam posse repræsentare, neque etenim totum corpus adesse quis affirmaret, ubi caput deesset.

Ex dictis ruunt quæ supra habet Natalis *art.* 1. *§.* 2. *n.* 6. antequam etenim supponatur Pontificem peccantem denuntiandem esse Concilio tamquam suo superiori, ostendere necesse est vere illi subesse. Id vero minime inferendum quia Ecclesia possit illum corrigere, si peccaverit; & id enim potest facere etiam qui inferior est, & subditus Superiorem corrigere, si ipsi ipsius crimina deferantur, neque alter sit, qui hoc charitatis officium velit exercere. Quæ vero dicit P. Natalis de clavibus immediatius Ecclesiæ, quam Petro datis jam sæpe explosa sunt. Nec id invicte probatur, ut petat P. Natalis, quia statim Christus dixerit Discipulis: *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo &c.* Minime ergo refragandum & hanc potestatem ligandi, atque solvendi aliis a Petro concessam fuisse, sed optime colligimus ex S. Scriptura & Traditione exercere debuisse cum dependentia a Petro, ut ea ipso P. Natale etiam §. 5. adnotavi; unde verum non est Apostulus &c quamvis Ecclesiam etiam sine Petro repræsentare potuisse concederem, immediatius claves obtinuisse. Quomodo vero S. Petrus ut Ecclesiæ personam gerebat, claves acceperit, fuse etiam ea S. Augustino in præcedentibus explicavi. Inaniter vero Gersonii auctoritas opponitur, nullatenus etenim hunc Auctorem attendendum in dimeticoda S. Pontificis potestate etiam §. 11. explicabo.

Conciliorum supra Papam præeminentiæ assertores urgent etiam illa Christi verba, Matth. 17. *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, illic sum in medio eorum.* Ex iis verbis inferre posse credunt necesse haud esse Concilia Romano Pontifici subdere, quia Christus sufficiens lumen, sapientiamque Episcopis in Concilio coactis suppeditabit, hoc etenim & duobus tribusve congregatis se facturum pollicitus est. Iis tamen respondendum quod si ex præfatis Christi verbis inferre liceret independentem Conciliorum auctoritatem, idem concedendum esset Conciliis Provincialibus minoribus, hæc etenim aptius duos vel tres valent repræsentare. Sed & ex numero Præsulum divinæ assistentiæ argumentum non satis desumeremus. In Concilio etenim Constantinopoli habito an. 757. Antistitum numerus longe superavit eos qui primo Niceno Concilio interfuerant; & tamen ubi PP. Niceni a fidei regula non discesserant, Constantinopolitani perperam definierunt imaginum cultum idololatriæ crimen continere. Etsi vero demus ea textu S. Matthæi colligi peculiarem Christi assistentiam, qua regit Concilia maxime œcumenica, ut explicat S. Celestinus §. 2. num. 3. adhuc male id intelligeremus de Conciliis seorsim a Papa consideratis; hujusmodi etenim acephala Concilia merito illegitima dicimus, & nullius prorsus auctoritatis: ubi vero necesse sit considerare Concilia una cum suo Capite, non est unde colligamus absque legitimo Capite eidem præesse. Demum non esset refragandum, qui allata ex S. Matthæo verba intelligeret de obedientia in criminum correctione præstanda; antea etenim dictum fuerat: *Si peccaverit in te frater tuus &c.* Vel si illis ad orationis efficaciam commendandam uteretur, cum immediate superius dixerit Christus: *Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo, qui in cœlis est.*

Addunt Christum Jo. 14. Apostolis dixisse: *Ego rogabo Patrem & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum spiritum veritatis,* & Jo. 16. *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem*, quod promissum cum de omnibus Apostolis saltem collective sumptis esset verificandum, aptissime ad ipsa Concilia est cum S. Leone apud P. Natalem extendendum; adeoque non indigent Papa a quo regantur. At hujusmodi nullam prorsus vim faciunt pro Concilii potestate supra Papam efferenda. Primo ergo, si præfasa verba ad omne Apostolorum Collegium referantur, non excludendus erat Petrus, cui dictum fuerat. Luc. 22. *Rogavi pro te Petre ut non deficiat fides tua*: & cui confirmandi fratres officium fuerat demandatum. Ita enim perperam præfate verba de Conciliis absque suo

legitimo Capite intelligeremus; & re vera absque illo non semel errasse comperimus: unde non remanet locus ex allatis testibus inquirendi potiorne sit Concilii, vel Papæ potestas. Deinde ille promissio in singulis etiam Apostolis erat adimplenda; postquam etenim in die Pentecostes Spiritum S. accepissent, verificandum erat illud Isaiæ vaticinium, quod Christus *Jo. 6.* allegaverat: *Et erunt omnes docibiles Dei*. In hoc sensu S. Petrus dixit ipsa die Pentecostes completum fuisse illud Joelis: *Et erit in novissimis diebus, dicit Dominus effundam de Spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filii vestri, & filiæ vestræ*. Ea ergo verba: *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem*, specialem illam Spiritus S. assistentiam innuebant, quæ ad discernendam veritatam Apostolis ac proinde potissimum Petro fuerat præstanda.

Opponunt etiam in primo Concilio Apostolos, ita pronunciasse, ut dicitur *Act. 15. Visum est Spiritui S. & Nobis*, quibus verbis cum certa Spiritus S. assistentia erga Concilia significetur, non est cur alicui Judici sint subjicienda. Sed quorsum hæc! Œcumenica dumtaxat Concilia Pontifici præesse propter ipsorum indefectibilitatem affirmant. Verum hoc Concilium universale non fuit, cum eidem ex Apostolis solum interfuerint Petrus, Jacobus, & Joannes cum Paulo & Barnaba, & insuper abessent alii Episcopi ad regendas Ecclesias jam constituti. Quæstio deinde est de Concilio absque Papa, quod huic anteponendum dicunt; in hoc vero Concilio interfuit Petrus, qui ex sui primatus dignitate primus sententiam protulit, veritatemque sibi prodigioso visu manifestatam pronunciavit, eique cæteri Discipuli adhæserunt: unde quia aderat Petrus, merito illius Concilii definitio Spiritui S. erat adscribenda.

Ea etiam loca non prætermittunt, quibus universam Ecclesiam errori obnoxiam esse non posse demonstratur, inde inferentes Concilia œcumenica eamdem Ecclesiam repræsentantia, correctionis, & subjectionis Romano Pontifici non indigere. At ultro hujusmodi concedenda, sed negendum eadem Concilia ut a capite sejuncta eamdem Ecclesiam repræsentare: *Quemadmodum animal*, ait Didacus Payva in defens. Trid. Fid. *capite abscisse truncus est atque stipes, ita Episcoporum quamtumvis frequentissime conventui Concilii nomen convenire minime potest, ni Romani Pontificis, qui universalis Ecclesiæ* caput est, *& moderator, imperio convocetur, auctoritas foveatur, nutu atque ditione gubernetur — Cum namque demonstraverimus œcumenicum Concilium dici non debere, quod non fuerit Romani Pontificis arbitrio convocatum, & cui per se ille, aut per Legatos, ut Concilium inquit Chalcedonense, non interfuerit — quemadmodum universalis Ecclesia dici non potest, quæ capitis expers sit, ita neque universalis Ecclesiæ judicium, in quo universalis capitis sententia desideretur*. Et si vero Concilium a Papa sejunctum universam Ecclesiam repræsentare non valeat, optime id Romano Pontifici tribuendum; unde, ut patet ex supra dictis, sæpe S. Augustinus asserit D. Petrum Ecclesiæ personam gestasse. Et re vera optime Pater familias familiam, Rex regnum, Pastor ovile repræsentant; quapropter si ille infallibilitate donatur, ac cæteris omnibus præest, qui Ecclesiam repræsentat, id non Concilio absque Pontifice, sed bene Pontifici absque Concilio tribuendum est.

Addit P. Natalis §. 2. *num.* 5. haberi *Act.* 8. Apostolos misisse Petrum & Joannem Samariam quia Evangelium susceperat; atque exinde infert eos ut Ecclesiam repræsentantes jurisdictionem in Petrum exercuisse. Hanc autem interpretationem excerptam ex Gersonio, & Renato Benedicto, dicit probatam fuisse a Gregorio XIII. cui iste suam Panagliam dicavit. Ego autem de que Ecclesia loqui potuerit S. Scriptura non intelligo, nam ibidem Ecclesiam, quæ erat Jerosolymis, ratione persecutionis dispersam fuisse narratur exceptis Apostolis. Apostoli vero, qui ibi remanserunt, non poterant Ecclesiam repræsentare, quia nullibi legitur conciliariter convenisse; & ulterius quot edessent ignoratur, saltem etenim Philippus aberat, cœterique qui Ecclesiam conflabant. Prorsus autem absque fundamento dicitur Gregorium XIII. Renati expositionem probesse, nullibi etenim de hoc constare quis dixerit. Quis etiam dicat ideo Gregorium probasse Renati librum, quia ipsi fuerat nuncupatus? Nemo sane ex hujusmodi ratione vel illum legisse affirmaret; cum maxime Romano Pontifici otium non sit, si aliter aliqua definienda non expostulentur, libros evolvere.

Conferantur modo ea S. Scripturæ loca, quibus Petri ac Romani Pontificis prærogativæ designantur, cum iis, ubi Conciliorum potestas innuitur. Profecto invenire est Romanum Pontificem constitutum esse Caput, fundamentum, Pastorem &c. universæ Ecclesiæ, ex quibus inferre, omnibus præesse, omnibusque posse legem indicere, tam obvium est, quam velle Monarcham nulli subesse, et Pastorem universo ovili imperare. Ubi vero Sacræ Literæ non edocent Concilia œcumenice a capite semota talibus privilegiis excellere, ut ex eis statim inferre detur & eidem Capiti posse imperare? Ego sane, si ut par est, in hac controversia ex S. Scriptura sententia ferenda esset, crederem nullum, cui sola veritas cordi sit, suffragaturum pro præstantia Concilii supra Papam, bene vero pro Papæ præstantia supra Concilium.

§. VIII.

Summaria quæ gesta sunt in primis octo œcumenicis Conciliis recensentur, & eadem Concilia agnovisse convincitur Romanum Pontificem sibi præesse.

JAm fuse ubi geste octo priorum Conciliorum explicantur, animadverti Romanos Pontifices erga eadem Concilia ita se gessisse, ut quæ definienda erant præscribendo, suam superiorem auctoritatem demonstraverint. Id vero cum semper magis præstiterint Pontifices in subsequentibus Conciliis, omisi ipsorum superioris jurisdictionis erga eadem exercitium adnotare, cum facillime omnibus possit innotescere. Modo autem breviter considerando quomodo prima præfate Concilia Pontificum mandata exceperint, iterum ipsos sibi præesse agnovisse demonstrabo; atque ex iis dignoscere unusquisque poterit non bene gesta eorumdem Conciliorum P. Natalem pro sua sententia expendere, ut data opera demonstravi in locis supracitatis.

Testis est S. Athanasius *Epist.* ad *Solit. Vit.* agentes Osium Romani Pontificis Legatum ex auctoritate S. Silvestri Papæ ante Nicænam I. Synodum Arium damnasse, ipsique Patres acquievisse, & juxta Symbolum postea dictum Nicænum ab eo recitatum, Canones & decreta efformate.

Antequam Synodus I. Constantinopolitana, quæ fuit secunda œcumenica, celebraretur, Damasus Papa Concilii judicium præveniens, Sabellii, Macedonii, Eunomiique hæreses damnavit, & dato libello ad Paulinum Episcopum, suam sententiem & censuras per Orientis Ecclesias publicari mandavit, ut constat ex iis, quæ ante dictum Concilium habentur. Hoc autem profecto fuit intimere Ecclesiæ quid sentiendum, & quid ex fide divina in Concilio esset definiendum; neque etenim anathematismis in præfatos errores animadvertisset, immo a censuris intorquendis abstinuisset, si vel opinari potuisset liberum esse Concilio a suis definitionibus discedere.

Etiam ante Ephesinam Synodum, quæ fuit tertia œcumenica, Celestinus Pontifex Nestorii hæresim damnavit, ac deinde formam regulamque præscripsit juxta quam PP. deberent judicare, quibus proinde liberum non erat Nestorium, ejusque doctrinam a Celestino hæresis nota inustam absolvere, ut ostendunt ejusdem Concilii Acta *cap.* 15. Unde Gennadius de Script. Eccl. c. 54. dixit *Celestinum Papam decretu Synodi adversus Nestorium dictasse, volumenque descriptum ad Orientis & Occidentis Ecclesias dedisse*. Damnata insuper fuit *sess.* 9. hæresis Pelagiana ex præscripto Commentariorum, quæ Romæ Celestinus conscripserat, ut testantur Concilii Acta, ejusque Synodalis epistola apud Cyrillum duodecima. Ita etiam ob Celestini mandatum Nestorius fuit in Ordinem redactus; unde PP. apud Evagrium *l.* 1. *hist. cap.* 4. ite ejunt: *Tum Ecclesiæ canonibus, tum Epistola S. Patris nostri & collegæ Celestini Episcopi Ecclesiæ Romanæ necessario compulsi, idque non sine crebris lachrymis ad hanc severam sententiam contra eum pronunciandum venimus*. Mitto S. Celestinum voluisse Cyrillum Legatum suum universis orbis judicem appellari, adeoque & Concilii, teste Nicephoro *l.* 14. *c.* 34.

Celestini vestigia relegens S. Leo I. Chalcedonensi Synodo terminos præscripsit intra quos PP. consistere deberent, eosdemque monitos voluit, Eutychem & Dioscorum jam Romæ hæresis damnatos. Cumque in Epistola ad Flavianum jam ostendisset illos a fide aberrasse, voluit Concilium in eamdem Epistolam oculos intendere in ipsos sententiam ferendo. Jam proinde alibi consideravi Sancti Leonis Epistolam ut fidei regulam e Synodo fuisse respectam, omniaque juxte Pontificis mandata in eadem Synodo definita. Id etiam omnibus perspectum fuit *sess.* 6. cum etenim

recitata fuisset fidei definitio, cui omnes plaudebant, & quasi importune ut reciperetur insistebant; quæ tamen Sedis Apostolicæ Legatis, & paucis ex orientis Episcopis minime placuit, utpote quæ Eutychetis hæresi damnandæ sufficiens non videretur, tandem PP. novam fidei confessionem omnibus numeris absolutam edendam crediderunt: *Omnes reverendissimi Episcopi*, ita narratur sess. 5. *præter Romanos, & aliquos orientales clamarunt: definitio omnibus placet. Hæc fides Patrum; qui aliter sapit, anathema sit. Paschasinus & Lucentius Episcopi Vicarii Sedis Apostolicæ dixerunt, si non consentiunt Epistolæ apostolici, & beatissimi viri Papæ Leonis, jubete nobis rescriptum dari ut revertamur. Episcopi clamaverunt, altera definitio non fiat, qui contradicunt Romam ambulent. Magnificentissimi, & gloriosissimi Judices dixerunt: quem sequimini Leonem, an Dioscorum? Reverendissimi Episcopi clamaverunt: ut Leo sic credimus: Leo recte sapuit. Magnificentissimi & gloriosissimi Judices dixerunt: ergo addite definitioni secundum judicium sanctissimi Patris nostri Leonis duas esse naturas in Christo inconvertibiliter, inseparabiliter, & inconfuse*. Sane si ex solo numero vota pensanda fuissent, ob exiguum contradicentium numerum concinnata definitio universæ Synodo adscribi potuisset, ac anathema proinde conclamari in eos, qui contradicerent. Verum quia Pontificis Legati ipsius auctoritate suffulti Synodo obstiterunt, in novam fidei professionem PP. consenserunt. Id ne est Concilium Papæ superesse, an Concilium Papam ut Magistrum & superiorem agnoscere?

In quinta œcumenica Synodo, quæ fuit Constantinopolitana II. Papæ superior auctoritas ex sequentibus apparuit. Quamvis igitur in hac Synodo tria capitula expendendo, non de fide, sed de personis ageretur ut ex S. Gregorio *l. 3. Ep.* 37. nihilominus ipsa Synodus, ne sua decreta irrita dicerentur, conata est ostendere omnia juxta Vigilii sententiam decerni, & maxime dum sententiam definitivam pronuntiavit. Etiam ut os sibi adversantium occluderet collat. 1. per Epistolam Patriarchæ ad Vigilium professa est Romani Pontificis quoad fidem Epistolas æque ac quatuor Evangelia suscipere. Menas insuper Patriarcha Constantinopolitanus & alii Justiniani edicto contra tria capitula edito subscribere renuerant, absque juramenti acceptione nullam futuram subscriptionem, restituendumque sibi chirographum, si Romanus Pontifex pro ipsorum defensione occlamasset, ut refert Facundus Africæ Episcopus *l. 2. & 4.* Ipse Vigilius suam superiorem exercens auctoritatem irritum declaravit quidquid contra suum Constitutum Concilium attentasset. Concilii pariter sententiam tot orthodoxi in Africa, Illyrico, Hibernia &c. Episcopi nihil habuerunt, quia eidem Vigilii Constitutum anteponendum existimabant, ut ex S. Gregorio *l. 2. Ep.* 36. Demum usque dum non accessit Pontificum approbatio, hanc Synodum œcumenicam recipere detrectarunt, immo ut illegitimam, prætereunt, qua de re legendus S. Gregorius *l. 1. Ep. 24. l. 2. Ep. 36. l. 3. Ep. 4. & l. 7. Ep.* 54. Legenda etiam est Epistola Leonis II. quæ in actis sextæ Synodi recensetur. Porro etiam Vigilium tandem suo suffragio hanc Synodum approbasse tradunt Evagrius *l. 4. cap.* 37. Nicephorus *l. 17. cap.* 27. & 28. & alii apud Euthymium in *panopl. p. 2. tit.* 27.

Sextæ œcumenicæ Synodo, quæ fuit tertia Constantinopolitana, manifestissime rerum definiendarum regulam constituit S. Agatho Papa, statuitque limites, quos fas non esset PP. prætergredi. Suorum ergo Prædecessorum exemplo decrevit quid a PP. credendum esset, ac definiendum, vetavitque a sententia Romani Pontificis vel latum unguem deflectere: *Nihil profecto*, ait in Epistola ad Augustos, *præsumat augere, minuere, vel mutare, sed traditionem hujus Apostolicæ Sedis, ut a prædecessoribus apostolicis Pontificibus instituta enarrare — Hæc Apostolica ejus Ecclesia numquam a via veritatis in qualibet erroris parte deflexa est, cujus auctoritatem, utpote Apostolorum omnium Principis, semper omnis Catholica Christi Ecclesia, & universales Synodi fideliter amplectentes in cunctis secutæ sunt &c.* Et in Epistolam ad Synodum: *Personas autem de nostræ humilitatis ordine prævidimus dirigere ad vestra fortitudinis vestigia, quæ omnium nostrum suggestionem, in qua & Apostolicæ nostræ fidei confessionem prælibavimus, offerre debeant, non tamen tanquam de incertis contendere, sed ut certa atque immutabilia compendiosa definitione proferre, simpliciter obsecrantes ut hæc eadem omnibus prædicari, atque apud omnes obtinere jubeatis*. Alia etiam ex ejusdem epistolis observare potuissem, ex quibus dignoscitur Pontificem tamquam magistrum docuisse Concilium, ac leges in definitionibus servandas statuisse, quibus PP. nihil obsistentes ita *act.* 18. Agathonis epistolæ acclamarunt: *Summus nobiscum concertabat Apostolorum Princeps, illius enim imitatorem, & Sedis successorem habuimus fautorem: charta & atramentum videbatur, & per Agathonem Petrus loquebatur*.

In septima Synodo Hadriani I. Romani Pontificis auctoritas ex eo satis supra Concilium emicuit, quod in Epistola ad Augustos, & ad Tharasium Patriarcham affirmaverit post summorum Pontificum definitiones nullum amplius superesse locum de SS. Imaginum cultu dubitandi, vetavitque insuper limites a Summis Pontificibus fixos moveri. Sed & *act.* 2. Patres tamquam de re necessaria fuerunt interrogati, an dogmaticam Hadriani Epistolam reciperent, ac universam Synodum respondisse: *Universa sancta Synodus sic credit, & sic docet*. Et iterum: *Sequimur, recipimus, & probamus*.

Quamvis etiam ante octavam œcumenicam Synodum Photius bellum auctoritati Papæ indixisset, adhuc nihilominus Papam Concilio superesse apparuit. Primo igitur non expectata Synodi sententia, Hadrianus II. Photium damnavit, ac damnandum esse a Concilio mandavit. Leges deinde dictavit, conditionesque præscripsit, cum quibus Photius esset judicandus, ipsiusque fautores vel admittendi, vel rejiciendi. Regulas insuper fidei præscripsit, in quas jurare deberent, imperando etiam statuta ac summorum Pontificum decreta tamquam certissimas fidei regulas esse admittenda, quod Concilium non audit tantum, sed & probavit. Sancitum demum fuit, ne in Synodo sederent, qui libello a summo Pontifice misso non subscriberent. Hæc omnia palam fient legenti Epistolam Hadriani ad Basilium Augustum, & ad ipsam Synodum, & Epistolam Nicolai Papæ ad Basilium Imperatorem, ejusdemque Synodi Acta.

Cum igitur mos fuerit Romanorum Pontificum Conciliis imperare, judiciorum instituendorum modum præscribere, ac ita res definiendas proponere, ut nollent Concilia ab ipsorum definitionibus discedere, si id non est potiorem exercere jurisdictionem, nescio videre ex quibus magis possit auctoritas in subditos elucescere. Videantur quæ dixi fusiori calamo in animadversionibus post octo priora œcumenica Concilia. Remanet modo quædam animadvertere, quæ urget P. Natalis §. 4. ubi putat ex gestis Conciliorum ostendere potiorem esse Concilii, quam Papæ auctoritatem.

Opponit num. 15. Asiaticos Episcopos non paruisse decreto Victoris Papæ præcipientis, ut Pascha celebrarent die dominica lunam decimam quartam proxime sequente; ex quo infert illos reputasse Concilium Œcumenicum esse ultimum tribunal, a quo controversiæ finirentur. Sed futiliter id opponit P. Natalis, nam numquam Episcopi Asiani dixerunt deesse Victori potestatem hujusmodi controversiam omnino dirimendi, atque expectandum esse Concilii decretum; sed cum non ageretur de Fidei articulo, excusabant suam inobedientiam, quia Pontificis præceptum injustum reputabant. Videnda quæ dixi alio in loco ubi statim, quæ Victori responderit Polycrates Ephesinus Episcopus, adnotare non omisi.

Idem respondendum, dum num. 16. objicit P. Natalis tot Episcopos, & inter eos S. Cyprianum, respuisse decretum S. Stephani Papæ, quo vetabatur iterum rebaptizari eos, qui ab hæreticis fuissent abluti. Putabant nempe Episcopi inobedientes de re agi, quæ ad fidem non pertineret, & quam, salva unitate, posset juxta diversas consuetudines diversimode observari; unde Pontificis præceptum injustum ab iis habebatur, ut adnotavi alibi, & observavi non ideo S. Augustinum aliosque ob hanc controversiam dirimendam Concilium exoptasse, quia non reputarent Papæ definitiones infallibiles, ac proinde supremas ultimasque; sed quia cum de re ad solam disciplinam spectante quæstionem esse credidissent, Concilio convocato vidissent Afri quam sibi adversaretur universæ Ecclesiæ consuetudo, atque ita deinde inexcusabiles fuissent in sua opinione perseverando.

Quoad ea quæ P. Natalis opponit, *num.* 17. desumpta ex iis quæ evenere in causa Cæciliani, patet responsio ex dictis alibi. Ibi ex Sancto Augustino animadverti post sententiam Melchiadis aliud Concilii judicium non fuisse necessarium. Cum præterea de facti quæstione ageretur, non repugnabat detegi in Concilio illius noxam, qui a Melchiade innocens fuerat judicatus.

Causa Apiarii eo modo quo urgetur a P. Natale pro-

probaret jus appellandi ad Romanum Pontificem non consurgere ratione primatus quem habet in Ecclesia, sed ex potestate ipsi a S. Canonibus asserta, quod tamen & ipse improbat P. Natalis alibi. Si etenim de Apiarii appellatione ex ea ratione juste conquerebantur, quod crederent eam Nicænos Canones non admisisse, jam PP. Africani non esse appellandum ad Romanum Pontificem credebant, quia Canones non concesserant. Vel ergo PP. Africani improbarunt tantummodo præproperam, festinatam, vel indebitam illorum absolutionem, quos ipsi damnassent, seu improbas appellationes, ut exhibere videtur ipsorum Epistola apud P. Natalem, vel non adhuc satis apud ipsos constabat jus appellationum ad Romanum Pontificem ex ipsius primatu consurgere: atque ita decepti nolebant a Romano Pontifice eas admitti, quia putabant sacrorum Canonum auctoritate non fulciri. Et re vera de his appellationibus non semel disceptatum fuit in Ecclesia; cum tamen Romani Pontifices sempar propugnaverint ad ipsos ex qualibet orbis parte appellari potuisse, de ipsorum vero sententiis, nullum esse, qui posset judicare; atque ita esse agnovit Ecclesia, ut non semel, ubi occasio tulit, adnotatum est.

Glabri Rodulfi narrationem quam refert n. 28. ut commentitiam rejeci alibi ac subdidi quod etsi aliquando aliqui Episcopi usui immediatæ universalis Pontificis jurisdictionis se opposuerint, id jure fecisse numquam demonstrarunt.

PP. Concilii Ansani vel errarunt, vel respuerunt Privilegium Cluniacensibus concessum, quia Pontifici obreptum, subreptumve putarunt, ut dixi alibi. Errare potuisse ex eo ostendisur, quod minime negandum est Romanum Pontificem ex sui primatus jure posse aliquibus privilegia elargiri, quæ illos a legis extrahant obligatione; quapropter si noluerunt privilegium admittere, quia non consonum iis, quæ sacri Canones statuerant, privilegiorum vim non attenderunt, vel ignorasse dicendum est. Quidquid ergo ab aliquibus factum sit non infringit potiorem Pontificis supra Concilia potestatem, immo Pontifices Sacris Canonibus non ligari ostenderunt privilegia concedendo quæ illorum vim relaxarent.

Abs re autem prorsus S. Gregorii auctoritatem refert n. 24. Nam S. Gregorius se amplecti profitetur quinque prima Concilia, quorum sanctionibus Romani Pontifices adhæserant, probationemque præbuerant: hujusmodi vero Concilia maxime dum de Fidei definitionibus, seu factis doctrinalibus agatur, & ipsos Pontifices amplecti debere compertum est. Præsens vero controversia in eo versatur, an Concilii seorsim a Pontifice considerati decretis teneatur Summus Pontifex obtemperare.

Sed neque quæ objicit n. 30. ex Innocentii III. responso probant Pontificem Generali Concilio subditum esse, ut observavi alibi. Et re vera neque de re agebatur, de qua Concilium non Papa posset judicare; ut loco etenim citato adnotavi, putabat Innocentius Philippi petitis adnuendo, aperte infringi illam Christi sententiam: *Quod Deus conjunxit, &c.* Ibidem vero dictis addendum prorsus absque fundamento dici Innocentium Officii sui periculum timuisse, si absque Concilio judicasset, an Philippi matrimonium existimandum esset consummatum. Non-ne ex Sacrorum Canonum præscripto, & ex continua Ecclesiæ praxi majores & difficiliores causæ ad Pontificem sunt deferendæ! Unde ergo periculum sibi imminere reputasset, dum in judicando, quod facere debebat, præstitisset?

§. IX.

Ostenditur præstantia Papæ supra Concilia quia firma non sunt quæ Concilia decernunt, si nolit eis assentiri.

CUm Superioris auctoritatis manifestum sit argumentum posse ea rescindere, quæ ab aliis Judicibus fuerint stabilita, atque hæc mature usquequo ejusdem auctoritatis pondere non firmentur, hoc est nullum non movere lapidem Pontificiæ potestatis adversarios, ac præcipue Bossuet *in Defens. Declar. p. 2. l. 13. usque ad cap.* 10. ut hujus argumenti vim eludant. Non solum ergo laborant, ut nullam confirmationem ab œcumenicis Conciliis expetitam legenti suadeant, sed etiam ut confirmationem Romanorum Pontificum Conciliorum decretis additam, nil aliud significasse quam ipsorum consensionem eisdem decretis, sive testimonium suæ confessionis. Congerunt proinde varia exempla quibus & ipsæ Synodo œcumenicæ definitiones dicuntur ab inferioribus confirmatæ, sicut & Romanorum Pontificum decreta; ac proinde vanum esse ad Superiorem potestatem indigitandam ex eo argumentum ducere, quod Romani Pontifices Concilia œcumenica confirmaverint. Ut tamen hujusmodi mera effugia esse ostendam, supersedendo a particularibus controversiis de confirmatione a quibusdam Synodis expetita, in eo solum vim faciam, quod confirmatio Romani Pontificis ita considerabatur, ut ex ea quæ Concilia sanciverant irretractabilem consequerentur firmitatem, & sine ea in dubium possent revocari; ac proinde non habebat vim solius consensionis seu propriæ fidei testimonii, ut necessario dicitur de confirmatione quam addebant inferiores iis quæ Concilia œcumenica, sive Pontifices sanciverant, sed virtutem Superioris exprimit potestatis.

Id autem luculentius haud potest ostendi, quam demonstrando absque Romani Pontificis approbatione sive ipso renuente, Conciliorum decreta irrita Ecclesiam habuisse; nullus autem eadem irrita reddere potuisset, nisi superiore præditus fuisset auctoritate. Ita vero Ecclesiam sensisse ostendit Julius Papa apud Socratem *l. 2. c.* 13. scripsit enim ad Episcopos Concilii Antiocheni *eos contra Canonem Ecclesiæ egisse, quia ipsam ad Concilium non vocaverant, Ecclesiastico Canone jubente non oportere præter sententiam Episcopi Romani Canones condere Ecclesiis*. Et apud Sozomenum *l. 2. c.* 9. ait: *Contra leges Ecclesiæ esse quod ipsum ad Synodum non vocassent. Esse enim legem Sacerdotalem quod irrita declarentur quæcumque fiunt præter sententiam Romani Episcopi*. En generaliter nullius valoris declarari quæcumque, renuente Romano Pontifice, decernantur. Eamdem Ecclesiæ sententiam explicans S. Gelasius ep. 13. ad Episcopos Dardaniæ ita ait: *Confidimus quod nullus jam veraciter Christianus ignoret uniuscujusque Synodi constitutum, quod universalis Ecclesiæ probavit assensus, non aliam magis exequi Sedem præ cæteris oportere, quam primam; quæ & unamquamque Synodum sua auctoritate confirmat, & continuata moderatione custodit; pro suo scilicet Principatu quem B. Petrus Apostolus Domini voce perceptum Ecclesia nihilominus subsequente & tenuit semper & retinet.* Ubi quæso invenire est inferiores gesta Synodalia *sua auctoritate* seu *principatu* confirmare? Sed & ubi adinventum est ex suæ dignitatis *principatu & auctoritate* aliorum sententias confirmantem potiori potestate non gaudere! Qui vero ita confirmandi aliorum gesta obtinet auctoritatem, sane tamquam Superior eadem potest irrita velle ac decernere. Sed ut explicaret Conciliorum auctoritate non impediri, quin illorum sanctiones Romanus Pontifex irritas velle possit, ibi etiam hæc habet: *Dioscorum secundæ Sedis Præsulem sua auctoritate damnavit Sedes Apostolica, & impiam Synodum non consentienda submovit: ac pro veritate ut Chalcedonensis Synodus fieret sola decrevit. - Sicut id quod prima Sedes non probaverat, stare non potuit, sic quod illa censuit judicandum, Ecclesia tota suscepit &c.* Ita ex solo defectu approbationis Romani Pontificis statim corruisse quæ Synodus decreverat, demonstrat, absque eo quod id ex eo derivet quod in Synodo Ephesina cuncta per vim facta assereret; & e contra quidquid Sedes Apostolica probavit, statim omnem Ecclesiam amplexam esse explicat. Quæ certe manifeste innuunt rerum firmitatem atque valorem tandem ab approbatione Romani Pontificis pendidisse; neque etenim ex solo Pontificis dissensu rationem desumere Gelasius potuisset, cur Ephesina Synodus nullius fuisset auctoritatis, si absque ipso gesta Conciliaria omnem haberent firmitatem. Extra rem etiam dixisset stare non posse quod prima Sedes non probaret, si absque ipsius approbatione omne robur obtineret, ac frustra prædicasset Ecclesiam totam suscipere, quod prima approbat Sedes, si absque ipsius approbatione veritas omnino posset innotescere. Idem in eadem Epistole S. Gelasius confirmavit, absque ulla limitatione affirmando posse Romanum Pontificem cassa resolutaque velle cuncta quæ Antistites in Synodo per suam sententiam decrevissent: *Cuncta per mundum*, ait, *novit Ecclesia, quoniam quorumlibet sententiis ligata Pontificum Sedes B. Petri Apostoli jus habeat resolvendi*. Quod si hujusmodi alicui voluntarie cæcutienti non sufficerent; ut ignorare non possit ab approbatione Romani Pontificis etiam Conciliorum decreta omnimodam firmitatem mutuasse, ac proinde ipsius potestatem Conciliis esse superiorem, audiat demum ipsum S. Gelasium *l. de anathem.* ita loquentem: *Totum in Sedis Apostolicæ positum est potestate, Ita quod firmavit*

mavit in Synodo Sedes Apostolica, hoc robur obtinuit: quod refutavit habere non potuit firmitatem &c. Ita perpetuus est Sanctes Gelasius in affirmando Romani Pontificis consensum eam esse rationem, ex qua aliqua vel firma inconcussaque sunt judicanda, vel ut nullum robur firmitatemque obtinentia; unde statim ex dictis dignoscitur, quam frustra P. Natalis n. 35. S. Gelasii auctoritatem declinare conetur. Id semper magis innotescit Hincmari verba expendendo *lib. de divort. Loth. & Teutbor.* ubi sic ait: *Quibus omnibus demonstratur quia Synodus comprovincialium Episcoporum judicia; generalis autem Synodus comprovincialium dijudicationes, sive dissensiones vel probet, vel corrigat; Apostolica vero Sedes & comprovincialium & generalium retractet, refricet, & confirmet judicia, sicut Epistolæ Leonis, atque Gelasii, cæterorumque Romanorum Pontificum, & Sardicensis Synodus evidenter ostendunt.* Ita Hincmarus explicat quod sicut sua potiore auctoritate Synodos provincialis gesta particularium Synodorum vel confirmat, vel rescindit, & Synodus œcumenica gesta Synodorum provincialium, ita Romanus Pontifex Synodi œcumenicæ sanctiones. Deinde id traditum dicit a SS. Leone, Gelasio &c. atque a Synodo Sardicensi, in qua asseruntur ad Romanum Pontificem appellationes. Ita Hincmarus novas illas interpretationes explodit, quibus dicunt jus confirmandi, seu approbandi œcumenicas Synodos, quod Romani Pontifices exercuere, ac PP. in eisdem agnovere, non aliud fuisse quam ostendere suam eisdem Synodis adhæsionem, seu declarare in Conciliis omnia legitima fuisse peracta. Explodit pariter tot illas interpretationes, quibus conantur probare ex Epistolis SS. Leonis, Gelasii &c. non colligi potiorem esse Papæ, quam Concilii auctoritatem. Quantum etiam sit pondus approbationis Romani Pontificis explicaverat Ratherius Veronensis Episcopus in Itinerario, ubi inter alia hoc habet: *Nusquam ratum, quod illic irritum*, nempe penes Sedem Apostolicam, *nusquam irritum, quod illic ratum fuerit visum*. Spicileg. l. 2. p. 267. Et Ratramnus l. 4. adv. opposita Græcor. *Quæcumque Concilia ejus sententia roborata sunt, rata manserunt: quæ vero damnavit, pro nihilo reputata fuerunt, nec auctoritatem ullam habere potuerunt.* Possem alia non pauca in rem præsentem expendere, sed ne longiore quam par est sermone immorer in explicanda veritate, quam nobis tot exhibent Ecclesiæ monumenta, solum in medium proferam ea quæ quoad Concilium Chalcedonense evenere.

Primo igitur æquum est observare S. Leonem non semel proposuisse ad obtinendam obedientiam iis quæ in ea Synodo fuerant definita, curandum esse ut innotesceret eisdem Apostolicam Sedem suo consensu accessisse: *Cum vestro præcipue opere*, ait Ep. 59. ad Marcian. August. *sit effectum ut per Synodale Concilium domatis impii dogmatis defensoribus, omnes vires sacrilegas error amitteret, ad ejusdem devotionis pertinet palmam, si malum quod in suis ducibus est impressum, etiam inquibuscumque reliquiis deleatur. Quod facilius Clementia vestra arbitratur implendum, si per universas Ecclesias definitiones sancta Synodi Chalcedonensis Apostolicæ Sedi placuisse doceantur.* Et in Ep. 60. ad Pulcheriam Augustam: *Quod vero piissimus Imperator ad omnes Episcopos, qui Chalcedonensi Synodo interfuere, voluit me scripta dirigere quibus quæ illic sunt de fidei regula definita, firmarem, libenter implevi, ne fallax cujusque simulatio sententiam meam haberi vellet incertam.* Ubi ergo Ecclesiæ innotuisset S. Leonem Chalcedonenses definitiones confirmasse, præcludebatur aditus ne aliqui illis parere detrectarent; qui non præclusus videbatur si aliqui simulare potuissent incertum esse quid de eisdem definitionibus S. Leo sentiret. Non ergo ineluctabilem assequabantur auctoritatem, nisi Romani Pontificis confirmatione roborarentur. Neque hujusmodi infirmantur dicendo cum Natale *Differt. 4. a. 35.* ideo necesse fuisse, ut S. Leonis confirmatio Ecclesiæ innotesceret, quia hæretici per calumniam vulgaverant Sedem Romanam Synodo Chalcedonensi non adhæsisse. Vel igitur Romani Pontificis dissensus causa sufficiens in Ecclesia habebatur ad excipiendum contra Concilii definitiones, vel non? Si non, parum curandum erat ut orbi innotesceret S. Leonem eisdem definitionibus consensum, confirmationemque præbuisse. Si vero ex Pontificis dissensu Conciliares definitiones respuendi causa poterat oriri, semper verum est ab ipsius approbatione ultimam irrefragabilemque obtinere firmitatem, quod supremæ potestati tribuendum nemo non videt. Et re vera jam supra vidimus ex Gelasii verbis nil firmum fuisse absque Romani Pontificis assensu, atque ita S. Gelasii & S. Leonis verba Hincmarum intellexisse; unde dicendum est S. Leonem ideo voluisse suum consensum Chalcedonensibus definitionibus, Ecclesiæ innotescere, ut omnibus omnimodam habere firmitatem compertum esset.

Idem S. Leo non desinit quosdam urgere ad amplectenda decreta Chalcedonensia, quæ ipse confirmaverat: *Damnent*, ait Ep. 86. ad Nicet. Aquil. *apertis professionibus sui superbi erroris auctores, & quidquid in doctrina eorum universalis Ecclesia exhorruit, detestentur: omniaque decreta Synodalia, quæ ad excisionem hæreseos Apostolicæ Sedis confirmavit auctoritas, amplecti se & in omnibus approbare, plenis & apertis, ac propria manu subscriptis protestationibus eloquantur.* Et in Epist. 71. ad Anatol. *Chalcedonensis Synodi definitionem de fide, cui etiam dilectio tua subscribendo consensit, & quam Apostolicæ Sedis firmavit auctoritas, profiteatur se per omnia servaturum.* Ita S. Leo, quæ ipse confirmaverat Chalcedonensia decreta, prorsus amplectenda declarat, imperatque. At cur quæso solum meminit decretorum sua auctoritate confirmatorum? Nulla alia mihi occurrit ratio, nisi quia aliqua subesse posset excusatio, si recipere quis nollet quæ Romanus Pontifex non probasset, & quia ubi hujus confirmatio intercedaret, statim parendum esse innotesceret. Ita semper magis robur habet argumentum ad ostendendum Papæ auctoritatem Conciliis prævalere; si etenim ex ea habent conciliares sanctiones ut nil amplius possit opponi, jam supremam esse prorsus necesse est.

Si vero hæc omnia non satis demonstrarent superiorem Romani Pontificis potestatem, utpote quia absque ipsius approbatione & ipsa conciliaria nutant decreta, ejusdem superioris potestatis usus aperte apparuit, dum S. Leo Canonem 28. Concilii Chalcedonensis, quo contra privilegium Episcopi Alexandrini post Romanum primus locus Antistiti Constantinopolitano fuit delatus. Hunc igitur Concilii universi Canonem S. Leo in irritum misit, quod sane præstare non potuisset, si potestate Concilio potiore potius non fuisset. Scribendo igitur ad Pulcheriam Augustam Ep. 55. ita habet: *Consensiones vero Episcoporum, sanctorum Canonum apud Nicæam conditorum regulis repugnantes, unita nobiscum vestræ fidei pietate, in irritum mittimus, & per auctoritatem Beati Petri Apostoli Generali prorsus definitione cassamus.*

Sed audiamus modo quid iis respondeat Bossuet *p. 2. l.* 13. t. 8. Primo asserit etiam secundam œcumenicam Synodum *can.* 5. post Romanum Antistiti Constantinopolitano primas detulisse, & quamvis Romani Pontifices hujusmodi Canonem non probaverint, ut profitetur S. Leo *Ep. 53. & 55.* S. Gregorius *l. 9. Ep. 31. & 63.* nihilominus illum Canonem in toto Oriente valuisse, immo in ipso Concilio Chalcedonensi, assentientibus Apostolicis Legatis, Anatolium Constantinopolitanum secundum locum obtinuisse. At hæc verba sunt, Si Canon secundæ œcumenicæ Synodi, quamvis minime probatus a Romanis Pontificibus valebat, nihilque amplius ad suam firmitatem desiderabatur, cur iterum Chalcedone actum de hoc privilegio Antistiti Constantinopolitano elargiendo? Cur Imperator tantum egit ut sibi id expostulanti Concilium adnueret? Cur post concessum privilegium, in relatione ad S. Leonem petunt, ut probare dignetur, & quemadmodum *PP. in bonis capiti consonarent, ita Pontificalis apex id quod decens erat, filiis indulgeret.* Si deinde Legati S. Leonis ex vi præfati Canonis primum post se locum Constantinopolitano Episcopo concedendum existimarunt, cur postea quando Synodus id iterum sancitum voluit, tam fortiter restiterunt, ac nullatenus hujusmodi acquievere concessioni? Forte-ne antea ignorabant Ecclesiam Romanam illum Canonem respuisse, nulliusque valoris agnovisse? Sane cum ignorare non possent a Romanis Pontificibus nihil fuisse habitos Canones Synodi II. iis exceptis, qui ad fidem pertinebant, irrationabile omnino est credere ex auctoritate ejusdem Synodi Anatolio Constantinopolitano secundum locum fuisse concessum in Synodo Chalcedonensi.

Addit Bossuet S. Leonem merito potuisse Canonem 28. Chalcedonensem in irritum mittere, tum quia Chalcedonenses PP. Nicænas regulas ab universa Ecclesia receptas hoc Canone everterant, tum quia in eo Canone statuendo Concilii œcumenici auctoritate non gaudebat, utpote quia ipsi Sedes Apostolica, ac universus occidens contradiceret; tum quia illius Canonis valorem a Pontificis pendere auctoritate voluere; unde Anatolius ita ad S. Leonem scripserat: *Cum & sic gestorum vis omnis & confirmatio auctori-*

tati

tati vestræ beatitudinis fuerit reservata. Coll. Hulst. p. 1. c. 22.

Dum vero ita Bossuet scribebat oblitum se ostendit eorum, quæ paulo ante affirmaverat. Dixerat valuisse in toto Oriente Canonem secundæ œcumenicæ Synodi quo primus locus post Romanum Præsuli Constantinopolitano asserebatur. Dixerat ejusdem vi Canonis omnes Episcopos, eosdemque S. Leonis Legatos intellexisse primum post se locum Constantinopolitano Antistiti tribuendum. Sed non-ne hujusmodi Canone PP. Constantinopolitani regulas Nicænas averterant, quæ secundum locum Alexandrino Patriarchæ destinaverant? Si minime id licebat PP. Chalcedonensibus, cur PP. Constantinopolitanis, qui numero tam erant inferiores? Si non licebat, quomodo dici potuit PP. Chalcedonenses, ac Leonis Legatos eidem Canoni obsequendo Episcopo Constantinopolitano secundum locum concessisse? Quis postea negare præsumat parem habentem potestatem ea non posse convellere, quæ ab æquali potestate fuerint determinata? Nemo negaverit Chalcedonensem Synodum eadem ac Nicænam auctoritate non potitam; unde & recedere ab iis concedebatur quæ PP. Nicæni sanciverant. Nec recedendi ratio deesse videbatur, cum primas honoris post Romanum Constantinopolitano Antistiti concedendas enixe peterent Marcianus Imperator, ejusque conjux Pulcheria de fide, & Ecclesia optime merentes. Ex iis vero ediscas nec Natalem in superiori dissertatione *art. 1. §. 5. n. 36.* recte dixisse S. Leonem in irritum mittendo Canonem Chalcedonensem nil aliud fecisse quam vacuum auctoritate declarare, quod de se nullum robur habebat, quia Nicænis Canonibus oppositum. Oportebat nempe prius ostendere Synodum Chalcedonensem eamdem ac Nicænam non obtinere auctoritatem, ac injustam prorsus esse causam recedendi a Nicænis sanctionibus, gratificari PP. voluisse Marciano, & Pulcheriæ, qui pro Ecclesia tantum adlaboraverant. Ubi hæc vera non sint, futile prorsus est irritum habere illum Canonem ea solum ratione, quod Nicænis regulis contradiceret, itemque futile verba S. Leonis illum Canonem auctoritate S. Petri *in irritum* mittentis ita interpretari, ut non voluerit rescindere, quod alias suo valore non caruisset, sed declarare dumtaxat se nullum, quod jam a sui exordio irritum omnino haberi debebatur. Non simplicem nullitatis declarationem ea verba sonant: *in irritum mittimus*, nec ut nullum habendum erat, quod ab æquali potestate sancitum fuerat; quamvis postea S. Leo irritandum putaverit, quia Nicænos Canones infringere Ecclesiæ tunc expediens esse non judicavit.

Sed neque juxta Bossuet principia Canonem Chalcedonensem valore vacuum licet affirmare, quia eidem Sedes Apostolica cum Occidente adversaretur. Hæc sane contradictio non alia ratione Concilium sua auctoritate exuere poterat, nisi quia per eam dignoscebatur illi Sedis Apostolicæ ac Occidentis Præsulum consensum deesse: porro & hujusmodi consensum Canoni Constantinopolitano defuisse Bossuet agnoverat, & nihilominus non statim corruisse sentit. Expostulandum etiam foret a Bossuet, an crederet Concilium esse legitimum ac œcumenicum; si vel soli Pontificis Legati contradicant, vel non? Si primum, lubentissime ipsi consensum præbemus cum statim inferamus tantam esse Romani Pontificis potestatem, ut solius ipsius Legatis contradicentibus Concilium a sua excidat potestate. Sed & omnis e medio tolleretur quæstio; ubi etenim Concilium desinat esse legitimum, & œcumenicum, si Legati Pontificis contradicant, jam nullum est Concilium quod possit Pontifici præponi, quia legitimum illud solum erit, quod suo Capiti adhæreat. Si vero legitimum & œcumenicum perseverat esse Concilium, etsi Pontificis Legati eidem obsistant, jam Canon Chalcedonensis fœtus erat œcumenici legitimique Concilii, quem proinde non potuisset S. Leo *in irritum* mittere, si ejusdem potestas Concilio non prævaluisset.

Dum demum dixit Bossuet PP. Chalcedonenses voluisse sui Canonis valorem a confirmatione S. Leonis pendere, ac proinde quasi conditionate suum edidisse Canonem, si nempe S. Leo illum non respuisset, ita factum esse prorsus nego. Pendebat igitur valor Canonis a S. Leonis consensu, quia ipsa naturalis ratio dictat, refragante Superiore, quæ ab inferiore geruntur statim corruere; atque ita merito tam in Synodi relatione, quam in Epistola Anatolii, S. Leonis confirmatio desiderata reservataque intelligebatur. Falso vero diceretur ab ipso Synodo reservata, ac proinde Canonem valore vacuum remansisse, statim ac Leo contradixit. Id melius innotescere non potest quam observando quæ in eo stabiliendo Canone evenere. Ubi igitur efformatus fuit Canon, quo Præsul Constantinopolitanus omnibus, uno excepto Romano Pontifice, præponebatur, sexcenti illi Episcopi ita exclamarunt: *Hæc justa sententia: hæc omnes dicimus: hæc omnibus placent: hoc justum decretum: quæ constituta sunt, valeant*. Nec vola ergo in Actis apparet, unde ea conditione a PP. editum fuisse Canonem credamus, si Romanus Pontifex adnuerat. Hinc compertum est ideo confirmationem postea a S. Leone expetitam, quia agnoscebant PP. illo contradicente statim Canonem nullius valoris habendum, quod signum apertum est superioris potestatis; ac ita ea superiore potestate *in irritum* misit. Non omisit Nicolaus I. hanc veritatem exprimere, dum Conciliorum gesta irrita nullaque affirmavit, non eam afferens rationem quod contra jus ibi aliqua fuerint decreta, sed quia defuit Romani Pontificis consensus, ita ostendens unanimes PP. sanctiones flocci faciendas, si Romani Pontificis auctoritate non roborentur: *Non ergo dicatis*, ait Ep. 8. *non eguisse vos in causa pietatis Romanæ Ecclesia, quæ collecta Concilia sua auctoritate firmat, sua moderatione custodit. Unde quædam eorum, quia consensum Romani Pontificis non habuerunt, valetudinem perdiderant. Quomodo non egeat quælibet Synodus Romanæ Sedis, quando in Ephesino Latrocinio cunctis Præsulibus, & ipsis quoque Patriarchis probantibus, nisi magnus Leo, imitator scilicet illius Leonis, de quo scriptum est, vicit Leo de Tribu Juda, divinitus excitatus os aperiens, totum orbem, & ipsos quoque Augustos concuteret & ad pietatem commoveret, religio catholica penitus corruisset*. Sicuti suprema sua auctoritate Ephesina Acta S. Leo rescidit, ita Canonem Chalcedonensem respuendo nullius effecit valoris; unde ipsius auctoritate idemmet Anatolius victus Pontificis mandatis acquievit, ut patet ex ipsius Epistola qua S. Leoni rescripsit, simulque in eadem ipsum Imperatorem acquievisse testatus est. Consulas Lucam Holstenium Coll. 1. p. c. 22. Interim ex Præfatis agnoscas an bene dixerit P. Natalis n. 35. confirmationem a Romano Pontifice Synodis œcumenicis præstitam nihil aliud fuisse quam ipsorum decretis consensum præbere, eaque promulgari ac executioni mandari potuisse.

Cum vero nullum non moverit lapidem Bossuet, ut ab isto argumento se expediret, quo sola clarius apparet Romanum Pontificem superiorem Concilio auctoritatem exercuisse, atque ab ipsius approbatione robur decretorum Conciliarium pendidisse, illud etiam respondet, se defendere potiorem esse Concilii auctoritatem in causis fidei, Schismatis, & reformationis generalis, de quibus Canone 28. Concilii Chalcedonensis non agebatur. Hæc autem responsio non minus ac aliæ a vero longissime aberrat. Et absque eo quod hic sistam in observando Nicolaum I. in verbis superius allatis loquutum de quæstionibus fidei, dum dixit ex solo dissensu S. Leonis definitiones Concilii Ephesini ab Ecclesia fuisse rejectas, solum quærerem, undenam habeatur Concilium Romano Pontifici superesse in causis fidei &c. non vero absque ulla exceptione hujusmodi potiri potestate. Si perpendantur quæ habet P. Natalis in superiore dissertatione *art. 1. §. 2.* Concilium Papæ præeminet, quia immediate a Christo habet auctoritatem; quia valet ipsum Papam peccantem corripere; quia claves immediatius Ecclesiæ quam Petro fuerunt collatæ: hujusmodi vero rationes, si veræ sint, absque ulla exceptione Papam Concilio subjiciunt, unde causam suam deserit, qui in quibusdam, non in omnibus, Papæ Concilium præesse affirmat. Si proinde in quibusdam verum sit non Concilium Papæ, sed Papam Concilio dominari, id in omnibus admittere necesse est. Sed & adhuc redeamus ad aliqua expendenda, quæ de Concilio Chalcedonensi in quæstionem revocata sunt.

Nemo non scit quas turbas in Ecclesia excitaverint dissensiones circa famosa tria capitula. Interim vero ad discernendum an de iis iterum in Ecclesia agi posset, hoc disceptabatur, an nempe S. Leo Concilium Chalcedonense quoad ea solum, quæ ad fidem pertinebant, approbasset, an vero absque ulla exceptione *gesta Synodalia*: tunc etenim quia & tria capitula approbasse jactabant, de iisdem non amplius ambigi posse inferebant. Hanc ob rationem Facundus Hermianensis excandescit in eos qui tria capitula novo examine trutinanda dicebant; atque id fieri non posse asserit *lib. 3. c. 4.* quia S. Leonem omnia Chalcedonensia gesta probasse asserebat, unde ajebat: *Cum Leo dicat & Fraterna Universitas & omnium fidelium corda cognoscant, me non solum per Fratres, qui vicem meam sequuti sunt, sed etiam per appro-*

batio-

bationem gestorum synodalium propriam vobiscum uaisse sententiam &c. Nea ergo solam fidei definitionem, sed ipsa gesta Synodalia se pronunciat approbasse. Ferrandus etiam Ecclesiæ Carthaginensis Diaconus scribendo ad Pelagium & Anatolium pro tribus capitulis, & maxime pro Epistola Ibæ, de iisdem non esse retractandum ita differebat: *Si quis tunc accusator Epistolæ, cujus catholica esse dictatio claruit, ad majora judicia provocaret, accusationi forsitan secundum consuetudinem locus pateret. Sed quo iret, aut ubi majores in Ecclesia reperiret judices? Ante sa habens in Legatis suis Apostolicam Sedem, qua consentiente quidquid illa definivit Synodus, accepit robur invictam? — Si retractentur Chalcedonensis decreta Concilii, de Nicana Synodo cogitemus, na simile periculum patiatur. Universalia Concilia, pracipue illa quibus Ecclesia Romana consensus accessit, secunda auctoritatis locum post Canonicos libros habent — Quæ finiuntur judicantibus Episcopis sanctis, & ad B. Petri memoriam perducta diligentius examinantur, atque firmantur, sequenda sunt, tenenda sunt, amplectenda sunt, in retractatione sub qualibet pietatis occasiona teneri non debent*. E contra Pelagius II. non aliud confirmasse S. Leonem quam fidei definitiones contendens, ex hoc de cæteris causis in Concilio Chalcedonensi excitatis retractare integrum asserebat; quapropter *Ep. 5. ad Episc. Istria* ita tandem concludit: *Privatas causas, quæ ibi post definitionem fidei actæ sunt non solum minime confirmavit, sed & retractari, atque dijudicari concessit.*

Pensandum modo est ante Romani Pontificis consensum tanc creditum causas etiam in Synodis œcumenicis ventilatas iterum posse retractari;, & a Romanis Pontificibus novo examine trutinari; post approbationem vero Romani Pontificis non posse ad novum examen sevocari, post Canonicos libros auctoritatis locum obtinere, tenendas, sequendas, amplectendas esse, nec sub pietatis occasione retractandas. Potior ne ergo est Concilii auctoritas, post cujus decisionem adhuc novum superest examen, an Papæ, post cujus approbationem lis finita est, ac ea, quibus consentit irretractabilem accipiunt firmitatem? Quomodo vero retractata fuerint quæ Pontifices definiendo decreverunt, videsis alibi.

Ex hucusque dictis statim evanescunt ea omnia, quæ congeruntur ad enervandam hujus vim argumenti, quo ex approbatione, confirmatione, & consensu Romani Pontificis ei inesse superiorem Concilio potestatem probavi. Declamando proinde modo eam quæstionem an semper Concilia rerum gestarum confirmationem a Pontifice expetierint, an vero aliquando ultro concesserit, satis mihi est ex præjactis hæc inhæsitanter posse affirmare. Primum est non aliam rationem non semel allatam tam a Romanis Pontificibus, quam a PP. cur quædam Synodalia gesta corruerint, nisi quia Romani Pontificis consensus defuit, & approbatio: hujusmodi vero ratio prorsus falsa immo ridicula esset, si Romani Pontificie approbatio a superiore non dimanaret potestate. Secundum est, quod ea quæ a Conciliis sancita fuere, iterum retractabilia Ecclesia reputavit, irretractabilia vero ubi iis Romanus Pontifex sua approbatione, consensuque accessit: si vero id non ostendat Conciliis superiorem habitam fuisse Pontificis potestatem, nescio ex quo magis dimetienda sit superior, vel inferior potestas. Tertium est, quod Concilia novum examen, de iis quæ decreverant, a Romano Pontifice institui potuisse, & Sedem Apostolicam posse retractare, refricare, ac si veritati consona invenist, Conciliorum Generalium confirmare decreta. Judicet modo Lector an inferiorem Conciliis habentem potestatem posset id attentare; Ex iis autem ediscas longissime distare confirmationem, quam præstat Romanus Pontifex Conciliis ab ea confirmationa, quam etiam aliquando Episcopi dicuntur Conciliis addidisse, quod discrimen non satis perpendit Natalis n. 35.

Impossibile captu Natali videtur Synodi œcumenicæ gesta prorsus ruitura, si Romanus Pontifex ea non probet; ex hoc etenim & fieri potuisse dicit quod ipsum Symbolum Nicænam nulla vim suisset habiturum, si Romanus Pontifex approbare noluisset. Id tamen, quod tamquam maximam absurdum opponit Natalis, statim evanescit, si concedamus Romano Pontifici illam infallibilitatem, quam in eo ut Christi Vicario, ut Ecclesiæ fundamento, ut officium gerente fratres confirmandi & edocendi æquam est conspicere, conspexitque Ecclesia, ut perpendi alibi. Ex hoc autem sequitur numquam futarum Romanum Pontificem posse respuere quæ S. Scripturæ consona sunt ac Traditioni, ac ex ipsius dissensu, quæ vera sunt, robore exuenda. Bene autem fiat, ut tamquam Princeps, Caput, Pastor ac totius Ecclesiæ Magister PP. in Concilio congregatos corrigat, & ad viam veritatis, si errent, reducat.

Opponit Bossuet Conciliorum definitiones statim fuisse receptas, neque Romani Pontificis expectatam approbationem. Id tamen prorsua salsum dico, dum Ecclesia timuit Romani Pontificis consensum non adfuisse. Jam satia id appatet ex iis, quæ supra circa Concilium Chalcedonense prælibavi; nam vidimus ex confirmatione & consensu S. Leonis ejusdem Concilii firmitatem Ecclesiam considerasse; quibus addam quæ in recipienda quinta Synodo evenere; palam enim apparet incertæ prorsus auctoritatis habitam fuisse, usquadum consensio, & auctoritas Romanorum Pontificom eam probandam esse demonstraverint. Quia igitur ab eadem dissensisse Romanos Pontifices non pauci existimabant, illam innoxie respuere posse adhuc Pelagio II. Pontifice, credebant Istriæ Episcopi, unde *Ep. 7. c. 7.* ita ad eos scribit: *Rursam per Epistolam vestram dicitur, a Sede Apostolica vos doctos, atque a scrinio Sanctæ Romana Ecclesia, cui Deo auctore præsumus, confirmatos, ne huic rei, qua sub pia memoria Justiniano Principe gesta sunt, consentire debeatis &c.* Ex re vera sola Pontificum auctoritas & consensio obtinere tandem potuit, ut hæc Synodus contra quam occidentalis omnis Ecclesia reclamabat, legitima, atque œcumenica haberetur.

Aliud argumentum pro adstruenda Papæ supra Concilium præstantia ex eo desumitur, quod ab hoc non potest contra ipsum judicium instituti, quod tamen facera posset si potiore potiretur auctoritate. De iis vero legenda quæ dixi alibi ubi soli Deo judicium Papæ reservatum ostendo. Sæpo vero adnotavi nihil referre dicere cum P. Natale n. 32. ratione hæresis Concilio subesse: hujus etenim ratione delicti desinit esse Papa, quia non amplius pertinet ad Ecclesiam. Quod si aliis criminibus inquinaretur nullum reperio apud PP. judicem, qui ex sua superiore potestate posset de illis cognoscere: quamvis ob defendendam Ecclesiam, possent Antistites se illi opponere. Bene vero reperio ipsos Romanos Pontifices sponte etiam particularibus Synodis se subdidisse, ut inter alios præstitit Paschalis II. atque ita voluere propriam innocentiam universo orbi innotescere.

Nec minorem vim ad eamdem præstantiam cognoscendam habet argumentum ex eo petitum, quod Ecclesia respexerit sedem Apostolicam at supremum tribunal, a quo ad aliud non esset provocandum; qua de re egi occasione appellationis Philippi Pulchri alibi.

§. X.

Expenduntur rationes, quibus Papam Concilio divina institutione superesse cognoscimus.

CHristo injuriam sane irrogaret, qui vellet in sua Ecclesia tale gubernium instituisse, ut ex eo quamplurima incommoda sequerentur, quæ vitare potuisset aliam regiminis formam destinando: unde si ostendam eadem eventura, si Vicarium suum Concilio subdidisset, ac facillime vitanda eumdem Concilio anteponendo, fateri necesse est ita Christum præstitisse. Omittendo igitur hanc Papæ præstantiam ex eo etiam cognosci, quod Christus eumdem suum in terris Vicarium elegerit, quapropter nulli subditum esse, quia Principalis sui personam gerit; quod constituerit Ecclesiæ suæ Caput, adeoque ipsi Ecclesiæ, & subinde eisdem Conciliis quæ repræsentative tantum sunt ipsa Ecclesia, dominari debere; quod gregis sui Pastorem elegerit, atque ita & ipsa Concilia quæ sunt ex Christi grege ab ipsius nuta pendere necesse esse. Omittendo, inquam, hæc quæ auctoritatis præeminentiam exhibent, in eo tantum sistendum puto, quod si Concilia Papæ præponamus in Ecclesiæ regimine, id admittere necesse esset, ut non satis hæresibus eradicandis, ac Schismati eliminando fuerit provisum; quod certe de Christo suam Ecclesiam instituente judicare non possumus; si etenim ita fecisset, quis crederet vere in Ecclesia gregis sui Pastorem reliquisse?

Ut igitur sans provisum a Christo credamus, ut insurgentes hæreses possent suffocari, oportet in Ecclesia agnoscere supremum controversiarum Judicem; hunc vero cogimur ignorare, si Papa Concilio subjiciatur. Jam igitur ipse Papa non valeret ultimo controversias definire, utpote quia tunc ipsius judicium esset a Concilio reformabile. Remaneret proinde ipsum Concilium

cilium esse supremum controversiarum Judicem. Verum, si Papa dissentiente judicaret, quot Catholici illegitimum ac errori obnoxium ipsius judicium haberent? Si vero ex Papæ consensu inerrantiam acquireret, unde probaretur ipsum Concilium Papæ prævalere? Cur tunc irreformabile judicium Papæ non concedendum, cui in persona Petri claves traditæ fuere, ac pascendi gregis potestas? Nil ergo obscurius in Ecclesia remaneret, quam controversiarum supremum judicem designare, si hanc prærogativam in ipso Pontifice definiente non agnoscamus: atque ita non haberemus a quo indubitanter hæreses proscriberentur. Dum deinde Concilii judicium Papæ anteponamus; ex ipsius Papæ definitionibus nemo crederet se teneri ad hæresim ejurandam. Absque eo autem quod alia exempla ex antiquitatis tenebris eruamus, id ostenderunt nobis paucis etiam ab hinc annis Jansenistæ, qui appellantes a definitionibus Papæ ad futurum Concilium suos errores ejurare renuerunt, & inter Catholicos se annumerandos crediderunt. Interim vero, quando & Papa Concilii convocationi acquiesceret, quam late serperent hæreses, quot inficerent, antequam Concilium œcumenicum cogi posset? Quid vero, si Concilium contra ipsam veritatem insurgeret, ut in Conciliis Ephesino, & Ariminensi actum est? Sane id periculi agnovit S. Gregorius Nazianzenus Ep. 55. ad Procopium ubi ait: *sine periculo & offensione numquam Sacerdotum haberi Conventus*. Et rursus; *Ego, si vera dicere oportet, ita omnia Episcoporum Concilia fugio, quoniam nullum Concilii finem latum faustumque, nec quod depulsionem malorum potius quam accessionem, & incrementum habuerit vidi*. Quamvis vero Nazianzenum quædam particularia Concilia illorum temporum historiæ indigitare suadeant, nihilominus cum & ipsa œcumenica Concilia veritatem aliquando deseruisse compertum est, ideo & ista Papæ subdenda sunt correctioni. Quia ergo Papæ denegare, ac tribuere œcumenico Concilio supremam in Ecclesia potestatem, est viam erroribus sternere, quæ statim occluditur si non Concilio, sed Papæ tribuatur, mihi videntur omnes Catholici credere debere id genus regiminis in Ecclesia sua Christum instituisse.

Quod vero opinio extollens Concilia supra Papam schismata foveat, ex eo statim apparet, quod unusquisque Papæ præcipienti obedientiam posset denegare, opponendo injustum esse præceptum, & proinde ad Concilium appellando. Id jam DD. observarunt, unde Victoria in suo de auctoritate Papæ & Concilii Tractatu num. 5. ita habet: *Ille Doctor*, Gersonius nempe, *qui Concilia conatus est Papæ anteponere per omnia fuit infensissimus auctoritati summorum Pontificum, & multos alios infecit suo veneno; parum enim differt a schismate ejus sententia de auctoritate Papæ*. Et Didacus Payva in *defens. Trid. Fid. Cathol. libro* 1. qui est de Concilio Generali, ita scribit: *Neque enim Jo. Gersonii, viri aliaqui multis nominibus clarissimi, temeritatem approbare S. Synodus potuit, qui ut Conciliorum nomen factiose magis quam pie & sapienter amplificaret, ita Romanum Pontificem depressit, ut ejus a Conciliis jurisdictionem minui & extenuari, summamque potestatem certis quibusdam legibus circumscribi, & quasi decurtari posse judicaret. Quod quidem non est dispensandi licentiam reprimere, ut existimavit, sed fomentum schismati facere*. Andreas Duvallius Doctor Sorbonicus quamvis 1. *p. q.* 7. videtur velle opinionem Conciliorum præstantiæ faventem quodammodo a temeritate vendicare, eam tamen dissidiorum & perturbationum scaturiginem esse his fatetur verbis: *Etsi opinio, quæ stat a partibus Conciliorum, in ratione opinionis a temeritate vacet propter rationem quam adducimus; a temeritate tamen inobedientiæ vix potest excusari, fovet enim ut plurimum inobedientiam, & dissidia multa, magnosque tumultus semper in Ecclesia excitavit*. Ubi obiter advertas quod etsi Duvallius videatur temeritatis notam a præfata opinione removere, mihi tamen apparet vere temeritatis condemnare, maxime si alia etiam considerentur. Loquendo igitur de sententia Papam Conciliis præferente, hæc habet de comparat. Sum. Pontif. & Concil. q. 7. *Opinio quæ Romæ tenetur vacat omni temeritate, cum totus orbis, exceptis paucis Doctoribus, eam amplectatur; & præterea rationibus validissimis cum ex Scriptura, Conciliis, & PP. tum ex principiis Theologiæ petitis confirmetur*. Et part. 4. q. 7. *Nemo nunc est in Ecclesia, qui ita pro certa sentiat præter Vigorium, & Richerium quorum si vera esset sententia, totus fere orbis christianus, qui contrarium sentit, in fide turpiter erraret*. His ultimis verbis Gersonium etiam perstringit, qui *de*

potest. Eccl. consid. 12. inter fidei veritates eam reposuit opinionem quæ Concilium Papæ antefert. Observetur modo opinionem, quæ extollit Concilium supra Papam, inobedientiam fovere, ac dissidia in Ecclesia excitare: adversus totum orbem ipsi adversantem pauculos Doctores eam promovisse; & contrariam esse sententiæ, quam confirmant validissimæ rationes ex S. Scriptura, Conciliis, PP. ac Theologia petitæ. His vero positis, quomodo a temeritatis nota excusari possit penitus ignoro.

§. XI.

Opinio Concilium Papæ anteponens non tenenda, quia inaudita erat in Ecclesia. Hujus occasione multorum DD. auctoritas expenditur.

IN re tanti momenti quod in Ecclesia inauditum erat non amplectendum, illud manifeste suadet, quod non semel accidit Pontifices iisdem Conciliis imperare voluisse, sicut sæpe adnotavi; quod si facere non possent ea auctoritate, quam ex S. Scriptura & Traditione sibi a Christo elargitam agnovissent, proculdubio nec sanctissimi, doctissimique Pontifices ea usi essent potestate, nec Concilia ipsorum mandatis obtemperassent. Melius ne ergo fortasse quidam recentiores, quam antea Ecclesia, exploratum habuerunt quo se extenderit, quam Christus suo Vicario concessit auctoritatem? Porro novitatem opinionis Concilium Papæ anteferentis ab ipso etiam Gersonio discimus; loquendo etenim de sententia quæ tribuit Pontifici potestatem nulli in terris inferiorem, ac ipsis œcumenicis Conciliis potiorem, ita antea & post Concilium Constantiense invaluisse fatetur, ut contrarium sentientes hæreticam viderentur olefacere pravitatem, quamvis ipse hujus veritatis sibi minus gratæ defensores reprehendat. Hæc igitur habet de potest. Eccl. consid. 12. *Fallor si non ante celebrationem sacrosanctæ hujus Constantiensis Synodi sic occupaverat mentes plurimorum, literatorum magis, quam literatarum ista traditio, ut appositorum dogmatizator fuisset de hæretica pravitate vel notatus, vel damnatus. Cujus rei signum accipe quia post declarationem, & quod urgentius est, post determinationem ejusdem S. Synodi, inveniuntur qui talia passim asserere non paveant*.

Hic autem merito non prætereundum, nullatenus assequutum fuisse mentem Pii II. Launojum, dum putavit in diplomate, quo Pius retractavit sententiam Concilium Papæ præferentem, eamdem *antiquam* declarasse. Hæc sunt Pii verba: *Tuebamur antiquam sententiam, ille*, nempe Cardinalis Julianus, *novam defendebat. Extollebamus Concilii generalis auctoritatem, ille apostolicæ Sedis auctoritatem magnopere collaudabat*. Observandum igitur tam Pium, tunc Æneam Sylvium, quam Cardinalem Julianum Basileensibus antea adhæsisse, ac Concilium Papæ prætulisse. Cum errorem in quem collapsus erat, ante ipsum Pium Julianus cognovisset. Pius dixit se adhuc defendisse *antiquam* sententiam, eam nempe pro qua Basileæ steterat, Julianum vero *novam*, illam scilicet quam, relicta priore, veritati innixam agnoverat. In hoc ergo sensu sententiam supra Papam Concilium extollentem *antiquam* dixit, quatenus antea ipsam propugnaverat.

Et re vera illam non esse antiquam ipsius etiam propugnatores ostendunt, cum non alios laudare potuerint Auctores, quam aliquos, qui circa tempora Concilii Constantiensis scripsere, quando nempe teterrimi schismatis tenebris excæcati veritatem non satis assequebantur. Qui antea Papæ & Concilii auctoritatem expenderant, illius supra Concilium præstantiam expresse tradiderant, ac ii potissimum, qui non minus doctrina, quam sanctitate claruere. Non semel id docuit S. Thomas, sed audiantur quæ habet de Potest. q. 10. art. 4. ad 13. *Sicut posterior Synodus*, ait, *potestatem habet interpretandi symbolum a priori Synodo conditum, ac ponendi aliqua ad ejus explanationem, ut ex prædictis patet; ita etiam Romanus Pontifex hoc sua auctoritate potest, cujus auctoritate sola Synodus congregari potest, & a quo sententia Synodi confirmatur, & ad ipsum a Synodo appellatur. Quæ omnia patent ex gestis Chalcedonensis Synodi. Nec est necessarium quod ad ejus expositionem faciendam universale Concilium congregetur*.

S. Thomæ consentit S. Bonaventura; ultraquam quod enim in expositione cap. 9. S. Lucæ agnoscat Petrum in suæ confessionis præmium totius Ecclesiæ electum fuisse Pastorem, & universalem prælationem super Ecclesiam obtinuisse, in explicatione regulæ Fra-

trum Minorum ad ea verba *Honorius Episcopus* ita habet: „ Honorius Episcopus, Episcopus non alicujus patis solum, sed totius Universitatis est. Quod si unus „ non esset, qui in omnes exercere posset jurisdictionem, ubi maneret status Ecclesiæ? Si partibus discordantibus non esset, qui posset manum mittere in „ ambabus, fuisset Synaguga felicior quam Ecclesia; „ quia illa habebat unum summum Pontificem, qui „ omnes discordias poterat terminare, ut patet in Deuteronomio. *Et opusc. de Hierarch.* Eccl. *p.* 2. *c.* 1. „ Summus vero Pontifex, penes quem prima in terris residet auctoritas, non a Rege, non a Principe „ sæculari, non ab homine judicatur, sed solius Dei „ judicio reservatur. „ Hæc satis demonstrant SS. Thomæ & Bonaventuræ ætate inauditam fuisse opinionem, quæ Concilia Papæ anteponit.

S. Joannes de Capistrano *de Pap. & Concil. sive de Eccles. auct.* nec dubitandum potavit Papam Conciliis esse anteferendum, unde hæc habet: *Patet igitur expressissime Papam supra Concilium, & non Concilium supra Papam jurisdictionem plenariam in omnibus obtinere; & Concilium quantumlibet œcumenicum, & universale Papæ subjici, & obedire teneri, a quo salus fidelium post Christum pendet.* S. vero Antoninus *p.* 3. *Sum. tit.* 23. *de appellat. Papæ c.* 3. *§.* 3. non abstinuit a declarando opinionem contrariam esse hæreticam his verbis: *Sed nec ad Concilium generale a Papa appellari potest, quia Papa omni Concilio superior est: nec robur habet quidquid agitur nisi auctoritate Romani Pontificis roboretur, & confirmetur. Sentire ergo quod a Papa ad Concilium appellari possit, est hæreticum.* In eamdem censuram, ut tot omittam, qui postea scripsere, descenderunt Ferrariensis *in* 4. *cont. Gent. c.* 79. & Sylvester de Prieri V. *Concilium num.* 8. Interim hic observes Bossuetum in *Defens. declarat. p.* 1. *l.* 2. *cap.* 4. ut declinet auctoritatem S. Antonini, qui tam expresse ac tam rotunde in loco supra citato quampluribus ostendit Papæ supra Concilium præstantiam, objicere quod in antecedente capitulo 2. *§.* 6. dicit quod *in concernentibus fidem, Concilium est supra Papam, & quod in concernentibus universalem statum Ecclesiæ non potest Papa disponere contra statutum generalis Concilii, si statuendo decoloretur status ipsius Ecclesiæ.* Sed valde mirandum hæc Bossuet opposuisse pro obscuranda evidentissima S. Antonini auctoritate, nam & ibidem dicit, quod in *concernentibus fidem dictum etiam unius privati esset præferendum sententiæ Papæ*, adeoque, si verum esset Bossuet ratiocinium, in concernentibus fidem, etiam quisquis privatus Papæ esset anteferendus. Scias igitur ibidem S. Antoninum clarissime asserere in omnibus quæ sunt juris positivi indubitanter Papam ut caput Ecclesiæ esse supra Concilium. Quæ vero non sunt juris humani positivi, & consequenter sunt naturalis aut divini, non subsunt ipsius potestati, unde certum est definitionibus fidei editis a legitimo Concilio & ab ipso Pontifice parendum esse; & si contra hujusmodi Papa sentiret, posset & ab ipso Concilio condemnari, ut ibidem ait S. Antoninus. Illius ergo mens est juri divino Papam subesse, & consequenter quæ legitime tamquam fidei capita fuerunt in Conciliis definita, non posse respuere; ac proinde quoad hæc non solum ipsi Concilia anteponenda, sed & quamcumque personam privatam, si melioribus rationibus & S. Scripturæ auctoritatibus quam Papa, ut ibidem ait S. Antonius, moveretur; quod tamen solum evenire posset si Papa ut persona privata loqueretur. Indubitatum deinde est non posse Papam contra statutum generalis Concilii aliquid decernere, si ita decernendo *decoloretur status ipsius Ecclesiæ*: at id non probat eumdem subesse Concilio, quod dicere hæreticum esse propugnabat S. Antoninus; sed ei non esse collatam a Christo auctoritatem in destructionem, sed solum in ædificationem. Id ergo solum probat quod, cum & ipsum jus naturale dictet nullum uti posse sua potestate in grave aliorum præjudicium, debet quicumque huic juri obtemperare, ac proinde non removere jam latam legem, ex cujus remotione id proveniret. Ita nec Rex qui regni Comitiis esset omnino superior, non posset quæ ea decrevissent irrita pronunciare, quoties ita agendo regni status decoloraretur: nam tunc non legitima, sed tyrannica uteretur potestate; quamvis etenim Comitiis esset superior, non esset tamen superior juri naturali vetanti ea removere, ex quorum promotione grave ipsi regno nocumentum inferretur.

Illud addendum Bossuet *cap.* 5. affirmare primum omnium Cardinalem Cajetanum docuisse erroneam esse sententiam, quæ Concilium Papa superius affirmat. Cum id dicendo innuere velit innoxiam esse hujusmodi sententiam, non debebat præterire jam antea S. Antoninum, aliosque hæreticam declarasse. At quia idem Bossuet non paucos congerit, videlicet Cusanum, Tostatum, Almainum, Gersonem, Panormitanum &c. qui Concilium Papæ anteposuerunt, & ideo & pro coronide harum animadversionum quædam quoad Auctores, quos ipse citat, sunt observanda.

Extollitur v. g. auctoritas Cardinalis de Cusa, ex libro *de Concordia* desumpta; at quid mirum Concilium tunc Papæ ante tulisse? Dum illum exaravit librum, consilia eorum sequebatur, qui in Concilio Basileensi Pontificem Concilio subjicere omnino conabantur. At non ita postea se sensisse ostendit cum Eugenio IV. adhæserit, ac ex ipsius jussu Constantinopolim profectus fuerit, id acturus ut Græci non ad Synodum Basileensem, sed ad illam, cui præesset Pontifex, accederent. Animadvertendum etiam *Ep.* 2. *de usu calic. ad Bohem.* docuisse omnes Fideles Romanæ Ecclesiæ subjici debere, sicut singulas diœceses suo Episcopo: semper quamplures fideles Romanæ Ecclesiæ adhæsisse, eamque esse, ac jugiter futuram columnam veritatis, ac proinde numquam a Fide defecisse, nec alterius Sedis correctione indiguisse; ac veritatem certe apud eos inveniendam, qui a Romano Pontifice non separentur. His satis innuit Cusanus cœtum Antistitum Papæ adversantium legitimum non constare Concilium; carere infallibilitate in iis, quas ederent, definitionibus, & ad Pontificem confugiendum, ut error evitetur.

Pro præeminentia Concilii supra Papam afferunt etiam Alphonsum Tostatum, quem non desinunt summis laudibus cumulare. Verum advertendum Tostatum, qui forte Concilio Basileensi interfuit, Spondano narrante ad an. 1447. num. 10. ideo infensum fuisse Papæ prærogativis, quia Senis quædam ipsius theses Eugenio displicuerant; cumque eas refelli vidisset a Cardinali Turrecremata, Tostatus in suo Defensorio *in Pontificum etiam auctoritatem invectus, injuriusque præ studio tuendi sua apparuit; sed cum non obtinuit quod petiit (ea est fragilitas præstantium ingeniorum, ut cum eorum placitis resistitur, animi offensionem facile concipiant) non potuit adeo genio imperare, ut non acerbius rem in contradictores ageret*, ait Spondanus cit. Nihilominus explicans *in cap.* 16. *Matth.* quare solus Petrus Christo omnes Apostolos interroganti responderit, inter alia hæc habet: *Cum Petrus futurus esset Pastor, & populus deberet tenere talem fidem, qualem Pastor confitetur, & Petrus futurus erat universalis pastor, voluit Christus quod confessio fidei esset per Petrum solum, ut innuatur quod talis fides tenenda est, qualem prædicat Romana Sedes, quæ est mater & caput Ecclesiarum, cui Petrus præfuit.* His verbis clare fassus est Pontificem esse regulam infallibilem fidei, qua agnita prærogativa, inconsequenter Conciliorum potestati subjiceretur.

Laudibus usque ad cœlum effertur Nicolaus Panormitanus, quem *lucernam juris* dictum adnotatur, idem tamen *cap. significasti de elect.* multa scripsit pro Conciliorum etiam in Pontificem suprema potestate. Huic tamen solum opponam quæ habentur in Breviario gestorum ejus inter vitas Pontificum a Ciaconio descriptas, aliisque adauctas. Ibi ergo ita lego: *Nicolaus de Tudisco Panormitanus Alphonsi Regis jussu ad Concilium Basileense se contulit, in quo Eugenii partes sustinuit. Post hæc Romam reversus ad Regem Aragonensem se contulit, qui novas ob causas contra Eugenium irritatus, rursus Panormitanum cum Ludovico Romano Pontificis partes impugnaturum, ad Synodum Basileensem remisit, ubi pluribus responsis editis magnam pecuniam confiasse, & plura egisse indigne, scribit Panzirolo de claris legum Interpretibus. Pluribus suasit Eugenii depositionem; at cum ad eum deponendum ventum esset, a Synodo discessit; sic enim Rex Aragonum Eugenio reconciliatus præceperat. Verum non multo post renunciatus Cardinalis a Felice Basileam versus rediit, atque ejus Concilii acer propugnator extitit.* Cæterum legenti quæ scripsit loc. cit. apparebit neque Concilio infallibilitatem asserere, ac decernendum affirmare ubi pro Papa validiores militent rationes.

Maximi faciunt auctoritatem Alliacensis, Gersonii, Almaini, & Jo. Majoris Pontificem Concilio subjicientium; nec omittunt adnotare quantum Gersonii dictis deferendum sit, quia doctrinæ singularem conjunxerat pietatem. Quamcumque nihilominus potuerint præfati laudem promereri, & maxime Gersonius, indubitatum prorsus est illis suos nævos non defuisse; & si legantur quæ hic habet in regulis moralibus *tit.*

de

de præc. Decal. de licita nece illius qui se gereret pro Papa, & pro tali ab Ecclesia haberetur, sicut quæ habet *consid.* 7. de Principis injuriose cum subditis agente internecione, ingenii sane fervidi nimis apparebit, unde non semper attigit veritatem. Et quidem, si Concilium Constantiense sequentem Jo. Hus articulum damnavit: *Quilibet tyrannus debet & potest licite & meritorie per quemcumque vassallum suum, vel subditum occidi*, non satis mihi apparet ipsius doctrina a censura immunis, cum difficile sit ostendere ab ea, quam Concilium proscripsit, discrepare. Pessime autem audiri debet ea opinio, quæ cuicumque subdito de Principis tyrannide judicare concederet, ac proinde in eum violentas manus injicere: nam ut dicitur in Opusculo de regimine Principum, quod sub S. Thomæ nomine circumfertur, „ Esset multitudini periculosum, & ejus Rectoribus, si privata præsumptione aliquis attentaret Præsidentium necem, etiam Tyrannorum. „ Interim audiatur Duvallius *de supr. Pontif. potest. p. 2. q. 1.* ubi hæc habet: „ Scio quidem in re Pontificia Alliacensem, Gersonium, & Almainum non esse tantæ auctoritatis, quia tempore schismatum floruerunt, & scripserunt. Duo priores quando tres se pro Pontificibus gerebant, postremus vero Almainus tempore Julii II. & Conciliabuli Turonensis, quo Gallia sub Ludovico XII. a Sede Apostolica desecerat. Almaino adjicere est Jo. Majorem eidem coævum. Dum autem audis Andreæ Duvallii nomen, scias ipsius librum *de Rom. Pontif. potest.* ex eo commendasse, ac probasse DD. Parisiensis Facultatis, quod oporteret publici juris fieri „ ad summam cum capite visibili Romano Pontifice unionem arctissime retinendam, cui aliter Schismaticorum mala mens, malusque animus, male & seditiose consultum vellet. „ Duvallio addam Thomassinum, qui *dissert. 15. in Conc. n. 24.* hæc habet: „ Adverte exasperatum fuisse Gersonii animum calamumque absurditate suorum temporum, & dubiorum Pontificum, schismatisque pertinacis importunitate; atque ideo plurimum degenerasse illum a clementia & reverentia, tot congestis supra testimoniis approbata, Damiani, Ivonis, Præsulumque omnium Senonensis Provinciæ, Antistitum Gallicanorum, qui cum Leone, & Carolo adfuere Romanæ Synodo, Aviti & Episcoporum ea ætate Gallicanam Ecclesiam administrantium. Antiquitas ergo eorum & diuturnitas, & numerus anteponi sane debet novitati & paucitati per abrupta molienti sese extricare a schismate intricatissimo. „ Ipse Edmundus Richerius antequam ad oppugnandam S. Sedis dignitatem animum convertisset, sensit Gersonium apologia in iis indigere, quæ adversus Pontificem scripserat. Et re vera cum constans opinio sit Edmundum editionis Operum Gersonii auctorem fuisse, in Vita Gersonii eisdem Operibus præfixa, non aliam ibi legere est illum excusandi rationem adinvenisse, quam ad Schismatis tempus attendendo, ac ita ipsum interpretando, ut solum Pontificiæ potestatis abusum execratus fuerit. Recolenda etiam quæ supra de Gersonio ex Victoria, & Payva exscripsi.

Continuo etiam jactant Adrianum VI. qui dum erat privatus Doctor Lovaniensis in suis Commentariis Scholasticis Pontificem non agnovit infallibilem, ac proinde illum Concilii correctioni subjecit. Sed quidquid senserit Adrianus deceptus falso rumore, qui de Joanne XXII. per hominum ora versabatur, & aliorum Pontificum non satis examinatis exemplis, certum est nil aliud scripsisse *Sum. Theol. in 5. sent. de sac. Confir.* quam posse Pontificem in sua Decretali hæresim docere; ex quo habetur quidem sensisse ut Doctorem privatum errare posse, non vero quando ut Christi Vicarius, totiusque Ecclesiæ Doctor, proponit Ecclesiæ quid in aliqua controversia credendum sit. Hinc non adeo mirandum esset cum Launojo, Bossuet &c. si postea Pontifex factus quæ antea docuerat non retractaverit. Sed neque illi otium fuit eo brevi tempore, quo Ecclesiæ præfuit regimini, cogitare de Scholasticis suis commentariis corrigendis; quamquam etsi etiam quod jam scripserat, dum Pontificiam majestatem adeptus fuerat, approbasset, non aliud exinde inferre daretur nisi ut Doctorem privatum priorem sententiam retinuisse, quam re vera dimittere non debebat; neque etenim aliud docuerat quam Papam decretalem edendo errori obnoxium esse, quod nil aliud, ut diai, significat, quam ut Doctorem privatum infallibilitatis prærogativa non gaudere. Videnda etiam quæ supra adnotavi post articulum, in quo Natalis ipsius gesta recenset. Quædam modo observanda supersunt quoad aliquos DD. quos Concilium Papæ antetulisse credunt,

Hujus sententiæ patronum fuisse dicunt etiam Cardinalem Zabarella, qui vulgo Florentinus nuncupabatur. At observandum jam grassante schismate, dum tantum Jurisconsulti operam navabat, duos de schismate breves edidisse tractatus, quos deinde inseruit suo Commentario super caput *Licet de elect.* Ibi vero n. 9. de Papa dubio eumdem loquutum dignoscitur, non de eo, de cujus Canonica electione nulla quæstio agitaretur. Facto etiam demonstravit non sensisse Concilium Papæ præesse; nam in Concilio Constantiensi restitit Sanctionibus, quibus videbatur Papa Conciliorum auctoritati subjici, atque ab eisdem promulgandis se subduxit, quamvis cæteras, quia Cardinalium postremus, promulgasset: *Gest. Conc. Constant. apud Schelstrat. in Compend. Chronolog. pag. 43.*

Zabarellæ addunt Cardinalem Cameracensem, qui videtur in Concilio Pisano prorsus stetisse pro præstantia Concilii supra Papam. Modo tamen opponon uo satis apparere Cameracensi hujusmodi præstantiam exploratam fuisse; nam si ita indubitanter credidisset, postquam Pisana Synodus Gregorium XII. & Benedictum XIII. Papatu exuerat, ac Alexandrum V. legitimum Pontificem declaraverat; non libere fassus esset, ut agendo de Concilio Pisano adnotavi, de præfatorum Papatu easdem juris & facti sicut antea difficultates perseverare. Sed neque recessit ab iis Cardinalibus, qui contra decreta sessionis quintæ Concilii Constantiensis protestati sunt, immo nil scitur opposuisse dum Martinus V. sub pœna anathematis interdixit Polonis Oratoribus a Papa ad Concilium, tamquam ad superiorem judicem provocare.

Indubitanter cum aliis asserit Bossuet *p. 1. l. 1. cap. 9. & 10.* Dionysium Carthusianum extulisse Concilium supra Papam. Puto tamen observandum quod cum Carthusianus scriberet ea ætate, qua quidam putabant Concilium Constantiense Papam sibi esse inferiorem definisse, ac quando potestas Papæ a Gersonii asseclis impugnabatur, non satis ei dignoscere datum est, in quo major auctoritas resideret, ac non satis sibi proinde constitit. Edito ergo libro de auctoritate Papæ & Concilii Generalis *p. 1. art.* 27. extollit Concilium supra Papam, huic inerrantiam denegando, illi vero concedendo; ex quo tamen inferendum non vult majorem esse Concilii seu Ecclesiæ quam Papæ potestatem, sed solum quod major gratia promissa sit Concilio, seu Ecclesiæ. Quod ratiocinandi genus, si recte consideretur, prorsus absonum mihi apparet; ubi etenim Papa errori obnoxius sit, non Concilium ab hoc corrigendum esse & judicandum nemo non videt: qui vero corrigit judicatque potiori potiri potestate planum est. Utramque potestatem etiam *art.* 43. expendens dicit Papam, ut talis est, nempe ut summus Ecclesiæ pastor & Pontifex, non esse a generali Concilio judicandum aut deponendum, *quia ut talis est Superior & Prælatus & Judex Ecclesiæ*. Cum vero deinde illum subjiciat Concilio *in quantum esset intollerabiliter vitiosus, seu criminosus* inconsequenter loquitur; si etenim hæresis crimen excipiatur, ob alia quæcumque crimina Papa non desinit esse Rector, Princeps, Pastor, Caput, Sponsus, Pontifex totius Ecclesiæ, ex quibus rationibus Carthusianus Concilio superiorem agnoscit. Non magni ergo facienda auctoritas Carthusiani, cum potius fundamenta præstantiæ Papæ supra Concilium stabiliat.

Quia vero etiam Driedonis auctoritas in præsenti controversia objicitur, sciendum & hunc Doctorem scribentem eo sæculo, quo hostes Pontificiæ auctoritatis illi detrahere conabantur, tandem *lib. 4. cap. 4. in fin.* ita suam sententiam proponere: „ Papa in causis fidei, & schismatis personam suam tangentis, atque concernentis subjicitur judicio universalis Ecclesiæ. Quamobrem si ipse fieret hæreticus aut schismaticus, aut argumentis probabilibus de his suspectus, pertinaciter defendens doctrinam contrariam evangelio Christi, ipse esset ab Ecclesia monendus, & corripiendus, & si contumax fuerit, judicandus tamquam anathema, & vel deponendus, vel declarandus propter contumaciam ab Ecclesia fuisse depositus a tempore, ex quo talia docere, aut prædicare cœperit. „ Ita Driedo unicam causam agnoscit, cujus ratione Ecclesiæ seu Concilii judicio Pontifex subjiciatur, si nempe doctrinam evangelio contrariam defendat, ac monitus in eadem perseveret. Id vero nemo est qui neget, quia tunc a dignitate capitis Ecclesiæ excidit. Quod si quædam alia tradere videatur, quæ non satis commendent supremam Pontificis potestatem, non omisit & alia scribere, quibus eam extollit; atque, ut diai, caliginosis illis temporibus tri-

tribuendum, si quidam subobscure in explicanda Pontificis potestate fuerunt loquuti.

Demum animadvertendum quod dum explicare conantur suffragia pro extollando Concilio supra Papam, Auctores, quos sibi faventes putant, non desinunt probitatis, ac doctrinæ ratione commendare; dissimulant vero eos, qui Papæ auctoritatem Concilio prævalere docuerunt, tum sanctitate, doctrinaque, cum numero Pontificiæ præeminentiæ adversarios quam maxime superare.

Pro coronide harum animadversionum adnotandum plures ex illis Præsulibus, qui in Comitiis Cleri Gallicani an. 1682. Romanum Pontificem Concilio inferiorem declararunt, ad Innocentium XII. scripsisse *Se de gestis hujusmodi vehementer quidem, & super omnia id, quod dici potest, ex corde dolere, ac quæcumque in præfatis Comitiis sive circa Ecclesiasticam potestatem, & Pontificiam auctoritatem decreta, sive in præjudicium jurium earumdem Ecclesiarum deliberata; pro non decretis, nec deliberatis habere, & habenda esse, se vis insuper spondentes se ita in posterum gesturos, ut nihil penitus de vera eorum erga Sanctam Sedem obedientia, ac debito pro juribus ipsarum Ecclesiarum defendendis zelo desiderandum supersit*. Gravezon tom. 8. p. 1. fol. 192. Ipse Rex Ludovicus XIV. qui jam edicto jusserat assertas a Clero propositiones ab omnibus esse propugnandas, certum reddidit per suam Epistolam eumdem Innocentium ita egisse, ut nemo ad ipsius observantiam teneretur.

Ne demum dissimulare videar antiquam cantilenam qua dicuntur superflua futura œcumenica Concilia, quoties Papam iisdem superiorem agnoscamus, adeoque infallibilem, ideo obiter ipsorum utilitatem, necessitatemque juvat hic adnotare. Sicut igitur, quamvis membra a Capite pendeant, conveniens est ut caput ipsum tueantur, & juvent; sic conveniens est Antistites in Conciliis coactos, Scripturas, Traditionesque scrutari, sicut etiam rerum agendarum gravitatem, ut ita etiam universa innotescat, qua diligentia omnia fuerint peracta. Libentius deinde recipiuntur, si communi fiant consilio, quæ ipse supremus Rector solus posset efficere: atque ita etiam perfectus Monarcha adhibere quandoque solet Comitia, ut suavius subditos regat, quamvis quæ ibi decernuntur sola sua auctoritate sancire potuisset. Cum etiam Conciliorum convocatione fiat, ut universi Orbis Antistites, aliique rationes sciant & causas rerum quæ in eis peraguntur, possunt facilius edocere fideles veritatem. Occluditur quoque os loquentium iniqua adversus Papæ definitiones, aliasque ipsius Constitutiones; neque etenim, & ipsi hæretici possunt se excusare Papæ auctoritatem infallibilitatemque parvi habendo, quoties videant, sacro approbante Concilio definitiones, aliaque decreta edidisse. Ex PP. consilio potest etiam Papa quædam addere, de quibus forte non cogitasset. Ita *Act.* 15. quamvis S. Petrus in Concilio Hierosolymitano pronunciasset non esse circumcidendos qui ad fidem convertebantur, ex S. Jacobi monito additum fuit ut abstinerent non solum ab idolothytis & fornicatione, sed etiam a sanguine & suffocatis, ne veneratores Moysis a suscipienda fide retardarentur.

ANIMADVERSIONES in Decreta sess. 4. & 5. Concilii Constantiensis.

NOn immorandum censeo in ea facti quæstione, an decreta sessionis 4. & 5. Concilii Constantiensis fuerint deinde Basileæ interpolata; etsi etenim hoc careant vitio, nullum præstantiæ Papæ supra Concilium præjudicium afferre posse existimo. Adnotandum nihilominus duxi ea verba Decreti sessionis 4. *Et reformationem generalem Ecclesiæ Dei in Capite, & in membris*, non solum desiderari in novem MSS. illis Codicibus, de quibus Scheltratius, sed & in aliis, unde in nova Conciliorum editione Venetiis facta, quoad præfata verba, quæ parenthesi includuntur, hæc adnotata videntur: *Non sunt hic, neque in prima editione, neque in MSS. Concilii Constantiensis, duobus Vindobonensibus, neque in Volfenbuttelensi, Brunsuvic, Gotth. & Lipsiensi, ut docent nuperi editores hujus Concilii in Germania tom. 4. p. 1. pag. 86. &c.*

§. I.

Concilium Constantiense, dum abfuerunt Obedientiæ Gregorii, & Benedicti, non erat œcumenicum; unde decreta sessionis 4. & 5. non sunt attendenda.

QUod Constantiense Concilium œcumenicum non evaserit, nisi postquam illi accesserunt etiam Gregorii, & Benedicti obedientiæ, asseruit in Apologia Eugenii qua Joannes de Turrecremata Basileensium Oratori respondit, quæque modo habetur in calce tom. 18. Concil. Venet. Edition. Opponebat ergo Turrecremata ante præfatam unionem Concilium Constantiense legitimum dici non potuisse, quia ipsum Pontifex, qui indubitatus esset, non congregaverat; sicut nec œcumenicum universalem Ecclesiam repræsentans, cum in eo sola Joannis Obedientia adesset; Obedientiæ vero Gregorii & Benedicti non solum abessent, sed & contradicerent.

Ex duplici autem potissimum capite P. Natalis nu. 70. hanc impugnat rationem. Primo dicit absentiam Præsulum legitime convocatorum, præcipue quæ sit ex industria, nullaque cogente necessitate, non tollere quin Concilium legitimum sit ac œcumenicum. Exemplum affert Synodi Ephesinæ, in qua, quando lata fuit in Nestorium sententia, non aderant Episcopi amplissimi Antiocheni Patriarchatus, nec Joannes Patriarcha, at quo tamen non desiit esse œcumenica. Ita etiam in Tridentina Synodo quamvis in quibusdam sessionibus rari essent Antistites, nihilominus eædem sessiones tamquam œcumenici & legitimi Concilii habitæ sunt. Porro supponit Natalis Episcopos Obedientiæ Gregorii & Benedicti legitime convocatos fuisse, ac ex sua pervicacia Pseudo-Pontificibus adhæsisse, quia credidit fuisse deserendos, statim ac Pisana Synodus in eosdem depositionis sententiam pronunciaverat.

Verum ut Natali assentiri cogeremur, necesse esset ut nullatenus dubitari potuisset de legitima Pisanæ Synodi convocatione, & quod indubie œcumenica existens, Gregorio & Benedicto depositis, Alexandrum V. in legitimum Pontificem creare potuisset; unde postea illius successorem Joannem XVIII. Concilium Constantiense legitime indixisse aliquis nonnisi temere posset negare. Ubi autem quæ in Animadversionibus in Pisanam Synodum expendi, animo a præjudiciis expedito perlegantur, ni mea me fallat opinio, potius temere diceretur certum esse legitimam fuisse ac œcumenicam. Non ergo satis compertum erat Gregorium & Benedictum Pseudo-Pontifices extitisse. Non. satis constabat ipsorum Obedientias legitima ad statam diem Constantiam vocatas ex propria pervicacia eo pergere renuisse, ac proinde Synodum Constantiensem, illis licet absentibus, œcumenicam esse non desiisse. E contra vero dicere Concilium Constantiense legitimum fuisse, atque œcumenicum eo tempore quo a sola Joannis Obedientia edita sunt decreta quartæ ac quintæ sessionis, temerarium & scandalosum judicavit Turrecremata, qui tunc inter vivos degebat: *Nullus autem dubitat*, ait de Eccl. l. 2. cap. 99. *quin asserere quod sola Obedientia Joannis faceret Concilium universale universalem Ecclesiam repræsentans, esse temerarium & scandalosum aliis duabus Obedientiis; quoniam auctoritati illius aliæ duæ Obedientiæ scilicet Gregorii & Benedicti, apertissima contradictione in plena congregatione se opposuerunt, & earum contradictio fuit acceptata*. Et infra de præfatis loquens decretis ait: *In illorum determinatione non modo non intervenit universalis Ecclesia, sed Obedientia non tantum, scilicet Joannis XXIII. ut dictum est, sed etiam non integra tota illa Obedientia. Quoniam plures Patres doctissimi illius Obedientiæ illis non præstiterant consensum & assensum suum*. Et quidem cum in Animadversionibus in Synodum Pisanam ostenderim non exiguam Ecclesiæ partem Gregorii ac Benedicti Obedientias fuisse, eisque ex probabilibus rationibus adhæsisse, non est unde fateamur solam Joannis Obedientiam universam Ecclesiam repræsentasse.

Id ipsum agnovisse Concilium Constantiense illud ostendit, quod ut & ipse Natalis n. 72. fatetur, admisit Gregorii XII. Bullam, qua œcumenicum aperte negabatur, & qua Joannes XXIII. a Concilii præsidentia removebatur, consensitque in novam ipsius convocationem per ipsius Gregorii Legatos faciendam. Ita etiam PP. Constantienses sessione vigesima concesserunt Benedicti Obedientiæ ut iterum Concilium convocaret, ac si ad illud usque tempus nec legitime coactum, nec œcumenicum extitisset.

Ab

Ab iis sese extricare conatur Natalis dicendo id œconomiæ causa pacisque studio factum fuisse, ac idem in aliis Conciliis actum ostendit. Gratis nihilominus ita Natalem respondere ex eo habetur quod ipsa Joannis Obedientia agnoscebat non deficere Gregorii & Benedicti Obedientiis probabiles rationes, ex quibus eis ut legitimis Pontificibus pareret. Ita fassus est Cardinalis Cameracensis, ejusdem Obedientiæ præcipuus, unaque Gersonius, quorum verba dedi in Animadversionibus ad Concilium Pisanum. Attente oculus figatur in electionem Archiepiscopi Barensis, qui postea Urbanus VI. fuit nuncupatus, & statim apparebit liberum non esse eamdem nullius valoris pronuntiare. In ipsum etiam ante metum injectum eligentium vota conspiraverant. Populi tumultus fuit excitatus non ut Italus, sed ut Romanus eligeretur, ac proinde Barensis, quamvis Italus, ejusque Electores fuerunt ad necem conquisiti. Rebus pacatis Cardinales nullo impellente in Pontificem salutarunt, Tiara redimitum voluerunt; nec verbum adversus ipsius electionem pronuntiarunt. Hæc quæ pro adstruenda Canonica Urbani electione urgebantur, probabilem saltem ipsius electionem, ac proinde Successorum, quorum postremus fuit Gregorius XII. ostendebant. Inde autem consurgebat de Canonica aliorum electione potuisse saltem prudens dubium suboriri; unde in vetustissimo MS. codice Cardinalis Capranicæ qui in novissima Conciliorum Veneta editione legitur *tom. 16. col. 13.* de Joannis XXIII. electione dicitur: *quam fuisse vitiosam fama est, & quantum ad merita personæ certum.* Dum ergo cuicumque ex Contendentibus ad Papatum probabiles fuisse rationes agnoscebatur, gratis profecto asseritur ex solo pacis studio, non ex eisdem rationibus Joannis Obedientiam, aliarum Obedientiarum seu Gregorii ac Benedicti instantias admisisse. Fateamur ergo oportet, saltem nil magis obscurum implicatumque quam decernere, an Concilium Constantiense legitimum fuerit ac œcumenicum, antequam eidem Gregorii ac Benedicti Obedientiæ adhærerent.

Alterum quod Natalis urget argumentum, ut Concilium Constantiense ab ipsius exordio legitimum dicendum sit & œcumenicum, in eo situm est, quod antequam omnes adessent Obedientiæ libros, errores, & personam Jo. Wicklef. & Jo. Hus damnavit, voluitque Martinus V. in Bulla, quam legere est in fine ejusdem Concilii, revertentes ad Ecclesiam a VVickleffistis & Hussitis, eadem decreta tamquam a Concilio generali edita amplecti. Nemo autem dixerit eisdem decretis debuisse se submittere, si Concilii generalis inerrantiam inconcussamque auctoritatem non continuissent. Sed quid vetat dicere non fuisse primo a Concilio œcumenico damnatos VVickleffi errores, bene tamen postea, sessione nempe 45. quando Martinus una cum Concilio eosdem proscripsit ac decreta primo edita probavit? Quod cum re vera factum tunc fuerit, nullus postea poterat sincere fidem profiteri catholicam nisi eisdem decretis se submittendo. Quod vero ante omnium Obedientiarum unionem, quæ gesta sunt in Concilio Constantiensi necesse non sit agnoscere quasi Concilii generalis auctoritate prodierint, clare asseritur in præfata Eugenii Apologia ubi hæc habentur: *Non dixit Obedientia Gregorii, nec Benedicti, quæ Christianitatis pars non modica fuit, ante tempus conventionis plenarium fuisse Concilium, nec prius acstata quasi Synodi generalis plenaria auctoritate suscepit. Itaque oportuit ipsi conventionibus primo ab Obedientia Gregorii, deinde ab Obedientia Benedicti novum Concilium convocari, hincque universa Ecclesia concurrente plenariæ Synodi rem, & nomen accepit.* Idem Turrecremata apologiæ auctor, distinguens *l. 2. de Eccles. c. 99.* diversa Concilii Constantiensis tempora ita ait: *Notandum quod Congregatio illa Constantiæ celebrata tria tempora habuit. Primum fuit in quo sola Obedientia præfati Joannis Balthasar Constantia convenerat, Secundum tempus fuit, in quo Angelus Corrarius, vocatus in Obedientia sua Gregorius XII. juri suo credens præfatæ Congregationi se sub certis modo & formis conjunxit. Tertium tempus est, in quo Reges & Principes ac Prælati obedientes Petro de Luna, Benedicto XIII. vocato in Obedientia sua, per suos Oratores nova facta convocatione Concilii se univerant præfatæ Congregationi ad pacem dandam universali Ecclesiæ. Et fuimus nos tunc præsentes in Minoribus constituti, pro quo solo tempore, convenientibus omnibus simul tribus Obedientiis, fuit certum dicere quod universalis Ecclesia repræsentative congregata esset Constantia.* Nil ergo obstat dicere errores Jo. VVicklef, & Jo. Hus primo Concilium generale non damnasse, sed tunc solum istius etiam auctoritate proscriptos, quando una cum Martino profligandos decrevit.

§. II.

Nil prohibet dicere decreta Sessionis quartæ & quintæ Concilii Constantiensis Papam dubium respexisse.

Constantiensia decreta Concilium supra Papam eventia de Papa dubio esse intelligenda pronunciavit Jo. a Turrecremata in Florentina Synodo apologiam pro Eugenio recitando. In eadem igitur asseruit quod decretum Constantiense, quo sancitur quemcumque, etsi Papalis dignitatis existentem, universali Synodo obedire teneri in his quæ pertinent ad extirpationem Schismatis, *non loquitur de schismate quocumque, sed tantum de schismate illo tempore currente quo decretum est.* Cum proinde ea tempestate dubitaretur, quinam legitimus esset Pontifex ex iis qui supremam illam dignitatem obtinere se gloriabantur, consequens est Turrecrematam affirmasse Concilium Constantiense nonnisi Papam dubium œcumenicæ Synodo subdidisse. Prosequitur proinde in eadem Apologia demonstrare in casu universalis reformationis Papam de honestate, non de necessitate Concilii exequi decreta, ac contrarium asserere Scripturæ & Patribus repugnare; cum extra casum hæresis Papa indubitatus Concilio generali non subjiciatur. Ita loquebatur Turrecremata, quando decretorum Concilii Constantiensis recens erat memoria; & ita loquebatur eorum œcumenico Concilio, in quo deesse non poterant qui falsa dixisse asseruissent, si extraneam interpretationem eisdem decretis applicasset.

Sed & de Papa dubio intelligenda decreta Constantiensia ostendit Eugenius IV. in sua constitutione incipiente *Moyses* data Florentiæ an. 1439. Cum igitur Basileenses assererent veritatem esse fidei Catholicæ declaratam per Concilium Constantiense quod Concilium generale esset supra Papam, Eugenius, sacro approbante Florentino Concilio, hujusmodi propositionem damnavit, *juxta pravum ipsorum Basileensium intellectum, quem facta demonstrant, veluti Sacrosanctæ Scripturæ, & SS. Patrum, & ipsius Constantiensis Concilii contrarium.* Nemo, ut puto, catholicus dixerit non potuisse inter fidei veritates hanc etiam adnumerari, quod Papa incertus œcumenico Concilio subjiciatur; quis ergo fuit pravus Basileensium intellectus ipsi Constantiensi Concilio contrarius? Alter sane non fuit nisi quod Basileenses etiam Papam indubitatum Concilio inferiorem facerent, quod alienum fuisse a mente PP. Constantiensium Eugenius coram tot PP. Florentinis definivit.

Iis addenda, quæ affirmavit Æneas Silvius, postea in Pontificatu Pius II. in oratione habita Viennæ pro auctoritate Romani Pontificis adversus Australes, quam publici juris fecit Ludovicus Antonius Muratorius *tom. 2. Anecdotor. pag. 121.* Objicientibus igitur Australibus pro defensanda appellatione a Papa ad Concilium, istud Papa dignius esse, & superius, idque a Synodis Constantiensi ac Basileensi definitum, Æneas in hæc verba ad eos loquutus fuit: *Nolumus hoc disputationis ingredi pelagus, neque hos grypos aggredi. Anceps quæstio, & in utramque partem a prudentibus viris arbitrata est. Utcumque sit, constat nec solum casu certum & indubitatum Papam subesse Concilio. Nam si quis in Apostolatu sedens in hæresim labitur, mox Papatu excidit, minorque redditur quolibet Christiano; nec jam Papa dicendus est, si schismaticus est, aut eodem morbo laborat, nec in Papatu est dubius. Certus autem atque indubitatus Pontifex, ut Constantiense decretum innuit, nunquam deferri Concilio potest, nisi universalem Ecclesiam scandalizaverit.* Non dissimulat Æneas tunc temporis Gersonii opinionem apud quosdam invaluisse, ac proinde in utramque partem disceptatum, quisnam suprema potiretur potestate, Papane, an Concilium. Nihilominus subditum Concilio Papam hæreticum, quia a Papatu excidit, & Papam dubium, declarando, huic subjectioni non obnoxium dicit Papam certum & indubitatum, atque hanc veritatem decretum Constantiense innuere affirmat. Ille igitur Æneas Silvius, qui toties Basileæ disceptatum audierat de sensu decretorum Constantiensium, ac non semel ibidem sancitum Concilio Papam subesse: quando postea animo pacato huic studuit veritati, non solum non judicavit Concilium Constantiense definivisse œcumenicum Concilium Papæ indubitato esse præferendum, sed potius innuisse esse anteponendum.

Ad examen modo eadem decreta revocando tuto dici posse videbimus dumtaxat stabilire intendisse quæ illius Schismatis tempus, quo nullum esse certum Pontificem constabat, exposcebant. Verba igitur sessionis IV. ita se habent: *Hæc sancta Synodus Constantiensis faciens pro extirpatione præsentis Schismatis, & unione & reformatione Ecclesiæ Dei in capite & membris fiendo.* Hæc verba solam Constantiensem Synodum & casum grassantis tunc Schismatis exprimunt. Et infra: *Et primo quod ipsa Synodus in Spiritu S. legitime congregata, generale Concilium faciens, Ecclesiam Catholicam militantem repræsentans, potestatem a Christo immediate habet, cui quilibet cujuscumque status, vel dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire tenetur in his quæ pertinent ad fidem, & extirpationem dicti Schismatis.* En iterum solam Constantiensem Synodum designatam illis verbis. *Ipsa Synodus*, iterumque casum illius Schismatis expressum. Id ipsum repetitum clarius legimus in quinta sessione, cujus decretum velut appendicem decreti sessionis quartæ esse omnes norunt. Quæ illi decreto verba præambula habentur, ita sonant: *In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris & Filii, & Spiritus S. Amen. Hæc S. Synodus Constantiensis Generale Concilium faciens pro extirpatione præsentis Schismatis, & unione ac reformatione Ecclesiæ Dei in Capite, & in membris fiendo, ad laudem omnipotentis Dei, & in Spiritu S. legitime congregata, ad consequendum facilius, securius, uberius, unionem, & reformationem Ecclesiæ ordinat, diffinit, decernit, & declarat &c.* His verbis denuo anteponitur Concilium Constantiense ad eradicandum vigens tunc Schisma potissimum intendisse. At medium-ne huic fini assequendo proportionatum erat Papam indubitatum Concilio subjicere? Hujusmodi decretum conducere quidem potuisset ut perpetua in Ecclesia Dei Schismata vigerent, quia Papa certus semper pro sua potestate, qua & ipsis Conciliis imperare posset, ex S. Scriptura & PP. decertasset; atque ita præstitit Eugenius IV. adversus decreta PP. Basileensium. Dum igitur PP. Constantienses toti erant in finem imponendo vigenti tunc Schismati, putandum est non aliud tunc intendisse quam dubios Pontifices removere, nihil cogitando de stabilienda sua auctoritate supra Papam, cujus electioni nemo contradiceret. Ad hoc vero tunc obtinendum declaravit potestatem immediate a Christo habere, *cui quilibet cujuscumque status, vel dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem, & extirpationem dicti Schismatis, & reformationem dictæ Ecclesiæ in capite, & in membris.* Decernendo demum pœnas in eos, qui ipsius decretis non obsequerentur, ita subdit: *Item declarat quod quicumque cujuscumque conditionis, status, dignitatis etiamsi Papalis, qui mandatis, statutis, seu ordinationibus, aut præceptis hujus S. Synodi, & cujuscumque alterius Concilii Generalis legitime congregati super præmissis, sive ad ea pertinentibus factis, vel faciendis, obedire contumaciter contempserit, nisi resipuerit, condignæ pœnitentiæ subjiciatur.* Quid, quæso, restrictivam illam clausulam *super præmissis, seu ad ea pertinentibus* significare dicendum est? Ni quis irrationabiliter malit asserere otiose in eo decreto insertam fuisse, fateri cogetur vigentis tunc Schismatis tempus designare, ac proinde casum, in quo incertum esset quisnam legitimum se diceret Petri successorem. Et sane illa clausula relativa erat ad ea antecedentia verba: *Hæc S. Synodus Constantiensis Generale Concilium faciens pro extirpatione ipsius Schismatis, & unione & reformatione Ecclesiæ Dei in Capite, & in membris.*

Putat Natalis *art. 2. n. 5.* absque fundamento affirmari Concilium Constantiense suam auctoritatem supra Papam extulisse solum in casu dicti Schismatis, dum nempe ignotum Ecclesiæ erat, quisnam legitimus esset D. Petri Successor. Consideret Concilium Constantiense Pontificem subdidisse decretis *cujuscumque alterius Concilii Generalis*, ac proinde dicendum non esse loqui tantum voluisse de Papa dubio, quales tunc erant qui de Papatu contendebant, sed Papam etiam certum suæ subdidisse auctoritati. Id tamen nil probat adversus Pontificem certo legitimum; nam si considerentur verba Concilii supra citata, & observetur post ea verba *cujuscumque alterius Concilii* statim addidisse illam clausulam *super præmissis*, manifeste innotescit cuicumque alteri Concilio eam tribuere auctoritatem, quam sibi adscribebat, tempore nempe talis Schismatis, in quo legitimus Pontifex non innotesceret. Animadvertentes igitur PP. Constantienses non potuisse a Synodo Pisana Schisma extingui, ac abusus, qui in Ecclesiam Dei irrepserant, removeri; veritique id ipsum sibi posse evenire, eo maxime quia Jo: XXIII. secreto Constantia dilapsus Scaphusam se receperat, de eo Concilio dissolvendo cogitabat, huic malo occurrere satagerunt. Hinc etiam cuicumque alteri Concilio Papam subditum declararunt; illi nempe quod convocare necesse esset, ut tandem Schisma cessaret, si hoc idem Concilium Constantiense obtinere non potuisset: Id intelligere voluit Cardinalis Cameracensis, dum in cedula initio Concilii Constantiensis PP. exhibita ita scripsit. *Illi qui pertinaciter assererent præsens Concilium debere dissolvi sine ejus continuatione ad aliud Concilium, ubi dicta unio & reformatio finaliter concludatur, in casu quo in præsenti non fieret, essent fautores Schismatis, & de hæresi vehementer suspecti.*

Judicavit P. Natalis n. 1. absque fundamento decreta Constantiensia ad tempora illius obstinati Schismatis restringi, ac proinde illum solum casum respexisse, quo non satis verus Pontifex dignosceretur: Dicit Concilium Constantiense potestati œcumenici Concilii subditum declarasse Pontificem quoad ea, quæ decerneret ad fidem, ad extirpationem Schismatis, & ad reformationem Ecclesiæ in Capite, & in membris pertinentia. Iis autem nullo tempore liberum est etiam indubitato Pontifici refragari.

Verum omitto eas voces, *ad fidem* non legi in primis editionibus Concilii Constantiensis, nempe in Haggenoviensi an. 1500. Mediolanensi an. 1521. Parisiensi an. 1542. Coloniensi an. 1530. ac primo visas in editione ejusdem Concilii facta opera P. Crabbe an. 1538. adhuc nihilominus non cogimur dicere Concilium Constantiense indubitatum Pontificem œcumenico Concilio subdidisse. Observandum igitur quod cum Synodus Constantiæ convenerit ad perniciosum tunc vigens Schisma removendum, ac Wicklesi &c. hæreses eliminandas, irrationabile est credere immorari voluisse in iis decernendis, de quibus nulla tunc erat controversia. Nulla porro tunc agitabatur quæstio, an Pontifex legitimo Concilio circa fidem definienti obedire teneretur. Si ergo Concilium declaravit Pontificem obsequi debuisse suis decretis, quæ *ad fidem* pertinerent, non nisi relative ad Schisma præfocandum loquutum est. Cum etenim Pisana Synodus non antea Gregorium ac Benedictum Papatu exuere attentaverit, nisi prius hæreticos, & Schismaticos declaraverit, si fuissent contumaces, eamdem viam ingredi cogitabat Synodus Constantiensis adversus Jo. XXIII. ni Papatum voluntarie dimitteret, ut ipsius Acta demonstrant, ac melius postea explicabo. Ut suam ergo auctoritatem pro Schismate proscribendo stabiliret, ab eo incipiendum duxit, quod Papa in iis, quæ *ad fidem* pertinerent, sese Concilio œcumenico subjicere deberet, dum nempe hæresis accusaretur. Ita etiam ostendit octava propositio Cardinalis Cameracensis, quæ ita se habebat: *In casu prædicto, dum scilicet Pontificatum ob Ecclesiæ unionem dimittere renueret, Papam tamquam hæreticum & Schismaticum condemnantes, & dictam condemnationem justam & Canonicam fore similiter asserentes, nullatenus hæretici sunt censendi, sed magis oppositum pertinaciter affirmantes — Reprobans viam cessionis, attento statu Ecclesiæ, fautor Schismatis est censendus.* Hæc satis suadent Concilium Constantiense solum cogitasse de stabilienda sua auctoritate supra dubios Pontifices, qui tunc in Ecclesia visebantur, similesve Pontifices ob removendum Schisma ab Ecclesia amputare.

Urget P. Natalis ex vi decretorum Sessionis IV. & V. Jo. XXIII. exauctoratum fuisse, cumque illum ut legitimum coleret Pontificem, dum ipsum deposuit, ostendit sentire suæ potestati etiam Papam indubitatum subesse. Sed id gratis dictum nemo ignorare potest, si legat quæ adnotavi in Animadversionibus post Concilium Pisanum, ac in §. I. harum Animadversionum. Ex ibidem dictis planum est Antistites ex Obedientia Joannis agnovisse non sine probabilibus rationibus Gregorium, & Benedictum in Papatu retinendo perseverasse, nec ipsorum adhærentes Schismaticos dici potuisse; ex quibus inferre necesse est Jo. XXIII. indubitatum Pontificem non habuisse. Et nihilominus quam sibi timerent de sua auctoritate in eo deponendo sequentia demonstrant. Ut in ipsum animadvertere possent non solum aliorum criminum, sed hæresis insuper & Schismatis accusarunt; ita etenim cum Ecclesiæ membrum & caput esse desineret, proculdubio ipsius potestati subdebatur. Frustra autem ob hæc crimina in ipsum inquisissent quoties de sua auctoritate in Papam non hæreticum non dubitassent. De sua auctoritate timuisse illud etiam ostendit, quod cum Concilium agnovit non satis apparere Joannem crimine hæresis fœdatum, ne depositus nulliter diceretur, ut in suam depositionem consentiret. PP. curarunt.

tarunt. Monente igitur in publico consessu Cardinale S. Marci *Ut attenderet Concilium quod Procurator Concilii proposuerat crimen hæresis, & fautoriam schismatis, & alia quadam non constare, Patres collatis cum Sigismundo Imperatore ac sacro Cardinalium collegio consiliis*, hanc viam superesse censuerunt, ut ipsa Joannes in suam depositionem consentiret, ac sponte Pontificatom abdicaret. *Statim Rex*, ajunt Concilii Acta, *Cardinales, & Deputati, pluresque tractaverunt materiam, quod Papa consentiret sententiæ sua depositionis, & ex abundanti renuntiaret*. Ad hoc autem obtinendum ut in eisdem legitur Actis, *Ordinatum fuit quod Cardinales de Ursinis, Cameracensis, de Thalanco, Saluciarum, & Florentinus irent ad Papam*. Cum vero Concilium formam renunciationis Joanni præscripsisset, qua deberet affirmare, quod si fuisset a Papatu amotus latam in eum sententiam ratificasset, approbasset, acceptasset, & quantum in se esset, confirmasset; postquam Concilium eamdem pronuntiavit sententiam, ut Acta testantur, *Misit ad Papam & Papa sententiæ acquievit, & ex abundanti renunciavit in forma prædictæ schedulæ*. Nec refert dici *ex abundanti* renunciasse: nequa etenim ea loquendi phrasi significare voluerunt PP. non asse necessariam credidisse: nam ut ex citatis Actis habemus, postquam agnovit Concilium de crimine hæresis adversus Joannem non constare, unicum superesse medium judicavit ad illom Papatu exuendum, si sponte illum abdicasset. Hinc ejusdem potius cessioni quam sententiæ Concilii, papatus dimissio tribuitur in Concordatis Nerbonæ inter Regem Romanorum, & Legatos Concilii ex una, & Obedientiam Benedicti ex altera parte, ibi enim ita dicitur: *Dominus qui Gregorius XII. in sua Obedientia dicebatur, sua sponte cessit. Sic & Dominus, qui Joannes XXIII. dicebatur facere voluit, atque fecit*. Illis igitor verbis *ex abundanti* innuaro non voloerunt PP. Constantienses credidisse Papatus cessionem prorsus non esse necessariam, eo maxime, quia ut §. seqoenti adnotabo, non deerant qui assererent Conciliom nec in Papam dubiom posse auctoritatem exercere, sed idem ac *quatenus opus esset*, significabant: naqua etenim Concilium suæ potestati præjudicium insarre volebat, & ex alia parte non satis exploratum habens quo ea se extenderet, nolebat post latam in Pontifices contendentes sententiam, adhuc in retinendo Papatu perseverere.

§. III.

Alia quadam ex iis quæ evenere in Concilio Constantiensi expenduntur, ad ostendendum ipsius Decreta solum Pontifices dubios respexisse.

UT notat ipse P. Natalis n. 5. exorta inter PP. dissensione, an cæteris omnibus juxta vota nationis Germenicæ, præmittenda esset reformatio, vel potius indubitati Pontificis electio, ita exposcentibus nationibus Hispana, Italica, & Gallicana, unaqoe Cardinalium Collegio, hæc tandem sententia prævaloit, ex ea etiam ratione quod Papa electus ligari non potest: *Postea*, dicunt Acta apud P. Natalem, *fuerunt facta diversæ forma decreti, ac tandem fuit dictum quod Papa electus ligari non poterat*. Ita ajentes sane Pontificem certum Concilio non subesse arbitrabantur.

Respondet Natalis id referendum nonnullis ax deputatis Nationum, & Cardinalium, ac disputationis æstu abreptos censet hæc protulisse. At judicet sapiens Lector an hæc possint conciliari, nempe jam Concilium decrevisse Papam etiam certum ac legitimom Concilii auctoritati subesse, ejosque correctionibos, & determinationibos parere debere, & nihilominus Nationum, & Cardinalium Deputatos pronunciare potuisse, *Papam electum ligari non posse*? Magna profecto insania laborassent, si non agnovissent statim Nationem Germanicam occludere os illis potoissa respondendo ipsorum dicta Concilii sanctionibus adversari; si re vera decreta Constantiensia Papam indubitatum Concilio inferiorem declarassent: Palam proinde fit Concilio sobdidisse dubios illos Pontifices, qui tunc Dei Ecclesiam in varias Obedientias scindebant.

Ne P. Natalis admittere cogeretur supra dictum effatum juata sensum genoinum quem verba præseferunt, multa comulat n. 8. quibus ostendere intendit ipsos Pontifices se sacris Canonibus subditos agnovisse. Sed omnia quæ ibi opponit Natalis, resolnta videas alibi. Interim audiantor quæ habet Gratianus in c. ideo 25. q. 1. *Sacrosancta, Romana Ecclesia jus & auctoritatem Canonibus impertitur, sed non eis alligatur. Habet enim jus condendi Canones utpote quæ caput est & cardo omnium Ecclesiarum, a cujus regula nemini dissentire licet. Ita ergo Canonibus auctoritatem præstat, ut seipsum non subjiciat eis. Sed sicut Christus, qui legem dedit ipsam legem carnaliter implevit, octava die circumcisus -- postea vero ut se legis Dominum ostenderet, contra legis literam leprosum tangendo mundavit -- Sic & summæ Sedis Pontifices Canonibus sive a se, sive ab aliis sua auctoritate conditis reverentiam exhibent, & eis se humiliando ipsos custodiunt, ut aliis observandos exhibeant. Nonnunquam vero seu jubendo, seu definiendo, seu aliter agendo se decretorum Dominos, & conditores ostendunt*. Quoad ea autem quæ habet P. Natalis n. 7. consulas quæ paulo post dicam. Cæterum etsi n. 9. conetur illis verbis *Papa electus ligari non potest* talem affingera sensum, ut Summus Pontifex a Concilii potestata non subducatur, nihilominus a vera illorum verborum interpretatione abesse dicendum est. Expostulabat quippe Natio Germanica, ut apud Natalem n. 5. decretum irritari, si statim post Papæ electionem ac ante ipsius coronationem non fieret reformatio. Dum proinda responsum fuit *Papam electum ligari non posse*, significare voluerunt non posse a Concilio legem Pontifici indici, ac post suam electionem in ipsius esse potestate de rebus agendis disponere.

Eadam die 11. Septembris 1417. tres Nationes, inter quas Gallicana numerabatur, contra nationem Germanicam fecarunt protestationem, cujus initium: *Audite hæc omnes gentes &c.* Lecta eadem fuit communi nomine a Cardinale Piseno, atque in ea circa medium hæc leguntur: *Si ante dictam provisionem Ecclesiæ de Pastore, aut saltem modi electionis illius, suppositis hujus Concilii decretis, quibus omnia jura circa electionem Summi Pontificis edita dicuntur suspensa, sequeretur Ecclesiam Dei esse sine Capite, & sine lege, & Ecclesia in periculo remaneret, quia vix congregaretur indubitatum Concilium, deficiente Capite, ad quod pertinet convocare*. Observetur modo, an si PP. Constantienses decrevissent Concilium, etiam existente indubitato Pontifice, immediate a Deo auctoritatem habere, ac eidem Pontifici præesse, potuissent postea ancipites esse de Concilii validitate ex defectu Romani Pontificis.

Sed videamus quomodo Concilium Constantiense diversimode erga Pontificem se gesserit. Decernitur sess. 39. a Papa singulis quinquanniis Concilium esse convocandum; at com hujus decreti axecutio ab indubitato Pontifice præstanda esset, nulla indicitur pœna, si omitteretor. Ubi vero paragrapho seqaente agitur de tempore Schismatis, dubioque Pontifice, tales statuuntur pœnæ adversus ipsum, si Concilium non cogeret, ut ad privationem usque Papatus procedatur. Ita quamvis sess. 4. & 5. pœnas decrevisset in Pontificem, reformationem in caput Ecclesiæ, ejusque membra non promoventem, ut apud P. Natalem n. 3. nihilominus sess. 38. in qua decernitur Pontificem proxime eligendum Ecclesiam Dei in capite, & in membris reformaro debere, nulla additur pœna, si id non præstet, ut apud eumdem P. Natalem n. 7. Undo ostendit Concilium quod quamvis crediderit vim coactivam in Papam dubium posse exercere, hanc tamen sibi deesse agnovit potastatem, dum de Papa indubio agebatur: atque ita non semel affirmavit Cardinalis Turrecremata in Apologia quam pro Eugenio in Florentina Synodo pronunciavit. Corruunt proinde illa Natalis argumenta, quibus n. 7. ostendera nititur voluisse Concilium ligare Papam, decernendo quæ ab eo facienda essent, Concilii nempe convocationem, reformationemque &c. nam a pœnis indicendis, ut alias fecerat, abstinendo ostendit innuere quidem voluisse quid a Papa præstandum esset, & ad quod ex honestate adimplendum teneretur, non vero cogere potuisse. Ita & Concilium Tridentinum, quod impense colebat Papæ auctoritatem supra ipsum Concilium hanc veritatem definisset, nisi obstitisset Cardinalis a Lotheringia; sed tamen plura quæ Papa exequi debebat, decrevit. Neque hæc infringuntur dicendo cum P. Natale n. 4. necesse non esse pœnas decerni, ut lex obliget; siquidem cum diversimode Concilium egerit quando sua decreta Pontifices dubios respiciebant, ac quando indubios, non infirma ex hoc consurgit conjectura dicendi ipsum Concilium agnovisse non posse Papam indubium ligara.

Demum non-ne Martinus V. sess. ult. nullo ex PP. Constantiensibus reclamante, sub pœna excommunicationis Oratoribus vetuit Polonis appellatio-

n.m

nem a Papa ad futurum Concilium interponere? Ita refert atiam P. Natalis *art.* 3. *n.* 12. Si vero Concilium decrevisset Papam indubitatam sibi subesse, nonne prorsus legitima fuisset ista appellatio, siquidem inferiorem judicem semper fas est ad superiorem appellare? Respondet quidem Natalis n. 13. Martinum non omnem appellationem, sed quæ temeraria esset, quæ frivola, vetasse; at frustra hujusmodi responsione se ab hoc expedire argumento contendit. Supervacaneum igitur fuisset hujusmodi naturæ appellationibus modum imponere; non solum etenim eisdem tam jus Canonicum quam civile contradicunt, sed & jus naturale adversus eas reclamat, iis etenim uti idem est ac velle in propriis scelaribus perseverara: sed & omnes prorsus appellationes a Papa ad Concilium, Martinum interdixisse ea demonstrat ratio, qua usus est ad eas removendas, quia nempe Sedes Apostolica, seu Romanus Pontifex Supremus in terris est judex, ut ex iis patet, quæ a Natale n. 12. narrantur. Objiciendo autem Supremam Pontificis in terris potestatem, omnem substulit ad Concilium appellationem, cum hæc omnino explosa remaneat, quoties non sit judex superior ad quem possit quis inferiorem, qui sententiam tulit, appellare. Vidit id Gersonius in suo Tractatu: *Quomodo, & an liceat in causis fidei a Summo Pontifice appellare*, & fassus est Martini inhibitionem, qua Polonis appellationem ad futurum Concilium interdixit eum decretis quartæ & quintæ sessionis conciliari non posse; quippe sustinebat eisdem sancitum esse etiam Papam indubitatum Concilio esse inferiorem. Licet proinde retorquere argumentum, ac dicere quod sicut Martinus non potuisset præfatam appellationem inhibere, si Concilii decreta Papam certum Concilio inferiorem declarassent; ita cum re vera inhibuerit, nullusque ax PP. contradixerit, ostendit eadem decreta Papam indubitatum non respexisse. Quidquid vero ibi refert ex Gersonio, non vacat hic expendere, cum supremæ Pontificis potestati, quam toties eidem vindicavi, adversentur.

Putat P. Natalis *art.* 2. *n.* 7. Martinum V. quamdam Concilio subjectionem professum asse, quia *sess.* 43. voluit Concilium publico instrumento omnibus fidem facere ab ipso circa reformationis Articulos a Concilio concupitos factum fuisse satis. At quis non videat ita voluisse Martinum, non quia Concilio subjiceretur, sed ut apud universam Ecclesiam fidem suam liberaret? quippe antequam in Pontificam eligeretur sese obstrinxerat ad eamdem reformationem faciendam. Ita nemo dixerit Romanum Pontificem Cardinalium Collegio suam subjectionem significare, si vellet publico ipsorum testimonio omnibus perspectum esse se adimplevisse quæ præstanda jurasset antequam ad Pontificatum eveheretur.

Alia duo aperte suadent decreta Constantiensia Papam indubitatum non comprahendisse. Primum est quia Synodus Constantiensis sui confirmationem a Martino V. expostulavit, qua de re juvat audire Turrecrematam *sum. l.* 2. *cap.* 99. ubi hæc habet: *Præfata Synodus Constantiensis postquam Papa Martinus fuit creatus, morem observando antiquorum Conciliorum, humiliter petivit ab eo confirmationem, & roborationem omnium quæ fecerunt.* Cum autem confirmare, & roborare superioris auctoritatis sit, planissimum est quod Synodus illa integra ex omnibus Obedientiis Christianitatis non erat hujusmodi fidei, quod Concilium universale habeat a Christo immediate potestatem cui etiam Papa obedire teneatur. Observare deinde est etiam post Concilium Constantiense, ipso fatente Gersonio *Tract. de potest. Eccl.* hæretica pravitate inquinatos habitos a non paucis illos, qui Concilium supra Papam efferebant. Ex hoc autem hæc necessario inferenda, vel nempe credidisse decreta Constantiensia solummodo loquuta de Papa, de cujus legitima electione merito esset dubitandum, vel eadem decreta nihill habuisse. Quamvis autem non semel opponat Natalis Comitia Gallicana Constantiensia decreta recepisse, unaque probasse, sane non satis constat eadem excepisse quasi de Papa indubio loquerentur; ut enim ostendam, de Concilio Basileensi disserendo, Gallia Pontificem Concilio subditum non agnovit, ac proinde longe a vero est in Ecclesia Gallicana communem saltem fuisse sententiam, quod Concilium Constantiense Papam indubitatum sibi inferiorem declarasset.

Iis obstare videtur, quod, ut adnotat ipse Natalis n. 7. inter ea, quæ proposita fuere Sess. 40. id quoqua recensetur: *Itam propter quæ, & quomodo possit Papa corrigi, vel deponi*, qui articulus examini non fuisset obnoxius, si PP. Constantienses non judicassent Papam œcumenico Concilio subditum esse. Verum falso supponeretur ob examen hujus articuli ineundum PP. censuisse universaliter Pontificem certum Concilii auctoritati subdendum, cum non alia illorum PP. mens esset, quam eos stabilire casus, in quibus Concilium in Papam posset animadvertere, variæ etenim quoad hoc erant disceptantium opiniones. Sicut igitur ex eo quod concedatur Papam Concilio, si in hæresim labatur, subesse, perperam quis inferret absolute Concilii auctoritatem supra Papam extolli; ita & vitiosa esset hujusmodi illatio, quoties concederetur ex aliquo alio facinore posse a Concilio judicari.

§. IV.

Excipi potest adversus decreta sessionis 4. & 5. Concilii Constantiensis etiam defecta examinis, & ab plurimorum PP. dissensum.

NOn melius probari potest præfata decreta absque sufficienti examine prodiisse, quam scrutando ea, quæ dicit P. Natalis ut probet cum debita deliberatione & communi consensu stabilita fuisse. Supponit *art.* 1. §. 7. *n.* 56. quæstionem de auctoritate Concilii supra Papam jam diu in Christianis Academiis agitatam fuisse, omnesque huic adhæsisse sententiæ. At fallitur sane dum inhæsitanter affirmat in Academiis disputatum, ac agnitam auctoritatem Concilii supra Papam indubitatum, cum unice Papæ dubio superesse pronunciavarint. En quæ Universitates Parisiensis & Bononiensis decrevere: *Quod stante dubio Papatus inextricabili propter dubium facti & juris, ne in subversionem fidei Ecclesia sic remaneat divisa perpetuo cum tanto scandalo, & animarum perditione, provisio spectat ad Concilium, & Ecclesiam universalem, ut utrumque, eis non credentibus, possit a Papatu ejicere.* Universit. Parisiens. & Bononiens. in lit. Card. ad Greg. XII. an. 1408. apud Dacher. t. 6. Spicileg. & apud Labb. alibi. In eodem casu auctoritatem Concilii supra Pontificem extulit Academia Florentina apud S. Antoninum *Chron. p.* 3. *tit.* 22. *c.* 5. §. 2. cujus sensa ita refert: *Utrum præsupposita pro constanti quod ambo Pontifices scandalizarent totam Ecclesiam ex violatione manifesta promissionis, juramenti, & voti faciendæ unionis Ecclesiæ, cum non darent ad hoc operam, sed simulabant colludentes ad invicem, sicque pessimum Schisma valde Ecclesiæ nocivum jam inveteratum permanebat, possent Cardinales convocare Concilium, & citato utroque ad veniendum ad ipsum, non parentes, sed in contumacia persistentes possent deponi. Ubi post longam disputationem pro & contra per triduum factam, in præsentia plurimorum Doctorum in Theologia, & jure utroque, nullo contradicente, sed omnibus annuentibus determinatum fuit per illum* (Laurentium de Ridolphis) *licite & Canonice fieri posse.* Decisio ergo Florentinæ Academiæ illius temporis respiciebat casum, in quo nempe duo, de quorum legitima electione non satis constabat, eo quod Papatum nollent dimittere, perniciosissimum Schisma foverent. En quid Academiæ exploraverint; unde non bene Natalis scripsit jamdiu auctoritatem Concilii supra Papam Academias ac Theologos agnovisse, id etenim prorsus falsum est, si de Papa abs dubio legitime electo intelligatur.

Et re vera quomodo dici potest præstantiam Concilii supra Papam jamdiu agnitam, si ipse Gersonius ingenue fassus est apud P. Natalem n. 60. ante, & post Concilium Constantiense tam alte in plurimorum animis insedisse Pontificem Concilio superesse, ut oppositam opinionem hæresim redolere putaverint? Ipse Maimburgus, qui alias scripsit quæstionem de auctoritate Concilii supra Papam in Pisana Synodo agitari cœptam esse, in quinto libro historiæ magni Schismatis occidentis, postquam retulit hac de re Gersoniam sermonem habuisse ad PP. Constantienses an. 1415. 23. Martii, ita ait: *Ex occasio, unde ortum habuit famosa hæc quæstio, de qua nunquam in antiqua disceptatum est Ecclesia, an nempe Concilium Papæ superstet, vel potius Papa Concilio.* Non assentiendum ergo Natali, qui affirmavit, hanc quæstionem jam satis antea ventilatam, eliquatamque fuisse.

Defectum sufficientis examinis, velit nolitque Natalis, illud etiam demonstrat quod ad stabilienda decreta quartæ, & quintæ sessionis, nulla adinveniuntur expensa Scripturarum testimonia, nulla Antiquitatis monumenta; & tamen non solum agebatur de amplectenda sententia, ex qua maxima Ecclesiæ perturbatio, ac Schismatum fomentum possent oriri, sed & de intricatissima quæstione, quæ DD. in varias opiniones

nes distraxerat. Quidam igitur nec Papam dubium a Concilio judicari potuisse asserebant, ut apud S. Autoninum *tom. 3. Chron. tit. 22. §. 3.* Quidam nec tempore schismatis Pontificem deponi posse arbitrabantur, nisi hæresis crimine inquinaretur; & hanc viam iniit Concilium Pisanum volens Gregorium & Benedictum exauctorare, ut suo loco dictum est. Alii Pontificem tempore schismatis Concilio subdebant, & hanc sententiam Cardinalis Cameracensis propugnabat. Gersonius in omni casu, omnique tempore Papam Concilio subditum asserebat; & quamvis ipse hanc sententiam inter fidei articulos numerari posse diceret, alii fidei omnino adversari conclamabant, & hæreticam judicabant. Cum vero de re tam obscura ageretur, ipse Gersonius a cujus ore Galli omnes pendebant, in proponenda PP. Concilii præstantia supra Papam, nullum PP. nullum Conciliorum exhibuit testimonium, ut dumtaxat se SS. Thomam, & Bonaventuram legisse affirmavit, quorum etiam mentem non fuit assequutus. Ipsius verba dabo infra, ubi expendam quanti in præsenti controversia ipsius auctoritas habenda sit. Quod si ita se gessit Gersonius, quem ob pietatem doctrinamque impense laudant, quid de aliis putandum est? Sed ex ipsius Synodi Actis videamus quale hujus rei examen intercesserit.

Post quartam igitur sessionem, cum iterum ageretur de stabilienda subjectione Pontificis œcumenico Concilio in rebus fidei, morumque reformatione, nil aliud præstitum quam ut aliqui deputarentur, qui cum Cardinale Zabarella Florentino conferrent, ac de præfata quæstione, ut referunt Acta, *per Cardinalem Florentinum cum aliquibus Deputatis aliqualiter disputatum est*. Sane de implicatissima quæstione *aliqualiter* non erat disputandum; nec a diuturno diligentissimoque examine erat supersedendum, quia jam antea enodatæ essent illius difficultates, ut dicit P. Natalis num. 61. Ultro id concedendo quoad decernendam Papæ dubii Concilio subjectionem, prorsus negandum est quoad stabiliendam Concilii supra Papam certum auctoritatem, ut supra visum est. Videamus modo an nutet auctoritas decretorum Constantiensium ex defectu communis consensus.

Ad removendum plurimorum dissensum ab eisdem decretis, dicit Natalis n. 67. post non modicam disceptationem tandem in unam sententiam omnes convenisse quoad ea, quæ in futura sessione erant stabilienda. At qua ratione convenerint ex Concilii Constantiensis Actis edocemur. Certum primo est vota fuisse Cardinalium, ut a stabiliendis iis, quæ circa Papæ auctoritatem agitabantur, Nationes supersederent; unde ex tribus MSS. codicibus apud Schelstratem habemus eas monuisse, *Ut suspenderent ad tempus materias illas, quæ magnas habent difficultates, & maturam exigunt deliberationem*. Deinde quomodo sessione quinta fuerint confirmata decreta sessionis quartæ, ita in duobus MSS. codicibus continetur: *Die 6. Aprilis an. 1415. cum per Dominos Cardinales, & Nationes altercatum esset super correctione, & emendatione capitulorum in præcedenti sessione,* (nempe quarta) *statutorum, tandem ordinatum & conclusum est quod supradicta capitula modo infrascripto corrigerentur — præmissa per Dominos Cardinales, & Oratores Regis Franciæ protestatione secreta in camera paramentorum Palatii Constantiensis secrete facta, quod propter scandalum evitandum ad sessionem ibant, non animo consentiendi iis, quæ audierant in ea statui debere*. Non modica ergo disceptatio intercessit quoad ea, quæ sessione quarta circa Papæ Concilio subjectionem fuerant stabilita, quibus Cardinales contradicebant. De eisdem decretis etiam conquestus fuit Jo. XXIII. nam ut ex Turrecremata refert idem Natalis, n. 62. *scripsit falsa quædam & erronea adversus auctoritatem Romani Pontificis decreta per æmulos suos post recessum ejus esse conclusa*. Easdem renovavit querelas in sua Epistola ad Ladislaum regem Poloniæ. Quomodo vero in unam sententiam omnes convenirent ex dictis apparet, nempe non eo animo, sed ad scandalum evitandum, ac secreta emissa protestatione adversus ea quæ erant decernenda.

Perperam autem diceretur Cardinalium protestationem plenam dumtaxat securitatem Joannis respexisse, nam præmissa protestatio debuit ea considerare, super quibus acriter fuerat disceptatum, nempe super capitulis in sessione quarta determinatis, quorum primus fuerat de Papæ auctoritate infra Concilium stabilienda. Scimus præterea Cardinales ad sessionem *accessisse non animo consentiendi iis, quæ audierant in ea statui debere*; illudque decernendum confirmandumque in quinta sessione PP. moliebantur, quod Papa Concilio subderetur. Nec refert ex Schelstrata Natalem n. 63. recensere Cardinales *maxime* iis non assensuros quæ de plena Joannis securitate asserebantur; nam etenim dictio *maxime* ad summum significat neque [illegible] in ea sessione decernendis Cardinales consensum præbituros, potissimum vero decretis securitatem Joannis respicientibus.

Sed nec assentiri possum P. Natali ea ex ratione n. 64. protestationem Oratorum Gallorum pernegante, quod communis Ecclesiæ Gallicanæ doctrina Concilium supra Papam certum extollebat, quem ipsius subdebat auctoritati. Quod ita tunc sentiret Gersonius non Regis, sed Academiæ Parisiensis Orator, non diffiteor, sicut & quod postea alios in suam traxerit sententiam. Verum Concilii Constantiensis tempore nego hujusmodi sententiam in Ecclesia Gallicana communiter viguisse; cujus rei testis mihi est Maimburgus in historia magni schismatis *lib. 5.* Ibi narrat quod postquam Carolus VII. Gallarum Rex audivit a Deputatis Constantiensibus sententiam latam in Joannem XXIII. in eosdem excandescens ita ait: „ Ecquis eam vobis licentiam dedit, ut auderetis in Pontificem Romanum manus injicere, eique dignitatem, ac infulas adimere, quod nuper Constantiæ fecistis? Postquam ergo eo audaciæ pervenistis, quid aliud superest vobis, quam ut pari facinore Regi regiisque Principibus coronam & imperium involetis? sed enim ne id vobis procedat mature præveniam. *Iis relatis statim adjungit* ab annis nongentis Ecclesiæ Gallicanæ hanc sententiam fuisse, ut videlicet excepto hæresis casu, a nullo homine, nulloque Concilio, sed a solo Deo judicari Pontifex Romanus, deponique posset. „ Esto ergo deinde quamplures ex Gallis obviis ulnis eam excepisse sententiam qua Papa Concilio subdebatur, communis sane non erat, dum Concilium Constantiense celebrabatur: unde nil vetat dicere Oratores Gallos protestatos esse adversus decreta, quibus Concilium se supra Papam extollebat. Sed de hac re fusius in Animadversionibus in Concilium Basileense.

P. Natalis, ut probet omnes tandem acquievisse decretis quartæ, & quintæ sessionis, postquam n. 62. sibi opposuit Turrecrematæ atque Eugenii testimonium, qui affirmant unanimem consensum defuisse, respondet n. 67. ex diversis Concilii Constantiensis actis haberi, tandem *uniformiter* in quinta sessione probata fuisse.

Hæc tamen adeo conciliari posse puto, ut nullam involvat contradictionem. Quamplures igitur ab illis decretis dissensisse ex hucusque dictis apparet, ac temere falso id affirmasse Eugenium, ac Turrecrematam judicaremus. Quamvis autem, teste Eugenio, *nonnulli reclamaverint graviores, perstrepente multitudine* silere coacti sunt: sicut & Cardinales sibi silentium indixere, & protestationem secretam fecerunt, ad scandalum removendum, ut supra dictum est: atque ita ipsis contradictoribus obmutescentibus, non vero approbantibus, uniformiter decreta prodiisse dictum est: Ea plane ratione, qua non semel Collegiorum decreta communibus suffragiis stabilita dicunt, quia illi qui aperte contradicerent, quamvis doctrina præstantes a potiori numero perstrepente superati haud libere possunt propriam proferre sententiam. Sed hac de re omnino legenda quæ etiam §. sequente adnotabo.

Interim obiter monitum velim Lectorem Epistolam Cardinalis a Lotharingia, cujus meminit Natalis num. 65. suspectam esse, dubiæque auctoritatis, ac forte ab hæreticis corruptam. Legitur apud Dupuy, atque in ea affirmatur *Concilium Florentinum in Galliis receptum non esse*, quam apertam falsitatem Cardinalem affirmare potuisse nemo opinabitur; si etenim excipiantur Græci Schismatici, plane constat ubique tandem receptum fuisse, omnesque Principes relictis Basileensibus, qui nullum non moverunt lapidem ne indiceretur Concilium Florentinum pro œcumenico legitimoque agnovisse, ac excepisse. Illud etiam non prætereundum Dupuy ad marginem illius Epistolæ, seu instructionis Pio IV. communicandæ adnotasse Cardinalem Lotharingum Agenti suo imperasse, ut *quæ Pontificem, & Concilii superioritatem spectabant, legere omitteret*. Unde conjicere licet Cardinalem pœnituisse eorum, quæ animo subirato scripserat, ac forte emendare cogitasse.

§. V.

Decreta IV. & V. Sessionis Concilii Constantiensis rejicere fas est, cum ea Martinus V. non approbaverit.

UT defectu Pontificiæ confirmationis præfatorum decretorum auctoritatem nutare ostendamus, operæ pretium est videre quo se extenderit Martini V. confirmatio. Sessione igitur 45. professus est *se omnia & singula determinata, conclusa, & decreta in materiis fidei per Concilium Constantiense conciliariter, tenere velle, ipsaque sic Conciliariter facta approbare, & non aliter, & non alio modo.*

Perpendendo primo eam vocem *Conciliariter facta*, censeo Martinum a confirmandis decretis Sessionis IV. & V. abstinuisse, quia non fuisse *Conciliariter* facta dicendum est. Asserit Natalis art. 3. n. 6. Martinum ea voce *Conciliariter* nil aliud significare voluisse, nisi ea se non probare quæ inter nationes fuerunt stabilita, si postea Concilium in suis Sessionibus rata non habuit, quomodo se habuit damnatio libri F. Jo. Falkemberch: nil vero excludere intendisse ex iis, quæ in Concilii Actis continebantur. At ab interpretatione Natalis discedendum est; plura etenim non *Conciliariter* acta in Concilio Constantiensi adinvenire est, nempe absque conveniente deliberatione, examine, ac suffragiorum libertate, & præcipue IV. & V. Sessionis decreta: quapropter necesse est dicere hæc confirmare non intendisse Martinum, dum sua confirmatione rata habere noluit quæ *Conciliariter* facta non fuissent.

Quod autem in Synodo Constantiensi plurima non legitime ac *conciliariter* acta fuerint etiam ab ipsius exordio suadent querelæ Jo. XXIII. qui in sua Epistola ad Ladislaum Poloniæ Regem inter alia hæc habet: *Quorumdam cæca, & inconsulta temeritas, usque adeo ab ipso Concilii principio ita omnia pervertere, ita omnia perturbare concupivit, ut non concordiam, sed dissensionem, non unionem, & pacem Ecclesiæ, sed schismata & scandala quærere viderentur, qui nullo antiquorum Conciliorum ritu observato, non publice sed sparsim, & privatim de rebus Ecclesiæ conciliabula celebrabant in contemptum Sedis Apostolicæ, & in vilipendium nostram sectas, dissensionesque adversus nos seminantes, ac non per viam S. Spiritus, ut decet, sed per vim, & strepitum, & contumelias in rebus singulis adversas nos moliebantur, multa machinabantur indigna relatu contra decus Apostolicæ Sedis & honorem nostrum.* In altera vero Epistola ad Ducem Biturigiæ, in Sorbona publice lecta, quæ habetur in duobus mss. cod. Bibliothecæ S. Victoris, postquam exprobravit in Concilio Constantiensi statutum fuisse, ut singulæ nationes unam tantummodo vocem, seu suffragium haberent, quando Anglicana tres tantum Episcopos & quosdam Clericos numerabat; Gallicana vero & Itala ducentos, ita subdit; *Deinde cum in Conciliis generalibus, secundum statuta Canonum vis suffragii non competat nisi Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, quorum suffragia requirenda sunt in sessionibus publicis, & non privatis consiliis, nihilominus quicumque ad hujusmodi consilia fuerunt admissi, nullo discrimine personarum habito, omnium suffragia etiam laicorum, subtractis Prælatorum suffragiis, recepta sunt; & licet in Conciliis suffragia debeant esse libera, nihilominus multæ extiterunt cavillationes, & subordinationes per minas, & terrores ab Imperatore procedentes.* Ita Joannes, quem putida mendacia Regibus, ac Principibus venditasse prorsus a vero abest; eo maxime quia statim Patres Constantienses ut mendacem traducere potuissent.

Joannis XXIII. quærelis consona plura sunt, quæ de Constantiensi Concilio enarrantur. MSS. igitur codices testantur decretis 4. sessionis Cardinales adversos fuisse, ac monuisse Nationes de sua repugnantia accedendi ad sessionem, *Eo quod super illis non habitæ fuerint, nec sufficienter petitæ deliberationes eorum.* Regestum Concilii Constantiensis, ut supra innui, refert Cardinales monuisse nationes, ut suspenderent ad tempus materias illas, quæ habent magnas difficultates, ac maturam exigunt deliberationem. Quatuor MSS. Codices describentes quæ in septima sessione evenere, ita habent: *Die 2. Maii an. 1415. Cardinales licet præsentes in sessione fuerint, numquam illam formam viderant; eodem enim die circa horam septimam de mane fuit data eis copia ad deliberandum super illa, cum jam plures Prælati sederent, & immineret relatio novorum fienda Regi, & Deputatis Nationum in Sacristia, in qua relationi præsentes fuere, nec poterant illam formam videre, eam statim facta relatione perventum est ad sessionem, quæ jam peracta erat, & ita pene in omnibus decretis Concilii factum est. Cardinalibus ita arcto, & brevi tempore ostensa sunt decreta jam conclusa a Nationibus, ut non fuerit in eorum potestate super illis sufficienter deliberare, immo fuerunt in magnum contemptum habiti.* Et quidem, si PP. Constantienses honore debito prosequuti fuissent Cardinales, eisque sufficiens ad deliberandum tempus concessissent, non oportuisset Petrum Alliacensem, qui Cardinalis Cameracensis nuncupabatur, ante adventum Legatorum Regis Castellæ, Concilio decernendum proponere, ut habet in suo Tractato de Ecclesiæ & Cardinalium auctoritate p. 1. c. 4. *An excluso Cardinalium collegio, quatuor Nationes Concilium facerent generale.* Videbat quippe in eo Concilio pene nihil habitos Cardinales, ac proinde de decretorum firmitate fas fuisse dubitare, si absque Cardinalibus Concilium Constantiense non fuisset œcumenicum. Et re vera se ideo dubium illud ibidem cum aliis proposuisse dicit; *ut in Concilio super his deliberetur, & provideatur, quod in futurum Acta non possint ab Æmulis reprobari.* Ita ostendit ab ipsis Concilii Constantiensis temporibus quædam ipsius decreta in dubium revocari cœpisse.

Dissensiones vero, ac metum in hoc Concilio non defuisse, satis colligitur ex protestatione Cardinalium, & trium Nationum adversus Nationem Germanicam, facta die 9. Septembris an. 1417. in qua hæc habentur: „ Clerus & populus nonnullorum regnorum, & „ provinciarum nondum clare & solide huic Sacro Con„cilio adhæserunt propter rumores discordiarum, & „ quasi discordiarum, quas in eodem Concilio fieri au„diunt, fides jam de eodem Concilio dicitur vacilla„re -- His diebus magnus terror & turbatio dicebatur „ esse in Concilio, fama enim erat communis, & mul„ti scientes de consiliis Regis dixerunt amicis, quod „ Rex proponebat & deliberaverat aliquando capere „ omnes Cardinales, & postea restrinxit ad sex. Sed „ Cardinales & alii de quarum proscriptione diceba„tur, constantes steterunt, nec omiserunt loqui & pro„sequi quæ eis justa videbantur. Causa autem odii Re„gis dicebatur, quod Rex volebat habere Papam ad „ voluntatem suam, & illis stantibus non poterat.

Ex iis satis dignoscitur ex defectu libertatis, ac sufficientis deliberationis non omnia in Concilio Constantiensi *Conciliariter facta* fuisse, ac proinde Martinum ea noluisse sua confirmatione roborare. Id autem potissimum intelligendum de decretis quartæ ac quintæ Sessionis, innuit Epistola Joannis XXIII. ad Ladislaum; cum ibi conqueratur celebrata fuisse conciliabula in contemptum Sedis Apostolicæ, & ipsius vilipendium, aliaque machinata contra ejusdem Sedis decus, & honorem. Sed clarius Joannis querelas respexisse decreta, quæ prodierunt contra auctoritatem Sedis Apostolicæ testatur Turrecremata, quem refert Natalis *art.* 1. n. 62. narrat enim Oratoribus Regis Franciæ ipsum invisentibus dixisse *amaro animo falsa quædam & erronea adversus auctoritatem Romani Pontificis decreta per Æmulos suos post recessum ejus esse conclusa.* Sed cur præterea Cardinales posthabiti, atque illis decreta proposita tam arcto temporis spatio, ut non sufficeret ad deliberandum? Videbant siquidem Pontificiæ Auctoritatis Adversarii non consensuros, ac maturiore deliberatione eas materias decernendas esse voluisse, immo ad aliud tempus ipsarum determinationem differendam. Hæc igitur fuisse, a quibus confirmandis, quia *Conciliariter*, non factis abstinuit Martinus, etiam testatur Spondanus ad an. 418. ubi hæc habet: „ Putamus Nunciorum Poloniæ petitionem de industria „ Martini nutu ad ultimam Sessionem reservatam, ut „ ea occasione significaret, quæ Concilii decreta ipse „ auctoritate apostolica ac suprema probaret, quæ ve„ro non; ne si antea quidquam de iis agere voluisset, „ murmur aliquod tumultusque in Patribus excitaret, „ ob ea, quæ ambigue decreta fuissent de auctoritate „ Concilii supra Pontificem, & de potestate reforman„di Ecclesiam tam in capite, quam in membris, quas „ absolute, ut sonare videntur, sumptas, nullo modo „ Martinus agnoscere aut probare voluit, utpote ex„traneas existimatas, & praxi antiquioris Ecclesiæ, „ & collatæ Petro, ejusque Successoribus potestati, „ ipsique demum natura rei qua Caput debet mem„bra regere, non regi a membris: Sicut ex pluribus „ est sæpe commentariis atque disputationibus proba„tum ab hujus dogmatis Assertoribus.

Sed ut ulterius ostendatur decreta Sessionis 4. & 5. Concilii Constantiensis non fuisse ab Eugenio sua confirma-

firmatione stabilita, juvat observare professum esse, *omnia, singula, determinata, conclusa, & decreta in materiis fidei conciliariter, se approbare, & ratificare, & non aliter, nec alio modo*. Respondet quidem P. Natalis *art. 3. num. 8.* præfata decreta ad fidem quodammodo posse revocari, quia Ecclesiæ, & Concilii generalis auctoritas, quæ eisdem declaratur ad objectum fidei nostræ pertinet; tum quia quædam propositiones illis decretis definitæ, ita ad finem pertinent, ut oppositæ vere errorem in fide contineant. At si verbis ludere nolimus, modo inspiciendum est, an decreta Concilium œcumenicum supra Papam asserentia, vel etiam a longa ad fidem pertinere dicere possimus. Nemo sane id vel somniabit, si considerentur quæ adnotavi in Animadversionibus de Papæ præstantia supra Concilium, si observetur ipsum Gersonium supra memoratum fassum esse ante Concilium Constantiense ut hæretica pravitate inquinatos habitos illos fuisse, qui Papam Concilio subjiciebant, & adhuc post illud Concilium ita quamplures sensisse; si demum animadvertatur modo etiam opinionem Concilium Papæ anteponentem ut hæreticam vel at proxime ad hæresim accedentem a quamplurimis haberi. Absit ergo ut credamus Martinum confirmantem decreta in materiis fidei *conciliariter facta* voluisse decreta 4. & 5. Sessionis eadem confirmatione ratihabere.

Subdit Natalis alienam non esse a veritate Papæ confirmationem etiam ad alias materias extendere, cum non dixerit *solum* decreta quoad fidei materias confirmare. Verum etsi illa vox *solum* expresse in Martini Constitutione non legatur, nihilominus ipsius confirmationem ad fidei decreta cogimur coarctare. Talem ipsius mentem fuisse ea innuunt verba quod nempe voluerit approbare quæ fuerant *Decreta in materiis fidei conciliariter*: nemo autem dixerit rata habuisse quæ nullatenus expressit. Deinde Martinus suam addit confirmationem, quando ab ipso expostulabatur, ut damnaret libellum Jo. Falkemberg jam damnatum a Nationibus, & a Cardinalium Collegio, ut continentem *crudelissimos errores, & hæreses*. Quando ergo de profligandis hujusmodi erroribus etiam Pontificia confirmatione agebatur, renuit Martinus præfatum proscribere libellum, & solum confirmata voluit, quæ *conciliariter in materiis fidei* fuerant sancita; ac proinde cum solum de iis, quæ ad fidem pertinebant sermo esset, prorsus præter rem diceremus Martini confirmationem ad alias res divagasse. Demum Bulla Martini apud Schelstratem legenda satis exhibet Martinum solum confirmasse ac plenum robur habere voluisse *declarationes, decreta, diffinitiones, reprobationes, mandata, inhibitiones, statuta, nec-non condemnationes, & sententias suprascriptas*, nempe circa errores Jo. Hus, Hieronymi de Praga, & Jo. Wickleffi. Ultro ergo concedo tunc nec sententiam latam in Jo. XXIII. nec depositionis sententiam in Petrum de Luna, nec Gregorii XII. cessionem, nec suam electionem Martinum confirmasse, nam de iis ratihabendis actum non est. Ex quo tamen perperam quis inferret ea robora caruisse; cum etenim legitime facta fuerint, neque ea Pontifex improbaverit, non est quare firmitate vacua essent, licet Pontifex explicite non confirmaverit.

§. VI.

Respondetur iis, quæ urget Natalis art. 3. pro valore Decretorum sessionis 4. & 5. Concilii Constantiensis.

URget primo Natalis Martinum V. inter damnatos a Synodo VVickleff. & Jo. Hus errores n. 41. hunc quoque recensere: *Non est de necessitate salutis credere Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias Ecclesias*. Refert deinde sequentem in præfatum articulum Concilii censuram: *Error est, si per Romanam Ecclesiam intelligat universalem Ecclesiam, aut Concilium Generale, aut pro quanto negaret primatum summi Pontificis super alias Ecclesias particulares*. En, dicit Natalis, Romani Pontificis primatum super particulares Ecclesias extendi; unde Ecclesiæ subditur universali, seu Concilio œcumenico eamdem repræsentanti juxta sæpius memorata Constantiensia decreta. Sed primo potest responderi, quod sicut ex eo quod diceretur Regem in particularibus sui regni provinciis dominari, in Aquitania v. g. Delphinatu, Provincia &c. perperam inferremus easdem collective sumptas suo imperio non obtemperare, ita ex eo quod fateri deberent hæretici particulares Ecclesias Romani Pontificis primatui subesse, non proinde excluderetur ejusdem in universalem Ecclesiam auctoritas.

Sed ut uberius intelligatur ex præfata interrogatione hæreticis ad Ecclesiam redeuntibus facienda inepte argui adversus primatum Romani Pontificis in universam Ecclesiam, perspicere opus est quare de primatu in particulares Ecclesias erant interrogandi. Animadvertere igitur necesse est inter articulos damnatos Jo. Hus hunc quoque n. 11. haberi non oportere, scilicet credere *quod Romanus Pontifex sit caput cujuscumque particularis Ecclesiæ*. Ad hunc igitur errorem eliminandum necesse fuit inspicere an a suis erroribus resipiscentes, primatum Romani Pontificis in particulares Ecclesias faterentur. Hanc proinde stabiliendo interrogationem, tam Pontifex, quam PP. Constantienses, numquam voluere excludere supremam, quam habet Papa, etiam in universam Ecclesiam auctoritatem, cum unice eos detegere optarent, qui errores tunc vigentes vere ejurarent.

Id valide confirmatur, quia ad Ecclesiæ sinum redeuntes interrogandi pariter erant, ut habetur ex tertia interrogatione eisdem facienda an Romanus Pontifex esset successor Petri *habens supremam auctoritatem in Ecclesia Dei*. Cum hujus interrogationis vi fateri cogerentur absque ulla limitatione supremam Papæ *in Ecclesia Dei* auctoritatem, palam fit voluisse PP. Constantienses etiam agnoscendam Pontificis in Ecclesiam universam potestatem. Respondet Natalis n. 3. ex dictis verbis non designari præfatam in Ecclesiam universam potestatem, ad id enim significandam putat interrogandos fuisse an Pontifex haberet supremam auctoritatem *in Ecclesiam*, non vero *in Ecclesia*. Hujusmodi autem responsione videtur mihi Natalis nimis verbis inhærere, quamvis enim Pontificis suprema potestas in universam Ecclesiam melius explicaretur dicendo habere supremam auctoritatem *in Ecclesiam*, satis nihilominus explicatur dicendo eadem *in Ecclesia* Dei potiri. Ita non diminute explicarem Regis Galliæ in omnem Galliam simul sumptam supremum imperium, si dicerem: *Rex Galliæ habet supremam auctoritatem in Gallia*. Et quidem nemo putabit Martinum V. dum voluit hæreticos resipiscentes interrogandos esse de suprema sua potestate *in Ecclesia Dei*, intellexisse superiorem suam potestatem respectu particularium Ecclesiarum esse limitandam; cum etenim se Concilio inferiorem haberi non passus fuerit, unde anathematis minis compescuit Oratores Polonos volentes ad Concilium provocare, ut supra dictum est, neque universæ Ecclesiæ se esse subjectum, sane noluit intelligere; Seque proinde Concilio superiorem asseruit in toties citata Apologia.

Animadvertit deinde Natalis in interrogationibus faciendis iis, qui hæresim ejurarent, hanc quoque extitisse: *Utrum credat, teneat & asserat, quod quodlibet Concilium generale, & etiam Constantiense universalem Ecclesiam repræsentet*; ac deinde hæc habet: *Cum nulla hic fiat exceptio, repatandum est Concilium Constantiense etiam in quinta sessione universam Ecclesiam repræsentasse, ac proinde legitime Papæ auctoritatem supra Concilium stabilisse*. Verum absque eo quod hic iterum mentio fiat, decreta sessionis 4. & 5. Papam dubium respexisse, nullatenus Natali acquiescendum asserenti præfatam interrogationem comprehendisse Concilium Constantiense pro eo tempore quo præfatas sessiones celebravit. Cum diversis interrogationibus exploranda esset illorum fides qui ad Ecclesiam redibant, non poterant interrogari nisi de iis, quæ prorsus certa erant, nullæque dubitationi obnoxia. Porro, an Concilium Constantiense, dum sessiones 4. & 5. celebravit, legitimum fuerit, ac œcumenicum, ac proinde universalem repræsentaverit Ecclesiam, saltem necesse fuisse dubitare, ostendunt superius dicta ex Scriptorum syncronorum testimonio; unde Eugenium IV. in Apologia legitimum tunc non fuisse fidentissime Basileensibus opposuit. Nulla ergo ratione cogi poterant ad fidem redeuntes, ut faterentur Concilium Constantiense universam Ecclesiam repræsentasse quando decreta sessionis 4. & 5. evulgavit, sed solum quando indubitanter fuit legitimum.

Urget pariter ejurantem hæresim interrogandum fuisse: *Utrum credat quod illud sacrum Concilium Constantiense universalem Ecclesiam repræsentans, approbavit, & approbat in favorem fidei, & ad salutem animarum, quod hoc est ab omnibus Christi fidelibus approbandum, & tenendum*. Putat deinde decreta sessionis quintæ, quibus sancitur generale Concilium potestatem immediate a Deo habere quoad ea, quæ pertinent ad fidem, extirpationem schismatis, & reformationem generalem Ecclesiæ in capite, & in membris, ita ut etiam Papa obedire teneatur,

fidei favorem & salutem animarum respexisse, omne robur habere dicit, ac credendum Martinum V. eadem confirmasse; alias etenim non voluisset ad Ecclesiam redeuntes quoad hæc esse interrogandos. At hæc etiam statim convelluntur, primo respondendo decreta supradicta de Papa dubio esse intelligenda. Secundo interrogationes hæreticis resipiscentibus faciendas unice comprehendisse decreta facta, quando Concilium Constantiense indubitanter legitimum erat, & œcumenicum, adeoque Ecclesiam universam repræsentans; quod dici non potest pro eo tempore, quo sessiones quarta, & quinta habitæ sunt. Nihilominus iis etiam non consideratis, omnino corruit Natalis argumentum, si consideretur interrogationes in Martini Constitutiones sancitas fuisse faciendas, ut Ecclesiæ Prælati eos dignoscerent, qui Vvicklef. & Jo. Hus errores ab eodem Martino, & Concilio damnatos vere ejurarent. Quis modo non videat quam rationi dissonum sit judicare Papam, & Concilium voluisse fidem ad Ecclesiam redeuntium comprehendere etiam decreta quartæ, & quintæ sessionis? Si eadem de subjectione Papæ certi respectu Concilii œcumenici intelligantur, ex dictis in præcedentibus Animadversionibus de præstantia Papæ supra Concilium §. 10. & 11. & ante Synodum Constantiensem, & post ipsam hæresim continere plures Catholici arbitrabantur; per eadem latam schismatibus patere viam alii dixerunt, sicut & erroribus eliminandis occludi. Hæc ne ergo decreta tamquam fidei capita, tamquam ad salutem conducentia, necesse erat respuentes Vviclef & Jo. Hus errores probare?

Aliud petit Natalis argumentum ex eo quod Martinus sess. 44. Concilium generale indixit, ut faceret satis decreto *Frequens*, quo PP. Constantienses novum indicendum Concilium statuerant. Futile vero esse hujusmodi argumentorum genus ex eo dignoscitur, quod post Concilium Tridentinum, ut ipsius decreta executioni mandarentur, Romani Pontifices tot Bullas Constitutionesque edidere. Nemo vero est qui ignoret, quod quamvis facere satis Tridentini sanctionibus intellexerint, nihilominus numquam eis subjici crediderunt. Illius ergo Concilii decreta executioni mandanda Romani Pontifices voluere; quia ita Ecclesiæ utilitati expediebat, non quia eisdem decretis se ligari putarent. Ita Martinus V. novum indixit Concilium quia proficuum futurum esse Ecclesiæ judicavit, non vero quia cogi a Concilii decreto crederet, cum se Concilio superiorem ostenderit, prohibendo Polonos ab appellatione ad futurum Concilium.

Scribit pariter Natalis tam Eugenium IV. quam Pium II. Constantiensem Synodum generatim, indefinite, & absque ulla prorsus exceptione approbasse, & confirmasse. Verum de iis aptius sermo erit in Animadversionibus in Concilium Basileense.

Quia demum frequenter Natalis extollit auctoritatem Gersonii, qui tam aperte adversus Papæ præeminentiam supra Concilium in Synodo Constantiensi pugnavit, operæ hic pretium est expendere quo in pretio hac in controversia ipsius auctoritas habenda sit. Atque omittendo quanti plures existimandum in hac controversia putaverint hunc Doctorem, ut adnotavi præcedentibus Animadversionibus §. 10. audiamus quomodo in Sermone habito coram PP. dominica secunda post Epiphaniam de decretis sessionis IV. & V. fuerit loquutus: *Huic veritati*, inquit, *fundatæ supra petram S. Scripturæ quisquis a proposito detrahit, cadit in hæresim jam damnatam, quam nullus umquam Theologus, maxime Parisiensis & Sanctus, asseruit. Vidi nuper SS. Thomam, & Bonaventuram, hic reliquorum libros non habeo, dant supremam & plenam Summo Pontifici potestatem Ecclesiasticam: recte proculdubio, sed hoc faciunt in comparatione ad fideles singulos, & Ecclesias particulares. Dum enim comparatio facienda fuisset ad auctoritatem Ecclesiæ Synodaliter congregatæ, subjecissent Papam, & usum potestatis suæ eidem Ecclesiæ, tamquam Matri suæ.* Videas hic quæso quantum Gersonius excesserit. Primo inhæsitanter affirmat decreta Constantiensia Papam etiam certum Concilio subdidisse, ac eumdem solum particularibus Ecclesiis præesse, quando ex tot rationum momentis, ac tot Scriptorum auctoritate credere est dumtaxat Papam dubium Concilio subditum voluisse. Secundo supponit Concilium Constantiense tamquam hæreticam eam damnasse propositionem, quæ Papam Concilio antefert. Ita dicendo quam lapsus fuerit Gersonius nemo est qui non videat, cum ipse fateatur tam ante quam post Concilium Constantiense a pluribus ut hæreticos habitos, qui affirmabant potiorem esse Concilii, quam Papæ auctoritatem. Sed & illud observandum quod dum Gersonius dixit hæresim esse jam damnatam Papam Concilio anteponere, necesse est ut hæreticos habuisse, qui decreta sessionis quartæ & quintæ respuebant, sicut & tot illos viros doctrina ac sanctitate præclaros, qui Gregorio ac Benedicto adhærentes, nihil Concilio in Pontificem licere affirmabant. Quid autem hoc absurdius? Tertio asserit *a nullo Theologorum, & Sanctorum traditam doctrinam*, quæ Concilium Papæ submittit. Ita autem asseruit, quando ipse fassus est ex librorum defectu nullum alium præter SS. Thomam & Bonaventuram vidisse. Quam vero id affirmando erraverit, videre est in Animadversionibus præcedentibus §. *ult.* ubi Sanctos ac Theologos ex ipsa Gallia Papam supra Concilium efferentes retuli. Demum procul omnino a veritate abiit dicendo SS. Thomam, & Bonaventuram prætulisse quidem Romanum Pontificem singulis, & particularibus Ecclesiis, non vero Ecclesiæ universali, seu Concilio œcumenico. Legenda quæ de Sanctis his Doctoribus adnotavi loco citato §. *ult.* ac sufficiat hic recensere loca, ubi hac de re agunt, S. nempe Thomas 2. 2. q. 1. *art.* 10. *in c. & ad* 2. *& q.* 10. *de Potent. ar.* 4. *ad* 13. & S. Bonaventura *in Exposit. reg. Fr. Minor. V. Honestus*, & quia Papæ supra Concilium præeminentiam agnoscebat, vult solius Dei subesse judicio *in 4. dist.* 19. *& de Celas. Hierarch. p.* 2. *c.* 1. Nec volo hic omittere tam manifestum aliquibus fuisse SS. Thomam, & Bonaventuram Papam Concilio superiorem agnoscere, ut non veriti sint dicere a Gersone vel illos non perlectos fuisse, vel animum ad ea quæ legebantur non fuisse intentum.

Sicut solemniter erravit Gersonius recensendo inter Fidei veritates sententiam Papam Concilio postponentem, ita & Magister Thomas de Corsellis, quem refert P. Natalis art. 3. n. 8. unde constat quanti habendus sit iste Auctor, cujus auctoritatem affert P. Natalis loc. cit. & art. 1. num. 71.

Quoad ea quæ P. Natalis loco citato ex Sancto Antonino expendit, legantur quæ dixi ubi supra §. *ult.*

DISSERTATIO V.

DE MENTE CONCILII Constantiensis circa Potestatem Ecclesiæ in Temporalia Regum.

ARTICULUS UNICUS.

Sacrum Concilium Generale Constantiense Potestatem & Auctoritatem Ecclesiæ aut Romano Pontifici non tribuit in Temporalia Regum vel Principum Supremorum: nec Auctoritatem hujusmodi, vel indirectam exercuit.

Adversus *Bellarminum* & *Perronium* Cardinales doctissimos, nec-non Anonymum Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ Impugnatorem Lib. 4. cap. 4. hac in Dissertatione agimus, quam Concilii Constantiensis finibus constringimus, quia nullum pene testimonium vel factum est, quo iidem DD. Cardinales, & Anonymus ille abutantur, quod in superiorum Sæculorum Historia nostris Observationibus ac Dissertationibus non elucidaverimus, & eorum sententiæ de potestate indirecta Ecclesiæ & Romani Pontificis in Reges ac Supremos Principes, eorumque temporalia, nequaquam favere, non demonstraverimus. Lege Dissertationem 4. in Historiam Sæculi septimi, in qua expendimus utrum *Vuamba* Rex Gotthorum a Concilio Toletano 12. fuerit exauctoratus: Dissertationem 1. in Historiam octavi Sæculi, qua ostendimus, *Gregorium II.* Pontificem Maxim. *Leonem Isaurum* Imperatorem Tributorum exactione non privasse, nec Urbem Romam, Italiam, totumque Occidentem ab ejus obedientia abstraxisse, aut ab eo ipsum defecisse; Dissertationem 2. in Historiam ejusdem Sæculi, qua probamus, nec *Zachariæ*, nec *Stephanii III.* Romanorum Pontificum Auctoritate Regnum Francorum a *Childerico III.* ad Pippinum Majorem-Domus esse translatum: Synopsim Historiæ Ecclesiasticæ Sæculi noni & decimi Cap. septimo, Articulo quinto, pag. 803. & sequentibus, ubi observavimus quod operæ pretium erat circa minas a *Fulcone* Remensi Archiepiscopo *Carolo Simplici* intentatas: Dissertationem 1. in eorumdem Sæculorum Historiam in qua de Translatione Imperii a Græcis ad *Carolum Magnum* agitur: Dissertationem alteram, de *Ludovici Pii* Imperatoris Exauctoratione & Restitutione: Dissertationem decimam-septimam, de septem-virum Sacri Romani Imperii Electorum Institu-

tutione: Synopsim Historiæ Ecclesiasticæ Sæculi undecimi & duodecimi Csp. decimo, Articulo secundo, Num. 2. ubi de *Philippi I.* Francorum Regis Excommonicatione ob *Bertam* Reginam repudiatam, & *Bertradam* superductam, de verbis *Ivonis Carnotensis* Epist. 46. ad *Urbanum II.* scribentis, oe coronam *Philippa* restituat, & de Formula, *Regnante Christo:* Articulum quintum ejusdem Capitis, in qun de Censuria in *Philippum Augustum* latis ob *Ingeburgis* repodium, & *Mariam* superductam, & de sopradicta Formula, qoam in poblicis Instrumentis, Interdicto durante, tunc pariter appositam quidam ajunt; Dissertatioois secundæ in eorumdem Sæculorum 11. & 12. Historiam, & Articulum nonum, in qun probavimus, *Gregoriam septimum* Romanorum primum Pontificum sibi Regum exauctorandorum tribuisse potestatem, contra Patrum doctrinam, immo contra verbum Dei; Articulom decimum, in quo ostendimus, nollius esse ponderis argumenta, quibus novam ac singularem opinionem suam de potestate exauctorandi Reges Romano Pontifici & Ecclesiæ a se attribota probare nititur idem *Gregorius septimus* in Epistola ad *Herimannum* Episcopum Metensem, quo in Articulo de mente *S. Gregorii Magni & S. Thomæ* Angelici Doctoris, circa istam controversiam agitor, qoos a calumnia vindicamus; Differtationem octavam in eorumdem Sæcolorum Historiam, Articulo quartu, ubi sensum Canonis 27. Concilii Lateranensis Tertii sub *Alexandre III.* celebrati explicamus; Synopsim Historiæ Ecclesiasticæ Sæculi decimi-tertii & decimi-quarti, Cap. 9. Articulo 1. nu. 13. ubi Gesta *Innocentii III.* Pontificis Maximi cum *Joanne* Aoglorom Rege *Sine terra* nuncopato expendimus: Articolum 3. obi de *Gregorii noni* sententia in *Fridericum II.* Imperatorem; Articulom undecimom, ubi de *Martini IV.* Sententia in *Petrum* Aragonum Regem; Articulum quintum Capitis noni, ubi de *Ludovica Bavaro* Imperatore agitur; Articulom primum Capitis decimi, obi de causis belli a *Philippo Augusto* Rege Christianissimo illati *Joanni* Regi Anglorum *Sine terra*; Articulum quartom, ubi de expeditione *Philippi Audacis* Regis Christianissimi in *Petrum* Aragonum Regem; Articulum nonom ejusdem Capitis, ubi de caosis belli a *Carola Sapiente* Rege Christianissimo suscepti adversus *Petrum Crudelem* Castellæ Regem: Articulum secundum Capitis undecimi, nu. 4. ubi de *Sanctio II.* Lusitaniæ Rege: Dissertationem secundam in Historiam eoromdem Sæculorum, Articulo tertio, ubi quærimus, utrum Lateranensis 4. Concilii Canon 3. Ecclesiæ vel Romano Pontifici potestatem tribuat saltem iodirectam in temporalia Regom & Principom Sopremorum; Dissertationis quintæ Articolum quintum, sextum, & septimum, ubi de *Friderici secundi* Imperatoris depositione; Dissertationem denique nonam, de *Bonifacii Octavi & Philippi Pulchri* Regis Christianissimi dissidio: Synopsim Historiæ Ecclesiasticæ Sæculi decimi-quinti & decimi sexti, Cap. de Romanis Pontificibus, in qun facta historica hoc argumentum spectantia data occasioon exposuimus.

Hæc, inquam, omnia lege, & invenies, unde toti pene Libro 4. Anonymi Auctoris Tractatus de Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ facile respondeas. Quæ etenim Capitibus octavo & nono congerit Scholasticorum quorumdam, & nonnullorum Jurisperitorum, etiam Gallorum vel in Galliis educatorum testimonia, illos quidem sententiam de indirecta Ecclesiæ potestate in temporalia Regum & Supremorum Principum tenuisse probant, sed hanc sententiam veram fuisse, & Scripturæ Sacræ, Traditioni, rectæ rationi consentaneam non probant. Quot errores, quam periculosi, suos defensores ac patronos in Scholasticorum vel Jurisperiturum ordine invenerunt? Quot opiniones pravæ & ab Ecclesia jam damnatæ, olim nonnullos non obscuri nominis habuerunt assertores? Quam ingens Auctorum turba, ex omni ordine profertur in patrociniom propositionum plurimarum contra Moralis Christianæ puritatem pugnantium, & ab Episcopis Gallicanis, atque a Sede Apostolica nostris diebos consultissime damnatarom? Deniqoe qoos Auctores profert Anonymus pro indirecta Ecclesiæ potestate in Regnum temporalia, recentiores illi sunt: Nos totam retro ipsis opponimus Traditionem; & antiqoum dogma novello errori anteponendom contendimus. Persuasum scilicet nobis est, *Id esse dominicum & verum, quod sit prius traditum: id autem extraneum & falsum, quod sit posterius immissum*; ut ait *Tertullianus* lib. *De præscriptionibus hæreticorum*, cap. 31.

II. Verum Concilii Constantiensis auctoritatem adversus Ecclesiæ Gallicanæ & Parisiensis Academiæ sententiam *Bellarminus & Perronius* Cardinales, & post illos Anonymus libertarum Ecclesiæ Gallicanæ impugnator, objiciunt. Id scilicet Sessione XII. ubi prohibet ne *Baltassar Cossa*, *Angelus Corario*, *& Petrus de Luna*, in Summos Pontifices reeligantur; & si contrarium fiat, irritum declarat & inane, subdit: *Nullusque cujuscumque dignitatis vel præeminentiæ, etiamsi Imperiali, Regali, Cardinalatus, vel Pontificali dignitate præfulgeat, eis vel eorum alteri contra hoc Decretum ulle umquam tempore obediat, seu adhæreat, sub pœna fautoriæ dicti Schismatis, & maledictionis æternæ: ad quæ contra præsumptores, si qui in posterum fuerint, etiam cum invocatione auxilii Brachii secularis, & alias rigide procedatur.*

Bellarmini & Perronii Cardinalium Anterisque Anonymi Objectiones ex Concilio Constantiensi.

Sessione XIV. „Item Sacrosancta Synodus statuit, „ordinat & diffinit, quod qoæcumque persona Concilii, cujuscumqoe status, gradus, ordinis, aut „præeminentiæ existat, ab hoc Sacro Concilio deinceps sine licentia Concilii, vel ad hoc Deputandorum recesserie & quæcumque Concilii, aut qoævis „alia persona ipsum Concilium quomodolibet perturbaverit, &c. perpetuo sit infamis, omnique dignitate, honore, statu, Officio & Beneficio, Ecclesiasticis & Sæcularibus, etiamsi Imperialis, Regalis, „Cardinalatus, aut Pontificalis existat ipso jure privata, spe promotionis omnino sublata: nec aliquatenus aperiatur ei janua dignitatis, aut honoris Ecclesiastici aut mundani.

Sessione XV. „Sacrosancta Synodus Constantiensis, „&c. præcipit & mandat sub pœna Excommunicationis latæ Sententiæ, quam contravenientes vult „incurrere ipso facto; & sub pœna carceris duorum „mensiom, & fautoriæ hæresis, oe aliquis cujuscumque status, auctoritatis, gradus, ordinis, præeminentiæ, aut conditionis fuerit, etiamsi Imperiali, Regali, Cardinalatus, Archiepiscopali aut „Episcopali præfulgeat Dignitate, in hac præsenti „Sessione ipsam Sessionem seu pronuntiantes & loquentes in eadem perturbet, murmuret, impediat, „& quamvis strepitom voce vel manibus aut pedibus „faciat.

Sessione XVII. „Sacrosancta Constantiensis Synodus, ... statuit, diffinit, & ordinat, quod quicumque cujoscumque status aut conditionis existat, „etiamsi Regalis, Cardinalatus, Patriarchalis, Archiepiscopalis, Episcopalis, Ducatus, Principatus, „Comitatus, Marchionatus, seo alterius cujoscumque dignitatis, seu statos Ecclesiastici vel sæcularis existat, qui Serenissimum & Christianissimum „Principem Dominum Sigismundum Romanorum & „Huogariæ Regem, vel alios cum eodem, ad conveniendum cum Domino Rege Aragonum pro pace „Ecclesiæ ad extirpationem præsentis Schismatis per „hoc Sacrum Concilium ordinatos, ad dictam conventionem euntes vel redeuntes impediverit, &c. Sententiam Excommunicationis auctoritate hojus Sacri „Concilii Generalis ipso facto incurrat: & ulterius „omni honore & dignitate, Officio, Beneficio Ecclesiastico vel sæculari, sit ipso facto privatus.

Sessione XX. in Monitorio contra Ducem Austriæ: *Ipsique Friderico Duci in virtute Sanctæ obedientiæ & sub Anathematis, sacrilegii, privationis omnium bonorum feudalium, quæ ab Ecclesia seu Imperio obtinet, &c. districte præcipiendo mandant, &c.*

Sessione XXVIII. Contra eumdem Ducem, qui bona Tridentinæ Ecclesiæ occopaverat, & retinebat, *pœnas privationis & inhabilitationis in Constitutione Carolina contentas* decernit.

Sessione XXXVII. In Sententia contra *Petrum de Luna*, omnibus & singulis Christi Fidelibus inhibet sub pœna fautoriæ Schismatis & Hæresis, „atque „privationis omnium Beneficiorom, dignitatum, & „honorum Ecclesiasticorom & Mundanorum, & aliis „pœnis Juris, etiamsi Episcopalis, & Patriarchalis, „Cardinalatus, Regalis sint dignitatis aot Imperialis; quibus si contra hanc inhibitionem fecerint, „sint auctoritate hujus Decreti ac Sententiæ ipso „facto privati; & alias Juris incurrant pœnas, „ne idem Petro de Luna tamquam Papæ obediant.

Sessione XXXIX. *Si quis hujusmodi metum vel impressionem aut violentiam Electoribus ipsis, aut alicui ipsorum in electione Papæ intulerit, seu fecerit, aut fieri procuraverit, vel factum ratum habuerit, aut in hoc consilium dederit, vel favorem, &c. cujuscumque status, gradus, aut præeminentiæ fuerit, etiamsi Imperiali,*

periali, Regali, Pontificali, vel alia quavis Ecclesiastica aut sæculari præfulgeat Dignitate, illas pœnas ipso facto incurrat, quæ in Constitutione felicis recordationis BONIFACII Papæ Octavi, quæ incipit, FELICIS, continentur, illisque effectualiter puniatur.

Denique in Confirmatione Constitutionum *Friderici* II. & *Caroli* IV. Imperatorum: „ Sancta Synodus hoc „ perpetuo statuit & ordinat, quod nulla persona sæ„cularis cujuscumque dignitatis, status & conditionis „ existat, etiamsi Imperiali, Regali, vel quacumque „ præfulgeat Dignitate, sub prætextu consensus Epi„scopi Clero tallias, impositiones, vel subsidia impo„nat, exigat vel recipiat, nisi prius Romano Pontifi„ce consulto, sub pœnis, bannis, & censuris eisdem.

Item ex Conciliis Senensi & Basileensi.

III. Ex quibus omnibus evidens est (inquiunt) Sacram Synodum Constantiensem Ecclesiæ sibique potestatem tribuisse in Regum, aliorumque Principum Supremorum temporalia, & hanc auctoritatem in suis Decretis condendis exercuisse. Quæ Decreta Senense & Basileense Concilia confirmarunt. Illud quidem cum Sententiam in fautores *Petri de Luna* in Synodo Constantiensi latam confirmat his verbis: „ Inhibitionem „ factam omnibus & singulis Christi Fidelibus sub pœ„nis fautoriæ hæresis & Schismatis, ac privationis „ omnium Beneficiorum, Dignitatum, & Honorum „ Ecclesiasticorum ac mundanorum, & alias pœnas „ Juris infligendo, ut dicta Sententia præfati Concilii „ cujus totum tenorem hic haberi vult pro expresso, „ latius continetur, ratam & gratam habens ejus exe„cutionem continuare volens, decernit, statuit & de„clarat omnes & singulos post obitum dicti Petri de „ Luna continuantes, seu perseverantes in credulitate „ vel observantia erroris & Schismatis ejusdem Petri „ sic (ut præmittitur) damnati, vel jus aliquod ab „ eo in eas directe vel per indirectum derivasse, aut „ derivari potuisse prætendentes, seu in vice ejus suc„cedentes, eorumque receptatores, defensores, & fau„tores, cujuscumque status, præeminentiæ, vel con„ditionis existat, etiamsi Pontificali, Cardinalatus, „ Imperiali vel Regali, aut alia quacumque Ecclesia„stica vel sæculari præfulgeant Dignitate . . . fore „ obnoxios & ligatos pœnis & Censuris in dicta Sen„tia contentis.

Concilium vero Basileense in Salvo-conductu dato in Congregatione generali, die 18. Julii anno 1431. Legatis Pontificiis sic loquitur: „ Exhortatur omnes & „ singulos Christi Fideles, cujuscumque dignitatis, „ status, gradus, aut præeminentiæ existant, spiritua„lis & temporalis, etiamsi Regali, Ducali, Archie„piscopali, Episcopali, vel alia quavis præfulgeant „ Dignitate, Universitates & communitates, cæterosque quibus præsentes Literæ exhibitæ fuerint, eis„que in virtute Sanctæ obedientiæ mandat, ut si per „ eorum dominia, terras, territoria, civitates, oppi„da, castra, Status, villas, castella, aut alia loca, „ vos & quemlibet vestrum transire contingat, sub „ pœnis, Sententiis & Censuris tam in Constantiensi „ & Senensi, quam hujus Sanctæ Synodi Sacris De„cretis contentis & fulminatis districte injungendo, „ quatenus vos, & vestrum quemlibet, cum comitiva „ hujusmodi securos, liberos, & tutos cum rebus & „ bonis vestris universis, ire, stare, & redire sine mo„lestia & impedimento permittant, de securitate & „ conductu a nobis requisiti, quoties opus fuerit, fa„vorabiliter providendo.

Responsio.

IV. Respondetur: Adversus Reges, aliosque Supremos Principes, in tanti momenti controversia, in qua de ipsorum Statu & Majestate agitur, nihil decerni potuisse, quæstione non discussa, Principibus ipsis non auditis, re in deliberationem non missa, rogatisque Patrum suffragiis solemni more Conciliorum. Cum itaque ventilatam quæstionem de Potestate & auctoritate Ecclesiæ, Concilii Generalis, vel Romani Pontificis in temporalia Principum, sive in consessu Nationum, sive in solemni Sessione Concilii non legamus; cum rogata non sint ea de re Patrum suffragia, nec auditi Principes, evidens est Sacram Synodum Constantiensem, & quæ illius Decreta confirmarunt, Senensem, & Basileensem, nihil adversus Reges, aliosque Principes Supremos decrevisse quod eorum Majestatem minuat, aut Ecclesiæ in temporalibus vel indirecte subdat. Quamobrem laudata Decreta divisim intelligenda sunt, & in sensu accommodo (ut Scholastici loquuntur) ut Censuræ quidem & ad Reges ipsos pertineant, si Concilii Decretis non paruerint; privationes vero Dignitatum, Officiorum, ac bonorum temporalium, Imperatore, ac Regibus per Oratores suos consentientibus a Concilio decretæ, & ab ipsis infligendæ, Principes Feudatarios, & quoscumque Dominos subalternos, Imperii vel Regnorum Dignitatibus & honoribus conspicuos spectent, non Reges ipsos, nisi jure feudi Ecclesiæ obnoxii sint. Hanc esse Sacri Concilii Constantiensis mentem multa persuadent.

Concilii Constantiensis Decreta Principes dumtaxat Feudatarios & Dominos subalternos, non Reges aut supremos Principes spectare duorum argumentis probatur.

Primo, Decretum silentii Sessione 35. quo præcipit Sacra Synodus sub pœna Excommunicationis latæ Sententiæ, & sub pœna carceris duorum mensium, & fautoriæ Schismatis, ne aliquis cujuscumque status, auctoritatis, gradus, Ordinis, etiamsi Imperiali & Regali præfulgeat Dignitate, ne in hac Sessione quemvis strepitum voce vel manibus, vel pedibus faciat. Porro quod pœnam carceris in Imperatorem, & Reges ob silentii violationem Synodus decreverit, quam reipsa infligere non potuisset, quis sibi persuadeat? Præterea, nullus in ea Sessione præter Sigismundum ipsum Imperatorem Rex aderat: his igitur verbis, *etiamsi Imperiali, Regali præfulgeant Dignitate*, sacræ personæ Imperatoris vel Regnum non intelliguntur, sed qui primariis Imperii vel Regnorum Dignitatibus & Officiis conspicui sunt, ad quos hisce pœnis coercendos Sacrum Concilium Imperatorem ac Reges hortatur.

Secundo, sancta Synodus in Sententia contra *Joannem Hus* in eadem Sessione lata, ipsum, *attento, quod Ecclesia Dei non habeat ultra quid agere valeat, Judicio sæculari relinquere, & Curiæ sæculari relinquendum fore decernit*. Habuisset autem Synodus post degradationem, quam in illum Hæresiarcham decrevit, quid ulterius gereret, si Ecclesia jus haberet gladii temporalis per totum orbem Christianum, ratione peccati, & maxime hæreseos: Pœnas enim temporales in *Joannem Hus* decernere potuisset, non Curiæ Sæculari decernendas reliquisset.

Tertio, Sacra Synodus Sessione 20. *Fredericum* Austriæ Ducem, bona Ecclesiæ Tridentinæ injuste detinentem, monet ut ea restituat, „ Sub pœna Anathe„matis, sacrilegii, PRIVATIONIS OMNIUM BO„NORUM FEUDALIUM, QUÆ AB ECCLESIA „ SEU IMPERIO OBTINET. & inhabilitationis suæ „ & filiorum suorum masculorum, ad obtinendum „ tam FEUDA, quam Officia & Beneficia usque ad „ secundam generationem, & honoris & famæ, ac „ communionis in Consiliis Principum, in quam ipsum „ Fridericum Ducem, juxta Constitutionem divæ me„moriæ Caroli Quarti contra tales facinorosos & sa„crilegos editam, a Sede Apostolica canonizatam & „ approbatam, quin immo & perjurii ratione Jura„menti manibus Regis Romanorum per ipsum Ducem „ præstiti, &c. nisi mandatis hujusmodi obedierint. Privationem bonorum Feudalium quæ ab Ecclesia *Fridericus* Austriæ & complices tenent, Synodus Constantiensis in ipsos decernit, & id quidem auctoritate propria: privationem etiam Feudorum, quæ tenent ab Imperio, ipsos incursuros declarat, & id auctoritate Constitutionis a *Carolo* IV. Imperatore editæ, & a Sede Apostolica laudatæ, & *Sigismundi* Cæsaris cui præstitum Fidei Sacramentum *Fridericus* ipse Austriæ Dux violaverat. Cui *Sigismundo* Sancta Synodus latæ in eumdem *Fridericum* Sententiæ executionem, ut Ecclesiæ Defensori & Advocato commisit Sessione 28.

Quarto, Sacra Synodus Sessione 39. Schismatum periculis occurrens, metum, impressionem aut violentiam Electoribus Romani Pontificis incuti vetat vel inferri a quocumque, cujuscumque sit status, gradus aut præeminentiæ, decernitque ut qui intulerit, etiamsi Imperiali, Regali, Pontificali præfulgeat dignitate, illas pœnas ipso facto incurrat, quæ in Constitutione *Bonifacii* VIII. quæ incipit, *FELICIS*, continentur, illisque reipsa puniatur. Porro si Concilium Constantiense Reges, aliosque Supremos Principes Decreto illo pœnali complecti voluisset, quoad pœnam exauctorationis, & privationis Jurium temporalium, laudasset potius Constitutionem *Bonifacii* quæ incipit, *UNAM SANCTAM*, quam constitutionem quæ incipit, *FELICIS*; cum ista in Dominos dumtaxat temporales Ecclesiæ Feudatarios, qui Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales fuerint hostiliter insecuti, vel percusserint, aut ceperint, ac eorum conscios, pœnas temporales decernat: „ Si qua vero FEUDA (*in„quit*) locationes, Officium vel Beneficium spirituale, „ vel temporale, AB ALIQUIBUS ECCLESIIS OB„TINET, SIT EIS IPSO JURE PRIVATUS: QUÆ „ SIC LIBERE AD ECCLESIAS REVERTAN„TUR, QUOD ECCLESIARUM RECTORES „ DE IPSIS PRO SUA VOLUNTATE DISPO„NANT. *Et infra*: Per hoc quoque sæcularibus pote„statibus non adimimus facultatem utendi Legibus con„tra

„ tra tales, quas adversus Sacrilegos Catholici Princi-
„ pes ediderunt „. Denique adversus Principes vel alios Dominos temporales, qui sacrilegos illos Cardinalium occisores, persecutores, vel detentores coercere, & hanca constitutionem exequi neglexerint, nullas pœnas temporalas, sed spirituales dumtaxat decernit, scilicet Excommunicationem. „ Quapropter (*inquit*) si Prin-
„ ceps, Senator, Consul, Potestas vel alius Dominus
„ siva Rector, contra præsumptores prædictos præsen-
„ tis constitutionis tenorem non fecerit observari; tam
„ ipse, quam Officiales ipsius intra mensem, postquam
„ res ad eorum notitiam pervenerit, eo ipso Senten-
„ tiam Excommunicationis incurrant „. Extat autem Constitutio *FELICIS*, in Seato, Tit. *De Pœnis*.

Quinto banc esse Concilii mentem confirmatur ax Sessione 41. in qua Sacra Synodus decernit, ut qui bona Electi in Romanum Pontificem, vel Cardinalium in Conclavi existentium invaserit & occupaverit, eo ipso Sententiam Excommunicationis incurrat: „ Et
„ omni Officio, Beneficio, Privilegiis ac Dignitate
„ Ecclesiastica & mundana, FEUDISQUE ET RE-
„ BUS ALIIS, SI QUÆ AUT QUAS IN ROMA-
„ NA VEL ALIIS ECCLESIIS OBTINEBIT, SIT
„ PRIVATUS.

Sexto verisimila non est Sacram Synodum Constantiensem in ea fuisse doctrina, quæ favet huic Propositioni: „ Quilibet Tyrannus potest & debet licita &
„ meritoria occidi per quemcumque vassallum suum
„ vel subditum, etiam per clanculares insidias, & sub-
„ tiles blanditias vel adulationes, non obstante quo-
„ cumque præstito Juramento, seu confœderatione fa-
„ ctis cum eo, non axpectata sententia val mandato
„ Judicis cujuscumque „: Quam doctrinam eadem Sacra Synodus *erroaeam ia fide & in moribas* esse diffinivit, *ipsamque tanquam hæreticam, scandalosam, & ad fraudes, deceptiones, mendacia, proditiones, perjuria vias dantem, reprobavit & condemnavit*, Sessione 14. Porro doctrina de auctoritate Ecclesiæ, atiam indirecta, in temporalia Regum, quæ ipsos ob hæresim, vel alia peccata exauctorari, vel a Romano Pontifice, vel a Concilio, posse propugnat, & subditos a Juramento fidelitatis ipsis præstito absolvi, damnatæ illi Propositioni favera videtur: siquidem ex ea sequitur, Principem qui dignitatem suam ac dominia retinet ac tuetur post Summi sententiam Pontificis, Tyrannum esse; & subditis ejus Fidei ac Juramenti vinculo, (ut adversariis placet) solutis ansa darur in ipsum sæviandi. Unda & Sacra Facultas Parisiensis in Censuris *Santarelli & Malagola* * ipsam confiait *tamquam aovam, falsam, erroneam, verbo Dei contrariam, pacis publicæ perturbativam, Regaorum, Stataam, Rerumque publicarum eversivam, subditos ab obedientia & subjectione avocantem, & ad factiones, rebelliones, sediziones, & PRINCIPUM PARRICIDIA excitantem*. Non est igitur verisimile Sacram Synodum Constantiensem in ea fuisse doctrina, & eam ad praxim suis in Decretis revocasse.

* *Die 4. Novembris* 1682.

Septimo, idem confirmatur ex Constitutione *Martini Quinti*, quæ incipit, *Inter cunctas*: qua *Sacro approbante Concilio*, contra Hussitas hæreticos, & eorum fautores, *cujuscumque dignitatis, præeminentiæ, gradus, ordinis vel conditionis (ut præfertur) existaat*; id ast ut paulo superius habetur, *etiamsi Patriarchali, Archiepiscopali, Episcopali, Regali, Reginali, Ducali, aut alia quavis Ecclesiastica vel Mundana præfulgeam Dignitate*, præter censuras Ecclesiasticas, *decernitur privatio Dignitatam, Personatuum, & Officiorum, aliorumque Beneficiorum Ecclesiasticoram AC FEUDORUM, QUÆ A QUIBUSCUMQUE ECCLESIIS; MONASTERIIS, AC ALIIS LOCIS ECCLESIASTICIS OBTINENT*.

Octavo, Sacra Synodus Constantiensis statuit, ut nulla persona sæcularis, cujuscumque dignitatis, status & conditionis, *Etiamsi Imperiali, Regali, vel quacumque præfulgeat Dignitate*, sub prætextu consensus *Episcopi, Clero tallias, impositiones, & oacra vel subsidia imponat, exigat, vel recipiat, nisi prias Romano Pontifice consulta, sub pœnis, bannis & Censuris* latis cum in Lateranensi Concilio sub *Innocentio* III. tum in Constitutionibus *Friderici* II. & *Caroli* IV. Imperatorum. At Concilium Lataranense adversus Reges, aliosque Supramos Principes Canonem suum 46. non tulit *De tallits a Clericis non exigendis*, sed *adversus Consules & Rectores civitatam, & alios* Dominos temporales, quos tamen nullis pœnis temporalibus subjicit, nec in eos privationem decernit Dignitatum aut Officiorum, sed Excommunicatione dumtaxat percellit. *Friderici* II. & *Caroli* IV. Constitutiones *Banno Imperiali*, seu mulctæ Fisco Imperatoris inferendæ subjiciunt illos Immunitatis Ecclesiasticæ violatores: Sed ex eo satis patet, pœnam illam in Reges ac Supremos Principes non decerni, sed in Feudatarios Imperii, in Duces, Comites, *Potestates, personas publicas*, & *privatas*, ut habet *Friderici* Constitutio: (seu ut habet Carolina) in *Sæcalares quosdam in Potestatibus & Officiis publicis constitutos, videlicet Duces, Con* [illegible] *& Barones, & alios Dominos temporales*, [illegible] *Consules civitatam, oppidorum, villarum, & loc*[illegible] *Rectores, &c.* Cum itaque Concilium Constantiense loci loquatur ad sensum istarum Constitutionum, [illegible] laudat, de Regibus, aliisve Supremis Principibus h[illegible] intelligendum est.

Nono, doctissimi Theologi, qui Concilio Constantiensi interfuere, & ejus condendis Decretis collab[illegible] vere, scilicet *Petrus de Alliaco* Cardinalis Camerac[illegible] sis, & *Gerso* ius Cancellarius Parisiensis, Christi[illegible] simique Regis Orator, ab illa Sententia de E[illegible] potestate in Regum temporalia fuerunt alie[illegible] tamen tradita a Sacro Concilio Dogmata n[illegible] nuciunt ac pro virili defenderunt: quod a[illegible] hanc Sacræ Synodi Constantiensis non fu[illegible] tiam. *Petras* quidem *De Alliaco*; in Proœ[illegible] *De Ecclesiæ Auctoritate*, scripto in Concilio C[illegible] tiensi anno 1417. hæc nabet: „ Circa Ecclesia[illegible]
„ Potestatem medium docet Veritas Catholica [illegible]
„ duos arrores. Nam error VValdensium fuit, [illegible]
„ Successoribus Apostolorum, scilicet Papæ & [illegible]
„ nis Ecclesiasticis, repugnat Dominiom in tempora-
„ bus, nec eis licet habere divitias temporales ....
„ Alius vero error fuit Herodianorum. Herodes enim
„ audiens Christum Regem natum, credidit ipsum R-
„ gem esse terrenum: ea quu derivari videtur er[illegible]
„ quorumdam, qui in tantum ad oppositum præ[illegible]
„ erroris VValdensium declinant, ut asserere præs[illegible]
„ mant, a Papa, in quantum est loco Christi in te[illegible]
„ ris, immediate haberi Primariam Auctoritatem, D[illegible]
„ minium & Jurisdictionem in temporalibus bonis,
„ non solum Ecclesiæ donatis, seu alias juste acquisi-
„ tis, sed etiam Principibus sæcularibus subjectis; li-
„ cet dicant quod Papa in his non habet executionem
„ immediatam, nisi in quibusdam casibus notatis in
„ Extravagante, *Qui filii sint legitimi*, Cap. *Per venerabilem*. Inter autem duos errores contrarios, Ca-
„ tholica medium tenet Ecclesia, videlicet quod Papæ
„ & Prælatis Ecclesiæ non repugnat habere Dominium
„ in temporalibus, & Jurisdictionem contra primum
„ arrorem; nec tamen eis debetur per se, ratione sta-
„ tus sui, in quantum sunt Vicarii Christi & Apostolurum Successores, contra secundum errorem: [illegible]
„ eis convenire potest habere talia, si eis ea devotio-
„ ne collata fuerint, vel aliunde justo titulo acqui-
„ sierint.

Gersonius vero Libro *De Potestate Ecclesiastica*, consideratione XII. *Consurgit* (inquit) *eu adversa blandiens & subdola adulatio, ad aures Ecclesiasticorum, præcipue Summi Pontificis, insusurrans: O quanta est, quanta sublimitas Ecclesiasticæ Potestatis tuæ, o Sacer Clere, quam nihil est sæcularis tuæ comparata? Quoniam, sicut Christo collata est omnis potestas in cœlo & in terra, sic eam Christus omnem Petro, suisque Successoribus dereliquit. Unde & nec Constantinus quidquam Silvestro Papæ contulit, quod non esset prius suum, sed reddidit injuste detentum. Porro sicut non est Potestas Imperialis vel Regalis nisi a Papa, in cujus femore scripsit Christus*; Rex Regum, & Dominus Dominantium: *De cujus Potestate disputare, instar sacrilegii est: Cui neque quisquam dicere potest*, Cur ita facis? *Si etiam temporalia omnia, si Ecclesiastica bona atque Dominia mutaverit, diripuerit, distraxerit: Mentior, si non inveniantur hæc scripta ab illis etiam, qui Sapientes sunt in oculis suis: si præterea non inveniuntur fuisse per aliquos Summos Pontifices hæc credita. Notum est illud Satyrici*:

...., Nihil est quod credere de se
Non possit, cum laudatur Diis æqua potestas,

„ Sentiens autem adulatio quandoqua se nimis co-
„ gnosci, studet quasi modestiori sermone depressius
„ uti, ut credibilior apparaat. Concedit Sæculari pu-
„ testati possessiones & Jurisdictiones proprias, quas
„ tollare nequit pro libito Papa ..... Nihilominus
„ tradit, quod Summus Pontifex Supremus est Mo-
„ narcha, nedum in Spiritualibus, sed temporalibus,
„ habens potestatem hanc immediata a Christo; sed
„ alii Reges omnes & Principes suam recipiunt Do-
„ minationem ab eo, & solum mediate a Deo: alioquin
„ ut monstruosus asset hic Mundus, si haberet tot capi-
„ ta, quæ non sub unico regarentur: rediretque Ma-

„ nichæi

,, nichæi deliramentum, ponentis duo Principia, unom bonorum, & spiritualium; aliod malorum & semporaliom. Unde & sicut corpus est propter animam, & ab anima vivit & regitur, sic Potestas sæcolaris propter spiritualem, a qua recipit suum esse legitimum, quam auctoritatem spiritualem qui negant, vel impugnant, sint intus, sint foris Ecclesiam; possunt gladio, vel spirituali Escommunicationis, sicut Catholici; vel debellationis, sicut Infideles feriri, & eorum Dominia vel bona in alios transferri. Hanc æstimationem habuisse visus est BONIFACIUS VIII, in quadam Decretali: & in hac fundari putatur ab aliquibus Dominorum Prutenorom adversus Infideles debellatio, suoromque bonorum & Dominiorum conquisitio. Putatur ab aliis depositio unius Regis Franciæ per Papam Zachariam hic esse fundata, tamquam Papa sit, qui sransferre possit Reges & Regna. Rursus advertens adulatio durum esse hunc sermonem, & ideo minus credibilem, studet loqui restrictios, concedens quod sicot ante Petrum fuerunt apud Infideles vera Dominia, quemadmodum irrefragabilis auctoritas Sacræ Scripturæ, & Evangelicæ narrationis testis est: sic non oportet nooc post Petrum, ut omnis Potestas Imperialis, Regalis, vel altera Sæcularis sit immediate robur habens a Summo Pontifice: SICUT REX FRANCORUM CHRISTIANISSIMUS SUPERIOREM HOC MODO NON HABET NEC RECOGNOSCIT IN TERRIS. Idcirco transfert verbum suum adulatio loqui de Dignitatibus, Officiis & bonis Ecclesiasticorum, &c.

Decimo, hanc fuisse, quam diximus, Constantiensis Concilii mentem probat uniformis Ecclesiæ in aliis Conciliis Œcumenicis antecedentibus & sequentibus explicatio. Concilium namque Lugdunense II. Œcumenicum sub *Gregorio X.* Cap. 2. *De Electione & Electi Potestate*, statuit: Ut qui Statuta circa Romani Pontificis electionem diligenter non observaverint ,, Cujuscumque sint præeminentiæ, conditionis, aut status, omni cessante privilegio, eo ipso Excommunicationis sint vincolo innodati, & perpetuo sint infames, nec umquam eis portæ Dignitatis pateant, nec ad aliqood publicum Officiom admittantur. Ipsos insuper (*inquit*) FEUDIS ET BONIS, CÆTERISQUE, QUÆ AB EADEM ROMANA VEL QUIBUSLIBET ALIIS ECCLESIIS OBTINENT: IPSO FACTO DECREVIMUS ESSE PRIVATOS: ita quod ad Ecclesias ipsas plene ac libere revertantur Administratorum eorumdem Ecclesiarum arbitrio sine contradictione aliqua disponenda.

Clemens V. in Sententia de extinctione Templariorum lata in Concilio Viennensi, *Sacro approbante Concilio*, occupatores bonorum damnati illius Ordinis, aut illicitos detentores, *Cujuscumque status, conditionis, excellentiæ, vel dignitatis extiterint, etiamsi Pontificali, Imperiali, vel Regali præfulgeant Dignitate*, nisi ea tempore præscripto restituerint Magistro & Ordini Hospitalis S. *Joannis Hierosolymitani*, ad quem a Summo Pontifice & Concilio translata sunt, præter pœnas Escommunicationis & Interdicti, *OMNIBUS QUÆ A ROMANA VEL ALIIS ECCLESIIS TENENT IN FEUDUM, IPSO FACTO* decernit *FORE PRIVATOS*.

Sacra Synodus Tridentina Sessione XXV. De Reformatione, Cap. 19. ne duellum ex Christiano orbe penitus exterminetor, statuit ut ,, Imperator, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, & quocumque alio nomine Domini temporales, qoi locum ad Monomachiam in terris suis inter Christianos concesserint, eo ipso sint excommunicati, ac Jurisdictione & Dominio civitatis, castri, aut loci, in quo vel apud quem duellum permiserint, QUOD AB ECCLESIA OBTINENT, privati intelligantur; & SI FEUDALIA SINT, directis Dominis statim acquirantur.

Ex his omnibus colligitor, Concilium Constantiense quod juxta receptam & probatam ab Ecclesia doctrinam, & secundum Scripturam ac Traditionem Decreta sua, auctore Spiritu Sancto, condidit, pœnas privationis dominiorum, dignitatum, Jurium ac bonorum temporalium in Reges, aliosque Supremos Principes non decrevisse, nec auctoritatem ullam in eorum temporalia Ecclesiæ tribuisse; sed in eos dumtaxat, qui Jure Feudi Ecclesiæ subditi sunt. Eodemque modo Conciliorum Senensis & Basileensis Decreta, Constantiensibus gemina, explicari possunt ac debent.

MONITUM AD LECTOREM

Cum Dissertationes istas absolverem, pervenit ad me Liber quidam contra Doctrinam Ecclesiæ Gallicanæ & Sacræ Facultatis Parisiensis, & contra me nominatim a Belga Dominicano editus, inscriptusque *De Auctoritate Sedis Apostolicæ in Reges*, cujus confutationem unica Dissertatione Apologetica sum complexus, quam huic adjungo propter cognationem argumenti.

Nota.

Cum Concilia Constantiense, & Basileense pœnas temporales in quoscumque etiam imperiali, & regali dignitate fungentes decreverint, tam P. Natalis in superiori dissertatione, quam Bossuet *in defens. declarat. Cler. Gallic. t. 1. p. l. 2. c. 8.* asserunt ea decreta quoad pœnas temporales Principes non respexisse, sed quoad pœnas spirituales dumtaxat, seu pœnas temporales in Principes latas fuisse ea tacito saltem ipsorum consensu; seu Principes illos affecisse, qui ratione feudi e. g. Ecclesiæ subdebantur. Ego autem ab omni juris quæstione abstrahendo, & dumtaxat ad historiæ veritatem manifestandam quid factum sit inspiciendo, omnino a Natali, & Bossuet recedo. Ut id præstem satis mihi est observare tunc temporis adeo invaluisse doctrinam asserentem Ecclesiæ potestatem pœnas temporales in Principes decernendi, ut hoc negare apud quosdam hæresis haberetur. Ita expresse affirmavit Æneas Silvius in Oratione habita adversus Australes, alias citata, & quam legere est apud Muratorium *Anecdot. tom.* 2. Cum proinde tam alte ubique hæc potestas tunc extolleretur, nil mirum si ea utendum in quoscumque indiscriminatim Concilium judicaverit. Et re vera nullibi legitur in eis conficiendis decretis aliquo pacto consensum Principum expostulatum, vel eosdem ultro suo consensu eisdem accessisse; nullibi eadem decreta Principes tantum Ecclesiæ fiduciarios affecisse: bene vero legitur Concilium suæ potestatis usum ostendere voluisse, dum in eis conficiendis decretis ajebat: *S. Synodus statuit, ordinat, & diffinit &c.*

Neque iis obstant quæ Natalis opponit. Verum igitur est in decreto sessionis 15. quo etiam pœna carceris in strepitum eam sessione facientes decernitur, non excipi etiam imperiali &c. dignitate fulgentes, quod tamen dicere non cogit Concilium intendisse Sigismundum Imperatorem carceri mancipare, si strepitum fecisset. Hujusmodi pœnam in Imperatorem exequi non posse PP. sane sciebant, onde satis est credere voluisse Imperatorem subjicere aliis pœnis spiritualibus in eo decreto contentis. At ex communi tunc DD. sententia judicare poterant sibi inesse indirectam potestatem de temporalibus Principum judicandi, ac proinde nil mirum est eam potestatem in suis decretis explicasse.

Addit P. Natalis PP. Constantienses Joannem Hus brachio sæculari consignando tacite innuisse temporalis gladii jus non obtinere. Sed gratis ita Natalis hoc factum interpretatur, ideo etenim putandum est Concilium voluisse pœnas in hæreticos latas a brachio sæculari in Jo. Hus jam damnatum executioni mandari, quia quodammodo dedecet Ecclesiam, mitissimi Sp. J. Christi Sponsam, reis mortis pœnam irrogare. Atque ita ob irregularitatis impedimentum Ecclesia a sacris ministeriis eos omnes arcet, qui pœnam mortis in reos exequuntur.

Considerat deinde Natalis aliquando Concilia suorum decretorum transgressoribus solummodo privationem feudorum, quæ ab Ecclesia habuerint decrevisse. Ultro id fateor, at forte exinde cogimur dicere solum in Principes sibi fiduciarios pœnas temporales indixisse, quando absque ulla exceptione omnes Principes Conciliorum decreta comprehendunt? Ita affirmare necesse esset, quando sciremus Concilia credidisse potestate non potiri indiscriminatim in Principes easdem pœnas decernendi. At vidimus maxime Concilii Constantiensis ætate DD. illam potestatem Ecclesiæ vindicasse, eamque opinionem, quæ Ecclesiam quomodocumque in temporalia Principum agere non posse sustinet, tunc in Scholis non auditam, sed subsequenti tempore excitatam.

Illud verro quod addit, intendere nempe non potuisse PP. Constantienses etiam in Supremos Principes pœnas statuere, ne favere viderentur a se damnatæ propositioni, quæ dicebat cuicumque subdito licere

Tyran-

Tyrannum occidere, futile prorsus est. Perperam sane quis inferret: si Princeps supremus alterum sibi fiduciarium sua ditione expoliasset, voluisse etiam ut jure posset a suo subdito necari; neque etenim aliquem bonis exuere, idem est ac dicere impune a subditis posse vita privari. Ita pariter, dum Ecclesia credens in quibusdam circumstantiis posse etiam in Principes temporalibus mulctando animadvertere, hac velit uti potestate, nec per somnium dici potest innuere vassalis, qui nullam habent potestatem, in vitam Principum licitum esse insurgere. Si hæc rite perpendantur, statim apparebit quid respondendum etiam Bossuet loco supra citato.

Urget idem Bossuet Concilium *sess.* 14. ab Imperatore expostulasse, ut operam daret ne aliquid suæ securitati deesset, ita ostendisse putat atque sui juris non fuisse pœnas decernere adversus eos, qui aliquid contra ipsum molirentur. Illud quoque addit, quod cum Imperator in suo decreto spiritualem temporalemque potestatem sejunxerit, ac temporales pœnas pro Ecclesiæ utilitate decreverit, videtur & ipsa Synodus agnovisse ad temporalem potestatem pertinere easdem decernere.

Quibus tamen respondendum, quod & si ipsa Synodus sibi jus esse temporales pœnas decernendi judicaverit, recte voluit & ipsum Imperatorem suis decretis Synodi incolumitati consulere; nihili etenim haberi a Criminosis compertum est leges pœnas infligentes, si eas ferens non valeat eosdem compescere: ita autem se habebat Concilium, nisi Imperator suis viribus adstitisset. Quid autem refert Imperatorem temporalem a spirituali sejunxisse potestatem? Jam alias hanc distinctionem familiarem esse & ipsis PP. animadverti, & cum Principibus temporalis gladius tribuatur, dicitur Principum esse, non Pastorum Ecclesiæ temporalia inspicere. At respondent ita dici solere; quia quod per se rerum natura exposcat consideratur, non vero quod per accidens evenit, & casus prorsus extraordinarii expostulant: ac proinde cum Ecclesiæ regimen ex sui natura ad spiritualia dirigenda fuerit a Christo institutum, ad terræ Principes temporalia pertinere, ipsam vero animarum salutem prospicere debere æquum est affirmare. Sicut nihilominus ille, cui solum spiritualia cordi sunt, per accidens a temporalibus non abstinet, quatenus nempe ad spiritualia conducunt, ita PP. Constantienses judicare potuerunt Christum spiritualem potestatem Ecclesiæ Pastoribus elargitum fuisse, quam tamen extendere possent etiam ad temporalia, dum ita prorsus necesse foret ad spiritualia dirigenda. Et quidem ita ratiocinatos esse suadent quæ habet ipse Gerson, qui eo in Concilio adfuit. Quamvis igitur apud Natalem totus sit in subsannandis iis, qui Pontificia potestatem in temporalia Principum extendunt, eadem tamen consideratione 12. per accidens Pontifici eamdem potestatem inesse posse concedit: *Potestas*, inquit, *Ecclesiastica papalis non ita habet dominia & jura terreni simul & cœlestis Imperii, quod possit ad libitum suum de bonis Clericorum, & multo minus Laicorum disponere, quamvis concedi debeat quod habet in eis dominium quoddam regitivum, directivum, regulativum, & ordinativum*. Et infra: *Postremo suis terminis ita potestas Ecclesiastica se coerceat ut meminerit potestatem sæcularem etiam apud infideles sua habere propria jura, suas dignitates, suas leges, sua judicia, de quibus occupare se potestas Ecclesiastica non præsumat, vel usurpet, nisi dum redundet abusus potestatis sæcularis in impugnationem fidei, & blasphemiam Creatoris, & in manifestam potestatis Ecclesiasticæ injuriam: tunc etenim attendere convenit ultimam hujus considerationis duodecimæ particulam, quod in his Ecclesiastica potestas habet dominium quoddam regitivum, directivum, ordinativum, & regulativum*. En quod ubi adulationis vitio, ut apud P. Natalem, tribuit Gersonius velle concedere Pontifici in temporalia Principum potestatem, eadem non prorsus Pontificem expoliat, ubi ita necesse sit pro fide &c. tuenda. Semper ergo verum est non ex eo posse præfatam indirectam potestatem Pontifici denegari, quia sæculi Principibus potestas in temporalia, Pontifici vero in spiritualia destinetur.

JOANNIS DOMINICI MANSI

Nota.

CUr non usquequaque assentiar sententiæ P. Alexandri, tenentis Concilium nequaquam fuisse sententiæ de auctoritate Pontificis indirecta in tempo-

ralia Principum, facit Bulla citationis contra Comitem Armeniaci, quam ex Codice Card. Passionei mihi olim descripsi, suo tempore evulgandam. Lata Bulla est an. VI. Pontificatus Martini V. die IV. Kal. Dec. Romæ apud S. Mariam Majorem. Reum se præstiterat Joannes, Armeniaci Comes, obstinatæ adhæsionis schismati Petri de Luna, etiam post absolutum Constantiense Concilium, a quo minis etiam intentatis ad resipiscentiam invitatur. Diu multum illum sollicitavit Martinus; sentiens tandem nihil proficere, illum provocavit ad audiendam sententiam adversus se ferendam *secundum tenorem Decreti & sententiæ generalis Concilii Constantiensis, qua reus declarandus fuerat, ac privandus Comitatu Armeniaci, & Ruthenensi, ac omnium aliorum terrarum, & dominiorum suorum*. Hic non agitur de feudis Imperialibus vel Ecclesiasticis, quæ elusio est P. Alexandri; sermo est de sententia Concilii executioni mandanda. Quid hic reponet P. Alexander?

DISSERTATIO
APOLOGETICA
F. NATALIS ALEXANDRI

Adversus Libellum

F. FRANCISCI D'ENGHIEN Dominicani, Licentiati Lovaniensis, *DE AUCTORITATE SEDIS APOSTOLICÆ IN REGES*.

DIssertationem secundam in Historiam Ecclesiasticam Sæculi XI. & XII. *De Dissidio quod Gregorium VII.* Pontificem Maximum cum *Henrico IV.* Imperatore commisit, inscriptam, & præsertim Articulum nonum ejusdem Dissertationis, cujus hic titulus est: *Gregorius VII. Romanorum primus Pontificum sibi Regum exauctorandorum tribuit potestatem, contra Patrum doctrinam, immo contra verbum Dei*: impugnandam nuper suscepit *F. Franciscus D'Enghien*, in Lovaniensi Academia Licentiatus, edito Libello cui titulus est: *Auctoritas Sedis Apostolicæ in Reges* (sive) *Auctoritas Sedis Apostolicæ pro Gregorio VII. Papa vindicata, adversus P. Natalem Alexandrum*. Qui Libellus ad nos pervenit, cum harumce Dissertationum in Historiam Ecclesiasticam XV. & XVI. Sæculi editioni incumberem. Quam certe Licentiati Lovaniensis Fratris nostri lucubrationem responsione non dignarer imbecillem plane & elumbem, nec doctrinam Ecclesiæ Gallicanæ & Sacræ Facultatis Parisiensis, quam in Dissertatione mea propugnavi, vel leviter concutientem, aut superficie tenus vulnerantem, nisi calumniis atrocissimis nomen meum proscinderet, ipsiusque Libelli Approbatores, Ordinis etiam nostri Fratres, iisdem calumniis non modo suffragarentur, sed in Approbationibus suis mihi petulanter insultarent. Adversus Fratres ægre scribo: sed me ad scribendum coegerunt & provocarunt. Meminero tamen Fratres esse, & charitatis lege servata doctrinam meam, immo Parisiensis Academiæ & Ecclesiæ Gallicanæ, ac existimationem tuebor ea ratione ut solas calumnias refellam; de Libello ipso fratris *D'Enghien* aliorum potius in omni Disciplinæ genere eruditorum virorum Judicia referam, quam meum proferam. *O vita pauperum, Deus meus! in cujus sinu non est contradictio, plue mihi mitigationes in cor*, ut Fratres refellens *charitate veritatis*, non deficiam *a veritate charitatis*.

S. Aug. Lib. XII. Confess. Cap. 25. & alibi.

ARTICULUS I.

Grammaticorum & Rhetorum Judicium de Libello F. FRANCISCI D'ENGHIEN.

PRodeunt imprimis Grammatici, & *F. Franciscum D'Enghien* ferulæ suæ manum porrigere jubent ob solecismos ac barbarismos quibus Libellum suum inquinavit. Pag. 12. sic loquitur: *Interpretantis auctoritatem in effectu non minuit*. Quod vulgo dicimus, *en effet*, Latine *revera aut reipsa*, vir elegans scribit, *in affectu*. Pag. 21. sic loquitur vir politissimus: *Cur erga illi intenta Childerici depositio efficaciter contribueret*. Pag. 40. *In quorum supplica*. Libellum supplicem Grammatici dicunt: ille novi vocabuli pro sua auctoritate artifex, *supplicam* dicit. Pag. 67. *Ipsam præivit Baronius*. Alicui præire *Cicero*, aliquem præire hic sit. Pag. 3. *Respondeo quod hunc locum Baronius ita Lectorem desuper instruat*. Pag. 133. *In probam adducit*. Grammaticorum vulgus *probationem* F.

De-

Denghien vir ornatiſſimus *probam* uſurpat. Pag. 151. *Cum fundamento conjecturari licet*. Nobis *conjicere* Latinum eſt, *conjecturari* barbarum. Pag. 224. *Pro abſolutione Papam acceſſit, eamque cum inſtantia omnium qui aderant, impetravit*. Pag. 285. *Quam veniam redemit*; Aliis *venatio* dat intellectum an fratri *Denghien* adimit, ut *veniam* dicat, quaſi obſoletum eſſet *venationis* nomen? Pag. 289. *Quo comparens, ſe ſubmiſſiſſime ſubjecit Pontifici*. Latini dicerent; Ubi comparens, ſe humillime ſubjecit Pontifici: ſed Belgæ Fratri ſic loqui placet! Pag. 309. *P. Lupus ſuæ ætatis in lectura facile primus*. Qui Latine ſciunt, virum multæ lectionis dixiſſent. Pag. 313. *Quo auctorizatus*, pro auctus, ornatus, vel fretus. Pag. 314. *Marſelienſis Epiſcopus*. Pag. 322. *Prænominata argumenta ad intenti probam infirma*. Pag. 433. *Pontificiæ auctoritatis truncationem*. Imminutionem Latinæ linguæ periti dicerent. Ibidem: *In noſtri aſſerti probam juvat Illuſtrium Scriptorum Gregorio noſtro concordiam verba producere*. Pag. 554. *Majoris faciendus eſt ſanguis humanus quam ut pro tam inaniter prodigeretur*. Pag. 585. *Eam Epiſtolam non favere in quem finem aſſumpta fuit*. Pag. 575. *E Patribus prætendit*. Pag. 601. *Publicam retractationem facere non erubuit, Bulla deſuper ad univerſitatem Colonienſem directa*. Pag. 587. *Multa hodie monumenta prodeunt quorum Veteres non meminerunt, quæ tamen ideo non ſuſpectantur*. Hæc ſermonis vitia, quæ pueris in quinta Grammatices claſſe ſtudentibus Pædagogi non condonant, in chariſſimi Fratris libello ferri vellem tolerabilius, qui Grammaticis procul dubio reponet vetus illud adagium quo ſe tueri ſolet ſacra barbaries.

Grammaticæ Leges plerumque Eccleſia ſpernit.

Sed vereor ut Grammatici, moroſum hominum genus, quidlibet facilius quam locutionem inquinatam excuſare ſoliti, Fratri noſtro reponant: *Ne illud quidem Socraticum noſſe debuerat*; Scio quod neſcio. *Navem agere ignarus navis timet: Abrotonum ægro, non audet, niſi qui didicit dare: Quod medicorum eſt promittunt medici; tractant fabrilia fabri. Scribimus indocti doctique Poemata paſſim. Niſi forte ſe literas non didiciſſe jurabit: quod nos & illi & abſque juramento perfacile credimus: vel ad Apoſtolum confugit profitentem*: Etſi imperitus ſermone, non tamen ſcientia ... *Tu qui in Latinis muſſitas, & teſtudineo gradu moveris potius quam incedis, vel Græce debes ſcribere, ut apud homines Græci ſermonis ignaros aliena ſcire videaris, vel ſi Latina tentaveris, ante audire Grammaticum, ferulæ manum ſubtrahere, & inter parvulos ἀθηναΐζειν, artem loquendi diſcere.*

S. Hieronym Apolog adverſus Ruffin. Lib. 2.

II. Rhetores cum Fratre noſtro paulo indulgentius agunt quam Grammatici, quibus eloquentiam in Theologo non ita deſiderandam perſuaſum eſt. Ipſum tamen ſimilem adoleſcentibus Rhetoricam audientibus eſſe ajunt, qui in Oratiunculæ componendæ tyrocinio, *Ciceronis* optimi eloquentiæ Magiſtri Orationes non modo imitari, ſed integras deſcribere periodos geſtiunt; nihilque præclarius ac ornatius arbitrantur, quam ſi hoc dicendi capiant exordium: *Tandem aliquando*, vel *Novum crimen, & ante hanc diem inauditum*: vel: *Quanquam hic locus ad dicendum aptiſſimus &c.* Sic (inquiunt) frater *Denghien* Libellum *De Sedis Apoſtolicæ Auctoritate in Reges*, contra *F. Natalem Alexandrum* ſcribere aggreſſus, ad *Bellarmini* Cardinalis librum de eadem materia contra *Barclaium* oculos animumque convertit, illiuſque profligata dudum argumenta, ipſaque verba paſſim deſcribens audax plagiarius, ab ea *Bellarmini* periodo exorſus eſt, *Barclaio* nomine in *Natalis* mutato. *Satis indocte Natalis in Chriſtum Domini, ac ſuum, atque omnium Chriſtianorum Judicem ſententiam tulit: nec ſaltem dubitando vel ſuſpicando, vel opinando locutus eſt, ſed præciſe & abſolute, quaſi de re explorata & certa pronuntiavit, &c.* In arce eloquentiæ ſtare ſe putat Frater noſter, cum ad arcem calumniæ pervenit. Quod in Chriſtum Dominum Sententiam tulerim falſum eſt, immo *Gregorii ſeptimi* ſanctimoniam ab hæreticorum & Schiſmaticorum calumniis toto Diſſertationis meæ Articulo 12. vindicavi: ſed de *Gregorii* ut privati Doctoris opinione ſententiam dixi; non juridicam, ſed doctrinalem, quod quiſque in Sacra Facultate Theologica Doctor, quiſque Sacrarum Literarum peritus, jure ſuo poteſt, ut probat Venerabilis *Gerſonius* in aureo Libello *De examinatione doctrinarum*, conſideratione 4. *Examinator* (inquit) *partim authenticus, partim doctrinalis ſuis modi doctrinarum, eſt quilibet in Sacra Theologia Facultate licentiatus aut Doctor*. Et conſideratione 5. *Examinator hujuſmodi doctrinarum eſt per modum doctrinæ quilibet in Sacris literis ſufficienter eruditus*; Sententiam (inquam) dixi, non meam dumtaxat, ſed Sacræ Facultatis Pariſienſis & Eccleſiæ Gallicanæ, quarum doctrinam ſequi teneor, ut veriſſimam agnoſco. Opinionem ergo, quam *Gregorius VII.* ut privatus Doctor invexit de poteſtate Romani Pontificis in temporalia Regum, *Doctrinæ Patrum*, ac *verbo Dei contrariam* aſſerui, *novam, falſam, erroneam, Pontificiæ Dignitati odium conciliantem, Schiſmatis occaſionem præbentem, Supremæ Regum Auctoritati a Deo ſole dependenti derogantem, Principum Infidelium & hæreticorum converſionem impedientem, pacis publicæ perturbativam, Regnorum, Statuum, Rerumque publicarum everſivam, ſubditos ab obedientia & ſubjectione avocantem, & ad ſeditiones, rebelliones, & Principum parricidia excitantem*. Cur mihi crimini vertitur a Fratre, quod Pariſienſis Academiæ Sententiam ſequar, ac verba ipſa uſurpem? Sic enim pronuntiavit in Cenſuris *Sanctarelli & F. Malagolæ*. Quod hanc Sententiam primus invexerit *Gregorius ſeptimus* facti quæſtio eſt, quam invictis teſtimoniis me probaviſſe confido. Non ſuſpicando, dubitando, vel opinando locutus ſum, ſed præciſe & abſolute pronuntiavi, hunc Pontificem iſtam ſibi poteſtatem tribuiſſe *contra Patrum doctrinam & Verbum Dei*. Res eſt ſane explorata & certa Sacræ Facultati Pariſienſi & Eccleſiæ Gallicanæ. De illa Gallorum eruditorum nemo dubitat. Cur opinando expreſſiſſem, quod certiſſime ſcio? Cur dubitando, quod firmiter teneo? Cur ſuſpicando, quod ſuſpicionum materia non eſt? Cum Doctorem, cujus labia ſententiam cuſtodiunt, & de cujus ore Populus Chriſtianus Legem ac veritatem exquirit, ſuſpiciones meras afferre ſit indigniſſimum, ubi veritas Scripturæ Sacræ & Traditionis radiis illuſtrata & confirmata, omnium perſtringit oculos, ac ingenia vincit, qui nullis obcæcati præjudiciis, eam conſideratius intuentur.

Bellarm. de Excuſat. Barclaii. Cap. 9. p. 845.

ARTICULUS II.

Dialecticorum, Theologorumque Scholaſticorum Judicium.

De Libello F. FRANCISCI D'ENGHIEN.

I. Dialectici, Theologique Scholaſtici Fratrem *Denghien* in illo ſuo opere cum arte recte ratiocinandi feciſſe divortium, & argumentationibus abſurdiſſimis uti demonſtrant. Scilicet Articulo 1. aſſertione 1. pag. 12. verba illa Epiſtolæ *S. Gregorii Magni* (ut inſcribitur) ad Senatorem Abbatem de Auguſtodunenſis Xenodochii privilegium violantibus: *In æterno examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat*: non imprecantis eſſe aſſerit, ſed decernentis: adeoque & illa: *Si quis vero Regum hanc conſtitutionis noſtræ paginam agnoſcens, contra eam venire tentaverit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat. NEC propterea* (inquit) *Pontifex ſibi poteſtatem tribuit quempiam de Libro vitæ delendi, ſed Dei auctoritate dignum decernendi, ratione delicti per pœnitentiam non expiati, qui executionem deletionis de Libro vitæ a Deo juſto Judice recipiat, etiam vi Pontificii Decreti, quam alias incurreret.*

Quantæ, bone Deus, in una periodo tenebræ, quantæ ambages, quot abſurda! Romanus Pontifex eum qui Monaſterii vel Xenodochii immunitatem violaverit, decretorio Judicio damnatum iri pronuntiat, ſi pœnitentiam non egerit, ita ut Deus etiam vi Pontificii Decreti illum ad Inferos detrudat. Scilicet Decretum Pontificium Deum movet ut damnet eos, qui rem alienam non reſtituerint, nec pœnitentiam egerint; quaſi jus habeat vitæ ac mortis æternæ homo Chriſti Miniſter ac Vicarius: quaſi quid aliud præter peccata Deum moveat ad pœnam æternam reprobis infligendam, aut Pontificium Decretum peccatum ſit: quaſi Deus Pontificii Decreti ſit executor in negotio prædeſtinationis & reprobationis. Habet quidem a Chriſto Pontifex auctoritatem excommunicandi & abſolvendi, non vero aliquem reipſa ad inferos detrudendi. Sed (inquit F. *Denghien*) dignum decernit qui executionem deletionis de Libro vitæ a Deo recipiat. Convenientius loqueretur, ſi dignum æterna damnatione a Summo Pontifice declarari diceret, ex hypotheſi quod pœnitentiam non agat. Sed numquid idem Sacerdos & Concionator quilibet, immo quilibet fidem Catholicam tenens, aſſerere ac denuntiare non poteſt, cum ſit veritas fidei minime controverſa? Denique ex hac Fratris *Denghien* reſponſione, præclarum illud conficitur

tur argumentum quod ejus opinionem mirum in modum juvat.

Eodem sensu intelligenda sunt hæc verba Epistolæ ad Senatorem: *Si quis Regum, &c. potestatis honorisque sui dignitate careat*, ac ista: *In æterno examine districtis ultioni subjaceat*: Sed posteriora illa sic intelligenda sunt, ut Summus Pontifex dignum dumtaxat pronuntiet peccatorem impœnitentem, qui a Deo justo Judice Sententiam damnationis excipiat: Ergo & priora sic intelligenda sunt, ut Summus Pontifex Reges qui Constitutionem suam violaverint, dignos censeat ac pronuntiet, qui Dignitate sua, honore & potestate a Deo exuantur.

An *Gregorii VII.* opinionis, & Lovaniensibus Fratribus ejus errorem præfacte propugnantibus, hæc ratiocinatio faveat, an potius eam destruat, prudens Lector judicet.

II. Pag. 49. ad F. *Natalis Alexandri* argumentum ex *Gregorii II.* ad *Leonem Isaurum* scribentis testimonio petitum respondens, ait: „ Pontificem non intelligendum de indirecta Ecclesiæ potestate. Hanc enim (inquit) in Palatium introspiciendi auctoritatem sibi inesse non negat, sed affirmat Epistola citata: *Doluimus* (inquit) *& nos, utpote qui facultatem, potestatem atque auctoritatem a S. Petro Principe Apostolorum habeamus tibi pœnam irrogare.* Quod Fratris *Denghien* ratiocinium ad hanc formam redigi potest.

Qui potestatem habet pœnam irrogandi Imperatori, potestatem habet eum deponendi; sed Gregorius II. asserit se potestatem habere pœnam irrogandi Imperatori: Ergo asserit se potestatem habere ipsum deponendi & Imperio privandi.

Ut Major vera esset, necesse esset, vel nullam esse pœnam, qua emendari possint Imperatores ac Reges, præter depositionem, seu privationem Regnorum, adeoque Excommunicationem pœnam non esse & quidem temporalibus graviorem; vel Summum Pontificem non posse Principes excommunicare. Utrumque hæreticum est. Præterea a genere ad speciem consequentia non valet, secundum Dialecticos: sed doctissimus F. *Denghien* Dialecticæ & ratiocinationis legibus superior, sic argumentari pro suo jure potest:

Qui potestatem habet pœnam irrogandi, potest irrogare pœnas temporales, etiam privationis bonorum & Regnorum: sed Summus Pontifex potestatem habet pœnam irrogandi Principibus: Ergo potest ipsis irrogare pœnas temporales, etiam privationis bonorum & Regnorum.

„ Ibidem sic ratiocinatur Frater noster: Nec per hoc quod Pontifices a Reipublicæ negotiis feriatos velit, illis indirectam in civilia & temporalia denegat potestatem. Qui enim iis dumtaxat se occupat ob spiritualis vitæ finem, a Reipublicæ negotiis abstinet, utpote quæ finem alium sibi præstitutum non habeat, nisi politicum. Quæ si ad finem spiritualem prout illis famulari debent, collimant, Reipublicæ Christianæ negotia sunt; cum, ut Ethica docet, media finis dignitatem sortiantur.

Hujus ratiocinationis insulsitas ac vanitas, ut omnibus pateat, omnino similem subjicio:

Qui Reipublicæ negotiis se occupat ob spiritualis vitæ finem, ad quem administrationem temporalem, & publicam subditorum tranquillitatem dirigit, a Reipublicæ negotiis abstinet: Sed Henricus Pius & Carolus Magnus Imperatores, Robertus & Ludovicus Nonus Reges Francorum Sanctissimi Reipublicæ negotiis se occuparunt ad spiritualis vitæ finem, ad quem administrationem temporalem, ut publicam subditorum tranquillitatem dirigebant: Ergo Henricus Pius & Carolus Magnus Imperatores, Robertus & Ludovicus Nonus Reges Francorum Sanctissimi, a Reipublicæ negotiis abstinuerunt.

Ex hac etiam Fratris nostri ratiocinatione Potestas indirecta Principum in res Ecclesiasticas & spirituales pariter probaretur, si vim aliquam haberet.

Enimvero: *Quemadmodum Pontifex introspiciendi in Palatium potestatem non habet, ac Dignitates Regias deferendi, sic neque Imperator in Ecclesias introspiciendi, & electiones in Clero peragendi* (*ut loquitur Gregorius II.*) *Sed Pontifex, etsi Potestatem directam introspiciendi in Palatium non habeat, indirectam nihilominus Potestatem habet* (ex Bellarmino & Fratre Denghien) *ita ut deponere possit Imperatores & Reges; ergo etiam Imperator, quamvis Potestatem directam introspiciendi in Ecclesias non habeat, indirectam nihilominus Potestatem habet, qua possit deponere Episcopos & Pontifices, si ad publicæ tranquillitatis perturbationem sua Potestate abutantur. Et tamen ab Ecclesiasticis negotiis abstinebit. Qui enim iis dumtaxat se occupat ob finem politicum, scilicet ob Reipublicæ tranquillitatem, ab Ecclesiasticis negotiis abstrahit, quæ finem alium sibi præstitutum non habent, nisi vitam æternam: Sed Rex tunc se negotiis Ecclesiasticis occupabit ob finem dumtaxat politicum: Ergo deponendo Episcopos & Pontifices, ab Ecclesiæ negotiis abstinebit.*

Ex hujusmodi argumentationum collatione cuilibet a recta ratione haud penitus destituto perspicuum est, ratiocinationem Fratris *Denghien* tam falsam, tam insulsam ac absurdam esse, quam posteriores istas ipsi simillimas.

Pag. 76. Ad Sedis Apostolicæ indirectam in Reges auctoritatem comprobandam affert *Innocentii III.* testimonium Cap. *Solitæ, De Majoritate & Obedientia*, dicentis: *Ad firmamentum igitur Cæli, hoc est universalis Ecclesiæ, fecit Deus duo luminaria magna, id est, duas instituit Dignitates, quæ sunt Pontificalis Auctoritas & Regalis Potestas: sed illa quæ præest diebus, id est spiritualibus, major est: quæ vero carnalibus, minor: ut quanta est inter Solem & Lunam, tanta inter Pontifices & Reges differentia cognoscatur.* Fratrem *Denghien* ita ratiocinari necesse est, ut ex hoc *Innocentii Tertii* testimonio potestatem indirectam Summi Pontificis in Reges colligat:

Quæcumque Auctoritas altera major est ac perfectior, ipsam abdicare & exauctorare potest: sed Pontificalis auctoritas major est Regia: Ergo Pontifices Maximi Reges exauctorare possunt.

Hujus vero argumentationis absurditas ex alia simili dignosci potest, quam ipsi oppono:

Quæcumque Auctoritas altera major est ac perfectior, ipsam abdicare & exauctorare potest: sed Potestas quælibet Ecclesiastica, non solum Romani Pontificis, sed Episcoporum etiam, & Parochorum, major est ac perfectior Potestate Regum: Ergo Episcopi, vel Parochi, in quorum forte Diœcesi aut Parochia Rex crimen aliquod adversus Ecclesiam commiserit, ipsum exauctorare possunt.

Non minus inepte & absurde Potestatis Regiæ & Pontificiæ cum Sole & Luna comparatio ad indirectam Sedis Apostolicæ Auctoritatem in Reges confirmandam adhibetur: ex qua contrarium colligitur hac ratiocinatione ipsis Solis radiis clariore.

„ Sicut se habent Sol & Luna in firmamento Cœli: ita se habent Pontificalis Auctoritas & Regalis Potestas in Ecclesia: & sicut Deus Solem condidit ut præesset diei, & Lunam ut præesset nocti; ita Pontificiam Auctoritatem instituit ut præesset spiritualibus, & Regiam ut præesset carnalibus (*Ex Innocentio* III.) Sed Sol potestatem etiam indirectam non habet privandi Lunam jure, quod a Creatore cum natura accepit, ut præsit nocti; Ergo nec Pontifex Potestatem habet, etiam indirectam, privandi Reges jure, quod a Deo acceperunt ut præsint carnalibus. Et sicut Luna a Sole quidem illustratur & accenditur, luce tamen congenita privari ab ipso non potest: ita Reges a Pontificibus illustrantur ac diriguntur in his quæ ad salutem æternam pertinent: sed temporali Potestate a Deo accepta privari ab ipsis non possunt.

Lumen quidem doctrinæ a Pontificibus Reges suscipiunt, non Auctoritatem, sicut Luna motum & influxum a Sole non habet. Et quemadmodum duo illa Sydera invicem non commiscentur, nec in ipsa corporum substantia, nec in Ordine quem sortita sunt ab omnium conditore Deo; sed sol diei, Luna vero nocti prælucet: sic utriusque Potestatis Regiæ & Pontificiæ impermixta discretio est: hæc spiritualibus in rebus dumtaxat, illa in temporalibus sola summo Jure dominatur. Solis & lunæ imperium in reliqua Sydera immediate a Deo est, Pontificis & Regis Principatus pariter a Deo derivatur. *Berengosium* Abbatem Sermone *De Mysterio Ligni Dominici* audiamus hanc comparationem apposite instituentem: „ Sciendum est (*inquit*) quod nec Catholicæ Fidei, nec Christianæ contrarium est Legi, si ad honorem Regni & Sacerdotii Rex Pontifici, & Pontifex obediat Regi. Isti sunt enim qui ex antiquo, Divinitatis dispensatione bifaria, in firmamento Ecclesiæ quasi duo magna convenere Luminaria; quatenus in his quæ sunt sæculi, & in his quæ sunt Dei, luminare minus nocti, & luminare majus debeat præesse diei. Et non immerito duobus illis luminaribus poterunt comparari: quæ cæteris syderibus videntur principari. Quia sicut in firmamento Cœli eisdem luminaribus nulla stellarum creatura claritate videtur sublimior; sic in firmamento Ecclesiæ, duabus his Personis ordine & dignitate nulla potest esse sublimior. „ Comparationem a Sole & Lu-

& Luna ductam non probare quod mutuatitia vel falsitem obnoxia luce Principum potestas fulgeat, ex *Metrophanis* Smyrnæ Metropolitæ Oratione in Octava Synodo œcumenica liquet, in qua *Basilium* Imperatorem alloquens, ipsum novum Juber esse ait; cujus splendore Patriarchæ illustrentur, quamquam magna luminaria sint, diei & nocti præposita. *Sol justitiæ* (inquit) *& immensæ solus potentiæ, & Dominus noster, qui fecit duo luminaria magna; majus, ut præesset diei; minus, ut præesset nocti, iisque in firmamento collocatis, posuit & alia quadam luminaria magna in firmamento Ecclesiæ; rectos nempe vertices Patriarcharum ad universum terrarum orbem illustrandum, ut præsint diei & nocti, & lucem dividant a tenebris, hoc est, dividant ac separent facientes opera lucis & tenebrarum. Hæc igitur magna luminaria, Religiosissime Princeps, perinde ac in magna domo multas faces, ita in tua Urbe congregasti. Teque ipsum clarius Jubar, ac tuum Imperium illustrius & Christi in Ecclesiam splendidiorem reddidisti. Quin immo tua præsentia veluti Luminare aliquod ingens Sanctæ huic & Oecumenicæ Synodo dicta hæc visaque Lumina multo fulgentiora effecisti.* Denique si ex hujusmodi comparatione colligere liceret regiam Auctoritatem ad Pontificiam eodem prorsus modo se habere, quo Luna ad Solem, sequeretur tunc majorem ac fortiorem esse Regum Auctoritatem, cum a Summo Pontifice dissident: infirmam vero, cum eidem arctius sunt conjuncti: sicut Luna in coitu Solis caligat, & in maximo recessu fulget orbe pleno. Id autem absque errore & impietate dici non potest. Addiderim ex *Joanne Parisiensi*, Lib. *De Potestate Regia & Papali*, Cap. 14. Hanc Solis & Lunæ comparationem cum Civili & Ecclesiastica Potestate, ad sensum literalem Scripturæ Sacræ non pertinere, sed ad Mysticam expositionem. *Mystica autem Theologia non est argumentativa, nisi accipiatur ejus probatio ex alia Scriptura.* Sed neque mystica illa expositio a Sanctis tradita est: *sed forte contraria: Unde dicit Isidorus super Genesim* in Glossa, *Quod per Solem intelligitur Regnum, & per Lunam Sacerdotium.* Discat itaque Licentiatus Lovaniensis ex comparatione utriusque Potestatis adducta ab *Innocentio III.* cum Sola & Luna nihil colligi posse, quo indirectæ Potestatis Pontificiæ in temporalia Regum figmentum adstruatur.

V. Non minus absurde ratiocinatur Lovaniensis Licentiatus ex comparatione quam instituunt quidam ex SS. Patribus Ecclesiasticæ, & Politicæ Potestatis cum corpore & anima, quam ex earum comparatione instituta ab *Innocentio* III. cum Sole & Luna. Romani enim Pontificis Auctoritatem in temporalia Regum esse *Traditioni omnino consonam* demonstrase se putat ex *S. Gregorio Nazianzeno* in Oratione ad subditos timore perculsos, & Præsidem irascentem, sic Magistratus compellante: *Lex Christi vos meæ Potestati, meoque subjecit Tribunali. Imperamus enim & ipsi, addo majori imperio & perfectiori: aut oportet potius ut Spiritus subsit carni cœlestiaque terrestribus? Suscipe igitur vocem liberiorem, scio te ovem esse mei gregis.* Secundo ex *S. Joanne Chrysostomo* Homilia 15. in 2. ad Corinthios, dicente: *Hic est etiam Principatus Civili sublimior. Quis igitur est ille? Is qui in Ecclesia: cujus Paulus meminit dicens:* „ Obedite Præpositis vestris, „ & subjacete, quia ipsi pervigilant, pro animabus „ vestris tamquam rationem reddituri: *Iste enim Principatus Civili tanto sublimior est, quantum terra cœlum, immo & multum magis . . . Iste noster Principatus ille ideo melior est, quia non solum est Principatus, sed & Paternitas, (ut ita dicatur) num & Patris habet mansuetudinem . . . Honorabile hoc Tribunal etiam animam, non solum corpus corrigit: quantum igitur distat inter corpus & animam, tantum iste Principatus ab illo distat.* Tertio ex *S. Isidoro Pelusiota* Lib. 3. Epistola 249. *Ex Sacerdotio & Regno rerum administratio conflata est, quamvis permagna utriusque differentia sit. Illud enim velut anima, & hoc velut corpus, ad unum eumdemque finem.*

Hæc testimonia probant quod in quæstione non est, & de quo inter nos convenit, Potestatem Ecclesiasticam esse temporali perfectiorem & excellentiorem. Ex iis qui colligit Romani Pontificis Potestatem in temporalia Regum, ut Frater *Denghien* sic ratiocinetur oportet.

Quæcumque Potestas altera perfectior est & excellentior, ipsi dominatur in omnibus, eamque abdicare, exauctorare, & destruere potest: sed Potestas Romani Pontificis est perfectior & excellentior Potestate Regia: Ergo Romanus Pontifex Reges abdicare & exauctorare potest.

Hujus porro argumentationis absurditas ex alterius similis collatione demonstratur, quam ex eodem principio conficere licet:

Quæcumque Potestas altera perfectior est & excellentior, ipsi dominatur in omnibus, eamque abdicare, exauctorare, & destruere potest: sed Potestas qualibet Ecclesiastica, scilicet Episcoporum, & secundi Ordinis Sacerdotum, est perfectior & excellentior Potestate Regia: tantum quippe inter eas distat, quantum inter cœlum & terram, inter animam & corpus ex SS. Gregorio Nazianzeno, Joanne Chrysostomo, Isidoro Pelusiota: Ergo quilibet Episcopus, & secundi Ordinis Sacerdos Regi dominatur in omnibus, ipsumque abdicare & exauctorare potest.

Quidni porro contrarium ex utriusque Potestatis comparatione cum anima & corpore sic colligitur?

Sicut se habet corpus ad animam, ita Politica Potestas ad Ecclesiasticam & spiritualem; sed Anima ita imperat corpori, ut illud perficiat, non ut ipsum destruere valeat: Ergo Ecclesiastica Potestas non ita imperat Politicæ ut ipsam destruere, evertere, abdicare possit, sed perficere tantum ac dirigere ad finem spiritualem.

Ad hæc, si Physicæ ac Ethices Principiis attendisset *F. Denghien* discrimen facile percepisset, quod inter utramque Potestatem, & corporis ac animæ intercedit. Quid enim certius ac evidentius, quam corpus ut corpus referri ad animam, & animam ut talem ad corpus referri, cum ad unius compositi Physici constitutionem ut partes essentiales conspirent, & corpus natura subjiciatur animæ, & per eam existat, vivat, moveatur; ab eaque destitutum, vitæ ac motus penitus expers sit. At Politica Potestas, qua Politica est, ad spiritualem non ordinatur, cum absque illius consortio perfecta, integra & absolutissima esse possit, & plerumque apud Infideles extiterit: multo minus Ecclesiastica Potestas, qua talis, ad Politicam ordinatur. Duæ sunt igitur Potestates suis officiis distinctæ, suis finibus circumscriptæ, perfectione quidem & excellentia impares, sed in suo quæque ordine libertate & supremo imperio æquales.

Nec vero ob insulsum dumtaxat ratiocinium, sed etiam ob malam fidem, vel intelligentiæ tarditatem reprehendunt Fratrem *Denghien*: ob malam fidem; quod Orationis XVII. *S. Gregorii Nazianzeni* titulum interpolavarit. Cum enim inscribatur: *Ad Cives Nazianzenos timore perculsos, & ad Præfectum irascentem;* Sic eam laudavit: *In Oratione ad subditos timore perculsos, & Imperatorem irascentem*: ob stuporem ac tarditatem Fratrem nostrum arguunt, quod hæc in eadem Oratione intelligentia non sit assecutus, vel, ut suo errori adversa, rursus mala fide reticuerit: *Jam vero inter cæteras nostræ doctrinæ Leges hanc quoque habemus cumprimis laudandam, & a spiritu præclare constitutam, qua ut servi heris suis, & uxores viris, & Ecclesia Christo, & discipuli Magistris ac Pastoribus, dicto audientes esse atque obtemperare jubentur, ita nobis etiam præscribitur, ut sublimioribus Potestatibus pareamus, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam, ut qui pendendo Tributo simus obnoxii.*

Malæ pariter fidei vel similis stuporis specimen præbuit Frater *Denghien* in *S. Joannis Chrysostomi* testimonio referendo. Primum dissimulat quod de Civili Imperio præmittit Sanctissimus Antistes: „ Duplex enim „ Imperii genus est: alterum cujus opera homines & „ populis & urbibus imperant, ac civilem hanc vi„ tam moderantur. (Id quod Paulus indicabat, cum „ diceret: Omnis anima Potestatibus sublimioribus sub„ dita sit: Non est enim Potestas nisi a Deo.) At „ vero hic aliud quoque Imperii genus est., ac civili „ quidem Imperio sublimius &c. „ Duplex Imperii genus distinguit, unum altero præstantius asserit, sed non magis civile, qua tale est, Ecclesiastico subditum innuit, quam Ecclesiasticum civili. Et tantum abest ut Civilem Potestatem ab Ecclesiastica abdicari posse doceat, ut utriusque Potestatis discrimen & in eo positum affirmet, quod Ecclesiastica in id unum incumbat, ut vitium evellatur, non ut supplicium de nocente sumatur; & patris mansuetudinem ac suavitatem habeat, nec majorem exerceat severitatem in peccatores, quam ut ipsos a Mysteriis sacrisque septis arceat. „ Hoc Imperium (*inquit*) tanto civili excel„ lentius est, quanto cœlum terra: immo etiam mul„ to præstantius. Primum namque non hoc præcipuo „ studio spectat, ut perpetrata scelera vindicet, sed ut „ ne omnino quidem perpetrentur. Deinde si perpe„ trata sint, non ut ægrotantem de medio tollat: „ sed ut ipsa deleantur . . . . . Jam vero quod hoc „ Imperium omnium lenissimum sit, hinc liquat: Nam „qui

„ qui externum Imperium gerit, si adulterum arripuerit, protinus in eum animadvertit. Ecquid porro hinc commodi exsistit? Hoc enim non est vitium de medio tollere, sed ægram ac sauciam animam abigere. At qui hic Imperium administrat, hoc summo studio agit, non ut de nocente supplicium sumat, sed ut vitium avellat. Nam tu quidem perinde facis, ac si morbo aliquo in capite enato non morbum esse comprimas, sed caput amputes: Ego vero non ita, sed morbum trunco: atque eum quidem a Mysteriis, sacrisque septis arceo; cæterum eumdem postea excitatum, ac vitio liberatum, melioremque per pœnitentiam effectum, rursus assumo „. Si hæc expendisset, vel capere potuisset Frater *Denghien*, *S. Chrysostomum* hac in Homilia potestatem Ecclesiæ in temporalia Regum asserere non scripsisset. Sed vir oculatissimus videt quod alii non vident, & hunc forsan Syllogismum ex *S. Chrysostomi* verbis contextum id demonstrare putat.

„ Imperium omnium lenissimum & suavissimum & quod potius paternitas est quam dominatio; nec alias a nocente pœnas expetit, quam medicinales, quarum maxima est, ut a Mysteriis & sacris septis arceatur, Potestatem habet in temporalia Regum, ipsosque Regnis privare potest: Sed Imperium Ecclesiasticum, *ex S. Joanne Chrysostomo*, est omnium lenissimum & suavissimum; & magis paternitas est, quam dominatio; nec alias a nocente pœnas expetit quam medicinales, quarum maxima est ut a Mysteriis & sacris septis arceat: Ergo Potestatem habet in temporalia Regum, ipsosque Regnis privare potest.

VI. Pag. 103. Ad *Nicolai I.* testimonium a me laudatum ex illius ad *Michaelem* Imperatorem Epistola, respondens *F. Denghien*, ait: „ *Nicolaum* quidem docere, Pontificiam & Imperialem Potestatem esse actibus, dignitatibus, & officiis distinctas, nullo tamen verbo indicare neutram alteri subjectam, quin potius contrarium insinuare, siquidem paulo post subjungit: *Christianos Imperatores egere Pontificum ministerio pro æterna vita*, & contra *Pontifices uti Legibus Imperialibus pro cursu* tantum *vitæ temporalis*: apertissime indicans finem Potestatis Pontificiæ superiorem esse fini Potestatis Politicæ; ac per hoc Potestatem Pontificum imperium habere super Politicam Potestatem, quatenus opus est, ut Potestas Politica non impediat adeptionem vitæ æternæ, ad quam a Pontificia dirigenda est.

Ut autem omnibus appareat quam leve sit hujus argumenti pondus, immo quam absurda sit ipsa per se ratiocinatio, sic eam ad formam syllogisticam revoco:

„ Qui asserit Pontificiam Potestatem & Regiam ita esse propriis actibus, dignitatibus, & officiis ex Christi institutione discretas, ut nec Pontifex vi spiritualis potestatis se negotiis sæcularibus implicet, nec Rex divinis rebus præsideat, nullo verbo indicat neutram potestatem esse alteri subjectam eo in ordine, in quo suprema est; immo contrarium insinuat: Sed Nicolaus I. asserit Pontificiam Potestatem & Regiam ita esse propriis actibus, dignitatibus, & officiis ex Christi institutione discretas, ut nec Pontifex sæcularibus negotiis se implicet, nec Rex divinis rebus præsideat: Ergo Nicolaus I. nullo verbo indicat neutram Potestatem esse alteri subjectam eo in ordine, in quo suprema est, immo contrarium insinuat.

Ad hunc rursus syllogismum Fratris nostri ratiocinatio redigitur.

Potestas cujus finis est superior fine alterius, habet in ipsam Imperium, quatenus opus est, ut illa non impediat consecutionem finis superioris, & vi hujusmodi Imperii pœnas quascumque ipsi infligere potest: Sed finis Potestatis Pontificiæ superior est fine Politicæ Potestatis: Ergo Potestas Pontificia Imperium habet super Politicam Potestatem, quatenus opus est ut ista non impediat consecutionem vitæ æternæ, ad quam illa dirigit: ita ut vi hujusmodi imperii quascumque pœnas ipsi infligere possit, etiam privationis bonorum & regnorum.

Hujus argumentationis vanitas ex simili collatione ostenditur.

Potestas cujus finis est superior fine alterius, habet in ipsam imperium, ne sui finis adeptionem impediat, atque istius imperii ipsam abdicare potest, proscribere ac bonis privare: Sed finis Potestatis Parochorum est superior fine Politicæ Potestatis; Ergo Parochiales Sacerdotes imperium habent super Politicam Potestatem vi cujus Politicos Magistratus abdicare, & Reges ipsos deponere possunt.

VII. Eadem ratione (an rationis potius defectionem dixerim?) utitur Frater FRANCISCUS JANSSENS ELINGA, Dominicanus, Doctor, & Professor Antuerpiensis, in Approbatione Libelli Fratris *Denghien*.

„ Cui (inquit) præcipitur alicujus intenti finis executio, media etiam ad eum finem obtinendum necessaria, seu eorumdem electio committitur. Porro nemo sanæ fidei ambigit *B. Petro* Apostolo ac ejus Successoribus pro fine præfixum fuisse a Christo Domino spirituale regimen totius Ecclesiæ. Et iterum nemo est, qui ambigat finem illum, quia spiritualem, altioris esse ordinis, immo & supremi in Monarchia Dei. Quod si ita sit, iisdam a Christo concessam, immo commissam fuisse electionem omnium mediorum, quæ fini illi congrua vel necessaria fuerint. Hinc Auctoritas Sedis Apostolicæ super Reges, & Regna, non directa quidem, sed indirecta, si videlicet in quibusdam impleais temporum circumstantiis spirituale Ecclesiæ regimen sine exercitio spiritualis potestatis in eorum Personas, Regna, vel bona temporalia, subsistere vix aut nullatenus possit. Indubitatum enim esse debet, quod ad finem eum etsi spiritualem, immo quia spiritualem, ac proinde superiorem, imperari possint temporalium bonorum media, & porro si possint, etiam debeant, si id necessitas istius finis exegerit. Hanc certam Angelici Doctoris doctrinam non satis attenderit NATALIS ALEXANDER, dum Successoribus *Petri* indirectam Potestatem in Reges & Regna non solum negavit, sed eam *contra Patrum Doctrinam* ac *contra* ipsum *Verbum Dei* a *Gregorio VII.* præsumptam fuisse, temerarie affirmare præsumpsit.

Antuerpiensis Professoris miror confidentiam, qui tam insulsum ratiocinium Angelico Doctori affingere non dubitat. Adeo leve est illud ut repellere Novitii nostri Collegii Parisiensis Theologi facile possint. *Cui finis præscribitur, eidem electio mediorum, quæ ad finem sunt necessaria, committitur*. Distinguunt Propositionem; Quæ ad finem per se necessaria sunt, & quæ sunt illi fini congrua; concedunt. Quæ necessaria sunt secundum pravam quorumdam opinionem, & quæ illi fini minime sunt congrua; negant. *Sed Potestas in bona temporalia & Regna est interdum necessaria ad spirituale Ecclesiæ regimen*: Ex falsa & erronea quorumdam opinione, concedunt; Ex rei natura & spectata proportione mediorum ad finem, negant. Vel iterum Propositionem distinguunt: Potestas dirigens, & pœnis spiritualibus etiam coercens est necessaria ad Ecclesiæ regimen, concedunt: Potestas Dominii in bona temporalia, & pœnis temporalibus seu privationis temporalium dignitatum & bonorum constringens, negant. *Ergo Potestas in bona temporalia & Regna commissa est S. Petro & ejus Successoribus*. Distinguunt consequens: Potestas dirigendi & coercendi pœnis spiritualibus Principes & Magistratus, si potestate sua in Ecclesiæ detrimentum abutantur, concedunt. Potestas dominandi ac disponendi de rebus temporalibus & Regnis, ipsosque Principes & Magistratus abdicandi, negant. *Ad finem spiritualem imperari possunt temporalium bonorum media*: illi fini congrua, & modo quem Christus instituit, concedunt: Media quæcumque, & arbitraria, negant.

Verum insulse ratiocinari Magistrum *Janssens Elinga*, similibus argumentis velut ad sensum demonstratur.

„ Cui præcipitur finis alicujus executio, media etiam ad finem obtinendum necessaria committuntur eligenda: Sed spirituale Ecclesiæ regimen, quod Apostolis & LXX. Discipulis, & Episcopis Apostolorum Successoribus, ac Parochis, qui LXX. Discipulorum locum tenent, a Christo commissum est, plerumque sine exercitio spiritualis potestatis in bona temporalia & Regna, & sine abdicatione & translatione Regnorum, vel Magistratuum, subsistere vix aut nullatenus potest: Ergo Episcopis, & Parochis potestas indirecta in Personas Principum, & Magistratuum, in eorum Regna, Dignitates, Officia, & bona temporalia, & auctoritas illos abdicandi, a Christo commissa est.

Simile rursus argumentum istud erit: *Ad finem spiritualem imperari possunt temporalia media, & si possunt, etiam debent, si id necessitas istius finis exegerit: sed fieri potest ut spirituale Ecclesiæ regimen Romano Pontifici vix aut nullatenus subsistere posse videatur Imperatore aut Rege aliquo superstite; Ergo Romanus Pontifex illum e medio tollere & interimere potest.*

Tam

Tam feralem consequentiam Summi quidem Pontifices execrantur, & non solum nolunt occidere quemquam, sed nec posse volunt. En tamen quo hujusmodi principia & salsæ ratiocinationes præcipitant, ad seditiones, & parricidia Regum, ut recte observat Sacra Facultas Parisiensis in Censuris *Sanctarelli* & F. *Malagola*. Hanc consequentiam non tantum admittit, sed in ea suæ præsidium sententiæ ex parte ponit unus e recentioribus Theologis, quem inter opinionis suæ Suffragatores non absque honorifica præfatione laudat F. *Denghien*, (pag. 445. linea 2.) Disputatione 1. in Secundam Secundæ, Quæst. 12. Punto 2. Assertione 3. his concepta verbis. (*Gregorius de Valentia*.) „ Jure „ Ecclesiastico, atque adeo per Summi Pontificis Auctoritatem atque sententiam, omnino potest quis dominio & prælatione erga subditos privari, propter „ apostasiam a fide. *Quam Assertionem sic probare aggreditur*: Probatur primo, & quidem irrefragabiliter, illis omnibus argumentis, quibus Quæstione „ præcedenti, Puncto 3. convicimus posse Hæreticos „ & Apostatas e fide privari etiam ipsa vita per Ecclesiæ auctoritatem. Nam si vita possunt privari, multo magis omnibus aliis bonis, atque adeo etiam Prælatione io alios: cum omnibus hujusmodi temporalibus bonis vita præponderet, & ea sublata, reliqua „ omnia tollantur „. Existimo Fratres nostros *Denghien*, & *Jassens Elinga*, hanc consequentiam execrari, quam absque horrore legere piorum nemo potest. Abjiciant ergo ac retractent superiorem illam ratiocinationem suam, quæ ad parricidalem & impiam conclusionem vel invitos compellit.

Præterea, cæci sint oportet qui non videant, aliud esse, habere potestatem seu jus dirigendi alterum in temporalibus, atque præcipiendi & cogendi ne temporalia in boni spiritualis detrimentum administret; & aliud, habere dominium rerum temporalium, seu jus de temporalibus disponendi, easque a possessoribus, qui illis abutuntur, auferendi. Sicut aliud est habere potestatem ac jus monendi, jubendi, ac etiam impediendi, alterum ne spiritualia in perniciem Reipublicæ administret, seu ne spirituali potestate ad Statum Politicum perturbandum abutatur; aliud habere dominium rerum spiritualium, seu potestatem privandi spirituali potestate Pontifices ac Prælatos qui ipsa abutuntur. Res caemplis illustratur, Episcopus quilibet sæculares Judices sibi in spiritualibus subditos in administratione justitiæ dirigere potest ac debet, eosque admonere ut secundum Legum scita, Principumque Edicta, sicarios, incendiarios, sacrilegos, raptores, aliasque pestes exterminent, immo & censuris compellere, suo ut munere fungantur. Nemo tamen inde collegerit, Episcopum jus vitæ & necis habere. Si quis promissione, voto aut juramento se obstrinxerit, ut in suorum dispensatione bonorum alterius consilium vel jussionem sequatur; tenebitur quidem io bonis suis dispensandis illi obsequi, alias voti aut juramenti violati reus erit; non ideo tamen alter dominium in ejus bona acquiret, seu jus illum privandi bonis suia, ex hypothesi quod ille contra fidem voti aut juramenti dispenset; sed potestatem dumtaxat jusque illum dirigendi in bonorum dispensatione. Quamobrem licet Ecclesia a Christo potestatem acceperit dirigendi Principes sæculares, etiam in temporalibus, in ordine ad spirituale bonum, seu imperandi illis, & censuris cogendi, ne in perniciem animarum suarum, vel in ipsius Ecclesiæ detrimentum, de temporalibus disponant, Leges ferant, Rempublicam administrent: absurde tamen inde colligitur, Ecclesiam in ordine ad salutem animarum, & Religionis conservationem, habere dominium rerum temporalium, Regnorumque, aut potestatem de illis disponendi, illaque a legitimis possessoribus auferendi.

Falluntur præterea, qui suis illis ratiunculis conficere se putant, summum Pontificem omnia salutis æternæ impedimenta removere posse ac debere. Nec enim medium ullum habet ad salvandum infantem in utero matris, quem ipsa vivum parere non potest; nec ipsi licet imperare ut matris viventis uterus incidatur ad Baptisma proli procurandum. Nec in internos animi motus, qui ad salutem maxime sunt necessarii, potestatem habet: nec Turcas omnes ac Infideles, Hæreticos, Schismaticos, malosque Christianos, qui ad finem salutis æternæ consequendum plurimis sunt impedimento, ex toto orbe eliminare ac exterminare potest. Nec tamen insufficiens in ordine suo censenda est Ecclesiastica Potestas; sicut nec virtus Solis ad illuminandum insufficiens aut imperfecta est, quamvis removere omnia non possit, quæ illuminationem impediunt. Habent Summi Pontifices Potestatem Ordinis, qua salutem omnium hominum per Sacramentorum dispensationem procurare possunt. Habent summam Jurisdictionis Auctoritatem, qua Prædicatores Evangelicos in orbem universum mittere ad conversionem Infidelium, Majores causas judicare, Leges condere, transgressores omnes Sacrorum Canonum, aut quod gravius est, Fidei ac Religionis Catholicæ violatores, pœnis spiritualibus seu Ecclesiasticis Censuris coercere possunt: sed disponendi de rebus temporalibus, & de Regnis, in ordine ad spiritualia, Regesque deponendi, non acceperunt a Christo potestatem: nec vero ut acciperent, necesse fuit, cum hujusmodi potestas fini spirituali non sit accommodata. Mirum si id non capiat professor Antuerpiensis, quod Novitii nostri Theologi facile intelligunt.

VIII. Pergit Magister *Janssens Elinga* in præclara illa egregii Libelli Approbatione: *Habent quidem Reges in suos subditos supremam Potestatem, nec ab alio quam a Deo dependentem: sed errant, qui crediderint, Potestatem Regiam a solo Deo non dependere, si indirecte ab ejus Vicario dependeat; cum Vicarius in eo quo Vicarius est, cum sua Principali aca ponat in numero, nec separari ab ipso debeat. Itaque Potestati Regiæ nihil derogatur, dum indirecte Potestati Apostolicæ subjicitur.*

Istud quam absonum ratiocinium! Habent Reges in suos subditos supremam in temporalibus potestatem (inquit) & hæc tamen subditur Pontificiæ potestati: In eodem igitur ordine suprema est, & non suprema. Regum potestas (est) *ab alio quam a Deo* non dependet: Nihilominus a Summo Pontifice dependet: Summus ergo Pontifex non est alius a Deo. Ita ne delirare non sufficit, sed ad blasphemiam usque delirandum est? Consequentiam negat vir subtilissimus, & a solo Deo pendere proterve contendit, etsi a Summo Pontifice pendeat: Quia (inquit) *Vicarius in eo quo Vicarius est, cum suo Principali non ponit in numero.* Digna profecto tam venerando capite argutia! secundum quam eodem delirandi jure colliget, Summum Pontificem posse augere vel minuere Sacramentorum numerum, quia id Christus potest: *Vicarius autem cum suo principali non ponit in numero.* Summum Pontificem jus habere vitæ & mortis in omnes homines, quia id Christus habet; posse peccatorem, statim atque peccavit, in inferos detrudere; posse omnes animas in purgatorio detentas solo voluntatis actu ad Cœlos transmittere, quia id Christus potest: *Vicarius autem cum suo Principali non ponit in numero.* Posse spiritu oris sui, & solo voluntate omnes Turcarum exercitus profligare, Turcarum tyrannum interficere, nationem omnem infidelem, Christianoque nomini infestam e medio tollere, absque subsidio pecuniarum, quas tam generose, tam laudabiliter in sacri belli sumptus profundit, absque instructione classium, absque conscriptione militum, absque ope armorum, quia id Christus potest: *Vicarius autem cum suo Principali non ponit in numero.* Huic sane fratri & ejus similibus apprime convenit illa Cardinalis *A Turrecremata* sententia in Canonem, *Conjunctiones*, Causa 30. Quest. 2. *Mirum est quod Sancti Pontifices loquantur moderate de potestate eis data: & quidam Doctorculi sine aliquo vero fundamento volunt adulando eos quasi æquiparare Deo.*

IX. Verum Approbatore obiter salutato, ad libellum ipsum Fratris *Denghien* redeo. Is pagina 122. ad *Gelasii I.* testimonium, ex Epistola ad *Anastasium* Imperatorem a me prolatum, respondens, ait: Respondeo quod *Gelasius* doceat *Sacerdotium ac Imperium esse duas in Eclesia Supremas Potestates*; ita tamen ut hæc illi subsit. „ Nam si Pontifex redditurus est Deo „ rationem pro Imperatoro & Regibus, (ut ibidem „ tradit) certe dirigere eos debet, & si forte devient, corrigere. Quomodo autem potest dirigere & corrigere Imperatores & Reges, si in ipsos, „ eorumque Regna nullum habeat Imperium, in quorum administratione notum est eos aberrare ac sua „ abuti potestate.

Hæc est Fratris nostri ratiocinatio; *Qui docet Sacerdotium & Imperium esse duas supremas Potestates, censet Imperatores & Reges in temporalibus, id est, in eo ordine, in quo neminem Superiorem agnoscunt, esse subditos Romano Pontifici, & ab eo deponi posse, si sua potestate abutantur: sed Gelasius docet, Sacerdotium & Imperium esse duas supremas in Ecclesia Potestates: Ergo Gelasius censet, Imperatores & Reges in Temporalibus, id est, in eo ordine in quo neminem Superiorem agnoscunt, esse subditos Romano Pontifici, & ab eo deponi posse, si forte sua potestate abutantur.* O egregiam ratiocinationem!

Sic

Sic rursus ratiocinatur Frater noster : „ Summus
„ Pontifex dirigere & corrigere potest Imperatores &
„ Reges: Sed ipsos dirigere & corrigera non potest,
„ nisi potestatem habeat ipsos exauctorandi , bonaque
„ temporalia & Regna ab ipsis auferendi ; Ergo Sum-
„ mus Pontifex habet hojusmodi potestatem.

Hujus argumentationis vitium ex alia simili palam fiet.

„ Episcopes suos Diœcesanos , Curatus Parochianos
„ suos dirigere & corrigere possunt. Sed ipsos dirigare
„ & corrigere non possent , nisi potestatem haberent in
„ illorum bona, dignitates , & munera , ita ut illos
„ hujusmodi dignitatibus ec muneribus politicis abdi-
„ care, bonisque privare possent , si forte ipsis abutan-
„ tur. Hac ergo præditi sunt Potestate.

Capiat, si potest, Frater *Denghien* , consequens non esse, ex eo quod aliquis potestatem habeat ex ordinatione divina alteri imperandi , ut possit omni ratione qua placuerit, ad obedientiam illum cogere , omnique pœnarum genere coercere. Præceptor Discipulis imperare potest, eosque ad officium compellere , non tamen quavis pœna, sed solum intra limites disciplinæ . Pater filio, vir uxori, dominus famulo imperare possunt , & si non paruerint, pœnis coercere , non tamen quibuscumque, sed levioribus, lege vel consuetudine constitutis. Similiter licet Pontifex potestatem habeat dirigendi Reges, etiam in temporalium administratione , prohibendique ne animarum saluti grave damnum inferant: non tamen idcirco potestatem habet omni pœnarum genere in eos animadvertendi , cum aberraverint , sed pœnis tantum a Christo definitis, ac Spirituali Potestati convenientibus, nempe Censuris Ecclesiasticis.

X. Pag. 159. & sequentibus probandum sibi sumit *F. Denghien* ex *Gregorii VII.* sanctitate, illom sibi non tribuisse potestatem exauctorandi Reges contra Patrum doctrinam, & contra verbum Dei: & ea omnia describens, quæ ad vindicandam contra Hæreticos hujus Pontificis sanctitatem in Dissertatione mea protuli , ex iis colligit , ejus opinionem de potestate Sedis Apostolicæ, in temporalia Regum veram esse, & sententiam exauctorationis ab ipso in *Henricum* Imperatorem latam esse omnino justam. „ Quod (inquit) probatione non
„ eget, si flagitiorum immanitas expendatur, quorum
„ contraxisset reatum, si ea potestate caruisset. Enim-
„ vero quam enorme injustitiæ crimen in hypothesi
„ usurpati judicii & potestatis admisisset , exauctora-
„ tionis sententiam in *Henricum* ferendo , nemo com-
„ munissime naturæ principia consulens ignorare per-
„ mittitur . . . Accedit ad numerum criminum, quod
„ gravissimorum malorum ac peccatorum auctor & reus
„ extitisset , quæ occasione istorum factorum oborta
„ sunt & perpetrata. Siquidem juxta Theologiæ prin-
„ cipia , mala sive culpæ, sive pœnæ, ex injusta actio-
„ ne sequi nata, ponenti actionem attribuuntur , quæ-
„ cumque manant. Ex Regum autem depositione (in-
„ quit *Natalis*) maximæ in Republica perturbatio-
„ nes, cædesque innumeræ consequi solent . Igitur ,
„ juxta ejus sententiam, dicendus est prælibatus Pon-
„ tifex plurimorum gravissimorumque criminum reus,
„ ac per consequens hæc eum eximia ejus sanctitate
„ minime consistit.

Gregorii septimi ut privati Doctoris error cum ejus sanctitate optime conciliatur.

Gregorii VII. opinionem Patrum doctrinæ & verbo Dei contrariam, cum ejus sanctitate revera conciliare non possum, si recta sit illa Fratris *Denghien* ratiocinatio.

Vir Sanctus non potest errare , nulla etiam in re peccare, aut imprudenter agere potest, sed Gregorius VII. Sanctus est; Ergo non erravit , nulla in re peccavit, aut imprudenter egit.

Si ita se res habet, nec *SS. Justinus* , *Irenæus* , *Cyprianus* , *Firmilianus* , aliique Patres , Millenariorum vel Rebaptizantium errorem propugnantes vel approbantes , aut alios forte ab Ecclesia nunc damnatos, in opinione verbo Dei contraria fuisse dici possunt , quia Sancti: & quæ per se peccata sunt , aut imprudenter gesta virtutis ac prudentiæ laudem consequentur, cum a Sanctis perpetrabuntur. Sed *Væ iis qui dicunt malum bonum, & tenebras lucem*. De *Gregorii Septimi* sanctitate non contendimus , quam adversus Hæreticos & Schismaticos luculente vindicavi , sed de opinionis veritate , & de facti per se spectati æquitate. Gravissime deliquisse , & peccatum ad mortem commisisse *Gregorium Septimum* non est consequens si rem injustam fecerit , si Jus ac potestatem in temporalie Imperatoris usurpaverit , si ipsum Regno privare aggressus fuerit, quia juste se facere existimavit , & æquitatis affectu servato , ab æquitatis regulis ex errore deflexit, ut in Dissertatione mea explicui. In quæstione obscura & Ecclesiæ Judicio nondum eliquata deceptus est ; erravit , quia Traditionem haud satis scrutatus est , aut expendit ; quia Scripturas Sacras supremæ & a quovis præter Deum independenti Regum auctoritati testimonium perhibentes non intellexit. Charitas zelusque ipsum e tanto (ut loquuntur) non tamen a toto excusarunt. Quis nescit injustum per se esse rem alienam possidere, & tamen possessurem bonæ fidei a crimine excusari, quamdiu durat bona fides? Quis ignorat, rem esse per se injustam, litem intentare ad jura vel bona tibi vindicanda, quorum non sis dominus ; nec tamen injustum esse omnem qui litem movet , ut jura quædam vel bona sibi vindicet, quæ revera ipsius non sunt, sed alterius secundum quem judices pronuntiant: Sufficit quippe ut legitimis titulis petitio sua niti sibi videatur , & jus ad rem se habere persuasum habeat. Cum vero Jus ipsius deinde a Peritis examinatur, disceptatur , ejusque tituli & momenta cum alterius titulis & momentis conferuntur & a Judicibus discutiuntur , causa cadit , utpote injusta : nec tamen damnatur ipse ut injustus , quia litem bona fide suscepit, & secundum præscriptum Juris persecutus est. Qui ad uxorem alienam accedit, suam esse putans, rem illicitam committit, non tamen adulter est, quia conjugali affectu servato illam mulierem cognoscit, quam non tangeret, si alienam esse sciret aut vel suspicaretur. Qui propositionem hæreticam tuetur absque pertinacia, Ecclesiæ judicio stare paratus, Hæreticus dici non potest. Cur ego *Gregorium* VII. gravissimorum criminum reum fuisse colligat Licentiatus Lovaniensis, si rem per se injustam egerit, exauctorationis Sententiam in *Henricum* Imperatorem ferens , & si erraverit id sibi Juris tribuens?

„ At (inquit F. *Denghien*) rectam intentionem
„ electio pravi medii vitiat , sicut & intentionis per-
„ versitas boni medii electionem depravat. Cum ergo
„ *Natalis* censeat *Gregorii* VII. factum injustum esse,
„ & violationem divini & Apostolici præcepti ejus in-
„ tentio debet *Natali* esse mala ob tam pravi medii
„ electionem.

In Ethicis ignarus est Licentiatus Lovaniensis qui nesciat , electionem pravi medii , quod bonum & justum ex errore putatur , si nec lege naturæ nota sit ejus pravitas , nec Ecclesiæ judicio manifesta intentionem non vitiare. In his quidem quæ Legi naturæ aperte repugnant , & quorum malitia invincibiliter ignorari non potest, ut fornicatione , furto , perjurio , electio pravi medii, etsi justum ex errore videatur , rectam intentionem vitiat. Quamobrem qui furatur ad alendos pauperes, quæ fornicatur ad sostentandum patrem, qui pejerat ad amici vitam servandam, e crimine excusari non potest, & furti, fornicationis, vel perjurii reatum incurrit. At si medii pravitas legis naturalis lumine non innotescat, nec Ecclesiæ judicio declarata sit, solaque positivi juris ignorantia medium illud rectum existimetur, recti finis intentio ex istius medii electione penitus vitiari non potest . Ita qui conjuges ob fornicationis causam olim dimittebant , aliasque ducebant nondum eliquata Ecclesiæ judicio gravissima illa quæstione , recto fine ad novas nuptias convolare poterant, scilicet ad procreationem sobolis in Dei timore & obsequio educandæ , & in concupiscentiæ remedium. Illud quidem medium , scilicet novum Matrimonium priori conjuge superstite, pravum erat: Nec tamen rectam intentionem ita vitiabat hujus electio medii, ut rei adulterii essent , qui id agebant ; sed venialiter errare poterant (ut docet *S. Augustinus* optimus Ethicæ Christianæ Magister lib. de Fide & Operibus, cap. 19.) quia scilicet nec naturæ lex id explicite pravum esse doces , nec Scriptura Sacra ea de re clara videbatur , nec Ecclesiæ judicio quæstio erat omnino eliquata . (*Can.* 36.) Unde & *Leo* IV. cum Romana Synodo , & tota Græcorum Ecclesia in hunc errorem incidit . Sic procurare æternam hominum salutem sanctissimus finis est: at propterea compellere & cogere Judæos vel alios Infideles ad suscipiendum Baptismum , pravum medium est : nec tamen istius electio medii piam intentionem vitiat , ut probat exemplum *Sisebuti* Regis , cujus factum Toletana Synodus V. Canone 57. improbavit, intentionem vero laudavit , *Religiosissimi Principis* nomen ipsi tribuens. Idem de Baptismo puerorum invitis parentibus infidelibus dixerim. Medium illud est ad salutem procurandam, sed pravum sane, cum id non liceat , secundum sententiam *S. Thomæ* , quia justitiæ naturali, parentumque juri repugnat . Verum quia id ex primis legis naturalis principiis minime notum est , nec ea de re inter omnes Theologos convenit , nec

eam

eam quæstionem finivit Ecclesia, hujus assumptio medii pii Principis intentionem non depravaret, qui Infidelium jure belli subactorum pueros parentibus subtraheret, iisque invitis baptizari curaret. Quamvis urgo injusta fuerit exauctorationis sententia a *Gregorio Septimo* in *Henricum* Imperatorem lata, quamvis usurpata revera fuerit auctoritas, quam in Regum temporalia sibi tribuit, hujus tamen electio medii bonitatem intentionis ejus non corrupit, ardorem charitatis non extinxit, quia sola ignorantia Juris positivi errabat, & ea se potestate præditum existimabat. Synodum Romanam habebat opinioni suæ consentientem, sicut olim Africanam *Sanctus Cyprianus* in errore de Baptismo Hæreticorum: Unde sicut ille ab errore non excusatur, nec ab omni prorsus peccato, sed tamen excusatur a crimine, & quidquid ab illo hac in controversia gestum est contra verbum Dei & Traditionem, *nævus fuit in candore sanctæ Animæ, quem charitatis ubera contegebant, & martyrii falce purgatum est*: ita de *Gregorio Septimo* dicendum, piam ejus intentionem fuisse; odio in Schisma, in simoniam, aliaque *Henrici* crimina, studio Ecclesiasticæ Libertatis, zelo justitiæ accensum, *Henrici* exauctorationem suscepisse; propterea peccatum ejus ad mortem non fuisse, actionem tamen ejus a peccatu penitus immunem non fuisse. Ipsum igitur recta intentio aliquatenus, non penitus excusavit, sed (ut Theologi de Schola loquuntur) a tantu, non a toto. Hoc *S. Bernardi* principium est Libro de Præcepto & Dispensatione, cap. 14. „ Ut interior „ oculus vere sit simplex, duo illi esse arbitror necessaria, charitatem in intentione, & in electione veritatem. Nam si bonum quidem diligat, sed verum „ non eligat, habet quidem zelum Dei, sed non secundum scientiam, & nescio quemadmodum judicio „ veritatis vera esse possit cum falsitate simplicitas. „ Volens denique ad veram Discipulos instruere simplicitatem Magistra Veritas, *Estote*, inquit, *prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ*. Præmisit ergo prudentiam, sine qua neminem satis esse posse simplicem sciret. Quomodo denique vere „ simplex erit oculus cum ignorantia veritatis? Aut „ vera potest dici simplicitas, quam simplex ignorat „ veritas? Scriptum est enim: Ignorans ignorabitur. „ Patet ergo laudabilem illam & a Domino laudatam „ simplicitatem absque his duobus non esse bonis, benevolentia atque prudentia, ut oculus videlicet cordis non solum pius, qui fallere nolit; sed & cautus „ sit, qui falli non possit . sine malo quocumque „ non erit decepta simplicitas. *Subdit illud Apostoli testimonium*: Omne quod non est ex fide, peccatum „ est: *utrumque complectens*; & cæcam videlicet malitiam, & deceptam innocentiam: quia quod a nesciente fit, & bonum prorsus condemnat intentio „ prava, & malum non penitus excusat recta. Sive „ itaque malum putes bonum quod forte agis, sive bonum malum quod operaris, utrumque peccatum est, „ quia neutrum ex fide: licet sane levius admodum „ peccetur, ubi sana intentione sola reprehensibilis actio foris apparet, quam ubi maligna latet etiam in „ bona actione intentio. Verum quod absque minimo „ peccato non est, purum bonum minime est.

XI. Objicit *F. Denghien*, me ex *Gregorii II. & Zachariæ* Romanorum Pontificum sanctitate & æquitate argumentum sumpsisse quo probarem, hunc non exauctorasse *Childericum*, illum non privasse *Leonem Isaurum* exactione Tributorum Italiæ.

Eu illorum quidem sanctitate Pontificum verisimile & subsidiarium argumentum arcessivi ad hujusmodi factorum narrationem refellendam, quorum de veritate viri eruditi non conveniunt, & quorum falsitatem aliis momentis gravissimis comprobavi. At de *Gregorii VII.* opinione, factoque nullus dubitat, nec dubitare cum fundamento potest. Expendenda itaque facti æquitas ad Legem Verbumque Dei, & ad Patrum Veterum doctrinam; & si quidem ipsis contrarium convincitur, improbandum est. Id Ecclesia Gallicana, & Sacra Facultas Parisiensis præstiterunt; idcirco *Gregorii* doctrinam de Sedis Apostolicæ Potestate in temporalia Regum, doctrinæ Patrum & Verbo Dei contrariam, ejusque factum per se spectatum injustum omnino fuisse sentiunt ac propugnant. Hos duces secutus, momentis gravissimis, quibus eorum sententia nititur, expensis, a veritatis partibus stare me confido, quidquid *F. Denghien* & Libelli ejus Approbatores deblaterent. Sanctitatem nihilominus *Gregorii* VII. cum ejus doctrina & facto conciliamus & si conciliare non possemus, nihilominus improbaremus: quia sanctitas ejus solo constat hominum testimonio: at Dei testimonium in Sacra Scriptura & Traditione contentum majus est, quo *Gregorii* VII. doctrina de Sedis Apostolicæ auctoritate in temporalia Regum, secundum quam exauctorationis Sententiam in *Henricum* Imperatorem tulit, nobis damnari videtur. Nostrum, inquam, judicium de illius sanctitate suspenderemus, ad occulta Dei judicia totum remittentes, cum inter Sanctos solemni Canonizationis ritu non sit adscriptus. Verum id minime necesse est, cum eum Sanctum pie credam, ejusque sanctitatem contra Hæreticos & Schismaticos vindicasse non me pigeat, plurimumque Beatæ illius Animæ intercessionibus apud Deum confidam, quas mihi quidem (ut spero) non negabit, reverentiæ erga ipsam meæ, studuque adhibiti; ut eam a *Brunonis* Pseudo-Cardinalis, aliorumque Schismaticorum calumniis vindicarem, intnitu. Nec solum sanctitatem ejus prædicavi, sed eum ejus facto & doctrina conciliare studui, ut omnibus exploratum est, qui Articulum 12. Dissertationis meæ legerunt: utque aa in re probi viri officio functum me puto, illamque Christianæ Moralis Regulam implevisse: *Excusa intentionem, si opus non potes; puta ignorantiam, subreptionem, casum*.

S. Bernardus Serm. XL. in Cantica.

XII. At, inquit *F. Denghien*, zelus *Gregorii* VII. fuit secundum scientiam, ut constat ex *Hugone* Flaviniacensi in Chronico Virdunensi, cujus & testimonium a me prolatum objicit Articulo 18. Dissertationis meæ.

Verum illius Auctoris fidem non appellavi, ut *Gregorii septimi* zelum omnem *secundum scientiam* fuisse approbarem, quod nusquam sensi, nec sentire me posse ingenue fateor: sed tantum ut ipsum sententiam in *Henricum Regem* latam imminente obitu non rescidisse, nec ipsum a Censuris absolvisse demonstrarem, quod ex illius Articuli lectione cuivis perspicuum esse potest. Quamquam *Gregorii septimi* zelum contra Schismaticos, Simoniacos, & Clericos concubinarios, quin etiam contra *Henrici* ipsius Imperatoris crimina, *secundum scientiam* fuisse non abnuam: sed de zeli excessu & intemperantia, usque ad Imperatoris exauctorationem progressa id non concedam.

Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quod ultra citraque nequit consistere rectum.

Præterea, si quæ *Petrus Damiani* Vir Sanctissimus scripsit ad *Oldericum* Firmanum Episcopum contra factum *Leonis noni* bellis adversus Normannos se immiscentis, *examinanda esse an in omnibus veritate subsistunt*, cum suo *Baronio* respondet *F. Denghien* pag. 184. & in morosam ipsius indolem ea refundere non veretur: *Cum*, inquit, *ipse esset mœrens animo, lugens eremi incola*: cur examinare nobis non licebit, quæ scripsit & gessit *Gregorius septimus* quantumvis Sanctus habeatur? Et si *Petri Damiani* sententiæ Catholica Dogmata penitus adversari ait, eamque *hæresis errore* notat (immerito quidem & inerudite) nec tamen injuriam ejus eximiæ sanctitati inferre se putat: cur nos *Gregorii septimi* sanctitatem violare blaterat, quod sententiam Patrum doctrinæ, & Verbo Dei contrariam ipsum propugnasse asseramus? *Mensura, & mensura, pondus, & pondus utrumque abominabile Domino*.

XIII. Objicit *F. Denghien*, Gregorium VII. teste *Lamberto Schafnaburgensi*, Sacris Literis fuisse eruditissimum & pariter doctissimum: proinde novisse Verbum Dei, & Patrum Traditionem.

Hujus argumenti insulsitas ex altero simili demonstratur: „ Patrum in sacris Literis eruditissimorum nulla sententia Verbo Dei contraria dici potest (Verbum quippe Dei noverat) sed S. Justinus, S. Irenæus, Tertullianus, Origenes, S. Cyprianus, S. „ Firmilianus, Lactantius, Eusebius Cæsareensis, & „ inter Pontifices Joannes vigesimus-secundus viri fuerunt in Sacris Literis eruditissimi; Ergo sententia „ S. Justini, S. Irenæi, Lactantii, de millenario in „ terris Christi Regno; Tertulliani, qui potestatem remittendi peccata Ecclesiæ negat, & secundas nuptias „ ut adulteria damnat; Origenis, qui dæmonum hominumque damnatorum pœnas aliquando finiendas „ asseruit; S. Cypriani, qui collatum ab hæreticis Baptisma nullum esse propugnavit; Eusebii Cæsareensis, qui Filii Dei Majestatem imminuit; Joannis vigesimi-secundi qui Beatitudinem Sanctorum ad extremi usque Judicii diem differri censuit; aliorum „ denique virorum doctissimorum, qui in errores ab „ Ecclesia nunc damnatos inciderunt, sententiæ, Verbo Dei & cæterorum Patrum, Ecclesiæque doctrinæ non sunt contrariæ „. Hæc sane ratiocinatio Licentiato Lovaniensi digna.

XIV. Objicit, *Micrologum*, Lib. *De Ecclesiasticis Observationibus*, Cap. 14. *de Gregorio septimo* cujus

post

post obitum scribebat, dicentem: *Apostolicæ Sedi nostro tempore talem Deus Gubernatorem, reverendæ memoriæ Gregorium Papam imposuit, qui sub decem suis Antecessoribus, a puero Romæ nutritus & eruditus, omnes Apostolicas Traditiones diligentissime investigavit.* „ Si quæ ergo (inquit) Traditio fuit sibi facta adversa, Pontifex tam eruditus non ignoravit.

Gregorium septimum Traditiones omnes, quæ Sacros Liturgiæ ac Divinorum Officiorum ritus spectarent, diligenter investigasse, *Micrologus* asserit; de aliis minime loquitur, ut Libri, Capitisque argumentum, & sequentia verba probant. Liber *De Ecclesiasticis observationibus*. Caput 14. *De signis super Oblationem* inscribitur. Verba sequentia sic habent: *Nunc ergo Doctorem religione & auctoritate præcipuum, immo Apostolicam Traditionem per ipsum in consecrandis Mysteriis potissimum imitari decrevimus. Sicut nos ipsi per ipsum, & per Episcopos qui eum imitati sunt accepimus, imparem numerum semper in dispensatione signorum super oblationem servamus, videlicet unam Crucem, vel tres, vel quinque faciendo, & hoc utique non sine certi causa mysterii.* Quid hæc porro ad quæstionem de Auctoritate Sedis Apostolicæ in temporalia Regum?

XV. Præclaras Fratris *Denghien* ratiocinationes expendere pergamus. Pag. 192. probandum suscipit ex ultione divina in fautores *Henrici quarti* justam fuisse *Gregorii septimi* in eum Sententiam. Quomodo vero id probat? Ex *Lamberto Schafnaburgensi*, qui *Vuillelmi* Trajectensis Episcopi miserum obitum commemorat: tam tamen hic Historicus ne leviter quidem innuat, *Vuillelmum* divinam ultionem propterea expertum, quod Sententiam exauctorationis a *Gregorio septimo* in *Henricum* latam injustam censeret, eumque ut Regem nihilominus veneraretur, sed *Quod Regi ad omnia quæ perperam intendisset, operam suam summo annisu præbuisset, atque in spem gratiæ ejus Romano Pontifici graves contumelias faciens & prudens innocenti irrogasset: & quod inter Missas Sermonem faciens, derisorie, quod Rex excommunicatus esset, indicavit, sed hanc Excommunicationem nihil valere* (ut habet *Paulus Langius* in Chronico Citizensi.)

Ad hanc itaque formam revocetur Fratris *Denghien* argumentatio, ut ejus appareat insulsitas: „ Qui Deo „ vindice periit, quod Regi ad omnia, quæ contra fas „ voluerat, perperam intendisset, quod ipsi in Schis„ mate adhæsisset, quod Excommunicationem Sedis A„ postolicæ contempsisset ac irrisisset, quod innocenti „ Pontifici graves contumelias sciens & volens irrogas„ set, ille misere periit, quod exauctorationis Senten„ tiam a Gregorio septimo in Henricum Regem la„ tam nullam & irritam censuerit, ipsumque nihilo„ minus Regem agnoverit: Sed Vuillelmus Trajecten„ sis Episcopus misere periit, quod Regi ad omnia, „ quæ contra fas voluerat, perperam intendisset, quod „ ipsi in Schismate adhæsisset, quod Excommunicatio„ nem Sedis Apostolicæ contempsisset ac irrisisset, quod „ innocenti Pontifici graves contumelias sciens & vo„ lens irrogasset (ut Lambertus Scafnaburgensis & Pau„ lus Langius testantur,) ergo Vuillelmus Trajecten„ sis misere periit, quod Sententiam a Gregorio septi„ mo in Henricum latam nullam & irritam censue„ rit, ipsumque nihilominus Regem agnoverit." Quis non videat putidam hic fallaciam committi secundum non causam ut causam?

Sententiam exauctorationis a Gregorio septimo in Henricum Regem latam orbis Christianus non probavit.

XVI. Articulo 3. Assertione 3. pag. 214. demonstrandum sibi sumit Frater *Denghien*, quod Sententiam exauctorationis a *Gregorio septimo* in *Henricum* Regem latam orbis Christianus probaverit. Id conficere se putat 1. testimonio *Pauli Benriedensis* in vita *Gregorii septimi* referentis multos qui *partim Regalibus blanditiis, partim terroribus & minis contra Apostolicam Sedem conjuraverant, conversos postmodum digno in Regem Anathemate conscripsisse*. 2. Ex *Domnizone* Presbytero in Vita *Mathildis*, qui testatur Synodi Romanæ Episcopos *Gregorium septimum* adhortatos fuisse ad Sententiam in *Henricum* ferendam.

Omnibus excelso digitum clamantibus esse
Privari Regno Regem.

3. Ex *Mariano Scoto*, Lib. 3. Chronicorum ad annum 1075. scribente: *Gregorius septimus zelo Dei accensus, jam dictum Regem excommunicatum pronuntiavit, maxime propter Simoniam. Quod factum Catholicis quidem Viris bene placuit, Simoniacis vero & fautoribus Regis nimium displicuit, qui dicebant, Numquam esse auditum, Regem aliquando Excommunicationi subditum.*

4. Quod Sueviæ & Saxoniæ principes in Conventu Triburiensi concluserint, ut *Lambertus Scafnaburgensis* refert: *Quod si Rex ante diem anniversarium Excommunicationis suæ, suo præsertim vitio, Excommunicatione non absolvatur, absque retractatione in perpetuum causa ceciderit, nec Legibus deinceps Regnum repetere possit, quod Legibus ultra administrare, annuum passus Excommunicationem, non possit.* 5. Ex Electione *Rodulphi* a Sueviæ & Saxoniæ Principibus. 6. Ex Synodo Quintilineburgensi, in qua, teste *Bertoldo Constantiensi*, prolata sunt in medium *Decreta SS. Patrum de Primatu Sedis Apostolicæ, quod nulli umquam liceret ejus Judicium retractare, & de ejus judicio judicare, quod totius Synodi publica Professione laudatum & confirmatum est. Et hoc utique contra Henricianos, qui Fideles S. Petri constringere voluerunt, ut Excommunicationem Domini Papæ Gregorii super Henricum cum illis retractare præsumerent.* In cujus etiam Synodi fine *Sententia Anathematis cum ardentibus candelis promulgata est in Guibertum Hæresiarcham Sedis Apostolicæ invasorem, & in Apostatas S. Petri.* 7. Ex eo quod *Gregorii septimi* Successores *Victor Tertius, Urbanus Secundus, Paschalis Secundus Henricum & Guibertum Romanæ Ecclesiæ Invasorem cum omnibus fautoribus suis excommunicavunt, & contra invasores spiritualium Charismatum Decretum promulgarunt; & Schismatis auctores & sequaces Anathemate damnarunt*, omnemque hæresim, & præcipue eam quæ docebat, *Anathema contemnendum, & Ecclesiæ ligamenta spernenda*, ut testantur *Bertoldus Constantiensis*, & *Dodechinus* Abbas.

Insulsa F. Denghien ratiocinia.

Admirabiles Fratris *Denghien* ratiocinationes eo in Articulo involutas, in lucem proferre juvat, in septem syllogismos redactas.

„ 1. Qui Anathemati in Regem subscripserunt, pro„ baverunt Sententiam exauctorationis in eum latam „ (idem quippe est Excommunicatio, & Regni priva„ tio) Sed qui partim Regalibus blanditiis, partim „ terroribus & minis contra Sedem Apostolicam con„ juraverant, Anathemati in Regem subscripserunt „ (teste Paulo Benriedensi) & hi erant totus orbis „ Christianus: Ergo totus orbis Christianus Sententiam „ exauctorationis a Gregorio Septimo in Henricum Re„ gem latam approbavit.

„ 2. Quod Romana Synodus particularis conflata ex „ aliquot Episcopis Gregorio VII. addictis approbavit, „ totus orbis Christianus approbavit: sed Henrici Re„ gis exauctorationem approbavit Synodus Romana „ particularis, ex aliquot Episcopis Gregorii Septimi „ addictis conflata (teste Domnizone Presbytero) „ Ergo totus orbis Christianus exauctorationem Hen„ rici Regis approbavit.

„ 3. Excommunicatio Regis, maxime propter Si„ moniam, est privatio Regni: sed Excommunicatio „ Henrici Regis a Gregorio VII. maxime propter Si„ moniam, Catholicis viris bene placuit (teste Maria„ no Scoto): Ergo Sententiam exauctorationis in eum„ dem latam totus orbis Christianus probavit.

„ 4. Quod plerique Sueviæ & Saxoniæ Principes in „ Conventu Triburiensi concluserunt, totus orbis Chri„ stianus approbavit: sed plerique Sueviæ & Saxoniæ „ Principes exauctorationis Sententiam in Henricum „ Regem a Gregorio Septimo latam in Conventu Tri„ buriensi approbaverunt: Ergo totus orbis Christianus „ illam approbavit.

Major patet, „ quia plerique Sueviæ & Saxoniæ „ Principes erant totus orbis Christianus.

Probatur minor. „ Qui concluserunt quod si Rex „ intra annum ab Excommunicatione suo vitio non „ absolveretur, causa caderet, & Regnum repetere „ non posset, secundum Leges Imperiales, approba„ runt Sententiam exauctorationis a Gregorio Septimo „ in ipsum latam (idem est enim Legibus Imperii „ a Regni possessione cadere, & Pontificia Senten„ tia Regno privari), sed plerique Sueviæ & Sa„ xoniæ Principes concluserunt, quod si Rex intra „ annum ab Excommunicatione suo vitio non absol„ veretur, causa caderet, Regnumque repetere non „ posset (teste Lamberto Scafnaburgensi): Ergo Sen„ tentiam exauctorationis ab ipso in Gregorium latam „ approbarunt.

5. *Sueviæ & Saxoniæ Principes adversus Henricum Imperatorem perduelles erant totus orbis Christianus: sed Sueviæ & Saxoniæ Principes adversus Henricum Imperatorem perduelles Rodulphum in Imperatorem elegerant* (quamquam absque *Gregorii* consilio, & antequam ipse peremptoriam exauctorationis Sententiam in *Henricum* tulisset, ut ostendit *F. Alexander* Articulo 7. Dissertationis suæ) *Ergo totus orbis Christianus exauctorationis Sententiam a Gregorio Septimo in Henricum Imperatorem latam approbavit.*

6. *Qui pronuntiarunt Excommunicationem Henrici*

Regis a Gregorio Septimo latam, non esse retractandum, & Anathemate Guibertum Antipapam, cæterosque Schismaticos confixerunt, Sententiam privationis Regni in eumdem Regem a Pontifice latam approbarunt; Sed Synodus Quintilineburgensis, a Gregorii Septimi Legato ex paucis Episcopis ab Henrico Rege abalienatis conflata, pronuntiavit Excommunicationem Henrici Regis a Gregorio Septimo latam non esse retractandam, & Anathemate Guibertum Antipapam, cæterosque Schismaticos confixit (teste Bertholdo Constantiensi) & Synodus illa particularis totum orbem Christianum repræsentabat: Ergo totus orbis Christianus Sententiam privationis Regni in eumdem Regem a Summo Pontifice latam approbavit.

7. *Qui Guibertum Romanæ Sedis Invasorem, & Henricum Regem excommunicarunt, qui contra invasores spiritualium charismatum, id est, contra Laicos jus Investiturarum per Baculum Pastoralem & Annulum sibi arrogantes, & Clericos ab ipsis Episcopatum aut Abbatiam hac solemnitate accipientes, Decretum promulgarunt: qui Schismatis auctores & sequaces Anathemate damnarunt; qui Hæresim omnem, & eam præcipue quæ Excommunicationem contemnendam esse docebat, proscripserunt: hi Sententiam privationis Regni a Gregorio VII. in Henricum latam confirmarunt; Sed Victor III. Urbanus II. & Paschalis II. hæc omnia præstiterunt (ut Bertholdus & Dodechinus Abbas testantur) & istorum Pontificum Judicium totius Orbis Christiani judicium est: Ergo totus orbis Christianus Sententiam privationis Regni in Henricum Regem a Gregorio Septimo latam approbavit.*

Nemo qui Dialecticæ præceptis vel leviter imbutus est, & Scholasticæ Theologiæ limina salutavit, non videt harum argumentationum vitia & insulsitatem. Privatas Synodos ex Episcopis ab *Henrico* Rege abalienatis conflatas, tres aut quatuor Pontifices, nonnullos Principes in eumdem *Henricum* perduelles: & *Mathildem* Comitissam *Gregorii Septimi* filiam spiritualem, ipsique plane devotam, totum Orbem interpretatur: Excommunicationem cum Regni privatione perpetuo confundit: Eos omnes, qui Excommunicationem in Schismaticos, & in ipsum *Henricum* Schismatis Auctorem latam approbarunt, ejusdem exauctorationem approbasse colligit: Ex Potestate spirituali judicandi malos Reges, ipsisque pœnas aliquas infligendi, Romano Pontifici divinitus concessa, illum potestatem habere concludit auferendi ipsis Regna & bona temporalia, in pœnam hæreseos, aliorumve criminum: & id *Ottonem Bambergensem* Episcopum significasse comminiscitur, cum Sedem Apostolicam *Virgam directionis, virgam Regnorum, Pontificatuum, & omnium Potestatum in Ecclesia*, appellavit in Epistola ad *Paschalem* II. quid hoc est, nisi fallacia a dicto secundum quid ad dictum simpliciter, huic Scriptori familiaris?

X I. Nondum ineptarum Fratris *Denghien* ratiocinationum finis. Articulo 4. Assertione 4. pag. 332. Summi Pontificis Potestatem in temporalia Regum probat ex Potestate *pascendi* agnos & oves a Christo *S. Petro* & ejus Successoribus tradita. Sic (inquit) quidam aries, dux & caput reliqui gregis, qui furore quodam percitus, aut morbo afflictus, cæteras oves vel cornibus petat, vel tabe inficiat: „ Numquid & „ licebit nobis, & necesse erit, si Pastores boni esse „ volumus, hunc arietem de suo Principatu deponere, „ aliumque in ejus locum substituere? Quod autem „ in grege ovium est aries, hoc in magna hominum „ multitudine est Rex, aut quivis alius Magistratus, „ Pontifex igitur non minus dabit operam, ut regem „ qui populum Christianum falsa doctrina imbuit, a „ regimine populi removeat, quam Pastor operam dat, „ ut male affectum arietem de medio auferat.

Hoc argumentum quod arietis initar est Supremæ Regum Potestatis Impugnatoribus, ad hanc Formam redigo, ut ejus insulsitas ob omnium oculos ponatur.

„ Ita se habet Rex ad Populum Christianum sibi sub„ ditum, sicut aries ad gregem, Pontifex vero sicut „ Pastor: Sed Pastor arietem ovibus infestum, gregi„ que noxium, a grege arcere & removere potest: „ Ergo Summus Pontifex Regem saluti Christianæ ple„ bis, & Religioni Fideique Catholicæ contrarium, po„ test a grege Christiano arcere. Atqui non arcetur a „ grege Christiano, nisi Regno privetur: ergo Summus „ Pontifex Potestatem habet ipsum Regno privandi.

Ex hac Licentiati Lovaniensis argumentatione sequitur, Excommunicationem a grege Christi Reges non arcere: „ Rex enim & Magistratus, præcipui illi Do„ minici gregis arietes, ab ovili Christi non arcentur & „ removentur, nisi de suo Principatu aut Munere de„ ponantur, & alii in eorum locum substituant, *ut do*„ *cet F. DENGHIEN*: Sed quotiescumque excommu„ nicantur, non deponuntur e suo Principatu, aut Ma„ gistratu abdicantur: Ergo per Excommunicationem „ a Christi grege non arcentur. „ Non solum insulsa, sed hæretica hæc ratiocinatio, quæ tametsi non ea forma, certe eo sensu, esse videtur Licentiati Lovaniensis.

Rursus: „ Qui Auctoritatem habet Regem & Ma„ gistratum a grege Christi arcendi, ipsos deponere & „ abdicare potest: (*ex principiis F. Denghien*) Sed E„ piscopus auctoritatem habet Regem & Magistratum „ a grege Christi arcendi; siquidem ipsos excommuni„ candi potestatem habet, cum causa subest: Ergo E„ piscopus Regem exauctorare, & Magistratum abdica„ re potest. „ Quis consequentiam tam insulsam ferat?

Argumentationis ineptiam & vanitatem patefeci: falsitatem ejus ostendo luculentius, observando discrimen quod inter arietes irrationales & Reges intercedit. Illi enim ita sunt de grege, ut in omnibus Pastoris regimini subsint, neque ipsi alterius gregis Pastores sint designati. At Reges, quamvis quoad aliqua, nempe spiritualia, Pastori spirituali subdantur; quoad temporalia tamen sunt & ipsi supremi Domini, nec Pastorem spiritualem ut superiorem cognoscunt; sed alterius gregis, nempe Status Politici sunt a Deo Pastores constituti. Unde 1. Paralipomen. Cap. 11. dicitur de *Davide* Rege: *Tu pasces populum meum Israel, & tu eris Princeps super eum.* Et *Isaia* 43. dicit Dominus de *Cyro* Rege: *Qui dico Cyro, Pastor meus es.* Præterea oves rationis expertes, nulla prorsus habent arma, quibus arieti furioso resistere, nulla remedia quibus a contagione se tueri valeant. At spirituales oves armis spiritualibus sunt instructæ, quibus Principi ad hæresim aut ad vitia forte sollicitanti resistere, habent *Armaturam Dei, ut possint stare adversus insidias Diaboli, resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare, & omnia tela Nequissimi ignea extinguere, sumentes scutum fidei, galeam salutis, & gladium spiritus, quod est Verbum Dei per omnem orationem & obsecrationem orantes omni tempore in Spiritu.* Remedia ipsis a Deo præsto sunt, quibus ab hæreseos & aliorum criminum contagione se conservent, quæ ipsas nisi volentes inficere non potest. Quamobrem non est necessaria tanta Potestas in spirituali Pastore ad furiosum vel scabiosum arietem corporaliter & civiliter arcendum propter salutem Dominici gregis, quanta necessaria est Pastori pecudum ad oves inermes ab arietis furentis insultibus aut scabie infecti consortio liberandas. Unde perperam colligitur Summum Pontificem posse Regem suo Regno privare, & alium in ejus locum substituere; sicut Pastor ovium arietem ab ovili segregare, & a suo veluti Principatu deponere potest.

Ad Ephes. 6.

Accedit & aliud observatione dignissimum: Duplex nimirum est Pastorum genus: unum eorum qui suas, alterum eorum qui alienas oves pascunt. Hi Pastores sunt dumtaxat: illi Pastores ovium simul & Domini. Primi absolutam & supremam Potestatem habent in gregem; adeo ut si oves vel a grege errantes, vel scabie inquinatas aut alio quovis modo gregi noxias reperierint, illas aut recludere, aut si placuerit, etiam mactare possint. Quam tamen potestatem non habent qua Pastores, sed qua domini ovium. Aliis vero ovium quidem cura incumbit, sed angustioribus finibus circumscripta. Munus quidem illorum est convenienti pabulo ovibus providere; si a grege devient, voce, baculo, canibus revocare; si scabie aut alia contagione infectæ fuerint eas a reliquis separare & remedium opportunum quantocyus adhibere; denique a luporum, aliarumque ferarum incursibus, ab arietis furiosi cornibus in quantum possunt ac debent, eas incolumes servare. At oves erraticas, vel furiosum arietem inconsulto Domino e medio tollere & mactare non possunt. Porro Summus Pontifex Pastor est dumtaxat Dominici gregis, non Dominus: Non enim Christus *S. Petro* dixit: *Pasce oves tuas*, sed *Pasce oves meas*. Unde spirituales oves spirituali pabulo reficere, a noxiis pascuis, id est, pravis doctrinis abducere, si extra gregem evagentur, tum voce propria, tum canum, id est, Prædicatorum adhortationibus, atque etiam baculo pastorali, id est, reprehensionibus, ad ovile dominicum revocare; & ubi periculum est, ne gregem reliquum hæreseos aut criminis alterius contagione inficiant, ipsas ab ovili dominico per Excommunicationem arcere & segregare potest: sed bonis & Dignitatibus temporalibus eas privare non potest: maxime cum arietes dominici gregis, Reges scilicet ac Magistratus, Principatum ac Dignitatem suam a Spirituali Pasto-

Pastore non acceperint, sicut arietes gregis pecuniarii summi super oves gregis istius principatum u Pastore acceperunt, qui illos gragi udjunxit. Summus (inquam) Pontifex Reges non instituit, nec Regnis præposuit: Quamobrem nec illos exauctorare potest.

XVIII. Cavillationes omnes Fratris *Denghien* recensere me tædet. Pag. 544. Ex eo qood Regia Dominatio Jure Gentium introducta sit, Deo quidem auctore, sed non immediato, sicut Ecclasiastica Potestas, colligit Summum Pontificem eximere posse subditos a fidelitate & obedientia, *quam jura naturali & divina* ipsos Regi debere cum *S. Thoma* fatetur: Regiamque Potestatem a Deo immediata esse negat. „ Itaque „ (*inquit*) licet prohiberi nequeat, ne subditus manens „ talis suo Superiori obtemperet; potest nihilominus „ ab ejus Jurisdictione ad tempus vel in perpetuum „ justa de causa per Ecclesiam eximi, ac præcipue „ per Romanum Pontificem, ob plenitudinem „ in eo residentem Ecclesiasticæ potestatis.

Regia Potestas immediata a Deo.

Quot verba, pene tot errata; quot ratiocinationes, tot a recta tatione aberrationes; quot argumenta, tot sopbismata. Etsi Regia Potestas quodam sensu a Deo non sit immediate instituta, sed media hominum electione, qui publicam Potastatem in Republica residentem in unum transtulerunt, certum nihilominus est Politicam Potestatem in genera immediatam a Deo originem habere, qui homines in unam primum generis Societatem, & Rempublicam sub Adamo Principe coadunavit: dainde bumano genere propagato in varias Societates & Respublicas convenire voluit. Unde quamvis Juris sit Gentium quod in tota Republica, vel in Optimatibus ex selectis, vel in uno Principe, Rege, vel Imperatore, Politica Potastss resideat, idque val electione, vel successione; otque Regimen vel Democraticum sit, vel Aristocraticum, vel Monarchicum, vel Mixtum; Nihilominus juris naturalis ac diviui est, ut sit Suprema Potestas Politica, aui singula cujusque Reipublicæ membra ad ejusdem conservationem, ordinem, tranquillitatem, cæterasque otilitates parere teneaotur. Et ubi hæc Potestas in Regem transfusa est, nihilominus a Deo immediate est: eiqua uni in ordina temporalis regiminis subjicitur, sicut Potestas Ecclesiastica in ordine regiminis spiritualis. „ Omnis aoima (*inquit Apostolus*) Potestatibus „ sublimioribus subdita sit. Non est enim Potestas, „ nisi a Deo. Quæ autem sunt a Deo, ordinata sunt. „ Itaque qui resistit Potestati, Dei ordinationi resistit. „ Qui autem resistuut, ipsi sibi damnationem acquirunt „ .... Non sine causa gladium portat. Dei „ enim minister est, vindex in iram ei qui malum „ agit. Ideo enim & tributa præstaris: Ministri enim „ Dei sunt, in hoc ipsum serviantes. Reddite ergo „ omnibus debita: aui tributum, tributum: cui vectigsl, „ vectigal: cui timoram, timoram: cui honorem, „ honorem „ Sane qusmvis juris divini non sit ut hic vel ille homo sit Summus Pontifex sed media electiona, secundum formam ab Ecclesia præscriptam, illi Pontificia Potastas, quam Christus in Beato *Petro* instituit, & in Ecclesia perpetuam esse voluit, confe ratur: Nibilominus Pontifex electos Divino jure Summus ast universalis Ecclesiæ & omnium Fidelium Pastor & Rector, eodamqua Jure parere illi tenentur omnes & singuli qui Christiano nomine censentur. Ita quamvis hominum electione ac Reipublicæ arbitrio Reges primum constitutl sint, nec Divini sit Juris quod bic val ille Regiæ Potestatis apicem teneat: statim tamen ac aliquis vel electione, vel hæreditaria successione, aut Justa victoria, ad Regiam avectus ast Dignitarem, Divino Jura Summus est Regni sui & ditionum ei annexarum Dominus, Potestatem a Deo immediata habet, juxtu illud Sapieotiæ 6. *Data est a Domino Potestas vobis, & virtas ab Altissimo*: Eique uni in temporalibus subjicitur. Illi proinde naturali ac divino Jure subditi sunt, ac obedientism debent, quicumque Regni membra sunt: *Et solo Deo minor*, (ut *Tertullianus* ait) in ordine politico, & quoad temporalium administrationem illi soli subditus. illiqua uni ad rationem reddendam obnoxius, tam a Summo Pontifica deponi non potast, quam nec ipse Summum Pontificem deponendi jus habet. Sicut ergo ferendi non essent, qui assarerent, Imperatorem quidem & Reges non posse prohibera quin subditi sui Summo Pontifici obediant, quamdiu Pontifex manet: posse nihilominus ipsos ab ejus jurisdictione ad tampus val in perpetuum eximera; ita minime ferendus est qui asserit, Summum Pontificem, quamvis impedire non possit ne subditi, quamdiu tales manent, Regi obedite teneantur, posse nihilominus ab ejus jurisdictione illos eximere, vel ad tempus, vel in perpetuum.

Ad Rom. 13.

XIX. Exemplis evidentissimis hanc doctrinam illustro. Juris quidem naturalis non est ut homo sit alteri debitor, sed ex civilibus contractibus Jure Gentium institutis orta sunt debitorum nomina. Juris tamen naturalis ac divioi esse nemo negaverit, ut quis solvat debita; & propterea Summus Pontifex neminem a debitis solvendis eximere potest, quamvis habeat plenitudinem spiritualis Potestatis: quia Potestatem a Christo accepit remittendi peccata, non vero expungendi debita temporalia & civilia. Ita quamvis Juris Naturalis non sit ot homines Regem habeant, sed Juris Gentium: Juris tamen naturalis ac Divini est, ut Ragi super se constituto obediant: ideoque nec Summus Pontifex, nec ulla in tarris Potestas ipsos ab obedientia eximere potest. Non est Juris Naturalis aa Divini quod Monachi sint in Ecclesia, qui tribus solemnibos votis Deo consecrati sint, sed ex hominum sanctorum institutione id ortum habet. Juris nihilominus Naturalis ac Divini est, ut qui se Deo solemniter devoverunt, & publica vitæ Religiosæ Professione obstrinxerunt, vota Deo reddant, nec Summus Pontifex ipsos u voto absolvere potest, ut docet *S. Thomas*. Ita licat Jure Gentium Reges sint constituti, nihilominus Juris Naturalis ac Divini est ut constitutis supra sa Regibus pareant subditi: nec ipsos ab obedientiæ debito & fidelitatis Juramento Summus ipsa Pontifex absolvere potest. Danique sicot non potest solvere vinculum quo uxor viro, & vir oxoti, aut parentibus filii udstricti sunt, quia jus naturale ac divinum solvere non potest: ita nec vinculum quo subditi Regibus tenentur. Doctrina est Traditionis a *S. Jonna Chrysostomo* explicata Homilia 23. in Epistolam ad Romanos. *Iateren vero eas rationes quas commemeravi, non movis, sed eas quæ Potestatibus eu debito obedire jubeut, ostendeos, quod ista impereosur amnibas, & Sacerdotibus & Monachis, non solum fæcularibus: id quod statim in ipso exordio declarat, cum dicit*: Omnis anima Potestatibus supereminentibus subdita sit. *Etiamsi Apostolus sis, si Evangelista, si Propheta, sive qaisqais tandem sueris. Neqae enim pietatem subvertit ista subjectio. Et uon simpliciter dicit*, obediat, *sed*, subdita sit. *Est aatem prima constitutionis bujas justitia, quæ & fidelibus cogitationibus ac mentibus suit & decora & bonesta, amiram qaod a Deo ordinata sint ista*. Non enim est Potastas nisi a Deo. *Quid dicis? Omais ergo Princeps a Deo constitutus est? Istud (inquit) non dico. Neque enim de qaovis Principum mibi sermo nunc est, sed de ipsa re. Quod enim Principatus sunt, quod bi quidem imperent, isti vero subjecti sunt, quodque noa simpliciter ac temere cuncta ferantur, nec fluctuum instar popali huc atque illuc circumagatur, divinæ sapientiæ opus esse dico. Propterea non dicit*: „ Non enim Princeps est, nisi a Deo: *sed* „ *de re ipsa differit, dicens*, Non enim Potestas est, „ nisi a Deo. Quæ varo sunt Potestates, a Deo or„ dinatæ sunt. *Ita cam Sapientum quis dicit, quod a Deo conglatinetar mulier viro: noa aliud dicit, qaam Deum instituisse Nuptias, non qaod qaisqais mulieri utcumqae cobabitat, a Deo illi sit coajunctus. (Videmus eaim multos ia malo, aeu juxta Nuptiarum Leges simul commorantes: qaod tamen Deo utiqae non imputamas (sed quod Christus ipse dixit, qui hominem ab initio fecit*: „ Masculum & fœminam fecit „ eos: propterea relinquet homo patrem suum & „ matrem, & agglutinabitur uxori suæ. „ *Idem & Sapiens illo dixit: Quoniam eaim honoris ac eaaditionis æqualis pugnas ac dissidia plerumqae iadacit, multos fecit Principatas, multasque subjectiones: utpote viri & uxoris suæ, filii & patris, senis & adolescentis, servi & liberi, Principis & subditi, Præceptorisque & discipuli. Et quid miraris qaod ia hominibas istud fecit, qaando idem & in corpore nostro fecerit? Neque eaim bic paris honoris omnia fecit, sed boc quidem minus, istud vero melius; & bæc qaidem reliquis membris imperantia, ista vero subdita, &c. Postqaam itaque dixit, unde sint Principatus, subjungit*: „ Itaque quisquis resistit Potestati, Dei ordi„ nationi resistit. „ *Vide quo rem deduxerit, unde exorserit, & quomodo istud juxta debitam factum esse ostenderit. Etenim ne diceteat Fideles, Attcanas nos, contemptibilesque facis, qai cœlorum Regno potituri simus, dum Principibus subdis: ostendit quod boc faciens noa Principibus illos, sed Deo subjiciat. Illi siquidem obedit, qui Principibus subditus est. Sed ita non loquitur, nimirum quod Deo obedint qui Principibas morem gerit, sed per contrarium terret, atqae* idem

Secunda Secunda Quæst. 88. Art. 11.

Proverb. 19.

idem diligentius probat & exactius, dicens: Quod qui Potestati obediens non fuerit, Deo adversetur, qui ista ipsa constituerit. Atque hoc ubique probare satagit, nimirum quod non gratiam illis, sed debitum obediendo præstemus. Qui enim ita se habuerit, is & incredulos Magistratus magis ad pietatem attrahet, & Fideles ad obedientiam. Plurima quippe tum temporis circumferebatur fama traducens Apostolos veluti seditiosos, rerumque Novatores, qui omnia ad evertendum Leges communes, & facerent, & dicerent. Cum itaque ostendis communem nostrum Dominum istud omnibus suis præcipientem, & eorum, qui Christianas innovationis crimine traducebant, ora obstruis, & majori fiducia cum veritate sua dogmata tradis. Luculentius & explicatius asseri non potest, Deum Potestatem Politicam instituisse; vinculum quo subditi Principibus alligantur, naturalis ac divini juris esse; Christum obedientiam Principibus debitam sanxisse, ac non laicos dumtaxat, sed Clericos & Monachos, Apostolos ipsos, & eorum Successores teneri: nullam esse in terris Potestatem, quæ subditos a fidelitate & obedientia Regibus & Magistratibus debita absolvere possit; contrariam doctrinam invidiosam esse, & Principum Infidelium conversioni obicem ponere, ansam dare Hæreticis traducendi Romanos Pontifices *veluti seditiosos, rerumque Novatores, qui omnia ad evertendum Leges communes & faciant, & dicant*: sicut olim Apostolos traducebant & calumniabantur Ethnici. Ex his denique colligitur, optimum remedium ad Hæreticorum ora obstruenda esse assertionem ac prædicationem doctrinæ, quam Gallicana Ecclesia & Sacra Facultas Parisiensis propugnant, affirmantes, Doctrinam de Sedis Apostolicæ Potestate in temporalia Regum esse Verbo Dei contrariam, erroneam, temerariam, ad seditiones, & parricidia Principum excitantem.

Inanibus itaque ratiunculis, figmentisque pascatur Licentiatus Lovaniensis, & cum Scholasticis quibusdam effutiat Regiam Potestatem a Deo immediate non manare: Nos cum *Tertulliano* dicemus Apologetici c. 30. *Inde est Imperator, unde & homo antequam Imperator; inde Potestas illi, unde & spiritus.* An porro illis spiritus non immediate a Deo est? Dicemus cum *S. Augustino* Lib. 5. de Civitate Dei, cap. 21. *Qui Augusto Imperium dedit, ipse & Neroni: qui Vespasianis vel patri vel filio, suavissimis Imperatoribus, ipse & Domitiano crudelissimo.* Cum Ecclesiæ Gallicanæ Patribus in Concilio Parisiensi sub *Ludovico Pio* anno 829. congregatis, (Lib. 2. Cap. 5.) dicemus: „ Nemo Regum „ a Progenitoribus Regnum sibi administrari, sed a „ Deo veraciter atque humiliter credere debet dari, „ qui dicit: *Meum est consilium & æquitas, mea est* „ *prudentia, mea est fortitudo: Per me Reges regnant,* „ *& Legum Conditores justa decernunt: Per me Principes imperant, & Potentes justitiam decernunt.* Quod „ *autem non ab hominibus, sed a Deo Regnum terrenum* „ *tribuatur*, Daniel Propheta testatur dicens. (*Cap.* 4.) „ In Sententia vigilum decretum est, & sermo Sanctorum, & petitio, donec cognoscant viventes quod „ dominetur Excelsus in Regno hominum, & cuicumque voluerit, dabit illud, & humillimum hominem „ constituet super illud . . . . Hi vero qui a Progenitoribus succedere Regnum terrenum, & non potius „ a Deo dari putant, illis aptantur quos Dominus per „ Prophetam improbat dicens: *Ipsi regnaverunt, &* „ *non ex me; Principes extiterunt & non cognovi.* Ignorare quippe Dei proculdubio reprobare. Quapropter quisquis cæteris mortalibus temporaliter imperat, non ab hominibus, sed a Deo sibi commissum „ Regnum credat. “ Denique Frater *Denghien* Regiam Potestatem immediate a Deo esse negans, se e Sapientium numero non esse probat, judicio *Francisci Victoria* Dominicani, Doctoris Theologi Parisiensis & Professoris Salmanticensis, Relectione 3. „ De Potestate Civili, *Num.* 8. Ideo (*inquit ille*) nos cum omnibus „ Sapientibus melius dicimus, Monarchiam sive Regiam „ Potestatem non solum justam esse & legitimam, sed „ dico Reges etiam a Jure Divino & Naturali habere „ Potestatem, & non ab ipsa Republica, aut prorsus ab „ hominibus “. Et infra ubi Apostolica Oracula de obedientia Regibus debita attolit, scilicet ad *Romanos* 13. ad *Titum* 3. 1. ad *Timotheum* 2. 1. *Petri* 2. ita concludit: „ Videtur ergo quod Regia Potestas sit non a „ Republica, sed ab ipso Deo, ut Catholici Doctores „ sentiunt: Quamvis enim a Republica constituatur „ (creat enim Respublica Regem) non potestatem, sed „ propriam Auctoritatem in Regem transfert, nec sunt „ duæ Potestates, una Regia, altera Communitatis. „ Atque ideo, sicut Potestatem Reipublicæ a Deo, &

Proverb. 8. 15.

Osee 8. 4.

„ a Jure Naturali constitutam esse dicimus, idem prorsus de Regia Potestate dicamus necesse est: quod satis „ consonum Scripturæ videtur, consuetudinique, quæ „ Principes Dei Ministros, non Reipublicæ appellat. „ Apud Salomonem enim ait Deus: *Per me Reges Regnant.* Et Dominus Pilato respondit: *Non haberes Potestatem adversum me ullam, nisi tradita esset desuper*; id est de cœlo; Errare ergo videntur Auctores „ concedentes Reipublicæ Potestatem esse de Jure Divino, non autem Regiam Potestatem.

XX. Aliud erraticæ ratiocinationis specimen in Libello Fratris *Denghien* Scholastici nostrates observant. Pag. 542. & sequentibus probandum suscipit, Regibus maximi beneficii loco ducendum, quod Romano Pontifici in temporalibus (ut ipse contendit) subditi sint. Id probat primo ex *Valentiniano* Imperatore ad Mediolanenses scribente: „ Talem in Pontificali Sede constituere procuretis, „ cui & nos qui gubernamus Imperium sincere nostra capita submittamus, & ejus monita, cum tamquam homines deliquerimus, suscipiamus necessario velut medicamenta curantis. “ Quo ex testimonio præclaram illam argumentationem confici necesse est secundum mentem Licentiati Lovaniensis.

„ Illi subditus est Imperator in temporalibus, & ab „ eo deponi potest, cui caput submittit, & cujus monita necessario suscipit, velut spiritualia medicamenta: Sed Valentinianus caput submittere se debere ajebat Archiepiscopo Mediolanensi, & ejus monita suscipere velut spiritualia medicamenta: Ergo Valentinianus subditus erat in temporalibus Archiepiscopo „ Mediolanensi, & ab eo deponi poterat: Ergo multo „ magis a Summo Pontifice.

Simile ex eodem Principio conficiet argumentum Frater Denghien: „ Ille cui caput Rex Hispaniæ submittit, & cujus necessario suscipit monita si deliquerit, velut medicamenta salutis, ipsum Regno privare potest: „ Sed Rex Catholicus caput submittit Archiepiscopo Toletano; immo & Confessario suo, quem ex nostro Prædicatorum Ordine, pro more Decessorum Regum eligere dignata est sua Majestas, caput inclinat, & ab iis „ monita suscipit necessario si ut homo deliquerit, velut medicamenta curantium: Ergo Toletanus Archiepiscopus immo Confessarius Regis ipsum Regno privare possunt. Nemo præter Lovaniensem Licentiatum tam infusam ratiocinationem approbabit.

„ 2. Id beneficii agnovisse ait *S. Ludovicum* Francorum „ Regem in Documentis ante mortem suam *Philippo* „ filio scriptis: *Si devotus* (inquit) *& obediens Matri* „ *nostræ S. R. E., & Summo Pontifici tamquam patri* „ *spirituali*. Ex quo testimonio splendidum istud argumentum Lovaniensi Licentiato conficere licet.

„ Qui devotus & obediens R. E. & Summo Pontifici tamquam Patri spirituali esse debet, subditus est „ Summo Pontifici in temporalibus, & ab eo deponi potest: Atqui Reges devoti & obedientes esse debent „ R. E., & Summo Pontifici tamquam Patri spirituali: Ergo Reges subditi sunt Romano Pontifici in temporalibus, & ab eo deponi possunt.

3. Id Beneficii agnovisse ait *Ludovicum Duodecimum* (dicere *Undecimum* debuisset) cum ad *Pium* II. scripsit in hæc verba: „ Te Vicarium Dei viventis ea veneratione prosequimur, ut sacra, præsertim in Ecclesiasticis rebus, „ tua Monita velut vocem Pastoris audire, illisque parere, prompta mente velimus “. Ex quibus verbis nunc syllogismum adornare Lovaniensi Licentiato licet:

„ Qui Sacra Summi Pontificis monita, præsertim in „ Ecclesiasticis rebus, velut vocem Pastoris audire debet, illisque parere, illi subditus est in temporalibus, ab eoque suis bonis privari, suis exui Dignitatibus potest: Sed Rex sacra Summi Pontificis monita „ præsertim in Ecclesiasticis rebus velut vocem Pastoris audire debet, illisque parere (ut Ludovicus XI. „ profitetur): Ergo Rex Summo Pontifici in temporalibus subditus est, ab eoque potest Regno privari.

4. Id beneficii agnovisse ait *Protasium* Regem Armenorum in Epistola ad *Gregorium* XIII. scribentem, sibi in votis fuisse, ejus Sanctitati coram *humi stratum exhibere obedientiam & post pedum oscula beatorum, eosmet suo capiti superimponere*. Ex quo testimonio hanc ratiocinationem instruet Licentiatus Lovaniensis.

„ Quicumque Summi Pontificis pedes osculatur, in „ temporalibus illi subditus est: Sed Reges Summi Pontificis pedes osculantur: Ergo Reges Summo Pontifici in temporalibus subditi sunt. Igitur (*inquit*) Gregorii VII. doctrina Regibus aut Regnis periculosa non „ est; sed concessum ipsis cœlitus beneficium declarat “. Quid, quæso, his ratiocinationibus magis absonum? Quid rectæ rationi & bono sensui magis contrarium

trarium dici aut cogitari potest? Qui sic tamen ratiocinatur, *Auctoritatem Sedis Apostolicæ in Reges strenue ac poteater propugnat*, judicio *Reverendi admodum & eximii Patris Magistri VERU ACQUES* in Universitate Lovaniensi Sacræ Theologiæ Doctoris & Professoris. Qui sic ratiocinatur: *Doctrinam de Sedis Apostolicæ Auctoritate in Reges & Regna egregie illustrat, solide confirmat adversus Natalem Alexandrum*, judicio *Eruditissimi Viri NICOLAI DU BOIS* in Universitate Lovaniensi Sacrarum Literarum Professoris.

O quantum est in rebus inane!

ARTICULUS III.

Theologiæ Dogmaticæ sive Positivæ Professorum Judicium de Libello Fratris DENGHIEN.

I. QUi Theologiæ Dogmaticæ, quam Positivam appellari usus obtinuit, studia profitentur, Fratrem FRANCISCUM DENGHIEN in ea penitus hospitem & peregrinum censent: Sacram nimirum Scripturam in alienos sensus ipsum misere detorquere observant, Traditionis vero vel ipsam notionem ignorare. Articulo 4. Assertione 4. pag. 324. doctrinam de „ Sedis Apostolicæ & Ecclesiæ Potestate in temporalia Regum Verbo Dei omnino conformem asserit, „ & pro ea militare utriusque fœderis Sacras paginas: „ atque imprimis illud *Jeremiæ* 1. Cap. in persona ipsius Romano Antistiti dictum: *Constitui te super Gentes & Regna ut evellas & destruas, &c.* De Potestate Romani Pontificis in temporalia Regum, hunc locum qui explicat Regulam interpretandi Scripturas Sacras a Concilio Tridentino traditam se non intelligere, aut parvifacere comprobat. Decernit S. Synodus Sessione 4. „ Ut nemo suæ prudentiæ innixus in rebus fidei & „ morum ad ædificationem doctrinæ Christianæ pertinentium, Sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit, & tenet „ S. Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu „ & interpretatione Scripturarum Sanctarum, aut etiam „ contra unanimen consensum SS. Patrum, ipsam Sacram Scripturam interpretari audeat". Hunc vero *Jeremiæ* locum quem profert Licentiatus Lovaniensis, contra Veteris Ecclesiæ sensum, contra unanimem SS. Patrum sententiam, ipsum interpretari, perspicuum est vel ex eo quod Patrum & Tractatorum Ecclesiasticorum neminem, qui duodecim primis Ecclesiæ sæculis floruerit, laudare potuerit, qui locum illum de Romani Pontificis Potestate in temporalia Regum sit interpretatus. *Innocentium tertium* appellat, quem inter Sanctos Patres nemo numeraverit; nec tamen tam absonam interpretationem affert *Innocentius tertius*. Ex *Jeremiæ* verbis Pontifici Maximo accommodatis solum colligit, ipsum *sedere excelsiorem Regibus, & solium gloriæ tenere*; id est, Potestatem Pontificiam esse altioris ordinis quam Regum, cum spiritualis sit, & ad animas pertineat. Laudat secundo *Bonifacium octavum* in Extravaganti, *Unam Sanctam*, qui testimonium istud *Jeremiæ* de Potestate quidem Sedis Apostolicæ in temporalia Regum interpretatur, sed ex propria mente, & nullo SS. Patrum præeunte, adeoque contra Regulam exponendi Sacras Scripturas Ecclesiæ a Spiritu Sancto traditam. Extravagantem *Unam Sanctam* a *Clemente quinto* ita temperatam, ut quidquid in Regiæ Auctoritatis imminutionem *Bonifacius* decreverat, irritum sit, nullus dubitat Eruditus. Legantur quæ ea de re scripsimus Articulo 7. Dissertationis 9. in Historiam Ecclesiasticam 13. & 14. Sæculi. Laudat *Paulum tertium* in Bulla Excommunicationis *Henrici octavi* Regis Angliæ, qui *Jeremiæ* verba initio Diplomatis in eum dumtaxat finem profert, ut *præcipuum super omnes Reges universæ terræ cunctosque Populos obtinere* se *principatum*, id est Primatum, & summam in spiritualibus Auctoritatem significet. Usus enim obtinuit, ut quoties Summi Pontifices Auctoritatem suam exercent, eamdem in suarum Præfatione literarum commendent, antequam ad causam ipsam descendant. Et quamvis *Paulum tertium* in eumdem sensum *Jeremiæ* verba detorsisse detur, in quem *Bonifacius*; exploratum semper erit hunc sensum *Bonifaciani* ingenii inventum, non Ecclesiæ Veteris, non SS. Patrum interpretationem esse, novamque illam *Bonifacii octavi & Pauli tertii* expositionem a Theologis, qui regulam a Sacra Synodo Tridentina de Sanctæ Scripturæ interpretatione traditam religiose sequuntur non esse admittendam. Laudat denique Lovaniensis Licentiatus *B. Pium V.* in Diplomate adversus *Elisabetham* Angliæ Reginam. Sed *Pius V.* ex hoc loco nihil aliud elicit, quam Romanum Pontificem a Christo habere „ Plenitudinem Potestatis ad Ecclesiam gubernandam, ut fidelem populum mutuæ charitatis nexu constrictum in unitate „ Spiritus Sancti Dei contineat, salvumque & incolumem suo exhibeat Salvatori". Quid hæc vero ad Potestates exauctorandi Reges.

Jeremiæ Prophetæ locus de Romani Pontificis potestate in temporalia Regum inscite explicatur.

II. Jam vero quis sit hujus *Jeremiæ* loci legitimus sensus, ex Patribus, qui illum sunt commentati, manifestum est. Vel ad Prophetam ipsum, vel ad Christum, cujus figuram gereret, istud pertinet Oraculum; vel ad Evangelii Prædicatores & Prælatos refertur. Primus sensus literalis est, secundus allegoricus, tertius Moralis. Si de ipso Propheta intelligatur, sensus est ipsum a Deo constitui ut Gentium & Regnorum concursum adversus Judam vaticinetur, annuntiet, interminetur; ut adversa & prospera prædicat: ut si Judæi non resipuerint, nuntiet fore ut eos Deus evellat, destruat, perdat, ut dicit Cap. 45. v. 4. *Ecce quos ædificavi, ego destruo; & quos plantavi, ego evello.* Si resipuerint, fore ut Deus eos ædificet, & plantet, id est, bene eis faciat, ut ait Cap. 42. v. 10. „ Si quiescentes manseritis in terra hac, ædificabo vos & non destruam; plantabo, & non evellam: jam enim placatus sum super malo quod feci vobis". Si de Christo Propheticum Oraculum intelligatur, sensus est ipsum destruxisse Regnum diaboli, & Ecclesiam plantasse atque ædificasse. Si ad Prædicatores Evangelicos & Prælatos referatur, sensus est, ipsos ad vitia destruenda & evellenda, ad serendas & extruendas virtutes, a Christo missos & constitutos. Priores duas explicationes tradit *S. Hieronymus* in Commentariis. „ Considerandum (*inquit*) quod quatuor tristibus duo læta succedant. Neque enim ædificari poterant bona, nisi destructa essent mala: nec plantari optima, nisi eradicarentur pessima. Omnis enim plantatio, quam non „ plantavit Cælestis Pater, eradicabitur: & ædificatio „ quæ supra petram non habet fundamentum, sed in „ arena extructa est, sermone Dei suffoditur atque destruitur. Illam autem, quam construxit Jesus Spiritu „ oris sui; & destruet adventu præsentiæ suæ, omnem „ scilicet sacrilegam perversamque doctrinam disperdet „ in perpetuum. Porro ea quæ elevantur contra scientiam Dei, & in sua confidunt sapientia, quæ apud „ Deum stultitia est, dissipabit atque deponet, ut ædificentur pro his humilia, & in locum superiorum „ quæ destructa sunt & evulsa, extruantur atque plantentur quæ Ecclesiasticæ conveniunt veritati, & impleatur illud quod dicit Apostolus: *Dei ædificatio, Dei agricultura estis.* Multi hunc locum super persona Christi intelligunt. Jeremias enim interpretatur, Excelsus Domini, qui destruxit Regna diaboli, „ quæ sibi in montis ostenderat excelso, adversarias „ perdidit Potestates, delens chirographum errorum in „ Cruce. De quibus & in Psalmo post historiæ veritatem τροπικῶς loquitur": Quare fremuerunt gentes „ & populi meditati sunt inania? Astiterunt Reges Terræ & Principes convenerunt in unum. „ Pro his „ evulsis, destructis, perditis, & in inferiora detractis „ ædificatur atque plantatur Ecclesia Dei. Super Jeremiæ autem persona, nulla dubitatio est. Legimus „ enim in consequentibus, quod in manu accipiat calicem meri plenum, & propinare jubeatur cunctis in „ circuitu Nationibus.

1. Chorint. 3.

Ante *S. Hieronymum* hæc verba & de Christo, & de Jeremia intellexerat *Origenes* Homilia 1. in Jeremiam. *De Jeremia* (inquit) *difficilem faciunt interpretationem: quas enim gentes eradicavit Jeremias? Quæ regna subvertit, ut merito ei dictum sit?* Ecce constitui te hodie super gentes & super regna eradicare & suffodere? *Quam habuit potestatem ad disperdendam, ut audierit*: & disperdere? *Quænam vero ædificavit, ut consequenter addatur*, ædificare? *Jeremias dixit*: Non profui, neque mihi profuit aliquis: *& quomodo dura est ei ædificatio atque plantatio? Hæc, ut diximus, ad Salvatorem soluta non cunctant interpretantem. Jeremias enim in eis Salvatoris figura est.* At considerans *Origenes* ea, quæ sequuntur ad Christum referri non posse: *Et dixi: Quis es Dominator Domine? Ecce nescio loqui, quia juvenis ego sum*: Convenientius existimat ut de *Jeremia* cuncta exponantur. *Cuncta*, inquit, *ad Jeremiam referre tentabimus: hoc est & ea quæ cum majora sint, videntur conditionem ejus excedere. Quicumque a Deo accepit verba, sumens gratiam cœlestis eloquii idcirco ea accipit, ut regna gentesque eradicet atque subvertat. Sed cum nominentur Gentes & Regna, omnis qui divina verba suscipit, nolo ipsam corporaliter intelligere regna & gentes, sed considerans animas hominum regnatas a* pec-

Tom. 1. Edit. D. Huetii

peccato, juxta id quod in Apostolo scriptum est: Non regnet peccatum in vestro mortali corpore: (*Rom. 6. 12.*) „ Videns quoque multas species delictorum, allegorizet & regna & gentes per varia delicta, quæ humanas animas possederunt; & hæc erunt quæ evellentur & suffodientur a sermonibus Dei, qui dati sunt sive Jeremiæ, sive cæteris Sanctis: *Et infra*: Nec aliquis existimet triste quiddam Jeremiam recepisse, quia constitutus sit ad eradicationem regnorum & gentium. Bonitatis Dei istud est indicium eradicare vitia per sermones, inimica cœlestis regni regna destruere, & bellantes cum sua gente evertere nationes, eradicare, & subvertere. Est quædam ædificatio Zabuli, & est quædam ædificatio Dei. Quod super arenam extruitur, hoc Zabuli est: quod super petram ædificatur, hoc Dei est. Unde & his qui ejus sunt, dicitur: Dei agricultura, Dei ædificatio estis. (1. *Cor.* 3. 9.)

S. Joannes Chrysostomus in catena Græcorum Patrum super *Jeremiam* laudatus, quam ex Vaticana Bibliotheca eruit *Michael Ghislerius*, Romanus, Clericus Regularis, seu in Commentario Græco, quem MS. in Bibliotheca Altaempsiana vidit, legit, contulitque idem Auctor, ut ipse testatur in suorum Commentariorum Præfatione, hoc *Jeremiæ* vaticinium omnium ejus vaticiniorum compendium quoddam vocat, quo Judæorum adversa & prospera prænuntiet. *Quæ prophetare debet* (inquit) *compendio quodam proponit*, (Eradicare) *a civitate nempe exire*. (Effodere) *Templum everti*. (Dissolvere) *Multitudinem necari*. (Disperdere) *Domesticos interimi*. (Reædificare) *Revocari*. (Transplantare) *Post reditum tuto terram incolere*.

Victor Presbyter in eadem Catena non absimili modo hunc locum interpretatur: *Eradicare dicitur Propheta, dum eradicationem prophetat, & contra; ut eradicavit regnum Babylonis, & iterum dissipavit regnum Nechaoni, Pharaonis, cæterorumque adversus quos prophetavit.* Et post pauca: „ *Plantavit gentes, ædificavit cum diceret: Ad te gentes venient ab extremis terræ, & dicent: Falsa quæsierunt Patres nostri Idola, & non est in eis utilitas.*

B. Theodoretus Episcopus Cyri in Commentario ad illa verba cap. 1. „ *Ecce dedi verba mea in os tuum*: „ sic exponit: *Et decet quæ sunt verba*: Ecce constitui te hodie super gentes, & regna ut eradices, & evellas, & disperdas, & destruas, & reædifices, & plantes. *Prophetavit enim non solum Judæorum captivitatem, sed etiam præstitam a Cyro libertatem. Prophetavit item & aliis plerisque Nationibus, non tantum calamitates omnimodas, sed & salutem per Incarnationem Christi Domini donatam. Quapropter eradicare & destruere dixit de tristibus, reædificare vero & plantare de contrariis.*

S. Gregorius Magnus 3. Parte Pastoralis, Admonitione 35. ita hunc locum tractat: *Jeremiæ misso ad Prædicationem dicitur*: „ Ecce constitui te hodie super gentes & super regna, ut evellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices & plantes. *Quia nisi prius perversa destrueret, ædificare recta utiliter non posset: nisi ab auditorum suorum cordibus spinas vani amoris evelleret, nimirum frustra in eis sanctæ prædicationis verba plantaret.*

Rabanus Maurus interpretationes *Origenis* & *S. Hieronymi* conjungit, & suas facit.

S. Bernardus lib. 2. De Consideratione ad Eugenium Papam, cap. 4. sic ipsum alloquitur: *Factum te Superiorem dissimulare nequimus; sed enim ad quid omnimodis attendendum? Non enim ad dominandum aptior. Nam & Propheta cum similiter levaretur, audivit*: Ut evellas & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices & plantes. *Quid horum fastum sonat? Rusticani magis sudoris schemate quodam labor spiritualis expressus est. Et nos ergo ut multum sentiamus de nobis, impositum senserimus Ministerium, non Dominium datum ..... Disce exemplo prophetico præsidere, non tam ad imperitandum, quam ad factitandum quod tempus requirit: Disce sarculo tibi opus esse, non sceptro, ut opus facias Prophetæ. Et quidem ille non regnaturus ascendit, sed extirpaturus.*

Ex his liquido constat, Fratrem *DENGHIEN Jeremiæ* locum ad sensum contorquere, & contra sensum Ecclesiæ, ac unanimem sensum SS. Patrum illum interpretari, cum de Sedis Apostolicæ Potestate in temporalia Regum Prophetæ verba explicat, Tridentini Decreti ad coercenda *petulantia ingenia* Sess. 4. editi prævaricatorem esse, adeoque *pœnis a Jure statutis* (ut eadem Synodus edicit) puniendum. Recentiorum Interpretum non minus quam Veterum Patrum suffragio & auctoritate ejus expositio destituta est. *Hugonis a S. Carolo* Cardinalis ex nostro FF. Prædicatorum Ordine assumpti, *Thomæ Malvenda*, ejusdem Ordinis, *Maldonati* & *Sanctii* Societatis Jesu, *Ghislerii* Clerici Regularis, aliorumque Commentatorum Catholicorum Expositiones legi possunt, quæ ex antiquis Patribus expressæ. Lovaniensis Licentiati commento nullatenus favent. His adde præstantissimum ex Ordine nostro Theologum & in Sacra Facultate Parisiensi Doctorem, *Joannem de Parisiis*, in excellenti Libro *De Potestate Regia & Papali*, cap. 20. cujus a me laudata Responsio est ad objectionem ex hoc *Jeremiæ* loco factam, Dissertatione 9. in Historiam Ecclesiasticam Sæculi 13. & 14. Articulo 11. num. 13. pag. 312.

Christi Sententia Quæcumque ligaveris, &c. Romani Pontificis Potestatem in Regum temporalia non probat.

II. *Gregorii* VII. doctrinam de Romani Pontificis Potestate in temporalia Regum confirmari ait Frater *Denghien* divino Oraculo, Matthæi 16. *Quæcumque ligaveris super terram, erunt ligata & in cælis, & quæcumque solveris super terram, erunt soluta & in cælis*. Quomodo vero id probat? Ex ipsomet *Gregorio* VII. cujus factum, doctrina, interpretatio in controversiam veniunt; ex *Innocentii* IV Sententia contra *Fridericum* II. Imperatorem in Concilio Lugdunensi 1. quam a solo Pontifice, non ab ipso Concilio latam probavi Dissertatione 5. in Historiam 13. & 14. Sæculi, Articulo 3. quam ne quidem attigit Licentiatus Lovaniensis, uti nec Articulum 3. Dissertationis 2. in quo Lateranensis Concilii 4. Canonem tertium indirectam in temporalia Regum & Principum Supremorum Potestatem Ecclesiæ vel Romano Pontifici non tribuere demonstravi. Lateranense tamen & Lugdunense Concilium pro sui erroris defensione laudat *F. Denghien* nulla illarum Dissertationum, argumentorumque nostrorum mentione facta, quia apud *Baronium*, *Bellarminum*, & *Sanderum*, non invenit quid ad illa reponeret. *Innocentius* quidem *Quartus* in sua contra *Fridericum* II. Sententia, se *Jesu Christi vices in terris tenere, sibique in Beati Petri Apostoli persona dictum* præfatur: *Quodcumque ligaveris super terram, &c.* Sed hæc ad Primatum Romani Pontificis confirmandum tantum valent, quem deinde ultra fines a Christo constitutos extendit, Imperatorem exauctorando. Cæterum etsi divinum illud Oraculum *Innocentius* IV. de Potestate Sedis Apostolicæ in temporalia Regum intellexerit, inde colligere non potuit *F. Denghien* absque crassa Scripturæ Sacræ & Traditionis ignorantia, hunc esse legitimum verborum illorum sensum: cum ex Græcorum Latinorumque Patrum unanimi consensu, quorum loca indicavi Articulo 10. Dissertationis meæ pag. 353. & 354. & ex Ecclesiæ publicis precibus constet, de solis peccatis & censuris intelligendam esse illam Christi Sententiam, ligandi & solvendi Potestatem *S. Petro*, & in ipso omnibus Pontificibus tribuentis. Quis vero judicii non penitus inops, aut qui vel Traditionis definitionem non ignoraverit, asserat eam explicationem Scripturæ ac Traditioni consentaneam esse, & secundum unanimem consensum Sanctorum Patrum, eumque sensum quem tenuit & tenet Sancta Mater Ecclesia, quam nemo Patrum, nemo veterum Pontificum, ante *Gregorium* VII. tradidit? *Tertullianum* audire juvat Libro De Præscriptionibus Hæreticorum Cap. 31. „ Sed ab excessu revertar ad principalitatem veritatis, & posteritatem mendacitatis disputandam, ex illius quoque Parabolæ patrocinio quæ bonum semen frumenti a Domino seminatum in primore constituit, avenarum autem sterilis fœni adulterum ab inimico diabolo postea superducit. Proprie enim doctrinarum distinctionem figurat, quia & alibi Verbum Dei seminis similitudo est. Ita ex ipso ordine manifestatur, id esse dominicum & verum, quod sit prius traditum: id autem extraneum & falsum, quod sit posterius immissum „. Porro interpretatio divini Oraculi, *Quodcumque solveris, &c.* de Potestate ligandi & solvendi animas, ligandi, (inquam) per Censuras & pœnas satisfactorias, solvendi per Absolutionem Sacramentalem & Indulgentias, prius tradita est, ab Origene scilicet, SS. Cypriano, Hilario, Paciano, Ambrosio, Amphilochio, Joanne Chrysostomo, Hieronymo, Augustino, Leone, Gregorio Magno, Venerabili Beda, S. Bernardo, aliisque Patribus, quos in Dissertatione mea laudavi, & quorum loca indigitavi: a *Paulo* I. Pontifice Maximo Epistola 10. ad Proceres Francorum scribente: *Firmum quippe Beatissimum Petrum Apostolorum Principem, cui a Redemptore nostro ligandi solvendique peccata in cœlo & in terra concessa est potestas, adepti estis protectorem*: Ab *Hadriano* I. in Epistola 1. ad *Carolum Magnum* de *B. Petro* scribente: *Cui Claves Regni cœlorum ab omnium Opifice, facinorum nexus solvendi similque ligandi est attributa facultas*: Sola ab Ec-

clesia

clesia recepta est hæc expositio 11. sæculorum spetio & post *S. Gregorium* hanc eb eo præscriptam Oretionem in Festo *Cathedræ S. Petri* recitandam; *Deus qui Beato Petro Apostolo tuo collatis clavibus Regni cælestis ligandi atque solvendi animas Pontificium tradidisti, &c.* Hanc (inquam) interpretationem solam legitimam se credere ipso usu comprobavit Ecclesia. *Legem enim credendi lex statuit supplicandi*: ut scribebat olim *Celestinus* I. ad Episcopos Galliæ. Illa igitur interpretatio sola censende est dominice & vera. Quæ vero de indirecte Potestate Sedis Apostolicæ in temporalia Regum & de Auctoritate absolvendi eorum subditos a vinculo juramenti, fidelitatis, & obedientiæ ipsis debitæ, Christi verba exponit, posterius immissa est e *Gregorio* VII. & eb aliis quibusdem recentioris ævi propugnata. Ea igitur interpretatio extranea est & falsa. *Vincentium* quoque *Lirinensem* in Commonitorio eudire præstat; (*Cap.* 3.) „ In ipsa (*inquit*)
„ Catholica Ecclesia magnopere curandum est, ut id
„ teneamus quod ubique, quod semper, quod eb omni-
„ bus creditum est: boc est etenim vere proprieque
„ Catholicum ..... Sed hoc ita demum fiet, si se-
„ quamur universitatem, antiquitatem, consensionem.
„ (*Cap.* 4.) *Det operam Catholicus Doctor necesse est*,
„ Ut collatas inter se Majorum consulat, interroget-
„ que Sententias eorum dumtaxat, qui diversis licet
„ temporibus & locis, in unius tamen Ecclesiæ Ca-
„ tholicæ communione & fide permanentes, Magistri
„ probabiles extiterunt; & quidquid non unus aut duo
„ tantum, sed omnes pariter uno eodemque consensu
„ aperte, frequenter, perseveranter, tenuisse, scripsis-
„ se, docuisse cognoverit, id sibi quoque intelligat
„ absque ulla dubitatione credendum . . . (*Cap.* 3.)
„ Quidquid vero quamvis ille sanctus & doctus, quam-
„ vis Episcopus, quamvis Confessor & Martyr præter
„ omnes, aut etiam contra omnes senserit, id inter
„ proprias & occultas & privatas opiniunculas a com-
„ munis publicæ & generalis sententiæ auctoritate se-
„ cretum sit, nec cum summo salutis æternæ periculo
„ juxta sacrilegam Hæreticorum & Schismaticorum
„ consuetudinem, universalis Dogmatis veritate dimis-
„ sa, unius hominis novitium sectemur errorem „.
An, quæso, interpretatio horum Christi verborum, *Quodcumque ligaveris &c. a Gregorio Septimo & Bonifacio Octavo* de Romani Pontificis Potestate in temporalia Regum, præter omnes & contra omnes duodecim priorum sæculorum Patres tradita, ubique, semper & eb omnibus credita est? An *Gregorius* VII. & *Bonifacius* VIII. in divini hujus oraculi expositione secuti sunt universitatem, antiquitatem, consensionem? An efferuerunt quod Patres uno eodemque consensu, aperte, frequenter, perseveranter tenuerunt, docuerunt, scripserunt? Nullum certe ante *Gregorium* VII. hujus interpretationis Auctorem efferre potest Licentiatus Lovaniensis. Erret igitur ipse, & errantes sequitur alios recentiores Theologos, *dum juxta Hæreticorum & Schismaticorum consuetudinem, universalis Dogmatis antiqua veritate dimissa, unius hominis novitium sectentur errorem*. His edde, quod sicut *Sancto Petro* Christus dixit: *Quodcumque ligaveris super terram, &c.* sic omnibus Apostolis, & in eorum persona Successoribus Episcopis dixit: *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in Cælo: & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in Cælo*. Nemo tamen ex hoc loco umquem collegit, Episcopis indirectam in temporalia Regum auctoritatem convenire.

III. Expressum Domini testimonium pro *Gregorii* VII. sententia *Joannis* XXI. Cap. aetate ait F. *Denghien*, ubi gregem suum *Petro*, ac ejus Successoribus Romanis Pontificibus commendans, dixit: *Pasce oves meas, pasce agnos meos*. Scilicet *Pasce agnos* idem est Lovaniensi Licentiato, ac *Depone Reges*. Hæc verba *S. Petro* in persona Ecclesiæ dicta in hunc sensum Veterum Patrum & Tractatorum Ecclesiasticorum flexisse neminem compertum est iis, qui in eorum lectione sunt versati. Hunc locum exponunt Clerus Romanus in Epist. ad *S. Cyprianum* de Lapsorum causa, *S. Cyprianus* lib. *De Unitate Ecclesiæ*, *Origenes* in cap. 6. Epist. ad Romanos, *S. Ambrosius* lib. 10. in Lucam ad cap. 24. *S. Joannes Chrysostomus* Homilia 77. in Evangelium S. Joannis & Homilia 79. in S. Matthæum, *S. Hieronymus* lib. 17. in Isaiam, Cap. 62. & lib. 18. cap. 63. *S. Augustinus* Tractatu 123. in Joannem, *S. Cyrillus Alexandrinus* in Cap. 21. S. Joannis Lib. 12. Commentariorum, *S. Leo* Sermone 2. in Natali Apostolorum Petri & Pauli, *S. Basilius Seleuciensis* Oratione 28. *S. Eucherius*, seu alius Auctor Sermonum *Eusebio Emisseno* adscriptorum, Sermone de Natali SS. Apostolorum Petri, & Pauli, *S. Maximus Taurinensis* Sermone in eodem Festo, *S. Gregorius Magnus* Epist. 32. Lib. 4. ad *Mauritium* Imperatorem dare, *S. Paterius* Lib. 2. in Evangelium S. Joannis, Cap. 58. Venerabilis *Beda* in Cap. 21. S. Joannis, *S. Bernardus* Lib. 2. de Consideratione, Cap. 8. Horum vero Patrum nemini venit in mentem hæc interpretatio de Potestate indirecta Romani Pontificis in temporalia Regum. Hunc tamen locum sic exponere Fratri *Denghien* non modo placet, sed expressum asserere pro *Gregorii* VII. sententia, & hanc expositionem non esse contra unanimem SS. Patrum consensum, & contra eum sensum quem tenuit & tenet Sancta Mater Ecclesia; quia sic exposuerunt Eminentissimus Cardinalis *Baronius ad annum* 800. *Num.* 15. & 16. & *Nicolaus Sanderus* lib. 2. de Visibili Monarchia cap. 4. *O Timothee* (inquit Apostolus) *depositum custodi, devita profanas vocum novitates*. (1. ad *Timoth.* 6.) Sacerdotes & Doctores in *Timothei* persona alloquitur, eosque ad Catholicæ doctrinæ depositum servandum hortatur; *Quid vero est depositum*? Respondet *Vincentius Lirinensis* Cap. 27. Commonitorii: *Id est, quod tibi creditum est, non quod a te inventum, quod accepisti, non quod excogitasti; rem non ingenii, sed doctrinæ; non usurpationis privatæ sed publicæ Traditionis, rem ad te perductam, non a te prolatam, in qua non auctor debes esse, sed custos; non institutor, sed sectator; non ducens, sed sequens*. Num vero id de expositione *Baronii & Sanderi* dici potest, quorum se pedissequum Licentiatus Lovaniensis, non SS. Patrum discipulum demonstrat? Adde, quod hæc Christi verba singulos etiam Episcopos spectare, non Romanum dumtaxat Pontificem, *S. Chrysostomus* & *S. Augustinus* docent, Ille Homilia 78. in Matthæum; Iste Libro de Agone Christiano, Cap. 30. *Amas me Petre? Pasce oves meas.... QUOD non ad Sacerdotes solummodo dictum est, verum etiam ad singulos nostrum, quibus vel minimus grex commissus esse videtur* (inquit S. Chrysostomus) *Hæc Ecclesia claves Regni Cælorum datæ sunt cum Petro datæ sunt, & cum ei dicitur, ad omnes dicitur: Amas me? Pasce oves meas* (inquit S. Augustinus.) His duobus & alii Patres suffragentur. Quis tamen inde colligat indirectam Episcoporum Potestatem in temporalia Regum!

Fratris *Denghien* confidentiam quis non miretur? (*pag.* 573.) *Sensus* (inquit) *verborum Christi*, Quæcumque ligaveris, &c. *quem Natalis prætendit, Patribus incognitus & peregrinus est. Ex bis nibilominus bic Auctor non erubescit concludere*: Quæ cum ita sint, verba illa
„ Christi, *Quodcumque ligaveris, &c.* de Potestate ab-
„ solvendi subditos a Sacramento fidelitatis, quo Regi
„ sunt adstricti, intelligi non debent, & qui sic intel-
„ ligeret aut exponeret, peccaret contra Decretum Sy-
„ nodi Tridentinæ, &c.

Sensus verborum Christi, *Quæcumque ligaveris*, quem protuli, is est: concessam a Christo Beato *Petro*, in eoque omnibus ejus Successoribus, & Episcopis, atque Sacerdotibus, potestatem ligandi & solvendi animas; ligandi quidem tum per Censuras Ecclesiasticas, tum per satisfactiones in Pœnitentiæ foro impositas; solvendi per Absolutionem sive Canonicam, sive Sacramentalem. Unde ex illis verbis, Pœnitentiæ Sacramentum, & absolvendi Potestas Sacerdotibus a Christo data, & Confessionis Jure Divino necessitas, contra Hæreticos demonstrentur, sicut & ex aliis Christi verbis: Joannis 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt*: Utriusque enim loci eumdem esse sensum SS. Patres & Sancta Synodus Tridentina docent. Patrum loca in Dissertatione mea laudavi. Concilii Tridentini verba subjicio. Sess. 14. De Pœnitentia, Cap. 1. sic habet. „ Dominus Sacra-
„ mentum Pœnitentiæ tunc præcipue instituit, cum a
„ mortuis excitatus insufflavit in Discipulos suos, dicens:
„ *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata,*
„ *remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt*.
„ Quo tam insigni facto, & verbis tam perspicuis, Pote-
„ statem remittendi & retinendi peccata, ad reconcilian-
„ dos Fideles post Baptismum lapsos, Apostolis & eorum
„ legitimis Successoribus fuisse communicatam, universo-
„ rum Patrum sensus semper intellexit. Quare verissi-
„ mum hunc illorum verborum Domini sensum Sancta
„ hæc Synodus probans & recipiens, damnat commenti-
„ tias eorum interpretationes, &c. *Cap.* 6. Ex institutione
„ Sacramenti Pœnitentiæ jam explicata, universa Eccle-
„ sia semper intellexit, institutam etiam esse a Domino in-
„ tegram peccatorum Confessionem, & omnibus post Ba-
„ ptismum lapsis Jure Divino necessariam existere: quia
„ Dominus noster Jesus Christus e terris ascensurus ad
„ Cælos, Sacerdotes sui ipsius Vicarios reliquit tamquam
„ Præsides & Judices, ad quos omnia mortalia crimina
„ deferantur, in quæ Christi Fideles ceciderint; quo-

„ pro

„ pro Potestate clavium, remissionis aut retentionis peccatorum Sententiam pronuntient. *Cap. 6.* Circa Ministrum autem hujus Sacramenti, declarat Sancta Synodus falsas esse, & a veritate Evangelii penitus alienas doctrinas omnes, quæ ad alios quosvis homines præter Episcopos & Sacerdotes, clavium ministerium perniciose extendunt, putantes verba illa Domini: *Quæcumque ligaveritis super terram, erunt alligata & in Cælo; & quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt;* ad omnes Christi Fideles indifferenter & promiscue contra institutionem hujus Sacramenti, ita fuisse dicta, ut quivis potestatem habeat remittendi peccata; publica quidem per correptionem, si correptus acquieverit, secreta vero per spontaneam Confessionem cuicumque factam. *Cap. 8.* Habeant autem præ oculis, ut satisfactio quam imponunt, non sit tantum ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & castigationem: nam Claves Sacerdotum non ad solvendum dumtaxat, sed & ad ligandum concessas, antiqui Patres & credunt & docent, &c. *Canone* 10. Si quis dixerit, Sacerdotes qui in peccato mortali sunt, Potestatem ligandi & solvendi non habere; aut non solos Sacerdotes esse Ministros Absolutionis, sed omnibus & singulis Christi Fidelibus esse dictum: *Quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo: & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo; & quorum remiseritis, peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt:* quorum verborum virtute quilibet absolvere possit peccata; publica quidem per correptionem dumtaxat, si correptus acquieverit: secreta vero per spontaneam Confessionem, Anathama sit . . . „ Hunc sensum *Patribus incognitum & peregrinum* qui asseruerit, (ut asserit Frater *Denghien*) necesse est censeat, Sacram Synodum Tridentinam contra Regulam a se ipsa traditam & commendatam, de Scriptura Sacra contra unanimem sensum SS. Patrum non explicanda, peccasse, sensumque verborum Christi *Patribus incognitum & peregrinum* Ecclesiæ obtrusisse, quæ propositio hæresim sapit.

At (Inquit) Potestatem ligandi & solvendi Sacra Synodus ad spiritualia non restringit; non negat quin Christi verba de Potestate deponendi Reges intelligantur. Digna Licentiato Lovaniensi Responsio! Quasi vero sensus literalis Scripturæ Sacræ unanimi Patrum consensu traditus & explicatus, adeoque ab Apostolis & a Christo acceptus, ab Ecclesia in Synodo œcumenica velut Dogma Fidei declaratus, cæteros sensus velut peregrinos & falsos non excludat. Si enim hæc responsio ferenda sit, quidni eodem jure dicere liceat, Sacram Synodum Tridentinam non negare, quin illa Christi verba, *Quæcumque solveritis, &c.* intelligantur etiam de potestate solvendi conjugia rite ac legitime contracta & consummata; de potestate expungendi quæcumque debita civilia, & quoslibet contractus irritos faciendi; de potestate absolvendi e votis solemnibus legitime nuncupatis, quam Summo etiam Pontifici negat *S. Thomas*. In promptu enim erit ut dicatur: SS. Patres & Sacra Synodus Tridentina hunc sensum non excludunt. Non erubesco, Charissime Frater DENGHIEN, nec erubescam umquam asserere verba illa Christi: *Quodcumque ligaveris, &c.* perperam, falso, erronee, temere explicari de potestate absolvendi subditos a vinculo fidei & obedientiæ, quo Regibus sunt obstricti, quia non erubesco Evangelium Dei, non erubesco sermones Christi.

IV. At (inquit *F. Denghien*) Ecclesia in Solemnitate *S. Petri* canere consuevit, *Tu es Pastor ovium, Princeps Apostolorum, tibi tradidit Deus omnia Regna Mundi*: Ergo Summus Pontifex Potestatem habet indirectam in temporalia Regum.

Breviarium felicius quam Scripturæ Sacræ laudata superius testimonia non interpretatur Licentiatus Lovaniensis. Christum omnia Regna Mundi *S. Petro* tradidisse canit Ecclesia, ut ea in spiritualibus gubernaret, non ut iis temporaliter dominaretur, & a possessoribus legitimis auferret; at per totum orbem homines a peccatorum vinculis, non a fide & obedientia Regibus debita solveret: unde eamdem Ecclesiam canit: *Jam bone Pastor, Petre, clemens accipe vota precantum, & peccati vincula resolve tibi potestate tradita, qua cunctis cælum verbo claudis, aperis.*

Clementina pastoralis explicatur.

V. *Clementem V.* commentorum suorum testem advocat Lib. 2. Clementinarum Tit. 11. Cap. 2. eumque superiores illas, non dicam expositiones, sed interpolationes verborum Christi suo facto probasse confidenter asserit, quia Sententiam ab *Henrico* Imperatore in *Robertum* Siciliæ Regem latam *irritavit*, Constitutione ea de re edita, ac loco citato inserta.

Clementinam, *Pastoralis*, vel pro sua diligentia totam non legit *F. Denghien*, vel pro sua perspicacia non intellexit, vel pro sua ingenuitate dissimulandum duxit *Clementem V.* Sententiam illam rescidisse, quia lata erat a non Judice, cum *Robertus* Siciliæ Rex, Sedis Apostolicæ Feudatarius, a Romano dumtaxat Pontifice judicari & Regno privari posset; nec ab Imperatore in jus vocari ratione feudorum quæ ab Imperio tenebat, nisi Summus Pontifex, in cujus fiduciaria ditione morabatur, ipsum ad Augustini tribunal rogatus remitteret. „ Nos quoque (*inquit*) Regis ordinarius „ Judex, quod ad Imperatoris Judicium citaremus, „ vel citari aut remitti faceremus eumdem, nequaquam fuimus requisiti: immo licet ad Nos & Curiam nostram temporibus illis rumores frequenter de Curia Imperatoris venirent, & juxta eum etiam quidam ex Fratribus nostris essent, prius tamen dictæ Sententiæ promulgatio, quam aliquid de Processibus antecedentibus ad audientiam nostram pervenit . . . Rursus non est silentio relinquendum, quod ipse Rex noster & Ecclesiæ Romanæ, ratione Regni prædicti, notorie subditus, homoque ligius & vassallus, ac in eodem Regno, non in Imperio, certum, continuum, & notorium suum habens domicilium, ac originem inde trahens, Imperatori eo modo non subfuit, quod in eum crimen læsæ Majestatis commiserit: quantumlibet omnia in Sententia supra dicta contenta veritatem indubiam continerent; sicque nedum non jure, immo nec juris colore tulit Imperator Sententiam supradictam in Regem ex causa quæ veritatis subsistentiam non habebat; propter quam etiam, quatenus in eo fuit; Regem eamdem privando Regno & Regia Dignitate, ac terris etiam aliis & Jurisdictionibus perpetuis, & temporalibus, quæ sub eo nullatenus, vel ab eo, sed a Nobis & sub Nobis tenebat . . . . . Absolvendo quoque ab omni fidelitate, obligatione, servitio, promissione ac pacto, provincias omnes, civitates, & castra, & loca, ipsiusque vassallos & feudatarios, & alios quoslibet eidem Regi quomodolibet obligatos: cum includerentur in absolutione hujusmodi terræ & personæ Nobis & Ecclesiæ Romanæ subjectæ: propriæ terminos potestatis excessit, in messem nostram mittens perperam suam falcem.

Romana Synodus sub Gregorio Septimo nequam robur ejus Sententiæ de Potestate Sedis Apost. in Regum temporalia non addidit.

VI. Romanam Synodum sub *Gregorio Septimo* frustra nobis opponit Frater *Denghien*, cum illa *Henricum* quidem Imperatorem auctore *Gregorio Septimo* deposuerit, seu depositionis Sententiam ferenti assenserit, ex præjudiciis, ex subreptione, & quæstione de Sedis Apostolicæ Potestate in temporalia Regum non examinata; cumque privata Synodus, Romano etiam Pontifice Præside, indeficientis Judicii Privilegio donata non sit a Christo, sicut Œcumenica, cujus hæc prærogativa est, nec-non universalis Ecclesiæ quam repræsentant, ut docent Ecclesia Gallicana & Sacra Facultas Parisiensis. Sane tam errasse *Gregorium Septimum* cum Romana Synodo in quæstione de Sedis Apostolicæ Potestate in temporalia Regum, absque irreverentia in eamdem Sedem dici potest; quam errasse *Stephanum Sextum* & *Sergium Tertium* cum Synodis etiam Romanis, in quibus *Formosi* Papæ Ordinationes irritas & iterandas sanxerunt, persuasi Ordinationes ab Episcopis depositis factas nullas esse: quæ non facti dumtaxat, sed & Juris quæstio erat. Quid *Bonifacium* II. commemorem, qui in Romana Synodo anno 531. Successorem sibi pessimo & Sacris Canonibus contrario Decreto designavit *Vigilium* Diaconum, Clero ad consensum suum Chirographis & Jurejurando præbendum ac firmandum impulso: quem errorem deinde emendavit, & pœnitendum Decretum rescidit ac ante Confessionem *Sancti Petri* flammis tradidit in altera Synodo, ut testatur *Anastasius Bibliothecarius* in ejus Vita? Quid *Leonem* IV. qui Matrimonium, quoad vinculum, fornicationis causa dissolvi, læsoque conjugi licitum esse aliud contrahere, declaravit cum Romana Synodo anno 853. Canone 36. Hæc expendisset Licentiatus Lovaniensis, si Antiquitatis Ecclesiasticæ vel levi notitia imbutus fuisset, nec tam proterve contenderet *Gregorii Septimi* opinionem de Sedis Apostolicæ auctoritate in temporalia Regum non esse Verbo Dei contrariam, quia Romanæ Synodi Præsules illam opinionem approbarunt, sive illa indiscussa quidem, sed tamen supposita, Sententiæ in *Henricum* Imperatorem ab ipso latæ ex subreptione consenserunt.

VII. Quæ ex Patribus profert Licentiatus Lovaniensis ad *Gre-*

Quæ ex Patribus profert F. Draghien ad Gregorii septimi Sententiam confirmandam, aut latrent illi favent.

ad *Gregorii VII.* Sententiam confirmandam, nullatenus ipsi favent, nec magis probari ex his potest indirecta Potestas Romani Pontificis in Regum temporalia, quam Systema Copernici. Potestatem Imperatoribus ac Regibus *cœlitus datam fatemur, ut qui bona appetunt adjuventur, at cœlorum via largius pateat, ut terrestre Regnum cœlesti Regno famuletur* (ut ait *S. Gregorius Magnus* Lib. 2. Epist. 61.) Quid vero aliud ex eo colligi potest, quam Regiam Potestatem, juvare ac tueri debere Ecclesiam, Deique honorem & cultum promovere? Quo sensu dixit *S. Augustinus* Epist. 50. ad *Bonifacium* Comitem: *Quomodo ergo Reges Domino serviunt in timore, nisi ea quæ contra jussa Domini fiunt, religiosa severitate prohibendo atque plectendo? Aliter enim servit, quia homo est, aliter, quia etiam Rex est. Quia homo est; ei servit vivendo fideliter: Quia vero etiam Rex est, servit Leges justa præcipientes & contraria prohibentes, convenienti vigore sanciendo . . . In hoc ergo serviunt Domino Reges in quantum sunt Reges, cum ea faciunt ad serviendum illi, quæ non possunt facere nisi Reges.* Quo item sensu *S. Isidorus Hispalensis*, & ex eo Sexta Synodus Parisiensis part. 55. Cap. 5. dicunt: *Principes Sæculi nonnumquam intra Ecclesiam Potestatis adeptæ culmina tenent, ut per eamdem Potestatem Disciplinam Ecclesiasticam muniant. Cæterum intra Ecclesiam Potestates necessariæ non essent, nisi ut, quod non prævalet Sacerdos efficere per doctrinæ sermonem, Potestas hoc imperet per Disciplinæ terrorem. Sæpe per Regnum terrenum cœleste Regnum proficit, ut qui intra Ecclesiam positi contra Fidem & Disciplinam Ecclesiæ agunt, rigore Principum conterantur, ipsamque Disciplinam, quam Ecclesiæ utilitas exercere non prævalet, cervicibus superborum Potestas Principalis imponat, & ut venerationem mereatur, Potestas impertiat. Cognoscant Principes sæculi, Deo debere se reddere rationem pro Ecclesia, quam a Christo tuendam suscipiunt. Nam sive augeatur Pax & Disciplina Ecclesiæ per fideles Principes, sive solvatur, ille ab eis rationem exiget, qui eorum Potestati suam Ecclesiam credidit.* Hoc sensu a *S. Gregorio* dictum est: *Potestatem* Regibus *cœlitus datam, ut terrestre Regnum cœlesti Regno famuletur*: non vero quod spiritualis Potestas jus habeat evertendi temporalem; quod Pontifex Romanus herile jus habeat in Reges, ipsosque exauctorare possit, ut inepte colligit cum *Sandero* Licentiatus Lovaniensis.

Lib. IV. De Consideràt. ad Eugenium c. 3.

VIII. Cum *S. Bernardo* fatemur, & materialem gladium esse Ecclesiæ, sed *ad nutum Sacerdotis*, id est Summo Pontifice monente, adhortante, dirigente *pro Ecclesia exerendum*, non *ab Ecclesia* contra Reges distringendum, ut fuse exposui Articulo 2. Dissertationis 9. in Historiam Ecclesiasticam 13. & 14. Sæculi, Num. 15. a pag. 307. ad pag. 313. Si enim (inquiebam) *S. Bernardus* auctoritatem aliquam in temporalia Regum Ecclesiæ ac Romano Pontifici a Christo collatam censuisset, non solum *nutum*, sed *jussum* in districtione gladii temporalis ipsi convenire censuisset. Mentem vero *S. Bernardi* ex his Libri 2. ad *Eugenium* III. verbis manifestum feci: „ Reges gentium „ dominantur eorum: Vos autem non sic. PLANUM „ est quod Apostolis interdicitur dominatus: Ergo & „ tu tibi usurpare cave aut dominans Apostolatum, „ aut Apostolicus dominatum. Planum est quia ab utroque prohiberis. Si utrumque similiter habere voles, perdes utrumque. Alioquin non te exceptum „ illorum numero putes, de quibus conqueritur Dominus: *Ipsi regnaverunt, & non ex me: Principes extiterunt, & non cognovi*. Forma Apostolica hæc „ est: Dominatio interdicitur, indicitur ministratio. „ Exi, o Eugeni, exi (inquam) in mundum. Ager enim mundus est: isque tibi creditus est. Exi „ in illum, non tamquam dominus, sed tamquam villicus, videre & procurare, unde exigendus es reddere rationem. Non a Christo vel ejus Vicario Petro habet Summus Pontifex Dominatum . . . . In „ criminibus, non in possessionibus Potestas vestra: „ quoniam propter illa, non propter istas accepistis claves Regni cœlorum. Habent hæc infima & terrena Judices suos Reges & Principes terræ. Quid ergo fines alienos invaditis? Quid falcem vestram in „ messem alienam extenditis? Non quia indigni vos, „ sed quia indignum vos talibus insistere, quippe potioribus occupati. „ Non alius est *Gregorii Noni* sensus in Epistola ad *Germanum* Patriarcham Constantinopolitanum scribentis: „ Uterque gladius Ecclesiæ traditur, sed ab Ecclesia exercendus est unus, alius „ pro Ecclesia manu sæcularis Principis exercendus; „ unus a Sacerdote, alius ad nutum Sacerdotis administrandus a Milite.

IX. Imperitiam vero suam prodiit Frater *Dregbien* pag. 185. scribens: „ Hucusque de his Petrus Damiani, cui Catholica dogmata penitus adversantur, quibus hæresis errore notantur omnes, qui ab Ecclesia „ Romana Cathedra Petri e duobus alterum gladium „ auferunt, nec nisi spiritualem concedunt, ipso S. „ Bernardo dicente: Materialem gladium qui tuum „ negat, non satis mihi videtur attendere verbum Domini dicentis: Converte gladium tuum in vaginam.

Si ex Scriptura Sacra secundum literalem sensum intellecta, aut ex Traditione erui posset utrumque gladium esse Ecclesiæ & Romano Pontifici a Christo traditum, hæresis errore notandi essent, qui temporalem gladium Ecclesiæ negant: Sed quandoquidem nec sensus literalis Scripturæ Sacræ, nec Traditio id docet, Catholice asseritur spiritualem dumtaxat gladium ad Ecclesiam pertinere, in temporalem solum directionis jus habere, quem Christiani Principes ad Ecclesiæ defensionem a Deo acceperunt. Porro locum Evangelii *Lucæ* XXIII. de duobus gladiis, allegorice dumtaxat de gladio spirituali & temporali intelligi *Bellarminus* ipse (quem Judicem non repudiabit Frater *Dregbien*) fatetur lib. 5. de Romano Pontifice c. 5. „ Respondeo (*inquit*) ad literam nullam fieri mentionem in „ eo loco Evangelii de gladio spirituali vel temporali Pontificis, sed solum Dominum illis verbis admonere voluisse Discipulos, tempore Passionis suæ in „ iis angustiis, & metu ipsos futuros fuisse, in quibus „ esse solent, qui tunicam vendunt ut emant gladium, „ ut ex Theophylacto aliisque Patribus colligitur. „ Et *Maldonatus* in c. 23. *S. Lucæ*, ubi observavit Apostolos non intellexisse quid Christus significare voluisset, gladiosque de quibus loquebantur dicentes: *Ecce duo gladii hic*: non fuisse militares gladios, sed rusticos ad secandas res necessarias, quales lanii & homines rustici habere solent; postquam mysticas *S. Ambrosii* & Venerabilis *Bedæ* interpretationes attulit, quas & *S. Thomas* in Catena Aurea refert, subdit: *Alii recentiores Interpretes, duos in hoc loco gladios Ecclesiam habere colligunt, alterum spiritualem, temporalem alterum: quos ut habeat, ex hoc certe loco non habet, ubi de aliis, ut explicavimus, agitur gladiis.* Cum itaque ex uno sensu historico sive literali trahi possit argumentum, ut docent *S. Hieronymus* in cap. 13. *S. Matthæi*, *S. Augustinus* Epist. 48. ad *Vincentium*, *S. Thomas* I. P. Q. I. A. 10. ad 1. *Bellarminus* ipse lib. 3. *De verbo Dei*, cap. 3. totaque Theologorum Schola; errat Frater *Dengbien*, qui ex hoc loco: *Converte gladium tuum in vaginam*, & ex *S. Bernardi* verbis, colligit: *Hæresis errore notari omnes qui ab Ecclesia Romana Cathedra Petri e duobus alterum gladium auferunt, nec nisi spiritualem concedunt.* Scilicet *Hæresis errore* notandus, Licentiati Lovaniensis judicio, *S. Petrus Damiani*, in Epistola ad *Oldericum* Firmanum Episcopum scribens: *Inter Regnum & Sacerdotium propria cujusque distinguuntur Officia, ut & Rex armis utatur sæculi, & Sacerdos accingatur gladio Spiritus, qui est verbum Dei.* Hæresis errore notabitur *Nicolaus* I. cap. *Inter hæc*, Causa 33. Quæst. 2. laudatus, cujus hæc sunt verba: *Sancta Dei Ecclesia mundanis numquam constringitur legibus: gladium non habet nisi spiritualem.* Hæresis errore notabitur *Joannes Octavus* Cap. *Porro*, Causa 16. Quæst. 3. cujus hæc sunt verba: *Ecclesiæ, corporalia nescientes arma, solum Dominum & propugnatorem suum, quando ei placuerit misereri, patienter expectant.* Hæresis errore notabitur *Cæsarius Cisterciensis* Homilia 2. in Dominicam 2. Adventus dicens: *Unde gladius spiritualis est, qui Papæ collatus est a Domino: alter materialis, quem tenet Imperator, similiter a Deo collatus. Hoc duplici gladio regitur & defensatur Ecclesia Dei.* Hæresis errore notabitur *Cœlestinus Tertius* Cap. *Cum ab homine*, Extra, *De Judiciis*, asserens Ecclesiam non habere amplius quid faciat, cum pœnas spirituales inflixit: *Cum non habeat Ecclesia ultra quid faciat, per sæcularem comprimendus est Potestatem, ita quod ei* (Clerico scilicet impœnitenti) *deputetur exilium, aut alia legitima pœna inferatur.* Hæresis errore notabitur ante alios *S. Augustinus* Lib. *De Fide & Operibus* cap. 2. ubi ait: *Moysen* & *Phinees* gladio materiali in peccatores animadvertisse, *Quod excommunicationibus & degradationibus faciendum erat isto tempore, cum in Ecclesiæ Disciplina visibilis gladius erat cessaturus.*

Epist. ad Henricum II. Anglorum Regem.

X. Fatemur cum *S. Thoma Cantuariensi*, voluisse Deum ad Sacerdotes suos, *quæ Ecclesiæ suæ sunt, disponenda pertinere, non ad Potestates sæculi*: Illas, quoad spiritualia, *Sacerdotibus esse subjectas*: *Obsequi solere Principes Christianos Statutis Ecclesiæ, non suam* Pote-

Poteſtatem præponere in his quæ ſpiritalem adminiſtrationem & Eccleſiaſticam Diſciplinam ſpectant; *Epiſcopis caput ſubdere* in ſpiritualibus: *non de Epiſcopis judicare*, quoad canonica crimina. *Duo eſſe quibus principaliter regitur Mundus, auctoritatem Sacram Pontificis, & Regalem Poteſtatem*. Ex ſpiritali Sacerdotum Judicio Reges ipſos & Imperatores pendere, ab illiſque juſtis de cauſis excommunicari poſſe, & nonnullos excommunicatos fuiſſe. Quid hæc vero ad Sedis Apoſtolicæ Poteſtatem indirectam in temporalia Regum comprobandam?

Lib. IV. Ep. 29.

XI. Fatemur cum *Petro Cluniacenſi*, Eccleſiam, *quamvis non habeat Imperatoris gladium*, id eſt, auctoritatem in temporalia ex inſtitutione Chriſti; *habere tamen ſuper quolibet muneres, & ſæpe ipſos Imperatores Imperium* ſpirituale, & *deſtruere* poſſe ſpiritualiter per Cenſuras, non temporaliter per privationem bonorum temporalium & regnorum, ſicut *non poteſt occidere*.

Lib. de Sacram. p. 11. c. 4.

XII. Fatemur cum *Hugone a S. Victore*, quod ad *Poteſtatem Summi Pontificis pertineat quæ ſpiritualia ſunt, & vitæ ſpirituali attributa univerſa*. Spiritualem poteſtatem *inſtituere* terrenam, id eſt, inſtitutam manifeſtare, Imperatores coronando & inungendo, & *judicare, ſi bona* non fuerit, *per Cenſuras* corrigendo; ut exponit *Joannes de Pariſiis* in Sacra Facultate Pariſienſi Doctor Theologus, Ordinis noſtri FF. Prædicatorum, Lib. *De Poteſtate Regia & Papali*, Cap. 18. „ Cum mos (*inquit*) Sacræ Scripturæ ſit, ut ait S. „ Auguſtinus Lib. 1. De Civitate Dei, dicere rem fie„ri quando manifeſtatur, pro tanto dicit Hugo, quod „ Poteſtas Spiritualis Regiam inſtituit, non quidem „ ipſam efficiendo ut ſit, cum ſit a Deo, & Populo „ conſentiente & eligente: ſed quia inungendo Regem „ inſtituit & electum manifeſtat; non ita tamen ut de „ neceſſitate Poteſtatis ſæcularis ſit quod inungatur, „ cum aliæ gentes Reges habeant qui non inunguntur. „ Unde & in novo Teſtamento non legimus quod Sa„cerdotes inungere debeant Reges, nec etiam obſer„vatur in omnibus Regibus Chriſtianis, ut patet in „ Regibus Hiſpaniæ. Atque idcirco Papa non inſtituit „ Regem, niſi ad modum jam explicatum, ſed uterque „ eſt a Deo inſtitutus ſuo modo: nec Papa dirigit Re„gem per ſe ut Rex eſt, ſed per accidens: in quan„tum convenit Regem Fidelem eſſe, in quo inſtrui„tur a Papa de fide, non de regimine: unde ſubji„citur Papæ in iis in quibus ſubjicit eum Poteſtas Su„prema, ſcilicet in ſpiritualibus tantum.

Ep. 144. 145. 146.

XIII. Fatemur cum *Petro Bleſenſi* nomine *Alienoræ* Reginæ Anglorum ad *Cœleſtinum Tertium* Pontificem Maximum ſcribente pro liberatione *Richardi* Regis ejus filii, quem *Leopoldus* Auſtriæ Dux in Hieroſolymitana peregrinatione captum *Henrico VI.* Imperatori tradiderat, a quo in carcere detinebatur; fatemur (inquam) Romanum Pontificem *Deum conſtituiſſe ſuper Gentes & Regna in omni plenitudine poteſtatis* ſpiritualis: *Omne Regnum, omnemque Poteſtatem regendam* ipſi committi: Non Regem, non Imperatorem, aut Ducem *a jugo* Pontificiæ *Juriſdictionis eximi*; poſſe exercere *in maleficos gladium Petri*, id eſt Eccleſiaſticas Cenſuras: *Crucem Chriſti antecedere Cæſaris Aquilas; gladium Petri gladio Conſtantini, & Apoſtolicam Sedem præjudicare Imperatoriæ Poteſtati*; id eſt, excellentiorem eſſe, & in ſpiritualibus ſuperiorem: Poteſtatem denique Pontificiam *a Deo eſſe*. Sed quid hoc ad indirectam Summi Pontificis in temporalia Regum Poteſtatem aſtruendam? Quis ſit & qualis gladius S. *Petri* explicat *Petrus Bleſenſis* Epiſtola 144. quam laudat Licentiatus Lovanienſis. *Porro Tyrannus Apoſtolicas claves habet ludibrio, nec aiſi verba reputat Legem Dei. Sed tanto conſtantius deberetis arripere gladium Spiritus, quod eſt verbum Dei . . . Non ſit ergo alligatum in ore veſtro verbum Domini, nec in vobis timor humanus obruat ſpiritum libertatis*. Gladius S. *Petri* ſecundum Petrum Bleſenſem, verbum Dei eſt, quo ut Principes Angliæ Regem injuſte detinentes adhortetur per Legatos, urgeatque ac jubeat in libertatem reſtitui, *Alienora* Regina Mater flagitat, *Sæpe* (inquit) *pro cauſis mediocribus veſtri Cardinales in magna poteſtate, etiam ad partes barbaras Legatione funguntur: in cauſa vero tam ardua, tam lamentabili, tam communi, nec unum adhuc Subdiaconum aut Acolythum deſtinaſtis. Legatos enim hodie facit quæſtus, non reſpectus Chriſti, non honor Eccleſiæ, non Regnorum pax, aut populi ſalus. Quis quæſtus Vobis aut proventus glorioſior poſſet eſſe, quam in hac liberatione Regis Summi Pontificatus apicem, ſive Sacerdotium Aaron & Phinees exaltare? Sane non multum humiliaſſes Sedis Apoſtolicæ dignitatem, ſi in propria perſona ad tanti liberationem Principis in Germaniam deſcendiſſes*. Gladius S. *Petri* eſt Anathema, quo ut feriat Auſtriæ Ducem & Imperatorem, filium ſuum Angliæ Regem captivum detinentes, eadem Regina: ſive *Petrus Bleſenſis* ejus nomine Pontificem urget. *Certe* (inquit) *horrendo Anathemate feriendi erant, aut potius fulminandi. Exurgat igitur orbis Epiſcopus, & arripiat quaſi fulgur judicium manus tua; ſicut Petrus uno ictu Ananiam & Sapphiram, & uno ictu Simonem Magum potuit delere de medio, ſic ſpiritu oris tui interficias impios*: Epiſtola denique 146. Summi Pontificis Poteſtatem in Animas duntaxat exercere poſſe concedit, *Non-ne* (inquit) *Deus Deorum locutus eſt Vobis in Petro Apoſtolo dicens*: „ Quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis, & „ quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & „ in cœlis? „ *Quare ergo tanto tempore, tam negligenter, immo tam crudeliter filium meum ſolvere differtis, aut potius non audetis? Sed dicetis, hanc Poteſtatem Vobis in animabus, non in corporibus fuiſſe commiſſam. Eſto: certe ſufficit nobis ſi eorum ligaveritis animas, qui filium meum ligatum in carcere tenent: filium meum ſolvere vobis in expedito eſt, dummodo humanum timorem timor Dei evacuet . . . Anima tua tibi, quæſo, ſalva ſit, dummodo non dicam ovis tuæ, ſed filii tui liberationem crebris legationibus, ſalutaribus monitis, comminationum tonitruis, generalibus Interdictis, Sententiis terribilibus ſtudeas procurare*.

XIV. Fatemur cum *S. Yvone* Carnotenſi Epiſcopo, Epiſtola 106. *Regem terrenum cœleſti Regno, quod Eccleſiæ commiſſum eſt, ſubditum eſſe debere, ut informetur & regatur Eccleſiaſtica Diſciplina*: Sed quid hæc aliud ſignificant, quam Reges in ſpiritualibus Eccleſiæ ſubditos eſſe? Fatemur cum *Joanne* Lugdunenſi Archiepiſcopo, *Omnes Reges Eccleſiaſtico ſubdi Judicio*, & ab Epiſcopis ac Summo Pontifice cenſuris percelli aut damnari poſſe; nec inficiamus *Gregorium VII.* quod *Henricum* Regem *ob ſcelera ſua*, præcipue ob Schiſma, *damnaverit* lata in eum Excommunicationis Sententia, de qua una *Joannes Lugdunenſis* loquitur. Fatemur cum *Yvone Carnotenſi* Epiſtola 8. quod *Sedis Apoſtolicæ Judiciis & Conſtitutionibus obviare plane eſt Hæreticæ pravitatis notam incurrere*: Si hujuſmodi Judicia & Conſtitutiones ex S. *Petri æquitate* latæ ſint (ut cum *S. Leone* loquar) *Manet enim Petri Privilegium, ubi ex illius æquitate fertur Judicium*. Ex S. *Petri* autem æquitate latas demonſtrat Eccleſiæ ipſas recipientis & approbantis conſenſus. Fatemur etiam Hæreſeos notam incurrere, qui propterea Sedis Apoſtolicæ Conſtitutionibus reſiſtit, quod Romani Pontificis Primatum non agnoſcat. *Hæreticum eſſe qui Romanæ Eccleſiæ non concordat* in Fide, Sed Hæreticum eſſe qui Pontificibus Auctoritatem in temporalia Regum ſibi tribuentibus, aut alia contra verbum Dei, contra Patrum Traditionem, contra Canones Spiritu Dei conditos & totius mundi reverentia conſecratos, contra æquitatem molientibus, decernentibus, agentibus, non concordat, Theologorum nemo dixerit, nec dicit *Yvo Carnotenſis*. Id quidem dixit occaſione depoſitionis *Gaufridi* Carnotenſis Epiſcopi, & Conſecrationis ſuæ in ejus locum ab *Urbano* II. factæ, quas *Richerius* Senonenſis Archiepiſcopus improbabat Juribus ſuis Metropoliticis grave vulnus illatum cauſatus: Sed illum propterea Hæreticæ Pravitatis notam incurriſſe, non exiſtimavit *Yvo*, qui ipſum ut Metropolitanum ſuum nihilominus coluit. Sane Romano Pontifici aliquid contra doctrinam Evangelicam vel Apoſtolicam præcipienti non eſſe obediendum, docet *Yvo Carnotenſis* Epiſtola 233. de *Paſchalis* II. Privilegio in cauſa Inveſtiturarum loquens: *Habemus* (inquit) *Evangelicam ſententiam, quæ nos ſecuros facit*: „ Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi: „ Quæ dicunt, ſervate & facite, ſecundum vero opera eorum nolite facere. *Vult enim hæc ſententia, præcepta Præſidentium ad Cathedram pertinentia obedienter impleri (etiamſi tales ſint, quales erant Phariſæi) non eos factioſa conſpiratione a ſuis Sedibus removeri. Si vero ea præcipiant, quæ ſunt contra Doctrinam Evangelicam vel Apoſtolicam, ibi eis non eſſe obediendum, exemplo docemur Pauli Apoſtoli, qui Petro ſibi Prælato non recte incedenti ad veritatem Evangelii in faciem reſtitit, non tamen eum abjecit*. Epiſtola 56. ad *Philippum* Regem Chriſtianiſſimum ejus Majeſtati auctor eſt, ut ſi Pontifex vel Apoſtolicus Legatus Gallicanos Epiſcopos præter Canonum præſcripta ad Conventus Eccleſiaſticos vocare voluerit, Ipſa pro ſuo jure ab injuſtis oppreſſionibus illos vindicet,

Apud Yvonem Carnotenſem, Epiſt. 237.

V. Denghien, pag. 253.

Serm. III. De Aſſumpt. ſua ad Pontif.

dicet,

dicet. *Quod si quis* (inquit) *eos ultra terminos a Patribus constitutos angariare voluerit, Vos habito cum eis communi consilio, injustis appressionibus pro persona vestra resistite, sic ut quæ Dei sunt, Deo reddant; & quæ Cæsaris sunt, Cæsari reddere non omittant.* Epistola 236. *Principales Ecclesiæ Claves nolumus Potestate sua privare, quæcumque persona vices Petri habeat, nisi manifeste ab Evangelica veritate discedat.* Neque igitur *Gregorii VII.* nec aliorum quorundam ipsius Successorum opinio & Decreta, Ecclesiæ Catholicæ consensu non probata, movere nos debent ut indirectam Romani Pontificis in Regum temporalia Potestatem admittamus, cum doctrinæ Evangelicæ & Apostolicæ manifeste repugnent, Sacræ Facultatis Parisiensis, & Ecclesiæ Gallicanæ Judicio.

XV. Conciliorum Lateranensis sub *Innocentio tertio* & Lugdunensis sub *Innocentio IV.* auctoritatem laudat *F. Denghien*; & ex iis *Gregorii septimi* opinionem ab errore vindicari contendit: verum cum nihil amplius dicat quam *Bellarminus*, cujus & aliorum quorundam sententiæ de indirecta Sedis Apostolicæ in Regum temporalia Potestate, nec Lateranense Concilium, nec Lugdunense IV. favere ostendi Dissertatione 3. in Historiam Ecclesiasticam Sæculi 13. & 14. Articulo 3. & Dissertatione 5. Articulo 3. * Hæ Dissertationes sufficient ad Lovaniensis Licentiati, qui nihil ad illas habuit quod reponeret, quod nihil aliud apud *Bellarminum* suum invenerit, vanitatem refellendam. Decretum contra Assassinos, quod nec *Matthæus Parisius* inter Lugdunensis Concilii Decreta recenset, neque in MSS. habetur, nec a Conciliorum Collectoribus refertur; sed ex Lib. 6. Decretalium Tit. *De Homicidio*, in Collectione PP. *Labbei & Cossartii* descriptum est, & *Sacri Approbatione Concilii* ab *Innocentio IV.* promulgatum dicitur, Supremos Principes non spectat, sed Feudatarios, seu Principes Viros Regibus, aut Sedi Apostolicæ, vel aliis Principalibus Dominis obnoxios, ut liquet ex ipsius tenore Decreti: „ Sacri „ approbatione Concilii statuimus, ut quicumque Prin„ceps, Prælatus, seu quævis alia Ecclesiastica sæcu„larisque persona quempiam Christianorum per præ„dictos Assassinos interfici fecerit, vel etiam manda„verit (quamquam mors ex hoc forsitan non sequa„tur) aut eos receptaverit, vel defenderit, seu oc„cultaverit, Excommunicationis, & Depositionis a „ Dignitate, Honore, Ordine, Officio & Beneficio in„currat Sententias ipso facto: & illa libere aliis per „ illos, ad quos eorum collatio pertinet, conferantur, „ &c. *Et Glossa notat ex Archidiacono*, Hanc Decre„talem non loqui de iis qui non sunt sub alicujus „ Dominio.

*Tom. 25.

Decretum Innocentii IV. contra Assassinos explicatur.

XVI. *Gregorii VII.* Imperatorem exauctorantis factum doctrinamque de indirecta Sedis Apostolicæ in Reges Potestate Ecclesiam Gallicanam approbasse, Frater *Denghien* probandum suscipit ex Augustodunensi Concilio, ab *Hugone* Archiepiscopo Lugdunensi, legato Sedis Apostolicæ congregato anno 1094. Quam feliciter autem id probet, constat ex ipso *Bertoldi Constantiensis*, quod laudat, testimonio. „ In Gal„liarum civitate, quam Ostionem * vulgariter dicunt, „ congregatum est Generale Concilium a venerando „ Hugone Lugdunenensi Archiepiscopo, & Sedis A„postolicæ Legato, Archiepiscopis, Episcopis, & Ab„batibus diversarum Provinciarum, 17. Kalendas No„vembris in quo Concilio renovata est Excommuni„catio in Henricum Regem, & in Guibertum Sedis „ Apostolicæ Invasorem; & in omnes eorum compli„ces. „ De Regis exauctoratione, de Sedis Apostolicæ Potestate in temporalia Regum quæstio est, non de Excommunicatione. *Henricum* Regem ob Schisma, & alia crimina, juste a Sede Apostolica excommunicatum agnovit Ecclesia Gallicana, & ipsum, nec non *Guibertum* Antipapam Anathemate confixit: sed ejus exauctorationem non approbavit, nec Sedi Apostolicæ Potestatem deponendi Reges convenire existimavit, quod ex Anonymo Historiæ Franciæ Scriptore Monacho Floriacensi, apud *Duchesnium* edito Tom. 4. ex *Sugerio* Abbate in Vita *Ludovici VI.* & ipsius *Herimanni* Metensis Episcopi dubitatione colligitur, ad quam eximendam literas ad illum dedit *Gregorius*, quas in Dissertatione nostra discussimus. Nec est quod *Herimanno* in Germania Episcopo nullam cum Gallicanis Præsulibus conjunctionem fuisse dicat *F. Denghien*: cum Mediomatricum civitatem in Gallia Celtica Geographi ponant: cum olim Austrasiæ Regni partem fuisse ex Historia constet; cum eo ipso tempore quo Francorum Regibus non parebat, finitiva esset Gallicanæ ditioni, nec Metensi Episcopo nulla non posset intercedere cum Gallicanis Episcopis vicinis suis familiaritas; maxime cum Legationes Apostolicæ Galliarum Lotharingiam quoque complecterentur.

Ecclesia Gallicana factum & doctrinam Gregorii septimi de indirecta Sedis Apostolica Potestate in Regum temporalia non probavit.

* *Autun.*

XVII. Synodi Bellovacensis anno 1114. celebratæ Præside *Conone* Prænestino Episcopo Sedis Apostolicæ Legato, Decretum frustra objicit Licentiatus Lovaniensis, pag. 411. quo hic *Gregorii* IV. Canon renovatus est: „ Prædecessorum nostrorum Statuta sequen„tes, eos qui excommunicatis fidelitate aut Sacramen„to adstricti sunt, Apostolica Auctoritate a Sacra„mento absolvimus, quousque ipsi ad satisfactionem „ veniant, & ne eis antea fidelitatem observent, pro„hibemus. „ Nam de Regibus Canon iste non loquitur, sed vel de iis qui Ecclesiæ Feudatarii sunt, vel de Fidelitate & Sacramento sponte præstitis, non ex justitia, & multo minus de Fidelitate secundum Jus Divinum & naturale Regibus a subditis debita. Sane istud Decretum repetitum videtur a Synodi Bellovacensis Patribus, occasione *Thomæ de Marna*, qui Pagum Laudunensem, Remensem, Ambianensem, usque adeo dilapidaverat, ut nec Clero, nec Populo pepercisset, omnia trucidans, omnia perdens: etiam *S. Joannis* Laudunensis Parthenoni duas villas eripuerat; fortissima Castella Creciacum & Novigentum vallo mirabili, altis etiam turribus tamquam propria munierat, & sicut draconum cubile, & speluncam latronum adaptans, totam fere terram tam rapinis quam incendiis immaniter exposuerat. Hunc Anathemate confodit Synodus Bellovacensis, ut *Sugerius* testatur in Vita *Ludovici VI.* Et quia solus tot mala non perpetraverat ille Tyrannulus, sed multos habebat fidelitate & juramento sibi obstrictos, ideo Synodus Canonem *Gregorii IV.* renovavit ac promulgavit, quo a Juramento & Fidelitate absolvuntur, qui excommunicatis obligati sunt, donec illi ad satisfactionem venerint. Longe vero alieni erant Gallicani Episcopi tempore *Gregorii Quarti* ab errore illo de Romani Pontificis Potestate in Regum temporalia, a quo remotissimus erat & ipse *Gregorius Quartus*. Siquidem civili bello inter *Ludovicum Pium* & filios ejus flagrante, cum falsus percrebuisset rumor ipsum ideo in Gallias venire, ut Christianissimum Imperatorem eique addictos Episcopos excommunicatione feriret, nisi suæ ac Principum perduellium voluntati parerent, contestati sunt Antistites, nullo modo se velle Pontificis voluntati ea in re succumbere: *Sed si excommunicatus adveniret, excommunicatus abiret, cum aliter se habeat antiquorum Canonum auctoritas.* Ita refert Astronomus in Vita *Ludovici Pii*. Addit *Paschasius* in Vita *VValæ* Abbatis lib. 2. Gallicanos Præsules *Gregorio quarto* depositionem fuisse comminatos. „ Terre„batur (inquit) ab Augusto, & ab omnibus suis, „ etiam ab Episcopis qui sibi pridie quam venissemus, „ dexteras dederant, quod unanimes essent ad resisten„dum his qui ex adverso erant, Regibus filiis, Prin„cipibus, & Populo: Insuper consiliabantur firman„tes, proh dolor! quod eumdem Apostolicum, quia „ non vocatus venerat, deponere deberent. Quibus au„ditis, Pontifex plurimum morabatur, & verebatur. Qui sic erant affecti, toleraturos putas Decreta de Romani Pontificis in temporalia Regum Potestate, si quæ *Gregorius quartus* edidisset?

XVIII. *De S. Thomæ* sententia, quem *Gregorii VII.* & aliorum errori favere Licentiatus Lovaniensis pertinaciter contendit, sat multa in Dissertatione nostra diximus, quæ nequicquam ille refellere conatur, & miseris distintiunculis, jejunisque argutiis eludere. Angelici Doctoris Articulus 10. Quæstionis 10. Secundæ Secundæ & Quæstionis 52. Articulus 2. esto Nodus Gordius quibusdam videantur, hunc forte ab *Alexandro* solutum, non sectum, viri cordati & eruditi, nullisque præjudiciis occupati agnoscent. Sane qui filios Judæorum & aliorum Infidelium, rationis usum nondum habentes, baptizandos esse negat invitis Parentibus, *Quia repugnat justitiæ naturali, & de jure naturali est, quod filius antequam habeat usum rationis, sit sub cura patris. Unde contra justitiam naturalem esset, si puer antequam habeat usum rationis a cura parentum subtrahatur, vel de eo aliquid ordinetur invitis parentibus:* Qui (inquam) ita censuit, & ita ratiocinatus est, consequenter sentire debuit Romanum Pontificem absolvere subditos non posse ab obedientia & fidelitate quam Regibus & Supremis Principibus debent, quia pariter *repugnat justitiæ naturali*. Siquidem (ut ait idem Angelicus Doctor Quæstione 104. Articulo 1.) *Sicut ex ipso ordine naturali divinitus instituto, inferiora in rebus naturalibus necesse habent subiici motioni superiorum; ita*

Pag. 377. & seq.

S. Thomæ opinioni de indirecta Ecclesiæ Potestate in Regum temporalia non favet.

Art. 12. Quæst. 10.

etiam in rebus humanis, ex ordine Juris naturalis & Divini, tenentur inferiores suis Superioribus obedire. Et Articulo 6. *Per Fidem Jesu Christi non tollitur ordo Justitiæ sed magis firmatur. Ordo autem Justitiæ requirit ut inferiores suis Superioribus obediant. Aliter enim non posset humanarum rerum status conservari. Et ideo per Fidem Christi non excusantur Fideles, quin Principibus sæcularibus obedire teneantur.* Multo minus ergo excusantur per Summi Pontificis mandatum, qui Christi mandatum & Divini Juris ac naturalis obligationem solvere non potest. Enimvero (ut Scholæ Angelus Articulo 5. ejusdem Quæstionis explicat) *Ex duobus potest contingere quod subditus suo Superiori non teneatur in omnibus obedire. Uno modo propter præceptum majoris Potestatis.* At supremo Principe, Rege, vel Imperatore, non est major Potestas in rerum temporalium administratione. Siquidem (ut ait *Gelasius I.* in Epistola ad *Anastasium* Imperatorem) *Duo sunt quibus principaliter Mundus hic regitur, Auctoritas Sacra Pontificum, & Regalis Potestas.... Et quantum ad ordinem pertinet publicæ Disciplinæ, cognoscentes Imperium Regi superna dispositione collatum, Legibus ejus ipsi quoque parent Religionis Antistites.* Quam doctrinam libro *De Anathemate* confirmat. Pontificia ergo Potestas, in his quæ Reipublicæ, & rerum temporalium regimen spectant, non est Regali Potestate superior. Quamobrem Regum subditi ab eorum obedientia & fidelitate propter Summi Pontificis præceptum non dispensantur. *Hinc S.Tho.* ait: „Si aliud Imperator, „ aliud Deus jubeat, contempto illo obtemperandum „ est Deo. “ Non ait: „ Si aliud Imperator, aliud Ro„ manus Pontifex jubeat, contempto illo obtemperan„ dum est Pontifici“. Alio modo (inquit S.Tho.) „ Non „ tenetur inferior suo Superiori obedire, si ei aliquid „ præcipiat, in quo ei non subdatur. Porro tenetur sub„ ditus suo Superiori obedire secundum rationem supe„ rioritatis: sicut Miles Duci Exercitus, in his quæ per„ tinent ad bellum: servus domino, in his quæ perti„ nent ad servilia opera exequenda: filius patri, in his „ quæ pertinent ad disciplinam vitæ & curam domesti„ cam, & sic de aliis.“ Igitur & subditi Regibus obedire tenentur in his quæ pertinent ad ordinem publicæ Disciplinæ, ad regimen politicum, ad rerum temporalium administrationem; nec ab ea obedientia ipsos eximere Summus Pontifex potest.

Adversus hæc *S.Thomæ* principia non pugnant ejusdem verba in Cap. 5. Epistolæ 1. ad Corinthios, Lectione 3. „ Indirecte tamen (*inquit*) Prælati Ecclesiarum „ habent potestatem super eos qui foris sunt, in quan„ tum propter eorum culpam prohibent Fideles ne illis „ communicent“. De communione enim in ritibus, in conjugiis, in conviviis, hæc *S.Thomæ* verba intelligenda sunt, non de omni communione civili, præsertim respectu Regum, quibus Christiani subditi sunt. Noverat enim Apostolum salutasse eos qui erant de *Cæsaris domo*, non vero jussisse ut ex ea discederent: Christianos Ethnicis Imperatoribus militasse, etiam ipsi *Juliano Apostatæ*, quod absque civili communicatione, obedientia & fidelitate, in iis quæ militiam, & salutem Imperii spectabant, fieri non poterat. Christianis persuasum fuisse ex Evangelica & Apostolica doctrina non ignorabat, Imperatoribus etiam infidelibus parendum esse in his quæ Dei mandatis non repugnarent, *Tertulliano* scribente ad *Scapulam* Præfectum Africæ: „ Christianus nul„ lius est hostis, nedum Imperatoris: quem sciens a Deo „ suo constitui, necesse est ut & ipsum diligat, & reve„ reatur, & honoret, & salvum velit cum toto Roma„ no Imperio, quousque sæculum stabit: tamdiu enim „ stabit. Colimus ergo & Imperatorem sic quomodo & „ nobis licet, & ipsi expedit, ut hominem a Deo secun„ dum, & quidquid est a Deo consecutum, & solo Deo „ minorem. Hoc & ipse volet. Sic enim omnibus ma„ jor est, dum solo vero Deo minor est“. Et lib. de idololatria, c. 15. „ Igitur quod attineat ad honores Re„ gum vel Imperatorum, satis præscriptum habemus, „ in omni obsequio esse nos oportere, secundum Apo„ stoli præceptum subditos Magistratibus, Principibus, „ & potestatibus; sed contra limites Disciplinæ, quo„ usque ab idololatria separamur. Propterea enim & „ illud exemplum trium Fratrum præcucurrit, qui alias „ obsequentes erga Regem Nabuchodonosor, honorem „ imaginis ejus constantissime respuerunt... Sic & Da„ niel cætera Dario obnixus, tamdiu in officio fuit, „ quamdiu a periculo Disciplinæ vacaret.

Neque vero audienda est, sed exsibilanda illa Fratris *Denghien* & Magistrorum ipsius translatitia Responsio, Ecclesiam non potuisse de facto Christianos ab Imperatorum Ethnicorum obedientia absolvere, sed de jure potuisse: cum de jure non potuerit Christianos ab Evangelicis & Apostolicis præceptis eximere, Jurisque Naturalis & Divini obligatione solvere. Præterea, id de facto Ecclesiam potuisse, si de Jure licuisset, ingens Christianorum numerus *Tertulliani* tempore probat, de quo ipse Apologetici c.38. „ Hesterni sumus, & vestra omnia im„ plevimus, urbes, insulas, castella, municipia, conci„ liabula, castra ipsa, tribus, decurias, Palatium, Se„ natum, forum. Sola vobis relinquimus Templa. Cui „ bello non idonei, non prompti fuissemus, etiam impa„ res copiis, qui tam libenter trucidamur, si non apud „ istam disciplinam magis occidi liceret, quam occide„ re? Potuimus & inermes nec rebelles, sed tantummo„ do discordes, solius divortii invidia adversus vos di„ micasse. Si enim tanta vis hominum in aliquem or„ bis remoti sinum abrupissemus a vobis, suffudisset u„ tique dominationem vestram tot qualiumcumque amis„ sio civium, immo etiam & ipsa destitutione punis„ set. Procul dubio expavissetis ad solitudinem vestram, „ ad silentium rerum, & stuporem quemdam quasi mor„ tui orbis. Quæsissetis quibus imperaretis: Plures ho„ stes quam cives vobis remansissent. Nunc enim pau„ ciores hostes habetis præ multitudine Christianorum. Mitto alia quæ ex nostra Dissertatione repeti possunt, quibus inane illud responsum exsufflavimus.

Non magis favet errori de indirecta Ecclesiæ in temporalia Regum Potestate locus alter *S.Thomæ*, quem ab oppositione liberum, & clarissimum prædicat Licenciatus Lovaniensis. Legitur *Secunda Secundæ*, Quæstione 60. Articulo 6. in Responsione ad tertiam objectionem: *Potestas sæcularis subditur spirituali, sicut corpus animæ; & ideo non est usurpatum judicium, si Spiritualis Prælatus se intromittat de temporalibus quantum ad ea quibus subditur ei sæcularis Potestas*, Sequentia verba flagitiose supprimit Licentiatus Lovaniensis: *Vel quæ ei a sæculari Potestate relinquuntur*. Spiritualem Potestatem se de temporalibus intromittere posse, (ut cum *S.Thoma* loquamur) non minus inficias, sed *quantum ad ea in quibus subditur ei sæcularis Potestas*, scilicet quantum ad animarum directionem, ut Dei & Ecclesiæ mandata in temporalium administratione servari curet, ut Leges contra divinum honorem, contra Ecclesiæ libertatem, contra salutem animarum condi ac promulgari prohibeat, ut bonorum male partorum restitutionem imperet, ut de ipsis rebus temporalibus salutares pro peccatis satisfactiones vel in foro interiori, vel in foro exteriori secundum Canones imperat. Non negamus & de iis *quæ ipsi a sæculari Potestate relinquuntur*, sive permittuntur, posse disponere vel judicare; sed negamus quod a sæculari Potestate temporalia bona, jurisdictionem, auctoritatem, dignitatem auferre possit; nec id umquam docuit *S. Thomas*; aut ipsi hoc erroris monstrum absque injuria ab iis tribui potest, qui Thomistarum nomine gloriantur. Angelici Doctoris Discipulum esse me profiteor: doctrinam ejus non modo sequor, sed honorem ipsius promoveo; Opera vindico; adversus eos qui Summam Theologicam, vel Officium Venerabilis Sacramenti ipsi abjudicant; vel ex *Alexandro Halensi* ipsum Secundam Secundæ mutuatum vel suffuratum dicunt, totis viribus studiisque pugno, ut *Summa Sancti Thomæ vindicata adversus Joannem Launoium Parisiensem Theologum*, aliaque *Apologetica pro S. Thoma Opuscula* a me edita testantur. Ejusdem Angelici Præceptoris laudes *Panegyrico* una in lucem emisso celebravi: Quem tanti facio quanti & ejus merita, & mea professio postulant, quem tam impense veneror ac diligo, ut hac in re nemini cedam: Quem ab errore Verbo Dei & doctrinæ SS. Patrum contrario de Sedis Apostolicæ Potestate in temporalia Regum, ex studio singulari in doctrinam ejus illibatam ex charitate erga ipsum ardentissima vindico. Inique ergo me accusant Fratres nostri Lovanienses, quod *S. Thomæ* Magistri nostri doctrinam non sequar, non tradam, quod ejus honori non consulam: quod felix Thomistarum jusjurandum non servem. *Mirabor nisi pœnæ etiam a me expetantur, dum prodesse cupio: talis enim rerum nostrarum status est* (ut cum *S. Gregorio Nazianzeno* loquar Oratione 14.)

Clerus Gallicanus Summi Pontificis auctoritatem in Regum temporalia

XIX. Gallicanum Clerum duce doctissimo Cardinali *Perronio* Romani Pontificis in Regum temporalia auctoritatem adversus Tertium Regni Ordinem, in Comitiis trium Ordinum Parisiis celebratis anno 1614. vindicasse objicit Frater *Denghien* pag. 417. prolixaque rei totius refert Historiam ex *Gramondo* Tolosano Præside Lib. 1. Historiæ Gallicanæ ob obitu *Henrici IV.* indeque colligit, doctrinam de indirecta Ro-

mani

mani Pontificis in Regum temporalia Potestate non repugnare Traditioni.

non agnovit in Comitiis Regni 1614.

Verum controversiæ statum, qua de agebatur in Comitiis illis trium Regni Ordinum, & quæ tunc fuerit Cleri Gallicani sententia, ignorare se prodit Licentiatus Lovaniensis. Atque ut a statu controversiæ incipiam, observabit quisquis his in rebus non plane hospes erit ac peregrinus, Quæstionem quæ Clerum Gallicanum, eique adhærentem Nobilitatem cum Tertio Ordine commisit, non fuisse de ipso dogmate, quo potestas exauctorandi Reges, & eorum subditos a Sacramento fidelitatis & ab obedientia ipsis debita absolvendi Romano Pontifici negabatur: sed tum de contrariæ opinionis censura, tum de auctoritate illam proscribendi. Ac Censuram quidem, quæ Propositionem illam notabat ut *impiam* & solemni Juramento execrandam proponebat uno tenore cum altera de Regum *parricidio*, Gallicani Præsules improbarunt; quod illa non minus quam iste ipsis ut hæretica damnari videretur, sicque via Schismati aperiri; cum plerique aliarum Nationum Theologi ipsam propugnarent, quibuscum, si non minus impia & execranda, id est, pariter hæretica esset ac altera in Sacro Concilio Constantiensi damnata, tuto foveri communio non posset. Deinde Censuram etiam ab iis qui Catholicorum Dogmatum Judices non essent, scilicet a Laicis, incongruo loco ac tempore latam conquerebantur, cum Episcoporum sit de dogmatibus judicare, idque in Synodis in Christi nomine congregatis, non in Regni Comitiis fieri debeat. Id constat ex ipsa *Perronii* Cardinalis Oratione ad Tertium Ordinem & ex Præsulum literis ad *Paulum* V. Pontificem Maximum, 7. Kalendas Martii datis. *Angebamur enim non mediocriter* (inquiunt) *cum videremus ipsos Laicos zelo quodam minus prudenti abreptos, cognitionem earum rerum quæ ad fidem pertinent, ad se trahere, & de quæstionibus hujusmodi statuere velle quas nisi Pastorum suorum vocibus edocti, non debeant attingere. Sed ea molestia e vestigio in lætitiam versa est, postquam iidem nostris monitis & justis rationibus adducti, demum agnoverunt omnem hanc auctoritatem penes Ecclesiam, eosque solos esse, quos illa Fidelium gregi præesse voluerit:* Cæterum Ecclesiasticus Ordo his Comitiis non semel professus est; *Regem soli Deo in temporalibus subditum agnosci debere, Christique Vicarium nullam in res mere temporales ex institutione Christi jurisdictionem habere*, ut constat ex MSS. & editis Commentariis rerum his in Comitiis gestarum. Quin & Sacra Facultas Parisiensis Libello iisdem Ordinibus oblato die 22. Januarii declaravit, *Reges Christianissimos a solo Deo in temporalibus pendere, nec ullam in terris esse Potestatem, quæ ipsos exauctorare, vel ipsorum subditos a fidelitate & obedientia illis debita quavis ratione aut colore dispensare vel absolvere possit*. Cardinalis itaque *Perronius* in Oratione sua insistens opinioni de indirecta Sedis Apostolicæ Potestate in temporalia Regum adstruendæ; Ordinis Ecclesiastici Mandata prætergressus est, cujus nomine incommoda dumtaxat, ex Articulo Juramenti a Tertio Ordine proposito emergentia exponere debebat, non quæstionem ipsam probabilem ostendere, contra ipsius Cleri sententiam. Quamquam his omnibus momentis quæ protulit, id dumtaxat sibi sumpserit probandum, quæstionem illam *in materia fidei problematicam esse* & propositionem in Articulo Juramenti assertam *non esse necessariam necessitate fidei ita ut contradictoriæ vindices Anathemata obligentur, atque a Communione Catholica propterea excidant*, (Verba sunt ipsius Cardinalis). Addit *Gramondus* Præses Tolosanus in sua Historia a Fratre *Denghien* laudata Conscriptos Senatus Parisiensis Patres *Vetera Regni Columina* Senatusconsultum vulgasse, quo sancitum est, *pro lege fundamentali Regni* habendas esse Propositiones, quæ Articulo Juramenti ab ipsis fuerant insertæ. Reclamavit Clerus quod Tertii Ordinis suffragium sententiæ Ordinis Ecclesiastici, ac Nobilitatis prævalere in Comitiis non deberet. Nuntius Apostolicus apud Regem quoque intercessit, ne Tertii Ordinis Placitum pro lege haberetur. Cardinalis *Serdisius* ad Regem delegatus, ab ejus Majestate obtinuit *in suspenso haberi Theses donec opportuno tempore discussæ irent in legem, aut penitus abrogarentur*. Venit opportunum tempus. Clerus Gallicanus anno 1682. Parisiis Mandato Regio congregatus diligenti tractatu habito declaravit; *Beato Petro, ejusque Successoribus Christi Vicariis ipsique Ecclesiæ, rerum spiritualium & ad æternam salutem pertinentium, non autem civilium ac temporalium a Deo traditam potestatem dicente Domino:* Regnum meum non est de „ hoc mundo: *& iterum*: Reddite ergo quæ sunt Cæ„ saris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo: *ac proinde* „ *stare Apostolicum illud*: Omnis anima Potestatibus „ sublimioribus subdita sit. Non est enim Potestas nisi „ a Deo. Quæ autem sunt a Deo, ordinata sunt. „ Itaque qui Potestati resistit, Dei ordinationi resistit. *Reges ergo & Principes in temporalibus nulli Ecclesiasticæ Potestati Dei ordinatione subjici, neque auctoritate clavium Ecclesiæ directe vel indirecte deponi, aut illorum subditos eximi a fide atque obedientia, ac præstito fidelitatis Sacramento solvi posse, eamque sententiam publicæ tranquillitati necessariam, nec minus Ecclesiæ quam Imperio utilem ut verbo Dei, Patrum Traditioni, & Sanctorum exemplis consonam omnino retinendam*. Contrariam sententiam Ecclesia Gallicana ut verbo Dei, Patrum Traditioni, & Sanctorum exemplis prorsus contrariam ac dissentaneam improbat ac rejicit; tantum ut hæreticam non damnat, quia nondum universalis Ecclesiæ Judicio hæc expresse finita quæstio est, & communione jungimur cum Ultramontanis Theologis, ac Belgis quibusdam qui Scripturam Sacram & Traditionem nondum satis scrutati sunt, ut illis hujus dogmatis veritas persuaderi poterit, quam mens dumtaxat a præjudiciis libera intueri potest. Dubitare itaque nemo potest, quin hæc sit totius Ecclesiæ Gallicanæ, omniumque Regni Academiarum doctrina, quæ eadem erat Comitiorum Parisiensium tempore, quamvis *Perronius* Cardinalis Cleri Mandata (ut dixi) prætergressus contrariæ sententiæ faverit.

Respondetur objectioni F. Denghien ex Theologis Scholasticis & Jurisconsultis petita.

XX. Sententiam de indirecta Romani Pontificis in Regum temporalia Potestate *Traditioni non adversari, sed Ecclesiæ doctrinam esse*, probandum sibi sumit Frater *Denghien* ex Theologis Scholasticis & Jurisconsultis, qui ab annis quadringentis apud diversas Nationes floruerunt. Decem paginas integras ex Magistro suo *Bellarmino*, in Libro de Potestate Papæ in temporalibus contra *Barclaium* exscribens laudat illustres Scriptores Nationis Italicæ, Hispanicæ, Gallicæ, Germanicæ, Anglicæ, Scoticæ.

Papæ quanta *eruditione*, quam *operosa venerandæ antiquitatis indagine*, quam *nervose ac erudite* indirectam Sedis Apostolicæ in temporalia Regum Potestatem vindicat *F. Franciscus Denghien* Licentiatus Lovaniensis, ut prædicant FF. *Antonius D'Aubermont* in Universitate Lovaniensi Doctor & Professor, & *Franciscus Janssens Elinga* Studii Antuerpiensis Regens Primarius, viri (ut ex eorum Approbationibus patet) optimi criterii. Traditionem scilicet instruit ex Scholasticis & Jurisconsultis plerisque qui ab annis quadringentis vixerunt, ex Cajetano, Jacobatio, Silvestro Prierate, Baronio, Bellarmino, Panormitano, Bartholo, Baldo, Cambra, Castaldo, De Turrecremata, Dominico Soto, Alfonso de Castro, Simanca, Bannes, Suarez, Molina, De Valentia, Vasquez, Ostiensi, Aufreto, Pighio, Grettero, Schulckenio, Latomo, Driedoe, Stapletono, Sinnichio, Lupo, Holkot, Bacono, Sandero, &c. Hi Lovaniensi Licentiato, & ejus similibus, Traditionis fontes. Quibus illud *Tertulliani* opponimus: *Id esse Dominicum & verum, quod sit prius traditum: id autem extraneum & falsum, quod sit posterius immissum*. Porro illustrium illorum Nationis Italicæ, Hispanicæ, Anglicæ, Germanicæ, Galliæ Scriptorum doctrina, posterius immissa est; Ecclesiæ Gallicanæ & Sacræ Facultatis Parisiensis doctrina prius tradita, nimirum a Patribus qui ante *Gregorium* VII. Ecclesiam Scriptis suis illustrarunt: Itaque dogma de indirecta Sedis Apostolicæ Potestate in temporalia Regum, extraneum & falsum est: Dogma vero Ecclesiæ Gallicanæ & Parisiensis Academiæ asserentium Reges soli Deo in temporalibus subesse, nec usquam a Romano Pontifice posse exauctorari, Dominicum, & verum est. Opponimus rursus illi Scholasticorum & Jurisperitorum inter se non consentientium catervæ (quidam enim indirectam dumtaxat, alii & directam in Regum temporalia Potestatem Romano Pontifici tribuunt) hæc *S. Basilii* verba Epistola 61. ad Antiochenam Epistolam: *Fidem porro nos neque ab aliis scriptam nobis recentiorem suscipimus, neque ipsi mentis nostræ sobolem tradere audemus, ut ne humana arbitrentur pietatis verba; sed quæ a Sanctis Patribus edocti sumus, ea interrogantibus nos annuntiamus*. Opponitur quod *S. Augustinus* Epistola 19. ad *S. Hieronymum* scribit: *Solis eis Scripturarum Libris, qui jam Canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum Auctorem in scribendo aliquid errasse firmissime credam . . . . Alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate doctrinaque præpolleant, non ideo verum putem quia ipsi ita senserunt: sed quia mihi vel per illos*

Au-

Auctores Canonicos, vel probabili ratione quod a vero non abberreat, persuadere potuerunt. Opponimus præclaram *Vincentii Lirinensis* sententiam Commonitorii Cap. 4. „ Quid faciet Christianus Catholicus, si se aliqua Ecclesiæ particula ab universalis fidei communione præciderit? Quid utique, nisi ut pestifero corruptoque membro sanitatem universi corporis anteponat? Quid si novella aliqua contagio non jam portiunculam tantum, sed totam pariter Ecclesiam commaculare conetur? TUNC ITEM PROVIDEBIT UT ANTIQUITATI INHÆREAT, QUÆ PRORSUS JAM NON POTEST AB ULLA NOVITATIS FRAUDE SEDUCI. *Opponimus verba* S. Bernardi *ad Canonicos Lugdunenses scribentis*: „ Numquid Patribus doctiores aut devotiores sumus? Periculose præsumimus, quicquid ipsorum in talibus prudentiam præterivit. Nec vero id tale est, quod nisi præferendum fuerit, Patrum quiverit omnino diligentiam prætetiisse „. Opponimus verba *S. Thomæ* Opusculo 22. *De Forma Absolutionis*, ad Generalem Ordinis nostri Magistrum, Cap. 2. Anonymi argumentis respondentis, qui veterum quorumdam Theologorum auctoritate sententiam suam tuebatur. „ Inducit sic sensisse quosdam antiquos & famosos Magistros, scilicet Magistrum Guillelmum de Autisiodoro, & Magistrum Guillelmum quondam Episcopum Parisiensem, & Dominum Hugonem quondam Cardinalem, de quibus quod ita senserint, non constat. Sed etsi ita senserunt; NUMQUID EORUM OPINIO PRÆJUDICARE POTERIT VERBIS DOMINI, &c. NUMQUID, ETIAMSI NUNC VIVERENT, PRÆJUDICARE POSSENT COMMUNI SENTENTIÆ MAGISTRORUM PARISIUS REGENTIUM QUI CONTRARIUM SENTIUNT? Licentiato Lovaniensi Censuram Lovaniensium Doctorum adversus vagæ probabilitatis doctrinam, & alias Christianæ Moralis corruptelas opponimus, quæ plurimos Articulos damnarunt, quamvis ab illustribus omnium Nationum Scriptoribus assertos & propugnatos. Opponimus verba *Prosperi Fagnani* in 1. P. 1. Decretalium, *De Constitutionibus* Cap. *Ne innitaris*; ubi de opinionum probabilitate scribens, hæc habet: „ Verumtamen (ut inquit Menochius, De Præsump. Lib. 2. Præsumpt. 7. Num. 39.) non dicitur communis opinio quæ plures Doctores eam asserentes habet, nulla disputatione præmissa, sed perfunctorie, & (ut ajunt) per transennam illam sequentes. Et concordat Alciatus De Præsumpt. Reg. 1. Præsumpt. 51. Num. 2. Card. Mantic. De Conjecturis ultim. voluntat. Lib. 11. Tit. 3. Num. 4. Thom. Sanchez in Decal. Lib. 1. Cap. 9. Num. 9. ubi similiter ait: Non dicitur autem communis ex Auctorum numero qui priorum vestigia instar ovium sequentes, nulla discussione præmissa, eam affirmant, sed communis dicetur si pauciores Doctores habeat, qui utriusque partis rationibus discussis & perpensis illam affirment. Et idem monuit Bassæus in Floribus Theologiæ Moralis, verbo *Conscientia*, *Num.* 8. in hæc verba: Opinionem probabilem non facit multitudo Doctorum eam sequentium, si eam non confirment optimis rationibus: quia negare non possumus turbam Doctorum aliquando amplecti opinionem absque delectu rationum, aut saltem rationibus non exacte ponderatis. Unde optime Navarrus in Manuali Cap. 27. Num. 289. ait, Communiorem censeri opinionem approbatam a sex aut septem Auctoribus Classicis, rem ex professo tractantibus, quam a quinquaginta sola fere priorum auctoritate ductis. Consentiunt Comitolus, & Joannes Major.... Consentiunt Jurisperiti, qui unanimiter tradunt, Communem opinionem non esse attendendam, cum contraria melioribus rationibus, & argumentis probatur. Ita Joannes Andreas, Abbas, & Pelinus in Cap. 1. supra eodem, & complures alii quos supra citavimus in 3. Quæst. Num. 276. quibus addimus Rotam Decisione 501. post princip. part. 1. diversf... Quinimo justius & æquius est illi sententiæ adhærere, quæ melioribus rationibus fulcitur, etiamsi Imperator sit in opinione contraria. *L. Æmilius*, *ff. de Minor*. Decius *Consil.* 219. *Versi bis*. Quo enim quis magis ratione nititur, eo majoris auctoritatis ejus verba esse videntur, ut legitur in §. 1. Dist. 20. Unde Augustinus dicebat: Verbo credendum, disputatione pugnandum, ratione vincendum, „ ut refertur in cap. *Fides*. 23. Quæst. 6. Quamvis itaque multi Scholastici & Jurisconsulti ab annis quadringentis opinionem illam docuerint, Romanum scilicet Pontificem indirectam Potestatem habere in temporalia Regum, inepte ex eo colligit Frater *Deaghien*, illam esse Traditioni consonam, verbo Dei consentaneam, & probabiliorem; cum Theologici Dogmatis inconcussa veritas ex Scriptura Sacra & Veterum Patrum Sententiis inter se collatis, consentientibus; idemque aperte, frequenter, perseveranter asserentibus, non ex recentioribus Auctoribus probetur. Gallicanæ autem Ecclesiæ & Sacræ Facultatis Parisiensis, de suprema & nulli in terris Potestati, etiam Pontificiæ, in temporalibus obnoxia Regum auctoritate, sententia, Scripturæ Sacræ Oraculis, Veterum Patrum, & Romanorum etiam Pontificum usque ad *Gregorium* VII. testimoniis, totius Ecclesiæ Catholicæ per duodecim sæcula consensu nititur: eamdemque non solum *Gersonius*, Cardinalis *Cusanus* Lib. 3. de Concordantia Catholica, *Joannes de Parisiis*, Lib. de Potestate Regia & Papali, *Joannes Major*, in Cap. 16. S. Matthæi; *L. Bochellus* in Collectione Decretorum Ecclesiæ Gallicanæ, *Leschasserius*, in Tractatu de Libertatibus Antiquis & Canonicis Ecclesiæ Gallicanæ, *Gregorius Blacuellus* Archipresbyter Anglus, *Barclaius*, *Wiudrigtonus*, *Edmundus Richerius*, *Raymundus Carron* eruditus Ordinis FF. Minorum Theologus, in Lib. contra Censuram Lovaniensem, *Pithæus*, *Petrus de Marca* in Libris de Concordia Sacerdotii & Imperii, *Joannes Launoius* passim in Epistolis, *Baluzius*, omnes Angliæ Catholici, id est cum Ecclesia Romana communione conjuncti, plurimi aliarum Nationum viri doctissimi, quorum testimonia profert *P. Carron*, in illo suo contra Lovanienses Opere; sed totius Ecclesiæ Gallicanæ Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Doctores, Jurisperiti, Academia Parisiensis omnium orbis Christiani Academiarum Princeps, Andegavensis, Cadomensis, Remensis, Bituricensis, Pictaviensis, Tolosana, Burdigalensis, Cadurcensis, Aquensis, Valentina, Nannetensis, Pontimussana. Qua fronte igitur Frater *Deaghien* scribit: „ Omnium non modo Theologorum, verum & Jurisconsultorum sententia est, Romano Pontifici inesse Potestatem in temporalia Regum, si paucos demas, ut Barclaium, VVindrigtonum a Doctoribus Catholicis hac in re refutatos, Richerium a Senonensi & Aquensi Archiepiscopis & eorum Suffraganeis proscriptum, & si qui alii sint a nota non immunes? Quasi vero Gallicani omnes Episcopi & Doctores, Sacræ præsertim Facultatis Parisiensis, omnesque hujus Regni Magistratus & Jurisconsulti, qui nullam Romano Pontifici Potestatem inesse in temporalia Regum palam asserunt & propugnant, nullo numero & loco inter Theologos vel Jurisperitos haberentur; aut Ecclesia Gallicana, Sacra Facultas Parisiensis, Academiæ Regni ceteræ, Magistratus Integerrimi ac Doctissimi, a nota (ut ipse loquitur) immunes non essent. Siccine vir Sapiens loqui potest? *Barclaium & VVadrigtonum* a Doctoribus Catholicis hac in re refutatos ait: quasi & ipsi Catholice non sensissent. *Richerium* a duobus Archiepiscopis damnatum ait. Quid ad rem? Cum propterea damnatus non fuerit, quod auctoritatem omnem in temporalia Regum Romano Pontifici adimeret: sed ob alias propositiones, expositiones, & allegationes, quæ Religiosissimis Præsulibus censura dignæ visæ sunt. Unde Synodus Senonensis hanc exceptionem adhibet in Libris ipsius *De Ecclesiastica & Politica Potestate*, Damnatione; *Juribus tam Regis, quam Ecclesiæ Gallicanæ, ejusque Immunitatibus & Libertatibus per nos non tactis*. Suprema porro & a quovis in terris Potestate in temporalibus independens Regum Auctoritas, Regiorum Jurium præcipuum est, & Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ fundamentum.

Adde quod aliqui ex illis Theologis, quos laudat Frater *Deaghien*, indirectam Romani Pontificis in Regum temporalia Potestatem non admiserunt; nonnulli Jurisperiti, quorum testimonia profert, directam etiam potestatem & Supremum in omnia Regna Dominium ipsi asseruerunt, ita ut Imperatores & Reges sint meri Summi Pontificis Vicarii; omnes autem vel nullis, vel levissimis rationibus nituntur. Hæc sigillatim demonstrarem, si necesse foret, nec illud a *Barclaio* confectum esset, in Examine Prolegomenon Cardinalis *Bellarmini*, qui eamdem Scholasticorum Theologorum & Jurisperitorum aciem hac in controversia instruxerat. Quis favere Licentiato Lovaniensi putet *Gersonium*, in Sermone coram Rege Christianissimo habito pro pace Ecclesiæ & unione Græcorum, Consideratione V. dicentem? *Nec dicere oportet: Omnes Reges vel Principes hæreditatem eorum vel terram tenere a Papa & de Ecclesia, ut Papa habeat superioritatem civilem & juridicam super omnes, quemadmodum*

dum aliqui imponunt Bonifacio VIII. Omnes tamen homines, Principes, & alii, subjectionem habent ad Papam in quantam eorum jurisdictionibus, temporalitate & Dominio abuti vellent contra Legem Divinam & Naturalem; & potest superioritas ista nominari potestas directiva & ordinativa, potius quam civilis & juridica. An quæso jure privari posse Principes ditionibus suis, & bonis temporalibus sensit ille, qui juridicam in ipsorum temporalia potestatem Summo Pontifici negat? An vero potestas directiva & ordinativa est potestas auferendi Regna, Dignitates, & bona temporalia? An Episcopi in Diœcesanos suos, Curati in Parochianos potestatem directivam & ordinativam non habent? An propterea Magistratus qui sua jurisdictione; an cæteros qui suis bonis contra Legem Divinam & Naturalem abutuntur, abdicare, & exhæredare possunt? Quis Licentiato Lovaniensi favere putet *Almainum*, cujus non sunt verba ab illo laudata, sed *Occami*, quem Doctoris nomine passim indigitat, eo in libro, cui titulus est: *Expositio circa Quæstionum Decisiones Magistri Guillelmi Occami super Potestate Summi Pontificis*? Cum exposita *Occami* sententia Cap. 9. alios Doctores, seque ipsum ab eo dissentire significet, „ Si „ contingeret (*inquit*) Principem Sæcularem abuti re „ sua in perniciem Christianitatis, vel Fidei, ita quod „ ille abusus esset in maximo nocumento pro consecu„ tione felicitatis æternæ, non negat quin in tali „ casu Papa possit eum deponere, ETSI ALII DO„ CTORES HOC NEGENT. Patet quia esset occa„ sio quod ratione talis potestatis Papa efferretur in „ maximam superbiam, & illa plenitudo potestatis es„ set multum damnosa subjectis; & sic non est verisi„ mile quod Christus ei talem contulerit potestatem. Et cap. 12. Quæstionis II. hæc ab *Occamo* disputando potius quam asserendo dicta significat, ac in opinione opposita, quæ longe probabilior est, ipsum fuisse ait: *Opinio Doctoris simpliciter probabilior est* (inquit) *quod nec per excommunicationem, nec alio modo potest Papa Principem deponere a sua Dignitate Imperiali & Regali*. Quis favere Licentiato Lovaniensi dixerit *Herveum Natalem*, quia Tractatu *De Potestate Papæ*, §. *Ad evidentiam* scripsit, Ad summum Pontificem pertinere *corrigere omnem abusum tam Potestatis Ecclesiasticæ, quam terrenæ, in quocumque existente de populo Christiano*? Abusus omnes etiam terrenæ Potestatis a Romano Pontifice pœnis spiritualibus castigari, scilicet Ecclesiasticis Censuris, non vero pœnis temporalibus agnovit *Herveus*. Qui ex his *Hervei* verbis colligit ipsum sensisse, quod Summus Pontifex Principes Ditionibus suis ac bonis temporalibus privare possit, tam recte ratiocinatur ac ille qui colligeret, Lovaniensem Prædicatorum Priorem jus habere tondendi aures & nasum Fratri *Denghien*, quia jus habet ipsum corrigendi. Quid absurdas, blasphemas, hæreticas Propositiones recenseam quorumdam ex illis auctoribus, quos laudat in suæ patrocinium sententiæ Licentiatus Lovaniensis? Pag. 417 hæc ex *Petro Bertrando* refert, approbatque: „ Item quia Christus Filius Dei, dum fuit „ in hoc mundo, & etiam ab æterno, naturalis Do„ minus fuit: & jure naturali in Imperatores & quo„ scumque alios depositionis Sententias ferre potuisset, „ & damnationis, & quascumque alias, utpote in per„ sonas quas creaverat, & donis naturalibus & gratui„ tis dotaverat, & etiam conservabat; & eadem ra„ tione ejus Vicarius potest. Nam non videretur di„ scretus Dominus fuisse (ut cum reverentia ejus lo„ quar) nisi unicum post se talem Vicarium reliquis„ set, qui hæc omnia posset. Fuit autem iste Vica„ rius ejus Petrus; & idem dicendum de Successoribus „ Petri „. Summum Pontificem in quoscumque homines omnis generis Sententias ferre posse, quas Christus quatenus Deus, quatenus Creator, quatenus Servator ferre potest, quid est aliud quam omnipotentem esse, proindeque Deum? Quid aliud, quam in omnium ac singulorum hominum opes, in omnium corpora, in omnium animas absolutam Dominii habere potestatem; vitæ mortisque cum temporalis, tum æternæ jus & arbitrium habere, posse etiam in nihilum, si velit, singulos homines redigere? Hæc vero Summo Pontifici tribuere, & Christum accusare imprudentiæ, nisi has ipsi prærogativas contulerit, nonne absurdum, blasphemum, & hæreticum est? Quid *Joannis de Sylva* Tractatu de *Beneficiis*, P. 3. Quæst. 8. errores commemorem, loco a Fratre *DENGHIEN* laudato asserentis, Papam *contra Jus Divinum* dispensare posse, *cum sit Deus in terris*; ideoque in Judiciis lege illa Divina non teneri: *In ore duorum vel trium stat omne verbum*; & solvere posse Matrimonium carnali copula consummatum? His tamen erroris sui Suffragatoribus Licentiatus Lovaniensis gloriatur. Nos vero SS. Patrum Oraculis, qui „ Quod invenerunt in Ecclesia, tenue„ runt, quod didicerunt, docuerunt: quod a Patribus „ acceperunt, hoc filiis tradiderunt. Nondum vobi„ scum (*Fratres*) apud istos Judices aliquid agebamus „ & apud eos acta est causa nostra. Nec nos, nec „ vos eis noti fueramus, & eorum pro nobis latas „ contra vos sententias recitamus. Nondum vobiscum „ certabamus, & eis pronuntiantibus vicimus. *Verba* „ S. Augustini *usurpat Lib. 2. contra* Julianum *Pela„ gianum*. Antiquorum (*Frater mi*) appende senten„ tias. Nolo esse plures, ut eas te pigeat numerare, „ Sed non sunt leves, ut eas te pigeat appendere; „ immo tam sunt graves, ut te videam sub eorum „ onere laborare „. Enimvero inanes illas argutias, evanidas subtilitates, sophisticas, absurdas, nihil ad rem facientes responsiones, quibus prolata a F. *Natali Alexandro* SS. Patrum pro Regibus testimonia eludere infeliciter conaris, qui legerit, tibi convenire verba illa *S. Hieronymi* adversus Luciferianos scribentis fatebitur: *Dum amorem contradicendi sequeris, a quæstionum limite excidisti, more quorumdam loquacium potius quam facundorum; qui cum disputare nesciant, litigare tamen non desinunt*.

ARTICULUS IV.

Historiæ Peritorum Judicium de Libello Fratris FRANCISCI DENGHIEN.

I. NOn omnia possumus omnes. Quidam rerum Theologicarum & Sacrarum Literarum ignari in Historia versati sunt: at Frater *Denghien* in hac etiam peregrinus est, quamvis & ad Theologicam eruditionem conferat plurimum. Pag. 21. & sequentibus, Sedis Apostolicæ auctoritatem in Reges probat ex decantato illo *Zachariæ* facto, quem deposuisse *Childericum* Stirpis Merovingicæ postremum Regem plures Auctores fabulantur. Abunde probavi nec *Zachariæ*, nec *Stephani Tertii* auctoritate Regnum Francorum a *Childerico Tertio* ad *Pippinum* translatum esse, narrationem illam plerisque fabulis intermixtam, immo totam fabulo niti de Regum Merovingiorum ignavia & socordia; illius facti testes inter se pugnare, nullo coævorum Auctorum uti testimonio: plures ex iis qui factum illud referunt, solum ea in re *consilium* aut *consensum Zachariæ* tribuere, qui respondent; *Regem potius illum debere vocari, qui Rempublicam gereret*, seu qui *Regia melius obire nosset munera*: scilicet Monachum Engolismensem in Vita *Caroli Magni*, Abbatem Urspergensem in Chronico, *Adonem Viennensem* in Chronico, *Blondum* Lib. 10. Decade 1. *S. Antoninum* 2. P. Chronicorum, Tit. 14. C. 1. §. 2. *Trithemium* in Compendio de Origine Regum & Gentis Francorum Lib. 1. *Nauclerum* Generatione 26. ad annum 750. *Sabellicum* Enneade 8. Lib. 8. Glossam Canonis *Alius* 15. Quæst. 6. *Guillelmum Nangium* in Chronographia MS. *Robertum Gaguinum* Lib. 3. Historiæ Francorum, *Carolum Sigonium* Lib. 3. Historiæ de Regno Italiæ: Hæc (inquam) abunde probavi Dissertatione 2. in Historiam Ecclesiasticam Sæculi 8. At hæc partim dissimulat, partim spernit Frater *Denghien*, neglectisque Historiæ legibus, *Childericum* a *Zacharia* depositum fuisse pertinaciter contendit, quia id referunt Scriptores plurimi, quorum Opera typis edita sunt. Quasi & *Joannæ Papissæ* fabula, & fictitius *Cyriaci* Pontificatus, & *Constantini* Imperatoris lepra ac Donatio, & veterum Pontificum ante *Siricium* Decretales Epistolæ, & alia hujusmodi figmenta non referrentur a Scriptoribus plurimis, qui sine examine illa suis Operibus inseruerunt, more ovium primum aliquem fabulatorem sequuti, & euntes non quo eundum erat, sed quo ab aliis ibatur.

F. Denghien aberrationes circa Zachariæ factum & Childerici historiam.

II. *S. Medardi Suessionensis* Chronographum secutus, qui oppositas Laureshamensium Annalium & *Anastasii Bibliothecarii* narrationes in Chronicon suum absque judicio retulit, Pippinum bis unctum fuisse in Regem fabulatur Frater *Denghien*, primum a *S. Bonifacio* Archiepiscopo, anno 750. deinde a *Stephano* anno 754. atque adeo *Childericum* Regem bis tonsum & Monachum factum, primo *Zachariæ* jussu, deinde ab ipso *Stephano Tertio*.

III. Testem advocat *Pium secundum* in Oratione ad Christianissimi Regis Oratores in Mantuano conventu, qui *Zachariam* contulisse *Pippino* regimen, nomen, & gubernationem asserit, missisque Legatis Regem totondisse, & in Monasterio reclusisse: nec

animad-

animadvertit id ita intelligendum ut consilio, non auctoritate & jussione id præstiterit *Zacharias*, ut ipse *Æneas Silvius*, seu *Pius secundus* in Epitome Lib. 10. Decadis 1. *Flavii Blondi* exponit his verbis: *Sunt qui dicunt, Francorum Proceres Zachariam Papam consuluisse, ineptum-ne Regem tolerarent, an Pippinum Dignitate Regia dignum assumerent? Cumque respondisset Pontifex, eum qui Regia melius obiret munera præferendum, Francos, publico totius gentis consilio Pippinum Regem declarasse, Childerico in Clericum tonsurato*. Adde Christianissimi Regis Oratores *Pio secundo* publice respondisse: *Regem nulli in terris subjici, nec cuiquam humanæ subjacere Potestati*.

IV. *Godefridum Viterbiensem* laudat F. Denghien in Chronico scribentem, *Zachariam* ad Francos Epistolam scripsisse de *Childerici* depositione:

Litera Papalis Francis celeberrima venit,

Quæ nimirum in Archivis Palatii Somniorum, in mundo Lunari asservatur.

V. Dixeram *Zachariam* tanti rem momenti non facturum sine Synodo, quam in gravioribus causis congregari Ecclesiæ mos erat, ac Romanorum Pontificum usus. Respondet Frater Denghien: *Rem non fuisse tanti momenti*, quanti eam facio; *ut Synodi congregatione opus fuerit*. Regum exauctoratio, Regnorum translatio, nullius momenti negotia sunt, secundum judicium Fratris nostri qui forte Prioris aut Provincialis depositionem alicujus momenti negotium censeret. Sic enim Viri plerique Claustrales judicant.

VI. Disciplinam Ecclesiasticam in Galliis pessumdatam fuisse, nullam per annos octoginta Synodum habitam, Sedes Episcopales Laicis ad possidendum fuisse traditas, refert ex Epistola 132. *S. Bonifacii* Moguntini Archiepiscopi ad *Zachariam* Papam; indeque colligit *Zachariam* potuisse ac debuisse *Childericum* deponere, Regem adolescentem, nec monitum, nec auditum, qui horum malorum auctor non erat, in Saracenorum incursus, in temporum calamitatem, in *Carolum Martellum* patrem *Pippini* refundendorum.

VII. Orationem a *Scipione Dupleix* recentiore Historico *Burchardo* ad Sedem Apostolicam (ut ait) Legato affictam, velut certissimum & antiquitate ipsa venerandum monumentum profert, moris Historicorum ignarus, qui sæpe Orationes hujusmodi historiæ suæ inserunt ad ornatum, non quales habitæ sint, sed quales haberi potuerint: Unde & a diversis Scriptoribus diversæ quandoque Orationes iisdem personis, in iisdem rerum, temporum, & locorum circumstantiis tribuuntur. O infirmam certe Lovaniensis Licentiati causam, quæ hoc *Scipione* nititur!

VIII. Optime cohærere ait, *Pippinum* secundum morem Francorum electum esse Regem, & Apostolica *Zachariæ* auctoritate exaltatum. Quasi mos Francorum fuisset ut Regem Pontificia nominatione acciperent. Loiselianos, Tilianos, & Laureshamenses Annales utrumque asserere objicit. Fateor; ideo ipsos pugnantia tradere, & nullam ipsis ea in re adhibendam fidem observavi.

F. Denghien aberrationes in Historia Gregorii secundi & Leonis Isaurici.

IX. *Gregorium secundum* Potestatem indirectam in Regum temporalia exercuisse probat Frater *Denghien* pag. 80. quod *Leonem Isaurum* Imperatorem, ob proscriptum Sacrarum immaginum cultum, exactione tributorum Italiæ privaverit, ut *Theophanes*, *Zonaras*, *Cedrenus*, & *Sigebertus* testantur.

Hoc vero argumentum a me profligatum est Dissertatione 5. in Historiam Ecclesiasticam Sæculi 8. Ex ipsius *Gregorii secundi* Epistolis, ex *Paulo Diacono* & *Anastasio Bibliothecario*, quibus major hac in re quam Græcis adhibenda fides; ex Gestis *Gregorii tertii*, qui *Gregorio secundo* immediate successit, aliisque momentis gravissimis demonstravi, hunc Pontificem *Leonem Isaurum* Tributorum exactione non privasse, nec Romam, Italiam, totumque Occidentem ab ejus obedientia abstraxisse, aut ab ipso defecisse, ut *Theophanes*, *Zonaras*, *Cedrenus*, *Sigebertus* falso scripserunt. Quid ad hæc Lovaniensis Licentiatus? *Bellarminum*, *Baronium*, *Genebrardum*, recentiores Auctores, qui in eodem Historiæ capite sunt hallucinati, pro solutione affert. *Commonitorias & adhortatorias* literas ad *Leonem Isaurum & Constantinum* Imperatores a *Gregorio tertio* datas ut ab errore resipiscerent ac se removerent, cum negare non possit, id referente Anastasio Bibliothecario *& cunctam generalitatem Italiæ similiter pro erigendis Imaginibus Supplicationum Scripta unanimiter ad eosdem Principes direxisse*: quod certe ipsos facturos nemo sibi persuaserit, si adversus illos rebellassent, ipsisque vectigalia pendere recusassent: Respondet summi vir judicii: *Etsi Gregorius Tertius &* Itali *Leonem* ut Imperatorem agnoverint, id nihil urgere: *Erat enim* (inquit) *Orientis Imperator, etsi parte Imperii esset mulctatus*. Tam inepta responsa retulisse, & ridenda Sapientibus exposuisse, confutasse est. Si Imperii parte mulctasset *Leonem Isaurum* Summus Pontifex *Gregorius Tertius* quis credat ipsum permissurum ut pars illa Imperii, quam ab ejus obedientia abstraxisset, Supplices ad eumdem velut ad Imperatorem ac Dominum suum Libellos dirigeret? Non-ne vacantem illam imperii partem alteri regendam ac tuendam commisisset? Non-ne *Carolum Martellum* Franciæ Majorem Domus, cujus auxilium adversus Longobardorum tyrannidem iam enixe implorabat, aut alterum Principem, ad capessendum novum Imperium invitasset? Nonne saltem in duabus, quas ad *Carolum Martellum* scribit, Epistolis, aliquid de Italiæ mutatione, deque defectione a Græcis Imperatoribus cum ipso communicasset?

Aberratio F. Denghien in Historia S. Gregorii & Mauritii Imperatoris.

X. Ex *Agathone* Papa, *Martino I.* & *S. Gregorio Magno* lib. 2. Epistola 62. ad *Mauritium* Imperatorem, probaveram, Imperatoribus præstandam semper obedientiam in iis quæ Jura Reipublicæ spectant. Observaveram, quod res est, Sanctissimum Pontificem Legem Imperatoris *per diversas terrarum partes transmisisse*, prout in Mandatis acceperat, quia *jussioni subjectum* se agnoscebat, & *Imperatori obedientiam* debere ut *Domino suo*. Solum ejus Majestati pro officii sui ratione suggessisse, hanc Legem omnipotenti *Deo* minime concordare, quæ viam salutis arctaret. Quid ad hæc Frater *Denghien*? Præter calumnias, quas loco suo discutiemus, respondet: „ *S. Gregorium* sic jussionem Imperatoris adimplevisse, eam promulgando, ut simul illius corrector, emendator, & censor extitesit; maximumque ediderit specimen Pontificiæ super Imperium Potestatis. Unde vero id probat? Ex oraculo suo *Baronio*, ad annum 593. n. 19.

S. Gregorium latam a *Mauritio* Imperatore Legem temperasse fatemur, cum eam ad Metropolitanos misit, seu potius ejus executionem suspendisse, donec a Principe fuisset temperata. Duo prohibuerat *Mauritius*; Primum, ne Clero adscriberetur, qui publicis actionibus se immiscuisset, reddendisque rationibus esset obnoxius: Secundum, ne illi qui publicas actiones egisset, aut manu signatus inter Milites fuisset, in Monasterio *converti* liceret. Primam partem Legis absque exceptione *S. Gregorius* promulgavit; alteram adhibita moderatione, jubens ne Milites qui converti cuperent, temere susciperentur, sed cum delectu. Sed hæc Imperatoriæ Legis moderatio, vel suspensio facta non est a *S. Gregorio* auctoritate Primatus & ex plenitudine Pontificiæ Potestatis, sed ipsius Imperatoris delegatione, quemadmodum Præfectis-Prætorio licebat ex delegatione Principis Leges novas ad se missas in aliquo capite temperare, aut ab executione abstinere, si in Reipublicæ detrimentum cessuræ viderentur, donec Relationem ad Principem misissent; prout Novella *Justiniani* 152. sancitum erat. Secundum hoc exemplum Constitutiones externam Ecclesiæ Politicam spectantes ad Patriarchas mittebantur, ut eas ad Metropolitanos dirigerent, & in Provincias promulgari curarent. Patriarchæ vero eodem jure usi hac in occasione, qua Præfecti-Prætorio, Edicta Ecclesiæ incommoda temperare poterant, aut executioni supersedere, auctoritate Principis, donec ipsum de incommodis ex hujusmodi Edictorum executione emergentibus certiorem fecissent. Id *S. Gregorius* præstitit. Missa ad Imperatorem Relatione, ipsum rogavit ut Legem, quæ viam salutis arctabat, inflecteret. *Aut temperando* (inquit) *Pietas vestra, aut immutanda, vigorem ejusdem Legis inflectat*. Eam vero Legem prudenti moderatione temperatam ad Metropolitanos mittens, temperamentum illud Imperatori acceptum fore asserit. *Qua de re* (inquit) *etiam Serenissimus & Christianissimus Imperator, mihi credite, omni modo placatur, & libenter eorum conversionem suscipit, quos in rationibus publicis implicatos non esse cognoscit*. Hæc Archipræsulis doctissimi *Petri de Marca* observatio est, Lib. 2. *De Concordia Sacerdotii & Imperii*, Cap. 12. Legatur & in Præfatione 2. ejusdem Operis, Numero 5.

XI. *Gregorii Septimi* Decessores indirectam in temporalia Regum Potestatem exercuisse probat F. *Denghien* pag. 82. ex facto *Leonis Tertii*, qui Imperium a Græcis ad Germanos transtulit, & *Carolo Magno* Ecclesiæ Defensori contulit. Eam Translationem me fateri ait Dissertatione 5. in Historiam Ecclesiasticam Sæculi Noni, in qua scripsi: „ *Carolum Magnum* Imperiale nomen ac Dignitatem, ac Imperia-

„ lia

„ lia Insignia accepisse *Leonis Tertii* auctoritate, qui „ ipsum coronavit, & Romanis auctor fuit ut ipsum „ Imperatorem salutarent.

Imperii translatio auctoritate Leonis tertii fictitia.

Ex hujusmodi Translatione Potestatem indirectam Sedis Apostolicæ in Imperium & Imperatorum temporalia colligi non posse, probavi satis in illa Dissertatione quam laudat Frater *Denghien*: Sed Assertiones, Probationesque nostras dissimulat, ut responsionis onere levetur, malæque fidei, ut in cæteris specimen præbet. Primo, falsum est quod Imperii Translationem a *Leone Tertio* factam concesserim: Immo ipsam ut commentum rejeci. Allatis enim Cardinalis *Bellarmini* rationibus, ipsas refellere aggressus, dixi, pag. 2. *Verum hæc Translationem Imperii nullatenus probant, &c.* Et pag. 3. *Nec a Græcis ad Francos a Leone* III. *translatum Imperium dici potest, si proprie vox illa*, Translatio, *sumatur: cum Imperio spoliati Principes Græci non sint, nec ullas ab ipsis Provincias aut Urbes Leo Pontifex abstulerit, aut Carolo Magno contulerit. Sed iisdem potiti sunt ditionibus cum in Oriente tum in Occidente, post Caroli Magni Inaugurationem, quas possidebant antequam Imperator salutaretur. Nec ex Imperatorio titulo auctæ fuerant Caroli Magni ditiones, aut ei major in populos, quibus antea præerat, accessit Auctoritas.* Quod non tantum a me dictum, sed ibidem firmissimis momentis probatum est. Addidi pag. 5. *Quarto nec Urbis Romæ Dominium tunc Carolo Magno delatum est, cum inauguratus est Imperator, cui se jam dediderant Romani anno Christi 796. ut Annales Laureshamenses testantur, &c.* Quis igitur non videat quam audacter mihi affingit Frater noster, eum ita scribit: *Eam Translationem Pater Natalis profitetur in Historia Sæculi* IX. *Dissertatione I.*? Addo quidem, Imperiale nomen ac Dignitatem, ac Imperialia Insignia *Carolum Magnum* auctoritate *Leonis Tertii* accepisse, quia auctor fuit Romanis ut ipsum Imperatorem salutarent, eumque coronavit. Sed dissimulat Frater noster quod ibidem subjunxit: Facti quidem *Ducem & Auctorem fuisse Leonem Papam*, sed id factum *applaudentibus Romanis, suoque consensu, & communi lætitia significatione ipsum pro sua parte Imperatorem constituentibus*. Quod ex *Anastasio Bibliothecario* in Vita *Leonis Tertii* probavi dicente: *Tunc universi fideles Romani videntes tantum defensionem & dilectionem, quam erga Sanctam Romanam Ecclesiam, & ejus Vicarium habuit, unanimiter altisona voce, Dei nutu, atque B. Petri Clavigeri Regni cælorum, exclamarunt: Carolo Piissimo Augusto a Deo coronato, Magno, Pacifico Imperatori, vita & victoria. Ante Sacram Confessionem B. Petri Apostoli plures Sanctos invocantes, ter dictum est: ET AB OMNIBUS CONSTITUTUS EST IMPERATOR ROMANORUM.* Ex Annalibus Laureshamensibus subdidi, *Leonem* III. post Senatus Populique Romani faustas acclamationes, *Carolum Magnum* ut Dominum suum jam nova dignitate radiantem adorasse: *Post quas laudes* (inquiunt) *a Pontifice, more antiquorum Principum adoratus est, ac deinde omisso Patritii nomine, Imperator & Augustus appellatus.* Nudum quidem titulum *Carolo Magno* a *Leone* Papa collatum non fuisse dixi, sed Dignitatem amplissimam sublimi titulo respondentem, *Christianæ scilicet Reipublicæ ac Ecclesiæ universæ, præsertimque Romanæ, Tutoris ac Defensoris.* Quod late ibidem explicui. At nemo sani capitis collegerit, illos qui in Protectore ab aliqua hominum Societate eliguntur, ipsis in temporalibus indirecte subditos esse. Alia non repeto, quæ in illa Dissertatione a me stabilita, & probata contra *Bellarmini* & *Baronii* Cardinalium Assertionem de Translatione Imperii a Græcis ad *Carolum Magnum*, Frater noster mala fide dissimulavit.

Pium II. in Responsione ad Gallos Oratores in conventu Mantuano laudat Licentiatus Lovaniensis, asserentem; *Leonem tertium Imperium de Græcis ad Germanos in persona magnifici Caroli Magni transtulisse. Honoratam esse præ cæteris Francorum Gentem, & in sublimi vertice montium a Romana Ecclesia suscepto Imperio collocatam.* Verum hæc ita intelligenda, ut non solius *Leonis* III. Auctoritate, sed & communi Cleri, Senatus, Populique Romani consensu, Imperator appellatus fuerit *Carolus Magnus*, jam antea Urbis & maximæ partis Italiæ Dominus, ex ipsomet *Ænea Sylvio* postea *Pio secundo* compertum est, Epitome Libri 1. Secundæ Decadis *Blondi*, ubi hæc habet: *Pontifex Leo celebratis Solemnibus apud Beati Petri Reliquias, ROMANI POPULI SCITO AC PRECIBUS CAROLUM IMPERATOREM ROMANORUM DECLARATUM DIADEMATE DECORAVIT*, acclamante ter populo: *Carolo Augusto a Deo coronato, Magno & Pacifico Imperatori, vita & victoria.* Et Lib. De Ortu & Auctoritate Imperii Romani, cap. 9. *Demum vero negligentibus Romam Græcis, eamque nunc Barbarorum, nunc aliorum direptioni relinquentibus, Populus iste Romanus, qui suo sanguine tantum paratat Imperium, qui suis virtutibus Monarchiam fundaverat, orbis, venientem in auxilium ejus Carolum Regem, natione Germanum, qui Urbem sacraque loca ab omni hostium incursione defendit, primo Patritium, post Augustum, concurrente Summi Pontificis consensu, salutavit Cæsarem.* Populi Romani consensu *Carolum Magnum* salutatum & creatum Imperatorem pariter testantur *Sigebertus* in Chronico ad annum 801. *Vincentius Bellovacensis* in Speculo Historiali Lib. 23. *Paulus Æmilius*, Lib. 3. & *Naucleras* Generatione 16. ad annum 800. Quamobrem si colligere licet, Summum Pontificem habere potestatem in temporalia Regum, quia *Leo Tertius* Imperatoris nomen ac dignitatem *Carolo Magno* contulit: pari jure ac ratione colligere licebit, Senatum Populumque Romanum eamdem auctoritatem habere, quia & ab ipsis constitutus est Imperator Romanorum.

XII. Ex aliu facto indirectam Romani Pontificis in temporalia Regum auctoritatem probat Frater *Denghien* pag. 86. „ Item (inquit) *Gregorius quartus* „ Decretum Francorum, quo *Ludovico Pio* Imperium „ auferebatur, sua auctoritate rescidit, & Imperium „ *Ludovico* restituit, ut refert *Paulus Æmilius* Lib. „ 3. Idem & *Marianus Scotus* Lib. 3. Chronici com„ memorat.

F. Denghien aberrationes in Historia Gregorii quarti & Ludovici Pii.

Imperium *Ludovico Pio* a filiis perduellibus tyrannice ablatum, qui Populum ad defectionem sollicitarunt; qui Episcopos conjurationis suæ ac perduellionis participes ad illum vexandum impulerunt, ut publicæ Pœnitentiæ addictus in Monasterium secedere cogeretur; qui *Judithan* uxorem ab ipso avulsam in exilium deportarunt, Francorum Historiæ testantur. Hæc omnia inique gesta, ipso jure irrita, utpote contra jus naturale, divinum, gentium, attentata; adeoque execranda. *Lotharius*, aliique filii perduelles assumpto secum *Gregorio IV.* adversus Patrem cum ingenti exercitu processerant. Sequester pacis veniebat Pontifex, ut ipse declaravit: nihilominus eum rumor percrebuisset, ipsum a filiorum perduellium partibus contra Patrem Augustum stare, & Episcopos Pio Imperatori fideles excommunicare velle: Gallicani Præsules ipsi denuntiarunt: *Nullo modo se velle ejus voluntati succumbere: sed si excommunicaturus adveniret, excommunicatus abiret, cum aliter se habeat antiquorum Canonum Auctoritas* (ut supra observavimus ex *Astronomo* in Vita *Ludovici Pii*.) Hæc anno 833. gesta. Anno sequenti *Ludovicus Pius* Imperium & *Judithan* uxorem recepit, non Pontificis auctoritate, sed *Ludovici* & *Pipini* filiorum auxilio, qui a *Lothario* divulsi sunt pœnitentia ducti, nec-non ipsius tyrannidis odio, quem universum Imperium invadere velle certo noverat. *Lotharius* enim Patrem dimisit in *S. Dionysii* Monasterio, cogentibus fratribus & Proceribus, qui triplici cum exercitu ipsi imminebat. Ibi Populus, qui ab Imperatore defecerat, ad illius obedientiam rediit, communique Sacri & Laici Ordinis concursu corona & arma ipsi ritu solemni restituta sunt. Rem ita referunt *Astronomus*, *Theganus*, & *Nithardus*, quorum testimonia protuli Dissertatione 11. in Historiam Ecclesiasticam Sæculi 9. & 10. cui titulus est: *De Ludovici Pii Imperatoris Exauctoratione & Restitutione*: In qua hanc Historiam tam diligenter quam prolixe me tractasse confido. Sed hæc omnia mala fide dissimulat Licentiatus Lovaniensis. *Paulus Æmilius* & *Marianus Scotus*, qui Decretum de Imperii abrogatione *Ludovico Pio* rescissum a *Gregorio* IV. Imperium eodem Pontifice jubente illi restitutum commemorant, præ coævis Historicis, qui rebus Palatinis tunc intererant audiri non debent. Nulla Synodus Lugduni habita in causa *Ludovici Pii*, sed Compendii, cujus Decreto Pœnitentiæ quidem publicæ addictus est, non vero exauctoratus, cum ante illius Synodi celebrationem *Lotharius* paternum Imperium invasisset, ut ex *Thegano* Chorepiscopo Trevirensi, *Astronomo*, & *Nithardo*, coævis Scriptoribus in Dissertatione mea probavi. Decretum igitur Lugdunensis Concilii, quod habitum non fuit, *Gregorius* IV. non rescidit; sicque falsi convicta manet *Pauli Æmilii* narratio. Quamquam etsi id verum esse daremus, nulla inde colligi posset Romani Pontificis in temporalia Regum auctoritas; sed tantum Romano Pontifici ratione divini Primatus incumbere, ut legem naturalem ac di-

Tom. XVI.

vinam observari curet; Majestatem Principum tueatur, defectiones subditorum damnet, coerceat aliena restitui, & jus cuique suum sartum tectum servari imperet. Sane si indirectam Romani Pontificis potestatem in temporalia Regum colligit Frater *Denghien*, ex eo quod *Ludovico Pio* Imperium *jubente Gregorio* restitutum *Marianus Scotus* testatus: eadem ratione colligat Romani Pontificis indirectam potestatem in uxores Principum, quia *Ludovicus Pius Judithaa uxorem* pariter *recepit jubente Gregorio* (ut scribit *Marianus Scotus*.) Quod quam ridiculum & absurdum sit, nemo non videt.

Ex Hadriani secundi gestis perperam colligitur indirecta Romani Pontificis in temporalia Regum auctoritas.

XIII. Ex *Hadriani* II. gestis indirectam Romani Pontificis in temporalia Regum auctoritatem probat „ F. *Denghien*, pag. 87. quia nimirum cum *Carolus* „ *Calvus* Rex Francorum occupasset, *Lotharii* Nepotis „ defuncti Regnum *Ludovico* II. Imperatori jure hæreditario debitum, ei restitutionem mandavit, minacibus datis literis; monuit ne quod sibi fieri nollet, alteri faceret; censuras, ni pareret, interminatus est; & *Hincmaro* Archiepiscopo Remensi præcepit, ut si *Carolus* Rex Mandatis Sedis Apostolicæ parere recusaret, ab ejus communione secederet si vellet ipse communione Sedis Apostolicæ frui.

Quid hæc rursus ad Romani Pontificis Potestatem in temporalia Regum probandam? Summos Pontifices, & Episcopos, monere posse Principes, ut & alios spirituali suæ curæ subditos, ut aliena restituant, ut ab injuria aliis inferenda temperent; Censuris etiam in contumaces animadvertere posse, non negamus; sed Reges exauctorare posse inficiamur. Id sibi *Hadrianus* II. non tribuit, ut nec jure poterat. Quid porro *Hincmarus* ad *Hadrianus* II. literas responderint, dissimulandum non erat. Respondit 1. *Carolum* Regem excommunicari non debere, quia nec invasionis convictus erat, nec eam confessus. 2. Se a Regis communione abstinere non posse; & Coepiscoporum communione se privatum iri, si ejus communionem vitet, maxime cum se invasionis perjuriet neget esse reum, nec judicium fugiat, modo secundum Leges & Canones instituatur. 3. Fieri non posse ut Episcopi communione Regis abstineant, nisi a Regno exulare velint. 4. Gallorum Proceres & Magistratus in ea esse sententia. Cum de re sæculari & temporali dominio agitur, nec Auctoritati Ecclesiasticæ, quæ suis finibus, spiritualibus nimirum causis circumscripta est, nec Excommunicationibus locum esse. His enim verbis Episcopos compellabant, ut refert *Hincmarus* Epistola 41. ad *Hadrianum* Papam: „ Petite Dominum Apostolicum, ut quia „ Rex simul & Episcopus esse non potest & sui Antecessores Ecclesiasticum Ordinem, quod suum est, „ & non Rempublicam, quod Regum est, disposuerunt, non præcipias nobis habere Regem, qui nos „ in sic longinquis partibus adjuvare non possit contra „ subitaneos & frequentes Paganorum impetus: & „ nos Francos non jubeat servire, quia istum jugum „ sui Antecessores nostris Antecessoribus non imposuerunt, & nos illud portare non possumus, qui scriptum esse in Sanctis Libris audimus, ut pro libertate & hæreditate nostra usque ad mortem certare debeamus. Et si quis Episcopus aliquem Christianum „ contra Legem excommunicet, sibi Potestatem ligandi tollit: Et nulli vitam æternam potest tollere, si „ eam sua peccata illi non tollunt, & non convenit „ uni Episcopo dicere, ut Christianum qui non est incorrigibilis, non propter propria crimina, sed pro „ terreno regno alicui tollendo, vel acquirendo, nomine Christianitatis debeat privare. Propterea si Dominus Apostolicus vult pacem quærere, sic pacem „ quærat, ut rixam non moveat: quia nos non concredemus ut aliter ad Regnum Dei pervenire non „ possimus, si illum, quem ipse commendat, terrenum Regem non habuerimus. „ Relegi possunt quæ de hoc Historiæ capite scripsi in Synopsi Historiæ Ecclesiasticæ Sæculi 9. & 10. Cap. 7. Articulo 3. a pag. 779. ad pag. 784. Tom. 15. Edit. 1.

XIV. Indirectam Romani Pontificis in temporalia Regum potestatem ex eo probat F. *Denghien* p. 408. „ quod Gallicani Episcopi in Conventu Aquisgranensi „ anno 842. *Lotharium* Imperatorem Regno privarint, „ & in *Carolum* & *Ludovicum* Reges Fratres transtulerint, teste *Nithardo*, qui interfuit. Ergo, inquit, „ a fortiori hanc Potestatem Romano Pontifici tribuebant.

F. Denghien aberratio in Historia Lotharii Imp.

Nithardo imponit, imperitiam in Historiam suam confirmat, *Baronium* errantem sequitur Licentiatus Lovaniensis, *Ludovicus* Germaniæ, & *Carolus Calvus* Burgundiæ & Neustriæ Reges a *Lothario* Imperatore in justo bello vexati, ejus exercitum ad Fontaneum Autissiodorensis agri pagum fuderant 7. Kal. Julii anno 841. Anno sequenti, inito juratoque fœdere *Lotharium* insecuti. Lugdunum usque fugere compulerunt, ac Austrasiam totam, Regnique Burgundici partem relinquere. Justo Bello Regno exciderat *Lotharius*, justo (inquam) ex parte Fratrum: *Ludovico & Carolo* Regnum illud legitime partum capessere noluerunt Religiosissimi Principes inconsultis Episcopis. Qui *Lotharii* gestis consideratis; *Quomodo Patrem suum Regno pepulerit; quoties hoc quod Patri, Fratribusque juraverat, frustraverit, quoties post Patris obitum Fratres suos exhæredare, atque delere tentasset, quanta homicidia, adulteria, incendia, omnigenaque facinora, sua nefandissima cupiditate universalis Ecclesia perpessa sit: Insuper autem neque scientiam gubernandi Rempublicam illum habere, nec quoddam vestigium bonæ voluntatis in sua gubernatione quemlibet invenire posse ferebant.* His (inquam) consideratis, ad Principum consultationem Præsules responderunt; *Lotharium* Justo Dei judicio a Regno excidisse, primum prælio, deinde fuga ejectum. Deumque Regnum illud tradidisse Fratribus *Ludovico & Carolo*, quod ut pie, ac juste administrarent, sunt adhortati. *Quibus ex causis non immerito, sed justo Dei omnipotentis judicio, primum a prælio, & secundo a proprio Regno fugam illum iniisse ajebant. Ergo omnibus unanimiter visum est, atque consentiunt, quod ob suam nequitiam vindicta divina illum ejecerit, Regnumque Fratribus suis melioribus se juste ad regendum tradiderit. Veruntamen haudquoquam illis hanc licentiam dedere, donec palam illos percontati sunt, utrum [illegible] per vestigia Fratris ejecti, an secundum Dei voluntatem regere voluissent. Respondentibus autem [illegible] tum nosse ac posse Deus illis concederet, se [illegible] bernare & regere velle, ajunt: Et auctoritate [illegible] illud suscipiatis, & secundum Dei voluntatem [illegible] gotis, monemus, hortamur, atque præcipimus. [illegible] tem uterque illorum duodecim e suis ad [illegible] quorum unus extiti, & sicut illis congruum [illegible] les hoc Regnum divideretur, visum est, contenti sunt.* Ita refert *Nithardus* Lib. 6. Ex his porro constat, Gallicanos Præsules Regnum *Lotharii* non abrogasse, & in *Ludovicum* & *Carolum* Reges transtulisse, sed declarasse duntaxat, ipsos tuta conscientia Regnum illud inter se dividere, & illius possessionem capere posse, quod jure belli ipsorum erat. Hoc etiam jure, non donatione aut judicio Episcoporum ipsos *Lotharii* Regnum occupasse, docent Annales Francorum Fuldenses, ad annum 843. *Ludovicus vero videns Lotharium in pristina pertinacia perdurantem, nec adhuc velle desistere victum, collecto Orientalium non modica manu, Rhenum transit, civitates in Occidentali Rheni littore positas, quæ partibus Lotharii favebant, in deditionem accepit, occurritque ei Carolus apud Urbem Argentoratum. Unde pari intentione pergentes, Lotharium in villa Sentiaca morantem, & a suis desertum, in quibus non parum confidebat, fugere compellunt, 17. Kalendas Aprilis. Putantes autem eum, ut fama vulgabat, rebus desperatis Italiam petere, partem Regni, quam habuit antea, inter se dispertiunt.* Ita *Baronii* figmentum & Fratris *Denghien* illud adorantis vanitas refellitur.

F. Denghien aberratio in Historia Gregorii V.

XV. Romani Pontificis indirectam in temporalia Regum Potestatem pag. 89. probat Frater *Denghien* ex facto *Gregorii* V. qui certis (inquit) Germaniæ Prin„ cipibus Imperatorem eligendi Jus & Potestatem con„ tulit, ut *Bellarminus* & *Baronius* asserunt.

Non a *Gregorio* V. nec ab *Innocentio* IV. sed a Principibus & Ordinibus Germaniæ jus eligendi Imperatorem in Septemviros transfusum, contra *Bellarminum* & *Baronium* demonstravi Dissertatione 17. in Historiam Ecclesiasticam Sæculi 9. & 10. quam ne quidem attigit Licentiatus Lovaniensis. Jus tamen illud a Sede Apostolica quodam modo emanasse dixi, quatenus Romani Pontifices se ad eum Imperatorem coronandum obstrinxere, qui Germaniæ seu Romanorum Rex electus esset, modo nullus occurreret in electione defectus, nec eligeretur Paganus, Hæreticus, Tyrannus, aut alio quovis essentiali impedimento ad gerendam Rempublicam, & Ecclesiæ defensionem incapax. Quod examinare, ad Summum Pontificem spectat ut contra ex *Innocentio Tertio* in cap. *Venerabilem*, *De Electione*, & ex *Clemente* V. in Concilio Viennensi, ut habetur in Clementina, *Romani Principes*, *De Jurejurando*. Re porro ita constituta, nihil inde colligi potest ad Romani Pontificis Potestatem in temporalia Regum probandam. Siquidem ex consensu Principum & Ordinum Imperii jus illud Romano Pontifici quæsitum est, non vero ex solo Romani Pontificis consensu jus eligendi Imperatorem Septemviris collatum:

Tom. 16. p. 68.

quam-

quemvis Summum Pontificem suo etiam consensu ad hanc institutionem cooperatum dici possit. Ita docet *Cusanus* Cardinalis vir maximus, lib. 3. *De Concordantia Catholica*, cap. 4. in facto licet deceptus, quatenus sub *Gregorii* V. Pontificatu Septemviros Sacri Imperii Electores institutos supponit. „ Electio libera (*inquit*) a Naturali & Divino jure dependens non habet ortum a Positivo Jure aut homina quocumqoe, ut in ejus arbitrio existat quoad hoc validitas electionis, maxime in aligendo Regem & Imperatoram, cujus essa & posse ab uno homina non dependet. Unde Electores, qui communi consensu omnium Alemanoorum, & aliorum, qui Imperio subjecti areut, tempore Secundi Henrici constitoti sunt, mdicalem vim habent ab ipso communi omnium consensu, qui sibi naturali jure Imperarorem constituere poterant: non ab ipso Romano Pontifice, in cujus potestate non ast dara cuicumque Provinciæ per Mundum Regem val Imperatorem, ipsa non consentiente. Sed concurrebat ad hoc consensus ipsius Gregorii V. tamquam unius Pontificis Romani, qui justa gradum suum, in consentiendo in communem Imperatorem interasse habet. Recta, sicut in Conciliis universalibus concurrit in primo gradu auctoritas ipsius per consensum cum aliis omnibus ipsum Concilium celebrantibus: vigor nihilominus definitionis non ab ipso primo omnium Pontifice, sed ex communi omnium & ipsius & aliorum consensu dependet, „ *Addit*, *Electores* communi fungentes Legatione omoium qui Imperio subsunt, etiam totius Sacerdotii, & Rumani Pontificis nomine eligere; & Electum ax ipsa alectione cuncta consequi, ut notat Joanoes in Gloss. 93. Dist. *Legimus*, & Innocentius *in cap. Venerabilem*, *De Electione*. Et ita teneiur, ut notat Hostiensis *De verborum Significatione*, *super quibusdam*, & Glossa in Clamentinam *Romani*, super verbo, Reges. *De jurejurande*, Quoniam subjectionem omnium habet, & per consequens imperandi potestatem, in qua consistit Imperii essentia. Unctio autem & coronatio, quas etiam lagimus aliis Ragibus tribui, nec arguunt in Papa majoritatem supra ipsam alectionem confirmandam, *vel* super ipsumetiam Imperium qooad temporalia: sicut nec unctio quæ fit Regi Franciæ Remis, aut coronatio ipsiesmet Imperatoris per Archiepiscopum Colonieosem Aquisgrani . . . . Insignia enim illa quasi ad Majastatem Sacram, quæ Imperio inest, ostendendam subjecto Imperii cum cæremoniis impenduntur, ut sint signa prædicantia admirabilem illam potentiam: sicut similia in Romano Pontifice videmus fieri; tamen ante omnia talia Papa ast post electionam. „ Addit quod etsi Imperator non vocetur anta Coronationem per Papem, nihilominus potentiam imperandi prius habet, astque in veritate Imeprator, etiamsi vulgo ita non nominetur. Sed ut ad ipsam Coronationem anhelet Ras, servatur huic solemnitati hoc nomen. Subdit denique: „ Sufficiat nobis scire quod nostri Electores Imperii eligunt uno communi omnium, qui subsunt Imperio, consense, per concordem omnium transfusionem in eos hoc agunt. Et ex hoc ex electione Impemtor efficitur absque quacumque confirmationa, Recta in Cardinales universalis Ecclesiæ Potestas per commenem tacitum vel qeemdam expressum consensum in eligendo Papa transfusa est; & ideo absque confirmatione electus Papa est. Et sicut Potestas electiva hac concordaotia venit in certos utriusque Status Principes: ita cum par esse debeat Potestas tollendi ab Ipsis henc Potestatam, non puto Romenum Pontificem solum ab ipsis Principibus abdicare aemdem; sed concorrente tam ipsius Romani Pontificis, quam aliorum omnium consensu, non dubitatur ab ipsis tulli possa hanc Potestatem.

Aliæ F. Denghien aberrationes.

XVI. Alias Fratris *Denghien* aberrationes observaot Historiæ Periti, nimirum quod in *Gregorii* VII. causa, aos tantum testes admittat qui ab ejus partibus stabant, vel qui Saxonibus contra *Henricum* Imperatorem perduallibus favebant, *Sigebertum*, *Helmodum*, *Chronicon Hildenshemense*, Auctorem Additionum ad *Lambertum Schafnaburgensem*, & alios, pro arbitrio rejiciat, quos susceptæ a se causæ contrarios invenit. *Sigebertum* in Chronico ad annum 1089. perperam calumniaturem vocat qood scripserit: „ Hæc sola novitas, ne dicam hæresis, nec-dem in Mundo emerserat, ut Sacerdotes illius qui dixit Regi, Apostata, & qui regnare fecit hypocritam propter peccata populi doceant quod malis Regibus nullam debeant subjectionem. Et licat ei Sacramentum fidelitatis fecarint, nullam tamen debeant fidelitatem, nec perjeri dicantur, qui contta Regem senserint, immo qui Regi pateerit pro excommunicato habeatur: qui contra Regem fecarit, a noxa injusturiæ & perjurii absolvatur. „ Cum sincere *Gregorii* VII. & Sacerdotum qui ab ejus partibus stabant sententiam referat *Sigebertus*, quod scilicet subditi a fidelitate & obedientia malis Principibus debita absolvi possint, oec rei sint perjerii qui contra Regem senseiunt, sive ab eo dafecerint, cum Auctorem habuerint suæ defectionis Romenum Pontificem; Domini Sacerdotibus calumniam non impingit: Nec deceptus est *Vincentius* Bellovacensis ejus verba describeos, & sua faciens, Lib. 25. Speculi Historialis, Cap. 84.

F. Denghien fictam Relationem obtrudit.

Secundo *Henricum* a *Gregorio Septimo*, præcipiente Virgine Deipara in visione, exauctoratam retert ex *Paulo Benriedensi*, ex eoque colligit, & facti illius justitiam & doctrinæ veritatem. At da Ravelationis illius veritate oon solom Historici paulo severiores, sed & Theologi, & Spirituales Viri quibus donum discretionis Spirituum dasuper collatom ast, merito dubitabuot. Quoties enim res revelatæ, aut in visionibus præceptæ, cum Sacris Literis, cum Divinis & Apostolicis Traditionibus, com moribus Ecclesiæ non consentiunt, immo ipsis adversantor, argumento est illusiones asse. Deus enim veritas ast, cui canit Psaltes Regius: *Principium verborum tuorum veritas*. Unde *Richardus a S. Victore* Lib. *De Præparatione Animæ ad Contemplationem*, Cap. 2. præclare dixit: *Suspecta est mihi omnis veritas quam non confirmat Scripturarum auctoritas, nec Christum in sua clarificatione suscipio, si non assistant ei Moyses & Elias.* Et infra: *Nec rata poterit esse quamlibet verisimilis revelatio sine attestatione Moysis, & Eliæ, sine Scripturarum auctoritate.* Utique ait *S. Thomas* I. P. Quæst. 1. Art. 8. *Innititur fides nostra revelationi Apostolis & Prophetis factæ, qui Canonicos Libros scripserunt, non autem revelationi, si qua fuit, aliis Doctoribus factæ.*

Regula ad falsas Revelationes dignoscendas.

Præterea, ut constet revelationem a Deo esse, inspiciendum est an habeat conditiones qoas sapientiæ a Deo ravelatæ *S. Jacobus* Apostolus tribuit, Cap. 3. Epistolæ suæ, quarum una est ut sit *pacifica*, non aotem ad lites & contentiones impellens, ut docet vir doctus & pius *Joannes* Cardinalis *Bona*, Lib. *De Discretione Spirituum*, Cap. 20. At doctrina de Romani Pontificis Potestate in temporalia Regum, & lata secundum illam in *Henricum* Imperatorem exauctorationis Sententia, Sacris Literis, Traditioni, Moribus Ecclesiæ osqua ad *Gregorium Septimum* adversator, nec aliunda pacifica est, sed ad seditiones, ad bella, cædesque impellens. Non est ergo verisimile, quod *Paulus Benriedensis* in Vita *Gregorii Septimi* narrat, Deiparam Virginem in visione ipsi præcepisse, ut *Henricum* Impereiorem exauctoraret. Atque admodum vereor ne huic Scriptori conveoiat qood habet „ Melchior Canus, *Lib.* 5. De Locis Theologicis, *Cap.* 6. Ecclesiæ Christi hi vehementer incommodant, qui res Divorum præclara gestas se putent egregia expositoros, nisi eas fictis & revelationibus & miraculis adornarint.

Tertio hæc *Gregorii Septimi* verba Epistola 3. Lib. 8. „ Quotquot Letini sunt, omnes causam Henrici, præter admodum paucos, laudant ac defendunt; & perminiæ duritiæ ac impietetis circa eum me atguunt: „ Hæc (inquam) verba sic interpretatur: Quotquot Latini sunt, id est, Schismatici Longobardiæ Antistites; ex que interpretationa sequitur, aliquos, ex Schismaticis ipsi Pontifici adhæsisse, & illius factum approbasse. Sed qui vim ac significationem vocom, modumqua loquendi Auctorum Ecclesiasticorum illius ætetis non pœnitus ignoravarit, hæc varba *quotquot Latini sunt*, omnes Latinæ linguæ Ecclesias significare fatebitur.

F. Denghien aberrationes in Historia Censuræ Sanctarelli.

Quarto, Censuram Sacræ Facultetis Parisiensis in Doctrinam *Antonii Sanctarelli* de Romani Pontificis potestate in temporalia Regum anno 1626. latam elevare conatur pag. 549. multiplici falsitate. Ait huic Censuræ nunc fuisse acriter Parisiis reclametum, pluribos querelis ad Regem Christianissimum ea de re delatis. Ex octo & sexaginta Sorbonæ Doctoribus decem & octo dumtaxat Censuram sub ea forma qua lata est probasse. Ad sedandos tumultus ea de causa obortos Regem literis die 13. Decembris 1626. datis Rectori & Suppositis Universitatis prohibuisse, ne quidqoam sive pro parte affirmante, sive pro negante in quæstione de auctoritate Romani Pontificis in Regum temporalia proponerent ac determinarent, sine sua licantia literis speciatim expressa. Fontem denique ex quo hæc hauserit indigitans, laudat Mercutium Galli-

Gallicum. *Hæc omnia* (inquit) *habeo ex Mercurio Gallico, a quo Natalis Censuram latam in Librum Sanctarelli commemorat*.

Falsum est quod Censuram latam in Librum *Sanctarelli* ex *Mercurio Gallico* retulerim. Hunc Librum ne quidem nominavi aut indicavi; ipsam retuli ex Tabulario & Commentariis Sacræ Facultatis Parisiensis, in quibus exarata est. An forte Licentiatus Lovaniensis *Mercurium Gallicum* & Commentarios Facultatis nostræ idem esse putat? 2. Cum *Mercurio Gallico* turpiter errat, qui decem & octo dumtaxat Doctores Censuram sub ea forma quæ lata est approbasse ait. Censura dignam *Sanctarelli* Doctrinam, una erat Magistrorum omnium sententia: circa Censuræ modum, seu pravæ doctrinæ notas aut qualificationum (ut loquuntur) suffragiorum varietas ac dissensio fuit. Nihilominus re mature ac diligenter discussa, summaque libertate disceptata, frequentioribus suffragiis conclusum est Doctrinam *Sanctarelli* Propositionibus contentam damnandam esse „ Tamquam novam, falsam, erroneam, verbo Dei contrariam, & „ Pontificiæ Dignitati odium conciliantem, Schismati „ occasionem præbentem, Supremæ Regum Auctoritati a Deo solo dependenti derogantem, Principum infidelium & hæreticorum conversionem impedientem, „ pacis publicæ perturbativam, Regnorum, Statuum, „ Rerumque publicarum eversivam, subditos ab obedientia & subjectione avocantem, & ad factiones, „ rebelliones, seditiones, & Principum parricidia excitantem. „ A majori Doctorum numero Censuram istam latam fuisse, Acta probant, in quibus suffragia singulatim numerantur, probant Leges moresque Sacræ Facultatis, cujus in Comitiis nulla deliberatio, in materia præsertim dogmatica, rata habetur, nisi quæ majori suffragiorum parte facta, Decano vel Seniore concludente, & in sequentibus Comitiis publice omnibus audientibus lecta & confirmata fuerit: probat denique consensus unanimis Sacræ Facultatis, quæ Censuram illam ut suam agnoscit, eamque adversus *F. Franciscum Malagola* renovavit diebus 4. Novembris, & 7. Decembris anni 1682. Ridendus igitur potius quam refellendus Licentiatus Lovaniensis, qui hanc Censuram robore destitutam asserit. *Mercurii Gallici* Auctorem vel Auctores sublestæ hac in re fidei, convincunt Acta Sacræ Facultatis. 3. Cum extra Academiam Patronos plurimos haberet *Sanctarellus*, scilicet Patres omnes Societatis Jesu & eorum amicos, quod Societas Religiosissima sui honoris interesse putaret Censuram Sacræ Facultatis ab Opere *Sanctarelli* avertere; cum tota aliunde Universitas, adeoque Rector & Magistri in Artibus huic negotio se immiscerent, maximaque inde in Societatem derivaretur invidia; Rex a *Sanctarelli* fautoribus interpellatus, Viris Academicis quietem & silentium literis ad eos datis imperavit: sed latæ ab octo & amplius mensibus in librum ac doctrinam *Sanctarelli* Censuræ nullatenus derogavit. Denique cum Rector Academiæ, Facultatis Artium Suppositis stipatus, Regem adiisset, studiumque Universitatis in Regiam Dignitatem & Auctoritatem explicuisset, Rex Virorum Academicorum studium, voluntatem, fidemque laudavit; sed Majestatem suam non probare declaravit, quod Judicio Doctrinali de dogmatibus fidem spectantibus se immiscerent: Id enim ad *Sorbonæ Doctores*, sive ad Theologicam Facultatem pertinere, ut refert Mercurius ipse Gallicus a Lovaniensi Licentiato laudatus. Theologica autem Facultas Censuram in *Sanctarellum* tulerat, in qua nihil immutatum est.

Contra Censuram illam pugnare ait Decretum Sacræ Facultatis editum anno 1629. de more antiquo renovando, ut Baccalaurei in Theologorum Actuum exordio jurarent in Decreta Summorum Pontificum.

In Decreta Summorum Pontificum Baccalaureos suos jurare jussit, jubetque Sacra Facultas, non in eorum facta: in Decreta (inquam) ab Ecclesia probata, cujus non accedente consensu, Romanum Pontificem infallibilem non agnoscit. Juramus in Summorum Pontificum Decreta, & Baccalaureos nostros jurare compellimus, sicut recens creati Pontifices in suorum Decessorum Decreta olim jurabant, in Professione cujus Formulam editam habemus in Libro Diurno Romanorum Pontificum: „ Diligentius autem „ & vivacius omnia Decreta Prædecessorum Apostolicorum nostrorum Pontificum, quæque Synodaliter „ statuerunt, & probata sunt, confirmare & indiminute servare & sicut ab eis statuta sunt, in sui vigoris stabilitate custodire. „ Quis autem Censuram *Sanctarelli* Decretis Summorum Pontificum Ecclesiæ consensu approbatis & confirmatis adversari dixerit?

ARTICULUS V.

Criticorum Judicium de Libello Fratris FRANCISCI DENGHIEN.

Lovaniensem istum Licentiatum in Auctorum Critica genuinisque ipsorum Operibus dignoscendis identidem impingere, hujus scientiæ Periti observant.

I. Pag. 2. laudat hæc verba *S. Cyrilli* in libro Thesaurorum: *Ut membra maneamus in Capite nostro Apostolico Throno Romanorum Pontificum, a quo nostrum est quærere quid credere, & quid tenere debemus*. In toto *Thesaurorum* Libro Assertionibus 35. constante, & omni ex parte absolutissimo, hic locus non habetur. Is quidem a *S. Thoma* cum junior esset, in Opusculo *Contra impugnantes religionem*, & ab aliis post ipsum in ejus fide laudatus est, sed *S. Thomæ* impositum ab eo fuit, qui hæc & alia testimonia *S. Cyrillo* supposuit; ut invicte probat *Joannes Launojus* Theologus Parisiensis, Epistolarum p. 1. in Epistula ad *Antonium Faurum* Parisiensem etiam Theologum.

II. *S. Gregorii Magni* nomine inscriptam Epistolam ad *Senatorem* Abbatem, quæ est 10. Libri 12. genuinam asserit, & clausulam illam, *Si quis Regum* &c. non esse addititiam. Contra, viri eruditi vel supposititiam Epistolam, vel clausulam illam, *Si quis Regum*, addititiam & assutam esse censent: quam postremam opinionem probavi in Synopsi Historiæ Ecclesiasticæ Sæculi 6. Cap. 4. Art. 16. pag. 204. 205. & 206. Legantur *Joannis Launoj* Theologi Parisiensis Epistolæ ad *Michaelem Girardum* Vertoliensem Abbatem, & ad *Joannem Rolandum* Theologum Parisiensem, pag. 7. Epistolarum.

III. Pag. 78. & 113. *S. Gregorium Magnum* laudat Commentario in Psalmum 4. Pœnitentialem, cum tamen Commentarius ille in Psalmos Pœnitentiales non sit *S. Gregorii*, ut invictis argumentis probavit *P. Gussanvillæus* in Præfatione Tom. 3. Operum *S. Gregorii*, & in disquisitione huic Commentario præfixa. Legantur quæ ea de re infra scripsi Dissertatione 9. Art. 6. num. 19. 20.

IV. Articulo 5. Assertione 5. *Dictatum* Gregorio VII. tribuendum præfracte contendit, recentiorum quorumdam Auctorum suffragio fretus, nullo coævorum aut suppariorum testimonio, tota jam eruditorum hominum gente ob momenta gravissima reclamante, quæ Dissertatione 3. in Historiam Ecclesiasticam 11. & 12. Sæculi exposui. Ad Synodum Romanam VII. Farraginem illam male cohærentium Propositionum refert, sola *Baronii* Cardinalis divinatione fultus *H. Mutium*, qui tamen de Dictatu ne quidem mutit, *Onuphrium*, & *Christianum Lupum* in subsidium advocat quasi pro Constitutionibus Apostolicis, pro Canonibus Antiocheni nescio cujus Apostolorum Concilii, pro Synodo Sinuessana, pro Synodi Romanæ sub *Silvestro* Actis, pro Constantini Donatione, pro Decretalibus veterum Pontificum ante *Siricium* Epistolas, pro *Joannæ* Papissæ fabula, pro *Cyriaco* fictitio Pontifice, aliisque Pseudo-pigraphis Monumentis, & fabulis, plures Auctores proferri non possint. Mihi exprobrat quod *rem adeo momentosam ac Ecclesiæ Catholicæ uberem* inficier, *Gregorii Septimi* venerando nomini suppositum esse Dictatum asserens. Quasi figmenta & errores Ecclesiæ Catholicæ prosint; & inconcussa non sit istius *Sancti Augustini* sententiæ veritas Libro *De Vera Religione*, cap. 55. *Non sit nobis Religio in phantasmatibus nostris: Melius est enim qualecumque verum, quam omne quidquid pro arbitrio fingi potest. Melior est vera stipula, quam lux inani cogitatione pro suspicantis voluntate formata.* „ Modum tam facilem (inquit Lovaniensis Licentiatus) *Calvinus* „ non invenit, qui *Dictatum* illum blasphemat, nec „ *Antonius de Dominis*, qui eumdem non *Dictatum*, „ sed *Dicterium* appellat. De *Calvino* & *Antonio de Dominis* quid ad me? Multæ sunt in illo Dictatu Propositiones, quæ absque blasphemia impugnari possunt, quæ absque errore propugnari non possunt. Qui illum *Gregorio Septimo* tribuit, Hæreticis ansam præbet maledicendi Sancto Pontifici: qui Dictatus ipsius propositiones propugnat, blasphemiis & dicteriis Hæreticorum in Romanam Ecclesiam, illiusque Fidem argumentum suppeditat. Dicta Fratris *Denghien*, *Calvini* & *Spalatensis* nomina cum *Natalis Alexandri* nomine ad invidiam permiscentis,

Dictatus non est Gregorii VII.

dicte-

dicteria sunt & convitia. Sed de ejus calumniis infra videmus.

„ Quæ (*inquit*) in prætensæ Propositionis probam dictus Auctor producit, sunt quorumdam Canonum impugnatio, quasi a Patrum & veterum Pontificum doctrina discordantium. Quæ sane probatio ipsi inefficax esse deberet, cum hunc Sanctissimum Pontificem asserat verbo Dei & Traditioni repugnasse, atque a suorum Decessorum semitis deviasse, exercendo atque tradendo suam Potestatem in temporalia Regum.

In isto quidem doctrinæ capite *Gregorium Septimum* verbo Dei & Traditioni repugnasse, a Decessorum semitis deviasse, humani aliquid passum asserui ac demonstravi, quæ non mea tantum, sed Sacræ Facultatis Parisiensis & totius Ecclesiæ Gallicanæ doctrina est. Nec tamen consequens est, ut in cæteris omnibus verbo Dei, Traditioni, superiorum Pontificum Decretis repugnaverit, sibique ipsi, qui cavendum sibi proposuerat, „ Ne quidquam contrarium SS. Patribus in exemplum & auctoritatem relinqueret " (ut scribebat ad *Sancium* Aragoniæ Regem, Epistola 50. Libri 11.) Et ad Aquilejenses scripserat: „ Nihil novi, nihil nostris adinventionibus superinducere conamur, sed illud solummodo quærimus, quod & omnium salus postulat & necessitas..... In hujusmodi causa non secundum arbitrium nostrum, sed per viam & doctrinam orthodoxorum Patrum incedere cupimus (Epistola 5. Lib. 1.) Tam bene affectum Pontificem semel a scopo aberrasse humanum fuit, sed pluries exorbitasse non idem concedendum est, nisi id certis documentis probetur. Ideo *Dictatum*, cujus pleræque Propositiones doctrinæ Patrum & superiorum Pontificum repugnant, ipsis abjudicamus; cum aliunde coævorum & suppariorum auctorum silentium, & maxime *Pauli Benriedensis* in ejus Vita, ipsum *Gregorii Septimi* non esse suadeat. Quis enim credat ipsos *rem adeo momentosam & Ecclesiæ Catholicæ uberem* (ut Frater *Denghien* loquitur) in præteritis relicturos? Suppositionem confirmat, quod hæc farrago nulla temporis nota consignata sit: Testamenta (*inquit* S. Chrysostomus *Homilia 2. De verbis Isaiæ*) tabulæque de nuptiis, de debitis, deque reliquis contractibus, nisi in frontispicio Consulum annos habeant præscriptos, nullam ex sese vim habent. Hoc est enim quod illis robur addit, hoc est quod controversias dirimit, hoc quod a lite liberat, hoc quod ex inimicis facit amicos. Proinde qui talia describunt, non aliter quam lucerna in candelabro poni solet, sic in frontispicio literarum addunt Consulum nomina, ut omnibus quæ subjiciuntur præluceant. Quæ si sustuleris, lumen sustuleris, omniaque tenebris, multaque turbatione compleveris.... Quod si tantum valet ea res in negotiis temporalibus, in spiritualibus multo amplius profuerit. Siquidem hoc declarat Prophetias esse Prophetias, &c.

Tom. 3. Edit. Fronton. Ducæi.

Pergit Licentiatus Lovaniensis: *Longe* (inquit) *aliter sensit, ac plane condignum de eo Dictatu Judicium profert vir maximus P. Christianus Lupus*. Opportune Lupus in fabula. *Dictatus* (inquit) *cum in possessione sit, ab ea deturbari non debet ob argumentum negativum adductum*. Non negantibus dumtaxat, sed positivis gravissimi ponderis argumentis Dictatum *Gregorio Septimo* abjudicandum probavi, quæ partim dissimulat, partim insoluta relinquit Licentiatus Lovaniensis, eo contentus Responso: *Quæ in Dictatus abolitionem Natalis congessit, facile refelli possunt ex prælibati Magistri Lupi Scholiis*. Dictatum in possessione esse nego: possessionem enim illam non adstruit *Mutii*, *Onuphrii*, *Baronii*, & *Lupi* recentiorum Auctorum error. Et ut esset, a possessione injusta depelli posset, nullus ipsis suffragantibus tabulis ac titulis, immo gravissimis momentis ipsis repugnantibus. Ut enim ait *Tertullianus* Lib. De Virginibus Velandis: „ Veritati nemo præscribere potest, non spatium temporum, non patrocinia personarum, non privilegium regionum. Ex iis enim fere consuetudo initium ab aliqua ignorantia vel simplicitate sortita in usum per successionem corroboratur & ita adversus veritatem vindicatur. Cæterum suo vitio quis quid ignorat: quod autem ignoratur, tam requirendum, quam recipiendum quod agnoscitur. Et ut ipse, quem laudat Cardinalis *Baronius* ad annum 309. Num. 51. pronuntiat: „ Jura veritatis sunt ampliora omni antiquitate, quippe quæ nulla plurimorum sæculorum valeant præscriptione lædi, nec innumera testium multitudine obrui atque labefactari ". Multo minus juniorum Auctorum assertione simplici, *Onuphrii* scilicet, *Baronii*, & *Lupi*.

Addit Lovaniensis Licentiatus. „ A Dictatus impugnatione debuerat Natalem cohibuisse reverentia & amor in Sedem Apostolicam, cujus Privilegia hic Dictatus tam luculenter declarat ". In reverentia & amore erga Sedem Apostolicam, nec Fratri *Denghien*, nec cuiquam mortalium cedam: sed ipsa reverentia & amor me impellunt, ut Dictatum venerando *Gregorii Septimi* nomine suppositum asseram. Sedis Apostolicæ Privilegia, partim a Christo in *B. Petro* collata & firmata, partim Ecclesiæ consensu concessa & roborata veneror, sed hujus generis non sunt plurima, quæ Dictatus continet. Unum enim ex præcipuis Sedis Apostolicæ Privilegiis est, ut Canonum executioni invigilet, ut Disciplinam Ecclesiasticam promoveat ac foveat, ut omnibus Ecclesiæ ordinibus jus suum conservet. *Privilegia Romanæ Ecclesiæ* (inquit Nicolaus I.) *totius sunt Christi*, et *ita dicamus*, *remedia Ecclesiæ Catholicæ*. At quæ *Dictatus* habet pleraque totius Disciplinæ Ecclesiasticæ eversionem continent, totius ordinis perturbationem, cum Episcoporum, Synodorum, Regum jura suffodiant, ut in Dissertatione sua probavit *F. Natalis Alexander*; adeoque morbos inferunt Ecclesiæ Catholicæ, non remedia; proinde nec Sedis Apostolicæ vera Privilegia defendunt, qui Dictatum *Gregorio Septimo* tribuendum pertinaciter contendunt. Reverentia & amor in Sedem Apostolicam nos impellere debent, ut ejus studium æmulemur, quæ ut veras Reliquias a suppositis, veras Indulgentias a falsis, Canonicos Libros ab Apocryphis, sic Ecclesiasticos a Pseudepigraphis discernit, & a Catholicis Doctoribus discerni gaudet. Hoc animo Dictatum Pseudepigraphum *Gregorio Septimo* abjudicamus, & rejicimus: Sed de hoc satis. Alia Fratris *Denghien* errata perstringamus.

V. Pag. 150. Testimonium profert *Yvonis Carnotensis* ex Epistola 239. ad Laudunensem Episcopum, cujus hæc sunt verba; *Quod si Reges aut Imperatores a Pontificali Judicio eximere tentaverit, recurre ad Magnum Constantinum &c.*

In triplicem errorem hoc uno in loco Lovaniensis Licentiatus impegit. 1. Hæc Epistola non est ducentesima trigesima-nona, sed ducentesima trigesima-septima. Sed hunc ipsi condonari velim, & in operis rejici. 2. Hæc Epistola non est *Yvonis Carnotensis*, sed *Joannis* Lugdunensis Archiepiscopi. 3. Non ad Laudunensem Episcopum, sed ad *Daimbertum* Senonensem Archiepiscopum data est, ut probat inscriptio.

VI. Pag. 554. Dubitat an Censuræ Sacræ Facultatis Parisiensis in Librum *Antonii Sanctarelli*, & in Thesim *F. Francisci Mologola*, sub ejusdem Facultatis nomine circumferri possint. Qui hæc legens non rideat, & cum *S. Hieronymo* in Dialogo adversus Luciferianos non dicat: *Solent oculis clausis denegare, qui non credunt factum esse quod nolunt*.

VII. Pag. 579. Sammerdardense Privilegium laudat, Epistolam *Julii I.* ad Orientales Pseudepigrapham, falsa nota Consulatus consignatam, alteram ab ea quam refert *S. Athanasius*, gravissimis argumentis falsi convictam, aliquot Sententiis ex Conciliis Chalcedonensi, & Carthaginensi Septimo, Siricio, Africanis Patribus, Leone, Gelasio, Martino I. Adriano I. quin & Typo Constantis in gratiam Monothelitarum; infartam, uno verbo, in *Isidori Mercatoris* officina cum aliis fabricatam, *Julio I.* suppositam esse negat.

VIII. Pag. 583. Negat *Gregorium septimum* in Epistola ad *Herimannum* proferre Epistolam *Clementis Romani* ad *S. Jacobum*, quasi esset *S. Clementis*; & tamen hæc *Gregorii Septimi* verba refert in ea Epistola: *Sicut B. Petro docente cognovimus in Epistola de Ordinatione Clementis, in qua sic ait: Si quis amicus fuerit, iis quibus ipse (de eodem Clemente dicens) non loquitur, unus est & ipse ex illis qui exterminare Dei Ecclesiam volunt, &c.* Quæ verba in ipsa *S. Clementis* ad *S. Jacobum* Epistola leguntur. De qua & de similibus Monumentis doctissimus Cardinalis *Nicolaus de Cusa*, Lib. 3. *De Concordantia Catholica* Cap. 2. *Sunt* (inquit) *meo judicio illa apocrypha... In quibus volentes Romanam Sedem omni laude dignam, plus quam Ecclesiæ Sanctæ expedit & decet, exaltare, se penitus & illam quasi fundunt*.

IX. *Innocentii I.* ad *Arcadium* Imperatorem Epistolam de illius & *Eudoxiæ* Augustæ fictitia Excommunicatione ob *S. Chrysostomi* depositionem & exilium, genuinam esse contendit contra Eruditorum omnium sententiam; ipsa temporis ratione repugnante, cum triennio ante *S. Chrysostomi* obitum, cujus ea in Epistola fit mentio, *Eudoxia* obiisset, ut constat ex *Socrate*, *Sozomeno*, *Marcellino*, *Zosimo*, & Fastis Gre-

Cs.

gis. Sed ignorat Licentiatus Lovaniensis præclaram illam *Tertalliani* Regulam Apologetici Cap. 19. *Religionis est instar fidem* Insttumentia *de temporibus afferere.*

Liber Pastoralis, seu de Dignitate Sacerdotali, non est S. Ambrosii,

X. F. *Natali Alexandro* improperat *F. Denghien*, quod *Pastrale Sancti Ambrosii a Gregorio Septimo* in Epistola ad Herimannum laudatum nusquam editum a *S. Ambrosio* dixerit; nec in aliis ejas Operibus verba inde landata reperiri: cum tamen (inquit) inter Opera *S. Ambrosii* extet Liber unus *de Dignitate Sacerdotali*, qui merito *Pastrale* vocari potuit, quem & *Trithemius* sub nomine *de Instructione Sacerdotum* designat. In illo autem verba a *Gregorio Septimo* adducta reperiuntur. Verum quorsum tot circuitus? Liber ille nec *Pastorale* inscribitur, nec est *S. Ambrosii*, quamvis inter ejus Opera extet. 1. Stylus Ambrosiano dissimilis est. 2. Versionem habet S. Hieronymi. 3. Vehemens in Episcopos & Presbyteros Simoniacos Invectiva, posteriora tempora sapit, quibus hæc lues in Italia grassata est. Denique vox *Archiepiscopus*, quam hujus Tractatus Auctor usurpat, *S. Ambrosii* ætate recentior est. Suffragatorem habeo virum doctissimum *Godefridum Hermantium* Doctorem Sorbonicum, & Insignis Ecclesiæ Bellovacensis Canonicum in Elucidationibus eruditis vitæ *S. Ambrosii*, pag. 31. ubi hunc Tractatum ipsius *Gregorii* VII. quam *S. Ambrosii*, sæculo melius convenire observat, & *S. Anselmo* a nonnullis tribui. In Codice S. Martialis apud Lemovices inscribitur: *Sermo Gilberti Philosophi, Papæ urbis Romæ, qui cognominatus est Sylvester, de Informatione Episcoporum*. Ascetæ denique Benedictini doctissimi S. Germani a Pratis, hunc Libellum in Appendicem Ambrosianorum Operum rejecerunt, monentes, nihil continere ab Ambrosii & ingenio & sæculo non alienum.

ARTICULUS VI.

Theologiæ Moralis & Canonici Juris Interpretum Judicium de Libello FRATRIS DENGHIEN.

THeologiæ Moralis Interpretes mirantur quod Lovaniensis Academia, quæ prava recentiorum quorumdam Casuistarum dogmata merito damnavit, Licentiatus, propositiones quasdam in suo Libello asserat, non minus, immo etiam magis Christianæ Moralis integritati repugnantes, perduellionibus, seditionibus, parricidiis Regum viam aperientes. Pagina scilicet 115. Viros quoslibet Ecclesiasticos non magis jure subditos esse Regibus asserit, quam Christus fuerit subditus *Pilato*; Regum in Sacerdotes imperium ac damnationem esse meram violentiam, sicut latronum in sylvis. Quid vero ex tam execrando principio sequitur, nisi execranda & feralis conclusio, nempe licitum esse Viris Ecclesiasticis eo modo se gerere erga Reges ipsis imperantes, sicut erga latrones vim ipsis in sylvis inferentes? Ne quid affingere videar, en Fratris *Denghien* verba: „ Habes ex Gregorio ipso sensum verborum „ ipsius: qua interpretatione nulla verior, nec germa- „ nior esse potest: ut sic dixisse voluerit, subjectos a „ Deo Sacerdotes Imperatori, quemadmodum Christus „ Redemptor noster fatetur se divina permissione sub- „ ditum potestati Pilati, & sicut itidem dixit iis, qui „ ipsum neci tradere satagebant: *Hæc est hora vestra,* „ *& potestas tenebrarum*. Quamobrem si res jure agetur non violentia, ut solent latrones in sylvis, non „ subjectos esse Sacerdotes Imperatoribus". Hæc quidem Cardinalis *Baronii* verba sunt, sed ipsa Frater *Denghien* pro unica responsione ad argumentum *F. Natalis Alexandri* ex *S. Gregorio* petitum efferens, sua facit. Nec excusat ipsum ab errore *Baronii* auctoritas. *In his enim quæ pertinent ad fidem & bonos mores, nullus excusatur, si sequatur opinionem erroneam alicujus Magistri*, (inquit *Sanctus Thomas* Quodlibeto 3. Artic. 10.)

II. Pag. 514. censet, subditos non adstringi lege, quam ipsis Scriptura Sacra præscribit, modo Summo Pontifici placuerit ipsos ab ea obligatione absolvere. Quasi Summus Pontifex contra jus naturale & divinum dispensare possit. En Fratris *Denghien* verba: „ Apostolica doctrina est ut omnis anima Potestatibus „ sublimioribus subdita sit, & ut reddantur omnibus „ omnia, cui tributum, tributum; cui vectigal, ve- „ ctigal, &c. salvo Domini nostri cultu, constitutio- „ nis humanæ Principibus reddamus: & id genus mul- „ ta Hincmarus cumulat: quorum nulli adstringi sub- „ ditos respondeo, dum eorum subjectio suspenditur. Quam vero falsum sit istud principium, *S. Thomas* docet Quodlibeto 4. Quæst. 8. Art. 2. „ Papa (*inquit*) „ habet plenitudinem potestatis in Ecclesia, ita scilicet „ quod quæcumque sunt instituta per Ecclesiam, vel „ Ecclesiæ Prælatos, sunt dispensabilia a Papa. Hæc „ enim sunt quæ dicuns esse juris humani, vel juris „ positivi: Circa ea vero quæ sunt Juris Divini, vel „ Juris Naturalis, dispensare non potest, quia ista ha- „ bent efficaciam ex institutione divina". Porro non per Ecclesiam vel Ecclesiæ Prælatos, sed Jure Naturali & Divino institutum est, ut subditi Regibus obedientiam & fidelitatem exhibeant: Ab ea igitur absolvi aut dispensari per Ecclesiam vel Summum Pontificem non possunt.

III. Pag. 523. *Innocentii Tertii* Decretali, Cap. *Per venerabilem, Qui filii sunt legitimi*, contradicit Lovaniensis Licentiatus. Scribit enim: „ Nihil præ cæteris „ Supremis Principibus habet Rex Christianissimus, „ quo eximatur a Sedis Apostolicæ & Ecclesiæ indire- „ cta in temporalia Potestate. *Sic vero* Innocentius „ Tertius *in laudata Decretali*: Insuper CUM REX „ IPSE SUPERIOREM IN TEMPORALIBUS MI- „ NIME RECOGNOSCAT, sine juris alterius læsio- „ ne, in eo se Jurisdictioni nostræ subjicere potuit & „ subjecit, in quo forsitan videretur aliquibus quod „ per se ipsum non tamquam Pater cum filiis, sed „ tamquam Princeps cum subditis potuit dispensare", Cæteros etiam Supremos Principes Romano Pontifici in temporalibus minime subditos esse propugnantes: sed Christianissimi Regis independentia a quacumque in terris Potestate, quoad temporalia, speciatim ab *Innocentio tertio* agnita & declarata est: Qui & cap. [illegible]vit. Extra. *De Judiciis*, in 3. Collectione antiqua Decretalium ab *Antonio Augustino* edita lib. 5. hæc habet: *Exaltationem Regni Francorum sublimationem Sedis Apostolicæ reputantes, &c. Non enim intendimus judicare de feudo, cujus ad ipsum* (nempe Regem) *spectat Judicium*.

Error F. Denghien directam in temporalia Regum potestatem Romano Pontifici probabiliter tribui posse asserentis.

IV. Pag. 553. Censuras Sacræ Facultatis Parisiensis in Librum *Sanctarelli*, & Thesim *F. Francisci Malagola* contemptim rejiciens, nec damnandos fuisse censet, etiamsi directam Summi Pontificis in Regum temporalia Potestatem propugnassent. „ Si dictus Frater (*inquit Lovaniensis Licentiatus*) hoc Titulo dumtaxat „ voluerit indirectam Potestatem, gloriari potest, uti „ & Sanctarellus, quod hæc proscriptio tot & tanta „ involvet, ut eorum pondere corruat; si vero etiam „ directam, in eam est Canonistarum, & aliorum Gra- „ vium assensus: quod sufficit ne Malegola & Sancta- „ rellus merito damnentur, & tam duram sententiam „ sustineant", Sententiam quam ipse Cardinalis *Bellarminus*, oraculum Fratris *Denghien*, ut Scripturæ Sacræ, Traditioni, & rectæ rationi contrariam rejicit, & doctrinæ atque Confessioni Summorum Pontificum repugnare probat, probabilem ille censet. *Bellarminus* lib. 5. *de Romano Pontifice*, cap. 3. „ Ex Scripturis „ (*inquit*) nihil habemus, nisi datas Pontifici Claves „ Regni Cœlorum; de Clavibus Regni terrarum nulla „ mentio fit: Traditionem Apostolicam nullam adver- „ sarii proferunt, Præterea Christus non abstulit, ne- „ que aufert Regna iis quorum erant; nam Christus „ non venit destruere ea quæ bene se habebant, sed „ perficere: Ergo quando Rex fit Christianus, non „ perdit Regnum terrenum, quod jure obtinebat, sed „ acquirit novum jus ad Regnum æternum. Alioqui „ obesset Regibus Christi beneficium, & gratia natu- „ ram destrueret. Et confirmatur ex Hymno Sedulii, „ quem tota Ecclesia publice canit.

Hostis Herodes impie,
Christum venire quid times?
Non eripit mortalia,
Qui regna dat cælestia,

„ Item si Papa est Dominus totius orbis Christiani „ Supremus: ergo singuli Episcopi sunt Principes tem- „ porales in oppidis suo Episcopatui subjectis: si qui- „ dem id quod est Papa in Ecclesia universa, est qui- „ libet Episcopus in particulari. Denique probatur ex „ confessione Pontificum". Profert verba *S. Leonis* Epistolis 38. & 43. ad *Martianum* Augustum, *Gelasii* I. in Epistola ad *Anastasium* Imperatorem, *S. Gregorii* lib. 5. Epistola 61. ad Mauritium, *Nicolai* I. in Epistola ad *Michaelem* Imperatorem, *Alexandri Tertii* Cap. *Si duobus: Extra de Appellationibus*, & cap. *Causam, Extra, Qui filii sint legitimi*. Item *Innocentii Tertii* cap. *Novit. de Judiciis*. Et cap. *Solitæ, Extra. De Majoritate & obedientia*. Denique cap. *Per venerabilem. Extra. Qui filii sint legitimi*. Idem *Bellarminus* cap. 4. scribit: *Ex hoc falso principio quod Christus homo fuerit Rex temporalis, nati*

sunt

sunt duo contrarii errores: Hinc enim deducunt quidam tamquam ec præcipuo fundamento, Papam, qui est Christi Vicarius, esse Regem & Pontificem simul. E contrario aetem Wickleffistæ ax eodem principio deducunt, Reges esse Pontificibus majores & digniores. Errorem de potestate directa Romani Pontificis in temporalia Regum tam gravibus momentis convictum probabilem censent Lovaniensis Licentiatus, & Fratres Magistri *Antonius Daabermont*, *Jansseas Elinga*, *Franciscus Verwacquet*, &c. qui Libellum ejus approbarunt; & adeo probabilem, ut nec *Malagola* nec *Sanctarellus* merito damnarentur, etiamsi directam in Regum temporalia Rumani Pontificis auctoritatem propugnassent. Impune igitur docere poterunt Theologi Lovanienses, vel alii quibus allubuerit, Regis Hispaniarum subditi, Regem Catholicum non esse Supremum Hispaniæ cæterarumque Ditionum suarum Dominum & Monarcham, sed Romani Pontificis nomine Regna Castellæ, Legionis, Aragoniæ, Indiarum regere, ejusque Vicarium esse, ac proinde non minus hæc ipsi euferri posse ad nutum a Summo Pontifice, & elteri tradi regenda, quam ab ipso Rege Catholico amoveri possint ad nutum Mediolanensis Ducatus, Regni Neapolitani, & Belgii Proreges, & aliis earum Provinciarum Præfectura & administratio committi. Hæc sunt illius doctrinæ confectaria, quæ impune in Hispania doceri potest, si *F. Denghien* audiater, cum immerito damnentur, qui eam propugnant, ut ipsa asserit. Hanc doctrinam Reipublicæ tam exitialem, quam verbo Dei & Traditioni contrariam, non puto a fidelibes Catholici Regis subditis propugnari posse; nec ab ipso Rege, ejusque consilio probatum iri D. ANTONII HOEFSLACH Judicium, qui Libellum Fratris *Denghien*, qui id & alia superius observata contra Regiam Aectoritatem continet, ec propugnat, *Nihil Statui contrarium* continere censet.

Nec vero Fratris *Denghien* ratio sanior est, quam Assertio ipsa.: „ In eum est (*inquit*) Canonistarum, „ & aliorum Gravium assensus: quod sufficit ne Ma„ lagola & Sanctarellus merito damnentur, & tam „ duram sententiam sustineant ". Effrænem in Moralibus probabilitatem pro Regula assumit Frater *Denghien* (neque enim hoc argumentum mere speculativum est, sed etiam Morale propter confectaria) impingitque in errorem Assertionis 7. a Facultate Lovaniensi damnatæ die 4. Maii anni 1655. cujus hæc sunt verba: „ Clarum & certum est, Judicem non posse „ punire aliquem, qui secutus est opinionem probabi„ lem. *Censura Lovaniensium confixa hæc Assertio est* „ *his verbis*: Assertio relata ad eam probabilitatem „ quam Assertio 26. fee ultima obtendit, prorsus falsa „ est, & Judiciarlæ potestatis perperam coarctativa, „ seditionum ac rebellionum invectiva, publicæ tran„ quillitatis turbativa, nec in Republica recte ordina„ ta ellatenus toleranda.

Respondebit forsan Lovaniensis Licentiatus, ab Assertionis 26. ad quam hæc Censura relationem habet, doctrina, suam plurimum distare: cum illa his concepta sit verbis: *Auctoritas unius Doctoris probi & docti reddit opinionem probabilem*: Ipse vero eam doctrinam probabilem censeat, nec damnationi obnoxiam, quæ a pluribus seu Canonistis, seu Theologis propugnatur. At ipsi reponetur: In Assertionem illam 26. & alias plerasque a Facultate Lovaniensi merito damnatas, esse plurium & gravium Theologorum assensum: quod secundum ejus principia, sufficit ne merito aliqua propositio damnetur.

Ex potestate excommunicandi perperam colligitur potestas exauctorandi Reges.

„ V. Pa. 566. Affirmat Frater *Denghien* inconse„ quenter denegari Romano Pontifici omnem in tem„ poralia Regum potestatem, dum asseritur auctori„ tas ferendi in illos Censuras. Excommunicatio quip„ pe nedum a Sacris adversus Ecclesiam contumaces, „ sed etiam a civili conversatione Fidelium arcet: un„ de si Rex aut Princeps sit nominatim excommuni„ catus, a suis etiam vitari debet, eoque tempore „ ab obedientiæ & fidelitatis vinculo solvuntur, aut „ solvi possunt. Cap. *Nos Sanctorum*. 15. 6. Cap. „ *Juratos*, (ibidem) & cap. *Absolutos*. Lib. 5. De„ cretal. *De Hæreticis*, Tit. 7. quæ Romanorum „ Pontificum Decreta venerari *Natalis* peculiariter ob„ stringitur.

In Jure Canonico & rerum Moralium intelligentia se & eruditum palam facit Licentiatus Lovaniensis. Cap. *Nos Sanctorum*, cum sit *Gregorii VII*, ut nullius hac in causa roboris rejici potest: ut enim habetur L. *Omnibus* Cod. Tit. De Testibus: *Omnibus in re propria dicendi testimonii facultatem Jura submoverunt*. Cap. *Juratos* & Cap. *Absolutos*, non spectant Reges & supremos Principes, nec de fidelitate & Obedientia loquuntur, Jure Naturali aut Divino, immo Jure Gentium debita. Unde conjuges, filii, servi, ancillæ, mercenarii, rustici, conjugibus, parentibus, dominis excommunicatis tuta conscientia in rebus civilibus communicare possunt, ut habet Glossa Cap. *Cum Desideres*. *De Sententia Excommunicationis*, Lib. 4. Decretal. *S. Thomas* in Supplem. Quæst. 24. Art. 2. & Vulgo Theologi ac Juris Canonici Interpretes. Unde illi versus, qui in omnium ore versantur:

Hac Anathema quidem solvent ne possit obesse,
Utile, lex, humile, res ignorata, necesse.

Et cap. *Quoniam*, Causa 11. Quæst. 3. ipse *Gregorius septimus* ita decernit: *Quoniam multos peccatis nostris exigentibus pro causa excommunicationis perire quotidie cernimus, partim ignorantia, partim nimia simplicitate, partim timore, partim etiam necessitate, devicti misericordia, sententiam Anathematis ad tempus, prout possumus, opportune temperamus. Apostolica itaque Auctoritate ab Anathematis vinculo subtrahimus uxores, liberos, servos, ancillas, seu mancipia, nec non rusticos servientes, & omnes alios qui non adeo curiales sunt, ut eorum consilio scelera perpetrentur.* Hunc vero *Gregorii septimi* Canonem *Innocentius tertius* Cap. *Inter alia*, *Extra*, *De Sententia Excommunicationis*, sic explicat quoad servos, ut si jam servi erant ante prolatam Sententiam excommunicationis in Dominos, ad idem obsequium postmodum teneantur; sin minus, addicera se illorem obsequio ac servituti non debeant, quamdiu excommunicatio perseverat. Multo minus subditi a civili communione Regum excommunicatorum abstinere debent, quorum adeo Sacra Majestas antiquæ Ecclesiæ visa est, ut si ipsi excommunicatum aliquem in gratiam reciperent, is statim excommunicatione solvendus judicaretur. Id expresse in Concilio Tolerano 12. Cap. 3. decretum est. *Quos* (inquit) *Regia Potestas, aut in gratiam benignitatis receperit, aut participes mensæ suæ effecerit, hos etiam Sacerdotum & Populorum Conventus suscipere in Ecclesiasticam communionem debebit, ut quod jam Principalis pietas debet acceptum, atque a Sacerdotibus Dei habeatur extraneum*. Quod Decretum ut Legem Ecclesiasticam laodat *Ivo Carnotensis* Epistolis 62. & 171. Unde & *Hincmarus* Archiepiscopus Remensis ad *Hadrianum secundum* Pontificem Maximum, qui ipsi jusserat ut e *Caroli Calvi* Regis consortio abstineret nisi ab invasione Regni *Lotharii* sibi temperaret, hunc in modum scribebat: „ Quapropter quomodo ipsius Regis in cujus Re„ gno Parochia & Provincia mea consistit, & eorum qui „ cum eo degunt, sine animæ periculo & mihi commis„ sæ Ecclesiæ detrimento, consortium vel præsentiam „ valeam devitare, non video. *Et infra*: Nescio quomo„ do ipsius Regis vel inter quos habito, præsentiam & „ communionem vel consortium valeam devitare, cum „ Rex & cohabitantes mecum una cum Rege, non „ solum in Parochiam, verum & in civitatem meam sæ„ pe conveniant, & ibi tamdiu, sicut Regi complacet „ degant, & cum tanta multitudine, tam de Regno „ quod antea habuit, quam & de Regnis quod Lotha„ rius habuit, nec non de aliis Regnis ad eum confluen„ tibes, sicut Missi vestri viderunt, & hoc quam sæpe „ illis videtur, in civitate mea sustineo, qui Ecclesiam „ & plebem mihi commissam deserere, & aliorsum et „ mercenarius non valeo fugere, nec quo extra Regnum „ ejus fugiam, habeo: sed Regio cultu eo recepto, de „ Ecclesiasticis facultatibus, sicut præcipit, & quamdiu „ præcipit, illi & sibi obsequentibus servio, ut quiete, „ secundum quod instat tempus, cum mihi commissis „ degere possim. *Ibidem*: Nec etiam ab Hæreticorum „ vel Schismaticorum, sive tyrannicorum Imperatorum „ ac Regum, quales fuerunt Constantius Arianus, ac „ Apostata Julianus, & Maximus Tyrannus, præsen„ tia & salutatione sive collocutione, Sedis Apostolicæ „ Pontifices, vel alii magnæ auctoritatis atque sancti„ tatis Episcopi, cum locus & ratio ac causa exegit, „ se subtraxisse leguntur. Et si aliis Episcopis Regi „ nostro communicantibus, ego me ab illius commu„ nione vel præsentia subtraxero, dicunt secundum Con„ cilium Africanum: Quamdiu illi non communicavero, „ ut mihi ab illis non communicetur Episcopis.

Tandem quæ defectio rationis est, asserere, Excommunicationem vim habere privandi Regem Regno suo quæ vim non habet viros privatos spoliandi patrimonio? Quasi major Summo Pontifici in Reges quam in Regum subditos competat potestas & auctoritas.

Prohibitio Theodosii

VI. Pag. 589. Prohibitionem *Theodosii* Imperatoris ab ingressu Ecclesiæ & comunione Sacramentorum, excom-

Imp. ab ingressu Ecclesiæ excommunicatio proprie non fuit, sed pars pœnitentiæ publicæ.

excommunicationem fuiſſe a *S. Ambroſio* inflicta *F. Denghien* pertinaciter contendit, non vero publicæ Pœnitentiæ partem, (ut *F. Natalis Alexander* reſponderat) hac præclara ratione : „ Quippe (*inquit*) ſi quæ ſimilis pœna imponeretur Pœnitentibus, illam dumtaxat decernebat Judex fori interioris ſeu Sacramentalis ; prohibitio autem facta Theodoſio erat fori externi, manavitque palam a Judice Eccleſiaſtico ob publicum crimen Sacramentali Confeſſione ipſi non patefactum „.

Neſcit Licentiatus Lovanienſis primis illis Eccleſiæ Sæculis Eccleſiaſticum forum internum, externumque diviſa non fuiſſe, unum eumdemque extitiſſe utriuſque fori judicem ; Pœnitentiam publicam ad forum externum pertinuiſſe, cum ordine tamen ad Sacramentalem Abſolutionem quæ fori erat inferioris : Ipſam non ſolum ſponte confeſſis ob ſecreta quædam crimina, ſed & convictis in externo tribunali ob publica impoſita : Neſcit ſequentibus ſæculis publicos peccatores, aut de crimine quomodocumque convictos, ſi ſponte Pœnitentiam publicam agere nollent, ad eam Excommunicatione & Anathemate coactos, ſi Cenſuris Eccleſiaſticis ad eam ſuſcipiendam adduci non poterant, Principum auctoritate compulſos fuiſſe. Auctoritatem hanc Epiſcopos imploraſſe. Principes ſecundum eorum poſtulata non modo Leges tuliſſe, Comiteſque ac Miniſtros Epiſcopis auxilium denegantes graviter puniviſſe, ſed etiam ſtatuiſſe, ut qui de Regno ſuo in alterius Regnum Pœnitentiæ vitandæ cauſa fugeret, petenti Epiſcopo redderetur, ut apud eum Pœnitentiam ſuſciperet, ac legitime exequeretur, ut ex *Caroli Magni*, *Ludovici Pii*, & *Caroli Calvi* Capitularibus compertum eſt. Quæ ſane non ſolum probant, ſed plane demonſtrant pœnitentiam publicam, adeoque & abſtentionem, quæ pars ejus erat, ad forum externum pertinuiſſe, & a Judice fori externi Eccleſiaſtici fuiſſe impoſitam. Legat Licentiatus Lovanienſis egregium Opus doctiſſimi viri *Joannis Morini* De Diſciplina in Adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ Lib. 1. Cap. 10. & Lib. 6. Capp. 3. 4. & 5. ſtudioque incumbat antequam his de rebus loquatur ne ſemper ſit ex eorum numero, qui *Converſi ſunt in vaniloquium volentes eſſe legis Doctores, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.* Interim ineruditæ ipſius reſponſioni ad ea quæ de *Theodoſii magni* abſtentione dixeram, Pœnitentiæ nimirum publicæ partem fuiſſe, non vero proprie dictam Excommunicationem, opponere ſatis eſt locum *S. Auguſtini* Homilia 49. inter quinquaginta. „ Superba cervix (*inquit*) mens tortuoſa fortaſſis immo, quod non dubitatur, propterea Deus voluit ut Theodoſius Imperator ageret Pœnitentiam publicam in conſpectu populi maxime quia peccatum ejus celari non potuit ; & erubeſcit Senator, quod non erubuit Imperator ? Erubeſcit nec Senator, ſed tantom Curialis quod non erubeſcit Imperator.

1. Tim. 6.

ARTICULUS VII.

Diluuntur Calumniæ Fratrum FRANCISCI DENGHIEN, JOANNIS ANTONII D'AUBERMONT, & FRANCISCI JANSSENS ELINGA.

I. DEcreveram uti Pſalmiſtæ voce dicentis *Obmutui & humiliatus ſum* ; & iterum : *Ego vero tamquam ſurdus non audiebam, & tamquam mutus non aperiens os ſuum*. Conſiderabam enim attentius quod (ut *S. Hieronymus* ait) *Apud Chriſtianos, non qui patitur, ſed qui facit contumeliam miſer* eſt. Sed eum atroces calumniæ, quibus me Fratres impetunt, Sacram Facultatem Pariſienſem, totamque Gallicanam Eccleſiam, quarum doctrinam ea Diſſertatione propugnavi, ob quam in me tam impotenter debacchantur, oblique petant, & ſanctam imprimis, quæ nuſquam a Catholico Doctore deſerenda eſt, veritatem ; operæ pretium duxi calumnias illas diluere, & ad Fratres ſupra nominatos verba illa Pſalmiſtæ ſingulatim dirigere : *Sedens adverſus fratrem tuum loquebaris, & adverſus filium matris tuæ ponebas ſcandalum ...... Arguam te & ſtatuam contra te faciem tuam*. Id vero ſimpliciter faciam, ut Virum Chriſtianum & Religioſum decet, par pari non referens, & a verbis quibuſvis durioribus temperans. „ Si *enim* vellem pro maledictis maledicta rependere, quid aliud quam duo maledici eſſemus, ut ii qui nos legerent, alii deteſtatos abjicerent ſana gravitate, alii ſuaviter haurirent malevola voluntate : Contumelioſis erga criminationibus laceſſitus, quantum mihi Dominus donat, frænatis atque coercitis vanæ indignationis aculeis, auditori lectorive conſulens, non ago ut efficiar homini conviciando ſuperior, ſed errorem convincendo ſalubrior „. S. Auguſtini verba ſunt Lib. 3. contra Literas *Petiliani*.

In Ep. ad Marcum Celedenſem.

Pſ. 49. 20.

CALUMNIA I.

II. Calumnia prima, eaque atrociſſima, in Præfatione ad Lectorem, in Approbationibus in toto Libello regnans, eſt quod Pontificiam Majeſtatem violaverim, quod a Sedis Apoſtolicæ Auctoritatem impugnaverim, quod Dominicani Ordinis perpetua in eamdem Sedem & Eccleſiam Romanam obſervantia defecerim. Dominicanæ Familiæ *filium degenerem*, *Pontificiæ læſæ Majeſtatis reum* in Præfatione ſua me vocat Frater *Denghien* : quæ in *Gregorium VII.* ſcripſi, *Romanam, immo univerſalem Eccleſiam* impetere ait. Quod *ab avito cultu degenerans, in Sanctam Apoſtolicam Sedem, ejuſque Sanctiſſimum Præſulem, calamum ſtrinxerim*, improperat : atque eam ob rem ſe hunc in me Librum adornaſſe, ut palam omnibus fiat, Dominicanam familiam, *dum pro veritate certandum eſt, non carnem, non ſanguinem, non demique ullum agnoſcere*, adeo ut a *Ludovico Bavaro* hoc elogium audire meruerit : *Ordo Prædicatorum eſt Ordo veritatis, quam intrepide & libere contra errores quantumvis potentes tuetur*. Lovanienſis Licentiati calumnias non modo approbat, ſed roborat quantum poteſt Frater *Joannes d'Aubermont* ejuſdem Univerſitatis Doctor & Profeſſor in Approbatione ſua virulenta ac petulanti, qua in me ſic inſultat : „ A Majorum veſtigiis devio Fratri, ac in contraria ſtudia infeliciter abrepto, veritatis facem prælouiſſe, ut in viam redeat, fraternæ pariter ac religioſæ Diſciplinæ character eſt. *Et infra* ; Nihil prius in Schola Chriſti, quam ejus in terra Vicarii, quem ipſe conſtituit ſuper gentes & Regna, cauſam agere, & Fratri in eam ruenti, affectoque ſeu Gentis, ſeu Aulæ laboranti ſuccurrere, ad commiſſi erroris agnitionem revocare, atque ad Apoſtolicæ Sedis reverentiam invitare „. Addit, Fratrem *Denghien*, propugnando indirectam Romani Pontificis in temporalia Regum poteſtatem, *non unius modo ſaluti officioſa ſedulitate conſuluiſſe*, verum etiam publicæ ſtudere utilitati. Palam enim fit (inquit) *præcipitem Alexandri iſtius impetum, hoc obice velut elidi, cunctaque tela, argumenta, ac auxilia omnia, quæ adverſus Pontificiæ Majeſtatis poteſtatem pugnaciſſima niſa evocavit in aciem, accuratiſſima diligentia profligari*. In me non minus petulanter inſultat Frater *Janſſens Elinga*. Libelli quem approbat, Auctorem laudat, quod indirectam poteſtatem Apoſtolicæ Sedis in temporalia Regum demonſtrare ſatagat, *Atque una P. Natalem Alexandrum non ſufficientis, (prout Dominicanum decebat) reverentiæ erga Sanctam Sedem reum agere, arguere, corrigere, ac ad ſui Ordinis ac Inſtituto congruentem doctrinam reducere*. Primo Libelli ſui capite me *a Patrum doctrina deviaſſe, ac in Canonum Diſciplinam impegiſſe* F. DENGHIEN improperat. Nunnulla ſubdit Patrum & Summorum Pontificum de Romani Pontificis Primatu & Auctoritate teſtimonia, ſicque ex illis concludit ; *Sed prætorierunt hæc omnia Natalem, dum in Romani Præſulis irrefragabilem Auctoritatem tam indigne vibravit, &c.*

RESPONSIO.

III. Inique mihi Fratres improperant, quod Pontificiam Majeſtatem violaverim, quod in Sedem Apoſtolicam irruerim ac debitæ erga ipſam reverentiæ defuerim. Tantum enim tribui Sanctæ Sedi Romanæ & Summo Pontifici, quantum ipſi ſecundum Conciliorum Definitiones tribuendum eſt ; immo de ipſa ſenſi ac diſſerui magnificentius, quam multi coæquales mei Catholici Doctores. Non-ne cum Florentina Synodo profeſſus ſum : „ Sanctam Apoſtolicam Sedem & Romanum Pontificem in univerſum orbem tenere Primatum, & ipſum Romanum Pontificem Succeſſorem eſſe Beati Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, totiuſque Eccleſiæ Caput, & omnium Chriſtianorum Patrem ac Doctorem exiſtere, & ipſi in Beato Petro paſcendi, regendi, ac gubernandi univerſalem Eccleſiam a Domino noſtro Jeſu Chriſto plenam Poteſtatem traditam eſſe, quemadmodum & in geſtis Œcumenicorum Conciliorum & in Sacris Canonibus continetur ? *Non-ne* Sanctam Catholicam & Apoſtolicam Romanam Eccleſiam,

„ omnium

„ omnium Ecclasiarum Matrem & Magistram agnosco; Romanoque Pontifici Beati Petri Apostolorum Principis Successori, ac Jesu Christi Vicario, veram obedientiam a Christianis omnibus daberi propugnavi, ad eamqua exhibendam semper fui paratissimus, secundum Formulam Professionis fidei, quam *Pius* IV. præscripsit Diplomata, *Iajunctam*? Non-ne cum Sacra Facultata Parisiensi propugno, Romanum Episcopum unum esse Jura Divino Summum in Ecclesia Pontificam, cui omnes Christiani parere teneantur.; & qui immediate a Christo, non honoris solum, aut dignitatis, sed & Potestatis ac Jurisdictionis Primatum habet in tota Ecclesia! „ Dissertationes meæ, Quartam in Historiam Ecclesiasticam Sæculi Primi, *De Primatu S, Petri & Romanorum Pontificum*; Vigesima septima in Historiam Ecclesiasticam Sæculi Quarti, *De Jare Appellutionum Episcopalium ud Sedem Romaaam*; Decima nona *De sensa Sexti Canonis* [Nicani]; Observationes per totum Historiæ corpus sparsæ, quibus Sedis Apostolicæ Dignitas, Primatus, Jura convocandi Concilia, iisque præsidendi, fidai controversias dirimendi, Canonum executionem toto orbe Christiano imperandi, occasione data vindicaatur; nullus mihi præteritus locus magnificum quid annotandi de Romana Sede ac Summis Pontificibus, quoties in Historiæ serie occurrit, meam erga Sedem Apostolicam & Summum Pontificem singularem observantiam, reverentiam, devotionem damonstrant. In ipsa Dissertatione, ob quam me vexant Fratres nostri, professus sum: „ Potestatem ligandi & solvendi animas S. Petro & ejus Successoribus Romanis Pontificibus, in tota qua late patet Ecclesia, a Christo concessam: Potestatem dirimendi controversias fidei, omnesque causas mejores judicandi; Canones interpretandi, temperandique; & eorum executionem omnibus & singulis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Presbyteris, cæterisqua Clericis, ac Fidelibus tato orbe Christiano imperandi; eorum contumaces infractores Censuris plectendi, secundum eosdem Canones, & mores Ecclesiarum antiquos, receptos, & probatos. „ Quam sincera hæc scripserim, ut sentio, testis ast qui omnium corda intuetur Deus; quam paratus sim ad totum sanguinem pro Sedis Apostolicæ & Romani Pontificis Primatu profundendum, si Christi gratia hanc mihi occasionem daret ac vires, quæ hanc indidit voluntatem; novit ille quem in simplicitate & humilitate cordis testem confidenter appello, meus omniumque hominum Redemptor. Nihilominus violatæ Pontificiæ Majestatis reus agor, & præcipitis impetus, insultusque in Sedem Apostolicam accusor. Quam ob causam? Quia indirectam Sedis Apostolicæ Potestatem in temporalia Regum impugno; quia sententiam quæ illam afferit, *falsam, erroneum, periculosam, invidiosam, singularem, Sacræ Scripturæ & Traditioni dissentaneam* esse propugnavi; *Gregorium VII.* qui Potestatem exauctorandi Reges sibi primus tribuit, *contra Patrum doctrinam, immo contra Verbum Dei*, hanc sibi *tribuisse*, contendo, proboqua. Illa tamen de Summi Pontificis & Ecclesiæ Potestate in temporalia quæstio, salva fide, in Theologorum Catholicorum Scholis disceptatur; nondum ab Ecclesia finita est, nullo Sedis Apostolicæ Decreto disputationes illæ prohibitæ: satis est ad Romanæ Ecclesiæ communionem promerendam, ut cum aliorum Articulorum Fidei, quos ipsa profitetur & credit, professione, Primatum Sancto *Petro* & ejus Successoribus a Christo concessum agnoscamus, ipsisque propterea obadientiam deberi, quam Sacra Concilia & SS. Patres omnes Christianos semper docuerunt. Id diserte tradit Illustrissimus & Eruditissimus Episcopus Meldensis *Jacobus Benignus Bossuetus* de Catholica Religione tam bene meritus in „ Expositione doctrinæ Ecclesiæ Catholicæ, *Cap.* 21. Le Fils de Dieu ayant voulu que son Eglise fut une, & solidement établia sur l'unité, a établi & institué la Primauta de Saint Pierre prour l'entretenir & la cimenter. C'est pourquoy nons reconnoussons cette meme Primauté dans les Successeurs du Prince des Apotres, ausquels on doit pour cette raison la soumission & l'obeissance, que les Seints Conciles & les Saints Peres ont toujours anseignés a tous les Fideles. Quant aux choses, dont on sait qu'on dispute dans les Ecolas, quuy qua les Ministres ne cessent de las alleguer pour rendre cette Puissance odieuse, il n'est pas necessaire d'en parler icy, puis qu'alles ne sont pars de la Foy Catholiqua. Hujus certe generis est quæstio de Romani Pontificis Potestata in Regum temporalia, & hanc maxime ab Illustrissimo Præsule intelligi evidens est. Idem cum Doctissimo Antistite sentiebant vel sentiunt,

In Artic. contra Lutherum & in variis Censuris,

Tom. 18. Edit. 1. P. 350.

Tom. IX.

qui Librum ejus approbarunt ac debitis laudibus ornarunt atqua commendarunt, Eminentissimi Cardinales *Boaa*, *Sigismundus Chigius*, *Hyacinthus Libelli* Sacri Palatii Magister, postmodum Aventonensis Archiepiscopus, *Michael Angelus Ricci* Actuarius Congregationis Indulgentiarum & SS. Reliquiarum, & S. Officii Consultor, *Laurentius Brancati de Laurea* Vaticanæ Bibliothecæ Custos Primarius, *Raymundus Capisuccus* Ordinis Prædicatorum, Sacri Palatii Magister, quorum merita Cardinalitiis Insulis a Summo Pontifice munerata sunt, & Summus ipse Pontifex *Innocentius* XI. in Literis Apostolicis ad Auctorem Illustrissimum datis dia 4. Januarii 1679. „ Libellus (*inquit*) de Catholicæ Fidei Expositione a Fraternitate tua compositus, Nobisque oblatus, ea doctrina, eaqua methodo ac prudentia scriptus est, ut perspicua brevitate legentes doceat, & extorquere possit etiam ab invitis Catholicæ veritatis confessionem. Itaque non solum a nobis commendari, sed ab omnibus legi, atque in pretio haberi meratur. Ex eo sane non mediocres in Orthodoxæ Fidei propagationem, quæ nos præcipue cura intentos ac solicitos habet, utilitates redundaturas, Deo bene juvante confidimus. „ Inique igitur mihi crimini vertunt Fratres nostri, inique me violatæ Pontificiæ Majestatis reum agunt, quod Scholasticum ac Doctrinala de illa quæstione Judicium tulerim, immo latum olim a Sacra Facultate Parisiensi, nec semel confirmatum, propugnaverim; quod senserim ac locutus sim sicut sentiunt ac loquuntur Archiepiscopi, Episcopi, & Academiæ omnes Ecclesiæ Gallicanæ, cujus ea de quæstione sententiam celeberrimæ Declarationis de Potestate Ecclesiastica primum Caput exponit. An Fratres nostri Religiosissimos Antistites, Gallicanam Ecclesiam tot in Sedem Apostolicam meritis insignem, Parisiensem Academiam Catholicæ doctrinæ vindicem acerrimam, Pontificiæ Dignitatis assertricem, a Summis Pontificibus tot laudibus ornatam, læsæ Pontificiæ Majestatis, violatæ Sedis Apostolicæ, Romanæ & universalis Ecclesiæ oppugnatæ petulanter accusabunt? An extra viam salutis positos esfaticot, qui indirectam in temporalia Regum Potestatem Romano Pontifici negant, & Sententiam quæ hanc ipsi tribuit, ut verbo Dei, SS. Patrum doctrinæ, veterum Pontificum exemplis contrariam rejiciunt? Novum illum Apostolum Fratrem *Franciscum Deagbien* eapectabant Gallicana Ecclesia, Parisiensis Academia, Universitates Regni reliquæ, *tot egregii Viri quibus Gallia abaadat* (ut ait Summus Pontifex *Innocentius Undecimus*, in Brevi ad Illustrissimum Episcopum Meldensem superius laudato) ut in viam salutis revocarentur, a qua (ut placet F. *Antonio d'Aubermont*) aberrant, qui indirectam in temporalia Regum Potestatem Sedi Apostolicæ negant.

IV. *Gregorii* quidem *VII.* opinionem ut *verbo Dei & doctrinæ Patrum contrarium* cum Ecclesia Gallicana & Sacra Facultata Parisiensi rejicio, ac merito damnatam canseo: sicut *S. Cypriani* Martyris & Synodorum ejus da rebaptizandis Hæreticis sententiam *SS. Justini*, *Irenæi*, *Victorini*, aliorumque Patrum Chiliastarum errorem rejicio, damno, & verbo Dei, ac Traditioni Apostolicæ repugnare assero. Sicut ergo se ridendum omnibus propinaret, qui me blasphemiæ vel irreverentiæ in Sanctos illos Martyres accusaret, quod manifestos illos errores rejiciam, damnemque; ita se merito ridendos Eruditis omnibus exponunt Fratres nostri, qui me læsæ Pontificiæ Majestatis, & irreverentiæ erga Sedem Apostolicam reum agunt, quod opinionem de indirecta Romani Pontificis in temporalia Regum Potestate, *erroneam, temerariam, verbo Dei & doctrinæ Patrum contrariam*, cum Sacra Facultate Parisiensi dixerim ac propugnaverim. Nondum quidem hanc opinionem damnavit Ecclesia, ideo Hæreseos notam illi non impingimus, sed Scripturam & Traditionem scrutati, his duabus Fidei nostræ Regulis, his duobus Theologiæ nostræ principiis contrariam comperimus & observavimus, & quod nobis persuasum est affirmamus & propugnamus. „ Cum veritas reliqua (*inquit* Melchior Canus *Ordinis Prædicatorum præstantissimus Theologus*) Sapientum quidem opinione vehementi, fidei veritas est, sed non est plane ab Ecclesia definita, nec certo argumento demonstrata, tunc veritati illi adversari non est hæreticum, sed erroneum. Videlicet hæresis a voluntate quoque errantium pendet, nedum ab intellectu. Error autem sicut & falsitas e rebus ipsis significatis perpenditur, nulla asserentis habita ratione. Ita licet veritas illa ad fidem suapta natura pertineat, quia tamen nec hoc certum, nec expeditum ast, hæretica pertinacia abest, arror gravis &

Lib. 12. De Locis Theolog. Cap. 11.

„ periculosus non abest, „ Quod Gallicanos omnes Præsules ac Doctores Sapientes existimem, insipiens est qui mihi vitio vertit. Horum opinione vehementi ac Doctrinali Judicio, sententia de indirecta Romani Pontificis in temporalia Regum Potestate *falsa est*, *erronea*, *temeraria*, *Verbo Dei*, *Doctrinæ SS. Patrum contraria*: Quo jure ergo mihi vitio datur a Fratribus, quod erroneam, & Verbo Dei, Patrumque doctrinæ contrariam affirmem ac propugnem? „ Est demum (*inquit* „ *Melchior Canus*) & ea temeraria propositio, quæ ut „ doctrina fidei cum celebris Universitatis communi „ Decreto ac Definitione pugnat. Quamquam enim „ circumferuntur Articuli Parisienses, qui non sunt „ Articuli Fidei omnes, quoniam nec hanc quidem vel „ longissime tangunt: sed ejus Academia tamen de fi„ de & religione sea constantiaque Decreta semper „ Christi Ecclesia suspexit. Qui vero contempserunt, „ inaniaque & levia ac pro nihilo existimaverunt, om„ nes ad unum periclitati sunt, & ii qui manifeste ab „ Ecclesia discessere, & ii qui Ecclesiæ fuere suspe„ cti: Postremo ii qui in occulto adhuc latent, sed se „ suo tempore, ut cæteri prodent.

Verum non eximii dumtaxat illius Theologi, sed Summorum Pontificum præclarum de Sacra Facultate Parisiensi judicium consideratius expendant Fratres nostri, & illos nisi in voluntate calumniandi obfirmati sint, pœnitebit injuriæ eidem Sacræ Facultati, & Theologis illius universis in me uno, omnium quidem postremo, illatæ; & nisi eos pœniteat, omnibus certo viris cordatis persuasum erit, Fratres istos inique mihi læsæ Pontificiæ Majestatis, Romanæ immo universalis Ecclesiæ impugnatæ, crimen affingere, quod opinionem de indirecta Romani Pontificis in Regum temporalia Potestate ut *erroneam*, *& Verbo Dei*, *ac Doctrinæ SS. Patrum contrariam*, cum Sacra Facultata (cujus ea in Censuris suis verba sunt) rejecerim, ac merito ob ea damnatam fuisse propugnaverim, „ Quasi „ lignum vitæ in Paradiso Dei (*inquit ALEXAN-* „ *DER IV.*) & quasi lucerna fulgoris in Domo Do„ mini, est in Sancta Ecclesia Parisiensis Studii Disci„ plina. Hæc quippe velut fœcunda eruditionis parens, „ ad irrigandam sterilem orbis faciem fluvios de fonti„ bus Sapientiæ salutaris cum impetu foras mittens, „ ubique terrarum Dei lætificat civitatem, & in refri„ gerium animarum flagrantium siti justitiæ, aquas ju„ stitiæ dividit publice in plateis. Ibi nimirum ordina„ tus est per providentiam Conditoris; ad opus, ad cu„ stodiam, Doctorum Ordo præcipuus, ut ad vitæ fru„ ctum rationabilis creaturæ deducat affectum, ne in „ gustum mortis vetita veteris prævaricationis illece„ bra seducatur. Ibi humanum genus originalis igno„ rantiæ cæcitate deforme per cognitionem veri lumi„ nis, qua scientia pietatis sequitur, reddita visionis „ specie reformatur. Ibi præcipue dat Dominus Spon„ sæ suæ os & sapientiam, ac linguam mystici eloquii „ eruditam, cui resistere nequit omnis adversitas re„ proborum. *Et rursus*: Ex alto fuisse conspicimus ci„ vitati Parisiensi provisum, quod honorificata decore „ Studii Generalis, & tantorum Universitate Schola„ rium illustrata, præluceat orbis civitatibus, orbem„ que lucidum reddiderit sui luminis claritate. Ipsa „ quidem Universitas fons irriguus consuevit esse virtu„ tum universale speculum, Mater studere volen„ tium, & Magistra scientiarum, ad singulos dona „ derivans, cunctosque illustribus radiis doctrinarum „ clarificans.

Sacra Facultas Parisiensis a Summis Pontificibus commendata.

Ep. 277. Lib. 1.

Ep. 197. Lib. 5.

De eadem Sacra Facultate *Innocentius octavus* in literis ad Theologos Parisienses datis die septima Septembris 1486. „ Intelleximus non sine magna cordis nostri „ lætitia, sinceram animorum vestrorum devotionem, „ quam ad Nos, Sanctamque Romanam Ecclesiam & „ fidem Catholicam habetis, eum omne studium & „ curam vestram pro ejusdem fidei defensione, & hæ„ resum extirpatione, sicut probatissimos quosque Chri„ stianos decet, incessanter adhibueritis.

De eadem *Pius secundus* in Mantuano Conventu respondens Orationi *Guillelmi* Parisiensis Episcopi, Christianissimi Regis Oratoris anno 1459. *Sunt in ipso* Regno Francorum *Studia plurima Scholasticorum, sed unum illud Parisiorum, Venerabilis Frater, fertur illustrius, in quo Theologiæ maxime necessariæ doctrinæ viget: eo quo etiam Magisterium promeruisse, magni honoris, maximæque difficultatis existimatur.* Videant Fratres nostri quo judicio, qua æquitate, qua prudentia, Sacræ Facultatis Parisiensis a Summis Pontificibus adeo commendatæ Doctorem, Fratrem suum ejusdem Facultatis Matris suæ doctrinam ac Censuras propugnantem, ipsaque verba usurpantem, læsæ Pontificiæ Majestatis Sedis Apostolicæ, Romanæ ac universalis Ecclesiæ contemptarum ac impugnatarum accusent, Nec in Parisiensem dumtaxat Academiam, sed in totam Ecclesiam Gallicanam, congesta in me a Fratribus nostris maledicta, improperia, & calumniæ redundant, cujus me doctrinam propugnasse non ignorant, nec ignorare possunt, cum Potestatem omnem in temporalia Regum Sedi Apostolicæ, Romanisque Pontificibus abrogavi, contrariamque opinionem ut Scripturæ Sacræ & Traditioni repugnantem, adeoque ut erroneam rejeci, confutavi. Hanc sequor Ecclesiam cujus fides ac devotio erga Sedem Apostolicam nullo umquam tempore defecerunt; de qua *Honorius testatur* Epistola 22. Lib. 1. *Quantum* (inquit) *Romana Ecclesia Regni Francorum turbationem desideret evitare; immo quantum ejus tranquillitatem affectet; facile poterit intelligere quisquis devotionem ipsius Regni ad illam, & grata subsidia, quæ in illo invenit tempore opportuno, intente mente voluerit cogitare, Quis enim nesciat, quod Reges & Regna Francorum semper in Apostolicæ Sedis devotione firmiter persliterunt; quod semper in difficilibus arduisque negotiis adstiterunt ei studio indefesso; & nunc contra hæreticam pravitatem, nunc contra Paganorum barbariem eidem devote & humiliter obsequendo, illam utriusque formidabilem reddiderant? Hæc siquidem obsequia, & alia quæ recensere sub Epistolari brevitate non possent, & merito nihilominus Ecclesiæ Gallicanæ cujus fides ac devotio nullo umquam tempore defecerunt, pro vobis sufficienter fidejubent; quod inter cætera Regna mundi illud quadam prærogativa diligimus charitatis, ejusque statum semper tranquillum esse cupimus & felicem. Absit enim ab Apostolica Sede & a nobis, qui ei disponente Domino præsidemus, ut nobis tantorum veniat oblivio meritorum, & ut tantæ ingratitudinis vitio laboremus; quod ut non studeamus obsequiis sinceris affectibus respondere.* Cum Ecclesiæ a Sede Apostolica tam merito commendatæ doctrinam sequar ac propugnem; viri omnes cordati & a præjudiciis liberi intelligent, Fratres nostros inconsiderate, inique, falso, læsæ Pontificiæ Majestatis, Sedis Apostolicæ, Romanæ & universalis Ecclesiæ violatæ, oppugnatæ, mihi crimen inferre.

IV. *Affectu gentis, seu Aulæ laborenti succurrere volunt, ad commissi erroris agnitionem revocare, atque ad Apostolicæ Sedis reverentiam invitare.* Gratularer Fratrum charitati, gratiasque agerem ex animo, si venenata atrocis calumniæ tela a charitate emitti possent. Gentem Christianissimam, Ecclesiam Gallicanam Sacram Facultatem Parisiensem, REGEM MAGNUM Regiamque Francorum in errore versari, & a Sedis Apostolicæ reverentia defecisse Fratres isti significant, cum opinionem de indirecta Romani Pontificis in Regum temporalia Potestate, ut Verbo Dei contrariam erroneam, periculosam, ad seditiones & parricidia Principum viam aperientem rejecerunt, & proscripserunt, ac e Regno eliminarunt; siquidem me *affectu Gentis seu Aulæ* laborare, errorem commisisse, in Sedis Apostolicæ reverentiam peccasse improperant; quod eamdem opinionem rejecerim, impugnaverim, iisdemque Censuris affecerim. Imprudentiæ temeritatisque notam vitare non potestis, Fratres, qui Christianissimam Gentem, qui Regiam Francorum, qui LUDOVICUM MAGNUM Regem Potentissimum, Invictissimum, Religiosissimum calumniis vestris oblique petitis. Committitis tempore pacis inter Christianissimum & Catholicum Reges ac utramque Gentem, quod nec tempore belli committendum esset. Regi quisque suo fidem & obedientiam; cæteris enim Regibus, maxime Christianis & Catholicis, honorem ac reverentiam debet. Quæ vos contra Gentem Aulamque Francorum calumniandi libido solicitat? Non affectu Gentis seu Aulæ (quamquam istam debita colam reverentia, fidemque & obedientiam erga Regem Christianissimum Dominum meum profitear inconcussam ac incorruptam, ac nullis umquam machinis, casibus, vexationibus, tempestatibus convellendam, aut labefactandam; illam vero tanta charitate prosequar, quantam imperat pietas) sed studio veritatis, doctrinam de suprema & uni Deo subdita atque obnoxia Regum in temporalibus Potestate propugnavi; contrariam opinionem ut erroneam, & Verbo Dei, Patrumque Doctrinæ repugnantem rejeci, profligavi. Gallicanæ Ecclesiæ, ac Sacræ Facultatis Parisiensis ea de re sententiam Rex Christianissimus auctoritate sua munivit, Edictoque firmavit; non quod Declarationibus ac censuris ab ineditis egeat, qui invicta fortitudine, potentia, opibus, copiis bellicosissimis, ac vincere assuetis Majestatem ac Auctoritatem suam, supremumque & nulli Ecclesia-

clesiasticæ Potestati obnoxium omnquam Imperium per se tueri potest: Sed pietatis esse suæ REX MAGNUS existimavit, Doctrinam, quam Ecclesia Regni sui & Christiani orbis Academia Princeps, Verbo Dei & Doctrinæ Patrum contrariam, adeoque falsam & erroneam, post maturum & multoties repetitum examen judicarunt ac declararunt, e Regno suo eliminare; Doctrinam vero Scripturæ Sacræ & Traditioni consentaneam tueri, utque sola in Regni sui Academiis & Scholis tradatur, & propugnetur imperare. Attendit scilicet Rex Sapientissimus, *Quod sicut Sacerdotes debitores sunt ut veritatem, quam audiverunt a Deo, libere prædicent: sic Princeps debitor est, ut veritatem quam audit a Sacerdotibus, probatam quidem Scripturis, defendat fiducialiter & efficaciter exequatur* (ut ajebat olim *Carolus VI.* in Constitutione data die 15. Maii 1408.) Regem qui victricem toties de hostibus dexteram ad trophæa Christo erigenda quotidie adhibet, eversis Calvinianæ Superstitionis Templis, Edictisque saluberrimis ad Hæreseos excidium, & Catholicæ Religionis propagationem atque utilitatem promulgatis: Regem qui hanc ipsam triumphalem dexteram se lubenter amissurum non semel professus est, si ea imminutione & jactura hæresis abolitionem in Regno suo, & omnium subditorum suorum in centro Ecclesiasticæ unitatis, Romanæ scilicet Ecclesiæ & Summi Pontificis communione conjunctionem consequi posset ac obtinere: Regem cujus pia pro Catholicæ Fidei propagatione studia, curas, Leges, tam uberi benedictione Deus cumulat, ut Edictorum ejus & adhortationum strepitu forinsecus insonante, gratia divina in Hæreticorum innumeris cordibus operetur & velle: adeo ut centum millia e Calviniana Superstitione ad Ecclesiæ Romanæ Fidem & Communionem intra paucos menses vel in una hujus Regni Provincia emerserint: Regem (inquam) adeo Religiosum, qui oblique perstringunt Belgæ Fraterculi, puniendæ temeritatis jure insimulantur. Genti vero nostræ qua fronte obloquuntur, eamque irreverentiæ erga Sedem Apostolicam accusant, ob rejectum indirectæ Potestatis in Regum temporalia, quam ipsi quidem Pontificibus tribuunt, adulatorium figmentum? Gentem quæ Pontifices plurimos in Sedem restituit, quæ profugos excepit ac fovit, quæ contra Sedis Apostolicæ Hostes & Tyrannos potenter adjuvit, cujus armis, ac devotioni, Regumque Christianissimorum munificentiæ, Romana debet Ecclesia pene quidquid temporalis Dominii, Imperii, ac Majestatis habet; quam Summi Pontifices propterea immensis laudibus extulerunt, læsæ Pontificiæ Majestatis ob supremam & soli Deo subditam, nulli in terris Potestati obnoxiam in temporalibus Regum assertam auctoritatem, nemo Sapiens accusabit. Audite, Fratres, Summorum Pontificum de Gente Francorum elogia, & vestræ temeritatis pœnitentiam agite.

Ludovici M. Regis Christianissimi, & Gentis Francorum adversus F. Denghien vindicta.

Pontificia Gentis Francorum elogia.

Vere (inquit *PAULUS I.*) *elevatum est nomen Gentis vestræ super multas generationum Nationes & Regnum Francorum vibrans emicat in conspectu Domini, quod talibus benignissimis Catholicæ & Apostolicæ Sancta Dei Ecclesia Liberatoribus præornatur Regibus... Vos quidem, charissimi, Gens sancta, Regale Sacerdotium, Populus acquisitionis, cui benedixit Deus Israel.*

Epist. ad Francos.

· *Stephanus* II. Epistola 4. ad PIPPINUM: *Quoniam nulli alio nisi tantummodo tuæ amantissimæ Excellentiæ, vel dulcissimis filiis, & cunctæ Genti Francorum, per Dei Præceptionem & B. Petri, Sanctam Dei Ecclesiam, & nostrum Romanorum Reipublicæ populum commisimus protegendum.*

Innocentius Tertius Epistola 2. ad *Philippum Augustum* Regem Christianissimum: *Considerantes quantum Regnum Franciæ in Ecclesiæ semper permanserit unitate, Tibi tamquam speciali Romanæ Ecclesiæ Filio literarum nostrarum primitias duximus destinandas.* Et in aliis ad eumdem Regem literis: *Adeo Regni exaltationem diligimus privilegiata semper opera commendantes, quæ processerunt de ipso, quod æquanimius Ecclesia Romana, quam ipsi Regno sustineremus magnum aliquid adversitatis accidere.*

Gregorius IX. in Literis ad *Ludovicum IX.* Regem Sanctissimum: *Personam tuam inter cæteros Principes Christianos, specialius amplexamur, cum Regnum Francorum benedictum adeo semper in Apostolicæ Sedis devotione permanserit, ut ab ea nullo umquam, sicut credimus, sit tempore discessurum.* In aliis ad eumdem Regem literis: *In tribus* (inquit) *quæ appropriationis nominis tribus in Sancta Trinitate Personis attributa noscuntur, potentia, sapientia, & benignitate, Regnum Francorum ejusdem Sanctæ Trinitatis imitando vestigium, patet præ Regnis aliis a longis retro temporibus floruisse, in strenuitate Militum potens, in Clero literarum scientia prædito sapiens, & in Clementi Principum bonitate benignum... Sapientia vero antecitur studio literarum, quo quasi fluvio de loco deliciarum egresso non solum Regnum prædictum irrigatur & fecundatur post Spiritus Sancti gratiam, verum etiam Paradisus Ecclesiæ generalis, cujus alveus Parisiensis civitas ea eo quod idem studium Parisius viguit, bactenus noscitur extitisse.* Item in aliis ad eumdem literis anno 1239. datis: *Regnum Franciæ benedictum a Domino Redemptor noster quasi specialem divinarum voluntatum executorem eligens, & ipsum sibi sicut pharetram circa femur accingens, ex ipsa sæpius sagittas electas extrahit, & eas in tuitionem Ecclesiasticæ Libertatis & Fidei, in contritionem impiorum & defensionem Justitiæ, in arcu brachii potentis emittit.*

Alexander IV. in literis ad eumdem Sanctum Regem: „Sublime Regnum Franciæ, Solium præeminentiæ coruscans titulis, generositate, & magnanimitate, ac strenuitate clarius cæteris & excelsius innotescit: Sed dum Fidei suæ solem, devotionis ignem & speculum operum quibus præfulget, attendimus, aspicimus ipsum his tribus luminaribus copiosius radiare, & exempli fulgorem ad alios effundere potiorem. Ex hoc genere suscepit Mater Ecclesia & suscipit filios benedictionis & gaudii, filios factis & fama pollentes, filios opportuni auxilii & favoris.

Urbanus IV. in literis ad eumdem Sanctum Regem. „Hoc est Regnum, in cujus integritatis odore, Romana Ecclesia in cæterorum fere Regnorum & Provinciarum orbis terræ scissuris afflicta & animo fatigata respirat: Hoc est Regnum, cujus potentia eidem Ecclesiæ contra ejus persecutores in cunctis ejus tribulationibus constantia semper adfuit inconcussa. De hoc etiam Regno semper Reges prodiere Catholici, qui claris fidei & devotionis titulis præfulgenti, Deo se gratos per sanctæ conversationis merita, & Ecclesiæ prædictæ acceptos per obedientiæ promptitudinem exhibere multipliciter curaverunt.

Ep. 135. Lib. 2.

Pius II. in Responsione Oratoribus Christianissimi Regis in Conventu Mantuano facta, quam Frater *Denghien* in suo Libello cum voluptate quadam non semel laudavit, „Nulla umquam ætas (*inquit*) vestræ Gentis gloriam conticescet. Nam quis Danos, Normannosque Religionem Christi per Galliam prosequentes compescuit? Franci. Quis Saxones toties Fidei Catholicæ rebellantes perfregit? Franci. Quis Bohemos ac Polonos Christiano nomini insultantes redegit? Franci. Quis Hungaros Pannonias devastantes coercuit? Franci. Quis Longobardos Romanam diripientes Ecclesiam conterruit? Franci. Quis Græcos ex Campania atque Apulia expulit? Franci. Quis Saracenos Trinacria deturbavit? Franci. Quis citeriorem Hispaniam ex manu eorum eripuit? Franci. Quis Antiochiam, Ptolemaidem, Alexandriam, & nostræ salutis officinam Hierosolymam, ex Barbarorum dentibus aliquando extrahere præsumpsit? Franci. Quis vexatam, laceratam conculcatam, & omnibus modis a Tyrannis oppressam Apostolicam Sedem in pristinam libertatem & gloriam reduxit? Franci. Non sunt hæc ignota. Non potest abscondi civitas supra montem posita. Nulla gens tam barbara, tam inculta, tam inhospita est, ad quam Francorum gloria non pervenit. Illustre Gentis vestræ nomen in omne permanebit ævum. Patres filiis, filii nepotibus in generationem & generationem nobilissimi sanguinis excellentiam & clarissima facta referabunt. Exigit sibi Francorum virtus monumentum ære perennius, quod nulla destruat vetustas. „Hæc ad Fratrum nostrorum obliquas in Gallicam Gentem calumnias refellendas sufficiant.

VII. In Sedem Apostolicam & Sanctissimum Pontificem *Gregorium* VII. præcipiti impetu me ruere improperant boni illi Fratres. Sed hanc dissipant calumniam, quæ de Sedis Apostolicæ & Romani Pontificis Primatu & Auctoritate scripsi in hac ipsa Dissertatione quam impugnant, pag. 350. & quæ ejusdem Dissertationis Articulo 12. edisserui ad *Gregorium* VII. a Schismaticorum calumniis vindicandum, qui quidem Articulus sic inscribitur: *Nullo rationis fuco obducta erat Synodi Schismaticæ Brixinensis in Gregorium Septimum Sanctissimum Pontificem Sententia, GREGORIUM quidem SEPTIMUM Romanorum primum Pontificum sibi exauctorandorum Regum tribuisse potestatem,* scripsi: sed hæc facti quæstio est, Assertionem me demonstrasse confido. Id ipsum sibi tribuisse *contra Patrum doctrinam, immo contra Verbum Dei*, asserui:

Nullius esse ponderis Argumenta, quibus novam illam ac singularem opinionem suam de potestate exauctorandi Reges Romano Pontifici & Ecclesiæ a se attributa probare nititur in Epistola ad HERIMANNUM. Quas Assertiones luculenter etiam probavi. Sed in his nihil contra debitum Sedi Apostolicæ & Romano Pontifici reverentiam, quam nec Ecclesia Gallicana, nec Sacra Facultas Parisiensis, nec Catholici plerique aliarum Nationum Theologi violare, absque calumnia dici possunt, cum docent ac propugnant: *Summum Pontificem non esse infallibilem*, sive *Non esse irreformabile Summi Pontificis Judicium, nisi Ecclesiæ consensus accesserit*. Præterea, *Gregorii Septimi* errorem excusavi, quantum potui; ipsum ut privatum Doctorem errasse dixi, non definivisse hanc quæstionem, aut sententiam suam Ecclesiæ Catholicæ credendam proposuisse: ipsi obreptum fuisse: Rectam ejus intentionem fuisse pie me existimare professus sum, sed factum jure merito improbari. An moderatione majori hanc tractare poteram controversiam? „ Verum (*inquiebam pag. 353.*) hæc ratio, qua Gregorius Septimus suam ut privati Doctoris opinionem probat, nullius ponderis est, *&c. pag. 369.* Cæterum potiores ipsorum fuisse quam Gregorii Septimi & paucorum in ejus studia abreptorum rationes, & magis consentaneam Scripturæ Sacræ, Traditioni, & exemplis Sanctorum Pontificum, qui ante Gregorium Septimum sederant in S. Petri Cathedra, sententiam, constat ex his quæ superius diximus. Ne ad vim illarum Gregorius Septimus, Anselmus Lucensis, & alii nonnulli attendarent, ac earum pondere vincerentur, humani ingenii tenebræ, opinio præconcepta, Henrici flagitia, tyrannis, schisma prohibuere. At earum examen modestia & reverentia tranquillis temporibus a Gregorio Septimo Pontifice alioqui Sanctissimo facile impetrassent. Id conjicere fas est ex ejus voluntate ad mansuetudinem erga Reges alios propensa, *&c. pag. 370.* Sed nec id ceu dogma fidei docuit, aut credendum proposuit Gregorius Septimus quod potestas exauctorandi Reges Romano Pontifici conveniat, *pag. 391.* Sanctitatem itaque Gregorii VII. colimus: at novam & singularem opinionem quam invexit de potestate Ecclesiæ in temporalia Regum, salva quæ ipsius dignitati, ac eximiis virtutibus atque miraculis debetur reverentia, ut falsam & Scripturæ Sacræ, atque Traditioni dissentaneam, nec Ecclesiæ judicio & assensu receptam, deserimus, rejicimus. Quod Henricum Imperatorem exauctoravit, bono animo ipsum fecisse, pie credimus. Rectam enim ipsius intentionem vitæ sanctitas, & patrata etiam post mortem miracula comprobant: sed more & consilio humano nihilominus erravit EX CATHEDRA non loquens, id est, ex ECCLESIÆ ROMANÆ OMNIUM MAXIMÆ ET ANTIQUISSIMÆ Doctrina, & Traditione quam habet ab Apostolis, & quæ per successiones Episcoporum pervenit usque ad nos, ut ait *S. Irenæus Lib. 3. adversus Hæreses, cap. 3.* “ Hæc ad reverentiam meam erga Sedem Apostolicam & *Gregorium Septimum* in hac ipsa Dissertatione, ob quam in me Fratres nostri tam impotentes debacchantur, toti orbi Christiano comprobandam sufficiunt: Nec dubito quin viri quique cordati, & qui nullis præjudiciis vel æmulatione in Clerum Gallicanum & Sacram Facultatem Parisiensem, quorum doctrinam sequor & propugno; in Gentem nostram Regnumque, in me ipsum, Operaque mea sunt occupati; Fratres nostros, aliosque mihi defectum reverentiæ erga Sedem Apostolicam & *Gregorium Septimum* exprobrantes calumniæ damnent, ac Doctorum Sacræ Facultatis Parisiensis Judicio in Approbatione 11. Sæculi, ad quod illa de *Gregorii Septimi* facto & doctrina Dissertatio pertinet, subscribant: *Quod quidem Opus* (inquiunt) *vel eo solum nomine cuilibet erudito Lectori gratum fore existimamus, quod difficillimas Quæstiones maxima animi moderatione pertractet.*

VIII. *Gregorium Septimum* ut privatum Doctorem errasse dixi. Grande crimen! Quasi *Catholici omnes* in eo non conveniant: *Posse Pontificem, ut privatum Doctorem errare, etiam in Quæstionibus Juris universalibus, tum fidei quam morum, idque ex ignorantia, ut aliis Doctoribus interdum accidit.* Verba sunt *Bellarmini* Libro 4. *De Romano Pontifice*, cap. 2. At (inquit Frater *Denghien*) Epistola *Gregorii VII.* ad *Herimannum* Decretalis est. Asserere autem Summum Pontificem *in Epistola Decretali* tradidisse *Doctrinam Sacræ Scripturæ & Traditioni dissentaneam: ex ore Catholico inauditæ voces sunt, pias aures feriunt, eas pudor Christianus aversatur ac pietas Christiana condemnat.* Hanc Epistolam Decretalem esse nego; familiarem ac privatam esse contendo, ad Metensem Episcopum scriptam, ut ei suam opinionem, factumque approbaret. Sed etsi Decretalis esset, nihilominus doctrinam de Sedis Apostolicæ potestate in temporalia Regum in eo contentam Sacræ Scripturæ & Traditioni dissentaneam pronuntiarem, contemptis Fratrum nostrorum exclamationibus, invectivis, & calumniis. Hæ namque voces aut certe similes, non solum Parisiensium aliquot Doctorum sunt, ut *Petri de Alliaco, Gersonis, Almaini, Majoris*, sed totius Sacræ Facultatis Parisiensis, omnium Regni Academiarum, totius Ecclesiæ Gallicanæ. Voces sunt SS. Patrum, Conciliorum, ipsorum Pontificum, qui se erroribus, non solum ut privatos Doctores, sed etiam ut Pontifices, obnoxios agnoverunt, nisi Ecclesiæ consensus accederet. Testes sunt *Clemens VI*, qui solemni Diplomate dato 7. Idus Decembris, anno 1351. omnia revocavit, in quibus vel ante Pontificatum, vel in ipso Pontificatu errare potuerat contra Catholicam Fidem & bonos mores: *Urbanus V.* qui morti proximus similem Revocationem edidit, ut refert Vitæ ipsius coævus Auctor a *D. Bosqueto* Monspeliensi Episcopo editæ: *Gregorius IX.* in Testamento suo, quod Tomo 6. *Spicilegii Dacheriani* pagina 675. legitur: *Paulus* IV. in frequenti Pontificiæ Consultationis consessu, anno 1557. habitæ, ut de Matrimonio inter *Franciscum Mommorantium*, & *Joannam Halluynam Piennæam*, per verba de præsenti contracto deliberaretur, an Summus Pontifex illud solvere posset; ut refert *Joannes Haya* Theologus Parisiensis, qui rebus gestis interfuit, & *Castelnavus Malvisserius*, Tom. 2. Commentariorum, & Lib. 6. Additionum ad eosdem Commentarios. An tantorum Pontificum ora Catholica non erant? An ipsorum voces pias aures offendebant? Eas pudor Christianus aversabatur? Pietas Christiana condemnabat? Quid de *Hadriano* VI. dicam, qui & cum in *Lovaniensi* Academia Theologiæ Professor, ac Decanus *esset*, & in *Sancti Petri* Cathedra collocatus, docuit Summum Pontificem Decretalibus Epistolis *hæresim* docere ac definire posse? In ejus siquidem Commentariis & ante Pontificatum, & cum Pontifex *esset*, Romæ editis jussu illius & auctoritate, eximiisque Virorum Eruditorum qui tunc in urbe florebant laudibus & approbatione celebratis, hæc leguntur in 4. Sententiarum, ubi de Ministro Confirmationis agit: „ Si per Romanam Ecclesiam intelligatur Caput illius, puta Pontifex, certum est quod possit errare in iis quæ tangunt Fidem, hæresim per suam determinationem aut Decretalem asserendo. „ Hæ ex ore *Hadriani* Lovaniensis Decani, tota probante ac laudante Academia, cujus ea tunc erat sententia, non solum auditæ voces, sed scripto consignatæ, & ad posteros transmissæ: hæ ab eodem *Hadriano* Pontifice Maximo repetitæ, novisque Typis ipsius jussu editæ. Non erat itaque Catholicus *Hadrianus VI.*? Non erat Catholica Lovaniensis Academia, quæ ipsius doctrinam approbavit? Non erant Catholici Cardinales qui ipsum Pontificem elegerunt? Non erat Catholica Ecclesia Romana, quæ ipsum Pontificem venerata est? Siquidem, ut ait Frater *Denghien*, plaudentibus Fratribus *D'Abermont & Janssens Eliæ*, Theologiæ Professoribus, *Hæ ex ore Catholico inauditæ voces, pias aures feriunt, eas pudor Christianus aversatur ac pietas Christiana condemnat*. Verbis supra laudatis ad objectionem ex facto *S. Gregorii Magni* petitam respondet *Hadrianus*, qui cum Sardiniæ Presbyteris dispensasse fertur ut Confirmationis Sacramentum administrarent, Epistola 26. Libri 3. ad *Januarium* Calaritanum Episcopum data: quæ quidem potiori jure pro Decretali habenda est, quam Epistola *Gregorii* VII. ad *Herimannum*. Eodem modo eidem objectioni responderant *Durandus a S. Porciano*, Doctor Theologus Parisiensis, Sacri Palatii Magister, deinde Aniciensium, tandemque Meldensium Episcopus, & *Petrus Paludanus* Hierosolymorum Patriarcha, ambo Ordinis Prædicatorum, ille in 4. Sententiarum distinct. 7. Quæst. 4. ad primum: *Nescio cur dici non possit, quod Gregorius, cum fuerit homo & non Deus, potuerit errare.* Et Dist. 13. Quæst. 2. de quadam consuetudine loquens, quam *Innocentius Tertius* Pontifex Maximus approbavit, ut Presbyteri Cardinales assistentes Romano Pontifici Sacris operanti cum eo pariter celebrarent: *Potest dici* (inquit) *quod approbat ut Doctor, non ut Papa, nec doctrina sua tenetur ab omnibus: nec Ecclesia Romana tenet illud, quod ipse dicit de Presbyteris Cardinalibus celebrantibus cum Papa, & si fiebat tempore suo, nunc tamen non fit: quia visum est periculum posse contingere in tali celebratione. Immo vix quin periculum contingeret; & ideo illa consue-*

tudo

tudo abolita est, sicut nobis constat, qui in Curia Romana longo tempore stetimus, & adhuc ibi sumus.... Et si observaretur, non esset necessarium quod beneficeret: Quia secundum Hieronymum NON QUOD FIT ROMÆ SED QUID FIERI DEBET, ATTENDENDUM EST. Alter vero scilicet *Petrus Paludanus* in 4. Sententiarum Dist. 7. Quæst. 4. Art. 3. Conclusione 2. *Tunc* (inquit) *Gregorius potuit conferre Sacerdotibus, quod licite confirmarent, qui alias peccassent confirmando, licet vere confirmassent. Si autem non est ita, sed solus Episcopus est Minister, nescio cur non possit dici, quod Gregorius cum fuerit homo & non Deus, potuerit errare.* Secundum illos *Joannes* Cardinalis *A Turrecremata* Lib. 4. De Ecclesia, Cap. 16. scribit: *Decimus septimus modus convincendi specialiter Papam de pertinacia in hæretica pravitate est, si errorem definit solemniter, & a Christianis asserit tamquam Catholicum esse tenendum.* Magnos illos Viros Fratar *Denghien* pariter insectetur, & locum ab injuriis calumniisque Rhetoricæ suæ proprium usurpans, dicat: *Hæ ex ore Catholico inauditæ voces pias aures feriunt, eas pudor Christianus aversatur, ac pietas Christiana condemnat.*

IX. Non minus inique mihi exprobrant Fratres nostri quod *Familia Dominicanæ sim filius degener, & a Majorum vestigiis devius.* Etsi enim quod sanctimoniam spectat, Regularisque Disciplinæ acuratiorem ac severiorem observantiam, a gloriosis majorum semitis longe me abesse fatear, neque coram Deo degenerem Dominicanum agnoscam: Quod tamen spectat studium veritatis, doctrinæque integritatem, ac Sedis Apostolicæ reverentiam, me ipsorum vestigia terere confido, etsi indirectam Sedis Apostolicæ in temporalia Regum auctoritatem oegaverim, contrariamque opinionem falsam, erroneam, verbo Dei & SS. Patrum doctrinæ contrariam, periculosam, invidiosam, ad seditionis & parricidia Principum excitantem, cum Sacra Facultate Parisiensi & Gallicana Ecclesia asseruerim, & ut talem impugnaverim, execratus fuerim, & porro constanter execrari pergam & impugnare. Hac in re Sanctum Patrem *Dominicum* imitari gestio, qui *Legem suis hanc tulit, ut semper Veterum monumenta & Instituta sequerentur: sic fore ut in nullam hæresim aut alium errorem prolaberentur* (ut refert *Flaminius* in ejus Vita) & qui *Evangelium & Apostolicam doctrinam amans & amplectens, Philosophica figmenta non magni pendebat* (ut refert) *Theodoricus de Appoldia* in ejus Vita Lib. 4. Cap. 4.) Majores mei sunt Apostoli & Evangelistæ, Majores mei Sancti Patres: horum doctrinam sequor, cum Regiam potestatem soli Deo in temporalibus subditam agnosco ac propugno, & Philosophicum figmentum de indirecta Potestate non magni pendo, sed totis viribus explodo. Majores mei sunt *S. Dominicus & S. Thomas*, qui & hanc mihi regulam tradiderunt, ut Veterum monumenta & Instituta sequerer, ac recentiorum figmentis anteponerem: & qui Regum mamilla lactati, benevolentia honestati, beneficiis in Ordine suo aucti, fidem & obedientiam illorum Majestati debitam præstare ac prædicare filios suos ac fratres docuerunt, & ea non tam opinamenta quam errorum monstra rejicere, impugnare, execrari, quæ ad seditiones & parricidia Principum viam aperiunt, quale illud est de Romani Pontificis in temporalia Regum potestate. Majores mei centum & triginta duo Fratres Prædicatores, qui in hoc Parisiensi Conventu & Collegio *S. Jacobi* capitulariter congregati anno 1303. die 26. Junii, ad causam *Philippi Pulchri* Regis Christianissimi se adjunxerant, & de *Bonifacii octavi* Romani Pontificis molitionibus in ejus Majestatem ac Regnum, deque Bulla UNAM SANCTAM, qua Sedis Apostolicæ potestas in temporalia Regum asseritur, ad futurum Generale Concilium appellarunt. Hos inter eminebant *Joannes de Allodio*, Ecclesiæ & Academiæ Parisiensis olim Cancellarius; *Nicolaus de Frauvilla* Rothomagensis Prædicatorum familiæ, in qua & pro qua Professionem Religiosam emisi, filius, Regia Confessionibus, postea S. R. E. Cardinalis; *Joannes de Parisiis* Auctor egregii Tractatus de Potestate Regia & Papali; *Durandus de Sancto Porciano* postea Sacri Palatii Magister, deinde Aniciensis, tandemque Meldensis Episcopus: *Hervæus Natalis* postea Magister Ordinis, omnes in Sacra Facultate Parisiensi Doctores. Majores mei sunt *Petrus Paludanus*, Patriarcha Hierosolymitanus, *Durandus a Sancto Porciano* hic iterum laudandus, *FF. Petrus de Palma*, *Guillelmus de Castro Reginaldi*, *Hyacinthus de Giaco*, *Guillelmus Calco*, *Durandus de Aureliaco*, Ordinis FF. Prædicatorum professores & in Sacra Facultate Parisiensi Doctores qui Conventui, Deliberationi ac Doctrinali Judicio Theologorum Parisiensium ad Saltum Vicennarium habito contra *Joannis XXII.* errorem de beatitudine Sanctorum anno 1333. interfuerunt & subscripserunt; & F. *Thomas Valeis* Anglus, qui se *exponens periculo propter Fidem Catholicam*, contra ejusdem Pontificis errorem publice prædicavit, a quo propterea *missus in carcerem, & ibidem fame cruciatus est, sed tandem liberatus magno cum honore*, (ut refert *Gobelinus Persona* in Cosmodromio, Ætate 6. Cap. 71.) Majores mei Fratres *Joannes de Ragusio & Nicolaus Burgundio*, qui in Sacro Basileensi Consilio, eam de potestate Ecclesiastica doctrinam pro sua virili propugnarunt, quam Ecclesia Gallicana & Sacra Facultas Parisiensis propugnant. Hi (inquam) Majores mei, & eorum, quos priores nominavi in tuenda veritate constantia, & in Summi Pontificis erga Dominicanum Ordinem propensissimi ac beneficentissimi errore, quem Scripturæ Sacræ & Traditioni repugnare persuasum habebant, impugnando generosa libertas, hoc a *Ludovico Bavaro* Imperatore expressit Elogium: *Ordo Fratrum Prædicatorum est Ordo Veritatis, quam intrepide ac libere contra Errores quantumvis potentes* (id est, & contra Sæculares Principes, & contra Pontifices Romanos, si quando ipsam impugnent) *adverso pectore tuetur.* Majores mei sunt Gallicani Præsules, & Sacræ Facultatis Parisiensis Doctores, qui Romanum Pontificem, vel Ecclesiam, nullam habere potestatem, etiam indirectam, in temporalia Regum asserunt & propugnant; & adversam opinionem ut verbo Dei, doctrinæ Patrum, veterum Pontificum exemplis contrariam, erroneam, periculosam, ad seditiones & Parricidia Principum excitantem rejiciunt. Calumniantur ergo Fratres nostri, *Denghien*, *D'Aubermont*, & *Jonsseus Elinga*, cum me Dominicanæ Familiæ *filium degenerem*, & *a Majorum vestigiis devium Fratrem* appellare non verentur, quod asseruerim *Gregorium Septimum* Romanorum Pontificum primum Sedi Apostolicæ tribuisse potestatem exauctorandi Reges, contra Patrum doctrinam, immo contra verbum Dei. Dominicanos esse non dubito Romæ, & in Belgio Hispanico, qui contrarium sentiant: sed *Numquid eorum opinio præjudicare potest verbis Domini? Numquid etiam præjudicare possunt communi sententiæ Magistrorum Parisiis Regentium?* (ut ajebat olim *S. Thomas* Opusculo 22.) Numquid propterea hæc Ordinis Prædicatorum sententia est? Absit. Numquid gloriæ Ordinis serviunt, qui illam tuentur? Immo serviunt maxime qui illam impugnant, & tam monstruosi ac periculosi erroris semina evellunt: Nam (ut scite scribit *Ambrosius Catharinus* postea Minorensis Episcopus, tandemque Compsanus Archipræsul, in Præfatione Annotationum adversus Cardinalis *Cajetani* nova dogmata, ad Magistrum Generalem Ordinis Prædicatorum *Joannem de Fenario*, ac reliquos ejusdem Ordinis Patres & Magistros) „ Gloria ordinis, si vera quæritur, a gloria Dei „ non secernitur. Ille potius Ordinis gloriam offuscat „ qui in Ordinem falsas doctrinas ac peregrinas inducit; non is qui jam inductas, ne quis ab iis fallatur, „ sedulo detegit & officiose commonstrat “. Tandem esto, Dominicani quidam contrarias de Ecclesiastica Potestate propugnaverint opiniones, eorum a tramite veritatis his in rebus aberrantium vestigia sequi non debeo; & nisi ab ipsis deviem, insipiens sum, secundum præclaram illam *Lactantii* sententiam, libro 2. Institutionum Divinarum cap. 7. „ Dedit omnibus Deus pro „ virili portione sapientiam, ut & inaudita investigare „ possent, & audita perpendere: Nec quia nos illi „ temporibus antecesserunt, sapientia quoque antecesserunt: „ quæ si omnibus æqualiter datur, occupari ab „ antecedentibus non potest... Quare cum sapere, id „ est, veritatem quærere, omnibus sit innatum; sapientiam „ sibi adimunt, qui sine ullo judicio inventa Majorum „ probant, & ab aliis pecudum more ducuntur. „ Sed hoc eos fallit, quod Majorum nomine posito, non „ putant fieri posse ut aut ipsi plus sapiant, quia minores „ vocantur, aut illi desipuerint, quia Majores nominantur. „ Quid ergo impedit, quin ab ipsis sumamus „ exemplum; ut quomodo illi qui falsa invenerant, „ posteris tradiderunt: sic nos, qui verum invenimus, „ posteris meliora tradamus?

ALTERA CALUMNIA.

X. Calumniari pergit Frater DENGHIEN in sua ad Lectorem Præfatione. Quæ contra indirectam Sedis Apostolicæ potestatem in Regum temporalia, & *Gregorii septimi* errorem factumque scripsi, *Heterodo-*

xis

tis esse adjumento ait, *& ad Petri Cathedram (cui hanc potestatem invident) appetendum, & suas in hunc Sanctissimum Papam continuandas, immo duplicandas calumnias; dum Orthodoxum tam aperte suis ausibus obsecundare cernunt.*

RESPONSIO.

XI. Cum ad Hæreticorum Dogmata Gallicanæ Ecclesiæ & Sacræ Facultatis Parisiensis doctrinam de Ecclesiastica Potestate pertinere, nemo nisi plane imperitus & insipiens dicere possit, se ipsa evanescit illa Fratris nostri calumnia. Heterodoxis adjumento sunt, qui verbo Dei & doctrinæ Patrum figmenta sua anteponunt: Quod facere illos contendimus, qui indirectam Romano Pontifici in temporalia Regum pertinaciter asserunt potestatem. Hæreticis adjumento sunt, qui dant ipsis occasionem maledicendi Sedi Apostolicæ, Catholicæ ac Romanæ Ecclesiæ, cujus eam doctrinam esse volunt, quæ ut Scripturæ Sacræ & Traditioni contraria ab Episcopis omnibus Gallicanis, a celeberrima Christiani orbis Academia Parisiensi, aliisque omnibus Facultatibus Theologicis Regni Christianissimi rejicitur, improbatur, damnatur. Hæreticis adjumento sunt, qui Sacrosanctam Romani Pontificis auctoritatem Primatumque a Christo immediate institutum, non solum honoris, sed potestatis & jurisdictionis super omnes Ecclesias particulares & Christianos universos, odiosum reddunt Principibus a Romanæ Ecclesiæ communione alienis, omnibusque Hæreticis & Schismaticis, & sic eorum conversionem impediunt; dum Gallicani præsules & Doctores Apostolicam, & Patritiam de Pontificis Potestate prædicantes ac propugnantes doctrinam, ipsam omnibus reverendam & amandam esse persuadent. Indirectæ Potestatis Pontificiæ in temporalia Regum Assertoribus merito diceret Summus Pontifex, quod Pacificus *Jacob* filiis suis *Simeoni* & *Levi* post Sichimitarum cladem, Genesis 34. *Odiosum fecistis me Chananæis & Pherezæis habitatoribus terræ hujus.* Hæreticis sunt adjumento, qui Regna jam ad messem albescentia, jam a Catholica Fide & Communione non adeo ut olim abhorrentia, invidiosis illis opinionibus, seu (ut melius loquar) erroribus, ab Ecclesia Catholica & Romana magis abalienant. Ad *S. Petri* Cathedram impetendam, indirectæ potestatis Romanorum Pontificum in Regum temporalia defensores Hæreticos juvant, qui Vicarios Christi tota plaudente Romana Ecclesia, id est, quæ cum Sede Apostolica communicat, sibi tribuere calumniantur, quod ille apud *Senecam* Imperator Libro 1. De Clementia: *Ego vitæ necisque Gentibus arbiter. Quas Nationes funditus excindi, quas transportari, quibus libertatem dari, quibus eripi, quos Reges mancipia fieri, quorum capiti Regium circumdari decus oporteat, quæ ruant urbes, quæ oriantur, mea Jurisdictio est.* At Gallicani Præsules & Doctores Hæreticis adjumento sunt *Ad Petri Cathedram appetendam*, (ut loquitur Fr. *Denghien*) sive (quæ hujus vocabuli significatio est) ad Sedis Apostolicæ communionem & obedientiam subeundam. (Quamvis *appetere* pro impugnare Lovaniensis Licentiatus potestatis vocum arbiter usurpet) Ipsos ad Summi Pontificis & Ecclesiæ Romanæ Communionem, ad Pontificii primatus observantiam alliciunt, dum eum ipsis proponunt colendum omnium Fidelium Pastorem, qui eam *S. Petro* Christianis præcipiat, ut *Regi* etiam infideli *subditi* sint, quia sic est *voluntas Dei, ut bene facientes, obmutescere faciant imprudentium hominum ignorantiam:* ut *Deum timeant, Regem honorificent*: Qui cum *S. Paulo* prædicet: *Omnis anima Potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas nisi a Deo: quæ autem sunt a Deo, ordinata sunt. Itaque qui resistit Potestati, Dei ordinationi resistit: Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Qui & hac lege se teneri agnoscat ex institutione Dei, ut Regiæ potestati in eis quæ temporalem Regni administrationem spectant, nec divinæ Legi sunt contraria, resistere non possit vel derogare, seu Regum subditos a fidei & obedientiæ debito ac vinculis, quibus illos Principum suorum Majestati Deus obstrinxit, ulla de causa absolvere. Qui Imperatorem & Reges non minus Christi Vicarios in temporalibus agnoscat, quam ipse Christi Vicarius in spiritualibus ab iis & ab omnibus agnoscendus est, ut scribebat *Anastasius* Papa ad cognominem Imperatorem: „ Pectus Clementiæ vestræ, „ sacrarium est publicæ felicitatis, ut per instantiam „ vestram, quam Deus velut Vicarium præsidere jussit „ in terris, Evangelicis Apostolicisque præceptis non „ dura superbia resistatur, sed per obedientiam quæ „ sunt salutifera compleantur. *Qui tam sibi* introspiciendi „ in Palatium ac Dignitates Regias deferendi „ potestatem *a Deo negatam agnoscat, quam negata* „ *est Imperatori* Potestas in Ecclesias introspiciendi & „ electiones in Clero peragendi ": & se non minus *a Republicæ negotiis abstinere* debere, quam Imperatores ab *Ecclesiasticis abstinere* debent (ut scribebat olim ad Leonem Isaurum *Gregorius Secundus*) Qui Pontificem Deo militantem *se negotiis sæcularibus implicare* nefas non minus arbitretur, quam Imperatorem sæcularibus negotiis implicatum *rebus Divinis præsidere* (ut scribebat ad *Michaelem* Imperatorem *Nicolaus I.*) Quod calumnias Hæreticorum in *Gregorium Septimum* spectat, tantum abest ut eis faveam, ut ipsas data opera toto Dissertationis meæ Articulo duodecimo confutaverim, ut cuique legenti compertum est.

CALUMNIA III.

XII. Exauctorationem *Childerici* a *Zacharia* Pontifice Maximo, Canone *Alius*, qui *Gregorii* VII. verba continet, assertam, Dissertatione 2. in Historiam Sæculi VIII. fabulam esse probavi luculentis argumentis; quæ ubi protuli, sic concludo: *Zacharia igitur impudenter imponunt Centuriatores Magdeburgenses, in odium Ecclesiæ Romanæ ita scribentes: Divinam quamdam Potestatem arrogans* (Zacharias) *ponendi & deponendi Reges proterve assumpsit, & a fidelitatis Juramento subditos eorum primus absolvit, &c.* Meum erga *Zachariam* studium arguere non dubitat Frater *Denghien*, meaque argumenta *Hæreticis ferre suppetias*, ait, qui *partim contendunt Zachariam id non fecisse, partim nec facto, nec de Jure potuisse.*

RESPONSIO.

XIII. Si Hæreticis suppetias fero, quia *Zachariam* exauctorasse *Childericum* Regem inficior, aut exauctorare potuisse; suppetias Hæreticis ferre censendi sunt quicumque cum ipsis de facti historici veritate, aut de Dogmate Catholico, vel Theologico conveniunt. *Zacharias* in Epistola Decretali quæ 10. est ad *Bonifacium* Moguntinum Archiepiscopum, negat *Antipodas* esse, & *Virgilium* id asserentem erroris damnat, atque a Communione removendum edicit. An, quæso, Hæreticis ferunt suppetias, qui *Zachariam* errasse ajunt, & a Geographis edocti, Antipodas esse asserunt? Exauctoraverit, vel non exauctoraverit Childericum Zacharias, quid ad summam Fidei? Quid ad dogmata cum Hæreticis controversa? Non magis certe quam Antipodes.

CALUMNIA IV.

XIV. Pap. 75. De me sic loquitur Frater DENGHIEN: *Duo restant, quarum altera Romanum Pontificem, altera Romanam Ecclesiam synodaliter congregatam, Imperatori subjectam insinuat, tametsi non exprimat. Sic (inquit) S. Gregorius Magnus ad Mauritium Imperatorem, ipsum rogans, ut legem iniquam & Ecclesiæ incommodam, qua homines publicis rationibus obnoxios, & Milites, Monachos fieri prohibuerat, temperaret*: „ Ego vero hæc Dominis meis loquens, „ quid sum nisi pulvis & vermis? Sed tamen quia „ contra Auctorem omnium Deum hanc intendere „ Constitutionem sentio, Dominis tacere non possum. „ Ego quidem jussioni subjectus, eamdem Legem per „ diversas terrarum partes transmitti feci: & quia „ Lex Omnipotenti minime concordat, ecce per suggestionis „ meæ paginam Serenissimis Dominis nuntiavi. „ Utrobique ergo quæ debui exsolvi, qui & Imperatori „ obedientiam præbui, & pro Deo, quod „ sensi, minime tacui. *Sic Agatho in Epistola Synodica missa ad Constantinum Pogonatum*: Servilem (*inquit*) „ vestri Serenissimi Principatus Romanam Urbem. „ *Et se Legatos misisse scribit, ut obedientiam* „ *Imperatori debitam impleret*; pro Obedientia (*inquit*) „ quam debuimus.

Hæc *S. Gregorii & Agathonis* Romanorum Pontificum testimonia, quibus probavi illos Potestatem in temporalia Regum sibi non tribuisse, ubi descripsit Frater *Denghien*, subdit: *Respondeo, quod, hæc & similia Orthodoxus non deberet in argumentum adducere, sed exponere, cum per ea Sacerdotium Regno subjiciat, a quo Jure Divino exemptum esse dignoscitur.* Tum descripto quodam *Innocentii Tertii* loco ex Cap. *Solitæ*, *De Majoritate & Obedientia*: sic concludit:

cludit: *En quibus perspicuum fit, quam exorbitet a veritate, qui censet Romanum Præsulem terrenæ subjici Potestati.*

RESPONSIO.

XV. Quod Romanum Pontificem vel Romanam Ecclesiam synodaliter congregatam Imperatori subjectam innuerim, calumnia est, Id non expressi, (ut fatetur Frater noster) sed nec innui (ut affingit) nec tam absurda cogitatio mentem meam subiit. Ex laudatis S. *Gregorii & Agathonis* testimoniis id unum collegi, illos Potestatem in temporalia sibi non tribuisse. Non Pontifices Imperatoribus, sed Imperatores Pontificibus in Ecclesiæ regimine ac rerum spiritualium administratione ac dispensatione subditos fuisse, & sensi & scripsi, immo Imperatores & Reges nullum habere in res spirituales Imperium; immo Pontifices & Sacerdotes omnes, in iis quæ Sacerdotium ac Ministerium suum, Ordinem, ac Jurisdictionem spectant, Jure Divino a sæculari Potestate esse exemptos. Sed Pontifices ipsos olim in temporalibus subditos fuisse Imperatoribus vel Regibus, antequam Regum Christianissimorum Pippini, Caroli Magni, Ludovici Pii, Caroli Calvi liberalitate magnificisque Donationibus Urbium & Provinciarum temporales Domini facti essent, & summum ipsius Urbis Romæ Imperium obtinuissent, & propugnavi, & propugno, constanterque propugnabo. Non itaque Juri Divino libertatem suam ab Imperatorum vel Regum dominatione temporali Summi Pontifices debent, sed Regum nostrorum munificentiæ. Sane cum hæc verba Spiritus Sancti *Omnis anima Potestatibus sublimioribus subdita sit*, ad omnes pertineant: dum nec *Apostolus*, nec *Evangelista*, nec *Sacerdos*, nec *Monachus* ab illa subjectione excipiatur, ut explicat *S. Joannes Chrysostomus* Homilia 22. in Epistolam ad Romanos, dici non potest Catholico sensu Sacerdotes & Pontifices, quatenus Reipublicæ & Imperii vel Regni membra sunt, a sæcularium Principum dominatione & obedientia exemptos esse, quod tamen aperte significat Frater *Denghien*. Audiat ille *S. Augustinum*, qui hoc ipsum errore dedocebit in Libro Expositionis quarumdam Propositionum ex Epistola ad Romanos Cap. 72. cujus hæc sunt verba: „Quod autem ait: *Omnis anima Potestatibus sublimioribus subdita sit; Non est enim Potestas nisi a Deo:* rectissime admonet, ne quis ex eo quod a Domino suo in libertatem vocatus est, factus Christianus, extollatur in superbiam, & non arbitretur in hujus vitæ itinere servandum esse ordinem suum, ut Potestatibus sublimioribus quibus pro tempore rerum temporalium gubernatio tradita est, existimet non se esse subdendum. Cum enim constemus ex anima & corpore, quamdiu in hac vita temporali sumus, etiam rebus temporalibus ad subsidium degendæ hujus vitæ utamur, oportet nos ex ea parte quæ ad hanc vitam pertinet, subditos esse Potestatibus, id est, hominibus res humanas cum aliquo honore administrantibus. Ex illa vero parte qua credimus Deo, & in Regnum ejus vocamur, non nos oportet esse subditos cuiquam homini, idipsum in nobis evertere cupienti, quod Deus ad vitam æternam donare dignatus est. Si quis ergo putat, quoniam Christianus est, non sibi esse vectigal reddendum, aut tributum, aut non esse honorem debitum exhibendum eis, quæ hæc curant, Potestatibus, in magno errore versatur. Item si quis putat se esse subdendum, ut etiam in sua fide habere Potestatem arbitretur eum, qui temporalibus administrandis aliqua sublimitate præcellit, in majorem errorem labitur. Sed modus iste servandus est, quem Dominus ipse præscribit, ut reddamus Cæsari, quæ Cæsaris sunt, & Deo, quæ Dei sunt. Quamquam enim ad illud Regnum vocemur, ubi nulla erit Potestas hujusmodi, in hoc tamen itinere dum agimus, donec perveniamus ad illud sæculum ubi fit evacuatio omnis Principatus & Potestatis, conditionem nostram pro ipso rerum humanarum ordine toleremus, nihil simulate facientes, & in eo ipso non tam hominibus, quam Deo qui hæc jubet, obtemperantes". Audiat & *S. Thomam* in Cap. 13. Epistolæ ad Romanos, Lectione 1. ubi sic Apostoli verba commentatur: SUBDITI ESTOTE *Principibus*, EX NECESSITATE, *Quia scilicet hoc est ex necessitate salutis*. IDEO ENIM, *scilicet quia debetis esse subjecti*, ET TRIBUTA PRÆSTATIS, *id est, præstare debetis, in signum scilicet subjectionis ... Ab hoc tamen debito liberi sunt Clerici ex Privilegio Principum, quod quidem æquitatem naturalem habet ... Hoc autem ideo æquum est, quia sicut Reges solicitudinem habent de bono publico in bonis temporalibus, ita Ministri Dei in spiritualibus & sic per hoc quod Deo in spiritualibus ministrant, recompensant Regi quod pro eorum pace laborat.* Sacerdotes itaque Regibus subditos esse dixi cum *S. Gregorio Magno*, qui ad *Mauritium* Imperatorem scribens, Christum sic ipsum compellantem inducit: *Ergo Sacerdotes meos tuæ manui commisi; & tu a meo servitio Milites tuos subtrahis.* At Sacerdotium Regno vel Imperio subditum non dixi, non innui, non cogitavi. Sed Frater *Denghien* vir perspicacissimus & doctissimus (ut ejus Libellus probat, & Sapientissimorum Magistrorum nostrorum Fratrum *d'Aubermont & Janssens Elinga* Approbationes confirmant) *Sacerdotium* a Sacerdotibus, & *servilem Imperii Romanam urbem* ab Ecclesia synodaliter congregata distinguere non potuit, aut distinguere noluit, liberius ut calumniaretur, meque Sacerdotium & Ecclesiam synodaliter congregatam, Imperio subjecisse confingeret.

Sacerdotes ut Imperii & Reipublicæ membra, a sæcularium Principum obedientia Jure Divino non sunt exempti.

CALUMNIA V.

XVI. In Dissertatione mea scripseram, *Pelagium I.* Pontificem Maximum Potestatem in temporalia Regum sibi non tribuisse, qui in Epistola ad *Childebertum* Regem Christianissimum ait: *Quanto nobis studio ac labore satagendum est, ut pro auferendo suspicionis scandalo obsequium Confessionis nostræ Regibus ministremus, quibus nos etiam subditos esse Sacræ Scripturæ præcipiunt.* Ad hæc Frater *Denghien* pag. 107. *Respondeo* (inquit) *quod Brentius simili medio utatur ad errorem suum stabiliendum de Ecclesiastico Regimine penes Principes sæculares, ita arguens apud Bellarminum &c.* Quibus innuit me cum *Brentio* sentire.

RESPONSIO.

XVII. Nec *Brentius* Pelagii I. locum usurpat vel laudat, nec doctrinæ nostræ quidquam cum *Brentii* errore commune est, qui Regimen Ecclesiasticum penes Principes sæculares esse voluit, quem errorem damnamus & execramus. Hæc igitur putida Fratris *Denghien* calumnia est.

CALUMNIA VI.

XVIII. Pag. 115. ubi invectivam *Baronii* Cardinalis retulit in Hæreticos, qui ex verbis *S. Gregorii Magni* ad *Mauritium* Imperatorem Christum sic loquentem inducentis *Sacerdotes meos tuæ manui commisi*: colligunt, subjectum a Deo Imperatori Sacerdotium esse, subdit F. *Denghien* solita calumniandi libidine; *NATALIS propriis Hæreticorum armis non semel utendo, ansam præbet opinandi, quod non Catholicas partes propugnet.*

RESPONSIO.

XIX. Qui Scripturæ Sacræ & SS. Patrum testimoniis, quibus abutuntur Hæretici ad errores suos confirmandos, Catholica dogmata probat, isne Hæreticorum armis utendo ansam præbet opinandi quod non Catholicas partes propugnet? Iisdem Scripturæ Sacræ locis quibus olim Sabelliani, & nunc etiam Sociniani unam dumtaxat in Deo Personam esse probant, unitatem Dei probamus, Polytheismum impugnamus: quis propterea nos Hæreticorum armis uti dicet, & Catholicas partes non propugnare? *S. Cyrillus* & reliqui Ecclesiæ Catholicæ Doctores iis usi sunt testimoniis ad probandam Personæ in Christo unitatem quibus Eutychiani ad unitatem naturæ probandam abutebantur: an propterea Hæreticorum armis usi sunt, & ansam præbuerunt opinandi quod Catholicas partes non propugnarent? *Sanctus Augustinus* iisdem Scripturæ testimoniis usus est ad gratiam propugnandam contra Pelagianos, quæ Manichæi ad Liberum Arbitrium oppugnandum detorquebant; an ideo Hæreticorum armis usus est, & ansam præbuit opinandi quod Catholicas partes non propugnaret? Quamvis igitur *F. Natalis Alexander* cum Gallicanis Præsulibus, & Sacræ Facultatis Parisiensis Doctoribus universis, ex loco *S. Gregorii Magni*, quo Hæretici abusi sunt ad probandum Sacerdotium Imperatori a Deo subjectum esse, probet nullam Sedi Apostolicæ competere in temporalia Regum Potestatem: non ideo de illis vel de ipso dici potest absque calumnia, quod propriis Hæreticorum armis utendo, ansam præbeant opinandi quod non Catholicas partes propugnent. Doctissimo Cardinali *de Cusa* idem quod mihi, convitium facit Frater *Denghien*. Cum ipso enim sentio, ejusque verba lubenter usurpo Libro 3. *de Concordantia Catholica,*

ex, Cap. 41. „ Erit (*inquit*) omnium Orthodoxorum „ primum & maximum studium, illæsam utriusque „ Potentatus Hierarchiam concordi vinculo in alterutrum diu conservare. Cogitet itaque, dum hæc in„ stinctu turbatoris pacis mentibus suggeruntur, ipso „ primus omnium Romanus Pontifex, se Ministrum „ ex humiliatione exaltari, quodque Supremus aliorum „ ministerialem curam habet, non Dominationis Im„ perium, ac utrasque a Deo esse Potestates, ac no„ stro gratiæ tempore vere distinctas, ut Nicolaus „ Maximus Romanus Pontifex asserit XCVI. Dist. „ *Cùm ad verum*; & idem XCI. Dist. *Ecclesiæ meæ*, „ confirmatur. Consideret ubinam Potentatus Romani „ Pontificis tantum confirmationis in extollentia ac „ præceptiva subditorum obedientia habeat, sicut Im„ perialis, (ad Roman. XV.) Dico de Romano Pon„ tifice, non de ipso sacro Sacerdotio. Etiam textus „ *Celebritatem*. *De Consecratione*, *Dist*. 3. & Collet. 1. „ Authentica, *Quomodo oporteat Episcopos*, *&c.* in „ principio; & consimilia multa, ad minus distinctio„ nem independentem, & quod de sursum utraque Po„ testas descendat, probare videntur. Et illa fuit „ omnium Antiquorum opinio vere, etsi dubia novi„ ter exorta sunt ob sinistrum multorum complacendi „ studium.

CALUMNIA VII.

XX. In Dissertatione mea protulerem *Symmachi* Pontificis Maximi testimonium in Epistola Apologetica in *Anastasium* Imperatorem, cujus hæc sunt verba: *Conferamus honorem Imperatoris cum honore Pontificis, inter quos tantum distat, quantum ille rerum humanarum curam gerit, iste divinarum. Tu Imperator a Pontifice Baptismum, Sacramenta poscis, benedictionem speras, Pœnitentiam rogas: Postremo tu humana administras, ille tibi divina dispensat, &c.* Quæ a *Symmacho* instituta antithesis tam excludit Pontificem a rerum temporalium administratione & indirecta in eos Potestate, quam excludat Imperatorem a dispensatione divinorum, & indirecta in res spirituales auctoritate. Ad hæc Frater *Denghien* exclamat: *Rem plane indignam, quod Auctor Catholicus totius Romanum Pontificem Regi aut Imperatori subjectum nolit, quem Divino Jure ab omni creata Potestate exemptum, & soli Divinæ subditum esse constat.*

RESPONSIO.

XXI. Romanum Pontificem, quatenus Pontifex est, Regi aut Imperatori subditum esse, nec semel quidem dixi, neque cogitavi: Divino Jure ab omni creata Potestate sæculari exemptum, immo ab omni potestate Ecclesiastica, quæ Generali Concilio sit inferior, absolutum semper sensi ac propugnavi: Jure humano, etiam in temporalibus, ab omni creata Potestate liberum fuisse fateor, ex quo Sedes Apostolica, Regum præsertim Christianissimorum munificentia, ad supremum Imperium temporale assurrexit iis in Provinciis, quæ Status Ecclesiastici nomine vulgo significantur: sed Jure Divino liberum fuisse ab Imperio, Jurisdictione, & obedientia Imperatoris vel Regis, qui Urbis erat Dominus, absque errore dici non potest. *Omnis anima Potestatibus sublimioribus subdita sit* (inquit Apostolus) id est, omnis homo, cujuscumque conditionis, etiam *Sacerdos*, etiam *Monachus*, immo *Apostolus & Evangelista* (ut *S. Joannes Chrysostomus* explicat.) Romanum itaque Pontificem Jure Divino subditum fuisse Imperatori vel Regi in temporalibus, donec ipse Supremus Princeps temporalis, Urbisque Dominus evaserit, constat ex Apostolo; idque fateri necesse est omnes, qui Pontificem hominem esse agnoscunt, quod nemo homo non agnoscit.

CALUMNIA VIII.

XXII. In Dissertatione mea dixeram, *Venerici* Vercellensis, *VValtrami* Naumbergensis, *Otberti* Leodiensis, Episcoporum, *Sigeberti* Gemblacensis Monachi, & aliorum qui *Henrici* Imperatoris Majestatem ac supremam Auctoritatem tuebantur, potiores fuisse quam *Gregorii* VII. & paucorum in ejus studia abreptorum, rationes, & magis consentaneam Scripturæ Sacræ, Traditioni, & exemplis Sanctorum Pontificum, qui ante *Gregorium Septimum* sederant in *Sancti Petri* Cathedra, sententiam. Id dixeram, & probaveram. Ad hæc Frater *Denghien* exclamat: *Rem esse plane indignam & profanam, quod vir Catholicus non modo viros Sanctos & doctos, sed etiam Romanum Pontificem omnium Christianorum Patrem & Doctorem Schismaticis, in Doctrina postponat.*

RESPONSIO.

XXIII. Rationum pondus ex hominum sanctitate non est æstimandum. *In Dogmatibus & Quæstionibus discernendis non persona, sed causa quærenda est* (inquit *S. Hieronymus* Lib. 3. contra Pelagianos.) Non soli Schismatici Potestatem exauctorandi Reges *Gregorio septimo* & cuicumque Romano Pontifici negabant, sed totus orbis Christianus, præter paucos illos Sacerdotes, quos *Gregorii septimi* reverentia, & odium criminum *Henrici* Imperatoris, in contrariam sententiam impulerant, haud satis discussa Juris Quæstione, nec ad Verbum Dei & veterum Patrum Doctrinam exacta. Hos vero Schismaticis in Doctrina minime postponimus, sed Verbo Dei, Patribus, & priscis Pontificibus, quorum testimonia & exempla novæ *Gregorii septimi* Doctrinæ de Sedis Apostolicæ Potestate in temporalia Regum, lataeque ab ipso in *Henricum* exauctorationis Sententiæ opponebant.

CALUMNIA IX.

XXIV. Ubi præmisit Frater *Denghien Gregorii septimi* in *Henricum* Sententiam a Synodo Romana fuisse approbatam, subdit pag. 149. *Hæc cum ita sint quis capiat quod Vir Orthodoxus Ecclesiam Synodaliter congregatam sibi refragantem sustineat, & quod majus est ipsam dissonantiæ a Verbo Dei & Patrum Doctrina audeat incusare. Hoc quidem disertis verbis NATALIS non exprimit: verum, cum ejus Pontificis sententiam ab ipsa approbatam ac ex ejus Judicio latam, taliter insimulare præsumpserit, eandem & sic accusare convincitur.*

RESPONSIO.

XXV. Romanum Pontificem cum particulari Synodo, sive Romæ, sive alibi celebrata, eam sequi posse opinionem, quæ Verbo Dei & Patrum Doctrinæ contraria sit, præsertim si quæstionem non discutiant, si Scripturas Sacras & Traditionem Romanæ Ecclesiæ non scrutentur, si Dogma Fidei Christianis omnibus credendum non proponant, aut Decreta morum seu de rebus ad salutem necessariis ab omnibus observanda; posse etiam in rebus particularibus injustas Sententias ferre, ex subreptione, vel errore non solum censent Gallicana Ecclesia, & Sacra Facultas Parisiensis, sed absolute pronuntiant, ac propugnant, Sententiam Summi Pontificis non esse irreformabilem, nisi Ecclesiæ consensus accesserit. Porro particularis fuit Romana *Gregorii septimi* Synodus, ex paucis Episcopis ipsi contra *Henricum* Imperatorem penitus addictis congregata; in ea non est proposita, nec examinata Quæstio Juris de Potestate Sedis Apostolicæ in temporalia Regum, non discussa more solemni Conciliorum Scripturæ Sacræ & Traditionis monumenta, ex quibus hujusmodi quæstio finiri posset. Sed nec *Gregorio septimo* & congregatis cum eo Patribus animus fuit quæstionem illam finire, aut præconceptam opinionem, secundum quam Pontifex exauctorationis Sententiam in *Henricum* Imperatorem tulit, ut Dogma Fidei Christianis omnibus credendum proponere. Ecclesiæ denique consensus non accessit. Cur ergo Doctor Orthodoxus, Scripturæ Sacræ Oraculis, veterum Patrum testimoniis, Sanctorum Pontificum *Gregorii septimi* Decessorum exemplis convictus Gallicana Ecclesia & Sacra Facultate Parisiensi præeuntibus, quarum examine ac Judicio hæc illuminata quæstio est, asserere non possit, *Gregorium septimum* cum sua illa Synodo particulari, novam & Verbo Dei, Doctrinæque Patrum contrariam opinionem de Sedis Apostolicæ Potestate in temporalia Regum amplexum fuisse, & secundum illam exauctorationis in *Henricum* Sententiam tulisse? Id asserendo non magis Sedis Apostolicæ & Romanæ Ecclesiæ honori, dignitati, auctoritati derogamus, quam derogaverit *S. Anselmus Lucensis* Gregorio VII. conjunctissimus, toties a Fratre *Denghien* laudatus, qui asserere non dubitavit, *Nicolaum* II. cum Synodo centum viginti-quinque Episcoporum errasse, concedendo Privilegium *Henrico* Regi, quo sanciebatur, Neminem pro legitimo Pontifice habendum, qui sine Imperatoris nutu Pontifex fieret. *Patet* (inquit) *præfatum Decretum nullius momenti esse, nec unquam aliquid virium habuisse. Et hæc dicens, non præjudice Beatæ memo-*

Romanus Pontifex ut Doctor privatus, & Synodus particularis errare possunt.

memoria Papa Nicolao, nec quidquam ejus honori derogo, Patrum Sententias Dei Spiritu conditas sequendo. Homo quippe fuit, eique ut contra fas ageret, surripi potuit. Non magis Sedis Apostolicæ & Romanæ Ecclesiæ honori, dignitati & auctoritati derogamus, asserendo *Gregorium* VII. cum particulari Synodo sua errasse, quam derogaverit *Desiderius* Cassinensis Abbas, qui *Gregorio* VII. in Summo Pontificatu sub *Victoris* III. nomine successit, qui de *Nicolai* II. facto, ac Privilegio ex Synodi frequentissimæ Sententia ab illo concesso dixit: *Quod a Nicolao Papa factum est, injuste profecto ac temere præsumptum est*. Ita refert *Leo Ostiensis* in Chronico Cassinensi, Cap. 50. Non magis Sedis Apostolicæ & Romanæ Ecclesiæ honori, dignitati, & auctoritati derogamus, asserendo *Gregorium VII.* cum Synodo sua particulari errasse, quam derogaverunt *Cyprianus Beneta* & *Joannes Viguerius*, Ordinis FF. Prædicatorum Doctores celeberrimi, cum privilegium indeficientis judicii nec personæ Romani Pontificis, nec alicui particulari Ecclesiæ, adeoque nec Romanæ, quatenus particularis est, sed Ecclesiæ tantum universali, & Concilio Generali eam repræsentanti, vel Summo Pontifici Sacro approbante hujusmodi Concilio decernenti, a Christo concessum docuerunt. „ Semper est aliqua Ecclesia (*inquit Cyprianus Beneta*) quæ per rectam fidem reguletur, & confirmetur, intelligendo semper a tempore Christi usque ad consummationem sæculi; sed ex eo non convincitur hoc convenire alicui particulari, intelligendo per particularem Ecclesiam quamcumque ab universali Ecclesia distinctam. Igitur ea sufficienti divisione convincitur hoc convenire Ecclesiæ universali & toti congregationi Fidelium. *Minorem propositionem sic probat*. Illud quod in Scriptura Sacra promittitur toti Ecclesiæ, & non parti, non debet attribui alicui parti; sed semper rectam fidem habere, aut numquam contra veram fidem errare, in Sacra Scriptura a Christo promittitur toti & soli Fidelium congregationi: Igitur, &c. *Majorem probat ea Christi verbis Lucæ* 22. Petre rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: *Neque dubitandum est* Ipsum in hoc fuisse exauditum, quia secundum Apostolum ad Hebræos exauditus est pro sua reverentia. Constat ergo, quod Christus promisit Petro quod non deficiat fides sua, non intelligens de ejus personali, sed de generali Ecclesia Dei committenda regimini Petri: cum non loquatur de aliqua Ecclesia particulari, sequitur quod intendit de Ecclesia totali. *Et infra*: Sed quidquid statuit S. D. N. Papa Sacro approbante Concilio, in omnibus illi obtemperandum esse ingenue profitemur, & nonnisi Sanctum illud & Catholicum esse censendum. „ De Concilio particulari non loquitur, alias sibi contradiceret, sed de Concilio Generali universalem Ecclesiam repræsentante. Idem docet *Joannes Viguerius* in Institutionibus Cap. 10. §. 3. Veritate 13. „ Summus Pontifex (*inquit*) ut privata persona errare potest, non autem ut est Summus Pontifex; ideo si ut privata persona Symbolum edere tentaret, non esset Symbolum, maxime ubi a vera fide deviaret. Si autem procedat & pronuntiet ut Summus Pontifex, errare non potest. Papa autem operatur & pronuntiat ut Summus Pontifex, quando observat ritum in Conciliis Apostolorum, & SS. Patrum Definitionibus observari solitum: ut puta quando vocat Concilium Seniorum, hoc est Episcoporum, & instat instareque facit orationibus, & invocat Spiritum Sanctum, cujus assistentia Ecclesiæ promissa est, immo & ipsemet Christus se talibus Congregationibus affuturum pollicitus est, & non patietur ipsum errare. Et sic, quod Papa, ut Papa sive ut Summus Pontifex facit, Concilium rite congregatum, quod repræsentat universalem Ecclesiam, facit. *Et infra*: Sedes Romana Concilio rite congregato directa, in determinationibus fidei & bonorum morum confirmata est, ut errare non possit. Unde Petro dictum est; *Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus, confirma Fratres tuos*. Ex quibus verbis apparet, Christum non orasse pro fide Petri ut privata persona erat, cum defecerit; sed oravit pro fide Petri, hoc est, ECCLESIÆ PETRI QUÆ EST UNIVERSALIS: & non pro fide aliorum Apostolorum, sive pro Sedibus & Ecclesiis aliorum Apostolorum, sive Successorum eorumdem, quas constat aliquando errasse. Sed Sedem Petri, hoc est, Ecclesiam Romanam nunquam invenimus errasse, cum rite Concilium convocavit, & solemnitates observari solitas servavit. Quod si aliquando non fuerunt servatæ, & error inveniatur, non debet adscribi Ecclesiæ aut Sedi Petri, sive Romanæ, sed personæ privatæ Pontificis qui suo sensu judicare præsumpsit. „ Sedes Petri, sive Romana Ecclesia, secundum *Viguerium*, errare non potest, si Romanæ Ecclesiæ, & Sedis *Petri* nomine universalis Ecclesia intelligatur. Ecclesia autem Romana particularis non erravit, quoties rite Concilium congregavit, quod universalem repræsentaret Ecclesiam. Porro *Gregorius* VII. Concilium Oecumenicum non congregavit, sed particularem Synodum, quæ universalem Ecclesiam non repræsentabat: & in hac ipsa Synodo solitæ solemnitates non sunt observatæ; non est discussa secundum fidei nostræ Regulas, Scripturam scilicet ac Traditionem, quæstio de Sedis Apostolicæ potestate in temporalia Regum; non missum in deliberationem est, utrum Summus Pontifex jus habeat Reges exauctorandi; sed ex *Gregorii* VII. ut privati Doctoris opinione indiscussa, ac præjudiciis, lata ab ipso exauctorationis in *Henricum* Imperatorem Sententia approbata est, innixa quidem erroneæ doctrinæ, & verbo Dei, doctrinæque Patrum contrariæ: At hic *error non debet adscribi Ecclesiæ aut Sedi Petri, sive Romanæ, sed personæ privatæ Pontificis, qui suo sensu judicavit*.

Lib. de non mutando Paschate, Fundam. 13.

Idem Fundam. 14.

Lucæ 22. 32.

CALUMNIA X.

XXVI. Pag. 353. ubi præmisit Frater *Denghien* celebrem *S. Thomæ* locum ex Secunda Secundæ Quæst. 1. Articulo 10. dicentis: *Finaliter determinare ea, quæ sunt Fidei, pertinet ad Auctoritatem Summi Pontificis, &c.* Subdit: *Hunc proinde audire Natalis debuerat, & ex ejus ore suscipere veritatem, quam Spiritus S. locutus est*.

RESPONSIO.

XXVII. Quis sit horum verborum *S. Thomæ* sensus, explicare non est hujus loci. Summum Pontificem, cum Scripturam Sacram, Traditionem, & Canones Spiritu Dei conditos consulens & sequens, determinat ea quæ sunt Fidei, Ecclesia consentiente universa, audiendum esse credimus & fatemur, & ex ejus ore suscipiendam Veritatem quia tunc vere per ipsum Spiritus Sanctus locutus est. At cum privatam opinionem sequitur, nec ad Scripturam Sacram, Traditionem, & Sacrorum Canonum Disciplinam sententias suas exigit, nec eas Ecclesia recipit, sed Ecclesiæ portio magna & illustris ejus opinamenta & Decreta ut verbo Dei & doctrinæ Patrum contraria rejicit; Ecclesia vero Catholica toto orbe diffusa, ea ad fidem non pertinere censet, nec ipsum ea proposuisse ut fidei dogmata Christianis omnibus credenda; tunc ipsum audire non tenemur, præsertim si persuasum nobis sit ipsius doctrinam verbo Dei, doctrinæque Patrum repugnare: quia hujusmodi doctrinam a Spiritu Sancto esse non posse manifestum est, cum sit Spiritus veritatis, nec falli possit aut fallere. Porro *Gregorium* VII. privatam opinionem secutum demonstravi, cum Sedi Apostolicæ potestatem in temporalia Regum tribuit; hanc sententiam verbo Dei, & Patrum doctrinæ, veterum Pontificum exemplis, Canonum Disciplinæ contrariam esse; ac proinde falsam & erroneam; ab Ecclesia Gallicana & Sacra Facultate Parisiensi ut talem rejici; ab Ecclesia Catholica toto orbe diffusa, ejus ea de re doctrinam ut privatam opinionem, non vero ut fidei dogma spectari, quod finierit, credendumque Christianis proposuerit. Cum igitur persuasum mihi sit, sicut Ecclesiæ Gallicanæ & Sacræ Facultati Parisiensi *Gregorii Septimi* sententiam de Romani Pontificis potestate in temporalia Regum verbo Dei, doctrinæque Patrum esse contrariam, adeoque erroneam & falsam, hunc audire ista in controversia non debui, nec ex ejus ore suscipere doctrinam, quæ non est a Spiritu Sancto, qui contrarium per Apostolos & SS. Patres locutus est. Quia vero Frater *Denghien* Gregorii VII. de Sedis Apostolicæ potestate in temporalia Regum errorem ut dogma fidei nobis obtrudit, ejus imperitiam refello præclaris *Durandi a S. Porciano* Meldensis Episcopi ex Ordine Prædicatorum verbis, in Prologo Sententiarum: ubi in Theologicis Dogmatibus tractandis hunc servandum esse modum docet, ut non excedatur mensura fidei, de qua dicit Apostolus ad Romanos 12. *Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem, & unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei*. In quo autem hæc posita sit, explicat præstantissimus ille Theologus: *Quæ quidem mensura* (inquit) *in duobus consi-*

Mensura fidei duobus modis exceditur in Dogmatibus Theologicis tractandis.

consistit, videlicet ut non subtrahatur fidei, quod sub fide est: nec attribuatur fidei illud quod sub fide non est; utroque enim modo mensura fidei exceditur, & a continentia Sacræ Scripturæ, quæ fidei mensuram exprimit, devintur.

XXVIII. Judicent nunc viri quiqne cordati, num Frater *Denghien* cap. 1. pag. 2. merito dixerit, Me in *Canonum Disciplinam impegisse*, asserendo & probando *GREGORIUM VII. Romanorum primum Pontificum sibi Regum exauctorandorum tribuisse potestatem contra Patrum Doctrinam, immo contra Verbum Dei*: An-non potius ipse, & qui ejus calumnias approbarunt, propriasque addiderunt Fratres nostri in hujus Articuli titulo nominati, in *Canonum Disciplinam impegerint*, quibus falsi Fratrum accusatores damnantur, Canone *Eos, Causa III. Quæst. X.* qui ex Concilio Arelatensi 2. desumptus est; *Eos qui falsa Fratribus Capitula* * *objecisse convicti fuerint, placuit usque ad exitum non communicare, (sicut Magna Synodus * ante constituit) nisi digna satisfactione pænituerint.*

* Sive, falso capitalia.

* Synodus Arelat. 1. Can. 14.

SCHOLION I.

Dissertationem quintam *De Mente Concilii Constantiensis circa potestatem Ecclesiæ in temporalia Regum* notant Religiosi Censores, non *Dissertationem Apologeticam adversus Libellum Fratris Denghien De auctoritate Sedis Apostolicæ in Reges.*

R. Ecclesiam vel Romanum Pontificem nullam potestatem directam vel indirectam habere deponendi Reges, aut illorum subditos a fide atque obedientia, & præstito fidelitatis Sacramento absolvendi, doctrina est Sacræ Facultatis Parisiensis & Ecclesiæ Gallicanæ, cui Sacram Synodum Constantiensem minime repugnare ostendi. Hanc Doctrinam nullo Ecclesiæ vel Sedis Apostolicæ Decreto seu Constitutione notatam propugnare licuit, & adversus Fratris *Denghien* Libellum mihi injuriosum vindicare. Hic ad defensionem meam usurpabo verba *Martini Azpilcuetæ Navarri*, in Relectione cap. *Novit De Judiciis* * ubi refellit Bartolum, qui non solum opinionem istam, sed & illorum sententiam *hæreticam* esse scripserat, qui summam potestatem laicam, seu directum Dominium temporale in omnia Regna, Imperia, Respublicas, Statusque orbis Romano Pontifici negant: *Par fiensis Schola nullatenus esset passa, ut sui Doctores hanc partem Libellis editis defenderent, si putassent illam hæreticam* (addo, *vel erroneam*) *quod tamen non solum passa est*, & patitur quotidie, *sed etiam videtur ea comprobare*. Hæc *Navarrus.*

* Notab. 5.

SCHOLION II.

In sexta Dissertatione, Articulo 5. pag. 186. Religiosi Censores hanc propositionem notant: *Simoniaca luas in Italia posterioribus temporibus grassata est.*

R. Mera facti quæstio, cujus veritatem Summorum Pontificum & Conciliorum Decreta adversus simoniacos demonstrant.

SCHOLION III.

Dissertationis ejusdem Articulo 7. num. 15. p. 236. Religiosi Censores hanc propositionem notant: *Papa libertatem a dominatione temporali Regum non habet jure divino, sed a Regibus Galliæ.*

R. Pontifices Romanos olim in temporalibus subditos fuisse Imperatoribus vel Regibus, antequam Regum Christianissimorum Pippini, Caroli Magni, Ludovici Pii, Caroli Calvi liberalitate magnificisque donationibus Urbium & Provinciarum temporales Domini facti essent, & summum ipsius Urbis Romæ Imperium obtinuissent, qui negaverit, Historiæ Ecclesiasticæ ac Profanæ se rudem penitus & ignarum comprobabit. Divino itaque Juri libertatem suam ab Imperatorum vel Regum dominatione temporali Romani Pontifices non debent, sed Regum Christianissimorum munificentiæ. Hanc immunitatem a dominatione temporali Regum non esse Juris Divini, confirmavi Apostoli Oraculo, & SS. Joannis Chrysostomi, Augustini, Gregorii Magni, & Thomæ testimoniis.

SCHOLION IV.

In eodem Articulo, pag. 239. hanc velut meam propositionem notat Censorius Indiculus: *Scire vellem cur Sacerdotium & Ecclesia synodaliter congregata non sit subdita Imperio in temporalibus.*

R. Hæc propositio non est mea, immo hanc Fratris Denghien calumniam, quam recudunt Indiculi Censorii auctores, eo loci refello, his verbis: *At Sacerdotium Regno vel Imperio subditum non dixi, non innui, non cogitavi. Sed Frater Denghien* SACERDOTIUM *a Sacerdotibus*, & SERVILEM IMPERII ROMANAM URBEM *ab Ecclesia synodaliter congregata distinguere non potuit, aut distinguere noluit, liberius ut calumniaretur, meque Sacerdotium & Ecclesiam synodaliter congregatam, Imperio subjecisse confingeret*. Hæc ego eo loci.

Nota.

Cum plurima quæ objicit P. Natalis adversus P. Denghien, passim in Animadversionibus, & Notis, prout occasio tulit, absque examine non prætenerim, non vacat hic jam actum iterum agere. Cæterum inter alia, quæ in superiori apologetica dissertatione non probarem, illud est, quod nimis fidenter P. Natalis velut errata spernit, quæ suos habent non infimi subsellii Assertores, & Vindices; recensendo etiam inter erraticas ratiocinationes ea argumenta, quæ in ipsa S. Thomæ doctrina suum habent fundamentum. Ex eo quod e. g. Christus potestatem Pontifici contulerit gregem pascendi, regendive, inferunt Theologi non pauci quod licet eamdem potestatem in temporalia Principum, ordinarie loquendo, non possit extendere, quia ad spiritualia dirigenda fuit ordinata, id tamen per accidens præstare valeat, dum nempe necesse foret ob arcendum a grege lupum dilaniantem. Esto igitur huic argumento respondere Natalis conetur, cur tamen illud æque ac alia inter ratiunculas figmentaque Licentiati Lovaniensis recensere? Cur etiam tantis illum irridere, cum id ad sui tuitionem non prosit, immo officiat?

Non ignoro tamen morem fuisse SS. PP. Hæreticorum gravissima flagitia exponere, ne cum Fidei detrimento sub sanctimoniæ larva Catholicis illuderent, vel auctoritate pravis artibus sibi comparata, facilius suos errores obtruderent. Ita S. Epiphanius hæreses impugnaturus, Hæresiarcharum crimina quandoque descripsit, ut ipsorum subverteret auctoritatem. S. Augustinus Manichæorum, Arianorumque mores non siluit, ut omnibus ipsorum fraudes innotescerent. S. Hieronymus Ruffinum, Vigilantium &c. nigro theta notavit. Et S. Bernardus Arnaldum, exprobrando etiam varia ipsius crimina, exagitare non omisit. At neque summus Pontifex Clemens XI. in sua Constitutione *Unigenitus &c.* a Jansenistis detegendis abstinuit, asserendo falsos illos esse Prophetas, qui sub ovina pelle latentes, splendida pietatis specie prava dogmata insinuant, ac molliros quandoque habentes sermones super oleum, jacula intentant, ut sagittent in obscuro rectos corde.

At ubi convicia ad detegendam hæreticorum hypocrisim qua facilius decipiant, vel ad auctoritatem infringendam non conducant, semper optarem ne vestigium quidem illorum in Catholicorum libris appareret; atque ita charitatis leges servarentur, si rationibus solummodo dimicaretur.

DISSERTATIO VII.

DE LITERIS LIBERI COMMEATUS, SIVE SALVI CONDUCTUS, JOANNI HUS ET HIERONYMO PRAGENSI DATIS.

ARTICULUS UNICUS.

Sacra Synodus Constantiensis Fidem Hæreticis violandam non docuit: nec ab ea, aut etiam a SIGISMUNDO Imperatore, JOANNI HUS, & HIERONYMO DE PRAGA violatam umquam probabitur.

Cum Hæretici adversus Sacram Synodum Constantiensem duo per calumniam objiciant; primum, quod fidem Hæreticis non servandam docuerit; secundum, quod ipsa fidem *Husso* datam violaverit, utramque calumniam hic refellemus, & Religiosissimum etiam Imperatorem *Sigismundum* ab hac injuria vindicabimus. Primum itaque probamus Concilium Constantiense fidem violandam Hæreticis non docuisse, ex unico Decreto Concilii ea de re edito Sessione 17. cujus hæc sunt verba: „ Præsens Sancta Synodus ex „ quovis Salvo-Conductu per Imperatorem, Reges, „ & alios Sæculi Principes, Hæreticis vel de Hæresi

„ dif-

Synodus Constantiensis fidem violandam Hæreticis non docuit.

„ diffamatis, putantes eosdem sic a suis erroribus revocare, quocumque vinculo se adstrinxerint, concesso, nullum Fidei Catholicæ, vel Jurisdictioni Ecclesiasticæ præjudicium generari, vel impedimentum præstari posse seu debere declarat, quominus dicto Salvo-Conducto non obstante, liceat Judici competenti & Ecclesiastico de hujusmodi personarum erroribus inquirere, & alias contra eos debite procedere, eosdemque punire, quantum justitia suadebit, si suos errores revocare pertinaciter recusaverint, etiamsi de Salvo-Conducto confisi ad locum venerint Judicii, alias non venturi: nec sic promittentem, cum fecerit quod in ipso est, ex hoc in aliquo remansisse obligatum. „ His porro verbis frangenda non decernitur aut docetur Hæreticis hominibus fides. Duo namque decernit Sacra Synodus: Primum, quod sæcularis Potestas Ecclesiasticam impedire jure non possit, quin suo fungatur Officio; ac proinde si Princeps Laicus hæretico homini det Salvum-Conductum, id non obesse quin Judex Ecclesiasticus, quæ sui sunt muneris, legitime exequatur, id est, ne quæstionem de Hæresi, aliisque criminibus in ipsum habeat, legitimisque testimoniis ac documentis convictum secundum Canones judicet. Quid vero hoc in Decreto reprehensioni obnoxium est? Nihil sane; immo Juri & rationi prorsus est consentaneum. Potestates enimvero diversi ordinis, quorum quælibet in suo ordine suprema est, & ab altera independens, immo una excellentior altera, sese mutuo prohibere non possunt ab actibus suis legitime exercendis. Atqui Sæcularis & Ecclesiastica Potestas sunt diversi ordinis, quælibet in ordine suo suprema est, & ab altera independens, immo Ecclesiastica est excellentior & ordinis superioris: Sæcularis igitur Potestas nullis pactis, conventionibus, aut promissis spiritualem potest ligare, vel prohibere ne Judicium ferat in causa quæ Fori Ecclesiastici est; sicut nec Ecclesiastica ligare potest Laicam ne quæstionem habeat ac Sententiam ferat de re civili vel crimine quod pertinet ad Forum sæculare. Ecclesiastica enim Potestas in rebus Religionis superior est Laica: *Superior* autem *Legibus aut pactis inferioris non ligatur*, ut colligunt Jurisperiti ex Cap. *Cum inferior. Extra. De Majoritate & Obedientia*.

II. Istud Concilii Constantiensis Decretum aliis Legibus Ecclesiasticis consonum est. Cap. *Duo sunt*. Dist. 96. ex *Gelasio I.* Pontifice Maximo ad *Anastasium* Imperatorem scribente: „ Duo sunt, Imperator Auguste, quibus principaliter hic mundus regitur; Auctoritas Sacra Pontificum, & Regalis Potestas. In quibus tanto gravius pondus est Sacerdotum, quanto etiam pro ipsis Regibus hominum in divino sunt reddituri examine rationem. Nosti itaque inter hæc, ex illorum te pendere Judicio, non illos ad tuam posse redigi voluntatem. *Cap.* Si Imperator, *eadem Dist. ex Joanne Papa dicitur:* Ad Sacerdotes Deus voluit, quæ Ecclesiæ disponenda sunt, pertinere, non ad Sæculi Potestates . . . Imperatores Christiani subdere debent executiones suas Ecclesiasticis Præsulibus, non præferre. *Cap.* Lege Imperatorum, *Dist.* 20. *ex* Nicolao I. *in Epistola ad Episcopos in Concilio ad Convicinum Villam* Silvanecto *proximam congregatos:* Imperiali Judicio non possunt Ecclesiastica Jura dissolvi . . . . Non quod Imperatorum Leges, quibus sæpe Ecclesia utitur contra Hæreticos, sæpe contra Tyrannos, atque contra pravos quosque defenditur, dicamus penitus renuendas; sed quod eas Evangelicis, Apostolicis, atque Canonicis Decretis, quibus postponendæ sunt, nullum posse inferre præjudicium asseramus. *Cap.* Ecclesia Sanctæ Mariæ, *Extra.* De Constitutionibus, *ex* Innocentio III. *hæc habentur*; Nos attendentes quod Laicis super Ecclesiis & Personis Ecclesiasticis, nulla sit attributa facultas; quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi; a quibus si quid motu proprio statutum fuerit, quod Ecclesiarum etiam respiciat commodum & favorem, nullius firmitatis existit, nisi ab Ecclesia fuerit approbatum. *Cap.* Solitæ. De Majoritate & Obedientia, *ex* Innocentio Tertio *ad Constantinopolitanum Imperatorem*: Non negamus quin præcellat Imperator in temporalibus illos dumtaxat, qui ab eo suscipiunt temporalia: sed Pontifex in Spiritualibus antecellit; quæ tanto sunt temporalibus digniora, quanto anima præfertur corpori . . . Ad firmamentum cœli, hoc est, universalis Ecclesiæ, fecit Deus duo magna luminaria, id est, duas instituit dignitates, quæ sunt Pontificalis Auctoritas, & Regalis Potestas: sed illa quæ præest diebus, id est spiritualibus, major est: quæ vero carnalibus, minor: ut quanta est inter Solem & Lunam, tanta inter Pontifices & Reges differentia cognoscatur. Data igitur a *Sigismundo* Cæsare *Joanni Hus* liberi commeatus fides, impedire non poterat Sacrum Constantiense Concilium ne ex Lege Ecclesiastica contra illum ageret. Id autem unum intendebat Concilium Decreto laudato.

III. Alter supra dicti Decreti Concilii Constantiensis Articulus habet, sæcularem Principem, qui Hæreticis hominibus securitatem promisit, *cum fecerit quod in ipso est*, non manere in aliquo obligatum. At nec istud violari posse datam Hæreticis fidem vel leviter innuit. Majorem enimvero securitatem nemo promittere censetur, quam præstare possit. Cum itaque fecit quod in se est, non peccat contra fidem promissionis. Unde cum Sacrum Concilium Constantiense tunc solum a promissi vinculo absolutum Principem pronunciet, cum fecit quod in ipso est; dici non potest citra calumniam, quod fidem Salvi-Conductus Hæreticis non esse servandam decreverit.

IV. Prima calumnia confutata, alteram aggrediamur. Quæ vel nullam fidem Hæreticis dedit, vel eam non dedit nisi *justitia semper salva*, non violavit fidem Hæreticis datam in ipsos juste animadvertendo, & Curiæ sæculari tradendo, ut pœnas Legibus datas luerent: Atqui Sacra Synodus Constantiensis nullam dedit *Joanni Hus* publicam fidem seu Salvum-Conductum, *Hieronymo* vero *Pragensi* cum hacce clausula dedit, *Justitia semper Salva*: Igitur in ipsos agendo ex Canonibus & Legibus, & Curiæ sæculari tradendo, debitas ut luerent pœnas, fidem publicam nullatenus violavit.

Synodus Constantiensis fidem publicam Hæreticis non violavit.

V. Quod nullam *Joanni Hus* publicam fidem sive Salvum-Conductum Sacra Synodus Constantiensis dederit, facile probatur. Nec enim in Actis Concilii, nec apud ullos, etiam adversæ communionis Historicos hujusmodi Salvi-Conductus *Husso* a Concilio dati leguntur literæ, cum tamen habeantur illæ, quas *Hieronymo* Pragensi dedit, eæque Actis sint insertæ. Immo *Joannes Hus* cum egregiam causæ suæ fiduciam ostentaret, sine Salvo-Conducto profectum se Constantiam non semel professus est, scilicet Epistola V. „ Venimus (*inquit*) in Constantiam post Festum omnium Sanctorum, sine omni nocumento, pertranseundo civitates, applicando Intimationes Latinas & Teutonicas. Et stamus in Constantia in platea prope Papæ hospitium: Et VENIMUS SINE SALVO-CONDUCTU. *Ubi Hussitæ ad marginem addiderunt*: Intellige Papæ. *Epistola* 6. Scitote quod bene sto per omnia: VENI SINE SALVO-CONDUCTU PAPÆ AD CONSTANTIAM. *Epistola* 49. Reliqui post me literam, quæ lecta est in Bethleem, in qua posui, quod EXEO SINE SALVO-CONDUCTU. *Et infra*: Ad hoc vos dicetis, quia NON HABUI CUM EXIVI, SALVUM-CONDUCTUM PAPÆ. „ Quam vero fidem neque Pontifex, neque Sacra Synodus *Husso* dedit, eam Patres Constantienses minime violarunt.

Sigismundus Imperator fidem Salvi-conductus Hus non violavit.

VI. *Sigismundus* quidem Imperator publicam fidem *Joanni Hus* dedit, sed & strictissime servavit. Nam Salvum-conductum dumtaxat dedit in his quæ ad securitatem & celeritatem itineris ipsius pertinerent, tam per terram quam per aquam, ut patet ex tenore literarum ipsius datarum Spiræ die 18. Octobris, anno 1414. quæ in Historia *Joannis Hus* ab Hussita coævo scripta, & apud *Goldastum* in Appendice Documentorum ad Commentarios de Regni Bohemiæ Juribus & Privilegiis, pag. 89. editæ sunt. Sic enim habent: „ Honorabilem Magistrum Joannem Hus, Sacræ Theologiæ Baccalaureum, & Artium magistrum, præsentium ostensorem, de Regno Bohemiæ ad Concilium Generale in civitate Constantiensi celebrandum in proximo, transeuntem, quem etiam in nostram & Sacri Imperii protectionem recepimus & tutelam, vobis omnibus, & vestrum cuilibet pleno recommendamus affectu: desiderantes quatenus ipsum, cum ad vos pervenerit grate suscipere, favorabiliter tractare, atque in his quæ ad celebritatem & securitatem ipsius pertinent tam per terram quam per aquam, promotivam sibi velitis & debeatis ostendere voluntatem, nec non ipsum cum famulis, equis & aliis rebus suis singulis, per quoscumque passus, portus, pontes, terras, Dominia, Jurisdictiones, civitates, oppida, castra, villas, & quælibet alia loca vestra, sine ulla solutione tributi, telonii, aut alio quovis solutionis onere, omnique prorsus impedimento remoto, transire, stare, morari, & redire libere permittatis, sibique &

„ fuis cum opus fuerit, de securo & salvo velitis & „ debeatis providare conductu, ad honorem & reve„ rentiam nostræ Majestatis". Porro nemo *Joanni Hus* in itinera vim intulit, nullus ipsi molestiam creavit, immo humanissime ubique susceptus est, ut ipse testatur Epist. 3. & 5. Constantiæ etiam benignissime habitus est, & quamvis excommunicatione confisus esset, suo tamen vivebat arbitrio, antequam in fugam se dedisset, ut testatur *Plebanus de Jannowitz* ejus contubernalis, Epist. 4. inter Hussiticas data Constantiæ, Sabbatho ante *S. Martini* Festum „ Heri, *inquit*, Audi„ tor, utinam sacri Palatii Apostulici, cum Episcupo „ Constantiensi venerunt ad hospitium nostrum, una „ cum Officiali Constantiensi & Magistro locuti sunt, „ qualiter altercatio magna inter Papam & Cardinales „ versata sit de Interdicto fulminato prætenso contra „ Magistrum nostrum, & breviter concluserunt, ut ac„ cedant Magistrum, intimantes sibi quia Papa deple„ nitudine potestatis suspendit jam dictum Interdictum „ & sententias Excommunicationis contra M. Joannem „ latas, rogantes eum nihiluminus quod propter scan„ dalum populi, & rumurem evitandum, solum eo„ rum Missariunib s solemnibus non intersit, sed alias „ liberrime tam civitatem quam Ecclesias, & quælibet „ loca visitet juxta placitum suum . . . Liberi sumus „ omnino in Constantia. Et Magister quotidie Divina „ peragit, & in tuta via peregit hucusque". Idem testatur ipse *Joannes Hus* Epist. V. *D. Latzembock cum D. Joanne Lepka fuerunt cum Papa, & locuti sunt secum de me. Qui respondit, Quod nihil vult facere per violantiam.*

VII. At ubi fugam arripuit *Joannes Hus*, seque Concilii examini & judicio subducere conatus est contra jus omne, contra Imperatoris jussiunem, contra propria pacta, cum ubique in itinere Programmata & Contestationes ad valvas Templurum affixisset, quibus denunciabat se Constantiam proficisci, ut fidei suæ rationem coram Concilio redderet, & unicuique qui ipsum erroris convincere vellet, responderet: Cumque coram *Joanne XXIII.* & Cardinalibus declarasset, *Se venisse tanto libentius ad Concilium Generale, quod paratus esset, si quid in se erroris esse probaretur: ex animo ejus emendationem accipere*; (ut refert Hussita Historicus in ejus Actis, Operibus ipsius præfixis.) Cum, inquam, in fugam se dedit *Joannes Hus* ne errores revocare cogeretur, sed ut in Bohemiam reduxit hæresim impune prædicare pergeret, merito carceri addictus est, & deinde hæreseos convictus, damnatusque, cum prava dugmata nollet ejurare, Curiæ sæculari traditus est, flammisque consumptus, secundum Leges Cæsareas, quæ pœnam capitis in Hæreticos contumaces decernunt. Certe qui dat Salvum Conductum jure communi, nihil aliud tribuit quam securitatem contra vim injustam, salva semper justitia & Juris ac Legum executione. Unde ex Imperiali Præscriptu hæc est dandi Salvi-Conductus, aut publicæ fidei formula apud Saxones, ut refert *Premus* Jurisconsultus Hæreticus: *Damus tibi fidem publicam causam dicendi in Judicio contra vim, non tamen contra Juris executionem.* (Quæst. 7. de Securitate.) Nec absimilis formula Spirensium, teste *Mynsingera* hæreticarum etiam partium Jurisconsulto, Observatione 82. Judicii Imperialis Cameræ: „ Quando (*inquit*) datur alicui securitas vel Salvus„ Conductus, tunc intelligitur solum de violentia, „ quæ de facto contra Jus infertur. Et ideo, meo tem„ pore, cuidam, qui habebat Salvum-Conductum, ca„ pto propter delictum vel maleficium, & supplicanti „ in Camera pro Mandato de relaxandu, &c. petiti „ Processus a Dominis Assessoribus sunt denegati". Eadem est *Everardi Speklam* Jurisconsulti, a Romanæ Ecclesiæ Communione pariter alieni de Salvo-Conductu sententia, Centuria 5. Quæst. Juris, Quæst. 1. §. 18. ubi & plures Auctores pro eadem laudat, Nec mirum, cum in Juse Camerali nuvissimo Tit. 276. Editionis *Galdasti*, Lex ista *Maximiliani Augusti* in Recessu Spirensi legatur: *Subditos suos Judicia Rotwilensi avocaturi, fidem Actori publicam CONTRA VIM, NON CONTRA JUS dare tenentur.*

VIII. Quamubrem cum *Joanni Hus* & *Hieronymo Pragensi* nulla vis injusta Constantiæ illata sit, siquidem post fugam speciali Imperaturis mandatu, & quovis jure sibi vetitam, in custodiam traditus est *Hussus*, & ob pertinaciam in hæresi relictus uterque sæculari Potestati & igne damnatus est, secundum Leges, non est violata a Sacra Synodo Constantiensi, immo nec a *Sigismunda* Cæsare Salvi-Conductus fides, quem dederat dumtaxat Cæsar ad violentiam facti prohibendam, non ad vim justitiæ frangendam, & impunitatem criminis cujuscumque, etiam violatæ Divinæ Majestatis, perturbatæ publicæ pacis, conculcatæ Religionis ipsi afferendam, Unde sic *Joannem Hus* ipse *Sigismundus* Constantiæ alluquebatur, ut in Actis ipsius Hæresiarchæ ab Auctore Hussita qui se omnibus interfuisse sic conscriptis refertur. „ Quamquam sunt qui „ dicant, te per amicos & patronos tuos quintu de„ mum & decimo die, postquam vinctus fuisti, Lite„ ras publicæ fidei a Nobis consecutum esse; tamen „ Nos multorum Principum & Summorum Virorum „ testimonio probare possumus, te priusquam Pragam „ desereres, eas Literas a nobis accepisse per D. VVen„ ceslaum de Duba & Joannem de Chlum, quorum „ Nos fidei te commendavimus, ne qua tibi fieret in„ juria, sed libere tibi coram toto Concilio dicendi po„ testas esset, & de tua fide atqua doctrina responden„ di. Idque, ut vides, Reverendissimi Cardinales & „ Episcopi, &c. ita præstiterunt, ut magna eis a no„ bis gratia habeatur. Etiamsi nonnulli dicant, Nos „ de jure non posse ei patrocinari, qui aut hæreticus, „ aut hæresi aliqua suspectus sit. Nunc igitur idem ti„ bi quod Dominus Cardinalis consulimus, ne quid „ obstinate defendas, sed in omnibus eis quæ contra „ te allata sunt & testimoniis fide dignis confirmata, „ ea te, qua habes, obedientia, ipsius Sacrosancti Con„ cilii Auctoritati submittas. Id si feceris, dabimus „ operam, ut Nostra, Fratris nostri, & totius Regni „ Bohemiæ causa, ab ipso Concilio cum bona gratia „ & tolerabili pœnitentia & satisfactione dimittaris. „ Sin minus, facile habebunt Præfecti Concilii quod „ de te statuant. Nos quidem tuis erroribus & perti„ naciæ numquam patrocinabimur. Immo Nos hisce „ manibus ignem tibi parabimus potius, quam ut ea, „ qua hactenus, pertinacia te diutius uti patiamur. „ Nostrum itaque est consilium, ut ipsius Concilii Ju„ diciu stare velis". Sic datum a se Salvum Conductum interpretatus est *Sigismundus*, quo *Joannem Hus* ab omni quidem violentia facti liberum, non vero a Juris districtione ac Legum severitate immunem præstare voluerat.

Pag. 18.

IX. Quod vero *Hieronymum de Praga* spectat, certum est primo ipsi datum Salvum-Conductum non esse ab Imperatore *Sigismundo*, ut testatur *Cochlæus* Lib. 2. Historiæ Hussitarum. Secundo, constat in Jus vocatum fuisse a Sacra Synodo Constantiensi, oblato Salvo Conductu, ut secundum tenorem Programmatis ab ipso ad valvas Ecclesiæ Constantiensis affixi, responderet ad ea quæ ipsi in causa Fidei ab accusatoribus ac testibus objicerentur; „ recepturus ac facturus in omnibus justitiæ „ complementum. Ad quod (*inquit Synodus*) a vio„ lentia, Justitia semper salva, omnem Salvum-Con„ ductum nostrum, quantum in Nobis est, & Fides „ exigit orthodoxa, præsentium tenore offerimus, & „ etiam plenius assignamus: certificantes, quod sive in „ dicto termino compareas, sive non, nihilominus con„ tra te per ipsum Sacrum Concilium, vel ejus com„ missarios, vel Commissarium, lapso termino supra „ dicto, procedetur, tua contumacia in aliquo non ob„ stante," (Sessione VI.) Tertio, constat dictum *Hieronymum* coram Concilio comparuisse, & Hæreseos convictum, illam abjurasse, Sess. 19. ut probat Abjurationis ejus Formula Actis inserta; & a *Cochlæo* relata Lib. 3. Historiæ Hussitarum. Quarto, constat dictum *Hieronymum Pragensem* in hæresim relapsum, coram Synodo publice congregata asseruisse & professum esse, *Quod Sententiæ damnationis Joannis VVicklef & Joannis Hus iniqua consenserat, & illam Sententiam approbando mentitus fuerat: & Confessionem, approbationem, & Professionem suas super illorum damnatione revocabat nunc & in æternum: asserens se in libris Joannis VVicklef & Joannis Hus nullam umquam hæresim vel errorem legisse.* Quamubrem Sacra Synodus *eumdem Hieronymum hæreticum, & in hæresim relapsum, excommunicatum, anathematizatum pronuntiavit, declaravit, atque damnavit*; & sæculari Potestati tradidit debitis pœnis plectendum. (Sessione 21.) Ex his evidenter colligitur, publicam fidem ipsi violatam non esse; primo, quia datus illi a Sacra Synodo Salvus-Conductus est cum hacce clausula, *Justitia semper salva*. Porro nihil in ipsum actum est contra justitiam. Secundo, quia Salvi-Conductus privilegio fuga sua excidit. Extremo itaque supplicio dignus erat.

Publica fides Hieronymo Pragensi violata non fuit.

X. Denique si fides publica *Joanni Hus* & *Hieronymo* Pragensi a Concilio violata fuisset, ea de re aliquando conquesti fuissent; sed neuter de Salvi-Conductus fide a Concilio violata conquestus umquam est, Sane *Joannes Hus* cum de ipso quæstio haberetur, cum duceretur ad supplicium, cum palo alligaretur combu-

zen-

fendus, multa dixit de doctrina sua ac innocentia, multa contra testes ac Judices; ad Christum appellavit his verbis: *O Christe Jesu, cujus verbum ab hoc Concilio palam damnatur, Te iterum appello, qui cum ab inimicis tuis male tractareris, ad Deum Patrem tuum provocans, causam tuam illi justissimo Judici commisisti, ut tuo exemplo nos quoque oppressi injuriis ad Te confugeremus* (Ita in ejus Actis refertur.) Nullam de publica fide sibi a Sacra Synodo Constantiensi violata querimoniam emisit. Epistolas aliquot e carcere scripsit ad Amicos, multa recensuit, in quibus sibi a Concilio & Deputatis injuriam fieri causabatur, præsertim Epistola 48. & 49. de violata sibi a Concilio Salvi-Conductus fide ne verbulum quidem habet: quod certe silentio non præteriisset, majorem ut Sacræ Synodo conciliaret invidiam. *Hieronymus* etiam Pragensis, qui non multo post *Hussum* combustus est, magna facundia & confidentia causam suam egit in Concilio, ut *Poggius* Florentinus commemorat in Epistola ad *Leonardum Aretinum* Amicum suum. „ Plures fuisse excellentes viros indigna suis virtutibus perpessos, falsis oppressos testibus, iniquissimis judiciis condemnatos *ostendit, incipiens a Socrate usque ad Apostolos.* Multis rationibus docuit nullam testibus fidem adhibendam, cum non ex veritate, sed ex odio, malevolentia, & invidia omnia dixissent: tum odii causas ita explicavit, ut haud procul fuerit a persuadendo. Addiderat, se sponte venisse ad Concilium, ad se purgandum: vitam suam & studia exposuerat. Dixerat, hunc morem priscis doctissimis & sanctissimis viris fuisse, ut in rebus fidei invicem sententiis discreparent, non ad pessumdandam fidem, sed ad veritatem fidei reperiendam. Ita Augustinum & Hieronymum dissensisse: neque solum diversa sensisse, sed etiam contraria, nulla hæresis suspicione. Tandem descendit in laudationem JOANNIS HUS ad ignem damnati, Virum illum bonum, justum & sanctum appellans, & illa morte indignum. Quem nihil adversus Ecclesiæ Dei statum sensisse *ait*, sed adversus abusus Clericorum, adversus superbiam, fastum, & pompam Prælatorum“. Sed quod contra Salvi-Conductus fidem aliquid passus esset *Joannes Hus*, vel pateretur ipse, nemini exprobravit, quod minime dissimulasset, si cum aliqua veri specie vel Concilii Constantiensis Patribus, vel *Sigismundo* Imperatori id exprobrare potuisset.

XI. His adde *Joannis Cochlæi* testimonium lib. 2. Historiæ Hussitarum. „ Non venit ergo (*inquit*) HIERONYMUS ille Constantiam simul cum JOANNE HUS, sed post, uno comitatus Clero, subsecutus est, sive ut Joanni assisteret; ac sua eloquentia & eruditione doctrinam ejus ac facta defenderet, sive ut celebritatem Concilii videret & disputationis occasione orbi notus fieret, & apud omnes Nationes ibi congregatas eruditionis & eloquentiæ gloriam raportaret. Nam ultro se ingessisse videtur per Schedam suam publice ad valvas Ecclesiæ affixam, qua petebat audiri, sub Salvo tamen Conductu: qui ei sic datus est, ut Justitia semper salva maneret, & quantum Fides Orthodoxa exigeret. Qualis & JOANNI HUS datus fuisse creditur. Quod si Rex SIGISMUNDUS in suo conductu ea cautela usus non fuit, Concilium tamen declaravit aliter Hæreticis Conductum dari non debere. Quis enim hominum tantus haberi debeat, ut debeat plus ei concedi publica Principis fide, quam sinat Justitiæ & Orthodoxæ Fidei ratio?

Objectio prima.

XII. Objicitur acerba *Joannis Hus* de *Sigismundo* Cæsare querela, quod Salvi-Conductus fidem violaverit. Sic enim ab Bohemos suos scribit Epistola 34. e carcere data: „ Rogo adhuc propter Deum, omnes Domini congregati petant Regem pro finali audientia. Quia ex quo solus mihi dixit in Concilio, quod proxime daturi sunt mihi audientiam, ut respondeam in scripto breviter, confusio sua magna erit, si illud dictum præterierit. Sed existimo suum dictum fore tam stabile atque firmum, quam fuit illud de Salvo-Conductu. De eo dixerunt mihi quidam in Bohemia, quod cavere deberem in suo Conductu. Et alii dixerunt: Ipse te dabit inimicis . . . Prius me condemnavit quam inimici mei. Si saltem tenuisset modum Gentilis Pilati qui auditis accusationibus, dixit: *Nullam causam invenio in hoc homine*: vel saltem dixisset: Ecce ego dedi ei Salvum-Conductum. Si ergo ipse non vult pati decisionem Concilii, ego remittam eam Regi Bohemiæ cum Sententia vestra & Attestationibus, ut ipse cum suo Clero ipsum dijudicet.

XIII. Respondetur, non esse credendum reo adversus Judicem, Hæresiarchæ adversus Catholicum Imperatorem. De *Sigismundo* injuste conquæstum *Joannem Hus*, cum nihil non egerit ut salvus esset, suaque protectione plenissime frueretur: Ipsum immunem præstitisse ab omni violentia facti; non cavisse ipsi de securitate adversus Justitiam: nec potuisse prohibere quin Sacra Synodus Jurisdictionem suam adversus illum exerceret. Per Cæsarem non stetisse quominus salvus dimitteretur, si errores ejurare, & Concilii Judicio stare voluisset, ut ipsi auctor erat: pene excanduisse in Patres, quod ipsum in custodia detinerent nec acquievisse, donec ipsius Majestatem docuit Sacra Synodus, ipsius Salvum-Conductum Hæresiarchæ adversus Justitiam & Fidem Orthodoxam non posse suffragari maxime cum Salvi-Conductus Privilegio fuga sua & invicta in hæresi pertinacia excidisset. Sed *Sigismundum* ipsum audire præstat in literis ad Barones Regni Bohemiæ foventes memoriam *Joannis Hus*, quas apud *Cochlæum* lib. 4. Historiæ Hussitarum legere est, pag. 155. „ Et sacrum Concilium (*inquit*) in Constantia inchoatum fuit, & nos persensimus quod HUS ibi etiam vellet interesse, fuimus plurimum gavisi & sperabamus quod de omnibus in quibus incusatus fuerat, se expurgare deberet, & quod propterea omnes scrupuli in Bohemia cessare debuissent. Interea nobis adhuc in partibus Rheni existentibus, pervenit ad Constantiam, & ibi fuit arrestatus, sicut de his jam sufficienter estis informati. Verum si prius ad nostram Celsitudinem applicuisset, nobiscumque ad Constantiam processisset, fortassis negotia sua alium habuissent progressum, Et Deus novit quod tanto dolore fuimus attriti propter casum suum, quod etiam verbo bene exprimi non posset: Sed etiam omnes Bohemi, qui tunc temporis nobis aderant, bene perpenderunt quomodo nostram solicitudinem pro ipso interposuimus; quod pluries furore permoti, de Concilio eximus: immo verius ipsius parte de Constantia recessimus, quousque nobis intimaverunt, dicentes: Si noluerimus admittere quod Justitia prosequatur in Concilio, quid tunc in hoc loco facere debeant? Sic cogitavimus quod in hac parte jam nihil facere poteramus. Neque etiam licuit nobis ulterius pro hoc negotio loqui, quia exinde Concilium totaliter fuisset dissolutum.

Objectio secunda.

XIV. Objiciunt: *Sigismundum* Cæsarem Salvum-Conductum *Joannis Hus* dedisse ad eundum Constantiam ad Concilium Generale, ad moram illic faciendam, & libere redeundum in Bohemiam: *Omnique impedimento remoto* (inquit) *transire, stare, morari, & redire libere permittatis, sibique & suis, cum opus fuerit, de securo & salvo velitis, & debeatis providere Conductu.* Violavit itaque Salvi-Conductus fidem, cum ipsum in custodiam tradi & detineri, atque damnari permisit, ac demum vivum comburi.

Responsio.

XV. Respondet *Cochlæus* Lib. 2. Historiæ Hussitarum, pag. 80. & 81. *Esto, quod promiserit Rex etiam ad redeundum Salvum per omnia Conductum; Non erat Rex major Deo, nec Fide, nec Justitia, neque Concilio. Fecit ergo quantum decuit aut licuit. Sæpe ab ipso Joanne Hus petiit, ut submitteret se Concilii Judicio, ut hæreses abjuraret, ut nollet pertinaciter sæpe damnatos asserere Articulos: atque etiam prædixit, ni desisteret ab ea pertinacia, fore ut Concilium suo in ipsum jure usurum esset, juxta censuram sacrorum Canonum. Quinimmo in faciem ei dixit se Concilio promisisse, si ipse pertinaciter Articulos erroneos assereret, quod nullum Hæreticum velit manutenere: immo mallet per sese & solus pertinacem Hæreticum comburere, quam defendere. Ideo sæpe suasit ei, ut se omnino summitteret Concilio in omnibus. Quod si faceret, gratiam inventurus esset apud Patres, ad honorem ipsius Regis, Fratrisque ejus, & ipsius Regni Bohemiæ. Si autem obstinatus permaneret, prædixit fore ut Concilium suo in eum Jure sit usurum. Non igitur Piissimo ac Religiosissimo Principi debet imputari, si Concilium, quod supra Regem erat, exigente justitia, in pertinacem Hæreticum, secundum consueta Jura, Sententiam pretulit, Subjectorum manus a violentia coercuit: Concilium a justitiæ complemento, in tam manifesto animarum & Religionis periculo, prohibere non debuit, nec ullo Jure potuit.*

Objectio tertia.

XVI. Objicitur Expostulatio Nobilium Bohemorum de publica fide Magistro *Joanni Hus* Constantiæ violata.

fata. Sic enim habet Schedula prima Concilio ab ipsis oblata die 14. Maii anni 1415. & in *Joannis Hus* Actis relata fol. 7. verso. „ Cum autem dictus Magister Joannes Hus sub dicto Salvo Conductu Constantiam libere pervenisset, & graviter absque ulla audientia est incarceratus, & hucusque tam compedibus, quam fame & siti angustiatur. Quamvis autem olim per Pisanum Concilium anno 1410. habitum damnati Hæretici ibi libere steterint, & domum libere recesserint, ipse tamen Magister Joannes Hus, nec convictus, nec condemnatus, sed neque auditus, captus est, cum neque Regum aliquis, neque Electorum, neque Universitatum Legati adhuc adessent. Et cum Dominus Rex una cum Nobilibus Dominis hic præsentibus, cum magna postularet instantia, ut circa ipsius Salvum-Conductum suo provideretur honori, & ut dictus Magister Hus publice audiretur, cum de fide sua publicam redderet rationem: & si convictus fuerit pertinaciter aliquid contra Scripturam Sacram & veritatem asserare, quod id juxta instructionem & decisionem Concilii debeat emendare: Illud tamen hucusque impetrare non potuit. Sed dictus Magister Joannes Hus circa hoc tam graviter detinetur compedibus, & dieta levissima attenuatur, ut timendum sit, ne viribus consumptis, de ratione periclitetur. Et licet Domini hic præsentes de Regno Bohemiæ graviter infamarentur, eo quod dictum M. Joannem Hus ad tantum angustiari videntes contra Salvum-Conductum Domini Regis, ipsum Dominum Regem Literis suis Salvi-Conductus monere negligerent, ne ipse Dominus Rex ulterius talia patiatur, cum vergant in contemptum & vilipendium Regni Bohemiæ, quod ab origine susceptæ Fidei Catholicæ numquam ab obedientia Sanctæ Romanæ Ecclesiæ recessit: ipsi tamen omnia patienter hucusque tolerarunt, ne quovis modo occasio turbationis hujus Sacri Concilii possit existere. Quapropter, Reverendissimi Patres & Domini, Nobiles Domini sæpe fati Paternitatibus vestris præsentibus supplicant jugiter & attente, quatenus tum propter honorem Salvi-Conductus dicti Domini Regis, tum etiam propter famam præclaram dicti Regni Bohemiæ conservandam, & vestram pariter adaugendam, in factis dicti Magistri Joannis Hus finem celeriorem, eum ipsi periculum existat in mora, Justitia divina mediante, velitis efficere.

Iidem Barones ad *Sigismundum* Cæsarem de *Joanne Hus*, ita scribunt, Epistola inter Hussiticas 59. „ Accepit autem a Regia vestra Majestate Literas, quæ fidem publicam continebant. Hæ per totam Bohemiam & Moraviam divulgatæ sunt. Verum cum Joannes Hus confisus Regiæ tuæ Majestatis Literis ad Constantiam profectus esset, quemadmodum ex constanti fama accepimus, captus est eum his Literis publicæ fidei. Neque hoc tantum, sed in carcerem conjectus, neque auditus, neque convictus, contra Leges, & tuæ Regiæ Majestatis literas; quod factum & apud nos, & alibi, eo modo innotuit, ut & Principes & Barones, pauperes & divites mirati sint, sanctissimum illum Patrem tam turpiter contra Legum auctoritatem, constitutionem, veritatem, & contra literas Regiæ tuæ Majestatis peccare potuisse, præsertim cum hominem justum & innocentem sine causa conjecit in carcerem. Quare dignetur tua Majestas diligenter hæc expendere, ut Magister Joannes Hus iterum liberetur, & manumittatur.

Iidem Epistola inter Hussiticas 60. ad *Sigismundum* Imperatorem de *Joanne Hus* in hæc verba scribunt: „ Sed Constantiam cum venisset, & publice rationem suæ fidei, & doctrinæ, quamobrem eo venerat, reddere voluisset, numquam ei libere dicendi quæ vellet, quæque sentiret, potestas facta est. Sed contra omnes Leges divinas atque humanas, contra omnem æquitatem & humanitatem, denique contra fidem publicam indicta causa in carcerem est conjectus. Qua in re (ut alias injurias omittamus) quantum, obsecro, hoc detrahet auctoritati & dignitati tuæ, Rex Clementissime, quod passim omnes omnium gentium ac nationum homines judicant publicæ fidei sacrosanctam auctoritatem violatam esse. Itaque non mediocriter dolemus, primum tuam vicem, cujus Majestati & Auctoritati, violata fide publica, multum decedit; deinde nostram, quorum dignitas cum tua dignitate conjuncta est. Nos quidem sperabamus fore ut Magistro Joanni Hus, veritatis divinæ studiosissimo, liceret opera ac beneficio Regiæ Majestatis tuæ innocentiam suam coram tota Synodo probare, seque contra invidiam & odium malevolorum, & conficta ab eis crimina, ipsius veritatis patrocinio defendere, aut saltem ut palam, non in angulis, si quid in eo erroris deprehensum fuisset, corrigeretur. Sed multo aliter evenisse non sine maximo animorum nostrorum dolore, intelligimus. Nam antea vinctum audivimus in custodiam esse, priusquam unum ex eo verbum auditum fuisset. Nunc vero post Romani Pontificis fugam multo ad nos atrociora perferuntur, eumdem M. Joannem Hus per Episcopum Constantiensem in alium carcerem translatum esse, quo nihil posset esse durius & intolerabilius, ibi denique indignis modis tractari . . . . Quamobrem supplices ad Regiam Majestatem tuam confugimus, & petimus . . . . . ut publicæ fidei Auctoritas per te retineatur, & ne indicta causa vir innocentissimus per vim miserrime opprimatur.

Sed & *Joannes de Chlum*, cujus fidei *Joannes Hus* a *Sigismundo* Cæsare commendatus fuerat, statim atque manus in illum injectæ sunt, *in Papæ conspectum provolavit, obtestans eum, ut meminerit verum, quæ sibi antea & Domino Henrico Latzembock promiserat, & ne publicæ fidei auctoritatem adeo temere violaret*. Ita referunt Acta *Joannis Hus* a teste oculato scripta. Sed & idem *D. Joannes de Chlum* literas querimoniales de injuria *Husso* illata lingua Latina & Teutonica affixit Vvalvis Ecclesiarum Constantiæ, quæ inter Hussitica leguntur num. 57. in quibus hæc habentur: „ Magister Joannes Hus in ista Imperiali Civitate sub Salvo Conductu dicti Domini mei Regis detentus est & detinetus. Et licet Papa eum Cardinalibus per solemnes Ambasiatores nomine Regio fuerint requisiti seriose ad dicti Magistri Joannis Hus emissionem, & ut mihi restituatur; nihilominus tamen ipsum hucusque emittere recusarunt & recusant; & in contemptum & vilipendium Salvi-Conductus Regis, & Securitatis & Protectionis Imperii & Regiæ Majestatis. Quapropter ego Joannes supradictus, Regio nomine manifesto, quod detentio & captio dicti Magistri Joannis Hus facta contra prænominati Romanorum Regis Domini mei omnimodam voluntatem, cum sit in contemptum suorum Salvi-Conductus & protectionis Imperii facta, eo quod pro tunc Dominus meus a Constantia longe distabat, & si interfuisset, numquam hoc permisisset. Cum autem venerit, quilibet sentire debebit ipsum de vilipensione sibi & suæ & Imperii protectionis, ac Salvo illata Conductui dolorosius molestari.

Denique Barones & Status Regni Bohemiæ & Marchionatus Moraviæ cuidam Principi Fautori suo ac Protectori Articulos excessuum & culparum contra *Sigismundum* Regem obtulerunt anno 1412. Quos apud *Cochlæum* libro 5. Historiæ Hussitarum, pag. 202. & *Goldastum* in Appendice Commentariorum de Juribus & Privilegiis Regni Bohemiæ, pag. 90. legere est; quibus conqueruntur imprimis: „ Quia Magistrum Joannem Hus, sub Salvo-Conductu duplici lingua descripto, damnari ad mortem permisit: immo ipsum primus ore proprio, in Majestate sedens condemnavit. *Item*: Quamvis omnes Schismatici & obstinati Hæretici ab Ecclesia habuerint plenam libertatem in Constantiensi Concilio: Ipse tamen malum malo accumulans, contra honorem Regni nostri, & omnem ordinem, & contra Salvum Conductum Papæ, atque ipsius Regni universis datum & concessum, alterum, scilicet Magistrum Joannem Hus comburi fecit & damnari.

Responsio.

XVII. Respondet *Cochlæus* libro 11, Historiæ Hussitarum pag. 80. *Quod Nobiles quidam Bohemi expostularunt, magis libertati militare, quam Justitiæ aut Disciplinæ Ecclesiasticæ tribuendum. Aut enim ignorarunt, aut dissimulaverunt Joannis Hus fugam & mentis obstinationem*. Ignorare potuerunt, qui ex Bohemia ad *Sigismundum* Imperatorem scribebant dum *Hussus* in carcere detinebatur, & in ipsum quæstio a Synodo Constantiensi habebatur: dissimularunt, qui vel Constantiæ aderant ipsius fautores, vel qui postmodum contra *Sigismundum* rebellarunt, ad *Joannis Hus* hæresim damnatamque memoriam tuendam confœderati, & impium Hæresiarcham pro martyre venerati. *Joannem XXIII. & Sigismundum* Cæsarem de violata Salvi-Conductus fide falso accusant: eum *Joannes XXIII.* Salvum-Conductum *Husso* nullum

lum dederit, sed verbo tenus promiserit securitatem
contra violentiam, non contra justitiam, se videli-
cet nullo modo permissurom, *ut aliqua ei fieret in-
juria, qaamdia Constansiæ esset* (ut habent Acta ipsi-
us *Joannis Has*.) Nulla porro ipsi injuria facta est;
quia ea Canonibus & Regibus contra ipsum actum
est. Præterea *Joannes XXIII.* Synodum a se coogre-
gatam ligare non potarat, ne de Hæreticis quæstio-
nem haberet, nec eam ipsius fuisse mentem verisi-
mile est. *Sigismuadus* vero Salvum-Conductum non
dederat nisi ut ab omni violentia facti *Joannes Hus*
tutus esset, noo ut a Justitia, Legumque severitate
immunis, si præscriptas sibi conditiones, & in Sal-
vo-Conductu secundum jus intellectas, violaret, id
est, si pactis ipse non staret, si nova crimina com-
mitteret, si in hæresi pertinax asset, si in Ecclesiæ
& Sacræ Synodi Constantiensis Judicio acquiescere
nollet, si pacem publicam perturbaret. Nam (ut
ait *Bremus* hæreticarum patriuio eruditus Jurisscon-
sultos, Quæst. ultima de Securitate) *Fides publica
finitur seu solvitar, si accepta fide publica qais novum
committat delictam, quia propter hoc paniri posset*. I-
demque docet, *Promissionem securitatis tacitam habe-
re conditionem; & vulgo dicitur: Qui fidem accepit
pablicam, nihil coarra eam committat, id est, ipse qao-
que non pertarbet pacem publicam*. Et multos alios
Jurisperitos laudat in eamdem seniootiam conspiraa-
tes. Porro *Joannes Has* oovis criminibus sa obstrin-
xit, cum Sacris operari non destitarit quamvis aacom-
municatus, idqoa palam in Ecclasiæ contemptum; in
fugam quoqua sa dederit contra Imperatoris Manda-
ta, qui ipsum coram Sacra Synodo Constantiensi res-
pondere, & ejus stare Judicio jusserat, & contra pa-
cta contestationesque ab ipsomet publice affixas qua-
cumque transietat. Eacidit itaque Salvi-Conductus
Privilegio. Hane fogam, quam Actorum ipsius Scri-
ptor, homo Hussita, cui proinde nulla fides adhi-
benda est hac in caosa, & Barones Bohemi, aliique
ejus faotores dissimulant, narrat *Ulricus Reichental*
civis Constantiensis, in Historia Concilii Constantien-
sis, quam Teutonico idiomata accoratissima scripsit.
„ Refert *Joanaem Has* in hospitio suo sæpe cele-
„ brasse Missam, accurrente ad eam populo. Quod
„ ubi per Episcupum Constaotiensem velut ordina-
„ rium loci, ei tamquam excommunicato inhibere-
„ tor, ipse vero nihilominus celebraret. Episcopus
„ vero popolum Missæ ejus interesse prohiberet, *Hus*
„ cœpit de fuga circomspectare. Itaque Domioica *O-
„ culi*, quæ tertia est in Quadragasima, ubi cele-
„ brasset Missam mane, accepit panem & vascolum
„ vini, seque abscondit in curro Domini *Henrici
„ Latzembock* qui eo die educendus erat in rus pro
„ apportandis straminibus, avena, & fœno, peracto
„ prandio. Cum igitur *Hus* in prandio non compare-
„ ret, nec quisquam sciret ubinam esset, *Latzembock*
„ confestim adiit Consulem Civitatis, questusqoa de
„ fuga *Joannis Hus*, petiit mox claudi portas Ur-
„ bis, Equitesque & Pedites instrui, qui illum per-
„ sequerentur fugientam. His itaque paratis, repet-
„ tus est in curru latitans *Hus*. Mux itaque pera-
„ cto prandio *Latzembock* imposuit eum equo, & ad-
„ duait in Palatium ad Papam. Illa vero Salvum ob-
„ tendens Conductum, ait se vinciri non debere. Cui
Latzembock respondit: *Ita Decretam est*, *ar Causam
tuam justifices, ne sit hæretica, aut morieris, ni re-
voces*. Ita Nobilis ille *Bohamas*, cujus fidei com *Jo-
annes Hus* a *Sigismundo* Cæsare commendatus esset,
vim Salvi-Conductus ipsi dati apprime noverat. Per-
git *Ulricas Reichenthal*: „ Inter hæc dicta, *Hus* su-
„ bito de equo desiliens, proripuit sese in circum-
„ stantem Bohemorum multitudinem (Accurrerant
„ autam supra 80. millia hominum) quem Appari-
„ tores Papæ & Cardinalium comprehendentes, qui
„ deauratos præferunt baculos, in Palatium abdu-
„ xerunt. *Quem Rex Romanorum libenter propter Sal-
vum-Conductam liberasset, nisi a Doctis accepisset res-
ponsum: Nullo jure deberi Salvam-Condactam Hære-
tico in hæresi sua persistenti*. „ Post octo vero dies,
„ *Has* ad Prædicatorum ductus Monasterium, dili-
„ genter ibi custoditus est: quem dicti viri plerum-
„ que visitarunt, ut eum a sua hæresi converterent.
Sic locum illom *Ulrici Reichenthal* Scriptoris non tan-
tum coævi, sed testis horum ocolati, latine red-
dit *Cochlæus* Libro II. Historiæ Hussitarum pag. 73.
& 74.

XVIII. Sed alio non esset opus testimonio ad per-
tinaciam *Joannis Hus* comprobandam, ac demonstran-
dum luce meridiana clarius *Sigismundum* Imperato-
rem Salvo-Conductu suo noluisse ipsum a Concilii
Jurisdictiona, a Canonom & Regum districtione li-
berum præstare, quam ipsius Anonymi Auctoris Hus-
sitæ Gestorum ipsius, quæ sic inscribere non dubi-
tavit: *Historia Sanctissimi Martyris Joannis Has*. Quod
qoidem testimonium eo firmius erit, quo ab hoste Ec-
clesiæ Catholicæ sumptum. Nam ut *Novatianus* ait Li-
bro *De Trinitate Cap.* 18. *Firmum est genus probatio-
nis, qaod ab adversario sumitar, ut veritas ipsa etiam
ab ipsis inimicis veritatis probetur*. Et ut ait *S. Isido-
rus Pelusiota* Epistola 228. Lib. 2. *Grave & auctorita-
tis plenum illad est testimonium, quod ab hostibus sumi-
tur*. Sic autem habet Auctor ille Hussita fol. 24.
„ Cum novem illi & triginta primi Articuli, quos su-
„ pra recitavi, omnes perlecti essent, una cum testi-
„ moniis, Cardinalis Cameracensis Joannem Hus com-
„ pellans: Audisti, inquit, quanta sit atrocitas crimi-
„ num, corumque plurimorum, quæ contra te allata
„ sunt. Jam tuum est officium cogitare quid sis factu-
„ rus. Duæ tibi viæ a Concilio proponuntur, qoarum
„ alteram ta ingredi necasse est. Primom, ut te ip-
„ sius Concilii Judicio & Sententiæ supplex subjicias,
„ & quidquid hic communi sententia decratum fuerit,
„ illud æquo aoimo ut feras. Quod si feceris, nos
„ propter ipsius Clementissimi Imperatoris hic præsen-
„ tis, & fratris ejus Regis Bohemiæ honorem, & tuæ
„ salutis causa, ea qua debemus pietate & humanitate
„ tecum sumus acturi. Sed si adhuc aliquos ex iis Ar-
„ ticulis, qui oobis propositi sunt, defendere cogitas,
„ & amplius te audiri postulas, ejus rei potastatem
„ tibi non negabimus. Sed cogitabis hic tantos esse
„ viros, & tam illumioatos, eosque tam firmas & va-
„ lidas rationes contra tuos Articulos habere, ut ve-
„ reor na hoc cum magno tuo incommodo & perico-
„ lo facturus sis, si amplius eos tueri velis. Hæc ago
„ monendi tui causa, non Judicis more loquor. Hanc
„ Cameracensis Orationem alii subsequentes, idem pro
„ se quisque Joannem Hus hortati sunt. Quibus hic
„ submisso vultu respondit: Reverendissimi Patres,
„ jam sæpe dixi me libere huc venisse, nun ut obsti-
„ nate qoidquam defenderem, sed si qua in re minus
„ recte sentirem, æquo animo paterer me doceri.
„ Rogo igitur ut sit mihi locus amplius meam sen-
„ tentiam declarandi: cujus nisi certas & efficaces ra-
„ tiones attulero, libenter in vestram informationem,
„ ita ut postulatis, concedam. Hic magna voce qui-
„ dam: Videte quam callide loquatur, Informatio-
„ nem dicit, non correctionem, aut diffinitionem.
„ Immo (inquit) ut vultis, siva informationem, sive
„ correctionem, aut diffinitionem. Testor enim Deum,
„ me nihil nisi ex animo loqui. Tum Cameracensis;
„ Quando igitur informatiooi & gratiæ ipsius Concilii
„ te subjicis, hoc a Doctoribos fere seaaginta, quo-
„ rum aliqui jam hinc abiaront, & tamen in eorum
„ locum Parisienses successerunt, decretum, & a toto
„ Concilio, ne uno quidam contradicenta, approba-
„ tum ast: primum, ut supplici animo te in istis Ar-
„ ticulis, qui contra te allati sunt, errasse confitea-
„ ris: Deinde, ut jurejurando promittas, nihil isto-
„ rum te amplius sentire aut docare vella: Postremo
„ ut publice omnes illos Articulos recantes. In quam
„ sententiam contra multi alii multa diaissent, tan-
„ dem Joannes Hus: Iterum dico (inquit) me para-
„ tum esse ad informationem Concilii. Sed illud ta-
„ men per eum, qui omnium nostrum Deus ast, vos
„ rogo atque obsecro, ne per vos cogar ad id quod
„ conscientia mea repugnante, & sine æternæ dam-
„ nationis periculo facere non possum, ut omnibus
„ Articulis contra me propositis juramento renunciem.
„ Memini enim me in Catholico legisse: Abjurare,
„ est errori prius tento renunciare. Cum igitur mul-
„ ti Articuli mei asse dicantur, qoos ut sentirem
„ aot docerem, numquam mihi in mentem venit,
„ quomodo possum eis per jurameotum renunciare?
„ Cæterum quod ad illos Articulos attinet, qoi vere
„ mei sunt, si quis me aliter docere poterit, liben-
„ ter hoc faciam quod postulatis. Tum Imperator:
„ Qoidni (inquit) sine pericolo posses omnibus istis
„ renunciare, quæ etiam falso dicis contra te a testi-
„ bus proposita esse? Equidem omnes errores abjura-
„ re non dubito: neque hinc sequitor contiouo me
„ aliquem errorem professum esse. Ad quem Hus:
„ Imperator Clementissime, aliud significat vocabulum
„ abjurandi, quam tua Majestas hic usa est. Et Car-
„ dinalis Florentinus inquit: Dabitur tibi, Joannes
„ Hus, scripta abjurandi forma satis lenis & tolera-
„ bilis: tunc facile inibis consilium, velisne id, an
„ non facere. Tum iterum Imperator verba Cardi-

„ nalis

nalis Cameracensis repetens: Audisti duas vias tibi propositas esse. Primum, ut illis erroribus tuis jam condemnatis palam renuncies, & Judicio Concilii subscribas: pro qua re vicissim ejus gratiam experieris. Sin pergis defendere tuas opiniones, CONCILIUM FACILE HABEBIT QUOD SECUNDUM LEGES SUAS DE TE DECERNAT. Cui Joannes Hus respondit: Ego nihil recuso, quidquid ab ipso Concilio de me decretum fuerit, Imperator Clementissime. Id tantum excipio, ne Deum & conscientiam meam offendam, & dicam me illos errores professum esse, quos numquam mihi in mentem venit profiteri. Obsecro autem, ut si fieri potest, vobis concedentibus habeam potestatem amplius animi mei sententiam declarandi, ut de iis, quæ mihi objecta sunt, quantum satis est, respondere possim.... Ætatem habes, inquit Imperator, facile potuisti intelligere, quæ & heri, & hodie ad te dixi. Nos testimoniis, quæ fide dignissima sunt, credere cogimur. Tu igitur, si sapis, accipies a Concilio pœnitentiam corde contrito, & manifestis erroribus renunciabis, & juramento promittes te contra eos deinceps perpetuo & sentire & docere velle. SIN MINUS, SUNT LEGES SECUNDUM QUAS A CONCILIO JUDICABERIS..... Posteaquam Joannes Hus abductus esset, cœpit Imperator in hanc sententiam Præfectos Concilii adhortari: Multa eaque gravissima in Joannem Hus crimina audivistis, non solum firmis testimoniis probata, verum etiam ab ipso confessa: ex quibus singula, meo judicio MORTIS SUPPLICIO DIGNA ESSENT. Nisi igitur recantet illa omnia, EGO CENSEO UT IGNIS SUPPLICIO AFFICIATUR. Sic fecerit imperata, tamen ego consulo, ut ei prædicandi & docendi officio, & ipso Regno Bohemiæ interdicatur. Nequaquam enim committeret, si iterum admittetur ad docendum, maxime vero in Regnum Bohemiæ, quin illorum, quos ibi habet, gratia & favore fretus, ad ingenium redeat, & præter hos errores, novos etiam in vulgus spargat. Ita novissimus error pejor priore futurus esset. Deinde censeo, Articulos ipsius condemnatos Fratri meo Regi Bohemiæ, deinde in Poloniam & alias Provincias, in quibus animi hominum ejus doctrina sunt imbuti, mittendos esse cum ejusmodi Mandato, ut quicumque ita sentire perrexerint, utriusque Potestatis communi auxilio puniantur. Ita demum huic malo subvenire poterit, si rami una cum ipsa radice funditus evellantur... Postremo, si qui hic Constantiæ reperiuntur Joannis Hus familiares, illi quoque ea, qua debent, severitate coerceantur, imprimis discipulus ejus Hieronymus. Qui sic loquebatur, in ea certe mente non fuerat, ut *Salvus-Conductus* suus *Joanni Hus* contra justitiam & Religionis Catholicæ bonum suffragaretur.

Objectio quarta:

XIX. Objicitur postremo Synodum Basileensem in Salvo-Conductu Bohemis dato Sessione 4. & Tridentinam in eo, quem Germanis Augustanæ Confessionis dedit, die 4. Martii 1562. expresse derogare Statutis Concilii Constantiensis, quatenus huic fidei publicæ ac securitati præjudicare possent. Ad quid autem hujusmodi derogatio, nisi Synodus Constantiensis fidem Salvi-Conductus *Joanni Hus* dati violasset, aut violari posse docuisset? Ita Synodus Basileensis: *Insuper promittentes sine fraude & quolibet dolo, quod nolumus, neque debemus occulte vel manifeste, quacumque occasione prætensa, uti aliqua auctoritate vel potentia, Jure, Statuto, vel Privilegio Legum vel Canonum, & quorumcumque Conciliorum, specialiter Constantiensis & Senensis, quacumque forma verborum expressa, in aliquod præjudicium Salvi-Conductus seu assecurationis, ac publicæ audientiæ ipsis per nos concessæ vel concessio.* Ita vero Synodus Tridentina: *Insuper omni fraude & dolo exclusis, vera & bona fide promittit, ipsam Synodum nullam vel manifeste, vel occulte occasionem quæsituram, aut aliqua auctoritate, potentia, jure vel Statuto, Privilegio Legum vel Canonum, aut quorumcumque Conciliorum, præsertim Constantiensis, & Senensis, quacumque forma verborum expressa, in aliquod hujus fidei publicæ, & plenissimæ assecurationis, ac publicæ & liberæ audientiæ, ipsis per ipsam Synodum concessæ, præjudicium quovis modo usuram, aut quemquam uti permissuram: quibus in hac parte pro hac vice derogat.* Extat post Sessionem 18.

Responsio.

XX. Respondetur, Basileenses, Tridentinosque Patres, in literis Salvi-Conductus Bohemis & Augustanæ Confessionis hominibus datis, non ideo derogasse Concilii Constantiensis Statutis, quod ea publicam fidem *Joanni Hus* vel *Hieronymo* Pragensi violaverit, aut violandam esse docuerit: alioqui sequeretur quod Leges & Canones fidem publicam servandam non esse statuant, quia & illis pro hac vice derogant, quatenus Tabulis securitatis a se Bohemis vel Luteranis datæ præjudicarent: sed hæc addita clausula est, quia utrique Synodo visum est ad invitandos ad Ecclesiæ gremium Hæreticos, ampliorem, indulgentiorem ac magis efficacem ipsis concedere securitatem; ac nominatim derogare Decreto Sessionis 19. Concilii Constantiensis, quo Salvi-Conductus Tabulæ per Imperatorem, Reges, & alios sæculi Principes hæreticis hominibus vel de hæresi suspectis concessæ, ita restringebantur, ut iis non obstantibus, Ecclesiastici Judices de illorum erroribus quæstionem habere, & in eos ex Canonum ac Legum severitate agere ac animadvertere possent. Quod Decretum cum Hæreticis suspiciones ac terrores ingereret, Christianæ prudentiæ fuit & charitatis, ad diffidentes ipsorum animos demulcendos, Conciliique Basileensis & Tridentinæ liberum aditum ipsis aperiendum, ne tutam & facilem audientiam sibi negatam queri possent, ampliorem ipsis concedere securitatem ea, quam *Sigismundus* Imperator *Joanni Hus*, & Synodus Constantiensis *Hieronymo Pragensi* concesserant, & quæ jure communi concedi solita esset. Tres enimvero Salvi-Conductus species distingui possunt. Primus est Salvus-Conductus stricti Juris, qualis datur certorum criminum reis carceres Aurelianenses libere subeuntibus, cum Episcopus Urbem solemni pompa primum ingreditur, ut remissionem & gratiam solemni Privilegio obtineant: sub hac enim conditione datur illis publica securitas, modo verum exponant, ipsis alioquin minime profutura. Cujus generis erat Salvus Conductus *Joanni Hus* a *Sigismundo* Imperatore, & *Hieronymo de Praga* a Sacra Synodo Constantiensi datus, hac scilicet conditione vel intellecta, vel expressa restrictus, *Justitia semper salva*. Secundæ speciei Salvum-Conductum, lati Juris nominavero, cum Legibus aliquibus, non omnibus derogatur in ejus favorem, qui publica securitate donatur. Istius generis est Salvus-Conductus datus iis qui urbe obsidione cincta ex acie hostili mittuntur ad colloquendum cum Duce Exercitus, & ad conditiones deditionis proponendas. Nam si ad struendas insidias, ad explorandum, ad invadendum in castra venirent, nequaquam suffragaretur ipsis publica fides, nec prohiberet quominus cum ipsis velut cum hostibus ageretur. Tertiæ speciei Salvus Conductus latissimi Juris potest appellari, quo legibus & conditionibus omnibus derogatur. Quæ vim aut effectum datæ securitatis impedire possent, adeo ut nec ratione criminis, post acceptas publicæ securitatis tabulas perpetrati, a Salvi-Conductus Privilegio excidat, cui datæ sunt. Hujus generis fuere Salvi-Conductus Bohemiæ a Synodo Basileensi, & Augustanæ Confessionis Hæreticis a Concilio Tridentino concessi, quo ipsis etiam indulgetur, *Ut Religionis prætextu, aut delictorum circa eam commissorum, aut committendorum minime puniantur. Et ut quandocumque ipsis libuerit, aut Majorum suorum mandato & assensu ad propria reverti optabunt, aut aliquis eorum optabit, sine absque ulla renitentia, & occasione aut mora, salvis rebus eorum & suorum pariter honore, & personis possint juxta beneplacitum libere & secura redire.* Vult etiam utraque Synodus *In hac publica fide Salvoque Conductu quascumque clausulas includi, ac contineri, ac pro inclusis haberi, quæ plena, efficaci, & sufficienti securitate, in eundo, stando, & redeundo, necessaria & opportunæ fuerint. Illud etiam ad majorem securitatem & pacis ac conciliationis bonam* exprimunt Salvi-Conductus utriusque Tabulæ, *Quod si quispiam, aut illorum aliqui sive in itinere Basileam, aut Tridentum veniendo, sive ibidem morando, aut redeundo, aliquid enorme, quod absit, egerint aut commiserint quo posset hujus fidei publicæ & assecurationis beneficium eis concessum annullari aut cassari; in hujusmodi facinore deprehensi, ab ipsis duntaxat* Bohemis & Germanis, *& non ab aliis, condigna animadversione puniantur; illorum assecurationis forma, conditionibus & modis manentibus omnino illibatis.* Denique Juribus, Statutis, Privilegiis Legum & Canonum, aut quorumcumque Conciliorum, præfertim Constantiensis & Senensis, sub quacumque verborum forma expressis, quatenus his fidei publicæ ac plenissimæ securitatis Tabulis præjudicare possent, in hac parte pro hac vice derogant.

DISSERTATIO VIII.

DE CONCILIIS SENENSI ET BASILEENSI.

ARTICULUS I.

De Concilio Senensi Oecumenico.

Sena, Siena urbs Etruria, Sedes Archiep.

I. CUm quinquennio post Concilii Constantiensis absolutionem aliud Oecumenicum ex ejusdem Decreto Sessione 39. & 44. celebrandum esset, & a *Martino V.* Pontifice Maximo, de consensu Patrum Constantiensium *Papiæ* indictum, Prælati nonnulli ab eodem Pontifice in hanc civitatem præmissi sunt anno millesimo quadringentesimo vigesimo tertio, qui illud inchoarent, videlicet *Petrus Donatus* Archiepiscopus Cretensis, *Jacobus* Episcopus Spoletanus, *Petrus Benedicti & Leonardus de Florentia* Magister Ordinis FF. Prædicatorum, Sedis Apostolicæ Nuntii, aliique secuti Præsules. Initium Concilio datum Mensa Majo. Sed cum nulli adhuc Transalpini advenissent, præter duos Abbates Burgundos, & *Joannem Bassonum* Ordinis Carmelitici Professorem, a Clero Aulicano missum, & præterea pestifera lues Ticini grassaretur, mutari locum placuit, Synodumque Senam transferri.

Convocatio Concilii.

Acta Concilii Senensis.

Prima Sessio ibi habita est ad octavum Novembris iis Præsidibus quos primum Papiam miserat *Martinus* Pontifex: in qua cœpta reformatione a Fidei fundamento, damnatio hæresum VVickleffistarum & Hussitarum Constantiæ facta confirmata est, ad eosque Hereticos penitus extirpandos Synodus Principes adhortata est propositis Indulgentiis. Deinde Sententiam contra *Petrum de Luna* olim *Benedictum* XIII. in sua obedientia nuncupatum, a Sacro Constantiensi Concilio latam, Synodus ratam habuit, & perseverantes post ejus obitum quoquo modo in eodem Schismate pœnis & Censuris in eadem Sententia contentis damnavit. Itam de Græcorum ad unitatem Ecclesiæ reductione actum est. Cumqua *Martinus V.* Nuntio Constantinopolim ad Patriarcham & Imperatorem ea de re misisset; Imperator vero respondisset, hoc negotium tunc non posse utiliter & fructuose pertractari: nihilominus decrevit Synodus hoc negotium minime deserendum esse, sed; occasione data in illud incumbendum pro viribus: interim vero necessariam Catholicæ Ecclesiæ reformationem promovendam. Legationis ab *Antonio Massano* ad Græcos susceptæ nomine *Martini V.* Pontificis Relationem habes inter Acta Concilii Senensis. Tandem ob Prælatorum paucitatem, & ingruentes undique bellorum tempestates, maxime vero ob fœdos conatus *Alfonsi* Aragonum Regis Schisma renovantis, die 19. Februarii, anni millesimi quadringentesimi vigesimi quarti, ad prosequendam commodiori loco & tempore reformationem inchoatam, civitatem Basileensem ad Concilii Œcumenici septennio post celebrandi, juxta Constantiensis Concilii Decretum designarunt: *Protestantes tamen quod propter hoc ipsum Concilium Senense non censeatur dissolutum esse, sed quod ipsi Præsidentes cum inclytis Nationibus, ad omnem reformationem hic possibilem concurrere vellent.* Et hoc idem Nationum Deputati pariter protestati sunt, quilibet pro natione sua, *quod ad reformationem hic possibilem attendere vellent.* Ista constant ex Actis Concilii Senensis, & ex Commentario Auctoris tunc viventis qui MS. extat in Bibliotheca *S. Victoris* Parisiensis, signato MM. 7.

Œcumenicitas Senensis Concilii, auctoritas.

Quæres, utrum Concilium Senense Œcumenicis annumerari debeat? Responden affirmative. A Concilio enim Constantiensi & *Martino* V. Pontifice Maximo Generale Concilium Papiæ indictum est, ab eoque Senas translatum, & ibidem celebratum. *Martini V.* Diploma Sessione 44. Concilii Constantiensis promulgatum est; cujus hæc sunt verba: *Cupientes ac volentes Decreto hujus Generalis Concilii satisfacere, inter alia disponentis, quod omnimodo Generalia Concilia celebrentur, in loco quem Summus Pontifex per mensem ante finem hujus Concilii designaverit, approbante & consentiente Concilio civitatem Papiensem tenore præsentium deputamus & etiam assignamus, statuentes & etiam decernentes, quod Prælati, & etiam alii, qui ad Generalia Concilia debent convocari, tempore prædicta civitatem ipsam Papiensem accedere teneantur.* Papiensem Synodum grassante peste Senas translatam scribit idem Pontifex ad *Conradum* Archiepiscopum Moguntinum, & *Theodericum* Coloniensem anno 1423. tam etiam ad *Alfonsum* Regem Aragonum: *Quia* (inquit) *ex justa causa translatio Concilii Generalis de civitate Papiensi ad civitatem Senensem, per ipsum Concilium est decreta, & approbata per Nos, Excellentiam tuam rogamus, ut operam facias quod Prælati de Regnis tuis veniant ad reformandam cum cæteris Statum Ecclesiasticam & libertatem Ecclesiæ conservandam.*

Tom. IX.

Præterea, Synodus ipsa se Œcumenicam inscripsit in concessione Indulgentiarum iis qui ceperint Hæreticos & in potestatem Inquisitorum aut Ordinariorum tradiderint: *Sacrosancta Synodus Senensis in Spiritu Sancto legitime congregata, universalem Ecclesiam repræsentans, statuit, &c.* Id refert laudatque Concilium Basileense in Responsione Synodali, quam de concedenda Græcis Plenaria Indulgentia dedit 5. Idus Maii anno 1436.

Tertio, Basileense Concilium Sessione 2. & alibi passim diffinit & declarat se *Sacris Constantiensi & Senensi Generalibus conciliis decernentibus atque ordinantibus, & Auctoritate Apostolica interveniente fuisse, & esse debite legitimeque ac rite congregatum & initiatum.*

Quarto, *Eugenius IV.* in Constitutione *Dudum*, promulgata Sessione 16. Concilii Basileensis, Concilium Senense non minus quam Constantiense Œcumenicum prædicat. *Dudum* (inquit) *Sacrum Generale Basileense Concilium, per Generalium Constantiensis & Senensis Conciliorum Statuta, Ordinationesque felicis recordationis Martini Papæ V. ac nostras legitime inchoatum, &c.*

Tandem pro Fide Catholica & unitate Christiana, ac Disciplina Ecclesiæ sancienda congregatum est, quamvis ob temporis brevitatem, ac paucitatem Præsulum pauca decreverit. Ipsi igitur conveniunt Synodi Œcumenicæ characteres a *Gersonio* in Tractatu *De potestate Ecclesiastica* Consideratione 12. delineati his verbis: *Concilium Generale est Congregatio legitima auctoritate facta ad aliquem locum, ex omni Statu Hierarchico totius Ecclesiæ Catholicæ, nulla fideli persona, quæ audiri requirat, exclusa, ad salubriter tractandum & ordinandum ea, quæ debitum regimen ejusdem Ecclesiæ in fide & moribus respicit.*

At (inquies) Prælati ex omnibus Ecclesiæ Catholicæ partibus ad Senense Concilium non convenerunt: Œcumenicum igitur non fuit.

Respondeo; nec ad Constantinopolitanam Synodum primam Episcopos ex toto orbe convenisse: & tamen, Ecclesiæ universalis accedente consensu & approbatione, Œcumenica habita est, & in earum ordinem adscripta, quas *sicut quatuor Evangelia*, se venerari *S. Gregorius Magnus* profitetur. Ita quamvis ad Concilium Senense frequentes ex tota Ecclesia non confluxerint Episcopi; nihilominus concurrente totius Ecclesiæ consensu & approbatione, quæ ipsum ut Œcumenicum agnoscit & prædicat in Concilio Basileensi, *Eugenio IV.* etiam confirmante, Œcumenicis annumerandum est.

JOANNIS DOMINICI MANSI

Nota.

DE Concilio Papiensi nihil aliud superest quam decretum de translatione Concilii ad urbem Senensem, quod legas in Labbeo tom. 17. pag. 96. Venetæ editionis.

De Senensi vero nonnulla occurrunt, quæ hic indicantur a P. Alexandro. Mihi tamen alia plura suppetunt ex Codice Bon. Mem. Cardinalis Dominici Passionei, danda suo tempore in nova editione Conciliorum, quæ Venetiis imprimi cepit. Principio extat magni momenti bulla Martini V. in qua affirmat Pontifex, sibi ex parte Archiepiscoporum, Episcoporum, Electorum & aliorum Prælatorum Concilii Senensis supplicatum fuisse ut decretis in eo Concilio conditis (de pœnis in Hussitas latis tum & in eos qui schismati Petri de Luna adhæserint) pro ipsorum subsistentia firmiori robur Apostolicæ confirmationis adjicere de benignitate apostolica dignaretur. Id vero ex bulla Pontifex præstat rata habens decreta prædicta. Bullam hanc non minimi faciendam esse duco, cum ex illa validum deducatur argumentum pro confirmationis Apostolicæ necessitate ut conciliaria decreta roborentur. Codicem hunc scribebat ut mihi colligare visus sum quidam Petrus de Trilia Leodiensis Diœcesis.

Sequuntur aliæ Litteræ Pontificis *ad Henricum Angliæ Regem illustrem*, in quibus narrat causas, cur Senensis Concilii dissolutioni manus dederit: neque enim satis salvæ erant res Patrum a tumultibus, & pressuris Senensium. Succedunt aliæ literæ Pontificis de dissolutio-

solutione ejusdem Concilii, ac provisione a se facta pro curanda disciplinæ reformatione. Sunt quidem literæ istæ in editione Labbei, sed multo hic integriores compatent. Demum exhibentur literæ Pontificis invitatoriæ, & encyclicæ *ad Principes, & Prælatos, ut veniant, & mittant ad Concilium Senense*; sicut aliæ ejusdem *ad Priores, Gubernatores Communis & Capitaneos populi Civitatis Senensis*. Tandem est *Salvus conductus Senensium pro venientibus ad Concilium*. Hæc habeo, quæ proferam in nova Conciliorum editione.

ARTICULUS II.

De Concilii Basileensis Oecumenici legitima Convocatione, Causis, Præside, Inchoatione, Modo procedendi.

Basilea, Basle, urbs in Helvetiis ad Rhenum, Episcopatus sub Metropoli Bisuntina.

I. CONcilium Basileense auctoritate Sacri Concilii Œcumenici Constantiensis Sessione 39. Decreto *Frequens*, & Sessione 44. nec non Senensis Concilii, ac *Martini V.* Pontificis Maximi eorum Decreta executioni mandantis, convocatum est. Instrumentum electionis civitatis Basileensis pro Generali Concilio celebrando habetur Sessione 1. ejusdem Concilii §. 4. Diplomata vero *Martini V.* quo & Concilii indictionem confirmat, & *Julianum* Cardinalem Diaconum *S. Angeli* a Latere Legatum ejusdem Concilii Basileensis Præsidem amplissima cum potestate creat, habetur ibidem §. 9. „ Dudum (*inquit*) Sacrum Generale Constantiense Concilium ex certis causis tunc expressis „ statuit & decrevit, primum Generale Concilium in „ quinquennium ex tunc proxime futurum, secundum „ vero a fine illius immediate sequenti Concilii in septennium, & deinceps de decennio in decennium perpetuo fore celebrandum in locis per Romanum Pontificem per mensem ante finem cujuslibet Concilii, „ approbante & consentiente Concilio, vel in defectum „ ipsius per ipsum Concilium deputandis, ac assignandis, ut illa quæ circa statum & bonum publicum „ Ecclesiæ Sanctæ Dei agenda & expedienda restabant, „ matura possent deliberatione compleri, prout (quantum in Nobis fuit) in Concilio Senis ultimo celebrato factum extitit; in quo per nostros & Sedis Apostolicæ Nuntios tunc in dicto Concilio Senensi præsidentes, eodem approbante Concilio civitas Basileensis pro loco proxime futuri tunc in septennium „ celebrandi Concilii deputata extitit, prout in Decreto præfati Senensis Concilii, & aliis nostris Literis desuper confectis plenius continetur. Cum autem „ finis hujusmodi septennii, quo Concilium ipsum in „ eadem civitate Basileensi tenendum & celebrandum „ fore statutum fuit, instare noscatur, cumque propter „ notoriam ægritudinem nostram in ipso futuro Basileensi Concilio Deo auctore celebrando, juxta desiderium cordis nostri interesse non possimus, Te vitæ „ integritate & sapientia præclarum, & magnitudine „ c[illegible] conspicuum, ac in maximis nostris & præfatæ Ecclesiæ negotiis diuturna experientia comprobatum, Legatum cum plena & omnimoda potestate „ Legati de Latere, de Fratrum nostrorum consilio, „ Auctoritate Apostolica, tenore Præsentium facimus, „ constituimus, & etiam ordinamus: Teque ad civitatem Basileensem prædictam, pro futuro ibidem, „ auctore Domino, tenendo & celebrando Concilio „ Generali, juxta deliberationem & ordinationem præfatas, tamquam Angelum pacis destinandum providimus. Et cum super omnia in ipso futuro Concilio ad reformandum Statum Ecclesiasticum, qui hoc „ tempore indigere videtur abundante nequitia, & lingescente charitate hominum, suscitatis inter Fideles „ bellis & discordiis, ac invalescente in pluribus Mundi partibus Hæretica pravitate, ad hujusmodi hæreses extirpandas, & pacem inter Catholicos Principes „ & cæteros Christianos componendam, animum efficacem intendamus; super qua re (quantum in nobis „ fuit) dedimus operam efficacem: Tibi nomine & „ auctoritate nostris ipsi Concilio præsidendi, ac in illo pro tua sapientia illa proponendi, deliberandi, ordinandi, statuendi & decernendi, quæ ad laudam & „ honorem Dei, & conservationem & augmentum Religionis, Fidei Christianæ, Statum Ecclesiæ, Reformationem quoque totius Cleri & Ecclesiastici Status „ in moribus & vita, nec non reductionem Orientalis „ Ecclesiæ, & quorumlibet aliorum oberrantium, ad „ gremium Ecclesiæ Militantis, ac conservationem Ecclesiasticæ libertatis, salutem quoque, quietem & pacem Regnorum, Regum, Ducum, Principum, & „ quorumlibet fidelium populorum, noveris pertinere: ac etiam ibidem cum debita maturitate & deliberatione, prout in tanta re convenit, ea omnia „ proponendi, decernendi, concludendi & exequendi, „ per quæ hæreses, & errores tam de Bohemia, quam „ de aliis quibuscumque Regnis, Provinciis, terris & „ locis penitus extirpentur.

Concilii convocatio.

Julianus Cardinalis Concilii Præses designatus.

Causæ celebrandi Concilii.

II. Quarto Nonas Martii anni millesimi quadringentesimi trigesimi primi, quo die secundum Decreta Constantiensis Synodi Basileense Concilium inchoari operæ pretium erat, *Alexander* Vezeliacensis Abbas Ordinis *S. Benedicti*, Eduensis Diœcesis, vir doctrina clarus, convocatis Canonicis, & Collegio Basileensis Ecclesiæ, ac plurimis aliis viris egregiis, dixit: Jam annos septem a fine Senensis Concilii completos esse, & secundum illius, & Sanctæ Synodi Constantiensis Decretum, Basileense Concilium inchoari debere; ad quod Prælatos omnes, quorum intererat, absque alia vocatione, sub pœnis juris venire oportebat: se adesse obedientiæ filium, paratum alios, qui venturi erant, expectare, & interim cum illis omnia agere, quæ pro salute Christianæ plebis in Conciliis tractari consuevissent, præsertim pro reductione Hussitarum ad viam salutis, pro Censura morum Ecclesiasticorum *tam in capite quam in membris*, & pro pace & quiete omnium Christianorum; protestatus per se non stare quin Decreta Sanctorum Conciliorum implerentur. Ita refert *Augustinus Patricius* Canonicus Senensis, postea Rituum Sacelli Pontificii Magister, demum Episcopus Pientinus, in Historia Conciliorum Basileensis & Florentini, quæ *Actorum Patricianorum* nomine vulgo laudatur; quam scripsit jussu *Francisci Picolominei*, Cardinalis Senensis, postea Papæ *Pii* III. excerpsitque tum ex Basileensibus Codicibus MsS. secum a Cardinale *S. Marci* communicatis, tum ex collectione *Dominici* Cardinalis *Firmani*, qui Concilio interfuit quamdiu mansit concordia cum *Eugenio* Pontifice.

III. Mortuo inter hæc *Martino V.* Successor ipsius *Eugenius IV.* literis pridie Kalendas Junii, ejusdem anni datis, *Juliani* Cardinalis Legationem, ipsique commissam præsidendi Concilio Basileensi potestatem confirmavit. *Placet nobis* (inquit) *& volumus, Tibique mandamus, quatenus expedito negotio Bohemorum, tuos gressus dirigas ad prædictam civitatem Basileensem, & ibi, (prout opus videris esse) juxta tibi injuncta, & ordinata in Concilio Constantiensi, optime provideas, prout in tua prudentia & circumspectione plane confidimus.* Delegavit autem *Julianus* Cardinalis, secundum potestatem a Summo Pontifice sibi collatam *Joannem de Polemar* Capellanum Pontificium, & Sacri Palatii Auditorem, & Magistrum *Joannem de Ragusio* Theologum Parisiensem, Ordinis FF. Prædicatorum Procuratorem Generalem, ad Concilium inchoandum: eique præsidendum, donec ipse præsens esset. Qui cum Basileam die 19. Julii pervenissent, die 23. convocatis paucis illis, qui aliunde accesserant, una cum Clero Basileensi, Concilium inchoarunt, decernentes tamen majorem Patrum numerum ad res tractandas expectandum esse. Post mensem circiter advenit *Julianus* Sedis Apostolicæ Legatus, ac de rebus gerendis trium circiter mensium spatio cum Patribus, qui aderant, consilium init: Scripsitque Epistolam ad Bohemos Concilii nomine 15. Octobris, qua ipsos benigne hortatus est, ut Oratores ad Synodum mitterent, quibuscum de eorum ad unitatem Ecclesiæ reditu pacifice tractari posset, oblato pleno ac sufficienti Salvo-Conductu. Extat inter Epistolas Synodales num. 1. Septimo tandem Idus Decembris, primam Concilii Sessionem ad 19. Kalendas Januarii indixerunt. Patribus itaque statuta die congregatis in Ecclesia Cathedrali Basileensi, *Philibertus* Constantiensis Episcopus in Provincia Rothomagensi, Sacris operatus est: cumque Legatus Apostolicus in hæc verba, *Mundamini qui fertis vasa Domini*, Sermonem habuisset; idem Præsul suggestum ascendit, & sacrosanctæ Synodi Basileensis *universalem Ecclesiam repræsentantis, in Spiritu Sancto legitime congregatæ*, nomine, legit primo Decretum *Frequens*, Concilii Constantiensis, de Conciliorum Generalium frequenti celebratione. Secundo expositum quomodo Papiense Concilium in hujus executionem Decreti celebratum esset. Tertio, legit Instrumentum electionis civitatis Basileensis pro Generali Concilio celebrando factæ a Synodo Papiensi. Quarto, *Martini V.* Diplomata & Literas legationis *Juliani* Cardinalis: Quinto, literas *Eugenii quarti* eamdem legationem confirmantes. Sexto Decretum quo declaratum est, cum civitas Basileensis locus esset celebrationi Concilii Generalis deputatus, jamdiu tempus præstitutum adesset, *Sacrosanctæ Sedis Apostolicæ non deesset auctoritas*; in ea civitate & loco, Gene-

Concilii inchoatio.

Generale Concilium stabilitam canonice & fundatum esse, tenerique omnes ad illud accadere, tam Prælatos, quam cæteros, qui de jure vel consuetudine Generalibus Conciliis adesse debent. Septimo, alterum Decretum quo Synodus in hæc tria toto sollicitudinis studio incumbere se velle significavit, in extirpationem hæresum, Christiani orbis pacem & morum reformationem. Octavo Concilii Toletani XI. Decretum de ordine Concilii recitatum est. Nono, Synodus decrevit per quoscumque actus, titulos, honoris in sessione, aut aliis quibuscumque eahibitiones, per quoscnmque Prælatos, Principes, vel eorum aut Universitatum nuntios, nulli jus novum acquiri,' nulliusque jus in proprietate vel possessione lædi. Decimo, Concilii Constantiensis Decretum contra eos qui venientes ad Concilium, stantes, vel redeuntes impediunt, vel molestia afficiunt, confirmatum & promulgatum est. Undecimo, comminationes pœnarum intentatæ Concilii perturbatoribus. Duodecimo, Suppositis Concilii fructus omnium, quæ possidebant, Beneficiorum sunt attributi, ae si in iis manerent. Tandem Concilii Officiales & Ministri electi sunt.

Modus procedendi in Concilio Basileensi.

IV. Hic autem ordo in Concilio constitutus fuit ac servatus, ut quatuor Nationes, Italica, Gallicana, Germanica, & Hispanica in quatuor Conventus distribuerentur, quos *Sacras Deputationes* appellarunt, quibus propria indita nomina, secundum negotia ipsis demandata, scilicet *Fidei*, *Pacis*, *Reformationis*, & *Communium*. Pari numero, ex omni Ordine constabant, propriisque Magistratibus ac Ministris, Præside, Promotore, Notario. Ter in hebdomada conveniebant iisdem horis, propriis in Prætoriis, ubi re divina confecta, negotiis operam dabant. Ea quatuor deinde Conventibus Duodecimviri deputati, terni ex singulis, doctrina & rerum gerendarum peritia clariores, quorum Magistratus menstruus erat: finito mense quatuor ea antiquis remanebant, qui octo recens adlectos dirigerent. Et hi ter in hebdomada conveniebant; ad hosque primum omnia negotia referebantur: eaque prius discussa vel rejiciebant, vel ad quempiam ea conventibus remittebant. Eratque Duodecimvirum Præsidi potestas, cum aliquid gravioris momenti urgeret, quatuor Conventus extra Ordinem convocandi. Quæ vero ab iis ad quempiam ea Conventibus referebantur, ab illius Conventus Præside proponebantur. Non licebat porro de propositis quidquam prima die decernere, nisi necessitas urgeret, sed ad aliam Congregationem res erat differenda, ut de ea singuli deliberare consultius possent. Statuta communi consilio in aliquo ex tribus Conventibus, ad alios tres Conventus deferebantur, cum rationibus cur ita deliberatum esset, Si vero duas in sententias abiisset Congregatio, quamvis altera numero superior esset, deferebantur a duobus ea utraque opinione; cum argumentis quibus nitebantur, ut omnium Judiciis cognitis, quod optimum erat, decerni posset. Primum tamen Conventum illum consuli oportebat, ad quem res ipsa spectabat, de qua in Generali Conventu erat decernendum. Concilii Præses nihil ad Patres referre poterat, nisi de quo prius a quatuor Conventibus seu Deputationibus deliberatum esset, aut saltem a duobus, si quid novi emergeret, quod moram non pateretur. Pridie quam Generalis Conventus haberetur, quatuor Deputationum Præfecti Concilii Præsidem adibant, & in suis Conventibus deliberata exponebant. In quibus si omnes communiter, aut tres saltem Conventus consentirent, ad Concilium referebatur. Demum quod approbatum erat in Conventu seu Congregatione Generali, id in formam Decreti redactum, in publica universi Concilii Sessione ritu solemni statuebatur ac promulgabatur. Ista constant ex *Augustino Patritio*, cap. 16. Quæ ideo observavi, ut non tumultuose, sed ordinate condita Concilii Basileensis Decreta, saltem ante illius translationem Ferrariam, omnibus innotescat.

JOANNIS DOMINICI MANSI

Nota.

QUamquam pauca sunt quæ hic animadvertere necesse sit, attamen dare quædam juvat ut accuratius Basileensis Concilii historia tradatur. Hæc igitur adnotatio in Cod. Passioneo legitur: *Anno Nativitatis Domini millesimo quadringentesimo, trigesimo primo, vigesima quinta die Mensis Junii, Indictione nona, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris ac Domini nostri, Domini Eugenii Divina providentia Papæ IV. anno ejus primo Reverendissimus in Christo Pater & Dominus Dominus Julianus S. Angeli Diaconus Cardinalis A. S. L. auctoritate f. r. Martini V. & Sanctissimi Domini nostri Eugenii Papæ moderni, factum prædecessoris sui confirmantis & ratum habentis, juxta statuta & ordinationem Constantiensis & Senensis Conciliorum, Venerabiles viros Magistrum Joannem Polemar, Palatii Apostolici Causarum Auditorem, & Joannem de Ragusio in Theologia Magistrum, & Ordinis FF. Prædicatorum Procuratorem ad civitatem Basileensem pro ibidem inchoando Concilium Generale destinavit. Qui autem die ingressi, post Missam de Spiritu Sancto solemniter in Ecclesia Basileensi cantatam, & aliis ceremoniis devote peractis, Concilium Generale in eadem civitate esse prædicaverunt, Domino Cardinali intra Bohemiam, & circa fines ejus super extirpationem hæresum Hussitarum se invicem sollicite occupanta &c. & sic decreverunt de die in diem.*

Item in alia adnotatione hæc mihi occurrerunt quæ omisisse displicerent: „ Anno Domini millesimo „ quadringentesimo trigesimo tertio, die solis, quar„ta Januarii, Ambassiatores Bohemorum & Marchio„natus Moraviæ in numero nonaginta, inter quos „ fuerunt duo milites, Magister Joannes de Rochu„aana, Procopius, & Magister Petrus de Anglia ve„nerunt Basileam ad Sacrum Concilium, propter eo„rum reductionem cum pleno mandato informan„dum, diffiniendum sive concludendum &c. circa ho„ram Vesperarum. Venerunt principaliores in navi „ per Renum cantantes primo: Tu Rex gloriæ Chri„stus: deinde, da pacem, Domine, in diebus nostris, „ alta voce.

Juvat hic pariter adnotare nonnulla quæ legisse mihi occurrit in scripto quodam Nicolai Abbatis de Muniacis, qui sub nomine Panormitani magis claret, ejusque auctoritas & scientia a P. Alexandro in Articulo III. maxime probatur, utpote qui assertorem se maximum præbuit potestatis Concilii supra Pontificem; & hæc ille quidem postmodum; verum cum anno 1433. ab Eugenio missus Legatus Basileam venisset, cum primum ad Concilium admissus est inter cætera diserte asseruit „ quod ex causa rationabili ac „ aliis nota potest Papa expresse venire contra consti„tutionem Concilii etiam Universalis statum Eccle„siæ concernentem, ut notanter sentit Innocentius „ (IV.) & omnes scribentes post eum in cap. IV. „ de Consecr. & Gloss. ordin. in cap. Ubi periculum „ de elect. Lib. VI. quæ dicit, Papam posse de ple„nitudine potestatis prorsus tollere constitutionem Con„cilii, licet de honestate non debet absque convoca„tione Concilii hoc facere. Et idem sentit Gloss. „ præterquam in articulis fidei in c. Sicut XV. d. „ Et in hoc casu, causa rationabili subsistente, indi„stincte possunt jura intelligi, quod Papa de necessi„tate non subjicitur Conciliis; immo ejus auctoritas „ intelligitur excepta, ut in C. Significasti, de elect. „ & XXV. *quæst. I.* in C. Ex his. „ Ita Panormitanus pro Eugenio legatione fungens; aliter vero sensit cum Basileensis Concilii Legatum agebat. Cui te fidas; opposite in hanc rem loquutus est Felinus Sandeus qui in suo codice, in quo continebatur Oratio quædam Panormitani, a me vulgata supplem. tom. IV. pag. 1352. hanc adnotationem subjecit; „ Improbabat Cardinalis ille (Oliverius) factum Eugenii „ IV. qui cum aliis qui Concilio Basileensi interfue„rant eas dignitates indulsisset, quas a Concilio ob„tinuerant; togatus tamen pro Panormitano, in cœ„tum Cardinalium adlecto a Felice Antipapa, inexo„rabilem se præbuit; & male secundum præfatum „ D. Neapolitanum; quoniam debuisset eum depone„re ad Cardinalatum; & hæc omnia correxisset.

ARTICULUS III.

Quamvis Eugenius Quartus Basileense Concilium statim dissolvere tentaverit, stetit tamen illius, seu Oecumenici Concilii inconcussa & Eugenio superior Auctoritas, donec Ferrariam translatum est: Conciliique Constantiensis Decreta de Suprema Generalium Conciliorum Auctoritate, non solum Schismatis, sed quovis tempore, a Basileensi egregie explicata sunt, & invictissimis Argumentis ac Decretis totius Mundi reverentium postulantibus confirmata.

Rationes qua Eugenium IV. adConcilii dissolutionem movent.

I. VIx celebrari cœperat Synodus Basileensis, cum illius dissolutionem *Eugenius Quartus* decrevit, Legatum revocavit suum *Julianum* Cardinalem; aliudque Concilium Bononiæ, post annum cum dimidio celebrandum indixit, cui se cum Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus adfuturum pollicitus est. Tum decennio post finem Bononiensis Concilii aliam Synodum Avenione congregandam edixit. Causas porro hujus dissolutionis & revocationis has attulit. Patres exiguo numero non supra decem, Basileam convenisse, quamvis tempus præscriptum septennii ante menses octo esset elapsum: neque æquum videri ut ab Episcopis tam paucis Leges Ecclesiæ præscriberentur universæ. Rigere hyemale tempus, nec spem esse ut plures veniant: bellum inter *Philippum* Burgundiæ & *Fridericum* Austriæ Duces flagrans omnem circum Basileam regionem incendere, vexare, populari; proinde non posse Patres illuc tuto congregari, multos convenire non posse; paucos tantis & tam multis rebus agendis non sufficere. Jampridem sub *Martino V.* Pontifice Maximo de Ecclesiæ Orientalis cum Occidentali conjunctione actum. *Joannem Palæologum* Imperatorem, & *Joseph* Constantinopolitanum Patriarcham, Oratores ad se Romam misisse, qui executionem Conventorum cum *Martino V.* Ecclesiæ Græcæ nomine exposcerent. Expedire admodum Reipublicæ Christianæ hanc Græcorum Latinorumque conjunctionem & consensionem: Illis Basileam adire haud facile esse: Ex tribus Italiæ Civitatibus oblatis, Roma, Bononia, & Ancona Bononiam elegisse: tam auspicatam occasionem negligendam non esse, nec spernendam tot animarum salutem. Non posse rursus vocari Patres ad Concilium Basileense sine temporis prorogatione. Interea diem Græcis assignatam imminere; eodem tempore duobus locis Ecclesiam congregari non posse quasi in Concilio Generali; & bis convenire, laboriosum omnibus, & plerisque impossibile futurum. Audivisse præterea, Basileenses Patres hæreticos Bohemos publice ac legitime damnatos Constantiensis ac Senensis Conciliorum Auctoritate, iterum ad disputandum & contendendum super damnatis Articulis provocasse in dedecus & contemptum Apostolicæ Sedis, Sacrorum Conciliorum, SS. Patrum, Decretorum, & Imperialium Legum, jubentium damnatos Hæreticos non audiri. Ad hæc adversam valetudinem causatus est, per quam tam longum iter conficere non liceret, Roma scilicet Basileam: & gravia, quæ imminerent, negotia præsentia Pontificis & sacri Senatus admodum indigere. Si ad annum cum dimidio Synodus differatur, fore ut recuperata valetudine, ad locum viciniorem & ipse cum Romana Curia facile accedat, & tempore magis opportuno Orientales & Occidentales conveniant frequentiores. Adesse præterea plures alias causas, quæ id fieri suadeant, quas Literis explicare tutum non esset, nec Reipublicæ expediret omnibus esse notas, eas venturas in lucem cum tempus fuerit. Hæc & alia *Eugenius IV.* tum in Diplomate dissolutionis dato Romæ 2. Idus Februarii anno 1431. & ad *Julianum* Sedis Apostolicæ Legatum & Concilii Præsidem misso, quod incipit: *Postquam divina clementia*: tum altero Diplomate ad universos Christi Fideles, dato 15. Kalendas Januarii, anno 1. Pontificatus, quod incipit: *Quoniam alto*: quorum summam refert *Augustinus Patritius* Cap. 4. Legi possunt hæc Diplomata in Appendice prima Concilii Basileensis, Num. 51. & 52. Tom. 12. Conciliorum Editionis *P. Labbe*. Scripsit etiam ea de re Pontifex ad *Sigismundum* Romanorum Regem, & Schedulam causas dissolutionis continentem literis suis inseruit. *Licet*, inquit, *in proposito constantes simus & putemus Concilii celebrationem necessariam esse: Tamen certis rationabilibus causis inducti, in Schedula præsentibus interclusa denotatis, de eorumdem Fratrum consilio, hujusmodi Concilium, si quod congregatum esse videatur, dissolvendum esse mandavimus, & juxta tenorem dictæ Schedulæ dissolvimus: & in civitate nostra Bononiensi, usque ad annum cum dimidio a die dissolutionis hujusmodi computandum, celebrandum esse decrevimus.*

Sigismundi Augusti monita ad Eugenium de revocandis dissolutionis Diplomatibus.

II. Acceptis *Eugenii* Literis, *Sigismundus Augustus* alias ad ipsius Sanctitatem scripsit Placentiæ datas anno 1432. die nona Januarii, quibus Monita quædam seu (ut tunc loquebantur) *Avisamenta* adjunxit, attentatam ab eo Concilii dissolutionem spectantia. Mirari se vehementer significat infaustum illud de Concilii dissolutione Decretum, quod videret *calamitates innumeras, discriminosa pericula atque scandala tati Christianismo exinde successura, & Fidem Catholicam per hoc indubie fundamentaliter enervari.* Quamobrem ipsum rogat ut Synodum Basileæ celebrari sinat & absolvi, cum negotium reductionis Græcorum in aliud tempus magis opportunum differri possit ac debeat, quousque dissensio de fide, morumque corruptela apud Latinos sublata sit: alioqui hæc magis Græcos ab unione alienatura. Quod vero Pontifex in Literis revocationis adversus Patres Basileenses expostulasset, quod Bohemos Hussitas ad disputationem de Fidei Capitibus inter ipsos & Ecclesiam Catholicam controversis, & in Concilio Constantiensi damnatis provocassent: respondet Cæsar: Nec eam esse mentem Concilii, nec suam, sed ut veniant edocendi a Synodo, prout *Martinus V.* pluribus Epistolis suis tam ipsi *Sigismundo*, quam Poloniæ Regi faciendum præscripsit. Si vero Concilium dissolvatur, jactaturos Hussitas, Catholicos fugere, & Ecclesiam eorum rationibus quodammodo succubuisse. Ubique vulgatum, Sacrum Concilium pro reformandis Cleri Populique Catholici moribus congregatum; si dissolvatur, metuendum esse ne Laici in Clericos irruant, qui Conciliorum indictione & dissolutione orbi Christiano illudant. Rogat itaque Christi Vicarium ne dissolutionem urgeat, sed Literas de ea datas revocet, irritasque declaret, aliis ad Præsidem Conciliumque scriptis, *ut nullatenus dissolvantur, sed in nomine Domini, in quo congregati sunt, incœpta feliciter perficiant.* Literæ & Avisamenta *Sigismundi* Imperatoris ad *Eugenium* IV. habentur in Appendice prima Concilii Basileensis Num. 69. & 70.

Juliani Cardinalis ad Eugenium quartum litera dissolutionem dissuadentes.

III. Sed longe vehementius ad Pontificem scribens *Julianus* Cardinalis, easdem & alias causas explicat, propter quas Concilium dissolvi non possit sine gravi scandalo & periculo fidei. „ Quanta, *inquit*, hinc scan„dala sequantur, & quam prope sit eversio fidei, au„scultet patienter Sanctitas vestra. Primo, vocati sunt „Bohemi ad istud Concilium. Literas vocationis alias „misi Sanctitati vestræ: Hoc factum quilibet probat, „tamquam salubre & necessarium: ut postquam armis „toties frustra certatum est, alia via tentetur. Jam „Literæ iverunt Pragam, & Pragenses respondent „Egrensibus, prout continetur in Litera inclusa: spe„ratur quod venient. Si Concilium dissolvitur, quid „dicent Hæretici? Nonne Ecclesia fatebitur se esse „victam, cum non ausa fuerit expectare illos quos „vocaverat? ...... Secundo, nonne omnes Fideles, qui „sciunt prædictos Hæreticos esse ad Concilium voca„tos, remanebunt stupefacti, & putantes quod propter „hujusmodi fugam nostra doctrina falsa sit: cum ipsi „non audeamus eam defendere, sequentur hæresim „Bohemorum; præsertim cum illi jam plures, & „nunc proximis diebus, diffuderint per totam Alema„niam Libellos famosos, continentes circiter triginta „Articulos contra Fidem, præsertim contra Statum „Ecclesiasticum, cum multis Auctoritatibus Sacræ „Scripturæ & Sanctorum Doctorum, in quibus ex„presse asserunt, quod nostri Sacerdotes non habentes „quid illis respondeant, numquam voluerunt illis dare „audientiam? ... Tertio, cum sit ubique publicatum „hoc Concilium principaliter esse congregandum pro „Hæresi Bohemiæ extirpanda, quanta postea confusio „& ignominia erit Ecclesiæ, si re infecta recedat? „Quarto, quid dicet universus orbis cum hoc sentiet? „Nonne judicabit Clerum esse incorrigibilem, & velle „semper in suis deformitatibus sordescere? Celebrata „tot sunt diebus nostris Concilia, ex quibus nulla „secuta est reformatio. Expectabant gentes ut ex hoc „sequeretur aliquis fructus: sed si hoc dissolvatur, „dicetur quod nos irridemus Deum & homines „. Quæritur præterea frustrari spem pacis Christianorum Principum, item subsidii a Concilio procurandi Exercitui Germanico adversus Bohemos ituro. „ Putabam, „*inquit*, quod Sanctitas vestra mitteret mihi subsidium „petitum, & nuntiat ut practicem dissolutionem „Concilii. Et si dicat mihi Sanctitas vestra, Habui„mus guerram: ergo respondebo, Quod etiamsi guer„ræ adhuc durarent, etiamsi essetis certi perdere Ro-

„ mam

„ mam & totum Patrimonium Ecclesiæ, potius subveniendum esset Fidei & animabes, pro quibus Dominus noster Jesus Christus morteus est, quam arcibus & mœniis Civitatum. Charior est Christo una anima, quam non solum Patrimonium temporale Ecclesiæ, sed etiam cœlum & terra. Principale officium vestrum, Beatissime Pater, est salvare animas imitando vestigia Christi. Eugenii *mutatione plurimos offendi significat, ejusque timorem discutit.* Cur Sanctitas vestra se mutavit? Scripsit mihi ut venirem huc, & juxta injuncta mihi & ordinata in Concilio Constantiensi opportune providerem: ita facere curavi. Si Sanctitas vestra habebat hunc animum tam cito dissolvendi, melius fuisset non incipere. Quid timet Sanctitas vestra? Quoniam tam munde, tam juste vixit, quod potius alii deberent illam timere, quam ipsa alios “. Terruerunt aliqui *Eugenium* proposito periculo, ne Concilium specie Reformationis, ut Hussitarum ora obstrueret, temporalitatem tolleret ab Ecclesia. Inanem hunc esse timorem ostendit quod verisimile non sit Ecclesiasticos Viros, in fidei, suique detrimentum consensuros. „ Deinde, *inquit*, non puto quod hoc Concilium sit futurum majus quam Pisanum, vel Constantiense: nec tamen ibi fuit tractatum per Concilium an temporalitas debeat ab Ecclesia tolli. Puto usque ad hanc diem a Passione Domini fuisse circiter centum Concilia celebrata, & in nullo eorum hoc fuit agitatum. Quomodo timendum est, quod in isto auferri debeat? Nec etiam umquam fuit aliquod legitime congregatum Concilium, in quo Spiritus Sanctus permiserit aliquid contra fidem determinari: cur timendum est contrarium in hoc? Hoc est diffidere Spiritui Sancto “. Metum incusserant alii imminutionis Auctoritatis Pontificiæ per Concilium. Et hunc male fundatum ostendit. Spiritum Sanctum enim minime permissurum, ut Synodus contra Canonicas Sanctiones, Decretaque Sanctorum Patrum aliquid faciat. Monet Summum Pontificem ut Curiam reformet, prout laudabiliter inchoavit, & Patres non solum conservaturos Auctoritatem Sedis Apostolicæ, sed aucturos: *Quoniam utilius est membris, quanto caput est potentius ac fortius, ut major vires diffundatur in membra.* Si vero Concilium dissolvatur, id quod timet Pontifex, eventurum. Cum suspicio orta est de Concilii dissolutione, Patres omnes vehementer commotos, animum obfirmasse ad Concilii continuationem, & ad quævis adversa sustinendum prius quam recedant. Præter explicata pericula aliud imminere gravius, videlicet *Schismatis*. Numquam Patres consensuros „ nec prorogationi, nec translationi: quia „ (ut dixerent) Decretum Constantiæ hoc expresse prohibet. Item visi sunt expresse protestari, quod procurare talia est impedire extirpationem hæresum, reformationem morum, & quietem populi Christiani, & consequenter fovere hæreses, peccata, guerras, & odia. Sanctitas vestra non permittat talia sibi persuaderi; quia timeo dissidium in Ecclesia Dei; vereor ne advenerit tempus de quo dicit Apostolus: Quod oportet primum ut fiat discessio. Alias rationes dissolutionis Concilii ab *Eugenio* allegatas falsas maxima ex parte esse probat: nullam inferri molestiam venientibus ad Concilium; pactas esse inter Duces Burgundiæ & Austriæ inducias: Cives Basileenses, vicinosque, esse egregie Catholicos, & erga Concilium optime affectos. Non immerito itaque persuasum esse Patribus plerisque dissolutionis Literas subreptitias esse. Ob negotium reductionis Græcorum non esse omittendum Concilium, quo soluto periculum erit ne Germania in hæresim Bohemorum labatur. Istam cantilenam de Græcis jam trecentis annis durasse, & singulis annis renovari. Bonum utrumque fieri posse, Basileense Concilium nunc tempore statuto, aliud pro Græcorum unione post annum cum dimidio. Rogat & obsecrat Pontificem, ut Concilium continuari jubeat, mandetque Tarentino Archipræsuli ne Literas dissolutionis publicet: Differat saltem ad mensem Julii, donec quæ in Synodo cœpta sunt, & quæ maxime sunt e Christianæ rei bono ad finem perducantur. Denique satis se clamasse dicens, & raucas factas esse fauces suas; Christum invocat ut adjuvet Ecclesiam suam, quam pretioso sanguine fundavit; monetque nihilominus *Eugenium*, quod si ipse Basilea discedat, aut Concilii Præsidentiam dimittat, Patres alterum statim Præsidem creabunt *Auctoritate Concilii*. Quidquid vero actum hucusque est, *secundum dispositionem Juris communis & formam Conciliorum Pisani & Constantiensis, & Bullam Martini V. cum Patrum consensu* factum esse. Edita est hæc *Juliani* Cardinalis Epistola inter Opera *Æneæ Silvii*, pag. 64. & in *Fasciculo rerum expetendarum*.

Append. 1. Conc. Basil. N. 11.

IV. Ne vero his dissolutionis rumoribus, aut *Eugenii* Literis, Præsules, aliique a Concilii Basileensis aditu deterrerentur, scripsit Synodus Literas Encyclicas die 21. Januarii ejusdem anni 1432. quæ incipiunt, *Zelus domus Dei* sic inscriptas; *Sacrosancta Generalis Synodus Basileensis, in Spiritu Sancto legitime congregata, universalem Ecclesiam repræsentans, universis Christi Fidelibus salutem, & omnipotentis Dei Benedictionem.* Falsos de Concilii dissolutione rumores sparsos ait, convenisse Patres Basileam in Spiritu Sancto, *Tam Generalium Conciliorum Constantiensis & Senensis, quam Martini V. & Eugenii IV. Auctoritatibus expressis, & specialibus repetitis Mandatis*, Sedis Apostolicæ præesse Legatum; Non esse credendum *Eugenium* Pontificem Sanctissimum & integerrimum, auditis maxime Concilii Oratoribus tot Majorum & sua Decretis obviare velle; cum ad Romanum Pontificem *principaliter pertineat extirpare hæreses, reformare mores corruptos, & procurare pacem in populo Christiano.* Decrevisse Patres in hoc Sancto Concilio firmiter permanere, & accedente gratia Spiritus Sancti diligentissime laborare ad hæc sancta opera perficienda. Proinde Prælatos omnes, & cæteros qui de jure vel consuetudine ad Sacram Synodum Generalem accedere tenentur, rogare, eisque sub pœnis juris ac sub debito juramenti præcipere, ut ad Synodum accedant, aut Procuratores mittant insignes pietate doctrinaque viros.

Encyclicæ Concilii literæ.

Ecclesiæ Gallicanæ studia & Acta pro Concilii Basileensis continuatione.

V. Interea Clerus Gallicanus contrariis Romani Pontificis & Basileensis Concilii Mandatis vexatus, jussu *Caroli Septimi* Regis Christianissimi ad 3. Kalendas Februarii Avarici Biturigum congregatus, declarat Concilium Basileense legitime convenisse, ejusque celebrationem non solum honestam & utilem, sed penitus necessariam, ob res præsertim Bohemicas. Visis Papæ Mandatis & rationibus pro dissolutione Concilii, ac Responsionibus Patrum Basileensium, Regi supplicat Ecclesia Gallicana, et *Progenitorum suorum more Schismata extinguentium, & Ecclesiam depressam sublevantium*, his occurrat, ut prius extinctum quam natum malum videatur. Ejus præterea Majestatem obsecrat, ut *pro se & Ecclesia Gallicana* Oratores mittant ad *Eugenium*, rogaturos ut *pro Fidei necessitate, pro Religionis Christianæ universali utilitate*, celebrari & continuari jubeat idem Concilium Basileense, obstruendo ora in Fidem Orthodoxam, suamque Sanctitatem malignantium. Item ut ejus Majestas scribere dignetur ad Imperatorem, & ad Sabaudiæ ac Mediolani Duces, eosque hortari ut Concilio faveant; nihilque a quovis attentari permittant contra Summum Pontificem, Curiam Romanam, Urbem, vel Patrimonium Ecclesiasticum, unde Papa & Collegium occasionem indignationis, dilationis, suspensionis, mutationisve Concilii captent. Regis porro & Ecclesiæ Gallicanæ Legatio demandata est *Amedeo de Talaru* Archiepiscopo Lugdunensi. Regem etiam rogat Clerus Gallicanus, et Oratores mittat ad Synodum Basileensem, *Intentionem Regiam & Ecclesiæ Gallicanæ factam* nuntiaturos: Prælatosque ad eam proficisci permittat; Tandem quarta pars unius decimæ a Clero exigendæ in sumptus istarum Legationum destinatur; *Ita tamen quod cum de Jure communi, etiam ex Beneficio Concilii Constantiensis, Papæ non liceat imponere Decimam aut partem ejusdem Clero universaliter vel particulariter, nisi Sacro Generali approbante Concilio, aut de consensu Cleri ejusdem: Rex non patiatur Clerum Regni aut Delphinatus gravari auctoritate Apostolica alia Decima vel parte ejusdem.* Illa constant ex Instrumento cui titulus est: *Avisamenta prolocuta per Dominos Prælatos, & alios Clerum Regni Franciæ & Delphinatus repræsentantes, qui Bituris convenerunt ad Mandatum Domini nostri Regis die 26. Februarii 1431. præfati Domini nostri Regis, & sui Magni Consilii beneplacito, voluntate, & correctione in omnibus semper salvis.* Editum est Appendice 1. Concilii Basileensis Tom. 12. Conciliorum Editionis P. *Labbe* pag. 813.

More Gallicano numeratur annus.

Acta Sessionis II.

VI. *Sessio Secunda* Concilii XV. Kalendas Martii celebrata est, in qua decretum ac definitum est, Primo, *Sacram Basileensem Synodum, Sacris Constantiensi & Senensi Generalibus Conciliis decernentibus atque ordinantibus, & Auctoritate Apostolica interveniente, fuisse & esse debite legitimeque ac rite initiatam & congregatam.* Secundo, Declarationes duas ex

Concilii Constantiensis Decreta de Concilio.

Decre-

Eam Generalium auctoritatem, a Basileensi confirmata, & explicata.

Decretis Concilii Constantiensis innovavit & approbavit: Unam qua asseritur: „ Ipsam Synodum Generalem Potestatem immediate a Christo habere, cui quilibet cujuscumqne status vel dignitatis, etiamsi PAPALIS, obedire tenetur in his quæ pertinent ad Fidem, & extirpationem Schismatis, ad generalem Reformationem Ecclesiæ Dei in Capite & in membris". Alteram qua statuitur, non parentes Decretis Concilii Constantiensis, *& cujuscumque alterius Concilii legitime congregati*, gravibus pœnis mulctandos, cujuscumque status vel dignitatis existant, *etiam PAPALIS*. Tertio, eadem Synodus Basileensis decernit ac declarat, „ Ipsam pro hæresum extirpatione ec morum generali Reformatione Ecclesiæ in Capite & in membris, nec non pace inter Christianos procuranda, in Spiritu Sancto legitime congregatam, per nullum qoavia Auctoritate, etiamsi PAPALI Dignitate præfulgeat, dissolvi, aut ad alium locum transferri, seu ad alıud tempus prorogari debuisse aut potuisse, debere aut posse, absque ejusdem Synodi deliberatione & consensu". Quarto, Patres, aut alia Concilii Supposita, *Quavis Auctoritate, etiam Papali*, compelli non posse ut a Concilio recedant, vel ad alium locum, citari aut evocari, *etiam ad Curiam Romanam*, sine deliberatione & consensu ipsius Sanctæ Synodi; vel impediri ne ad eam Synodum accedant. Quidquid in contrarium attentatum fuerit, etiam a Romano Pontifice, irritum declaratur, omnesque Censuras aut sententias hanc ob causam latas nullius fore roboris.

Acta Sessionis III.

VII. *Sessio tertia* die 29. Aprilis celebrata est, in qua superiora Decreta Sacri Concilii Constantiensis de auctoritate *Cujuscumque Generalis Concilii* supra Papam repetita & confirmata sunt: ex quorum vi Synodus *Eugenium IV.* monet ac obtestatur, ut *prætensam Concilii dissolutionem, sicut de facto processit, de facto revocet, & ipsam revocationem, quemadmodum & dissolutionem fecit, per diversas Mundi partes transmittat & publicet*: utqoe intra tres menses vel accedat ipse ad Concilium, vel mittat Legatos cum plenaria potestate: „ Alioqui, prout justum fuerit & Spiritus Sanctus dictaverit, necessitatibus Ecclesiæ providere curabit: & procedet secundum quod Juris fuerit divini pariter & humani". Monet etiam Cardinales ut intra idem spatium ad Concilium veniant, Canonico impedimento cessante; alioqui contra contumaces aget, prout ordo Juris postulabit.

VIII. Hæc Decreta, modusque agendi Concilii Basileensis luculentissime probant Decreta Concilii Constantiensis Sessionibus 4. & 5. de Synodi Generalis potestate immediata a Christo accepta, & de Auctoritate Concilii Generalis supra Romanum Pontificem, non ad tempus demtaxat Schismatis restringi debere, sed sempiternæ veritatis esse; nec dubios tantum Pontifices, sed veros ac legitimos, qualis erat *Eugenius IV.* spectare; nec amplius ab una solum Obedientia condita dici posse, ex quo a Synodo Basileensi, Præside *Juliano* Sedis Apostolicæ Legato, universalem Ecclesiam repræsentante, summo Patrum consensu condita sunt: ut exsufflari non immerito debeant inanes *Joannis* Cardinalis *De Turrecremata* objectiunculæ, Lib. 2. Summæ *De Ecclesia*, Cap. centesimo. Mirari sane subit, quomodo celeberrimus Auctor hæc Decreta *Ad favorem quorumdam hostium Sedis Apostolicæ, cum multitudine Populi parvi pretii, & nullius auctoritatis publicata* scribere potuerit, quæ auctore *Juliano* Cardinali Sedis Apostolicæ Legato, eidemque Sedi semper addictissimo, Concilii Præside, aliis Cardinalibus, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus omnium Nationum suffragantibus, Doctoribus florentissimarum Academiarum consolentibus, edita & promulgata sunt, ac frequenter, & perseveranter inculcata, ut ex serie istius Dissertationis magis elucescet.

Cardinalis a Turrecremata refellitur.

Julianus Cardinalis dissolutionem Concilii ab Eugenio factam penitus invalidam esse probat. Concilium Summo Pontifice superius esse censet.

IX. Mens porro *Juliani* Cardinalis Legati, Concilii Præsidis clarius apparet ex altera Epistola quam ad *Eugenium IV.* scripsit, acceptis literis Nuntiorum Eugenii missorum de conventione cum Bohemis facta de mittendis ad Concilium Oratoribus. „ Quid amplius (*inquit*) Sanctitas vestra moratur? Conata est quantum potuit, Nuntiis, literis, & variis modis retrahere Prælatos, laboravit pro viribus ut hoc Concilium dispereat: Nihilominus, ut videt, in dies magis augetur; & quo major sit prohibitio, eo magis quilibet in contrarium accenditur. Nam jam hoc est resistere voluntati Dei. Cur provocatis Ecclesiam ad indignationem? Cur irritatis Populum Christianum? Non permittat se Sanctitas vestra a quoquam seduci, incutiente forte timorem ubi timendum non est; aut persuadente non esse hoc legitimum Concilium. Scio me offensurum eamdem Sanctitatem vestram, si velim probare contrarium, sed melius est ut paululum offendam verbis, & prosim factis. Nam Medicus infirmo apponit cauterium urens, & sanat plagam. Non potest medicina prodesse, nisi gustu sit amara. Sub hac confidentia non verebor patefacere veritatem, ut ea cognita, Sanctitas vestra sanctius sibi & Ecclesiæ consulat. Ut hoc Concilium legitimum sit, ex Concilio Constantiensi dependet: Si illud verum fuit, & istud. Nemo autem dubitare visus est an illud legitimum fuerit: similiter & quidquid ibi decretum est. Nam si quis dixerit Decreta illius Concilii non esse valida, fateri necesse habet privationem olim Joannis XXIII. factam vigore illorum Decretorum non valuisse. Si illa non valuit, nec Papæ Martini tenuit electio, facta illo adhuc superstite. Si Martinus non fuit Papa, nec Sanctitas vestra est, quæ per Cardinales ab ipso factos electa est. Nullius ergo magis interest defendere Decreta illius Concilii, quam Sanctitatis vestræ. Et si quodcumque illius Concilii Decretum revocetur in dubium, eadem ratione poterunt revocari & reliqua ejusdem Concilii Decreta; hac eadem ratione nec aliorum Conciliorum Decreta valebunt: Quia qua ratione vacillat fides unius Concilii, vacillabunt reliqua omnia, juxta argumentationem B. Augustini, ut habetur 9. Dist. Cap. *Si ad Scripturas*. Ergo & fides, & omnia Ecclesiæ Sacramenta titubabunt, si de robore unius Concilii legitime celebrati dubitetur. Per Concilium autem Constantiense fuit factum Decretum FREQUENS, in quo statuitur quod primum Concilium fist in quinquennium a fine illius & aliud in septennium. A fine Concilii Constantiensis quinquennio elapso, celebratum est Papiense vel Senense; a cujus fine elapso septennio, cœptum est celebrari istud. Ut quid ergo in Bulla dissolutionis inter alias causas exprimitur quod jam septennium est elapsum; cum necessario labi oporteat, antequam possit celebrari?

Et infra: „ Nunc (*inquit*) restat dicere an dissolutio valuerit. Iterum vereor loqui, timens irritare Sanctitatem vestram: sed Charitas me cogit. Nam forsitan Sanctitas vestra credit dissolutionem valere, & propterea in illa perseverat: ex quo cum multa scandala possint contingere, remordet me conscientia ne taceam. Imprimis, caput, FREQUENS, videtur innuere quod non: Nam si prohibetur prorogatio, quod est minus, multo magis dissolutio, quod est plus: Plus enim est auferre, quam differre: Prorogando differtur, dissolvendo aufertur. Item isti dicunt, quod facile prædicta Constitutio capitis, FREQUENS, redderetur frustratoria: Quia ut primum inchoatum esset Concilium, posset re infecta dissolvi, sicut dicitur factum esse Senis: & nunc dicunt etiam Sanctitatem vestram sinistre & subreptitie in causa dissolutionis fuisse informatam. Dicunt etiam prædictam dissolutionem evidenter tendere in eversionem Fidei, & ruinam Ecclesiæ, & perturbationem Populi Christiani: Ergo fieri non posse nec parendum fore. Afferunt etiam prædictam dissolutionem fieri non potuisse, obstante quodam Decreto Constantiensis Concilii, Quod in his quæ pertinent ad Fidem, & extirpationem Schismatis, & ad Reformationem Ecclesiæ in Capite & in membris, quilibet cujuscumque conditionis, ETIAM PAPALIS, tenetur obedire Statutis & Ordinationibus, Præceptis, CUJUSCUMQUE CONCILII GENERALIS: & nisi obediret, puniatur, &c. Ecce posse statuere in aliquem, posse præcipere, posse punire non obedientem, signa sunt evidentia superioritatis in his quibus statuit, præcipit aut punit. Teneri autem obedire, subjici, ac parere, signa sunt inferioritatis in prædictis casibus. Ergo in prædictis casibus, cum Papa (ut dicunt) sit inferior Concilio, quod etiam facto probatum fuit (Nam propter unum de tribus casibus Concilium privavit Joannem, & propter alterum privavit Benedictum) non poterit Papa dissolvere Concilium: Quia inferior, in eo quo est inferior, non potest solvere vel ligare Superiorem: (ut in Capite, *Cum inferior, de Majoritate & obedientia*, cum similibus Juribus) nec tollere legem Superioris. Alioquin implicaret contradictionem; tenetur obedire, & non tenetur obedire, quia potest dissolvere. Quomodo autem obedieret Ordinationi vel Statuto Concilii, si illam Ordinationem vel Statutum potest tollere vel annihilare? Concilium autem hoc congregatum est pro-

„ pter

„ pter extirpandas hæreses, faciendam pacem, reformandum mores: & in prima Sessione ordinavit & statnit ad ista debere intendi: & quod procurans impedire hoc Concilium, dissolvere, vel prorogare, vel mutare, severiter possit puniri, & procedi tamquam contra turbatorem communis pacis; &c. Si autem dissolvi potest, constat quod non obeditur prædictæ Ordinationi. Unde apparet hoc necessario fateri, quod prædictum Decretum Constantiensis Concilii non valeat. Item probatur hac alia ratione: Nemo dubitat, si contra aliquem Summum Pontificem ageretur de hæresi, quod ipse non posset Concilium dissolvere: quia si posset dissolvere, non posset judicari, quod esset contra Caput, SI PAPA, Dist. 40. Ergo sicut in hæresi, sic in aliis duobus casibus: Isti enim tres parificati sunt per Concilium Constantiense. Et, ut prædixi, facto Concilium Constantiense approbavit hanc sententiam: quia propter Schisma privavit Petrum de Luna, & propter deformitatem vitæ privavit Joannem. Et si qua Jura reperiuntur quæ dicunt, *Prima Sedes non judicatur a quoquam: & Primam Sedem nemo judicat: &, Nemo sibi dicit, cur ita facis?* intelligenda sunt his tribus casibus exceptis: in principio, de fide provisum fuit per Caput: *Si papa*: in aliis duobus, per Decretum Constantiense. Alioqui si sine ulla exceptione intelligeretur illud, *Prima Sedes*, &c. tunc Caput, *Si Papa* 40. *Dist.* & prædictum Decretum Constantiense, essent falsa. Et si Caput, *Si Papa*, addidisset causæ hæresis istos duos casus, nemo dubitaret de prædicta sententia. Sic etiam nemo debet dubitare de Decreto Concilii, quod factum est Auctoritate Papæ, & repræsentat universalem Ecclesiam. Et si dicatur, In Conciliis intelligitur excepta Auctoritas Papæ: Respondeo, illud verum est, quando persona Papæ specialiter non includitur: sed si specialiter includitur, non potest excipi: quia saperet contradictionem: Hæc dixi, Beatissime Pater, Deus est mihi testis, cum displicentia animi, sed cogor ita dicere, ut Sanctitas vestra desinat a prædicta dissolutione, ne contingant infinita mala in Ecclesia Dei. Si Sanctitas vestra videret puram mentem meam & mundam conscientiam, & integrum animum quo talia scribo, oscularemini me ea nimia charitate, & procul dubio me ut filium diligeretis. Dixi sæpe & jam dico & protestor coram Deo & hominibus, quod causa eritis Schismatis & multorum malorum si non mutaveritis consilium. Data est hæc Epistola Basileæ die quinta Julii anni 1442. Habetur in Actis MSS. Collegii Navarrici Parisiis, & inter Opera *Æneæ Silvii* pag. 75. nec-non in *Fasciculo Rerum expetendarum*, edita est. Ex ea vero liquet, tam probatos non fuisse a *Juliano* Cardinali, Sedis Apostolicæ Legato, vel a Synodo Basileensi, cujus ingenium & os erat, qui Decretorum Concilii Constantiensis Sessione 4. & 5. de auctoritate Conciliorum Generalium, quasi dubiæ sint auctoritatis, ac minus approbata, robur infringunt, aut ad solum Schismatis tempus detorquent, quam non probantur ab Ecclesia Gallicana.

Lib. 2. Summa de Ecclesia, Cap. 100.

Respondetur Objectioni Cardinalis a Turrecremata.

X. Nec audiendus est Cardinalis *a Turrecremata*, qui adversus Decreta superius laudata Basileensis Concilii de Synodorum Generalium Auctoritate excipit, quod „ Non fuerunt unanimitate universali conclusa, quia non expectata plene universali Ecclesia, nec integre Synodo congregata: Non enim expectatis plurium Regum & Principum Oratoribus conclusa fuerunt, licet aliquos novetint jam in via constitutos. Unde Basileenses cupidi renovare Decreta sua, postquam sanctæ memoriæ Dominus Eugenius ad Principum preces revocaverat dissolutionem Concilii quam fecerat, timentes Dominorum Castellæ & Angliæ Oratores, quos jam propinquos noverant, pro eorum sapientia & zelo ad fidem, & Apostolicam Sedem, Conclusionibus eorum non præbituros assensum, practicaverunt ut ante adventum præfatorum Dominorum Oratorum, innovatio fieret suorum Decretorum, quod factum est in Sessione " 18. Hæc (inquam) nullius sunt ponderis: Nam cum omnes, quorum interest, ad Synodum Œcumenicam vocati sunt, & statuto tempore inchoata est a Sedis Apostolicæ Legatis, cum eo numero Episcoporum, qui universalem Ecclesiam sufficienter repræsentet, Decreta ab eo condita non minus auctoritatis habent, quamvis alii subinde Præsules, vel Principum Oratores venturi sint, ac etiam itineri jam se commiserint. Alioqui Nestorianæ Hæreseos ab Ephesina Synodo damnatio, Sententiaque in Nestorium lata, irritæ essent; quia *Joanne* Antiocheno Patriarcha & Orientalibus Episcopis non expectatis, quamvis jam iter aggressis, pronuntiatæ sunt ac decretæ: & Concilii Tridentini Decreta & Canones in prioribus Sessionibus conditi, habendi non essent ut Canones & Sanctiones Œcumenici Concilii, quia plures Episcopi maximarum etiam Nationum, præsertim Gallicanæ & Germanicæ, & Regum Oratores non sunt expectati. Si dixeris, reclamasse neminem, & totius subinde Concilii, cum frequentius extitit, consensu priorum Sessionum Decreta fuisse confirmata: Idem de Basileensibus circa Generalium Conciliorum Auctoritatem reponam. Enimvero totidem verbis repetita & confirmata sunt Sessione 18. Synodo jam in integrum restituta ab *Eugenio* Pontifice, & ejus præsentibus, præsidentibusque Legatis. Nec Oratores Regum Castellæ & Angliæ expectare opus erat, qui vi Legationis suæ jus suffragii in constituendis ac declarandis Dogmatibus non habebant. Nec ipsos postea refragatos apparet: Nec verisimile erat dissensuros, si adfuissent; Anglos præsertim, cum *Karolus* Angliæ Rex dissolutionem Concilii ab *Eugenio* attentatam improbasset, Legatos Concilii ad suam Majestatem, scilicet Landensem Episcopum, Præceptorem S. Joannis Hierosolymitani Januensem & *F. Guidonem* Theologum Parisiensem, Conventus Cambesiensis Ordinis FF. Prædicatorum in Sabaudia Priorem, honorifice & peramanter suscepisset, omnemque operam Concilio pollicitus fuisset, ut probant ejus literæ ad *Eugenium* Papam, & ad Synodum editæ post Epistolas Synodales, numer. 18. & 19. Tom. 12. Conciliorum Collectionis Labbeanæ, pag. 790. 791. & 792. Quas ad Synodum dedit, sic inscripsit: „ Sacrosanctæ Generali Synodo Basileensi in Spiritu Sancto legitime congregatæ, universalem Ecclesiam repræsentanti ". Denique Cardinali *a Turrecremata* verba illa *Juliani* Cardinalis in Secunda Epistola superius laudata opponimus: „ Non obstat paucitas personarum: quia ubi est Auctoritas, numerus magnus non requiritur, secundum illud Christi: Ubi duo vel tres convenirent in nomine meo, ibi ego sum; in qua auctoritate fundantur Concilia.

Acta Sessionis IV.

XI. *Sessio quarta* Concilii die 20. Junii ejusdem anni 1432. celebrata est, qua concessus est Bohemis aliisque ad Concilium venire volentibus, commeatus sive Salvus-Conductus amplissimus, qualis in Conventu Egrensi postulatus fuerat. Statutum deinde necubi a Cardinalibus jam ad Synodum vocatis, si forte vacaret Sedes Apostolica durante Concilio, fieret electio Summi Pontificis, quam in loco ipso Concilii. Præterea ne quis prætextu cujuscumque juramenti vel obligationis, aut promissionis se ab accessu ad Concilium dispensatum existimaret, si jure aut consuetudine accedere teneretur. „ Censuras vero & Sententias *quascumque in quosvis ea occasione*, per quemcumque, quavis etiam Romani Pontificis Auctoritate, fulminatas, cum omnibus inde sequutis, aut sequuturis, eadem Sacra Synodus nullas, cassas, & irritas, ac nullius roboris seu momenti existere pronuntiavit, declaravit, & definivit ". Bullam quoque plumbeam seu sigillum ad Literas & Acta Synodi obsignanda fieri statuit, cujus in uno latere missio Spiritus Sancti in specie columbæ; in altero hæc verba: *Sacrosancta Synodus Basileensis*, sculpta essent. Idem statuit ac decrevit, ne durante hoc Sacro Concilio, Romanus Pontifex Cardinales crearet: alioquin eorum creatio irrita esset ac inanis. Denique *Alfonso Carriglia* Hispano, *S. Eustachii* Cardinali, regimen civitatis Avenionensis, & Comitatus Venaisini, Synodus commisit, quousque cum Summo Pontifice per ipsam Synodum, vel aliquo ejus nomine, habito pleniori tractatu, aliter statutum fuisset.

Acta Sessionis V.

XII. *Sessione V.* habita quinto Idus Augusti in Vigilia *S. Laurentii*, constituti sunt Judices in causis Fidei, cæterisque negotiis; aliique Officiarii deputati. Editum præterea Decretum, ut nullus ex Patribus, aliisve Concilii Suppositis, pro quacumque causa seu lite mota seu movenda, aut quavis alia occasione, ad Romanam Curiam, seu coram quocumque Judice Ordinario vel Delegato, extra locum Synodi, illa durante, invitus trahi aut evocari possit. „ Si quid vero in contrarium attentatum fuerit quovis modo per quemcumque, quavis ETIAM SUMMI PONTIFICIS AUCTORITATE, decrevit & irritum & inane.

Orationes Legatorum Eugenii ad Synodum, de supremo

XII. Advenere paulo post Nuncii *Eugenii quarti* Pontificis Maximi ad Synodum, *Andreas* Archiepiscopus Colossensis, & *Joannes* Tarentinus, *Bertrandus* Episcopus Magalonensis, & *Antonius de S. Vito* Sacri

Romani Pontificis auctoritate.

Sacri Palatii causarum Auditor, ac in solemni Conventu auditi sunt: *Andreas* quidem 11. Kalendas Septembris, & *Joannes* octavo; Orationesque luculentissimas habuere. Colossensis quidem recensitis ab Ecclesiæ origine hæresibus, duas potissimum tunc regnare dixit, Græcorum & Hussitarum, quæ nullo pacto extirpari possint, nisi Catholici sint inter se concordes; Apostoli verba ad Corinthios inculcans: *Non sit Schisma in corpore*. Græcorum unionem deserendam non esse, de qua tanta spes affulgeat. Id vero fieri non posse, nisi ipsis colendi Romanum Pontificem exemplum præbeatur. Inveteratos enim Schismaticos ad unitatem Ecclesiæ reduci non posse ab iis, qui novam scissuram moliuntur. Quomodo enim Græcus Romanum Pontificem tam facile a suis contemni videns, eidem honores debitos reddat? De Hussitarum conversione satagendum; sed cavendum Patribus, ne cum exterarum gentium hæreses purgare quærunt, novellos errores domi nutriant. Id igitur summo studio agendum, ut debitus honor ac reverentia Pontifici Maximo, *Quem unicum loco Dei in terris suspicimus*, tribuatur. Sub tali *Religionis Patre & Præsule*, & veterum & recentium hæresum respersa zizania facile evulsum iri, si Patres ejus præcepta justissima tamquam devotissimi filii suscipiant: *Ad quod pium & necessarium opus, & totius Ecclesiæ diuturna consuetudo, & veterum Conciliorum Auctoritas, & Sanctorum Patrum Sententiæ hortantur*. Mores Ecclesiasticos non posse componi, si Schisma fuerit in corpore. Ad eam correctionem hortari *Eugenium*, qui *Petri* Sedem tenet & Fidem, *sine cujus Auctoritate nulla Lex aut Decreta justis roboris habere possunt*. Ipsum Reformationem a se ipso incepturum, si huic publicæ actioni debitus ordo tribuatur. Tarentinus vero Archipræsul de Primatu & auctoritate Summi Pontificis uberius ac luculentius edisserit. *Eugenium verum, indubitatum, atque unicum Dei & Domini nostri Jesu Christi Vicarium, cui soli convenit in altum rete ducere, hoc est in profundum disputationum & difficultatum se immiscere*, ut dicitur 24. Quæst. 1. gravissimis ac justissimis de causis Concilium dissolvisse exponit, Suæ sinet potestatis ea in re transgressum non esse. *Spectare ad Summum Pontificem non solum Generales Synodas convocare, sed & sua Sententia roborare Concilia convocata: alias in irritum labi quidquid præter ejus auctoritatem statuitur; & non proprie Concilia, sed Conciliabula nuncupari*: ut colligitur ex eadem Dist. cap. *Multis*. Magna admiratione dignum esse, quod Summum Pontificem citare præsumpserint, cum Dist. 9. Quæst. 3. scriptum sit: *Nemo Judex judicabit Primam Sedem justitiam temperare desiderantem*: & *Concilium non posse Papam judicare*, ut habetur in Extravag. De Electionibus: *Significasti*. Unde *si totus mundus sentiret in aliquo negotio contra Papam, videtur quod Papæ sententiæ standum esset*, ut colligitur ex 24. Quæst. 1. *Hæc est Fides*. Nec obstare argumentum Glossæ in contrarium: quod *Orbis major est urbe*, 39. Dist. *Legimus*; quia illud intelligitur *cum Papa dissentiret a tota Ecclesia in Articulis Fidei*: 15. Dist. *Sic Sancti*. Caput *Frequens*, editum in Concilio Constantiensi, *non ita arctare Papam, quin possit ex suprema sua auctoritate super loca & tempore celebrandi Concilii dispensare*. Alienum esse a Christiana Religione, Christi Vicarium impetere, & molestia afficere. In memoriam illis revocat cap. *Aliorum hominum*, Dist. 9. Quæst. 3. cujus hæc sunt verba; *Aliorum hominum causas Deus voluit per homines terminari: sed Sedis istius Præsulem suo sine Quæstione reservavit arbitrio. Voluit B. Petri Apostoli Successores cœlo tantum debere innocentiam*, &c. Cum ipsis graviter expostulat, quod contra libertatem, auctoritatem, & potestatem Romani Pontificis plura Decreta ediderint ac promulgarint. Illos commisisse ait in c. *Omnes*, 22. Dist. *Quia quisquis cuilibet Ecclesiæ Jus suum detrahit, injustitiam facit: Qui autem Romanæ Ecclesiæ Privilegium detrahit, ab ipso Summo omnium Ecclesiarum Capite traditum auferre conatur, hic procul dubio in hæresim labitur: & cum ille vocetur injustus, hic dicendus est Hæreticus: Fidem quippe violat, qui adversus illam agit, quæ Mater est Fidei: & illa contumax invenitur, qui eam cunctis Ecclesiis non prætulisse cognoscitur*. Concilii desiderium *Eugenio* & Patribus esse commune. Illum decrevisse ut Concilium Generale celebretur, in quo sua Sanctitas non solum *adesse*, sed & *præesse* vult: statuere *Ut Reformatio a persona sua Sanctitatis inchoetur, non solum a tempore quo ad Summum Apostolatus apicem assumptus est, sed teneræ juventutis, protendaturque ad reliqua totius Romanæ Curiæ membra; demum ad alios mundi Principes atque Prælatos*. Duobus tantum de capitibus Patres Basileenses ab *Eugenii* Decreto dissentire, de loco scilicet, ac dilatione. Æqua offerre Optimum Pontificem; nimirum quemcumque alium in Italia Ecclesiæ immediate subjectum locum; cujus Dominio pro tempore celebrandi Concilii se expoliare decrevit, & sub Concilii potestate ponere. Ad locum vero a Patribus electum confestim Sanctitatem ejus accessuram, Prælatorum multitudinem maximam secum ducturam; alios absque mora convocaturam, ipsos *Eugenii* Nuntios cum Basileensibus Patribus illuc statim properaturos, plenaria præteritorum venia, ac omnimoda libertate & securitate concessis. Editæ sunt Orationes illæ Nuntiorum *Eugenii IV.* in Appendice 1. Synodi Basileensis, num. 44. & 45. pag. 872. & 884. Tom. 12. Conciliorum Editionis Labbeanæ.

Synodi Responsio ad Eugenii Legatos pro auctoritate Conciliorum Generalium.

XIV. Ad hæc prolixam, luculentam, ac splendidam Responsionem dedit Sacra Synodus tertio Nonas Septembris anni 1432. qua Summum Pontificem orat ne *contristet Spiritum Sanctum*, in quem delinquere formidabile est. Nihil porro gravius in Spiritum Sanctum committi, quam perturbare Sacra Concilia *quæ Spiritu Sancto diriguntur*. Id peccatum gravissima pœna dignum esse, cum non in unam personam aut gentem, sed in totum Christi Corpus mysticum perpetretur. Hæc Oratorum *Eugenii*, seu potius Apostoli verba ab ipsis tam crebro inculcata, *Non sit schisma in corpore* ipsimet *Eugenio* inculcari debere, cujus Sanctitatem per diversos Oratores Synodus exoravit, *Ut sicut Catholicum Pontificem decet, velit Catholicæ Ecclesiæ se conjungere, quam hoc Sacrum Concilium repræsentat*. Si quæ scissio sit in Ecclesia, ejus Auctorem censendum *Eugenium*. Quod egregiis demonstratur exemplis. „ Si duo ad certum tempus vel ad „ aliquod complendum opus societatem iniissent, & „ alter eorum ante tempus vel operis finem velit so„ cietatem dimittere, alter autem usque ad finem „ temporis vel operis perdurare, quis horum censen„ dus est societatis scissor ac divisor? Si duobus servis „ mandat Dominus ut in agrum laboratum vadant „ usque ad fructuum tempus, & alter in via retroce„ dit, alius autem in agro laborans usque ad messem „ perseveret, quis eorum alter alterum deserere, & „ quis Domini mandatis obtemperare dicendus est? „ Etsi recedens perseveranti dicat: Recede & tu, „ ne sit divisio inter nos; an debet ille recedere, & „ potius conservo quam Domino parere? Nemo est „ tam hebetis sensus qui non dijudicet . . . . Ecce „ jussu Spiritus Sancti Universale Concilium legitime „ congregatum est ad colendum agrum Dominicum. „ Adest a principio Summus Pontifex per Legatum „ suum, postea, ante finitum tempus, & opere non „ completo recedit, deseritque laborantes in agro Do„ mini. Nunc igitur qui habet oculos videat quis di„ visionem, scissuram, rixam, contentionem, novi„ tatem ac scandalum faciat? Numquid propria au„ ctoritate huc venimus? Si Ecclesia bis congregata „ in duobus Conciliis, si duo Romani Pontifices ita „ statuerunt, si id agimus quod ipse Spiritus Sanctus „ per organum Ecclesiæ decrevit, cur nobis dicitur, „ *Non sit schisma in corpore*? . . . . Olim Papa Jo„ annes XXIII. congregato Constantiæ Concilio inde „ recessit, dans in suo recessu, quantum in eo erat, oc„ casionem dissolutionis prætensæ. Numquid qui Con„ stantiæ remanserunt usque in finem, dicendi sunt „ temerarii & præsumptuosi! Numquid ut sequerentur Joannem dicendum eis fuisset: Recedite hinc „ ne sit Schisma in corpore? An potius finaliter pro„ nuntiatum fuit, recessum suum fuisse illicitum & „ scandalosum? Et quis non videat, plus esse expres„ se conati dissolvere quam solum corporaliter ex „ Concilio discedere? Igitur si hic pronuntiatum sit „ hujusmodi dissolutionem non valuisse, nihil novi „ factum est. Qui usque ad finem Constantiæ perse„ veraverunt, ab omnibus commendati & laudati „ sunt: Sic speramus in Domino contingere his, qui „ hic constanter perseveraverint ". Sibi maxime cordi esse profitetur Synodus conversionem Græcorum & Hussitarum, Colossensem Archiepiscopum rogat, ut suo nomine Legationem ad Græcos pro eorum curanda reconciliatione suscipiat cum aliis Collegis ipsi adjungendis. Falso affingi Patribus quod Summum Pontificem contemnant: paratos esse reverentiam *S. Petri Successori* debitam ipsi exhibere: *Dummodo a corpore Ecclesiæ, extra quam non est salus se nolit segregare*. Quod si fecerit, numquid tamen & ipsi tacebunt tamquam canes muti non valentes latrare?

1. Cor. 1.

Num-

Numquid periclitantem Ecclesiam clauso ore aspicient, aut *S. Pauli* exemplum non sequentur, *qui restitit in faciem Cephæ in eo in quo reprehensibilis erat*? Græcos non minus facile Basileam venturos quam olim Lugdunum venerint, aut ad Constantiense Concilium Oratores miserint. Sed quæ spes ipsos ad Bononiense Concilium venturos, si tam facile Concilia dissolvi videant; si tam solemne Concilium per septennium expectatum & a duobus Pontificibus Romanis indictum, re infecta, in limine ipso evanescat? Non videre Patres quæ spes conversionis Hussitarum esse possit, *si Decreta Concilii Constantiensis in quo illa hæresis damnata est, infringantur*. Orant *Eugenium ne seipsum a corpore abscindat*: hortantur ut priscos imitetur Pontifices, *qui olim summo studio ac cura fovebant Sacra Concilia, & ea summo honore prosequebantur; & quæ in illis fiebant, non ut ab hominibus, sed a Spiritu Sancto dictata venerabantur*. Synodum semper debitum suæ Sanctitati reddidisse: *Semper reddat & ipsa quod debet universali Ecclesiæ recognoscendo Auctoritatem Concilii Generalis, juxta Decreta Sacræ Constantiensis Synodi. Et quoniam se offert ut Reformatio ab ipso incipiat, si huic actioni debitus ordo servetur, utinam facta verbis compenset! Sed hoc primum ab eo munus Reformationis optari, ut tollat ante omnia dissolutionem prætensam, quæ juxta Decreta Concilii Constantiensis fieri non potuit, nec tolerari potest sine Fidei & Status Ecclesiastici pernicie*. Quantum ad debitum ordinem, quem servandum Eugenii Oratores dixerunt, id etiam se optare Patres Basileenses profitentur. *Sed nullum* (ajunt) *magis debitum ordinem esse credimus, quam ut ille servetur, quem Patres nostri in Concilio Constantiensi, in quo & ipse adfuit, instituerunt*. Et hæc quidam Synodus ad Orationem Coloniensis Archiepiscopi.

XV. Ad Tarentini vero, probat imprimis Synodus, quæ de Romani Pontificis Primatu ab illo copiose ac magnifice dicta sunt, *Quod Caput sit & Primas Ecclesiæ, Vicarius Christi, & a Christo, non ab hominibus vel Synodis alius Prælatus, & Pastor Christianorum, & ei datæ sunt a Domino claves, & cui dictum est*: Tu es Petrus: *& solus in plenitudinem potestatis vocatus sit, alii in partem solicitudinis*; Seque operam daturos in hoc Sacro-Concilio Patres pollicentur, ut omnes de Summi Pontificis Potestate ita sentiant. Sed nihilominus asserunt, *Ipsum Romanum Pontificem obedire teneri mandatis, statutis, ordinationibus ac præceptis hujus Sanctæ Synodi Basileensis, & cujuscumque alterius Concilii Generalis legitime congregati, in his quæ pertinent ad Fidem, ad extirpationem Schismatis, & ad generalem Reformationem Ecclesiæ Dei in Capite & in membris; quemadmodum declaratum extitit per Generale Concilium Constantiense totam repræsentans Ecclesiam*. De auctoritate Ecclesiæ, Conciliique generalis multa præclare dicit Synodus. Hujus Ecclesiæ tantum esse auctoritatem, ut sola Christi Evangelia illa dicantur, quæ Ecclesia recipit: unde *S. Augustinus* ait: *Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ auctoritas commoveret. Ecclesia tanto privilegio a Christo Salvatore nostro, qui eam sanguine suo fundavit, dotata est, ut eam errare non posse firmiter credamus. Hoc solum competit Deo natura, Ecclesiæ vero Privilegio*. Præter Ecclesiam nemini umquam tale munus communi lege concessum esse legimus, non Angelis, non primis hominibus: *Non Summis Pontificibus quorum nonnulli in hæreses & errores lapsi esse dicuntur, & leguntur. Ecclesia sola sine ruga & sine macula ulla est, quæ errare non potest in his quæ ad salutem necessaria sunt. Christum, qui mentiri non potest, se cum ea permansurum usque ad finem Sæculi, & eam per Spiritum Sanctum omnem veritatem docturum pollicitum esse*. Eamdem esse Conciliorum Generalium, & Ecclesiæ potestatem. *Definitum enim est in Concilio Constantiensi, quod Synodus Generalis in Spiritu Sancto legitime congregata, Catholicam repræsentat Ecclesiam, & potestatem a Christo immediate habet*. Sanctissimos Pontifices reverentiam Conciliis Generalibus habuisse. Testem appellat *S. Cælestinum I.* in Epistola ad Synodum Ephesinam scribentem: *Spiritus Sancti testatur præsentiam Congregatio Sacerdotum. Certum est enim quod legimus, quia nec potest Veritas ipsa mentiri, cujus in Evangelio ista est sententia*: „ Ubi „ duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi „ & ego sum in medio eorum. (*Matt.* 18. 20.) *Quod cum ita sit (nam nec brevi huic numero Spiritus Sanctus deest) quanto magis nunc interesse credamus in unum convenientium turbæ Sanctorum! Sanctum namque Concilium est pro debita veneratione collectum in quo nunc Apostolorum frequentissimæ illius, quam legimus, Congregationis aspicienda reverentia est*. Laudat *S. Hieronymum* comparantem auctoritatem Concilii Soli, ut sicut Sol suo ardore humores rivulorum siccat, ita Concilium sua auctoritate omnem contrariam superet argumentationem: *Poteram* (inquit) *omnes disputationum tuarum rivulos hoc uno Ecclesiæ Sole siccare*; de auctoritate Concilii Generalis loquens in fine Dialogi contra Luciferianos. Addit Synodus, Concilii auctoritatem Scripturæ Sacræ auctoritati comparari, quia, ut ait S. Augustinus, *Catholica Ecclesia per orbem diffusa tribus modis probatur existere: Quidquid in ea tenetur aut est auctoritas Scripturarum, aut Traditio universalis, aut certe propria & particularis instructio; sed auctoritate tota constringitur, universali Traditione Majorum nihilominus tota*. Ecce par auctoritas Scripturarum, & universalis Traditionis. *Sed Concilia Generalia universali Traditione & consensu fiunt & recipiuntur*, Præterea Generalibus Conciliis par ac Evangeliis veneratio debetur. Ratio enim propter quam *Gregorius* quatuor prima Concilia ut *Evangelia* suscipit & veneratur, illa est: *Quia dum sint universali consensu constituta, se & non illa destruit, quisquis præsumit absolvere quos ligant, & ligare quos absolvunt*. Sed hæc ratio eadem quæ in cæteris Generalibus Conciliis: universali enim consensu constituta sunt. Laudat & *S. Augustinum* ad *Januarium* scribentem: *Generalium Conciliorum saluberrimam Auctoritatem esse*: Quæ si saluberrima est, salutem continet: *Qui ergo Auctoritati Concilii contradicit, contra salutem agit*, Concilia errare non posse, idque certum esse ex Scriptura Sacra, Actuum 15. ubi *S. Petrus* Concilio Hierosolymitano præsidens, ait: *Visum est Spiritui Sancto & Nobis*. Id ex eo confirmari, quod *Quilibet Summus Pontifex qui est Caput Ecclesiæ tenetur, prout in Concilio Constantiensi statutum fuit, quamprimum in Summum Pontificem electus est, profiteri coram suis Electoribus Fidem Catholicam tenere secundum Traditiones Apostolorum, Generalium Conciliorum, & aliorum Sanctorum Patrum, maxime autem Sanctorum VIII. Conciliorum Universalium, videlicet primi Nicæni, secundi Constantinopolitani, tertii Ephesini, quarti Chalcedonensis, quinti & sexti Constantinopolitanorum, septimi item Nicæni, octavi quoque Constantinopolitani, nec non Lateranensis, Lugdunensis, & Viennensis Generalium Conciliorum; & illam Fidem usque ad unum apicem immutilatam servare, & usque ad animam & sanguinem confirmare, defensare, & prædicare*. Et ita professus fuit *Martinus V.* Ita & *Eugenius* IV. „ Quilibet ergo „ Christianus eamdem Fidem tenere debet. Porro si „ errare possent Concilia Generalia in his quæ ad sa„ lutem sunt necessaria, vanum ac perniciosum esset „ ad talem Fidem Populum Christianum adstringi. Inde etiam Conciliorum auctoritatem probat Synodus Basileensis, quod „ Ab eorum potestate nemo eximi„ tur, etiam Summus Pontifex, ut extat Concilii Con„ stantiensis Decretum in hæc verba: Hæc Sancta Sy„ nodus Constantiensis, Generale Concilium faciens, „ &c. ordinat, statuit, definit, decernit, & declarat „ ut sequitur: & primo Quod ipsa in Spiritu Sancto „ legitime congregata, Generale Concilium faciens, „ Catholicam militantem Ecclesiam repræsentans, po„ testatem a Christo immediate habet, cui quilibet „ cujuscumque Status vel Dignitatis, etiamsi Papalis „ existat obedire tenetur in his quæ pertinent ad Fi„ dem, extirpationem Schismatis, Generalem Refor„ mationem Ecclesiæ Dei in Capite & in membris, „ Item declarat, quod quicumque cujuscumque Status „ vel Dignitatis, etiamsi Papalis existat, qui Manda„ tis, Statutis, sive Ordinationibus aut Præceptis hu„ jus Sanctæ Synodi, & cujuscumque alterius Conci„ lii Generalis legitime congregati, super præmissis, „ seu ad ea pertinentibus, factis, vel faciendis, obedi„ re contumaciter contempserit, condignæ pœnitentiæ „ subjiciatur, & debite puniatur, etiam ad alia Juris „ subsidia, si opus fuerit, recurrendo. „ Denique si admitteretur aliquod *Generale Concilium legitime congregatum* errasse posse, *tota Fides Catholica vacillaret, nec aliquid certi in Ecclesia haberemus*: quia qua ratione errare posset unum, errare possent & reliqua: quoniam (ut ait S. Augustinus) *Si ad Scripturas Sanctas admissa fuerint officiosa mendacia, quid in eis remanebit Auctoritatis? Quæ tandem de Scripturis illis sententia proferetur, cujus pondere contentiosæ falsitatis obteratur improbitas?*

XVI. Ex his colligit Synodus: Ea quæ ab Archiepiscopo Tarentino de Summi Pontificis potestate dicta sunt, non probare quominus *ipse Pontifex Mandatis univer-*

Omnes, Ecclesiæ particulares obedire tenentur Summo Pontifici.

universalis Ecclesiæ & Concilii Generalis obedire teneatur. Sed id evincere dumtaxat, quod *omnes singulares homines, particularesque Ecclesiæ, ipsi Pontifici obedire debent, nisi in his quæ huic Sacræ Synodo, & cuilibet alteri legitime congregatæ præjudicium generarent. Nam etsi sit Caput ministeriale Ecclesiæ, non tamen est major tota Ecclesia: alioqui errante Pontifice, sicut sæpe contigit & contingere potest, tota errasset Ecclesia, quod esse non potest. Et si Caput sit, & principalis Prælatus hujus corporis mystici, est nihilominus intra corpus, Nam si extra corpus esset, non pertineret ad corpus, nec tunc Caput esset. Corpus igitur ipsum quod dicitur Caput, & hoc totum continet, & singula membra*.

Ecclesia Infallibilis.

Occupat deinde Synodus quorumdam responsionem, Quod ipsa pars principalis potentior est ac dignior reliquo toto corpore & cæteris membris, adeoque illi potius parendum. Sed enim (inquit) ratio, experientia, & auctoritas dictant contrarium. Ratio, quia *Reliquum totum corpus, etiam non computato Papa, secundum legem communem errare non potest in his quæ sunt Fidei. Alioqui si errare posset, cum certum sit Papam errare posse, tunc & Papa & reliquo toto corpore errantibus, tota erraret Ecclesia, quod esse non potest*. Id etiam demonstrat experientia, quia *Sæpe experti sumus & legimus, Papam, licet Caput & principalem Ecclesiæ partem, errasse: reliquum autem corpus, etiam Papa errante, errasse numquam legimus*. Propterea Ecclesia aliquando Papam damnavit ac deposuit: Numquam vero Papa damnavit aut excommunicavit totum Ecclesiæ Corpus. *Licet ergo tam Papa quam Ecclesia claves habeant ligandi & solvendi, Papa tamen numquam in totam Ecclesiam claves ligandi atque solvendi exercuit: Ecclesia autem sæpe numero in Papam.* Auctoritas etiam Scripturæ idem probat. Nam quod dixit Christus Matthæi 18. *Si peccaverit in te frater tuus, dic Ecclesiæ, & si Ecclesiam non audierit, sit tibi ut Ethnicus & Publicanus*; Omnes homines comprehendit. Et quod *S. Petrus* & ejus Successores ab ea Lege non sint excepti, ostendit *S. Paulus*, qui *In faciem restitit Cephæ, & coram omnibus*. „ Ecclesiæ enim dixisse videtur, qui coram omnibus dixit. Probat hoc etiam auctoritas universalis Ecclesiæ, quæ non potest errare, quod peccata Pontificum circa Fidem, vel Schisma, vel mores, possunt dici Ecclesiæ, cujus præceptis & ordinationibus tenentur obedire: & si obedire contempserint, condignæ pœnitentiæ possunt subjici, & ad alia Juris remedia recurri, & per consequens possunt excommunicari, quo facto ut Ethnici & publicani habebuntur.. Qualecumque ergo nomen Dignitatis aut potestatis de Papa scriptum invenitur, ad particulares quoscumque homines & singulares Ecclesiasticos referendum est, non supra universalem Ecclesiam, ita ut potius Papa Ecclesiæ, quam Ecclesia tota Papæ obedire cogatur. Nam etsi Papa major sit in Ecclesia, non tamen major est tota Ecclesia. Uni autem quare dictum est, *Tibi dabo claves Regni Cælorum*, Sancti Doctores exprimunt, ut unitatem designaret Ecclesiæ: & ideo ab unitate exordium proficiscitur, ut Ecclesia Christi una esse monstretur. Et Petrus, quando claves accepit, ut dicit Augustinus, Ecclesiam significavit.

XVII. Ad ea subinde respondet Synodus, quæ de potestate & causis dissolvendi Concilium *Eugenii* Oratores dixerant. Objectionem occupat dicentium: Sicut Papa congregare potest Concilium propria auctoritate, ita eadem potest dissolvere. Parem utriusque rationem esse negat. „ Nam ante Congregationem Concilium non est: sed ut primum congregatum est, statim Potestas universalis Ecclesiæ, quæ est immediate a Christo, & quam Concilium repræsentat, transfunditur in ipsum Concilium, vel potius continuatur in eo, & fit ipsum Concilium super Papam & cunctos alios; Quemadmodum si quis homo subjiciat se alicui, postquam subjectus est, non potest se ab illa subjectione eximere, nec potestatem sui superioris dissolvere sine sui superioris consensu, quia quod a principio non fuit necessarium, expost fit necessarium. Et hoc modo intelligenda sunt Jura dicentia, quod Concilia per Romanæ Ecclesiæ Auctoritatem fiunt & robur accipiunt. Robur enim (ut communiter) accipiunt ut congregentur; non ut congregata Potestatem judicandi & statuendi a Papa consequantur. *Addit, Statuta universalis Ecclesiæ pro universali bono mature promulgata, a Summo Pontifice infringi non posse. Unde S. Gregorius ait*: Si ea destruerem, quæ Antecessores mei statuerunt, non constructor, sed eversor esse juste comprobarer. *Item*: Absit a me ut Statuta Majorum cum Sacerdotibus meis infringam: quia mihi injuriam facio, si Fratrum meorum Jura perturbo. *Item S.* Leo *Papa*: Quæ ad perpetuam generaliter ordinata sunt utilitatem, nulla commutatione varientur; nec ad privatum trahantur commodum, quæ ad bonum sunt commune præfixa. *Item Gelasius*: Confidimus quod nullus jam Christianus ignoret, uniuscujusque Synodi constitutum, quod universalis Ecclesiæ probavit assensus, nullam magis exequi Sedem præ cæteris oportere, quam Primam: quæ & unamquamque Synodum sua Auctoritate confirmat, & continua moderatione custodit. *Item* Urbanus *Papa*: Sunt quidam dicentes, Romano Pontifici semper licuisse novas condere Leges: quod & nos non solum non negamus, sed etiam valde affirmamus. Sciendum vero summopere est, quia inde novas leges condere potest, unde Evangelistæ aliquid nequaquam dixerunt: ubi vero aperte Dominus, vel ejus Apostoli, & eos sequentes SS. Patres, sententialiter aliquid definierunt, ibi non novam Legem Romanus Pontifex dare potest, sed potius quod prædicatum est, usque ad animam & sanguinem confirmare debet. *Item* Zosimus *Papa*: Contra Statuta Patrum jubere aliquid vel mutare, ne hujus quidem Sedis potest Auctoritas. Apud nos enim inconvulsis radicibus vivit antiquitas, cui Decreta Patrum sanxerunt reverentiam. *Item Leo Papa*: Ideo permittente Domino Pastores hominum sumus effecti, ut quod Patres nostri, sive in sanctis Canonibus, sive in mundanis affinxere Legibus, excedere minime debeamus. Contra sanctorum Patrum quippe agimus saluberrima Instituta, si quod ipsi divino statuerunt consulto, intactum non conservamus. *Denique Decreta quæ Papam a nemine in terris judicari posse statuunt, sic intelligenda Synodus esse respondet*, Quod per quemcumque Clerum particularem Papa non judicatur, non tamen excludere Ecclesiam universalem: quam qui corrigentem non audient; *Sic tibi* (inquit Christus) *sicut Ethnicus & Publicanus*: Quam eamdem Auctoritatem Glossa dicitur etiam habere locum in Papam; & istud dicit in Cap. SI PAPA; Dummodo sit tale crimen de quo possit accusari, ut puta cum scandalizaret Ecclesiam: ubi etiam dicit, nomine fratris quemlibet Christianum contineri. „ Hæc Synodi Basileensis responsio ad *Eugenii* IV. Nuntios luculenter probat supremam Conciliorum Generalium Auctoritatem, cui alia quævis potestas, etiam Pontificia subdita sit: & argumenta diluit, quæ postmodum *Joannes de Turrecremata*, *Cajetanus*, *Jacobatius*, & *Bellarminus* Cardinales, adversus Dogma illud Ecclesiasticum objecerunt. Responsio illa Synodalis Concilii Basileensis quæ incipit: *Cogitanti*, extat post ejusdem Acta inter Epistolas Synodales num. 3. Tom. 12. Conciliorum Editionis *P. Labbé*, pag. 673.

Canones, sunt quidam.

XVIII. Ea tempestate varii Doctores varios lucubrarunt Tractatus *De Potestate Concilii supra Papam*; atque inter alios *Nicolaus Panormitanus* Archiepiscopus commentatus est Caput *Significasti*, *De electione & Electi Potestate*: „ ubi docet; In his quæ non pendent a plena potestate Papæ, Concilium esse supra Papam. Unde non potest disponere contra dispositum per Concilium. Vid. 60. text. & Gloss. in Cap. *Anastasius*. Hinc est quod Concilium potest condemnare Papam de hæresi, ut in Cap. *Si Papa* XL. Dist. ubi dicitur quod Papa potest esse Hæreticus, & de hæresi judicari. Et dicunt Doctores in Cap. *In Fidei favorem de hæresi, lib. 6.* quod Concilium est Judex. *Et paulo post subdit*: In Concertationibus fidei, dictum unius privati esset præferendum dicto Papæ, si ille moveretur melioribus rationibus Novi & Veteris Testamenti, quam Papa. *Hæc vir maximus, quem* Pius secundus *in Bulla Retractationis*, Orbis Sydus, & Pontificii Juris, totiusque civilis Sapientiæ præcipuum lumen & clarissimum *appellat*, *qui & singularem Tractatum scripsit* pro auctoritate, Veritate, *& Justitia Basileensis Concilii*.

Panormitani sententia de Concilii Generalis auctoritate.

XIX. *Joannes* Patriarcha Antiochenus Opusculum edidit, obtulitque Basileensi Concilio, in quo sic præfatur: „ Quia nonnulli os suum aperientes in Cœlum, Potestatem Romani Pontificis supra Potestatem Sacrorum Generalium Conciliorum contra Juris Divini & Humani veritatem a Sanctis Patribus alias declaratam exaltare nituntur, & ob hoc quod Dominus Eugenius Papa quartus vestram Sacratissimam Synodum ad extirpationem hæresum, Reformationem Ecclesiæ in capite & in membris ac pacem in populo Christiano procurandam legitime congregatam, sine consensu ipsius Sacræ Synodi dissolvere potuerit,

Joannis Antiocheni Patriarchæ sententia de suprema Concilii Generalis auctoritate.

„ asse-

„ asserere publice non verentur. Ego honorem ipsius Sacræ Synodi procurare, ac illius Decreta defendere Juramento adstrictus, ne errori hujusmodi, si ei non contradicerem, assentire viderer, Opusculum præsens per me contra errorem hujusmodi compositum, Sanctitati vestræ cum humilitate duxi præsentandum, corrigendum, &c. „ Quod autem Concilium sit Romano Pontifice superius, ex multis Juris Canonici capitibus probat; præcipue vero ex Cap. *Quodcumque* 24. Quæst. 2. quod ex *S. Augustino* sumptum est, hæc verba Christi ad S. Petrum, „ Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cœlo, *explicante*: Si hoc Petro tantum dictum est, non hoc facit Ecclesia. Si autem in Ecclesia fit, ut quæ in terra ligantur, in Cœlo ligentur, & quæ solvuntur in terra, solvantur in Cœlo: quia cum excommunicat Ecclesia, in Cœlo ligatur excommunicatus: Cum reconciliat Ecclesia, in Cœlo solvitur reconciliatus. Si ergo hoc in Ecclesia fit, Petrus, quando claves accepit, Ecclesiam sanctam significavit. *Quod verbum exponit Archidiaconus, dicens*: Significavit, id est, sub signo & nomine Ecclesiæ accepit. Unde (*inquit* Joannes *Antiochenus*) in quantum Petrus claves recepit ut minister Christi & Ecclesiæ, & sub signo & nomine Ecclesiæ, patet quod Ecclesia ut Domina major est Petro ut Ministro suo. „ Idem probat ex Decreto Generalis Concilii Constantiensis, Sessione V. Item a simili: Si enim Rex iter suscipiens extra Regnum, Reginam Sponsam suam Regni Procuratricem instituat; sed quia non decet mulierem quotidie per Regnum discurrere, Supremum Ministrum præficiat qui Regis & Reginæ nomine Rempublicam administret: si Minister ille collata sibi potestate, in Regis & Reginæ offensionem, Regnique detrimentum abutatur, sane comprimi, puniri, & in ordinem redigi a Regina potest: idque Regis voluntati consentaneum videtur, quem non est verisimile Regnum suum in tali casu sine remedio dimittere voluisse. Christus in Cœlos ascendens, dedit Potestatem ligandi & solvendi Ecclesiæ suæ, tum *S. Petro* ejusque Successoribus Romanis Pontificibus. Si quis ergo Pontifex potestate sacri regiminis abuteretur in offensionem ac detrimentum Ecclesiæ, in eversionem disciplinæ & politiæ Ecclesiasticæ, posset Ecclesia Potestate clavium a Christo Sponso sibi tradita contra Pontificem illum uti: alioqui sequeretur absurdum, quod scilicet Christus Ecclesiæ suæ non satis providisset.

Tract. in Joan. c. 12.

Joannis Antiocheni Patriarchæ Responsio ad argumenta opposita.

XX. Argumenta deinde opposita diluit *Joannes Antiochenus*. Primum sibi proponit in hunc modum: Concilia Generalia recipiunt auctoritatem a Papa, & non e contra, ut patet ex Cap. *Significasti De Electione*. Igitur Pontifex est superior Concilio Generali.

Respondet: Concilia Generalia pendere a Papa ut congregentur, & sine ejus Auctoritate non esse legitime congregata, nisi necessitas immineat illa congregandi pro universalis Ecclesiæ bono, & Pontifex convocare nollet: Sed postquam legitime congregata sunt, *Potestas eorum non procedit a Papa, sed a Christo immediate*; ut constat ex Decreto Concilii Constantiensis.

Alterum argumentum erat: Quomodo stabunt Potestas Ecclesiæ & Potestas *Petri*, cum ambæ a Christo immediate procedant? Sic enim sunt pares, adeoque una non est altera superior: ut colligitur ex Cap. *Innotuit De Electione*.

Respondet: Ab eodem quidem fonte procedere Ecclesiæ & Summi Pontificis potestatem, sed diversimode, & ordine superioris & inferioris; illam ut Dominæ, hanc ut Ministri. Sicut ergo Potestas Diaconi ut Ministri, Presbyteri potestate inferior est, licet ab eodem fonte immediate deriventur, scilicet a Christo: Ita Potestas Summi Pontificis inferior est Potestate Ecclesiæ, quamvis utraque immediate sit a Christo.

Tertium argumentum petitum est ex Cap. *Ita Dominus* 19. Dist. ubi dicitur Christum munus Potestatis clavium ita *Ad omnium Apostolorum officium* pertinere voluisse, ut in Beatissimo *Petro Apostolorum omnium summo principaliter collocaret, ut ab ipso quasi quodam Capite dona sua velut in corpus omne diffunderet*. Itaque nec ipsum Concilium Generale Jurisdictionem Ecclesiasticam habet, nisi quatenus a Papa ipsi conceditur, adeoque non est Papa superius.

Respondet: Id non sequi, quia traditio Clavium non est facta *S. Petro* nomine suo tantum, sed nomine Ecclesiæ, cujus personam gerebat. *Nec recepit Potestatem supra Ecclesiam universalem, nec supra Concilium universale ipsam repræsentans, sed supra singularia membra Ecclesiæ, secundum communem Theologorum opinionem*. Idque colligit ex *Gelasio*, Cap. *Quamvis* 21. Dist. & *Gregorio* Cap. *Ecce*, 99. Dist. Sicut itaque caput in corpore humano ad directionem & gubernationem membrorum ordinatum est, & nihilominus si languidum efficiatur & infirmum, licet membris illud ligare & cauterio inurere, ne morbus in totum corpus diffundatur, & in totius interitum vergat: & si Papa furiosus evaderet, liceret subditis ipsum capere & ligare, pro salute corporis: *Multo magis licere debet Concilio Generali pro salute Animarum*, si pravo regimine subditorum animas in viam damnationis induceret.

Quartum argumentum arcessitum erat ex Cap. *Nemo* 1. 9. Quæst. 3. ubi dicitur: *Nemo judicabit primam sedem*.

Respondet, Hæc & similia Juris capita intelligi de peccatis occultis Summi Pontificis, quæ Dei Judicio relinquuntur, 6. Quæst. 1. Cap. *Si omnia*; & etiam de publicis cum Pontifex ad correctionem paratus est. Et a Judicio Papæ privatos quosque excludi, non Ecclesiam universalem, nec Generale Concilium illam repræsentans. Non posse tandem judicari Primam Sedem nisi a justitia deflectat Pontifex in ea sedens cum Ecclesiæ scandalo, nec emendari velit: unde subditur: *Justitiam temperare desiderantem*. Denique Decreta illa spectare tempus quo Concilium Generale non est congregatum, & casus in quibus non agitur de Fide, de extirpatione Schismatis, & Reformatione generali Ecclesiæ in Capite & in membris, aut de rebus ad hæc tria capita pertinentibus, prout a Concilio Constantiensi declaratum est.

Quintum argumentum erat: Papa est Caput Ecclesiæ, ut habetur in Cap. *Fundamenta De Electione lib.* 6. & aliis.

Respondet: *Caput esse ministeriale* duntaxat, *quod non recepit Potestatem supra universalem Ecclesiam, nec etiam supra Concilium Generale illam repræsentans, sed supra singularia membra ipsius Ecclesiæ*. Legerat sane Joannes Antiochenus, quod *S. Gregorius Magnus* lib. 4. Epist. 38. ad Joannem Constantinopolitanum scribit: *Petrus Apostolus primum membrum sanctæ & universalis Ecclesiæ est. Paulus, Andreas, Joannes, quid aliud quam singularium sunt plebium Capita? Et tamen sub uno Capite membra sunt Ecclesiæ*. Sub Christo scilicet Capite principali primum Ecclesiæ Catholicæ membrum ei subjici consequens esse intellexit. Legerat Concilii Constantiensis, & *Martini V.* Romani Pontificis in eadem Synodo, Censuram in Articulum illum 41. VVicklefi: *Non est de necessitate salutis credere Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias Ecclesias*: his conceptam verbis: *Error est, si per Romanam Ecclesiam intelligat universalem Ecclesiam aut Concilium Generale, aut pro quanto negaret Primatum Summi Pontificis super alias Ecclesias particulares*. Legerat interrogationem ex ejusdem Pontificis præscripto faciendam Hussitis ad Ecclesiæ fidem & unitatem redeuntibus. *Item utrum credat quod Papa canonice electus qui pro tempore fuerit, ejus nomine proprio expresso sit Successor B. Petri, habens supremam Auctoritatem in Ecclesia Dei*. Animadverterat, Pontificem consulto dixisse, *in Ecclesia*, non *supra Ecclesiam Dei*, quæ per universale Concilium repræsentatur, ne Concilii ipsius Constantiensis Decretis a se confirmatis contrarium Dogma docuisse videretur.

Sextum argumentum sumptum est ex Capite *Significasti, De Electione*, in quo habetur: *Statutis Conciliorum Generalium aperte intelligi Auctoritatem Ecclesiæ exceptam*.

Respondet: Auctoritatem Ecclesiæ Romanæ ministerialem esse respectu Ecclesiæ universalis, quoad Ecclesias particulares: sicut *S. Petrus* est Minister Ecclesiæ Sponsæ Christi respectu Ecclesiarum particularium, quibus Ecclesia Romana prælata est, 12. *Dist. Quamvis*: Quodque ipsa Auctoritas Ecclesiæ Romanæ ut ministerialis Ecclesiæ universalis in Statutis Conciliorum Generalium intelligitur excepta *Ad declarandum, interpretandum, & moderandum dicta Statuta secundum varietatem temporum pro bono Reipublicæ, quandocumque Conciliis Generalibus non congregatis, Ecclesiæ Romanæ* pro publica utilitate, *videtur faciendum: & vocatur dicta Ecclesiæ Romanæ Auctoritas excepta, apud Doctores & Magistros, invicem*. Hæc & alia *Joannes Antiochenus* in Opusculo, quod suos nihilominus nævos habet, ac locutiones quasdam duriores. Editum est Appendice 1. Concilii Basileensis, Num. 47. p. 911. Tom. 12. Conciliorum Editionis *P. Labbe*. Ex his rursus Argumenta *Joannis a Turrecremata* contra Supremam Conciliorum Generalium Auctoritatem facile diluentur.

Nicolai de Cusa sententia de supremo Concilii Generalis auctoritate.

XXI. Iisdem temporibus *Nicolaus de Cusa*, Germanus, *S. Florini* Constantiensis Decanus, postea S.R.E. Cardinalis, tres libros doctissimos *de Catholica Concordantia* scripsit. Lib. 2. Cap. 17. hanc statuit Propositionem: *Universale Concilium, quod universalem Catholicam Ecclesiam repræsentat, esse supra Patriarchas, & Romanum Pontificem, credo dubium esse non debere*. Hanc luculenter probat ex eo quod in Generalibus Conciliis gesta & judicata per Romanum Pontificem, etiam synodice, inveniuntur repetita & examinata, ut in Chalcedonensi Concilio Judicium *S. Leonis* contra Eutychianam hæresim, & *Eutychetem* ac *Dioscorum*: & in Sexta Synodo Judicium *Martini* Papæ contra *Pyrrhum* & *Sergium*: & in Octava Synodo Universali Judicium *Nicolai I.* & *Adriani II.* Romanorum Pontificum contra *Photium* &c. Unde *S. Augustinus* Epist. 162. ad *Glorium* & *Eleusium*, postquam tractavit de Sententia 70. Episcoporum contra *Cæcilianum*, & quomodo illa per *Melchiadem* Papam, & alios Episcopos a *Constantino* Augusto ei adjunctos retractata fuit, refert illos contra *Melchiadis*, aliorumque Episcoporum Sententiam conclamasse, quasi malos Judices perpessos, Quæ vox est omnium malorum litigatorum, cum fuerint etiam manifestissima veritate superati: quasi non eis adhuc justissime dici possit: *Ecce putemus illos Episcopos, qui Romæ judicarunt, non bonos Judices fuisse, restabat adhuc plenarium Ecclesiæ universæ Concilium, ubi etiam cum ipsis Judicibus causa posset agitari; ut si male judicasse convicti essent, eorum Sententiæ solverentur: quod utrum fecerint, probent. Nos enim non esse factum facile probamus, ex eo quod totus orbis communicat ei: aut si factum est, etiam ibi sunt victi.* Igitur ex sententia *S. Augustini*, post Romani Pontificis Judicium, universale Concilium totius orbis supereminet, quod Sententiam ab eo, Synodoque ejus latam confirmare possit, vel rescindere.

Idem probat *Nicolaus de Cusa*, ex 8. Synodo Œcumenica Canone 21. statuente: *Ut Universalis Synodus cum convenienti reverentia quamlibet quæstionem de Romanorum Sede exortam audire teneatur, & in ea profectum facere, non tamen audacter dicere Sententiam in Summos seniores Romæ Pontifices*. 3. Idem probat ex Decretis Concilii Constantiensis & Basileensis. 4. „ Quia potestas ligandi & solvendi, & infallibilitas & „ indivisibilitas propter Christi assistentiam usque in „ consummationem sæculi, est in ipsa Catholica vera „ Ecclesia. Cum autem Summus Pontifex sit mem„ brum illius Ecclesiæ, quæ corpus Christi mysticum „ est; & infallibilitas non cuilibet membro, sed toti „ Ecclesiæ promissa est: tunc non dubium, potesta„ tem indeviabilem ligandi & solvendi totius Ecclesiæ „ esse supra potestatem Romani Pontificis, quam ab „ eodem principio ligandi & solvendi potestas tam Ec„ clesiæ quam Papæ fluat. 5. Idem probat Cap. 20. ex eo quod Romanorum Pontificum Epistolas & scripta ad Concilium missa universale ipsum Concilium examinaverit; Ephesinum Epistolam *S. Cælestini*, Chalcedonense Epistolam *S. Leonis* ad *Flavianum*, Concilium Sextum Epistolam *Agathonis*, Octavum Epistolam *Adriani II.* cujus Legati Actione 3. interrogarunt, *An Canonice & Synodice facta fuisset Epistola*? Sancta Synodus dixit; *Canonica, & ordinata, & plena justitia est Epistola, quæ lecta est Sanctissimi Papæ Adriani*. Et *Metrophanes* Smyrnensis Episcopus dixit: *Cognovimus Sanctissimi Papæ Romani solertem locationem & pudorem, quem in divinis, & circa divinorum Canonum custodiam & observantiam habet*, Quæ quidem Canonum custodia & observantia Romanæ Ecclesiæ Judicio tribuit firmitatem, & in ea maxime splendescit Pontificius Primatus. Unde *Nicolaus* I. in Epistola *ad Photium*, postquam Sedis Apostolicæ Primatum explicuit subdit; „ Quomodo universitas credentium a Romana „ Ecclesia doctrinam requirit, & integritatem fidei „ deposcit, & criminum solutionem, qui Dei gratia „ digni sunt, quoniam Caput Ecclesiarum est, a qua „ rectitudinem atque ordinem in cunctis utilitatibus „ atque Ecclesiasticis institutionibus, omnes Ecclesiæ „ exquirunt: Quia ipsa Romana Ecclesia Canonicas & „ Synodicas SS. Patrum Sanctiones inviolabiliter atque „ irrefragabiliter retinet: & hinc est quod ejus Judi„ cium firmum est “. Decreta vero *Nicolai I. Causa 9. Quæst*, 3. & 17. *Quæst*. 4. quæ Sententiam Papæ a nemine retractari posse asserunt, de ea sententia loquuntur, quam secundum Canones latam esse manifestum est; alioqui si dubium sit an deflexerit a Canonibus totius Mundi reverentia consecratis, ad examen Concilii Generalis revocari potest, ab eoque retractari. Unde in Octava Synodo Œcumenica, Actione 3. intercedentibus Sedis Apostolicæ Legatis ne semel a *Nicolao* I. Pontifice Maximo judicata retractarentur, obtinuerunt Principes & Senatores, contestati nolle se gestis ut testes subscribere, nisi admitterentur a Synodo, quorum interat, ad opponendum hujusmodi judicatis, si quid haberent. Et surrexit *Metrophanes* Metropolita Smyrnensis, Synodique totius nomine respondit: *Probantes verba Magnificentissimorum Principum, invenimus ea justa & congruentia: Hinc fuvimus omnes Episcopi, & Sancta Synodus*. Ex Decreto itaque Synodi Generalis 8. Judicium *Nicolai* I. & Patriarchalis ejus Synodi de *Photio*, consentientibus tandem Sedis Apostolicæ Legatis retractatum est. Ex quo apparet, Concilium universale esse Romano Pontifice superius, Id luculente confirmatur suffragio *Zachariæ* Chalcedonensis Episcopi Actione 6. ejusdem Concilii Œcumenici Octavi, dum ei Sententia Romani Pontificis objiceretur. *Papæ Nicolai* (inquit) *& aliorum Patriarcharum Canon princeps est, & secundum illum agentes, nihil faciunt extra id quod decet; Cum vero extra hunc faciunt, sive Papa Nicolaus, sive alius quisquam, non acquiescimus*. Et infra: *Si facta sunt hæc a Nicolao cum Canone, sequimur, & convenimus, & roboramus, & contraria illis non suscipimus: Si vero sunt facta extra Jus vel Canonem, non Nos illa vituperamus seu projicimus, sed Canon*.

Denique superiorem Pontifice Concilii Auctoritatem probat *Nicolaus de Cusa* ex ipso, quod tunc celebrabatur, Concilio Basileensi. „ Videmus nunc (*inquit*) „ mirabili modo actum, quod Concilium Basileense est „ fortiter Dei gratia firmatum, licet in principio mul„ tis dubiosis fluctuationibus quassaretur; & hoc solum „ a Deo est, qui est Veritas permanens. Ergo omnia „ acta a principio per inspirationem Spiritus Sancti cre„ damus firmiter. Mirum satis est in prima Sessione „ posito fundamento in Cap. FREQUENS, Concilii „ Constantiensis, ad tria se convertit, scilicet extirpa„ tionem hæresum, Reformationem morum universæ „ Ecclesiæ, & pacem Christicolarum. Inspirabat hæc „ indubie Spiritus Sanctus, ne cum Papa forte resiste„ re vellet, quævis dubitatio utilitatis Concilii oriri „ posset, in his tribus jam definitio præcessit in Con„ stantiensi Concilio amplius indisputabilis & immuta„ bilis. Ad hoc etiam firmum, ante etiam adventum „ adversitatis, se contulerat non absque divino instin„ ctu Concilium. Subsequuta est præsens translatio, „ aut verius dissolutio Concilii per Papam, Postquam „ sequitur secunda Sessio Concilii, quæ in mirabili „ syllogismo sic concludit argumenta: *Papa omnibus „ Reformatoriis Decretis obedire tenetur: Decretum de „ celebratione Concilii statuto tempore pertinet ad Re„ formationem: Ergo ipsi subest Papa: Igitur mutare „ aut tollere non potest. Major est Decretum Concilii „ Constantiensis. Minor probatur ex Decreto*, FRE„ QUENS. Si Spiritus Sanctus hunc syllogismum in„ dubie dictavit in Sacro Concilio, quid opus est am„ plius disputare, aut dubitare, an ita Papa per De„ creta Reformatoria ligari possit, quod in contrarium „ venire non possit? Iterum, si Constantiense Conci„ lium dicit, Papam non obedientem puniri posse, „ tunc vigor ut sit Concilium, non dependet totali„ ter a Papa; Quia dum nollet, esset. Quomodo un„ quam puniretur, qui per solum Concilium puniri „ potest? Item Decretum Constantiensis, & Senonensis „ Conciliorum dicit Patres Basileæ congregatos hoc „ tempore vere facere Concilium. Papa dicit, Quia „ ipse non vult, non esse. Quis est adeo insanus, qui „ diceret falsam esse Conciliorum Sententiam, in qua „ necessario includebatur Auctoritas Romani Pontifi„ cis, & veram esse voluntatem Papæ Eugenii? Si „ Spiritus Sanctus se Basileæ hoc tempore in Univer„ sali Concilio vellet inspirare, dum ederentur Decreta „ præactorum Conciliorum; quomodo potest Papa Eu„ genius dicere, Hoc verum esse si ipse velit, & non „ aliter: ac si inspiratio ipsius Sancti Spiritus foret in „ potestate Romani Pontificis, quod tunc quando ipse „ velit, inspiret “. Hæc *Nicolaus de Cusa* Lib. 2. de *Concordantia Catholica*, quos Libros nusquam retractavit, etsi postremam Concilii dissolutionem & translationem Ferrariam approbaverit, & relicta Synodi Basileensis, ex quo ab Œcumenica Auctoritate defecisse visa est, defensione, ab *Eugenii* partibus steterit, sive spe Cardinalatus, quem a *Nicolao V.* consecutus est; sive (quod de tanto viro credere malim) uno veritatis, æquitatis, pacisque Ecclesiasticæ studio, ut probat ejus Epistola ad *Rodericum* Archidiaconum de Trevino, Castellæ Regis Oratorem, anno 1442. data, Cum his vero *Nicolai de Cusa* argumentis, si *Joan-*

Canonum observantia Romani Pontificis judicio tribuit firmitatem.

nis a Turrecremata argumenta pro contraria Sententia absqua præjudiciis conferantur, levioris ponderis inveoientur.

Gregorii Corrarii Oratio pro Concilio Basileensi.

XXII. *Gregorius Corrarius*, Venetus, Romanæ Ecclesiæ Protonotarius, ad *Sigismundum* Imperatorem Orationem habuit anno 1433. pro Concilio Basileensi, 6. Idus Octobris in loco ipso Concilii: in qua respondens calumniatorum oblocutionibus in Sacram illam Synodum, ita secundam ipsorum querimoniam proponit ac refellit: *Secundo dicunt, Nimis circa Sedem Apostolicam intentos esse hos Patres, cætera minus curare. Scire velim ab his, si quispiam eorum, ut digni essent, omnium membrorum vitio laboraret, priusne in caput, an fortasse in pedes curam conjiciendam putaret? Si nemo tam deliras, qui non in caput fateatur, cur carpitur hæc Sancta Synodus, si ut ratio atque ordo poscebat, Capitis imprimis curam habendam censet, a qua salutem totius corporis necesse est derivari? Nec tamen reliqua membra neglectui esse concedo, cæterum ad illa præcipue intendi, quibus omissis Status Ecclesiæ stare non potest. Nam quis non videat, quamlibet multa egerimus Decreta, Sanctiones, Leges, nequidquam fieri omnia, nisi Sedes Apostolica exequatur?*

Acta Sessionis sextæ.

XXIII. *Sessione VI.* Concilii Basileensis die sexta Septembris anno 1432. celebrata, Promotores Concilii contumaciam *Eugenii IV.* Romani Pontificis accusaverunt, quod nec dissolutionem Concilii revocasset, nec comparuisset per se vel Procuratores, die ipsi dicta in tertia Sessione. Qua expostulatione excitati Pontificis Nuncii petierunt, ut ad vitanda scandala, quæstione contra Papam & Cardinales supersederetur. Accusata est ab iisdem Promotoribus Cardinalium contumacia: quorum absentiam cum aliqui excusarent, rationum examen duobus Episcopis demandatum est, qui de iis ad Patres referrent.

Acta sessionis septimæ.

XXIV. *Sessio septima* die sexta Novembris ejusdam anni celebrata est, in qua iterum promulgatum est Decretum Sessionis 4. de non aligendo Summo Pontifice extra locum Concilii: & tempus ingressus Conclavis, pendente Concilio, ad sexaginta dies prorogatum est, propter multorum Cardinalium absentiam. Denique Beneficia Cardinalium contumacium permissa sunt Ordinariorum collationi, nulla habita ratione Reservationum Sedis Apostolicæ.

Acta Sessionis octavæ.

XXV. *Octava Sessione* die 18. Decembris ejusdem anni celebrata, *Eugenio* Papæ tempus ampliatum est ad sexagesimum diem, intra quod intervallum, nisi attentatam Concilii dissolutionem, & alterius convocationem irritas decerneret, absque ulteriori monitione & declaratione secundum severitatem Juris in Ipsum ageretur. Omnes Promotiones ab ipso factas, intra hoc tempus, ad hujusmodi fovendam dissolutionem, nullius fore roboris declaratum est. Cardinales sub pœna privationis Beneficiorum, Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, aliique, sub pœnis Juris, ad Synodum accedere absqua mora jussi. Decretum etiam est, Sicut unica est Ecclesia Sancta Catholica, sic esse non posse, nisi unicum Generale Concilium, ipsam sanctam Ecclesiam Catholicam repræsentans. Cum ergo Basileense Concilium Decretis sacrorum Generalium Conciliorum Constantiensis & Senensis, & duorum Romanorum approbatione Pontificum, scilicet *Martini V. & Eugenii IV*, sit congregatum, eo durante aliud Concilium Generale alibi celebrari non posse. Quocirca quicumque hoc stante Concilio aliam Congregationem sub nomine Generalis Concilii habere aut facere præsumpserit, non fore *Concilium*, sed factiosum *Schismaticorum Conventiculum*. Synodus itaqua sub obtestatione divini judicii, quod *Core, Dathan, & Abiron* contigit, nec-non sub pœnis contra Schismaticos a Jure latis, omnes Fideles admonet, cujuscumque status aut dignitatis, etiamsi *Papalis, Imperialis, vel Regalis* existant, & in virtute sanctæ obedientiæ ipsis præcipit, ne aliam congregationem sub nomine Generalis Concilii facere præsumant. Declarat etiam S. R. E. Cardinales, & alios quoscumque Viros Ecclesiasticos, qui se Bononiam, vel quempiam alium in locum pro celebratione Concilii contulerint, ipso facto sententiam excommunicationis, & privationis omnium Dignitatum, Officiorum, & Beneficiorum incurrisse. Edixit præterea Synodus, ne Romanus Pontifex eorum qui Basileensi Concilio interessent, aut adhærerent, Beneficia aliis conferret: alioqui collatio irrita esset. Prohibuit demum ne nova onera vel tributa terris Romanæ Ecclesiæ, vel cæteris imponeret, aut earum alienationes, infeudationes, & impignerationes faceret, factas vel faciendas irritas declaravit.

Acta Sessionis nonæ.

XXVI. *Sessio nona* die 22. Januarii anni 1433. celebrata est, in qua Synodus *Sigismundi* Cæsaris protectionem suscepit, omnesque Sententias, etiam *privationem Regnorum, Provinciarum, dominiorum, bonorum, & quarumlibet Dignitatum forsan continentes*, ab *Eugenio* Papa, aut alio ejus nomine in ipsum *Sigismundum* latas aut ferendas rescidit. Ejusdem protectionis beneficium *Willelmo* Bavariæ Duci, & aliis Concilio adhærentibus concessit: universisque Christi Fidelibus sub pœna Excommunicationis, *& privationis Dignitatis cujuslibet, Ecclesiasticæ vel Mundanæ*, interdixit ne *Eugenio* Papæ aut alteri ejus nomine in hujusmodi Sententiarum executione parerent.

Acta Sessionis decimæ.

XXVII. *Sessio decima* die 19. Februarii ejusdem anni celebrata est, in qua *Eugenii* contumacia iterum accusata. Is ad valvas ab Uticensi & Novariensi Episcopis proclamatus: delegati a Sacra Synodo Judices ad examen quæstionis in eumdem *Eugenium* habitæ.

Eugenius IV. Concilii dissolutionem rescindit.

XXVIII. Interea *Eugenius* IV. tum *Sigismundi* Cæsaris aliorumque Principum adhortationibus, cum ipsa causæ æquitate victus Concilii Basileensis dissolutionem rescidit Diplomate dato 16. Kalendas Martii, quod incipit, *Ad Sanctam Petri Sedem*: quo recensitis causis congregationis & dissolutionis Concilii, significat sese fideli plurimorum relatione accepisse, causas, quæ Basileensis Concilii celebrationem impediebant cessasse; bellorum sedatas tempestates; Bohemorum Oratores Basileam venisse; majoremque Prælatorum ac Doctorum confluxisse numerum. Proinde cum reprehensibile non sit, si secundum varietatem temporum Statuta quandoque varientur humana, superiori dissolutionis Decreto non obstante, statuit & jubet de consilio Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium ut Basileæ Sacrum Generale Concilium per suos Legatos illuc quantocyus transmittendos, & qui suo nomine eidem præsideant, celebretur: mandatque omnibus & singulis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis qui ad Concilia Generalia venire tenentur, ut ad dictum Basileense Concilium infra tres menses conveniant. Hoc *Eugenii* Diploma editum est Appendice 1. Concilii Basileensis Tom. 12. Conciliorum Editionis *P. Labbe*, pag. 941. Antequam vero hæc ad Patrum Basileensium notitiam pervenissent, auditi sunt in Synodo missi ab *Eugenio* Legati, *Joannes Mella* Protonotarius Apostolicus, & Episcopus Cerviensis, duoque Abbates, ad 8. Idus Martias: qui Legationem suam in hunc fere modum exposuerunt: Potuisse Pontificem de plenitudine potestatis legitima Concilium dissolvere & transferre, integris Constantiensis Concilii Sanctionibus: Placere tamen ejus Sanctitati pacis & concordiæ causa aliquid de Jure suo remittere: Ac proinde orare ut translationem Concilii Bononiam æquo animo Patres ferrent, quam ipse pro publica dumtaxat Ecclesiæ utilitate decrevisset: Ipsum Decretorum omnium contra Patres promulgatorum abrogationem polliceri, si & Ipsi sua in Pontificem, eique adhærentes edita rescinderent. Si Bohemi Bononiam petere recusarent, concedere ut Patres Basileæ intra certum tempus cum eis agerent, ac in eorum reconciliationem incumberent, modo elapso termino Bononiam se conferrent. Quæ civitas si minus grata esset, aliam eligerent intra Italiam. Si vero nihil horum æquum videretur, duodecim Prælati a Basileensium Cœtu eligerentur, neutri parti suspecti, qui una cum Principum Oratoribus de his deliberarent; & si Concilium in Germania necessario celebrandum judicarent, placere Pontifici ut locus alter a civitate Basileensi eligeretur. Responderæ Patres; *Basileense Concilium legitime inchoatum, nec a Romano Pontifice sine ipsius Concilii consensu dissolvi potuisse*: „ Quodque cum honore Dei & Ec„ clesiæ, ejus petitionibus nullatenus Concilium pos„ set annuere, Ista constant ex responsione Synodali, quæ incipit: *Speravit hactenus*, edita inter Epistolas Synodales numer. 4. & ex *Augustino Patricio* cap. 24.

Acta Sessionis undecimæ.

XXIX. *Sessione undecima* habita die 27. Aprilis, Sancta Synodus explicans Decretum, *Frequens*, Concilii Constantiensis, statuit ut Romanus Pontifex, qui primus in vinea Domini laborare tenetur, & alios exemplo suo ad laborandum trahere, per se vel Legatum de Latere, aut Legatos, eligendum vel eligendos de consilio & assensu duarum partium Cardinalium, Conciliis Generalibus intersit: Omnes etiam & singulæ personæ Ecclesiasticæ, quæ de Jure vel consuetudine Generalibus Conciliis interesse debent, deinceps ad ipsa, tam vi Constitutionis, *Frequens*, indicta, quam hujus Sacri Concilii Basileensis, vel alterius futuri legitime congregati auctoritate indi-

indicenda, sine alia vocatione venira personaliter adstringantur, aut idoneos Procuratores mittere, Si neglexerint, aut Concilium de facto impedire, mutare, prorogare, dissolvere tentaverint, & infra quatuor menses Ecclesiæ non fecerint satis, „ Ex tunc Romanus Pontifex a Papali, & prædictæ personæ a suarum Dignitatum administratione sint ipso facto suspensi, Quæ quidem Papalis administratio ad Sacrum „ Concilium ipso jure devolvatur. *Quas pœnas si per* „ *duos menses animo sustinuerint indurato*, tam contra „ Romanum Pontificem, quam prædictas personas, „ usque ad privationem inclusive, per Concilium Ge„ nerale procedatur. *Statuit præterea*, ut non obstan„ te quacumque, etiam Romani Pontificis prohibitio„ ne, „ omnibus ad quos de jure spectat, etiam S. R. E. Cardinalibus, liberum sit ad Generalia Concilia proficisci, Declarat insuper verba illa, *Nullatenus prorogetur*, in Decreto, *Frequens*, Concilii Constantiensis posita, ita prohibitive intelligi, ut Concilium *etiam per Papam* prorogari non possit; aut congregatum dissolvi, seu transferri, *sine ipsius Concilii expresso consensu*: Utque ipsa Basileensis Synodus per neminem, *etiamsi Papalis fuerit Dignitatis*, dissolvi aut transferri possit, nisi de expresso consensu duarum partium cujuslibet Deputationis, subsequente etiam consensu duarum partium Congregationis Generalis. Patresque obtestatur ne *ante completam Reformationem in Capite & in membris* dissolutioni consensum præstent, aut loci mutationem fieri permittant, nisi ea causis justis & manifestis. Locum futuri Concilii, integro mense ante dissolutionem, eligi decernit juxta Statutum Concilii Constantiensis. Utque Cardinales ante ingressum Conclavis, & Pontifex electus, hujus Decreti observantiam & executionem jurent. Ut in Synodis Provincialibus & Diœcesanis, nec-non in Comitiis & Capitulis Religiosorum Ordinum promulgetur. Tandem quælibet Mandata, cum Censurarum, privationum, & quarumcumque pœnarum interminatione facta Curialibus & Officialibus Romanæ Curiæ, tam *per Eugenium IV. quam ejus Camerarium, vel alium eorum auctoritate*, per quæ facultas ad Concilium veniendi tolli, impediri, vel restringi posset, Synodus irrita declarat.

XXX. Receptis subinde a *Sigismundo* Rege literis scriptis Viterbii die nona Maji, quibus significabat Pontificem designasse Legatos, qui suo nomine Concilio præessent, sed eorum profectione legitimis impedimentis retardata, interim alios Præsides subdelegare, *Joannem Mellam*, Archiepiscopum Tarentinum, & alios: Patres Basileenses tam Decretum *Eugenii* de Concilio, quod multis modis captiosum & subdolum esse arguebant, & ad destructionem Concilii magis quam ad Confirmationem compositum, quam ipsos Præsides subdelegatos admittere recusarunt: quos ad novi Concilii celebrationem, non ad istius quod dudum inchoatum, & hucusque continuatum fuerat, confirmationem missos, ex Pontificiis Literis ac Mandatis colligebant. Sed & offensionem concitabat gravissimam illa Mandatorum Apostolicorum clausula, qua potestas dabatur Legatis expediendi omnia negotia cum Synodi consilio; quibus verbis Episcopus Consiliarios dumtaxat, non Judices, in Conciliis agnoscere videbatur. Qua de re præstat audire Patres Basileenses in Responsione Synodali, quæ incipit, *Speravit*, edita in in Actis post Sessiones, Num. 4. „ Sed & non mediocriter, *inquiunt*, facultas datas Legati nos admirari „ compellit, in qua negotia quæque Ecclesiæ univer„ salia per dictos Præsidentes expedienda mandantur „ cum consilio Concilii: Quæ verba juxta significatio„ nem propriam, aut regulas juris Canonici & civilis, „ innuant, ut consilium Concilii peti dumtaxat, non „ autem sequi oporteat. Igitur si Concilium consulue„ rit aut dictaverit aliquid expedire & Præsidentibus „ non libeat fieri, secundum eum non licebit. Quid si „ Præsidentes nihil eorum quæ ad Fidem, vel ad ge„ neralem Reformationem Ecclesiæ pertinent, aut ali„ quid quod fidei vel bonis moribus contradicat, agere „ decreverunt? Concilium ergo prohibere non pote„ rit? Ergo de Judice fiet Consiliarius? Quid si Præ„ sidentes totum Concilium condemnare vel judica„ re deliberent, secundum hoc contradicere non po„ terit? Ergo de Judice fiet reus? Delusorium esset „ ergo & falsum Decretum illud, tanta maturitate „ a SS. Patribus in Concilio Constantiensi digestum, „ in quo cavetur, Quod quilibet cujuscumque digni„ tatis, etiamsi Papalis, Statutis, Mandatis, & De„ cretis Concilii Generalis obedire teneatur in his „ quæ pertinent ad fidem, extirpationem Schisma„ tis, & universalem Reformationem Ecclesiæ in Ca„ pite & in membris: quod si non obedivérit, con„ dignæ Pœnitentiæ subjiciatur, & debite puniatur: „ etiam ad alia Juris subsidia, si opus fuerit recur„ rendo. Secundum hoc, non solum Præsidentes, „ sed & Papa obnoxius est Decretis & præceptis „ Concilii. Ergo potius Concilium cum consilio Papæ „ vel Præsidentium, quam e contra, negotia Ecclesiæ „ concludere debet.

His Eugenii verbis, cum Synodi consilio, Patres Basileenses offenduntur.

XXXI. *Sessio duodecima* die 13. Julii celebrata est, in qua repetitis Concilii Constantiensis Decretis de Suprema, & a Christo immediate accepta Conciliorum Auctoritate, Synodus rogatu *Sigismundi* Cæsaris inducias adhuc dierum sexaginta *Eugenio* concedit: intra quos nisi attentatam Concilii dissolutionem revocet, & Basileense Concilium, per Generalium Constantiensis & Senensis Conciliorum Statuta, approbationemque *Martini V.* & ipsius *Eugenii* legitime inchoatum, a tempore hujusmodi inchoationis continuatum fuisse & esse declaret, continuarique debere: & ipsi pure & simpliciter adhæreat, & cum effectu, ex tunc Sancta ipsa Synodus *In virtute omnipotentis Dei, a quo super omnes Christi Fideles immediate Potestatem vindicat*, prædictum Dominum *Eugenium* manifeste contumacem, *ab omni administratione Papatus in spiritualibus & temporalibus ipso facto suspendit, & suspensum declarat*. In eadem Sessione Jus Sacrarum Electionum confirmatum & roboratum est: Pontificiis Reservationibus modus adhibitus, Juramenti formula electoribus præscripta, quo se ad eligendum eum obstringerent, quem futurum *Ecclesiæ in Spiritualibus & temporalibus utiliorem* crederent. Simoniacas electiones execratur & irrita declarat Synodus: Summum ipsum Pontificem exhortatur, „ Ut pro confirmatione earum „ electionum, quas ad eum deferri contigerit, nihil „ penitus exigat aut recipiat: Alioquin si secus facien„ do notorie & incorrigibiliter ex hoc Ecclesiam scan„ dalizet, futuro Concilio deferatur. „ Hæc contra Annatas, de quibus editas olim Observationes retractabimus, & in Dissertationem redigemus.

Acta Sessionis duodecima.

Disciplina circa sacras electiones.

XXXII. *Sessione* XIII. die undecima Septembris celebrata, Concilii Promotores *Eugenium* tertio postularunt contumaciæ, quod exacto sexaginta dierum spatio sibi peremptorie definito, dissolutionem Synodi a se tentatam minime revocasset. Ipsi nihilominus triginta dierum comperendinatus adhuc indultus est rogante Bavariæ Duce Concilii Protectore, tam suo, quam Imperatoris nomine.

Acta Sessionis 13.

XXXIII. Interim *Eugenius* cum repulsam Præsidum a se subdelegatorum intellexisset, urgente Imperatore & tribus Cardinalibus, quos apud se habebat, Concilium legitime indictum a tempore suæ inchoationis continuatum fuisse, prosecutionemque habere debere declaravit, ad hæreses, & morum corruptelam extirpandam, perinde ac si nulla dissolutio aut translatio facta fuisset, quas omnino revocabat, Synodumque promovere, & omni favore prosequi pollicebatur, ea tamen lege, ut ab ipso allegati Præsides admitterentur, omniaque & singula contra personam, auctoritatem, & libertatem ipsius *Eugenii* ac Sedis Apostolicæ, Cardinalium, aliorumque ipsi adhærentium in Concilio decreta gestaque rescinderentur. Hæc expressa sunt Literis datis Kalendis Augusti quæ in Appendice s. Concilii, Num. 57. editæ sunt. Alteras Idibus ejusdem mensis Literas dedit *Eugenius*, quibus Archiepiscopo Spalatensi, Episcopo Cerviensi & *Nicolao* Abbati, Nunciis suis commisit ut Synodalium Gestorum, suæ personæ, auctoritati ac libertati incommodorum revocationem urgerent: Eisdemque facultatem tribuit revocandi atque irrita declarandi omnia quæ ab ipso vel ejus Auctoritate contra Concilium, aut Concilio adhærentes facta aut decreta fuissent. Editæ sunt in eadem Appendice Num. 58. Cum vero nec ita fieri satis Basileensibus Patribus animadverteret, qui nihil eorum quæ fecissent revocari posse aut debere, sed Pontificem eis pure ac simpliciter adhærere tamquam Synodo inferiorem contendebant; Idem Pontifex imprimis Decretum Sessione 12. contra suam Sanctitatem, Cardinales, cæterosque conditum, Constitutione Idibus Septembris promulgata de plenitudine potestatis nullum & inane pronuntiavit. Edita est in Actis, Sessione 16. Postea publicatæ sunt prolixiores aliæ ejusdem nomine Literæ Apologeticæ ad universos Christi Fideles contra Synodum Basileensem: quibus ipsius Acta contra Sedis Apostolicæ ipsiusque Pontificis, ut ait, Auctoritatem, a Pontifice nusquam approbari posse, aut approbatum iri contestabatur. Deinde explicans quod a Patribus objectum erat, ipsum *Eugenium* allegatis a se Præsidibus mandasse, ut

cum

cum Synodi consilio omnia decernerent, ait Concilium sequi debere Præsides, Legatos Pontificis, non contra: ita ut Papa vel ejus Legati aliquid decernerent, Synodus vero contrarium statueret, in Papæ vel ipsius Legati, non in Concilii Sententia acquiescendum esset: „ Cum super omnia Concilia habeat potestatem Papa: „ nisi forte quæ statuenda forent, Catholicam Fidem „ respicerent, vel si non fierent, statum universalis Ec„ clesiæ principaliter perturbarent; quia tunc Concilii „ Sententia esset prius attendenda. Verba igitur nostra„ rum literarum, *inquit*, secundum Juris formam in„ terpretanda sunt, ut quæ ad solum Concilium spe„ ctarent, quæ sunt numero plurima, cum Concilia ex„ pediantur & fiant: alia vero Juris tramitem imiten„ tur. Et hoc est in quo potissime falluntur qui Basi„ leæ conveniunt. Nam credunt in singulis agendis esse „ Judices supra Pontificem, ut eorum actiones demon„ strant. Nam in singulis se nobis superiores reputant, „ quod tamen asseverare est hæreticum & profanum. Hæc supremam & a Christo immediate acceptam Conciliorum Auctoritatem nullatenus labefactant, tum quia Bullam quæ incipit, *Deus novit*, in qua sunt præscripta, suam esse, aut se sciente datam negavit *Eugenius*: Tum quia illam nihilominus ad cautelam rescidit & irritam declaravit, ut constat ex ejus Constitutione, quæ incipit, *Dudum*, Sessione 16. promulgata: Tum etiam quia hujus Bullæ Auctor Concilii potius quam Pontificis Romani Sententiæ standum esse docet, adeoque Concilium esse Pontifice Maximo superius in Controversiis Fidei dirimendis, in iisque decernendis, quæ nisi fierent, status universalis Ecclesiæ perturbaretur. Hæc porro tria complectuntur Capita, in quibus Summus Pontifex Concilio subest, eique tenetur obedire secundum Concilii Constantiensis Decreta, scilicet, *Quæ pertinent ad Fidem, ad extirpationem Schismatis & ad generalem Reformationem Ecclesiæ in Capite & in membris*. Nisi enim Schisma extinguatur, & Ecclesia in Capite ac membris reformetur, perturbatur principaliter Ecclesiæ Status universæ.

Concilium superius esse Pontifice absolute non negat Eugenius.

Acta Sessionis 14. & 15.

XXXIV. *Sessione XIV.* cui *Sigismundus* Augustus interfuit Insignibus Imperii ornatus, Synodus eo rogante terminum *Eugenio* sæpius prorogatum, ad nonaginta dies rursus ampliavit: ita ut intra id temporis adhærere Concilio, & omnia contra illud, eique adhærentes, Gesta, & Decreta revocare, & Acta confirmare secundum formulas hac Sessione ipsi a Synodo præscriptas teneretur. Hæc Sessio habita est septimo Idus Novembris.

Conciliorum celebratio.

XXXV. *Sessione XV.* sexto Kalendas Decembris celebrata, præsente pariter Imperatore, statuit Concilium, ut singulis annis semel saltem Diœcesana Synodus ab Episcopo celebretur: Provincialia vero Concilia ad minus infra biennium a fine Concilii Generalis, & deinde quolibet saltem triennio.

Acta Sessionis 16.

XXXVI. *Sessione XVI.* Nonis Februarii an. 1434. celebrata, Sacra Synodus literis *Eugenii IV.* more Curiæ Romanæ Bullatis, quas Tarentinus Archipræsul & Cerviensis Episcopus, Oratores obtulerunt, lectis, examinatis & diligenter inspectis, declarat ipsum Dominum *Eugenium* per hujusmodi literas plene satisfecisse monitioni, citationi, & postulatis Concilii, prout in Decreto Sessionis 14. & in Schedula ibidem inserta continentur; Ipsasque literas approbat, & in Acta refert. Incipiunt: *Dudum Sacrum Generale Basileense Concilium*: & datæ sunt Romæ 18. Kalendis Januarii an. 1433. Quibus quidem expresse profitetur Pontifex: „ Sacrum „ Generale Basileense Concilium, per Generalium Con„ stantiensis & Senensis Conciliorum Statuta, Ordina„ tionesque Martini Papæ V. ac suas, pro extirpatione „ hæresum, pace populi Christiani, ac generali Refor„ matione Ecclesiæ in Capite & in membris, & per„ tinentibus ad ea legitime inchoatum, a tempore præ„ dictæ inchoationis suæ legitime continuatum fuisse „ & esse, prosecutionemque semper habuisse; continua„ ti, ac prosecutionem habere debere ad prædicta & „ pertinentia ad ea, perinde ac si nulla dissolutio facta „ fuisset". *Quinimo præfatam dissolutionem* de consilio & assensu Cardinalium apud se existentium, *irritam & inanem* declarat: seque *Ipsum sacrum Generale Concilium Basileense pure, & simpliciter, & cum affectu, ac omni devotione & favore prosequi*. Utque suæ mentis integritas ac devotio, *quam ad universalem Ecclesiam, & Sacrum Generale Basileense Concilium gerit, omnibus constet evidenter*, tres Bullas seu Literas Apostolicas super dissolutione Concilii Basileensis evulgatas abrogat & revocat: Primam quæ incipit: *Inscrutabilis*; datam 9. Kalendas Augusti an. 1433. Alteram quæ incipit: *In arcano*; datam Idibus Septembris ejusdem anni: Tertiam quæ incipit: *Deus novit*, eodem die & anno datam, quam velut fœtum suppositiitium ablegat: & alias quascumque Literas, Gesta, & Decreta, *in præjudicium aut derogationem prædicti sacri Concilii Basileensis, seu contra ejus Auctoritatem facta, & attentata seu asserta*, revocat, *nullaque & irrita fuisse & esse* declarat. Omnes tandem Sententias, Censuras, & pœnas contra Supposita Concilii, & quosvis ei adhærentes, latas revocat, eosque in integrum restituit.

Eugenius IV. Basileense Concilium & omnia ab eo hucusque gesta approbat & confirmat.

XXXVII. Ex his evidens est, Synodum Basileensem ab *Eugenio IV.* fuisse ad Sessionem usque 16. expresse confirmatam, adeoque & Sessionis secundæ Decreta de Auctoritate Concilii supra Papam. Sed enim *Joannis* Cardinalis *De Turrecremata* inanis responsio est, Lib. 2. *Summæ De Ecclesia*, Cap. centesima, „ dicentis: „ *Eugenium* quidem approbasse continuationem Conci„ lii, non tamen omnia ejus Decreta, super quibus „ ejus Sedes numquam fuerat consulta: Cum tamen „ *Nicolaus I.* in Epistola ad *Michaelem* Græcorum Im„ peratorem scribat: *A Sanctis Patribus in Conciliis observatum, ut absque Romani Pontificis consensu nullius insurgentis deliberationis terminus daretur*. Unde *Eugenium*, in Disputatione publica Florentiæ habita, respondente ipso *Joanne De Turrecremata*, adhuc in Minoribus constituto, *Juliano de Cæsarinis* S. R. E. „ Cardinali in honorem Basileensis Concilii ex ipsius „ Pontificis Bullis argumentum opponenti respondisse refert: *Nos quidem progressum Concilii approbavimus, volentes ut procederet, ut incœperat, non tamen approbavimus ejus Decreta*. Et in hoc (inquit) sapientissime fecit. „ Quis enim nisi imprudentissimus Princeps „ approbaret Decreta, quæ numquam vidisset, ut quæ „ prius non examinasset, si quid in eis minus rectum, „ minus verum, aut minus expediens contineretur? „ Addit quod licet Basileenses cum maximo studio re„ petitis vicibus supplicaverint per Oratores suos, ut „ Dominus *Eugenius* eorum Decreta approbaret & „ confirmaret, numquam tamen talem approbationem „ aut confirmationem habere ab eo potuerunt. Hæc (inquam) doctissimi Cardinalis Responsio inanis est. *Eugenium* enim confirmasse Decreta Basileensis Concilii probat ejus Constitutio superius laudata, quæ incipit, *Dudum*, Sessioni 16. inserta. Primo, quia Sacrum Basileense Concilium *Generale* declaravit, ac proinde vera & Catholica Dogmata ab eo definita, cum Generale Concilium universalem Ecclesiam repræsentans tam infallibile sit in tradendis, explicandis, ac definiendis Dogmatibus, quam infallibilis Ecclesia est. Secundo, quia ipsum legitime inchoatum & continuatum ad Sessionem usque 16. agnovit & declaravit Eugenius *pro extirpatione hæresum, pace populi Christiani, ac generali Reformatione Ecclesiæ in Capite & in membris, & pertinentibus ad ea*. In his vero continetur Auctoritas Concilii supra Papam. Nisi enim Concilii potestati subesset, ab eo reformari non posset. Tertio, declaravit, *Concilium semper prosecutionem habuisse, ac habere debere ad prædicta, & pertinentia ad ea, perinde ac si nulla dissolutio facta fuisset*. Quibus verbis Concilii Decreta contra Dissolutionem a se attentatam diserte approbavit. Quarto, *Sacrum Generale Concilium Basileense pure & simpliciter, & cum affectu ac omni devotione & favore se prosequi* declaravit. An autem cum effectu omni devotione & favore prosecutus esset, si ejus Decreta non approbasset? Quinto, tres Bullas revocavit, in quarum tertia quæ incipit: *Deus novit*, hæc asserta propositio est: *Super omnia Concilia habet Potestatem Papa*; adeoque & hanc revocasse atque ejurasse censendus est. Sexto, retractavit ac rescidit quidquid per se aut suo nomine *In præjudicium aut derogationem prædicti sacri Concilii Basileensis seu contra ejus Auctoritatem factum & attentatum, seu assertum esset*. Porro qui negat Basileense Concilium *Potestatem a Christo immediate habere, cui quilibet cujuscumque Status, vel Dignitatis, etiam Papalis, obedire tenetur in his quæ pertinent ad Fidem, extirpationem Schismatis: & ad generalem Reformationem Ecclesiæ in Capite & in membris*: Qui (inquam) id negat, quod Sessione 2. ejusdem Concilii juxta Synodi Constantiensis Decreta, definitum est, aliquid contra ejus Auctoritatem facit, attentat, & asserit. Id itaque minime negavit *Eugenius*. Unde quod in quadam Disputatione Florentiæ ipsum dixisse refert Cardinalis *De Turrecremata*, ex suggestione dictum, nec satis attenta consideratione prolatum dicendum est, immo in antecessum retractatum ab eodem Pontifice censeri debet: Nec ullius roboris est ad labefactandam approbationem & confirmationem publica Constitutio-

Cardinalis de Turrecremata refellitur.

ne

ne a Synodo recepta consignatam. Septimo, nulla alia confirmatio Romani Pontificis ad Concilii Œcumenici Auctoritatem declarandam necessaria est, quam illius cum Patribus consensus, ut colligitur ex Epistola *S. Leonis* ad Synodi Chalcedonensis Patres, 61. vel 87. in Editione P. Quenellii: *Ut & fraterna universitas, & omnium Fidelium corda cognoscant, Me non solum per Fratres, qui vicem meam executi sunt, sed etiam per approbationem Gestorum Synodalium propriam vobiscum unisse Sententiam: in sola videlicet Causa Fidei.* Quo sensu & *S. Cyrillus Alexandrinus* in Epistola ad *Acacium* Melitinensem Episcopum de *Sixto Tertio* Pontifice Maximo ait: *Scripsit consona sanctæ Synodo* (Ephesinæ) *omniaque illius Acta nobiscum confirmavit & nobiscum sentit.* Porro *Eugenius IV.* Synodo Basileensi consensit, propriam cum illa univit Sententiam, scripsit consona Sanctæ Synodo, consensumque suum non solum per *Julianum* Sedis Apostolicæ Legatum, Concilii sua vice Præsidem, sed etiam per literas Apostolicas expressit: Itaque Acta Concilii Basileensis ad Sessionem usque 16. & consequenter Decreta de Suprema & a Christo immediate accepta Conciliorum Auctoritate, quantum opus erat, confirmavit. Quæ tamen confirmatio non probat Pontificem Concilio superiorem esse, ut perperam colligunt doctissimi Cardinales *De Turrecremata*, *Jacobatius*, & *Bellarminus*: Siquidem Concilium Œcumenicum independenter ab illa confirmatione Auctoritatem suam habet immediate a Christo & a Spiritu Sancto: Sed probat dumtaxat majorem esse Summi Pontificis in Conciliis etiam Generalibus Auctoritatem, quam alterius cujusvis Episcopi, quia prærogativa suffragii fruitur, Concilio per se vel per Legatos præsidet, Decreta Synodi in toto orbe Christiano promulgat, explicat, declarat, Synodique reverentiam promovet, Statutorum Synodalium executionem Christi Fidelibus universis imperat. Quocirca *Nicolaus de Cusa*, postea S. R. E. Cardinalis, Lib. 3. *De Concordantia Catholica*, Cap. 4. scribit: *In Conciliis universalibus concurrit in primo gradu Auctoritas ipsius Papæ per consensum cum aliis omnibus ipsum Concilium celebrantibus. Vigor nihilominus definitionis non est ab ipso Primo omnium Pontifice, sed ex communi omnium & ipsius & aliorum consensu dependet.*

Quamvis Concilium superius sit Pontifice, Concilii tamen Caput & Director est.

XXXVIII. Sed quomodo Romanus Pontifex sit Ecclesiæ etiam in Concilio congregatæ Caput, præcipuaque secundum eamdem Ecclesiam Auctoritate valeat, Concilia confirmet, iisque nihilominus sit subjectus & inferior, præclare explicat Concilium Basileense in Responsione Synodali data *Ambrosio* Priori Camaldulensi, & *Antonio De Sancto Vito* Eugenii IV. Oratoribus tertio Nonas Novembris anno 1435. per os *Juliani* Cardinalis Sedis Apostolicæ Legati & Concilii Præsidis. *Si Dominus noster* (inquit) *veram pacem & unitatem inter nos & ipsum fore desiderat, necesse est, ut quæ ad Justitiam spectant, primo ipse præmittat, hoc est, ut Ecclesiæ universali jus suum tribuat. Quod est illud Ecclesiæ Jus? Quæ sunt illæ Justitiæ partes? Non certe aliæ, nisi, cum Ecclesia universalis Spiritu Sancto dirigatur, & nam universale Concilium repræsentet, ut Decreta Synodalia diligenter & per alios suo exemplo & jussu servari faciat. Ita & sui Antecessores Sancti Romani Pontifices, quorum vitam in testimonium sanctitatis etiam miraculis illustravit Deus, fecerunt, summa veneratione universalium Conciliorum Canones suscipientes, & per eos inviolabiliter servari facientes: Qui sine magna & urgentissima causa adversus ea non disponebant quidquam, nec ab aliis aliter fieri patiebantur. Inquit etiam B. Damasus: Absit a me ut Sanctorum Patrum Canones absque inevitabili ratione transgrediar umquam: & Magnus ille Gregorius, ut sancta Evangelia, Concilia Generalia se venerari affirmat: & non solum quatuor illa primæva, sed omnia, dum illa ratione atitur, quæ omnibus universalibus Conciliis communis est. B. quoque Gelasius, universalis Ecclesiæ Statuta asseverat nullam esse Sedem, quam magis exequi oportet, quam Primam. Non mihi satis esset usque in crastinum, si singulos, tam Summos Pontifices, quam sanctos Doctores, recensere pergam, qui saluberrimam Conciliorum doctrinam super cæteris aliis efferebant, venerabantur & observabant.* In hoc positum Jus confirmandi Concilia Romano Pontifici conveniens, ut ea veneretur, eorumque Statuta & Decreta observet, suoque exemplo & jussu ab aliis observari faciat. Hæc doctrina Traditionis: quam cum pro nostra virili propugnamus, mirum quod Viri quidam Religiosi in nos excandescant, & apud Summum Pontificem & Dominos Cardinales calumnientur, quasi Pontificiæ Auctoritati a Christo collatæ & a Conciliis & Patribus assertæ detrahamus, & ad divinæ illius Potestatis eversionem laboremus. Zelum ipsorum pro Sedis Apostolicæ Auctoritate approbo, sed secundum scientiam Scripturarum & Traditionis illum esse velim, ne Catholicis Theologis, non minori studio & observantia Sanctæ Sedi & Romano Pontifici addictis obloquantur & insultent, Christique Vicarium decipientes, ejus Sanctitatem in filios concitent obsequentissimos; Nec oves, quæ Summi Pastoris vocem audiunt, ipsumque sequuntur, & intra caulas se continent, quasi lupos latratibus impetant & morsibus dilacerent. A quorum calumniis Gallicanos Præsules, & Parisienses Theologos, neque illorum minimum vindicat *Julianus* Cardinalis, immo Sacra Synodus Basileensis per ipsum loquens in Responsione illa Synodali, in qua post verba superius laudata continenter subjungit: „ Nec sic faciendo, quidquam Romani Pontificis Auctoritati deperit, aut detrahitur, immo „ adjicitur & accrescit. Quidquid enim in Sacris statuitur Conciliis, sua etiam Auctoritate statuitur, „ quæ semper ibi refulget, ut prima & præcipua, „ præ omnibus caput & directrix. Et cum aut personaliter, aut auctoritate semper in Synodis universalibus intersit, Ipseque Ecclesiæ Rector sit & „ Pastor, Decreta Conciliorum etiam sua & Sedis Apostolicæ non immerito dici possunt: Nos enim „ unum Ecclesiæ corpus sumus, & ipse hujus corporis „ caput sub capite Christo. Quidquid igitur fit ab „ hoc corpore Ecclesiastico, etiamsi omnia membra in „ idem concurrant, sicut in corpore naturali accidit, „ magis tamen ac præcipue operatio quævis capiti appropriatur & adscribitur, ab ipsoque magis quam ab „ alio corporis membro procedere censetur. Itaque „ non secus Synodalia Decreta pro suo debito & honore exequi debet, ac per alios servari facere, quam „ si ab ore proprio dictata & promulgata essent. Dum „ enim ipse præsens est, ipse concludit, ipse statuit, „ & sub Nomine suo ac Persona ejus omnia decernuntur. Dum abest, sui Præsidentes, qui vice ejus „ funguntur, locumque Apostolicum tenent, & personam Pontificis repræsentant, per sacrum Concilium „ deliberata concludunt. Per Concilium autem statuta „ in nullo derogant suæ Potestati, quin pro tempore, „ loco caussisque & personis, utilitate vel necessitate „ suadente, moderari dispensareque possit, atque uti „ Summi Principis ἐπιείκεια quæ ob eo auferri nequit.

Summi Pontificis auctoritas in Concilio.

Concilium Basileense supremam auctoritatem exercet Eugenii Literas recipiendo.

XXXIX. Verum, unde paululum digressa est, redeat oratio: *Eugenium IV.* non tantum Concilii continuationem, sed Decreta de illius & aliorum Auctoritate supra Papam approbasse & confirmasse, probat octavo finis Diplomatis, *Dudum*, supra laudati, quod misit ad Synodum per *Joannem* Archiepiscopum Tarentinum, & *Christophorum* Cerviensem Episcopum ut Concilio satisfaceret. Unde Synodus hac etiam occasione Supremam Auctoritatem suam exercere pergens, Literis illis Apostolicis lectis & *examinatis*, decrevit & declaravit, *Eugenium* per ipsas *satisfecisse plenariæ monitioni, citationi, & requisitioni hujus sacri Concilii, prout in Decreto in XIV. Sessione promulgata, & in Schedula in eodem Decreto inserta continetur.* Nono idem probat testimonium *Hartmanni Schedel* in Ætate 6. Mundi, ad annum Christi 1431. ubi de *Eugenio IV.* ait: *Concilio Basileensi, unde infinita mala orta sunt, Auctoritatem dedit, approbatis illius per Apostolicas Literas Decretis*, Iisdem verbis idem testatur *Platina* in Vita *Eugenii IV.*

Sententia Magistri Thomæ de Courfellis de suprema Conciliorum Generalium auctoritate.

XL. Decimo, Magister *Thomas de Courfellis*, in Sacra Facultate Parisiensi Doctor Theologus, & Concilii Basileensis Orator in Propositione solemni seu Oratione facta Biturigibus in Concilio Ecclesiæ Gallicanæ, præsente Rege Christianissimo *Carolo VII.* anno 1440. de Basileensis Concilii Decretorum approbatione & confirmatione ab *Eugenio* idem asserit & probat. „ Sed „ deinde videamus (*inquit*) quomodo in sacro Basileensi Concilio, & per universalem Ecclesiam, & expresse per Sedem Apostolicam hæc Auctoritas Conciliorum roborata sit. Notum est quod secunda Sessione Concilii Basileensis fuit repetita Declaratio illa, „ quæ in Concilio Constantiensi facta fuerat, dicente „ Sancta Synodo, quod ipsum in Decretis suis insequi „ volebat, & eamdem deinceps in pluribus Decretis „ & Epistolis repetit. Cum quo post attentatam prætensam dissolutionem Concilii venissent Oratores Summi „ Pontificis, qui pro tempore erant, argumentantes „ plura contra Conciliorum auctoritatem, fuit eis facta solemnis Responsio quæ incipit, *Cogitanti huic*

„ *sacro*

„ *facro Generali Synodo*, fatis per Mundum divulgata in qua multipliciter fuit elucidata doctrina illa de auctoritato Conciliorum, fuitque refponfum argumentationibus, quæ in oppofitum adducebantur: & poft hæc omnia Summus Pontifex, qui pro tunc erat, adhæfit Concilio haoc doctrinam notorie teneoti & promulgaoti, dixitque, Ipfum ab initio fui foiffe legitime continuatum non obftante diffolutione per Eum facta: quam declaravit nullam, irritam & ioanem, revocando certas Literas incipientes, *Inferatabilis*, & in arcano fuo Palatio promulgatas; & etiam alias fuo oomioe confectas, incipientes: *Deur aovit*: Quod quidem per Eum, & fuo nomine contra Auctoritatem Concilii Bafileeofis factum, atteotatum, feu affertom erat: Unde eom declaravit ipfum fuiffe & effe Concilium legitimum, & fibi tamquam sali adhæfit, faciendo etiam revocationes & declarationes prædictas, manifeftum eft quod judicavit illud non effe erroneum, nec doctrinam hæreticam teneus; ficut nunc ipfi Concilio impiogere conantur, condemnantes, quantum in fe eft, Apoftolicam & Catholicam doctrinam; & tam Papam, quam Cardinales, alios Prælatos, & Ecclefiafticos Viros atque etiam Principes fæculi & etiam Oratores ipforum, de errore notantes, qui etiam facro Concilio Bafileenfi, præfatam doctriuam tenenti & profequenti adhæferunt. Sicut autem in hac doctrina Fidei invariabilis perfeveravit Sancta Synodus, fic etiam fpecialiter hoc Chriftianiffimum Regnum eamdem affidue tenuit.

Altera Cardinalis a Turrecremata Refponfio refellitur.

XLI. Mitto refponfionem alteram Adverfariorum, quæ fuapte levitate evanefcit, cum incertis & vagis rumoribus uitatur, unde & ipfam dimittit Cardinalis *De Turrecremata*, & merito quidam, cum injuriofa fit Eugenio. *Ad ifta* (ioquit) *facilis refponfio, manifeme fi vera funt, quæ a pluribus magnæ probitatis & grovitutis viris dicta faat in Curia, videlicet quod præfata Bullæ magis extortæ funt minis, quam de meate Domini Eugeaii emanaverint. Nam* (ar fertur) *Domiaus Andreas Venetus, Domiaii Venetoram tuac Orutor, & aliqai Domini Curdinales tunc apud D. Eageniam præfentes, timentes faturam magnam fcaadalum in Ecclefiu, miaati fuat præfato Domino Eagenio, quod nifi Bullas illus adhæfionis conderet, Ipfum folam recedentes relinqaerent. Unde præfuto Domino in lecto decumbente, prafati Domini rsformatar Ballas illas taliter qualiter expediviffe, & miffife Bafileam. Sed dimiffis iftis, aos aliter rsfpendamus, &c.* Sed efto, terrose compulfus *Eageaius*, uu totus orbis Chriftiaaus ab ipfo deficeret, Apoftolicas literas Bafileenfe Concilium approbantes & confirmantes dediffet: illas tameu irritas uon feciffet hujufmodi metus. Nemo enim nefcit non folom libere fieri, fed laudabiliter, quæ funt officii (fpectata operis fubftantia) quamvis metu pœnarum aliquis ad ea exequenda excitetur. Sed æquius de *Eugeaio IV.* fentire par eft, ipfum fcilicet amore juftitiæ ac ftudio veritatis impulfum ad Synodum Bafileenfem approbandum. Refponfiones illas Cardinalis *Ds Turrecremata* fuas fecit Magifter *Andreas Duvallias* Sorbonæ Profeffor 1. P. Libri *De fuprema Papæ poteftate*; unde maoes cum ipfo confutatus.

Eugenii Legati quibus conditionibus in Concilium admiffi.

XLII. Die Sabbati vigefima-quarta Aprilis anni 1434. in Congregatione generali uatiooum, Legati *Eugenii* Papæ incorporati funt Concilio *aominibus privatis*, fcilicet *Nicolaus* Titulo S. Crucis in Jerufalem Presbyter, *Jalianas* S. Angeli Diaconus S. R. E. Cardinales, *Joanaes* Archiepifcopus Tarentinus, *Petras* Epifcopus Paduanus & *Ladovicas* Abbas S. Juftinæ: Decretumque illos in fua incorporatione *aominibus propriis* juraturos, quod pro ftatu & honore Concilii fideliter laborarent, ejufque Decreta defenderent & manu tenerent, præfertim Decretum Concilii Conftantienfis de fuprema Conciliorum Generalium Auctoritato, & fubjectione Romanorum Pontificum poteftati coactivæ eorumdem, *ia bis quæ pertiaeat ad extirpationem Schifmatis, & ad generalem Reformationem Ecclefiæ in capite & in membris*: Juraturos etiam quod falubre confilium darent, fuffragia fingulorum non revelarent; e Concilio fine licentia a Depotatis obtenta non recederent. Quæ certe non juraffent omnia, nifi *Eugenius* Pontifex Decretis de Auctoritate Concilii fupra Papam confenfiffet.

Acta Seffionis XVII.

XLIII. Secundum hæc, *Seffione XVII.* fexto Kal. Maji celebrata, præfente *Sigifmundo* Imperatore, iidem Legati in *Concilio Præfidentes* funt admiffi, *nomine, vice & loco Eageaii Papæ quarti*. Sed abfque Jurifdictione coactiva, & falvis modis procedendi eatenus in Concilio obfervatis: & ea lege ut Acta Concilii Bulla & Sigillo ejufdem Synodi obfignarentur. Non jam privatis dumtaxat nominibus, fed ut Legati Summi Pontificis, ejufqoe vicem gerentes in Synodo. Auctoritatem Concilii Pontificia fuperiorem agnofcunt.

Acta Seffionis XVIII.

XLIV. *Seffione* 18. celebrata fexto Kalendas Julii, duo Conftantienfis Concilii Decreta Seffione 4. & 5. renovata funt: Primum, quod „ Generale Concilium poteftatem a Chrifto immediate habet, cui quilibet, cujufcumque ftatus vel dignitatis, etiam Papalis, obedire tenetur in his quæ pertinent ad Fidem, & extirpatiooem Schifmatis, & ad generalem Reformationem Ecclefiæ in capite & in membris. *Alterum*, Quod nou obedientes Mandatis & Statutis hujus fanctæ Synodi, aut cujufcumque alterius Concilii Generalis legitimo congregati fuper præmiffis, feu ad ea pertinentibus, factis vel faciendis, debite puniantur, cujufcumque ftatus & dignitatis, etiamfi Papalis exiftant. „ Hæc Synodi Conftantienfis Decreta, in quinque Seffionibus hucufque repetita, inculcata, & confirmata funt, fcilicet Seffione fecunda, tertia, duodecima, decima fexta, & decima octava.

Concilii Conftantienfis Decreta de fuprema Conciliorum Generalium auctoritate a Bafileenfi quinquies confirmata.

Hæc vero qui abfque præjudiciis expenderit, fatebitur fruftra effe Ultramontanos Scriptores, dum caufantur Decreta Seffionum 4. & 5. Concilii Conftantienfis a fola obedientia *Joaanis* XXIII. aut a tertia tantum parte Ecclefiæ Catholicæ auctorata fuiffe, vel ad folum tempus Schifmatis pertinere: cum a Concilio Generali Bafileenfi, uoiverfalem Ecclefiam repræfentanse, quinquies innovata fuerint, auctorata, confirmata, ipfo etiam approbante *Eugeaio* Pontifice Maximo, juxta claufulam ejus Diplomati adfcriptam, qua *Sacrum Generale Concilium Bafileenfe pure & fimpliciter & cum effectu, ac omni devotione & favore profequi* intendit & probare in his quæ acta funt vel agenda *pro extirpatione hærefam, pace Populi Chriftiaai ac generali Reformatione Ecclefiæ in Capite & ia membris, & pertinentibus ad ea*. Huc autem referri Decreta 4. & 5. Seffionis Concilii Conftantienfis, nemo tam cæcus eft qui non videat.

Seff. 16.

Quamobrem non poffum quin vehementer admirer, quomodo *Joannes a Turrecremata* in Refponfione ad Bafileenfes in Concilio Florentino facta fcribere potuerit, Concilium Bafileenfe non renovaffe Decretum Concilii Conftantienfis, immo Decretum feciffe novum: „ quod patet (inquit) ex eo quod forma unius multum differt & litera & intelligentia ab alio, ficut patet intueoti illas. Sed cum bona venia tanti Viri dixerim, folis oculis opus effe ut falfi convincatur ejus Refponfio. Comparentur fimul Concilii Conftantienfis & Bafileenfis Decreta, perfpicuum erit iifdem verbis effe concepta. Quod vero fenfum fpectat; cui magis credendum eft, an Concilio Generali præcedentis Concilii fenfum explicanti, ao privatis Theologis Concilii Decreta, ut caufæ ferviant, interpretatione violenta vexantibus? Non minus evidenter falfum eft quod idem auctor addit, „ Præfidentes omnes, quibus in folidum auctoritas data eras, non confenferunt, immo contradixerunt, & proteftati funt eo modo meliore quo potuerunt, licet aliqui eorum non ut Præfidentes, fed ut particulares perfonæ, quafi violenter, cum aliter non reciperentur ad præfidentiam, in renovatione illa confenferint. Non confenfiffe Præfidentes omnes in id quod jurarunt, cum funt incorporati Concilio, qua ratione dici poteft, nifi fingatur ipfos verbis juraffe, mentem injuratam fervaffe; & viros nequam fuiffe, qui juraverint quod non probabant, & id quidem fponte ac lubenter? Quod de Cardinalibus & Prælatis religiofiffimis & integerrimis fufpicari nefas. At jurarunt omnes & finguli in fua incorporatione fe defenfuros Decreta Concilii Conftantienfis Seffionibus quarta & quinta de auctoritate Conciliorum Generalium, ut decretum fuerat in Congregatione generali, die Sabbati 24. Aprilis; falfo itaque dicitur quod non confenferint. Præterea, *Julianus* Cardinalis, antiquus Præfes, auctor fuerat, aut certe confenferat horum Decretorum promulgationi Seffionibus fecunda & tertia; & ad mentem ejus fuiffe condita, literæ ejus ad *Eugenium* IV. fuperius laudatæ luculenter probant. Tertio, etfi nullus Præfidum ab *Eugenio* Legatorum confenfiffet, nihilominus ut Synodi Œcumenicæ Decreta habenda effent & fufcipienda, hoc ipfo quod a Patribus in folemni Seffione approbata fuiffent, concludente Præfide a Concilio electo, five qui Jure præerat, fecundum Legatos Apoftolicos. Nam & hic procedendi modus in Synodo Bafileenfi ab initio fervatus eft, & ab ipfis „ Legatis Pontificiis 17. Seffione approbatus ut lectis in Congregatione Generali quæ conclufa erant per Deputationes, primus Præfidum ibidem præfentium, etiam aliis, vel alio ex eis abfentibus, conclude-

„ ret juxta Ordinationes Sacri Concilii. Quod si noluerit ipse, aut alius ex Præsidentibus ibidem præsentibus facere; tunc Prælatus in ordine considendi proxime subsequens concluderet: & ipso nolente, alius successive. Et si forte nullus Præsidum veniret ad Congregationem vel ad Sessionem Generalis Concilii, tunc proximus Prælatus fungeretur Officio Præsidis. Quarto, nulla monumenta hujusmodi contradictionem & Protestationem Præsidentium ab *Eugenio* Legatorum exhibent aut memorant, non comparet in Actis, non in *Augustini Patricii* Historia, non ullibi: Merum itaque figmentum est.

Cardinalis a Turrecremata refellitur.

XLV. Æque manis est tertia ejusdem auctoris Responsio, „ Non fuisse omnino indubitatum Basileense „ Concilium etiam postquam *Eugenius* dissolutionem „ revocavit, immo apud multos Doctos omnino vacuum auctoritate judicatum esse: cum Præsidentes „ Papæ juxta formam a Romano Pontifice datam, noluerit recipere, sed contra omnem modum & rationem corpus sine Ordine dependentiæ ad Caput sibi „ a Christo superpositum, potestate propria voluit procedere. Docti illi immanitee errarunt, a Catholicæ Ecclesiæ sententia, ab *Eugenii* IV. mente hac in re penitus alieni. Legatos enim ab *Eugenio* Præsides Concilium recepit, ut jus postulabat, & eo modo qui ejus Sanctitati probatus fuit & acceptus, & qui ejus literis præscriptus erat. *Eugenii* Mandata, seu potestas data Cardinalibus Sedis Apostolicæ Legatis, & eorum loco *Joanni* Archiepiscopo Tarentino & Collegis, una & *Juliano* S. Angeli Cardinali antiquo Concilii Præsidi, his expressa verbis sunt. „ Idcirco vobis, & illis, seu illi ex vobis, quos vel quem in dicto, Basileensi Concilio pro tempore contigerit interesse, „ nostro & Sedis Apostolicæ nomine & auctoritate in „ dicto Concilio præsidendi, nec-non omnia & singula, quæ ad generalem Reformationem Ecclesiæ in „ Capite & in membris, & pertinentibus ad ea, extirpationem hæresum, pacem, & concordiam Principum & totius Populi Christiani, noveritis pertinere, promovendi, proponendi, atque cum consensu, „ deliberatione & approbatione prædicti Basileensis „ Concilii, tractandi, ordinandi, deliberandi, concludendi, statuendi, disponendi, terminandi, decernendi, decidendi, declarandi & exequendi, &c. Nec „ non omnia alia & singula, cum consensu, daliberatione & approbatione dicti Concilii, agendi, gerendi & faciendi, quæ in præmissis, & circa præmissa, & tam circa modum & ordinationem celebrationis præfati Basileensis Concilii, & omnium & „ singulorum in eo agendorum, quam eorum decisionem, perfectionem & executionem, videritis necessaria fore & quomodolibet opportuna . . . . plenam „ & liberam tenore præsentium concedimus facultatem, ratum & gratum habituri quidquid super præmissis per vos, seu illos vel illum ex vobis, quos „ vel quem in præfato Concilio interesse contigerit, „ una cum eodem Generali Basileensi Concilio deliberatum, ordinatum, conclusum, statutum, dispositum & decretum fuerit, Idque faciemus usque ad „ satisfactionem condignam auctore Domino, inviolabiliter observari. „ Edita sunt in Appendice num. 59. & 60. pag. 947. & 497. Tom. 12. Conciliorum Collectionis Labbeanæ. Hac vero potestate usi sunt Præsides ab *Eugenio* Legati; hic modus, hæc forma in Synodo Basileensi servata est usque ad alteram Concilii dissolutionem, & translationem Ferrariam; Falsum est itaque quod scripsit *Joannes a Turrecremata*, Præsides ab *Eugenio* designatos non fuisse receptos a Synodo juxta modum ab eo præscriptum.

XLVI. Quænam tandem mens fuerit *Eugenii*, quam gratus ipsi fuerit modus, quo Synodus Legatos ab eo Præsides suscepit, quam accepta ipsorum cum Synodo concordia, quantus ipsius Pontificis cum Sacro Concilio consensus, quam propensa ad generalem Ecclesiæ Reformationem voluntas, & in tam divinum opus cum Patribus conspiratio, probant ejus literæ datæ Florentiæ nono Kalendas Julii ejusdem anni 1432. Inscribuntur: *Venerabilibus Fratribus & dilectis Filiis in Sacro Generali Basileensi Concilio congregatis*. Significat imprimis se cum ipsis in eumdem finem semper processisse: *Solum in loco celebrandi Concilii salva semper pietate dissensisse*. Nec id mirum, cum *SS. Paulus & Barnabas* propter *Joannem* cognomento *Marcum* ab invicem dissentientes separati sint, *quos tamen Christi Evangelium copulabat*. Subdit: „ Optavimus pacem, optavimus Ecclesiæ Reformationem: ob hanc rem non solum cessimus vobis, sed „ etiam per Literas nostras Decreto vestro, quemadmodum dictastis, annuimus. *Et infra*: Hoc nostrum „ propositum est, hic noster affectus, vos amare ut „ filios, observare ut Fratres, & in Benedictionibus dulcedinis una nobis præcipua charitate constringi. Sic „ etiam de vobis confidimus, ut non alii apud vos „ sitis, sed pro ipsius Apostolicæ Sedis reverentia fideles & devotos animos ad Nos habeatis. Hujus siquidem confidentiæ signa perspeximus, primo, quod ex „ nostro consensu ad Sacrum Generale Basileense Concilium plurimum lætati estis. Iterum, quod Præsidentes nostros affectu & opere amodo sic vobis conjunctos, ut pene unum invicem esse videamini, „ audimus. Ex his congratulamur plurimum Devotionibus vestris, congratulamur Ecclesiæ Sanctæ cui „ profectum evenire speramus . . . . Superest ut eo „ affectu, quo cœpistis, in Deum quotidie succrescentes, ad generalem Ecclesiæ Reformationem sine „ ulteriori mora vigiles sitis. Sic Devotiones vestras „ exhortamur in Domino. Nostis enim quantum ea „ indigeat Religio Christiana: quia (ut ait Propheta) A planta pedis usque ad verticem non est in „ ea sanitas. Non multa disputatione opus est, sed „ observatione & exemplo. Quibus veluti quodam „ optimo rectore ea quæ a Sanctis Patribus Divino „ Spiritu constituta sunt, dirigantur, suumque attingant effectum. *Si qua igitur pietas, si qua consolatio in Christo, implete desiderium & gaudium nostrum*, immo & Bonorum omnium. Non deerit „ vobis gratia divina, neque bonorum subsidia, sic „ in Domino confidimus. Quantum autem ad Nos „ pertinet, omnes operas nostras pro his rebus libenter offerimus, nihil pro nostro officio prætermittentes, quo gloriam Deo, pacem & salutem Populo „ Christiano, ex his sanctis operibus vindicemus". His *Eugenii* Literis, quæ extant in Concilii Appendice Num. 63. *Joannis a Turrecremata* Responsiones omnes eliduntur & exsufflantur.

Philipp. 2.

Acta Sessionis 19.

XLVII. *Sessione decima nona* die Martis septimo Idus Septembris celebrata, de Concilio pro Græcorum unione celebrando actum est. Anno superiori ad Synodum scripserant *Joannes Palæologus* Græcorum Imperator, & *Joseph* Constantinopolitanus Patriarcha Concilium Œcumenicum utriusque Ecclesiæ, secundum antiquum ordinem & consuetudinem summopere se desiderare significantes. Ad quod promovendum miserunt *Demetrium Palæologum* Protovestiarium, una cum *Isidoro* Abbate Monasterii S. Demetrii, & *Joanne Dysipato* Imperatoris familiari. Cum quibus habitis diversis Tractatibus a Præsidibus & aliis Concilii Deputatis, primo disceptatum est de loco Concilii, ac petentibus Græcis ut Constantinopoli celebraretur, Basileensibus Patribus ut Basileæ, demum convenerunt ut in Occidente congregaretur: Ac loca nominata, Calabria, Ancona, vel alia terra maritima, Bononia, Mediolanum, vel alia Civitas in Italia, extra Italiam, Buda in Hungaria, Vienna in Austria, & ad ultimum in Sabaudia: ita tamen, ut si persuaderi Imperatori posset, eligeretur Basilea, alioqui tenerentur Basileenses, post unum mensem ab adventu Græcorum, ad locum se conferre quem elegissent. Græcis vero triremes sumptusque necessarii suppeditarentur. Singula Conventionis Capita Synodus approbavit; rogavitque *Eugenium* Pontificem Maximum, ut in favorem Fidei & Ecclesiasticæ unitatis, huicce Conventioni, omnibusque illius capitibus assensum præberet: Quod ipsum præstitisse *Augustinus Patricius* Cap. 42. testatur. In eadem Sessione decretum est, ut *Judæi* & alii Infideles ad verbi Dei prædicationem audiendam compellantur, observeturque Constitutio Concilii Viennensis de docendis discendisque Linguis Hebraica, Arabica, Græca, & Chaldaica. Anteriora omnia decreta de vitanda eorum communicatione, in fide, moribus, victu, habitatione, conversatione, commercio, nec-non de vestitus distinctione, renovata sunt & confirmata, Judæis ad Fidem conversis indultum est, ut bonis suis seu mobilibus seu immobilibus optimo jure fruerentur: Si hujusmodi bona usuris aut illicito quæstu parta essent, ac notæ Personæ quibus esset restitutio facienda, illis omnino restituerentur: *Quia non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum*. His vero Personis non extantibus, *quia talia per manus Ecclesiæ debeant in pios usus convertenda*, Synodus vicem gerens universalis Ecclesiæ in favorem suscepti Baptismatis, tamquam in pium usum, hujusmodi bona illis attribuit, Christianos omnes, tam Ecclesiasticos Viros quam Sæculares hortatur, ut egentibus Neophytis subveniant: Diœcesa-

eesanisque mandat, ut curam ipsorum gerant singularem.

Acta Sessionis 20. Decretum contra Clericos concubinarios.

XLVIII. *Sessio vigesima* celebrata est undecimo Kalendas Februarii, anno 1435. in qua Decretum contra Clericos concubinarios editum, quo a perceptione fructuum tribus mensibus suspensi. Et si concubinam statuto tempore non dimitterent, omnibus Beneficiis privati ipso facto, & ad alia inhabiles declarati sunt. Quæ pœnæ & ad eos extensæ sunt, qui mulieres de incontinentia suspectas, & infamia notatas, moniti non dimitterent. Judicibus vero Ecclesiasticis sub interminatione maledictionis æternæ prohibitum est, ne Clericos illos mulierosos pecuniaria mulcta imposita, sicut in nonnullis locis fieri consueverat, in suis obscœnitatibus sordescere permitterent. Statutum ut concubinæ invocato brachii secularis auxilio ejicerentur & coercerentur. Filii ex infami contubernio procreati in paterna domo commorari non sinerentur. Secundo, eos tantum excommunicatos vitandos esse decretum est, qui nominatim denuntiati essent, aut qui notorie in Sententiam excommunicationis incurrissent, ut nulla tergiversatione celari aut Juris suffragio excusari ullatenus possent. Tertio, vetitum est ne civitas aliqua, oppidum, castrum, vel locus Interdicto Ecclesiastico subjiciatur, ob culpam seu causam privatæ cujuscumque personæ, nisi talis persona prius fuerit nominatim & solemniter excommunicata, & Domini seu Rectores ac Magistratus illorum locorum ad Judicis postulatum, ipsam inde, infra biduum non ejecerint. Quarto, ad lites citius finiendas vetitum est ne super eodem gravamine, aut interlocutoria Sententia secundo appelletur.

De Excommunicatione & Interdicto.

Acta Sessionis 21.

XLIX. *Sessione vigesima prima* die nona Junii celebrata, statutum est primo, Ut tam in Curia Romana, quam alibi, pro confirmatione electionum, admissione postulationum, præsentationum provissione, collatione, præsentationa, Investitura, de Ecclesiis etiam Cathedralibus, & Metropolitanis, Monasteriis, Dignitatibus, Beneficiis, Officiisque Ecclesiasticis quibuscumque, nec non Ordinibus Sacris & Benedictione ac Pallio, de cætero „ Nihil pœnitus ante vel post „ exigatur ratione Literarum Bullæ, Sigilli, Annatarum, communium & minutorum servitiorum, primorum fructuum, deportuum, aut sub quocumque „ alio titulo, colore, vel nomine, prætextu cujusvis „ consuetudinis, privilegii, vel Statuti &c. *Adversus „ hujus Canonis transgressores pœnæ simoniacorum decretæ*: Utque si Romanus Pontifex, qui præ cæteris universalium Conciliorum exequi & custodire „ Canones debet, adversus hanc Sanctionem aliquid „ faciendo Ecclesiam scandalizet, Generali Concilio „ deferatur. „ Secundo decretum est pacifico Beneficii per triennium possessori litem moveri non posse, excepto casu hostilitatis vel alterius legitimi impedimenti, de quo protestari & illud significare teneatur Actor, juxta præscriptum Concilii Viennensis. Tertio, saluberrima Decreta edita sunt de modestia, gravitate, devotione in celebrando & recitando divino Officio, tam in Missa quam horis Canonicis, de pœnis absentium, discurrentium, negligentium: ne cantilenæ sæculares in Ecclesia canantur: Ne Capitulares Actus, citra necessitatem, tempore Majoris Missæ celebrentur. Prava demum damnata & sublata consuetudo est in quibusdam Ecclesiis frequentata, ut certis anni celebritatibus, nonnulli in habitu Pontificali more Episcoporum benedicerent, alii ut Reges ac Duces induerentur, quod Festum Fatuorum, vel Innocentum seu Puerorum in quibusdam regionibus nuncupabatur: & spectacula quæcumque, choreæ, comessationes, convivia, nundinæ, in Ecclesiis & Cœmetariis vetitæ. Quod spectat Decretum de Annatis ubetius hoc argumentum infra tractabimus.

Decretum contra Simoniacos aut simoniæ speciem præse ferentes exactiones.

Decreta de modestia in Divinis Officiis, & reverentia Templis debita.

Legati a Synodo missi ad Græcos.

L. Interim cum *Eugenius IV.* ad unionem Græcorum cum Latina Ecclesia accelerandam, *Christophorum Garatonum* sibi a Secretioribus Mandatis Constantinopolim misisset, isque contra Pacta Basileæ conventa in antiquo proposito celebrandæ in ea urbe Synodi, cui Sedis Apostolicæ Legatos interesset, reperisset obfirmatos, Synodus Basileensis de ipsorum reductione solicita novos Nuncios Constantinopolim misit, *Joannem de Ragusio*, Ordinis FF. Prædicatorum Professorem, *Henricum Menger* Juris Canonici Doctorem, Canonicum Constantiensem, & *Simonem Freiron* Canonicum Aurelianensem, qui Græcis Basileensium Pactorum executionem persuaderent. Id ab ipsis obtentum, & Synodum Oecumenicam ea de re in Occidente celebrandam conclusum est. Græcorum Imperator & Constantinopolitanus Patriarcha literas ad Patres Basileenses dedere, quibus Concilium pro Sanctæ Unionis negotio in uno ex locis maritimis Italiæ, sibi & Romano Pontifici commodis decerni rogabant.

Acta Sessionis 22.

LI. *Sessione vigesima-secunda*, Idibus Octobris ejusdem anni 1435. celebrata, Libellus *Augustini de Roma* Nazareni Archiepiscopi, ex Ordine FF. Eremitarum S. Augustini assumpti, *De Christo & Ecclesia* inscriptus, a Synodo damnatus est, *tamquam non sanam, & erroneam in fide doctrinam continens*, & maxime ob horrendam Propositionem: *Christus quotidie peccat, & ex quo fuit Christus quotidie peccavit* (Quamvis id non ad Christi personam, sed ad ejus membra, quæ cum Christo Capite unum esse Christum asserebat, referret). Per hanc porro Censuram & damnationem se in nullo *derogare* velle *dictis aut Scriptis Sanctorum Doctorum* de hujusmodi argumentis loquentium Sacra Synodus declaravit; quinimmo ea se recipere & amplecti *juxta eorum veram intelligentiam per eos aut alios Catholicos Doctores in Theologica Schola communiter expositam & declaratam*.

Libellus Augustini de Roma damnatur.

Acta Sessionis 23. De Summi Pontificis electione.

LII. *Sessione vigesima tertia*, octavo Kalendas Aprilis anni 1436. celebrata, Synodus Constitutiones Conciliorum Generalium, & Summorum Pontificum de modo & forma electionis Romani Pontificis & Conclavis Innovavit. Formamque consensus & Juramenti ab Electo præstandi præscripsit, qua se Fidem Catholicam, & Decreta Conciliorum Universalium, etiamque Basileensis se omnino servaturum; & pro tuitione fidei, extirpatione hæresum, & errorum, reformatione morum, ac pace populi Christiani laboraturum, profiteri deberet. Item promoturum celebrationem Conciliorum Generalium, & confirmationem electionum juxta Decreta Sacri Basileensis Concilii; edixitque ut anniversario electionis aut coronationis ejus die, intra Missarum solemnia, a primo Cardinalium ibidem præsentium hæc Professio ipsi in memoriam revocaretur, ac legeretur, addita salutari adhortatione, cujus hæc præclara verba Pontificibus inculcare non est opus, cum vita sua, actis, & regimine exprimunt, quidquid in ea continetur; Quod cum omnium Gentium Christianarum admiratione, & Ecclesiæ universalis ædificatione divine præstat Sanctissimus Pontifex Innocentius Undecimus. „ Memineris quod B. Petrus, „ aliique sibi succedentes Pontifices fecerunt, qui nihil aliud cogitabant nisi honorem Dei, propagationem fidei, publicum Ecclesiæ bonum, salutemque „ & utilitatem filiorum suorum: & tandem imitantes Magistrum & Dominum, animas suas pro sibi „ commendatis ovibus exponere non dubitarunt: Noli „ Tibi aut tuis thesaurizare in terris, ubi tinea & ærugo demolitur, ubi fures & latrones effodiunt, sed „ thesauriza tibi in cœlis. Non sis acceptor personarum, nec sanguinis aut patriæ, aut nationis. Omnes filii Dei sunt, & tuæ curæ ac custodiæ pariter „ commissi. Dicas exemplo Christi: *Qui fecerit voluntatem Patris mei qui est in cœlis, ille meus frater, „ mater & soror est*. In distribuendis Dignitatibus & „ Beneficiis, non carnem, non munera, non quid aliud „ temporale, sed solum Deum, & virtutes atque hominum merita tibi proponas. In corrigendis excessibus Ecclesiasticam exerce Disciplinam, memor quam „ gratiam Phinees, quamve pœnam Heli, alter injurias Dei ulciscendo, alter dissimulando meruerunt. „ Pauperes ac miserabiles personas defende, juva & „ sustenta; ad omnes autem paternam habe charitatem. „ Sanctissima Decreta Synodus addidit de modo quo se gerere debet Pontifex, tam in negotiis publicis, ad optimum universalis Ecclesiæ regimen spectantibus, quam in Curiæ Romanæ ac Domus Pontificiæ Reformatione, Romanæ Urbis ac Patrimonii Ecclesiastici administratione. Item ne consanguineos vel affines usque ad tertium gradum inclusive, Duces, Marchiones, Comites, Feudatarios, Gubernatores Provinciarum, aut Civitatum Romanæ Ecclesiæ constituat. Ut medietas proventuum terrarum ac locorum Ecclesiæ Romanæ Cardinalibus attribuatur, gravioraque omnia negotia de ipsorum consilio tractentur ac finiantur. Numerus porro Cardinalium ad viginti quatuor redactus, qui de omnibus Christiani orbis Nationibus assumerentur; essentque scientiæ, moribus, ac rerum experientia excellentes, in Theologia, vel Jure Doctores aut Licentiati, paucis admodum filiis, fratribus, aut nepotibus Regum vel magnorum Principum exceptis, in quibus cum integritate morum competens literatura sufficeret. In Sacrum Collegium Summi Pontificis, aut alicujus

Summi Pontificis officia.

Matth. 12. 50.

Cardinalium creatio & dotes.

Cardinalis viventis nepotes non cooptarentur. Ut eorum electio per auricularia vota dumtaxat non fieret, sed illi solum assumi possent, in quos facto vero scrutinio ac publicato, majorem partem Cardinalium collegialiter consensisset constitisset. Aliæ de jurejurando ab iis præstando, cura Titulorum, sollicitudine Ecclesiarum, morum integritate, modestia & frugalitate in familia, mensa, suppellectili Sanctiones additæ. Ipsis partium studia vetita, etiamsi de terra partiali originem ducant: „ Et ne sint Principatuum aut Communita„ tum, seu aliorum contra quemquam, cum pretio „ vel sine, partiales Protectores, aut Defensores, sed „ exuti omnem passionem, in sedandis concordia vel „ justitia litibus Papæ assistant". Decreta denique de Sacrarum electionum libertate, & omni Reservationum Pontificiarum abolitione, his quæ in corpore Juris continentur, vel quas in terris Romanæ Ecclesiæ subjectis fieri contingeret, dumtaxat exceptis, confirmata sunt.

Acta Sessionis 24.

LIII. *Sessione vigesima-quarta* decimo octavo Kalendas Maii celebrata, Pacta conventa cum Græcorum Imperatore & Patriarcha Constantinopolitano, de Synodo Œcumenica in Occidente, & in uno ex locis maritimis Italiæ celebranda, deque sumptibus & triremibus Græcis suppeditandis a Synodo confirmata sunt. Salvus-Conductus ab eadem Imperatori, Patriarchis, aliisque Græcis Principibus, Præsulibus, & Personis ad numerum 700. datus & promulgatus; Indulgentiæ Plenariæ, quales euntibus Romam tempore Jubilæi, aut Crucesignatis ad recuperationem Terræ Sanctæ tribui solent, semel in vita & in mortis articulo iis omnibus concessæ, qui ad sumptus Græcis ad Synodum pro sanctæ unionis negotio accessuris ab Ecclesia promissos tantum contribuerent, quantum quisque hebdomadis unius decursu, pro sua, familiæque suæ refectione expenderet; aliis etiam pietatis operibus ad istarum Indulgentiarum consecutionem impositis, Legatos vero Apostolicos huic Indulgentiarum concessioni frustra intercessisse, refert *Augustinus Patritius*, cap. 53.

Indulgentia a Synodo jure optimo concessa.

LIV. Mirum est quod *Andreas Duvalius* Doctor & Professor Sorbonicus, in Præfatione Libri *De Auctoritate Papæ, & Concilii*, Synodum Basileensem criminetur, quod Jus & Auctoritatem Plenarias indulgentias concedendi sibi tribuerit: Quarum largitionem uni Romano Pontifici competere ipse existimat. Indulgentias enim concedere multo magis Ecclesia potest, quam Summus Pontifex, cum Claves Regni Cœlorum & potestas ligandi atque solvendi *S. Petro* datæ non sint dumtaxat ut singulari ac privatæ personæ, sed ut Ecclesiam universam repræsentanti, ut frequenter inculcat *S. Augustinus*, scilicet Lib. 1. *de Doctrina Christiana*, Cap. 18. Lib. 1. *Contra adversarium Legis & Prophetarum* Cap. 17. Lib. *de Agone Christiano*, Cap. 30. Enarratione in Psalmum 107. Lib. 3. *de Baptismo* Cap. 17. & 18. Tractatibus 50. 118. & 124. in *Joannem*, & Sermone 108. *de Diversis*, quibus in locis hæ Propositiones habentur: „ (a) Christus Claves dedit „ Ecclesiæ suæ, ut quæ solveret in terris, soluta es„ sent in cœlo; quæ ligaret in terra, ligata essent in „ Cœlo...... (b) Claves Regni Cœlorum dedit Chri„ stus Ecclesiæ.... (c) Huic Ecclesiæ Claves Regni „ Cœlorum datæ sunt, cum Petro datæ sunt... (d) „ Nec eos audiamus, qui negant Ecclesiam Dei omnia „ peccata posse dimittere: Itaque miseri dum in Pe„ tro Petram non intelligunt, & nolunt credere da„ tas Ecclesiæ Claves Regni cœlorum, ipsi eas de „ manibus amiserunt... (e) Quædam dicuntur, quæ „ ad Apostolum Petrum pertinere videantur, nec ta„ men habent illustrem intellectum, nisi cum refe„ runtur ad Ecclesiam, cujus ille agnoscitur in figura „ gestasse personam, propter Primatum, quem in Di„ scipulis habuit; sicuti est; Tibi dabo Claves Regni „ Cœlorum... (f) Quod in typo unitatis Petro Do„ minus dedit potestatem, ut id solveretur in terris „ quod ille solvisset, manifestum est, quod illa unitas „ etiam una columba perfecta sit dicta... (g) Sicut „ misit me Pater, & ego mitto vos. Hoc cum dixis„ set, inspiravit, & ait illis; Accipite Spiritum San„ ctum, si cujus remiseritis peccata, remittentur ei; „ si cujus tenueritis, tenebuntur. Ergo si personam „ gerebant Ecclesiæ, & sic eis hoc dictum est, tam„ quam ipsi Ecclesiæ diceretur, pax Ecclesiæ dimittit „ peccata... (h) Quæ Domus etiam accepit Claves, „ ac potestatem solvendi & ligandi. Hanc Domum „ si quis corrigentem corripientemque contempserit, „ sit tibi, sicut Ethnicus & Publicanus. (i) Si in „ Petro non esset Ecclesiæ Sacramentum, non ei di„ ceret Dominus, Tibi dabo Claves Regni Cœlorum.. „ (k) Petrus quando Claves accepit, Ecclesiam Sanctam „ significavit.... (l) Petrus ligandi & solvendi pote„ statem cum omnibus Apostolis, tamquam perso„ nam gerens ipsius unitatis accepit... (m) Ec„ clesiæ Petrus Apostolus, propter Apostolatus sui „ Primatum gerebat figurata generalitate personam.... „ Quando ei dictum est: Tibi dabo Claves Regni Cœ„ lorum, &c. universalem significabat Ecclesiam.... „ Ecclesia ergo quæ fundatur in Christo, Claves ab „ eo Regni Cœlorum accepit in Petro, id est, Pote„ statem ligandi solvendique peccata.... Nec ille so„ lus, sed universa Ecclesia ligat, solvitque peccata. „ (n) Inter Apostolos pene ubique solus Petrus totius „ Ecclesiæ meruit gestare personam. Propter ipsam „ personam, quam totius Ecclesiæ solus gestabat, au„ dire meruit: Tibi dabo claves Regni Cœlorum. „ Has enim Claves non homo unus, sed unitas acce„ pit Ecclesiæ. Hinc ergo Petri excellentia prædica„ tur, quia ipsius universitatis & unitatis Ecclesiæ fi„ guram gessit, quando ei dictum est: Tibi trado, „ quod omnibus traditum est. Nam ut noveritis Ec„ clesiam accepisse Claves Regni Cœlorum, audite in „ alio loco quid Dominus dicat omnibus Apostolis „ suis: Accipite Spiritum Sanctum: si cui dimiseritis „ peccata, dimittuntur eis, si cujus tenueritis, tene„ buntur. Hoc ad Claves pertinet, de quibus dictum „ est: Quæ solveritis in terra, soluta erunt in Cœlo, „ quæ ligaveritis in terra, ligata erunt in Cœlo: Sed „ hoc Petro dixit, ut scias quia Petrus universæ Eccle„ siæ personam tunc gerebat.... Columba ligat, Co„ lumba solvit, Ædificium supra Petram ligat & sol„ vit". Idem principium inculcant doctissimi *S. Augustini* Discipuli, *S. Fulgentius* Lib. *de Fide ad Petrum*, cap. 3. lib. 1. *de Remissione Peccatorum*, cap. 19. & 24. lib. 2. cap. 20. Venerabilis *Beda*, in cap. 10 S. *Joannis*, in Cap. 16. *Matthæi*, & in Homilia de S. Petro: *Ambrosius Autpertus*, Lib. 4. 5. & 7. in Apocalypsim: *Dungalus* Diaconus, Lib. contra Claudium Taurinensem: *Paschasius Radbertus*, Lib. 8. in *Matthæum*, ad cap. 16. *Hincmarus* Archiepiscopus Remensis Epistola 33. ad *Hincmarum* Laudonensem Episcopum, Cap. 20. 36. & 47. *Hugo de S. Victore*, Lib. 2. *de Sacramentis*, cap. 26. Denique Scholastici post Magistrum Sententiarum, & *S. Thomam*, Claves Ecclesiæ semper appellant, non Claves *S. Petri*; quia immediatius Ecclesiæ traditæ sunt, quam *S. Petro*, illique commissæ sunt, ut Ecclesiæ personam gerenti. Unde ligandi solvendique Potestas in Ecclesia tamquam in proximo subjecto residet (ut cum Parisiensibus Theologis loquar) in *S. Petro* & ejus Successoribus tamquam in subjecto remoto; Per quos nihilominus, ab iisque consecratos Ministros dumtaxat, exercetur Potestas Ordinis; quamvis & Ecclesia per se ipsam potestatem Jurisdictionis præ singulis Episcopis, & ipso Romano Pontifice exercere possit ferendo Censuras, & conferendo Plenarias Indulgentias. Qua de re legi velim doctissimum *Tostatum* Abulensem Episcopum, in Cap. 15. *Numerorum*, Quæst. 48. & 49. hæc egregie explicantem, *Gersonum in Tractatu de Potestate Ecclesiastica*, & *Almainum*, Lib. *de Potestate Ecclesiastica & Laica*, Quæst. 1. Cap. 15. Ex his porro omnibus evidens est, Concilium Generale universalem Ecclesiam repræsentans Indulgentias Plenarias concedere posse; & inconcussum manere principium illud ex Scriptura Sacra & Traditione acceptum, & a *S. Augustino* aperte, frequenter, perseveranter traditum & inculcatum, Claves toti Ecclesiæ a Christo datas, immediate ipsi collatam a Sponso auctoritatem ligandi & solvendi, potestatem Jurisdictionis in tota universitate Ecclesiæ principaliter residere (ut Scholastici loquuntur) quod unum est ex fundamentis Sententiæ quam Ecclesia Gallicana & Sacra Facultas Parisiensis propugnant, asserentis Concilium Œcumenicum superius esse Romano Pontifice, ut agnoscunt *Dominicus Soto* in 4. Sententiarum, Dist. 20. Quæst. 1. Art. 4. & *Martinus Navarrus* in cap. Novit. *De Judiciis*, Notabili 3. num. 84. Perperam itaque Magister *Andreas Duvallius* Sacri Concilii Basileensis auctoritatem ex eo impetit, quod Plenarias Indulgentias concesserit, falso supponit eas a solo Romano Pontifice, non a Concilio Generali tribui posse. Certe Tridentina Synodus Sessione 25. cap. 21. *Potestatem conferendi Indulgentias a Christo Ecclesiæ concessam* docet; Ecclesiæque Thesaurus, non Thesaurus Papæ dicitur aperiri, dum conceduntur: Porro Synodus Œcumenica universalem repræsentat Ecclesiam: Quidni ergo Plenarias Indulgentias concedere posset? Potestatem igitur a Christo immediate sibi traditam Sacra Synodus Basileensis exercuit,

Duvallius refellitur.

(a) *Lib. 1. de Doctr. Christ. C. 18.*
(b) *Lib. 1. Cont. Advers. Legis & Prophet. C. 17.*
(c) *Lib. de Agone Christi C. 30.*
(d) *Ibid. Cap. 31.*
(e) *Enarrat. in Ps. 108.*
(f) *Lib. 3. de Baptis. Cap. 17.*
(g) *Ibid. Cap. 18.*
(h) *Lib. 7. de Baptis. Cap. 51.*
(i) *Tract. 50. in Joan.*
(k) *Ibidem*
(l) *Tract. 118.*
(m) *Tract. 124.*
(o) *Serm. 108. De Diversis.*

cuit, cum ait: *Decrevit hæc Sancta Synodus universalem Ecclesiam repræsentans Sponsam Christi, affluenter aperire spirituales Thesauros, quos ipse Salvator ascendens in Cœlum sibi reliquit, &c.*

LV. Non magis juste *Duvallius* & *Spondanus*, in Annalibus Ecclesiasticis ad annum 1436. num. 3. Synodum Basileensem accusant, quod *Quæstuosas Indulgentias* concesserit, quod illas *vænum exposuerit*, quod *sordidum earum abusum* introduxerit; quia illis elargita est, qui certam pecuniæ summam pro Græcorum subsidiis dependerent. Non enim Quæstuosæ indulgentiæ dici possunt, & vænales, nec in Ecclesia novæ sunt & inusitatæ, quæ eleemosynam erogantibus, & subsidia conferentibus in usus pios, cujusmodi sunt Ecclesiarum vel Nosocomiorum ædificationes aut instaurationes; captivorum liberationes; sumptus ad Bellum Sacrum contra Turcas aut Hæreticos, & alia hujusmodi, conceduntur; ut docent antiqua de Canonicæ Pœnitentiæ redemptionibus Monimenta, & Diplomata Pontificum ac Decreta Conciliorum de Sacris Expeditionibus. Cum igitur de tollendo Schismate, de unione Ecclesiæ Orientalis cum Occidentali procurando ageretur, nec ad Concilium Generale in Occidente celebrandum propriis sumptibus venire, ad redire Orientales possent, Urbisque Constantinopolitanæ munitioni ac securitati absente Græcorum Imperatore providendum esset, ut Ipse Concilio præsentiam exhiberet suam ad unionis negotium conficiendum: Ecclesia concedere potuit Indulgentias iis, qui eleemosynas conferrent ad tam pios usus, absque ulla specie aut suspicione nundinationis, quæstus, ac vænalitatis. „ Consuevit aliquando Ecclesia (*inquit Sacra Synodus*) ad liberandum de manibus Infidelium Terram Sanctam, seu pro debellandis Hæreticis, indicere generale passagium, convocareque Reges & Principes, & alios Bellatores, ut armis ista peragerent, nec-non & pro aliis justis causis ab omnibus Christianis subsidium postulare; ad quæ ut promptiores efficeret, donis spiritualibus Plenariæ Remissionis peccatorum invitavit. Profecto si Veterum revolvantur Historiæ, nulla umquam adfuit causa justior quam ista est, nec pro qua Christicolæ omnes se & sua libentius exponere deberent. Hinc enim non solum ad recuperandam terram intenditur, sed etiam millia millium animarum, pro quibus mediocre subsidium petitur, unde impensæ Græcis promissæ, sine quibus tam sanctum opus perfici nequit, inveniri possint. Qui igitur pro tanto universæ Ecclesiæ bono, proque tanto animæ suæ merito, portiunculam rerum suarum, quas Dei dono obtinet, denegare audebit? *Porro falsissimum est quod Magister* Duvallius *ait*: Iis dumtaxat concessas indulgentias ejusmodi, qui certam pecuniæ summam pro Orientalium subsidiis dependerent“: Cum omnibus etiam pauperibus, mendicis, & Religiosis Viris nihil in communi possidentibus munus illud spirituale Synodus concesserit, modo jejunarent, & orationes pro felici hujus negotii consummatione ad Deum funderent, ut habet Decretum seu Bulla, quæ incipit: *Vox illa jucunditatis*, Sessione 24.

LVI. Verum non aliunde Magistri *Duvallii* & similium confutationem repetere est opus, quam ex ipsomet Concilio Basileensi in Responsione Synodali facta N. Sanctæ Crucis in Jerusalem; & *Joanni* S. Petri ad Vincula Præsbyteris Cardinalibus Sedis Apostolicæ Legatis, quinto Idus Maii, anno 1436. quæ incipit his verbis: *Cuperet hæc Sancta Synodus*: In qua Patres querimoniis Legatorum *Eugenii* de Indulgentiarum promulgatione respondent: Concilii deputatos cum ipsis de hoc Articulo conferentes, probasse hunc modum fore convenientem atque idoneum, & in ejusmodi rebus usitatum, ipsosque Legatos nomine Synodi orasse, ut Sedis Apostolicæ vice, juxta literas facultatum suarum, his promolgandis Indulgentiis interesse & concurrere vellent. Illos vero respondisse: Id se in Mandatis non habere, sed opus esse ut ad Summum Pontificem nuncius mitteretur. Cumque Papa decem mensium spatio exoratus moras necteret, Synodum, imminente necessitate subsidii Græcis juxta pacta conventa suppeditandi, ad ipsas Indulgentias promulgandas processisse *Auctoritate universalis Ecclesiæ, quæ in Conciliis universalibus adesse non dubitatur, in nomine Domini qui dixit: Ubi duo vel tres conveniunt in nomine meo, ibi ego sum in medio eorum: & Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in Cælo.* Patres igitur omnibus modestiæ & honestatis officiis erga Summum Pontificem functos esse. Synodum Jure suo usam: „ In illis enim octo primis Universalibus Conciliis, & in reliquis, in quibus Summus Pontifex non per se, sed per Legatos interfuit, omnia quævis, sive Definitionem Fidei, sive damnationem Hæreticorum, sive ligandi, & solvendi potestatem, sive Reformationem Ecclesiæ, seu alia quæcumque Ecclesiastica, communia aut privata negotia spectantia, *sub nomine Synodi facta, sancita, & promulgata esse*. Cur ergo alius modus impræsentiarum servaretur? Maxime cum Generale Concilium Senense recentis memoriæ, sub *Martino V.* omnibus & singulis qui Hæreticos caperent, vel ad eos exterminandos operam navarent, Plenarias Indulgentias nomine suo concesserit sub hac verborum formula: *Sacrosancta Generalis Synodus Senensis, in Spiritu Sancto legitime congregata, Universalem Ecclesiam repræsentans, &c. statuit, quod quicumque capientes Hæreticos, &c. eam Indulgentiam consequantur, quæ dari consuevit proficiscentibus in subsidium Terræ-Sanctæ.* Porro Indulgentias quæ in subsidium Terræ-Sanctæ dari consueverant, Plenarias fuisse nemo nescit. Addit Synodus, ex hoc decernendi modo, quem universalia Concilia servant absente Papa, nihil Auctoritati Sedis Apostolicæ detrahi. *In omnibus enim Synodalibus Sanctionibus semper prima & potissima refulget illius Sanctæ Sedis Auctoritas, ac deinde Patriarcharum, & Antistitum, totiusque Ecclesiæ universalis, quam Generalia Concilia legitime congregata repræsentant.* Ait præterea: *Omnibus consentientibus Apostolicis Præsidentibus synodaliter ordinatum, ut in hoc Concilio, cum Papa esset absens, omnia sub nomine & Bulla hujus Sacri Concilii expedirentur:* Adeoque grave esse non debere, quod Indulgentiæ nomine Concilii promulgatæ sint.

Quod spectat Indulgentiarum concessarum modum, hunc a calumnia egregie vindicat Synodus. „ Nonne (*inquit*) cum passagium generale pro recuperatione Terræ-Sanctæ indictum fuit, proque aliis magnis Ecclesiæ necessitatibus, Indulgentiæ Generales concessæ sunt? Nonne proximis annis bis aut pluries, pro extirpanda hæresi VVicklefistarum, modis idoneis id ipsum actum est? Si ergo pro illis hic Indulgentiarum modus idoneus judicatus est, cur & nunc pro reductione Græcorum, qua nihil fere potest dici major, non censebitur conveniens? Quod si & pro reparatione pontium, ac villarum exustarum, Summi Pontifices, & ipse modernus Summus Pontifex, ad instantiam privatarum personarum, Plenarias concesserunt, cur & nunc instante Ecclesia, fit tanta dilatio, nec solum ad reperiendum subsidium, sed pro salute innumerabilium animarum, quæ manus porrigentes adjutrices, vigore istarum Indulgentiarum Deo reconciliabuntur? Nec modus iste cuiquam Christiano necessitatem imponit, sed allicit ut spe præmii spiritualis de bonis a Deo collatis modicum aliquid contribuat tam moderate, quod nulli quidem difficile videri possit“. Hæc si attenta consideratione *Spondanus* & *Duvallius* expendissent, tam impotenter debacchati non fuissent in hoc Sacræ Synodi Basileensis Decretum.

Acta Sessionis 25.

LVII. *Sessione XXV.* celebrata Nonis Maii 1437. orta inter Patres dissensione de loco futuri Concilii pro Græcorum unione procuranda, quo contraria Decreta edita sunt, ut refert *Augustinus Patricius* cap. 55. Unum a Sedis Apostolicæ Legatis, Concilii Præsidibus, & plerisque Præsulibus illis adhærentibus, quo Florentia & Utinum nominata sunt, loca Græcis & Romano Pontifici commoda, secundum Pacta cum Græcis ipsis conventa: Portus autem, Venetus, Ariminensis, & Ravennas, quem Græci mallent. Pars Synodi reliqua, duce *Ludovico* Cardinali Arelatensi, numero quidem major, sed ex secundi Ordinis Sacerdotibus fere conflata, Decretum edidit alterum, quod Actis insertum est, quo statuit futurum Œcumenicum Concilium Basileæ, Avenione, aut in Sabaudia celebratum iri, & omnibus ac singulis personis Ecclesiasticis, *etiamsi Cardinalatus aut Pontificali Dignitate præfulgerent*, Decimam omnium & singulorum suorum Ecclesiasticorum fructuum & proventuum solvendam imposuit. Quatuor Episcopis ducendi Græcos ad locum Œcumenici Concilii provinciam demandavit, Civitatis etiam Avenionensis, quæ summam septuaginta millium florenorum auri de Camera pro Græcorum commeatu mutuo dederat, indemnitati altero Decreto consultum est, ipsique pecuniæ ex Indulgentiis ac Decimis collectæ, vel colligendæ, usque ad integram summæ solutionem obligatæ sunt. Cum vero pars major non permitteret ut Sigillo Concilii Decretum partis adversæ obsignaretur, Præsides novo edito Decreto edixerunt, ut Sigillum Synodi Cardinalis S. Petri ad Vincula, Archiepiscopo Panormitano, & Episcopo Burgensi crederetur, quorum opera Literæ illorum sunt munitæ. Electionem Florentiæ & Utini pro Œcumenici Concilii celebratione appro-

Synodus in duas partes scindi cœpta.

pro-

probavit *Eugenius IV.* quod aliorum locorum nominatio Græcis esset ingrata, & contra pacta cum illis conventa facta esset, ut ipsi graviter conquerebantur, nec vellent eo convenire, ubi Pontifex præsens esse non posset, sine cujus præsentia nihil firmi de unione umquam transigi posse præsentiebant. Ista constant ex *Augustino Patricio* cap. 42. 54. & 55. Decretum electionis Florentiæ, pro futuri celebratione Concilii a Sedis Apostolicæ Legatis & saniori parte Concilii Basileensis, editum est inter Acta Florentinæ Synodi Collectionis *Horatii Justiniani*, P. 1. cum *Eugenii Quarti* Diplomate illud confirmante.

Acta Synodi contra Eugenium.

LVIII. *Sessione XXVI.* pridie Kalendas Augusti celebrata, *Eugenius* multorum criminum immerito accusatus in Jus vocatus est ad diem sexagesimum. Diem se ipsi dicere Synodus ait: *Potestatem quam super cunctos Fideles, cujuscumque Auctoritatis, etiamsi Papalis existant, a Christo accepit, juxta declarationem in Concilio Constantiensi habitam & in hoc dudum renovatam.* Hoc Decretum editum est intercedente & *protestante Juliano Cardinali S. Sabinæ Concilii Præside, & conquerente quod super defensione Pontificis non audiretur, quem & Cardinalis S. Petri ad Vincula, & plerique optimi Patres sequebantur, quibus etiam dilatio ad tertiam diem denegata est; & præter ordinem eodem die generalis Congregatio & publica Sessio est habita.* Ita refert *Augustinus Patricius*, cap. 57.

LIX. *Sessione XXVII.* sexto Kalendas Octobris celebrata, nova creatio Cardinalium ab *Eugenio* facta, contra Synodi Decretum, abrogata. Literæ de nominatione Florentiæ & Utini pro celebratione Concilii Generalis Synodi Sigillo obsignatæ, aut ejus nomine publicatæ, falsæ declaratæ sunt. Civitatis Avenionensis alienatio Romano Pontifici prohibita quia rumores increbuerant, *Eugenium quartum* illam ad sumptus Græcis suppeditandos vendere decrevisse.

LX. *Sessione XXVIII.* Kalendis Octobris celebrata elapso sexaginta dierum intervallo, quod PP. Basileenses *Eugenio* contradixerant, Promotores Concilii ipsum contumaciæ accusarunt, ipsumque Synodus contumacem declaravit, & ad ulteriora contra illum processum iri, consideratis necessitatibus & utilitatibus universalis Ecclesiæ.

LXI. A vigesima-quinta Sessione, Synodus Basileensis duas in partes scindi cœpta, sufficienter Ecclesiam universalem repræsentasse non videtur. Unde Christiani plerique Principes edita deinceps ab ipsa contra *Eugenium* Decreta improbarunt, & inter alios *Sigismundus* Augustus qui hucusque Concilio impense faverat: & Hispaniæ Rex, aliique Principes per Oratores suos protestati sunt contra Sessionis 26. 27. & 28. Decreta, ut refert *Augustinus Patricius* cap. 60. „ Dicta, *inquit*, fuerat dies Eugenio Pontifici, & citatio in eum decreta magna Patrum seditione, cum „ Basileensis factio numero prævaleret. Plerique tamen Prælatorum & Legatorum Principum, & præsertim Hispani, adversa sentiebant: neque putabant „ Reipublicæ expedire hujusmodi cum Pontifice concertationem. “ Narrat subinde, Cæsarem cum ipsorum literis certior factus esset, quod Summum Pontificem in Jus vocassent, rescripsisse: „ Molestissimo animo se audire has novas seditiones inter Pontificem & Concilium exoriri: hortati ut maturius in tanta re se gerant, neque ea agant, quæ divisionem & Schismata sint paritura, quo nihil rebus gerendis perniciosius evenire potest. Invenisse eos Ecclesiam Dei pacificam, & longo magnoque suo labore unitam. Meminisse debere Patres suæ Professionis, cum prædicent se ideo convenisse ut Christiani Populi mores emendent, hæreses pellant, & diffidentium animos componant; cavendum ne contrarios effectus pariant, ut qui Græcos se unituros pollicentur, Latinos, seque ipsos scindant. Consuluisse se super hac re Imperii Principes. Omnium esse sententiam supersederi oportere super processu contra Pontificem: exquirendaque prius Regum atque Principum consilia; & quorum postea essent auxilia imploraturi, prius cognoscerent sententias. Interim curandum ut Principum opera seditio componatur. Si Patres hoc fecerint, daturum operam Cæsarem, ut Concilii Decreta serventur. Sin minus, se cum Regnis ac Principibus suis Romano Pontifici non defuturum, ejusque Dignitatem adversus perperam impugnantes tutaturum. Hæc eadem paulo post & Legati Principum Electorum Concilio iterarunt. *Idem Auctor Cap. 61. scribit*: Basileenses spretis Cæsaris & Principum consiliis, elapso termino, contumacem Eugenium declarant. Secedunt Hispaniarum „ Regis Legati, aperteque asserunt, se Regis sui, „ Prælatorum ac Principum suæ Nationis nomine ei „ declarationi non consentire; protestarique si proinde „ Schisma aliquod oriatur, Hispanicæ nationi adscribendum non esse.

Tom. 13. Concil. Edit. P. Labbe, p. 878.

LXII. Kalendis ipsis Octobris, quo die Sessio vigesima-octava habita est, *Eugenius quartus* Translationem Concilii Basileensis Ferrariam, de Cardinalium, Archiepiscoporum & Episcoporum plurimorum consilio & assensu decrevit diplomate dato Bononiæ, quod incipit his verbis: *Doctoris Gentium*, & in Actis Florentinæ Synodi, Collectionis *Horatii Justiniani*, P. 1. editum est. Causam tamen Bohemorum quoad Articulum Communionis sub utraque specie, in civitate Basileensi infra 30. dies continuari posse permisit. Hanc autem translationem etiam ante Græcorum adventum vim habituram decrevit, nisi Basileenses Decreta sua emendarent: Cum vero Græci Ferrariam appulerint, Concilium statim inchoandum.

Synodus Basileensis Ferrariam translata.

Communio Laicorum sub unica specie.

LXIII. Articulus de modo Communionis Eucharistiæ trigesima tantum Sessione finitus ac declaratus est 10. Kal. Januarii, quo Synodus decrevit & declaravit; *Fideles Laicos sive Clericos communicantes, & non conficientes non adstringi ex præcepto Domini ad suscipiendum sub utraque specie, panis scilicet & vini, Sacrum Eucharistiæ Sacramentum*: Sed Ecclesiæ esse, quæ regitur Spiritu veritatis, decernere quomodo ipsis ministretur, prout expedire viderit pro ipsius reverentia Sacramenti, & Fidelium salute. „ Sive autem sub una specie, sive sub duplici quis „ communicet secundum ordinationem seu observantiam Ecclesiæ, proficere digne communicantibus ad „ salutem. Nec ullatenus ambigendum esse, quod non „ sub specie panis Caro tantum, nec sub specie vini „ Sanguis tantum, sed sub qualibet specie est integre „ totus Christus. Laudabilem quoque consuetudinem „ communicandi Laicum populum sub una specie, „ ab Ecclesia & SS. Patribus rationabiliter introductam, & hactenus diutissime observatam, & a Doctoribus divinæ Legis, Sacrorum Scripturarum, atque Canonum multam peritiam habentibus jam a „ longævo tempore commendatam, pro lege habendam esse, nec alicui licitum esse eam reprobare, „ aut sine Auctoritate Ecclesiæ ipsam immutare. Hoc Decretum ad Sessionem 25. refert *Augustinus Patricius*, & *COMMUNI CONSENSU* conditum asserit. Cæterum de Gestis a Concilio Basileensi in Causa Bohemorum, lege quæ diximus in Synopsi Cap. 3. Art. 1. §. 5.

Eugenius IV. Acta & Decreta Synodi Basileensis usque ad translationem a se postremo factam confirmat.

LXIV. Decreta Synodi Basileensis ad tempus usque translationis ejus a se factæ Ferrariam, *Eugenius IV.* confirmavit, ac se cum omni reverentia ac devotione suscipere professus est & venerari, sicut & Decreta Concilii Constantiensis; adeoque & illa de Conciliorum Generalium a Christo immediate accepta Auctoritate, cui Christianus quilibet cujuscumque dignitatis, etiamsi Papalis existat obedire teneatur in his quæ pertinent ad Fidem, extirpationem Schismatis, & Reformationem generalem Ecclesiæ in Capite & in membris, in quinque Sessionibus Concilii Basileensis, antequam in ipsum *Eugenium* tam acriter ageret, ac Ferrariam ab ipso translatum esset solemni rita instaurata, confirmata, & promulgata. *Eugenii quarti* verba adscribo in literis ad Leodiensem & Bononiensem Episcopos, & ad *Joannem de Carvaial* Cameræ Apostolicæ Auditorem, & *Nicolaum de Cusa* Archidiaconum Leodiensem, Sedis Apostolicæ Nuntios in Germania, datis Romæ 11. Kalandas Augusti anno 1446. „ Cum charissimus in „ Christo filius noster Fridericus Rex Romanorum „ Illustris, nec non venerabilis frater Theodoricus „ Archiepiscopus Moguntinus, & dilecti filii Nobiles Viri Ludovicus Comes Palatinus Rheni, Bavariæ, & Fridericus Saxoniæ Duces, ac Fridericus Marchio Brandeburgensis Sacri Romani Imperii „ Electores, per suos Nuntios & Oratores nobis nuper „ exposuerint, ad hujusmodi effectum consequendum „ (animarum Fidelium salutem promovendam ac suborum Schisma extinguendum) maxime convenire ut Auctoritas Generalium Conciliorum manuteneatur & conservetur: Nec-non conventionem quamdam Prælatorum & Principum nationis suæ in Kalendis Septembris proxime futuri apud Francofordiam teneri debere, ubi animorum suspensione seu „ neutralitate deposita, præfati Rex Romanorum & „ Electores integralem nobis & Apostolicæ Sedis obedientiam, ut tenentur, facere proposuerunt; asserentes

„ ad

„ ad eam rem commodius & facilius consummandam „ optimum fore Decreta Basileensis Concilii per ipsam „ Germanicam Nationem acceptata, a Nobis & Apo„ stolica Sede, cum Executorum necessaria Deputatio„ oe recipi, approbari, confirmari: Qaod ut efficere „ dignaremur, instanter & bumiliter supplicarunt: Nos „ ipsorum Regis & Electorum supplicationibos incli„ nati, ad imitationem SS. Pratrom Prædecessorum „ nostrorum, quorom vestigiis inhærentes, gratum Di„ vinæ Majestati obsequium præstare non dubitamus: „ Sicut illi Generalia Concilia suis temporibus rite in„ stituta atque Canonice celebrata recipere, amplecti, „ & venerari consueverunt: sic Generalia Concilia „ Constantiense ac Basileense ab ejus initio usque ad „ translationem per nos factam, absque tamen præju„ dicio Juris, dignitatis, & præeminentiæ Sanctæ Se„ dis Apostolicæ, ac potestatis sibi & in eadem Ca„ nonice Sedenti, in persona B. Petri a Christo con„ cessæ, cum omni teverentia & devotione suscipi„ mus, amplectimur, & veneramor". Iisdem Nuo-siis plena potestate Legatornm a latere instructis mandavit & commisit, ut in Conventu Prælatorum & Principum nationis Germanicæ Decreta Concilii Basileensis ab iis acceptata, suo & Sedis Apostolicæ nomine confirmarent. Inter ea porro Principem tenebant locum illa, quibus *Auctoritas Conciliorum Generalium manutenetur & conservatur*, ot constat ex iis quæ Imperator & Principes Electores *Eugenio* per Oratores suos exposuerunt: Illa igitur Decreta *Eugenius quartus* approbavit & confirmavit. Has *Eugenii* Literas legere est apod *Odericum Raynaldum* in Annalibus Ecclesiasticis ann. 1446. n. 3. Præterea *Nicolaus V. Eugenii* successur in Diplomate quod incipit: *Ut pacis*, dato Spoleti 14. Kalendas Julii, an. 1449. Basileensem conventum *Concilii* nomine cohonestat, quem potius Conciliabulum appellasset, nisi ex parte saltem legitimum agnovisset, nimirum usque ad ejus translationem Ferrariam ab *Eugenio* decretam. Saoe cum unns e Legatis fuisset ad Conventoni Prælatornm & Principum Germaniæ ab ipso destinatis ad Synodi Basileensis Decreta, ante dictam condita translationem, confirmanda, ab *Eugenii* mente ac Decreto non recessit.

ARTICULUS IV.

Nullius plane sunt ponderis Argumenta, quibus Basileensem Synodum e numero Conciliorum Generalium expungendam quidam contendunt; aut Sacro-sancta ejus Decreta de Conciliorum Generalium Auctoritate convellere nituntur.

CUm Basileense Concilium legitimum fuisse ac Œcumenicum, ad tempus usque translationis Ferrariam ab *Eugenio* IV. decretæ, invicte probaverimus, ex ipsius etiam *Eugenii* Literis Apostolicis; ad rationes hominum quorumdam literatorum respondendum est, qui illud e numero Conciliorum generalium expungendum senserunt; aut ejus decreta de Concilii Generalis Auctoritate supra Summum Pontificem labefactare conati sunt. Imprimis vero Romanæ Conciliorum Geoeralium editionis coratoribos merito succensemus, qui Concilium Basileense in illa Editione omiserunt ac penitus suppresserunt. Quin saltem illius Acta ad Sessionem usque 26. edebant? An *Eugenio IV. & Nicolao V.* qui Acta Concilii ad tempus usque translationis approbarunt & confirmarunt, Editores illi sapientiores censendi? Sane si alias istius Concilii cum cæteris Conciliis Generalibus non edendi rationes noo habuerunt, qoam eas qoas ex schedis V. C. *Lucæ Holstenii* S. Petri in Vaticano Canonici ad se transmissas edidit *P. Labbe* Tom. 2. Conciliorum pag. 1659. næ illas frivolas & inanes! *Basileense Concilium* (inquit) *non immerito rejiciendum est a numero generalium Conciliorum.* „ Quam ob causam? Primum, ait, quoniam „ ab *Eugenio* IV. Summo Pontifice decretum est, ut „ Ferrariam transferretur.

Holstenii argumentum primum.

Responsio. Ea qoidem Ratio probat, post translationem a Concilii Generalis auctoritate excidisse, ex hypotesi quod legitimum fuerit hujusmodi translationis editom ab *Eugenio* Decretom: Sed non persuadet contrarium ejus quod Literis Apostolicis declaravit *Eugenius* IV. ad Translationem usque Ferrariam ab ipso factam Œcnmenicum fuisse. Porro translutiooem illam edixit *Eugenius* Kalendis Octobris anno 1437. illam declaravit ac Ferrariense Concilium indixit Diplomate dato Bonooiæ, Kalendis Januarii sequentibus, quod incipit: *Pridem*. Edenda itaqua erant io Romana Conciliornm Generalium Editione Acta Concili Basileensis ad illum usqoe diem: & qui illa expunxerunt hujus Editionis Curatores, *Eugenii* IV. mentem non satis considerate expendisse videntor.

Responsio.

„ II. Secunda ratio *Holstenii* est: Quod post disces„ sum Legati Apostolici mansit Concilium acephalum, „ com Summus Pontifex neque per se, neque per „ Legatos ei præfuerit. Est autem Regula Ecclesia„ stica, ut sine Summo Pontifice Concilia celebrari „ non possint.

Holstenii argumentum secundum.

Responsio. Esto, post Legatorum Pontificiorum discessum, Concilium acephalum mansisset, ante eorum discessum acephalum certe non fuit (ot ad mentem Adversariorum loquar.) At Sessione dumtaxat 25. Sedis Apostolicæ Legati cum aliqoot Præsolibus in partes secesserunt, & seorsim a Conciliaribus reliquis convenerunt. Post trigesimam domtaxat Sessionem Basilea discessere, ut testantor Acta Patriciana cap. 66. „ Juliauus aotem Cardinalis Sanctæ Sabinæ, Sancti „ Angeli appellatus, ut vidit Basileenses in Proposito „ Pontificem deponendi obstinatos, Basilea discessit V. „ Idus Januarii. Et Patres Concione advocata, Ludo„ vicum Cardinalem Arelatensem qoi unicus tunc „ Cardinalis in Concilio supererat, Præsidentem cre„ ant, cum plena potestate". Addiderim, Concilium legitime & in Spiritu Sancto congregatum, quod nec Summum Pontificem, nec ejus Legatos repellit, sed ut Præsides admittere paratum est, ob solum recessum Legatorum, vel eorum absentiam, ab Auctoritate Concilii Œcumenici non excidere, ut Conciliorum Constantinopolitani Primi & Secundi, seu Secundi & Quinti Generalium exempla demonstrant. Cum enim Concilium Generale legitime congregatum auctoritatem habeat immediate a Christo, ut in Sacra Synodo Constantiensi definitum est, *Acephalum* dici non potest, etsi Romanus Pontifex rogatus, nec per se nec per Legatos præesse velit: cum *tota Auctoritas, dans vigorem Statutis non resideat in solo Summo Pontifice, sed principaliter in Spiritu Sancto, & in Ecclesia Catholica*; ut docet Sacra Facultas Parisiensis.

„ III. Tertia ratio *Holstenii* est; quod in Conci„ lio Basileensi, præter morem omnium legitimorum „ Conciliorum, ob Episcoporum paucitatem, admis„ si sunt ad vocem etiam decisivam plurimi minores „ Sacerdotes. Id quod ex *Ænea Sylvio* Lib. 1. de „ Concilio Basileensi cognosci potest, ubi scribit, „ Archiepiscopo Panormitano reclamante & contra„ dicente, inferiorum multitudinem in Concilio illo „ prævaluisse. Qua de re sic loquitur, eodem refe„ rente Sylvio, *Ludovicus*, Cardinalis Arelatensis: *Episcopi, quos solos Panormitanus habere vult vocem, videtis quam pauci nobiscum sunt, & illi qui præsentes adsunt, haudquoquam virtute valent perrumpere iniquitatem.*

** In Formula Revocationis F. Joanni Saraceno præscripta.*

Holstenii tertium argumentum.

Respondetur, Concilii Œcumenici Auctoritati non obesse, qood in eo secondi Ordinis Sacerdotes suffragentor ex Privilegio, seo Concilii ipsius consensu; com in Lateranensi, Pisano, & Constantiensi Conciliis ad suffragandum in rebus arduis admissi fueriot. *Constantiensis Concilii recens memoria extat*, (inquit *Ludovicus* Cardinalis Arelatensis, apud Æneam Sylvium) *ubi & plurimi ex nobis fuerunt, & ego etiam qui nondum Cardinalis, nec Episcopus, sed tantum Doctor eram, interfui: vidique sine difficultate inferiores cum Episcopis ad decisionem rerum admitti arduarum. Nec pudere nos debet, Maximam illam & Sanctissimam Synodum imitari, quæ & Pisanum Concilium, & illud amplissimum Lateranense secuta fuit, in quibus judicasse cum Episcopis Presbyteros non est ambiguum. Præterea si Abbates, ut in omnibus Conciliis observatum videmus, vocem habent decisivam, qui tamen non fuerunt a Christo instituti, cur non Presbyteri, quorum Ordinem Christus instituit?* Deinde paucitas illa Prælatorum ad statum Concilii post translationem referenda est, non ad Sessiones translationem præcedentes. „ Quamquam (ut ait *Thomas de Corsellis* Theologus „ Parisiensis in Propositione facta Biturigibus in Con„ cilio Ecclesiæ Gallicanæ) essent in Concilio quasi „ trecenta Supposita, cum Sententia depositionis lata „ in *Eugenium* est, essent triginta-novem Prælati in „ Sessione personaliter, & plures alii per Procuratores: „ nec reperiatur aliqua Ecclesiæ Regula, quod tantus „ numerus requiratur actualiter existens in Concilio „ Generali, sed satis sit quod omnes sufficienter evo„ cati sint, sicut & longo tempore fuerunt expectati: „ Quod Ecclesiæ determinatione & Sedis Apostolicæ „ auctoritate idem Doctor confirmat. Nam (inquit) „ tempore quo fuit attentata prima dissolutio Concilii

Responsio.

„ erant

„ erant longe in minori numero, nec erant ibi octo „ Episcopi, & tamen determinatum fuit per *Eugenium* „ Papam, consentientibus Cardinalibus, quod tunc & „ a principio fuerat legitime convocatum; omnesque „ Oratores Principum, & alios de Ecclesia, in hoc „ ipsum consensisse. Verum *Thomæ de Corsellis* in eo non assentior, quod sufficientem numerum Patrum in Basileensi Concilio fuisse ait post translationem, & cum attentata *Eugenii* depositio est, ut Œcumenicum esset. Potior mihi est auctoritas Concilii totius Ecclesiæ Gallicanæ Bituricibus an. 1440. congregatæ, ex cujus sententia *Carolus VII.* Rex Christianissimus Oratoribus Synodi Basileensis respondit, dubium esse utrum illa *Congregatio* illis diebus, quibus *Eugenii* suspensio ac depositio decretæ sunt, & *Felicis* electio facta, *sufficienter repræsentaverit Ecclesiam universalem, ad tantos & tam arduos actus exequendos, qui de proximo respiciant totam Ecclesiam*.

Holstenii argumentum quartum.

„ IV. Quarta ratio *Holstenii* est; Quia eodem tem„ pore Concilium Generale habebatur Ferrariæ, ac pau„ lo post Florentiæ, ubi Summus Pontifex præsidebat, „ aderantque Episcopi Græci & Latini in Magno nume„ ro, & cum unum tantum Generale Concilium uno „ tempore haberi possit, facile est judicare, utrum e „ duobus Concilium Generale legitimum esset.

Responsio.

Resp. Esto, Concilium Generale Ferrariæ, ac deinde Florentiæ haberetur; non inde sequitur quod Concilium Basileense ante translationem in civitatem Ferrariensem Œcumenicum non fuerit, quod unum contendimus. Quamquam Ferrariense seu Florentinum Concilium non semper in Galliis pro Œcumenico habitum fuerit, ut constat 1. ex Concilio Bituricensi, in quo Rex *Carolus VII.* Oratoribus *Felicis*, & Concilii Basileensis ex Patrum Ecclesiæ Gallicanæ Sententia respondit: *Quod tenuerat Concilium Basileense pro legitimo, & ad ipsum Ambassiatores miserat, multa bona constituerat, quæ approbabat, nec umquam Congregationem Ferrariensem pro Concilio habuerat aut habebat*. 2. Ex propositione *Thomæ de Corsellis* facta Bituricibus, in qua sic regem alloquitur: *Sed & tempore Concilii Basileensis vestra Majestas Auctoritatem Conciliorum Generalium, & Declarationem Fidei in Concilio Constantiensi factam jugiter sustinuit: & toto tempore attentatæ primæ dissolutionis nequaquam illi prætensæ dissolutioni paruit, sed cum Concilio stetit, & ad ipsum suos Oratores transmisit. Deinde in revocatione ejusdem Declarationis solemniter facta, suos Oratores habuit. Postmodum tempore attentatæ secundæ dissolutionis, & prætensæ translationis in Ferrariam, hujusmodi dissolutioni & translationi restitit, eaque non obstante, & Concilium Basileense tamquam verum Concilium universalem repræsentans Ecclesiam reputavit. Et insuper voce præconis per civitatem Regni proclamare fecit, Ne quis in Ferrariam tamquam ad Generale Concilium ire auderet. Demum eamdem Declarationem de Conciliorum Auctoritate in sua Pragmatica Sanctione inseruit*. 3. Ex Edicto Regio dato Turonibus die 23. Januarii anno 1437. quo Prælatis, & aliis ad Concilia Generalia de jure aut consuetudine convocandis e Regno suo prohibet, Ne Ferrariam velut ad Concilium Generale se conferant, cum Synodus Generalis Basileensis hanc translationem & indictionem ab *Eugenio* Papa factam irritam declaraverit. Editum est in Collectione *Fontanensis* Tom. 4. pag. 1405. 4. Ex Commonitorio *Caroli* Cardinalis *A Lotharingia*, quod ad *Joannem Britonem* Secretarium suum Romæ degentem misit an. 1563. 19. Kalendas Februarias, illud ut cum Romano Pontifice *Pio IV.* communicaret. „ Reste a cette heure le dernier des titres „ que l'on veut mettre pour nostre Saint Pere, pris „ du Concile de Florence: & ne puis nier que je suis „ François, nourri en l'Université de Paris, en la„ quelle on tient l'Autorité du Concile par dessus le „ Pape: & sont censurés comme Heretiques ceux qui „ tiennent le contraire. Qu'en France on tient le Con„ cile de Constance pour General en toutes ses par„ ties, que l'on suit celuy de Basle, & tient on celuy „ de Florence pour non legitime, ny General, & „ pour ce l'on fera plutot mourir les François, que „ d'aller au contraire. Commonitorium istud editum est in Commentariis pro Concilio Tridentino, seu in Libro qui inscribitur: *Memoires pour le Concile de Trente*, pag. 550. cujus verba sic Latine redduntur: „ Superest modo postremus titulorum e Florentina Sy„ nodo depromptus, quem Sanctissimo Patri nostro tri„ buere volunt. Ego vero negare non possum quin „ Gallus sim, & Academiæ Parisiensis alumnus: in „ qua Romanum Pontificem Concilio subesse cense„ tur; & qui docent ibi contrarium, velut Hæretici „ notantur. Apud Gallos Constantiense Concilium in „ omnibus suis partibus Oecumenicum habetur; Basi„ leense in auctoritatem admittitur, Florentinum nec „ legitimum, nec Generale agnoscitur; Quamobrem „ de vita potius, quam de sententia decederent. Commonitorii istius nimium exaggerati doctrinam in omnibus non sequimur. Nec enim titulorum ullum Summo Pontifici denegamus, quos ipsi Florentina Synodus in Definitione Fidei detulit, a Gallicanæ licet Ecclesiæ & Sacræ Facultatis Parisiensis sententia, cujus alumni sumus, transversum unguem discedere nec possimus, nec velimus. Constantiense Concilium omni ex parte Œcumenicum propugnamus, & Concilii cujuscumque Generalis Auctoritatem Pontificia superiorem, secundum ejus Decreta profitemur, & contrariam sententiam improbamus ac rejicimus: Nec audiendos putamus eos, qui Sacrosancta illa Decreta in alienum sensum detorquent, ad solum Schismatis tempus illa restringentes: illos (inquam) qui Concilia Generalia Auctoritatem a Christo immediate non accipere, & Summo Pontifici subesse asserunt, a doctrina Sacræ Scripturæ & Traditionis, ab Ecclesiæ in Concilio Constantiensi congregatæ sensu aberrare censemus: Hæreticos tamen non dicimus, Basileense Concilium, ad translationem usque illius in civitatem Ferrariensem ab *Eugenio* factam, ut legitimum ac Œcumenicum admittimus: Difficultatem fuisse ac dubium olim gravissimum inter Eruditos fatemur, an hujusmodi translatio legitima; proindeque an Ferrariense sive Florentinum Concilium legitimum etiam & Œcumenicum esset; verum discussa difficultatis hujus dubiique nebula, non cunctamur, Basileensi Concilio inter Œcumenica ad tempus usque translationis admisso, Concilium Florentinum a Græcorum adventu legitimum ac Œcumenicum profiteri.

Caroli Cardinalis a Lotharingia nimia exaggeratio.

V. Quinta ratio *Holstenii* est: „ Quia tam sæva „ pestis eo tempore Basileæ grassata est, *Ænea Sylvio* teste, & tam multi Patres vel extincti sunt, „ vel inde abire coacti, ut Christus ipse de Cœlo „ pro Vicario suo pugnare videretur. Concilium e„ nim illud in id potissimum incumbebat, ut *Euge*„ *nium* Pontificem in ordinem redigeret, vel de Solio „ deturbaret.

Lib. 2. de Conc. Basil.

Quintum argumentum Holstenii.

Responsio.

Respondetur, Mirum esse quod viris cordatis id argumenti genus venerit in mentem, ex quo pariter colligi posset, Ferrariensem Synodum & Tridentinam legitimas non fuisse, nec Œcumenicas, cum grassante Ferrariæ pestilentia illam Florentiam transtulerit *Eugenius IV.* istam ob pestiferam quoque luem Bononiam transtulerit *Paulus III.* Calamitates publicas hominum peccatis adscribere Christianæ humilitatis est; sed persuasum habere quod mali dumtaxat affligantur a Deo, damnandæ temeritatis est & infidelitatis. *Deus* enim *quem diligit, castigat*. Jobum aliosque insontes a Deo percussos ad probationem, *S. Simeonem Stylitem* fulmine percussum interiisse, *S. Rochum* aliosque viros sanctos pestilentia ictos vel extinctos, nemo nescit. Qua igitur audacia contra Synodum Basileense argumentum ducunt ex pestilentia, qua Patres plerique sunt extincti? Quo jure occultas divinæ providentiæ rationes scrutantur? An miraculum patrare tenebatur Deus, ut omnes ac singulos Prælatos ac Doctores Synodi Basileensis in communi illa vastitate servaret incolumes? Aut quia non patravit, immissa dici debet ob gesta Synodica? Si in hujusmodi argumentis aliqua vis esset, pari jure dicerent alii, *B. Ludovici* Cardinalis Arelatensis, & aliorum Conciliarium constantiam, quos pestilentiæ sævientis metus Basilea non expulit, nec ad solvendam Synodum adegit, loco miraculi ducendam. *Sed neque illum preces* (inquit Æneas Sylvius) *neque domesticorum funera flectere potuerunt, volentem potius cum vitæ periculo salvare Concilium, quam cum periculo Concilii salvare vitam. Sciebat enim, quoniam se recedente pauci remansissent, facileque committi fraus in ejus absentia potuisset. Quocirca sicut in re bellica Milites omnia discrimina subeunt, cum medios inter hostes Imperatorem conspiciunt; sic Patres Concilii pestem erubuerunt fugere, cum Præsidentem in eodem periculo secum permanere viderunt. Quæ res opinionem illorum evertit, qui Patres in Basilea commorantes non Fidei veritatem, sed propria quærere commoda garriebant*. Verum utriusque partis conjecturis hac in causa explosis, ne Poeta longe imprudentiores videamur, dicente;

..... *Careat successibus opto,*
Quisquis ab eventu facta notanda putat.

Esto,

Esto, Deus pestilentiam immittendo, quæ in membra Synodi Basileensis non minus quam in plebem grassata est, pro *Eugenio* pugnare visus esset, quem immerito ab ea depositum fatemur, non sequitur quod legitima & Œcumenica non fuerit antequam in *Eugenii* depositionem incumberet, & quousque Ferrariam ab eo translata est. Pestilentia porro tum maxime grassata est, cum Summi Pontificis attentata fuit exauctoratio, ut refert *Æneas Sylvius* Lib. 2. *Interim* (inquit) *missi ad Principem Nuntii, depositionem Romani Pontificis in Synodo factam ubique gentium publicarant. Corruptus tamen interea cœli tractus, & lætifer annus nequaquam purgabatur, sed crescente in dies tabedo lua, linquebant plurimi dulces animas, aut ægra trahebant corpora .... Cumque jam floriles exureret Syrius agros, omnesque arerent herbæ, latius grassata est pestis, &c.*

Sextum Holstenii argumentum.

VI. Sexta ratio *Holstenii* est: „ Quia *Felix* V. Antipapa, quem Basileense Concilium *Eugenio IV.* Summo Pontifici legitime creato opposuerat, veritate tandem aliquando agnita Pontificatu se abdicavit, atque hoc ipsum Concilium a quo creatus fuerat, primus ipse damnavit, seque *Nicolaus V. Eugenii* Successori subjecit.

Responsio.

Respondeo: Ex abdicatione spontanea *Felicis* colligi non posse, quod Synodus Basileensis legitima & Œcumenica non fuerit ad translationem usque ab *Eugenio* factam in civitatem Ferrariensem, etiamsi *Felix* agnovisset se Pseudo-Pontificem esse: sed inde concludi posset dumtaxat, exauctorationem *Eugenii* perperam attentatam fuisse a Synodo, cujus tum nulla erat, vel dubia saltem auctoritas, adeoque & *Amedei* electionem vitiosam fuisse ac irritam. Verum solo studio pacis, quam Regis Christianissimi *Caroli VII.* sollicitudini curisque *Eugenius* & Ecclesia debuerunt, non causæ diffidentia, *Felicem* abdicasse, demonstrant ejusdem literæ paulo ante cassionem datæ, quibus ratas esse decernit promotiones omnes, confirmationes, consecrationes, collationes, provisiones, absolutiones, dispensationes, aliaque a se Pontificia Auctoritate decreta, omniaque Privilegia a se concessa: Omnesque Censuras & Sententias occasione diversitatis Obedientiarum a se latas abrogat. Triplex illud *Felicis* Diploma legere est Tom. 13. Conciliorum Editionis *P. Labbé* p. 1344. & sequentibus. Aliqua ex priori delibare velim, ut omnibus innotescat, illum solo studio pacis abdicasse, nec dubitasse quin legitimus Pontifex esset, quod mirum est ab *Holstenio* & aliis animadversum non fuisse. „ Felix Episcopus Servus Servorum Dei: ad futuram rei memoriam. Disponentes renuntiare Papatui, causa dandæ pacis in Ecclesia Sancta Dei, quam Clarissimorum in Christo filiorum, Francorum, Angliæ & Siciliæ Regum, nec-non Delphini Viennensis Primogeniti Francorum Regis solemnes Oratores apud nos summa diligentia prosequuntur, ex alta nostræ mentis specula cuncta providere necesse est, per quæ semotis cujuscumque divisionis fomentis ad salutem animarum, & cujuslibet honoris, famæ, statusque conservationem, desiderata unionis consurgat & vigeat integritas. Omnes igitur & singulos, &c. Datum Lausanæ Nonis Aprilis, anno a Nativitate Domini 1449. Pontificatus nostri anno nono. *Idem ex abdicationis Diplomate confirmatur, quod apud* Ciaconium *Tom. 3. pag. 935. legere est*. Desiderantes (*inquit*) toto corde in hoc dierum nostrorum residuo beatam pacem in Ecclesiam Dei disseminari, quæ veluti a nostris egressa manibus in corda omnium Fidelium dilabatur, sinceritatem nostræ intentionis per ævum testatura, exemplo Domini nostri Jesu Christi, qui sic dilexit Ecclesiam, ut pro ea non modo formam servi acciperet, sed traderet semetipsum; Sancta in hac Synodo Lausanensi in Spiritu Sancto legitime congregata, universalem Ecclesiam repræsentante, pure, libere, simpliciter, & sincere, realiter & cum effectu, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Papatui, ejusque oneri, honori, dignitati, titulo, & possessioni cedimus, & renunciamus per præsentes, sperantes quod in futurum præfati, cæterique Reges & Principes, Prælatii, & alii Catholici, quibus hujusmodi nostram renunciationem acceptissimam fore judicamus, Auctoritati Generalium Conciliorum assistent, eamque tuebuntur & defendent: Quodque universalis Ecclesia, pro cujus dignitate, supereminentia, & auctoritate, totis viribus pugnavimus, Nos apud clementiam Primi & Æterni Pastoris, nostræ hujuscemodi pacifice humilitatis contemplatu, suis devotis jugibusque orationibus commendabit. „ *Denique* Nicolaus V. *in Literis ad omnes Christi Fideles, quæ incipiunt*: Tanto nos pacem; *declarat* Amedeum, Felicem Papam V. tunc in sua Obedientia nominatum, Juri quod in Papatu asserebat se habere, ad pacem Ecclesiæ obtinendam cessisse.

Argumentum Holstenii septimum.

„ VII. Septima ratio *Holstenii est*, quia Concilium ipsum Basileense, Lausanam postea translatum, deposita contentione, cum *Nicolao* Pontifice in gratiam rediit, ut ex Epistola *Nicolai* post finem Concilii adjecta intelligi potest. Qui *Nicolaus* nulla ejus Concilii Decreta de Fide vel moribus confirmavit, sed solum ad lites evitandas & conservandam pacem indulsit, ut qui Beneficia Ecclesiastica a *Felice* Antipapa acceperant, ea retinere possent, atque alia id genus, quæ ad Beneficia vel censuras Ecclesiasticas pertinebant, rata esse voluit.

Responsio.

Respondeo: Synodum Lausanensem cum *Nicolao V.* in gratiam rediisse, post spontaneam dumtaxat *Felicis* abdicationem, nulla derogatione facta Concilii Basileensis Auctoritati ac Decretis, suisque, sed uno pacis Ecclesiasticæ studio, *Nicolaum* ipsum eligendo Pontificem, cum ex fideli relatione accepisset Ipsum tenere dogmata in Conciliis Constantiensi & Basileensi constituta ac declarata, de Conciliorum Generalium Auctoritate a Christo immediate accepta, & quæ Romani Pontificis Auctoritate superior sit. Id compertum est ex ipsius Synodi Lausanensis Diplomate dato 13. Kalend. Maii anni 1449. quod incipit: *Multis ab annis*; cujus hæc sunt verba: „ Quantus fuerit cum tunc Sanctissimo Domino Felice Papa V. noster ad pacem affectus, quantisque congratulationibus oblata media unionis non solum susceperimus, verum etiam declaraverimus necessariam esse pacem (Auctoritate tamen Ecclesiæ juxta diffinitionem Sacri Constantiensis Concilii illibata permanente) maxime persenserunt charissimorum Ecclesiæ filiorum Francorum, Angliæ & Siciliæ Regum, nec-non Delphini Viennensis Primogeniti Francorum Regis compluribus in dictis solemnes Oratores; sed & novissime in diebus istis Sanctissimi Domini tunc Felicis Papæ V. præclaram ingentemque sanctimoniam iidem ipsi perceperunt, dum pro Ecclesiæ universalis integra pacificatione, quieteque finali obtinenda, pure, simpliciter & sincere, realiter & cum effectu, cessit & renuntiavit Papatui ...... Desiderantes itaque de unico Pastore uni Sanctæ Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ providere ..... complurimis suadentibus & urgentibus causis, & præsertim dilectione danda unionis & pacis in Ecclesia Sancta Dei, in personam dilectissimi Ecclesiæ filii Thomæ, in sua obedientia Nicolai V. nominati, vota nostra contulimus, sperantes Ipsum ea facturum, quæ Summus Pontifex facere tenetur: Fida quoque relatione intelligentes, eamdem credere & tenere veritatem pro conservanda manutenendaque Sacrorum Auctoritate Conciliorum in Sacrosancta Synodo Constantiensi definitam & declaratam, ac in Sacro Basileensi Concilio renovatam, nec-non a Prælatis, Regibus, & Principibus, universitatibusque orbis susceptam, prædicatam & dogmatizatam, videlicet: Quod Generalis Synodus in Spiritu Sancto legitime congregata, Ecclesiam Catholicam Militantem repræsentans, potestatem immediate habet a Christo, cui quilibet cujuscumque status vel dignitatis, etiam Papalis existat, obedire tenetur in iis quæ pertinent ad Fidem, extirpationem Schismatis, & ad generalem Reformationem Ecclesiæ Dei in Capite & in membris: Et quod quicumque cujuscumque status vel dignitatis, etiamsi Papalis existat, qui Mandatis, Statutis, Ordinationibus & præceptis hujus Sanctæ Synodi, & cujuscumque alterius Concilii Generalis legitime congregati, super præmissis seu ad ea pertinentibus, factis vel faciendis, obedire contumaciter contempserit, nisi resipuerit, condignæ pœnitentiæ subjiciatur, & debite puniatur, etiam ad alia Juris subsidia recurrendo: Ad laudem igitur Dei omnipotentis, salutem, pacem, & consolationem omnium Christi Fidelium, Sancta hæc Synodus in Spiritu Sancto legitime congregata, universalem Ecclesiam repræsentans, matura, unanimi, concordique deliberatione præhabita, in suis sacris Deputationibus, votis dilectissimorum Ecclesiæ filiorum Ludovici S. Ceciliæ Arelatensis, Ludovici Tit. S. Susannæ De Varambone, Georgii Tit. S. Mariæ Trans-Tiberim, Viennensis vulgariter nuncupati, Joannis Tit. S. Calixti, Joannis Tit. S. Stephani in Cœlio Monte, De Arciis, Bartholomæi Tit. S. Marci, Cornetani vulgariter nuncupati, & Guillelmi Tit. S. Marcelli,

„ S. R. E. Presbyterorum Cardinalium ; ac Venerabilium Archiepiscoporum, Episcoporum, Electorum, „ Abbatum, divini & humani Juris Magistrorum & „ Doctorum, ac omnium & singulorum eidem Sanctæ „ Synodo incorporatorum, præfatum dilectissimum Ecclesiæ filium Thomam in Summum eligit Pontificem, nomine quo nunc appellatur, Nicolaum V. appellandum : Utqua pro Summo Pontifice habeatur, „ præsentis Decreti tenore ea certa scientia statuit, „ ordinat & decernit, Juribus, Decretis, & Ordinationibus, etiam Sacri Basileensis Concilii, quibuscumque non obstantibus, quibus, quoad hujusmodi Actus „ celebrationem, volumus esse derogatum, supplentes „ omnes & singulos defectus, si qui intervenient in „ præmissis, etii tales forent, de quibus deberet præsentibus fieri mentio specialis. Mandat propterea, jubet ac præcipit hæc Sancta Synodus omnibus & singulis Christicolis, quatenus eidem unico, vero & indubitato Summo Pontifici obediant, pareant, & intendant. *Hoc Synodi Lausanensis Diploma refert* Odoricus Raynaldua *ad annum* 1449. *num.* 5. *Ejusdem Synodi Decretum num.* 6. *legere est quod incipit :* Sanctorum Ecclesiæ; *quo* persistens in nominatione loci pro futuro celebrando Concilio facta per „ ipsam in Decreto translationis suæ a Basilea in hanc „ civitatam, justis & manifestis causis ad ipsum suadentibus, fine imposito celebrationi suæ, semetipsam „ dissolvit, & dissolutam essa decernit. „ En quomodo cum *Nicolao V.* in gratiam rediere Basileensis Concilii Lausanam translati Patres : Quorum in postremis Actis, nihil est quod Synodi Basileensis auctoritati deroget, non solum usque ad translationem Ferratiam ab *Eugenio IV.* factam, ad quod tempus legitimam & Œcumenicam fuisse propugnamus, sed & deinceps, sive dum Basileæ, sive dum Lausanæ sedit, sad postremam usque sessionem 7. Kalendas Maii anno 1449. celebratam, quo tempora adhuc legitimam esse contendebant.

Odoricus Raynaldus refellitur.

VIII. Futile porro est quod scribit *Odoricus Raynaldus*, hæc Decreta Patres Basileenses per simulationem seu fictionem Juris edidisse ; sicut illiberale est, inhonestum, & Auctore Ecclesiastico indignum, quod ad marginem horum Decretorum, quibus condendis præerat Vir Sanctissimus *Ludovicus* Cardinalis Arelatensis, adscribit convitium, *Mentiuntur*. Hæc enimvero ab ipsis animo sincero edita, & ea persuasione sui juris, quod ad extremum usque tuiti sunt, probat Actorum fides, quam non evertunt *Raynaldi*, & aliorum figmenta & convitia: Probat *Nicolai V.* testimonium in Literis ad omnes Christi Fideles, hæc Decrata laudantis. „ Cum superioribus temporibus, *inquit*, propter „ divisiones subortas inter felicis recordationis Eugenium Papam IV. Prædecessoram nostrum, & tunc „ Basileense Concilium plurimum turbata, ac variis „ modis afflicta fuerit Ecclesia Dei; jam autam divina „ favente ac dirigente clementia, tractatu Oratorum „ charissimorum in Christo Filiorum, Francorum, Angliæ, & Renati Siciliæ Regum, nec-non Delphini „ Viennensis Primogeniti Francorum Regis Illustris, „ pacem Ecclesiæ redditam agnoscimus, dum percipimus Venarabilem & Charissimum Fratram nostrum „ Amedeum, primum Cardinalem Episcopum Sabinensem, in nonnullis Provinciis Apostolicæ Sedis Legatum Vicariumque Perpetuum, Felicem Papam V. „ tunc in sua obedientia nominatum, Juri quod in Papatu asserebat sa habere, ad hujusmodi pacem Ecclesiæ obtinendam cessisse. Eos vero qui Basileæ, „ postmodum Lausanæ, sub nomine Generalis Concilii „ hactenus permanserunt, ordinasse ac publicasse Nobis tamquam unico & indubitato Summo Pontifici „ obediendum esse a cunctis Fidelibus, & præfatam „ Lausanensem dissulvisse Congregationem. Cupientes „ igitur, quantum Omnipotens donaverit, id agere „ quo universi Christi Fideles ipsius pacis jucunditate „ fruentes, animorum conjunctione sibi invicem cohæreant, & rejectis quæ ex discordia orta fuerant, status uniuscujusque, honor, fama, & reputatio illæsi „ & integri permaneant, &c.

IX. Ad id quod addit *Holstenius*, nulla Basileensis Concilii Decreta de Fide vel de Moribus NICOLAUM V. confirmasse, sed tantum quæ Beneficia val Censuras Ecclesiasticas spectabant :

Respondeo, nova *Nicolai* confirmatione opus non fuisse, cum EUGENIUS IV. ejus Decessor omnia ejus Decreta usque ad translationem a se factam Ferrariam confirmasset, iis exceptis, quæ in vigesima sexta, vigesima septima, & vigesima octava Sessionibus contra ipsum decreta fuerant, repugnantibus Legatis, & plerisque Patrum : Quam confirmationem *Eugenii* nomine, Auctoritate, ac Mandatis iteraverat in Conventu Francofordiensi Prælatorum & Principum Germaniæ ipse *Nicolaus V.* tunc *Thomas* Bononiensis Episcopus appellatus, Sedis Apostolicæ Legatus, cum aliis suæ Legationis Collegis. Prætarea, cum Basilaansem Conventum simpliciter *Concilii* nomine cohonestat in Diplomata quod incipit, *Ut pacis*; ejus Acta & Decrata ante translationem approbat.

Postremum Holstenii argumentum.

„ X. Postrama ratio *Holstenii* est : Quia Synodus „ Lateranensis sub *Leone X.* Basileense Concilium aperte reprobavit, dum illud non Concilium Ecclesiæ, sed *Conciliabulum*, siva *Conventiculum* appellandum censuit, Sessione 11.

Responsio.

Respondeo, *Leonem X.* & Synodum Lateranensam, Basileensem Concilium post illius dumtaxat translationem ab *Eugenio* IV. factam reprobasse, & Conciliabulum ex eo tempore appellasse. Id verba ejus demonstrant loco mox laudato ubi de Pragmatica Sanctione loquitur: *Nec illud* (inquiunt) *movere nos debet, quod Sanctio ipsa, & in ea contenta in Basileensi Concilio edita, & ipso Concilio instanta, a Bituricensi Congregatione recepta & acceptata fuerunt, cum ea omnia post translationem ejusdem Basileensis Concilii per recordandæ memoriæ Eugenium Papam IV. etiam Prædecessorem nostrum factam, a Basileensi Conciliabulo seu potius Conventiculo, quod præsertim post hujusmodi translationem Concilium amplius appellari non merebatur, facta extiterint, ac propterea nullam robur habere potuerit.* Cum itaque exceptio regulam firmet, *Leo X.* & Synodus Lateranensis non obscura approbant, & confirmant Concilium Basileense, omniaqua in eo gesta & Decreta ante translationem. Eadem quæ *Holstenius* adversus Basileensis Concilii Sacrosanctam Auctoritatem, cum antea *Bellarminus* Cardinalis & Magister *Andreas Davallius* objecerint, manent cum ipso confutati.

Refelluntur Cardinales De Turrecremata, Cajetanus, Jacobatius & Bellarminus.

XI. Doctissimi Cardinales *De Turrecremata*, *Cajetanus*, *Jacobatius*, & *Bellarminus*, objiciunt, Decreta Constantiensis & Basileensis Concilii de Auctoritata Concilii Generalis supra Papam contrariis Synodorum Florentinæ & Lateranensis sub *Leone X.* Decretis antiquata fuisse. Florentinæ quidem, quæ in Definitione Fidei declarat : *Pontificem Romanum Successorem esse Beati Petri Principis Apostolorum & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ Caput, omnium Christianorum Patrem ac Doctorem existere; & ipsi in Beato Petro pascendi, regendi, ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam Potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis Oecumenicorum Conciliorum, & in Sacris Canonibus continetur.* Lateranensis vero, qua comprobante *Leo X.* Sessione XI. in Decreto quo Pragmaticam Sanctionem abrogat, ait : *Cum etiam solum Romanum Pontificem pro tempore existentem, tamquam Auctoritatem supra omnia Concilia habentem, Conciliorum indicendorum, transferendorum ac dissolvendorum, plenum jus & Potestatem habere, nedum ex Sacræ Scripturæ testimonio, dictis SS. Patrum, ac aliorum Romanorum Pontificum etiam Prædecessorum nostrorum, Sacrorumque Canonum Decretis, sed propria etiam eorumdem Conciliorum confessione manifesta constet.*

Florentina Synodus Decretis Conciliorum Constantiensis & Basileensis de Suprema Concilii Generalis Auctoritate non repugnat.

XII. Respondet Magister *Andreas Davallius* hac in causa adversariis minime suspectus, 4. P. Libri *De Suprema Romani Pontificis Potestate*, Quæst. 7. „ Concilium Florentinum Auctoritatem Papæ supra Concilium non definivisse, etsi definiat eum esse Christi „ Vicarium, totius Ecclesiæ Caput & a Christo illi „ traditam Potestatem regendi universalem Ecclesiam: „ quod nemo eorum, qui contra sentiunt, negat. Illius enim Potestatem in Ecclesiam universalem ubique locorum diffusam ; sive in omnes & singulas orbis particulares Ecclesias, admittunt ; & omnium „ Christianorum Patrem & Doctorem eum agnoscunt : „ Sed contendunt Concilium Florentinum non propterea definivisse, eum in Ecclesiam universalem, quatenus est legitime congregata, & in Concilio aliquo „ per suos Prælatos generaliter unita & consentiens, „ Potestatam habere. „ *Bellarminus* lib. 2. *De Conciliorum auctoritate*, c. 13. hac da Quæstione loquens ; *Florentinum Concilium* (inquit) *non ita expresse hæc definivit.* Quin immo Ecclesiæ pascendæ, regendæ, ac gubernandæ rationem & formam restringit ad eum modum qui Sacris Canonibus præscriptus & constitutus ast; ea quo sequitur, ipsum Pontificem Canonibus, ac proinde Conciliis Canonum auctoribus subjectum esse. Non enim sic legi debet laudatus Florentinæ definitionis Fidei locus, ut vulgo legitur ; *Quemadmodum etiam in Actis Conciliorum œcumenicorum, & in Sacris Canonibus continetur* ; Sed sic : *Et ipsi in B. Petro pascen-*

di,

di, regendi, gubernandi universam Ecclesiam a Domino Jesu Christo potestatem traditam esse, quemadmodum & in Actis Conciliorum œcumenicorum, & in Sacris Canonibus continetur. Quo modo legunt *Blondus* Eugenii IV. Notarius lib. 3. Decadis 10. *Marcus Vigerius* Ordinis FF. Minorum professor, Senogalliensis postea Episcopus, & S. R. E. Cardinalis, in Decachordo, Chorda 10. *Joannes Fischerus* Roffensis Episcopus in Articulo 25. contra Lutheranas assertiones, *Joannes Ekius* lib. 2. *De primatu S. Petri*, Cap. 25. *Albertus Pighius* Lib. 4. *De Hierarchia Ecclesiæ*, Cap. ultimo. Et hæc Versio Græco textui respondet; Καθ' ὃν τρόπον καὶ ἐν τοῖς πρακτικοῖς τῶν οἰκουμενικῶν συνόδων, καὶ ἐν τοῖς ἱεροῖς κανόσι διαλαμβάνεται. *Juxta eum modum, quo & in Actis Conciliorum œcumenicorum, & in Sacris Canonibus continetur.* Quibus si conjungantur, quæ in Disputationibus de potestate Romani Pontificis ultro citroque dicta sunt in eadem Synodo, evidentissimum erit eam illæsa & inconcussa voluisse Constantiensis & Basileensis Conciliorum Decreta de Concilii Generalis cujuscumque immediate a Christo accepta & Pontificia superiori potestate, in iis quæ ad Fidem, extirpationem Schismatis & generalem Ecclesiæ Reformationem in Capite & in membris pertinent.

Sessione 7. XIII. Cum enim in ferventi disputatione de additione vocis *Filioque* ad Symbolum *Andreas* Rhodius Archipræsul dixisset: *Quotiescumque error aliquis emerserit, Papæ incumbere necessitatem docendi Populos Catholicam Veritatem, & totam Christi Catholicam Ecclesiam, & Patres omnes suscepisse Auctoritatem Romanæ Ecclesiæ, & secutos esse per omnia ejus doctrinam*: Julianus vero Cardinalis recensitam Rhodii assertionem *Agathonis* Papæ auctoritatem confirmasset, ex eaque intulisset; *Quoties de fide aliqua oritur dubitatio, Romanum Pontificem debere ac teneri illam declarare, atque illo docente, omnes Synodos & Ecclesiam universam debere hujusmodi veritatem sequi*; Ad hæc Sessione 9. totius Ecclesiæ Græcæ nomine respondit *Bessarion* Archiepiscopus Nicænus, quem ob eximiam eruditionem, remque in Synodo bene gestam, *Eugenius quartus* Cardinalitiis Infulis ornavit; *De Potestate autem Occidentalis Ecclesiæ multa dicenda suppeterent, nisi aliud nobis esset propositum. Et scimus quidem quæ sint Jura & prærogativa Romanæ Ecclesiæ*: Nihilominus *scimus etiam, Prærogativæ ejus quos terminos habeant. Nosse tamen volumus reverentiam vestram, a nobis facultatem hanc negari universæ Ecclesiæ & Synodo, vel etiam œcumenicæ, non tantum Romanæ Ecclesiæ. Quoniam igitur quantacumque facultate polleat Romana Ecclesia, minus tamen Synodo œcumenica & universali Ecclesia; si nos id universali negamus Ecclesiæ, multo magis negabimus Romanæ. Negamus autem non ipsi a nobis, sed arbitramur hoc Patrum decretis negatum.* Romanam Ecclesiam, adeoque & Romanum Pontificem ipsi præsidentem, universali Ecclesiæ, & Synodo œcumenicæ ipsam repræsentante inferiorem, coram *Eugenio quarto* & frequenti consessu Patrum in solemni Sessione Florentinæ Synodi asserit *Bessarion* totius Orientalis Ecclesiæ nomine; nemo reclamat; nemo redarguit; nec Summus Pontifex, qui jura certe sua noverat, nec Cardinales, Episcopi, Theologique Latinæ Ecclesiæ doctissimi, ipsum Pontificiam Dignitatem violare, aut de ea male sentire, vel prope Hæreticum esse clamaverunt; Immo *nihil responderunt*, (ut habent Acta.) An vero, non dicam *Bessarionis*, sed totius Ecclesiæ in eo Concilio congregatæ auctoritati, anteponenda *Bellarmini* auctoritas lib. 2. *De Conciliis*, c. 17. confidentius asserentis hanc Propositionem, *Summus Pontifex absolute est supra Concilium Generale*, esse *fere de fide*? Sed *Bellarminum* luculentius refellent, quæ postrema ejusdem Synodi Florentinæ Sessione, anno 1439. gesta sunt in Tractatu Unionis. Cum de præcipuo Dogmate, scilicet de processione Spiritus Sancti a Patre & Filio, Græcos inter & Latinos convenisset; de Romanæ Sedis Principatu & privilegiis, de Purgatorio, de fermentato & azymo actum est. Ecclesiæ suæ sententiam de Romani Pontificis Primatu Græci his verbis explicuerunt. *De Primatu Papæ sic est constitutum, Ut quæcumque habebat ab initio & ante Schisma Privilegia, rursus hæc ipsa habeat.* Cum vero post biduum *Eugenium IV.* adiissent; Pontifex habens præ manibus Scriptum circumplicatum, sic ipsos est allocutus: *Nos Deo juvante consentimus de omnibus, & una sumus conspiratione uniti. Restat adhuc modica dubitatio: utque antea diximus, eam vobis scriptam damus.* Illis autem rogantibus, lecta Schedula est, postulata quatuor Summi Pontificis continens: Primum Auctoritatem Pontificiam spectabat, cujus majorem explicationem a Græcis extorquere conabatur *Eugenius*; scilicet, *Ut Sedes Apostolica, seu Vicarius Domini nostri Jesu Christi Summus Pontifex habeat sua Privilegia; & liceat ei suo jure, quippe ut Summo Pontifici, adjicere quod Sacro Symbolo addidit.* Perlecta Schedula, Græci dixere, Nullam habere se ab Imperatore suo respondendi facultatem, sed privatim ut amicos responsum dare. Ad primum ergo Caput responderunt: *Dicimus primum postulatum esse iniquissimum. Nam quomodo nobis affirmare liceat, facultatem esse Romanæ Ecclesiæ addendi seu demendi absque suis fratribus Patriarchis? Quapropter etsi pium est quod fuit additum, qui tamen hoc patrare ausus fuerit citra cognitionem Synodicam, culpa nequaquam vacabit. Quod si lubet, fatemini vos inique fecisse, atque imposterum hoc ipsum non patraturos, & sic veniam impetrabitis.* Post hæc, *Joannes* Provincialis FF. Prædicatorum semel iterumque de Romani Pontificis Primatu jubente Pontifice disseruit, probavitque, *Quod sit Summus Pontifex & Petri Successor Christique Vicarius: & judicet ac regat Catholicam Ecclesiam tamquam Doctor & Pastor.* His auditis, Græcorum Imperator jussit afferri Libros, & Græci Præsules ac Theologi scrutati sunt Privilegia Ecclesiarum. Tandem admisere Privilegia Papæ, duobus exceptis, videlicet: *Ne convocet Synodum Oecumenicam sine Imperatore, & Patriarchis, si conveniant: Quod si advocentur & non veniant, ne propterea impedimento sint quominus Synodus fiat.* Alterum est: *Ut si quis putet se ab aliquo Patriarcharum pati injuriam; & veniat qui interposuit Appellationem, ne Patriarchæ ipsi sese sistant judicandos, sed Papa mittat in Provinciam quamque Inquisitores, & ibi per eos, præsentibus negotiis in partibus, injuriam passus jus suum obtineat.* Hæc ad Pontificem cum retulisset Imperator, ille die 22. Julii respondit: *Se velle omnia Ecclesiæ suæ Privilegia; velleque ad se fieri Appellationes, Nec non regere & pascere universam Christi Ecclesiam, uti ovium Pastorem: Auctoritatem præterea sibi esse & facultatem celebrandi Synodum Oecumenicam, cum opus fuerit: & omnes Patriarchas parere ejus voluntati.* Die 15. Junii habita selectos inter ex utraque Ecclesia Theologos in Palatio Papæ Disputatione, Græci collatis consiliis, sententiam suam de Romani Pontificis Privilegiis scriptis mandarunt hunc in modum: *De Primatu Papæ, fatemur ipsum Summum Pontificem, & Procuratorem locum gerentem, ac Vicarium Christi, Pastorem & Doctorem omnium Christianorum, regentem & gubernantem Dei Ecclesiam, salvis Privilegiis & Juribus Patriarcharum Orientis. Et Constantinopolitanum quidem secundum esse post Papam, deinde Alexandrinum, post hunc esse Antiochenum, postremo Hierosolymitanum.* His præscriptis, *statuerunt nihil amplius scribere aut facere; Sed si hoc a Papa non reciperetur, nihil esse ultra faciendum.* Missam Declarationem lubenter suscepit *Eugenius*, ampliorem Privilegiorum Sedis Apostolicæ explicationem a Græcis non postulavit, certus nihil amplius eos concessuros. Non exegit ut Papam Concilio Generali superiorem, vel infallibilem profiterentur. Quæstiones illas a Conciliis Constantiensi & Basileensi præjudicatas ad examen revocare noluit: Græcos, quamquam Romanum Pontificem inferiorem Œcumenica Synodo non crederent, nec sentirent, ad unionem admisit, atque complexus est. Cum vero Definitio Fidei conscripta esset, in eaque haberetur, Papam Privilegia sua obtinere *juxta determinationem Sacræ Scripturæ & dicta Sanctorum*; Is loquendi modus Imperatori non placuit. *An* (inquit) *si quis Sanctorum in Epistola honorat Papam, excipiet hoc pro Privilegio?* Quamobrem *significavit Papæ aut hæc corrigeret, aut de reditu ejus cogitaret.* Inde nova difficultas emersit. Pontifex, & delegati ab eo ad Imperatorem Cardinales, hæc verba expungi nolebant. *Unde* (inquiebat) *melius possumus habere Primatum quam ex Scriptis Sanctorum?* At vero Imperator aliquid addi volebat, scilicet, *Juxta tenorem Canonum* & non *secundum dicta Sanctorum*. Julianus Cardinalis Latinorum nomine locutus, Græcorum scrupulum tollere conatus est, & hæc verba ab ipsis respuenda non esse ait; nec obicem unioni ponere debere, cum *Ex dictis sanctorum Symbolum quoque Fidei compositum sit, & sacrificium, & quidquid Canonibus continetur, ac sine dictis Sanctorum nihil sit factum.* Tum Græci inito consilio scripserunt: *Habenda esse a Papa sua privilegia, juxta Canones, & dicta Sanctorum, Sacramque Scripturam, & Acta Synodorum*: Romani ergo Pontificis auctoritatem Canonibus & Conciliis subditam, ejusque usum ad modum in Actis Synodorum, & in Sacris Canonibus præscriptum restringi sentiebant, idque in Definitione Fidei exprimi voluerunt. Quorum postula-

ctis annuit & sententiæ acquievit *Eugenius IV.* & Occidentalis Ecclesia; quia non privatam illam Græcorum opinionem, sed totius Ecclesiæ sententiam esse in Sacris Conciliis Pisano, Constantiensi, & Basileensi præjudicatam, constitutam, declaratam, & confirmatam agnoverunt. Quapropter & Florentina Synodus in Fidei definitione hanc expressit, Articulum de Rom. Pontificis Primatu his verbis explicans: *Item diffinimus S. Apostolicam Sedem & Romanum Pontificem in universum orbem tenere Primatum, & ipsum Pontificem Romanum Successorem esse B. Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ Caput & omnium Christianorum Patrem ac Doctorem existere; & ipsi in S. Petro pascendi, regendi, & gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam Potestatem traditam esse, quemadmodum & in gestis Oecumenicorum Conciliorum, & in Sacris Canonibus continetur.* Ista constant ex actis Græco Latinis. Disceptationem istam de Summi Pontificis auctoritate cum Œcumenico Concilio comparata; ac de ejusdem infallibili vel errori obnoxio Judicio, summam Fidei non spectare, constat ex eo quod Græcis Concilii Generalis auctoritatem superiorem esse Pontificia, & Romanum Pontificem indeficientis Judicii Privilegio non esse donatum, constantissime propugnantibus, dexteram fraternitatis *Eugenius IV.* porrexerit, dixeritque: *Nos Fratres, Dei beneficio sumus Fide conjuncti*: ac duos ex illa Natione Præsules harum opinionum defensores acerrimos, *Bessarionem* Nicænum & *Isidorum* Ruthenum Metropolitas, Cardinalitiis Infulis ornaverit.

Objectio.

XIV. Non solum labefactata, sed penitus abrogata quispiam objiciet Concilii Basileensis Decreta de auctoritate Conciliorum Generalium supra Papam a Florentina Synodo, in qua *Eugenius* IV. Pontifex Maximus Diplomate quod incipit, *Moyses*, dato in publica Sessione, anno 1439. pridie Nonas Septembris, Synodi Basileensis propositiones de potestate Concilii supra Papam damnavit, & Concilii Constantiensis Decreta Sess. 4. & 5. quæ per unam tantum ex tribus Obedientiis post recessum *Joannis* XXIII. condita asserit, a Basileensibus in pravum ac reprobum sensum tracta declarat, earumque Propositionum auctores Schismaticos & Hæreticos denuntiat. „ Ipsasque propositiones superius „ descriptas (*inquit*) juxta pravum ipsorum Basileen„ sium intellectum, quem facta demonstrant, velut „ Sacrosanctæ Scripturæ, & Sanctorum Patrum & ipsius „ Constantiensis Concilii sensui contrarium; Nec-non „ præfatam assertam declarationis seu privationis sen„ tentiam, cum omnibus inde secutis, & quæ in fu„ turum sequi possent, tamquam impias & scandalo„ sas, nec-non in manifestam Ecclesiæ Dei scissuram, „ ac omnis Ecclesiastici Ordinis & Principatus confu„ sionem tendentes, ipso Sacro approbante Concilio „ damnamus ac reprobamus, ac damnatas & reproba„ tas nuntiamus. Decernimus etiam & declaramus, „ omnes & singulos prædictos fuisse & esse Schismati„ cos & Hæreticos, &c. “ Hanc *Eugenii* IV. Constitutionem ex Vaticano Codice edidit *Horatius Justinianus* in Actis Concilii Florentini P. 3.

Responsio.

Doctrina de Concilii Generalis auctoritate supra Summum Pontificem, non est veritas facti.

XV. Verum ista Constitutio Decreta Basileensis Concilii de Conciliorum Generalium auctoritate supra Pontificem quinquies in solemnibus Sessionibus ante vigesimam quintam, & antequam Synodus Ferrariam ab *Eugenio* transferretur, renovata & confirmata, & ab ipso *Eugenio* approbata non attingit. Sed tres dumtaxat propositiones, quas velut Fidei Veritates eadem Synodus asseruit, definivit, & credendas proposuit hoc tenore.

Veritas de Potestate Concilii Generalis, universalem Ecclesiam repræsentantis, supra Papam & quemlibet alterum, declarata per Constantiense & hoc Basileense Generalia Concilia, est Veritas Fidei Catholicæ.

Veritas hæc, quod Papa Concilium Generale universalem Ecclesiam repræsentans, actu legitime congregatum super declaratis in præfata veritate, aut aliquo eorum sine ejus consensu nullatenus auctoritative potest dissolvere, aut ad aliud tempus prorogare, aut de loco ad locum transferre, est Veritas Fidei Catholicæ.

Veritatibus duabus prædictis pertinaciter repugnans, est censendus Hæreticus.

Quia igitur Basileenses Synodum Constantiensem, Propositiones de Auctoritate Concilii Generalis supra Romanum Pontificem ut Dogmata Fidei diffinivisse declararunt, ita ut contrarium sentientes hæreseos nota inurendi, & pœnis in Hæreticos latis coercendi essent; & hoc posito fundamento *Eugenium* quasi a *Fide devium & pertinacem Hæreticum* exauctorare attentarunt, declaravit ille has Propositiones *Juxta pravum Basileensium intellectum, quem facta demonstrabant, Concilii Constantiensis sensui contrarias*, easque damnavit & reprobavit cum omnibus inde consecutis, id est, cum omnibus eorum Actis in Sacrosanctam Dignitatem suam ac Personam a translatione Synodi in civitatem Ferrariensem, aut deinceps agendis; „ Quibusdam Decretis „ (*inquit*) Constantiæ, Schismate tunc vigente editis, „ inhærere se dicentes, tres Propositiones, quas Fidei „ Veritates vocant, quasi Nos & omnes Principes & „ Prælatos, & alios Fideles & Devotos Apostolicæ „ Sedis Hæreticos facerent, protulerunt, quarum tenor „ sequitur in hæc verba: *Veritas de Potestate Concilii* „ *Generalis, &c.*..... In hoc perniciosissimi, dum „ suam malignitatem sub veritatis fidei fuco colorant, „ Constantiense Concilium in malum ac reprobum sen„ sum, & a sana doctrina penitus alienum pertra„ hunt .... Deinde more Dioscori & damnatæ Ephe„ sinæ Synodi, ad quamdam venenatam execrabilem„ que assertæ declarationis seu privationis Sententiam „ a Dignitate & Officio Summi Apostolatus inexpia„ bili quodam scelere processerunt, &c.

Cæterum quod ex suggestione *Joannis de Turrecremata* Sacri Palatii Magistri, qui circa id tempus Responsionem suam ad Basileensium Oratorem Florentiæ edidit, ad elevandam Constantiensium Decretorum Auctoritatem, ait *Eugenius*, ab una tantum ex tribus Obedientiis esse condita, PP. Basileenses egregie refellunt in Responsione Synodali, quæ incipit his verbis: *Beatus Hieronymus*, facta Nonis Octobris anno 1439. „ Enervare quidem (*inquiunt*) conatur veritatem in „ Constantiensi Concilio declaratam, dicens, Eam „ Declarationem ab una tantum Obedientia Joannis „ XXIII. fuisse factam. Sed numquid negare volt, „ pro eo tempore verum fuisse Concilium, & Decla„ rationes in eo factas validas esse? Quid autem con„ tradicere vult de Obedientiis aliis? Reclamavit-ne „ aliqua contra hujus veritatis declarationem? Num„ quid non omnes unanimiter & depositionem Joan„ nis laudaverunt & in privationem Benedicti ab „ omni jure, si quo habebat in Papatu, consense„ runt; quæ vigore Auctoritatis Synodalis declaratæ „ per præfatam veritatem facta sunt? Numquid non „ omnes ad electionem felicis recordationis Martini „ Papæ V. processerunt eadem Synodali Auctoritate? „ Qui quidem Martinus deinceps, approbante Con„ cilio, definivit errorem esse? si quis diceret non „ esse de necessitate salutis credere Romanam Eccle„ siam esse supremam inter Ecclesias, si per Roma„ nam Ecclesiam intelligatur universalis Ecclesia, aut „ Concilium Generale. Item ordinavit, eodem ap„ probante Concilio, Ut quilibet de hæresi VVick„ leffistarum suspectus interrogaretur an credat, te„ neat, & asserat, Quod quodlibet Concilium Ge„ nerale, & etiam Constantiense, Catholicam Eccle„ siam repræsentet. Item utrum credat quod quid„ quid ipsum Concilium Constantiense diffinivit & „ approbavit in favorem Fidei & salutem animarum, „ quod hoc sit ab omnibus Fidelibus tenendum & „ approbandum: Cum tamen non ignoraret prædi„ ctam Declarationem in eodem Concilio factam esse. „ Deinde vero hoc in Basileensi Concilio eadem De„ claratio innovata fuit in publica Sessione, ubi de „ nulla Obedientiarum differentia sermo erat, ubi „ etiam quamplures Cardinales, Patriarchæ, Archie„ piscopi, Episcopi, cæterique Prælati & Doctores „ insignes in multitudine copiosa præsentes erant, & „ Legatus Apostolicus Præsidentiam exercebat. Ut „ quid ergo nunc allegatur quod hæc Declaratio ab „ una tantum Obedientia in Concilio Constantiensi „ facta fuit “? Cætera nihilominus quæ in Responsione illa Synodali contumeliosa in *Eugenium* IV. continentur, obliterata velim.

Nulla vis est Eugenianæ Constitutionis, quæ incipit, Moyses, adversus Decreta Conciliorum Constantiensis & Basileensis de suprema Synodorum Generalium auctoritate.

At non minus expungi debet ipsa, qua de agimus, *Eugenii* Constitutio, quæ incipit Moyses, Basileensibus Patribus injuriosissima, quos homines perditissimos, scandalorum duces, veræ pacis osores, sacrilegos, *Schismaticos & Hæreticos* appellat, & declarat; pœnisque in Ferrariensi Concilio decretis tamquam tales, cum omnibus eorum fautoribus & defensoribus cujuscumque status, conditionis, & gradus Ecclesiastici vel sæcularis, extiterint, puniendos statuit. Eosdem demum tam furiose, tam impie Christianæ unionis bonum oppugnare: *Ut ad illud Basileense latrocinium totius orbis dæmonia confluxisse videantur.* Hæc (inquam) Constitutio ex iis est, quas *Nicolaus V.* facta pace cum Basileensibus Patribus induci voluit ac penitus aboleri, ut constat ex ipsius Epistola ad omnes Christi Fideles 3. „ Literas (*inquit*) Pro-

„ cessus,

„ ceſſus, Mandata & Decreta quæcumque; nec-non Excommunicationum, Suſpenſionum, & Interdicti, Anathematizationum, etiam Privationum Beneficiorum, Officiorum, ac Dignitatum quarumcumque Eccleſiaſticarum vel Mundanarum . . . . . & alias in iiſdem Literis, Proceſſibus, Mandatis, & Decretis, quomodolibet contentas Sententias, Cenſuras, & pœnas quaſcumque & qualitercumque ſtatutas, inflictas, & promulgatas per præfatum Eugenium Prædeceſſorem noſtrum, & quibuſcumque ſub Literis, quorumcumque tenorum, & ſub quacumque data exiſtant, etiamſi cum expreſſione, approbationa Ferrarienſis, ſeu Florentini, aut alterius Concilii Generalis, ſive per Nos, aut per alium ſeu alios, ipſius, aut Noſtra, ſua quavis alia Auctoritate, contra dictum Baſileenſe Concilium & eos qui ſub nomine Generalis Concilii tam in Baſileenſi quam Lauſanenſi civitatibus fuerunt & perſeveraverunt, ac impræſentiarum perſeverant: nec-non contra præfatum Amedeom, Felicem V. in ſua obedientia nuncupatum, ac quaſvis Perſonas Eccleſiaſticas, Sæculares, vel Regulares, ac etiam Laicales, eiſdem conjunctim vel diviſim adhærentes, aſſiſtentes, obedientes . . . . Simili modo Declarationes & confirmationes ſuper præmiſſis, & eorum ſingulis, Noſtra ſeu dicti Prædeceſſoris Aucturitata quomodolibet factas, nec-non Proceſſus habitos per eaſdem, ac quæcumque inde ſecuta . . . . Motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, ac de Sedis Apoſtolicæ Poteſtatis plenitudine, nec-non de venerabilium FF. noſtrorum S. R. E. Cardinalium conſilio & aſſenſu, decernimus & declaramus nullum effectum penitus ſortiri, ſed perinde haberi debere ac ſi nullatenus emanaſſent: Eaqua omnia & ſingula cum inde ſecutis, in Regeſtis ipſius Eugenii prædeceſſoris, & Noſtris, & locis aliis quibuſcumque aboleri & deleri mandantes, omnino caſſamus, irritamus, & annullamus, ac pro infectis haberi volumus. „ In Propoſitionibus Pacis inter Baſileenſes Patres, ac *Amedeum* ex una, & *Nicolaum V.* ex altera parte, conficiendæ a Regu Chriſtianiſſimo & electoſibus Imperii præſcriptis, quæ Tom. 13. Conciliorum Editionis Labbeanæ, P. 1330. editæ ſunt, hæc habetur: Omnia hinc inde conſcripta, ſtatuta, facta, promulgata, abrugananda eſſe, etiamſi *Univerſalem Eccleſiam & Auctoritatem Caucilsorum aniverſalsam, aut Sedis Apoſtolica concernat qaovis modo*. Nulla itaque vis eſt Conſtitutionis, *Moyſes*, adverſus Conciliorum Conſtantienſis & Baſileenſis Decreta de Concilii Generalis Auctoritato ſupra Romanum Pontificem, quam edendo & Notis eaggerando, quibus nihil præter inanes diſtinctiones, & Scholaſticas ſubtilitates, Cardinalium de *Turrecremata* & *Cajetani* reperias; contra Conſtitutionem *Nicolai V.* quæ incipit, *Tanto nos pacem*, peccavit *Horatius Juſtinianus*, cum ea produxit in lucem, quæ *Nicolaus* ex *Eugenii* Regeſtis deleri juſſit ac pro infectis haberi: Peccaſſet & contra ſincentatem, quam profiteri debet Scriptor Eccleſiaſticas, ſi id ſciens volens diſſimulaſſet, quod obſervaru operæ pretium erat, ne Lectores fallerentur. Sed credere malim Virum Clariſſimum hæc ſatis attenta conſideratione non expendiſſe.

His addiderim, Eugenianam conſtitutionam, quæ incipit, *Moyſes*, in Florentino Concilio generali datam non fuiſſe, ſed in ea quam Florentiæ poſt diſceſſum Græcorum, celebrare perrexit *Eugenius IV.* ejuſdem quidem appellationis, ſed non paris auctoritatis. Condita enim & ab omnibus ſubſcripta Fidei definitione, Græciſque poſt confectam unionem in Patriam reverſis, univerſalem Eccleſiam non amplius repræſentabat, adeoque œcumenica non erat. Porro definitio fidei in ſolemni ſeſſione promulgata eſt pridio nonas Julii anni 1439. eodemque menſe exeunte Græci Florentia diſceſſere; Eugeniana vero Conſtitutio, quæ incipit, *Moyſes*, data eſt pridie Nonas Septembris.

Addiderim ſecundo, Si quid *Eugenius* adverſus decreta Conciliorum Conſtantienſis & Baſileenſis da Concilii generalis Auctoritate ſupra Romanum Pontificem ſenſerit, dixerit, vel ſcripſerit, id ab Eccleſia univerſa receptum ac probatum non fuiſſe. Gallicana enim & Germanica Eccleſiæ in antiqua ſententia de ſubjectione Romani Pontificis Conciliorum generalium Auctoritati, in Conciliis Conſtantienſi & Baſileenſi declarata & firmata permanſerunt; in eadem perſeverarunt Patres Baſileenſes quando pacem fecere cum *Nicolao V.* in eadem fuit ipſe *Nicolaus* V. nec eam ſibi tribui moleſte tulit, ut conſtat ex Decreto Synodi Lauſanenſis, quo ipſum Patres Concilii Baſileenſis Lauſanæ congregati in Summum Pontificem eligunt, „ Fida relatione intelligentes illum eamdem credere & tenere veritatem pro conſervanda, manutenendaque Sacrorum auctoritate Conciliorum in Sacroſancta Synodo Conſtantienſi definitam & declaratam, ac in Sacro Baſileenſi Concilio renovatam, nec-non a Prælatis, Regibus, & Principibus, Univerſitatibuſque orbis ſuſcepiam, prædicatam, & dogmatiaatam, videlicet, Quod generalis Synodus in Spiritu Sancto legitime congregata, generale Concilium faciens Eccleſiam Catholicam militantem repræſentans, potaſtatem immediate habet a Chriſto, cui quilibet cujuſcumque ſtatus vel dignitatis, etiamſi Papalis exiſtat, obedire tenetur in iis quæ pertinent ad Fidem, extirpationem Schiſmatis, & ad Generalem reformationem Eccleſiæ Dei in capite & in membris: & quod quicumque cujuſcumque ſtatus vel dignitatis etiamſi Papalis exiſtat, qui mandatis, ſtatutis, ſeu ordinationibus & præceptis hujus Sanctæ Synodi, & cujuſcumque alterius Concilii generalis legitime congregati ſuper præmiſſis ſeu ad ea pertinentibus, factis vel faciendis, obedire contumaciter contempſerit, niſi reſipuerit, condignæ pœnitentiæ ſubjiciatur, & debite puniatur, etiam ad alia Juris ſubſidia, ſi opus fuerit, recurrendo.

Concilii Lateranenſis V & Leonis X. Decretis concuſſa non ſunt Conſtantienſia & Baſileenſia de ſuprema Conciliorum Generalium auctoritate.

XVI. Fruſtra vero Lateranenſis Concilii verba ſuperius laudata ex 11. Seſſione, objiciunt Ultramontani Theologi contra Sacroſancta Conciliorum Conſtantienſis & Baſileenſis Decreta de Concilii generalis auctoritate ſupra Romanum Pontificem; hujuſmodi enim objectio firmiſſimis Reſponſionibus diſſipatur, quas Magiſter *Andreas Duvallius* Doctor & Profeſſor Sorbonicus, 4. parte libri „ De ſuprema poteſtate Papæ, *Quæſt. 7. ſtrictim exponit*. Ad Concilium Lateranenſe (*inquit*) quod multo expreſſius loquitur quam Florentinum, variæ ſunt Reſponſiones: Quidam enim ajunt non fuiſſe vere & proprie Generale, cum ei vix centum Epiſcopi interfuerint. Alii dicunt caput illud, in quo de Auctoritate Concilii ſupra Pontificem mentio fit, a Concilio non fuiſſe diſcuſſum, aut examinatum, ſed tantum perlectum coram Prælatis Concilii, qui ſine prævio examine illud approbaverunt: Ideoque dici non poſſe Conciliariter concluſum & definitum. Alii ſic rem expediunt: Etiamſi (*inquiunt*) Concilium abſolute fuiſſet Generale (quod tamen propter Epiſcoporum paucitatem relinquitur incertum) tamen rem ipſam ut Decretum Fidei Catholicæ non definiunt: Nulla enim in verbis Concilii nota apparet, ex qua fidei definitionem colligamus. Nam nec anathema pronunciat in eos qui contra ſentient, nec dicit ſe hoc expreſſe aut proprie definire, aut eſſe de neceſſitate ſalutis ita credere, vel quid ſimile, ex quo expreſſa definitio colligatur. Alii denique reſpondent: Concilium eatenus Auctoritatem Papæ ſupra Concilium definire, quatenus id ex Sacris Scripturis, Patribus, & antiquis Canonibus manifeſte conſtare cenſetur. Ad hæc enim, ſi omnia verba attente expendantur, vim ſuæ diffinitionis, ſi quæ ſit, Concilium revocat. Atque quod res illa de fide ſit, ex nullo Scripturæ, Patrum, aut antiquorum Canonum teſtimonio conſtat: Igitur non poteſt illud dici a Concilio Lateranenſi tamquam de fide definitum. Cæterum non tantum neutra harum opinionum hæretica, ſed etiam neutra erronea & temeraria, ſaltem temeritate opinionis.

Magiſtro *Davalio* præivit Cardinalis *Bellarminus* Cap. 13. Lib. 2. De Conciliorum Auctoritate: „ Quamvis (*inquit*) poſtea in Concilio Florentino & Lateranenſi ultimo quæſtio de Superioritate Papæ definita videatur: Tamen quia Florentinam Concilium non ita expreſſe hoc definivit, & de Concilio Lateranenſi quod expreſſiſſime rem definivit nonnulli dubitant an fuerit vere Generale, ideo uſque ad hanc diem Quæſtio ſupereſt etiam inter Catholicos. „ Recenſitæ a Magiſtro *Duvallio* Reſponſiones, quibus conficitur, *Leonis X.* & Lateranenſis Concilii laudatum ex undecima Seſſione locum non adſtruere Propoſitionem de Auctoritate Romani Pontificis ſupra Concilia tamquam dogma fidei, pariter oſtendunt iſto Adverſariorum achille nullatenus concuti Conciliorum Conſtantienſis & Baſileenſis Decreta de Concilii Generalis Auctoritate ſupra Papam. Concilium enim Conſtantienſe ex omni parte Œcumenicum eſt, Baſileenſe ad tranſlationem uſque in Civitatem Ferrarienſem. Lateranenſe

V. Gal-

V. Gallicana Ecclesia, Parisiensis Academia, viri plerique ax aliis Nationibus doctissimi Œcumenicum non assentiunt, quod Ecclesiam universalem non rapræsentaret, utpote constans octoginta quinque dumtaxat Patribus magnam partem Italis. *Leo* itaque *Decimus* eum Lateranansi sua Synodo abrogare non potuit Conciliorum Generalium Constantiensis & Basileensis Decreta, nee sana abrogare voluissa censendus est: Sed quod da Nicænis Canonibus ad *Anatolium* Constantinopolitanum Patriarcham *S. Leo* scribebat, dicturus fuisse videtur de Syoodi Constantiensis Decretis in Basileensi anta translationem renovatis, & confirmatis, nisi ipsi obreptum fuisset: *Sancti illi, & Venerabiles Patres, qui in Urbe* Constantiensi *mansurus usque in finem Mundi Leges Ecclesiasticorum Canoaum coadiderunt, & apad Nos, & in roto orbe terrarum in suis constitutionibus vivunt: & si quid usquam aliter quam illi statuere præsumitur, sine cunctatione cassatur: Ut quæ ad perpetuam utilitatem generaliter instituta sunt, nulla commutatione varientur, nec ad privatum trahantur commodum, quæ ad bonum sunt commune præfixa*.

Præteraa, Quæstio illa de Concilii Œcumenici, & Romani Pontificis cum illa comparati Auctoritate in Synodo Lateranensi expensa non fuit, non disquisitum quid secundum Scripturas & Traditionem de illa dicendum esset, non recensita & examinata Synodi Constantiensis Decreta, non rogatæ sententiæ Patrum: Cavallicensis Episcopus, nullo ea de re habito tractatu *Leonis X.* jussu Pontificium ejus diploma de Sanctionis Pragmaticæ abrogatione legit. Quo quidem in Diplomata Sententia illa habetur: *Romanum Pontificem, tamquam Auctoritatem super omnia Concilia habentem, conciliorum indicendorum, transferendorum, ac dissolvendorum jus & potestatem habere*: Inserta (inquam) hæc sententia Apostolicis literis est ut propositio incidens, non principalis; non ut Decretum, sed ut Decreti ratio. Probare scilicet volans Pontifex non essa inconcussam Pragmaticæ Sanctionis auctoritatem, licet a Concilio Basileensi confirmata sit, ait Conventum Basileensem tunc a rationa Concilii Œcumenici ancidissa, post translationem Synodi Ferrariam *Eugenii IV.* Decreto: Adeoque nullius esse roboris quæ in eo gesta sunt. De hujusmodi porro translationa dubitari non posse quin legitima fuerit, cum Romanus Pontifex pro tempore existens tamquam auctoritatam super omnia Concilia habens Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac dissolvendorum jus & potestatem habeat. Nemo autem nescis falsis interdum rationibus Pontifices Maximos differendo uti possa. Quamquam ad Conciliorum indictionem, & translationem atque dissolutionem justis de causis & bonum universalis Ecclesiæ spectantibus Auctoritatem aliquo sensu *super omnia Concilia* Romanum Pontificem habere dici possit, & nihilominus Generali Concilio *obedientiam debere in his quæ pertinent ad Fidem, & extirpationem Schismatis, & Reformationem generalem Ecclesiæ Dei in Capite & in membris: &, Si mandatis, statutis, seu ordinationibus & præceptis Concilii Generalis legitime congregati super præmissis, seu ad ea pertinentibus, factis vel faciendis obedira contumaciter contempserit, condignæ pœnitentiæ subjiciendum, & debite puniendum, etiam ad alia Juris subsidia, si opus fuerit, recurrendo*. Hæc nisi conciliari possint, pugnantia sensit scripsitque *Leo X.* cum hic aperte significet non improbara se quæ anta Synodi Basileensis translationem in eo decreta fuerunt, neque Concilii Constantiensis Decreta attingat: Inde vero Pontificem super omnia Concilia potestatem habera dicat, ideoqua ea indicere, transferre, ac dissolvare possa. Id quidem, quod spectat dissolutionem & translationem Synodi Generalis, Romanum Pontificem non posse absque Concilii ipsius consensu, Constantiensis, & Basileensis Synodus ante translationam, & in Sessionibus ab *Eugenio IV.* confirmatis, declararunt: Sed urgente necessitate, & utilitate evidenti Ecclesiæ postulante, a Summo Pontifice, magna præsertim & saniori parte Patrum, in qua Cardinales & Episcopi pene omnes numerantur, consentiente, aliquando transferri, aut dissolvi posse Concilia, pro auctoritata, quam habet Canones interpretandi, temperandi, ac in iis dispensandi, non negaruns. Ut enim ait *Nicolaus Cardinalis Cusanus* Lib. II *De Concordantia Catholica*, Cap. 20. *Negari non debet quin Romanus Pontifex ita ea uti possit. Legitur enim prima Actione 8. Concilii Adrianum scripsisse*; „ Ut cum Gelasio Pa„ pa dicamus, necessaria rerum dispositione constrin„ gimur, & Apostolicæ Sedis moderamine conveni„ mur, sic Canonum Paternorum Decreta librare, & „ retro Præsulum Decessorumque nostrorum Præcepta „ metiri, ut quæ præsentium necessitas temporum re„ staurandis Ecclesiis relaxanda deposcit, adhibita con„ sideratione diligenti, quantum potest fieri, tempe„ remus: Quod & nos æqua possumus pro lucrandis „ fratribus ratione prosequi, & temporum necessitati „ consulendo prorsus imitari. *Ecce hoc fatendum est eo modo quo scribitur, ut in necessitate & utilitate pro restaurandis Ecclesiis, adhibita consideratione diligenti, quantum fieri potest, temperetur. Et pro hoc est notandum ver.* Sed sciendum, *cum Glo. 61. D. & Q. 1.* Quod propter necessitatem, *in Glo. Quia Ecclesiasticæ prohibitiones habent certas causas, tunc illis cessantibus, licet Jus ob suam generalitatem non cesset, habet tamen relaxatio locum. Venire enim contra generalem prohibitionem in particulari casu, ubi necessitas vel utilitas hoc suadet, quoniam Juris causa cessat, talis relaxatio non proprie est Juris relaxatio, sed declaratio casum illum in ratione legis non comprehendi*, 28. Dist. *De Syracusanæ*. Hoc forta sensu Romano Pontifici potestatem super omnia Concilia, & auctoritatem illa transferendi & dissolvendi tribuit *Leo X.* Si vero absolutam supar Concilia potestatam, aaque pro libito transferendi & dissolvendi auctoritatem ipsi vindicaverit, ita ut Genarali Concilio sit absolute superior, nec illius legibus ullatenus adstringatur, ipsius opinio non est admittenda, *nisi Sacræ Scripturæ testimonio, dictis SS. Patrum, ac aliorum Romanorum Pontificum, Sacrorum Canonum Decretis, propria etiam eorumdem conciliorum confessione* consentaneam esse *manifeste constet*, quemadmodum constare assarit. At nullus Scripturæ locus *juxta unanimem consensum Patrum, & secundum eum sensum, quem tenuit & tenet Sancta Mater Ecclesia* (ut Concilium Tridantinum decernit) axplicatus: Nulla SS. Patrum, aut veterum Pontificum testimonia, nulli Canones, nulla Conciliorum Decreta, Romano Pontifici auctoritatem super omnia Concilia, atiam Generalia, eaque transferendi & dissolvendi pro solo arbitrio potestatem convenire probant. Nulla speciatim notat Scripturæ Sacræ, SS. Patrum, Canonumque loca *Leo X.* Testimonia vero in genera tantum allegata nihil probant, ut liquet ax duplici Juris Axiomate, primum L. *Item apud Labeonem. §. Ait Prætor. de Injur.* habetur his varbis: *Quæ notabiliter facta sunt, nisi notentur, quasi neglecta videntur.* Alterum vero in Gloss. in c. 15. §. *Si quis igitur*, in verbo, *Speciem*, *De Excep.* in 6. *Non sufficit aliquid in genere proponere, quando quælibet species eumdem non operatur effectum*.

Opinio de Pontificis potestate super Concilium in rem judicatam non transiit.

XVII. Quicumqua vero sit *Leonis X.* & Lateranensis Concilii sensus, certissimum est, Ultramontanorum Theologorum opinionem de Summi Pontificis Auctoritata supra Concilium in rem judicatam non transisse, ax his quæ in Tridantina Synodo anno millesimo quingentesimo sexagesimo-tertio disceptata sunt, cum Sessionis vigesimæ tertiæ Canones componerentur. Nam cum præter septem Canones de Hierarchia jam paratos, octavus a Cardinali *Lotharingo* fuisset propositus, quo declararetur Pontificis Romani Prærogativa, *Pius IV.* quicum omnia communicanda Romam mittebantur, ad Legatos per Cardinalem *Borromæum* die nona Januarii rescripsit, Necessarium censeri ut adderentur Canoni verba ex Florentini Concilii Definitione deprompta, quibus Romanus Pontifex universalis Ecclesiæ Pastor, & Rector declaratur: & hanc formam Canonis Tridentum remisit: „ Anathema sit, „ si quis dixerit B. Petrum per institutionem Christi „ non fuisse primum inter Apostolos, & ejus Vica„ rium in terra; vel necesse non essa, ut sit in Ec„ clesia unus Pontifex, Petri Successor, eique æqua„ lis in Auctoritate regiminis; Atque in Romana Se„ de legitimos ejus Successores ad hoc usque tempus „ non habuisse Jus Principatus in Ecclesia, nec fuisse „ Pastores, & Doctores omnium Christianorum, nec „ fuisse ipsis traditam a Domino nostro Jesu Chri„ sto plenam potestatem pascendi, regendi, & gu„ bernandi Ecclesiam universalem ". Canonem his verbis conceptum Gallicanæ Ecclesiæ Præsules ac Theologi summo consensu improbarunt, nec adduci potuerunt umquam ut illum admitterent. Displicebant ipsis ea verba, *Summo Pontifici inesse potestatem regendi Ecclesiam universalem*: eom illa officere viderentur sententiæ neganti Eum esse superiorem Concilio; ac proinde, loco horum verborum, *Ecclesiam universalem*, ponendum esse censebant: *Omnes Fideles, & omnes Ecclesias*. Post hæc, urgentibus Pontificiis Legatis, ut huic de Summorum Pon-

tifi-

tificum Auctoritate Canoni illa saltem verba adderentur ex Concilio Lugdunensi desumpta, quod a Basileensi laudatum est, *Universalis Ecclesiæ Pastores*; & loco particulæ, *Oves Christi*, adderetus vox collectiva, hoc est, *Gregem Domini*: Galli hunc etiam loquendi modum rejecerunt, volebantque ut Summus Pontifex *Rector Ecclesiæ Catholicæ* potius diceretur. Quæ vox tametsi idem valere videretur, a compluribus tamen tamquam dubia repudiabatus, quod nomen *Catholici* aptum etiam sit ad significandum *Fidelem*; adeoque omnis Fidelium Episcopus dici quodammodo possit Episcopus Ecclesiæ Catholicæ. Quo sensu in Concilio Carthaginensi usurpatum est, ubi legitur: *Augustinus Episcopus Ecclesiæ Catholicæ dixit*. Atque ad id confirmandum observarunt, legi in *S. Cypriano*, cum ipse in Ecclesiæ sinum quosdam reciperet, qui hæretici fuerant, non solum ab eo jussos esse confitesi, *Cornelium* esse Pastorem Ecclesiæ Catholicæ, sed eumdem hoc non contentum, voluisse ut adderetur, *id est*, *Universalis*. Unde ille censebat posterius vocabulum quamdam prioris ambiguitatem tollere: Idcirco attributum videri Romano Pontifici in Synodo Lugdunensi epithetum *Universalis*. Quod si idem utraque voce significari Galli censebantur, cur utramlibet æque non admittebant? Alii hoc medium concordiæ proponebant, ut diceretur, *Totius Ecclesiæ Catholicæ*. Et sane complures auctores erant, ut etiam absque addito acciperetur vox illa, quippe quæ extat in Symbolo, quæque præterea usurpatur a Summis Pontificibus in solemnibus ipsorum subscriptionibus. Post multas demum concertationes, *Ferdinando* Cæsare suadente, *Pius IV.* consultius esse duxit ac tutius, ut ab hujusmodi disputationibus, quæ Fidei summam non spectant, abstineretur. Canon itaque, qui Patres in studia tam contraria distraxerat, suppressus est, nec antiquæ Ecclesiæ Gallicanæ sententiæ de Auctoritate Concilii Generalis supra Romanum Pontificem fuit nullatenus derogatum. Hæc constant ex *Palavicino* Cardinali in Historia Concilii Tridentini Libro 19. Cap. 12. Num. 3. Cap. 13. Num. 7. Lib. 21. cap. 4. Num. 12. & cap. 11. Num. 1. Hac utor Historia Latine reddita a *I. B. Grattiao* Societatis Jesu Sacerdote.

Bulla Retractationis Pii II. vim Concilii Basileensis ac Decretorum ipsius de Suprema Concilii Generalis auctoritate non elevat.

XVIII. Erit qui Bullam Retractationis *Pii II.* objiciat, datam 6. Kalendas Majas anno 1463. hisque verbis incipientem; *In Minoribus*: Qua retractat ea quæ olim de Actis Basileensis Concilii contra *Eugenium IV.* & de Concilii Generalis Auctoritate, juxta ejusdem Concilii diffinitionem scripserat, cum *Æneas Sylvius* tantum esset in minoribus constitutus, & Cardinalis *Dominici Capranica* familiaris, quem ed Concilium Basileense comitatus fuerat.

XIX. Verum Concilii Basileensis ac Decretorum ipsius de potestate Concilii supra Romanum Pontificem vim ac auctoritatem non convellit aut elevat *Pius II.* in illis Retractationis Literis, quæ ea dumtaxat spectant, quæ Basileæ, post Synodi translationem in civitatem Ferrariensem ab *Eugenio IV.* factam, decreta vel gesta sunt, scilicet trium Propositionum velut Dogmatum Fidei definitionem Sessione 33. *Eugenii* Depositionem, *Amedei* Electionem, quæ omnia rite & Canonice facta propugnaverat *Æneas Sylvius*: At Decreta Constantiensis Concilii de Synodorum Generalium Auctoritate supra Romanum Pontificem in Concilio Basileensi ante translationem quinquies renovata, & sententiam secundum hæc a se propugnatam, tantum abest ut retractaverit, ut potius ipso Retractationis Diplomate confirmaverit. „ Cum his „ (*inquit*) & Generalis Concilii Auctoritatem & Po„ testatem complectimur, quemadmodum & ævo no„ stro Constantiæ, dum ibi fuit Synodus Universa„ lis, declaratum definitumque est. Veneramur e„ nim Constantiense Concilium, & cuncta quæ præ„ cesserunt, a Romanis Pontificibus Prædecessoribus „ nostris approbata: Inter quæ nullum invenimus „ umquam fuisse ratum, quod stante Romano indubi„ tato Præsule absque ipsius Auctoritate convenerit. Si quid aliud senserit *Pius II.* rationibus certe suis consuluit, & humani aliquid passus est, qui veritatem de Suprema Conciliorum Generalium Auctoritate quam in minoribus constitutus, cum viris totius orbis Christiani doctissimis & Oecumenica Synodo egregie defenderat, nec abjecerat factus Cardinalis, statim atque creatus est Pontifex absque examine deseruerit, ejuraveritque; nec satis attenderit ad auream illam Sancti Leonis Magni sententiam Epistola 132. ad Leonem Augustum; „ Secundum Apostolum, Si quæ de„ struxi, hæc ædifico, prævaricatorem me constituo, „ & eis me ultionum conditionibus subdo, quas mea „ consensione firmavi . . . De rebus & apud Nicæam „ & apud Chalcedonam, sicut Deo placuit, definitis: „ nullum audemus inire tractatum: Tamquam dubia „ vel infirma sint, quæ tanta per Spiritum Sanctum „ fixit Auctoritas.

ARTICULUS V.

Acta Basileensis Concilii post Translationem factam Ferrariam, Eugenii IV. Pontificis Maximi Depositionem, & Felicis V. Electionem spectantia Universalis Ecclesiæ non probavit Assensus. Nonnulla tamen hoc ipso tempore pia & salutaria Decreta Patres Basileenses ediderunt; Inter alia, Decretum de Immaculata Deiparæ Virginis Conceptione. At pia illa sententia Synodi Basileensis Judicio in Dogma Fidei non evasit.

Conventus Basileensis translationem Synodi ab Eugenio factam irritam dicit.

I. EUgenii IV. Literis ac Mandatis de Concilii translatione Ferrariam, acceptis post multas consultationes, motusque animorum, Patres Basileenses Sessione 29. quarto Idus Octobris anni 1437. congregati, dissolutionem ac translationem Synodi irritas pronuntiarunt, jusseruntque illas revocaret, alioquin in pœnas latas Decreto hujus Synodi, quod incipit, *Quoniam frequens*, 15. Sessione edito ac promulgato incursurum; & juxta illius tenorem, nisi infra quatuor menses resipuerit, ipso facto a Pontificatus administratione suspensum iri; & Synodum subinde ad ulteriorem Sententiam processuram. Prohibuerunt insuper, ne quis ratione & occasione dissolutionis & translationis ab *Eugenio* factæ a Synodo Basileensi recedere, aut Ferrariam ire vel mittere auderet, sub pœnis excommunicationis & privationis omnium Beneficiorum, Dignitatum, & Officiorum, & incapacitatis perpetuæ ad ea obtinenda; Collegiis vero, Capitulis, & Academiis, sub pœna Interdicti. Pontifici etiam vetuerunt deinceps contra Concilium, Conciliaresve quidquam attentaret. Impetrationes sive Collationes Beneficiorum a Conciliaribus possessorum, in Curia Romana per Pontificem aut alias per viam privationis factas, in irritum miserunt. Latisque Censuris in eos, qui Mandatis Pontificiis hac in re parerent, status sui securitati prospexere. Post hæc, ad Literas quasdam Apologeticas *Eugenii*, contra Synodi Monitorium emissas, quibus crimen Schismatis Patribus impingebat, Responsio Synodalis edita est, 14. Kalendas Novembris, quæ incipit: *Ecclesiam suam*. Tunc Christianus orbis in varias Obedientias scissus est. *Alfonsus* Rex Aragonum, *Eugenio* propter Regnum Neapolitanum infensus, Basileensia Decreta laudavit, probavitque. *Amedeus*, Sabaudiæ Dux operas suas ad *Eugenium* Basileensibus Patribus conciliandum interposuit, missa ad Ipsum Legatione, Pontifice cum Patribus commisso, *alter alterum accusat, reprehendit, damnat: Hic excommunicat, illi absolvunt: Illi decernunt, Iste abrogat: Illi Basileam, Iste Ferrariam Prælatos advocat. Quisque per se agit & curat alterius gesta injusta, sua sancta videantur.* Ita *Augustinus Patricius*, Cap. 64.

Decretum de Causis.

II. Sessione 31. nono Kalendas Februarii, an. 1438. celebrata triplex Decretum conditum est. Primum de Causis, quo Synodus statuit; „ Ut in partibus ultra „ quatuor dietas a Romana Curia distantibus, omnes „ quæcumque Causæ exceptis Majoribus in jure expres„ se enumeratis, & Electionum Ecclesiarum Cathedra„ lium, & Monasteriorum quas immediata subjectio ad „ Sedem Apostolicam devolvit apud illos Judices in par„ tibus, qui de Jure aus Consuetudine præscripta cogni„ tionem habent, terminentur & finiantur. Alterum Decretum frivolas & desultorias Appellationes prohibet. Ante diffinitivam Sententiam ad quemcumque etiam ad Romanum Pontificem appellari vetat; causas quascumque, per Appellationem ad Romanam Curiam devolutas, Basileæ, non in curia *Eugenii*, aut Ferrariæ judicari jubet. Decretum tertium collationes Beneficiorum spectat: Gratias Expectativas & Reservationes Beneficiorum jam factas aut faciendas a Romano Pontifice, vel Sedis Apostolicæ Legatis, penitus abolet ac rescindit; servata nihilominus Romano Pontifici Beneficii unius ex decem, vel duorum ex quinquaginta collatione, & Jure Præventionis illæso. Viris Literatis & Graduatis Beneficia certo ordine conferri jubet ab Ordinariis, etiam in Ecclesiis Cathedralibus; in iisque Theologum institui, qui his aut

De Beneficiorum Collatione.

semel

semel quavis hebdomada lectionem habeat: qui in favorem studii distributiones percipiat, etiam cum abfuerit a Divinis: Quarto Decreto, quod incipit: *Omnis Ecclesia*, suspenditur *Eugenius* ab omni Pontificatus Administratione, tam in spiritualibus, quam in temporalibus, ob attentatam (ut ajunt) Concilii dissolutionem & translationem contra ejusdem Concilii Decreta, & contumaciam: & hanc administrationem ad se devolutam Synodus declarat: Seque huc in causa ulterius processuram. Discessit interim Basilea *Julianus* Cardinalis Sedis Apostolicæ Legatus, & Concilii Præses & *Eugenio* deinceps contra Synodum adhæsit. Patres *Ludovicum* Cardinalem Arelatensem, qui unus ex Eminentissimo Ordine in Synodo supererat, Præsidem cum plena potestate crearunt.

Eugenii IV. suspensionem attentant Basileenses.

III. Sessione 33. nono Kalendas Aprilis celebrata, Synodum Ferrariensem damnavit Basileensis, omniaque ab ipsa, & *Eugenio* ei Præsidente, contra Conciliares, aut contra ipsum Concilium decreta ac gesta, decernenda vel gerenda rescidit, & irrita declaravit.

Principes Aliis Basileensibus contra Eugenium non consentiunt.

IV. Duobus mensibus ab *Eugenii* Suspensione elapsis, cum Synodus Basileensis ad ejus exauctorationem procedere decrevisset, Regum Hispaniæ & Aragonum, Ducisque Mediolanensis Oratores postularunt, ut Judicium contra *Eugenium* ad diem, octogesimum differretur: Alioqui suorum Principum nomine suot protestati de dissensu, quod Schisma ex his motibus excitandum metuerent: Ea prorogatione autem coalescere posse concordiam Concilium inter & Pontificem, Idem suo Provinciæque suæ nomine rogavit Mediolanensis Archiepiscopus: Idem *Ludovicus* Protonotarius Romanus, Vir Juris utriusque Consultissimus. Sed & Oratores Electorum Romani Imperii, Dominorum suorum nominibus petierunt, ut Quæstione adversus *Eugenium* supersederetur, utque Synodus in alterum ex tribus locis transferretur. Tunc Germanicæ neutralitati initium datum, de qua *Augustinus Patricius* Cap. 73. scribit: „ Convenerunt Francofordiæ Electores Imperii, post mortem Sigismundi Cæsaris ad novum Cæsarem subrogandum: „ Qui cum varia in dies Edicta Romani Pontificis & Basileensium cernerent, communi consensu 15. Kal. Aprilis ejusdem anni 1438. statuunt se Provincialesque „ omnia Decreta alterius partis contra alteram partem „ non suscipere, venerarique & Eugenium Pontificem, „ & Concilium Basileense, velleque usque ad sextum „ mensem deliberare cujus parti sit adhærendum. Interea tamen protestari, Se non discedere ab obedientia „ & reverentia Sedis Apostolicæ. Prælatos autem Ecclesiarum populos sibi commissos Jure ordinario gubernaturos. Hoc principium fuit neutralitatis Germanicæ, „ quæ prætextu concordiæ per sex menses instituta, supra sex annos perduravit, ab Eugenio & Basileensibus „ reprobata. Nemini enim parebant cum Censuræ imponebantur. Frustra vero Electorum, & Mediolanensis Ducis Oratores, ut in causa *Eugenii* supersederetur; multis argumentis instabant. Conciliares namque rem maturandam decreverunt, Quæstionem contra Pontificem habendam, probationes criminum instruendas, testes audiendos. Prælati Hispanicæ Nationis protestabantur, „ Se probationi criminum Eugenii non assensuros. Panormitanus etiam Præsul supersedendum „ censebat, affirmabatque Italis & Hispanis non consentientibus, quasi media parte Concilii, nihil ab aliis statui posse: Quod a Gallis & Germanis non admittebatur, cum dicerent, Eos nullo modo esse non modo numero pares, sed vix quartam partem. Quibus respondebat *Panormitanus*: Secundi ordinis Sacerdotes quibus pars illorum prævalebat, *non habere potestatem statuendi in Conciliis*, & proinde se esse eis æquales, cum numero Prælatorum inferiores non essent. Facta tandem congregatione generali ad 4. Kalendas Majas, cum de accusationibus *Eugenii*, probationibusque adversus ipsum admittendis ageretur, Oratores Regum Hispaniæ & Aragoniæ, Ducisque Mediolanensis; & Barcinonensis Episcopus, nomine Ecclesiæ Hispaniensis, Archiepiscopus Mediolanensis nomine Italiæ, intercesserunt. Quod si fieret, protestati sunt neque Principes suos consensuros. Sed cum his non moverentur Conciliares, jamque Decretum admissionis Articulorum, jubente Præside legeretur, omnes e concione discessere. Interim *Carolus VII.* Rex Christianissimus ex Bituricensi Gallicanæ Ecclesiæ conventu, in quo Pragmatica Sanctio condita est, *Oratores Basileam misit, orans iterum Patres, ut a processu contra Eugenium cessarent, promittens se operam daturum pro concordia & pace*. Eodem tempore celebratus est Nurembergensis conventus, in quo Synodi Basileensis Legati ab Oratoribus Cæsaris & Principum rogati, ut Patres Principum arbitrio & interventione pacem inter se ac Pontificem componi permitterent, responderunt; Id neque fieri posse, neque justum videri: *Quoniam non liceret Sæculares Principes de Rebus Ecclesiasticis judicare*, neque esse utile Reipublicæ, ut Principes viderentur legem præscribere Concilio generali & Romano Pontifici. Conventus alter ibidem paulo post celebratus est, in quo de concordia Pontificem inter & Concilium actum, & de tertii loci electione ad Concilii œcumenici celebrationem, ad quod Basileenses ac Ferrarienses confluerent. Quod & Christianissimi Regis Oratores ejus nomine suggesserunt. Novus Conventus mense Martio anni 1430. habitus est Moguntiæ, ubi Synodi Basileensis Legati cum Principibus, & Oratoribus Cæsaris ac Regum convenientes, acriter petitionibus Principum resistebant, petebantque Concilii Decreta a Cæsare & Principibus suscipi. At Principes, Oratoresque Cæsarei, urgebant ut Judicio contra Summum Pontificem supersederetur, permitterentque Patres Concilium transferri. At nihil obtinuere. *Nicolaus de Cusa* tum *Eugenii* causam tuebatur, nec jam Basileensem Conventum Generale Concilium esse, ubique prædicabat. Ista constant ex *Augustino Patritio*. Rex etiam Angliæ *Henricus VI. acerbissimis Literis Patres increpavit, quod auderent Romanum Pontificem judicare, asserens Antichristi tempora eos introducere, & exhortans ut a Processibus cessarent: & in literarum superscriptione, Basileensem Congregationem, non autem Concilium appellavit*.

Germanica Neutralitatis initium.

V. Interea Patres Basileenses Conclusiones octo per Sacræ Theologiæ professores excusserunt, quas *Veritates Catholicæ Fidei* placuit ipsis appellare, quarum diffinitione *Eugenium* hæreticum, & in hæresim relapsum probatum iri confidebant, scilicet:

Articuli a Basileensibus Veritates Fidei falso inscripti.

1. *Veritas est Catholicæ Fidei, Sacrum Generale Concilium supra Papam & aliam quamvis Potestatem habere.*

2. *Generale Concilium legitime congregatum, sine ipsius consensu nec dissolvere, nec transferre, nec prorogare ad tempus ex Auctoritate sua potest Romanus Pontifex: idque veritatis ejusdem est.*

3. *Qui pertinaciter his veritatibus se opponit, hæreticus est censendus.*

4. *Has veritates Eugenius Papa quartus oppugnavit, cum primo ex plenitudine Potestatis Apostolicæ Basileense Concilium dissolvere, sive transferre attentavit.*

5. *Errores his veritatibus repugnantes monitus tandem per Sacrum Concilium Eugenius revocavit.*

6. *Dissolutio sive translatio per Eugenium secundo attentata, prædictis est obvia Veritatibus, inexcusabilemque circa Fidem errorem continet.*

7. *Eugenius iterato dissolvere seu transferre Concilium tentans, in revocatos errores prolabitur.*

8. *Commonitus per Synodum Eugenius ut dissolutionem sive translationem secundo attentatam revocaret, post declaratam contumaciam in rebellione persistens, Ferrariæque Conciliabulum erigens, seipsum pertinacem declarat.*

Hujus Disputationis ac Judicii Promotor fuit *Nicolaus Burgundus* ex Ordine FF. Prædicatorum, *Vir acutus, & longe majoris animi quam corporis, qui nec Disputationum, nec Congregationum aures umquam pulsare omisit, donec res cœpta & consummata est* (inquit *Æneas Sylvius*, lib. 1. De Gestis Basileensis Concilii.) *Resque hæc intacta remansisset, nisi istius Homuncionis diligentia Patres excitasset, quem si quis videat, numquam tanti existimet. Sed non sunt homines ex aspectu dijudicandi*. Per sex dies matutinis & vespertinis horis protracta disputatio est. Arbiter erat *Ludovicus* Cardinalis Arelatensis. *Nicolaus Amici* Theologus Parisiensis, Procurator Fidei, singulorum sententiam rogabat. Notarius publicus suffragia excipiebat. Plurimi Propositiones approbabant. Panormitanus tamen Archiepiscopus vir inter omnes scientia eminens, plurima in adversum disputavit. Plurima etiam Prælatorum decus Burgensis Episcopus ac Eleemosynarius Regis Aragonum, non minus eloquentia quam doctrina præclarus. Non tamen prioribus Conclusionibus repugnabant, sed illis tantum quibus tangebatur *Eugenius*. Adversus posteriores Conclusiones *Panormitanus* egregie disseruit, ostendens *Eugenium* non esse Relapsum, magnaque illi cum tribus viris, Argensi Episcopo, *Joanne Segovie*, ac *Francisco de Fuxo* Theologis, concertatio fuit.

Eugenii defensionem suscipit N. Panormitanus Archiepiscopus.

„ Articulos Fidei trifariam dividebat: Stricte, ut in „ Symbolo, large, ut in Declarationibus per Ecclesiam „ factis: largissime, ut in his quæ ex prædictis resultant: Eugeniumque nullo istorum modorum violasse

„ Fidem

„ Fidem in prima dissolutione quam fecit, quia nec in Symbolo nec in Ecclesiæ determinationibus haberetur, Papam non posse Concilia dissolvere, nec id sibi videri in determinationibus antea factis resultare: Sed potius ex Decretis Constantiensis Concilii hunc casum tamquam omissum dispositioni Papæ reservari: Cum in Capitulo, *FREQUENS*, locus futuri Concilii per Papam approbante Concilio eligatur, & de hoc nihil omnino sit dictum. Quod si forsitan in prima dissolutione peccasset *Eugenius*, excusatum tamen haberi debere, qui de consilio Cardinalium egisset, Romanam Ecclesiam repræsentantium: Cujus tantam esse Auctoritatem dixit, ut ejus Judicium toti orbi præponeretur: Idque Glossam singularem adstruere: Nec inveniri unquam Sacrum Concilium adversus Eugenium tamquam Hæreticum processisse, idque signum esse quia non putarit eum a Fide devium. Nec apud se momentum habere quod diceretur de adhæsione, erroribusque revocatis. Legisse se totum adhæsionis textum Papamque non revocasse dissolutionem ut Fidei contrariam, sed ut scandala parturientem. Ultimam quoque dissolutionem nihil habere hujusmodi, quoniam similiter ex consilio Cardinalium dissolvisset, & propter unionem Græcorum fiendam; ac ne cogeretur in originali causa per Procuratorem respondere, cum personaliter mala valetudine impeditus venire non posset. Sicque cum ex prima dissolutione non fuisset in errorem Fidei lapsus, persuaderi sibi non posse *Eugenium* nunc dici Relapsum, qui nec prima nec secunda dissolutione fidem violarit. „ Fuit Oratio *Panormitani* apud omnes magis laudata quam probata. Id tamen habuit efficaciæ, ut postea verbum, *Relapsum*, ex conclusionibus tolleretur, ejusque loco poneretur, *Prolapsum*.

Ad hæc respondit *Joannes de Segovia* Hispanus Theologus: „ Fateri se quod de Articulis Fidei trifariam divisis Panormitanus dixisset, idque ad suam causam facere: Quia si ea pro Articulis Fidei tenenda essent, quæ ex determinationibus Ecclesiæ resultarent, manifestum foret Conclusiones de quibus agitur, ex determinationibus Ecclesiæ, hoc est, Constantiensis Concilii resultare: Quia si Concilio Papa subjicitur, illud citra Patrum consensum dissolvere non potest. „ Lugdunensis Archiepiscopus pluribus in *Eugenium* invectus est, Hæreticum inclamans. Burgensis Episcopus, Orator Hispanus, vir doctissimus, Conclusiones bifariam divisit, alias generales, alias personales appellans. Egregie circa tres primas locutus est: *Nullatenus se de ipsis dubitare asseverans, nisi quod illa sibi adjectio dubia videretur, quæ de Fide faceret mentionem. Plurimumque illic immorari voluit, ut Sacrum Concilium supra Papam esse ostenderet.* Alias vero Conclusiones, quæ contra *Eugenium* pugnabant, confutavit. *Thomas de Corsellis* Theologus Parisiensis pro Conclusionibus late ac luculente disseruit. *Ludovicus* Protonotarius cum *Panormitano* Archipræsule, has propositiones impugnavit. Lugdunensis Archiepiscopus ipsos arguit inconstantiæ, præsertim *Ludovicum*, quem hæc Dogmata Lovanii & Coloniæ prædicasse ait, illosque istarum Academiarum auctoritate firmatas reportasse. Tum ille: *Verum est* (inquit) *illas me apportasse Veritates, Vos tamen eas Fidei Veritates nuncupatis, quæ adjectio mihi subdubia est.* Cum Duodecimvirum Concordatum circa illas propositiones legeretur, *Panormitanus* assurgentibus secum Collegis, & aliis Aragonensibus, altissime clamans: *Vos* (ait) *Patres, nostras contemsistis preces, Reges & Principes contemnitis: At cavete ne dum omnes despicitis, ab omnibus despiciamini. Vultis concludere, sed vestrum non est concludere. Nos Prælatorum major pars sumus, Nos Concilium facimus, ad nos concludere spectat; Egoque nomine Prælatorum supersedendum esse concludo.* At *Joannes Segovius* Theologus Salmanticensis pro libertate Concilii contra *Panormitanum* diserte peroravit. Tandem Cardinalis Arelatensis ægre sedato tumultu, silentioque impetrato, pro sua parte concludens, tres priores propositiones ad Fidem pertinere declaravit, aliis in medio relictis. Ita refert *Æneas Sylvius*, Lib. 1. *De Gestis Basileensis Concilii*. Secundum hæc, solemnis indicta Sessio, frustra reclamantibus Oratoribus Principum, quibus respondit Cardinalis Arelatensis: *Patres Basileæ convenisse in nomine Christi, non in Nomine Principum; ac proinde Christi voluntatem, non Principum impleri oportere.* Ita refert *Augustinus Patricius*, Cap. 90.

VI. *Sessione* XXXIII. decimo septimo Kalendas Junii anno 1439. celebrata, tres priores e superioribus Propositionibus diffinivit Synodus hunc in modum.

Tres Articuli ut Veritates Fidei a Basileensibus properamde- finita.

Veritas de potestate Concilii Generalis, universalem Ecclesiam repræsentantis supra Papam & quemlibet alterum declarata per Constantiense & hoc Basileense Generalia Concilia, est Veritas Fidei Catholicæ.

Veritas hæc, quod Papa Concilium Generale universalem Ecclesiam repræsentans, actu legitime congregatum, sine ejus consensu nullatenus auctoritative potest dissolvere, aut ad aliud tempus prorogare, aut de loco ad locum transferre, est Veritas Fidei Catholicæ.

His Veritatibus pertinaciter repugnans, est censendus Hæreticus.

Huic Sessioni Aragonensium Prælatorum nemo interfuit, nullus omnino ex tota Hispania: ex Italia soli Episcopus Grossetanus & Abbas *De Dona*. Secundi vero Ordinis Sacerdotes & Doctores magno numero. Ex aliis Nationibus, Prælati solum viginti. Abfuere Principum Oratores; sed sequentem Congregationem Generalem præsentia sua cohonestarunt: Lubecensis Episcopus Cæsaris, & Toronensis Archiepiscopus Christianissimi Regis Oratores, nomine proprio sententiam Patrum approbarunt, excusaveruntque quod Sessioni non interfuissent, ne Principum Mandatis contrairent. Basileenses Oratores ex Britannia his diebus reversi retulere: *Britonum Ducem Concilii Decreta omnia pie suscepisse, præterquam Eugenii Pontificis Suspensionem.* 10. Kalendas Junii in Generali Congregatione Legati Cæsaris ac Principum omnium Germaniæ, Regum Franciæ, Hispaniæ, Aragoniæ, & aliorum, multis precibus, suasionibus, & argumentationibus Patres rogabant, ut Moguntiæ meditata pro pace Ecclesiæ susciperent, *Processum contra Eugenium differrent*, & in tertium Concilii locum consentirent. „ Super quibus petitionibus cum diu multumque disceptatum esset, tandem Concilii nomine Responsum datum est in Generali Congregatione, Idibus Junii, in Scriptis, sub Bulla Concilii; quo affirmabant Patres multis argumentis, auctoritatibus, & exemplis, neque sibi licere, neque utile esse Reipublicæ Christianæ, ut Judicio contra *Eugenium* supersederetur, utve mutatio aliqua Concilii fieret, quod petebant Principes: Quoniam nihil aliud esset mutare, quam dissolvere Concilium, & Judicium contra *Eugenium* juste & necessarie inceptum frustrari. „ Extat inter Epistolas Synodales, num. 13. incipitque: *Rem gravissimam*. In altera Congregatione omnia ad Judicium ferendum parari jussa, & communi Conciliarium consensu quinque aliæ propositiones quas Veritates Fidei appellabant, approbatæ 9. Kalendas Julii: Ac publico Edicto in valvis Basileensis Basilicæ affixo vocatus est *Eugenius* Papa ad Sententiam audiendam ad 7. Kalendas ejusdem mensis.

Iniqua in Eugenium IV. Sententia.

VII. *Sessione decima quarta*, septimo Kalendas Julii anno 1439. celebrata, lata in *Eugenium* Depositionis Sententia est, tamquam notorium & manifestum contumacem; „ Mandatis Ecclesiæ universalis inobedientem, violatorem Canonum Synodalium, pacis & unitatis Ecclesiæ perturbatorem notorium, simoniacum, perjurum, incorrigibilem, Schismaticum, a Fide devium, Hæreticum, dilapidatorem Jurium & Bonorum Ecclesiæ, inutilem ac damnosum. „ Porro cum illam in *Eugenium IV.* Sententiam tulit Synodus Basileensis, universalem Ecclesiam amplius non repræsentabat, utpote cui septem dumtaxat Episcopi intererant, ut refert *Augustinus Patricius*, cap. 114. *Crescente*, inquit, *in dies dissensione, cum Apostolicæ Sedis dignitatem omnino prosternere conarentur, optimus quisque discessit, ita ut cum Judicium contra Eugenium intentarent, vix viginti aut triginta ad summum Infulati adessent; & in ejus depositione septem tantum Episcopi interfuerunt. Admittebantur siquidem ad Definitiones & sancienda Decreta non modo Episcopi & Abbates, sed Theologiæ, Juris utriusque, & aliarum Doctrinarum Professores, quos Graduatos appellant, tum Ecclesiarum Canonici, & Parochialium Rectores, jurati tamen omnes, ita ut non minoris esset Auctoritatis, quam Episcopi suffragium, cum numero, non dignitate expediretur Sententia contra aliorum Conciliorum consuetudinem, (in quibus ut ajunt) soli Episcopi & Abbates vocem deliberativam habebant, alii vero consultivam tantum:* Octo vel novem tantum Episcopi *Eugenii* IV. Depositioni interfuisse, ac subscripsisse ait *Joannes* Cardinalis *De Turrecremata*, quos & nominatim recenset in Responsione ad Basileenses, quæ MS. extat in Bibliotheca Victorina, cau-

fas etiam referens cur *Eugenio* essent infensi. „ Cardinalis (*inquit*) Arelatensis antiquus *Eugenii* Summi Pontificis inimicus, quia ab eo non valuerat impetrare ut Avunculo suo succederet in Officio Cameræ Apostolicæ, Patriarcha quondam Aquilejensis, Papæ capitalis inimicus propter Patriarchatum occupatum a Venetis: *Ludovicus de Palude* Episcopus quondam Venciensis, furiosus adversarius Papæ, quia in Ecclesia Massiliensi non habuerat contra justitiam desiderata suffragia: Gratianopolitanus, Sabaudiensis, Arelatensis consanguineus: Basileensis, homo sine literis, timore (ut credebatur) ductus: & duo Religiosi a sui Ordinis obedientia Apostatæ, sine Ecclesiis Cathedralibus Episcopi nominati: *Raymundus Thaloni* sine Mitra, qui dicebat Episcopum se Tricaricensem, Papæ jamdudum infensus, quod ab ipso ob sua demerita privatus fuisset Officio Auditoris Curiæ Avenionensis. Ecce, *inquit*, merita, ecce numerum eorum qui fuisse percussi, nomen Ecclesiæ universalis sibi usurpantes, auctores fuerunt Decretationis erroneæ. Cæteri namque omnes Episcopi inter quos Cardinalis Tarraconensis, & Regum ac Principum Oratores, sacrilegæ eorum Sessioni contradicentes, non interfuerunt. „ Cui consentiens *S. Antoninus* 3. P. Tit. 22. Cap. 10. §. 4. testatur, fuisse inter Basileenses Conciliares aliquos propter crimina Episcopatu ab *Eugenio* privatos. Idipsum Oratoribus Basileensibus in Moguntino Conventu *Nicolaus de Cusa* exprobravit. Quin tamen studio partium & ex præjudicatis affectibus multa ultro citroque dicta & scripta fuerint, nullus dubito; & deceptum arbitror Cardinalem *De Turrecremata* cum *Ludovicum* Cardinalem Arelatensem, virum sanctissimum, cujus sanctimonia certissimis post obitum miraculis comprobata est, & qui a *Clemente* VII. Pontifice Maximo in Beatorum numerum est relatus, inimicitias capitales in *Eugenium* fovisse ac exercuisse scripsit, ac ex odio & vindicta ejus depositionem attentasse. Verisora forte non sunt, quæ de alio jactata sunt Patribus. Ut ut est, paucitas Episcoporum qui Sententiam in *Eugenium* tulere, effecit ut a majori Ecclesiæ parte merito revocaretur in dubium an Canonica esset, vel irrita & iniqua censeretur: Cum vel ad simplicis Episcopi exauctorationem duodecim ejusdem Ordinis Judices ex Canonum præscripto exigantur. Abdicato *Eugenio*, Legationes ad omnes Principes decretæ sunt, qui ejus exauctorationem, & rationes latæ contra illum Sententiæ omnibus exponeret. Paulo post redditæ sunt Patribus Regis Christianissimi literæ, quibus acriter conquerebatur, illos non modo suis precibus non annuisse, & exhortationibus: *Ut in Judicio contra Eugenium supersederetur, sed & graviora contra eum egisse. Quod non solum sibi, sed & multis aliis Principibus magnæ esset admirationi, cum pacem Ecclesiæ quam Principes tantopere quærerent, Patres respuere viderentur. Obsecrabat igitur summis precibus, ut ulterius procederetur.* Responderunt Patres, Regem paulo post per Synodi Legatos cogniturum quid in hac re actum sit. Non dubitare Synodum quin omnia in meliorem partem Rex Christianissimus suscipiat: Quoniam pax Ecclesiæ convenientius non reddi potest, quam si debitæ libertati reddatur: Ejus Majestatem rogare, ut Regni Prælatos ad consulendum Reipublicæ Christianæ mittat. Basileensium Legati Moguntiam ad Conventum Principum petentes, Edicta Exauctoratione *Eugenii* in valvis Basilicarum Argentinæ, Spiræ, Wormatiæque affixerunt. Quod cum etiam Moguntiæ fecissent, delata sunt exemplaria, ipsisque prohibitum ne deinceps illa affigerent. Moguntinus Archipræsul, Electus Trevirensis, & aliorum Electorum Oratores, Consultoresque, admissis in Conventum Legatis significarunt: *Quoniam Patres qui Basileæ essent, noluissent admittere media pacis & unionis, prædicarentque se juste privasse Eugenium Pontificatu, & ille tamen omnia ageret, quæ alii Romani Pontifices fecissent, haberetur que a multis pro Romano Pontifice, & utrinque varia in dies contrariaque Edicta emanarent, essetque ut res ista tenebrosa aqua sub nubibus aeris, neque de tam difficillima re determinare valerent, sua probabili dubitatione pensata, statuerunt neutri parti adhærere, ut alias inter Principes Germaniæ statutum erat. Et quoniam ipsi peterent executionem Sententiæ contra Eugenium in Germania, respondere, se non posse id concedere, quoniam alteri adhæsisse viderentur: & ut Censurarum, aliarumve pœnarum per Basileenses indictarum timore cogi possint, Principes nomine totius Germaniæ provocare ab illis ad proxima futurum Concilium Generale, ad Sanctissimum Dominum Eugenium Pontificem Romanum, Sedem Apostolicam, vel alios ad quos de Jure spectaret.* Idem respondit Synodus Moguntina Provincialis Augusto mense habita. Hæc refert *Augustinus Patricius*, Cap. 95.

Postquam *Eugenius* IV. Propositiones sub titulo Veritatum Fidei a Synodo Basileensi declaratas, Florentiæ in publica Sessione damnavit, Diplomate quod incipit, *Moyses*: Basileenses adhibitis doctoribus viris, Apologiam contra ejus (ut appellabant) *invectivam* composuerunt, qua Propositiones illas propugnabant, & merito exauctoratum *Eugenium*. Publicata est Nonis Octobris anno 1439. & incipit *B. Hieronymus*: Estque inter Responsiones Synodales edita, Num. 55. Qua ad Synodum relata, cum a multis peteretur ut Decretum illud *Eugenii* velut Hereticum damnaretur, gravis exorta contentio est. *Joannes Segobius* Theologus Salmanticensis, vir acer & doctus, multis argumentis affirmabat rem esse magni discriminis, si Scriptura illa Heretica censeretur: *Maximam esse multitudinem qui Eugenium ut Pontificem colerent, neque assentirent ejus Depositioni. Tum in Congregatione illa Florentina adfuisse Cardinales omnes, magnamque Prælatorum multitudinem, cum fuit editum Decretum: Omnes igitur damnari, atque Hæreticos censeri oportere, si ejus Sessionis Decreta Hæretica censeantur: Periculosumque nimis, si duæ futuræ Obedientiæ, Eugenii scilicet & novi Pontificis, heresim sibi invicem objiciant.* Tandem quamvis Arelatensi taliter videretur, res in aliud tempus dilata est. Ita refert *Augustinus Patricius*, cap. 96.

VIII. *Sessione* 35. Sexto Idus Julii, anno 1439. celebrata, de stabilitate Concilii actum est, decretumque, ut per recessum cujuscumque, aut quorumcumque, cujuscumque status aut dignitatis, a civitate Basileensi, non sit, nec censeatur Concilium dissolutum, nisi juxta formam Decreti undecimę Sessionis ejusdem Concilii processum fuerit.

Decretum de Immaculata Deipara Virginis Conceptione.

IX. *Sessione* 36. 15. Kalendas Octobris, doctrinam de Immaculata Conceptione Deiparę Virginis *Tamquam piam, & consonam cultui Ecclesiastico, Fidei Catholicæ, rectæ rationi, & Sacræ Scripturæ, ab omnibus Catholicis approbandam fore, tenendam, & amplectendam* Synodus diffinivit ac declaravit, contrariumque prędicare seu docere prohibuit: Ejusdemque Sanctę Conceptionis Solemnitatem, secundum Romanę, aliarumque Ecclesiarum morem celebrari jussit; & Missam, utrasque Vesperas, Sermonem istius Festivitatis audientibus, indulgentias erogavit. Isto Decreto pia opinio de Immaculata Conceptione Virginis Deiparę in Dogma Fidei non evasit, ut probat imprimis Pontificium Diploma *Sixti* IV. quod incipit: *Grave nimis*: Quo Excommunicationis Sententia, a qua non possint ab alio quam a Romano Pontifice, nisi in mortis articulo absolvi, ligat eos qui ausi fuerint asserere, Hanc opinionem tenentes, videlicet Gloriosam Virginem *Mariam* cum Originali peccato conceptam, hæreseos crimen vel peccatum incurrere mortale: *Cum nondum sit a Romana Ecclesia & Apostolica Sede decisum.* Idem probat Concilii Tridentini Decretum Sessione 5. *Declarat tamen* (inquit) *hæc ipsa Sancta Synodus non esse suæ intentionis comprehendere in hoc Decreto, ubi de peccato originali agitur, Beatam & Immaculatam Virginem Mariam Dei Genitricem, sed observandas esse Constitutiones felicis recordationis Sixti Papæ IV. sub pœnis in ejus Constitutionibus contentis, quas innovat hæc Synodus.* Idem probat Constitutio *B. Pii* V. quę incipit: *Super speculam*: Qua diversorum Ordinum Regulares & Clericos Sęculares perstringit, *Qui cum de Gloriosæ Virginis Mariæ Conceptione sermo inciderit, tam pertinaciter pro alterutra parte contendunt, ac si de illis dogmatibus asset, quæ corde credere ad justitiam, ore confiteri ad salutem necessarium est: Quibus illud Prophetæ convenire videtur*: Dicunt, ait Dominus, cum ego non sim locutus: *Cum Sancta Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum Magistra & Doctrix Disciplinæ, de ea re hucusque non definierit: nemo absque temeritate præjudicare, vel alterius partis Sententiam damnare potest.* Quocirca Tridentinę Synodi ea de re Decretum confirmans Sanctissimus Pontifex *Liberam cuique facultatem relinquit opinandi hujus controversiæ quamlibet partem, prout vel magis pium, vel magis probabile esse judicaverit*: Ac *Sixti IV.* Constitutionem ab eadem Synodo innovatam approbat & confirmat. Cęterum *Quamdiu per Apostolicam Sedem altera pars definita non fuerit, oppositaque sententia condemnata*, permittit *viris doctis in publicis Academiæ disputationibus, sive Generalium aut Provincialium Capitulorum*, vel

Isto Decreto Pia opinio in Dogma Fidei non evasit.

ubi

ubi alias interfunt qui rem capere possunt, nec scandali ullu subest occasio de illa quæstione disserere, & argumentis utramlibet partem vel asserere vel impugnare, dum tamen neutra veluti erronea prædicetur. Idem probat Diploma Pontificium Pauli V. datum die 31. Augusti anno 1617. quo Decessorum innovans Decreta, præcipit omnibus & singulis cujusvis Ordinis & Instituti Regularibus, & aliis quibuscumque tam Ecclesiasticis quam Sæcularibus personis cujusvis conditionis, status, gradus, Ordinis aut Dignitatis, tam Ecclesiasticæ, quam Sæcularis, ut imposterum, *donec Articulus hujusmodi a Sede Apostolica fuerit diffinitus*, vel per Sanctitatem suam & Sedem Apostolicam fuerit aliter ordinatum, non audeant in publicis concionibus, lectionibus, Conclusionibus & aliis quibuscumque Actibus publicis asserere, *Quod eadem Beatissima Virgo fuerit concepta cum peccato originali*. Per hujusmodi tamen provisionem Sanctitatem suam non intendere declarat, *reprobare alteram opinionem, nec ei ullum prorsus præjudicium inferre*: & sub iisdem Censuris & pœnis mandat ut negativam opinionem, videlicet *Quod non fuerit concepta cum peccato originali*, in publicis Actibus asserentes *aliam opinionem non impugnent, nec de ea aliquo modo agant seu tractent*. Idem probant Literæ Apostolicæ *Gregorii* XV. ad Regem Catholicum *Philippum quartum* definitionem vulgatæ apud Hispanos de Immaculata Deiparæ conceptione piæ opinionis urgentem. „ Spiritus Sancti vo„ cem auscultare (*inquit*) non humanarum rationum „ ponderibus rem examinare debemus . . . . . Quare „ cum nondum æterna Sapientia Ecclesiæ suæ tanti „ mysterii penetralia patefecerit, in Deo, Romano„ rumque Pontificum Auctoritate debent Fideles con„ quiescere. „ Idem probat *Alexandri septimi* Constitutio data die 8. Decembris anno 1661. qua Ecclesiam Romanam piæ sententiæ de Immaculata B. Virginis Conceptione, & cultui secundum illam ipsi Deiparæ exhibito favere declarat, Conciliique Tridentini, *Sixti quarti*, & aliorum Pontificum decreta innovat, ampliatque, ac subdit: „ Vetamus autem Sixti „ quarti constitutionibus inhærentes, quempiam asse„ rere, Quod propter hoc contrariam opinionem te„ nentes, videlicet Gloriosam Virginem Mariam cum „ originali peccato fuisse conceptam, hæresis crimen „ aut mortale peccatum incurrant: Cum a Romana „ Ecclesia & Apostolica Sede nondum fuerit hoc de„ cisum, prout Nos nunc minime decidere volumus, „ aut intendimus: Quin potius contrariam illam opi„ nionem hæresis, aut peccati mortalis aut impietatis „ damnare audentes, præter pœnas quibus eos subje„ cit Sixtus quartus, aliique prædecessores nostri Ro„ mani Pontifices, gravioribus aliis pœnis subjicimus, „ quas in contra facientes huic nostræ Constitutioni „ superius inflixximus.

Non vero Synodus ipsa Basileensis doctrinam de Immaculata Conceptione Deiparæ Virginis ab omnibus Catholica Fide tenendam & credendam diffinivit, sed approbandam, tenendam, amplectendam dumtaxat, *tamquam piam, & consonam cultui Ecclesiastico, Fidei Catholicæ, recte rationi, & Sacræ Scripturæ*. Nec alia Sacræ Facultatis Parisiensis sententia est, quæ Sacræ Synodi Tridentinæ & Summorum Pontificum ea de re Decreta & Constitutiones reveretur ac suscipit: Quamvis fervente contentione, cujus occasio fuit *Maldonatus* Societatis Jesu Theologus, edita legatur a Senioribus Doctoribus nonnullis declaratio, qua se credere & profiteri asserebant, „ Catholi„ ca Fide tenendum, B. Virginem non fuisse conce„ ptam in peccato originali: Idque & Constitutionem „ Synodi Basileensis, & formulam Sacramenti, quod „ exigitur a Facultate, declarare. „ At reclamarunt alii, quibus favit, latis etiam in declarationis hujus promotores censuris, Parisiensis Episcopus *Petrus Gondius*. Denique decretum illud tamquam totius Ordinis Theologici non agnoscit Sacra Facultas, quæ etsi doctrinam de Immaculata Deiparæ Virginis Conceptione iisdem verbis profiteatur, suosque jurare merito jubeat, quibus illam Concilium Basileense declaravit; sæpe tamen in Baccalaureorum suorum Thesibus hanc propositionem approbat: *Non est Dogma Fidei Beatam Virginem fuisse ubsque peccato originali conceptam*.

An. 1575.

XI. Pium & salubre Concilii Basileensis de Immaculatæ Deiparæ Virginis Conceptione Decretum suscepit atque observari statuit Avenionense Concilium Præside *Petro de Fuxo*, Albanensi Episcopo Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali, Archiepiscopo Arelatensi, & Avenionensi Legato, celebratum anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo septimo, his verbis: „ De„ cretum in Concilio Basileensi factum de Conceptio„ ne Beatissimæ Virginis Mariæ, statuimus inviolabi„ liter observari, districte omnibus inhibendo sub ex„ communicationis pœna, ne quisquam aliquid in con„ trarium prædicare, vel publice disputare præsumat. „ Quod si secus aliquis fecerit, dictam sententiam eum „ incurrere volumus ipso facto, & in prima Synodo per „ Diœceses per quemlibet celebranda, prædicta statui„ mus publicari, & Curatis Ecclesiarum injungi, ut „ hæc populo manifestent. „ Subscripsere huic Decreto, præter Illustrissimum Legatum, *Alanus Coetivus*, S. R. E. Cardinalis, *Robertus* Aquensis Archiepiscopus, *Petrus* Episcopus Aptensis, *Georgius* Senecensis, *Guncherias* Vapincensis, *Nicolaus* Massiliensis, *Petrus* Dignensis, *Petrus* Glandevensis, *Palamedes* Cavallicensis, *Pontius* Rejensis, *Stephanus* Tricassinensis, *Michael* Carpentoratensis, & *Joannes* Arausiensis.

Basileense Decretum de Immaculata Deiparæ Virginis Conceptione a Concilio Avenionensi confirmatum.

XII. *Sessione* 37. Synodi Basileensis, habita nono Kalendas Novembris anno 1439. decretum est primo ut omnes Protestationes, Conventiones, juramenta a quibuscumque facta, aliaque omnia impedimenta, quæ futuræ Summi Pontificis electioni adversari possent, pro nullis & irritis haberentur. Secundo, de modo eligendi. Tertio, de forma consensus, professionis & juramenti ab Electo præstandi. Quarto, ne bona Electi & eligentium rapiantur. Quinto, ne tempore electionis fiat audientia.

XIII. *Sessione* 38. Tertio Kalendas Novembris celebrata, tria Decreta condita & promulgata sunt: Primum damnationis Libelli *Eugenii*, quod incipit: *Moyses vir Dei*: Alterum de Electionibus: Tertium Confirmationis Nominatorum ad eligendum Papam, & Deputatorum in Conclavi. Sancitum est ut 32. cum ex Prælatis, tum ex aliis Viris Ecclesiasticis designarentur, qui cum Cardinale Arelatensi, & aliis Eminentissimi Collegii Patribus, qui adessent, Pontificem in locum *Eugenii* eligerent. Ad horum autem Electorum nominationem designati sunt *Thomas de Scotia* Abbas *De Dendraina* Ordinis Cisterciensis: *Joannes de Segovia* Archidiaconus de *Villa Vissoza* in Ecclesia Ovetensi, & *Thomas de Corsellis* Canonicus Ambianensis, Doctores Theologi, qui pro potestate a Synodo sibi facta quartum secum asciverunt *Christianum de Gritzregino* Præpositum Ecclesiæ *S. Petri in Brunn* Olomucensis Diœcesis.

XIV. *Sessione* 39. Decimo quinto Kalendas Decembris celebrata, *Amedei* Sabaudiæ Ducis, in secessu Ripallensi vitam religiosissimam agentis, in Summum Pontificem electio a Cardinale Arelatensi & triginta duobus Deputatis facta, promulgata est.

Amedeus Pontifex eligitur contra Eugenium.

XV. *Sessione* 40. Kalendis Martii anni 1440. celebrata, ejusdem Amedei, *Felicis V.* nuncupati, consensus publicatus est, cum Fidei Professione ab ipso edita: Jussumque Christi Fidelibus universis, ut ipsi Obedientiam præstarent.

XVI. *Sessione* 41. Decimo Kalendas Augusti habita Sententia ab *Eugenio* IV. contra *Felicem* & ejus Obedientiam lata, damnatu est velut Scriptum famosum, Schismaticum, Hæreticum, eamque, & quidquid ex ea secutum esset, Synodus irritum & inane declaravit: Attendens quod *Illorum Scripta recipi non debent, quorum damnantur Auctores*.

XVII. *Sessione* 42. Pridie Nonas Augusti celebrata, de Provisione *Felicis* actum est, ipsique Synodus quintum denarium annuum veri valoris annui omnium & singulorum Beneficiorum Ecclesiasticorum in quinquennium, & deinde ad aliud quinquennium decimum denarium decrevit.

XVIII. Interim Ecclesia Gallicana Avarici Biturigum congregata, *Eugenii* IV. ex una, *Felicis* V. & Synodi Basileensis Legati ex altera parte, Christianissimum Regem *Carolum* VII. ibidem præsentem convenerunt. Et *Eugenii* quidem legati, *Joannes* Cardinalis *De Turrecremata* Archiepiscopus Cretensis, Episcopus Dignensis, Granatensis, & Abbas *De Cernaco*, primo petierunt: *Ut Rex a tempore translationis Basileensis Concilii Ferrariam, Basileense Concilium reprobaret, & Ferrariense Concilium, & in eo Acta approbaret*. Secundo, Ut nullo modo depositioni *D. Eugenii* consentiret, nec electionem per Basileense Concilium factam de Duce Sabaudiæ probaret, immo eam reprobaret. Tertio, ut ad Conventum Imperii a *Friderico III.* Imperatore indictum Moguntiæ inconsulto *Eugenio* non mitteret. Quarto, ut Pragmaticam Sanctionem suspenderet. In crastinum auditi *Felicis* & Basileensium Legati, *Gerardus* Episcopus *S. Pontii*, Abbas Vezeliacensis, Magister *Guillelmus Hugo* Metensis Archidiaconus, &

Eugenii & Basileensis Conventus Legati [?] ad Regem Christianissimum.

Magister *Thomas de Corfellis* Doctor Theologus Parisiensis, & Canonicus Ambianensis, Qui coram Rege de Concilii Generalis supra Romanum Pontificem auctoritate, de Concilii Basileensis susceptione, de *Eugenii* Depositione, ac Electione *Felicis* luculenter disseruit. Cum Prælati per sex dies de Legatorum Postulatis jubente Rege deliberassent, tandem re cum Rege communicata, Majestatis ejus nomine responsum est: „ 1. Regem paratum esse audire Ecclesiam legitime congregatam. 2. Quod Basileense Concilium ut legitimum agnoverat, ad ipsum Oratores miserat, multa bona constituerat, quæ approbabat, nec umquam Congregationem Ferrariensem pro Concilio habuerat, aut habebat. 3. Quod de mittendo Moguntiam opportuno tempore deliberaret. 4. Quod Pragmaticam Sanctionem inviolabiliter observari vellet: & si quæ duriora in Concilio Basileensi viderentur, temperari possent “. Quod spectat depositionem *Eugenii* & Electionem *Felicis*, ita responsum est: „ Quia apud multos viros probos & graves dubitatio est non modica, an Suspensio, Depositio, & subsequens Electio facta Basileæ fuit rite, juste, canonice, & legitime celebratæ: Dubium etiam est an illa Congregatio illis diebus, quibus hæc agitata & facta sunt, sufficienter repræsentaverit Ecclesiam Universalem, ad tantos & tam arduos actus exequendos, qui de proximo respiciunt totam Ecclesiam: Ideo Rex, quia non est sufficienter informatus super prædictis, perseverat, & manet in obedientia D. Eugenii, in qua nunc stat. Ubi autem debite informatus fuerit de Veritate causæ istius per Œcumenicum Concilium, aut aliud Generale, seu etiam per Congregationem Ecclesiæ suæ Gallicanæ melius & extensius convocandæ, cum Ducibus, Baronibus, & Confœderatis suis, aut in Conventione Principum Christianorum; tunc veritate comperta & discussa, stabit cum ea, & adhærebit veritati Catholicæ. Quare requirebat Papam, quatenus Concilium convocaret & celebrari procuraret, & quod in eo personaliter interesset “. Hæc ex MS. Victorinæ Bibliothecæ. Quæ paulo uberius ac distinctius narrat *Augustinus Patricius*, cap. 112. „ Asserebant (*inquit*) Legati Eugenii, Romanum Pontificem Monarchicam Potestatem in Ecclesia habere, sicut Regem in Regno; neque Judicio Ecclesiæ subesse, nisi in hæresi manifesta, neque posse a quopiam corrigi Romanum etiam Pontificem peccantem, quoniam solum Deum haberet Judicem, essesque hæreticum aliter sentire. Hoc multis SS. Patrum Auctoritatibus firmabant; Basileenses Traditiones hæreticas esse, & Reipublicæ perniciosissimas, quæ si admitterentur, non Pontifices, non Reges, non Principes aliquos tutos esse in statu. Eugenium virum sanctissimum atque integerrimum non potuisse neque debuisse a Basileensibus judicari. At contra Basileensium Legati multis argumentis, multisque rationibus & auctoritatibus & probare & ostendere conati sunt, Generale Concilium Supremam Potestatem in terris habere, & Eugenium merito & legitime Pontificatu dejectum, substitutumque Felicem. Proinde orare Regem, ut Basileensis Concilii sancta justaque Decreta susciperet, Felicemque verum Christi Vicarium veneraretur. His auditis Rex, re cum suis mature discussa, tandem 4. Nonas Septembris, in magna Prælatorum ac Principum Corona, Legatis Basileensium in hanc formam respondit, Claromontensi Episcopo Regis nomine Lingua Gallica loquente; Gallorum Regem, qui semper favisset dignitati Generalium Conciliorum, & Basileensis imprimis, tulisse mœstissimo animo seditiones & discordias inter Patres & Pontificem exortas; monuisse, rogasseque summa diligentia Patres Literis & Nuntiis, ut a Judicio contra Eugenium supersederent: Illos vero spretis Regis precibus, non modo non supersedisse, sed illum dejecisse Pontificatu, & alium subrogasse, Regiam Majestatem in hac re nihil statuere voluisse sine consilio Prælatorum & Procerum Regni: & propterea Conventum Bituris indixisse. Nunc vero ex consilio Conventus STATUISSE REGEM PERSEVERARE IN OBEDIENTIA EUGENII PONTIFICIS, NEC ALIUM RECOGNOSCERE ROMANUM PONTIFICEM, QUAM EUGENIUM; cui supplicavit ut intra annum Generale Concilium in Galliis celebret ad scissionem Ecclesiæ tollendam. Rogare autem Legatos, ut dicant Regio nomine Patribus qui Basileæ essent & Domino Sabaudiæ (Sic enim Felicem appellabat), ut dimissis Censuris & comminationibus, ad ea quæ pacis essent, intenderent, neque ullo modo Regni sui Clericos Judiciis infestarent. Dominum Sabaudiæ Sanguine Regi esse conjunctum: Non placere Regi ut a quopiam ei injuriæ irrogentur. Sed in hac re, quoniam ad Fidem pertinet, nihil præter justitiam audere Regem: sperare tamen consanguineum suum solita sua prudentia rem hanc tractaturum.

Ecclesia Gallicana, Rexque Christianissimus in Obedientia Eugenii perseverant,

XIX. anno 1441. mense Majo Conventus Principum Germaniæ Moguntiæ celebratus est, ad quem Basileenses & *Eugenius IV.* Legatos misere. Pro Synodo Basileensi & *Felice* Legationem obibant *Ludovicus* Cardinalis Arelatensis, *Joannes Frisingensis* & *Joannes Segobiensis*, ab ipso Cardinales creati, & *Thomas de Corsellis*. Pro *Eugenio* vero *Joannes Carvaial* & *Nicolaus de Cusa*. Basileenses audientiam a Principibus obtinere non potuerunt, nisi iis conditionibus, ut Arelatensis Crucem & Legationis Insignia poneret; alii habitum Cardinalitium domi dimitterent, quoniam pro Cardinalibus eos non habebant. Quæ ab utriusque partis Legatis dicta sunt, ab Eugenianis pro Romani Pontificis, a Basileensibus pro Concilii Generalis Auctoritate, strictim refert *Augustinus Patricius*, Cap. 98. Ut ab Ecclesia universali comprobata non sunt quæ dixera Basileenses de Propositionibus seu Veritatibus Fidei (ut ipsi appellabant) de *Eugenii* Hæresi, & Exauctoratione, de *Felicis* electione legitima: ita nec Eugenianorum Oratorum Propositiones Germanis Gallisve placuerunt, nec illas admiserunt aut admittent umquam Ecclesia Gallicana & Academia Parisiensis; scilicet:

Legati ab Eugenio & Basileensibus ad Conventum Principum Germaniæ missi.

1. *Claves Ecclesiæ soli Petro & Successoribus datas*,

2. *Papam neminisi in causa Hæresis a quopiam esse judicandum, sed propria potestate seipsum judicaturum.*

3. *Papam dispensare posse de Jure divino & humano, super quo potestatem habet.*

4. *Papam omnibus Christianis præesse, & ita Concilio Generali, at illi potestatem tribuat.* Prima pars Propositionis Dogma Fidei est, altera error est Scripturæ Sacræ & Traditioni contrarius, secundum sententiam Parisiensium Theologorum.

5. *Generale Concilium non habere potestatem immediate a Christo, sed a B. Petro & ejus Successoribus,*

6. *Legibus & Statutis omnibus Generalium Conciliorum Papam posse contravenire legitime.*

7. *Hæc verba*, Quæcumque alligaveritis super terram, *&c. non esse dispositiva aut Clavium collativa.*

8. *Summum Ecclesiæ Tribunal, & in terris supremum Judicium apud Papam solum esse.*

9. *Nemini licere Summo Pontifici dicere, Cur ita facis?*

10. *Exercitium Clavium in plenitudine potestatis in terris, Papæ tantum competere, qui omnia potest in terris.*

11. *Generale Concilium velut arenam sterilem esse, nisi a Papa fœcundetur.*

Propositiones Oratorum Eugenii ab Ecclesia Gallicana & sacra Facultate Parisiensi non probata.

Principes una cum Oratoribus Cæsaris & Regis Christianissimi convenientes, in hanc Sententiam conspiravere: „ Pro pace Ecclesiæ esse congregandum Generale Concilium in alio loco extra Basileam & Florentiam. Cæsarem, cum aliorum Principum assistentia, Contendentes interpellaturum, ut ad Concilium veniant concordiæ causa. Si Contendentes, vel alter eorum locum eligere noluerint, Cæsarem electurum. Nominataque sunt loca sex in Germania, & totidem in Gallia, si placeret per Decretum ut Oratores nomine Cæsaris, & Regum, & Principum ad Eugenium mitterentur super ea re: Qui etiam idem Amedeo per aliquem ex suis Prælatis significarent, Conciliumque Generale omnino inchoandum Kalendis Augusti anni 1442. Cæsarem, Reges, ac Principes daturos operam ut Prælati & alii ex suis Provinciis Concilium petant.

XX. *Sessione* 43. Kalendis Junii anno 1441. celebrata, Decretum de Festo Visitationis Beatæ *Mariæ* Virginis Deiparæ quotannis 6. Nonas Julii celebrando editum est,

XXI. *Sessione* 44. habita 5. Idus Augusti, de Conciliarium tuitione deliberatum est, Sanctioque edita de restitutione in integrum eorum omnium, qui occasione Concilii spoliati suis Beneficiis fuissent, pulsis invasoribus & detentoribus auxilio brachii sæcularis.

XXII. Eodem tempore Francofordiæ Conventus Principum Germaniæ habebatur, in quo auditis Basileen-

Francofordiensis

Principum Germaniæ Conventus.

leensium, & *Eugenii* Papæ Legatis, Moguntini Conventus anno superiore celebrati deliberatio confirmata est, & a Cæsare de consilio Principum statutum: „ Aliud Concilium indubitatom esse celebrandum: „ Mittendos esse Nuncios soper ea re ad Patres, & „ Florentiam ad Eogenium Pontificem. Interim Ger„ manis in sua suspensione animorum manendum. Quæ „ cum Basileenses Legati aodissent; conquerebaotur, „ qnod Cæsar & Principes factiosi viderentur, non in„ differentes: cum Nuncios ad Eugenium, non au„ tem ad Felicem mittera statuissent. Cæsar placatis „ Basileensibus, dicens se æqua lance rem tractaturum, „ illos remisit ". Ut vero pax interim in Provincia servaretur, publico Edicto vetuit quempiam in suis Beneficiis occasione Schismatis quoquo modo vexare, sed unumquemque in sua possessione defendendum. Tum volentibus Principibus Leges compositæ sunt, quæ *Eugenio* Pontifici pro pace offerrentur: decretumque ut Cæsaris Oratores *Eugenium*, cum ad eum pervenissent, ut *Romanum Pontificem venerarentur*: excusarent Cæsarem & Principes cur tandio in Neutralitate perseverassent. Deinde dicerent, Cæsaris & Principum sententiam esse; non posse melius dari pacem Ecclesiæ, nisi per indubitarum Generale Concilium. Proinde orare Sanctitatem suam ut Concilium Generale in Germania indiceret. *Modum procedendi in Concilia ipsi Concilio esse relinquendum*. Si Pontifex Concilium nollet indicere, concederet Cæsari ut Jure *Advocatiæ* illud convocaret. *Felici autem non exhiberent reverentiam ut Pontifici, sed per intermedias personas cum ipso agerent*. Ita refert *Augustinus Patritius* Cap. 131. & 132. Cum paolo post Basileam se contulisset *Fridericus* Imperator, *Felicem visitare statuit, ita tamen ut eum adorare ut Papam non videretur*. Sub crepusculo igitur vespertino, cum paucis *Felicis* Domom nudo capite adiit, & in Camera quam Papalem appellant, substitit com suis: Illuc e cubiculo egressus *Felix*, cum novem suis Cardinalibus præcedente Cruce advenit: Quem Cæsar modesta reverentia excepit, *Et per Episcopum Chimensem se excusavit, quod non exhiberet ei reverentiam Romano Pontifici debitam, ut paci aptior esset*. Hortatusque est *Felicem* & ejus Cardinales, ut ad pacem Ecclesiæ dandam cogitationes suas omnes ac studia conferrent. Chimensis Præsul summopere cavit, *Ne illum Pontificalibus titulis umquam appellaret*: Quamobrem *Clementem Benignitatem suam* dicebat, *non Sanctitatem aut Beatitudinem*, Ita refert *Augustinus Patricius*, Cap. 133. Qoi quidem Auctor Historiam suam se excepisse ait ex doobus Codicibus MSS. Basileæ asservatis, quorum Scriptor & Auctor fuerat *Joanes* Segobiensis, unus ex Synodi Basileensis Theologis, *a Felice V.* Cardinalis Tit. *S. Sixti* creatus: Primamque partem Synodi se habuisse collectam a *Dominico* Cardinali *Firmano* qui tandiu Concilio interfuit, quandiu mansit concordia cum *Eugenio* Pontifice.

XXIII. *Sessione* 45. Decimo-septimo Kalendas Junii, anno 1443. celebrata, quæ Synodi Basileensis postrema numeratur, quamvis aliqoæ postea Sessiones ad pacem componendam Lausanæ habitæ sint; decretum est, ut proximum Concilium Generale infra triennium Lugduni, quam urbem *Felix* nominaverat, celebraretur: Nec tamen dissolutum jamjam censeretur Concilium Basileense, cujus continuationi Basileæ, si quod impedimentum intercederet, Laosanam ejusdem Provinciæ Bisuntinæ urbem translatum declararunt.

ARTICULUS. VI.

Dogma de Concilii Generalis Auctoritate a Christo immediate accepta, & Pontificia superiore, secundum Constantiensis & Basileensis Conciliorum Decreta, ab iis ipsis propugnatum est, qui EUGENII IV. Depositionem non approbarunt, nec FELICI adhæserunt. Nec Ecclesias, Academias, Viros omnium Ordinum Eruditos, Antiquæ illius Sententiæ Vindices, Romani Pontifices damnarunt, vel ut Pontificiæ Auctoritatis Hostes notarunt, sed nihilominus gratiis Apostolicæ Sedis occasione data cumularunt, ornarunt.

I. GAllicana Ecclesia *Eugenii* Depositionem non approbavit, sed in ejus mansit Obedientia, eamqua ut legitimum Pontificem semper venerata est; Quæ tamen istud Dogma his ipsis temporibus, ot antea, & deinceps, constantissime propugnavit, ut constat primo ex Pragmatica Sanctione ab Ecclesiæ Gallicanæ Conventu Avarici Biturigum ex Concilii Basileensis Decretis concinnata anno millesimo quadringentesimo trigesimo-octavo, cui Basileensis Concilii Decreta, quibus Constantiensia de Conciliorum Generalium Auctoritate renovantur & confirmantur, iisdem verbis inserta sunt: Additurque, Congregationem Prælatorum, ac cæterorum Virorum Ecclesiasticorum, Gallicanam Ecclesiam repræsentantium, *ea acceptasse, & acceptare, prout jacent*: id est, absque aliqua modificatione.

Gallicanæ Ecclesiæ Sententia de suprema Concilii Generalis Auctoritate.

II. Idem probatur ex Propositione Magistri *Thomæ de Corsellis* Theologi Parisiensis, & Synodi Basileensis Nuncii ibidem in Ecclesiæ Gallicanæ Concilio, præsente Rege, anno 1440. perorantis. Postquam enim Conciliorum Constantiensis & Basileensis laudata Decreta expendit, subdit: „ Sicut autem in hac do„ ctrina perseveravit Sancta Synodus, sic etiam spe„ cialiter hoc Christianissimom Regnum eamdem assi„ due tenuit. Nam primo tempore Concilii Pisani „ dum Auctoritate ipsius Concilii Sententia lata est „ in duos Contendentes de Papatu (quorum alterom „ oportebat in Papatu jus habere) Rex clarissimæ „ memoriæ Genitor vester sententiæ Concilii obedi„ vit, & eum, quem Papam reputaverat, deseruit. „ Similiter tempore Concilii Constantiensis, lata Sen„ tentia contra Joannem Vigesimum-tertium quem „ verum Papam Rex & Regnum reputabant, obedi„ vit Rex Sententiæ Concilii, & non ulterius ipsi „ Joanni. Interfueruntque Oratores Regii, & alii „ Præclarissimi de hoc Regno io ipso Concilio Con„ stantiensi, ut Cardinalis Cameracensis, Cancellarius „ Parisiensis, & cæteri permulti, tam ibi quam in „ Concilio Pisano, in tanto numero Prælatorum & „ Doctorum ac peritissimorom, cui nunc vix similia „ posset inveniri. Et generaliter a principio sæculi, „ licet Reges Francorum Sedem Apostolicam, & Sum„ mos Pontifices adversus Tyrannos eos invadentes sæ„ penumero defenderint, nomquam tamen reperitur „ aliquem Regem obedivisse cuicumque Summo Pon„ tifici, postquam per sententiam Concilii Generalis „ depositus extitisset. Sed & tempore Concilii Basileen„ sis vestra Majestas auctoritatem Conciliorum, Gene„ ralium, & declarationem Fidei in Concilio Con„ stantiensi factam jugiter sustinuit; & toto tempora „ attentatæ primæ dissolotionis nequaqoam prætensæ „ illi dissolutioni paruit, sed cum Concilio stetit, & „ ad ipsum suos Oratores transmisit. Deinde in revo„ catione ejusdem Declarationis sulemniter facta, suos „ Oratores habuit. Postmodum tempore attentatæ se„ cundæ dissolutionis & prætensæ translationis Ferra„ riam, hojusmodi dissolutioni & translationi restitit, „ eaque noo obstante, Concilium Basileense tamquam „ verum Concilium universalem repræsentans Eccle„ siam reputavit. Et insuper voce Præconis per civi„ tates regni proclamari fecit, ne quis Ferrariam tam„ quam ad Generale Concilium ire auderet. Demom „ eamdem declarationem de Conciliorum auctoritate, „ in sua Pragmatica Sanctione inseruit; Sicque in ea„ dem fide vestra Majestas, & Christianissimum Re„ gnum semper fuit.

Thomæ de Corsellis Theologi Parisiensis Oratio de suprema Conciliorum Generalium Auctoritate.

III. Qoia vero *Thomas de Corsellis* in propositione seu oratione illa sua Eugenianorum Legatorum objectionibus respondet, quemadmodum in Sacra Facultate Parisiensi didicerat, ejus responsiones hic adscribere, non erit ab Historiæ ratione alienum. Objiciebant illi, novam esse doctrinam de auctoritate Concilii Generalis supra Romanum Pontificem. Id negat *Thomas de Corsellis*, eamque confirmat 1. Ex praxi Collegii Apostolorum, quoniam in Concilii Hierosolymitani Decreto non dicebant: *Visum est Petro*, sed *Spiritui Sancto, & nobis*: nec dicebant: *Ita placet Petro*, sed *Placuit Apostolis, & Senioribus, cum omni Ecclesia*: attribuentes Spiritui Sancto, & toti Concilio Auctoritatem ejus quod ibidem decretum erat. 2. Ex *Sancto Augustino* in Epistola ad *Glorium, Eleusium*, & cæteros Donatistas scribente, qood post Sententiam latam Romæ per *Melchiadem* & Collegas, *Restabat plenarium universalis Ecclesiæ Concilium, in quo si illi qui judicaverant, male judicasse convicti essent, eorum Sententiæ solverentur*. Porro nisi agnovisset, Concilium Generale esse ultimom Ecclesiæ tribunal, ejusque Auctoritatem esse Pontificia superiorem, non dixisset, Post Sententiam Papæ restare Plenarium Concilium, in qoo hujusmodi Sententia solvi posset. 3. Ex Lib. *de Agone Christiano*, ex Sermonibus in *Joannem*, aliisque locis, ubi credendum esse docet, *Datas Ecclesiæ Claves Regni Cælorum*: Sed præsertim Enarratione in Psalm. 108. ubi ait: „ Quædam dicuntur, quæ ad Apostolum Petrum propriæ

„ pet-

„ pertinere videntur, nec tamen habent illustram intellectum nisi cum referuntur ad Ecclesiam, cujus ille agnoscitur in figura gestasse personam, propter Primatum quem in Discipulis habuit, sicut est, Tibi dabo Clavas Regoi Cœlorum. 4. Ex *S. Hieronymo*, cujus verba laudantur Dist. 95. Can. *Legimus*, de comparatione Auctoritatis Ecclesiæ universalis ad Auctoritatem Ecclesiæ Romanæ: *Si Auctoritas quæritur, Orbis major est Urbe.* Ubi Glossa Archidiaconi habet: *Statutum Concilii præjudicat Statuto Papæ*. Item ex Can. *Omnibus*, 24. Quæst. 1. qui eidem *S. Hieronymo* tribuitur, cujus etiam verba reperiuntur apud *S. Augustinum* in Lib. De unico Baptismo, ubi da Eclasia ait: „ Hanc Domum si quis corrigentem, corripientemqoe contampserit, sit tibi tamquam Ethnichus & Publicanus". Per domum autem Ecclesiæ non intelligitur persona Papæ sola. 5. Ex quadam Præfatione quam *S. Ambrasio* tribuit. „ Per Christum Dominum nostrum: Qui eminentiam Potestatis acceptæ Ecclesiæ contulit, quam pro bonore foscapto Reginam constituit & Sponsam, cujus sublimitati universa fobjecit". Esse autem Reginam & Sponsam, non convenit Papæ, sed Ecelesiæ. 6. Ex *S. Gregorio* ad *Joannem* Constantinopolitanum Patriarcham scribente: „ Quidquid humiliter facere debui, non omisi, sed quia in mea correptiona despicior, restat ut Ecelesiam adire dabeam." Pontifex in sua correptione despectos, oihil superessa ait, nisi ut Ecclasiam adeat juxta Christi mandatum: At quumodo Ecclesiam, quæ hoc judicaret, convenientius adire poterat, quam adeundo Concilium universale? Item ex alia Epistola, quæ recitatur Canona *Sicut Sancti*, 25. Dist. ubi ait, Papam scipsum destruare, qui præsumit solvare quos ligant Generalia Concilia, aut ligare quos absolvunt: „ Cunctas vero Persunas, *inquit*, quas præfata Concilia respuunt, respuo, quas vanerantur, amplector; Quia dum uoiversali consensu sunt constituta, seipsum & non illa destruit, quisqois præsumit absolvere quos ligant, aut ligara quos absolvunt". 7. Ex Confessione Romanorum Pontificum, qui se servandis Canonibus obnoxios profitentur, nec cootra Statuta Conciliorum Generalium aliquid posse. Sic Canone *Contra Statuta*, 25. Quæst. 1. *Zosimus* ait: *Contra Statuta Patrum ne hujus quidem Sedis potest Auctoritas.* Et Canone *Sunt quidam*, ait *Urbanus* Papa: *Ubi aperte Dominus, vel Apostoli ejus, vel eos sequentes Sancti Patres* (quod de Conciliis exponitur) *sententialiter aliquid definierunt, ibi non novam legem Romanus Pontifex dare; sed potius, quod prædicatum est, usque ad animam & sanguinem confirmare debet. Si enim, quod docuerunt Apostoli & Prophetæ destruere (quod absit) niteretur, non Sententiam dare, sed magis errare convinceretur.* 8. Ex determinatione Ecclesiæ in Conciliis Pisano, Constantiaosi, Senensi, Basilaeosi, in qua acquiescendum est, etsi aliqui Doctores contrarium sensisse viderentur.

In Epist. ad Evangrium.

Objieiebant Canonem, *Si Papa* 40. Dist. *Quod Papam nullus præsumit mortaliam judicare, nisi fuerit a fide devius.* Respondet *Thomas de Corsellis*: Glossam id solvere, ubi ait: „ Quod si notorie & incorrigibiliter peccet scandalizando Ecclesiam, potest judicari, & quod contumacia dicitur hæresis: Sicque loquitur de peccato in fide, seu da hæresi, latiori significatione. Laudatque duos Canones, quibus contumacia & contemptus Ecclesiæ dicitur hæresis, videlicet Canonem, *Nullus* 38. Dist. & Canonem, „ Si qui Presbyteri, 81. *Dist*. Qui autem dicunt, Papam in solo casu hæresis stricte sumptæ posse judicari, adducunt illud verbum, *stricte*, de novo, & novam in hoc doctrinam faciunt, quia hoc in Doctrinis Antiquorom non reperitur (*inquit Magister* Thomas de Corsellis.)"

Objiciebant, Summum Pontificem esse Caput Ecclesiæ, adeoque Ecclesia superiorem esse: Respondet M. *Thomas de Corsellis*, admittendo antecedens, negando consequens. Romanum Pontificem (inquam) essa Caput Ecclesiæ, non solum divisim sumptæ, sed in Concilio congregatæ, fatetur eum Basileensibus Patribus, qui in Responsione quadam Synodali de *Eugenio IV.* dicunt: „ Ipse erit Concilii Caput: *id est*, Primus in Concilio. *Præterea potest* interpretari Canones Conciliorum, in eis dispensare, & etiam eos motare, si tempus & opportunitas id faciendi adveniant: Hæc tamen debet facere ad intentionem Concilii; hoc statueos propter publicam salutem: Non enim est data ei potestas in destructionem, sed in ædificationem: Et sic nihil negamus da Privilegio Sedis Apostoicæ, & de ejus præeminentia, sed quod ille qui est Papa pro tempore, si velit uti proprio judicio in contrarium universalis Concilii, & intentionis ejus, & quod si Concilium statuat aliquid pro salute publica, ipse universaliter eodem tempore statoat contrarium, ut si Concilium statuat Electiones fieri sublatis Reservationibus, & ipse Papa eodem tempore statuat io contrarium omnes Ecclesias Cathedrales reservari, & alia hujusmodi, sic rejiciendo voluntaria Canones Sacros, hoc quidem ei facera non competit. Unda & quod habeat Supremam Auctoritatem in Ecclesia, non negamos; sed quod habeat illam supra toram Ecclesiam ita ut habeat præferre Judicium suum Judicio totius Ecclesiæ congregatæ, hoc non creditur. Hæc *Thomas de Corsellis*, quam inter Sacrarum Literarum Doctores insigoem Æneas *Sylvius prædicat*; quo nemo plura ex Decretis Basileensis Concilii dictavit, Vir juxta doctrinam mirabilis & amabilis, sed molesta quadam verecundia semper intuans terram, & velut latonti similis. Responsionem ejusdem Doctoris ad argumentum petitum ex comparatione Concilii Generalis cum Regni Comitiis hic prætereo, quod ipsam attigerim ac descripserim Dissertatione 4. Art. 1. §. V. n. 46.

IV. Parisiensis Academia, Viennensis, Erfordiensis, Coloniaosis, Cracoviensis Univarsitates doctrinam de Suprema Conciliorum Generalium auctoritate Scriptis confirmaront ac Decretis, quamvis Parisienses Theologi, cum Ecclesia Gallicana, in *Eugeni IV.* Obedientia mansarint, Germani Neutralitatam professi sint. Ita refert *Augustinus Patricius* cap. 114. „ Per hoc tempus (*inquit*) Parisiensis Schola Concilio Basileensi adhærere professa est; & plurima Germaniæ Gymnasia, ut Viennensa, Erfordiense, Coloniensa, & etiam Cracoviense in Polonia, quæ omnia suis Scriptis declararunt, Supremam esse potastatem apud Generale Concilium Basileense, cui etiam Papa obedire tenetur.

Parisiensis, aliarumque Academiarum Sententia de Suprema Concilii Generalis Auctoritate.

V. Parisiensis Academiæ circa dogma illud sententiam exprimunt *Petrus de Alliaco* Cardinalis Cameraceosis Lib. *De Auctoritate Ecclesiæ*, P. 3. *Joannes Gerson* Cancellarius Parisiansis, Tractatu *De potestate Ecclesiastica*: Sermone *pro Viagio Regis Romanorum*; in Tractatu *De Statibus Ecclesiasticis*: in Tractatu cui titulus est: *Quomodo & an liceat in causis Fidei a Summo Pontifice appellare, seu ejus Judicium declinare?* In Tractatu *De Examinatione Doctrinarum*: & in Libello *De Auferibilitate Papæ ab Ecclesia*. Itam *Jacobus Almainus* Lib. *De Auctoritate Ecclesia seu Sacrorum Conciliorum eam repræsentantium*, contra *Thomam de Vio Cajetanum*, Ordinis FF. Prædicatorum, & Lib. *De potestate Ecclesiastica & Laica*. Item *Joannes Major* Commentario in cap. 18. Evangelii S. Matthæi, ubi & hæc habat: „ Superius ostensum est quod Augustinus, & alii Doctores tenent partem qnam insequimur: Hoc tenueront varii Cardinales, ut Joannes Patriarcha Antiochenus, Petrus de Alliaco Cardinalis Cameracensis, Nicolaus de Cusa Cardinalis, Doctur vocatus Christianissimus, Joannes Gerson Cancellarius Parisiensis, profecto numqoam satis laudatus, & nostra Facultas a diebus Concilii Constantiensis (in qna plures exercitatos habebis Theologos, quam in duobus vel tribus Regnis) Quæ sic hanc partem fuvet, quod nulli hoc licuit asserere oppositum probabile. Quid Censuras a Sacra Facultate in contrariam opinionem latas commamorem? Quid *Caroli* Cardinalis *A Lotharing a* Commonitorium ad *Joannem Britonem* Secretarium suum Romæ agentem mense Januario, anno 1563. missum recenseam? in quo scribit: „ Ego vero negare non possum quin Gallus sim, & Parisiensis Academiæ Alumnos: In qua Romanum Pontificem subessa Concilio tenetur, & qoi docent ibi contrarium, ii tamquam Hæretici notantur.... Privilegia & Libertates Regni in hac Veritate positæ sunt universæ... Credere foturum asse vel unum Antistitem qui his eunsentiat, insanum esset. Et tamen *Lotharingum* Cardinalam opinione illa Gallicanæ Ecclesiæ & Parisiensis Academiæ de auctoritate Concilii supra Romanum Pontificem non obstante, in qua propugnanda semper fuit constantissimus, plurimi fecit *Pius IV.* Pontifex Maximus, peramanter Romæ complaxus est, laudibus eatolit, & quovis officii genere ipsius egregia pro religione opera velle se remuneraia significavit. Id constat ex Sanctissimi Cardinalis *Borromæi* literis ad Legatos Pontificios Concilii Præsides die 4. Augusti 1563. datis, quorum hæc verba refart *Palavicinus* Lib. 12. cap. 2. „ Et est ac mi volupias & alacritas, qua Pontifex afficitur ob res pra gestas a Lotharingo in Religioois negotio; ut cum in præsentia non possit eam melius exprimere, Me

Pii Quarti & S. Caroli Borromæi de Cardinali Lotharingo existimatio.

„ Jeft:

„ jusserit ad vos scribere, ut cœptis insistentes, nihil agiteris aut faciatis ad Synodum spectans, cujus ille particeeps non sit, cum eo communicantes singula & grandia & parvula, omni sinceritate ac fiducia, atque ita cum eodem agentes, ac si nec plus, nec minus uous e Legatis esset. Quod si quid aliud vobis occurrerit, quo possitis illum certam reddere benevolentiæ qua ipsum prosequitur Pontifex, & desiderii quo tenetur remunerandi ipsius egregia opera quovis officii genere, compertum habete gratissimum Pontifici fore, ut id omni bonæ sinceræque voluntatis significatione peragatis ". Quid *Franciscum Victoria* Hispanum, Ordinis FF. Prædicatorum Theologum Parisiensem, & in Academia Salmanticensi Professorem commemorem in Relectione *De Potestate Concilii & Papæ* scribentem? *Concilium esse supra Papam, est communis sententia Parisiensium, & multorum Doctorum*. Quid *Thomam Campegium* Bononiensem, Feltrensem Episcopum Lib. *De Potestate Papæ*, Cap. 24. scribentem? *Parisiensis Schola, & alii plures, non obstante Concilii Florentini Decreto, mordicus retinent Decretum illud Constantiense & Basileense*; De Auctoritate scilicet Concilii Generalis supra Papam. Quid *Martinum Navarram De Pœnitentia* Dist. 5. scribentem? „ Plerosque omnes Italos audio tenare opinionem illam, quam magis viribus probare ac tutari conatur Thomas a Vio, scilicet Papam esse supra Concilium.... Alteram sententiam Schola Parisiensis cum tota fere Gallia sequitur, Concilium Universale supra Papam esse: & adeo sequitur, ut Jacobus Almainus scribens in hoc ipso Articulo dixerit, Eum qui contrarium assereret, Hæreticum judicatum iri. Quid denique celeberrimos ejusdem Academiæ Doctores appellem, qui eamdem sententiam propugnarunt? *Philippum* Abbatem Monasterii *S. Dionysii* in Francia, qui ad annum 1430. claruit, Lib. *De Auctoritate Sacrorum Canonum*, qui MS. extat Parisiis in Collegio Navarrico, Art. 3. 10. & 11. *Hadrianum Galterum* Monachum Benedictinum, in Tractatu *De Primatu Petri & Ecclesiæ*, in quo falsum esse docet, *Quod Summus Pontifex in nullo casu Concilio universali sit inferior; nec minus falsum, quod in nullo casu possit ipse deponi, præterquam in casu hæresis*. Et hanc doctrinam hoc unico Disticho totam complectitur:

Petrus in Æde Sacra Caput est, & quandoque membrum.
Paret ut est membrum, præcipit ut Caput est.

Item *Jodocum Clicthoveum* lib. 3. *Antilutheri*, cap. 32. *Joannem Arboreum* lib. 4. Theosophiæ, cap. 32. *Claudium Coussordium* in confutatione errorum Vualdensium: *Simonem Vigerium*, qui Tridentino Concilio interfuit, & postea ex Parisiensi Ecclesiaste factus est Narbonensis Archiepiscopus, Sermone pro Feria 3. post Dominicam 3. Quadragesimæ, *Claudium Sanctesium*, Tridentini pariter Concilii Theologum, postea Ebroicensem Episcopum, in Responsione ad Apologiam Theodori Bezæ: *Renatum Benedictum*, Sacræ Facultatis Decanum, in Panoplia Catholicorum adversus hodiernas hæreses, ad 8. Cap. Actuum Apostolorum; quem librum *Gregorio XIII.* Pontifici Maximo dicavit. Quid recentiores plurimos, doctrina & pietate celebres, dignitate illustres recenseam? Sane hanc fuisse & esse Parisiensis Academiæ sententiam nemo dubitat, qui in re literaria non penitus hospes est & peregrinus. Num vero Sedes Apostolica tot clarissimorum Theologorum Opera, quibus hoc dogma de Concilii œcumenici auctoritate supra Romanum Pontificem asseritur, propugnatur, censuris confixit? Nusquam id Summi Pontifices aggressi sunt. Numquid Viros Insignes, quos ex Theologorum Parisiensium ordine in Sacrum Cardinalium Collegium cooptarunt, vel Archiepiscopos, Episcopos, Abbates crearunt, aut Romanæ etiam curiæ officiis ornarunt (quorum certe ingentem numerum a Concilii Constantiensis temporibus Ecclesiarum Tabularia & Regesta Vaticana exhibent) adegerunt usquam ad ejurandam Sacræ Facultatis Parisiensis, & Ecclesiæ Gallicanæ sententiam de potestate Concilii generalis supra Romanum Pontificem, & alia inde consequentia dogmata? Nullatenus. Solam Fidei professionem, quæ in tota Ecclesia una est, invariabilis, & irreformabilis, ab ipsis postularunt; opiniones permisere, quas cum Fide de Romani Pontificis Primatu, non honoris tantum, sed Jurisdictionis & Auctoritatis, Jure divino instituto; & cum Sedis Apostolicæ, ac Sedentium in ea Pontificum observantia, & obedientia eisdem debita, conciliari ac stare persuasum habebant.

Viennensis Academiæ Sententia de suprema Conciliorum auctoritate.

VI. Viennensis Academia, in Tractatu quo Electorum Imperii consultationi respondit, quærentium an Concilium Basileense plenariam potestatem habuerit quoad Suspensionem & depositionem *Eugenii*, & alterius Pontificis Institutionem, doctrinam eamdem tradit. „ Spiritus Sanctus, *inquit*, per organum Sacri Concilii Constantiensis declaravit aperte, talem potestatem habere Ecclesiam & Concilium eum repræsentans super omnem hominem, etiamsi Papalis existat Dignitatis. Nam Synodus Constantiensis 4. Sessione super hoc definivit, statuit, decrevit, & declaravit in hunc modum: Quod Sancta Synodus in Spiritu Sancto legitime congregata, generale Concilium faciens, Ecclesiam Catholicam militantem repræsentans, potestatem immediate a Christo habet, cui quilibet cujuscumque status vel dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad Fidem, ad extirpationem Schismatis, & ad generalem Reformationem Ecclesiæ in Capite & in membris. Ex quo manifeste habetur, Papam subesse Concilio in casibus expressis in Decreto allegato, *Et infra*. Si in Spiritu Sancto Concilia Sacra congregata sunt, consequens est, ut in nomine Jesu sint etiam congregata: Qui veraciter de se promisit, Matth. 18. *Ubi duo vel tres congregati in nomine meo, in medio eorum sum*. Unde consequens est Spiritum Sanctum ibi esse: Sed non est ibi ut subditus, sed ut Supremus Præsidens, a quo nulli licet fideliter appellare, & per consequens nec a Concilio in his Articulis, in quibus certum est ipsum Concilium ab eo gubernari, scilicet in his quæ Fidei sunt, extirpatione Schismatum, & reformatione morum, tam in Capite quam in membris. Quomodo enim non est aperte divinæ Majestatis contemptus, & quasi idololatriæ scelus, in talibus causis appellare a Sacro Concilio ad Papam? Quid hoc aliud est, quam a Deo, qui noscitur in Sacro Concilio, in hac re præsidere, ad purum hominem appellare, & judiciariam potestatem a Deo Creatore auferre, & in hominem transferre? Quid est hoc aliud quam hominem Deo tamquam justiorem Judicem præferre!

Herfordiensis Academiæ Sententia de suprema Conciliorum auctoritate.

VII. Eadem est Herfordiensis Academiæ Sententia in Tractatu quem super Unione & Neutralitate Principum Electorum composuit. „ Generale Concilium (*inquit*) subsistens & firmum, majus & superius est Papa in his, quæ pertinent ad Fidem, Schismatum extirpationem, & generalem morum Reformationem. Nullus Catholicus intelligere volens potest dubitare. Hoc enim universalis Ecclesiæ Auctoritas in Sacro Constantiensi Concilio declaravit, & Basileensis Synodus innovavit in hæc verba, &c. Quæ quidem universalis Ecclesiæ Declaratio, quamvis sola sufficeret ad probandum Summam in terris Sacrorum Conciliorum Auctoritatem, & pro majori tamen istius confirmatione quod dictum est, residuum Ecclesiæ corpus, non computato Papa, si contrarius esset, Auctoritatem hanc habere, potest adduci ratio, experientia, & Auctoritas. Ratio primo dictat hoc: Nam quod Papa possit errare, residuum corpus Ecclesiæ synodaliter congregatæ errare non possit in his quæ fidei sunt & Reformationis morum & in pertinentibus ad ea, & in talibus a Spiritu Sancto regatur, ut colligitur Actorum 15.... Experientia demonstrat hoc idem: sæpius enim compertum est Papam errasse, residuo Ecclesiæ corpore recte sentiente: Papa autem non recte sentiente, residuum totum Ecclesiæ corpus errasse numquam est compertum. Quapropter & corpus Ecclesiæ nonnumquam Caput suum, Papam videlicet, correxit, deposuit & condemnavit. Auctoritas Sacra confirmat hoc idem: Nam Christus dicit: *Si peccaverit in te frater tuus, dic Ecclesiæ*... Unde Ecclesiæ universalis Auctoritas in Concilio Constantiensi declaravit, quod peccata Summorum Pontificum circa Fidem, schisma, vel mores dici possunt Ecclesiæ, cujus Præceptis & Ordinationibus si non obedire præsumpserint, condignæ pœnæ subjiciantur, & ad alia Juris remedia, si opus sit recurrendo. Præterea, quamvis Christus uni dixerit homini, *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cælis*, ut, secundum Doctores Sanctos, unitatem Ecclesiæ designaret: In his tamen verbis Ecclesia ligandi & solvendi potestatem a Christo suscepit, imo immediate, ut Sancta Synodus declaravit. Nam Petrus quando Claves in verbis istis accepit, Ecclesiam Sanctam significavit... Cum istis autem Sanctorum Patrum auctoritatibus stant bene Canones sonantes Papam omnes judicare, & a nullo judicari. Nullus enim

„ nim homo particularis eſt ordinarius Judex Papæ Judicio coactivo & compulſorio. Sacrum vero Concilium poteſt ipſum tali judicio judicare, cum repræſentativum ſit totius corporis Eccleſiæ, cujus Papa eſt pars, etſi Caput, minor tamen eſt corpore ". Hæc axſcripta ex Codice MS. *S. Victoris* Pariſienſis.

Colonienſis Academiæ Sententia de Suprema Conciliorum Generalium auctoritate.

VIII. Idem Dogma propugnat Colonienſis Academia in Tractato *De poteſtate Concilii & Papæ*, ad *Theodoricum* Colonienſem Archiepiſcopum. „Eccleſia, *inquit*, „ ſynodaliter congregata, habet ſupremam Juriſdictionem in terris, cui omne membrum Eccleſiæ, cujuſcumque Dignitatis fuerit, etiam Papalis, obedire tenetur, quam nemo ſine ipſius conſenſu ſynodali diſſolvere vel transferre poteſt. Patet ex Decreto Concilii Conſtantienſis & Baſileenſis; ac prima pars eſt fundata in Evangelio (Matth. 28.) *Dic Eccleſiæ*: Ubi ut patet ex litera ſequenti innititur Poteſtas Juriſdictionis data Eccleſiæ Synodaliter congregatæ.... Secunda pars patet, quia filius, ſervus & diſcipulus tenetur obedire ſuæ Matri, Dominæ, & Magiſtræ: Sed Eccleſia eſt omnium Chriſti Fidelium Mater, Domina, & Magiſtra; de quorum numero eſt Papa, licet ſit filius primogenitus, & capitalis ſervus, ſcribens ſe non ficta humilitate, ſed Catholica veritate Servum Servorum Chriſti; & inter alios Fidei Diſcipulos præcipuus, & per Chriſtum Eccleſiæ Sponſum, & Chriſti fidelium Patrem, Dominum, ac Magiſtrum, in Chriſti ſemper myſtice & ſpiritualiter præſentis corporali abſentia, aliorum Chriſti Fidelium Rector, Paſtor & Doctor conſtitutus Auctoritate Chriſti & Eccleſiæ ſuæ Conjugis & ſponſæ..... Ex quibus faciliter oſtenditur, eamdem Eccleſiam ſynodaliter congregatam eſſe Conſiſtorium Judiciale & Supremum ſuper omnes Chriſti Fideles.... Denique liquet tertia pars Concluſionis, quia nemo judicabilis habet ad libitum ſuum transferre aut diſponere Tribunal Judicis. Si enim hoc poſſet, Papa eſſet ſupra, non infra Eccleſiam; non utens dumtaxat Vicaria Poteſtate Apoſtolicarum Clavium, ſed libero principatu propriæ Juriſdictionis: Nec eſſet tantum paſtor & diſpenſator ovium & agnorum Chriſti, ſed Rex & Paſtor ovium propriarum, contra illud Joannis ultimo ", Paſce oves meas: *Non dixit tuas*. Hæc exſcripta ſunt ex MS. Codice *S. Victoris* Pariſienſis.

Academiæ Cracovienſis ſententia de Conciliorum Generalium Auctoritate.

IX. Idem docet Cracovienſis Academia in Tractatu de Auctoritate Sacrorum Conciliorum Eccleſiam univerſalem repræſentantium, quem an. 1441. ſcripſit ad Uladislaum Poloniæ & Hungariæ Regem. *Poteſtas*, inquit, *Eccleſiæ univerſalis, & etiam cujuslibet Concilii Generalis legitime congregati, ipſum repræſentantis, ſuper eſt Poteſtate Papæ*. „ Id ex eo probat, „ quod Deus Eccleſiæ ſuæ, quam voluit durare uſque in finem ſæculi, dedit & Poteſtatem qua poſſit ſe ſervare in ſuo eſſe, regere, & tueri & conantibus ad ſui deſtructionem reſiſtere. Deinde, ex eo quod Eccleſia a Chriſto Claves accepit proprie & principaliter, *Petrus* autem figurative. Tum ex verbis Chriſti, Matth. 18. Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipſum ſolum... Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos... Quod ſi non audierit eos, dic Eccleſiæ. Si autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus. *Ex quo loco colligunt Theologi Cracovienſes*: Quod Chriſtus voluit Judicium eſſe Majus & Supremum in terris, & huic Judicio etiam ipſum Petrum, ſive Papam debere acquieſcere & obedire. Nam verba prædicta, *Si peccaverit &c.* Chriſtus dicebat ad Petrum. Si ergo inſtituit ad Judicium Eccleſiæ recurrere in hoc quod ei dixit, *Dic Eccleſiæ*; ſequitur Judicium Eccleſiæ eſſe ſuperius. Si enim Judicium Petri eſſet ſuperius Judicio Eccleſiæ, peccator poſt Judicium Eccleſiæ non deberet reputari tamquam Publicanus. Reſtaret enim Judicium Petri, qui tamquam ſuperior examinare deberet Judicium Eccleſiæ. Cum ergo dicitur Petro quod incorrigibilitatem fratris debeat referre ad Judicium Eccleſiæ, „ & non Eccleſia ad Petrum, ſequitur quod Judicium Eccleſiæ ſit majus, ſupremum & finale. Itaque Papam includi ſub Judicio Eccleſiæ, ex eo probatur, quod a fraterna correctione nemo Fidelium excipitur. Cum enim quemlibet liceat fraterne corrigere, & ſi non audiat, debet juxta doctrinam prædictam deferri Eccleſiæ: Ita etiam ſi Papa nolit fraternæ correctioni acquieſcere, debet deferri ad Judicium Eccleſiæ. Fruſtra autem deferretur, ſi Eccleſia non haberet Poteſtatem in eum ferendi Judicium. Hæc exſcripta ſunt ex Codicibus MSS. Bibliothecæ *S. Victoris* Pariſienſis, & Collegii Navarrici.

X. Ex iſtarum Academiarum Scriptis ac Reſponſis, quorum *Auguſtinus Patricius* in Baſileenſis Concilii Hiſtria meminit, comperum eſt doctrinam de Auctoritate Concilii Generalis ſupra Romanum Pontificem non fuiſſe tunc ſingularem ac novam Patrum Baſileenſium opiniunculam, ſed communem, antiquam, probatam Illuſtriorum Chriſtiani nominis Academiarum, & totius pene Orbis Eruditi ſententiam.

Lovanienſis Academiæ ſententia de ſuprema Conciliorum Generalium auctoritate.

XI. His ſubjunxero Lovanienſem Academiam quæ tres illas Propoſitiones, quas Baſileenſe Concilium Seſſione 35. velut Fidei Veritates deffinivit & declaravit, in frequenti Theologorum ſuorum Congregatione approbavit, etſi non ſub eo nomine veritatum Fidei, ſed ut certiſſima, & Scripturæ ac Traditioni omnino conſentanea dogmata. Teſtis eſt Ludovicus Protonotarius Romanæ Curiæ, cui cum *Amedæus* Lugdunenſis Archiepiſcopus objiceret, Ipſum *has Veritates Lovanii ac Coloniæ prædicaſſe, atque illinc Univerſalis Studii Auctoritate firmatas reportaſſe*; Reſpondit: *Verum eſt illas me apportaſſe veritates: Vos tamen eas Fidei veritates nuncupatis, quæ adjectio mihi ſubdubia eſt*. Ita refert *Auguſtinus Patricius*. Hanc doctrinam in Lovanienſi Academia hauſerat *Hadrianus Sextus* Pontifex Maximus ejuſdem olim Academiæ Decanus, qui in IV. Sententiarum, de Miniſtro Confirmationis agens, non errandi Privilegium Romano Pontifici detrahit; adeoque Judicium ejus, in materia etiam fidei, ab Eccleſia & Concilio Generali reformari poſſe cenſet; ac proinde Concilium eſſe Romano Pontifice ſuperius.

Hadriani ſexti ſententia de Concilii Generalis auctoritate ſuprema.

Hæc enim Dogmata neceſſario connexa ſunt. *Hadriani VI.* verba ſubjicio. *Ad ſecundum principale de facto Gregorii, dico 1. Quod ſi per Romanam Eccleſiam intelligatur Caput illius, puta Pontifex, certum eſt quod poſſit errare in iis quæ tangunt Fidem, Hæreſim per ſuam Determinationem aut Decretalem aſſerendo*. Quod ubi ex quorumdam Pontificum erroribus probavit, ſubdit: *Non tamen dico Gregorium hic errare, ſed evacuare intendo impoſſibilitatem errandi, quam quidam aſſerunt*. Hæc Sententia *Hadriano* obex non fuit ne Cardinalitias Inſulas a *Leone X* conſequeretur. Obex non fuit ne poſt *Leonis* obitum ſummo Sacri Collegii conſenſu Pontifex crearetur: Obex non fuit ne ejus Opus a Romanis Theologis laudaretur, cum illud Pontifex factus Romanis Typis edi curavit, Pontificio ſtemmate ad finem Libri excuſo, ut omnibus pateat, non *Hadriani* tantum *Florentii* Lovanienſis Theologi & Academiæ illius Cancellarii, vel Decani, ſed *Hadriani VI.* Romani Pontificis doctrinam hoc Opere contineri. Faceſſant ergo qui has opiniones erroneas, hæreſi proximas, ad Auctoritatis Pontificiæ ſodicationem (ut eorum verbis utar) tendentes; ac Theologos earum aſſertores de Sedis Apoſtolicæ Auctoritate male ſentire audacius pronuntiant; nec animadvertunt ſe *Hadriano VI.* immo Eccleſiæ Romanæ, quæ ipſum Pontificem elegit ac venerata eſt, injuriam facere, quæ, ſecundum ipſos, hominem doctrina erronea, & hæreſi proxima imbutum, & de Sedis Apoſtolicæ Auctoritate male ſentientem, in *S. Petri* Cathedra collocaverit. Eccleſiæ enim Romanæ hac in cauſa ſilentium & conniventia eſſet approbatio erroris, ſi *Hadriani VI.* ſententia erronea eſſet, ſecundum aurea illa *Cæleſtini I.* verba in Epiſtola ad Galliarum Epiſcopos: *Timeo ne connivere ſit hoc tacere: Timeo ne magis ipſi loquantur, qui permittunt illis taliter loqui. In talibus cauſis non caret ſuſpicione taciturnitas, quia occurreret veritas, ſi falſitas diſpliceret. Merito namque nos cauſa reſpicit, ſi ſilentio foveamus errori*. Doctrinam eamdem de Auctoritate Concilii Generalis ſupra Romanum Pontificem propugnavit poſtea *Joannes Driedo* Lovanienſis item Theologus Lib. 4. *De Dogmatibus*, Cap. 4. His adde *Jacobum Latomum* Lib. *De Primatu S. Petri* contra *Lutherum*, & *Ruardum Tappertum*, in Declaratione Articulorum Lovanienſium.

Dionyſii Carthuſiani ſententia de ſuprema Concilii Generalis auctoritate.

XII. Ad celeberrimarum iſtarum Academiarum Scripta dicam, an Oracula? reſpiciebat *Dionyſius Carthuſianus*, vir ſanctimonia & eruditione inſignis, *Doctoris Extatici* cognomen promeritus, qui Baſileenſis Concilii tempore florebat, Libro. 5. *De Auctoritate Papæ & Generalis Concilii*, Articulo 10. ſcribens: „ Quod Generale Concilium ſit ſuper Papam & amplioris poteſtatis & auctoritatis quam ille; hinc apparet neceſſario concludendum, quoniam in Generali Concilio Conſtantienſi hoc apertiſſime determinatum eſt. Sed & Univerſitates ſeu ſtudia quæ-

„ dam

„ dam Privilegiata in fuis Scriptis hoc videntur concorditer affirmare, QUIBUS CONTRADICERE VIDETUR PENITUS IN SECURUM. Unde Venerandi Sacræ Theologiæ professores in difficultatibus scripturarum, in quæstionibus statum Ecclesiæ atque salutem concernentibus animarum exercitati, fundamentaliterque edocti, videntur de hac materia certius judicare: *Articulo vero 31. hunc doctrinam luculenter confirmat.* Concilium (*inquit*) generale nonnisi propter causas singulariter magnas & arduas, ut puta, quæ aliter congrue expediri non queunt, congregandum ac celebrandum esse omnes fatentur. Porro hæ causæ sunt, extirpatio hæreticæ pravitatis ac schismatis, declaratio Fidei, atque editio Symboli ejus, universalis reformatio Ecclesiæ in Capite & in membris. Itaque in expeditione istorum major dicitur potestas Concilii generalis quam Papæ: quoniam Christus promisit Ecclesiæ, seu Concilio ipsam repræsentanti infallibilem directionem & gloriosam assistentiam incessantem; ita quod errare non potest in Fide, neque in his quæ ad bonos pertinent mores, eo quod in talium determinatione regatur immediate a Spiritu Sancto. Unde & Papa in talibus tenetur stare determinationi Ecclesiæ, seu Statuto Concilii, tamquam ordinationi & Sententiæ Spiritus Sancti. Cumque Papa possit errare in Fide, & moribus, & cæteris quæ sunt de necessitate salutis, ejus Judicio non videtur ultimate, ac certitudinaliter standum in istis, cum non sit infallibilis regula & indeviabile fundamentum.

Et Articulo 34. ejusdem libri: „ Papa (*inquit*) secundum diversas sui considerationes vocatur, & est Pater & Princeps Ecclesiæ; itemque filius & minister Ecclesiæ. *Et Infra:* Dicendum quod Papa secundum quod talis, ut puta in quantum Summus Pastor & Pontifex, non est a Concilio generali sententialiter judicandus, aut per depositionem puniendus, quia ut talis est Superior, & Prælatus & Judex Ecclesiæ: Sed in quantum esset intolerabiliter vitiosus seu criminosus, sic esset inferior, & Concilium haberet super eum potestatem ac Jurisdictionem a Christo, a quo immediate claves accepit Ecclesia, quam repræsentat Concilium. Qui etiam Christus dedit potestatem Ecclesiæ abjiciendi membrum scandalosum, infectivum, ac putridum. Sic etiam generale Concilium potestatem ac Jurisdictionem habet in Papam, in quantum Papa ratione culpæ redditur inferior ipso Concilio, immo insuper & in quantum Papa consideratur ut membrum filiusque Ecclesiæ, puta ut determinata persona fidelis, seu unus Christianus viator peccabilis: & in quantum talis est dicitur ei a Concilio lex præfigi, ne sua potestate abutatur, sed debite dirigatur. Ex his patet ad objecta solutio. Par enim potestatem non habet in parem, in quantum est talis, id est, æqualis, sed aliquo modo extat inferior.

Alfonsi Tostati sententia de suprema Concilii Generalis auctoritate.

XIII. *Alfonsus Tostatus*, II. parte *Defensorii*, quam Cardinali *S. Angeli* dicavit sub *Eugenii Quarti* Pontificatu, adhuc stante Basileensi Concilio, doctrinam de Concilii generalis auctoritate supra Romanum Pontificem propugnat, & explicat cap. 69. „ In talibus, *inquit*, constitutionibus licet Papa possit dispensare, cum sit caput ministeriale Ecclesiæ, vel membrum ejus præcipuum, potissime cum tales Constitutiones non habeant causam semper manendi, non est inconveniens, nec negamus, dum tamen hoc non faciat contra prohibitionem expressam generalis Concilii: Quia tunc manifestum est auctoritatem Ecclesiæ esse majorem ejus auctoritate, qui membrum est illius: Cum illa non possit errare nec in Fide, nec in moribus: Ille autem in utroque errare potest, & sæpe repertum est quod Summi Pontifices in utroque erraverint. Ob hoc autem Christus constituit Supremum Tribunal in Ecclesia, in Sacro Concilio, etiam supra Papam & non solum in pertinentibus ad Fidem, sed etiam quantum ad actiones. Quæ omnia patent manifestissime ex illo verbo Domini Matth. 18. Si peccaverit in te frater tuus, corripe illum inter te & ipsum solum: Quod si non audierit, dic Ecclesiæ, & si non audierit Ecclesiam, sit tibi quasi Ethnicus & Publicanus.

Et cap. 70. „ Ex hac Auctoritate quatuor probantur: Primum, quod Christus loquitur hic de Concilio Generali. Secundum quod posuit Christus ultimum Tribunal Ecclesiæ in Sacro Generali Concilio, ita quod post illud non sit ad aliquem recurrendum. Tertium, quod etiam Concilium sit supra Papam, & quod super statu Papæ possit adiri Concilium Generale. Quartum quod non solum sit hoc in pertinentibus ad Fidem, de quibus nemo dubitat Concilium Generale excedere Papam, sed etiam in pertinentibus ad actiones morales, de quibus aliqui interdum dubitant. Primum scilicet quod loquitur hic Christus de Generali Concilio, probatur, quia Christus dixit: Si peccator non audierit correctionem coram testibus, quod diceretur Ecclesiæ. Aliqui autem accipiunt Ecclesiam pro Judice Ecclesiastico: Sed non convenit, quia B. Petrus, qui erat Papa remittitur hic ad Ecclesiam: cum dicat Christus: *Dic Ecclesiæ*: Nullus tamen Judex est supra Papam; Ergo non potest accipi pro Judice, sed debet accipi pro Ecclesia, non dispersa, ergo congregata; quæ est Sacra Synodus Generalis legitime congregata. *Tum cap. 61. idem confirmat* S. Augustini *verbis*, *quæ memoriæ lapsu* S. Hieronymo *tribuit*. Quod autem (*inquit*) sic debeat intelligi ista Auctoritas, testis est nobis B. Hieronymus, quia loquens de clavibus, cui traditæ sint, scilicet an B. Petro, an toti Ecclesiæ, ait: *Has Claves Regni Cœlestis ligandi atque solvendi, non unus homo, sed unitas accepit Ecclesiæ:* scilicet unitas Ecclesiæ universalis: & subinfert: *Hunc Dominum si quis corrigentem corripientemque audire contempserit, sit tibi quasi Ethnicus & Publicanus.* Et sic vult quod Ecclesia universalis sit ista quæ debet ultimo audiri in correctione fraterna; quod vocet eam unitatem Ecclesiæ, quod non competit nisi Ecclesiæ universali: & quia corrigere & corripere potest, necesse est quod non sit ipsa universitas Christianorum dispersa, sed multitudo congregata, scilicet Concilii Generalis, cui competit corrigere & corripere quemlibet Fidelem. *Et cap. 75.* Quartum quod eliciebatur ex Auctoritate, *Si peccaverit, &c.* erat quod non solum in pertinentibus ad Fidem, Concilium videt de statu Papæ, sed etiam in pertinentibus ad actiones. Nam quandocumque aliqui declarant Papam subjectum esse Ecclesiæ universali Matri suæ; cujus vicem plene tenet Sacrum Generale Concilium; Aliqui non secundum Deum, sed secundum hominem favere volentes Pontificibus, quasi constituentes eos Deos impeccabiles, dicunt verum esse in his quæ sunt Fidei Papam subjectum esse Concilio, quia de hoc expresse continetur in Cap. *Si Papa* 10. *Dist.* Quod pro causa fidei Papa accusari & deponi posset: Pro aliis delictis dicunt eum soli divino arbitrio relictum & neminem mortalium nec etiam Concilium Generale posse judicare, sicut videtur ipsum Caput, *Si Papa*, dicere, & quædam alia Jura; & non advertunt ad istam Auctoritatem Domini, quæ major est quibuscumque Epistolis Summorum Pontificum; ex qua necesse est accipi Papam subjectum fore Judicio Concilii Generalis, non solum in tangentibus Fidem, sed etiam in tangentibus actiones. *Et infra:* Facile erat nobis respondere ad Decretum, *Si Papa*; & ad aliud, *Cuncta per Mundum*: & ad illud cap. *Scilicet aliorum causas:* Quæ sunt potissima fundamenta eorum, qui volunt humanitus adulari Summis Pontificibus constituendo eos incastigabiles circa quascumque actiones, etiamsi quotidie unus Summus Pontifex notorie mille homines occideret, sicut quidam non erubuit in suis Scriptis asserere. „ Legantur ejusdem auctoris Commentarii in Caput 18. *S. Matthæi*, Quæst. 108. & in Caput 19. *Numerorum*, Quæst. 48. Hæc autem doctrina *Tostatum* Episcopatu indignum non reddidit, non diras Romani Pontificis in illum aut in ejus Libros arcessivit, non effecit ut omnia ejus Opera Romæ prohiberentur & igne damnarentur, tamquam Auctoris de Sedis Apostolicæ & Romani Pontificis Auctoritate male sentientis: Sed paulo post Abulensis Episcopus nihilominus creatus est.

Panormitani sententia de Concilii Generalis auctoritate suprema.

XIV. Panormitanus Archipræsul *Nicolaus de Tudisco*, quem *Lucernam Juris* appellatum *Trithemius* testatur ab *Alfonso* Aragonum & Siciliæ Rege cum *Eugenio* Papa reconciliato Basilea revocatus, cum ad Ecclesiam suam rediisset, essetque sub *Eugenii* potestate, propugnatam in Concilio Basileensi de Synodorum Generalium supra Romanum Pontificem Auctoritate sententiam non revocavit, neque ut revocaret ab *Eugenio* compulsus est: Nec ejus Commentarius in Caput *Significasti*, De *Electione*, Censura confixit, prohibuit, igne damnavit Apostolica Sedes, velut Scriptoris de Auctoritate Pontificia mala sentientis:

tis: Immo *Nicolaum V.* ajus jam defuncti nomini ac memoriæ favisse, & Cardinalitiam ejus dignitatem ratam habuisse, tesetunt *S. Antoninus*, *Onuphrius Panvinius*, & *Ciaconius*. Singulara vero est, & observatione dignum, quod de Oratione ab ipso habita in celebratione Pentecostes, *Felice V.* in sua Obedientia Pontifice, Sacris operante, relert *Augustinus Patricius*, Cap. 120. Cum scilicet de Auctoritate Concilii & Papæ loqueretur, „ Asseruit Papam esse majorem Generali Concilio, neque recte agi a Patribus, quod nomen Pontificis nomini Concilii postponerent., qooniam ipse esset Caput Concilii, & Episcopus universalis Ecclesiæ, sed hanc prærogativam habere Pontificem in rebus alienis: In factis aotem propriis ita Papam subesse Concilin, ut etiam pro qoocomque peccato mortali notorin, Ecclesiam perturbante posset a Concilio judicari. In aliis Judicium ad eum omnino pertinere, ad quem etiam Fidei Definitiones spectarent, etium præsente Generali Conciiin. Hæc Panormitani verba moltorum Patrum animos pertorbaruot, putantes ea aperte contra Constantiensis Synodi doctrinam esse, & io favorem Eugenii. Monitus super his Panormitanua coram Felice & Cardinalibus suia se multia verbis purgavit, ostendens prius quæ & quanta fecisset pro Auctoritate & defensione Sacri Concilii, se ea verba ptotolisse ardore quodam sermonis, & non ea intentione qua molti acceperant; sed neque esse ita interpretanda. Proinde acciperent ejus bonam mentem, qui Auctoritati Conciliorum favisset sempet faveretque quoad viveret.

Nicolai de Cusa constans sententia de suprema Concilii Generalis auctoritate.

XV. *Nicolaus de Cusa*, postquam a Concilio Basileensi secessit, & ad *Eugenii* partes accessit, quas pro sua virili tuitus est, non retractavit, quæ in Libris *De Concordantia Catholica* scripserat de Concilii Generalis Auctoritate supra Papam, neque id ab ipso exegit *Eugenius*. Scripsit ille Epistolam ad *Rodericum de Arevalo*, Archidiaconum *De Trevino* die 20. Mai anni 1442. qua Basileensium actiones in *Eugenium* non improbat modo, sed caecratur: *Visi sunt* (inquit) *illi obcæcatissimi viri, in Spiritu faroris fuisse extra omnem sensum, quando supra Sacrum Principem Ecclesiæ nescio qualem judiciariam sibi vindicabant potestatem, & horrendum nefas attentarunt in Sacrum Principem suum sævientes, suipsos ab eodem & universa per orbem Catholica Ecclesia perniciosissime secantes*. Et io ea nihilominus Epistola Pontificem Canonibus subesse docet, & ab Ecclesia judicari posse, si in eorum violatione & eversione pertinaciter perseveraret: Non ab Ecclesia dispersa; ergo ab Ecclesia in Synodn Generali eam repræsentante congregata. „ Omnis (*inquit*) Romanus & Primus Pontifex in explicatum Ecclesiæ ordinem & statum a Petro, non habet potestatem: Quoniam hæc explicatin per Petri potestatem in ædificationem Ecclesiæ jam facta, per ipsum reperitur, quando ad Petri Principatum natus in Ecclesia filius sublimatur. Quia quæ explicata reperiuntur in Ecclesia per Petri Successores, suot ea quæ ex universalis Principis potestate prodierunt: Non est conveniens illa per eamdem potestatem, nunc in electo Pontifice complicatnrie eaisteotem, quovis modo infringi, sive illæ sint regulæ, sive ordo statuum, aut alia universalia quæcumque: Nisi in casu qun Pontifex ipse videret aut [illegible], aut immotationem utilem pro ædificatione Ecclesiæ: Quo casu advertere habet, ne cum utilitatem procurare studet, fratres offendat & scandaliaet. Eo qoidem modo Sapieotiores semper intellexerunt, quod quamvis Sacri Principis Ecclesiæ manus ad ædificationem eatensæ, nulla observantia aut Regula Patrum, etiam in Conciliis inhiberi, impedirique possent: Non est tamen apud Ipsum libera potestas rejiciendi semel per Petri explicatam potestatem salubriter pro regimine Ecclesiæ ordinata, quandiu illa ad ædificationem præstat adjumentum. Sed nullam Sedem magis oportet Sanctorum Patrum bene Statuta inviolabiliter exequi, tamquam verum Petri Successorem, in iis quæ ex eadem Petri potestate explicatorie prodiere. Vides nunc quando Sacer Princeps Ecclesiæ contra Sanctnrum Patrum Statuta aliquid præsumeret, ubi non cnnstaret eum ex causa necessitatis aut utilitatis moveri, sed potius ex aliqua particulari non digna causa: quomodo tunc in ipsa priora Petri mandata offendit, exiens vires potentiæ suæ. Quapropter non esset inconveniens, si pertinaciter in hoc persisteret, ab eo recedi posse per Ecclesiam; quando recessus ipse nnitati Ecclesiæ, sine qoa Ecclesia esse nequit, scissuram non inferret. Eo quidem modn Pontificem Canonibus Sanctorum Patrum sobesse intelligeodum est, quasi in eo non sit potestas bene ordinatis pro libitn abotendi: & si in hoc pertinaciter persisteret, qood tunc se Sacro Principatu, qoem in abusum parvi faceret, indignum constitueret. Quemadmodum enim Petrus in universali Successore vivit, ita & in Canonibus Patrum: quoniam Patres ipsi, & universa Ecclesia in Patribus: Sic & Petrus in Ecclesia in ipsis Sanctorum Regulis vivere dicitur, quandiu illa utilitati ædificandæ Ecclasiæ præstat adjumentum. „ An hnminis, qui hæc sensit & scripsit, Opera Sedes Apostnlica prohibuit, damnavit, flammia addiait, quasi fœtus Auctoris de Romani Pontificis Auctoritate male sentientis? Immn eum *Nicolaus V.* Pontifex Maaimus, ingeniorum æquissimus æstimator, & virorum eruditorum fautor, Cardinalitus Infulia nrnavit, maaimique momenti Legationes ipsi commisit.

XVI. Rex Chrillianissimus *Carolus* VII. & Principes Electores Sacri Imperii de Ecclesiæ pace solliciti, hanc inter Synodi Basileensis Patres ac *Amedaum* in sua nbedientia *Felicem* V. nominatum ex una parte, & *Nicolaum* V. ex altera, eorumque Obedientias, certis conditionibus pepigerunt, quibus Conciliorum Generaliom Sopremæ Auctoritati consultum fuit, caotumque ut Concilii Constantiensis & Basileensis Decreta de eadem Conciliorum Œcumenicorum Auctoritate supra Romanum Pontificem his etiam Pactionibus confirmarentur. Una ea conditionibus erat, ot ab omnibus qui Concilio Basileensi contra *Eugenium* IV. & *Nicolaum* V. quovis modo adhæserant, *Omnis honor, reverantia, & obedientia ipsi Sanctissimo Domino Papæ Nicolao*, Ipsisque ab eodem *omnis amor & paterna dilectio, absque præteritorum recordatione, exhiberetur*: Utque deinceps ab appellatione Concilii Generalis, tam in Basilea, quam in Laterano cessaretur. Verum in illo Tractatu continuo subjunxere Principes: *Non tamen intendunt præfati Domini, quod per prædicta, Decretis acceptatis cum suis modificationibus tam in Imperio, quam in Regno Franciæ, aliquod intelligatur præjudicium generari*. Acceptata porro sont imprimis, & quidem sine ulla prorsus modificatione, Decreta Synodi Basileensis de Concilii Generalis Auctoritate supra Romanum Pontificem Sessione 2. condita, & quater subinde in Sessionibus publicra ritu solemni confirmata, antequam Synodus Ferrarism ab *Eugenio* IV. transferretur, ur constat ex Pragmatica Sanctione. Idem expressios caotum est altero Pactionis istius capita: „ Item instabit Dominus Rea Francorum, quod Sanctissimos Dominus Nicolaus Papa V. Conciliom Constantiense, Decretum FREQUENS, & alia ejus Decreta, sicut cætera Concilia Catholicam Militaotem Ecclesiam repræsentantia, ipsorum potestatem, honorem, & eminentiam, sicut & cæteri Antecessores sui, suscipiet, amplectetor, & venerabitur. „ Item conventum est, ut Synodus Basileensis, Generalis Concilii nomen adhuc tetinens, decernat ac jubeat; *Nicolaum* V. pro Summo Pontifice *haberi*, *statuendo & ordinando quod faciat, & adimpleat ea, quæ Summus Pontifex facere tenetur*. Sicque, quatenus Generalis Concilii Auctoritatem sibi vendicabat, ipsam Romano Pontifici imperare posse, constans fuit Germanorum & Gallorum sententia.

Synodi Basileensis Patres & Theologi ad Nicolai V. Obedientiam accedentes, in prisina sententia de suprema Conciliorum Generalium auctoritate firmiter permanserunt.

XVII. A Declaratione igitor ac Decretis Sanctorum Conciliorum Constantiensis & Basileenlis de Concilii Geoeralis Auctoritate supra Romanum Pontificem, Germani, Galli, & qui ea his, aliisqoe Nationibus, Basileæ, ac postmodum Lausanæ, sub nomine Concilii Generalis manserant, Patres, ac Theologi ne latum quidem unguem discesserunt, cum ad *Nicolai* V. Obedientiam, post cessionem *Felicis* rediere: Antiquam sententiam non retractarunt, aut mutarunt, immo *Nicolaum* V. ad eaoi comprobandam & laudandam adduaere; quam olim (ut credere par est) veram esse & Scripturæ Sacræ ac Traditioni consentaneam agnoverat, ut erat præstaotissimus Theologus. Id ex Synodi Lausanensis Decretn, quo *Nicolao* V. Obedientiam exhibet, atque ab nmnibus Fidelibus decernit exhibendam, compertum est. „ Desiderantes itaque de unico Pastore uni Sanctæ Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ providere, cojus solicito sanctoque Ministerio populus Christianus feliciter gubernari, atque pacificis & salutiferis semper adaugeri valeat incrementis; compluimis suadentibus, & urgentibos,

In eadem sententia fuit Nicolaus V.

Apud Odoricum Raynaldum ad annum 1449.

„ cau-

„ causis, & præsertim dilectione dandæ unionis & pacis in Ecclesia Sancta Dei, in personam Dilectissimi Ecclesiæ Filii THOMÆ, in sua Obedientia NICOLAI V. nominati, nostra vota contulimus, sperantes ipsum ea facturum, quæ Summus Pontifex facere tenetur: Fida quoque relatione intelligentes, eamdem credere & tenere veritatem pro conservanda manutenendaque Sacrorum Auctoritate Conciliorum, in Sacrosancta Synodo Constantiensi definitam & declaratam ac in Sacro Basileensi Concilio renovatam; nec non a Prælatis, Regibus, & Principibus, Universitatibusque orbis susceptam, prædicatam & dogmatizatam, videlicet: Quod Generalis Synodus in Spiritu Sancto legitime congregata, Generale Concilium faciens, Ecclesiam Catholicam Militantem repræsentans, potestatem immediate habet a Christo, cui quilibet cujuscumque status vel Dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire tenetur in iis quæ pertinent ad Fidem, extirpationem Schismatis, & ad generalem Reformationem Ecclesiæ Dei in Capite & in membris: Et quod quicumque cujuscumque status vel Dignitatis, etiamsi Papalis existat qui Mandatis, Statutis, seu Ordinationibus & Præceptis hujus Sanctæ Synodi, & cujuscumque alterius Concilii Generalis legitime congregati, super præmissis seu ad ea pertinentibus, factis vel faciendis, obedire contumaciter contempserit, nisi resipuerit, condignæ Pœnitentiæ subjiciatur, & debite puniatur, etiam ad alia Juris remedia, si opus fuerit, recurrendo, Cum *Nicolaus V.* non reclamaverit, eum hanc Sententiam sibi affingi ac falso tribui non dixerit, in ea fuisse censendus est. Non censebat ergo quod censere se *Bellarminus* Cardinalis significat, & quod pariter censent, qui unum *Bellarminum*, vel certe *Jacobatium*, *Cajetanum* aut *Joannem de Turrecremata* legerunt, recentiores quidam Theologi, qui contrariam sententiam esse *fere de Fide*, tam confidenter pronuntiant; & magnam se gratiam Constantiensis & Basileensis Concilii Patribus, Ecclesiæ Gallicanæ, celeberrimis orbis Christiani Academiis, & præsertim Parisiensi omnium flurentissimæ, Theologis Catholicis omnium Nationum, Ordinumque doctissimis, facere arbitrantur, quod *Eos non esse proprie Hæreticos, sed a temeritate magna excusari non posse*, Auctoritate censoria asseverent? An & *Nicolao V.* temeritatis notam inurent?

Bellarm. lib. 1. de Concil. Auctor. c. 17.

XVIII. Denique Cardinalis *Palavicinus* Lib. 18. Historiæ Concilii Tridentini, Cap. 15. ex *Æneæ Sylvii & Adriani Florentini* in Collegium Cardinalium cooptatione, tametsi Concilii œcumenici Auctoritatem supra Romanum Pontificem constanter propugnassent atque propugnarent, probat Ecclesiæ Romanæ in distribuendis præmiis sinceritatem. Postquam enim purpuram *Cajetano* collatam dixit ob egregia merita, & præter ejus expectationem, ab alio Pontifice, quam ab eo pro quo ipse scripserat adversus Pisanam Synodum subdit: „ Quin ea tempestate ac proxime superiori duo mirabilia exempla edidit Deus, ut ostenderet quam sincere ab Ecclesia Romana distribuerentur præmia. Unum extitit in Ænea Sylvio, qui tametsi in ea Christianæ Reipublicæ caligine Basileensi Concilio adversus Eugenium adhæsisset, tamen ob egregias viri dotes exornatus Romæ fuit & Purpura a Callixto, & hoc demortuo Suprema Tiara a Cardinalibus. Contigit alterum Cajetano superstite, & ex parte sub eodem Pontifice a quo ipse purpuram accepit, in Adriano Flurentino, qui quamquam sustinuisset in suis Commentariis aliquam in Conciliis prærogativam supra Pontificem, tamen a Leone in Collegium cooptatus est, & post ejus mortem, ob commendationes, præsertim Cajetani, electus Pontifex. „ Cardinalis *Cajetanus* quamquam pro Romani Pontificis Auctoritate supra Concilium scripsisset, *Adrianum* quem contrariæ sententiæ vindicem noverat, quem sciebat in suis Commentariis privilegium non errandi Summo Pontifici etiam in decretalibus, & cum aliquid Ecclesiæ, ut Dogma Fidei credendum proponit, negasse, neque ad hanc opinionem retractandam esse paratum, nihilominus Pontificem elegit, utque a cæteris eligeretur Auctor fuit. *Æneam Sylvium* olim *Callixtus tertius* Cardinalitiis Infulis ornaverat. Cardinales post *Callixti* obitum Pontificem elegerant, quamvis doctrinam de Concilii supra Romanum Pontificem Auctoritate, etiam ut veritatem Fidei Concilii Basileensis tempore & deinceps propugnasset, Scriptisque consignasset, nec eam retractasset. Bullam enim retractationis non edidit, nisi Pontifex creatus. An Ecclesia Romana Viros de Sedis Apostolicæ & ipsius Auctoritate male sentientes in Pontifices elegit? Porro si hoc de *Ænea Sylvio*, de *Adriano* aliisque Judicium Romana non tulit Ecclesia, quia id æquum non fore persuasum habuit: Qua æquitate Gallicanæ Ecclesiæ Præsules & Doctores propter eamdem doctrinam quidam velut male de Sede Apostolica sentientes, vel erga Romani Pontificis Auctoritatem Sacrosanctam non bene affectos insectari non verentur?

Romana Ecclesia in distribuendis præmiis sinceritas.

ARTICULUS VII.

Synodi Basileensis Patres, etiam postquam EUGENIUM IV. in Jus vocaverunt & deposuerunt, ac FELICEM V. elegerunt; Ipsumve FELICEM, & eorum Obedientiis Adhærentes, a Schismatis proprie dicti labe purgabit quisquis animum a præjudiciis liberum ad hujus examen Quæstionis adjunget. Regem vero Christianissimum CAROLUM Septimum præcipuum Ecclesiasticæ Pacis Auctorem prædicabit.

I. SChismatici proprie dicuntur, *qui propria sponte & intentione se ab Ecclesiæ unitate separant, quæ est unitas principalis* (inquit *S. Thomas* Secunda Secundæ Quæstione 39. Art. 1.) At Synodus Basileensis, *Felix V.* & eorum obedientiis adhærentes propria sponte & intentione se ab Ecclesiæ unitate non separarunt, sed Ecclesiæ Matrici Fidei, & omnium Christianorum Matri, semper adhæsere, & Sedi Apostolicæ, Romanæ Ecclesiæ, ceterisque Christiani & Catholici orbis Ecclesiis communione conjunctissimi fuere: quamvis ab *Eugenii quarti* obedientia secesserint, Synudus quidem Basileensis illum deponendo ob rationes quas legitimas & Canonicas esse existimabant, & in Synodi Constantiensis, suisque ab eodem *Eugenio* comprobatis Decretis fundatas; *Felix* vero quia se legitimum Pontificem, ab Œcumenica, (ut putabat) Synodo, universalem Ecclesiam repræsentante creatum arbitrabatur; idemque censebant eorum Obedientiæ, *Euganium* (inquam) jure depositum, *Felicem* rite electum: Non erant itaque Schismatici. Nam si Constantienses Patres a *Joannis* XXIII. legitimi Pontificis Obedientia secesserunt, ipsumque deposuerunt absque crimine schismatis; non propterea schismatica fuit Synodus Basileensis, & ejus Obedientia, quod *Eugenium* multis criminibus (ut persuasum habebat) convictum exauctoraverit, vel ab ejus Obedientia discesserit. Esto innocens fuerit *Eugenius*, Synodus Basileensis in facto erraverit; graves tamen erant contra *Eugenium* præsumptiones, quæ viros doctissimos & integerrimos afficerent ac moverent, maxime quod Synodum Œcumenicam absque ejusdem consensu dissolvisset, ejusque Decretis parere recusaret. Unde quamvis nec *Eugenii* justa exauctoratio, nec *Felicis* Canonica fuerit electio; dubio tamen Jure, Basileenses Patres, *Felicem* V. & eorum Obedientias, bona fides a schismatis labe purgavit; maxime cum ipsi Jus a partibus stare suis persuasum haberent: Quemadmodum & de Obedientiis *Clemantis VII.* & *Benedicti XIII.* Avenione Sedentium ante Pisanum Concilium, Dissertatione prima probavimus.

II. Basileensis quidem Concilii Patribus objiciebat *Euganius*, quod ab Ecclesiæ Capite Christi Vicario, & a Sede Apostolica segregati, schisma fecissent. At illi contra Schismatis crimen in *Eugenium* refundebant, qui se a Synodo universalem Ecclesiam repræsentante segregasset. „ Dicere ausus est (*inquiunt*) Patres in hoc Concilio congregatos jam fere septem annis ab ipso Christi Vicario, & a Suprema Romana Apostolica Sede, Christianorum Matre & Capite segregatos. Numquid in hoc damnabit universos Cardinales, Patriarchas, Episcopos, Imperatorem, Reges, Principes, & cæteros, qui per se vel alios in hoc Concilio fuerint, & denique Ecclesiam per orbem dispersam, hoc Concilium approbantem, ut dicat eos a Capite & a Matre Christianorum fuisse segregatos, vel favisse segregatis? Dicendo quidem Synodum fuisse segregatam, se potius a Synodo segregatum affirmare videtur, quæ tamen universalem Dei Ecclesiam repræsentat. Cum enim membrum a corpore disjungitur, non totum a parte se dicitur separare, sed pars a toto segregari. Debuit quidem Sy-

„ nodo universali ut membrum ipsius in unitate spiritua jugiter adhærere. Et si relinqueret, non tamen ipsa a suo vero Capite Christo relinquitur, Non enim est Generale Concilium Ecclesiæ, sicut una particularis Conventio Consiliariorum alicujus Principia, cui Papa ipse tamquam Præsidens & Dominua præsideat; Sed est universalis Ecclesiæ Catholicæ Conventus; continens & includens virtualiter & auctoritative singulos gradus Ecclesiæ tam Papatum, quam cæteros, sicut membra ipsius Ecclesiæ universalis; Quam propterea ipsum Concilium repræsentare dicitur, prout jam confitentur universi. Quæ si attentius consideraverit ipse Dominur Eugenius, seipsum ex segregatione potius reprehendet, desinetque in talem Synodum congregatam in Nomine Christi, & univarsalem Ecclesiam proferre injuriam. Denique Nos dicit vehementer studuisse ut inconsutilem Christi tunicam scinderemur; Inveniet ipsa nos pro unitate universalis Ecclesiæ sedulo desudasse; Nec possumus a Romana Ecclesia separari, dum universalis Ecclesiæ retinemus unitatem, in qua tam ipsa Romana Ecclesia, quam aliæ singulæ Ecclesiæ includuntur. Et si Auctoritas quæritur (inquit Hieronymus) Orbis major est Urbe. Sed ipse primus scissuræ & divisionis auctor extitit, cum primus Synodum dissolvera, & se ab ea segregaro incœpit, atque in hujusmodi segregatione & divisione longo tempore persistere voluit“. Hæc PP. Basileenses in Responsiona Synodali ad Invectivam factam contra Synodum Basileensem, quæ incipit: *Ecclesiam suam*: Quæ inter Synodales Epistolas habetur num. 8.

III. Schismaticis ad Ecclesiam redeuntibus certa Schismatis ejurandi præscripta formula est, quo ejurato, per impositionem manuum Ecclesiæ reconciliabantur. Hujusmodi formulam continet Caput *Quotias* 2. P. Decreti *Causa* 1. *Quæst.* 7. quod ex *S. Gregorio* Magno Lib. 10. Regesti, Epistola 31. est excerptum. Formulam alteram in Actis Concilii Lateranensis III. sub *Alexandro* III. celebrati legere est, qua Schisma *Octaviani*, *Guidonis*, & *Joannis* Pseudopontificum anathematizatur & respuitur, & Obedientia atque fidelitas Romanæ Ecclesiæ, & ipsi *Alexandro* juratur. At nihil hujusmodi postulatum est a Concilii Basileensis Patribus, a *Felice V.* & eorum Obedientiis, nulla lex Ecclesiasticæ erga Schismaticos Disciplinæ ipsis imposita; Sed ipsos inter & *Nicolaum V.* æquis pene & honorificis conditionibus transactum est, ut causis obscuris & ubi dubia sunt jura partium, fieri solet. Censuras omnes & Sententias etiam cum approbatione Ferrariensis, Florentini, aut alterius Generalis Concilii in Patres Basileenses, in *Amedeum*, *Felicem V.* in sua Obedientia nuncupatum, & omnes ac singulos iis Adhærentes latas, rescidit, ac perinde habendas dixit *Nicolaus V. ut si nullatenus emanassent*, Diplomate quod incipit: *Tanto nos pacem*: omnia & singula ipsorum famæ & nomini injuriosa ex Regestis *Eugenii*, ac suis, & aliis quibuscumque locis, *aboleri & deleri* jussit; adeoque invidiosa illa Schismatia, Schismaticorum, Conciliabuli, & similia nomina. Omnes etiam Ordinationes, Collationes, Provisiones, Confirmationes, Investituras Beneficiorum ac Dignitatum Ecclesiasticarum, Synodo Basileensi, & ipso *Felice V.* in sua Obedientia Pontifice nuncupato latas, omnes Gratias, Absolutiones, Immunitates, Privilegia ab ipsis concessa tempore dissidii ipsos inter & *Eugenium* Decessorem suum, seque ipsum, confirmavit Diplomate quod incipit: *Ut pacis*. Ex alia parte Synodus Basileensis, Lausanam translata, Censuras omnes & Sententias ejusdem tempore dissidii in alterius Obedientiæ homines latas abrogavit Decreto, quod incipit: *Beatæ Pacis*. Confirmavit etiam omnia & singula, *tam justitiam quam gratiam concernentia, tam in foro conscientia quam in contentioso, qualitercumque facta, gesta, concessa, data, indulta, disposita, & ordinata ab Eugenio, post ejus Suspensionem ab Administratione Papatus, atque Depositionem, seu Thoma, Nicolao VI. in sua obedientia, Romanis Pontificibus nuncupatis*, Decreto quod incipit, *Quantum Deo*. Similia Decreta suo nomine edidit ac promulgavit *Amedeus* in sua Obedientia *Felix V.* appellatus. Primum incipit, *Dispensantes*; Alterum, *Dum renuntiare*; Tertium, *Summopere*. Non Schismaticorum pœnis affectus *Amedeus*, sed primus Cardinalis Episcopus Sabinensis creatus, Legatus insuper & Vicarius Sedis Apostolicæ Perpetuus in Ditionibus omnibus Ducis Sabaudiæ: Nusquam Schismaticus, postquam de pace tractari cœpit, sed *Felix Papa V. in sua Obedientia nominatus a Nicolao V.* dictus est; quemadmodum & Ipse & Synodus Lausanensis in pacificis illis Diplomatibus ac Decretis, *Eugenium IV. & Nicolaum V. in sua Obedientia Romanos Pontifices nuncupatos*, non simpliciter Pontifices dicunt. Et quod majori consideratione dignum est, Basileenses Patres Lausanæ Concilium absolventes, ad *Nicolai V.* Obedientiam accedunt, Ipsum Pontificem eligendo, quasi Sede vacante, decernendoque ut Ipsi ab omnibus Christianis pareatur. „Sancta hæc Synodus, *inquiunt*, in Spiritu Sancto legitime congregata, universalem Ecclesiam repræsentans ..... Dilectissimum Ecclesiæ filium THOMAM in Summum elegit Pontificem, nomine quo nunc appellatur, NICOLAUM V. appellandum, utque pro Summo Pontifice habeatur præsentis Decreti tenore ex *certa* scientia statuit, & ordinat, & decernit, Juribus, Decretis, & ordinationibus *ETIAM SACRI BASILEENSIS CONCILII*, quibuscumque non obstantibus, quibus quoad hujusmodi Actus celebrationem volumus esse derogatum. Mandat præterea, jubet ac præcipit hæc Sancta Synodus omnibus & singulis Christicolis, quatenus eidem tamquam unico, vero & indubitato Pontifici obediant, pareant, & intendant“. Quod quidem Decretum quanta cum animi voluptate *Nicolaus* V. acceperit, literæ ejus ad omnes Christi Fideles, quæ incipiunt: *Tanto nos pacem*, liquido ostendunt. „In eo quippe, *inquit*, suavissima delectamur, quod diebus nostris Sanctam Dei Ecclesiam in pace & unionis pulchritudine ac debita integritate florentem videre valeamus. Cum itaque superioribus temporibus, propter divisiones subortas inter felicis recordationis Eugenium Papam IV. Prædecessorem nostrum & tunc Basileense Concilium, plurimum turbata, ac variis modis afflicta fuerit Ecclesia Dei: Jam autem divina favante ac dirigente clementia, tractatu Oratorum charissimorum in Christo filiorum, Francorum, Angliæ, & Renati Siciliæ, Regum, nec-non Delphini Viennensis, Primogeniti Francorum Regis illustria, pacem Ecclesiæ redditam agnoscimus, dum percipimus venerabilem & charissimum fratrem nostrum Amedæum, primum Cardinalem Episcopum Sabinensem in nonnullis Provinciis Apostolicæ Sedis Legatum, Vicariumque Perpetuum, Felicem Papam V. tunc in sua Obedientia nominatum, juri quod in Papatu asserebat se habere, ad hujusmodi partem Ecclesiæ obtinendam cessisse. Eos vero qui Basileæ, postmodum Lausanæ sub nomine Generalis Concilii hactenus permanserunt, ordinasse ac publicasse Nobis tamquam unico ac indubitato Summo Pontifici obediendum esse a cunctis Fidelibus, & præfatam Lausanensem dissolvisse congregationem. Cupientes igitur &c.“ Ita-ne porro cum Schismaticis agitur?

IV. Sæpe quidem ante pacem factam Schismatici vocati, sed duriora illa & injuriosa vocabula, non probant Basileenses Patres, *Felicem V.* & eorum Obedientias Schismaticas fuisse: Sicut nec *Eugenium IV.* & Ferrariensis sive Florentinæ Synodi Patres Schismaticos fuisse probat invidiosa hæc appellatio a Basileensibus tempore dissidii ipsis indita. Sane Schismatia rei fuissent Gallicana Ecclesia, Rexque Christianissimus & alii Principes, qui cum Synodo Basileensi ad extremum usque communicaverunt, ejusque ut Œcumenici Concilii Decreta susceperunt, excepta *Eugenii* Depositione & *Felicis* Electione, si Basileenses ipsi Patres fuissent Schismatici, & *Felix* proprie dicti Schismatia caput extitisset. Basileenses etiam Patres & *Felix V.* ac eorum Obedientiæ communione juncti non fuissent cum Gallis & aliis Christiani orbis Nationibus colentibus *Eugenium Quartum* & *Nicolaum V.* Pontifices, si ab Ecclesiæ unitate, & a Cathedra *S. Petri* fuissent prorsus avulsi. At Basileenses Patres cum Gallis & aliis Nationibus Christiania *Eugenii* & *Nicolai V.* Obedientiæ addictis communione juncti erant: Galli vicissim cum Basileensibus & *Felice* communicabant, quamvis eum ut Pontificem non agnoscerent: Nec propterea succensebant ipsis *Eugenius* & *Nicolaus V.* Pontifices Maximi. Quinimmo *Nicolaus* & se & Ecclesiam Christianissimo Regi *Carolo VII.* debere plurimum professus est, ob curas, labores, impensas ad pacem procurandam collatas. Id constat ex literis ad ejus Majestatem datis anno 1447. „Fuit semper, *inquit*, proprium præclaræ Stirpis Franciæ Regum, tollere Schismata, & pacem Dei Ecclesiæ elargiri. Hoc certe singulare Regum Franciæ munus fuit, ut assiste-

Nicolaus V. Carolo VII. Regi Christianissimo, præcipuo Ecclesiasticæ pacis auctori gratias egit.

sisterent Romanis Pontificibus, eorumqoe Dignitatem & Auctoritatam tutati sint, & ampliarint. In hoc semper alaborarunt, ut divisiones ad unitatem reducerent, & Romanæ oniversalisquo Ecclesiæ Antistites, rejectis dejectisque Sedis Apostolicæ occupatoribus, unicum Dei in terris Vicarium recognoscerent. Itaque cum tot ante oculos exempla babeas tuorum Prædecessorum, qui nullos labores, nulla pericula recusarunt pro tollendis Schismatum Auctoribus, pro Romani Pontificis exaltatione; imitare quæsumus illorum vestigia, & Sanctum opos, quod jam summa cum laude cœpisti, coneris perficere. *Idam probant aliæ ejusdem Pontificis ad eumdem Regem literæ datæ anno Christi* 1448. 5. *Idus Augusti*. „ Non nobis, *inquit*, ignotum erat tempore sanctæ memoriæ Prædecessoris nostri Eugenii Papæ IV. quantam operam præbuisses, ut Ecclesia Dei unitate & pace frueretur: cum numquam nec expensis, nec laboribus pepercisses ut sancto desiderio præfatæ unitatis & pacis Christianitas poti:etur: Nobis postea divina providentia, Prædecessore nostro, ot credimus, ad meliora translato, in Ipsius honore & onere succedentibus, divina miseratione concessum est, ut Serenitatis tuæ religiosissimam mentem & verbis experiremur & factis. Misit quippe ad nos Celsitudo tua Legationem Prælatorum, ac aliorum Insignium & Nobilium Virorum omni ex parte præstantem, cum adeo insigni & præclaro comitato, ot qui sexaginta annorum in Romana Curia memoriam retinebant, numquam meminerint tam præclaram, tam insignem, tam numerosam Legatioaem advenisse. Retulerunt Oratores tui in totius Romanæ Curiæ auditorio publico quæ usque in eam diem Serenitatis tuæ eura atque opera actitata essent; ex quibus Nos, totumque auditorium, intellextmus, quanto Christianissima Anima tua flagraret incendio, quod pax Ecclesiæ redderetur: Ex quibus percepimus, NON TANTUM NOS ET PRÆSENTEM MILITANTEM ECCLESIAM, VERUM ETIAM ET USQUE IN FINEM SÆCULI SUCCESSURAM, CELSITUDINI TUÆ, ET CHRISTIANISSIMÆ DOMUI FRANCIÆ, DEBERE GRATIAS IMMORTALES, QUÆ NUMQUAM FLUCTUANTEM ECCLESIAM ET APOSTOLICAM SEDEM DESERERE CONSUEVIT. Audivimus Oratores Celsitudinis toæ, non more communi, sed ut peculiares filios nostros sumus cum omni charitate complexi, aperientes eis arcana cordis nostri. Volumus illorum consilio dirigi, non dobitantes Oratores Principis tales esse, qualem mittentem Principem intelligeremus. Itaque patefactis per omnia interioribus cordis oostri, nihil illis occultum esle voluimus: Diximus quantum cupiamus deformitates ab Ecclesia summoveri; quantum velimus Ecclesiarum gravamina moderari; quantum crediti nobis Populi Christiani utilitatem magis procurare quam nostram. Præterea ot Serenitas tua, atque universi Reges, & Principes Populi Christiani intelligerent clementiam & mansuetudinem Apostolicæ Sedis, ipsis aperuimus quantum apud Nos Serenitatis tuæ posset Anctoritas: Tantum namque potest, ut salvo Dei bonore & Ecclesiæ suæ, nihil est quod Celsitudini tuæ negare debeamus. „ Hæc *Nicolaus V.* ad Regem scribebat, qui Concilii Basileensis dissolutionem ab *Eugenio IV.* non prima tantum, sed secunda vice tentatam, factamque præter jus & æquum judicabat, eamque nullam & irritam fuisse; Qui Basileense Concilium legitimum semper agnoverat, Decreta illius omnia, præter ea qoæ *Eugenii* depositionem spectabant, vel ad eam tendebant, approbaverat & susceperat; Ferrariensem ac Florentinam Synodum pro Œcumenica non habuerat, nec habebat: cum Patribus Basileensibus, & *Amadeo* in sua Obedientia *Felice V.* nominato, communionem foverat, ac etiamnom fovebat, non quidem tamquam cum Romano Pontifice, sed eum Principe Catholico, qui bono animo Pontificatum susceperat solius veritatis manifestandæ, & Auctoritatis Generalium Conciliorum conservandæ gratia, & in obsequium Ecclesiæ; eamdemque Dignitatem bona fide retinebat, pro ejusdem Ecclesiæ bono abdicare paratus, ut constat ex Literis cessionis.

V. *Carolo VII.* gratias egit *Nicolaus V.* ob Schisma ejus opera sublatum; hoc enim nomine scissura quælibet Ecclesiæ, præsertim qua duo Pontifices, etiam dubio & obscuro utriusque jure agnoscuntur, vocari potest, quamvis Schisma perfectum non sit, nisi cum aliqoi Summo Pontifici vero & iodubitato subesse, & membris Ecclesiæ ei subjectis communicare pertinaciter recusant, ut docet *S. Thomas* Secunda Secundæ Quæst. 39. Art. 1. *Ecclesiæ unitas* (inquit) *in duobus attenditur, scilicet in connexione membrorum ad invicem, seu communicatione; & iterum in ordine omnium membrorum Ecclesiæ ad unum Caput: secundum illud Coloss.* 2. „ Inflatus sensu carnis suæ, & non tenens capot, ex quo totum corpus per nexus & conjunctiones subministratum & constructum crescit in augmentum Dei. *Hoc autem Caput est ipse Christus, cujus vicem in Ecclesia gerit Summus Pontifex. Et ideo Schismatici dicuntur, qui subesse renuunt Summo Pontifici, & qui membris Ecclesiæ ei subjectis communicare recusant.* Porro Patres Basileenses, & eorum Obedientia, non renuebant pertinaciter subesse Summo Pontifici, sed *Eugenio* ab Œcumenica Synodo (ut ipsi quidem persuasum habebant) legitime exauctorato; & *Felici V.* quem rite & Canonice electum arbitrabantur, Obedientiam exhibebant, Romanam Ecclesiam & Sedem Apostolicam venerabantor, eique adhærebant: De personis tantum lis erat: & nihilominus communione jungebantur cum Gallicana Ecclesia & aliis quæ *Eugenium* ceu verum Pontificem colebant. Schisma igitur perfectum non erat hujusmodi dissidium: alioqui & *Carolus VII.* Rex Christianissimus, Schismatis reus fuisset (ut superius dixi) qui cum Synodo Basileensi & ejus membris communicaret. Quem nihilominus ob pacem Ecclesiæ restitutam *Nicolaus V.* commendat Epistola 5. „ Magno, *inquit*, munere misericordiæ Dei, Christianissime Princeps, Apostolicæ Sedis & totius Ecclesiæ Catholicæ multiplicata sunt gaudia, cum sancto & glorioso studio tuo perniciosissimum Schisma deletum est. Et licet in virtute Spiritus Sancti hoc factum esse minime dubitetur, tamen per ministerium Serenitatis tuæ, quod etiam Prædecessore nostro vivente non defuit, consummatum est. Hæc Pietati tuæ, hæc Christianissimis Francorum Regibus victoria congruebat, ut qui sæpenumero contra hostes fidei dimicassent, & pro Christo gloriosissime mori elegissent, & a Sedis Apostolicæ cervicibus imminentem tyrannicam rabiem sæpius repulissent, etiam pro Catholicæ Ecclesiæ unitate & pace labores, sudores, expensas, vigiliasque perferrent..... Clara hæc pugna & insigne certamen, quo cum diabolo pro Christi corpore, quod est Ecclesia, tua Pietas dimicavit: Quo nec gloriosior triumphus extitit ille Fidelium, qui passi sunt ne idolis immolarent, immo ot Dionysius Alexandrinus Martyr auctor est, majus hoc putandum est esse Martyrium, si quis pro Ecclesiæ unitata & pace dura pertulerit; Ibi namque unusquisque pro sua tantum anima Martyrium sustinet, in hoc vero pro tota Ecclesia vita profunditur. Ineffabiliter ergo gaudemus in Domino, quod labor tuus, & desiderium nostrum ad desideratum pervenit effectum.... Pietati tuæ pro tanti temporis laboribus & expensis quid dignum, quid congruum referemus? Sentit profecto animus noster multo plus se debera quam possit, & hanc grati animi esse potissimam partem, cum se intelligit beneficii magnitudine superari. Hoc profitetur, hoc dicit, Celsitudinem tuam in exbibendis Sedis Apostolicæ beneficiis Christianissimis Principibus Progenitoribus tuis imparem non fuisse, & propterea se Pietati tuæ plurimum debere non dubitat. Suadet ipsa animi tui pietas atque religiosum propositum, ot cum tanta feceris, ampliora petamus. Ut peritorum more Medicorum, ægrum corpos Ecclesiæ, nec plane redditum sanitati, non deseras osque in finem, donec plene integreque sanetur. Et sicut illi depulsa ægritudine, artibus suis & consiliis sanitatem redditam conservare consueverunt, ita Pietas tua assistat & consiliis, & auxiliis opportunis, nec recuperata unitas in Ecclesia operante pacis inimico possit aliqua ex parte turbari.

Ludovici Cardinalis Arelatensis Sanctitas.

VI. Denique ne Synodi Basileensis Patres etiam post *Eugenii* depositionem, & electionem *Felicis* dicantur Schismatici, prohibet *Ludovici Alemandi* Cardinalis Arelatensis miraculis comprobata sanctitas, quæ a *Guidone Papa* Gratianopolitano Senatore, Decisione 84. *VVernero Rolevvink* Carthusiano in Fasciculo temporum, Ætate 6. ad annum 1434. *Philippo* Ber-

Bergomensi, Supplem. Chronicorum Lib. 15. *Æneu Sylvio* sea *Pio II.* in Historia Concilii Basileensis, & in Historia *Europæ*, Cap. 42. *Guillelmo Paradino* Bellilocensi Decano lib. 3. Chronicorum Sabaudiæ Cap. 52. *Lomberto Wanderburchio* Lib. 5. de Sabaudiæ Ducibus, in *Amedeo VIII.* a *Cæsare Nostredamo* P. 7. Historiæ Provinciæ, & *Petro Monodo* Societatis Jesu Scriptore in Lib. cui titulum fecit, *Amedeus Pacificus*, Cap. 86. celebrantur ac prædicantur. Refert postremus hic Auctor, in Altæcumbæ Monasterio, Cisterciensis Ordinis, (ubi *Ludovicum* mortalitatem exuisse falso quidam asserunt, cum Salonæ ad Cravum obiisse constet) Altare in ejus memoriam Deo erectum, eumque ut Confessorem Pontificem publice in Sacris invocatum his verbis: *Sacerdos & Pontifex, & virtutum opifex Cardinalis gloriose, Pastor bone in Populo, in Patria Provinciæ, qui placuisti Deo vivens religiose, intercede pro nobis in cælis, victoriam ad Dominum Deum cantans melodiose. Ora pro nobis Sancte Ludovice Cardinalis, ut per te eruamur ab universis malis. Oremus: Deus, qui meritis & intercessionibus Beati Ludovici Alemandi Confessoris tui, atque urbis Arelatensis Episcopi, & Sanctæ Cæciliæ Presbyteri Cardinalis, dignatus mortuos suscitare, cæcos illuminare, claudis gressum, & surdis auditum restituere, concede propitius ut omnes qui ejus implorant auxilium, petitionis suæ salutarem consequantur effectum, per Dominum*. Quin etiam Arelate in Basilica Principe, in quam ejus corpus Salona translatum est, Sacellum in ejus memoriam esse extructum: & in Breviario Arelatensi pervetusto hæc legi: *Qua die obiit gloriosæ memoriæ Ludovicus Alemandus Cardinalis Arelatensis* (scilicet 10. Septembris) *fiat Officium Semiduplex cum Primis & Secundis Vesperis, & omnia dicuntur de Communi Confessoris Pontificis*. Nec mirum quod Sacro cultu honoretur, cum ejus memoria consecrata sit a *Clemente VII.* Medicæo, Pontifice Maximo, qui ipsum Beatorum Catalogo adscripsit Diplomate dato die nona Aprilis, anno 1527. una cum *Petro* Cardinali *Lucemburgo*. Inscribitur Præposito & Canonicis Metropolitanæ Ecclesiæ Arelatensis, ac Priori & Fratribus Domus Celestinorum Avenionensis, & sic habet: „ Cum sicut accepimus,

Ludovicus Alemandus Cardinalis Arelatensis a Clemente VII. Beatorum honoribus donatus.

„ jamdiu magnis Christi Fidelium, & potissimum no-
„ stræ civitatis Avenionensis votis erga R. PETRUM
„ DE LUCEMBURGO, & Arelatensis erga LUDO-
„ VICUM ALEMANDUM S. R. E. Cardinalem &
„ Ecclesiæ Arelatensis Archiepiscopum, quorum cor-
„ pora, Ludovici in Arelatensi, & Petri in vestro Mo-
„ nasterio respective requiescunt, devotionis affectus ita
„ immineat, & Populi multitudo, non solum civita-
„ tum prædictarum; sed aliarum partium diversarum
„ concurrat, ut in eorum procellis, & hujus caduci
„ sæculi turbinibus, tamquam speciales Protectores,
„ Fautores, Intercessores, Adjutores ad Dominum in-
„ vocentur. Nec mirum si Dominus noster Jesus Chri-
„ stus, cujus, pro posse (ut fide dignorum habet as-
„ sertio) imitatores extiterunt, in dies ipsorum preci-
„ bus eos invocantes, miraculis, ac dolorum & angu-
„ stiarum sublevationibus adjuvet, opemque ferat &
„ auxilium. Quandoquidem Petrus teneris sub annis
„ & Ludovicus ipse (ut accepimus) vitam cælibem,
„ castamque & immaculatam exegerint: & Petrus in
„ 17. & Ludovicus in 60. suarum ætatum annis suo
„ Creatori purissimam reddiderint animas, calcatis hu-
„ jus mundanæ vitæ (quamvis illustri essent orti pro-
„ sapia) illecebris. Proinde claræ memoriæ Rex Si-
„ ciliæ & Jerusalem tunc in illis partibus degens,
„ cum multitudine Christi Fidelium, miraculorum
„ hujusmodi stupore, vestraque regulari observantia,
„ & vitæ exemplaris meritis motus, Ecclesias, do-
„ mum & conventum vestrum instauravit; vosque
„ præterea, ob singulares eorumdem Petri & Ludo-
„ vici virtutes, quæ innumeræ leguntur, nec-non
„ Jejunia, Orationes, Vigilias, & quamplures Deo
„ gratas & acceptas operationes, quas tunc viventes,
„ gratia sibi assistante divina operabantur, ita ut
„ Cælitum numero pie existimentur relati, cupiatis eo-
„ rum corpora, quæ in eisdem Ecclesiis vestris & lo-
„ cis satis humidis & subterraneis jacent, ad alia, in-
„ tra tamen Ecclesias vestras, commodiora transferre:
„ Ipsosque Petrum de Lucemburgo, & Ludovicum A-
„ lemandum, quorum Imagines ubique a piis Fideli-
„ bus a longissimis jam annis cera depingi consueve-
„ runt, pro Beatis coli & venerari posse. Nobis præ-
„ terea venerabilis Fratris nostri Francisci Episcopi
„ Tusculani, S. R. E. Cardinalis De Claromonte, il-
„ larum partium nostro de Latere Legati, qui ad
„ eosdem Petrum & Ludovicum non parvum gerit
„ affectum & vestro nomine humiliter supplicatum
„ extitit, ut hujusmodi vestris tam piis & honestis
„ desideriis annuere pro nostri Pastoralis Officii debi-
„ to, de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igi-
„ tur, qui Fideles quoslibet, & præsertim sub suavi
„ Religionis jugo Domino famulantes, ad devotio-
„ nem & venerationem illorum qui Beati habentur,
„ quantum cum Deo possumus, libenter excitamus,
„ ut illorum imitatores existere valeant; vestris in
„ hac parte desideriis piis, utpote ex magno devotio-
„ nis fervore prodeuntibus, annuentes; Vobis quod eo-
„ rumdem Petri & Ludovici corpora & ossa ex sub-
„ terraneis locis in alia commodiora earumdem Eccle-
„ siarum vestrarum transferre, & ibidem venerabiliter
„ collocare; & tam vos quam alii utriusque sexus Fide-
„ les, eos pro vestra & ipsorum spirituali consolatione
„ in vestris Ecclesiis & Sacellis PRO BEATIS VENE-
„ RARI, sine incursu alicujus demeriti, vel idolola-
„ triæ, seu conscientiæ scrupulo, possitis & valeatis,
„ ac ipsi possint & valeant, Auctoritate Apostolica, te-
„ nore præsentium, de Apostolicæ Potestatis plenitu-
„ dine concedimus pariter & indulgemus. Non inten-
„ dimus propterea eosdem Petrum & Ludovicum in
„ Catalogum Sanctorum esse relatos, donec servatis
„ debitis solemnitatibus in Sanctorum Canonizatione
„ servari solitis, ad illorum Canonizationem deventum
„ fuerit; non obstantibus constitutionibus & ordinatio-
„ nibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Sanctum illum Cardinalem rerum a se in Concilio Basileensi gestarum pœnitentiam egisse *Odoricus Raynaldus*, & alii iisdem præjudiciis occupati scribunt. *Itaque, inquit, adoranda est divina misericordia, quo cujusque temporis statu Ludovicum ipsum nefandi & perniciosissimi Schismatis auctorem, propagatorem hæreseos, qui ex erronea conscientia innumera mala in Dei Ecclesiam invexerat, ac tot annorum cursu in pertinacia obfirmatus, profanaret Sacramenta, pœnitentem ac reversum in gremium Ecclesiæ, ad sanctitatis culmen brevi evexerit*. Merum istud commentum est, & sane periculosum. Cum enim nullo momento hujusmodi pœnitentia probetur, dicent adversæ communionis homines, nefandi & perniciosissimi Schismatis auctorem, hæreseos propagatorem, ab Ecclesia Romana Divis adscriptum fuisse, quamvis pœnitentiam Schismatis egerit nullam, nec hæresim retractaverit. De iis enim quæ non sunt, & quæ non apparent, idem judicium est. Quanto consultius asseritur & verius, *Ludovicum* Cardinalem Arelatensem, nec Hæreticum, nec Schismaticum fuisse; & eorum quæ in Synodo Basileensi gesserat, ipsum non pœnituisse, quia nihil se egisse pœnitendum persuasus erat. Id confirmatur ex Synodi Lausanensis Decreto, quo Basileenses Patres ad *Nicolai V.* obedientiam accesserunt, ipsum in Pontificem eligendo, quasi Sede vacante. *Sancta hæc Synodus in Spiritu Sancto legitime congregata, universalem Ecclesiam repræsentans, votis dilectissimorum Ecclesiæ filiorum, Ludovici S. Cæciliæ Arelatensis, Ludovici Tituli S. Susannæ de Vvarambone, &c. S. R. E. Presbyterorum Cardinalium, &c. præfatum dilectissimum Ecclesiæ filium Thomam, in Summum elegit Pontificem, nomine quo nunc appellatur; Nicolaum V. appellandum: atque pro Summo Pontifice habeatur, præfatis Decreti tenore ex certa scientia statuit, & ordinat, & decernit, Juribus, Decretis, & ordinationibus, etiam SACRI BASILEENSIS CONCILII, quibuscumque non obstantibus, quibus quoad hujusmodi Actus celebrationem volumus esse derogatum*. Hoc decretum 13. Kalendas Maji anno 1440. Auctore *Ludovico* Cardinali Arelatensi conditum est. In quo Basileense Concilium, a quo & *Eugenius quartus* depositus, & *Felix* in ejus locum suffectus eodem Cardinali Præside, *Sacrum* adhuc nominatur. Obiit autem *B. Ludovicus* Cardinalis Arelatensis anno sequenti die decima Septembris, nec de illo narratur, quod tam brevi mensium sexdecim intervallo dixerit aliquid vel fecerit, quod ullam de rebus in Synodo Basileensi gestis Pœnitentiam testetur. Quod sane si dixisset vel fecisset, *Clemens octavus* in Beatificationis Diplomate ut rem maximi ponderis commemorasset.

Odoricus Raynaldus refellitur.

VII. Obiit eodem anno pari sanctitatis opinione *Amedeus* olim *Felix V.* in sua obedientia nuncupatus, quem & multis miraculis post obitum effulsisse *Philippus Bergomensis*, & alii testantur. Lege *Monodum* in *Amedeo Pacifico*. Tam religiosum Principem Schismaticum fuisse qui dixerit, fateatur homines in Schismate Sanctos esse posse, & Deum ad eorum intercessionem miracula patrare. An rursus figmentum de *Amedei* Pœnitentia obtrudetur! Sed primus Pœni-

tentiæ

tentiæ gradus est agnoscere & fateri peccatum. Nusquam vero se peccasse agnovit *Amadeus* in eo quod Pontificatum a Synodo Basileensi, post depositionem *Eugenii IV.* sibi delatum suscepisset, & novem annos gessisset. Immo & ante abdicationem, omnia sui Pontificatus tempore gesta confirmavit, & se uno pacis Ecclesiasticæ studio Pontificatu eedere significavit, quem bono animo, & „ Universalis Ecclesiæ (*ut ut*) „ Basileæ in Spiritu Sancto legitime congregatæ piis „ exhortationibus & sanctis jussionibus acceperat, ad „ succurrendum Auctoritati Ecclesiæ suppressæ: Nun „ caducorom futiliumque bonorum, sed communis sa„ lutis causa *Sedem Apostolicam tenuisse*: *Non ut præes*„ *set*, *sed ut prodesset*: *Maximosque labores subira* „ *voluisse* Solius veritatis manifestandæ, Auctoritatis„ que Sacrorum Generalium Conciliorum conservandæ „ gratia". Sic loquitur in ipso cessionis Diplomate dato Lausanæ, die septima Aprilis anno millesimo quadringentesimo quadragesimo-nono. Piissimi Principis charitati erga Ecclesiam, studio pacis & Ecclesiasticæ Disciplinæ quo Serenissimum ejus pectus fragrabat, testimonium perhibuit *Eugenius Quartus* antequam ab ipso dissideret, ut constat ex ejusdem Pontificis Literis ad ipsius Celsitúdinem datis anno 1435. „ Cum ergo

Amedei Cardinalis olim Felicis V. in sua Obedientia nuncupati Sanctitas.

„ noverimus (*inquit*) tuam laudabilem affectionem, „ & bona opera impensa circa Pacem Ecclesiæ, & „ Reformationem consequendam; volumus hoc notifi„ care tuæ Excellentiæ, tamquam bono & devoto „ nostro & Ecclesiæ filio, quem certi sumus diligere „ nostrum & Ecclesiæ statum & honorem, &c." Non est igitur audiendus *Odericus Raynaldus*, qui Religiosissimum Principem convitiis proscindit: „ Defendit, „ *inquit*, aliquamdiu Amedeus Pontificiam causam in „ Basileensi Concilio, at ubi Antipapatus spe titillari „ se sivit, præcipuus Seditiosorum concitatur & signi„ fer Schismatis evasit". Nec audienda etiam probra, quibus idem Auctor Sacram Synodum Basileensem passim insectatur Tom. 17. Annalium Ecclesiasticorum quam „ Schismaticam, Conciliabulum, Con„ venticulum, quod Evangelicam doctrioam deprava„ bat, & Ecclesiasticam Monarchiam a Domino con„ stitutam evertebat, & Basileenses Patres *viros ae*„ *gaissimos* appellare non veretut in Epistola ipsa Dedicatoria ad Gallicanæ Ecclesiæ Clerum.

IN CONCILIUM BASILEENSE HISOTRICUS EXCURSUS

JOANNE DOMINICO MANSI AUCTORE.

CUm P. Alexander Basileensis Concilii historiam usque ad tempus Translationis ejus Ferrariam satis diligenter prosecutus sit; operam frustra locarem meam, si fusiorem de hoc ipso Concilio tractationem instituerem. Optime tamen me Lectoribus eruditis consulturum arbitror, si cætera persequar, quæ dein gesta sunt Basileæ, ac postea Lausannæ, ubi ea Concilii, fere dimerim, umbra aliquandiu perseveravit. Quamvis enim, & hæc ipsa P. Alexander in altero dein articulo resumpsit, & ad finem usque perduxit; multa tamen habeo anecdota, quæ suggeram, ex Vindobonensi duplici MS. codice accepta, quibus hæc ipsa historia augeatur, & illustretur. Ut vero ab ipso exordio narrationis filum ducatur, repetenda res est ab exorto inter Patres Concilii dissidio, eum de eligendo loco Synodi pro Græcis habendæ ageretur.

In Sessione XIX. anno 1434. celebrata pactæ a delectis ex Concilio viris cum Græcorum Legatis conventiones de loco babendi cum Græcis Concilii in Patrum consessu auditæ, & admissæ sunt. Ferebant vero illæ ut, sin minus Basilea impetrari ab Imperatore Græcorum potuisset, unus aliquis eligeretur ex his locis, *Calabria*, *Ancona*, *vel alia terra maritima*; *Bononia*, *Mediolanum*, *vel alia civitas in Italia*. *Extra Italiam Buda in Hungaria*, *Vienna in Austria*, *& ad ultimum Sabaudia*. Hæc locorum designatio placuit dein Græcis, & ab ipso Græcorum Imperatore, & Patriarcha, tum etiam a summo Pontifice admissa est: rejecta vero a Græcis Basilea est.

His igitur omnibus sic dispositis, unum supererat, ut certus aliquis ex his designatis locus defioiretur. Visum est autem, ut qui locus deligeretur, idem pariter & pecunias mutuas daret Concilio, quot necessariæ censerentur ad Græcos in locum Concilii deducendos. Cum vero multæ & insignes Urbes electionem hanc sibi poscerent, pecunias ultro offerentes; hinc pro vario singulorum Patrum in singulas studio altercatio ingens ac diuturna facta est in Concilio. Tandem destinationem certi loci singulis in schedula obsignata indicantibus, compertum est suffragia partium ultra duarum concurrere in Avenionem, dummodo Cives illi intra certum tempus pecuniarum summam definitam fulvissont. Quibus non solventibus, vel tempus extrahentibus ultra metas præscriptas, tunc locus alius a Concilio destinaretur. Statim igitur requisiti sunt Avenionenses de pecuniæ solutione; sed illis moras alias aliasque nectentibus, definitum ad solutionem tempus elapsum est; attamen vel in tempus aptum, vel statim post de solvendo præstiterunt cautionem. Hinc nova in Concilio dissidia. Cardinalis S. Angeli, Concilii Præses, contendebat procedendum esse ad novam loci electionem, quod Avenionenses nec omnino solvissent, nec cautionem apto tempore præstitissent. Accedebat repugnantia Græcorum pro Avenione; negabant enim illi eo se venturos. Cardinalis Arelatensis, aliique plures pro Avenione obnitebantur. Rigebant animi utrique, nec alter in alteram partem inclinabat. Secessio igitur facta est utrimque; ambæ vero Concilii sibi nomen arrogabant; ambæ Sessionem suam sursum habuerunt. Cardinalis Arelatensis cum suis Avenionem elegerunt. Sedis Apostolicæ Legati Florentinam, & Utinum, loca Græcis & Romano Pontifici accommoda, prætulerunt. Eugenius Pontifex postremis hisce adhæsit contra Arelatensem. Utrimque decretum sancitur; at cum ex utriusque partis conventione sigillum servandum tribus ex Patribus traditum fuisset; atque hi obsignandum judicarint Arelatensis decretum præ alio, hinc ad Græcos utrumque transmissum, illud quidem munitum sigillo, alterum vero sigillo carens.

Suos tunc in Græciam Legatos pars utraque misit. A Præsidibus Concilii delecti sunt Episcopi Dignensis, & Portugalensis; a Concilio vero Archiepiscopus Tarantasiensis. Utriusque Legati decreta Concilii sese deferre jactitabant, utrique trahere ad se Græcos obnitebantur. Vicit tamen pars sanior, & Græci cum Legatis triremibusque Pontificiis seu Concilii Pontifici adhærentis venire in Italiam maluerunt, prout in historia hac sua P. Alexander narrat, a quo cætera ad hunc Græcorum adventum pertioentia repetas. Nunc iterum ad res Concilsi.

Quæ pars cum Legatis perseveravit, nihil deinceps decreti vel sessionis habuisse creditur. Quæ vero cum Arelatensi Cardinali secessionem suam fecerat, adhuc in Concilio perseverans, ad diem prid. Kal. August. anni 1437. Sessionem suam indixit. Antequam conveniret, vocatus est judiciali ritu Legatus Cardinalis S. Angeli, ut *Congregationi*, qua parandum erat decretum, in sessione proponendum, interesset. Negavit ille se venturum, missaque Syngrapha rationes exposuit, quibus ne veniret, retineretur. Expendit in ea quam fuerit incongruum, ut sessio illa haberetur ad diem Pontifici dicendam; id etiam obfuturum demonstrabat caritati, bono publico, paci Ecclesiæ, justitiæ, & SS. Canonibus. Caritati quidem, cum assequi, quod petebant, potuissent, expeditiori via, nullo cum discrimine honoris Pontificii, qui sane in ea judiciali denunciatione periclitabatur. Id etiam non satis futurum esse e re Bohemica, & Græca prædicebat. Salva etiam justitia fieri non posse addebat, ut sibi legato Apostolico & Concilii Præsidi, denegaretur tridui dilatio ad defendendam Pontificis causam. Ajebant denique cum de re agitur, quæ Romanum Pontificem tangit, ex sanctione Concilii VIII. Constantinopolitani ipsum Pontificem adeundum esse, & ab eo *Solutiones* rerum implexarum *expectandas*. Constantem in hoc ipso Concilio agendi rationem ferre animadvertebat, ne ea ipsa die *Sessio*, & *Congregatio* generalis haberetur. Quæ igitur, addebat, tam præcipitatæ rei, maxime omnium gravissimæ deliberatio? Non habita prius virorum doctorum consultatio; non expensa utriusque partis momenta; non lecta pro consueto more *forma Citatoris in deputatione pro communibus*. Concludebat, rogans ut in re tanta maturius procederetur, discuteretur que prius ab *Episcopis*, *Abbatibus*, *Magistris*, & *Doctoribus*. Denique tamquam Concilii Præses mandabat Syngrapham illam suam palam pro Concilio legi.

His Legati literis respondit pro Concilio Abbas Siculus, Panormitanus Archiepiscopus, singula refellere nitens, quæ Legatus, adversus decretum mox edendum opposuerat. Hanc orationem una cum Legati Syngrapha ego primus in meo Conciliorum Supplemento Tom. VI. pag. 615. evulgavi.

Ab

Ab hinc vero expediti molestia Basileenses alacrius procurrarunt in decretum, vocans judiciali ritu Eugenium ad causam dicendam coram Concilio intra dies sexaginta.

Haud ita post multum, die XXV. Septembris, in Sessionem XXVII. convenientes Patres illi tumultuosi decretum de electione Florentiæ vel Utini ab adversa conciliari parte sancitum, infectum, irritumque declararunt. Novorum insuper Cardinalium renunciationem ab Eugenio per eos dies factam irritarunt.

Kalendis Octobris Sessio XXVIII. approperata est ad accusandam contumaciam (si Deo placet) Eugenii, qua a Concilio adjudicata, ad graviora procedi posse pronunciatum est.

Dum hæc Basileæ geruntur, Eugenius Bullam promulgavit de Concilii translatione Basilea Ferrariam, qua offensi Patres actutum in cœtum coeuntes (Sess. XXIX.) die IV. Octobris, Bullam illam Pontificis pro ea, quam sibi usurpabant, auctoritate, abrogarunt.

In Sessione XXX. diei X. Kal. Jan. nihil in Pontificem innovatum; definitum tantummodo, communionem etiam sub una tantum specie sanctam & laudabilem esse.

Secundum hæc nova Bulla, signata die XXX. Decembris (ita enim legendum demonstravi in meo Conciliorum Supplemento, cum in edito legatur die Kalendar. Januarii) Eugenius Concilium statim Ferrariæ inchoandum esse promulgavit.

In exordio succedentis anni 1438. splendida Legatio ab Electoribus Imperii missa (obierat enim interim Sigismundus Imperator) venit ad Concilium, petiitque suspendi tantisper prosecutionem causæ Eugenianæ, donec de pace tractaretur. Hæc proponentibus responsio duplex facta est; altera quidem brevior legenda apud Labbeum tom. XVII. pag. 507. altera vero fusior data a Ludovico Pontano, celebri inter ejus ætatis Jurisperitos, quam offendi in MS. Codice Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis. Incipit: „ VV. Patres, spe-
„ ctabiles Viri, RR.PP. ac Illustrissimorum Principum
„ Electorum, S. R. Imp. Oratores dignissimi. Oratio
„ vestra in medio nostri S. Cœtus perorata tres habet
„ effectuales particulas; quarum prima continet servan-
„ dam esse a nobis mansuetudinem &c. *In fine vero*
„ *hæc adnotantur*: Et est finis responsionis R. Patris
„ & Domini Ludovici de Roma Protonotarii Sedis A-
„ stolicæ, excellentissimi utriusque juris Doctoris, da-
„ tæ Ambasiatoribus Reverendissimorum, & Illustris-
„ simorum Principum Dominorum Electorum S. R.
„ Imp. diei Veneris, XII. Januarii 1438. hora vespero-
„ rum, vel quasi, in Congregatione Generali sacri
„ Concilii Basilaeensis in Ecclesia majori; & in eadem
„ Congregatione antequam daretur hæc responsio, fuit
„ facta responsio eisdem per ipsum Concilium in scri-
„ ptis quæ sequitur; & lecta fuit ibidem per ipsum
„ Concilii Notarium. Audivit hæc S. Synodus &c. "
Extat Labbei tom. XVII. pag. 507. In eodem pariter Vindobonensi Codice est alia oratio perorata coram Electoribus S. R. Imperii per *Q. P. D. Archiepiscopum Panormitanum ex parte Concilii Basileensis missum*. Incipit: *Mecum tacitus sæpenumero cogitavi*. Habitam vero hanc credo, cum occasione hujus legationis ab Electoribus missæ Synodus vicissim Legationem suam ad illos destinavit. Gesserunt illam Patriarcha Aquilejensis, Archiepiscopus Panormitanus, & Franciscus Episcopus Ravennatensis, ut ex Literis Basileæ datis V. Martii 1438. in eodem Cod. legendis pag. 419. intelligimus.

Nihil his permoti Basilienses die IX. Kal. Feb. sessionem suam XXX. celebrarunt, in qua Appellationes omnes, nisi si quæ sint majorum causarum in jure expressæ, ad Romanum Pontificem vetuerunt; sicut & decreto abrogarunt expectativas, & nominationes Beneficiorum, quas Romanus Pontifex sibi reservaverat. Denique solemni decreto Eugenius contumax pronunciatus ab omni Pontificii muneris administratione suspenditur.

Tantam audaciam futuram prævidens Julianus Cardinalis Legatus die V. Idus Januarii ante sessionem illam secessionem fecit, relicta tamen prius in scriptis oratione plena querelarum & precum, ut Patres Basileenses tandem flecteret ad officium.

Die IX. Kal. Aprilis sessio Basileensis 32. coivit, in qua Ferrariense Concilium schismaticorum conventiculum declaratur, cujus proinde gesta omnia infra haberi Patres sanxerunt.

Tantos interea tumultus pacaturi Galli convenerant in Concilium Bituris. Agnovit in ea coitione Rex Galliarumque Præsules Concilium; sed ea quæ in Eugenium decreverant Basileenses, quæque decernenda in futurum timebantur, nec admiserunt, nec admissuros significarunt. Tunc pro Eugenio Pontifice peroratum est ab Episcopo Dignensi; pro Concilio bis verba fecit Thomas de Corcellis S. Theologiæ Doctor, cujus utramque orationem legi in MS. Cod. Vindobonensi, de quo sæpe alias.

Dux etiam Mediolanensis Legatum suum Franciscum de Barbavariis misit protestaturus nihil se admissurum ex iis si quæ in Eugenium P. decernerentur. Protestatio ista extat in Codice Vindobonensi, & incipit: *Convenistis, Reverendissimi Patres*. Dicta sua dictis opposuit Concilium, cujus Synodalis responsio est apud Labbeum pag. 519.

Alii etiam ex Europæ Principibus querelas de tanta Patrum audacia ad Concilium usque per Legatos detulerunt, quos in solemni Patrum cœtu castigandos præpostero zelo suscipiens P. Franciscus de Funke, eorum manus haud prorsus illæsus evasit, ut in adnotatione legenda in Codice Vindobonensi memoriæ proditum legi.

Denique Electores Imperii, qui Francofordiæ coiverant ad electionem novi Cæsaris (obierat enim Sigismundus in exitu anni 1437.) de redcunda Germaniæ Ecclesiæque pace consultantes, tem ad novum Regem differendam judicarunt. Electus Albertus Austriæ Dux, Tum decreta Basileam legatio, e delectis egregiisque viris quatuor gesta, ut excerpta historiæ Concilii Basileensis in meo supplemento monent. Venerunt illi Basileam, Concilii Patres rogarunt, ne quid in Eugenium Papam grave statueretur; se interim pacis sequestres offerentes. Nihil illis nisi verba data sunt a Patribus. Tum legatio illa Ferrariam ad Pontificem eadem petitura contendit. At cum nihil ferret a Basileensibus nisi verba, nihil etiam a Pontifice potuit obtinere. Datum a Pontifice responsum extat in *Codice* Vindobonensi. Incipit: *Per ea quæ nobis &c.*

Indictus post hæc Nurimbergam Principum conventus ad diem festum S. Mariæ Magdalenæ anni 1438. Adfuerunt in eo Legati Concilii & Eugenii Pontificis. Ab utrisque pro se peroratum. Orationes pro Concilio binas in Codice Vindobonensi offendi. Quod insuper responsum dederit Albertus Cæsar ibi pariter recitatum. Nihil tamen definitum, resque ad alium conventum ibidem habendum die festo Sancti Galli, dilata. In secunda hac coitione propositum est a Germanis, ut Concilium a Basilea in locum alium transferretur, quo & Græci convenirent. Hoc acceptum responsum Conciliares Legati ad Patres detulerunt. Admittendum illi judicarunt, dummodo Eugenius dissolutionem Concilii tolleret, nihilque deinceps ageret ac diceret contra auctoritatem Concilii supra Pontificem. Hæc Patrum cautio irrita omnia pacis consilia efficiebat, & Patres magis magisque obfirmabat animo, ut in depositionem Eugenii Papæ procederent.

Ventum est igitur in sessionem XXXIII. die XVII. Kal. Junii anni 1439. in qua ad Catholici dogmatis dignitatem, multis licet viris gravissimis renitentibus evecta sunt asserta illa Basileensium. I. Generale Concilium omnibus, ne Romano quidem Pontifice excepto, præstat. II. Generale Concilium legitime coactum absque ejusdem assensum dissolvi aut alio transferri, ac ne prorogari quidem citra fidei dispendium nefas. III. Si quis ista negaverit hæreticum audit.

Tendebant omnia seu potius ruebant in extremum malorum, nempe in depositionem Papæ, idque imminere intelligentes Germaniæ Principes, aliqua, conventum Principum alium habendum sibi duxerunt. Indictus est primum Francofordiam, dein visum est expeditius Moguntiam; venerunt eo ex Pontifice Legati; legati pariter ex Concilio; illi Florentinam Synodum præferebant; hi trahere Principes ad suam nitebantur. In Codice MS. 68. jur. Canon. Bibliothecæ Cæsareæ Vindobon. extat provisio cœpta in prædicta Diæta Moguntina pro Sede Apostolica per Oratores Principum electorum. Incipit: *At sacrum Concilium*. Extat pariter Oratio ad Concilium, qua media illa pacis ab Oratoribus in Moguntia stabilita proponuntur. Incipit: *Reverendissimi Patres. Cum hodierna die &c.* Insuper sunt ibi *capitula intelligentiæ concordiæque in Oratores Regum & Principum extracta ex publico instrumento*; incipiunt: *Convenimus præterea &c.* Summa omnium ibidem decretorum fuit, ut Canones Concilii omnes admitterentur, sed nihil probaretur eorum, quæ in Eugenium gererentur.

Die 7. Kal. Julii nova sessio, ordine XXXIV. pronunciavit Eugenium ab omni in Pontificatum Romanum jure excidisse.

Se-

Sequenti mense, Id. scilicet Julii, sessio XXXV. convenit, statuitque tamdiu sibi perseverandum esse in Concilio, donec novus Pontifex Ecclesiæ provideretur.

Iterum Augusto mense novus conventus Moguntiæ est habitus, cui statim utriusque partis legati præsto fuerunt. Contendentibus his admitti Eugenii exauctorationem, aliis probari dissolutionem Concilii, Principes neutri parendum censuerunt. Elusuri autem censuras Concilii provocarunt ad Concilium mox cogendum, & ad Eugenium ipsum Pontificem Literas provocationis binas dedit ex Marteno Tom. V. supplem. pag. 19. 20. 22.

Hoc temporis intervallo prodiit celebris illa Eugenii Pontificis invectiva in Basileenses, quam dat Labbeus Tom. 18. pag. 1202. Fulmen hoc retuderunt Basileenses Synodali responso legendo apud Labbeum p. 547. Incipit *B. Hieronymus*, signaturque Non. Octob. anno 1439. Vindicias pro Eugeniana invectiva dedit Card. de Turrecremata, cujus apologiam ego in meo Conciliorum supplemento tom. V. pag. 64. 65. dedi. Invectivam ipsam Eugenii maligna commentatione suggillavit anonymus quidam, cujus opus in Cod. MS. Vindobonen. servatur, pag. 654.

Die XV. Kal. Octobris in sessione XXXVI. Decretum de Conceptione Immaculatæ Virginis Mariæ prodiit.

Die IX. Kal. Novembris sessio XXXVII. celebratur, in qua Leges pro novi Pontificis electione scriptæ. Tres delecti viri jubentur quartum alium sibi adsciscere; communibus vero suffragiis ab his quatuor octo & viginti sacerdotio vel saltem Diaconatu initiati assumantus, quos secum adhibeant, novi Pontificis una cum quatuor Cardinalibus qui interesse voluerint electores.

Accidit interea Alberti Cæsaris obitus, electoresque Imperii suspensionem obsequii in utramque æmulam factionem, olim decretam, retinendam statuerunt.

Die III. Kalend. Novembris iterum in Sessionem XXXVIII. abitum est, qua confirmati electores novi Pontificis; Eugenii invectiva damnata iterum.

Haud diu post, die scilicet prid. Non. Novemb. in Amedæum Sabaudiæ Ducem electorum vota collimarunt. Electio die XV. Kal. Decembris in sessione 39. a Patribus admittitur & confirmatur, ac Legatio decernitur ad eundem Amedæum in Ripaliæ solitudine eremiticam vitam agentem. Assensum ille præstitit in eandem assumptionem suam, cujus approbationis extant literæ in Codice Vindobon. pag. 487. hoc titulo præfixæ. *Consensus SS. D. N. Felicis Papæ V. in electionem suam.* Incipit Bulla: *Votum vestræ concionis*, Tum de hac ipsa electione literas encyclicas ad Principes circumquaque misit Felix, ibidem legendas hoc titulo præscriptas: *Copia Literarum Felicis V. Papæ ad Regem Aragonum missarum; & non solum ad eum, sed & ad alios Reges & Principes*. Legenda pariter in eodem Codice est p. 474. allocutio nomine Felicis facta Legatis a Concilio missis electionem annunciaturis. En titulum: *Arenga responsiva facta per D. Petrum Marchundi, locum tenentem in Cancellaria, ex parte Amadei Ducis Sabaudiæ electi in Papam, ad Ambasiatores Concilii.* Incipit: *Licet cor cogitare, balbutire, & sensus deficere.*

Cum vero sibi aliquandiu differendum esset ne veniret ad Concilium novus electus intelligeret, jam inde ab exordio assumptionis suæ bullam dedit ad Cardinalem Arelatensem, mandans ut suo nomine Concilio adsisteret, præsideretque, & ea omnia præstaret, quæ *Apostolicæ Sedis nomine in Conciliis præsidentes per omnia gerere, & facere consueverunt, & possunt*. Offendisse verba hæc Patres censeo; quippe qui minuere in Concilio Papæ auctoritatem, non vero asserere volebant. Nec enim aliam causam assignare possum, quare bullam hanc nec in publicas Concilii tabulas referendam censuerunt & lacerari jusserunt *in plena congregatione Concilii per præpositum, qui tunc fuit Archiepiscopus Tarantasiensis, die Nonar. Augusti anno* 1440. quæ est adnotatio Codicis Vindobonensis a me una cum bulla in supplemento Conciliorum relata. Eam injuriam nedum non doluit Felix, sed & gratum accidisse sibi significavit, cum certior factus fuit ex literis Concilii destinatos fuisse ex Patribus viros doctos *qui circa formam præsidentiæ in S. Concilio generali Romani Pontificis consultarent inter se. Nam*, ait, *decet ut sicut una est Romani Pontificis, & usque ad finem sæculi duratura potestas: ita modus sua delegatæ virtutis in maximis uniformis conservetur. Datum Lausannæ sub annulo Piscatoris XXVII. Maii* 1440. Hæc omnia documenta ex Codice Vindobonensi accepta in meo Conciliorum supplemento tom. VI. p. 635. leguntur; ex quibus discas nihil magis curæ fuisse Basileensibus, quam ut Romani Pontificis auctoritatem arctioribus semper finibus circumscriberent; Concilii vicissim, etiam contra fas amplificarent.

Accepto Felicis assensu Patres in Sessione XL. die IV. Kal. Martii anni 1440. convenientes, & gaudium suum pro Concilio ostentarunt, & suo decreto obsequium electo præstandum ceu Pontifici sanxerunt. Tum suas omnes verterunt curas ut Principes Catholicos omnes ad Concilium invitarent; ipsumque imprimis Felicem, quod morosior esset ad parendum quam pro eorum voto Epistola, a Germanica natione in Concilio residente missa, sollicitarunt. Extant literæ illæ in Codice Vindobonensi p. 442. Incipiunt: *Quanto devotionis desiderio*; signaturque die 17. Martii 1440.

Secundum hæc coacta sessio XLI. die X. Kal. Augusti scripta quædam Eugenii in Basileensem coitionem execrata est. Nec diu post iterum in Concilio Patres convenientes sessione XLII. die pridie Non. Aug. providendum congruæ Felicis sustentationi censuerunt. Hæc provisio facta est de quinto denario redituum beneficialium primi anni, solvendo ab iis qui intra prius illud quinquennium beneficia obtinuissent; inde vero ad illud decennium denarium solvendum statuit.

Coactum est hoc ipso anno Bituricense Concilium in Gallia, quo missi a Concilio, missi pariter ab Eugenio legati venerunt. Hac occasione Cardinalis de Turrecremata non ante multos dies ad eam dignitatem evectus, orationem illam adversus Basileense peroravit, quam ego primus e MS. Cod. Lucensi tom. V. supplem. Concilior. p. 86. vulgavi. Summa rerum ibi decretarum fuit perseverantia in obsequio Eugenii Pontificis stabilita. Suum etiam Concilium habuit Germania Aschaffemburgi celebratum hoc ipso anno die crastina post Assumptionem SS. Virginis, in quo ut pro Concilio adversus Eugenium decerneretur, & neutralitates, quam vocant, deponerentur Academia Ansfordiensis consilium suum de scripto ad Archiepiscopum Moguntinum transmisit. Concilium istud mihi hucusque ignotum indicavit laudatus sæpe codex Vindobonensis, in quo scriptum illud Ansfordiense servatur.

Sequenti anno 1441. in Moguntina Germanorum diæta de pace Ecclesiæ reddenda actum est. Auditi Eugenii & Concilii Legati. Decretum, agnosci a Germanis Concilium; Felicem respui; indicendum vertente anno Concilium in locum aliquem tertium, ubi Ecclesiæ pax restitueretur. Codex Vindobonensis servat *proposita ad diætam hanc anni* 1441. *Moguntiacam in materia conciliationis animorum*. In Sessione XLIII. die 1. Julii habita festum Visitationis B. M. V. decernitur, præmio sacrarum indulgentiarum iis Fidelibus oblato qui sacris ejus diei officiis interfuissent; dierum centum in singula divina officia. Festum tamen istud altiorem habet institutionem; nam illius indicendi consilium cepit Urbanus VI. illi vero implendo Bonifacius IX. ejus successor Bullam edidit, signatam anno 1389. legendam integram in Actis SS. ad diem 21. Julii pag. 296.

Haud diu post Sessio XLIV. est habita, in qua tuitioni hominum Conciliarium provisum ut si quæ a Concilio obtinuissent hæc rata haberentur; si quis illos violasset censuris puniretur.

Anno 1441. die XVII. Junii Sessio XLV. & postrema coivit, in qua Concilium post triennium Lugdunum indictum est; interim vero manere declarat Basileense Concilium; quod si Basileæ haberi, impedimento aliquo obstante, non posset, Lausannam ex tunc translatum declaratur.

Secundum hæc habita est diæta Francofurtensis, in qua legatis utriusque partis auditis decretum ut legati ad Concilium & Eugenium Pontificem mitterentur, & Concilium in loco aliquo tertio Germaniæ impetraretur. Venientes igitur legati Basileam petitionem Principum Germaniæ exposuerunt & respondentes Concilii præsides audierunt, admissurum Concilium coactionem Concilii alterius in Germania, quod se indicturos in solemni sessione spondebant. Extat in altero Cod. Vindobonensi Jur. Can. num. 69. pag. 83. legatorum oratio Pontifici dicta. Incipit: *Soliti sunt viri clarissimi &c.*

Tum legati Germanorum ad Eugenium se contulerunt, quem non adeo facilem ad eam Concilii translationem nacti sunt. Quibus rationibus promoveretur Pontifex ne se exoratum præberet exponit Cardinalis Turrecremata *in Collectis super petitione Concilii in tertio loco celebrandi*. Pontificis ad legatos illos data responsio est in priori codice Vindobonensi p. 680. hoc præfixa titulo: *Copia responsionis Gabrielis, quondam*

dam Eugenii data Ambasiatoribus Romanorum Regis & S. R. I. Electorum, Incipit; *Da venerabilium fratrum nostrorum &c.* Hanc ipsam orationem ab occultis Concilii fautoribus statim Basileam ad patres transmissam lego in eodem Vindobonensi codice; tum subditur ibi: *Cedula ista cum hujusmodi titulo; Responsio Gabrielis ad unum ex Patribus S. Basileensis Concilii de una insigni civitate Italiæ, quæ maxime videbatur illi obedire, & fuit in Concilio divulgata XII. Januar.* 1443. Pone sequitur responsio Pontificio quæ per partes refutatur. Incipit refutatio; *Responsio ista continet in se octo partes.*

Ita exactus est annus 1442. Cœpit & decurrit annus 1443. nullis in re conciliari vicibus commemoranda. In diæta enim Norimbergensi, quæ in Novembrem ejus anni dilata fuit, nihil novi decretum constat. Sunt tamen hoc ipso anno datæ Friderici Regis Romanorum ad Regem Galliæ literæ, signatæ Kal. Junii suadentes ut pro impetranda tertii Concilii celebratione adnitaretur. Extant literæ illæ apud Martena vet. mon. tom. VIII. pag. 977. Reponit Carolus Rex missurum se Romam legatos id postulaturos ab Eugenio, cui legationi ut & suam adjungerat Fridericum hortatus est. Literas istas Regis Galliarum legi in Cod. Vindob. num. 60. Jur. can. pag. 139. Quæ tunc Romæ acta sunt cum Pontifice fuse narrat & expendit Cardinalis Turrecremata in eo opusculo, cujus memini superius, *Collecta &c.*

Anno 1444. Ferdinandus Rex, cui maxima cordi erat pacatam Ecclesiam, literis quaquaversum suis Reges & Principes ad diætam Norimbergensem invitavit. Leguntur illæ in Cod. Vindob. altero p. 102. Incipiunt: *Accidit non sine gravi:* Nihil tamen in ea decretum.

Annus 1445. dedit Francfordiensem diætam e qua leges componendæ pacis per legatos allatæ sunt Concilio. Extant illæ in Cod. 69. Vindob. Incipiunt; *Humillima &c.* Dein deputationi de communibus exhibitæ, cui simul monita quædam data sunt a Concilio, ut stabilem pacem procuraret. Sunt hæc in Cod. Vindob. p. 109. Incipiunt: *Quia tanta*, &c. Nec ab ea depotatione diu res protracta: dedit enim non diu post pro pace ineunda consilium & rationem. Legitur in eodem codice.

Annus tandem 1446. illuxit, in quo, si non extinctum schisma, ita tamen oppressum est, ut parum superesset scintillæ. Jam inde ab anno præcedenti Fridericus suboduratus Principes quosdam Germaniæ consilia clam agitare de agnoscendo Felice antipapa, quod ille clam literis suis diei VI. Maii anni 1445. ad Magistrum Prussiæ, (Cod. ibid. p. 112.) nonciavit. Rem igitur hanc gravissime ferens, Principes Septemtrionales ad diætam Norimbergensem initio sequentis anni habendam invitavit. Orationem ibi suam pro Concilio habuit Episcopus Dunkeldensis ejusdem legatus, cui socius adjunctus erat Michael de Balduinis. Incipit hæc oratio in Cod. Vindob. p. 127. *Ut ea quæ coram regia Majestate*. Nihil tamen ea valuit ad flectendum Friderici animum, jam in Eugenium stabilem. Quare in diæta tandem Francfordiensi ad diem S. Ægidii indicta, decretum est obsequium religiosum Eugenio reddi, dummodo ille consentiret ad indicendum Concilium tempore & loco designando. Leguntur in eodem Vindob. Cod. literæ Friderici ad eam diætam Principes invitantis, signatæ X. Kal. Martii anno 1446. Oneratus mandatis hisce & Legatione diætæ Æneas Silvius veniens Romam, rem cum Pontifice tractavit, ac tandem conclusit pacem; de qua cum convenissent; tunc demum publica postulatione solemni coram illo habita oratione, Pontificem de pace concedenda Ecclesiæ rogavit. Extat oratio illa in meo Conciliorum Supplemento ex Martene accepta. Assensit Pontifex; tresque ad eam rem bullas tradidit legatis in Germaniam deferendas & ad Germaniæ Principes directa; quarum erat altera de indictione Concilii, signabaturque anno 1446. (forte tamen veteri stylo qui novo erat 1447.) nonis Februarii. Hanc tamen ejus sanctionem nequaquam promulgatam arbitror, cum nihil ea de re literis mandatum legerimus; extant vero tres illæ in Cod. Vindob. p. 137. Prior incipit: *Ad tranquillitatem & commodum*; signatur anno 1446. die VI. Non. Feb. Altera: *Ad ea ex debito*, die Non. Feb. Tertia: *Inter cætera &c.* die VII. Id. Febr. Ea tunc Concilii res accisæ; nam Patrum plerique suis singuli rebus provisuri componere cum Eugenio studuerunt. Pauci tamen reliqua perseverantes Concilium retinere ne dissolveretur satagebant. Illis dissipandis non minæ, non terrores, non retractatæ a Cæsare tuitionis literæ; non denique a Basileensi expulsiones valuerunt.

Nam Basilea pulsi se receperunt Lausannam secum qua eo redactum Concilium contenderunt. De hoc igitur Concilio Lausannensi sermo nunc instituendus est.

De Lausannensi Concilio.

Basileensium pervicaciam tunc se demum expugnaturum censuerat Fridericus Cæsar; si locum quo convenerant subduceret. Mandavit igitur Basileensibus Civibus ne ultra rebelles illos sua in Urbe permitterent. Diu illi restiterunt se tandem flexuros ad misericordiam Principem arbitrati: Nec Felix pepercit bullis suis, destititque ab officiis quibus fulmen illud a suo & patrum capite averteret. Extant in Cod. Vindob. ejus literæ ad Carolum regem Francorum plura offerentis ad Ecclesiæ pacem, signatæ die XIV. Kal. Octob. anni 1447. aliæ ad Fridericum in eandem sententiam datæ VI. Id. Julii 1447. Incipit: *Novum non est*; aliæ ad Magistrum Civium & ad Consulatum Basileensem ut intercedant apud Imperatorem Incipiunt: *Admiramur supra modum*, datæ 2. Kal. Febr. 1448. Alias denique scripsit ad Patres Basileenses adhortans ne consternantur, sed firmi perseverent. Incipit: *Integritati vestræ*; datæ sunt Lausannæ 2. Kal. Feb. 1448.

Nequidquam tamen renisum ab illis; secedendum tandem fuit Lausannam, quo tutum perfugium obtinuerunt literis securitatis datis a Duce Sabaudiæ in eodem Codice servatis signatisque Peneroli die V. Kal. Augusti 1448. quibus & suas adjunxit Felix eodem tempore datas.

Hic tandem desinunt duo Vindobonenses Codices; nec sane diutius protractum est Concilium. Eugenio Pontifici anno 1447. defuncto successerat Nicolaus V. quem via assumptum in Petri cathedram rescivit, per literas admonere Felix ausus fuerat, ut deposita dignitate sibi uni concederet Pontificatum, atque ita tandem Ecclesiæ pacem daret: Literas illas offendi in Codice Vindob. Incipit: *Quia ad tranquillitatem*: Cum tamen frustra se persuasisse cerneret; intelligerentque Patres quotidie res suas dilabi, serio de pace cogitare cœperunt. Postquam igitur in prima translatione Concilii Sessione, anno 1448. die IX. Kal. Augusti celebrata judiciali ritu declarassent Basileense Concilium legitime translatum Lausannam; reliquum inde anni in tractatione pacis procurandisque sibi quamcommodis conditionibus impenderunt. Regem Galliarum ejusdem pacis arbitrum Nicolaus Pontifex constituerat Literis, quas ego ex Martene in meo Conciliorum supplemento recitavi. Eo interventore Felici permissa est sacra purpura locusque datus primus inter Cardinales cum Episcopatu Sabinensi, Vicariatu Sedis Apostolicæ & Legatione Apostolica per nonnullas provincias perpetua. Cæteris vero conciliaribus hominibus dignitates illæ quas ante Concilium obtinebant seu redditæ seu assertæ sunt. Quibus ita constitutis Felix die VII. Idus Aprilis in pleno Concilio sese Papatu abdicavit. Data bulla apud me legenda pag. 267. secundum hæc Concilium in nova Sessione diei XIII. Kal. Majas & cessionem Felicis admisit, & Nicolaum in Pontificem elegit, ut ex Raynaldo ad annum 1449. §. 5. & ex meo supplemento scimus. Atque ita tandem & Concilio & Schismati finis impositus est, quod & Lausannenses Patres in alia Sessione VII. Kal. Majas prononciarunt. Clausit hæc omnia Nicolaus Pontifex bulla expedita Spoleti die XIV. Kal. Julii qua provisiones beneficiales a Schismaticis concessas ratas assertasque esse voluit, & declaravit. Bullam hanc affert Bzovius ad annum 1449. ex quo ego. Cardinales tamen a Felice renunciati abire dignitate jussi sunt; Panormitanus præsertim quem Eugenius, sæpius licet exoratus, numquam tamen consensit ut purpuram seu de novo assumeret, seu retineret ut ego in meo Conciliorum supplemento tom. V. adductis documentis demonstravi.

SCHOLION I.

Dissertationis hujus Articulo 3. num. 5. pag. 311. Religiosi Censores hanc propositionem notant: *Cleras Gallicanus sub correctione Regis nonnulla decernit.*

R. Mera facti quæstio. Id tamen non assero, neque hæc mea propositio est: sed ubi quædam retuli Basileensis Concilii Historiam spectantia, confestim addo: *Ista constant ex Instrumento cui titulus est* AVISAMENTA *prolocuta per Dominos Prælatos, & alios Clerum Regni Franciæ & Delphinatus repræsentantes, qui Bituris convenerunt ad Mandatum Domini nostri Regis die* 26. *Februarii* 1431. *præfati Domini nostri Regis, & sui Magni Consilii beneplacita,*

volun-

volantate & correctione in omnibus semper salvis. Quod ita inscriptum Instrumentum citaverim, vitio verti mihi non debet, cum editum sit in Appendice prima Concilii Basileensis, Tom. 12. Conciliorum Editionis Labbeanæ, pag. 813.

SCHOLION II.

Eumdem Articulum, pag. 313. & 314. petit ista Religiosorum Censorum nota: *Contemnit objectionem Turrecremata, & dicit, Ex his Decretis constare, Concilium habere auctoritatem supra Papam certum.*

R. Joannis de Turrecremata objectiones non magni facio, *inanes objectiunculas* voco: Doctissimum & Religiosissimum Cardinalem cæteroquin veneror. „ Ex „ Concilii Constantiensis Decretis de auctoritate *cujuscumque Generalis Concilii*, supra Papam; Sessio„ ne III. Basileensis Concilii repetitis & confirmatis, „ & ex modo agendi ejusdem Concilii Basileensis lu„ culentissime probari dixi Decreta Concilii Constan„ tiensis Sessionibus 4. & 5. de Synodi Generalis po„ testate immediate a Christo accepta, & auctoritate „ supra Romanum Pontificem, non ad tempus dum„ taxat Schismatis restringi debere, nec dubios tan„ tum Pontifices, sed & veros ac legitimos qualis erat „ Eugenius Quartus, spectare. „ Ita censent sacra Facultas Parisiensis, & Ecclesia Gallicana. Censeant aliarum Nationum Theologi ut lubuerit, opinio est.

SCHOLION III.

Eumdem Articulum, num. 17. pag. 338. ita perstringit Censorius Indiculus: *Dogma Ecclesiasticum appellat illud de Auctoritate Concilii.*

R. Quod a duobus Conciliis Œcumenicis Constantiensi & Basileensi assertum ac declaratum censent sacra Facultas Parisiensis & Ecclesia Gallicana, *Dogma Ecclesiasticum* appellare licuit. Fidei Dogma numquam dixi, nec esse censeo, sed opinionem probabiliorem & verbo Dei atque Traditioni magis consonam. Ita censet Parisiensis Academia, ad cujus sententiam accedunt Viennensis, Herfordiensis, Cracoviensis & Coloniensis, plurimique omnium Ordinum & Nationum Doctores Catholici.

SCHOLION IV.

In eodem Articulo, num. 19. Religiosi Censores hanc propositionem notant: *Si Papa sit furiosus, potest ligari*, pag. 342.

R. Non mea, sed Joannis Antiocheni Patriarchæ verba sunt in Opusculo oblato Concilio Basileensi, cujus Excerpta seu Fragmenta nonnulla ad illustrandam Historiam retuli, Baronium, Odoricum Raynaldum & alios Scriptores imitatus, qui Fragmenta similium Tractatuum in suos Annales Ecclesiasticos transcripserunt. Cæterum qui Romanum Pontificem in phrenesim vel dementiam, ut in alios morbos, quibus in hoc mortali corpore obnoxii sumus, incidere posse negaverit, se ridendum omnibus exponet.

SCHOLION V.

In eodem Articulo, pag. 345. Edit. 1. Num. 21. Religiosi Censores hanc propositionem notant: *In Generalibus Conciliis examinantur judicata a Papa.*

R. *Nicolai de Cusa*, postea S. R. E. Cardinalis propositio est, quam probat lib. 2. *De Catholica Concordantia*, cap. 17. Historice porro a me refertur eo loci.

SCHOLION VI.

In eodem Articulo, Num. 37. pag. 366. Religiosi Censores hanc propositionem notant: *Ex revocatione Bullæ* DEUS NOVIT, *sequitur Eugenium quartum revocasse sententiam suam de auctoritate Conciliorum.*

R. Immo sequitur (ut observavi) ipsum revocasse hanc propositionem in eadem Bulla assertam: *Super omnia Concilia habet potestatem Papa.* Facti quæstio est, cujus veritatem probavi.

SCHOLION VII.

In eodem Articulo, Num. 54. pag. 395. Religiosi Censores hanc propositionem notant: *Concilium Generale potest concedere Indulgentias.*

Tom. IX.

R. *Potestatem conferendi Indulgentias a Christo Ecclesia concessam*, Dogma Fidei est, ex Concilio Tridentino Sessione 25. Cap. 21. Synodus porro generalis in Spiritu Sancto legitime congregata, universalem Ecclesiam repræsentat. Indulgentias itaque concedere potest. Major & minor sunt propositiones Fidei ex quibus necessario sequitur conclusio.

SCHOLION VIII.

Dissertationis ejusdem Articulum Quartum, p. 415. his verbis perstringunt Religiosi Censores: *Censura afficit negantes Concilium supra Papam.*

R. Non meum privatum, sed sacræ Facultatis Parisiensis de illa opinione judicium expono. *Illos*, inquam, *qui Concilia Generalia auctoritatem a Christo immediate non accipere, & summo Pontifici subesse asserunt, a doctrina Sacræ Scripturæ & Traditionis, ab Ecclesia in Concilio Constantiensi congregata sensu aberrare censemus: Hæreticos tamen non dicimus.* Dogma Fidei esse non dico, quod Concilium Generale sit Romano Pontifice superius: opinionem dumtaxat esse agnosco; sed probabiliorem, Sacræ Scripturæ ac Traditioni magis consonam, Concilii Constantiensis Decretis firmatam esse, censent Theologi Parisienses: neque contrariam opinionem in ista Academia tueri licet. Ab aliarum tamen gentium Theologis plerisque salva fide propugnatur: ejusque Defensores complector ut fratres, & si Dignitate aliqua sint ornati, ut Patres veneror.

SCHOLION IX.

Ejusdem Articuli, pag. 419. Religiosi Censores hanc propositionem notant: *Felix V. non cessit Pontificatu, quod censeret se non esse legitime electum.*

R. Mera facti quæstio est. *Felicem V.* non causæ diffidentia, sed pacis Ecclesiasticæ studio abdicasse, firmis argumentis demonstro, ex triplici illius Diplomate petitis. Verumtamen Amedeum, Felicem V. nuncupatum, numquam verum ac legitimum Pontificem fuisse censeo, & Eugenii Quarti depositionem Canonicam & justam non fuisse, nec pro tali habitam e Gallis ipsis & a Rege Christianissimo qui ipsum Eugenium ut verum legitimumque ac summum Pontificem semper coluerunt.

SCHOLION X.

In eodem Articulo, Num. 7. pag. 421. Religiosi Censores hanc propositionem notant: *Synodus Lausanensis elegit Papam Nicolaum post cessionem Felicis, quia sentiebat Concilium esse supra Papam.*

R. Quod Synodus Lausanensis *Nicolaum V.* non elegerit nisi post abdicationem *Felicis*, cum ex fideli relatione accepisset ipsum tenere Dogmata in Conciliis Constantiensi & Basileensi constituta & declarata de Conciliorum Generalium auctoritate a Christo immediate accepta, & quæ Romani Pontificis auctoritate superior sit, Historiæ res est, ex Diplomate Lausanensis Concilii comperta, quod incipit: *Multis ab annis*.

SCHOLION XI.

In eodem Articulo, Num. 15. pag. 443. Religiosi Censores hanc propositionem notant: *Quæ dixit Eugenius pro sua auctoritate supra Concilium, non fuerunt ab Ecclesia acceptata.*

„ R. Si quid *Eugenius* adversus Decreta Concilio„ rum Constantiensis & Basileensis de Concilii Gene„ ralis auctoritate supra Pontificem senserit, dixerit, „ vel scripserit, id ab Ecclesia universa receptum & „ & probatum non fuisse scripsi. „ Facti quæstio est: cujus veritatem probavi ex eo quod Ecclesiæ Gallicana & Germanica in antiqua sententia de subjectione Romani Pontificis Conciliorum Generalium auctoritati in Conciliis Constantiensi & Basileensi declarata & firmata permanserint, quod in eadem perseveraverint Patres Basileenses, quando pacem cum Nicolao V. fecerunt, quod in eadem fuerit ipse Nicolaus V. nec eam sibi tribui moleste tulerit, ut constat ex *Decreto* Concilii Lausanensis, quo ipsum Patres Synodi Basileensis Lausanæ congregati in summum Pontificem eligunt.

SCHOLION XII.

In eodem Articulo, Num. 16. pag. 445. Religiosi Censores hanc propositionem notant; *Ecclesia Gallicana & Academia Parisiensis non sentiunt Concilium Lateranense sub Leone X. fuisse Oecumenicum, quia constabat ex solis 89. Episcopis, maximam partem Italis.*

R. Historiæ res est. Quid ea de re Gallicana Ecclesia & Academia Parisiensis sentiant, melius novimus quam extranei. Ad fidem non pertinere quod Concilium Lateranense sub Leone X. sit Oecumenicum: Varias esse ea de re Catholicorum opiniones fatentur *Bellarminus* Cardinalis Lib. 2. *De Conciliorum Auctoritate*, Cap. 13. & *Andreas Duvallius* Doctor Professor Sorbonicus 4. Parte Libri *De suprema potestate Papæ*, Quæst. VII.

SCHOLION XIII.

Eumdem Articulum, Num. 28. pag. 454. his verbis perstringit Censurius Indiculus: *Vide quæ immodeste dicit de Pio II. priorem sententiam retractante.*

„ R. *Pium II.* priorem non retractasse sententiam ex
„ ipsius verbis ostendi. Si quid aliud senserit, rationi-
„ bus suis consuluisse & humani aliquid passum esse
„ dixi qui veritatem de suprema Conciliorum Genera-
„ lium auctoritate quam in minoribus constitutus, cum
„ viris totius Orbis Christiani doctissimis, & Œcume-
„ nica Synodo egregie defenderat, nec abjecerat factus
„ Cardinalis, statim atque creatus est Pontifex, absque
„ examine deseruerit, ejuraveritque. Hypothetica responsio est dumtaxat; hypothesis veritatem non admitto. Historicos immodestiæ arguere minus æquum videtur, quoties aliquid humani in Pontificibus infirmitate circumdatis notant. Vix aliquis Theologorum Parisiensium modestius responderet objectioni ex Pii II. Retractatione petitæ.

SCHOLION XIV.

Dissertationis ejusdem Articulum V. Num. 11. pag. 477. Religiosi Censores his verbis perstringunt: *Vocat Basileense Concilium post depositionem Eugenii, a quo tempore dicit quod desiit esse Concilium.*

R. Basileense Concilium post translationem factam Ferrariam ab *Eugenio Quarto* Œcumenicum amplius non fuisse censeo. Concilium tamen semper fuit. Usus præterea & modus communis loquendi vere sententiæ non præjudicat. Loquendum cum multis, sentiendum cum paucis.

SCHOLION XV.

Eumdem locum his verbis perstringit Censorius Indiculus: *Vocat pium & salubre Decretum de Conceptione Beatæ Virginis.*

R. Tametsi Basileense Concilium tunc Œcumenicum non fuisse sentiam, cum Decretum edidit de Immaculata Deiparæ Virginis Mariæ Conceptione; illud tamen Decretum *pium & salutare* merito vocavi, quod piam & Ecclesiasticam sententiam de Immunitate Sanctissimæ Virginis Matris Dei ab originali peccato promovit, adeoque firmavit, ut Academia Parisiensis in juramento quo suos alumnos ad ejus defensionem adstringit, Decretum illud commemoret; illudque laudet ac inviolabiliter observari jubeat Avenionense Concilium anno 1457. celebratum Præside *Petro de Foxo* S. R. E. Cardinali, Episcopo Albanensi, & Avenionensi Legato. Decretum illud per se spectatum nemo *pium & salutare* esse negaverit, nisi publicæ pietatis & devotionis Fidelium erga Deiparæ Virginis Immaculatam Conceptionem hostis. Piam tamen illam opinionem Dogma Fidei esse, nec scripsi, nec censeo, nec ut talem definivit Synodus Basileensis.

SCHOLION XVI.

Eumdem Articulum, Num. 18. pag. 480. his verbis perstringunt Religiosi Censores: *Laudat Legatos Basileensis Concilii.*

R. Quidni laudentur viri in multis laude digni, ob eruditionem, eloquentiam, in rebus agendis industriam, zelum, &c. Licet ob nimium forte propriæ sententiæ amorem reprehensioni obnoxii? Legatos tamen illos eo in loco non laudo, sed suis dumtaxat nominibus appello.

SCHOLION XVII.

Eumdem Articulum, Num. 19. pag. 484. spectat Censoria hæc animadversio: *Nota censuram propositionis quartæ.*

R. Propositio quarta Oratorum Eugenii IV. ad Principes Germaniæ contra Basileense Concilium hæc erat: *Papam omnibus Christianis præesse, & ita Concilio Generali, ut illi potestatem tribuat.* De hac propositione ita censeo: *Prima pars propositionis Dogma Fidei est:* Romanum scilicet Pontificem Christianis omnibus præesse: *Altera error est Scripturæ Sacræ & Traditioni contrarius*; scilicet Summum Pontificem ita præesse Concilio Generali, ut illi potestatem tribuat. Præest quidem Episcopis in Concilio Generali congregatis, ut *membris caput*; sed non ita præest ut Concilio tribuat auctoritatem. Illam enim immediate a Christo habet Generale Concilium, ex quo legitime convocatum & congregatum est in Spiritu Sancto, cum Ecclesiam universalem repræsentet, cujus auctoritas & potestas non est a Romano Pontifice, sicut nec Summi Pontificis auctoritas ab Ecclesia, sed a Christo immediate accepta est. Ita censet *Dominicus Soto*, Tridentini Concilii celeber Theologus in quartum Sententiarum Dist. 29. Quæstione 1. Articulo 4. *Qui a parte Concilii pugnant*, inquit, *dicunt Papam a Concilio recipere potestatem; Cardinales vero citati Turrecremata & Cajetanus e converso, quod Concilium illam recipit a Papa. Sed certe utrumque (at sub correctione Ecclesiæ & peritiorum dixerim) falsum apparet. Prior enim opinio fortis est oppugnata, sed nec posterior censetur vera: quoniam Episcopi, & qui legitime sunt personæ Concilii legitime congregati, præsidente Papa aut ejus Legatis, eo ipso quod sunt Episcopi, per se habent, dum publica auctoritate congregantur, auctoritatem Ecclesiæ, sicut Senatores in Senatu. Quare nulla alia indigent Papæ auctoritate, nisi quod ipse sit Præses, tamquam caput: Non quod illi Episcopi sint tamquam Procuratores totius Ecclesiæ recipientes auctoritatem a toto populo, sed per auctoritatem Episcopalem, quam a Christo susceperunt, dum publico nomine habent auctoritatem; quibus Spiritus Sanctus, ut errare nequeant, assistit ..... Non ergo aliter Concilium habet auctoritatem a Summo Pontifice, quam quod Episcopi creantur ab ipso; & e contrario, si aliqua ratione Concilium est supra Papam, non est quod ipse a Concilio ullam recipiat auctoritatem, sed quia omne membrum, etiam caput, est pars totius; & ideo tenetur stare Decreto & Sententiæ totius.* Hæc Dominicus Soto.

SCHOLION XVIII.

Articulum sextum, num. 15. pag. 507. his verbis perstringunt Religiosi Censores: *Quasdam declarationes Academiarum vocat oracula.*

R. Responsa ex sacris literis & Traditione data, seu quæ ad regulas illas divinas diriguntur, quidni Oracula dicere liceat? Oracula sunt Sapientum, Oracula metaphorice, non proprie. Est enim Oraculum proprie Numinis responsum, sive sermo instinctu & afflatu divino editus; at improprie oracula vocantur & rescripta Principum, passim in codice, & sapientum dicta, virorumque eloquentissimorum orationes: unde Ciceronianum illud: *Ex oraculo dicere*. Denique Academiarum celeberrimarum declarationes Oracula non vocavi eo sensu quo Generalis Concilii & Sedis Apostolicæ definitiones & decreta oracula vocantur, quasi Spiritus Sanctus per os Doctorum eo modo loquatur, quo modo loquitur per os Conciliorum vel Summorum Pontificum proponentium fidelibus omnibus quid credere debeant EX CATHEDRA, *in qua S. Petrus vivit & præsidet, & præstat quærentibus Fidei veritatem*, ut loquitur S. Petrus Chrysologus.

Responsa Theologorum & Academiarum declarationes in his quæ ad sacram doctrinam pertinent, non sunt auctoritatis inconcussæ, sicut nec Jurisperitorum responsa in controversiis Juris. Juris quæstiones finit auctoritas Principis, qui sensum legis pro potestate exponit: ita quæstiones fidei, & sacri juris pro potestate finiunt Concilium vel Summus Pontifex & *Ecclesia Romana fidelium omnium Mater & magistra, in firmissima Petri Christi Vicarii confessione fundata, ad quam velut ad universalem regulam catholicæ veritatis pertinet approbatio & reprobatio doctrinarum, declaratio dubiorum, determinatio tenendorum, & confutatio errorum*, ut loquitur Ecclesia & Academia Pari-

Pari-

Parisiensis, sive *Stephanus* Parisiensis in Literis pro *S. Thomæ Aquinatis* doctrina vindicanda editis de consilio venerabilium virorum Decani & Capituli Parisiensis & Venerabilis P. D. Guillelmi Archiepiscopi Viennensis, Sacræ Theologiæ professoris, aliorumque XXIII. Magistrorum in Theologia, nec-non triginta-novem Baccalaureorum, anno millesimo tercentesimo-vigesimo-quarto.

SCHOLION XIX.

In eodem Articulo, num. 11. pag. 509. Religiosi Censores hanc propositionem notant: *Papa in quantum summus Pastor, non est ab Ecclesia in Concilio judicandus: sed propter delictum, ratione cujus sit inferior.*

R. Non mea, sed *Dionysii Carthusiani* verba sunt in lib. *De auctoritate Papæ & Generalis Concilii*, Articulo 10.

SCHOLION XX.

Eumdem Articulum, num. 13. pag. 510. petit animadversio ista Indiculi Censorii: *Valde nota quæ dicit de Tostato, qui scripsit pro Auctoritate Concilii, cujus omnia Opera non sunt prohibita, neque judicatus est Episcopatu indignus.*

R. Facti & Historiæ res est.

SCHOLION XXI.

Dissertationis ejusdem Articulo 7. pag. 523. Religiosi Censores has propositiones notant: *Graves erant præsumptiones contra Eugenium . . . Concilium erravit in facto.*

R. In quo positæ fuerint præsumptiones illæ, quæ viros doctissimos & integerrimos affecerunt, ac moverunt, continenter explico, quod nimirum Synodum œcumenicam absque ejusdem consensu dissolvisset, ejusque decretis parere recusasset. Quid autem de illis præsumptionibus sentiam, patet ex eo quod ibidem assero & propugno, *Innocentem fuisse Eugenium quartum, nec justam fuisse ejus exauctorationem, nec Felicis Lausanicam electionem*, & Synodum Basileensem in facto errasse. Synodum etiam Basileensem jure tandem dissolutam & translatam censeo: unde Florentinum Concilium ut œcumenicum agnosco & veneror.

SCHOLION XXII.

Ejusdem Articuli pagina 521. Religiosi Censores hanc propositionem notant: *Gallia omnia Decreta Concilii Basileensis suscepit, præter depositionem Eugenii.*

R. Meræ facti quæstio. Non ita tamen scripsi: sed *Rex Carolus VII. Basileense Concilium legitimum semper agnoverat, Decreta illius omnia, præter ea quæ Eugenii depositionem spectabant, vel ad eam tendebant, approbaverat & susceperat.* Id ex Comitiis Bituricensibus sub Carolo VII. anno 1438. habitis certum est. Vir clarissimus *Franciscus Feu* Doctor Theologus Parisiensis & Parochiæ SS. Gervasii & Protasii in Regia Urbe Pastor, in Tractatu Theologico *de Peccatis*, nuper edito, Quæst. 4. Art. 2. loquens de Synodi Basileensis Decreto pro Conceptione Immaculata Deiparæ Virginis edito Sessione trigesima-sexta, Synodum Basileensem tunc etiam œcumenicam fuisse propugnat: *Non est*, inquit, *potior ratio, cur posterioribus illis Sessionibus detrahatur obsequium, quam prioribus; alioquin nihil certa auctoritate definitum erit apud Catholicos; sed apud eos valebit hoc Tichonii Donatistæ effatum:* QUOD VOLUMUS APUD NOS SANCTUM EST. *Eadem enim est Synodus, eodem Spiritu Sancto Auctore continuata, indesinenter Ecclesiæ commodis & doctrinæ integritati consulens; cui, ut Oecumenico Concilio, in omni parte accessit Ecclesiarum, præsertim vero Gallicanæ consensus.* Hæc Vir Doctissimus, cui hac in re non assentior; Synodum enim Basileensem post vigesimam-quintam Sessionem, & maxime postquam Translatio Concilii Ferrariam ab Eugenio facta promulgata est, & Eugenii Quarti Legati secesserunt cum Patribus qui ipsi Eugenio adhærebant & ejus Decreto obtemperabant, ex quo denique in Summum Pontificem agere cœpit, œcumenicam esse desiisse censeo, & probavi Articulo 3. num 61. ipsique in omni parte accessisse Ecclesiarum consensum falsum est, cum Hispaniæ, Germaniæ, & Italiæ Ecclesiæ contra omnia in Basileensi Concilio post vigesimam quintam Sessionem gerenda aperte reclamaverint, nec illam deinceps pro œcumenica habuerit Ecclesia Romana cæterarum mater & magistra, nec Summus Pontifex Ecclesiæ Caput: Nec possit dici, *Bene gesta Synodus, quam Sedes Apostolica non comprobavit*, ut scribit *Gelasius I.* ad Episcopos Dardaniæ.

SCHOLION XXIII.

Eumdem Articulum, num. 5, pag. 533. petit Censoria hæc Animadversio. *Pro magno argumento concludit, non fuisse Schismaticum Concilium, quia alias Carolus VII. fuisset Schismaticus. Quid si id concederetur?*

„ R. Hæc una & præcipua ratio mea non est. Patres, inquam, Basileenses & eorum obedientia, „ non renuebant pertinaciter subesse Romano Pontifici, sed Eugenio ab œcumenica Synodo (ut ipsi „ quidem falso persuasum habebant) legitime exauctorato; & Felici V. quem rite & Canonice electum arbitrabantur, obedientiam exhibebant: Romanam Ecclesiam & Sedem Apostolicam venerabantur, eique adhærebant: De personis tantum lis erat; „ & nihilominus communione jungebantur cum Ecclesia Gallicana & aliis, quæ Eugenium ceu verum „ Pontificem colebant. Schisma igitur perfectum non „ erat ejusmodi dissidium. Nam *Schismatici* proprie dicuntur, *qui propria sponte & intentione se ab Ecclesiæ unitate separant, quæ est unitas principalis.* Quod *S. Thoma* principium est initio Articuli positum. Addidi: *Alioqui & Carolus Septimus Rex Christianissimus schismatis reus fuisset.* Quid inquiunt Censores, si id concederetur? Rationem, quæso, suam consulant Religiosi illi Viri. Carolus Septimus Eugenium quartum & Nicolaum quintum ceu Pontifices Maximos veros & legitimos semper agnovit, coluit, in eorum communione permansit. Ejus Majestati Christianissimæ ob pacem Ecclesiæ restitutam Nicolaus V. gratulatus est, illi plurimum debere Sedem Apostolicam declaravit. Regem cum Ecclesia Romana & legitimis Pontificibus communione conjunctum, & quicum Pontifices legitimi non solum communicaverunt, sed & ejus Majestati ob confectum pacis Ecclesiasticæ negotium se devinctissimos professi sunt, Schismaticum ne dicent Religiosi Censores?

ANIMADVERSIONES in Concilium Basileense.

§. I.

Concilium Basileense nec œcumenicum, nec legitimum est reputandum.

Concilium Basileense œcumenici prærogativa est expoliandum ob exiguum Episcoporum numerum, qui profecto Ecclesiam universalem non poterant repræsentare. Et quidem, si tot fuissent, quot necessarii sunt ad Concilium œcumenicum constituendum, non omisissent Concilii Acta eos recensere, ut ita ex Præsulum numero ac præstantia huic Synodo auctoritas conciliaretur. Secundæ, & tertiæ sessioni septem tantum, vel octo Antistites adfuisse testantur. Eugenius IV. in prima Appendice ad Concilium Basileense num. 65. affirmat Legatum ad se missum a Cardinale Juliano, & PP. Basileensibus retulisse, adeo exiguo numero PP. Basileæ convenisse, ut tot negotiorum ponderi sustinendo impares essent: *Pluribus*, ait, *exactis mensibus, etiam post septennium antedictum, pauci tam Doctores, quam Magistri in dicta Basileensi civitate convenerant, prout percepimus ex relatu dilectissimi filii Joannis Pulchri, ad nos & venerabiles fratres nostros sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales per dictum Cardinalem, Julianum, & eosdem Præsules, & Doctores, & Magistros destinati, asserentisque ipsos propter paucitatem tot tantarumque rerum agendarum moli insufficientes penitus videri.* Idem comperimus ex responso synodico PP. Basileensium dato 6. id. Novemb. 1640. in quo hæc habentur: *Cum tempore primæ dissolutionis prætensæ pacis Prælati essent in Concilio, non numerum quatuordecim excedentes, neque medietas numeri omnium Suppositorum in Concilio haberetur, quæ præmissis actibus interfuit, ipse quoque tam Summus Pontifex objiciebat eidem Concilio numeri paucitatem per literas suas divulgatas in orbem.*

Si illius temporis monumenta pervolvantur, cognoscimus nullum fere Italum Episcopum Basileam processisse, si aliquos male feriatos excipies, cum omnes Pontifici adhæserint. Hispani regnorum Castel-

iæ primis sessionibus non adfuere; dum vero postea advenere, non cogitabant de Papa Concilio subdendo, sed juxta Regis sui mandata, de unitate Ecclesiæ restituenda, ut refert Rodericus Sanctius postea Episcopus Palentinus, qui Basileæ adfuit. Eadem consilia pacis non semper illorum animo insederunt, qui ex Aragonia advenerant, cum modo pro Papæ, modo pro Concilii præstantia decertarent, ut supra adnotavi in Animadversionibus de præstantia Papæ supra Concilium §. ult. dum de Abbate Panormitano sermonem habui. Angli initio saltem Concilii Pontificem sectabantur; unde in Libro inscripto *Antiquitates Britannicæ ad an.* 1413. hæc leguntur: *Proximo etiam anno cum Legati, atque Nuncii ad Papam, ac Basileense Concilium, ut diximus, missi rediissent, Synodus iterum Londini convenit, in qua deliberatum est utrum Eugenium Papam, an Concilium Basileense sequerentur. In qua deliberatione inferior Synodus decrevit, Concilio deserto, esse Papæ adhærendum, cui decreto ob Episcopis etiam assensum est.* Græci nondum advenerant, & postquam advenerunt, Pontifici, non Basileensibus se conjunxere. Ex Germaniæ Prælatis, & cæterarum gentium unus, & alter, ad Synodum accedebant, prout particulares ipsorum rationes eos impellebant. Ex iis facile est conjicere, quot & quales Antistites secundæ adfuerint sessioni, in qua ita renovata sunt decreta Constantiensia, velut si Papam etiam certum Concilii auctoritati submiserint

Sed & illud considerandum, quod quamvis Concilii Acta testentur, deinde Sessioni decimæ septimæ centum Præsules cum Mitris adstitisse, eosdemque interfuisse sessioni decimæ octavæ, in qua decreta sessionis secundæ fuerunt renovata, nihilominus non satis fuisse ad Ecclesiam universam repræsentandam. Cum igitur, qui Concilium constituunt proprie sint Episcopi, unde in Synodo Chalcedunensi dictum est, *Concilium Episcoporum est*, sane illi Prælati mitrati, qui in præfatis sessionibus sederunt, non omnes erant Episcopi, quia & aderant Abbates gestandæ mitræ prærogativa ornati. Deinde, absque eo quod memorem tot Episcopos absentes, qui Basileensium audaciam improbabant, quamplures ex iis, qui aderant, dissensere. Id discimus ex eodem Ludovico Cardinale Arelatense decretorum adversus Pontificis potestatem promotore præcipuo, qui eadem potius inferiorum Clericorum suffragiis tribuit in Oratione contra Panormitanum, ubi hæc habet: *Opus Dei hac vice fuisse arbitror, ut Inferiores ad dicendum reciperentur. Revelavit enim nunc parvulis Deus, quæ sapientibus abscondit. Ubi nunc Conciliorum auctoritas? Ubi reformatio? Nempe omnia libidini Eugenii ac temeritati jamdiu commissa fuissent, victorque nefandissimi propositi sui ille fuisset.* Ita legitur apud Æneam Sylvium de Actis Basileensibus. Turrecremata in responsione ad Basileenses habita in Concilio Florentino, ita exprimit dissensum habitum decretis sessionis 18. *Præsidentes omnes non consenserunt, immo contradixerunt & protestati sunt omni meliori modo quo poterant; licet aliqui eorum non ut Præsidentes, sed ut particulares personæ, quasi violenter, & cum aliter non admitterentur ad præsidentiam, consenserunt.* Id magis explicans in Summa de Ecclesia *lib.* 2. *cap.* 100. hæc habet: *Quod autem universalis consensus in decretis illis Basileensibus non intervenerit patet, tum quia multis Prælatis, & Doctoribus in utroque jure graduatis, sapientia & virtutibus clarissimis non consentientibus edita sunt: quoniam plures eorum attendentes prædicta decreta adversa esse sanctorum Patrum doctrinis, non modo in Deputationibus suis contradixerunt, & reclamaverunt, verumetiam in sessionibus illius Concilii, in quibus talia decreta ad favorem quorumdam hostium Apostolicæ Sedis cum multitudine populi parvi pretii, & nullius auctoritatis publicata sunt, interesse noluerunt.* Videas ergo an illorum decretorum Artifices tot & tales essent, ut universam Ecclesiam repræsentasse dicendi sint.

Dicit quidem P. Natalis *art.* 3. *n.* 44. Turrecrematam falso retulisse Præsidentium dissensum. Verum, cum in Summa de Ecclesia multorum Prælatorum Doctorumque contradictionem iterum adnotet, cumque multos dissensisse conqueratur Cardinalis Arelatensis, ita ut decreta præfata inferiori potius cleri suffragiis adscribat, non video qua ratione dici possit infidelem fuisse Turrecrematam in iis referendis, quæ in Basileensi Synodo acta sunt, eo maxime quod etiam ob sanctitatem a Ciaconio in ipsius vita commendetur.

Frustra proinde Natalis ibidem addit decretis Sessionis 4. & 5. Concilii Constantiensis futiliter opponi ab œcumenico Concilio edita non fuisse, prorsus enim id corruere dicit saltem postquam confirmata sunt in Sessione decima-octava Concilii Basileensis; pro certo etenim habet tunc œcumenicum fuisse legitimumque. An vero œcumenicum tunc esset Ecclesiam universam repræsentans, ex dictis satis compertum est, cum de tot dissidentium Præsulum contradictione ita ex ipso Arelatense constet, ut eadem decreta inferioribus Clericis tribuat.

Altera ratio, ex qua habetur Concilium Basileense Papam Concilio subjiciens non fuisse œcumenicum, ea est quod Pontificii Legati illi non adhæserunt. Porro, ubi Papa indubius in S. Petri Cathedra sedeat, desinit Concilium esse œcumenicum, si illi saltem per suos Legatos consensum non præbeat, utpote quia illi Caput suum deest: quapropter S. Thomas *Opusc. contr. Impugnat. relig. cap.* 4. ait: *Sancti Patres in Conciliis Congregati nihil statuere possunt, nisi auctoritate Romani Pontificis interveniente: atque ut habet Glossa dist. 17. V. generalia Concilia: Universale est quod a Papa vel ejus Legato cum omnibus Episcopis statuitur.*

Hic autem prætereundo an unquam Eugenius IV. decretis Basileensibus adhæserit, solum immorabor in ostendendo edita fuisse, dum Papæ Legati non aderant, ac proinde Oecumenico Concilio non tribuenda. Quod ergo Cardinalis Julianus S. Sedis Legatus non adfuerit secundæ sessioni, in qua primo ita renovata sunt decreta Constantiensia, quasi etiam Papam certum Concilio subdiderint, ex sequentibus demonstratur. Ex Actis MSS. l. 2. habemus quod Cardinalis Julianus *die octava Februarii in Synodali congregatione certis de causis, prout dixit, animum suum moventibus, de Concilii præsidentia se exoneravit.* Sessio autem secunda celebrata fuit 14. Kal. Martii, unde jam Cardinalis Julianus præsidendi munus dimiserat. Et re vera primæ sessioni interfuisse Synodi Acta recensent, non vero dicunt interfuisse secundæ quod non sine magna incuria omissum fuisset, si sua præsentia illius sessionis decreta probasset; majus etenim auctoritatis pondus tunc obtinuissent. Certum deinde est Eugenium ante secundam sessionem Concilium revocasse, ut patet ex ipsius Actis, ac Eugenii diplomatibus illud dissolventibus apud Natalem art. 3. n. 1. sicut ex Eugenii Epistola ad Sigismundum Imperatorem data 15. Kal. Januar. an. 1431. Statim ac vero Julianus Concilii dissolutionem audivit, præsidentiam dimisit, teste Pio II. in suo retractationis Diplomate, ubi hæc habet: *Julianus aderat S. Angeli Cardinalis, natione Romanus, moribus, & doctrina conspicuus. Is cum cæteris præstaret, audita Eugenii revocatione, præsidentiam dimisit, tamquam summo Pontifici vellet obedire.* Et in una ex ipsius Epistolis legitur, *quod visa copia dissolutionis decrevit abstinere a præsidentia, jamque se amplius non intromittebat.* Quamvis proinde Julianus Cardinalis ægerrime ferret Concilium dissolutum fuisse, abstinuit nihilominus a præsidendo ut vidit dissolutionis Constitutionem, quam Eugenium ad eumdem misisse refert etiam Natalis art. 3. n. 1. Hinc jam an. 1431. Basileæ revocationem Concilii innotuisse, adeoque longe ante secundam sessionem habitam mense Martii 1332. refert ex Æneæ Silvii testimonio Didacus Payva, cum dicat jam ab an. 1431. invenisse editum decretum de Concilii revocatione: *Eugenium vero*, ait Payva, *in primo aditu vestibuloque Concilii, atque adeo ante decreti illius promulgationem Synodum dissolvere non modo in animum induxisse, ut nonnulli arbitrantur, sed etiam interposita decreto effecisse, affirmat Pius II. Æneas Silvius antea dictus, qui se, inquit, Basileam venisse cum Dominico Capranica Cardinali an. 1431. ibique invenisse inchoatum Concilium, verum ab Eugenio jam revocatum, quamvis congregati nollent obedire.* Scio post sextam sessionem, efflagitantibus vehementer PP. præsidentiam reassumpsisse, ita tamen ut sibi liberum esset eumdem dimittere, ac eo tempore ad Concilium supra Papam extollendum intendisse. Verum tunc sane non erat S. Sedis Legatus, utaque adnotandum mutasse postea consilium, ut dixi in Animadversionibus de Papæ præstantia supra Concilium §. II.

Sicut Pontificii Legati non adfuerunt secundæ sessioni, quando Papam indubium Basileenses Concilio subdidere, ita nec sessioni decimæ-octavæ adstitere, quando eadem decreta fuerunt renovata; nam ut videbimus infra, quidam ex Pontificiis Legatis abfuerunt, alii non ut Præsides, sed ut privatæ personæ subscripserunt. Restat ergo etiam ex hoc capite, ex defectu nempe Legatorum Romani Pontificis Basileense Concilium dici non potuisse œcumenicum,

saltem

saltem dum præfatas sessiones celebravit, præscindendo modo ab ea quæstione an œcumenica pro aliquo tempore potuerit nuncupari, Videamus an legitimi Concilii rationem obtinuerit.

Legitimum profecto illud dici non potest Concilium, in quo libera non sunt suffragia, sed omnia ex quorumdam furore ac rabie in Sedem Apostolicam peraguntur. Ita autem potissimum in stabiliendis decretis contra Papæ auctoritatem in Synodo Basileensi factum esse testatur Turrecremata supracitatus, qui refert a furore hostium Sedis Apostolicæ dimanasse, unde ita subdit: *Nullus sanæ mentis vir, qui novit cum quanta gravitate & modestia fidei causæ tractandæ sint, judicabit esse universalis Ecclesiæ consensu conclusa, & a Spiritu S. dictata, in quibus hujusmodi factiones & practica intervenerunt.* Æneas Sylvius in Oratione habita an. 1455. adversus Australes, quamque vulgavit in suis Anecdotis præclarissimus Muratorius tom. 1. refert in Synodo Basileensi quædam decreta ipsis Coquis perstrepentibus facta fuisse: *Inter Episcopos ait cæterosque PP. conscriptos vidimus in Basilea Coquos & stabularios orbis negotia judicantes. Quis horum dicta vel facta judicaverit legis habere vigorem?* Illi consentit Turrecremata supra citatus; qui asseruit decreta Papæ auctoritati adversantia publicata fuisse *ad furorem quorumdam hostium Apostolicæ Sedis cum multitudine populi parvi pretii, & nullius auctoritatis.* Idem Æneas postea Pius in Bulla retractationis asseruit Cardinales, qui Basileam venerant, ob privatas inimicitias bono & sancto viro Eugenio notam inurere voluisse; ac multos doctissimos viros unaque sanctitate præstantes dixisse, scire se Basileenses Spiritum S. non habere. Qua vero ratione inimici essent Eugenii refert Turrecremata apud Natalem art. 4. nu. 7. ac puto Natalem gratis dicere Turrecrematam deceptum fuisse cum de his simultatibus, etiam ipse Pius, qui in minoribus constitutus Basileæ aderat testetur. Quoad sanctitatem vero Cardinalis Arelatensis, ob quam inverisimile putat P. Natalis Eugenii hostem fuisse, consule quæ §. ultimo perpendam.

Sed & ipse Eugenius libera non fuisse suffragia in Concilio Basileensi asseruit 3. Idus Febr. an. 1431. in sua Bulla ad Archiepiscopum Coloniensem, quando prima tantum sessio fuerat celebrata: *Plerique*, ait, *stare & accedere sunt coacti, in quibus nec vis, nec potestas Concilii generalis consistit, quorum voces & deliberationes minime sunt liberæ, cum ab eorum qui compulerunt, voluntate dependeant. Itaque digni non sunt, neque habiles, qui legem dent Ecclesiæ.* Expressius vero in Bulla translationis Concilii ad civitatem Ferrariæ conqueritur de suorum æmulorum tyrannide; de Joannis Archiepiscopi justa exposcentis, post alias minas, ac vim adhibitam, incarceratione; de percussionibus illatis ejusdem Archiepiscopi Procuratori, quem violenter & inhoneste per capillos ad carcerem trahere conati sunt &c. Ac tandem asserit ambitionem, furorem, ac potentiam in Synodo Basileensi invaluisse. Legitima ne ergo hæc Synodus fuit nuncupanda?

Ex illius etiam temporis historia discimus ex odio in summum Pontificem multa patrata fuisse. Dominicus namque Capranica Basileæ nullum non movebat lapidem adversus Pontificem, cum vehementer fureret, denegante illi purpuram Eugenio, quam Martinus contulerat. Turbandis item rebus non parum studebat Cardinalis S. Eustachii, ut ita quam sibi Synodus Comitatuum Avenionensis & Venusini præfecturam contulerat, tueretur. Dux Mediolanensis ab ipso Eugenii Pontificatus exordio eidem infensus, non desinebat Patres adversus ipsum concitare; & quamquam per aliquod tempus pacem cum ipso iniisset, rupit tamen, & solum desiit nocere, dum morte fuit sublatus, ut testatur S. Antoninus 3. p. *tit.* 22. *cap.* 11. §. 27. Urgebantur etiam Basileenses PP. literis Legatisque Alfonsi Aragoniæ regis, quia timebat Eugenium, potius quam sibi, Renato Ludovici Andegavensis fratri regnum Neapolitanum defuncta Joanna II. concessurum. Ipsi accesserant Carolus Galliæ Rex, & Dux Sabaudiæ. Merito ergo, ut supra adnotavi, viri doctrina & sanctitate præstantes dixerunt, PP. Basileenses Spiritum S. non habere auctorem. Et S. Antoninus 3. *p. tit.* 22. *cap.* 10. §. 4. dixit Concilium Basileense fuisse Synodum viribus cassam, synagogam Sathanæ, temerarium & præsumptuosum conventum. S. Jo. de Capistrano *de Pap. & Conc. auctor. p.* 3. appellavit Synodum profanam, excommunicatam, interdictam, Basiliscorum speluncam, Dæmonum catervam. Episcopus Meldensis Caroli VII. ad Eugenium Legatus apud Raynal. ad annum 1441. nu. 10. vesanam nuncupavit. Synodus Florentina sessione habita an. 1439. prid. Non. Septemb. damnavit ac reprobavit declarationes Basileenses tamquam impias, scandalosas, in manifestam Ecclesiæ scissuram, ac omnis Ecclesiastici ordinis confusionem tendentes. Concilium demum Lateranense sess. 11. Synodum Basileensem ut conciliabulum schismaticum, seditiosum, & nullius auctoritatis agnovit. Quis modo dicat legitimum fuisse Concilium, quod quia in eo vis, rabies, furor dominabantur, dæmoniacum, serpentinum, vesanum &c. meruit nuncupari?

Fortasse aliquibus placebit respondere, hujusmodi evasisse Synodum Basileensem, postquam sessione 25. Eugenii depositionem decernere ausa est. Verum si antea legitimum fuit, ac sacrosanctum, ita ut ipsius decreta a legitima potestate dimanaverint, cur tempora non distinxerunt, qui illud tam improbarunt? Sed nonne illegitimum, ac seditiosum reputarunt, etiam dum decreta adversus Papæ omnibus supremam auctoritatem publicavit? Vidimus ex Turrecremata edita fuisse contradicentibus multis Prælatis, & Doctoribus, sapientia & virtutibus, clarissimis, perstrepente multitudine populi parvi pretii ut publicarentur. Æneas Sylvius in Oratione citata ad Australes de eisdem loquens decretis ait: *Quæ fiunt extra ordinem, intempestive, temere, tumultuarie, neque jus pariunt, neque vim consuetudinis afferunt.* Libera ne ergo fuerunt suffragia? Legitime ne ergo sancitum fuit Concilio Papam subesse? B. Albergatus, teste Sigonio in ipsius Vita cap. 13. *Cum audisset quæ in contemptum Apostolicæ Sedis Basileenses decrevissent, Vir antiquæ probitatis exarsit, atque graviter eorum facta increpuit, & ut in auctoritate summi Pontificis permanerent, admonuit.*

Verum quam maxime Synodus Basileensis a legitimarum numero est eradenda, ab eo tempore, quo inter fidei capita habuit Concilium Papæ superesse; cum etenim intolerabilis sit error id asserere, non dimanasset utique a Synodo, quæ legitima auctoritate fulta dicenda esset. Quod igitur præstantiam Concilii supra Papam tamquam fidei articulum decreverint, habemus ex illa Synodali, cui initium *Rem gravissimam &c.* & ex responsione data Principum Oratoribus an. 1439. quæ incipit: *Audiat vestra Charitas*, in qua hæc habentur: *Dum prima hujus Synodi dissolutio fuerit perpetrata, responsum extitit Oratoribus ipsius summi Pontificis in responsione synodali, in qua septem Cardinales aderant, & Legatus Apostolicus præsidebat: Hic articulus*, nempe de præstantia Concilii supra Papam, *fidem concernit, qui sine interitu salutis negligi non potest: maluimus mori quam tanto errori per ignaviam cedere.* Sicut ergo Martyres pro fidei veritatibus tuendis merito vitam prodegerunt, ita PP. Basileenses mori parati erant pro tuenda Concilii supra Papam auctoritate, quia nempe hic articulus fidem concernebat.

Quod vero inter veritates fidei hunc articulum recensendo solemnissime PP. Basileenses erraverint, evidentissime apparet ex iis, quæ dixi in Animadversionibus post Concilium Constantiense, ubi Papæ supra Concilium auctoritas demonstratur. Et re vera hujusmodi sententia tam apud Catholicos erat communis, ut dicere oporteret Jesum Christum permisisse Ecclesiam in errorem labi, si esset error Fidei oppositus, Concilium Papæ subdere.

Hinc numquam satis mirari potui, quod Bossuet innixus decretis Concilii Constantiensis, & Gersonis auctoritati *in Defens. Declarat. Cleri Gallicani l.* 10. *c.* 19. inter fidei dogmata reponat, quod Concilium Papæ superstet. Hucusque progressus non est Natalis, nec progressus fuisset Bossuet, si animadvertisset fidei dogma a se stabiliri super decretum quod merito dici potest a Concilio œcumenico non prodiisse, & Papam dubium respexisse, ut ex tot rationibus asserui in Animadversionibus supra citatis. Puduisset etiam inter fidei dogmata præstantiam Concilii supra Papam locare, si observasset ipsum Gersonium fassum esse pro hoc stabiliendo non alios consulere potuisse, quam SS. Thomam, & Bonaventuram, ipsorumque mentem non fuisse assecutum; ac insuper ita spretam Gersonii doctrinam, ut etiam post Concilium Constantiense a non paucis habiti fuerint hæretici, qui Papam Concilio subjiciebant, ut narrat ipse Gersonius, §. II. citatus. Id neque negare ausus est Jacobus de Paradiso, quem refert Bossuet *cap.* 55. conquerebatur etenim suis temporibus *frontose* dogmatizari in quolibet Papa residere plenitudinem potestatis, non solum super quolibet membro singularis Ecclesiæ, sed & super totam Ecclesiam singulariter congregatam ad libitum ipsius disponendi, decretandi

dissol-

dissolvendi &c. Dogmatizabatur itaque Papam universæ Ecclesiæ esse superiorem, & hoc utique non ab hæreticis, sed a catholicis, atque ab iis catholicis, qui pro fidei incolumitate decertare putabant: caput ne ergo fidei putandum erat quod Papa Concilio subderetur? Ut vero semper magis ediscas quam perperam Jacobus a Paradiso dixerit *frontose* dogmatizari Papæ auctoritatem super totam Ecclesiam in Concilio congregatam, iterum consulas Animadversiones post Concilium Constantiense appositas; atque ultra rationum momenta, expendendi etiam sunt §. 10. & 11. qui ita dogmatizaverint.

Demum ut numquam legitimum fuisse dicam Concilium Basileense, sat mihi est ipsum Natalem fateri *art.* 5. legitimum esse desiisse postquam Ferrariam translatum est. Si igitur cum Natale diceremus Concilium esse Papa superius, male inferremus legitimi prærogativa exutum, quia post præfatam translationem non amplius Eugenius illi adhæserit. Ubi Papa inferior & subditus Concilio habeatur, nil valet in istud decernere, neque illi auctoritatem adimere. Sed neque post eamdem translationem ex PP. numeru illegitimum posset ex Natale haberi; si etenim legitimum fuisse agnovit, dum secundam & tertiam sessionem celebravit, quando ex dictis supra tam pauci aderant Antistites, multo magis legitimum dicendum est, post Sessionem vigesimam-quintam, quando plures numerabantur, quod & ipsi Basileenses publicarunt in Epistola Synodali ad universos Christi fideles cujus initium: *Granda periculum*. Ibi asserunt *tempore primæ dissolutionis fuisse paucos Prælatos, neque medietatem numeri omnium suppositorum in Cantelia habitam esse, quæ præmissis actibus interfuit*. Neque ante translationem dici potest fuisse legitimum quia tunc viri doctiores ac rerum Ecclesiasticarum peritiores Basileæ adessent, qui convenient definiendorum dogmatum examen aggredi valerent; ut habetur etenim in Eugenii Epistola ad Regem Sigismundum, quæ legitur in Appendice Concilii Basileensis edit. Venetæ: *Erat propter numeri parvitatem tot tantarumque rerum peragendarum mole insufficientes penitus, & inhabiles*. Si proinde Papam Concilio subditum agnoscamus, Concilium Basileense vel semper, vel numquam fuit legitimum.

§. II.

Vel considerentur quæ gessit Eugenius fere ab ipsius initio Concilium Basileense dissolvendo, vel quæ gessit ipsius dissolutionem revocando, semper apparet numquam approbasse decreta Concilium supra Papam efferentia.

Dissoluto per Papam certum Concilio non amplius legitimum perseverare hic loci supponendum potius est, quam probandum, ac proinde decreta postea edita nullam habere auctoritatem. Hanc fuisse Ecclesiæ regulam habemus ex Socrate *l.* 2. *hist. cap.* 5. & Nicephoro Callisto quamvis Schismatico *lib.* 9. *cap.* 5. & 6. Unde Sozomenus *l.* 2. *c.* 9. ait: *Legem esse ad Sacerdotii dignitatem spectantem, quæ pronunciat acta illa irrita esse, quæ præter sententiam Episcopi Romani constituuntur*. Et Nicolaus I. Ep. 7. ita ait: *in universalibus Synodis, quid ratum, vel quid prorsus receptum, nisi quod Sedes B. Petri probavit, ut scitis, habetur. Sicut e contrario quod ipsa sola reprobavit, hoc solum modo consistit hactenus reprobatum*. Si igitur ab ipsius Concilii Basileensis exordio ut ipse narrat P. Natalis art. 3. Eugenius idem Concilium ob causas ibi recensitas dissolutum pronunciavit, omni robore destituta credenda sunt, quæ postea adidit decreta, nisi appareat postea eadem probasse, Concilii dissolutionem revocando.

At primo nihili habenda videtur hujusmodi dissoluti Concilii revocatio, utpote gravissimo injusto metu extorta seu emanata absque eo quod satis Eugenio innotuissent, quæ continebantur in Bulla, qua ipsius dissolutionem rescidit: *Ut fertur*, ait Turrecremata l. 2. c. 100. *Andreas Donatus Dominii Venetorum tunc Orator, & aliqui Domini Cardinales tunc apud Eugenium præsentes timentes futurum magnum scandalum in Ecclesia, minati sunt præfato Domino Eugenio, quod nisi Bullas illas adhæsionis conderet, ipsum solum recedentes relinquerent. Unde præfato Domino in lecto decumbente, præfati Domini referuntur Bullas illas taliter qualiter expedivisse, & misisse Basileam*. Nec tefert respondere cum Natale art. 3. n. 41. Turrecrematam hæc ex incertis vagisque rumoribus narrasse, nam, in utraquamquod judicandum de tanto viro non sit literas tradidisse quæ nullo inhærerent fundamento; illorum temporum circumstantiæ vera esse suadent quæ de vi Eugenio illata & quod ipso quodammodo nesciente Constitutio dissolutionis revocatoria dimanaverit, refert Turrecremata. Et quidem quod Papa ærumnis morboque confecto, potuerit præfata Constitutio prodire absque eo quod de eo quod in ea continebatur certus satisfieret, conjicere datur, quia etiam prolixiores illæ literæ sessione 16. recitatæ ad universos Christi fideles in sui defensionem inscriptæ Eugenio suppositæ fuerunt ex Spondano ad an. 1433. n. 23. & 24. Si deinde consideretur schisma jam pene conflatum fuisse, eosque etiam, qui Eugenio adhærebant, defectionem minitati, si Basileensibus non annuisset; domi forisque arma perstrepisse; Romam in alterius ditionem transisse; Principes omnes Eugenio infensos, si Sigismundus Imperator excipiatur, qui adhuc pendulus hærebat, omnes judicabunt nonnisi gravissimo metu urgente, tandem Eugenium Basileensibus concessisse, quæ eidem Sigismundo aliisque toties denegaverat, unde hic cum Magno Athanasio Epist. ad solit. vit. agent. dici potest: *Non est censenda ejus sententia, quam minæ & terrores extorserunt, sed ea, quam protulit, cum liberos haberet affectus*.

Addit P. Natalis quod etsi Eugenius terrore compulsus literas Basileense Concilium confirmantes & approbantes dedisset, non proinde irritas judicandas; neque etenim quæ fiunt ex metu, suo exuuntur valore, quoties metus ad proprium peragendum officium impellat. Hæc tamen responsio ex iis quæ in superiore paragrafo dicta sunt statim corruit; cum etenim Basileæ omnia fierent, ex quadam rabie & furore, maxime adversus Papam, ipsiusque auctoritatem, non est unde dicere debeamus Eugenium Basileensibus adhærere debuisse, ne suo muneri deficeret.

Sed demus Eugenium liberrime Concilii dissolutionem revocasse, Bullas & diplomata adversus Concilium Basileense edita *nulla & inania* voluisse, Concilium legitime inchoatum, legitimeque continuatum pronunciasse, forte-ne dicere cogeremur decreta Pontificis supremam potestatem deprimentia confirmasse? Aliud sane est Concilium verum legitimumque appellare, aliud omnia ab ipso sancita probare. Concilia Constantinopolitanum I. Chalcedonense, & Constantiense inter legitima recensentur, nec tamen verum est summos Pontifices Leonem, Pelagium, Gregorium & Martinum omnia præfatorum Conciliorum decreta firma voluisse. Potuit ergo & Eugenius Basileense Concilium legitimum appellare, absque eo quod exinde inferre necesse sit omnia ab eo gesta tamquam legitima suscepisse. Dicendum deinde Eugenium Basileensis Concilii dissolutionem sub ea conditione revocatam voluisse, ut acta contra suæ Cathedræ potestatem rescinderentur. Ita testatur Turrecremata *Sum. de Eccl. lib.* 2. *cap.* 100. his verbis: *Data promissione a Synodo, & securitate a Principibus, quod Apostolicæ Sedis honor, & Sanctitatis suæ illibatus servaretur, mutavit sententiam, & voluit dissolutionem factam pro bono pacis Ecclesiæ nullam habere, nec habuisse firmitatem, revocans illam ac irritans*. Sed & legatur Constitutio, cujus initium: *Dudum &c.* quam Eugenius dedit ad Concilium Basileense restaurandum. In ea ita Bulla dissolutionis revocat, *ut omnia & singula*, ait Eugenius, *contra auctoritatem nostram facta & gesta, per dictum Concilium prius omnino tollantur, & in pristinum statum reducantur*. Cum proinde Basileam misisset Archiepiscopum Spalatensem, ut peteret revocationem eorum, quæ contra suam personam, auctoritatem, ac libertatem, & Apostolicam Sedem in eodem Concilio *facta & gesta fuerunt*, concedit PP. Basileensibus Concilium in pristinum Statum restituere, velut si numquam fuisset dissolutum, in eventum revocationis prædictæ, ut videre est apud Harduinum, ubi agit de Concilio Basileensi col. 1587. Alteram addidit Eugenius conditionem, ut Concilium Basileense pro dissoluto habendum non esset, quod nempe præsidentes ab eo deputati *ad præfati Concilii præsidentiam cum effectu admitterentur*. Cum proinde PP. Basilaenses conditiones non adimpleverint, a quibus pendebat dissolutionis Concilii revocatio; neque etenim decreta Papam Concilio subjicientia cassa voluere, neque Pontificis Legatos *cum effectu* ad præsidentiam admiserunt, ut ex sequentibus videbimus, dicere necesse est numquam Concilium in pristinum statum fuisse ab Eugenio restitutum, neque legitimi Concilii auctoritatem obtinuisse. Videamus modo, an Eugenius expressius se non probare decreta Basileensia dixerit, immo rejicere ac respuere.

Vere igitur ea non probasse decreta, quibus Concilium

cilium fupra Papam extollebant, teftis eft Turrecremata *l. 2. Sum. Cap.* 100. ubi ita ait: *Licet Bafileenfes enim maximo ftudio repetitis vicibus fupplicaverint per Oratores, ut Dominus Eugenius eorum decreta approbaret, & confirmaret, numquam tamen talem approbationem & confirmationem habere ab eo potuerunt.* Ibidem etiam teftatur Eugenium in Concilio Florentino, ubi ipfe Turrecremata aderat, de progreffu Concilii Bafileenfis ita effe loquutum: *Nos quidem progreffum Concilii approbavimus, volentes ut procederet, ut inceperat, non tamen approbavimus ejus decreta.* In Epiftola vero ad Francifcum Fofcarenum Venetorum Ducem, apud Raynaldum ad ann. 1433. num. 19. ita fcripfit: *Totius hanc apoftolicam dignitatem, & vitam infuper pofuiffemus, quam voluiffemus effe caufam & initium, ut Pontificalis dignitas, & Sedis Apoftolicæ auctoritas fubmitteretur Concilio contra omnes canonicas fanctiones: quod numquam antea, neque aliquis noftrum prædecefforum fecit, neque ab illo extitit requifitum.* Obfervandum demum quod cum Fridericus Romanorum Rex ac Imperii Electores apud Eugenium pro confirmatione [decretorum Bafileenfium inftarent, quia crederent ita fchifma omnino abolendum, anno 1445. 11. Kalendas Augufti Eugenius fcribendo ad fuos Legatos in Germania degentes inter alia hæc habet: *Cum Romanorum Imperator, & S. Romani Imperii Electores per fuos Nuntios nobis infuper expofuerint ad fubortum fchifma extinguendum maxime convenire, ut auctoritas generalium Conciliorum manuteneatur & conferventur — Nos ipforum Regum & Electorum fupplicationibus inclinati ad imitationem SS. PP. & Prædecefforum noftrorum, ficut illi generalia Concilia veneravi confueverunt, fic Generalia Concilia Conftantienfe, & Bafileenfe ab ejus initio, ufque ad tranflationem per nos factam abfque tamen præjudicio juris, dignitatis, & præeminentiæ S. Sedis apoftolicæ, ac poteftatis fibi, & in eadem canonice fedentibus conceffæ cum omni reverentia & devotione fufcipimus, complectimur, & veneramur.* Profitetur hic Eugenius fe fufcipere Concilia Conftantienfe & Bafileenfe, ficut fui Prædeceffores Concilia generalia fuerant venerati: at in Epiftola citata ad Fofcarenum dixit nullum ex fuis prædecefforibus auctoritatem Sedis apoftolicæ Conciliis fubmififfe. Sed & ne aliquis credere poffet probaffe decreta Bafileenfe Papam Concilio fubmittentia, ait fe admittere Bafileenfia Concilium, non tamen ea quæ *juri, poteftati, ac præeminentiæ* Apoftolicæ Sedis præjudicium inferrent.

Numquam Pontifices fæpememorata decreta Bafileenfia probaffe, ex eo etiam dignofcitur, quod eifdem numquam adfuerunt ipforum Legati, quibus perfpecta erat mens eorumdem Pontificum. Non adfuiffe igitur Legatum Pontificis, quando primo feffione fecunda ea decreta emanarunt, conftat ex iis quæ fuperiore §. adnotavi. Cum vero feffione 18. eadem decreta innovanda fuiffent, Legati eifdem contradixerunt, & qui poftea fubfcripferunt, non ut Pontificis Legati, fed ut privatæ perfonæ ac nomine proprio id præftitere: *Præfidentes omnes*, ait Turrecremata in refponfione ad Bafileenfes in Concilio Florentino recitata, *non confenferunt, immo contradixerunt, & proteftati funt omni meliori modo quo potuerunt. Licet aliqui eorum non ut Præfidentes, fed ut privatæ perfonæ, & quafi violenter, cum aliter non admitterentur ad præfidentiam, in revocationem illam confenferunt:* Eadem repetit *in Sum. de Eccl. c.* 100. In Actis vero MSS. l. 8. ita legitur: *A Promotore Concilii requifiti Cardinalis S. Crucis, Tarentinus Epifcopus, & Abbas S. Juftinæ Papæ Præfidentes, ut dicerent, fi placeret eis feffioni decimæ octavæ intereffe, quia Domini expectarent, organo Tarentini refponderunt, fe pro tunc occupatos cum Ambafiatoribus Venetorum. Et nihilominus, dum tractaretur de eorum admiffione ad præfidentiam, quod inter Dominos de Concilio & eos fuerat concordatum, quod hujufmodi feffioni de innovatione intereffe minime tenerentur.*

Eugenius infuper aperte improbavit decreta Bafileenfia; unde Panormitanus in Conventu Bituricenfi, ut refert Auguftinus Patricius in Hiftoria Concilii Bafileenfis, de duabus conclufionibus Concilio etiam fupra Papam poteftatem concedentibus ait: *Notorium eft iftis duabus conclufionibus Eugenium conftantiffime contraire.* Sed ad profcribendas Bafileenfium propofitiones auctoritatem Papæ certi infra Concilium dejicientes, in Concilio Florentino edidit Conftitutionem incipientem: *Moyfes vir Dei &c.* in qua hæc etiam habentur: *Quas propofitiones, juxta pravum Bafileenfium intellectum, velut Scripturæ & Sanctorum Patrum, & ipfius Conftantienfis Concilii contrarium, tamquam impias, fcandalofas, nec-non in manifeftam Ecclefiæ fciffuram, ac omnis Ecclefiaftici ordinis, & Chriftiani Principatus fciffionem cedentes, ipfo Sacro approbante Concilio, damnamus & reprobamus.* Iftius Bullæ, quæ integra legitur in nova Conciliorum Veneta editione tom. 18. pag. 1202. meminere Cochlæus in Hiftoria Huffitarum, & Horatius Juftinianus in Actis Concilii Florentini pag. 3. Neque dicendum eafdem propofitiones Papam folummodo damnaffe, quatenus PP. Bafileenfes ad fidem dixerant pertinere; etenim abfolute profcriptas fuiffe ex fequentibus oftenditur. Damnatæ nempe fuerunt juxta pravum Bafileenfium intellectum, qui afferebant Concilium Conftantienfe Papam etiam indubitatum infra Concilium pofuiffe; unde cum hujufmodi intellectum Eugenius improbaverit, oftendit Eugenium abfolute damnaffe propofitiones Papam certum Concilio fubmittentes. Damnat item eafdem propofitiones, quatenus inducebant fciffuram Ecclefiæ, & confufionem ordinis Ecclefiaftici: quas profecto ex eo timere erat, quia Caput membris fubjiciebatur; atque ita femper apparet, Eugenium eafdem propofitiones abfque ulla limitatione profcriptas voluiffe. Hinc qui pro Eugenio ftabant, ubique Papam fupra Concilium efferebant; unde Cardinalis Arelatenfis apud Æneam Sylvium *de Act. Bafil. an.* 1439 *in oratione pro octo fidei conclufionibus adverfus Pontificis auctoritatem*, ajebat]: *Cum Oratores Eugeniani ubique novam doctrinam prædicent, Romanum Pontificem fuper univerfalem Ecclefiam extollentes &c.* Ita etiam in Conventu Moguntino Eugenii Oratores fupremam in Ecclefia poteftatem in folo Romano Pontifice effe propugnarunt. Et in Conventu Bituricenfi coram Carolum VII. *afferebant Romanum Pontificem monarchicam poteftatem in Ecclefia habere, ficut regem in regno, neque judicio Ecclefiæ fubeffe nifi in hærefi manifefta: neque poffe a quopiam corrigi Romanum etiam Pontificem peccantem, quoniam folum Deum haberet judicem, effetque hæreticum aliter fentire.* Quæ vero afferuerunt, SS. PP. auctoritate confirmarunt; atque infuper Bafileenfes traditiones tamquam hæreticas & reipublicæ perniciofiffimas fpreverunt. Confulatur Hiftoria Concilii Bafileenfis ab Auguftino Patricio concinnata. Interim femper magis edifcas ab Eugenio, ejufque Oratoribus abfolute rejecta ea decreta quæ Papæ certo auctoritatem fupra Concilium œcumenicum ademerant.

Videtur P. Natali *art.* 3. *num.* 37. Eugenium revocando Bullam incipientem *Deus novit &c.* tacite falsem & revocaffe illam in ea contentam propofitionem: *Super omnia Concilia habet poteftatem Papa*, atque ita decreta Bafileenfia fufcepiffe. Verum dum Bullam illam ad abundantiam Eugenius revocatam voluit, fibi etenim fuppofitam fuiffe declaravit, ea dumtaxat ratione irritam nullamque voluit, quatenus ex ea Concilium Bafileenfe diffolutum decernebatur; atque ita in fua Conftitutione *Dudum*, qua præfatam revocat, alias quoque Conftitutiones eamdem diffolutionem fancientes revocat. Quod fi ex revocatione Conftitutionis *Deus novit &c.* inferre liceret ejuratas propofitiones in ea contentas, dicere oporteret Eugenium ejuraffe quoque fequentem propofitionem, quæ in eadem legitur: *Hoc ad Principes pertinet fæculi Chriftianos, ut eorum temporibus pacatam velint effe Matrem Ecclefiam, unde funt fpiritualiter nati.*

Confiderat item P. Natalis ibidem Eugenium non negaffe Concilium Bafileenfe effe œcumenicum, ac proinde implicite infallibilitatem in ipfius decretis agnoviffe. At retorquendo hujufmodi argumentum, obfervandum eft numquam Eugenium firma ac rata voluiffe ea decreta, quæ ipfe non probaverat; unde etfi conceffiffet ab œcumenico Concilio dimanaffe, apparet infallibile non crediddiffe, fi eidem certus Pontifex fuo confenfu non adhæreat.

Subdit Natalis Eugenium fe Concilio fubjectum faffum effe, dum in fua Conftitutione *Dudum* refert Concilium Bafileenfe coactum effe etiam *pro generali reformatione Ecclefiæ in capite & in membris.* Ego vero hujufmodi verbis nil aliud fignificatum intelligo, quam Capitis etiam reformationem faciendam fuiffe ope, & confilio PP. Bafileenfium; non vero quod ipforum decreta, Papa abnuente, poffent illum tamquam fubditum ligare. Sane Eugenius fe Concilio fuperiorem oftendit, quando illud diffolutum voluit; quando ipfius decreta refcidit; quando conditiones præfcripfit, quibus in priftinum reftitutum voluit: unde cæcutire eft, fi dicatur fui reformationem tamquam fi Concilio fubderetur, expectaffe.

Urget P. Natalis num. 39. Concilium Bafileenfe fe

Papa superius ostendisse, dum sess. 26. Bullam, qua Eugenius Concilii dissolutionem revocatam voluit, ita recepit quasi Pontifex per eam *citationi, & monitioni, & requisitioni S. Concilii plenariæ satisfecerit*: & dum sess. 17. ut observat P. Natalis num. 43. noluit Eugenii Legatos ea auctoritate insignitos recipere, quam illis Pontifex contulerat, omni coactiva jurisdictione exutos volendo: Iis tamen respondendum, quod etsi Concilium tamquam Papa superius se gesserit; non idcirco dici potest Papam hujusmodi agendi rationem approbasse, eo maxime quod Concilii dissolutionem revocatam voluit, quoties supra recensitæ conditiones non adimplerentur, quas PP. Basileenses nihili habuere. Ex jam dictis certum est etiam Papam se Concilio superiorem ostendisse, dum in Concilii constitutionem consentire noluerit, nisi farta tectaque sua suprema potestas remaneret: cum ubique Eugeniani Papam, ut supra adnotavi, supra Concilium extollerent; & cum ipse Pontifex in Florentina Synodo dixerit progressum, non Concilii decreta approbasse. Qua in re sequi non placet P. Natalem dicentem n. 37. ita fuisse ab Eugenio *ex suggestione dictum, nec satis attenta consideratione prolatum*. Quæ superius prælibavi, quæque inferius ex Eugenii apologia expendam, ad evidentiam ostendunt, nil umquam detractum voluisse suæ supremæ etiam in Concilia potestati, ac proinde in Synodo Florentina, non ex suggestione loquutum fuisse, sed juxta vera animi sui sensa. Cæterum pacis amor, ac illorum temporum iniquitas quamplura Pontifici toleranda esse suadebant; quapropter ob immane schisma ab Ecclesia removendum, conveniens non esse putavit a Synodo Basileensi se segregare, usquedum illam alio transferret, atque ita salutaria ipsorum decreta commendavit in litteris datis ad PP. Concilii 1. Kal. Julii an. 1434. Interim ex superioribus edisces, an dum Eugenius retractatum voluit, quidquid assertum, attentatumque esset contra auctoritatem, & in præjudicium Concilii Basileensis, vere probata etiam voluerit decreta, quibus Pontifex Concilio subdebatur.

Sed & hic observandum est P. Natalem non audiendum dum *art. 3. n. 45.* dicit *immaniter* errasse Doctos illos, qui, ut refert Turrecremata, Concilium Basileense auctoritate vacuum judicarunt, etiam postquam Eugenius ipsius dissolutionem revocavit. ¿Nonne Eugenius dissolutionem removit, legitimeque continuatum habuit, si delerentur quæ Synodus contra Papæ auctoritatem decreverat, & si ipsius Legati *cum effectu* ad Concilii præsidentiam admitterentur? Ubi vero legitur PP. Basileenses has conditiones adimplevisse? Illud dubio procul est sessione 17. Pontificis Legatos contra Eugenii intentionem omni coactiva jurisdictione expoliatos voluisse, quamobrem ubique Legati in varias terrarum orbis partes ab eo missi, Papæ Cardinalium nomine de Synodo Basileense conquerebantur, ut apud Raynaldum *ad an. 1436. Eugen. IV.* Sessione vero decima octava iterum renovata sunt decreta potestatem Papæ infra Concilium deprimentia; unde ex Pontificiis Præsidentibus alii abesse voluerunt, alii ut privatæ tantum personæ subscripserunt, sicut supra adnotavi. Quidquid ergo P. Natalis de jure quod ipsis Legatis concedendum esset, affirmet, planum est ex supradictis adimpletas non fuisse conditiones, quibus impletis Eugenius Concilio adhærere non recusabat; legitimeque inchoatum continuatumque volebat: & quamvis illæ conditiones Basileensibus sese supra Papam efferentibus displicere potuerint, illas tamen merito præscripsit Eugenius dum Concilii dissolutionem revocatam voluit, ut dignosceretur sua potestate potuisse Concilio imperare; ac proinde eodem Concilio esse superiorem. Nescio proinde immanem illorum errorem agnoscere, qui etiam post revocatam dissolutionem Synodum Basileensem viribus vacuam dicunt, propugnantque. Agnosco quidem paternam Eugenii patientiam, qui quamvis conditiones a se præscriptas spretas viderat, nihilominus tamdiu Basileensium audaciam toleravit atque ab illis non se alienum ostendit, ut si fieri posset, errantes filios clementia ad Patrem redire alliceret, imminensque schisma evitaret. Videamus modo an magis feliciter Bossuet in *Declarat. l. 10. c. 1. & seqq.* ostendat Basileensia decreta firma intactaque remansisse, etiam ex tacito saltem Eugenii consensu.

Omittendo autem satis ex supra dictis haberi Bossuet a veritate aberrasse, dum putavit Cardinalem Julianum præsidentiam non dimisisse, statim ac ipsi Concilii dissolutio innotuit, illud considero quod Eugenium veluti subditum obsequentem Basileensibus repræsentat, quia hi nihil habuerunt dissolutionem Concilii ab ipso factam, & quia in omnibus ut Papæ superiores se gesserunt, illum etiam monendo, citando, & ab officio suspendendo; sicut etiam quia ipsis instantibus Concilii dissolutionem revocavit. Si Basileenses PP. Eugenio veluti imperare præsumpserunt, idem Eugenius potiorem suam auctoritatem ostendit, illam Synodum revocando, ac dum postea revocationem abstulit, conditiones præscribendo, quibus impletis legitime prosequendam declaravit. Et cum inter illas hæc esset quod ea delerentur, quæ adversus suam auctoritatem statuerant, aperte significare voluit non se Concilio subditum cognoscere, sed a Concilio sibi esse parendum. Ita etiam ubique suorum Legatorum voce hanc veritatem propugnabat, ac potius se mori paratum, quam Concilio se subdere profitebatur. Cum ex supradictis hæc omnia innotescant, nemo judicabit Eugenium dissolutionem Concilii rescidisse, quia sibi obediendum Synodo putaverit, sed quia sperabat saniora consilia amplexuram, & quia schismati viam occludere optabat. Nemo judicabit amplexum esse decreta Constantiensia, quatenus illorum vigore etiam Papam certum Basileenses Concilio subdebant, atque decreta Basileensia probasse; ac unusquisque mirabitur Bossuet *cap. 3.* dicere potuisse Eugenium se Concilio subdendo recepisse quæ antea tamquam hæretica, ac sacrilega respuerat. Nemo item judicabit devotionem erga Synodum Basileensem exprimendo apertissime comprobasse, ut ait Bossuet, ejusdem Synodi decreta, quæ suæ potestati præjudicium inferebant, cum solum Concilii progressum, ut ipse Eugenius ait in Synodo Florentina, probare intellexerit, non vero ejusdem decreta: & re vera eorumdem approbationem Basileensibus PP. denegavit. Neque spernendus Turrecremata qui hæc asserit; nam, ultraquamquod quæ asserit Turrecremata, ex aliis comprobentur, Cardinali etiam ob vitæ sanctimoniam præclarissimo nefas esset mendacium affingere; sicut etiam temere diceretur ex levibus rumoribus eadem narrasse. Unde nec ipsi fides deneganda, dum diploma dissolutionem revocans vi extortam dixit, cum & illius temporis circumstantiæ id suaderent. Neque etiam refert, ut putat Bossuet, Eugenium dixisse: *Nos quidem bene progressum Concilii approbavimus volentes, non tamen approbavimus ejus decreta*. Hujusmodi enim verba non cogunt ut credamus Eugenio vim illatam fuisse, sed solum ob malorum imminentium metum quam sæpe denegaverat dissolutionis Concilii revocationem, tandem concessisse, ac Concilium progredi voluisse; non vero progressum esse usque ad approbationem decretorum, quæ semper constantissime respuit.

Quod si Eugenius passus est ea decreta, quæ tam improbaverat, non revocari, ac PP. Basileenses in incepta persistere, id sane ipsorum tacitæ approbationi non tribuendum. Videbat Pontifex ex Basileensium contumacia teterrimum schisma imminere, cum multi ex catholicis Principibus ipsis essent addicti, sibique infensi; unde, sicut ad schisma impediendum, tandem Concilii dissolutionem removit, quamvis aliter sentiret, ita nec pro decretis rescindendis institit, agnoverat etenim ab ipso Concilii exordio Basileenses e re sua esse judicasse, Pontificis evertere auctoritatem.

Sed, quæso te amice Lector, ut perpendas quæ habet Bossuet *cap. 6.* Fatetur ex Raynaldo ad annum 1436. Eugenium adversus Basileenses fuisse stomachatum, quia etiam post sessionem 16. sese supra Pontificem extollere conarentur. Fatetur ubique querelas effudisse, quia destinatos a se Legatos vi coactiva exutos voluissent; & quia ita innovassent decreta Constantiensia, ut ad alios casus quam statuentium mens fuerit, traxerint, ac proinde voluisse Concilia generalia robur non habere a Christi Vicario, ipsumque Conciliorum decretis obedire debere, quod ajebat Eugenius, *non tam est erroneum, quam etiam ab omni doctrina Patrum totaliter alienum*. Fatetur conquestum esse, quod suorum Legatorum protestationes adversus quædam decreta nihil habitæ fuissent, quamvis eas vel publice vel privatim repetere non cessaverint. Cum has Eugenii querelas non ignoraverit Bossuet, numquam satis intellexi præcedentibus capitulis scribere potuisse, Eugenium decreta Basileensia approbasse. Nonne, absit invidia verbo, insaniam prorsus redoleret, ea amplecti decreta, quæ Papam Concilio subjiciebant, unaque suorum Legatorum voce omnium auribus insusurrare hoc falsum esse, hoc erroneum, & a PP. doctrina alienum?

§. III.

§. III.

Expenduntur Decretalis, Moyses, *aliaque ex Synodo Florentina.*

EX iis, quæ in superiore paragrafo adnotavi, omnibus compertum est semper Eugenium defiderasse e medio sublata ea omnia, quæ PP. Basileenses ad Papæ auctoritatem deprimendam sanciverant, eosdemque palinodiam recantare. Id tamen cum assequi non potuisset, usquedum putavit Concilium Basileense studio pacis esse tolerandum, ejusdem dissimulavit contumaciam, nec ad sibi obsequendum urgebat. Ubi vero tandem agnovit sua tolerantia nihil proficere, ac ita Basileenses se supra Papam efferre ut in ipsum etiam depositionis sententiam ausi fuerint pronunciare, non amplius quiescendum putavit, sed illorum decreta damnando innotescere voluit Ecclesiæ ipsorum non tolerandam audaciam. Id præstitit Eugenius ea constitutione, quæ incipit *Moyses*, qua etiam proscripsit quasdam Basileensium propositiones, quibus etiam ad fidem catholicam pertinere dicebant, Concilium generale esse supra Papam, idque declarasse etiam Concilium Constantiense, ac proinde non posse a Papa dissolvi, ad aliud tempus prorogari, vel de loco in locum transferri.

Respondet Natalis ideo ab Eugenio præfatas propositiones proscriptas fuisse quia hæreseos nota inurebantur, qui adversus illas sentiebant. Ita vero affirmat Natalis *art.* 4. *num.* 15. & Bossuet *l.* 10. *cap.* 9. quia supponunt Eugenium, dum cum Basileensibus pacem iniit, omnia ipsorum decreta probasse; qua in re quam falsa laboraverint suppositione, quæ dicta sunt in superiore §. demonstrant. Sed videamus quid Eugenius damnare intellexerit, dum propositiones Basileensium proscriptas voluit, *juxta pravum ipsorum Basileensium intellectum, quem facta demonstrant velut sacrosanctæ Scripturæ & SS. Patrum & ipsius Constantiensis Concilii sensui contrarium.*

Hic primo damnatas legimus Basileensium propositiones juxta pravum sensum, *quem facta demonstrabant.*

Verum facta non ostendebant Basileenses seu ad fidem seu ad disciplinam pertinere judicasse, quod Papæ Concilium esset anteponendum, seu id tamquam probabilioribus innixum rationibus amplexos esse. Hoc solum ipsorum facta demonstrabant, quod vellent se tamquam Papa superiores habere, ac proinde non solum ita decreverant, sed in Eugenium depositionis quoque sententiam pronunciaverant. Dum ergo sensum, quem facta demonstrabant, damnatum voluit Eugenius, absolute damnatum voluit sensum, quo Concilio subjiciebatur, non vero solum damnatos voluit, qui dicerent id ad fidem pertinere.

Cur deinde pravus Basileensium intellectus, *S. Scriptura & SS. Patribus* erat contrarius, dum Concilium Papæ indubitato anteponebant? Non alia sane ratione ita dicere potuit Eugenius, nisi quia Papam Concilio subdere contrarium videtur illis veritatibus ex S. Scriptura, Sanctisque PP. depromptis, quibus discimus Romano Pontifici universalis Ecclesiæ regimen fuisse tributum, totius Christi gregis esse Pastorem, solius Dei judicio subesse &c. ex quibus cum Concilio anteponendum esse asseramus; jam si aliter sentire S. Scriptura, & SS. PP. non patiuntur, constat id undequaque Eugenium damnasse, nec solum damnasse qui assererent fidem non pati, ut Papa Concilio præponatur.

Affirmavit pariter Eugenius pravum Basileensium intellectum ipsi Constantiensi Concilio esse contrarium. Qua vero ratione Basileensium propositiones Concilii Constantiensis decretis adversari dixerit Eugenius ex sequentibus cognoscitur. Jam in fine paragrafi superioris ex Raynaldo, quem etiam refert Bossuet, adnotavi, inter alias Eugenii querelas, quas post sessionem 17. 18. voluit per totum orbem evulgari, hanc quoque fuisse, quod PP. Basileenses Constantiensia decreta ad alios casus extendissent, quam fuerat statuentium mens, atque ita denegassent Concilia œcumenica robur habere a Christi Vicario, immo affirmassent hunc decretis Concilii obedire debere, ab eo supremam potestatem tollendo, ac in multitudinis manibus collocando. Ita dicendo satis ostendit Eugenius non voluisse PP. Constantienses Papam certum Concilio subdere. Unde in Apologia Eugenii adversus Basileenses, ut expendendo eadem decreta in animadversionibus ad Concilium Constantiense adnotavi, dicitur Constantiensia decreta non Papam certum, sed dubium Concilio subjicere voluisse. Dum igitur Eugenius damnavit pravum Basileensium intellectum, quatenus etiam erat decretis Constantiensibus contrarius, non solum damnavit, quia pessime senserint, dum Papam certum Concilio subdere ad fidem pertinere crediderant, sed etiam absolute hanc Papæ certi Concilio subjectionem proscripsit; proscripsit etenim quod vigore decretorum Constantiensium Basileenses docere posse falso crediderunt, nempe præfatam Papæ indubitati subjectionem. Demum observandum Eugenium propositiones Basileensium damnasse, non solum ut impias, & scandalosas, sed etiam ut in *manifestam Ecclesiæ Dei scissuram tendentes*. Hujusmodi autem scissura non solum oriri poterat, si ut articulus fidei haberetur Papam Concilio subesse, sed etiam quia ita absolute doceretur; semper etenim ea hujusmodi doctrina timere est membra in caput insurrectura, ut exemplo etiam Basileensium discimus atque ita Ecclesiam scindendam ex membrorum a capite divisione.

Ne cogatur fateri Eugenium doctrinam damnasse quæ Papam Concilio inferiorem esse dogmatizabat, Bossuet *l.* 10. *cap.* 8. *in Defens. Declarat.* dicit Eugenium in Decretali *Moyses* solum reprobasse quod Basileenses *assererent nullam omnino esse causam propter quam Synodus a Papa transferri posset, idque ad fidem catholicam pertinere.* Sed certe non video quomodo doctissimus Præsul ita Decretalem Moyses potuerit coarctare. Illud dubio procul est tres fuisse propositiones, quas Basileenses tamquam fidei catholicæ veritates promulgarunt, ut legere est apud eumdem Bossuet initio ejusdem capitis & apud Natalem *art.* 4. *num.* 15. Illud etiam certum est primam illarum propositionum Papam supra Concilium extollere. Omnes vero fuisse damnatas, illa Constitutionis verba demonstrant: *Ipsasque propositiones supra descriptas . . . . tamquam impias, scandalosas . . . . . reprobamus ac damnatas & reprobatas nuntiamus.* Unde constat Eugenii censuram illam etiam propositionem comprehendisse, qua Concilium supra Papam efferebatur. Iis accedit, illud Eugenium proscribendum duxisse, quod Basileenses sentire etiam factis ostendebant. Quod vero potissimum ostendere conabantur illud erat quod Papæ etiam certo præessent; unde ausi sunt Eugenium monere, citare ac demum etiam exauctorare.

Asserit item Bossuet, non obstante Constitutione *Moyses* immota remansisse decreta Constantiensia, quæ Papam certum Concilio subdidisse putat. Quam vero absque fundamento ita scripserit ex supradictis innotescit, cum in eadem Constitutione Eugenius damnaverit *pravum Basileensium intellectum, ipsius Constantiensis Concilii sensui contrarium.* At non alia sane ratione a Constantiensis Concilii sensu dixit Eugenius Basileenses recessisse, nisi quia putabant Papæ certo Concilium prætulisse. Dum ergo Eugenius propositiones Basileenses damnatas voluit, immobilia profecto non stetere decreta Constantiensia, quatenus Synodus Basileensis judicavit potestatem Concilii etiam supra Papam certum extulisse. Hinc in eadem Decretali dixit Eugenius quod Basileenses *quibusdam decretis Constantiæ schismate tunc vigente editis inhærere se dicentes &c.* quibus verbis iterum innuit decreta Constantiensia illius temporis schisma respexisse, quando nempe incertum erat quisnarp esset legitimus J. C. Vicarius. Sed nonne Eugenius in eadem Decretali affirmavit Constantiensia decreta a sola Joannis Obedientia dimanasse? Cum autem ita dicendo ostenderit a potestate œcumenici Concilii non prodiisse, insimul ostendit irrefragabilem auctoritatem non obtinere. Sed ad Natalem redeundum, & videndum quæ adversus Decretalem *Moyses* objiciat.

Dicit præfatam Constitutionem tamquam omni robore destitutam esse considerandam, cum Nicolaus V. pace cum Basileensibus inita prorsus abolitam voluerit.

Dum hæc legi, primo non intellexi quomodo possem P. Natalem secummet conciliare. Asserit Eugenium ideo damnasse assertam a Basileensibus Concilii supra Papam potestatem, quia ita sentire ad fidem pertinere perperam judicaverunt; unde inter fidei dogmata id non esse recensendum scribit *dissert.* 4. *in Hist. sæculi* 15. *art.* 3. *num.* 8. Merito ergo, ipso Natale adnuente, Eugenius novum fidei dogma a Basileensibus pessime evulgatum sua Constitutione confixit; dicendum ne ergo est Nicolaum abolitam voluisse constitutionem insurgentem errorem proscribentem?

Si deinde Nicolai literæ quas ipse Natalis art. 4. n. 15. refert expendantur, non irrationabiliter quis dicet pacis causa revocata voluisse ea solum Eugenii decreta, quæ ad pœnas, censuras, & beneficiorum privationes pertinebant, ac in integrum destitutos voluisse eos, qui his pœnis puniri meruerant. Harum censurarum, privationum, pœnarumque in præfatis literis mentio fit, ac de eis Nicolaus decernit.

Sed demus Nicolaum e medio sublatum voluisse Constitutionem *Moyses*, numquid fortasse decreta Basileensia firma rataque essent habenda? Considerandum igitur quod inter propositiones pacis, quas Rex Galliæ & Imperii Electores Basileensibus & Amedeo ex una parte ac Nicolao V. ex altera proposuerunt, hanc quoque extitisse, *omnia hinc inde conscripta, statuta, facta, promulgata abroganda esse, etiamsi universalem Ecclesiam & auctoritatem Conciliorum concernunt*. Ita legere est in Veneta Conciliorum editione tom. 19. col. 56. Si ergo ea decreta obliterata sunt, quæ Pontifici Concilium præponebant atque in id consenserunt ipsi Galli, Germanique, qui prius Concilium Basileense venerabantur, ne pax retardaretur, bene potuit Nicolaus sublata velle quæ eisdem decretis Eugenius opposuerat; sublato etenim morbo procul amandari possunt remedia. Et re vera si Nicolaus Constitutionem *Moyses* abrogasset, ac immota reliquisset decreta Basileensia, quibus hæretici declarabantur, qui Concilium Papa superius esse non fatentur, jam Amedeus & Lausanenses maximam Ecclesiæ partem hæresi maculatam credere potuissent, quia maxima catholicorum pars decreta Basileensia respuebat.

Excipit Natalis ibidem adversus Eugenii Constitutionem etiam quia, quamvis edita fuerit sacro approbante Concilio Florentino, jam tamen Græci discesserant. Dum vero hæc legi, consideravi P. Natalem velle decreta Basileensia habenda tamquam a Concilio Oecumenico fuerint dimanata, quia quamvis sessioni secundæ, dum primo sancita fuerunt, nec septem fortasse adfuerint Episcopi, ac quidam reclamaverint, & Pontificis Legatus non præsideret, nihilominus, ut ipse dicit, illis Præsulibus Concilii auctoritas non deficiebat, quia ad Concilium constituendum fat est alios fuisse vocatos, etsi adesse non curaverint. At nonne eodem modo se habet sponte accedere ad illud, ac sponte velle discedere? Dum ergo libertime Græci Florentia discesserunt, ac liberrime tot Ecclesiæ latinæ Episcopis, qui remanserant, cætera peragenda commisere, Concilium exutum non remanebat sua potestate; & eo maxime quod ipse Pontifex eisdem præsidebat? Quando ergo ex sola Pontificis potestate decreta Basileensia proscribi non potuissent, non video, Natalis principiis inhærendo, quo modo etiam ab Oecumenico Concilio damnata non fuisse possit affirmari.

Putat pariter P. Natalis auctoritatem Constitutionis *Moyses* infringi, quia Gallicana Ecclesia, & Germanica illam acceptare renuerunt. Ab hoc tamen asserendo P. Natalis abstinuisset, si considerasset ea quæ Pontifices decernunt ab Ecclesiarum acceptatione suum valorem non mutuare, sed irrefragabilis esse auctoritatis, quia ab ea dimanant potestate quam Christus suo Vicario conferre dignatus est. Ob hanc rationem Ivo Carnotensis *Ep.* 8. de Apostolicæ Sedis judiciis loquens, ita ait: *Hujus judiciis & Constitutionibus obviare, plane est hæreticæ pravitatis notam incurrere*. Et Universitas Parisiensis, ut habetur ex ipsius Historia tom. ult. ad an. 1521. sequentem ex Lutherana doctrina excerptam propositionem: *Neque Papa, neque Episcopus, neque alius hominum habet jus unius syllabæ super Christianum hominem, nisi id fiat ejusdem consensu, & quidquid aliter fit tyrannico spiritu fit*, hujusmodi censura notavit: *Hæc propositio est a debita subditorum erga Prælatos & Superiores obedientia retractiva, legum positivarum seditiose destructiva, ac in fide & moribus erronea, & est error damnatus Valdensium cum errore Arianorum conveniens*. Legatur Michael Mauclerus Doctor Parisiensis *de Eccles. Monarch. p. 2. l. 4. c. 3.*

Considerat etiam Natalis Antistites Lausanenses ab Antipapa Amedeo recessisse, ac Nicolao V. adhæsisse, quia dicunt, sibi *fida relatione* innotuisse eumdem Nicolaum amplexum esse decreta, quæ Concilium Papæ præponebant. At forte ob Constitutio *Moyses* proinde nihil habenda est? Narrant illi Antistites ex aliorum fida relatione id percepisse: at quot vere falsa evulgantur, sed ita veritatis coloribus depicta, ut prudentissimos quoque ad ea credenda cogerent? Sane nulla sunt illorum temporum monumenta, ex quibus constet, Nicolaum præfata decreta suo assensu rata esse voluisse; & si legatur diploma illud, quod pro unione stabilienda confecit, nil aliud in eo reperire est, quam præteritorum amnystiam, & confirmationem possessionum, aut collationum beneficiorum, quas fecerant Basileenses, nulla vero mentio fit ab iis assertæ Conciliorum supremæ potestatis.

Demum volo adnotare Natali displicere, quod Eugenius in sæpe citata Constitutione Basileenses appellet *perditissimos, scandalorum duces &c.* itaut *ad Basileense Latrocinium totius orbis Dæmonia confluxisse videretur*. Observare tamen debuisset a sanctis, ac præstantissimis illius ævi scriptoribus, ut superiore §. animadverti, Concilium Basileense nuncupatum fuisse schismaticum, satanicum, dæmoniacum, serpentinum, viribus cassum, Spiritu S. destitutum, furiosum, unaque SS. PP. doctrinæ exemplisque contrarium.

§. IV.

Expenditur Decretum Unionis, ac ostenditur ex ipso nil derogatum supremæ Pontificis potestati, quod ex Eugenii Apologia confirmatur.

INficias sane non ibo Græcos in Synodo Florentina agnoscere detrectasse Papæ supra Concilium auctoritatem, at merito contendo ex iis, quæ de Romani Pontificis primatu mutuo Latinorum Græcorumque consensu stabilita sunt, ut apud Natalem art. 4. n. 12. & ex iis, quæ inter Græcos ac Latinos sub quæstione erant, ut apud eumdem n. 13. nullum præjudicium illatum supremæ Pontificis etiam supra Concilium potestati; cum ita demum convenerint, ut nulla pars de reportata plauderet victoria. Cum igitur Græci in eamdem asserendo supremam potestatem non defenderent sententiam, nihilominus tandem, ut videre est ex Decreto Unionis, ita Papæ primatum admisere, ut Romanus Pontifex diceretur B. Petri successor, verus Christi Vicarius, omnium Christianorum pater & doctor, cui in B. Petro tradita esset a Christo Domino plena potestas pascendi, regendi, ac gubernandi universalem Ecclesiam. His loquendi phrasibus tacita saltem asserta videbatur præstantia Papæ super universam Ecclesiam etiam simul sumptam, seu ut in Concilio coadunatam; Vicarius etenim ea gubernat potestate, qua potitur is, qui eam suo Vicario elargitur; & qui ut Pater, & Doctor plenam haber alios regendi potestatem, iis auctoritate etiam præest. At ex lectionum varietate non exigua aliquibus visa est oriri difficultas. In multis Concilii Florentini editionibus post assertum modo paulo ante explicato Romani Pontificis primatum, ita subditur: *Quemadmodum etiam in actis Conciliorum œcumenicorum, & in sacris canonibus legitur*. Hæc verba nil aliud sonant, quam & Concilia & Canones nos edocere in Papa eam esse potestatem, quam ipsi PP. Florentini tribuerant. Verum in aliis editionibus apud eumdem Natalem ita habetur: *Quemadmodum & in actis Conciliorum œcumenicorum &c.* seu juxta græcam versionem: *Juxta eum modum quo & in actis Conciliorum œcumenicorum, & in sacris Canonibus continetur*. His loquendi modis videtur Synodus declarasse assertam in Romano Pontifice potestatem Conciliorum sanctionibus subesse, cum juxta sacros Canones esset explicanda. Atque id tam aperte declaratum putavit Natalis num. 12. ut affirmare non veritus sit tandem Eugenium Græcis acquievisse, cum hanc sciret esse *totius Ecclesiæ sententiam in sacris Conciliis Pisano, Constantiensi, & Basileensi præjudicatam, constitutam, declaratam, & confirmatam*.

Ego vero omnimode recedendum a P. Natali sentio. Quod Græcus offendebat, ut apud ipsum Natalem num. 13. legere est, illud erat, velle nempe metiri potestatem juxta Sanctorum dicta; dicebant etenim non esse Papæ potestatem dimetiendam juxta ea, quæ aliqui Sancti in quibusdam suis Epistolis scripserant. Ut omnis ergo removeretur difficultas, dictum est non ex meris honorificentiæ titulis, sed ex iis, quæ leguntur in Conciliis œcumenicis sacrisque Canonibus agnoscendum esse qua potiatur Papa potestate. Non ergo ea verba addita sunt ad explicandum, Papæ potestatem Conciliorum decretis sacrisque Canonibus coerceri, quod displicebat Eugenio; neque ad declarandum Concilia, sacrosque Canones tribuere Romano Pontifici potestatem quæ nulli subsit, quod non admisissent Græci; sed ad ea designanda ex quibus quæ sit Papæ potestas possit cognosci.

Quis vero consentiat P. Natali asserenti Eugenium

tam

tandem concessisse suam potestatem esse Conciliis subditam, sacrisque canonibus alligatam? Jam sæpe in his Animadversionibus adnotavi tam cordi fuisse Eugenio suam supremam tueri potestatem, ut postquam vidit Basileenses, etsi Concilii dissolutionem rescidisset, in inceptis persistere, ubique terrarum conquestus sit suos Legatos parvifieri, Constantiensia decreta perperam intelligi, ac Romanum Pontificem Concilio subjici; quam suæ dignitatis injuriam etiam vitæ dispendio non toleraturum scripsit.

Coacta deinde Synodo Florentina voluit non semel Joannem Provincialem ita de Romani Pontificis primatu disserere, ut supra Concilium extollere dignosceretur. Post discessum Græcorum in eadem Synodo edidit Constitutionem *Moyses* qua damnavit propositiones Basileensium Concilium supra Papam efferentium. Sed audiamus quæ per Joannem a Turrecremata in sua Apologia adversus Basileenses fuerunt pronunciata.

In responsione ad primum articulum habetur Concilium Constantiense non fuisse œcumenicum, nisi postquam Joannis XXIII. Obedientiæ aliæ duæ accesserunt; ea quo sequitur asseruisse decreta quartæ & quintæ Sessionis Concilio œcumenico non esse adscribenda. In eadem responsione habetur Papam legitimum caput esse catholicæ Ecclesiæ, ac in ea supremam habere potestatem; Concilium universale non habere immediate a Christo potestatem; Conciliorum univarsalium auctoritatem, & actorum firmitatem ab Apostolicæ Sedis auctoritate immediate pendere. Concilium supra Papam catholicum nullam habere potestatem; Decretum Constantiense, quo Papa Concilio generali subjicitur, non fuisse universale, sed illud tantum tempus respexisse; Papam de honestate, non de necessitate Concilio in casu reformationis obedire debere; solum Deum Romano Pontifici esse superiorem, ipsiusque judicium sibi reservasse. In responsione vero ad secundum articulum affirmatur numquam Concilium Constantiense decrevisse Concilium esse Papa superius; Basileensium propositionem absque offensa Concilii Constantiensis merito velut hæreticam damnari potuisse; Basileensium decreta numquam ab Eugenio probata fuisse; Conciliorum decreta necessario a Papa esse confirmanda &c.

Observet modo Lector, an credere sit, ut scripsit P. Natalis, tandem Eugenium agnovisse Concilio se esse inferiorem, ac proinde passum esse hanc subjectionem exprimi in Decreto unionis? Ut ita sentire possemus, credere oporteret Eugenium aliter de Pontificia sua potestate sensisse, quam senserat ante Concilium Florentinum, quando pro ea tuenda tam adversus Basileenses decertaverat. Credere item oporteret, etsi Græcis concessisset Concilii potestatem sua esse potiorem, nihilominus post ipsorum discessum ore Joannis a Turrecremata suam auctoritatem Concilio superiorem pronunciasse, nec Concilium Constantiense aliter sensisse, ac Basileenses Concilium supra Papam extollentes merito esse damnandos. Et quidem nulla illorum temporum monumenta Eugenium ita versatilem nobis exhibent, ut recesserit ab iis quæ antea affirmaverat, iterumque ea propugnasse a quibus recesserat.

Sed quæso, & hic obiter perpendatur decretum unionis universo Concilio approbante fuisse efformatum. Si in eo ergo Papæ potestas Concilio subdita declarata fuisset, illi Latini Præsules, qui hanc declarationem probaverant, postea silenter audissent Turrecrematam Concilium Papæ auctoritati omnimode subjicientem, ac nemo dixisset temere ipsum negare quæ Concilium Græcis tandem concesserat. Ego sane non video quomodo vel per somnium credere quis possit in Decreto Unionis Papæ potestatem Concilio subditam declaratam, idque ipsum Eugenium agnovisse.

Quod si Eugenius Græcis renuentibus fateri Papam Concilio esse superiorem dexteram dedit fraternitatis, non proinde ut putat Natalis num. 13. fassus est se Concilio esse inferiorem. Ex hujusmodi facto id solum inferre fas est inter fidei veritates tunc eam adscribendam non agnovisse, quod Papa Concilio sit superior; ac proinde unionem cum Ecclesia Græca non retardandam, etsi hoc Papæ privilegium admittere renuisset. Alia addere supervacaneum est ad evertenda etiam ea quæ habet Bossuet *in Defens. Declarat. Cler. Gallican. p. 2. l. 10. c. 50. & seqq.*

§. V.

Expenduntur Bulla retractationis Pii II. Concilia Lateranense V. & Tridentinum, an nempe decretis Basileensibus derogaverint.

ANntequam Bullam retractationis expendam adnotandum duxi tam P. Natalem *art. 4. num. 59.* quam Maimburgum *in tract. Histor. de Instit. & privileg. Rom. Eccl.* asserere homini aliquid passum fuisse Pium II. dum præfatam edidit Constitutionem, illudque addit Natalis Pium veritatem de suprema Conciliorum auctoritate ab eodem in Minoribus egregie defensam, ad Pontificatum evectum ejurasse *absque examine*. Ut vero appareat quam falso præfati senserint Pium mutasse sententiam cum conditionem mutavit, quia tunc e re sua esse judicavit Romani Pontificis auctoritatem extollere, satis est legere Orationem, quam an. 1452. habuit adversus Australes, quamque publici juris Ludovicus Antonius Muratorius *tom. 2. Anecdotor.* Ex ea statim dignoscitur jam ab eo tempore valedixisse sententiæ, qua Basileæ Papam Concilio subdiderat, illiusque potiorem auctoritatem agnovisse. Objicientibus igitur Australibus a judicio Romani Pontificis ad generale Concilium appellasse, postquam respondit Sylvius ab inferiore ad superius tantum tribunal appellationem interponere fas esse, ita subdit: *In casu autem nostro ab eo Judice appellatum est, qui nullum habet in terris superiorem. Nulla est igitur appellatio.* Reponentibus vero Australibus generale Concilium Papa esse dignius & superius, quasi id Synodi Constantiensis & Basileensis definierint, rursus Æneas Sylvius ita addidit: *Nolumus hoc disputationis ingredi pelagus, neque hos gryphos aggredi. Anceps quæstio, & in utramque partem a prudentibus viris arbitratum est. Utcumque sit, constat uno solum casu certum, & indubitatum Pontificem subesse Concilio. Nam si quis in Apostolatu sedens in hæresim labitur, mox Papatu excidit, minorque redditur quolibet Christiano. Nec jam Papa dicendus est, si schismaticus est, aut eodem morbo laborat, aut in Papatu est dubius. Certus autem, atque indubitatus Pontifex, ut Constantiense decretum innuit, numquam deferri Concilio potest, nisi universalem Ecclesiam scandalizaverit.* Quanti deinde facienda essent exempla, quibus ea ætate a Papa ad Concilium fuerat provocatum, ita significavit: *Nec moveri debemus quia diebus nostris etiam in minoribus causis, & ad Constantiense & ad Basileense Concilium vidimus appellari. Nam quæ fiunt extra ordinem, intempestive, temere, tumultuario, neque jus pariunt, neque vim consuetudinis afferunt.* Ita Æneas Sylvius jam ab anno 1452. Papam Concilio superiorem agnoverat; quapropter ab ipsius sententia ad Concilium appellationem interponi posse negavit, interpositasque appellationes temerarias, ac intempestivas asseruit; atque in unodumtaxat casu Concilio subesse affirmat, si nempe hæresis macula inquinaretur, quia statim Papam esse cessaret. Mutavit ne ergo tunc sententiam, quando ad Petri Cathedram sublatus dignitatis suæ potestatem extollendam esse judicavit? Retractavit ne sua Constitutione *absque examine* sententiam, quam Basileæ propugnaverat, cum de ea retractanda tam antea cogitaverit, vereque retractaverit?

Nihilominus ne ex Bulla retractationis præjudicium illatum præstantiæ Concilii supra Papam credamus, Natalis loco citato eo tantum Pium II. respexisse dixit, quod retractando priorem sententiam edocere voluit Ecclesiam, non esse fidei dogma, quod Papæ Concilium sit anteponendum. At absolute Papæ ejurasse sententiam extollentem Concilium supra Papam, sequentia demonstrant. Primo dicit in sua Constitutione nullatenus inhærendum esse iis quæ scripserat, dum suprema quovis modo Apostolicæ Sedis auctoritas eliderettur. At Pius in minoribus degens non id præcise propugnavit quod fide credendum esset Concilii potestatem Papæ auctoritate esse superiorem, sed absolute hanc Concilii præeminentiam docuerat. Hoc ergo quod absolute docuerat, ejuratum voluit ac retractatum. Narrat etiam Pius in sua Constitutione de hac quæstione jam multo prius in minoribus constitutum egisse cum Cardinale Juliano, & quod cum iste ab ea recessisset opinione quæ Papam Concilio dicit inferiorem, in qua tunc adhuc Pius perseverabat, monere non cessabat ut si errantem sequutus fuerat, recta sentientem sequeretur, falsum etenim reliquerat, verumque fuerat amplexus. Subdit vero Pius *verba viri pectori suo hæsisse*. Refert deinde cum aliis viris

ris de iisdem rebus sermonem habuisse, ac tandem ita dicit: *Recognovimus errorem nostrum, venimus Romam, Basileense dogma rejecimus, Eugenio Pontifici maximo caput submisimus*. Quem, quæso, errorem recognovit? solum quod non esset inter dogmata fidei recensendum Concilium Papa esse superius? At cum Juliano aliisque viris non egerat tantum, an id inter fidei articulos esset adnumerandum, sed quisnam superiorem haberet potestatem inquisierat, Pontifex potius, an Concilium? ac priore in quo versabatur, errore rejecto, agnovit Papæ potiorem esse auctoritatem. Et revera si in eo tantom Pii resipiscentia stetisset, ut fide credendum non putasset Concilium Papa esse superius, innoxie tameo adhæreri posse sententiæ Papam Concilio subjicienti, ex sui erroris cognitione non coactus fuisset Romam convolare, & Eugenio se submittere, quod Basileæ docuerat rejiciendo. Videamus modo quomodo de Papa legitime electo, in eadem retractationis Bulla loquatur.

Dicit de legitimo Romano Pontifice *supremam potestatem sine medio a Deo consequi, & per ordinem in omnem diffundere Ecclesiam*, ipsius peccata *divino judicio punienda* relinqui: Concilium a Papa auctoritatem mutuari, & sicut caput in membra influere, unde loquens de Concilio Constantiensi, ait: *Veneramur Constantiense Concilium, & cuncta quæ processerunt a Romanis Pontificibus nostris prædecessoribus approbata, inter quæ nullum invenimus fuisse ratum, quod stante Romano indubitato Præsule absque ipsius auctoritate convenerit: quia non est corpus Ecclesiæ sine capite, & omnis ex capite diffluit in membra potestas*. Affirmat etiam a Romano Pontifice Conciliorum convocationem dissolutionemque pendere: *Hæc nos*, inquit, *de Romani Pontificis auctoritate & potestate sentimus, cui & congregare generalia Concilia, & dissolvere datum est*. Qui asseruit Papam supremam potestatem quam Ecclesiæ comunicat, a Deo obtinere, & solius Dei judicio subesse; qui affirmavit nihil ex iis, quæ Concilia decernant, immotum remanere, nisi Romanus Pontifex probaverit; atque ab eo in ipsum Concilium diffluere potestatem, quod proinde nedum valet congregare, sed etiam dissolvere, profecto absolute significare voluit Papam eidem Concilio præesse, ac potiore potiri auctoritate. Mitto Pium etiam Bullam edidisse, qua proscriptas voluit omnes appellationes a Papa ad futurum Concilium, qua nullum in terris habeat superiorem. Videnda quæ dixi supra, ubi Pii II. Acta P. Natalis recenset.

Ad ea quæ hucusque dicta sunt convellenda, tam P. Natalis *art. 4. n. 19.* quam Bossuet *lib. 10. cap. 17.* sequentia opponunt, quæ prope Bullæ finem leguntur: *Cum his & generalis Concilii auctoritatem & potestatem complectimur, quemadmodum & ævo nostro Constantiæ, dum ibi fuit Synodus universalis, declaratum, definitumque est. Veneramur enim Constantiense Concilium, & cuncta quæ processerunt, a Romanis Pontificibus nostris Prædecessoribus approbata*. Cum autem putaverint in Concilio Constantiensi etiam supra Papam indubitatum Synodum œcumenicam sublatam fuisse, inferre posse crediderunt Pium non voluisse significare suam potiorem esse quam Concilii potestatem. Quam vero futiliter hæc objiciantur præter jam dicta, ostendunt verba immediate præcedentia. Postquam igitur dixit Pius Romani Pontificis esse Concilia congregare, ac dissolvere, statim ita subdit: *Qui etsi filius est propter regenerationem, propter dignitatem tamen Pater habetur: & sicut filiationis causa venerari debet Ecclesiam tamquam Matrem, ita & prælationis causa præfertur ei, ut Pastor gregi, Princeps populo, Rector familiæ*. Ita Romanum Pontificem non alia ratione Ecclesiæ subdidit, nisi quia regenerationis causa debet illam tamquam matrem venerari, cum tamen ratione dignitatis eidem *præferatur*, seu, ut alii legunt, *præsit*, sicut *Pastor gregi, Princeps populo, Rector familiæ*, qui omnes quoad suum munus nullam explicant subjectionem. Verba vero, quæ immediate sequuntur post ea, quæ opponunt Natalis & Bossuet, ea sunt quæ superius adnotavi, ac ita se habent: *Veneramur Constantiense Concilium &c.* Quibus verbis eum significaverit Pius quæ sancita sunt a Conciliis œcumenicis non habere firmitatem, nisi Romanus Pontifex approbaverit, ipsumque in Concilia influere potestatem, sicut caput in membra, planum est superiorem esse Concilio significare voluisse; nec Concilia a Papa solum habere potestatem ut congregentur, sicut interpretatus est Bossuet. Si ergo, ut idem Bossuet monet, Pii dicta conciliandа sunt, non collidenda, dicere oportet Pium vera & rata habuisse Concilii Constantiensis decreta quatenus ex iis Concilii auctoritas supra Papam dubium efferebatur, id enim eisdem sancitum jam dixerat in oratione ad Australes supra citata; in ipsa vero Retractationis Bulla Papam indubitatum supra Concilium extollere, ut apertissime ex eadem Bulla demonstratur.

Ad examen modo revocando quæ ex Concilio Lateranensi V. pro Romani Pontificis supra Concilium præstantia stabilienda afferuntur, juvat afferre quæ habentur in Constitutione Leonis X. edita eodem Sacro approbante Concilio, qua etiam pragmatica Sanctio fuit abrogata: *Nec illud*, ait, *movere debet quod Sanctio ipsa, & in ea contenta in Basileensi Concilio edita, & ipso Concilio instante, a Bituricensi congregatione recepta, & acceptata fuerint, cum ea omnia post translationem ejusdem Basileensis Concilii per Eugenium Papam IV. prædecessorem nostrum factam, a Basileensi Conciliabulo, seu potius conventicula, quæ præsertim post hujusmodi translationem Concilium amplius appellari non merebatur, facta extiterint, ac propterea nullum robur habere potuerint: cum etiam solum Romanum Pontificem pro tempore existentem, tamquam auctoritatem super omnia Concilia habentem, Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac dissolvendorum plenum jus & potestatem habere, nedum ex S. Scripturæ testimonio, dictis Sanctorum PP. ac aliorum Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum, sacrorumque Canonum decretis, sed propria etiam eorumdem Conciliorum confessione constet, quorum aliqua referre placuit &c.* Si hæc verba rite perpendantur, unusquisque mirabitur P. Natalem *art. 4. n. 10.* dicere potuisse Leonem X. unaque Synodum Lateranensem omnia decreta Basileensia, facta ante translationem approbasse. Dum Synodum Basileensem *præsertim* post translationem *Conventiculam* evasisse dicunt, non negant hujusmodi ante translationem non fuisse; sed solum asserere voluerunt post translationem magis innotuisse ita se habere, non vero tam clare ante translationem, ac propterea dicere solent Jurisperiti, quod hæc dictio *præsertim* casum *minus dubitabilem exprimit, & implicat magis dubitabilem*. Deinde non-ne asseruit Leo, & cum ipso Synodus Lateranensis Papam supra omnia Concilia habere auctoritatem? Quomodo ergo dici potest confirmasse sæpius repetita ante translationem decreta de Concilii supra Papam potestate?

Mirandum pariter tam Bossuet *cap. 18.* quam Natalem *num. 16.* velle prælationem Papæ supra Concilia in præfata Leonis Constitutione assertam, referendam solum esse ad eadem Concilia convocanda, & ex justa causa dissolvenda. Si observassent exempla quibus Leo stabilire assumpsit Romani Pontificis supra Concilia auctoritatem, utique vidissent non ea solum referre, quibus ostenditur Concilia convocasse, dissolvisse, aut transtulisse, sed ea quoque, quibus probatur Pontificum mandatis Concilia obtemperasse; unde refert Ephesinam primam Synodum Cœlestino, Chalcedonensem Leoni, sextam Agathoni, septimam Hadriano &c. obtemperasse. Illud insuper antiquorum Conciliorum exemplo ostendit, nempe eadem humiliter petisse, ac obtinuisse a Romanis Pontificibus eorum quæ gesserant approbationem, confirmationemque. Cum igitur Leo etiam Conciliorum exemplo stabilire assumpserit Romani Pontificis potestatem esse Conciliis superiorem, atque ea ratione ostenderit Pontificum jussa adimplevisse, & actorum confirmationem efflagitasse, prorsus absque fundamento dicitur Pontificis potestatem dumtaxat ad convocanda dissolvendaque ex justa causa Concilia extendisse.

Addunt Natalis & Bossuet, quod cum Concilium Constantiense semper œcumenicum extiterit, Basileense vero usque ad translationem, ipsorum decreta omnino præferenda iis sunt, quæ affirmavit Leo in Concilio Lateranensi V. quod numquam œcumenici prærogativam obtinuisse asserunt. At quid prohibet affirmare juxta ea, quæ adnotavi in Animadversionibus post Concilium Constantiense, decreta Constantiensia nullatenus a Concilio œcumenico prodiisse, unaque absque examine sufficiente, nec alium Pontificem nisi dubium respexisse? Concilium vero Basileense statim post ipsius exordium legitimum esse desiisse dixi §. 1. Demum tam Constantiensia, quam Basileensia decreta, quod Concilii auctoritatem supra indubitatum Pontificem, numquam fuerunt a Romano Pontifice confirmata. Nemo e contra negare audebit Concilium Lateranense V. non fuisse legitimum, omniaque ab eo sancita Pontificis confirmatione fuisse roborata. Quamvis autem non una sit DD. Sententia in decernendo an fuerit œcumenicum, observo olim Gallos de hujus Concilii auctoritate non

male

mele sensisse. Constat enim Ludovicum XI. Galliæ regem Legatos suos, Cardinalem nempe Sanseverinum, Cleudium Seissellum, electum Episcopum Massiliensem, & Ludovicum Furbin ed illud Concilium misisse, ac exhibitis regis literis professos esse ipsum Regem Concilio Pisano, omnibusque in eo peractis renuntiare: Concilio vero Lateranensi tamquam *legitimo, neico, indubitato, & OECUMENICO* adhærere, & quemprimum fieri poterit, effecturum, ut aliqui Prælati & insignes viri nomine Ecclesiæ Gallicanæ cum sufficienti mendato mittantur, qui Concilio adhæreant, & assistant, quemadmodum cæteræ nationes. Anno vero sequente Massiliensis Episcopus publicis instrumentis, litarisque Concilio exhibitis testatus est Cabilonensem, Lexoviensem, Ambienensem, Engolismensem, & Laudinensem Episcopos una cum aliquot Doctoribus in Theologia & utroque jure Pontificem adire, ob tenunciandum Pisano conventui, & Synodo Lateranensi adhærendum. Hæc omnia habentur ex ejusdem Concilii Actis *sess.* 8. *&* 9. & ex Spondano ad an. 1514. n. 3. His autem perpensis judicet Lector cuinam Concilio potior adscribenda sit auctoritae, an nempe Constantiensi dum sessionem quertam & quintem celebrevit, & Basileensi, an vero Laterenensi V. Mihi sane setis esset considerere huic Romanum Pontificem adhæsisse, ejusque Acta confirmesse.

Cæterum non dico præstantiam Papæ supra Concilium in Synodo Leteranensi per modum dogmatis assertam fuisse. Quie tamen negebit hujusmodi doctrinam a Pontifice pronuntiatam, tamquam S. Scripturæ sanctisque PP. consonam, ac plurimis antiquæ Ecclesiæ documentis probatam, magnam non obtinuisse firmitatem? Fuis ne aliquis qui responderet aliter legitime vel Constantiæ, vel Basileæ sancitum fuisse?

Ex iie demum quæ in Concilio Tridentinu evenere, quæque etiam narras Natalie n. 17. apparet Ecclesiam, Gallicana excepta, sensisse Pepam Concilio præesse. Soli igitur Præsules Gallicani dici noluerunt Pontifici inesse potestatem Ecclesiem universalem regendi, ne ex hajusmodi prærogativa Concilio superiorem esse inferretur. Cum vero cæteri Patres hujusmodi potestatem Romano Pontifici non denegerent, nec illum Concilio subesse agnuscebant. Quia vero solemne fuit Concilio Tridentino solum exortes hæreses confingere, hujusmodi disputationibus, ipso etiem Pio quarto adnuente, finis impositus fuit. Ne vero e contra aliquid a Concilio affimari videretur, ex quo suæ potestati etiam Romanum Pontificem subdi posset affirmari, noluerunt Præsidea dici a Concilio universalem Ecclesiam repræsentari; ex hac etenim ratione additum fuit in Concilio Constantiense Concilium immediase a Christo auctoritatem habere, cui etiem Papa obedire teneretur. Id quidem in ea Synodo dici potuit, nam in Puntifices dubios dedebat sententiem pronunciare, nihiluminus quod Constantiæ affirmatum est, noluerunt in Synodo Tridentina denuo transcribi, ne crederetur suam potestetem etiam in Papam certum posse exercere, ut in Concilio Basileensi eveneret. *Pallavic. l. 6. c. 9. num.* 11.

Quod Gallicani PP. in Concilio Tridentino dici noluerunt, non refragetus est faseri Clerus Gallicanus in Comitiis habitis *an.* 1626. *Cum specialis*, inquit, *Spiritus S. assistentia sit necessaria, ut quis tanti momenti geberein, QUALE EST ECCLESIÆ UNIVERSALIS, prasit, Patres valeere ie omnibus suarum Diœcesum precibus specialiter pro S. Patre, qui in S. Petri cathedra sedebit, oraedem esse &c.*

§. VI.

Academie quæ Concilii œcumenici potestatem etiam supra Papam certum extelerunt, nullum pondus faciunt aectoritatis. Alia etiam expendentur ad inspiciendum quid de ipsarum opinione senserint Principes, & Ecclesia Gallicana.

NOn desinit P. Natalis art. 6. extollere consensum Academiarum Viennensis, Ersordiensia, Coloniensis, & Cracoviensis Concilia œcumenica supra Papam extollentium, eerumque dicta velut oracula veneratur. At ab eorum jactando consensu, quasi eeinde firmissimum argumentum pro ea, quem tuetur sententia, desumi posset, cessasset, si sequentia considerasset. Primo, quod præcipue dum homines nimis ad aliquod sustinendum intendunt, ægre serentes a propria discedere sententia, fecile decipiuntur, aliosque in errorem trahunt. Hinc non Academiæ, sed repetitæ, ac numero Antistitum percelebree Synodi provinciales, quie propriæ nimis addictæ opinioni, acquiescere Stephani Romeni Pontificis decretis noluerunt, errorem de hæreticorum anebaptismo tanta contentione non semel statuere; ipseque S. Cyprianus tamdiu, & tania pertinecia in eo errore perseveravit. Quod si Synodi Provinciales sæpius pro errore tuendo adversus Pontificem conspirarunt, non mirum si Acedemiæ, quibus nulla potestar est Ecclesiam pescendi, potuerint adversus veritatem pugnare.

Animedvertendum deinde, quod dum Academiæ animo pacato, ac solum schismati suffocando intentæ, præsentem, in qua versemur, controversiam inspexere, solum statuerunt jus esse Concilii Œcumenici de Papis dubiis judicare, eosque pertinaciter Papatum resiuentes e Papatu ejicere. Juvat igitur repetere placita. Universitatum Parisiensis, & Bononiensis, a quibus usque a tempore Concilii Pisani hoc prodiit decretum: *Quod stante dubio Papatu inextricabili propter dubium facti & juris, ee in subversionem fidei Ecclesia sic remaneat divisa perpetuo, cum tanto scandalo, & animarum perditione, provisio spectat ad Concilium, & Ecclesiam Universalem, ut utrumque, eis non cedentibus, possit a Papatu ejicere.* Conclus. Univers. Paris. & Bonon. in lit. Card. ad Gregorium XII. an. 1408. apud Dacher tom. 6. Spicileg. & apud Labb. tom. 11. Ita sentiebant Academiæ, dum non adhuc animi adversus Papæ potestatem incaluerant.

Quod vero maxime postquam Basileenses adversus Papæ etiam certi præstantiam perstreperunt, Concilioque subdidere, tot Academiæ eidem adhæserint sententiæ, nil mirum est. Jam ex superioribus constat, docetque etiam Spondanus ad *an.* 1431. c. 11. Concilium Basileense, non tam Episcoporum, quam Presbyterorum Synodum fuisse; unde non magie habebatur Episcoporum suffragium, quam Professorum seu Graduatorum in Theologiæ, seu utriusque Juris facultatibus, sicut etiam Canonicorum, ac Rectorum Parochialium. Cum igitur Basileæ convenissent Doctores Academierum Poloniæ, Germaniæque, atque consensissent in Eugenii depositione, & electione Antipapæ Amedei, nomine Felicis V. assumpti, eædem Academiæ tam ipsorum Doctorum suesionibus, quam ad ipsorum crimen removendum, responsa dederunt, quibus Concilii auctoritas, etiam ad dejiciendum e sua Cathedra Papam indubium extendebatur. Et revera sua responsa dederunt an. 1440. 41. & 42. quando illæ Facultatee schisma tuebantur; & exinde ortum est quod Conciliorum præstentia in Pontificem, etiam temquam Fidei dogma habebatur. Augustinus etiem Patricius in Historia Concilii Basileensis hæc hebet: *Per hoc tempus Parisiensis Schola, instantibus Basileensibus, Concilio Basileensi se adhærere professa est, & plurima Germaniæ Gymnasia, ut Viennense, Erfordiense, Coloniense, & etiam Cracoviense in Polonia.* Ad instentiam ergo Schismaticorum Papam Concilio subdidere.

Mihi placet etiem hic considerere præfatarum Academiarum responsa, nec in Summo pretio habuisse Principes Germaniæ. Ita igitur Academiæ Erfordiensis, Vindobonensis, atque Coloniensis, amplexæ fuerant decreta Basileensia, ut dixerint a non deficiente potestate manasse, & ad certos Pontifices traducenda. Dum igitur ex sensu isterum Academiarum Decreta de potestete Concilii supre Papam omnino irreformabilie respexissent, numquem Eugenio, relictu Amedeo adhæsissent, si talia Decreta nihili æstimanda fuissent. Ut diai autem supra, Eugenius ad suos Legatos in Germeniam rescribendo, Concilium Besileense, usque ad transletionem se suscipere dixit absque præjudicio juris, Dignitetis, & Præeminentiæ S. Sedis Apostolicæ, ac potestatis in eadem Canonice sedentibus concessæ. In literis vero datis Germaniæ Legetis, quæ incipiunt: *Inter cætera desideria &c.* & habentur in Bullario Eugenii IV. Constit. 29. multa quidem Germaniæ Principibus studio pacis concessit, nec verbum autem de confirmatione Decretorum Concilii Basileensis. Cum proinde inter pacis propositiones apud Gobelinum in Comment. Pii II. L. 1. una esset, ut ab Eugenio *potestas, & praeminentia Conciliorum qualem ipsius Oratores in Germania asseruerant, approbaretur*, dicendum est eam tantum approbationem expetiisse, quæ haberi poterat absque præjudicio juris, dignitatis, & præeminentiæ Sedis Apostolicæ; sub his enim conditionibus Concilium Basileense sibi probari ad suos in Germania Oratores scripserat.

Non diffiteor Poloniæ, ac Germaniæ Academiis etiam Lovaniensem quodammodo visam esse tunc accessisse,

cessisse, quamvis non desint, qui velint nullo suo Decreto Concilii præstantiam supra Papam propugnasse. Ideo autem cum præfatis Facultatibus tunc sentiebat, quia cum paulo ante ortum habuisset, & Doctores qui eam instituerant, Parisiensis, Coloniensis Facultatis essent alumni, suis opinionibus eam imbuebant. Quod si, ut fatetur Natalis n. 51. dum Pontifex errori non sit obnoxius, necesse non sit illum Concilio subjicere, a quo ipsius judicium reformetur, en quod Facultas Lovaniensis an. 1544. hoc protulit Decretum: „Certa fide tenenda sunt non solum quæ a Scriptura expresse sunt tradita, sed etiam quæ per Traditionem Ecclesiæ Catholicæ credenda accepimus, & quæ definita sunt super Fidei, & morum negotio per Cathedram Petri, vel per Concilia Generalia legitime congregata. His verbis Facultas Lovaniensis, non solum fidei regulam a Concilii Generalis definitionibus, sed etiam a Cathedra Petri eruendam docuit.

Omittendo demum, quæ prius senserit Academia Parisiensis de Papæ supra Concilium præstantia, nam hac de re satis actum est in Animadversionibus, quibus eamdem Papæ vindicavimus, operæ pretium hic est sub oculos exponere, quæ Episcopus Meldensis Princeps Oratorum Caroli VII. Regis Galliæ professus est in Oratione, quam habuit Florentiæ an. 1441. coram Eugenio IV. ac publico Purpuratorum Senatu, dum adhuc Concilium Florentiæ sedebat. Ita ergo primo suam Orationem instituit: „ Beatissime Pater, dicimus, Princeps Noster esto, non quasi quidquam de tuo Principatu dubitemus, aut nunc novi sub te veniamus, sed dicimus: Princeps noster esto, conditionem hujus Principatus a te instanter postulantes; nam tuum Principatum Monarchicum esse a Deo, nedum secundum communem universi Providentiam, sed etiam speciali institutione inter opera restaurationis Mundi a Cristo institutum, teque vera legitimaque successione illum possidere palam recognoscimus, & confitemur. Exponens deinde talem esse Romani Pontificis Principatum, ut nihil deserere debeat pro præcavendis periculis, sicut vigilans navis patronus, nec debere illum exercere, sicut Principes Gentium, qui superbiunt in usu suæ potestatis, bona ad suæ libitum voluntatis distribuunt, sicut & suæ voluntatis, libidinem attendunt in propria explicanda potestate, sed omni elatione cordis semota, & in bonorum distributione, usuque potestatis, sanctas jam sancitas regulas inspiciendo, ita prosequitur: „Hic, Pater Beatissime, fodiendum est, quoniam hic latet tota calamitas præsentis Ecclesiæ: sæpe enim dictum est, quod duæ extremitates sunt causa destructionis Ecclesiæ, una siquidem fuit & est illorum, qui voluerunt uti hac potestate sine regulis Patrum, & illam exercere sicut Principes Gentium suam exercent potestatem, puta sola voluntatis libidine. Alia autem extremitas est eorum, qui ut resisterent hujusmodi abusibus, & voluntario exercitio hujus potestatis, ipsam potestatem supprimere conati sunt, & nimio fervore resistendi, ad hanc vesaniam devenerunt, quod supremam potestatem in uno Supposito consistere denegant, sed eam in multitudine, quæ cito in diversa scinditur collocant, & sic pulcherrimam Monarchiam Ecclesiæ, quæ Christianos hucusque tenuit in unitate Fidei, in una professione Religionis Christianæ, in uno ritu Sacramentorum, in una observantia mandatorum, in eisdem cæremoniis Divini cultus, atque ad pacem, & tranquillitatem asservit, nunc abolere, & supprimere contendunt, nobilissimam politiam, quæ beatitudinem cœlestem habet pro fine, ad democratiam, sive aristocratiam redigentes, & ulterius in malis procedendo, unum sibi in Capite assumpserunt, qui non eis præfertur..... Porro Concilium olim Basileense unam extremitatem nimis exacuit, quando veritatem de suprema potestate in uno extinguere pertentavit. Concilium autem Florentium hanc veritatem bene quidem lucidavit, ut patet in Decreto Græcorum; sed pro regulando usum hujus potestatis nihil edidit, nihilque locutum est, unde reputatur a multis aliam extremitatem exacuisse &c.

Hujusmodi Galli Oratoris verba improbant Basileensia decreta quibus Concilium supra Papam sublatum est, atque huic in terris suprema denegata est potestas; quapropter palam faciunt, non eam fuisse communem in Gallia sententiam, ut Pontifex Concilii mandatis obsequi deberet, sicut sæpius conclamaverant Basileenses. At Bossuet *in Defens. Declarat. Cler. Gallic. p. 2. l. 10. c. 16.* Meldensis Episcopi Orationem in nihilo adversari contendit sententiæ pro Conciliorum auctoritate supra Papam decertanti. Dicit igitur hunc Oratorem ad deliniendum Eugenii animum verba sua accommodasse, ut ita facilius flecteret ad novum Concilium in Gallia indicendum. Addit in Basileensibus solum improbasse, quæ gessere ab Eugenii depositione, usque ad Felicis electionem, non vero quæ antea recto ordine ab eis fuerint constituta. Si nihilominus Antistitem Meldensem inter perditissimos illos Assentatores accensere nolimus, qui verbis suis ab iis, quæ in corde retinent, dissentiunt, dicere cogimur Romani Pontificis potestatem supra Concilium expresse extulisse. Primo igitur nulla adhibita limitatione Pontificis principatum, ipsi a Christo collatum, Monarchicum appellat; & Monarchæ jura ille vere potiri dicitur, qui in suo Regno omnibus imperat, nullaque est potestas, cui obedire teneatur. Improbat illos deinde qui supremam in Ecclesia potestatem in uno Supposito denegantes, multitudini concedunt, ita constitutam a Christo Monarchiam destruentes. Si in uno ergo Supposito, in una nempe Pontificis persona, suprema est collocanda potestas, & a multitudine removenda, cui inferior, quæso, erit Pontifex, dum Antistitum multitudini eadem potestas denegatur? Si nolebat sapiens Antistes Ecclesiæ Monarchiam ad Democraticum sive Aristocraticum regimen redigi, non-ne in uno solo contineri affirmabat? Contra hæc omnia vero Basileensium decreta, quibus non semel, nec bis ante ejusdem Concilii translationem, Pontificem Concilio subesse statuerant, pugnabant. Veram profecto in Ecclesiam Monarchiam destruxerant, dum uni Pontifici supremam denegatam potestatem Concilio tribuerant, utque ita Ecclesiæ guberninm ad Democraticum, seu Aristocraticum redegerant. Non eo ergo tantum tendebat præstantissimi Legati Sermo, ut Basileenses pro attentata Eugenii depositione, & Felicis electione reprehenderet, sed etiam quia ab uno Romano Pontifice supremam Monarchicam potestatem suis Decretis removendo, pulcherrimam Ecclesiæ Monarchiam abolere veriti non fuerunt. Hac autem agendi ratione ita ultra progressos conqueritur, ut Felicem eligendo, Caput sibi assumpserint, qui eisdem non præferretur: Unde demum concludit Basileenses *veritatem de suprema potestate in uno extinguere* pertentasse. Nescio an clarioribus verbis potuisset Legatus Concilium Papæ potestati subdere, & Basileensia Decreta id denegantia improbare.

Nec refert Meldensem ab Eugenio expostulasse Concilium, ut inspicerentur Decreta Sanctorum pro regulando usu Pontificiæ potestatis. Non, inquam, hoc refert; nam solum semotam a Pontifice volebat eam potestatem, quæ voluntatis libidinem pro regula inspiceret; & ne hoc objicere possent Romani Pontificis Detrectatores, regulas hujus potestatis in Concilio Generali ad examen revocandas optabat. Hinc in sua Oratione dicere prosequutus est, non deesse Papæ absque Concilio potestatem, qua Ecclesiæ necessitatibus occurrere posset; at ad effectum hoc non perducturum absque Concilio, quia valde diminuta tunc erat Romanæ Curiæ auctoritas. Expostulabat igitur Concilium, quo Romani Pontificis potestas televaretur, quia tunc temporis ita necesse erat, *cum Conciliorum Generalium auctoritas apud populum vigeret*; & quia potestatis S. Sedis Detractores, eum Concilii Generalis auctoritate se protegerent, non possent *melius obrui, quam efficacia vaias Concilii Generalis*. Addidit nihil a multitudine Antistitum pertimescendum adversus Papæ Monarchicum Principatum; nam non expostulabatur Concilium indisciplinatæ multitudinis, quale exoptassent Basileenses, sed multitudinis, quæ Dei legibus frænaretur, & quæ *Monarchiam tamquam legationem Dei omnipotentis pro obedientia amplectitur, & veneratur, & maxime in spiritualibus*. Et eo maxime quia, si aliorum Principum Monarchia ab populi consensu ortum habuit, *Pontificis Monarchia* non ab homine, sed de cœlo venit; illam enim attestantur Evangelia, illam prædicant Sanctorum testimonia, illam tenuit hucusque universalis Ecclesia, seu Universalis Ecclesiæ observantia. Quod ergo præstandum erat a Concilio a Gallis expostulato, non erat legem Pontifici tradere, sed desiderabatur Concilium, quia circumstantiæ illius temporis suadere videbantur, non posse absque Concilio Papæ Adversariis silentium imponi, illum criminantibus, quasi pro sola sua voluntate Ecclesiam regeret, non juxta regulas, quibus jam explicata fuerat, qualis esset Romani Pontificis potestas. Hinc has regulas optabat a Concilio considerari, ne amplius os loquentium iniqua adversus Papam loqui auderet. Monarchiam proinde Pontificis potestatem divinitus ipsi collatam, a multitudine Patrum in Concilio venerandam asserit,

quo-

quoties a Basileensium genio abessent, dum nempe Dei legibus compescerentur. In hæc etiam verba Antistes Orator erupit: *Quid, quæso, magis posset in perpetuitatem Schismatis tendere, quam Monarchiam Ecclesiæ, qua Christianos tenuit in unitate, tollere, & abolere, quam auctoritatem supremam multitudini, quæ cito scinditur, tribuere? quam potestatem judicandi Superiores Inferioribus dare, & sic de multis aliis, quæ in praxi, & doctrina Basileensium concurrunt, quibus semel junctis, & stantibus non est pax in Ecclesia Dei possibilis.* Hæc omnia si perspiciantur, nemo erit cui asserere non placeat, Bossuet de examinanda Meldensis Antistitis Oratione non curasse, dum ex ea nil adversus Conciliorum supra Papam præstantiam colligi ipsi visum est. Interim vero dum Episcopum Legatorum Galliæ Regis primum supremam Monarchicam Pontificis potestatem publice celebrasse, ac Basileensium Decreta improbasse, quisquis animadvertit, in animum sane inducere non potest, saltem communem tunc non fuisse in Ecclesia Gallicana eam sententiam, quæ Papam Concilii mandatis subditum decernit. Improbatum in Gallia quis dixeris, quod Antistes Gallicanus Regis Orator de præeminentia Pontificis supra Concilium decreta Basileensia improbando profitetur?

Quia tamen ex Actis Conventus Bituricensis, Ecclesiam Gallicanam Basileensium Decreta suscepisse, tamquam a legitima edita potestate, dicit P. Natalis, omittendum hic non putavi, quod habet Spondanus ad an. 1438. n. 22. *Tanta*, ait, *libertate in recipiendis, rejiciendis, truncandis, ampliandis Basileensium placitis usi sunt, ut potentissime se etiam Judices Conciliorum Generalium, quale Basileense agnoscere præseferebant, constituerint. An vero hic dicetur Ecclesiam Gallicanam approbasse, ac recepisse Concilium Basileense? Nugæ hæ sunt, & impostura. Absit a puritate, & dignitate Ecclesiæ Christianissimæ tanta calumnia. Si quid ejus illa recepit, non ut ab ejus auctoritate obligatoria (qualis omnino debuisset esse, si vera ejus decreta, ... [illegible] legitimæ Synodi Oecumenicæ agnovisset) recepit, sed velut a prop... [illegible] quæ utilia, & conducibilia existimabat, ita ut libitum esset, quæ vellet recipere, quæ nollet, rejicere, uti & fecit tam hac in re, quam nonnullis aliis auctoritate regia, ac propria.*

Si iis quæ dicit Spondanus animum intendisset P. Natalis, abstinuisset ex Actis Conventus Bituricensis auctoritatem Decretis Basileensibus tam sæpe conciliare: dum etenim quæ ad sua commoda conducebat, Ecclesia Gallicana recepit; quæ vero sibi incommoda erant, respuit, aperte demonstravit nihil illius Concilii auctoritati detulisse. Ita etiam pro nihilo habuit Decreta Basileensia, Papam infra Concilium collocantia, quamvis in præfato Conventu approbata viderentur: unde, ut paulo ante dictum est, Episcopus Meldensis tam solemniter Papam Concilio prætulit in Oratione habita coram Eugenio, & Cardinalibus, nondum Florentina Synodo dissoluta. Ita sentit etiam idem Spondanus Appamiensis Antistes, qui perinde Gallicanæ Ecclesiæ sententiam probe callebat; unde an. 1418. num. 5. Decreta de auctoritate Concilii supra Pontificem certum pugnare non diffitetur contra praxim antiquæ Ecclesiæ, & auctoritatem a Christo Domino Petro collatam; sicut etiam hujusmodi decreta agnoscit contraria *ipsi naturæ rei: cum caput debeat membra regere, non regi a membris*. Propterea ibidem notat, & jam antea adnotaverat, ubi sessionis quartæ, & decimæ sextæ Concilii Constantiensis decreta expendit, ea respexisse Pontifices dubios, sicut etiam Pontifices qui in sui abdicationem consenserant, quoties deliberatum esset quis verus existit.

§. VII.

Basileenses veri Schismatis crimine facile notabit quisquis animum advertet ad eam agendi rationem, qua Eugenium deposuerunt, eique Felicem suffectum voluerant.

Schisma voluntariam ab unitate Ecclesiæ importat separationem, ut docet Angelicus Doctor 2. 2. *q. 39. art. 1.* Schismaticus enim se subtrahens ab ea obedientia, quæ legitimo Capiti præstanda est, discindit communionem, subjectionemque inter Caput, & membra servandam. Veri ergo Schismatis reos judicandos Basileenses facillime quisquis conspiciet, qui quomodo se gesserint in deneganda Eugenio IV. Obedientia considerabit.

Statim ac ergo Basileenses, quia Eugenius Concilium Ferrariam transtulerat, ausi fuerunt ipsum a Papali administratione suspendere, reclamantibus licet plurimis Regum, & Principum Oratoribus, major Præsulum pars eaque auctoritate & dignitate excellentior, Eugenii mandatis obedit, ipsique adhæsit; quos inter fuit Cardinalis S. Angeli Legatus, qui Venetias ad Græcos excipiendos perrexerat. En ergo Ferrariæ Concilium coactum, ubi Romano Pontifice Præsidente, amplissimus numerus, tum Orientalium, tum Occidentalium Antistitum aderat; quapropter statim apparebat illos, qui in sua pertinacia obdurati Basileæ perseverabant, legitimum conflare non potuisse Concilium, multoque minus Œcumenicum, quod posset Universalem Ecclesiam repræsentare. Ut deinde sibi viam sternerent ad omnino denegandam Eugenio obedientiam, & e solio Pontificio, quantum in ipsis erat, deturbando, ipsum impudentissima insania inter hæreticos accensendum reputarunt, ea nempe ratione, quia se subditum Concilio noluisset agnoscere, quod inter veritates Fidei ut in superioribus dictum est, & narrat ipse P. Natalis in præcedenti Dissertatione numerarunt; ac ita Concilio subjectionem denegando, Ferrariam Basilea idem Concilium transtulisset. *Inter disputandum*, ait Æneas Sylvius, tunc Basileensibus addictus, ipsorumque acta recensens lib. 1. *triplex emersit opinio: alii namque hæreticum Eugenium affirmabant; alii non solum hæreticum, verum etiam relapsum; tertii eum nec relapsum, nec hæreticum fateri volebant .... Tandem sententia vicit, ut hæreticus atque relapsus Eugenius diceretur*. Hæc vero, quamvis potius inferiorum turba Sacerdotum statuta voluisset, quorum caput erat Cardinalis Arelatensis, qui Episcoporum tunc non curandum dissensum ajebat; & quamvis Panormitanus rei indignitate commotus, & Ludovicus Romanus Protonotarius potissimum penes Episcopos sententiam esse decretoriam in Conciliis dicerent, ut ex Sylvio *de Gestis Basileensibus lib.* 2. nihilominus ob hæresis somniatum crimen Eugenium exauctorare aggressi sunt. Verum tanto tumultu hæc gesta fuisse narrat idem Æneas Sylvius, ut post... [illegible] Panormitanus Reges, Principes, & Prælatos contemni conquestus sui... [illegible] *tantus exortus est clamor, quantum solet in prælio tubarum clangor, & equorum fremitus audiri, cum signis collatis, duo invicem concurrunt exercitus* ... Hinc factum est, ut pluribus reclamantibus Episcopis, & Principum Oratoribus, non potuerit Arelatensis nisi cum paucis ex seditiosorum turba iniquum suum decretum contexere, ut advertit Raynaldus ad an. 1439. num. 21. Ubi vero tandem ad exsecrandum illud facinus Arelatensis cum suis Asseclis devenit, quo Eugenium Romanis infulis impio decreto expoliavit, id fecit, iterum obsistentibus Principum Oratoribus, ac majori Præsulum parte reclamante.

Quot autem adfuerint Antistites in ea sessione in qua Eugenius a Papatu fuit depositus, ita narrat Æneas Sylvius *l. 1. de Gest. Concilii Basil. In qua*, ait, *nullus Aragonensium Prælatorum interfuit, nullusque omnino ex tota Hispania, ex Italia, soli Crossetanus Episcopus, & Abbas de Dona .... Ex duabus aliis Nationibus, mitrati fuerunt solum viginti. Isti autem ob propria flagitia, vel Episcopatus honore fuerunt orbati, vel inanem Episcopatus titulum præ se ferebant, cum nullo jure eodem insigniti fuerint a contumacibus Basileensibus; vel in inobedientia contra Papam abduruerunt, ex hoc consecuturos quod ambitiose sperabant, reputantes*. Spondanus vero ad an. 1430. num. 10. ita numerum Prælatorum restringit. *Crescente dissensione, adeo diminutus est eorum numerus, ut cum judicium in Eugenium intentarunt, vix triginta adfuerunt, & in ejus depositione septem tantum Episcopi*. Guillelmus de Montioye Episcopus Biterrensis a Rege consultus inter quatuor, ut vocat, Avisamenta, nempe monita consiliaque, quæ eidem Regi dedit, secundum erat istud: ut *processus factus per paucos Segreges contra Pontificem Eugenium nulla modo admitteretur*: apud Spondan. ad annum 1438. num. 23. Cæteri ergo infulati, quos viginti adfuisse narrat Sylvius, erant Abbates. Turrecremata in responsione ad Basileenses, ex triginta Episcopis, qui tunc Basileæ fuisse dicebantur, octo, vel novem tantum huic Sessioni adfuisse narrat, quos nominatim recensens, & pravis moribus imbutos describens, ac præcipue impotenti adversus Eugenium odio, ita tandem concludit: *Ecce nomina, ecce merita, ecce numerum eorum, qui furore perculsi, nomen Ecclesiæ universalis sibi usurpantes, auctores fuerunt cum complicibus suis decretationis erroneæ*. Eidem concordat S. Antoninus *Hist. tit.* 22. *cap.* 10. *§.* 4. & Patricius in epilogo Auctorum Concilii, ubi deposi-

tioni Eugenii septem dumtaxat Episcopos interfuisse recenset. Idem expressit Nicolaus Cardinalis Cusanus in Conventu Mogantino apud Spondanum ad an. 1441. num. 6. Postquam enim Joannes Carvajal multa, & miranda dixit adversus Legatos Basileenses qui supremam Conciliorum potestatem, & rectum Concilii judicium in depositione Eugenii asseruerant, Cusanus, quæ dixerat Carvajal præclare confirmavit, addiditque, Eugenii depositionem a septem tantum Episcopis factam fuisse, cum simplicis Episcopi depositio a paucioribus duodecim irrita fieri non possit. Demum Rodericus Sanctius *Hist. Hisp. p. 4. c. 35.* exiguum illorum numerum, qui Eugenii depositionem per summam audaciam decrevere, ita describit: *Tandem præter eorum, & omnium Principum assensum, nonnulli nomine Concilii de facto deposuerunt eumdem Dominum Eugenium Papam quartum, & elegerunt Amedeum Ducem Sabaudiæ, Felicem appellantes. Quam electionem Catholici Principes non receperunt, præsertim Joannes Rex Castellæ: qui pro veritate & honore, & auctoritate Romanæ Ecclesiæ, & ejusdem Eugenii justitia, & innocentia misit me Episcopum Palentinum, tunc in minoribus agentem, Oratorem suum ad Imperatorem Fridericum, & plurimos Reges, & Principes.*

Oculum vero flectendo ad eos, qui Eugenio Felicem Antipapam suffecerant, abjectissimos homines nuncupavit Blondus *dec. 30. l. 10.* quos rabies ad scindendam Ecclesiam impulerit, ac animadvertit inter triginta-tres Electores, quibus jus electionis a Conciliabulo fuit concessum, duodeviginti ex Ducis Sabaudiæ dominio fuisse, aliosque sordidos extitisse homines, a propriis sedibus ob admissa flagitia expulsos, & Felicis muneribus corruptos. Poggius vero Florentinus in sua Invectiva in Antipapam, electores Felicis fraudulentos nuncupat, corde improbos, animo facinorosos, detestandos, sacrilegos, infames, & ex turpitudine omnium gentium collectos, perditos Sathanæ alumnos, viros scelestos, omnium ignominia notos, natos ad pastum, ad infarciendum ventrem creatos. Hinc S. Joannes de Capistrano *de Pap. & Concil. auctor. p. 3.* ait: *Jam videmus abominationem desolationis, Amedæum Sabaudiensem, non in loco sancto, Romano Throno, Domino prohibente, sed in loco profano, excommunicato, & interdicto, Basiliscorum spelunca, Dæmonumque caterva, sedentes in suo Cathedra, Persarum olim perditissimi Reges.* Et S. Antoninus *tit. 22. cap. 10. §. 4.* ait, Amedæum inthronizatum fuisse, non in Sede Petri, sed Luciferi, Basileamque peperisse Basiliscum.

Et revera cum Cardinalis Arelatensis prævidisset eo in scelere Prælatos non consensuros, & se ab ipsis deserendum, ut quadam pietatis pompa ad Eugenii dejectionem procederat, incautisque fucum faceret, in locum Sessionis plurimas Sanctorum reliquias jussit apportari: *Cogitarat*, ait Æneas Sylvius lib. 1. de Gest. Basileens. *quod erat futurum plurimasque Sanctorum Reliquias tota urbe perquiri jussit ac per Sacerdotum manus in Sessione portatas, absentium Episcoporum locum tenere.*

Qui hujusmodi, animo a præjudiciis non occupato, perlegerit, illico inspiciet, non Concilium, sed Conciliabulum fuisse illud, quod Basileæ celebrabatur, maxime postquam illud Eugenius Ferrariam transtulit, ibique cum magno Latinæ Græcæque Ecclesiæ Præsulum numero novum Concilium inchoavit. Ipsius deinde Acta sana conciliabulo respondisse demonstrant, cum per summam insaniam, & audaciam, Eugenium hæresis crimine damnaverint, iis non auditis, immo perterritis, qui ab hoc scelere perduelles illos Basileenses removere conabantur; cum per tumultum, inconditosque inferiorum Sacerdotum clamores, ipsius Eugenii damnatio, Bonis omnibus ingemiscentibus, fuerit expostulata, & cum per paucos Præsules, eosque variis criminibus inquinatos, usque ad Eugenii depositionem impudentissime pervenerit. Quod si vere conciliabulum fuit, unde a Sanctissimis, ac doctrina insignibus illius ætatis viris, appellari meruit viribus cassum, Satanæ Synagoga, conventus temerarius, præsumptuosus, profanus, excommunicatus, interdictus, spelunca Basiliscorum, dæmonum caterva, nulla mihi suppetit ratio qua a perniciosissimi Schismatis culpa valeam eos excusare, qui parvipendentes legitimi Pontificis jussa, contumaci inobedientia sese a capite nulla ratione sejunxerant. Si deinde consideretur, quo agendi modo & quam falso crimen hæresis objiciendo, ab Eugenii obedientia Basileenses se subduxerint, difficillimum unicuique videbitur, per paucos illos Antistites, qui in legitimum Pontificem, illum etiam deponendo, insurrexere, tanta laborasse propria criminis ignorantia, ut a gravissima culpa vacaverint. Hinc passim ab illorum temporum scriptoribus, conflati schismatis rei dicuntur, & tamquam veri Schismatici a legitimi Capitis obedientia divulsi traducuntur.

Levia vero sunt, quæ ut illos a Schismatis nota vindicet refert P. Natalis. Quidquid igitur olim actum sit cum Schismaticis ad Ecclesiam redeuntibus, formulam ejurandi Schismatis præscribendo, omissum id fuit prudenti œconomia a Nicolao V. cum Schismaticis Basileensibus. Cum nihil aliud cordi esset Nicolao, quam universæ Ecclesiæ pacem reddere, ut ipsius Epistolæ, quas refert Natalis num. 3. declarant, satis illi fuit Felicem Papatu exuisse, sibique ejusdem Asseclas obedientiam præstare; nil curando an anteactum infandum schisma, non factis solum, sed verbis deberent ejurare. Illud tamen non prætereundum, quod quamvis Lausanæ quo se transtulerant pauci contumaces Basileenses, ipsum Nicolaum iterum eligere præsumpserint, eam tamen electionem non probavit Nicolaus, sed illud dumtaxat quod ad obtinendam pacem Ecclesiæ, ordinaverint, ac publicaverint ipsi ut unico, ac indubitato Pontifici obediendam esse ab omnibus fidelibus, ut præcitatæ literæ testantur.

Vere postea Carolus VII. & fere omnis Ecclesia Gallicana cum Basileensibus & Felice communicaverunt, summopere etenim illis, quæ Basileæ edita fuerunt decreta, arridebant, cum ex illis pragmaticam constitissent sanctionem: nihilominus ea hoc id dumtaxat potuisset eis exprobrari, a Schismaticis nempe non abhorruisse, non vero Schismatis culpa Regem Galliæ, seu Ecclesiam Gallicanam se inquinasse; semper etenim Eugenio unico legitimoque Ecclesiæ Capiti adhæsere. Adlaborarunt quidem in Conventu Bituricensi Oratores Basileenses, & Felicis, ut Rex & Ecclesia Gallicana ab Eugenio sejungeretur; at licet Rex responderit & ipsi Concilio Basileensi semper favisse, nihilominus conquestus est nihil habita ipsius monita, quibus volebat ab Eugenii judicio supersederi: ac tandem protestatus est in Obedientia Eugenii se perseverare, nec alium Pontificem agnoscere. Ita ex Actis Patricianis aliisque inconcussæ auctoritatis Scriptoribus, Spondanus ad an. 1440. n. 7. Cæterum Gallos, qui scissuram Ecclesiæ, cujus auctores fuere Basileenses, citra passionem inspiciebant, veri Schismatis rationem præferre non denegasse, demonstrat Oratio Episcopi Meldensis, jam supra sæpius citata. Ibi eamdem Ecclesiæ scissuram, *naufragosam Schisma*, *Schismatis surtoream voraginem*, *dolorosum schisma*, *dirum Ecclesiasticorum contentionem*, ac sæpe sæpius absque ulla limitatione *Schisma* appellat. Verendum etiam dixit, ne illud Schisma janua esset venturi Antichristi. In quibus coloribus Oratorum Galliæ Princeps Basileensium ab Eugenio defectionem depinxit.

Ex Sanctitate etiam, & miraculis Ludovici Alamandi Cardinalis Arelatensis, qui in Basileensi Conciliabulo præsidebat, ac Auctor fuit omnium quæ in Eugenium intentavit, conatur P. Natalis veri Schismatis notam a Basileensibus removere. At quidem nemo sanctitate conspicuum Arelatensem dixerit, ob ea quæ Basileæ tanta animorum contentione adversus Eugenium promovit. Omnes quidem fatentur, quod post translationem Concilii Ferrariam, unde ad Eugenium omnes Cardinales, ipso Arelatensi excepto, & Cardinale S. Petri Hispano, qui extra Basileam vagabatur, præcipuique Antistites accesserunt, Basileense conventiculum in nihilum abiturum, nisi Arelatensis auctoritate cæteri, qui remanserant, in inceptis perseveranter perstitissent. Uni ergo Arelatensi conflati Schismatis crimen tribuitur, ut ex Spondano ad an. 1438. n. 11. Uni Arelatensi sacrilegum illud decretum, quo Eugenius tamquam hæreticus relapsus damnabatur, spreto Oratorum Principum, ac Prælatorum dissensu, adhibitis suffragiis Minorum Sacerdotum, aliorumque perditorum hominum. Hinc factum est, inter alios etiam Mediolanensem Archiepiscopum adversus illum surrexisse, quod Æneas Sylvius *l. 1. de Gest. Conc. Basil.* ita narrat: *Mediolanensis quoque Archiepiscopus, quod ejus rei periculosissimum exitum judicabat, in Auctorem Arelatensem acerbissimo convitiatus est, ipsum esse, qui Copistorum, Pædagogorumque gregem nutriret, eosque cum eis Fidei concluderet, alium eum Catilinam vocitans, ad quem desperati, & perditi omnes confugerent, illorumque illum esse Principem, & cum illis Ecclesiam regere, nec in re omnium maxima Magnos Prælatos, & Magnorum Principum Oratores auscultare.* Quomodo vero tandem cum turba inferiorum Clericorum ad Eugenium exauctorandum devenerit, supra recensui, atque ut lata in Romanum Pontificem

tificem

tificem sententia ab impietate, & injustitia apertissima vindicaretur, Acta exhibent damnasse Eugenium, ut pacis, & unitatis Ecclesiæ perturbatorem, ut Simoniacum, perjurum, incorrigibilem, schismaticum, a Fide devium, pertinacem, hæreticum, dilapidatorem jurium, & bonorum Ecclesiæ, inutilem, & damnosum ad administrationem Romani Pontificatus. En quomodo, instante Arelatense, perditi illi, qui ipsi adhærebant, suis Decretis animadvertere ausi sunt in Romanum Pontificem, quem tunc temporis utraque Ecclesia Occidentalis, & Orientalis in Concilio Œcumenico Florentiæ coadunato, ut legitimum Christi Vicarium venerabatur. Hæc omnia tam aperte Arelatensis Sanctitati opponuntur, ut saltem tunc zelum secundum scientiam non habuisse certum sit, & nimia credendi calumniatoribus facilitate laborasse. Simultatem etiam adversus Eugenium exercuisse §. 1. notatum est; nam denegato illi officio Cameræ Apostolicæ, quod ipsius Avunculus occupaverat, ejus ambitioni non satisfecerat. Dum vero Eugenius Florentiæ anno 1442. 7. Kalend. Novembris ipsum Abbatia privavit, filium appellavit perditionis, multorumque facinorum reum, ut apud Raynaldum ad an. 1422. num. 9. Si proinde postea Ecclesia Arelatensem in Beatorum albo conscripsit, dicere necesse est, insigni pœnitentia tanta crimina diluisse, ut innuit etiam Spondanus ad ann. 1438. num. 11. ingentibusque lacrymis conflati Schismatis culpam abstersisse, sicut olim S. Cyprianus proprio sanguine crimen delevit, quo Sancti Stephani Papæ Decretis de non iterando Hæreticorum Baptismo restiterat.

Ob Sanctitatem pariter Amedei, qui Felix in sua obedientia fuit nuncupatus, putat Natalis nullatenus opinandum ipsum, ipsiusque Asseclas Schismaticos esse nuncupandos. At quis dixerit Amedeum tunc Sanctitate floruisse, quando ad Petri Cathedram evehi curavit? Si Fides Flavio Blondo habenda esset *Dec. 3. l. 10.* ideo proprium dominium antea abdicaverat, quia a Pithonibus audierat Romano Pontificatu esse decorandum; atque in sua Eremo solo habitu vitam Eremiticam exhibuisse narrat. Addunt quod dum audiit Basileenses ab Eugenio descivisse, nullum non movit lapidem, ut illos adversus ipsum foveret, ipsius depositionem promoveret, & propriam electionem per homines ingentibus facinoribus conspurcatos, & suis muneribus corruptos, solicitaret. Quidquid autem de iis cuique sentire placeat, certum est maculam illam, qua nomen suum obscurasse apud tot Scriptores legitur Pontificatum affectando, postea diluisse, ac singularibus pietatis, & pœnitentiæ operibus, postquam a Pontificum culmine descendit, ac Nicolao V. Obedientiam præstavit, senium suum decorasse; atque ita brevi ad perfectionis culmen evectus, ipse Deus signis testatum voluit, quam gratæ sibi sint lacrymæ peccatoris, qui ex toto corde resipiscat. Cum vero agnosceret quanti æstimandum foret beneficium, quo ab usurpato Pontificatu Deus ipsum dejecerat, dicere solebat, numquam majoribus beneficiis a Deo cumulatum, quam cum humiliaverat: opibus, atque honoribus, veluti quibusdam nebulis intellectum obtenebrari, unde Deum non valet agnoscere, qui proculdubio ad sui amorem solicitat, si agnoscatur: Arbores inspiciendas, quæ quo profundiores in terra radices defigunt, eo grandioribus ramis erga cœlum assurgunt; atque ita excellentioribus virtutibus hominem ad Deum appropinquare ajebat, quo majori demissione deprimitur.

Hucusque dicta, eaque quæ in Animadversionibus pro vindicanda Papæ auctoritate supra Concilium explicavi, satis ostendunt in quibus excesserit P. Natalis, nimis semper addictus contrariæ opinioni. Dogma profecto Ecclesiasticum numquam appellanda sententia Concilium Papæ anteponens: si enim excepta Gallicana, aliæ consulantur Ecclesiæ, antiquæ Gallicanæ Ecclesiæ vestigia fideliter calcare videbimus, solum Deum Romano Pontifici anteponendo. Quam vero infirmæ sint auctoritatis Decreta Concilii Constantiensis, si ad Papam indubium referantur, multoque magis Concilii Basileensis, unusquisque, qui solius veritatis studio pertrahatur, facillime inspiciet.

Illud etiam tam sæpe repetitum ægerrime legi apud Natalem, proponi nempe S. Scripturam, & Traditionem, tamquam firmissima fundamenta, supra quæ consurgit sententia, quæ Concilium supra Papam extollit. Certissime teneo divinam Scripturam, divinasque Traditiones ita nobis Papæ auctoritatem exhibere, ut potius omnino suadeant Conciliis anteponendum; qua de re videnda, quæ fuse protulit in Animadversionibus de Papæ supra Concilium præstantia.

DISSERTATIO IX.

DE ANNATIS.

Ad Decreta Concilii Basileensis Sessionibus XII. & XXI.

De Annatis Opuscula duo scripsi annis ab hinc decem sub titulo Animadversionum in Librum *M. Joannis Launoii* Theologi Parisiensis *De Veneranda Romanæ Ecclesiæ Traditione circa Simoniam*, quo Annatas ipsas velut execrandum Simoniæ genus perstrinxerat. Verum jam distractis a longo tempore horum Opusculorum exemplaribus omnibus hoc argumentum retractare visum est alia methodo, non alio tamen animo, quam Annatas, ut olim, a simoniaca labe vindicandi.

ARTICULUS I.

Annatarum Origo explicatur.

I. Episcopos & Abbates quosdam, seu consuetudine, seu privilegio fultos, Annatas Beneficiorum ad suas Diœceses vel Cœnobia pertinentium exegisse ac percepisse jam inde a duodecimo sæculo, Ecclesiastica Monumenta testantur. *Stephanus* Abbas *S. Genovefæ*, deinde Tornacensis Episcopus, Epistola 82. Éditionis *P. Du Molinet*, apud Rhemensem Archiepiscopum conqueritur de Episcopo Suessionensi, qui Beneficii cujusdam Annatam sibi reservaverat. *Beneficium illud*, inquit, *quod idem G. per Laudunensem Archidiaconum a Domino Suessionensi Episcopo obtinuit, idem Episcopus ex magna parte detruncat, messem hujus anni auferens, ut qui de Altario manducare debuerat juxta Altarium mendicare compellatur.*

II. Anno 1126. *Petrus* Bellovacensis Episcopus, præsente Archiepiscopo Lugdunensi Sedis Apostolicæ Legato, cum sui Capituli consensu, Annatas omnium Præbendarum Cathedralis Ecclesiæ suæ vacaturarum Canonicis Regularibus Ecclesiæ Bellovacensis *S. Quintini* concessit, ut constat ex Codicillis, Tom. II. Galliæ Christianæ p. 385. editis: *Concessi*, inquit, *Canonicis, qui sub Regulari Disciplina militant Deo in Ecclesia B. Quintini, & eorum Successoribus in perpetuum, ut deinceps unius anni spatio habeant & quotidie possideant reditus singularum Præbendarum jam dictæ Ecclesiæ B. Petri, quam citius vel ejusdem Ecclesiæ quisque Canonicus ab hac vita moriendo decesserit, vel alicubi ad sanctioris vitæ se conferens Ecclesiam, Præbendam suam omnino reliquerit.*

III. Capitulum Insignis Ecclesiæ Parisiensis Annatas omnium Præbendarum suarum vacantium, Parisiensi Canonicorum Regularium *S. Victoris* Abbatiæ contulerat, idque juris Pontificii Diplomatibus ipsi fuerat confirmatum, teste *Stephano Tornacensi* Epistola 155. ad Summum Pontificem data. *Sane*, inquit, *Præbendarum Parisiensium Annalia, Ecclesiæ S. Victoris ex integro deberi, & ipsius Ecclesiæ Parisiensis tam Episcopi quam Capituli authenticum Rescriptum testatur, & Sanctorum Romanorum Pontificum Privilegia confirmant, & plus quam longissimi temporis præscriptio Civili simul & Canonico Jure clamat. Sancta etiam Paternitas vestra per discretionem & scientiam Vobis & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ a Deo datam, illius verbi quod in Privilegio continetur, scilicet ex integro, interpretationem scripsistis, & viris prudentibus Atrebatensi & Ambianensi Episcopis, & Abbati Pruliacensi non cognitionem misistis, sed executionem.* Ejusdem Abbatiæ *S. Victoris* Necrologium 4. Kalendas Augusti, testatur *Stephanum* Parisiensem Episcopum Victorinis Canonicis attribuisse Annatas omnium Præbendarum vacantium in Ecclesia Cathedrali *S. Mariæ*, nec-non in Ecclesiis *S. Marcelli*, *S. Germani Autissiodorensis*, & *S. Martini de Campellis*.

IV. Anno 1135. *Guarinus* Ambianensis Episcopus Collegium Canonicorum Regularium *S. Augustini* instituit, cui Annatas omnium Præbendarum Cathedralis Ecclesiæ suæ, & Collegiatæ *S. Acheoli* attribuit, ut probat Instrumentum editum Tom. 12. *Spicilegii* pag. 560.

V. Cantuariensis Archiepiscopus olim Annatis omnium Diœceseos suæ Beneficiorum ex Pontificio Privilegio fruebatur, ut refert *Matthæus Paris* in Histo-

ria Anglicana ad annum 1246. *In aanverforum*, inquit, *& fingalorum Patronorum Ecclesiarum Angliæ præjudicium non modicum & gravamen, his diebus Domino Cantuariensi concessum est, ut obventiones sive fructus unius anni Beneficiorum, quæ vacare contigerit in Provincia Cantuariensi, eidem Domino Cantuariensi conferantur.*

VI. *Honorius* III. Pontifex maximus cap. *Tua nobis* Tit. *De Verborum significatione* lib. 5. Decretalium, Tolonensi Episcopo duas Annatas beneficiorum in ea Diœcesi vacantium, ad diluendum æs alienum quod contraxerat, indulsit. *Cum tibi, pro relevatione oneris debitorum duntaxat indulgendum, ut fructus Beneficiorum, quæ interim in Diœcesi tua vacare contigerit, tibi liceat biennio retinere: quidam Apostolicæ gratiæ Privilegium sinistra interpretatione restringere molientes, asserant Præbendas, & majora Beneficia nequaquam Beneficiorum nomine contineri .... Nos igitur Auctoritate præsentium declaramus, quod in hoc casu Præbendæ, ac alia Beneficia generali Beneficiorum nomine contineantur.*

VII. Eamdem gratiam ad quinquennium alteri Episcopo concessit *Bonifacius octavus* ut constat ex Cap. *Si propter*, Tit. *De rescriptis* in Sexto. *Si propter tua debita persolvenda fructus Beneficiorum primi anni, quæ in tua vacabunt Diœcesi, tibi (non obstantibus quibuslibet consuetudinibus, privilegiis, vel statutis, per quæ nostra impediri posset concessio) usque ad quinquennium de speciali gratia concedimus: intentionis nostræ nequaquam existit, si fructus hujusmodi Ecclesiæ tuæ fabricæ, vel alteri usui, seu cuicumque singulari personæ, de speciali consuetudine, privilegio, vel Statuto forsitan debeantur: quod eis per concessionem ipsam (nisi hoc expresse caveatur in ea) præjudicium aliquod generetur.* Cæterum Cap. *Præsenti*, Tit. *De Officio Ordinarii*, Dignitatum, personatuum, prioratuum, vel Ecclesiarum quarumcumque Episcopis, Abbatibus, aut aliis Prælatis subjectarum bona *vacationis tempore obvenientia in Ecclesiarum utilitatem expendi, vel futuris Successoribus debere fideliter reservari* declaras: *nisi de speciali privilegio vel consuetudine jam præscripta legitime, seu alia causa rationabili*, iisdem Prælatis *competere dignoscatur*. Quidam igitur Episcopi & Abbates, seu alii Prælati, Sæculares vel Regulares, Beneficiorum ad suam collationem, præsentationem, vel custodiam pertinentium annatis, vacationis tempore fruebantur, ex privilegio, vel consuetudine, seu alia ratione legitima. Hoc abusi privilegio Prælati, Abbates interdum & Priores, aliusve Beneficiatos, suis privabant beneficiis, ut Annatis fruerentur, ut discimus ex Clementina *Frequens* Tit. *De excessibus Prælatorum*, cujus hæc sunt verba: *Præterea interdum injuste Abbates, Priores, ac alios Beneficiatos, Beneficiis suis privant, ut sic fructus Beneficiorum illorum percipere valeant primo anno, prætextu privilegii, quod asserunt se habere, quod usque ad certum tempus fructus Beneficiorum vacantium possunt percipere primi anni.*

VIII. Anno 1305. *Clemens V. videns insatiabilem quorumdam Episcoporum Angliæ avaritiam, importune postulantium primas vacantes Ecclesias per annum in suis diœcesibus sibi concedi, advertensque quia quod postulat inferior, potest ipse Superior, appropriavit sibi ipsi per biennium omnes proventus de primo vacantibus in Anglia; videlicet de primo anno primos fructus tam de Episcopatibus, Abbatiis, Prioratibus, Præbendis, Rectoriis, & Vicariis, quam de cæteris minutis Beneficiis.* Ita refert *Matthæus Westmonasteriensis*, idemque narrat *Walsinghamus* in *Ypodigmate Neustriæ*. Sed pro biennio triennium scribit. Ante *Clementem V.* non legimus Romanos Pontifices Annatas exegisse. Primus ille exegit, non in perpetuum, sed ad breve tempus, non in Ecclesia universa, sed in Ecclesia tantum Anglicana.

IX. Consuetudo tamen jam olim in Curiam Romanam irrepserat, ut qui consecrarentur Episcopi vel benedicerentur Abbates, certam pecuniæ summam conferre tenerentur, inter Summum Pontificem & Cardinales dividendam. Adversus quam consuetudinem *Gulielmus Durandus* Mimatensis Episcopus in egregio illo opere quod *De modo Concilii Generalis celebrandi* edidit paulo ante Concilium Viennense, hæc habet P. 2. Rubrica 20. „ Cum illa decreta in quibus agitur de „ Simonia, in novo & veteri Testamento, in Concilis a Sanctis Patribus & Romanis Pontificibus damnata, non serventur & maxime in Curia Romana, „ in qua etiam cœtus Dominorum Cardinalium vult „ habere una cum Domino Papa certam portionem a „ Prælatis, qui promoventur ibidem; videretur super „ hoc maxime providendum. Nam hæc hæresis maxime corrumpit Ecclesiam universalem, & universos „ populos; & provisa remedia jam pro nihilo reputantur, cum in Curia Romana publice contrarium fiat, „ ac si non esset peccatum committere Simoniam; „ vel si dare vel accipere post, non esset idem sicut „ dare vel accipere ante. 1. *Quæst.* 1. Eos *Cap.* Si quis „ præbendas, *Et cap.* Si quis objecerit *& eadem causa, Quæst.* 3. *Cap.* Salvator. „ Non modicam pecuniæ summam solvebant Episcopi Summo Pontifici & Cardinalibus, non quidem pro consecrationis munere, sed nomine Honorarii. Refert enim *Rogerius de Hovedea* Rerum Anglicanarum Scriptor, Episcopum Cenumanensem anno circiter millesimo centesimo nonagesimo dedisse pro sua ordinatione septingentas marcas argenti. Reditus ut plurimum annuus ei rei destinabatur, teste *Hostiensi* qui circa annum 1260. florebat in Cap. *Inter cætera de officio Ordinarii*. Hoc vero annatæ genus soli illi persolvebant Episcopi, qui consecrationis munus Romæ percipiebant: quod in Episcopis Provinciarum dissitarum tunc tantum contingebat, quando circa eorum electiones lis movebatur, ob quam cogebatur Electus Romam proficisci, ubi, evicta causa, consecrabatur.

X. At novum Annatarum genus invexit *Joannes* XXII. tributum scilicet annuum ex omnibus beneficiis non electivis exigendum, ad subveniendum necessitatibus Ecclesiæ Romanæ, atque ob eam causam reservavit usque ad triennium fructum omnium Præbendarum, & Ecclesiarum Parochialium, & Capellarum, quæ intra illud temporis spatium vacarant, ut patet ex ejus Constitutione, *Cum nonnullæ*, 3. Lib. Extravagantium Communium, Tit. *De Præbendis & Dignitatibus*, cujus hæc sunt verba: „ Cum nonnullæ „ Ecclesiasticæ Personæ in Cathedralibus Ecclesiis Canonicatus, Præbendas, Dignitates, Personatus & Officia, ac alia Beneficia Ecclesiastica obtinentes, revocare conentur in dubium, an fructus, reditus, & „ proventus primi anni Beneficiorum Ecclesiasticorum, „ etiam vacantium, & quæ in diversis orbis partibus, „ usque ad triennium vacare contingeret, quæ pro Ecclesiæ Romanæ necessitatibus per nostras sub certa „ forma Literas duximus reservandos, juxta tenorem „ literarum ipsarum Cameræ nostræ solvere teneantur, „ præsertim cum Archiepiscopales & Episcopales Ecclesiæ ac regulares Abbatiæ, ab hujusmodi solutione „ fructuum (ut dicunt) in dictis Literis examinantur: Nos dubitationem hujusmodi amputare volentes, Auctoritate Apostolica declaramus, quod cum „ sub appellatione Archiepiscopalis vel Episcopalis Ecclesiæ aut Regularis Abbatiæ hujusmodi Præbendæ, „ Dignitates, & Officia nequaquam intelligantur, nec „ etiam includantur, prædictus, necnon & Præbendarum & Officiorum Monachorum, Monasteriorum „ Regularium, ac reditus Abbatiarum, seu Abbatum „ eorumdem, quæ in Beneficiis Ecclesiasticis assignantur, distinctos fructus, reditus & proventus includi „ in deputatione prædicta, & dictæ Cameræ juxta prædictarum literarum tenorem debere persolvi, &c.

XI. Tributum istud temporarium, quod *Joannes* XXII. imperaverat, sequentes Pontifices perpetuum esse sanciverunt, illudque etiam Episcopatibus & Abbatiis, quas ab hoc onere liberas esse jusserat, imposuerunt. Hujus impositionis auctor fuit „ Bonifacius Nonus *teste* Theodorico Niemo *lib.* III. *cap.* „ 16. Circa decimum annum sui regiminis, ut cautius ageret in hac parte, palliaretque simoniam, „ quam exercuit quodam necessitatis colore, primos „ fructus unius anni omnium Ecclesiarum Cathedralium, & Abbatiarum vacantium, suæ Cameræ reservavit, ita quod quicumque ex tunc in Archiepiscopum, Episcopum, aut Abbatem, per eum promoveri voluit, ante omnia cogebatur solvere primos fructus Ecclesiæ, vel Monasterii, cui præfici „ voluit. „ Imprudenter ac falso *Niemus* Annatarum impositionem Simoniam palliatam appellat. *Platina* de eodem Pontifice scribit in ejus Vita: „ Annatarum usum Beneficiis Ecclesiasticis primus imposuit, „ hac conditione, ut qui Beneficium consequeretur, „ dimidium annui proventus Fisco Apostolico persolveret ... Hanc consuetudinem omnes admisere præter Anglos qui de solis Episcopatibus concessere, in „ cætera Beneficiis non adeo. „ Ideo autem huic tributo *Annatæ* nomen inditum *Fagnanus* observat, non quod omnes anni fructus complectatur, sed vel quia solvitur ratione fructuum primi anni; vel quia auctore *Bonifacio* IX. successit in locum Reservationis, quam antea

tea Pontifices facere consueverent pro suis & Romanæ Ecclesiæ necessitatibus, omnium fructuum & proventuum unius anni Beneficiorum ad tempus vacantium, vel quæ exinde usque ad triennium vel aliud tempus, in certis Provinciis designatis vacarent: quos quidem fructus pro se & Camera Apostolica Romani Pontifices per suos Collectores percipiebant.

ARTICULUS II.

De Motibus contra Annatas in Concilio Constantiensi excitatis.

I. DE Annatis acriter disceptatum est in Concilio Constantiensi, urgente Natione Gallicana. Cardinales Pisanus, Cameracensis & Florentinus a Concilio delegati una cum Deputatis quinque Nationum, ut in commune consulerent quid facto esset opus circa Reformationem Ecclesiæ tam in Capite quam in membris, Annatas & minuta servitia velut legitimo jure debita conati sunt vindicare; & licet major pars Delegatorum illas abolendas esse censeret, Cardinales tamen obstiterunt ne sententia concluderetur. Congregatione soluta, Deputati Nationis Gallicanæ seorsim convenere, & habita consultatione judicarunt penitus tollendas esse. *Joannes de Scribanis* Procurator Fiscalis Cameræ Apostolicæ ab hac Gallorum Deliberatione ad futurum Summum Pontificem appellavit: cui appellationi nomine Sacri Collegii adhæsit *Joannes Poncetus*. Contentio autem ille effecit ne Concilium Constantiense hanc quæstionem definiret.

II. Adversus illustrissimos Annatarum Vindices, Nationis Gallicanæ Deputati Responsionem pararunt latinitate quidem barbarem, sed acrem ac vehementem, quæ extat inter Probationes Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ Tit. 22. Cap. 13. sub hac inscriptione: *Apostoli, & Responsio, dati per venerabilem Nationem Gallicanam Dominis Cardinalibus . . . . appellantibus ab ejusdem Conclusione, Voto, Deliberatione Constantiæ factis solemniter per eamdem, quod Vacantiæ & Minuta Servitia nulla jure sunt debita, & de cætero nihil solvent.* Has autem rationes adversus Annatas proferunt.

Primo quod a *Joanne XXII.* Pontifice Maximo primum introductæ sint ad certum tempus, propter peregrinationem aliquam seu *Passagium* (ut vocant) Transmarinum: tributumque istud Episcopatibus & Cœnobiis ab ipso non fuerit impositum, sed inferioribus dumtaxat Beneficiis. Cæterum desinente causa, solutionem illius jure negari posse.

Secundo, quod Episcopatuum & Abbatiarum Annatæ nullum aliud initium habeant, quam spontaneam & gratuitam oblationem eorum, qui mota contra suam electionem lite, & appellatione ad Summi Pontificis tribunal delata, victoriam obtinuerant & electionis confirmationem. Honorarium hujusmodi vocatum fuisse, *Servitia Communia*, quia oblatæ pecuniæ inter eos, qui publico aderant Consistorio, communiter dividebantur. Rem deinde ad secretum Consistorium deductam & oblationem illam continuatam fuisse: *Quod tamen fuerat & simoniacum*, inquiunt, *vel multum de simonia suspectum, & species mali crudelis, etiamsi prætextu consuetudinis. Tum quia ante vel post Promotionem ad hujusmodi Dignitates, aliquid hujus prætextu dare vel recipere, secundum Sacros Canones est etiam prohibitum: Tum quia quædam alienatio est bonorum Ecclesiæ talis oblatio, datio, vel obligatio, quam etiam facere non potest talis Electus vel Promotus.*

Tertio, cum Apostolica & Canonica Traditione vetitum sit ne pecunia detur ante vel post Promotionem, nullum Statutum, Privilegium, consuetudinem, præscriptionem, aliumve titulum, vim addere posse huic praxi. *Nullo Statuto*, inquiunt, *Privilegio, consuetudine, præscriptione, aut alio titulo potest induci, quod propter conferre aut consentire Promotioni aut Electioni alicujus Monasterii vel Ecclesiæ Cathedralis aliquid possit vel debeat peti vel exigi, eo quod secundum Apostolicas & Canonicas Traditiones clarissime foret simoniacum.*

Quarto, quod Episcopatuum & Abbatiarum Annatæ non ob hoc exiguntur quod Beneficia vacent, sed quia conferuntur: *& hoc est clare, secundum Canones, simoniacum; & talis usus vitiosus, inhonestus, continens speciem mali, est de jure prohibitus.* Propterea nulla consuetudine purgari, nulla præscriptione firmari potest.

Quinto quod pecunia, quam Episcopi vel Abbates designati solvunt vel promittuntur, ab eis exigitur per violentiam & retentionem Bullarum, qua fit ut promoti & confirmati possessionem adire non possint, propter pœnalem Constitutionem *Bonifacii IX.* factam in favorem hujusmodi *indebitarum exactionum*, quæ incipit, *Injunctæ*. Ex quo rursus inferunt, & simoniæ suspicionem induci & præscriptionem impediri, & Romanæ Curiæ existimationem in discrimen venire, & Censuras hac occasione a Summo Pontifice latas contemni. *Tum simoniacum vel suspectum de simonia, quia petuntur fructus primi anni, & solvitur in Curia realis pecunia pro fructibus colligendis in partibus, & quia solvitur ante tempus, & quia quandoque solvitur totum Cameræ & ante adeptam possessionem; & nihilominus Cardinales tantum requirunt, & per retentionem literarum exigunt re vel obligatione, quando possunt. Tum quia ex præmissis oritur rationabilis diffamatoria murmuratio contra Romanam Curiam, quam Deus servare puritatem, & justitiam, & ab omni specie mali abstinere voluit . . . Propterea, qui dicuntur incidere in Sententias, quæ ejusmodi occasione feruntur, non debent eas timere, nec timere, nec videntur absolutione indigere. Propter enim prædictam concurrentiam, continent errorem intolerabilem, & quia sunt contra jus Constitutionis. Nam videntur hominem obligare ad incidendum in hæresim largo sumpto vocabulo, videlicet quod sit licitum spiritualia emere, vel pro spiritualibus pecuniam & temporalia dare.*

Sexto, quod Summus Pontifex & Ecclesia Romana tributa imponere Personis Ecclesiasticis non possint, Cleri Principumque consensu: Quia hujusmodi impositio vergit in detrimentum Ecclesiarum, quas ipsi Principes, vel eorum Augustissimi Decessores fundaverunt. *Nec videtur*, inquiunt, *facultas Papæ aut Ecclesiæ Romanæ concessa; neque eis competit pro libita voluntatis, exactiones sive præstationes aliquas imponere Ecclesiis, aut Personis Ecclesiasticis (cum eorum non sit Dominus, sed tantummodo Christus) maxime per quas causetur ipsarum oppressio, vel inde oriatur scandalum, deturque causa murmurandi, vel etiam resultet detrimentum animarum, aut frustetur aut fraudetur intentio Fundatorum. Tum quia per exactionem prædictarum Annatarum tam ardenter, & inhonesto exactarum, sine Cleri, Principumque expresso consensu, secutæ sunt oppressiones in Clero, & in Ecclesiis, & inde murmurationes graves exortæ, &c.*

Septimo, Constitutionis a Rege Christianissimo *Carolo VI.* editæ contra hujusmodi corruptelas & abusus, auctoritatem proferunt.

Octavo addunt, Regem, cum suam illam Constitutionem adversus Romanæ Curiæ exactiones latam optatum effectum non consequi animadverteret, Oratores ad *Joannem XXIII.* Papam misisse, qui suaderent ut ei malo remedium adhiberet. Qui verbo tenus respondit: *Hoc sibi placere, & totaliter submovere velle, & super hoc onerare Legatum, quem destinaturus erat ad Franciam.* Sed nulla provisione consecuta, Regem præcepisse Deputatis ut negotium istud urgerent in Concilio Constantiensi.

ARTICULUS III.

Annatarum exactionem Simoniacam vel illicitam esse, nec tota Natio Gallicana sensit tempore Concilii Constantiensis, nec eam Concilium ipsum damnavit.

I. NAtionem totam Gallicanam in ea non fuisse sententia circa Annatas quam Libellus Articulo superiori laudatus exponit, constat ex doctissimis celeberrimisque Theologis, quorum eruditioni ac sententiis Sacra Synodus Constantiensis plurimum tribuit, *Petro Cardinali De Alliaco*, & *Gersonio* Parisiensis Ecclesiæ & Academiæ Cancellario. Nam *Petrus Alliacensis* Lib. *De Auctoritate Ecclesiæ*, quem anno 1417. Constantiæ scripsit, dum Concilium celebraretur, Annatarum & minutorum servitiorum exactionem ac solutionem a labe simoniaca vindicat, P. 51. *Cum Levitæ* (inquit) *pro sua sustentatione reciperent Decimas, Summus Sacerdos Decimam Decimæ a Levitis debebat recipere, ut patet Numerorum 18. Unde simili jure videtur, quod Papa possit recipere ab Episcopis promotis communia servitia, quæ vocantur vacantiæ, & in minoribus Beneficiis primos fructus, seu alia hujusmodi subsidia, ex quibus ipse, & sibi in Ecclesia servitio assistentes, possint convenien-*

Cardinalis de Alliaco Doctrina de Annatis.

conjenter fuftentari. Et infra, de Statu Summi Pontificia & DD. Cardinalium, ac de Annatis ipfis debitis fic loquitur: ,, Status prædictus, dum recipit & quærit fubventiones confuetas in Oblationibus, Decimis, vel Annatis, & fimilibus, non debet eo ipfo de fimoniaca pravitate notari, nifi forte vitium aliud in exactionis modo concurrant: Quod vitium corrigi debet non obinde Status minui, deftrui, culpari, vel juribus aliunde defraudari; ficut ab infirmo morbos tollendus eft, non fubjectum vel corpus deftruendum. Oppofitum vero pertinaciter imponere, notando generaliter de fimoniaca pravitate totum Statum iftum, temerarius error eft, nec effet ferendus. *Et infra*; Deinde oportet fic fieri, quod fubventio nunc exiftens, & a priorum devotione Ecclefiafticorum introducta, de primis Annatis & fimilibus permaneat, quoufque prius aut fimul faltem, fuerit alia faltem provifio falubrior vel fanctior rationabilius adinventa, & effectualiter practicata, & ex Ordinatione Papæ & Concilii Generalis. Poftremo, facientes contra præmiffa non conformant fe, fed manifefte obviant Inftitutionibus Regis Franciæ, Ecclefiæ Gallicanæ, & Univerfitatis Parifienfis, ficut patet eas intuentibus. Ex quibus fequitur, quod erronea, & fcandalofa, & periculofa eft una Conclofio, quam in materia fimoniæ pofuit quidam Prælatus & doctor, videlicet, Quod folutio vacantiarum, five pactionata, five non, five ante traditionem Bullarum, five poft, quocumque modo acta, eft pure Simoniaca,

Gerfenii Doctrina de Annatis,

Tom, 1. p. 428,

II. Venerabilis *Gerfenius* Libro de Statibus Ecclefiafticis, *Petri de Alliaco* Præcepturis doctrinam fequitur ac verba ipfa defcribendo fua facit, fex Confiderationes de Statu Summi Pontificis & DD. Cardinalium proponens; quarum quinta fic habet: ,, Status prædictus, dum recipit & quærit fubventiones confuetas in oblationibus, Decimis vel Annatis, & fimilibus, non debet eo ipfo de Simoniaca pravitate notari, nifi forte vitium aliud in execucionis modo concurrerit; quod vitiom corrigi debet, non obinde Status minui, deftrui, culpari vel Juribus aliunde debitis defraudari. Sicut ab infirmo morbus tullendus eft, non fubjectum vel corpus deftruendum. Oppofitum vero pertinaciter imponens, notando generaliter de Simoniaca pravitate totum Statum iftum, temerarius effet nec ferendus. *Confideratio vero fexta:* Status prædictus poteft & debet rationabiliter refiftere per viam Appellationis aut alias, fi adverfus prædicta voluerit aliquis de facto procedere; præfertim dum perfonæ de illo ftatu fubjiciunt fe & ftatum fuum debitæ regulationi Sanctæ Matris Ecclefiæ, fi forfan aliqua fuerint in eis reformanda; & hoc agendo, nedum non fcandalizant active vel peccant, fed merentur tamquam defenfores jurium, non folum fuorum perfonalium, vel Ecclefiæ particularis Romanæ, fed univerfalis Ecclefiæ, & ad utilitatem honeftatemque totius Reipublicæ Chriftianæ, quæ confiftit in fuo decore membrorum, maxime principalium,

Tom. 2. pag. 428.

Et in Tractatu *De Simonia*, licet modum exigendi Annatas, impediendo poffeffionem & adminiftrationem Officii, donec illas folverint Epifcupi vel Abbater, Simoniacum, vel de Simoniaca fpecie fufpectum effe doceat; ipfam tamen Annatarum receptionem nomine fubventionis illicitam effe negat; immo fubventionem illam jure naturali ac divino debitam effe afferit ac propugnat. Sibi namque opponit hanc objectionem: ,, Sicut ex antiqua Lege Decimæ Decimarum debebantur Summo Sacerduti a Levitis, Numerorum 18, & Deuteronomii 16. Sic non minus in Lege nova debetur hæc decimatio vel fufficiens recompenfatio facienda per inferiores ipfi Papæ. Hæc autem recompenfatio videtur rationabilis, quod fructus primi anni a quolibet noviter Beneficiato perfolvantur; quoniam in hoc Papa fervit Ecclefiæ, & ita propter hoc officium in promovendo homines, fibi debetur pro fuftentatione condecenti ftatus fui, & ad hoc tam perfonæ quam beneficia poffint onerari. *Quam objectionem diluit in hunc modum*: Refpondendo talibus objectis, dicimus primo, quod inferunt & concludunt aliquas veritates: Ut quod Officio Papæ debeatur Beneficium fufficiens, & condecens. Et quod ab inferioribus fibi debetur fubfidium. Et quod illud fubfidium poteft vel potuit debitis circumftantiis obfervatis accipi fuper fructibus inferiorum Beneficiorum, ubi non eft aliter facta Papæ fufficiens provifio; ficut prima ratio fatis hoc concludit tam ex Jure Divino, quam naturali præfuppofito divino: fed quod fiat exactio vel extorfio, ficut Conclufio loquitur, ratio non concludit.

Ibidem tertiam Objectionem propofuerat hunc in modum: ,, Non minus rationabiliter, immo rationabilius poteft Papa recipere primas Annatas Beneficiorum, quam recipiunt vel Prælati inferiores, vel Ecclefiæ Cathedrales, vel aliquæ Religiones; quod tamen ita fieri frequentius invenitur." Ad quam Objectionem fic refpondet: ,, Tertia ratio concludit conformiter ad primam. Deberet ergo fimilis effe conformitas de non exigendo fructus ante perceptionem eorum, ficut nec exiguntur ab illis de quibus eft argumentum. Nemo itaque Gallicanæ Ecclefiæ tribuat, quod Nationis Gallicanæ Deputati contra Annatas apud Conftantienfe Concilium in Libello fuperius laudato fcripferunt, cum florentiffimam illam Ecclefiam fufficienter non repræfentarent, nec *Petrus de Alliaco*, & *Joannes Gerfenius*, præclara ejufdem Ecclefiæ & Academiæ lumina, aliique Præfules & Doctores, Annatas fimoniæ damnarent.

III. Illi præterea Nationis Gallicanæ Deputati Simoniæ notam Annatis affinxerant errore facti, quia propter confirmationem electionum & promotionum ad Ecclefiafticas Dignitatea facram illud tributum exigi funt arbitrati, ut conftat ex rationibus ipforum Articulo fuperiori allatis. At exploratiffima res eft, Annatas impofitas non fuiffe, neque nunc exigi ob promotionem, collationem, confirmationem, aut conceffionem Bullarum, licet eodem tempore folvantur, quo conceduntur Bullæ, fed legitimo fubventionis & fubfidii titulo. Ipfarum igitur exactionem vel folutionem fimoniacam effe temere quis diceret?

IV. Concilii Conftantienfis Seffione 40. fub titulo Reformationum a Summo Pontifice una *cum Sacra* Synodo faciendarum, antequam ipfa *folvatur*, octodecim capita proponuntur. Tertium eft, *De Annatis, communibus fervitiis, & minutis*, Undecimum: *De fructibus medii temporis*, Quoad poftremum, Summus Pontifex *Martinus V.* cum Sacra Synodo fic decernit: ,, Fructus & proventus Ecclefiarum, Monafteriorum, Beneficiorum, vacationis tempore obvenientes, Juris & confuetudinis, vel Privilegii difpofitioni relinquimus; illufque Nobis vel Apoftolicæ Cameræ prohibemus applicari. At vero de Annatis & communibus fervitiis ac minutis, quod erat tertium Reformationis caput, nulla facta mentione, Decretum iftud in fine Seffionis ejufdem editum eft: ,, Martinus &c. Decernimus & declaramus, Sacro approbante Concilio, per Decreta, Statuta, & ordinata, tam lecta in præfenti Seffione, quam concordata cum fingulis Nationibus ejufdem Concilii, fuper Articulis contentis in Decreto fuper Reformatione fienda, die Sabbati 30. Menfis Octobris proxime præteriti promulgato, fuiffe & effe jam fatisfactum". Hoc aliifque Decretis perlectis, ut ex eadem Seffione compertum eft, ,, Joannes Epifcopus Oftienfis, S. R. E. Cardinalis, de voluntate Nationum, ac ipfius Synodi, & earum nominibus, refpondit in hunc modum: De mandato Nationum refpondeo, quod placent Nationibus Decreta recitata, & cuilibet Nationi placet concordia cum ipfa per Dominum noftrum facta, & per præmiffa fatentur dicto Decreto jam effe fatisfactum". Ex quibus colligitur, Synodum Conftantienfem non judicaviffe aut fenfiffe abolendas effe Annatas, aut earum exactionem fimoniacam effe vel inhoneftam, ac tandem Nationes omnes confenfiffe, ut circa ipfas nihil innovaretur; adeoque Nationem ipfam Gallicanam fuæ adverfus Annatas Deliberationis nullam tunc haberi rationem confenfiffe.

Concilium Conftantienfe nec Simoniacas, nec abolendas Annatas effe cenfuit.

V. Adde, quod *Martinus V.* eadem approbante Synodo Seffione 43. Decimas & alia onera Ecclefiis omnibus, Cleroque univerfo a Summo Pontifice imponi poffe declaravit ex magna & ardua caufa univerfalis Ecclefiæ utilitatem fpectante, de confilio & confenfu Cardinalium & Prælatorum in Curia exiftentium, Prælatorum etiam ipfius Regni vel Provinciæ, in quo exigenda contributio eft, accedente confenfu. *Præcipimus*, inquit, *& mandamus*, *Jura quæ prohibent inferioribus a Papa decimas & alia onera Ecclefiis & perfonis Ecclefiafticis imponi, diftrictius obfervari. Per nos autem nullatenus generaliter imponantur fuper totum Clerum, nifi ex magna & ardua caufa & utilitate univerfalem Ecclefiam concernente, & de confilio & confenfu fratrum noftrorum S. R. E. Cardinalium, & Prælatorum, quorum*

ram consilium commode haberi poterit : Nec specialiter in aliquo Regno vel provincia, inconsultis Prælatis ipsius Regni vel Provinciæ, & ipsis non consentientibus, vel eorum majori parte. Cum igitur Annatarum exactio fiat ad ferenda Ecclesiæ universalis onera, quæ certe Romano Pontifici gravissima incumbunt, illarumque solutioni Prælati consenserint, summæ temeritatis esset, simoniacæ pravitatis illas damnare.

ARTICULUS IV.

Concilii Basileensis & Sanctionis Pragmatica decretis Annatarum exactio prohibita est, ea tamen lege, ut congruum aliunde subsidium Romano Pontifici subministraretur.

I. DUo de Annatis Decreta in Concilio Basileensi edita sunt; unum Sessione 12. alterum Sessione 21. Decretum Sessionis 12. his verbis conceptum est: „ Summum Pontificem hæc Sancta Synodus exhortatur, ut cum speculum & norma omnis sanctitatis & munditiæ esse debeat, pro confirmatione earum electionum, quas ad eum deferri contigerit, nihil penitus exigat aut recipiat: alioquin si secus faciendo notorie & incorrigibiliter ex hoc Ecclesiam scandalizet, futuro Concilio deferatur. Pro oneribus autem quæ ipsum pro regimine universalis Ecclesiæ subire oportet, proque sustentatione S. R. E. Cardinalium, & aliorum necessariorum officialium, hoc Sacrum Concilium ante sui dissolutionem omnino debite & congruenter provideat. Quod si contingat aliquam circa hæc provisionem non facere, tunc illæ Ecclesiæ & Beneficia, quæ usque nunc ex novi Prælati assumptione certam taxam solvebant, deinceps medietatem hujusmodi taxæ per annum post adeptam pacificam possessionem solvere in partibus teneantur, duratura hujusmodi provisione, donec Papæ & Cardinalium sustentationi fuerit aliter provisum. Per hæc eadem Sancta Synodus non intendit in aliquo præjudicare Sanctæ Romanæ & universali Ecclesiæ, nec alteri cuicumque. Porro aliunde non providit hæc Synodus congruum ac necessarium Romani Pontificis & Cardinalium sustentationi subsidium. Annatarum ergo solutioni consensisse videtur, duabus tamen conditionibus positis, prima ut sola medietas taxæ exigeretur; secunda ut ante concessionem bullarum illam solvere Prælati non tenerentur, sed unius anni inducias, post adeptam pacificam possessionem, ad solutionem haberent.

Concilii Basileensis Decreta de Annatis.

Sessionis vero 21. Decretum Annatas penitus abolere videtur. „ In nomine Spiritus Sancti Paracleti statuit hæc Sancta Synodus, quod tam in Curia Romana quam alibi, seu in confirmatione electionum, admissione postulationum, præsentationum provisione, collatione, dispositione, electione, postulatione, præsentatione etiam a Laicis facienda, institutione, installatione & investitura, de Ecclesiis etiam Cathedralibus & Metropolitanis, Monasteriis, Dignitatibus, Beneficiis, Officiisque Ecclesiasticis quibuscumque, nec-non Ordinibus Sacris, & Benedictione, ac Pallio, de cætero nihil penitus ante vel post exigatur, ratione Literarum, Bullæ, Sigilli, Annatarum, communium & minutorum serviriorum, primorum fructuum, Deporruum, aut sub quocumque alio titulo, colore, vel nomine, prætextu cujusvis consuetudinis, privilegii, vel Statuti, aut alia quavis causa vel occasione, directe vel indirecte, solum scriptoribus, abbreviatoribusque & Registratoribus literarum seu minutarum, pro ipsorum labore competenti salario solvendo. Huic autem Sacro Canoni si quis exigendo, dando vel promittendo contraire præsumpserit, pœnam incurrat adversus Simoniacos inflictam, & in ipsis Dignitatibus ac Beneficiis taliter obtentis nullum jus aut titulum acquirat. Obligationes quoque, promissiones & Censuræ, ac Mandata, & quidquid in præjudicium decreti hujus saluberrimi fieri continget, nullas obtinere vires, atque irrita censeantur. Et si (quod absit) Romanus Pontifex, qui præ cæteris universalium Conciliorum exequi & custodire Canones debet, adversus hanc Sanctionem aliquid faciendo Ecclesiam scandalizet, generali Concilio deferatur. Cæteri vero pro modo culpæ, juxta Canonicas sanctiones per suos superiores puniantur. Circa istud Decretum quatuor observanda sunt, primum, illud supponere quod aliunde congruum honestumque subsidium Romani Pontificis & DD. Cardinalium Statui sustentando provideretur, juxta Decretum Sessionis 12. quicum debet conciliari. Secundum, Annatarum exactionem simoniæ damnatam non esse, seu simoniacam declaratam a Synodo Basileensi, sed earum exactores pœnis per Canones adversus Simoniacos decretis puniendos, quod scilicet modus illas exigendi per retentionem Bullarum Sacris Canonibus contrarius videretur. Tertium, Decretum istud in Galliis ad Praxim revocatum non fuisse, cum ibi Annatarum solutio, ejusque Deportuum in pluribus Ecclesiis perseveraverit. Quartum, non Annatas ipsas, sed modum illas exigendi, a Concilio Basileensi fuisse improbatum; cum provisionem debitam Romano Pontifici decernere æquum judicaverit.

II. Id vero duplici momento evincitur, primo ex Responsione Synodali a *Juliano* Cardinali Sedis Apostolicæ Legato, ejusdemque Basileensis Concilii Præside facta ad *Eugenii Quarti* Oratores, qua eorum querimonias contra Decretum de Annatis diluit Synodi nomine. „ Cum nemo, *inquit*, inficietur multos in exactione harum Annatarum solitos fieri abusus, cum etiam hinc multi scandalum paterentur, & scrupulum in conscientiis, ac modus ipse exigendi onerosus esset Ecclesiæ & apud multos speciem mali continere videretur: Nos his omnibus hoc Decreto providimus, sequentes doctrinam Christi, mandantis nemini incutiendum esse scandalum; & Apostoli præcipientis, Ab omni specie mali abstinendum: Regulas quoque Canonicas ac Legales quæ nonnulla prohibens, licet in se non mala, ob hoc tantum quod vel speciem mali contineant vel occasionem præbeant delinquendi. Nonne & gratis offerre, & eleemosynam dare, pium est, & charitatis opus? Sed quoniam tempore Baptismi nummos projicere in concham, speciem prætendebat mali, emendari & aboleri talem consuetudinem jussit Ecclesia. Nihil quidem novitatis per hoc Decretum in Ecclesia introductum est, sed præcepta & exempla Christi executi sumus, ac Sanctorum Patrum renovamus Instituta. Quid fecimus? Statuimus quod Beneficia & Ordines Ecclesiastici gratis conferantur. Nonne Salvator noster hanc ipsam nobis necessitatem imponit, dicens: *Gratis accepistis, gratis date*? Quid fecimus? Statuimus quod spiritualia pacto, conventione, seu contractu, aut opera nummulariorum non distribuantur: Sed & Christus Dominus noster in domo Dei hoc fieri videns, flagello de funiculis facto, zelo justitiæ succensus expulit inde omnes vendentes & ementes, & mensas nummulariorum evertit; & cum ipse cætera crimina verbo tantum detestatus sit, hoc vitium manu propria, terribili punitione correxit. Quid fecimus? Decrevimus quod res spirituales sine pecuniæ interventu ministrentur. Ac Beatus Petrus primus Christi Vicarius, mentem Domini quotidiana conversatione intelligens, cum Simon Magus pro gratia spirituali pecuniam offerret, eum abhorruit, maledixit, repulit, dicens: *Pecunia tua tecum sit in perditionem*. Nonne Sacrorum Conciliorum, Romanorum Pontificum, probatorumque Doctorum Codices his prohibitionibus pleni sunt, ut videlicet pro rebus spiritualibus & Ecclesiasticis, nihil ante vel post ab invito exigatur? Conqueratur ergo qui vult, si tamen juste id possit, de illis, qui talem nobis legem dederunt quorum decreta renovavimus, non nostra fecimus . . . . . Secundo vero ab omni calumnia nostrum Decretum evidenter defenditur. Per ipsum enim non interdicitur, quin pro vitæ sustentatione, aliisque Ecclesiæ necessitatibus, Summus Pontifex aliarumque Ecclesiarum Episcopi, charitativum subsidium indicere, Decimam seu aliam quotam imponere, fructusque aliquorum Beneficiorum ad tempus reservare, vel alias subventionum species petere possint . . . Quamquam autem sic decretum sit & bene decretum, non tamen adhuc auditum est, quod hæc Sancta Synodus nolit Sedis Apostolicæ dignam & competentem facere provisionem; immo hoc per suos Oratores jampridem nunciavit & pollicita est, si tamen observantiæ Decretorum Synodalium, ut dignum est, rationem habuerit, & veluti in corpore naturali reliqua membra suo capiti necessaria provident, ut vitæ & sustentationis influxus ab illo in ipsa descendant: sic quidem æquum est & rationi consonum, ut Ecclesiæ per orbem diffusæ Summo Pontifici, suisque Pastoribus indigentibus

Tom. 12. Concil. Edit. Labbeana, pag. 604.

Thessalon. 5. 22.

Concil. Illiberit. Can. 48.

Joan. 2. 15.

Act. 8. 16.

„ bus, ut ab his salubriter regantur, & gubernentur, necesseriam subveotionem porrigant. Nihil autem ad bene regendam conservandamque Ecclesiam æque utile & necessarinm est, quam ut Synodales Cenones, quos a Spiritu Sancto dictatos credimus, non negligantur, aut contemnantur, Illud autem silentin prætereandum non est quod nec Beato Athanasio, ner B. Joanni Chrysostomo, nec B. Thomæ Camuariensi per Romanos Pontifices, nec pauperibus Hierosolymitenia per Beatam Gregorium de hia Annatis subventum est. Neque enim adhuc hæc vocabula in Ecclesia Dei audiebantur, neque etiem alii Sancti Episcopi præclara charitetis & pietatis opera de emolumentis sigillorum explere consueverant. Ex his facile responsum patet ad ee, quæ primu loca vos, Domine Antoni, eaplicastis; quoniam etsi pro vitæ sustentatinna & alus justis necessitatibus, Pastoribas Ecclesiæ Jus commune, naturale, divinumque & humanum, provisionem facere jubeant, modum tamen jastum, nec illum saltem pru semper præcipiunt. Illud autem constat, quod quanto exactio aliqua plus habet abusus, seu oneris, aut scandali, vel majorem speciem meli, tanto emplius a jare naturali & divino discrepat, quæ huic diebus nostris usitato modo eaigendi Annatas admixta esse, nec vos nec quisquam amicus veritatis inficiari poterit. Quamquam autem modus exigendi usitatus sit in Ecclesia, si tamen onerosus ant ebasivus esse incipiar, nulli negare fas est, quin modum illam Ecclesia possit in elium leviorem, vel honestiorem convertere. Ea autem quæ pertinent ad vitæ sustentationem, seu utilitatem aut necessitatem Ecclesiæ quæ quidem de jure naturali & divino esse fatemur, neque abstulimus, neque auferre licitum videtur: imo ut plus dicam, etiam præter nonnullos sustentandi modos, qui in Jure statuti sunt, hæc Sancte Synodus, ut prædictum est, Summu Pontifici provisionem facere obtalit, si & ipse circa Synodalium Decretorum observantiam animum, ut decet, inclinaverit.

Tom. 12. Concil, p. 895.

III. Idem confirmat Magister *Joannes de Banchenstein* Decretorum Doctor, unus e Synodi Basileensis Legatis ad *Eugenium Quartum*, in Oratione ad ipsum Pontificem habita Florentiæ, quæ in Appendice Concilii Basileensis edita est, que ipsum hortatur ut Decretum Concilii de Annetis executioni manderi curet. „ Quamvis autem (*inquit*) istæ Annatæ introductæ tuerunt ex causa passagii Tenæ Sanctæ, nunc eutem eessante causa, cessare poterit & effectus. Etiam dictæ Annatæ hactenus sublevatæ, nou sunt conversæ in eum usum & finem, propter quem Annatæ adinventæ fuernnt. Maxime autem quoniam superioribus temporibus in sublevatione Annatarum tantus rigor, tantæque exorbitantiæ, & tot insuper destructiones & orbationes insignium Ecclesiarum provenerunt, adeo etiam quod in multis Ecclesiis cultus divinas nedum diminutus, sed etiam in totum in collepsum reductur existit. Multi enim notabiles Prælati, ob non solutionem Annetatum, innodati Censuris Ecclesiasticis, multis annis e Divinis abstinentes, & tandem plurimi in ipsis sic mortui, in terra profena inhumati sunt. Alii vero coecti sunt vendere libros, calices, capsas Reliquiarum, & ornamenta Ecclesiarum. Alia eutem innumerabilia mala, quæ eeinde subsecuta sunt in longum enarrare de præsenti supersedeo. Quibus singulia ettentis, peramplius non eapediebat Sacro Concilio conniventibus oculis pertiensire. Unde Peter Beetissime, si Alexander Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Apostolicæ Sedia Episcopus, scribens Lucensi Ecclesiæ, constituerit & decreverit, quod nullus cujuscumque gradus Clericus pro Ecclesiastico Beneficio audeet eliquid conferre, etiemsi fabricæ Ecclesiæ vel in denariis, seu etiam in usus pauperum donatum, tribuendum foret: Multo magis decait Sacrum Concilium, quod est speculum & norme cujuslibet vitæ etque communis actionis, decretare & ordinare, quatenus peramplius in collatione Beneficiorum, confirmationum, electionum, admissionum, postulationum, tam in Curia Romana, quam alibi, nil penitus ante vel post eaigatur, directa, vel indirecte, prætaxta etiem cujuscumque consuetudinis, Privilegii, vel Statuti, ant elias quacumque recepte occasione, Sacrum namque Concilium nil novi fecisse videtur, sed antiquissima Jura Sanctorum Romanorum Pontificum inoovavit. Nihilominus, Peter Beatissime, Sacrum Concilium omnino dispositum est, & jam laborat per aliquem alium modum honestiorem Sanctitati vestræ & Dominis Cardinelibus talem facere Provisionem, de qua Sanctitas vestra Dominique Cardinales merito potuerunt contentari.

IV. Ad hæc *Antonius* Sacri Paletii Auditor in Congregatione Generali respondit *Eugenii IV.* nomine: „ Nemo satis admiratur, quod in re tam grandi, irrequisitis & inscus Sanctissimo Domino nostro, atque Sacro Collegio, & aliis quorum interest, tam cito & insperate conclusum fuerit: Quod si umquam faciendum fuit; hoc præcipue tempore omittendum videbetur, quo Romana Ecclesia, & multæ aliæ pro malignitate temporis innumerabilia damna sunt passæ. Si qui in his prætendebantur abusus, his providendom erat sine privetione substantiæ: aut seltem provisio debita simul facienda erar, ut sic justitia & pax obviarent sibi. Unde interim vivent, qui hactenus inde vitæ sustentationem ducebant? Unde Ecclesiarum suarum onera supportabunt, cum præter Romanam Ecclesiam multi Prælati sint, qui ex possessionibus aut decimis parum vel nihil recipiant! Undo Sedes Apostolica impensas faciet, providendo necessitatibus & utilitati universalis Ecclesiæ, pro his quæ pertinent ad pacem, & extirpationem hæresum & errorum, & ad alia concernentia bonum publicum totius populi Christiani? Jure igitur menutenende erent ista, saltem donec aliter fieret sufficiens provisio: De que provisione sufficienti faciende per sacrum hoc Concilium, Sanctissimus Dominus noster vult esse bene contentus, juxte desiderium hajus sacri Concilii, proviso quod taliter fiat, quod stabilis & firma permaneat.

V. Idem confirmetur ex Decreto Sessionis 42. Concilii Basileensis, *De Provisione Felicis* in sua Obedientie *Papæ V.* quo Synodus ipsi, ad ferende Eclasiæ onera, quintam denarium ad quinquennium, & deinde decimum denarium ad aliud quinquennium, [illegible] ec reditnum primi enni omnium Episcopatuum, Abbatiarum, eliorumque Beneficiorum Ecclesiasticorum, reservet, constituit, & assignat; „ Attendens quod spiritualia sine temporalibus diu subsistere nequeunt, volens etiam quod in Decreto suæ Sessionis duodecimæ 3. Idus Julii anno 1433. celebratæ, quod incipit *Sicut in construenda domo*, ordinatum est, laudabiliter adimplere. *Statuit nihilominus Synodus*; Quod si qua Capitula, Collegia, & Conventus, ac Ecclesiasticæ, sæcularesve personæ, cujuscumque dignitatis, status, ordinis, seu Conditionis existant, fructus, reditus & proventus primi anni hujusmodi, aut aliquam illorum quotam sive partem, ex statutis, consuetudinibus, seu privilegiis, eut alias quovis modo levare & percipere consuevarunt, per hoc præfato Domino Felici Papæ in exactione hujusmodi denarii nullatenus præjudicetur, districtius inhibendo Capitulis, Collegiis, Conventibus & personis ipsis, ne illos vel illam in præjudicium dicti denarii pro eo anno quoquo modo petere vel exigere audeant, seu præsumant. Per hoc temen hæc Sancta Synodus Capitulis, Collegiis, Conventibus, & personis prædictis, quominus annis dictum primum vocetionis annum sequentibus, illos & illam pro ea parte, quæ ob impositionem denarii hujusmodi eis desecerit, petere & eaigare valeant, non vult nec intendit præjudicium generari. Annatarum itaque ac deportuum jura, Capitulis, Collegiis, Conventibus, & Ecclesiasticis sæcularibusve personis ex privilegio vel consuetudine convenientia, Synodus Basileensis approbevit atque confirmavit; Quamobrem Annatarum exactionem a Summo Pontifice multo magis probare debebat titulo subventionis, & in se ipsa spectatam, quemvis exigendi modum non probaret.

Pragmatica Sanctionis Articulus de Annatis.

VI. Ecclesia Gallicane Averici Biturigum congregata, Basileensis Concilii Constitutionem adversus Aonatas suscepit, eamque de ejusdem Congregationis consilio Pragmaticæ Sanctioni suæ inseruit *Carolus VII.* Rex Christianissimus: Sed cum Gallicani Petres, tum Rex ipse nihilominus probarunt collationem pecuniæ ca annuo beneficiorum reditu delibatæ ad subveniendum Romano Pontifici. Hæc enim Sanctionis Pragmaticæ verba sunt: *Valuit tamen hæc Congregatia pro instanti necessitate Moderni Papæ, & sacri Collegii Dominorum Cardinalium hodie notorie ingruente, & etiam juxta pollicitationem sacri Basileensis Concilii in suo Decreto de Electionibus, in fine: Videlicet quod præfatus Summus Pontifex Modernus*

nus habeat, ejus vita durante dumtaxat, pro se & Dominis Cardinalibus, ac cæteris Officiariis Curiæ Romanæ, ex fructibus quarumlibet Ecclesiarum, Monasteriorum, & quorumcumque Beneficiorum vacaturorum deinceps, alias quam ex causa permutationis, & simplicis Resignationis, quintam partem illius taxæ, quæ olim per Regem & Ecclesias suorum Regni ac Delphinatus tolerabatur pro tunc quo fuit Concilium Constantiense inchoatum.

VII. Minus quidem honestum Basileensibus & Gallicanis Patribus visum est, quod Annatæ ante Prælatorum Inaugurationem exigerentur, ad earumque solutionem per retentionem Bullarum cogerentur: sed ad hunc exigendi modum necessario compulsi sunt Romani Pontifices per ingrati animi vitium eorum, qui Bullis impetratis, & possessionem Beneficiorum adepti Sedem Apostolicam Annatarum subsidio defraudabant, ut respondit *Æneas Sylvius*, Cardinalis Senensis & Summos postea Pontifex *Pius II.* in Epistola ad *Martinum Meyrum* Archiepiscopi Moguntini Cancellarium: „ Illud, *inquit*, non sinemus intactum, quod ad exigendos Beneficiorum, quæ Romæ conferuntur, medios fructus, sive (ut ajunt) Annatas, nullam permitti creditoribus moram accusas. Verum hoc ab eorum ingratitudine actum invenies, qui cum Ecclesias consecuti essent, dilationem faciendæ solutionis obtinuissent, postquam Literas Apostolicas habuere, & domum reversi possessionem consecuti sunt, neque in præstituta die, neque multis post annis, Apostolicæ Cameræ satisfacere curaverunt, Excommunicationis pœnam, cunctasque Censuras levi animo pensitantes, quorum non fuit parvus numerus. Compulsa igitur Apostolica Sedes, adversus injustam rebellionem justum invenit remedium, & ingratitudini obviam pergens, solvere ante tempus eos instituit, qui post tempus, aliorum exemplo satisfacturi non videbantur,

ARTICULUS V.

Regum Christianissimorum Constitutiones contra Annatas expenduntur.

I. REges Christianissimos *Carolum VI. Carolum VII. Ludovicum XI. Franciscum I. Henricum II.* & *Carolum IX.* gravissima contra Romanæ Curiæ exactiones Edicta tulisse, vel suis ad Romanos Pontifices Oratoribus in Mandatis dedisse, ut Annatas aboleri curarent, norunt omnes qui Gallicanam Historiam & Jurisprudentiam vel a limine salutarunt.

II. In primis *Carolus* VI. anno 1375. hujusmodi tributa Constitutione sua probibuit, quæ extat inter Probationes Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ Tit. 20. c. 7. Hanc Constitutionem *Carolo V.* tribuit D. *De Marca* lib. 6. *De Concordia Sacerdotii & Imperii*, cap. 11, num. 4. Sed *Caroli VI.* est, non V. qui anno 1380. die 16. Septembris obierat, quinquennio ante quam ista Constitutio ederetur. Idem Princeps anno 1406. die 18. Februarii, supplicationibus Cleri Gallicani Parisiis congregati benevolas aures commodans, nec-non Regii Cognitoris querimoniis, Annatas, & cæteras exactiones Curiæ Romanæ, lege lata cessare jussit. Hoc in Edicto, quod inter Probationes Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ sub laudato Titulo, cap. 8. insertum est hanc inter alias prohibitionis suæ rationem affert, quod „ In Annatis exigendis sicut nec modus, sic nec misericordia, nec æqualitas servatur, aut mensura, & cum Prælatis prohibeatur administrare sine Bullis, quidquid placet, solvere inde compelluntur; quoniam alias Bullæ nequaquam expedirentur, prout dicunt. Ex quo Beneficium Ecclesiasticum obtineri videtur cum pretio, vel mercede, quod pro bono communi potius deberetur scientiæ aut virtuti. *Addit inferius*: „ Super quo plurimis & repetitis intervenientibus discussionibus maturis, per Prælatos, & alios Viros Ecclesiasticos supra dictos deliberatum extitit & conclusum, quod attentis illis quæ supra præmissa sunt, & aliis attendendis, talia gravamina & usurpationes, secundum Deum conscientiam non poterant commode aut debebant amplius tolerari. „ Anno 1418. mense Martio, aut die secunda Aprilis Rex idem Christianissimus habito antea Conventu Prælatorum Ecclesiæ Gallicanæ, Patrum Conscriptorum Senatus Parisiensis, & Deputatorum Parisiensis Academiæ prohibuit ne pecuniæ extra Regnum afferrentur quovis prætexto, etiam *Annatarum*, causatus, *perhorridam simoniacæ perfidiæ labem Ecclesias, personasque Ecclesiasticas Regni ac Delphinatus pervasisse*. Edicta ea de

re promulgata legere est sub eodem Titulo inter Probationes Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, cap. 15. & 16.

III. Has Constitutiones confirmavit *Carolus* VII. Diplomate dato mense Februario anni 1422. quo præterea jussit, ut ex lege ageretur adversus eos, qui Regia Edicta violarent, non obstantibus Bullis Apostolicis, aut Excommunicationibus, quæ harum Bullarum auctoritate ferri possent. *Caroli* VII. litteræ habentur loco supra laudato, c. 17.

IV. Annis Christi 1463. & 1464. *Ludovicus* XI. pariter prohibuit ne pecuniæ Romam efferrentur, & Constitutiones edidit adversus Romanæ Curiæ exactiones, quæ leguntur sub titulo mox laudato Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, cap. 21. 22. & 23. Eidem Christianissimo Regi Senatus Parisiensis *Defensionem obtulit pro Libertate Ecclesiæ Gallicanæ adversus Romanam Aulam*, per certa capita digestam, quam edidit *L. Bochellus* in Collectione Decretorum ejusdem Ecclesiæ, Lib. 4. c. 10. Hujus Defensionis Caput 70. his verbis Annatas perstringit: *Est & aliud harum Annatarum grave & exitiale malum: Quia qui eas Romano Pontifici pendunt & exsolvunt, in pœnam incurrunt, quæ adversus simoniaci ambitus reos statuta est, nec ullum jus in Beneficium habent, quod hac ratione obtinuerunt. Id enim verbis Decreti expressum est. Quæ in re quantum sit corruptelæ & periculi, nemo non intelligit.*

V. Anno millesimo quadringentesimo nonagesimo tertio, Regni Ordines Turonibus congregati, libellum supplicem *Carolo Octavo* Regi Christianissimo porrexerunt pro *Annatarum & Minutorum servitiorum abolitione*. Editus est inter Probationes Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, sub Laudato Titulo, cap. 25.

VI. Anno 1532. *Franciscus I.* Rex Christianissimus Cardinalibus *Turonio* & *Grammontio* in Mandatis dedit, ut Summo Pontifici *Clementi VII.* apud quem Legationem extraordinariam Majestatis ejus nomine obibant, proponerent incommoda gravissima, quæ ex Annatarum solutione oriebantur. Ex Documentis ac Mandatis, quæ ipsis data sunt, & quæ sub eodem Titulo Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, c. 27. leguntur, constat, Regem rogatum fuisse ut Clerum Gallicanum congregaret, quo finis imponeretur his rebus honesto & decoro prorsus adversantibus, & cuncta pristinum in statum, antiquumque morem restituerentur.

VII. Anno 1551. Rex Christianissimus *Henricus II.* Edicto prohibuit, ne ulla pecunia Romam efferretur. Idem Princeps illustrissimo viro *Claudio Ursæo*, aliisque ad Concilium Tridentinum nunc Bononiam translatum suæ Majestatis Oratoribus in mandatis dedit anno 1547. ut Annatas aboleri curarent, quarum exactio sacris Canonibus contraria, & simoniaca videbatur. Extant illa mandata inter documenta & literas Regum Christianissimorum, aliaque instrumenta Synodum Tridentinam spectantia. Italico idiomate conscripta sunt, & quoad Annatarum negotium hæc habent: „ Primamente che il Papa per abusi & contravenendo diretramente alli Santi Decreti ricevuti e pubblicati nelli Concilj generali, piglia le Annate delli Arcivescovati, Vescovati u Abbatie di questo Regno, o di altri Beneficj Consistoriali in qualunque modo che vachino, sia o per morte, o per resignazione simplice, permutazione, e in ogn'altra maniera e specie di vacazione, ancorchè le dette Annate siano proibite per il Concilio Lateranense, Constantiense, Basileense, e che simili provisioni siano simoniache, e nulle di ragione, essendo che li impetranti pagano volontariamente, o per forza. Che solo questo capo è sufficiente privarn il Papa della Dignità Papale, perchè è cosa certa di ragione „ e senza controversia, che può esser deposto per peccato di simonia: e oltre che l'essazioni della Annata è una pura simonia, o dichiarata tale nelli Santi Decreti, & per rispetto del fatto è cosa tanto chiara e evidente, che non ha puoto bisogno di prova, ec,

VIII. Denique anno 1561. Rex Christianissimus *Carolus* IX. Præsidi *Ferrerio* suæ Majestatis ad *Pium* IV. Pontificem Maximum Oratori in Mandatis dedit, occasione querelarum a Comitiis Aurelianensibus adversus Annatas & præventiones Romanæ Curiæ, sibi propositarum, ut apud Pontificem Annatarum abolitionem urgeret, utpote quæ variis Regum ipsius Decessorum Edictis prohibitæ fuerant ut contrariæ Sacris decretis, & Ecclesiæ Gallicanæ libertatibus, nec-non ut simoniacæ a Theologis Parisiensibus damnatæ. „ Attendu mesmement que per la Faculté de Theologie en la Sorbone à Paris, & autres Universitez, il a esté juge & determine que lesdites Annates ne

„ se peuvent exiger sans enorme simonie, tant par „ celuy qui donne de l'argent, que celuy à qu'il est „ donné. „ Edita sunt illa *Caroli* IX. mandata inter probationes Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, Tit. 22. Cap. 35.

Caroli VI. Constitutiones de Annatis.

IX. Has nihilominus Regum nostrorum constitutiones Annatis, prout nunc exiguntur & solvuntur, non officere contendo. Prior enim *Caroli Sexti* constitutio, tempore Schismatis edita, agit primo contra Cardinales, aliosque Viros Ecclesiasticos extra Regnum commorantes, qui opulentiora Beneficia aucupati, & reservatis pensionibus ex aliis, quæ ad annui illorum reditus valorem ut plurimum ascendebant, omnes ipsorum proventus in suos usus convertebant, nec curam gerebant ullam restaurationis Sacrarum Ædium, quæ dilabebantur, nec divini officii in illis celebrandi, nec alendorum pauperum; atque hoc pacto piæ Fundatorum intentiones fraudabantur. Secundo, perstringit hæc Constitutio ministros Romanorum Pontificum, qui *Collectores & Subcollectores* vocabantur, qui defunctorum Episcoporum, & Abbatum spolia, bonaque mobilia & immobilia, quasi ad Papam pertinerent, invadebant, quæ in ea Gallia nostra multiplex esse videbatur injuria. Nam & Templorum, & Ædium Episcopalium ruinæ resarciri non poterant; & hæredes Antistitum suis juribus fraudabantur; nec mortuorum Præsulum creditoribus fiebat satis; & Jus Regaliæ Christianissimis Regibus competens violabatur. Tertio, hæc Constitutio perstringit Annatas, quæ non solum ab Episcopis, & Abbatibus, sed ab aliis etiam Beneficiatis extorquebantur, absque discrimine, sive per resignationem, vel permutationem, sive in Regalia, vel alio quovis modo Beneficia vacarent. Ex quo interim contingebat, ut in Ecclesiis, in quibus Prælati fructus & reditus unius anni, & Fabrica alterius anni percipere consueverant, Pontificii Collectores primi, Prælatus secundi, Fabrica tertii annorum fructus perciperent. Et his tribus annis beneficiati onera Ecclesiæ, ac pondus diei & æstus sustinentes, cum nihil ex fructibus delibarent, paupertate depressi, fere mendicando vivere cogebantur. Quarto, hæc constitutio velut aggerem opponit adversus alia tributa, quæ a dictis Collectoribus, nec non a Nuntiis, & Commissariis Pontificiis, Ecclesiis, Virisque Ecclesiasticis imponebantur, quibus exhauriebantur omnes Regni opes & efferebantur extra Regnum. Quapropter præcepit Rex Christianissimus Præposito Parisiensi, Seneschallis, & Ballivis, ut Provisos ad præsentationem Regis, aut aliorum Patronorum laicorum, frui juberent & curarent beneficiorum suorum fructibus ac proventibus, nec aliquam illis molestiam a Curiæ Pontificiæ ministris inferri paterentur: utque reditus Beneficiorum, & pensiones, quibus Cardinales, & alii extra Regnum fruebantur, ad manum Regis ponerent; & designatis Commissariis, qui restaurationi locorum Sacrarum & ædium ad ea pertinentium intenderent, & Clericis ad persolvenda Divina Officia, aut religiosis viris, sumptus subministrarent necessarios, residuam ad Beneficiatos pecuniam transmitti curarent. At tantum abest ut *Carolus Sextus* Annatas absolute sumptas, vel iis quibus nunc affectæ sunt, circumstantiis munitas damnaverit, ut etiam agnoverit Romano Pontifici ab Episcopis & Abbatibus aliquid subventionis titulo conferendum. Agens enim contra Collectores Papæ, qui spolia defunctorum Episcoporum & Abbatum invadebant, ait: *Ex quo sequitur, quod Abbatum Successores sic bonis denudati, servitium, quod dicto Summo Pontifici solvere necesse est, exhibere nequeant*, &c.

X. Altera ejusdem Regis Constitutio, Annatis prout nunc exiguntur, nihilo magis officit. Agit enim adversus immanes exactiones, quæ a Collectoribus & aliis Ministris Pontificiis tempore schismatis fiebant, & Gallicanam Ecclesiam *importabilibus* (ut loquitur) *servitutibus* opprimebant; „ potissime bona Prælatorum, & virorum Ecclesiasticorum decedentium, tam „ Regularium quam Sæcularium, quæ Spolia defunctorum *aucupabantur*, usurpando, fructus Ecclesiæ „ tempore vacationis Prælaturarum aut Beneficiorum „ Ecclesiasticorum obvenientes levando & capiendo, „ arreragia præteritorum & incognitorum temporum, „ tamquam debita, per fulminationem Censurarum „ Ecclesiasticarum exigendo, a Beneficiatis quibuscumque primam Annatam expetendo, & extorquendo, „ cujus Annatæ medietatem, quoad Majores Dignitates, Collegio Cardinalium consueverant assignare; „ & Annatam hujusmodi una cum quadam pecuniæ „ summa, quam vocant minuta servitia, & quam „ pro familiaribus esse dicunt, cum exactione juramenti, & sub pœnis perjurii, & aliis diversis pœnis & Censuris hactenus exegerunt. Procurationes „ vero, quæ Prælatis & aliis, ratione factæ Visitationis tantummodo debentur, capiendo & levando in „ pecunia numerata, licet Visitationis officio non impenso; ab illis autem qui ad procurationem nullatenus tenebantur, tantumdem, quod tunc vocant „ æquivalens exigendo Decimas, & alia subsidia, tractatu non habito cum Prælatis, pro libito voluntatis imponendo. „ His exactionibus Constitutione sua remedium affert *Carolus Sextus*, Annatas quæ a Beneficiariis quibuscumque extorquebantur, & a *Benedicto* VIII. Avenione sedente imponebantur, exigi prohibet ac solvi, cæterasque exactiones cessare jubet, juxta Senatus-consultum curiæ Parisiensis: Annatas, inquam, quæ *nullo tractatu habito cum Prælatis, pro libito voluntatis* imponebantur, & in quibus exigendis *sicut nec modus, sic nec misericordia, nec æqualitas servabatur, aut mensura*. Non autem Annatas ad justam mediocritatem redactas & Prælatorum accedente consensu, Regumque licentia, impositas, prout antea medietas fructuum primi anni ab Episcopis & Abbatibus solvi consueverat, in Pontificis Cardinaliumque subsidium. Annatas illas autem immodicas quæ per Bullarum retentionem & Censuras exigebantur a *Benedicto* XIII. Rex secundum speciem simoniacas esse ait: *Ex quo*, inquit, *Beneficium Ecclesiasticum obtineri videtur cum pretio vel mercede*. At ipsam Annatarum naturam penitus non explorat secundum Regulas Theologicas, quod ipsius munus non erat, nec Amplissimi Senatus, sed Episcoporum & Doctorum. Satis erat Regi & Senatui, Reipublicæ, & Ecclesiæ malis externam Politiam spectantibus, mederi, & gravamina Sacerdotis a *Benedicto* XIII. in sua tunc Obedientia Pontifice Maximo, & ejus Ministris illata propulsare. Sed legitima subsidia, ob Ecclesiæ necessitates, Ecclesiæ Romanæ, & Summo Pontifici conferenda, Rex & Senatus agnoverunt, modo cum moderamine, & rogato Principum ac Prælatorum assensu exigerentur. „ Quod si (*inquiunt*) Ecclesia Romana „ cæterarum Caput & Principalis existens, a suo (quod „ majus & auctius Regno nostro possidebat) patrimonio forte aliqua disturbabatur, quominus ipso libere uteretur; cæteras monere debebat Ecclesias, excitare, adhortari, & requirere de subsidio charitativo, quod eidem Ecclesiæ Romanæ annui posset ac „ deberet, cum tamen consilio, moderamine, & justa causa, absque præjudicio, culpa non præcedente, durante necessitate, ac de consensu & benignitate Principum, Patronorum, & aliorum Prælatorum, & non cum gravamine assiduo & indistincto „ cæterarum Ecclesiarum: Quas utique, & præsertim „ nostrorum Regni & Delphinatus, supradictus Benedictus passim Pharisæorum more, qui decimas indifferenter de plantulis, herbis, baccis, & omnis generis fructibus extorquebant, cum gravi compulsione, subsidiis & exactionibus insolitis, & carum Libertates Ecclesiæ exagitabat & premebat. „ Nunc vero Annatarum exactio Regum & Prælatorum assensu in jus transiit, nec augentur pro libito a Summis Pontificibus aut Curiæ Romanæ Ministris, nec ab omnibus Beneficiatis exiguntur. Unde *Caroli* VI. laudata Constitutio illas non attingit.

Probat. Libert. Eccles. Gallic. p. 573.

XI. Ejusdem Regis Edicta anno 1418. promulgata, post Concilium Constantiense, Reservationes & Gratias Expectativas abolent, quarum prætextu simoniam grassari significant. *Unde* (inquit) *prædictarum prætextu Reservationum per Summos Pontifices factarum, nonnulli Archiepiscopi, Episcopi, aliique de præmissis Regno ac Delphinatu, quibus Beneficiorum vacantium, & quibus per electiones debite factas provisum extiterat, confirmatio & provisio pertinebat, veriti fuerant, contradixerantque, seu distulerant, verebantur, contradicebant, differebantve ad earumdem electionum confirmationem, & Beneficiorum provisionem procedere; hujusmodique & nonnullarum occasione factarum Promotionum, perhorrida simoniaca perfidiæ tabes Ecclesias, Personasque Ecclesiasticas nostrorum Regni ac Delphinatus pervaserat, lethaliter obrepserat, & fascinaverat, ac prostraverat damnabiliter*: Prohibet etiam insolitum Annatas exigendi modum; sed Summo Pontifici & Romanæ Ecclesiæ in suis necessitatibus subveniendum, prout occasio tulerit, non diffitetur, imo ad id se comparatum demonstrat Rex Christianissimus. *Et insuper* (inquit) *quoad exactiones pecuniarum, quas ab aliquibus retroactis temporibus Curia Romana, seu Camera Apostolica sub prætextu vacantiam Benefi-*

neficiorum Regni & Delphinatus prædictorum, aut alias quovis modo seu colore sibi applicari voluit, penitus cessabunt'. Intendimus tamen tamquam Christi fideles Summo Pontifici, & Ecclesiæ Romanæ, æquo plusve cæteris, in necessitatibus, sive & cum tempus exegerit, succurrere, & rationabiliter subvenire.

Caroli VII. Constitutio non probat Annatas simoniacas esse.

XII. *Caroli* VII. Constitutio *Caroli* VI. Edictis nihil addit. Jus commune, & Ecclesiæ Gallicanæ Libertates tuetur, Pontificiis Reservationibus & exactionibus extraordinariis modum imponit, pecunias extra Regnum efferri jure suo prohibet. Sed se ad subveniendum Romano Pontifici aliis viis ac modis legitimis & honestis paratum Rex profitetur. *Dit & declare que les elections, confirmations, & collations de Benefices, seront faites par les Ordinaires, & par ceux ausquels appartient de Droit commun & ancien, cessans & rejettées toutes Resignations & Bulles, ou Graces Apostoliques, & aussi qu'aucuns vacans ne se payeront à nostre Saint Pere, auquel par autres moyens & voyes raisonnables nous aiderions, & ferions nos Sujets aider à luy secourir à supporter son estat.* Adde *Carolum VII.* suam illam Constitutionem anno 1424. rescidisse, rogante *Martino V.* Pontifice Maximo. Extat illa Revocatio inter Probationes Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ Tit. 22. Cap. 19. cujus ea verba notanda sunt: *Ob eam causam Francorum Regnum, & Christianissimam Domum Progenitorum nostrorum in orbem floruisse, & in virtute crevisse pie credimus, & a Patribus in filios per ætates transisse feliciter, quod Dei timorem anteposuerunt, & Christi Vicariis capita submiserunt Ecclesiam honore cumulantes, & oppressionis ab onere protegentes.* Huic equidem revocationi *D. Cousinotus* Regius in Senatu Parisiensi Cognitor intercessit, sed Regiæ voluntatis ac jussionis major habita ratio est, quam intercessionis a Regio Procuratore factæ. Anno tamen 1426. Remensis Archiepiscopus, aliique Oratores ad Summum Pontificem a Rege missi, restitutionis hujusce jurium omnium, quæ a *Clemente* VII. & *Benedicto* XIII. Avenione sedentibus olim exercebantur, modificationem ab ejus Sanctitate impetrarunt.

Ex Supplice Libello Supremæ Curiæ Parisiensis Ludovico XI. oblato non probatur Annatas simoniacas esse.

XIII. Supplex Libellus Curiæ Parisiensis pro defensione Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ *Ludovico* XI. oblatus, modum exactionis Annatarum spectat, quem Synodus Basileensis, & Pragmatica Sanctio improbaverant, alio tamen modo subveniendum esse Romano Pontifici & DD. Cardinalibus decernentes; Illumque modum simoniam redolere significat. Sed ex opinione illa ac præjudicio Illustrissimorum Judicum non sequitur Annatas, quæ titulo subventionis, & Regum Christianissimorum, ac Prælatorum consensu jam exiguntur ac solvuntur, simoniacas esse: Alioqui sequeretur & Commendationes Beneficiorum, quas in eodem Libello Conscripti Curiæ Supremæ Patres, ut certissimam Ecclesiæ eversionem ac perniciem aboleri postulant, esse illicitas ac damnandas: quæ tamen secundum hodiernam Disciplinam receptæ sunt, & ab ipso Supremo Senatu probatæ. Ut ut est, doctrinale judicium de hac quæstione, utrum Annatarum exactio sit simoniaca, sibi non tribuit Senatus, sed Prælatorum ac Doctorum proprium esse certum habuit, finitivamque ea de re Sententiam ad Episcopos, Pontificem ipsum, & Concilia pertinere, memor verborum *Basilii* Imperatoris in Allocutione Synodi 8 Œcumenicæ: *Laico cuicumque, nulla ratione de Ecclesiasticis causis disputandi jus esse dico. Hæc enim excutiendi, & in utramque partem agitandi, Patriarcharum, Sacerdotum, & Doctorum est officium, quibus a Deo ligandi & solvendi potestas est concessa. Nam Laicus etsi omni pietatis & sapientiæ laude præstet, tamen Laicus est, & ovis, non Pastor.* Porro Doctores, Episcopi, Pontifices Maximi, Ecclesia per orbem diffusa, Annatas subventionis titulo exigi solvique posse agnoscunt, sentiunt, judicant, sive ante, sive post Bullarum concessionem exigantur. Horum itaque judicio standum est, quoad juris quæstionem, hac in causa: quamvis fatendum sit a Rege Christianissimo, & ab Amplissimo Senatu, qui sacra vice judicat, Canonum executionem imperari posse, ac modum adhiberi exactionibus insolitis, si quæ fierent ab Officiariis Romanæ Curiæ in Regni detrimentum; immo & eas omnino prohiberi posse, si absque Regis consensu fiant, ut docet *Joannes Galli* Regius in Senatu Parisiensi Advocatus, regnante *Ludovico* XI. Quæst. 60. *Nullus* (inquit) *potest in Regno Franciæ subsidia imponere super suis subditis, quæcumque prærogativa, vel dignitate, vel potentia fulciatur vel utatur, absque consensu Regis Franciæ, qui omnium est Superior in suo Regno. Et hoc teneas, nec umquam contrarium dicas, ne crimine sacrilegii accuseris, & Majestatis reus fias.*

Comitia Turonensia nec abolendas omnino Annatas, nec simoniacas esse censuerunt.

XIV. Comitia Turonensia, nec Annatas abolendas omnino censuerunt, nec eas simoniacas esse, sed tantum supplicandum esse Summo Pontifici pro reservationum & gratiarum expectativarum abolitione, pro Commendarum & pensionum extinctione, pro relaxatione Annatarum, & minutorum servitiorum. Quod quidem summa erga Sanctam Sedem veneratione præstiterunt. Eorum verba Latine reddo: *Contestantur nihilominus dictorum trium Ordinum Viri, se nolle ab obedientia filiali Sanctissimi Patris nostri discedere, quem ut filii Ecclesiæ agnoscere volunt seu Vicarium universalem Salvatoris & Redemptoris Jesu Christi, qui est Caput Ecclesiæ. Quia vero non repugnat ut filius, si a patre se gravatum senserit, cum timore & reverentia conqueratur apud alterum qui patrem admoneat; dictorum trium ordinum Viri, qui se a suo Domino & Patre Spirituali plurimum gravatos sentiant, querimoniam suam deferunt ad Regem, supremum nostrum in temporalibus Patrem, Protectorem, & Defensorem contra omnes qui ipsis molesti esse vellent in eorum Juribus & libertatibus, contra & in detrimentum Sanctorum decretorum & Conciliorum. Et ideo supplicant Regi Supremo nostro Domino, & filio Ecclesiæ, ut dignetur per suos Oratores obedientiam exhibere filialem dicto Sanctissimo Patri: jubere ut ipsi Regni egestas exponatur, & magna significentur impedimenta, quæ ab obitu Caroli septimi Regis Juribus & Libertatibus dictarum Ecclesiarum Franciæ & Delphinatus apposita sunt a nonnullis, qui Reservationes & Provisiones in fraudem juris electionum obtinuerunt: ut pensiones omnes & commendas beneficiorum sæcularium & regularium in irritum mitti curet; & ipsi exponere quanta pecuniæ vis hoc ex regno eluta sit: Nec ægre ferat, si dictum Regnum & Delphinatus suis inposterum Juribus & Libertatibus secundum Sacra decreta utantur, & ut extremæ paupertatis humilium ipsius filiorum dignetur misereri, qui & suis officiis & pecuniis Sanctæ Sedis Apostolicæ semper, cum opus fuit, subvenerunt.* At circa istud caput nullum a Rege Christianissimo *Carolo octavo* responsum retulere, quia Cardinales & Prælati nonnulli huicce deliberationi intercesserant.

Franciscus I. Annatis simoniæ notam non inussit, immo eas solvi consensit.

XV. *Franciscus* I. In Mandatis quæ Cardinalibus *Grammontio*, & *Turnonio* dedit, Annatis notam simoniæ non inussit, nec earum solutionem prohibuit absolute, sed solum de ipsarum excessu apud Summum Pontificem conquestus est, quod ad majorem pecuniæ vim corradendam Pontificia Diplomata multiplicarentur, cum alias unum Diploma illi sufficeret, qui pluru Beneficia possidebat, omniumque Beneficiorum, quæ ex dispensatione retinebantur, exigerentur Annatæ. Comminatus quidem est Rex Christianissimus, prohibiturum se ne pecuniæ Romam efferrentur, nisi Summus Pontifex ipsi duas decimas ex omnibus Regni Beneficiis colligendas, prout spoponderat, concederet; sed istud probat Politicis dumtaxat rationibus adductum hæc Mandata Illustrissimis Cardinalibus dedisse. Habent illa, Regem rogatum fuisse ut Ecclesiam Gallicanam congregaret, quo remedium nimiis Annatarum exactionibus opportunum adhiberetur, sed ejus Majestatem noluisse Cleri Cœtum agere testantes, ut turbas malaque vitaret, quæ inde consequi posse prævidebat. Denique *Franciscus* I. pactis cum *Leone* X. Concordatis prohibitionem solvendi Annatas pro Bullis Episcopatuum, & Monasteriorum, in Pragmatica Sanctione factam aboleri consensit. Vir tamen Maximus *Petrus de Marca* Parisiensis Archiepiscopus, lib. 6. *De Concordia Sacerdotii & Imperii*, cap. 11. asserit nullum in Concordatis extare Decretum, quo Annatarum pro Episcopatibus exactio confirmetur, „ Unicus, *inquit*, in Concordatis titulus XLI. mate-
„ riam istam attingit. Statuerat Leo X. ut Gratiæ
„ & Provisiones Beneficiorum etiam Cathedralium Ec-
„ clesiarum, nullæ essent ipso jure, si verus Beneficii
„ vacantis valor in Literis Apostolicis expressus non
„ fuisset. Sed isto titulo modificatus & inflexus est ri-
„ gor illius Statuti quoad Galliam. Permittit quippe
„ ut impetrantes Beneficia petere possint ut verus
„ valor ipsorum Beneficiorum in eisdem Literis corri-
„ gatur infra annum a die datæ Literarum earumdem
„ computandum; Statuitque ut pro hoc valoris aug-
„ mento Annata solvatur Cameræ Apostolicæ. Verum
„ correctiones illæ pro expressione valoris necessariæ
„ non sunt, nisi ut eatur obviam periculo secundæ in-
„ terpretationis; quæ tamen, modo nihil aliud pecca-

,, tum esset, non toleraretur in Gallis, cum Articulus ille non sit receptus in Regno, ut testatur Rebuffus in Commentario ad dictum titulum; contra vero, validum hinc telum peti potest adversus Annatas. Quippe cum a Summo Pontifice non reserventur, nisi in casu expressionis veri valoris Beneficiorum, planum est ex hoc titulo locum non esse solutioni Annatarum, cum moris non sit ut ea valoris expressio fiat. *Addit capite sequenti, num.* 12. ,, Cum Annatæ titulo tantum subsidii debeantur, quod exigere Pontifex non potest absque consensu Regis & Ecclesiæ Gallicanæ, liberum esse Regi & Episcopis consensum suum revocare, eique tributo finem imponere. Solutio enim illa nihil aliud est quam donum spontaneum & gratuitum, quod præscriptioni obnoxium esse non potest . . . Quamquam videatur æquitati injuria fieri, si subsidia semel concessa revocentur, nisi manifeste constiterit ingrati crimen esse in Summo Pontifice. Quidquid sit; Rex, tamquam Protector libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, & vi etiam Regiæ Auctoritatis, prohibere potest quæcumque tributa quæ Summus Pontifex, sive titulo Annatarum, sive alio quolibet modo, imperare vellet Personis Ecclesiasticis; ac etiam prohibere ne ea quorum exactioni consensus jam est adhibitus, augeantur in posterum. Aut enim Annatæ accipiuntur contemplatione confirmationis electionis Episcopi, aut titulo subsidii. Primus casus laborat vitio simoniæ. Ad Principem autem spectat providere Legibus suis, ne Episcopi imperio suo subjecti crimen simoniæ committant . . . . In secundo casu Principes summam habent Auctoritatem impediendi exactiones Curiæ Romanæ in Regnis suis. Piaculum esset in Gallia, si quis de hac potestate dubitaret . . . Quod si nolint eas in universum prohibere, possunt tamen eis modum adhibere, ut quoad Enthronistica usurpatum est a Justiniano, & ab Isaacio Comneno quoad jura quæ Presbyteri persolvebant Episcopo a quo ordinabantur. Cum autem inita sunt Concordata, Annatarum, & Provisionum Beneficiorum sumptus redacti sunt ad certum quemdam modum; adeo ut nisi Romæ observetur, Rex possit prohibere ne nova exactio superponatur. Quod si negotium istud paulo liberalius tractare visum fuerit, rogandus erit Summus Pontifex, ut remittat nova illa subsidia aeternis Annatis addita; Ipseque rationem habebit querelarum quæ fient adversus Ministros Curiæ Romanæ. ,, Hæc Illustris & Eruditus Archipræsul. Sic vero se gessit *Franciscus* I. cum Mandata Cardinalibus *Turnonio & Grammontio* dedit, ut modum Annatis imponi a Romano Pontifice curarent.

Novel. 123.

XVI. *Henricus* II. Rex Christianissimus Annatas non prohibuit quod earum exactionem simoniacam existimaret, sed quod ipsius Majestatis, & boni hujusce Regni intererat, ne pecuniæ Romam efferrentur. *Julius* enim III. qui tunc Romanæ Ecclesiæ præerat, junctis cum Imperatore viribus, bellum gerebat adversus Regem Christianissimum, ob susceptum ab ipso Parmæ Patrocinium, & *Octavi Farnesii* Ducis Parmensis tuitionem. Unde non solum pecuniam ex Annatis collectam, seu Annatarum nomine pendi solitam, sed undevis corrogatam, deinceps Romam, aut in quemvis alium Ditionis Pontificiæ locum e Regno suo deferri vetuit, quia imprudens videbatur ut suis, suorumque pecuniis, hostium vires sustentaret. Id constat ex Edicto Regio quod inter Probationes Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ editum est, Tit. 20. Num. 35. ex *Belleforestio*, Lib. 6. & aliis Regum Gallicarum Scriptoribus.

Henrici secundi & Caroli noni Mandata eorum Oratoribus data circa negotium Annatarum.

XVII. Mandata Clarissimo Viro *Claudio Ursæ* data ab *Henrico* II. probant dumtaxat Regem Christianissimum optasse ut Annatæ auctoritate Tridentini Concilii abolerentur, & illarum exactionem incusasse simoniæ, re inspecta secundum exteriorem speciem, quomodo a Viris politicis spectabatur, qui Mandata Regia conscripserant non vero expensa ad Ecclesiastici Juris apices, & ad Theologiæ Regulas. Unde Tridentina Synodus illas non improbavit, nec prohibuit, licet omnem simoniæ speciem damnaverit, sanxeritque ut Episcopi, & eorum Ministri, nullum pro collatione Ordinum, aut pro Literis dimissoriis & testimonialibus, munus acciperet; Notarii vero id solum possent exigere, quod eo Decreto constitutum est, (Sess. 21. Cap. 1.) Tridentinis scilicet Patribus, doctissimisque Theologis, qui Sacræ Synodo aderant, exploratum erat, Annatas reali & legitimo subventionis titulo exigi ab Ecclesia Romana, & solui ab Episcopis, Abbatibusque designatis; ac proinde simoniæ vitio non laborare.

XVIII. *Carolus* IX. Annatarum solutione Edicto non prohibuit, sed Oratori dumtaxat suo dedit in Mandatis, ut pro illarum abolitione ageret apud Summum Pontificem. Vocavit autem illas simoniacas Rex Christianissimus, non ex propria sententia, sed ex antiquo Theologorum opinione, qui *Carolo* VI. & *Carolo* VII. regnantibus judicaverant illas esse simoniacas, si ratione confirmationis Episcoporum vel Abbatum exigerentur, non vero titulo subsidii. Denique quod Aurelianensia Comitia querimonias adversus Annatarum exactionem ad eumdem Regem detulerint, non probat simoniacam illam esse; sed solum fore melius Regno & Ordini Ecclesiastico, si Summus Pontifex hoc tributum remittat, ex hypothesi quod Romana Ecclesia hujusmodi subventione non egeat, quæ gravissima est Episcopis, quorum plurimi ingens æs alienum ad illud solvendum contrahere coguntur, quod postea difficillime diluunt. Accedit, quod Reges Christianissimi Ecclesiæ Judicio subjecerunt, quidquid suis in Mandatis continebatur, Quæstiones Dogmaticas, vel Ecclesiæ Disciplinam ac Politiam quod spectaret. Id constat ex Oratione *Ferrerii* Præsidis habita in generali Congregatione Concilii Tridentini, die 11. Februarii 1563. in qua de Mandatis sibi a Rege Christianissimo datis sic loquitur: ,, Ea Illustrissimis Dominis Legatis dedimus. Ii prope diem vobis, Patres Sanctissimi, examinanda & judicanda proponent. Ad vos enim potissimum mittuntur, vestrumque de illis judicium magno desiderio expectat Rex Christianissimus, & tota Gallia. ,, Idem constat ex Petitionibus Oratorum ejusdem Christianissimi Regis factis in Concilio Tridentino, quæ referuntur inter instrumenta idem Concilium spectantia, a *Puteano* edita. ,, Carolum vero Regem nostrum, *inquiunt*, cupere quidem ut Petitionum suarum omnium ratio habeatur: sic tamen a Christiana Disciplina edoctum & institutum esse, ut Vobis omnia tribuat, rerumque omnium istarum rationem, cognitionem, & judicium, ad Vos omnino sciat pertinere. ,, Idem colligitur ex Oratione a Præside *Ferrerio* habita ad *Pium IV.* quæ edita est inter Probationes Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, Tit. 22. cap. 32. in qua loquens de Comitiorum Aurelianensium expostulatione contra Annatas & Præventiones Pontificias, hæc habet: ,, Cum hæc dicuntur in Conventibus, protestatur Gallia, nolle honori, dignitati, & auctoritati hujus Sanctissimæ Sedis derogare, & ab ea observantia & obsequio, quod semper Majores Sedi Apostolicæ præstiterunt, discedere, aut amplissimam Romani Pontificis Auctoritatem tum in conferendis totius Ecclesiæ Beneficiis, tum in dispensandis Ecclesiæ bonis & reditibus, in dubium revocare: Hoc tantum petere, ut ex præscripto antiquorum Canonum & Decretorum ea potestas exerceatur. Hanc querelam, quod haberet Sanctam & Catholicam Protestationem conjunctam, non potuit Rex Christianissimus non audire. Regina Mater, Rex Navarræ, & quotquot sunt Regii consilii Viri Prudentissimi & Religiosissimi, qui optime norunt, Regum esse præcipuam curam omnium subditorum, & maxime Ecclesiasticorum querelas audire, & Ecclesiæ quam a Deo tuendam & defendendam susceperunt, se reddituros rationem; Cumque hoc ad omnes Principes pertinere, tum ad Galliæ Regem, qui ob singularia in hanc Sedem bene merita, excellentissimum illum titulum Christianissimi est adeptus. Cujus tituli, ut testatum apud omnes gentes relinqueret, quam sit more Majorum studiosus, noluit de iis rebus prius aliquid constituere, quam earum per me Sanctitatem tuam certiorem fecisset. Idque non in sublimitate sermonis, sed in virtute sanctæ obedientiæ. Tuum enim est, Sanctissime Pater, Reipublicæ Christianæ labenti opem ferre, & de Sedis Apostolicæ existimatione & diuturnitate magis cogitare, quam de reditu & obventionibus. ,, Cum itaque nec Tridentina Synodus, nec *Pius IV.* Annatas simoniæ vitio laborare judicaverint, sed illas prorsus intactas reliquerint, earum exactio simoniaca censeri non debet: Quia Christianissimi Reges illas haberi ut simoniacas atque illicitas noluerunt, nisi sic illas haberet Ecclesia, cujus examini Mandata sua & Petitiones subjecerant, ac judicio.

Adde, in *Caroli* IX. postulatis ad Synodum Tridentinam directis nonnulla reperiri, quæ sacra Synodus concedere non debuit, quod eorum concessio Ecclesiæ nocuisset; quædam, quorum utilis quidem concessio videbatur extitura, sed tamen suas rationes habuit cur ea recusaret. Prioris erant generis, petitio

Com-

Communionis sub utraque specie: Item ut peracto Sacrificio, & mysticis precibus in liturgia Latine recitatis, Orationes publicæ Lingua vernacula ad Deum fierent, & Cantica spiritualia canerentur: Item ut Sacerdotes non ordinarentur, nisi seniori ætate, ob incontinentiæ periculum. Posterioris erant generis, Commendarum abolitio, & Pensionum super Ecclesiasticis Beneficiis constitutarum extinctio, Annatarum abrogatio: Quæ a Tridentina Synodo intactæ relictæ sunt, & secundum præsentem Ecclesiæ Disciplinam approbantur.

Varium de Annatis ut de Investituris judicium.

XIX. Quod tandem in suis Mandatis *Ferrerio* Præsidi datis *Carolus IX.* ait: a Facultate Theologica Parisiensi, & aliis Academiis judicatum fuisse & deliberatum, Annatas exigi non posse absque immani simonia, tam ex parte solventis quam ejus cui solvuntur, facile cum his, quæ a nobis dicta sunt, conciliari potest. Sacra Facultas Parisiensis judicavit olim Annatas simoniæ vitio laborare, cum nondum exploratum erat eas vero & reali subventionis titulo exigi, solvique; nec illas adhuc ab omni simoniæ specie liberaverat Regum Christianissimorum & Prælatorum consensus; sed ratione confirmationis electionum Sacrarum, aut Præsentationum exigi videbantur. Satis autem fuit ut Annatas absque Regis & Antistitum consensu extortas, propter electionum confirmationem, non autem vero & minime fucato subsidii titulo, simoniacas esse responderint Parisienses Theologi, ut Ministri & Consiliarii *Caroli IX.* Regis Mandatis inservierint, ipsas a Theologis Parisiensibus simoniæ damnatas esse, quo majus in Annatas odium concitarent. Sane ut Investituras Episcoporum ab Imperatoribus Germaniæ usurpatas *Gregorius VII. Victor III. Urbanus II. Callistus II.* in variis Conciliis damnarunt, illasque nonnulli *scelus idololatriæ* vocarunt, ut *Gregorius VII.* alii *indubitatum hæresim*, ut *Joannes* Lugdunensis Archiepiscopus, *Goffridus* Vindocinensis Abbas, & *Guido* Viennensis Archiepiscopus, qui postea fuit Summus Pontifex *Callistus II.* in Concilio Viennæ celebrato anno 1112. alii *alieni juris pervasionem, & sacrilegam præsumptionem* & sententiam illas defendentem *Schismaticam* judicarunt, ut *S. Yvo Carnotensis* Episcopus: Et nihilominus Concilium Lateranense I. quod inter Œcumenica vulgo Nonum numeratur, Investituras non damnavit, nec rem ipsam Imperatoribus ademit, qua jure fruebantur, sed solemnem dumtaxat ritum mutavit, quo ab ipsis conferri solebant Episcopatus per annulum & Baculum: Ita Annatas plerique olim simoniacas judicarunt; demum Ecclesia Summo consensu illas a simoniæ vitio immunes, eas exigendo, aut earum solutionem approbando declaravit. Varium fuit de Investituris judicium, quod sub diversis obtutibus spectarentur. Hæreseos infamia laborarunt, quatenus divinam Episcopatus auctoritatem tribuere velle tradendo electis Præsulibus Baculum Pastoralem & Annulum, Laici Principes præsumebantur; quod tamen sibi non arrogabant. Innoxiæ habitæ sunt, cum innotuit Ecclesiæ, Principes non sibi tribuere *Investituram, quæ Episcopum perficit*, id est, spiritalis concessionem potestatis; sed *Investituram, quæ Episcopum pascit*, (ut loquitur *Goffridus Vindocinensis*) id est, concessionem feudorum, & bonorum temporalium, quocumque ritu, & quibuscumque solemnibus id præstarent. Non dispari ratione Clerus Gallicanus & Academia Parisiensis, Annatarum exactionem diversa ratione, & variis obtutibus spectatam, simoniæ damnarunt, & ab omni simoniæ suspicione immunem judicarunt: Damnarunt ut simoniacam, si absque Regis & Prælatorum assensu exigerentur, ob electionum sacrarum aut præsentationum confirmationem: A simoniæ vitio liberam judicarunt, & etiamnum judicant, si exigerentur ac solverentur; ut exiguntur, solvunturque modo, & ab annis retro pluribus exactæ sunt, & solutæ vero & reali titulo subventionis, Gallicanæ Ecclesiæ Regumque Christianissimorum accedente consensu, quem nusquam sevocasse, quamdiu Summi Pontifices Concordata fideliter ac religiose servabunt, pietatis & æquitatis est.

ARTICULUS VI.

Annatas solvere, pium est: Exigere, nec simoniacum, nec injustum.

Rationes pro honestate & æquitate Annatarum.

Prosper Fagnanus vir Pontificii Juris peritissimus, Commentarius in primam partem Libri 5. Decretalium, ad Titulum, *Ne Prælati vices suas, &c.* ad Caput, *Præterea*, Annatarum honestatem & æquitatem his rationibus probat & tuetur.

Ratio prima.

I. Summo Sacerdoti *decimam partem decimarum* solvi Lex præcipiebat (numer. 18.) Cum igitur illicitum esset ac inhonestum, Decimarum loco solvi annatas Romano Pontifici, qui Supremus Ecclesiæ Sacerdos est, cum ejus ministerium longe sit amplius ac præstantius quam legalis Pontificis, qui Sacrificiorum dumtaxat curam gerere tenebatur, & eorum quæ Judaicam Religionem spectabant; Romanum porro Pontificem Supremum esse totius Ecclesiæ militantis Sacerdotem, cum multa alia probent, *Sanctus Bernardus* diserte asserit lib. 2. *De consideratione ad Eugenium*, cap. 8. *Quis es? Sacerdos Magnus Summus Pontifex. Tu Princeps Episcoporum, tu hæres Apostolorum, tu Primatu Abel, Gubernatu Noe, Patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyses, judicatu Samuel, potestate Petrus, unctione Christus. Tu es cui claves traditæ, cui oves creditæ sunt. Sunt quidem & alii Cæli Janitores, & gregum pastores: sed Tu tanto gloriosius, quanto & differentius utrumque præ cæteris nomen hæreditasti. Habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos; Tibi universi crediti, uni unus. Nec modo ovium, sed & Pastorum, Tu unus omnium Pastor.*

Ratio secunda. Cap. 16. Quæst. 7. in Cap. 1. De Decimis, & in Cap. Cum secundum de Præbendis.

II. Omnibus curam animarum gerentibus pie solvuntur decimæ: Summus itaque Pontifex qui constitutus est Pastor totius gregis Dominici, & qui omnium Ecclesiarum curam gerit & sollicitudinem, annatas absque ullo vitio recipere potest, easque pie conferunt Præsules designati.

Ratio tertia.

III. Ecclesia universalis unum corpus mysticum est in multa membra divisum. Hujus mystici Corporis Caput visibile & ministeriale est Romanus Pontifex: membra sunt Ecclesiæ cæteræ per orbem diffusæ. Cum igitur cætera membra capiti subvenire debeant in corpore mystico ex lege pietatis & charitatis, sicut ex lege naturæ in corpore naturali; æquum ac ipsum est ut Summo Pontifici & Ecclesiæ Romanæ subsidia aliqua ab aliis Ecclesiis conferantur. Constituta porro sunt, ex consuetudine Prælatorum & Principum assensu firmata, in solutione Annatarum. Annatas ergo solvere, pietatis & æquitatis est; ac proinde Summus Pontifex exigere illas potest absque simoniæ labe.

Ratio quarta.

IV. Cathedrales Ecclesiæ & Abbatiæ fundatæ & erectæ non fuere absque Romanæ Ecclesiæ auctoritate, quæ propterea *omnium Ecclesiarum Mater* appellatur; quia omnes Ecclesiæ ex illius utero prodierunt, ut colligitur ex Cap. 1. & 2. Distinct. 12. & Cap. *Dadum, Causa 3. Quæst. 6.* & luculentius ex Concilio Lateranensi sub *Innocentio tertio* Cap. 5. Hujus autem Ecclesiæ Sponsus visibilis est Romanus Pontifex *omnium Christianorum Pater & Doctor*. Cum igitur Filii Patri naturali subministrare debeant alimenta, ut lex naturæ docet, utque jura omnia faciunt, & filiæ teneantur alere matrem inopem, secundum eadem jura: multo magis Patrem & Matrem spiritualem juvare debent filii spirituales, eisque temporalia subsidia non negare. Porro Annatæ subsidia temporalia sunt, easque eo nomine Summus Pontifex exigit: Eas igitur solvere, pium est; exigere nec simoniacum, nec injustum.

L. Quis filios C. Qui vos prænero obligari possint & 2. Cod. De Patrim. L. Filia. C. De Adopt.

Ratio quinta.

V. Pensiones Ecclesiasticas licitas esse & honestas certum est, servatis conditionibus a Jure præscriptis. Quidni igitur licita sit & honesta Annatarum, prout nunc fit, exactio? Præsertim cum pensio singulis annis, Annata primo dumtaxat anno, quo quis beneficium impetrat, debeatur. Et quia onus perpetuum non est, non dicitur beneficium cum diminutione conferri, contra Juris Canonici dispositionem, quo sancitum est, *Ut Ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur.*

Ratio sexta.

VI. Sexta ratio sumitur ex Jure *Deportus*, quo Archidiaconis fructus unius anni ex beneficiis parochialibus, dum vacant, in plurimis Ecclesiis quæsiti sunt, ut constat ex Extravaganti, *Suscepti, De Electione*, quæ est *Joannis XXII.* utque consuetudo longo ac legitimo usu comprobata, & multis Senatus consultis hoc in Regno vindicata edocet: Cum igitur Summo Pontifici multo plura & longe graviora sustinenda sint onera pro universalis Ecclesiæ bono, quam Archidiaconis pro bono illius partis diœceseos, cujus curam sub Episcopis gerunt: non est simoniacum vel injustum, quod ex Episcopatibus & Abbatiis vacantibus dimidiam partem fructuum unius anni percipiat. Nihil igitur in exactione Annatarum pravum & inhonestum est.

VII.

Ratio sexta.

VII. Principi tributa & stipendia solvuntur ex publico, in recognitionem universalis Dominii, & propterea nulli præscriptioni obnoxia sunt, ut habetur in Canone *De præscriptione triginta annorum*, *L. competit*. Item debentur Principi hujusmodi subsidia, quia Justitiæ suis in ditionibus servandæ invigilat. Igitur Summo Pontifici, qui Ecclesiæ præest universæ & qui justitiæ & disciplinæ toto in orbe Christiano custos est & vindex, Canonum exequendorum auctor majorum judex & arbiter causarum, subsidia quædam ex pietate & charitate debentur. Quæ tamen imponere non potest sicut Reges & Principes Supremi; quia *Reges gentium dominantur earum*: Summus autem Pontifex *non sic*. Pontificatus enim non est *Dominatio in Clero*, sed *ministerium*. Non potest (inquam) tributa ulla imponere Ecclesiis absque consensu Antistitum & Principum, ut in Concilio Constantiensi decretum est: sed illo semel habito, juste percipit fructuum temporalium, quæ ex Beneficiis Ecclesiasticis colliguntur, partem aliquam subventionis nomine, ad ferenda regiminis onera, suisque & publicis Ecclesiæ necessitatibus consulendum. Cum igitur Annatæ nihil sint aliud quam dimidia pars fructuum, qui ex Episcopatibus & Abbatiis colliguntur, eo quo vacant anno; seu pecunia pro illis numerata, subsidii nomine; Summus Pontifex absque simoniæ, aut illius injustitiæ vitio illas exigere potest.

Ratio octava.

VIII. Annatarum a simoniæ labe immunitas etiam probatur ex Ecclesiæ consensu, & consuetudine, quæ majoris auctoritatis est, quam Doctoris cujuscumque sententia, ut docet *S. Thomas* Secunda Secundæ, Quæst. 10. Art. 12. Item ex Constitutionibus *Joannis XXII. Bonifacii IX. Pii II. Pauli II. Clementis VII. Julii III. Pauli IV. Pii V. & Sixti V.* Item ex Auctoritate Concilii Viennensis, in quo licet actum fuerit de servitiis ipsis tollendis, tamen prævaluit sententia ut remanerent, teste *Joanne Andrea* in Cap. *Inter cætera*, *De Officio Ordinarii*. Item ex Concilio Constantiensi, quod circa Annatas & minuta servitia nihil novi statuit, immo potius voluit ut in statu pristino remanerent, ut ostendimus Articulo 3.

Ratio nona

IX. Ex Privilegio Apostolico, consuetudine, vel statuto induci potest, ut fructus primi anni, immo & duorum, vel plurium annorum, fabricæ, Episcopo, vel alteri cuipiam reserventur. Idque etiam pro debitis Episcopi solvendis, vel ex alia rationabili causa, ut constat ex Cap. *Si propter*, Tit. *de Rescript. in Sexto*, & ex Cap. *Præsenti*, Tit. *de Officio Ordinarii*. Multo igitur magis Summi Pontifices potuerunt medios fructus primi anni sibi reservare pro suis & Ecclesiæ necessitatibus.

Ratio decima.

X. Ratio decima ex jure gentium eruitur, apud quas inferiores Sacerdotes subsidia quædam Summo Sacerdoti conferebant. Cujus rei celebre refert exemplum *Joannes Grammaticus* in illud Aristotelis Metaphysicorum 1. *Sacerdotum genus apud Ægyptios vacare permissum est*; ubi hæc habet: *Ægyptii primi, deinde gentium omnium Sacerdotes fuerunt locupletes, præsertim Sacerdotes Maximi. Nam inferiores Sacerdotes in ingressu Sacerdotii mediam partem redituum Summo Sacerdoti ministrabant*. Porro quod ratio docuit Ethnicos, pietas Christianos non docebit? Alienum scilicet a justitia non esse, ut Summo totius Ecclesiæ Sacerdoti subsidium quoddam ab inferioribus solvatur, sive Decima sit, sive Annata, sive quodvis aliud oblationis genus. Hæ sunt *Fagnani* viri doctissimi rationes, necessariis exceptionibus interdum limitatæ, & paulo aliter propositæ, modo scilicet ad Gallicanæ Ecclesiæ Jurisprudentiam & Libertates accommodato. Non enim probamus aut probare possumus, quod *Fagnanus*, & alii Romanæ Curiæ Jurisperiti asserunt, *Annatas Summo Pontifici debitas esse jure Divino & Naturali*: Quamvis eo jure ipsi deberi subsidia quædam in necessitatibus, fateamur.

Exceptiones contra Fagnanum in Commentatione de Annatis.

XI. Supra dictas etiam rationes id unum probare censemus, quod Annatæ a simoniæ vitio liberæ sint, illasque solvere pietatis sit, charitatis, & postquam Prælati & Reges consensere, æquitatis: Non autem ut nullo hujusmodi consensu accedente earum solutio necessaria sit, & strictæ obligationis, quemadmodum Levitarum contributio de suorum redituum decima Summo Sacerdoti necessaria erat, divinique juris ac mandati tempore Legis Veteris; & sicut solutio Decimarum secundi Ordinis Sacerdotibus curam animarum habentibus modo necessaria est. Discriminis enim ratio manifesta est; ut observat doctissimus Archipræsul *Petrus de Marca*. Pontifices namque Judaicæ Gentis nullo alio reditu fruebantur. At Disciplina Ecclesiæ Christianæ alio modo providit sustentationi sui Cleri, distributis videlicet Ecclesiis in Diœceses, ea ratione, ut omnes reditus Diœceseos essent in potestate Episcopi, juxta Canones Antiochenos & Chalcedonenses, & Decreta Summorum Pontificum Gelasii & Symmachi. Et in hac generali institutione portio quoque sua Romanis Pontificibus tributa est in Diœcesi Romana: Qua portione sibi satisfactum putarunt, nullum præterea subsidium implorantes, etiam tum quando solis Fidelium oblationibus potiebantur; multo magis cum ad eam portionem accessere prædia & latifundia ab Imperatore Constantino & Romanis Senatoribus Ecclesiæ Romanæ in diversis Provinciis collata; & multo magis adhuc cum Regum Christianissimorum *Pippini*, *Caroli Magni*, *& Ludovici Pii* magnificentia locupletata est ob concessum Sedi Apostolicæ Exarchatum Ravennæ, Ducatum Romanum, itemque Spoletanum, & alia ingentia Patrimonia.

XII. Non probamus etiam, quod *Fagnanus* & alii ab ipso laudati Jurisconsulti asserunt, *Papam posse collectare* (ut loquuntur) *Ecclesias totius orbis*, & subsidia imponere, quemadmodum Princeps sæcularis, *etiam sine causa*. Inconcussa enim apud nos sunt Concilii Constantiensis, & *Martini V.* Pontificis Maximi Decreta, quibus vetitum est ne id fiat absque Auctoritate Concilii Generalis, vel saltem nisi ex magna & ardua causa, Ecclesiæ totius bonum spectante, & Prælatorum, quorum interest, accedente consensu. Decretum Concilii, quod ad calcem Actorum, post confirmationem Constitutionum *Friderici II.* Imperatoris habetur, his verbis conceptum est: *Declarat Sancta Synodus, non licere Summo Pontifici indictiones, sive exactiones quascumque supra Ecclesias, vel Ecclesiasticas Personas imponere per modum Decimæ, vel alio quovis modo. Si vero causa necessitatis acciderit, propter quam esset eidem debite subveniendum, vocato Generali Concilio, secundum quod expediens videbitur & utile, secundum Decretum Concilii providéatur eidem*. Et hæc quidem forma Decreti potius videtur, quam Decretum. Si quidem aliud *Martini V.* nomine, sacro approbante Concilio editum est Sessione 43. quod est hujus tenoris: *Præcipimus & mandamus, Jura, quæ prohibent, inferioribus a Papa, Decimas & alia onera Ecclesiis & Personis Ecclesiasticis imponi, districtius observari. Per Nos autem nullatenus imponantur generaliter super totum Clerum, nisi ex magna & ardua causa & utilitate, universalem Ecclesiam concernente, & de consilio & consensu, & subscriptione Fratrum nostrorum Cardinalium, Prælatorum, quorum consilium commode haberi poterit, Nec specialiter in aliquo Regno vel Provincia, & ipsis non consentientibus, vel eorum majori parte, & eo casu per Personas Ecclesiasticas, & Auctoritate Apostolica dumtaxat levetur*. Longe vero ante Concilium Constantiense in Galliis pro certissimo Axiomate ac Lege inviolabili habebant, Summum Pontificem nullam contributionem Viris Ecclesiasticis imperare posse absque consensu Regis & Ecclesiæ Gallicanæ, ut constat ex Pragmatica Sanctione *Sancti Ludovici*, Articulo 5. cujus hæc sunt verba: *Item exactiones & onera gravissima pecuniarum per Curiam Romanam Ecclesiæ Regni nostri impositas vel imposita, quibus Regnum nostrum miserabiliter depauperatum extitit, sive etiam imponendas, vel imponenda, levari aut colligi nullatenus volumus, nisi dumtaxat pro rationali, pia & urgentissima causa, vel inevitabili necessitate, ac de spontaneo & expresso consensu nostro, & ipsius Ecclesiæ Regni nostri*.

XIII. Non probamus etiam quod *Oldradus*, *Fagnanus*, aliique nonnulli Canonistæ asserunt, Romanum Pontificem Summum Imperium habere in bona omnium Ecclesiarum, adeo ut quidquid habent inferiores Ecclesiæ, quasi in peculio habeant separatum quodammodo a rationibus Dominicis, Domini permissu. Sicque cum Romana Ecclesia aliquid percipit ab Ecclesiis inferioribus, nihil de novo acquirat, sed retineat quod suum est. Nam proprietatem bonorum hujusmodi ipsis Ecclesiis particularibus vindicamus, administrationem & dispensationem immediatam Prælatis, dispensationem vero generalem, seu potius directionem dispensationis ad necessitatem vel utilitatem præsentissimam universalis Ecclesiæ, Romano Pontifici; qui proinde nec bona Ecclesiarum ad libitum distrahere potest, nec tributa Clero imperare, non accedente consensu ipsarum Ecclesiarum particularium, quarum interest. Porro dominium omnium bonorum Ecclesiasticorum penes Summum Pontificem non esse, docent non solum *Joannes de Parisiis* Ordinis FF.

Piæ-

Prædicatorum Theologus Parisiensis, in Tractate *De potestate Regia & Papali*, Cap. 6. sed & *Cajetanas* Cardinalis ejusdem Ordinis Commentario in Secundam Secundæ *S. Thomæ*, Quæst. centesima, Art. 1. & *S. Thomas* ibidem in Responsione ad Objectionem septimam dicens: „ Papa post incurrere vitium simoniæ, „ sicut & alius homo: peccatum enim tanto in ali„ qua persona est gravius, quanto majorem obtinet „ locum. Quamvis enim res Ecclesiæ sint ejus ut „ principalis Dispensatoris; non tamen sunt ejus ut „ Domini, & possessoris: Et ideo si reciperet pro a„ liqua re spirituali pecuniam de reditibus Ecclesiæ „ alicujus, non careret vitio simoniæ.

XIV. Denique non agnoscimus (quod ajunt illi Canonistæ) adeo antiquam esse Annatarum Institutionem, ut de illius initio non extet memoria; & absurdum putamus illam ad Apostolorum tempora & Ecclesiæ nascentis exordium referre; & Collectas, quas pro Ecclesiæ Hierosolymitanæ pauperibus, in aliis Ecclesiis factas Apostolorum Acta memorant, similesque contributiones charitatis, de Annatis interpretari. Porro Annatarum originem superius indigitavimus.

Guimer. In Comment. Pragmat. Sanctionis, De Duar. in Tract. de Benef. Lib. 6. Car. Molin. ad Edictum de parvis Datis I. Laun. in Lib. de Veneranda Rom. Eccles. Tradit. circa Simoniam.

Annatæ solo subventionis titulo solvuntur.

XV. Verum non minori quam ipsi studio Annatas a simoniæ labe vindicamus contra *Guimerium*, *Duarenum*, *Carolum Molinæum & Joannem Launojum*, & cum Archipræsule doctissimo *Petro de Marca* lib. 6. *Concordia Sacerdotii, & Imperii* Cap. 12. N. 6. dicimus: *Æquum non esse ut priscam severitatem mordicus teneamus quoad Annatas, quas Episcopi solvunt, eum eæ obnoxiæ sint interpretationi quæ ipsas liberat a vitio simoniæ, titulo videlicet subventionis: Modus quippe adigendi ad earum solutionem, retentis videlicet Bullis, qui erat lapis scandali tempore Conciliorum Constantiensis & Basileensis, in consuetudinem versus est absque ulla conquestione Prælatorum, aut Principum, qui solutioni huic consenserant, sub titulo subventionis. Ea videlicet ratione tollitur omnis suspicio simoniæ, quandoquidem alio titulo reali & legitimo solvuntur, cujus natura mutari non potest ob modum qui observatur in solutione. Præterea Immanis confusio turbaret Ecclesiam, si omnes istæ Promotiones essent simoniacæ. Papa quippe esset irregularis, & Episcopis omnibus interdictum esset functionibus sui Ministerii. Neque opponi posset, Papam conferendo Beneficium, dispensare ab hoc vitio: Quia simonia hæc, si ulla in eo esset, Juri Divino, super quo dispensari non potest, repugnaret, ut supra dixi & præterea Papa non posset dispensare super crimine quod ipse committeret.*

Annatæ non solvuntur pro collatione & provisione Beneficiorum.

XVI. Nec refert quod ante Bullarum concessionem exigantur Annatæ, si titulo subventionis conferantur, & ut pretium dimidiæ partis fructuum Beneficii, quæ Sedi Apostolicæ ea pietate debetur subsidii nomine. Sicut enim quilibet Episcopus aut Abbas, aliusve Beneficiatus, fructus temporales, quos suo colligit ex Beneficio, absque simoniæ labe & suspicione vendere potest: ita Summus Pontifex dimidiam partem fructuum, Sedi Apostolicæ ex consuetudine Prælatorum & Principum consensu firmata quæsitorum, vendere absque simonia potest. Nec enim propterea venditur Episcopis aut Abbatibus designatis jus aliquod spirituale; quia in collatione Beneficii fructus hujusmodi deducuntur tamquam æs alienum; & Beneficiatus tenetur hoc onus subire, ut colligitur ex Cap. *Tua nobis*, Tit. *De Verborum Significatione* lib. 5. Decretalium, & ex Cap. *Si propter*, tit. *De Rescriptis*, in Sexto. Est enim onus annexum Beneficiato. Hinc Sacra Congregatio Concilii Tridentini Interpres, rogata, An si vigeret ea consuetudo ut fructus dimidii anni cujuslibet Præbendæ vacantis cederent in utilitatem Mensæ Capitularis, ea sit sublata, Cap. 14. Sessionis 24. ejusdem Concilii, respondit: Non esse sublatam, quod sit onus impositum Beneficio, non Beneficiato, ut refert *Fagnanus*. Porro quod Annatarum solutio sit redemptio dimidiæ partis fructuum, quam Sedi Apostolicæ laudabilis consuetudo vindicavit, non vero Provisionis aut Collationis emptio, probat idem Auctor triplici ratione ex Romanæ Cancellariæ praxi petita.

Primo, quia Collatio & Provisio gratis fiunt, antequam Annatæ pecunia numeretur, aut promittatur: Nec ob solutionis defectum impeditur Supplicationis expeditio (ut loquuntur) sed cum Prælati Pontificium Diploma, quod eorum confirmationem & Provisionem testatur & probat, obtinent, tunc Annatas ex consuetudine persolvere jubentur. Qui si numquam Diploma sibi conscribi, sigillari, & dari curent, ut contingit illis, qui ante Bullarum concessionem in aliorum favorem cedunt, nihil solvunt, quamvis Beneficium ipsis collatum fuerit. Gratia namque sola subscriptione Supplicationis perficitur, ut colligitur ex L. *Afflatus*. C. *De Diversis Rescriptis*, Cap. *Institutionis*. Sed enim Bullarum concessio non requiritur ad gratiæ perfectionem, sed tantummodo ad illius probationem. Unde non est opus eas proferre nisi ubi gratia, id est, Beneficii gratuita collatio, promulganda est, sive (ut loquuntur Cancellariæ more) Canonizanda, ut ex multis Rotæ Decisionibus & Juris Canonici consultissimorum Interpretum Responsis *Fagnanus* observat.

Secundo, Annatas non solvi pro Collatione & Provisione Beneficii, sed pro redemptione dimidiæ partis fructuum, ex eo probatur, quod si unum idemque Beneficium, sive minus & inferioris Ordinis sive majus & Consistoriale (ut vocant) qualia sunt Episcopatus & Abbatiæ, uno eodemque anno bis aut pluries vacare contigerit, illudque successive duobus conferri, Annata & Servitia consueta semel dumtaxat solvuntur, ut Constitutione *Gregorii XII.* pro Regno Francorum sancitum est, utque in Romana Curia observatur. Id autem minime fieret, si Annata & Servitia exigerentur pro Collatione & Provisione Beneficii.

Tertio idem probatur ex eo quod nullæ ex distributionibus quotidianis Annatæ solvantur, nulla servitia, secundum Extravagantem Joannis XXII. *Cum nonnullæ*. Unde in Canonicorum provisionibus frequenter exprimitur, quod fructus ultra viginti quatuor Ducatorum summam non assurgant, & ab Annatæ aut servitiorum onere liberantur, quamvis distributiones quotidianæ pinguissimæ sint, & maximum reditum conficiant. Cujus moris non alia ratio est, nisi quod nomine fructuum distributiones hujusmodi non intelliguntur. Quamobrem in Regulis Cancellariæ de valore fructuum exprimendo non comprehenduntur. Ex quibus colligitur, numerari pecuniam ratione fructuum dumtaxat, qui Sedi Apostolicæ ex consuetudine singularum Ecclesiarum & Principum consensu firmata solvi debent, non autem pro Beneficii collatione aut Provisione. Alioqui fructus inter & distributiones quotidianas discrimen frustra constitueretur. Ita ratiocinatur *Fagnanus*.

Annatarum subsidium a simoniæ labe antiquis exemplis purgatur.

XVII. Quod vere prudenterque scripsit Illustrissimus Archipræsul *Petrus de Marca*, æquum non esse ut priscam severitatem quoad Annatas teneamus, illasque simoniæ vitio laborare censeamus, cum subsidii titulo solvantur, confirmari potest ex *Inthronisticorum & Emphanisticorum* jure, quod *Justinianus* Imperator novella 123. confirmavit. Consuetudo invaluerat ut Episcopi, postquam consecrati fuerant, certam pecuniæ summam pro inthronizatione sua Archipresbytero & Archidiacono Ordinatoris traderent, cujus pars Episcopis qui ad Consecrationem ex diversis Provinciæ locis venerant, Honorarii, Congiariique nomine conferretur; pars Clericis & Notariis qui in ordinatione ministraverant. Clerici quoque ordinati & in Ecclesia intitulati, salaria quædam solvere consueverant iis qui in hujusmodi ordinationibus ministrabant, quæ *Emphanistica & Insinuativa* vocabantur, quasi pro insinuatione & descriptione Clerici in libris & matricula Ecclesiæ conferri solita. Jura enim hujusmodi a simoniæ vitio purgata sunt, quia pecuniam ut pretium ordinationis minime conferri exploratum erat, sed ut subsidium, congiariumque, ad levandos sumptus, qui Episcopis tum in itinere, cum in mora facienda incumbebant, & in salarium laboris ministrorum, quibus certi reditus non erant assignati: Nec ullo pacto interveniente, sed sola consuetudine suffragante, fiebat illa pecuniæ collatio: Non erat exactio, sed spontanea contributio, quæ Principis lege firmata est, & ad honestam mediocritatem redacta. Neque ergo Annatarum perceptio & exactio, postquam consuetudine particularium Ecclesiarum & Principum assensu firmata invaluit, simoniaca censenda est, cum solo titulo subventionis exigantur & solvantur, modusque sit ipsis adhibitus.

XVIII. Idem confirmatur ex alia consuetudine, qua Imperatores, a *Justiniano* usque ad *Constantinum Pogonatum*, jus sibi vindicaverant confirmandæ suo consensu electionis Pontificiæ, & auri pondus ante hujusmodi confirmationem a Pontificibus electis exigebant. Viguit ea consuetudo usque ad *Agathonem*, qui Edictum a *Constantino Pogonato* obtinuit, quo Summi Pontifices hoc onere liberati sunt. Nullus tamen Pontificum hoc tributi genus solvere recusavit, nullus hanc exactionem simoniæ damnavit. Noverant quippe illam ab Imperatoribus non exigi ut pretium pro dignitate pontificia quam non conferebant,

bant, nec pro consensu electioni Pontificiæ præstito, sed titulo subsidii, ob protectionem, & tuitionem Ecclesiæ, & ob Imperii defensionem, cujus membra erant Viri Ecclesiastici, & ipsi Romani Pontifices. Cur igitur Annatæ eodem subsidii titulo collatæ simoniacæ censerentur? Non me latet viros eruditos sensisset, Imperatores tributum illud exigentes antequam Ordinationi Romani Pontificis præberent assensum, fuisse Simoniacos; Pontifices vero simoniæ reos non fuisse, quia iejustam Ecclesiæ vexationem redimebant. Verum si Pontifices exactionem illam simoniæ vitio laborare censuissent, id-ne dissimulassent? Non-ne monuissent Principes, tributum illud ipsos exigere non posse absque simoniaca hæresi? Ignorabant-ne illud *Coelestini I.* in Epistola ad Episcopos Galliarum? *In talibus causis non caret suspicione taciturnitas; quia occurreret veritas, si falsitas displiceret. Merito namque nos causa respicit, si silentio faveamus errori.* Ignorabant-ne illud *S. Leonis* ad *Turribium* scribentis? *Qui alium ab errore non revocat, seipsum errare demonstrat.* Illud *Felicis tertii* in Epistola ad *Acacium* scribentis? *Error cui non resistitur, approbatur, & veritas, quæ minime defensatur, opprimitur.* Illud denique *S. Gregorii Magni* in Epistola ad *Eusebium* Thessalonicensem Episcopum? *Qui non corrigit resecanda, committit.* Hanc sane Moralis Christianæ Regulam non ignorabant omnium Christianorum Patres & Doctores. Docuissent ergo Imperatores exactionem hujusmodi simoniacam esse, eamque ut talem damnassent. Nec enim ignaviæ aut timori ipsorum silentium tribui debet, cum nonnulli ipsorum Imperatoribus restiterint pro defensione veritatis & justitiæ. Notum est quanta animi fortitudine *Vigilius* Papa *Justiniano* & *Theodoræ Augustæ* restiterit, contumelias & exilium pati potius eligens, quam vel *Anthimum* Patriarcham Hæreticum in sedem restitueret, vel trium Capitulorum damnationi subscriberet. Notum est quam intrepido animo *Joannes IV.* adversum Ecthesim *Heraclii*, & Martinus I. adversus Typum *Constantis* insurrexerint, quia silentium de vocabulis unius vel duarum operationum indicendo, Monothelitarum hæresim fovebant. Adde quod *S. Gregorius*, qui *Mauritium* Imperatorem sedulo admonuit, cum aliqua contra Dei gloriam & Ecclesiæ bonum præcepit, ut cum Milites Monachos fieri vetuit, mutus non fuisset, cum solita pecunia ab ipso exacta est; & qui Summi Pontificatus apicem ex humilitate fugiebat, hanc omnino rationem arripuisset suo faventem proposito, illam ut recusaret Dignitatem. Quod cum non prætiterit, argumento est illum minime existimasse tributum illud esse simoniacum.

XIX. Solet objici, *S. Gregorium* in hæc verba Psalmi 4. Pœnitentialis, *Qui laudabant me, adversum me jurabant:* illam Imperatorum exactionem ut simoniacam diserte damnare, in eamque vehementer declamare. „ Concitavit enim (*inquit*) adversus Ecclesiam
„ Dei, non solum innumerabilem populi multitudinem, verum etiam Regiam, si fas est dicere, potestatem. Nulla enim ratio sinit ut inter Reges habeatur, qui destruit potius quam regat Imperium, & quoscumque habere potest perversitatis suæ socios, eos a consortio Christi efficit alienos. Qui turpissimi lucri cupiditate illectus Sponsam Christi captivam cupit adducere, & Passionis Dominicæ Sacramentum ausu temerario contendit evacuare. Ecclesiam quippe quam sui Sanguinis pretio redemptam Salvator noster voluit esse liberam, hanc isto potestatis Regiæ jura transcendens, facere conatur ancillam. Quanto melius foret sibi Dominam suam esse agnoscere, eique Religiosorum Principum exemplo devotionis obsequium exhibere; nec contra Deum fastum extendere dominationis, a quo suæ dominium accepit potestatis? Ipse est enim qui ait: *Per me reges regnant.* Sed immensæ cæcatus cupiditatis caligine, & divino, ut patet, ingratus beneficio, & contra Deum fastuosus, terminos quos posuerunt Patres nostri, contempto divino timore transgreditur, & contra Catholicam veritatem suæ furore tyrannidis efferatur. In tantum autem suæ temeritatem extendit vesaniæ, ut Caput omnium Ecclesiarum Romanam ecclesiam sibi vendicet, & in Domina Gentium terrenæ jus potestatis usurpet. Quod omnino ille fieri prohibuit, qui hanc B. Petro Apostolo specialiter commisit, dicens: Tibi dabo Ecclesiam meam.

Prov. 8. 15.

Matth. 16.

Commentarius in Psalmos Pœnitentiales non est S. Gregorii Magni.

XX. Verum ille in Psalmos Pœnitentiales Commentarius non est *S. Gregorii Magni*. Nec enim in MSS. Operum illius Codicibus habetur, nec ullus e quopiam hucusque proferri potuit MS. Codex, aut ab Auctoribus laudari, in quo ejus adscriptum nomen habeat; nec Scriptores coævi aut suppares, qui Operum *S. Gregorii* meminerunt, & ex iis insignes sententias deflorarunt, *S. Paterius* ejus discipulus, Romanæ Ecclesiæ Notarius & Secundicerius, *Sanctus Isidorus Hispalensis*, *Tajus* Cæsaraugustanus Episcopus, *Sanctus Hildefonsus*, Venerabilis *Beda*, & alii, agnoverunt illum Commentarium ut *S. Gregorii* fœtum. Secundo, non conveniunt *S. Gregorii* ingenio, & ejus in *Mauritium* Imperatorem perpetuæ venerationi, immo nec rei veritati illa verba: „ Nulla ratio sinit ut inter Reges habeatur qui
„ destruit potius quam regat Imperium, & contra Catholicam veritatem suæ furore tyrannidis efferatur.
„ *Nec illa:* Sunt etiam portæ inferi quædam Potestates hujus Mundi. Quid enim Nero? Quid Diocletianus? Quid denique iste qui hoc tempore Ecclesiam persequitur? *Nec illa in Proœmio Psalmi* 7. Persequitur enim hoc tempore Schismaticus Corpus Christi: impugnat Hæreticus Ecclesiam, unitatem infidelis perturbat. “ Constat enim *Mauritium* Imperatorem contra Catholicam veritatem nusquam pugnasse, immo ipsam protexisse, & integerrimæ semper fuisse fidei, ipsius *S. Gregorii* testimonio, Lib. 7. Epistola 48, Indictione 2. „ Pro vita, *inquit*, Piissimi & Christianissimi Imperatoris, & tranquillissima ejus Conjuge & mansuetissima ejus Sobole semper orandum est, quorum temporibus Hæreticorum ora conticescunt: quia etsi eorum corda in insania perversi sensus ebulliunt, Catholici tamen Imperatoris tempore prava quæ sentiunt, eloqui non præsumunt.

Et Epistola 63. Libri 5, Indictione 14. „ Inter armorum curas, & innumeras sollicitudines, quas indefesso studio pro Christianæ Reipublicæ regimine sustinetis, magna mihi cum universo Mundo lætitiæ causa est, quod Pietas vestra custodiæ fidei, qua Dominorum fulget Imperium, præcipua solicitudine semper invigilat. Unde omnino confido, quia sicut Vos Dei causas religiosæ mentis amore tuemini, ita Deus vestram Majestatis suæ gratia tuetur & adjuvat, Qualiter autem Pietatis vestræ Serenitas contra Donatistarum flagitiosissimam pravitatem consideratione justitiæ, & sincerissimæ Religionis zelo commota sit, directarum lucidissime tenor insinuat Jussionum.

Præterea, Commentator ille reprehendit Principem, de quo loquitur, quod *in Domina gentium terrenæ jus potestatis usurpet;* Qua vero ratione hæc in *Mauritium* scripsisset *S. Gregorius* qui Romæ Dominæ Gentium ipse Dominus erat, & cujus Imperio ac Mandatis subditum sese profitebatur? Epistola 26. Libri 2. „ Ego vero hæc Dominis meis loquens, quid sum nisi pulvis & vermis? ... Ego quidem jussioni subjectus, eamdem Legem per diversas terrarum partes transmitti feci, & quia Lex ipsa omnipotenti Deo minime concurdat, ecce per suggestionis meæ paginam Serenissimis Dominis nuntiavi. Utrobique ergo quod debui exsolvi, qui & Imperatori obedientiam præbui, & pro Deo, quod sensi, minime tacui.

Denique *S. Gregorius* summo semper honore *Mauritium* prosecutus est, & ad ipsum summa semper mansuetudine temperatas literas dedit, iis etiam temporibus, quibus ipsum expertus est minus æquum, ut cum *Maximum* Salonitanum Episcopum simoniace ordinatum, & Anathemate ab ipso *Gregorio* percussum protexit, & cum Sanctissimum Pontificem irreverenter tractavit, ipsum simplicem vocans, ipsique succensens, quod pro pace cum *Agilulpho* Longobardorum Rege *conciliandа satageret*; ut constat ex Epistolis 31, & 34. Libri 4. Non est igitur verisimile quod *S. Gregorius* humanissimus, prudentissimus, humillimus Pontifex tam acerba declamatione *Mauritium* Imperatorem vexasset, qualis illa est Commentatoris in Psalmos Pœnitentiales, cujus Commentarius anno 1512. lucem demum aspexit, & *S. Gregorio* tum primum adscribi cœpit.

Objectio contra Annatas

XXI. Objiciet quispiam, Annatas e Summis Pontificibus necessarii subsidii titulo exigi non posse, cum liberalitate Christianissimorum Regum locupletata sit Ecclesia Romana Ravennæ Exarchatu, Ducatu, Romano, & Spoletano, aliisque ingentibus Patrimoniis; cui antea prædia & latifundia a Constantino Imperatore, & Romanis Senatoribus collata, & sub Paganis Imperatoribus Matronarum oblationes, ut *Ammianus Marcellinus* testatur, abunde sufficiebant ad Summi Pontificis Clerique vitam statumque sustentandum, & ad pauperes, cum Romæ, tum in diversis Provinciis alendos.

Responsio.

XXII. Verum aucta Sedis Apostolicæ temporali Majestate, novas ipsi præbitas fuisse ingentium sumptuum occasiones nemo nescit; aucta fuisse cum opibus onera,

uni-

universalis Ecclesiæ necessitatibus Pontifices consulere debere pro viribus, ærario vacuo id non posse; tantillum Annatarum subsidium, quarum solutionem tia interdum condonant, qui ad opulentiora Beneficia promoventur, sive ob merita in Ecclesiam, sive ob Regum ac Regni Administrorum commendationem, superfluum non esse Pontificibus, qui in solam Ecclesiæ utilitatem Ecclesiæ bona profundunt, sive ad Imperii Christiani defensionem adversus Infideles, sive ad subveniendum Christianis & Catholicis Regibus, cum factionibus Hæreticorum, aut quorumvis perduellium conjurationibus eorum Majestas ac Regna in discrimine versantur: sive ad destinandos fovendosque Prædicatores in terras Infidelium ad fines Ecclesiæ propagandos; sive ad Neophytorum Urbis & Ditionis totius Ecclesiasticæ levandam inopiam; ut facere *Pius V. Clemens* IX. *Innocentius Undecimus*, atque Sanctorum Pontificum hac etiam in re imitator *Innocentius Duodecimus* ad hanc diem fecit, & porro facere non cessat, domesticis dumtaxat sumptibus modum ponens: Cui in hominum memoria æternum victuro multos annos prosperosque, & perennem exinde felicitatem ferventissimis votis quotidie adprecari debent, quotquot Deum & ejus Ecclesiam diligunt.

SCHOLION I.

Dissertationis hujus Articulo 5. n. 15. p. 586. Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *In Gallia sine Regis licentia exactiones sunt prorsus insolita.*

R. Historiæ & facti res est. Ecclesiæ Gallicanæ, Regnique mores novimus. Dicimus tamen & censemus cum venerabili Gersonio Cancellario Ecclesiæ & Universitatis Parisiensis, Libro *De vita spirituali animæ*, Lectione 3. *Potestas naturaliter Papæ convenienter habet, & requirit*, UT TAMQUAM SUPERIOR, ET TUTOR, ATQUE CONSERVATOR HONORETUR ET JUVETUR AB OMNIBUS.

SCHOLION II.

Ejusdem Articuli n. 29. p. 507. Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Annatæ non sunt revocandæ, quamdiu Concordata fideliter servantur.*

R. Franciscus I. Rex Christianissimus pactis cum Leone X. Concordatis, prohibitionem solvendi Annatas pro Bullis Episcopatuum & Monasteriorum, in Pragmatica Sanctione factam aboleri consensit. Hanc solutionem a vitio simoniæ liberam esse, tota ista Dissertatione contra *Joannem Launoium* demonstravi. Ab annis retro pluribus solvi & exigi solitas diu, vero & reali titulo subventionis; Gallicanæ Ecclesiæ, Regumque Christianissimorum accedente consensu, *quem nusquam revocare, quamdiu Summi Pontifices concordata fideliter ac religiose servabunt, pietatis & æquitatis est.* Hæc certe propositio Romanæ Curiæ favet. Summos Pontifices Concordata semper servaturos confidimus: *Cum ita inter Sanctam Sedem & Franciæ Regnum convenerit, ac præterea quæ ibi constituta sunt, maxima æquitate nitantur*; ut ait Auctor Tractatus *De Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ* contra Cleri Gallicani Declarationem Leodii editi anno 1684. Lib. 10. cap. 5. Nusquam pariter Christianissimi Reges consensum Annatarum exactioni & solutioni præstitum revocabunt, pietate erga Romanam Ecclesiam & justitia ita suadentibus & postulantibus.

Nota.

ALibi adnotare non destiti Pontifices pro communi Ecclesiæ necessitate etiam in Gallia, pro ea, qua universalis Ecclesiæ gubernio præsunt, potestate, exactiones imposuisse, ac solvi voluisse. Multoties etiam Regis accedere debuit consensus, ne Pontificia desideria frustrarentur.

DISSERTATIO X.

DE SYNODO FLORENTINA.

ARTICULUS I.

Disquiritur an legitime convocata fuerit, & Oecumenica censenda sit?

I. CUm Synodi Basileensis Patres nullum non moverent lapidem Græcos ut Basileam vel Avenionem allicerent ad ineundum de utriusque Ecclesiæ unione Tractatum, *Eugenius IV.* Pontifex Maximus ex adverso illos in Italiam invitabat, ut Græcis Latinisque Præsulibus in unam, Præside Romano Pontifice, coeuntibus Synodum, Basileense Concilium dissolveretur. Missi ea de re Constantinopolim Legati *Marcus* Archiepiscopus Tarentasiensis, & *Christophorus* Episcopus Coronensis; de sumptibus Græcorum Imperatori *Joanni Palæologo*, Patriarchæ Constantinopolitano *Josepho*, aliisque Ecclesiæ Græcæ Præsulibus & Nobilibus Viris, in accessu redituque suppeditandis pactum est; literæ liberi commeatus seu salvi-conductus ipsis ab *Eugenio* datæ, missæ triremes quæ Græcos Venetias adveherent. Concilium denique Basileense ab eodem Pontifice Ferrariam translatum est Constitutione, quæ incipit, *Doctoris Gentium*, data Bononiæ 7. Kalendas Octobris an. 1437. cui Cardinales octo S. R. E. cum *Eugenio IV.* subscripserunt. Verum quia conditionali quadam provisione decreta fuerat illa translatio, nisi Basileenses Patres Monitorium contra Romanum Pontificem emissum revocarent, & ab omni in ipsum actione cessarent, iis in proposito, cœptisque perseverantibus, *Eugenius* de Cardinalium eorumdem assensu, Concilium *Ferrariam* reipsa translatum declaravit, Constitutione quæ incipit, *Pridem*, data Bononiæ, Kalendis Januarii anni sequentis, illudque inchoandum ac continuandum induxit; Auctoritate Apostolica mandans omnibus & singulis, qui ad Generalia Concilia venire de jure tenebantur, aut consueverant, ad ipsum Concilium sic translatum, vi juramenti per eos præstiti quantocyus se conferrent. Has *Eugenii IV.* Constitutiones exhibet *Horatius Justinianus* in Actis Concilii Florentini.

Translatio Basileensis Concilii ab Eugenio IV. legitime facta.

II. Difficultas movetur non levis ex cujus discussione tota Florentinæ Synodi Auctoritas pendet, num hæc translatio Basileensis Concilii ab Eugenio legitime facta sit & fieri potuerit. Si enim Synodum Basileensem dissolvere & transferre non potuit *Eugenius Quartus*, Synodus Basileensis etiam post translationem, legitima fuit & Oecumenica: adeoque Florentina, quæ contra ejus Decreta celebrata est, nec Oecumenica nec legitima dici poterit. Porro Patres Basileenses, & qui ipsis adhæsere, contendebant *Eugenium* IV. non potuisse Basileense Concilium dissolvere vel transferre. Sessione namque 8. & 11. ab ipso *Eugenio* approbatis & confirmatis decretum fuisse, aliud cogi non posse Concilium Oecumenicum stante Basileensi. Item illud a nemine, etiamsi Papalis esset Dignitatis, transferri posse absque expresso consensu duarum partium cujuslibet Deputationis; Decretum Sessionis 8. his verbis conceptum est. *Sicut unica est Ecclesia Sancta Catholica, sic esse non potest nisi unicum Generale Concilium, ipsam Sanctam Ecclesiam Catholicam repræsentans; cum ergo in hac civitate Basileensi Decretis Sacrorum Generalium Conciliorum Constantiensis, & Senensis, & duorum Romanorum approbatione Pontificum, scilicet felicis recordationis Martini V. Eugenii IV. Generale Concilium institutum & stabilitum sit, & in Spiritu Sancto legitime congregatum, isto durante Concilio constat aliud Generale Concilium alibi esse non posse. Quicumque igitur hoc durante Concilio aliam Congregationem sub nomine Generalis Concilii erigere aut facere præsumpserit, non Catholicæ Ecclesiæ Concilium, sed Schismaticorum Conventiculum erigere aut facere convincitur. Ideirco hæc Sancta Synodus omnes Christi Fideles, cujuscumque status aut Dignitatis, etiamsi Papalis, Imperialis, vel Regalis extiterit, sub obtestatione divini judicii, quod in Core, Dathan & Abiron auctoribus Schismaticis Scriptura Sacra commemorat, admonet & hortatur, & in virtute sanctæ obedientiæ & sub pœnis contra Schismaticos a jure indictis districte præcipit atque mandat, ne hoc Sacro durante Concilio, aliam Congregationem sub nomine Generalis Concilii, quæ revera non esset Concilium, facere aut congregare, nec ad ipsum tamquam ad Generale Concilium, etiam prætextu cujuscumque promissionis aut juramenti, accedere vel interesse, aut recurrere quoque modo, neque pro Concilio Generali habere, reputare aut etiam nominare præsumant, etiamsi jam indictum prætendatur, sive in futurum indici attentetur, &c.* Decretum vero Sessionis 11. sic habet: *Sancta Synodus statuit ex certis rationabilibus causis, ut præsens Basileense Concilium per neminem, etiamsi Papalis fuerit Dignitatis, dissolvi aut de loco ad locum mutari possit nisi de expresso consensu duarum partium cujuslibet Deputationis, votis singulorum scrutatis, subsequentique approbatione duarum partium Congregationis Generalis, similiter scrutatis votis singulorum, ac demum in Sessione publica*

facta declaratione. Hæc Decreta *Eugenius IV.* confirmavit Constitutiona qua primam Concilii dissolutionem a se factam tevocavit, ipsumque a tempore suæ inchoationis legitime continuatum, & deinceps continuandum declaravit: quæ Constitutio Sessione 16. promulgata est. Tandem Sessione 25. Concilium pro Græcorum unione cum Ecclesia Latina procuranda Avenione indictum est. Videtur itaque Concilium Basileense ab *Eugenio Papa* dissolvi ac Ferrariam transferri non potuisse; adeoque Ferrariensem, ac subinde Florentinam Synodum, Oecumenicam non fuisse etiam post discessum Pontificiorum Legatorum, & majoris partis Episcoporum e Concilio Basileensi.

III. Ad hæc multiplex responsio suppetit. Prima: Romanum Pontificem Conciliorum Oecumenicorum Decreta & Canones temperare posse, ac de iis dispensare, ubi id postulat publica necessitas, aut evidens Ecclesiæ utilitas. Porro necesse erat ut Græcorum unio procuraretur, Synodum Oecumenicam celebrari, cui Summus Pontifex præsideret; alias enim tantum opus consummari non poterat. Avenio vel Basilea Græcis commodæ non erant, nec ad eas Urbes accedere volebant, sed ad Urbem aliquam Calabriæ Maritimam, Anconam, aut alteram civitatem Italiæ. Summus etiam Pontifex *propter adversam valetudinem, propter res novas, & periculum Provinciarum Ecclesiæ, Italia excedere minime poterat* (inquit *Augustinus Patricius* in Historia Conciliorum Basileensis & Florentini Cap. 42.) Potuit itaque *Eugenius* ob tantum bonum, cujus tam certa spes affulgebat, Concilium Ferrariam vel Florentiam transferre, civitatem sibi Græcisque commodam. Hanc Responsionem suppeditat *Nicolaus de Cusa*, postea S. R. E. Cardinalis, in Epistola ad *Rodericum* Archidiaconum de Trevino, in qua scribit, universales Ecclesiæ Regulas quovis modo infringi non debere, *Nisi in casu quo Pontifex ipse videret aut ἐπιείκειαν aut immutationem utilem pro ædificatione Ecclesiæ: Sacri* namque *Principis Ecclesiæ manus ad ædificationem extensas, nulla observantia, aut regula Patrum, etiam in Conciliis, impediri inhiberique posse*. Ex quo infert, *Eugenium IV. nulla cujuscumque Synodi Constitutione prohiberi potuisse, quando Concilium pro reductione Orientalis Ecclesiæ in eo loco, ubi magis rebus agendis congruebat, instituerat; atque ob hoc omnes alias Congregationes dissolverat, & Patres a Basilea absolverat, ut ad tam sanctam unionem libere concurrere possent. Nam sicut non est potestas Pontificis ad destructionem bene actorum per Patres: ita non est potestas sub cœlo, quæ ejus possit Auctoritatem minuere, quominus errantes ad ovile reducat.*

IV. Respondetur secundo Basileense Concilium ab *Eugenio* Ferrariam translatum de consensu sanioris partis Patrum. Nam *S. Sabinæ*, olim *S. Juliani*, *& S. Petri* ad Vincula, Cardinales, Sedis Apostolicæ Legati & Concilii Præsides, & plerique alii insignes Prælati, reliquis ad eligendum Concilii locum vocatis, nec venientibus, *Primo in deputationibus, tum in generali congregatione legitime concluserunt, Florentiam & Utinum in Foro Julii ponendum in manu Concilii, seu quemcumque alium locum tutum in Decreto conventionis contentum, Summo Pontifici & Græcis accommodum esse eligendum pro Concilio, illum videlicet qui citius pararet & expediret pecunias, triremes, & alia opportuna*. Id sibi licere asserebant, *etiam majori parte Concilii contradicente. Quod cum ipsa major pars nollet convenire ad electionem, ut ex communi decreto tenebatur, & terminus esset jam elapsus, urgeretque necessitas locum eligendi*, cum jam finis mensis Aprilis instaret, & sequenti mense majo oporteret *Secundum conventionem & fidem Græcis datam*, naves Constantinopolim appulisse; *omne jus Concilii* pene eos esset, *qui Decretum Concilii exequi* & Reipublicæ consulere vellent: *Sicut si in electione Episcopi, intra tempus legitimum, major pars Collegii eligere non vellet, minor potest eligere, & tota Capituli potestas, in volentibus eligere permanet*. Pars adversa Cardinale Arelatensi Præside, in Avenionia electionem inclinans, Sessionem publicam indixit ut Decretum firmaret. Celebrata est Sessio 25. Nonis Maji anno 1437. in qua scissa duas in partes Synodo duo decreta contraria edita sunt. Concilii Præsides, conjunctique ipsis Prælati, *Florentiam & Utinum* pro loco Concilii proximi elegerunt, editoque decreto designarunt. Portus vero, Venetias, Ariminum, Ravennam ad Græcorum arbitrium: Pars altera, quæ numero Sacerdotum secundi ordinis, non vero Episcoporum prævalebat, Avenionem, Basileam, vel Sabaudiam, & portum illis viciniorem elegit ac statuit. Ita refert *Augustinus Patricius*, Cap. 54. & 55. Pactis conventis cum Græcorum Oratoribus, loca designata fuerant, & a tota Synodo Sessione 19. approbata, *Calabria, Ancona, vel alia terra maritima; Bononia, Mediolanum, vel alia civitas in Italia: extra Italiam Buda in Hungaria, Vienna in Austria, & ad ultimum Sabaudia*. Qui Avenionem nominabant, contra Pactorum conventorum fidem aperte peccabant. Quapropter *Joannes Bissipatus* Imperatoris Græcorum ad Patres Basileenses Orator, & Constantinopolitani Patriarchæ Nuntius, contra decretum de Civitatis Avenionensis electione protestatus est, quod non esset ex nominatis in Concordatis, nec Græcis & Domino Papæ opportuna, cujus præsentia huic negotio necessario erat, sine qua non credebat *aliquid boni fieri posse*. Protestationis istius exemplar insertum est *Eugenii quarti* Diplomati quod incipit, *Salvatoris*. Rem ita narrat Augustinus Patricius: „ Advenerunt & Legati „ Græcorum, qui acriter conquerebantur conventa non „ servari; quando Avenio & Basilea in decreto Con„ cordiæ nominatæ non essent. Dure autem nimis agi „ secum, si Sabaudiam Græcos petere velint, quo„ niam sit in decreto; cum Græci ad ultimum dixe„ rint Sabaudiam quasi aliis deficientibus: & cum et„ iam intelligerent pro Sabaudia aliquem locum Ita„ liæ Duci Sabaudiæ subjectum. Græcorum Impera„ torem, & Patriarcham, plerosque alios Prælatos & „ Proceres esse annis & valetudine graves, neque il„ los posse Alpes superare ut Sabaudiam petant; ne„ que etiam ob iter longum, esse eis facile aut tu„ tum petere Avenionem, Turcis eorum urbem assi„ due infestantibus. „ In hac sententiorum tam gravi discordia, *Eugenius quartus* decretum electionis Florentiæ vel Utini, aut alterius loci in Pactis Conventis expressi auctoribus Legatis Apostolicis & saniori parte Synodi Basileensis editum, pro jure suo ratum habuit & confirmavit, Diplomate quod incipit, *Salvatoris*, dato Bononiæ 4. Kal. Junii anni 1437.

V. Respondetur tertio, Synodum Basileensem non prohibuisse translationem Concilii, quæ justis de causis & manifestis fieret, ut constat ex his verbis 19. Sessionis: „ Obsecratque per viscera misericordiæ Jesu „ Christi, & per aspersionem sui sanguinis pretiosi „ omnia supposita hujus sacri Concilii tam præsentia, „ quam futura obtestatur, ut ante completam Refor„ mationem in Capite & in Membris, quantum ra„ tionabilius fieri poterit, nullatenus dissolutionis con„ sensum præstent, nec loci mutationem fieri permit„ tant, nisi ex justis causis & manifestis.

Quam justæ autem essent ac manifestæ hujus translationis rationes, quam evidens illarum æquitas, liquet ex his quæ dicta sunt, & ex *Eugenii IV.* Diplomate, quod incipit, *Doctoris Gentium*, quo illas in totius orbis Christiani luce collocat. „ Ac licet (*inquit*) ob „ plurimas difficultates, quas gignebant inordinati quo„ rumdam motus, & compugnantiæ voluntatum, pa„ rum spei de conficiendo dictæ unionis negotio tri„ bueratur nobis, expectavimus tamen, neque a spe „ & intentione nostra omnino decidimus, quousque non„ nullos ex ipso Concilio ad eam nominationem loci „ processisse cognovimus, quam justis & rationabilibus „ causis gratam habere neque potuimus, neque ullis „ rationibus possumus. Civitatem enim nostram Ave„ nionensem, in Decreto non nominatam, nec com„ prehensam, & a Græcis ipsis expresse & sæpe nu„ mero repudiatam, nobis etiam irrequisitis, quantum „ in se fuit, elegerunt: non satis advertentes quantum „ ea res importet in se mali, quantumve prædictæ „ unionis afferat detrimenti, contra Concilii Decre„ tum, contra Græcorum instantiam, contra denique „ pium nostrum desiderium, tanta facilitate præsum„ pta. Est quippe locus ille nobis parum commodus, „ & Provinciis multis ac Regnis, Regibusque & Prin„ cipibus non modo ingratus, verum & situ suo ipso „ non satis tutus. Quibus ex rebus illa loci nominatio „ nullo pacto fuit admittenda; cui nisi, auctore Domi„ no, obviassemus, actum esset de Ecclesiastica pace „ & optatissima illa unione. Denique ex Græcorum „ Oratoribus, quorum alter ad Nos, alter ad Basileen„ se Concilium profectus est, Mandatis pariter in scri„ ptis utrobique traditis, cunctis palam fuit, ipsos Im„ peratores & Patriarcham perstare in sententia, lo„ cum scilicet esse eligendum, qui nobis & illis esset „ accommodus, aperte protestantibus, nisi nos in loco „ adessemus, Imperatorem ipsum & Patriarcham nequa„ quam accessuros. Questus est graviter Orator ipse, „ quod ad eum revocaretur locum, qui esset remotis„ simus, & præter navigationis longinquæ pericula, „ Mare ipsum Piratis quoque esset infestum, ac per id

cæte-

„ cætaris suspectum, imprimis illis esse suspectissimum, protestatus (nisi conditiones in Decreto appositæ servarentur, locusque idoneus eligeretur) Ecclesiæ Latinorum, si optata, tantoque studio & labore quæsita unio non sequeretur, imputandum fore. *Et infra:* Spretis adhortationibus nostris Avenionis Civitatis electionem, ipso jure nullam decretare tentarunt, Legatis & Præsidentibus nostris, & aliis plurimis & gravibus religiosisque personis renitentibus, atque ad novam loci electionem alterius procedendum esse decernentibus. Tum vero sedandi tumultus causa ad illud tandem devotum est, approbantibus cunctis, ut secundæ Induciæ darentur ea conditione, ut nisi infra præscriptum & propositum diem Avenionenses promissas pecunias numeratas persolvissent, integrum jam esset & liberum, debitum Concilio locum alium eligere. Cum vero intra condictum terminum pecunias illi nequaquam exsolvissent, Legati ac Præsidentes prædicti, aliique ex Prælatis plurimi, & omnes ferme Regum Principumque Oratores, Procuratores Prælatorum, Theologique ac Doctores, habendam rationem honoris ac dignitatis Occidentalis Ecclesiæ, ea studiose servando quæ Græcis fuerant promissa, censentes, Ecclesiasticæque pacis ac unitatis cupientissimi, & saniorem ipsius Concilii partem facientes, ad quos etiam jus eligendi devolutum; cum partem aliam nihilominus ante sæpe requisissent ut ad alterius loci electionem intenderet: alioquin protestantes, se ista amplius sine gravi offensa Dei, & ipsius Ecclesiæ insigni nota dissimulare non posse; postquam minime exauditi erant, ad electionem loci, Florentiæ scilicet aut Utini, sive alterius cujuslibet in Decreto comprehensi, qui Galeas * & necessaria alia maturius parasset, canonice legitimeque processerunt, prout in Decreto inde confecto clarius constat. Nos autem hæc omnia attentius considerantes, conspicientesque rem eo devenisse, ut prædictos Oratores necessario exaudire cogeremur, nec superesse modum alium prosequendi operis tam pii & servandi latinæ Ecclesiæ honoris, de prædictorum venerabilium Fratrum nostrorum consilio & assensu, ipsorum petitis annuimus, nominationemque factam de Florentia aut Utino, vel alio ex locis in Decreto comprehensis, in alio generali Consistorio admisimus & confirmavimus . . . . Omnibus itaque & singulis, quæ supra digesta sunt, & aliis justis & rationabilibus causis ad hoc animum nostrum moventibus, atque eo imprimis, quia quod factum est sine consideratione justitiæ, & contra Canonum disciplinam, ratum haberi nulla permittit ratio, *&c.* Tenore præsentium, Auctoritate Apostolica, ex certa scientia, & eu plenitudine potestatis, Civitatem Ferrariensem, quam & pro futuro Oecumenico Concilio ex nunc assumimus, ex nunc prout ex tunc, & tunc prout ea nunc, pro loco dicti Concilii transferendi nominamus, assignamus, & etiam deputamus; locum quidem gratum Græcis, rebus gerendis utilem, idoneum, ac commodum omnibus Regibus & mundi Principibus, & Prælatis tutum & liberum, in Decreto Græcorum comprehensum, pro quo omnia Græcis promissa, expedita & parata sunt. „ Græcos alium pro Concilio celebrando noluisse locum præter designata in Pactis conventis, & quo Papa conferre se posset ac vellet, etiam testatur *Sylvester Sguropulus* in Historia Concilii Florentini Sessione 11. Cap. 23. & 35.

* Triremes.

Denique Florentina Synodus, ratione saltem Dogmatum ab ea finitorum, Œcumenica totius Ecclesiæ Catholicæ consensu prædicatur.

Florentina Synodi Oecumenica auctoritas.

VI. Non me latet Cardinalem *Lotharingum* in Commonitorio ad *Britonem*, Secretarium suum, rebusque suis in Romana Curia gerendis præpositum dato, ut cum Summo Pontifice communicaretur, scripsisse. *Apud Gallos Constantiense Concilium in partibus suis omnibus ut Generale habetur, Basileense in auctoritatem admittitur, Florentinum perinde ac nec legitimum, nec Generale, repudiatur; atque idcirco Galli de vita potius quam de sententia decederent.* Sed hæc de Florentina Synodo magni Cardinalis verba, Gallicanis Theologis necessitatem non imponunt eam pariter ex Conciliorum Generalium numero expungendi, cum revera Gallicana Ecclesia Florentinæ Synodo nusquam intercesserit, nec Græcorum unioni, & Definitioni fidei in ea editæ adversata sit, immo eam Definitionem sit perpetuo venerata. Gallicanis quidem Præsulibus, a Christianissimo Rege prohibitis, Ferrariam ac Florentiam proficisci non licuit, sicut nec ad secundam Synodum Nicænam ipsis proficisci permiserat *Carolus Magnus*. Sed illis Capitibus Fidei definiendis ac declarandis, & utriusque Ecclesiæ unioni sanciendæ, spiritu & consensione adfuerunt. Equidem sicut Nicæna secunda Synodus olim a Gallis inter Œcumenicas numerata non fuit, *Caroli Magni*, *Ludovici Pii*, & *Caroli Calvi* temporibus, ob eam maxime rationem quod cultum soli Deo debitum sacris Imaginibus illam tribuisse putarent: sed his tenebris discussis, cum nempe constitit ipsam cultum dumtaxat religiosum latria inferiorem, seu honorariam adorationem Imaginibus decrevisse, ipsam Gallicana Ecclesia in Conciliorum Œcumenicorum numerum adscribere non dubitavit: Ita olim Galli in iis quæ receptam hoc in Regno sententiam, & sacrorum Conciliorum Constantiensis & Basileensis Decretis firmatam, de Synodorum Generalium Auctoritate supra Romanum Pontificem, vel indirecte petere viderentur, admodum delicati, cum illa Concilii Florentini verba, quibus Summus Pontifex *Potestatem regendi, pascendi, ac gubernandi universalem Ecclesiam* a Christo accepisse dicitur, ab Ultramontanis Theologis eo detorqueri viderent, ut Auctoritas Pontificia supra universalem Ecclesiam, & Generale Concilium ipsam repræsentans extolleretur, hunc loquendi modum improbarunt: etsi de capite Fidei, scilicet de Primatu Romani Pontificis, non honoris tantum, sed Potestatis & Jurisdictionis a Christo immediate instituto convenirent. Ideo literariæ contentionis fervore quandoque sunt abrepti, ut Synodum Florentinam nec legitimam esse, nec Œcumenicam dicerent. Quod *Lotharingo* Cardinali accidit illius tituli occasione, quem Apostolici Legati, & Itali Præsoles in Sessionis 23. Tridentinæ Canone quem de Romani Pontificis auctoritate octavum meditabantur, Romano Pontifici tribui satagebant, ut *Rector universalis Ecclesiæ diceretur*. De quo in Commentario illo suo ad *Britonem* Romæ agentem scripsit: *Nunc superest titulorum ultimus e Florentina Synodo depromptus, quem Beatissimo Patri nostro tribuere volunt. Ego negare non possum quia Gallus sim, & Parisiensis Academiæ Alumnus, in qua Pontificem subesse Concilio tenetur, & qui docent ibi contrarium, tamquam Hæretici notantur. Apud Gallos Constantiense Concilium in partibus suis omnibus ut Generale habetur, Basileense in auctoritatem admittitur: Florentinum perinde ac nec legitimum, nec Generale repudiatur*, &c. Verum postquam, attenta magis consideratione innotuit, Florentinum Concilium Synodorum Constantiensis & Basileensis Sacrosanctis decretis de suprema Conciliorum generalium auctoritate non repugnare, ipsum & Galli plerique unive Theologi, excusso scrupulo, œcumenicum absque hæsitatione appellarunt. Sane Synodus ad quam Orientalis & Occidentalis Ecclesiæ Episcopi concurrerent, Romano Pontifice per se vel per legatos præsidente, semper œcumenica habita est. Sic *Innocentius I.* in literis ad *Theophilum Alexandrinum* quarum *Palladius* in Vita *S. Joannis Chrysostomi* meminit, Synodum in ejusdem *Chrysostomi* causa congregandam describit dicens: *Oportere constare ultum irreprehensibilem Synodum Occidentalium & Orientalium Sacerdotum*. Ita Concilium œcumenicum, quod in causa suæ hæreseos congregari Pelagiani postulabant, *S. Augustinus* delineat lib. 3. contra duas Epistolas Pelagianorum, cap. 12. *Istorum*, inquit, *superbia hanc etiam gloriam captare intelligitur, ut propter illos Orientis & Occidentis Synodus congregetur*. Sic Ephesina Synodus latam in *Nestorium* sententiam pro universalis Ecclesiæ judicio habendam esse probat, actione 3. *Firmum ergo est* (inquit) *juxta Decretum omnium Ecclesiarum (omnes namque Orientis & Occidentis Sacerdotes vel per se, vel certe per suos Legatos, Sacerdotali huic Consessui interfuerunt) quod ia ipsum pronuntiatum est*. Neque ut omnes adsint necesse est, sed sufficit ut vocati fuerint, & sint numero, qui Ecclesiam universalem repræsentet. Quis enim nescit in plerisque Conciliis œcumenicis in Oriente celebratis duos aut tres dumtaxat Episcopos Occidentalis Ecclesiæ adfuisse? Sic ad *Marcianum* Augustum scribebat *S. Leo* Epistola 49. se existimasse ipsum Sacerdotalem Synodum ad tempus opportunius dilaturum; *Ut vocatis de cunctis Provinciis Sacerdotibus, vere posset esse universale Concilium*. Synodus Nicæna secunda actione 5. Synodum universalem definit, quæ Præsidem habet Romanum Pontificem vel ejus Legatos, & consentientes Patriarchas Orientis, ac reliquarum Præsules Ecclesiarum; & harum conditionum defectu Constantinopolitanam Synodum ad abolendas Imagines a *Constantino Copronymo* Imperatore convocatam, & eo jubente celebratam, universalem non fuisse probat. *Quomodo*, inquit, *magnam & universale*

Concilium, quod neque receperunt, neque concordaverunt reliquarum Præsules Ecclesiarum, sed illud Anathemati transmiserunt? Non habuit enim adjutorem illius temporis Romanorum Papam, vel eos qui circa ipsum sunt Sacerdotes, neque etiam per Vicarios ejus, neque per encyclicam Epistolam, ut Synodorum mos est; sed nec consentientes sibi Patriarchas Orientis, Alexandriæ scilicet, Antiochiæ & Sanctæ civitatis, vel comministros & Summos Sacerdotes qui cum ipsis existunt. Senonense Concilium, quod anno 1528. celebratum est, decreto 3. & Sacra Facultas Parisiensis in Articulis quos anno 1542. adversus hujus temporis hæreses condidit num. 12. universale Concilium definiunt *Quod universalem Ecclesiam repræsentat*. Generalem convocationem, & frequentem satis congregationem ut totius Christiani nominis repræsentatio dici possit, ad rationem generalis Concilii, postulat exquisiti judicii & eruditionis eximiæ Theologus *Melchior Canus* Lib. 5. de Locis Theologicis, Cap. 3. „ Concilia, *inquit*, „ generalia voco quæ omnium Christianorum Pontificum convocatione celebrantur. Inter multos autem „ sæpe disceptatum est, an generalis convocatio satis „ sit, an etiam sit necessaria congregatio generalis. „ Si enim Pontifex generale Concilium indiceret, non „ congregarentur tamen nisi soli decem ex Italia Pontifices, hujuscemodi profecto Synodus non esset cur „ generalis videatur. At contra, si necesse est Episcopos omnes congregari: Primum nullum forte in Ecclesia tale adhuc Concilium fuit, in quo Episcopi „ universi convenerint. Deinde pessimus quisque Episcopus, dum non solum per negligentiam, sed per „ malitiam Synodo adesse contempserit, generalem non „ esse calumniabitur; & Princeps in Republica quilibet, si illi Synodus displicuerit, interturbare eam „ minimo negotio poterit, causarique Episcopos suos, „ vel morborum, vel tumultuum causa, Concilio interesse non posse. Verum quoniam omnes hujusmodi controversias persequi non est operis instituti, „ huic Quæstioni breviter respondemus. Non satis est „ quidem ad Concilium Generale, si evocatio generalis est, quando adeo pauci congregantur, ut major „ minorque Provinciarum pars relicta esse videatur, „ præsertim si causa legitima est cur Episcopi Synodo non adfuerint. At si per malitiam hominum pessimorum una & item altera Provincia desit, non „ propterea Concilii Generalis nomen amittitur: Sed „ nec si per negligentiam quidem, aut aliam occasionem quamlibet, Episcopi aliquot desint, nominis „ sui jacturam Generale Concilium faciet, nisi in dubium vertimus, an Concilia illa quatuor, Nicænum, „ Constantinopolitanum, Ephesinum, Chalcedonense, „ Generalia sint. Quamobrem ut Fideles ita nos hoc „ loco loquimur, ut Synodum Generalem omnium Episcoporum evocatione legitima finiamus, licet non „ sit omnium Congregatio. Communi enim Fidelium „ sensu agendum est, cum de rebus vocibusque Ecclesiæ loquimur, idque eodem modo fecerunt Sapientes. Nec satis est tamen ad Generale Concilium evocatio generalis, nisi sit etiam generalis „ Congregatio. Neque hic definimus nisi id quod frequens in Ecclesia est. „ Cardinales *Joannes de Turrecremata*, & *Clemens Montalianus*, ille Lib. 3. Summæ de Ecclesia, cap. 5. iste in Tractatu de Concilio Œcumenico cap. 7. Concilium Generale definiunt *Congregationem majorum Prælatorum Ecclesiæ, Auctoritate Romani Pontificis speciali convocatam, ad aliquid communi intentione solemniter tractandum in Religione Christiana, Papa ipso in Concilio Præside, vel aliquo loco sui.* Ex his Œcumenici Concilii notionibus, tum ex Patribus & Conciliis ipsis, tum ex Theologis Scholasticis depromptis, facile colligitur Florentinam Synodum Œcumenicam esse ac dici debere; siquidem ex Episcopis Orientis & Occidentis congregata est a Romano Pontifice *Eugenio V.* qui ipsi præfuit: adfuere Constantinopolitanus Patriarcha, & Alexandrini, Antiocheni, Hierosolymitani Patriarcharum Vicarii, Græci Latinique Antistites magno numero; omnium orbis Christiani Provinciarum Præsules, & quotquot de jure vel consuetudine Conciliis Generalibus adesse poterant, per literas encyclicas Summi Pontificis convocati, nullus exclusus. Missa ad Regem Christianissimum *Caroli VII.* ab *Eugenio IV.* Legatio (cujus meminit & *Silvester Sguropulus* in Historia Concilii Florentini Sect. 5. cap. 5.) quam obiit *Faustinus* Episcopus Cretensis, ut Regis Oratores & Episcopos ad Concilium Ferrariense mitti impetraret. Datæ ab eodem Pontifice literæ ad Parisiensem, cæterasque hujus Regni Academias, quibus jubebat ut insignes aliquos Doctores ad Synodum mitterent. Earum exemplar P. 1. Actorum Concilii Florentini ab *Horatio Justiniano* editorum legere est. Adfuere Concilio aliqui Gallicanæ Ecclesiæ Præsules, esto ex Provinciis ad Christianissimi Regis Ditionem nondum redactis, ipsi tamen ut Domino Principali jure feudi obnoxiis; *Joannes* Episcopus Morinensis, & *Joannes* Episcopus Nivernensis, Serenissimi Ducis Burgundiæ Oratores; *Petrus* Episcopus Diniensis; *Andreas*, Conseranensis; *Joannes* Agathensis Electus; *Guillemus* Electus Leonensis; *Zacharias* Episcopus Bajocensis; *Guillelmus* Electus Andegavensis; *Guillelmus* Abbas *S. Salvatoris* Burdigalensis. Horum enim subscriptiones Acta exhibent. Mitto quod *Hincmarus* Archiepiscopus Remensis Opusculo 55. c. 40. scribit: *Cum duarum & trium Provinciarum Præsules in unum conveniunt, si antiquorum Canonum institutione muniti aliquid prædicationis & dogmatis instituunt, quod tamen ab antiquorum Patrum dogmatibus non discedat, catholicum est quod faciunt, & fortasse dici potest universale: Quoniam quamvis non sit ab universis orbis Præsulibus actum, tamen ab universorum Fide & Traditione non discrepat.* Quin hoc sensu, ratione scilicet dogmatum, Florentina Synodus sit universalis, nemini Catholicorum dubium est; sed aliquid amplius velim, Generalem esse nimirum convocatione, congregatione, repræsentatione universalis Ecclesiæ (utque uno verbo omnia complectar) Auctoritate. Enimvero cur legitima & Œcumenica non censeretur, cum ipsi conveniant characteres omnes, quibus legitimam seu bene gestam Synodum L. delineat in Epistola ad Episcopos Dardaniæ? *Bene gesta Synodus* (inquit) *id est, secundum Scripturas, secundum Traditionem Patrum, secundum Ecclesiasticas Regulas pro Fide Catholica & Communione prolata, quam cuncta recepit Ecclesia: quam maxime Sedes Apostolica comprobavit.* Denique *Georgius Scholarius*, Oratione 1. *De Pace* Florentinam Synodum a suis Græcis tamquam vere Œcumenicam agnosci & coli debere prædicat. *Et certe* (inquit) *multis aliis expeditioribus facilioribusque modis decantatam hanc unionem facere licebat: illis tamen omnibus posthabitis, celebrandæ Generalis Synodi, remque illi totam permittendi consilium inivimus, quod hac ratione tantum futurum esset ut firma, & stabilita manerent Decreta, auderet nemine iis adversari quæ hujusmodi Synodus pronuntiasset; & clausulam hanc in omnibus Scripturis, quibus continentur pacto & conventiones perficiendæ unionis videri, licet assidue repetitam, & Legatos utrinque missos, meminisse certe & loquendo & scribendo passim ases esse hac voce, ut auditores tunc afficerent tædio. Quod igitur ad hanc Sacram Synodum ex omnibus aut certe plurimis orbis terrarum partibus convenerint aliqui, fermenum ejus, aliorumque futuri participes eamdemque latare Sententiam de summa veram, hoc illam procul dubio facit Oecumenicam. Necesse vero est ut in reliquis aliam Oecumenicarum et Synodorum forma perfecta servetur* . . . . . . Nemo erit *qui hanc ipsam inter alias Oecumenicam esse negaverit, & ejusdem, cujus sunt aliæ, dignitatis, nec erit qui aliquis confugiens velit parvipendere quæ ab ea fuerint decreta; existimans periode esse hanc atque antea celebratas observari.* Idem probat *Josephus Methonensis*, in Responsione ad Libellum *Marci Ephesii*, sic illud compellans: *Et tu quidem segregatus a Patribus Sacræ Synodi ab ovili etiam Christi es segregatus. Segregatus vero a grege Christi, extra salutarem versaris arcam. Illum vero qui extra navem est, agitari oportet pravæ hæreses fluctibus. Omnis enim qui a Synodo secernitur Oecumenico, hostem se prabet. Hostibus autem Synodorum Oecumenicarum illud unum inditur nomen, ut appellentur Heretici.* Sed quid his testimoniis opus est, cum in ipsis Actis Græcis inscribatur, ἡ ἁγία, ἡ οἰκουμενικὴ σύνοδος ἡ ἐν Φλωρεντίᾳ?

In prima sui Editione sub *Clemente VII.* Mediceo Vaticanis Typis a *Bartholomæo Abramo* Cretensi procurata anno 1526. Florentina Synodus *Oecumenica Octava* inscribitur, & in Editionis Privilegio ab ipso *Clemente* Pontifice Maximo ita appellatur. Quia in re ejus Sanctitati obreptum est, cum in antiqua Professione Fidei quam recens electi Pontifices edebant, quæ in Diurno Romanorum Pontificum edita est, & in ea quam Sacra Synodus Constantiensis Sessione 39. mox eligendo Pontifici præscripsit, & quam edidit *Martinus V.* Concilium Constantinopolitanum Quartum, contra *Photium* celebratum, *Octavum Concilium Generale* dicatur, & præter octo illa in Oriente celebrata Concilia, tria rursus in Occidente habi-

Florentina Synodus in prima Editione sua inscripta est, Oecumenica octava.

habita, scilicet Lateranense, Lugdunense, & Viennense Generalium etiam Conciliorum nomine insigniat eadem Synodus Constantiensis, atque ita undecim in solidum numeret, quibus si Constantiensis ipsa & Basileensis addantur, Florentina Synodus Oecumenica 14. juxta hunc calculum dici debuit; aut secundum eam numerandi rationem, quæ Lateranensia quatuor, duo Lugdunensia, Viennense, Pisanum, Constantiense, Senense, & Basileense pariter inter Oecumenica recenset, Florentinum 20. Concilium Generale inscribi debuit; aut secundum Systema Cardinalis *Bellarmini* & Sectatorum, 16. Inde autem natus error, quod Græci vulgo septem dumtaxat priora Concilia in Oriente celebrata pro Oecumenicis haberent, Octavam contra *Photium* habitam non reciperent, unde Florentinam Oecumenicam Octavam inscripsit Notarius in Schismate educatus, cujus errorem mirum est quod secutus sit *Clemens VII.* in Diplomate illo suo, quo ejusdem Synodi Florentinæ Acta in lucem primum edi permisit. Sed non omnia vident aut sciunt Romani Pontifices, & in hujusmodi rebus obreptionem pati possunt. Hic vero amendatus est error, expunctusque mendosus titulus in Versione altera ejusdem Græci Codicis a *Joanne Matthæo Caryophilo* Cretensi adornata, quæ in Conciliorum Generalium Collectione Romæ sub *Paulo V.* Pontificatu edita est.

Florentina Synodus a calumniis Marci Ephesii vindicatur.

VII. Multis, putidisque calumniis Florentinam Synodum proscidit *Marcus Ephesius*, qui unus e Græcis Præsulibus Definitioni Fidei subscribere pertinaciter recusavit, ut constat ex *Joanne Plusiadeno*, & ex *Josepho Methonensi*. Objiciebat primo, Græcos unioni consensisse, multis pollicitationibus illectos & ex muneribus a Romano Pontifice & Latinis redemptos. Sed calumniam istam egregie refellit *Josephus Methonensis*, in Responsione ad *Marci Ephesii* Libellum. „Non audaces (*inquit*) ad impietatem, sed religiosi ad retinendam pietatem erant illi, quos tu calumniaris. Noluerunt enim deinceps in schismate & perversitate persistere, secernendo se a fratribus & ab Ecclesia; nec adeo stolidi erant, ut veritatem, quæ Christus est, coram hominibus negarent; & propterea nuda fronte palam pronuntiarunt, a tenebris pessimæ illius, quam præsumptam animo habebant, opinionis se colligentes, & ad veritatis lucem revocati, te miserabiliter humi * jacere relicto, ut socios haberes omnes, qui jam usque ab initio fuere Schismatici. Nec vero, ut vis, pellecti sunt illi promissis ac muneribus, sed timore permoti illius oculi, quem latere nihil potest, confessi sunt quod æquum esse cognoverunt.

** Ad morbum comitialem alludit, quo Ephesius vexabatur.*

Eamdem calumniam diluit *Joannes Plusiadenus* in Dialogo de Synodo Florentina. „Si scandalum pateris (*inquit*) quod muneribus acceptis Patres subscripserunt, ne turberis animo. Neque enim absoluta Synodo tantum stateres Patres acceperunt, quos tu munera appellas: Namque si quis recte ac juste loqui amat, eos non munera, sed provisionem comparandorum alimentorum causa vocabit. Neque enim erant illis expensæ ad veniendum in Italiam ab ipso ortu Solis; pauperes enim erant". In eodem Dialogo de Romano Pontifice *Eugenio IV.* loquens: „Atque expensis illius (*inquit*) venere in Italiam & Imperator & Patriarcha, & reliquus Clerus; neque id solum, sed armati etiam homines bis mille ejusdem pecunia conducti fuere, ut Constantinopolim ad reditum Imperatoris defenderent: Neque suo accessu subito unionem amplexi sunt, sed continuos duos annos utraque pars disputationibus incumbebat, & concertatio concertationem excipiebat, & congressum; & qui disputationibus præerant, numquam quiescebant, sed argumenta animo volventes noctes diesque pervigilabant, & quisque pro tuenda sua sententia nimiopere sumebat operam, quousque tandem res exitum habuit, & unio perfecta est cum gaudio veritatis, non munerum gratia: manusque dogmati dederunt, cum contra hiscere non possent, claro adeo patentique; lætique subscripsere, volentes lubentesque, non coacti, ut vos dicitis. Sacroque Missæ Sacrificio peracto, Definitio lecta est, nostrique Archiepiscopi sacris vestimentis induti omnes in ea aderant, & jurejurando super Dominicum Corpus jam consecratum dato acceptoque ita se sentire, & imposterum credituros, omnes utriusque partis avide jurarunt, ita tenere & credere mutuisque se amplexibus deosculabantur, non sine lachrymis & inenarrabili gaudio, quod diuturno Schismati remedio allatum: & Christiani Orthodoxi tum Græci tum Latini in ea acclamati sunt, & Definitio per totum terrarum orbem pervolavit, Græce Latineque conscripta. Tum, quem ipsi dicunt, Ephesius aderat * cum aliis, archieraticis * vestibus amictus; & hymnos & collaudationes pars utraque exhibuit Deo, qui rursus sui corporis mystici membra, tanto divisa tempore, in unum coalescere fecisset.

** a Pontificalibus.*

Idem testatur *Bessario in* Epistola generali: „Multæ ibi (inquit) & egregiæ pro hoc dogmate jactæ sunt, quasi fundamenta, rationes: multa ex utraque parte dicta, quæ propriam opinionem commendabant. Tandem vicit apud omnes, Patrem & Filium unum esse principium Spiritus, & ex ambobus ipsum tamquam ab uno productore procedere. Multa Sanctorum & Doctorum, non tantum Occidentalium, sed etiam Orientalium, & nostrorum, producta sunt testimonia hoc significantia, multis ostensum est considerationibus. Num enim, fratres, negligenter, num obiter circa rem tanti ponderis nos exhibuimus? Multum vigilavimus, multum soliciti, ut scitis, fuimus. Verum cessimus veritati, locum dedimus Doctoribus. Absit enim ut animus probus & Christianus ostensæ veritati claudat oculos.

VIII. Effutiebat præterea *Marcus Ephesius*, Græcos ad subscribendum unioni coactos inopia premente, urgenteque fame, quia nulli quidquam sumptuum condictorum suppeditabatur. Verum hanc rursus calumniam diserte refellit *Josephus* Methonensis Episcopus. „Hic te, *inquit*, ostendam auditoribus mendacem & penitus desipientem, qui talia dicas. Heus tu nec Deum es veritus, nec homines, ut tam illustra mendacium proferas? Quis constituta nummum aureorum erogatione fraudatus? Quis nostrum contristatus aut conquestus est? Qui vero id fieri poterat præsente Imperatore & Patriarcha, & Ecclesiarum Præsulibus, & Optimatibus, & reliquis? Nullam res hæc habet probabilitatem. Si enim ita, ut nunc dicis, factum esset; Imperator & Patriarcha non tacuissent, sed libera palamque dixissent, Vultis per vim Synodum ad finem perducere? contra jus fasque hoc est. Deinde quis esurivit, quem afflixit inopia? Quis de fame conquestus est? non enim ad alimenta solum impendebatur eis pecunia, sed multo etiam copiosior, ut suppeteret ad conficienda indumenta, & zonas, & vasa argentea; atque inde illi in patriam locupletati redirent. Quomodo ergo dicis tu illos deplorasse & conquestos esse, nec habuisse unde sibi alimenta emerent? Cui vero illi vim attulerunt, ut subscriberet, & uniretur? Per illos quisque sui juris fuit". Testatur idem *Josephus*, cum Ferrariæ non esset facultas *Eugenio IV.* unde alimenta Græcis subministraret, ipsum ut unionis negotium ad finem perduceret, ingens æs alienum, oppignerata etiam Mithra Pontificia, cum Florentinis contraxisse. „Admiserunt etiam (*inquit*) * ut Florentiam e Ferraria iretur, quoniam Eugenius Beatissimæ memoriæ Pontifex Romanus, Ferrariæ non habebat, nec aliunde facultas ei suppetebat, unde vobis alimenta subministraret. Idcirco mutuo petiit a Florentinis quadraginta nummum aureorum millia, oppignerata Mithra sua. Illi accepto pignore pecuniam numerarunt; tantumdem vero se dono etiam daturos promiserunt, si in eorum urbem transferret Synodum, ut scilicet illorum Respublica honore hoc augeretur, si inibi Definitio fieret". His æque refellitur *Michael Balsamon* in *Anaphora* Cleri Constantinopolitani scripturiens, Græcos minis a Romano Pontifice suffocatos, fameque confectos, Synodo subscripsisse. Eamdem calumniam refellit *Silvester Sguropulus*, erga Latinos licet, & Sacram ipsam Synodum minus æquus & Schismaticus. Quamvis enim quinque mensium stipendia Græcis debita fuisse dicat, & auctore Imperatore a Pontifice postulata, cum exemplaria quatuor Definitionis Fidei, post primariam Autographi subscriptionem, a Græcis iterum subscribi Pontifex idem Maximus urgeret; ait tamen *in illa primaria Definitionis subscriptione nullam vel petendi, vel reddendi stipendii injectam esse mentionem*. Et Cap. 8. *Quinque mensium* (inquit) *stipendia nobis tum supererant solvenda, & testem appello Regnantem in cælis, & super omnia, Deum, nulla tum mentio annonæ a cujusquam ore crepuit: nulla vel minima postulatio Nostratium, vel pollicitatio Latinorum: sed quamquam omnes pudenda inopia premeremur, tamen in cordium recessibus singultientes, cum lachrymis & suspiriis nostrorum plurimi subscripsimus. Hæc novit qui intima cordium & renum explo-*

** Apud Leonem Allatium L. 3. De Per. Consens. Ecclesiæ Occid. & Orient. Cap. 2.*

Sess. 10. C. 57.

rat Deus, qui & digna aliquando præmia retribuet iis qui subscribentes infamant, quasi a florenis postulatis & receptis adacti subscripsissent.

IX. Objiciebat *Ephesius*, testimonia SS. Patrum, quibus fulcitur Synodi Decretum, a Latinis fuisse corrupta. Hanc refellit calumniam Bessario in Epistola ad *Alexium Lascarim*. Cap. 5. „ Latini (inquit) tamquam a principio incipientes, plura ac varia pluribus in Sessionibus argumenta dixerunt a Sancta Scriptura & Ecclesiæ Doctoribus minores ut plurimum Propositiones habentes, quibus probarunt Spiritum Sanctum ex Patre Filioque procedere. Et tandem auctoritates Patrum attulerunt, quibus clare & palam hujus dogmatis veritas apparet. Attulerunt vero non solum Occidentalium Patrum testimonia, ad quæ nos nihil respondere habebamus, nisi quod corrupta sint, & a Latinis corrupta fuerunt. Produxerunt nostrum Epiphanium multis in locis ex Patre & Filio clare dicentem esse Spiritum Sanctum; corruptum fuisse dicebamus. Allegarunt Cyrilli nonnulla, & aliorum; idem dicebamus. Adduxerunt Occidentalium Sanctorum Auctoritates; omnis nostra responsio eadem, & nulla alia erat. Cum igitur multis diebus inter nos ipsos consideraremus quidnam ad hæc respondendum esset, nullam aliam reperiebamus responsionem præter prædictam; illam vero tamquam levem & a multis deridendam in medium afferre non videbatur. Primo, quia ex antecedentibus & consequentibus hæc opinio videbatur de mente esse Sanctorum. Deinde plurimis libris & antiquissimis idem habentibus, non erat facile ea calumniari, præsertim cum nullum nos librum alium haberemus, non Latine, non Græce scriptum, qui aliter auctoritates prædictas scriptas haberet, quam Latini dicebant. Præterea nos alios Doctores contrarium dicentes producere non habebamus; eosdem Occidentales aliter alibi dicentes probare minime poteramus: naturalibus rationibus eos ostendere falsa dicere, minime erat possibile. Cum igitur nullam nobis responsionem, quæ digna esset, relictam videremus, tacuimus, per multosque dies non convenimus cum Latinis. Tantum autem abest ut Latini Græcos ad subscribendum, interpolatis Patrum testimoniis adduxerint, ut Græcos hujus depravationis reos agat *Bessarion*, Cap. 2. ejusdem Epistolæ. De quodam enim *S. Basilii* testimonio Lib. 3. contra *Eunomium* agens, quo Spiritum Sanctum *dignitate secundum esse a Filio*, tradit, *cum ab ipso esse habeat, & ab ipso accipiat, & annuntiet nobis & omnino ab illa causa dependeat*: refert e sex Codicibus quos Græci in Synodo Florentina habebant, quinque hunc *S. Basilii* locum sincerum & integrum exhibuisse: unum vero dumtaxat hoc testimonio caruisse, *in quibusdam partibus ejus diminutum, in quibusdam superabundans, prout corruptoris mens & manus voluit*. Addit, post celebratum Concilium, cum Constantinopolim rediisset, lustratis Bibliothecis, in Novis Codicibus post hanc contentionem scriptis hunc locum suppressum se invenisse, in antiquioribus vero hunc integrum legisse. Ab omni autem veri specie alienum, & prorsus incredibile esse probat, quod Græci sui ajebant; *Varcum* & alios, qui Latinos secuti fuerunt, hunc locum interpolasse, primo quia tantum ornatum, tantam gratiam, & eloquentiam Atticam præ se fert, ut non modo Latinos aliquid simile in lingua peregrina & Græca non posse componere, sed neque Græcos quidem præter ipsum *Basilium*, exploratum sit. Secundo, quia cum Codices *Varra* Patriarcha multo sint antiquiores, ab ipso interpolati dici non possunt.

Georgius Scholarius Oratione De pace, in Concilio Florentino habita eamdem calumniam evertit. „ Porro, *inquit*, voluisse Latinos depravare fidem, & Doctorum omnium adulterare Theologiam, quis adeo stolidus ut credat? Quisve id asserendo contra Latinos, risu non excipiatur? Nulla enim criminatio potest redargui pluribus, fortioribus ac verioribus argumentis. *Denique* Josephus Methonensis *eamdem* Ephesio *calumniam exprobrat*. Tu vero (*inquit*) cum ferre non posses veritatem, corruptos & depravatos vocabas Doctorum libros: quando etiam magno tuo dedecore universa te Synodus sugillavit ita dicentem, & præsertim ulterioris Franciæ Præsules, ut audierunt Orientalium Doctorum libros vocari a te corruptos, magna voce exclamarunt: Hæreticus est iste maledictus, æterna feriatur excommunicatione; Doctores enim rejicit; & si sois Orientis Doctoribus fidem non tribuit, quid de nostris Occidentalibus dicerit? Hinc commotione excitata, consurgentes, nihil aliud dixistis.

X. Objiciunt Græculi Schismatici, & inter alios *Amyrutzius & Georgius Gemistus*, Florentinæ Synodo non subscripsisse Constantinopolitanum Patriarcham, qui ante finem Concilii obierat, non *Marcum Ephesium* Synodi Exarchum, & Antiocheni ac Hierosolymitani Patriarcharum locum tenentem, neque Ruthenum Metropolitam *Isidorum*, sed & eos qui subscripserunt, statim atque in Græciam sunt reversi, palinodiam cecinisse, quod argumento est illos libere non subscripsisse.

Græculorum Schismaticorum Objectionibus respondetur.

Respondetur, Patriarcham conclusa jam quoad præcipua capita unione, Sessione ultima e vita migrasse antequam Definitio Fidei concederetur; sed sententiam suam circa Dogmata controversa scripto consignasse, ac Græcis reliquisse, in hæc verba: „ Joseph miseratione divina Archiepiscopus Constantinopolitanus Novæ Romæ & œcumenicus Patriarcha. Quoniam ad finem vitæ meæ perveni, soluturus jam commune debitum, Dei gratia scribo & subscribo sententiam meam aperte universitati meorum filiorum. Omnia igitur quæ sentit & quæ dogmatizat Catholica & Apostolica Ecclesia Domini nostri Jesu Christi senioris Romæ, ipse quoque sentio, & iis me acquiescentem do ac dico. Profiteor quoque Beatissimum Patrem Patrum, & Maximum Pontificem, & Vicarium Domini nostri Jesu Christi antiquæ Romæ Papam ad certam omnium fidem, nec-non Purgatorium animarum. In horum quippe fidem subscriptum est die mensis Junii nono, Indictione secunda". Quæ sententia in acta Synodi relata est, de qua *Josephus Methonensis* contra Marcum Ephesium „ Sacer Patriarcha primus dixit sententiam, Sanctos Orientales congruere cum Occidentalibus. Hunc deinde secuti sunt reliqui præstantissimi Viri: Qui si esset in vita, tu nec diceres, nec ageres talia, sed nec auderes ipsum vocare jampridem corruptum, si vel ipsam nudam ejus umbram conspiceres. Is enim non metu vel studio gloriæ, nec discessum inde sitiens, sacram optabat Ecclesiæ unitatem: Sed quia reipsa peractum vidit, quod multi ante illum Patriarchæ videre cupierunt, & non viderunt. (Vidit enim pacem Ecclesiæ, membra Dominici corporis conjuncta) exultavit spiritu, & cum devotione subscripsit, confessus Spiritum Sanctum etiam ex Filio, Purgationem animarum, Romanum Pontificem omnium Sacerdotum Caput: atque ita positis genibus oravit, sublatisque in cœlum manibus, Deo gratias egit, sicque Sanctam suam Animam reddidit.

Quoad *Isidorum* Ruthenum Metropolitam, putidi mendacii convincuntur ex Actis in quibus legitur ipsum definitioni fidei hunc in modum subscripsisse. *Isidorus Metropolita Kioviensis, totiusque Russiæ locum tenens Apostolicæ Sedis Sanctissimi Patriarchæ Antiocheni Domini Dorothei, satis habens subscripsi.*

De *Marco Ephesio* non moror. Verum est non subscripsisse; sed nihilominus Oecumenica Synodus est; sicut Nicæna Synodus, Constantinopolitana, Ephesina, Chalcedonensis, & aliæ, vere sunt & prædicantur Oecumenicæ, licet eorum Definitionibus *Arius*, *Macedonius*, *Nestorius*, *Eutyches*, alii Hæretici in illis damnati minime subscripserint. Tandem si qui Græcorum in patriam reduces, velut ejurata subscriptione ab unitate defecerunt, id eorum levitatis & perfidiæ non vis illatæ argumentum est. Et sicut Nicæna Synodus Oecumenicam auctoritatem non amisit, quamvis plures eorum qui Definitioni Fidei & Arii damnationi in ea subscripserant, Arianam hæresim postea professi sint, ac in pluribus Synodis confirmaverint: Ita Synodus Florentina Concilii Oecumenici auctoritate non excidit, quamvis nonnulli eorum qui Definitioni Fidei & unioni subscripserant, in schisma sint relapsi. Verum ea de re audire præstat *Joannem Plusiadenum* in Dialogo de Synodo Florentina. Hoc (*ait*) non in Synodo Florentina tantum actum est, sed & in aliis quæ illam præcesserant. Multi etenim post absolutas Synodos variis adversariorum studiis divisi, suismet professionibus ac subscriptionibus repugnantia fabulabantur: At non propterea Synodi illius auctoritatem imminuebant, neque Decretum illius rejiciebatur. Et sane Ephesium non subscripsisse mirum non est. Una hirundo (ut Proverbio fertur) non facit ver; unus, nullus; plurium sententia robur habet. Scito nihilominus ab Ephesio accurate postulatum fuisse, ut rationem redde-

„ ret

„ ret quam ob causam a Synodo dissentiret, illique refragaretur non subscribens. Quæ cum ille audisset, continenter ad Imperatorem advolavit, & cum lachrymis eidem suggessit: Domine Imperator, Synodus mandat ut rationem reddam quam ob causam non subscribam. Sacra tua Majestas optime novit, me ad extremum usque diem contradixisse, & contradictiones in me acriter suscepisse: Nunc adeo subito illis, quæ hostiliter persecutus sum, subscribere me senem & Antistitem pudet: ne senectutem meam contumelia afficiatis, & stultus infansque Italis videar... Hinc Imperator pro eo Synodum exoravit: Dimittite hunc mihi, dixit, ipseque faciam ut Constantinopoli subscribat. Venere itaque Constantinopolim; & Imperator ob demortuam uxorem Imperatricem tristis in luctu erat, nec Patriarcha Ecclesiæ aderat. Ephesius ubi vidit plebem sibi applaudentem, quod non subscripserat, & multitudinem adorantem, tamquam Moysen & Aaron & collaudantem, Sanctumque appellantem, inveniretque quod desiderabat, ut magis ipse quam Synodus a plebecula commendaretur, in proposito constitit, excitusque adversus Synodum, Latinosque ipsos scripsit. Namque ibi a Fratre Joanne ad differendum conquirebatur; sed ille certamen formidans, neque volens se palam opponere, aufugit, indeque in angulis latitans scribebat multa, effutiebatque, cum nullus esset qui refelleret. Reliqui similiter, qui simul convenerant, videntes vulgus ita in Latinos concitum, ab eoque se cum Latinis sentientes & Azymitas impudenter satis appellari, neque Antistites, neque Christianos ad minimum haberi, per ironiam civibus dicebant: Quid ita in nos furitis, quod subscripsimus? Improbe egimus: eu manus quæ in Synodo subscripserunt, abscindite. Hæc dicebant, impetum vulgi adversus se audacter debacchantem frænantes. Quod si vere id enunciabant, quod non existimo, mirandum non est. Nam magna & prima Nicæna Synodo absoluta a trecentis decem & octo Patribus, septem sententiæ Arii succumbentes, verbo & scripto Synodum lacerabant, & Synodos locales plures quam triginta coegerunt, quæ Magnam Synodum Anathemate feriebant. Neque propterea Synodus de dignitate sua aliquid amisit, aut irrita declarata est; sed perstitit & manet ad hæc tempora, subscriptionibus eorum & trecentorum ac decem & octo Patrum munita; & Ecclesia nunc quoque publice collaudat, non eos, sed eorum Professionem & Deiparos ac Sanctos nuncupat, qui ab eodem desilierunt. Quod (ut sæpius dictum est) Ecclesia, finita Synodo, non curat quid hic cogitet, aut dicat, aut agat. Nam ibi in congressu uniuscujusque Professionem accipit, quæ & in Cœlo adnotatur, unde abradi non valet. Cum vero e congressu exit, quidquid ipse agat, non potest quod in ex fassus est, immutare.

Objiciunt Græci Schismatici: Græcam Ecclesiam in Synodo Constantinopoli in Templo *S. Sophiæ* post mortem *Joannis Palæologi* anno 1450. congregatam, Synodum Florentinam damnasse, *Gregorium* Patriarcham ei adhærentem exauctorasse, & in ejus locum *Athanasium* ordinasse. Hujus Acta legere est apud *Leonem Allatium* in addendis ad Caput quartum Libri 3. *De perpetua Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis Consensione*, pag. 1380. Editionis Coloniensis.

Sophiana Græcorum Synodus contra Florentinam commentitia.

Respondetur, si se res ita haberet, ex eo non sequi quod Florentina Synodus Œcumenica non fuerit, sed quod Græci ad ingenium & schisma redierint. At hanc Synodum (uti modo habetur) numquam ab iis qui dicuntur illi interfuisse celebratam, sed a nebulone quopiam recentiore ex variis *Amirutzi*, *Gemisti*, *Gennadii*, contra Florentinam Synodum Sciptis concinnatam probat *Leo Allatius*. 1. Quia in omnibus Synodis & congressibus Ecclesiasticis, dummodo pondus habeant, semper in ipso initio, vel saltem in fine, ponitur tempus quo talis Synodus coacta est: At in ista nulla est temporis notio, nulla mensis memoria, nulla Indictionis indignatio, & si quæ sunt temporis notæ, adeo sunt confusæ, ut nihil inde certi haurias. Dicunt Acta, hanc esse celebratam post Synodum Florentinam anno uno & dimidio. At hoc esse non potuit, cum ille fuerit annus Christi millesimus quadringentesimus quadragesimus. Nam Concilium inchoatum fuit Ferrariæ anno millesimo quadringentesimo trigesimo - octavo. Decretum Unionis editum est Florentiæ anno millesimo quadringentesimo trigesimo nono. Si addas annum unum & dimidium, cum dicitur coacta fuisse hæc Synodus, erit annus millesimus quadringentesimus quadragesimus. Synodes trium Patriarcharum Syriæ absoluta fuit annó millesimo quadringentesimo quadragesimo-tertio. Quanam ergo ratione constare potest, quod in fine Sophianæ hujus Synodi habetur, Synodum trium Patriarcharum cum ista consentire, quæ nondum facta fuerat, sed post tres annos celebrata? 2. Synodi hujus titulus *Constantinum* Imperatorem filium *Joannis Palæologi* dicit, qui frater erat. 3. *Joannem Palæologum* ante obitum ab unione cum Ecclesia Latina defecisse, & Dogmata in Concilio Florentino definita ejurasse mentitur. Sane si ex Patriarcharum, quos semper Orientales Imperatores sibi in Dogmate concordes eligebant, fide, de fide etiam Imperatorum judicium ferre licet, incredibile est *Joannem Palæologum*, qui post Florentinam Synodum Patriarcham instituit *Metrophanem Cyzicenum*, unioni addictissimum, ideoque Schismaticis exosum, & post ipsum *Gregorium Protosyncellum* virum vere Catholicum, suæ Majestati a Confessionibus, Florentinæ Synodi vindicem egregium, Patriarcham creari voluit, quo adhuc superstite, Ecclesiam gubernante, & unionem pro virili promovente, excessit, e vita; incredibile (inquam) est a Fide Synodi Florentinæ, & ab unione defecisse. 4. Hujus Synodi titulus ait, *Constantinum Lascarim* jussu *Athanasii* Byzantini Patriarchæ artis Grammaticæ præcepta edidisse, cum nec ullus hujus nominis Patriarcha Ecclesiæ Constantinopolitanæ Sacris hac tempestate præfuerit, & ipse *Constantinus* Libro 3. testetur se rogatu *Philippi Ferusini*, *Bartholomæi Calci*, & *Boniet Membricii*, Grammaticas has Institutiones in Italia conscripsisse. 5. In primo congressu Patriarcha Antiochenus nominatur *Dorotheus*, in subscriptionibus *Arsenius*, & tamen *Dorotheum* triennium post superfuisse ex trium Patriarcharum Synodo, cui interfuit, certum est. 6. In eodem congressu deponitur *Gregorius* Patriarcha, eligitur *Athanasius*, anno millesimo quadringentesimo quadragesimo. Quo tamen tempore *Gregorius* nondum Ecclesiæ Constantinopolitanæ Sacris præerat, qui post *Metrophanem* Patriarcha renuntiatus est anno millesimo quadringentesimo quadragesimo quinto. 7. *Athanasium* Patriarcham, cujus apud illius temporis Scriptores nulla memoria, a *Macario* Nicomediensi, *Neophyto* Nicæno, & *Metrophane* Cyziceno consecratum, Sophianæ illius Synodi Acta tradunt, cum ab Episcopo Heracleensi consecrari soleret Constantinopolitanus, & huic Synodo *Antonius* Heracleensis adfuisse memoretur. 8. In congressu tertio dicitur, Deum Florentinam Synodum per ingentem pestem rejecisse, quod falsum est, cum Ferrariæ quidem pestis grassata fuerit, & inde Patres Florentiam commigrare compulerit, ubi nulla pestis fuit durante Synodo. 9. In congressu quarto dicitur disputatum esse in Florentina Synodo de verbis Dominicis, an in illis videlicet transmutetur panis & vinum in Corpus & Sanguinem Christi, an vero necessario requirantur, ut id fiat, & preces Patrum subnexæ. At istud falsissimum est: In Synodo siquidem Florentina Latini inter alia & hoc quoque quæsierunt a Græcis: Quare contenti non essent istis Domini verbis, *Accipite & comedite, Hoc est Corpus meum &c.* sed postea dicerent, *Et fac panem quidem hunc pretiosum Corpus Christi tui, & quod in Calice est, pretiosum Sanguinem Christi tui, transmutans in Spiritu Sancto tuo. Amen.* Subduntque Acta, id & alia canonice legitimeque soluta fuisse per Mitylenensem Archiepiscopum. Unde ergo tam prolixa disputatio, cujus Sophianæ illius Synodi Acta meminerunt? 10. Disputationis modus in hac Synodo longe diversus ab illo est, qui ea tempestate erat in usu: immo recentissimum esse evincunt testimonia Auctorum in ea prolata, & doctrina non ex Græcis, sed ex recentioribus Hæreticis plane deprompta, & Auctores ab iisdem laudati, quos Græcis non ita familiares esse nemo nescit, scilicet, *Tertullianus*, *Cyprianus*, *Hilarius*, *Ambrosius*, *Hieronymus*, *Augustinus*, *Leo Papa*, *Beda*, *Anselmus*, *Bernardus*, *Petrus Lombardus*, *Gratianus*, *Thomas Aquinas*, *Scotus*: quorum omnium Opera, (licet aliquorum nonnulla) omnia tamen in linguam Græcam versa non sunt. Unde ipse *Marcus* Ephesius in Florentina Synodo, se in Occidentalium Patrum Doctorumque Scriptis versatum non esse professus est.

JOANNIS DOMINICI MANSI

Nota.

HIC nodus est plusquam Gordius solvandus ab iis, qui supremam Concilii auctoritatem sepa

P n-

Pontificem Romanum tuentur. Florentinum Concilium rite indictum, riteque celebratum esse omnes agnoscunt, accedente præsertim Ecclesiæ universalis consensu in sede Generalium illud collocante. Peræque tamen tanquam veritas historica admittendum est Basileense Concilium in Canone IV. primæ Sessionis definiisse Concilium illud *per nullum quavis auctoritate, etiam papali, perfulgeat, dissolvi, aut ad alium locum transferri, seu ad aliud tempus prorogari debuit aut potuit, debet aut potest, debebit aut poterit in futurum absque ejusdem Synodi Basileensis deliberatione & consensu*. In translationem ab Eugenio factam ejusdem Synodi Ferrariam primum, tum Florentiam sicut & dissolutionem Concilii Basileensis in eadem translationis bulla comprehensam; Basileensium Patrum nullum decretum seu consensum intercessisse compertum est. Quomodo ergo duo hæc inter se cohæreant, nisi admittatur Pontificiam supra Concilium auctoritatem obtinere? Hujus argumenti vim sentiens P. Alexander tria reponit. Principio ait Pontificem publica necessitate, vel Ecclesiæ necessitate postulante, temperare posse ac dispensare in Canonibus & decretis Concilii. Verum quæ tanta tunc necessitas urgebat ex una translatione necessario juvanda!

Non Bohemorum refutatio, cui in Concilio Basileensi melius quam in Italico Concilio provideri poterat, ac reipsa utcumque provisum fuerat. Non Ecclesiæ reformatio quo Basileense Concilium toto nisu urgebat. Restat unica causa Græcorum reductio ad unitatem Ecclesiæ Romanæ; recusantibus enim illis Basileam aut Avenionem se conferre, exigentibusque Concilium, cui Pontifex per sese adesset, nec ille transire Alpes posset, Concilium istud a Pontifice in Italia indicendum fuerit, quandoquidem nullum Italiæ locum Basileenses assignare vellent. Fateor utique. At quisnam fuit qui Græcis hanc animi obstinationem indidit, ut alibi quam in Italia sistere se recusaverint? Nonne Pontificiorum missorum artibus id totum imputat Joannes de Ragusio in Græciam ad sollicitandum pro Concilio a Basileensibus ablegatus? Insuper quænam concordia inter Græcos Latinosque sperari jure poterat, in tanto Concilii cum Pontifice dissensu? Profecto Græci, quos dissidium hoc nequaquam latebat, ea venerunt mente in Italiam, ut dissensiones illas componerent; parati recedere siquidem res illis non successisset pro voto, prout non ambigue declaravit ipse Græcorum Imperator Joanni de Ragusio, & ipse testatur in sua Relatione facta coram Patribus Basileensibus, a me ex MS. Cod. Vindobonensi evulgata Supplem. to. VI. pag. 638. Ambiguum igitur erat num necessitas illa tanta fuerit, ut nisi translatio Concilii fuerit, obtineri nequaquam potuisset; prius enim tentanda fuerant a Pontifice omnia, antequam in translationem Concilii absque assensu ejusdem Concilii deveniretur, ut summa tandem necessitas insurgeret Concilii novi absque assensu Basileensium indicendi.

Responsio altera P. Alexandri est, saniorem Concilii partem in eam translationem convenisse. At omnium confessione major pars reclamavit; hæc autem portio reclamantium, ne celebretur in Italia Concilium, fuit ultra duas partes; cum enim Patres in totum supputarentur ad 345. omnes una cum Legatis Pontificiis convenerunt ut Basileæ perseveraretur; siquidem adduci Græci possent ut in eo venirent. At si obsisterent, 249. vota (quæ Patrum duas partes duodecim votis superabant) in Avenionem consenserunt; pro tota vero Italia, vel loco aliquo designato in Italia 72. tantum vota consenserunt; quæ omnia publicis tabulis signata a me ex eodem Vindobonensi Codice evulgata sunt. Ibid. pag. 610. Cum vero Legati Apostolici, Italicas partes tuentes, *concludere*, seu decretum Conciliare pro Italia excludenda, rogare, prout de more tenebantur, recusassent, Cardinalis Arelatensis requisitus ab assidente Concilio eo munere functus est. In tanto suffragiorum excessu quis persuadere sibi posset saniorem Patrum partem pro translatione Ferrariam stetisse? Scimus alioqui inter negantes translationem summa Concilii capita extitisse, Cardinalem Arelatensem, de cujus sanctimonia testis locuples est cultus publicus a Clemente VII. Pontif. Max. illi decretus Nicolaum Panormitanum, cujus celebre nomen est inter Canonistas, Thomam de Corsellis *inter literarum sacrarum Doctores insignem, virum maximum, doctrina mirabilem, & admirabilem; modesta quadam verecundia semper intuentem terram*; sic enim de illo Æneas Sylvius in Tractatu MS. de quo alias diximus, Ludovicus Pontanus de cujus ingenio, scientia legali, & memoria singulari mira prædicat idem Æneas Sylvius ibidem. *Ex his igitur cernes non* esse undequaque verum, potiora Concilii capita pro translatione in Italiam stetisse.

Tertio respondet P. Alexander non prohibuisse Concilii translationem justis de causis & manifestis factam. Admitto non prohibuisse; imo & admisit, simul tamen voluit, ut in eam translationem consensus Concilii accederet; alias vetuit, ut ex sanctione supra a me descripta plane intelligitur. In re autem præsenti nec manifestus, nec tacitus consensus Concilii intercessit. Ex his ergo omnibus inferamus necesse est, seu Pontificis inditionem de translatione Concilii Basileensis Ferrariam, ac Florentiam illegitimam extitisse, seu Pontificem potiorem habere etiam supra Concilium auctoritatem.

ARTICULUS II.

Acta Florentinæ Synodi summatim recensentur.

I. CUm *Joannes Palæologus* Græcorum Imperator, *Josephus* Constantinopolitanus Patriarcha, cæterorum Patriarcharum Vicarii, Græcique Præsules ac Proceres Venetias appulissent ad diem 8. Februarii anni 1438. ac Ferrariam accessissent, *Eugenius IV.* Œcumenicam Synodum Ferrariæ habendam decrevit Diplomate dato die nona Aprilis, quod incipit *Magna profecto*. Interim vero donec Synodus ritu solemni inchoaretur, quæstio de igne Purgatorio, & de Sanctorum beatitudine Græcos inter & Latinos agitata est. Multiplici collatione habita apparuit, haud magnam esse Nationis utriusque circa ea Dogmata dissensionem. Græci Purgatorii pœnas & preces ad Animarum hujusmodi pœnis addictarum liberationem aut levamen utiles admittebant, at pœnas illas ignis cruciatu non definiebant, quemadmodum Latini. Animas levibus peccatis obnoxias, & quibus pœnarum aliquid luendum superest, in locum abire tenebrosum, in *lacum mœroris*, in quo ad tempus in mœrore, pœnisque versentur, *divino lumine privatæ*, Græci fatebantur: purgari vero, hoc est a loco illo obscuro & afflictione liberari & absolvi *precibus & Sacrificiis Sacerdotum ac eleemosynis; non autem igne*. Animas porro Sanctorum jam quidem frui beatitudine, sed imperfecta; cum vero corporibus in Resurrectione conjungentur, tum *perfectam fore fruitionem*, juxta Apostolum dicentem: *Et hi omnes testimonio fidei probati, non acceperunt repromissionem*. Erant nihilominus inter Græcos, qui sentirent, Sanctorum Animas interim *in coca versari seperato, ibique lætari, mente volventes cognitionem de perfecta, quæ ipsos manet, laureola, absolutaque beatitudine & adeptione Regni Dei*. Latini ignem Purgatorium multis Sanctorum Patrum Testimoniis & exemplis probarunt, nec non ex Verbis Apostoli 1. ad Corinthios 3. *Hic autem salvabitur quasi per ignem*. Post frequentes demum de beatitudine Sanctorum Collationes declaratum fuit: *Sanctos consecutos & non consecutos esse beatitudinem, hoc est, Animas quidem ut Animas ad perfectam pervenisse beatitudinem; in Resurrectione tamen perfectionem esse consecuturas cum propriis corporibus*.

Quæstiones de igne Purgatorio & de Sanctorum beatitudine Græcos inter & Latinos disceptantur.

Hebr. 11. 39.

II. Solemnes deinceps habitæ sunt Sessiones, sexdecim quidem Ferrariæ, novem Florentiæ, quo translata Synodus est, cum pestilentia Ferrariæ grassaretur; ita ut viginti-quinque Sessionibus ad exitum perductum sit unionis celeberrimæ negotium. Cum *Bessario* Nicænus Archiepiscopus, Græcorum doctissimus & facundissimus, Orationem elegantem Sessione 1. die 8. Mensis Octobris habuisset, ipsumque imitatus *Andreas* Rhodi Archipræsul Sessione secunda, Pontificis, Imperatoris, Patriarchæ, ac Synodi laudes celebrasset, in sequentibus Sessionibus disputationes habitæ Græcos inter & Latinos, de quinque Capitibus inter utramque Ecclesiam controversis, nimirum de Processione Spiritus Sancti a Patre & Filio; de additione particulæ, *Filioque*, ad Symbolum, de panis azymi vel fermentati usu pro materia Sacrificii, de Purgatorio, & de Primatu Romani Pontificis, Ecclesiæ Græcæ nomine disputarunt *Marcus* Ephesinus Metropolita, *Isidorus* Russiæ, *Bessario* Nicææ Archiepiscopi; *Xanthopulus Siderophas* Magnus vasorum Custos, *Michael Balsamon* Magnus Bibliothecarius, & *Georgius Gemistus*. Pro Latinis vero *Julianus Cæsarinus* Sancti Angeli, & *Nicolaus Albergatus* Sanctæ Crucis in Jerusalem, Cardinales; *Andreas* Rhodius Archipræsul, *Joannes* Episcopus Foroliviensis, *Joannes de Monte Nigro* Ordinis FF. Prædicatorum, Provincialis Lombardiæ; *Petrus Perquerius*, Ordinis Minorum, & *Joannes de Sancto Thoma*,

Ordi-

Quæstio de additione particulæ, Filioque, ad Symbolum Græcos inter & Latinos disceptatur.

Ordinis Eremitanum S. Augustini, in Sacra Theologia Doctores. Placuit Synodo *Dialectico more* fieri congressum ut sermonis prolixitas vitaretur. De Romanæ Ecclesiæ charitate erga Græcos *Andreas* Rhodius Sessione 3. præclare disseruit. Synodorum Generalium Definitiones lectæ sunt Sessione 3. ut ex his fontibus argumenta ducerentur. Lectum est primo Nicænum Symbolum. Deinde Concilii Ephesini Decretum, *alteram fidem* componi aut proferri vetans Episcopis & Clericis sub pœna depositionis, Laicis sub pœna Anathematis: Tertio, Definitio Synodi Chalcedonensis: Quarto Acclamatio *Joannis* Patriarchæ Constantinopolitani ex Actis Quintæ Synodi, Collatione 6. Quinto, Symbolum Constantinopolitanum in eadem Synodo lectum: Sexto, Decretum Synodi Chalcedonensis, Ephesino geminum: Septimo, Fragmentum Epistolæ *Vigilii* Papæ ad *Eutychium*: Octavo, Definitio Sextæ Synodi Œcumenicæ: Nono, Fragmenta Epistolarum *Agathonis* Papæ ad Imperatores: Decimo, Definitio Septimæ Synodi Œcumenicæ. Ex his colligebat *Marcus Ephesius*, Additionem ad Symbolum fieri non potuisse. Rhodius Archipræsul Sessione 6. & 7. multis ostendit, Additionem vetitam esse, non explicationem & declarationem: Porro particulam, *Filioque*, non proprie additamentum, sed explicationem horum verborum, *Qui a Patre procedit*, esse censendam. *Alterius fidei* compositionem, non expositionem, ab Ephesina Synodo esse prohibitam. *Sanctum Cyrillum* in Epistola ad *Joannem Antiochenum*, quam allegabat Ephesius, immutationem dumtaxat vel mutilationem Symboli Nicæni prohibere, & ad sensum Ephesini Concilii intelligendum esse ne altera Fides edatur. Porro Symbolum nostrum, *Et si voce aliqua varias, non tamen continere sensum diversum, aut Fidem alienam, aut alienam intelligentiam.* Non spectare ergo ad nos Decretum illud prohibens. Quod Synodus Chalcedonensis dixit, Ad perfectam ac plenum pietatis cognitionem, confirmationemque *Sufficere Constantinopolitanum Symbolum*, ita intelligi, *ut ad notitiam Incarnationis Filii Dei* sufficiat: Idque Latinis favere. *Nam etsi hoc Symbolum satis est ad rationem Fidei, non est tamen satis ad declarationem; idque liquido constat ex eo quod Patres Calcedonenses addiderunt aliquid & ademerunt, sed non propterea immutarunt, vel alium Fidem effecerunt.* In *Evangelio* perfectam Fidei nostræ doctrinam contineri. Doctores tamen, tam Græcos quam Latinos, multa in Evangelio dixisse, multa explicuisse. Cur ergo idem non licuerit in Symbolo, urgente necessitate, propter hæreses emergentes? Quocirca Patres Chalcedonenses consulto dixisse, *sufficeret*, non *sufficit*. Quia *si non emergerent hæreses, procul dubio sufficeret Symbolum Nicænum; sed quoniam variæ sunt exortæ hæreses, manente eadem Fide, & eodem Symbolo, necesse fuit alias atque alias fieri pro tempore explicationes.* Observavit præterea *Julianus* Cardinalis, quod Rhodius Archipræsul prætermiserat, Synodum Chalcedonensem dicere: *Nihil addentes aut detrahentes, sed declarantes Spiritum Sanctum esse Dominum, &c.* Ex quo liquet, explanando additionem non fieri, quod prohibet Lex. Hanc autem Quæstionem ita solvere *Sanctum Thomam* Lib. 4. contra Gentes, Cap. 23.

III. Plura in eamdem sententiam dicta sunt Sessione septima; ostenditque *Rhodius* Romanam Ecclesiam ad exponendum Symbolum adjectione vocis, *Filioque*, adductam fuisse *ex dictis SS. Patrum, & maxime urgente necessitate*. Plura Sanctorum Patrum testimonia protulit, *Spiritum Sanctum etiam ex Filio procedere* asserentium. Ex Latinis laudavit *Sanctum Augustinum*, quem *Sancta Quinta Synodus recepit*, qui & *Præstantissimus* appellatur; *Ambrosium*, *Gregorium Magnum*, *Hilarium*. Ex Græcis *Athanasium* in Epistola ad Serapionem; *Basilium* in Canonicis Epistolis; *S. Joannem Chrysostomum* Homilia 38. in Joannem, *S. Epiphanium* in Ancorato; *S. Cyrillum Alexandrinum* contra Theodoretum; *Sanctum Maximum*, & *Anastasium Sinaitam*, in Sermone De Rectis Dogmatibus. Ostendit præterea, Romanam Ecclesiam ad explicationem hujusmodi necessitate adductam fuisse, cum magnum videret impendere periculum, jamque Symbolum cum particula, *Filioque*, in Hispaniis & Galliis caneretur. Tunc temporis Græcos cum Romana Ecclesia conjunctos fuisse, nec ab ea propter additionem illam secessisse. *Photium* Ecclesiæ Romanæ hostem infensissimum, qui adversus *Nicolaum* I. & *Hadrianum secundum* acriter invectus est, numquam illos accusasse ob additamentum Symbolo factum. Hanc itaque non fuisse caussam dissidii. Addidit Rhodius Archipræsul: *Sedem Sancti Petri solum esse, in qua potestas sit explicandi Fi-*

Judicium controversiarum Fidei pro omnibus & supra omnes Ecclesias ad S. Petri Sedem pertinet.

dem; propter quod numquam portæ inferi, hoc est hæreses, prævaluere adversus eam, immo ne attigerunt quidem. Id *Julianus* Cardinalis confirmat ex Epistola *Agathonis* Pontificis Maximi lecta in Synodo in qua scribit; *Si silentio tenere veritatem, quam erogare nummulariis jussus sum per illa verba:* Pasce oves meas, & Tu aliquando conversus confirma fratres tuos: *Quandoquidem nobis incumbit necessitas docendi Christianos quæ pertineat ad veritatem.* Paulo ante: *Tota Christianorum Ecclesia Catholica, & omnes universales Synodi fideliter amplectentes ejus doctrinam, & omnes Sancti Doctores, & Ecclesiæ luminaria in omnibus ejus doctrinam secuti sunt, &c.* Ex quibus colligit: *Quoties de Fide aliqua oritur dubitatio, Romanum Pontificem debere ac tenere illam declarare: utque illa doceat, omnes Synodos & Ecclesiam universam debere hujusmodi veritatem sequi.*

Lucæ 22. 32.

IV. *Sessionibus* VIII. & IX. *Bessarion* refellere aggressus est, quæ a *Juliano* Cardinali, & *Andrea Rhodio* de additione facta Symbolo dicta erant. Nec intactum reliquit, quod de Romanæ Ecclesiæ potestate respectu additionis faciendæ Symbolo dixerant. „ De „ potestate autem, *inquit*, Occidentalis Ecclesiæ multa dicenda suppeterent, nisi aliud nobis esset propositum. Et scimus quidem quæ sint jura & prærogativæ Romanæ Ecclesiæ, nihilominus scimus etiam prærogativæ ejus quos terminos habeant. Nosse tamen volumus reverentiam vestram, a nobis facultatem hanc negari universali Ecclesiæ, & Synodo, vel etiam œcumenicæ. Quoniam igitur quantacumque facultate polleat Romana Ecclesia, minus tamen Synodo œcumenica & universali Ecclesia; si nos id universali negamus Ecclesiæ, multo magis negabimus Romanæ. Negamus autem non ipsi a nobis, sed arbitramur hoc patrum decretis negatum. Tum ad Caput controversiæ regressus, Patrum Decreta, quibus additio ad Symbolum prohibetur, universim intelligenda esse, vel de additione vocum & syllabarum, asseruit. Unde hac Quæstione pulsavit Latinos: *Quærimus ergo ex vobis, statuta hæc & interdicta spectant ad Fidem, an ad aliud quidpiam extraneum?* Hæc cum *Bessarion* dixisset, Latini disputatores, una cum Cardinalibus, & aliis quibusdam, ad Pontificem accessere, habitoque consilio, „ Cum opus esset ad ea „ quæ Nicænus proposuerat apposite respondere, illi „ quidem nihil responderunt; Vix tandem vero Præsul Colossensis sermocinari aggressus nullum interrogationi congruum dedit responsum. „ Verba sunt Actorum.

V. *Sessione* X. *Joannes* Foroliviensis Episcopus de eodem argumento disseruit, probans particulam, *Filioque* non esse additamentum factum extrinsecus, ut *Bessario* dixerat; contineri quippe virtute in confessione processionis Spiritus Sancti a Patre, sicut Novum Testamentum in Veteri continetur, cujus expositio propterea non dicitur nec censetur additio. Triplicem subinde additionem *ex S. Bonaventura* distinguit; unam, cum id quod adjicitur, contrarium est: *alteram* cum diversum est: tertiam cum appositum consonat. Prima est additio erroris, & hæreticorum, ut si quis diceret, Patrem genitum, Filium ingenitum, Spiritum Sanctum a nullo procedentem. Secunda est additio temerariorum, nam temeritatis & procacitatis est, in fidei & Sacræ Scripturæ veritatibus diversum quid proloqui: ut si quis patrem dicat Geometram, Filium Astronomum, Spiritum Sanctum Arithmeticum. Nam etsi quis ita dicens, non multum a veritate discrepet, cum unaquæque Divina Persona omnia possit, & omnia sciat; *Quia tamen hic dicendi modus valde alienus est a modo loquendi Sanctorum & Scripturæ, idcirco temeritati adscribuntur diversæ hujusmodi novitates.* Tertium additamentum pium & Catholicum est: spectat enim ad doctrinam Fidei, quandoquidem explicat quod implicitum est, ut si dicam in Divinis Patrem omnipotentem, æternum; filium consubstantialem, coæternum; Spiritum sanctum procedentem, spiratum. Additiones duæ priores, quibus contrarium quid additur vel diversum, prohibentur comminatione pœnæ gravissimæ, Apocalypsis ultimo: *Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto.* At illa qua id quod additur conveniens & congruens est, non prohibetur in Scripturis, immo laudatur, & promissum est ei præmium a Salvatore Lucæ 10. *Et quodcumque supererogaveris, ego cum rediero, reddam tibi.* Porro in additione particulæ *Filioque* neque contrarium, neque diversum quid adjectum est, sed Fidei, confessioni & Symbolo Patrum congruum & conveniens: Non

Particula, Filioque, non est additamentum factum extrinsecus.

est itaque additio prohibita, sed explicatio permissa.

Decretum Ephesini Concilii alterius Fidei conscriptionem vetans explicatur.

VI. *Sessione XI. & XII.* idem argumentum a *Juliano* Cardinali retractatum est, *Marco Ephesio* contra disputante. Decretum Ephesinæ Synodi, alterius fidei conscriptionem aut prolationem exponens, ex antecedentibus & adjunctis dicit explicandum. Observat ex Actis Synodi, recitatam esse, antequam Patres interdictum illud condidissent, a *Charisio* quodam Expositionem fidei *Anastasii & Photii*, discipulorum *Nestorii*, a quibus missus erat *Jacobus* quidam ad prædicandam *Nestorii hæresim*; qui etiam multos seduxerat, & aliud Fidei Symbolum, immo vero, (ut *Charisius* ait) *Infidelitatis non fidei Symbolum* tradiderat. [Inter alia vero idem asserit, se a *Jacoba* & aliis idem sentientibus fuisse accusatum, ut ejus fidem non recipientibus. Propterea idem *Charisius* volens se se ostendere Orthodoxum, prius suæ Fidei subdidit expositionem. Deinde intulit, se prolaturum etiam *Nestorii* & Sectatorum ejus Symbolum. Primum ergo pium suum Symbolum recitavit, quod tamen neque Nicænum, neque Constantinopolitanum erat: *Ma vero*, inquit, *communione privarunt: Ego autem credo in unum Deum*, &c. Nec est in hoc Symbolo, quod in Nicæno legitur: *Eos autem qui dicunt, Erat aliquando quando non erat*, &c. Aliquid vero habetur, quod nec in Nicæno, nec in Constantinopolitano Symbolo habetur, nempe; *Et in Spiritum Sanctum consubstantialem Patri & Filio*. Recitavit deinde Symbolum Nestorianorum, quod vocat *perfidiæ Symbolum*. Quibus perlectis, subdit sancta Synodus: *Nemini liceat proferre aut docere alteram Fidem*. [Postmodum damnat eos, qui confictum & expositum a Nestorianis Symbolum tenerent, nec ullam facit mentionem *Charisii*, qua ejus Confessionem & Fidem reprobet. Quod si fuisset ejus consilium, cujusvis & quamvis interdicere Confessionem; & si noluisset aliud recitari Symbolum præter Nicænum, servata verborum ejus formula, proculdubio *Charisii* expositionem improbasset. Sed quia vera erat *Charisii* Confessio, Synodus prolatum ab eo Symbolum non improbavit, sed eo confirmato damnavit Symbolum Nestorianorum. Ex quo sequitur, verbis illis, *Nemini liceat proferre, aut componere alteram Fidem*, prohiberi dumtaxat Fidem Nicænæ oppositam. Id altero confirmavit argumento doctissimus Cardinalis: *Quæ definita sunt in Synodis, palam ait definita esse per Spiritum Sanctum, & eumdem Sanctum Spiritum esse in omnibus*. At in Sexta Synodo, cum recitatum fuit Decretum, Patres ita locuti sunt: *Nemini licere*, &c. *aut aliud sentire ad evertenda ea quæ sunt definita*. Ita Sexta Synodus, sive qui per illam judicabat Spiritus Sanctus, explanat, quomodo nemini liceat *alteram proferre Fidem*, hoc est *Fidem oppositam, ad veræ Fidei eversionem*; sed non prohibet quod *fit ad declarandam vel apertius enucleandam veritatem*. Præterea (inquit) cum de verbis quibusdam Legis dubitatur, recurrendum est ad mentem Legislatoris. Ea vero deprehendetur, sive ab exordio, sive ex verbis Legis, sive ex consequentibus. Porro initio habetur, Ephesinos Patres, ubi convenerunt, voluisse Symbolum Nicænorum Patrum recitari, necnon Sermones ad Symbolum spectantes, ut approbarentur. Synodo igitur Ephesinæ non aliud propositum fuit, quam *Aliam prohibere Fidem, sive aliam expositionem, quæ faceret ad veræ Fidei eversionem*. Non fuit autem ejus Consilium spectare verba, sed Scripturæ sensum. Id confirmat ex *S. Cyrillo*, qui Nicæno Symbolo recitato, sobintulit: *Nos Confessionem Patrum sequentes, mentem ac propositum sequimur, & rectam Fidem amplectimur*. Item ex Septima Synodo, Actione, 7. in qua Patres sic loquuntur: *Sequentes rectam & inerrantem Fidem, nihil detrahimus, nihil addimus, præter Fidem Nicænorum Patrum*. Illi ipsi tamen alias de Imaginibus Definitiones ediderunt.

Id rursus confirmat ex eo quod Synodus Chalcedonensis in Allocutione ad Imperatorem, *S. Leonem* a calumnia vindicat eorum, qui ipsi obloquebantur, quasi peregrinam Fidei expositionem edidisset, Synodique Ephesinæ Decretum violasset. *Et ne quis* (inquit) *Leonem insimulet, ut qui novam Fidei expositionem confecerit; nemini autem liceat aliam edere præter eam, quæ a Nicænis Patribus facta est*. Perstringit eos Synodus, qui insurgunt contra veritatem, defenditque *S. Leonem*, & ait: *Nihil ab eo commissum contra Interdictam, dum Fidem exposuit & explicuit. Cum enim oriuntur errores, diversa debent adhiberi medicamenta a SS. Patribus*.

Denique idem confirmat *Julianus* Cardinalis, ex Actis Ephesini Latrocinii, & Synodi Chalcedonensis. Cum *Eutyches* in Synodo Constantinopolitana a *Flaviano* damnatus, in Ephesina 2. cui *Dioscorus* tyrannice præerat, causam suam agere vellet, & ostendere se non errasse, Fidem suam, hoc est Nicænum Symbolum, de verbo ad verbum recitavit. Postea dixit: *Hæc est Fides Patrum, & in hac volo vivere & mori*. Sed quia Fides Nicæna ab Ephesina Synodo confirmata est, ea vero prohibuit aliam proferri Fidem præter illam primam, decrevitque ut nihil adderetur, nihil demeretur, propterea dicebat: *Ego rectam Fidem teneo: Flavianus autem non tenet rectam Fidem, cum asserat Christum ex duabus naturis: & in Symbolo Niceno non dicatur Christus habere duas naturas, vel esse ex duabus naturis*. Quod audiens *Eusebius* Dorylei Episcopus, exclamavit: *Mentitus est, nullus est Canon qui hoc præcipiat*. Respondit Dioscorus: *Quomodo nullus est Canon? Apud nos duo sunt Codices, & in omnibus legitur, Non licere quidpiam addi Niceno Symbolo*. Hæc relecta sunt in Synodo Chalcedonensi, quæ nihil dixit adversus *Eusebium*, sed illum suscepit & amplexa est. In eadem Prædatoria Synodo Ephesina, *Dioscorus* Sententiam fert contra *Flavianum*, quam pronunciando ait, Idcirco illum privari Episcopatu, quoniam Ephesinæ Synodi Decretum esset transgressus, quo sancitur, *Episcopum vel Clericum proferentem aliam Fidem, aut addentem, sive detrahentem, Episcopatu deponi*. Proinde *Eusebium & Flavianum* ut hujus Legis transgressores abdicavit Latrocinalis Synodus. *Ostenderunt sese* (inquit) *ab omni Sacerdotali Dignitate alienos Flavianus & Eusebius, qui aggressi sunt addere vel demere de Sancta Fide per Nicænam Synodum exposita, & per celebratam Ephesi comprobata. Quapropter justum est, addentes vel detrahentes, alienos esse, Episcopos ab Episcopatu, & Clericos a Clero*: Cum vero hæc in Synodo Chalcedonensi legerentur, dixerunt omnes: *Anathema Dioscoro, quia male judicavit; hac hora damnatur Dioscorus*. Atque ita Synodus omnia adversus *Flavianum* constituta rescidit, censuitque nihil ab eo commissum contra Nicænam aut Ephesinam Synodum; & verba illa, quibus dicitur Christus habere duas naturas, vel esse ex duabus naturis, licet non expresse habeantur in Nicæno Symbolo, non esse tamen contraria veritati; sed ex ipso Nicæno Symbolo virtute deduci: *Quare*, inquit, *nec arguendus, nec increpandus est, qui addit vel explicat, dum veritati, Fideique Catholicæ consona proferat*.

VII. *Sessione XIII.* Ducis Burgundiæ Oratores in Synodum admissi; qui cum Romanum Pontificem dumtaxat non Græcorum Imperatorem salutassent, id Græca Majestas ægerrime tulit, Synodumque se relicturam minata est. Sed *Josepho* Patriarcha sequestre, cum Ipsi reverentiam ab Oratoribus exhiberi Summus Pontifex curasset, XIV. *Sessione* res composita est.

VIII. *Sessione XV.* de transferenda Florentiam Synodo ob grassantem Ferrariæ pestilentiam actum est. Græci tædio affecti, & de fausto Concilii exitu pene desperantes, de reditu in Patriam cogitabant: sed illos *Palæologus* Imperator in studio procurandæ Ecclesiarum unionis confirmavit. Consentientibus itaque Græcis, Decretum de Synodi translatione *sessione* XVI. promulgatum est Latine ab Archiepiscopo Gradensi, Græce vero a Mitylenensi. 4. Idus Januarii 1439.

IX. *Sessione XVII.* die vigesima sexta Februarii Florentiæ celebrata, conclusum est, ut Græci de modo ineundæ concordiæ inter se conferrent camque proxima Sessione in medium afferrent: sed eo non invento, consilium de vitandis publicis Sessionibus, & de privata disputatione postulanda inierunt, Septemviris ad eam pro sua parte delectis, videlicet trium Patriarcharum absentium Vicariis, *Antonio Heracleensi & Gregorio Protosyncello* Alexandrini, *Isidoro Rutheno & Marco Ephesio* Antiocheni, *Dositheo Monembasiensi* Hierosolymitani, *Bessarione Nicæno & Dorotheo Mitylenensi*, cum facultate disserendi & transigendi cum totidem Latinis de Quæstionibus propositis. Verum cum publica de quæstionibus controversis disputatio Summo Pontifici magis placeret, de Processione Spiritus Sancti a Patre & Filio inter *Joannem de Monte Nigro* Provincialem Lombardiæ Ordinis FF. Prædicatorum, & *Marcum Ephesium* Sessionibus 18. 19. 20. 21. 22. 23. & 24. acerrime disputatum est. Quibus ex fontibus ducenda sint hac in materia, & in omnibus Quæstionibus Theologicis argumenta, quis esse debeat disputationis modus, Provincialis noster imprimis exponit.

Disputatio de Processione Spiritus Sancti.

Unde ducenda fiat argumenta in Disputationibus Theologicis.

„ Videtur, inquit, illud inter nos constare debere; Sa„ cræ Scripturæ testimonia, Sanctorumque Patrum,

„ quos

Act. 4. Synodi VI.

„ quos secundo loco Ecclesia Sancta recipit, sententias in his disputationibus afferendas, habenda esse veluti quosdam terminos nostræ disputationis, quos transgredi non liceat aut argumentanti, aut respondenti. Hoc enim a Sanctis edocemur Patribus, præsertim vero ab Agathone Papa „ in Epistola quam ad *Constantinum* Imperatorem, & Sextam Synodum scripsit; in qua de suis Legatis hæc habet: „ Quibus & testimonia aliquorum Sanctorum Patrum, quos hæc Apostolica Sancta Ecclesia suscipit, cum eorum libris tradidimus, ut facultatem suggerendi a Serenissimis Imperatoribus consecuti, ea his dumtaxat satisfacere studeant. „ Idem colligit ex Synodi Chalcedonensis allocutione ad *Marcianum* Imperatorem, ubi de *S. Leonis* ad *Flavianum* Epistola sic loquitur: „ Neque enim mirari oportet de Ecclesiæ Romanæ Præsulibus, ut Epistola illa impietatis offendiculi arguatur, sed si non est Divinis Scripturis congruens, redarguant si non Patrum concordet sententiis. *Et infra*: Ut nulla relinquatur illis occasio, qui Apostolicum Virum lacerant, ostendam Epistolæ ejus convenientiam cum sanctorum Patrum testimoniis: atque ut magis testata sit pietas, ex multis pauca subdidimus. „ His præmissis, Spiritum Sanctum ex Filio procedere probavit *Joannes* noster ex *SS. Basilii & Epiphanii* testimoniis: illius quidem lib. 3. contra *Eunomium*, hujus vero in *Ancorato* nec-non *S. Athanasii* oratione 4. contra Arianos. Hæc Patrum loca diligenter expensa sunt, & MSS. Codices a Provinciali nostro excussi, unus præsertim annorum plusquam sexcentorum optimæ notæ, in membranis eleganter descriptus ante Schisma, quem *Nicolaus de Cusa* Constantinopoli attulerat: ex quo *Marci Ephesii* confutata calumnia est, *Basilium* a Latinis additione hujus loci interpolatum respondentis, sicut & ipsum Symbolum. Scholasticis etiam ratiociniis *ex Sacra Scriptura, & Sanctorum, quæ* (ut ipse ait) *principiorum obtinent locum*, deprompta, *Ephesium* mirum in modum constrinxit provincialis noster. Exponens demum quomodo Pater & Filius unum sint Spiritus Sancti principium, Græcis satisfacit. „ Nos (*ait*) qui sequimur Apostolicam Sedem, unam novimus causam Filii ac Spiritus, Patrem: Nam ab initio prædicationis Apostolorum, Fides nostra fulget Sole splendidius, Sermo enim Domini ad Principem Apostolorum Petrum: * *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam*: non præteriit, nec præteribit. Namque unicum fulcimentum ac fundamentum omnibus Christianorum Ecclesiis est Romana Ecclesia, quippe quæ germanam habet pietatem, clauditque & obstruit omne hæreticum os loquens in excelso iniquitatem. Idcirco non credit duo principia, vel duas causas, sed unum principium & unam causam. Eos vero qui asserunt duo principia, vel duas causas, anathematizamus. „ Hæc Epistolæ cuidam *S. Maximi* prorsus consona Græci invenerunt.

** Matt. 16.*

X. Sessionibus 24. & 25. *Joannes* noster absente *Ephesio*, SS. Patrum testimonia, Processionem Spiritus Sancti ex Filio probantia, exponere perrexit, scilicet *SS. Leonis, Gregorii Magni, Ambrosii, Hieronymi, Augustini*, & multorum aliorum Occidentalium: Ex Orientalibus vero, *Basilii, Epiphanii, Cyrilli Alexandrini*, & aliorum loca expressa & convincentia rursus inculcavit. Collatis utriusque partis libris, pacis conciliandæ spes affulsit, eam suadentibus *Isidoro* Rutheno, & *Bessarione* Nicæno, Archipræsulibus. Disputationibus finem imponere Græcis visum est, nostrorum argumentis, & triumphante per illos veritate victis. Nicæno & Rutheno, aliisque a Græcorum Synodo ad se missis, *Eugenius quartus* Pontifex Maximus respondit: „ Quatuor sunt quæ vobis proponuntur; Primo, si satisfactum vobis est per clarissimam & evidentem demonstrationem qua demonstravimus ex Scripturis, Spiritum Sanctum procedere ex Patre & Filio, bene: sin minus, dicite de quo ambigatis, & qua ex parte illud non recipitis, ut remedium adhibeamus, & evidenter perspicueque probemus, processionem hanc vere etiam esse ex Filio. Secundum, si habeatis ex Sacris Scripturis auctoritates contrarium asserentes eis quæ dicuntur a nobis, ut eas proferatis. Tertium si habetis valida Scripturæ loca quibus probetur melius esse magisque pium quod vos tenetis, quam nostrum dogma. Quartum, si hæc non vultis, conveniamus simul, fiatque Synodus, conficiat Sacrum Sacerdos, jusjurandum demus Latini pariter & Græci: proferatur libere veritas per juramentum, & quod pluribus videbitur, hoc amplectamur & nos & vos: jusjurandum enim apud Christianos non fallitur. *His auditis, Græci stupefacti dixerunt*: Quid respondeamus ad hæc, non habemus. Nam quod ad primum attinet, non desunt Sancti qui Spiritum Sanctum etiam ex Filio procedere asserant: quam dubitationem afferre nos possumus? Quod ad secundum: Et quinam Sancti sunt, qui Sanctis hoc asserentibus adversentur? Nos dicere non possumus Sanctos inter se contraria sentire. Quod ad tertium: quomodo probare poterimus, dogma nostrum esse melius & magis pium quam dogma Latinorum? Nam & nostrum pium est, utpote a Patribus traditum; sed non minus pium est & illorum dogma, cum illud etiam qui asserunt, sint Sancti Patres. Quod ad quartum: Ut juremus in pretiosum Corpus & Sanguinem Christi: Et quæ alia Synodus hoc fecit, ut idem & nos faciamus? Neque ad hoc est alia responsio. „ Id tamen responsi ad Summum Pontificem perferri jussit Imperator. Quatuor proposita capita ad unum spectare, scilicet disputationem. Res enim de qua dubitatur, judicio indiget; & probationes ad judicium pertinent; sed & jusjurandum dicitur, quod per illud vera judicantur. Græcos autem nequaquam velle judicare & judicari, sed contentionibus, disputationibus, probationibus, testimoniis, juramentis, ex quibus nullus fructus sperandus esset, sepositis, alium unionis modum tentare, aut in Patriam reverti. Post hæc, seorsim congregata Orientalium Synodus *Bessario* Nicænus Archipræsul orationem dogmaticam habuit de Unione, in decem capita distinctam, eruditione & eloquentia splendidam, qua multis de necessaria SS. Patrum consensione & concordiæ in dogmatibus fidei, de locorum in speciem pugnantium conciliatione, & obscuriorum per clariora explicatione præclare dictis; eorumdem Patrum, cum Græcorum tum Latinorum testimoniis approbat; Spiritum Sanctum ex Filio procedere. Notatu digna hæc *Bessarionis* sententia. „ Videmus universalia cuncta Concilia, Patresque in eis congregatos, de dogmatibus propositis non humanæ sapientiæ persuasionibus, non artificio verborum, non rationibus naturalibus, non denique syllogismis usos fuisse, sed auctoritate dumtaxat; eademque ipsa verba superiorum Doctorum, qui eos tempore prævenerunt, tamquam rectam regulam, gloriam veritatis secutos fuisse; & per ea quascumque de fide quæstiones terminasse, Sanctorum Patrum vestigia sequendo. Quare nescio quid de nostra Fide sapere liceret, si quis concedat posse hoc inconveniens Patribus imputari. Si enim fidei nostræ Principes non eadem omnes, sed alii quidem invicem, alii sibi ipsis contradicant, Fides autem nostra in illorum rationibus fundetur: inanis est ergo prædicatio nostra, inanis est Fides nostra. At magna stultitiæ est, cogitare etiam talia de illis Spiritu plenis hominibus. „ Cum *Bessario* finem perorandi fecisset, *Gregorius Scholarius* tres orationes pro Unione deliberativas Græcorum Synodo obtulit, quæ ad calcem Actorum editæ sunt.

Extat in Actis Sess. 25.

Bessarionis notanda sententia.

XI. Græcorum plurimis ad unionem propensis Imperatorem inter & Summum Pontificem convenit, ut Decemviri ex utraque parte eligerentur, qui de modo unionis simul deliberarent. Latini duos ex omnibus ordinibus elegere, scilicet ex Cardinalibus, Metropolitis, Abbatibus, Theologis & Presbyteris. A Græcis decem Metropolitæ deputati sunt, ad nutum Imperatoris. In primis Congregationibus, de Processione Spiritus Sancti a Filio actum est. Latini Declarationem in scriptis Deputatis Græcorum tradiderunt, qua *Spiritum Sanctum procedere ex Patre & Filio, ut ab unico Principio* asserebant, & *Anathema* dicebant *asserentibus duo principia vel duas causas*. Declaratione simili Græci responderunt, qua fatebantur, *Fontem ac radicem Filii & Spiritus esse Patrem, Floresque ac divina germina Patris esse Filium & Spiritum, juxta S. Cyrillum, & Primam Synodum, & Basilium Magnum: Filium emittere, & ex se scaturientem effundere Spiritum; atque a Filio emitti, profluere, & effundi Spiritum Sanctum*. Hæc vero Declaratio Latinis haud satis explicata visa est, quod hæc verba, *scaturire, profluere, emitti, effundi*, ambigua sint, & ad temporalem Spiritus Sancti in Fideles effusionem referri possint. Multis Collationibus a Græcis habitis, Rutheno, Nicæno, & Mitylenensi Archiepiscopis unionem pro virili suadentibus, SS. Patrum Orientalium & Occidentalium sententiis semel iterumque relectis, & discussis, *Georgius Scholarius* Imperatorem adiens, & cum ejus Majestate, in frequenti Græcorum Præsulum Conventu collocutus, maximum ad unionis conclusionem pondus adjecit. In prudentissimi viri, & ob egregia merita Patriarchicis Infulis postmodum ornati Declaratione, hæc observatione digna de Conciliorum Auctoritate & infallibilitate:

Georgii Scholarii sententia.

litate: „ Dico deinde me ipsum subjicere sententiæ hujus nostræ Sacræ Synodi, immo vero hujusce Oecumenicæ; & summa cum reverentia & voluptate eam venerari & honorare, quam fert de unione atque unionis modo: Censeo enim talem sententiam non esse ab hominibus, sed a Deo latam. Idque facio, non quia sum Laicus, & necesse est mihi sacro tuo parere Imperio, nec-non Sanctissimo, quodque plus est, Generali: neque etiam quod similem ego quoque sententiam de rebus propositis jampridem habuerim: sed etiamsi antea privatim maxime contrariam secutus essem sententiam, & quacumque in Ecclesia Dei fulgerem dignitate, seu inter alios doctrina eminerem, idem similiter facerem. Nam ita non facere, maximæ arrogantiæ, inanisque gloriæ esset argumentum. Quid enim deterius fuerit, quam unum hominem, quavis dignitate præfulgeat, obluctari velle Synodo Oecumenicæ, quæ universam Dei repræsentat Ecclesiam? „ Tum se credere professus est Vir Religiosissimus, juxta SS. Patrum Occidentalium & Orientalium consensum, „ Spiritum Sanctum ex Patre & Filio, *seu (quod idem est)* ex Patre per Filium procedere; & Patrem ac Filium esse unum Principium Spiritus Sancti: Anathemati subjiciens eos, qui duo ponunt principia, vel qui personalem Patris & Filii distinctionem illibatam non servant. „ Cum *Scholarius* discessisset, lectis rursus in Græcorum Synodo Patrum Orientalium testimoniis, rogatæ sunt singulorum sententiæ. Patriarcha primus omnium locutus, „ Spiritum Sanctum procedere ex Patre per Filium æternaliter & substantialiter, tamquam ab uno Principio & causa, *professus est*, *seque* Sanctos Occidentales suscipere, asserentes Spiritum Sanctum esse ex Patre & Filio: „ dummodo id Orientalis Ecclesiæ Symbolo ne adjiceretur: nec ejusdem Ecclesiæ Ritus convellerentur, sed illis salvis unio fieret. Secundum hæc,

Joannis Palæologi Græcorum Imperatoris Declaratio.

Sententiam dixit Imperator hunc in modum: „ Ego præsentem hanc Sanctam & Generalem Synodum nulla ex parte inferiorem existimo omnibus ante hac celebratis. Nam etsi illæ Patrum numero, qui convenerunt, huic superiores fuerint, nec-non virtute multum antecelluerint, Cyrillo ac Gregorio Theologorum illustres redditæ, aliæque aliis doctoribus; nihilo tamen secius & hanc Sanctam esse arbitror & venerandam; neque minori hanc quam illas observantia prosequor . . . . Quoniam igitur sequi debeo sententiam Synodi, majorisque illius partis, nec-non defendere quod fuerit sancitum a pluribus, juxta morem in antiquis Conciliis servatum, pronuncio me hujus Sacræ Synodi, plurimumque ejus Patrum constantissime sequi sententiam, velleque eam modis omnibus defendere in perpetuum, tum ob prædictas causas, tum quia censeo Sanctam Ecclesiam in Sacris dogmatibus nullo modo posse errare, communi ac Synodica consideratione utentem. Unus quippe, aut duo, vel tres, aut plures ex hominibus nunc existentibus, privatam adhibentes considerationem, fieri potest ut errent: at universam Dei Ecclesiam, de qua Dominus dixit ad Petrum: *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam*; communiter errare, omnino est impossibile, alioquin & sermo Salvatoris evannit, & fides nostra debili fundamento est nixa. Sed quoniam utrumque absurdum est, idcirco & Ecclesiam Dei necesse est nullo posse capi errore, & nos eam, ejusque sententiam omnino sequi, & me ante omnes & tenere ac defendere ipsam, hoc posito, ut neque sacro nostro Symbolo quidquam addere Latini nos cogant, neque ex ritibus nostræ Ecclesiæ aliquid immutetur. „ In eamdem ivere sententiam Ruthenus, Nicænus, Mitylenensis, Rhodus, aliique Præsules, uno *Marco Ephesio* refragante. Conscriptaque communis Græcorum sententia est his verbis: „ Consentimus vobis & quod additum Sacro Symbolo recitatis, e Sanctis Patribus desumptum est: & approbamus illud, & vobiscum unimur; dicimusque Spiritum Sanctum ex Patre & Filio procedere, tamquam ab uno principio & causa. „ Demum utriusque Ecclesiæ Deputati dogmatis hujus declarationem in tribus exemplaribus communi consensu descripsere, quorum unum Imperator, alterum Patriarcha, tertium ipsi Deputati servarunt. Extat in Actis *Horatii Justiniani*.

Ecclesiæ infallibilitas.

Communis Græcorum Sententia.

Aliæ quæstiones Græcos inter & Latinos disceptatæ & finitæ.

XII. His peractis, cum Ruthenus, Nicænus, Trapezuntius, & Mitylenensis Archipræsules ad Summum Pontificem accessissent, dixit Pontifex: *Nos Dei beneficio sumus conjuncti & convenimus in præcipuo dogmata, de quo ambigebatur. Age nunc de Purgatorio quoque igne, & Principatu Primæ Sedis, & de fermentato & azymo, deque divino Sacrificio dubitationem agitemus, ut usquequaque vitium omne tollatur. Deinde unio confestim fiet.* De materia Sacrificii primum actum est, convenitque panem triticeum, sive azymum, sive fermentatum, legitimam esse Sacrificii, & Sacramenti Eucharistiæ materiam. De Purgatorio vero Fidem suam sic expressere Græci: *Sanctorum Animas perfectam in cœlis adeptas esse coronam, quatenus animæ sunt: Peccatorum Animas perfecte luere pœnas: Medias autem esse in loco tormentorum credimus; sed sive ignis sit, sive caligo ac turbo, sive quid aliud, non contendimus.* De Primatu vero Papæ sic ab ipsis constitutum est: *Ut quæcunque habebat ab initio & ante Schisma Privilegia, rursus hæc ipsa habeat.* Postulantibus subinde Græcis ut Latinorum Præsulum vel Theologorum aliquis de Azymo, & de Primatu Romani Pontificis coram tota Synodo dissereret, Ecclesiæque Romanæ sententiam breviter exponeret, selecti sunt ac deputati a Summo Pontifice Magistri *Joannes de Monte Nigro* Provincialis Lombardiæ, Ordinis FF. Prædicatorum, & *Joannes de Turrecremata* ejusdem Ordinis Professor, & ille quidem de Romani Primatu; hic vero de materia & forma consecrationis luculenter disseruit. Eorum Dissertationes in Actis *Horatii Justiniani* leguntur.

Matt. 26.

Marc. 14.

XIII. His discussis, de divino Sacrificio quæsitum est a Latinis: *Quomodo prolatis Christi verbis:* Accipite & comedite, Hoc est enim Corpus meum, quod pro vobis frangitur in remissionem peccatorum: *& illis:* Bibite ex hoc omnes, Hic est enim Sanguis meus novi & æterni Testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum; *& sacris donis per hæc verba sanctificatis, vos hanc postea orationem additis;* Et fac panem quidem hunc pretiosum Corpus Christi tui, quod autem in Calice isto est, pretiosum Sanguinem Christi tui, Sancto tuo Spiritu transmutans. „ *Porro hoc ita dissolutum est.* Fateri se dixerunt Græci, *Per hæc verba transubstantiari sacrum panem, & fieri Corpus Christi.* Sed postea quemadmodum & Latini dicunt: *Jube hæc perferri per manus sancti Angeli tui in sublime Altare tuum:* ita (inquiunt) *Nos quoque oramus dicentes, ut Spiritus Sanctus descendat super nos, & efficiat in nobis panem hunc pretiosum Corpus Christi tui, & quod in Calice isto est pretiosum Sanguinem Christi tui; transmutetque ipsa Spiritu Sancto suo ut fiant communicantibus in purgationem animæ, in remissionem peccatorum, & non fiant in judicium aut condemnationem nostram.* Ita has preces in *SS. Basilii & Chrysostomi* Liturgiis conscriptas a Latinis etiam intelligi significavit Magister *F. Joannes a Turrecremata*, ea de se in Synodo jussu *Eugenii* IV. disserens. *Oratio illa* (inquit) *non est ut conficiatur quod confectum est, sed ut consequantur effectum Sacramenti, scilicet uniri cum Christo, & incorporari, & dicamus cum Apostolo:* „ Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus. „ *Dicit Basilius:* Rogamus & supplicamus, mitte Spiritum Sanctum super nos, & hæc apposita munera, ut fiant nobis salutaria, & facias panem hunc, *id est, cœtum Fidelium. Istum panem intelligimus Corpus Mysticum Ecclesiæ. Panis capitur duobus modis, panis verus materialis, & panis mysticus. De hoc mystico dicit Apostolus:* Unum corpus sumus omnes, qui de uno pane participamus: *& ut dicit Augustinus: Unum corpus & unus panis dicitur Ecclesia: quia sicut unus panis multis granis, & corpus multis membris, ita charitate operante, componitur Ecclesia ex multis Fidelibus. Et sciatis quod hic est intellectus: Facite illum panem, id est, Fideles Christianos figuratos hoc pane, incorporari Corpori Sancto tuo & uniri, & ut tuo Spiritu vivificentur: quia nullus vivit Spiritu Christi, nisi sit Corpus Christi. Et sequitur quod fiat communicantibus in ipsis; & refertur ad hoc, quod Fideles communicantes vero Corpori Christi & Sanguini ejus, consequantur remissionem peccatorum, & hæreditatem Regni Cœlorum.* Græcis hæc probari Ruthenus Archipræsul significavit, in modo tantum explicandi a Latinis ipsos discrepare. *Hoc Missale* (inquit) *quo utimur, est traditum a Basilio & Beato Chrysostomo: utebamur autem ante tempus schismatis, nec aliqua facta est mutatio: tamen Occidentalis Ecclesia nunquam de hoc verbum fecit, videlicet cum fuerimus concordes, & ad eumdem finem tendentes, secundum rem dicimus idem, & credimus id quod conficit Mysterium, esse sermonem Domini, & dominicam vocem esse effectricem divinorum Munerum, & illa vox semper explicatur a Sacerdote, & suscipit Sacerdos quod vox replicata aptetur, & fit eadem vox cum voce Domini;*

De verbis quibus Eucharistia consecratur.

Galat. 2.

1. Cor. 10.

& ut

& ut ita aptetur, invocatur Spiritus Sanctus, & supplicat Sacerdos, ut per virtutem Spiritus Sancti concedatur gratia at voa repetita efficitur ita effectiva, uti verbum Dei fuit; & ita credimus consummativam fieri per illam Orationem Sacerdotis. Dominicæ voces habent operationem ut semina, quia sine semine non potest effici fructus, ita in hac dominica voca: tamen ubi cudit semen, aget aliis instrumentis, ut Sacerdotis, Altaris, Orationum. Unde credimus per hoc vobiscum esse concordes. Reposuit *Turrecremata* hanc explicandi rationem congruam non esse. Cum enim Orationes supra dictæ consecrationem sequantur, non possunt habere vim deprecationie, ut fiat quod factum est. Secundo, quia verba Christi non habent vim incompletam, sed est sermo vivus. Obtinuere tamen Græci, ut ea de re nihil in Definitione Fidei scriberetur. Cæterum de hac Quæstione legendus *Bessario* Cardinalis Libro *de Sacramento Eucharistiæ & de verbis quibus conficitur*, edito in Bibliotheca Patrum.

Quatuor Capitula Græcis rursus proposita.

XIV. Postridie cum Græci Pontificem Maximum adiissent, ille chartam complicatam præ manibus tenens dixit: „ Nos Deo juvante consentimus de omnibus, & una summa conspiratione uniti; restat adhuc modica dubitatio; utque antea diximus, eam vobis scriptam damus. Accipite igitur hanc, atque ubi convenerimus, fiat unio ". Lecta schedula est postulantibus Græcis. Continebat autem quatuor Capita: Primum „ Ut Sedes Apostolica, seu Vicarius Domini nostri Jesu Christi Summus Pontifex habeat sua Privilegia; & licuerit ei suo jure, quippe ut Summo Pontifici, adjicere quod sacro symbolo addidit. Alterum, de Purgatorio, & Sanctorum beatitudine. Tertium de usu indifferenti azymi & fermentati in Sacrificio. Quartum, ut de divina essentia & operatione in Synodo quæreretur. Secundum & tertium Græci ultro admisere. De quarto nihil responderunt. Ad primum vero dixerunt „ : Nullam nos habemus facultatem ab Imperatore nostro respondendi quidpiam, sed privatim ut amici respondemus . . . . . Primum postulatum esse iniquissimum. Nam quomodo nobis affirmare liceat, facultatem esse Romanæ Ecclesiæ addendi, seu demendi, absque Fratribus suis Patriarchis? Quapropter etsi pium est quod fuit additum; qui tamen hoc patrare ausus fuerit citra cognitionem Synodicam, culpa nequaquam vacabit. Quod si lubet, fatemini vos inique fecisse, atque imposterum hoc ipsum non patraturos, & sic veniam impetrabitis ". Post aliquot dies, Imperator Libros afferri jussit, & *Ecclesiarum Privilegia* disquirere Græci cœperunt. Tandem habita consultatione, admiserunt Privilegia Papæ, præterquam duo: Ne convocet Synodum Oecumenicam sine Imperatore & Patriarchis, si conveniant: quod si advocentur & non veniant, ne propterea impedimento sint quominus Synodus fiat. Alterum est, Ut si quis putet se ab aliquo Patriarcharum pati injuriam, & veniat qui interposuit Appellationem; ne Patriarchæ ipsi sese sistant judicandos; sed Papa mittat in Provinciam quamque Inquisitores, & ibi per eos præsentibus negotiis injuriam passi jus suum obtineant ". Quæ cum ad Summum Pontificem relata fuissent, Respondit: „ Se velle omnia Ecclesiæ suæ Privilegia: velle ad se fieri appellationes: nec-non pascere & tegere universalem Christi Ecclesiam, uti ovium Pastorem: Auctoritatem præterea sibi esse & facultatem celebrandi Synodum Oecumenicam, cum opus fuerit; & omnes Patriarchas parere ejus voluntati. *At vero* Imperator his auditis desperavit; nec aliud respondit, nisi, Curate de nostra hinc profectione si vobis est in animo ", Desperata pene unione, Ruthenus, Nicænus, & Mitylenensis, Archipræsules, operam interposuere suam ut Pontifex & Imperator his de rebus consilia conferrent. Quatuor viris ex utraque parte injuncta disputatio, postquam Græci in Domum Imperatoria profecti, habita deliberatione, pari consensu hanc Declarationem scripserunt. „ De Primatu Papæ, fatemur ipsum Summum Pontificem, & Procuratorem, locum gerentem, ac Vicarium Christi; Pastorem & Doctorem omnium Christianorum, tegentem & gubernantem Dei Ecclesiam, salvis Privilegiis & Juribus Patriarcharum Orientis. Et Constantinopolitanum quidem secundum esse post Papam, deinde Alexandrinum, post hunc Antiochenum postremo Hierosolymitanum ". Hæc cum scripsissent, nihil amplius scribere decreverunt; *Sed si hoc a Papa non reciperetur, nihil esse ultra faciendum.* Summo Pontifici probata Declaratio est. Unionis Decretum a selectis ex utraque parte viris conscriptum. Quod cum Imperatori exhibitum esset, statim ipso in exordio nota illud confixit. Sic enim habebat: *Eugenius Episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam memoriam.* Id vero non placebat Imperatori, sed volebat aut Pontificis nomen reticeri, aut scribi quidem, sed cum hoc addito: *Consensu Serenissimi Imperatoris, & Patriarchæ Constantinopolitani, cæterorumque Patriarcharum.* Ipsi etiam displicuit quod de Privilegiis Papæ in eodem Decreto scriptum erat, ut haberet illa *juxta determinationem Sacræ Scripturæ, & dicta Sanctorum*; Atque *An si quis Sanctorum in Epistola honorat Papam, excipiat hoc pro Privilegio?* Quamobrem significavit Papæ, *Aut hoc corrigeret, aut de reditu ejus cogitaret. Quod audiens Papa turbatus est.* Verumtamen Cardinalibus ad Imperatorem missis, primum quidem, quod difficultatem facessebat, correxerunt, scripseruntque, *Consensu Serenissimi Imperatoris & Patriarcharum.* Alterum vero mutare nolebant, dicentes: *Unde melius possumus habere Primatum, quam ex Scriptis Sanctorum?* At Imperator hæc verba expungi volebat, addique eorum loco: *Juxta tenorem Canonum.* Cardinales minime consentientes, re infecta abierunt. Post biduum ad Imperatorem cum Archiepiscopis, multisque viris rediere. *Julianus* Cardinalis ejus Majestati, Græcisque Præsulibus persuadere conatus est, hæc verba, *Juxta dicta Sanctorum*, „ unionem morari non debere, cum ex dictis Sanctorum Symbolum quoque Fidei compositum sit, & Liturgia, & Canones, & sine dictis Sanctorum nihil sit factum. Egressis Cardinalibus, Græci habita deliberatione scripserunt: „ Habenda esse a Papa sua privilegia juxta Canones, & dicta Sanctorum, Sacramque Scripturam, & Acta Synodorum ". Hancque Declarationem illis tradiderunt. Postridie Cardinales ad Imperatorem reversi, Decretum Unionis emendatum ipsi exhibuerunt, cui cum placuisset, seu ex utraque parte selecti sunt, ut Græce & Latine scriberetur in Diptychis, a parte quidem dextera Latine, ut Latini subscriberent, & appenderent Bullam Papæ; ab altera vero parte Græci & apponerent Auream Bullam Imperatoris.

Definitio Fidei.

XV. Tandem, favente Deo, facta est Ecclesiarum unio, die sexta Julii anno 1439. & post solem Sacrum ab *Eugenio IV.* Pontifice Maximo, præsentibus Græcis celebratum, in publica Sessione lecta Definitio est, Latine quidem a *Juliano* S. Sabinæ Cardinali; Græce vero a *Bessarione* Nicæno Archipræsule: cui Pontifex, Cardinales, Imperator, & Ecclesiæ utriusque Episcopi & Abbates uno excepto *Marco Ephesio*, subscripsere. Hæc porro Definitio quæ incipit: *Lætentur cœli*, ab *Eugenio* Papa, *sacro universali approbante Florentino Concilio*, edita, hanc Fidei veritatem ab omnibus Christianis credendam & suscipiendam declarat: „ Quod Spiritus Sanctus ex Patre & Filio æternaliter est, & essentiam suam, suumque esse subsistens habet ex Patre simul & Filio, & ex utroque æternaliter tamquam ab uno principio, & unica spiratione procedit.

Secundo pronuntiat, „ Explicationem verborum illorum, Filioque, veritatis declarandæ gratia & imminente tunc necessitate, licite ac rationabiliter Symbolo fuisse appositam.

Tertio, „ In azymo sive fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici; Sacerdotesque in altero ipsum Domini Corpus conficere debere, unumquemque scilicet suæ Ecclesiæ sive Occidentalis, sive Orientalis consuetudinem.

Quarto: „ Si vere pœnitentes in Dei charitate decesserint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commissis satisfecerint & omissis, & eorum Animas pœnis Purgatoriis post mortem purgari, & ut a pœnis hujusmodi releventur, prodesse eis Fidelium virorum suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes, & eleemosynas, & alia pietatis officia, quæ a Fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt, secundum Ecclesiæ instituta: Illorumque animas qui post Baptisma susceptum, nullam omnino peccati maculam incurrerunt; illas etiam quæ post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel eisdem exutæ prout superius dictum est, sunt purgatæ, in cœlum mox recipi, & intueri clare ipsum Deum trinum & unum sicuti est, pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectius. Illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas.

Quin-

Difficultas orta in explicatione Privilegiorum Romani Pontificis.

Quinto, *Sanctum Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in universum orbem tenere Primatum, & ipsum successorem esse Beati Petri Principis Apostolorum & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ Caput, & omnium Christianorum Patrem ac Doctorem existere; & ipsi in Beato Petro pascendi, regendi, ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum & in gestis œcumenicorum Conciliorum & in sacris Canonibus continetur*. Sic omnino Græcus textus reddi debet, ut in superiori Dissertatione occasione data probavi, non ut habet Latina versio Conciliorum collectioni inserta: *Quemadmodum etiam in gestis œcumenicorum Conciliorum, & in sacris Canonibus continetur*.

Tandem renovat ordinem cæterorum Patriarcharum *in Canonibus traditum, ut Patriarcha Constantinopolitanus secundus sit post Romanum Pontificem, tertius Alexandrinus, quartus Antiochenus, quintus Hierosolymitanus, salvis videlicet privilegiis omnibus & Juribus eorum*.

Quæstiones Græcis a Latinis propositæ unionis negotio consumato.

XVI. Lecta & omnium subscriptionibus munita definitione, Latini a Græcis quæsivere: *Cur in apparatu Missæ particulas disponant & conjungunt Divino ac Dominico Pani?*

2. *Cur inclinant capita, cum de minori Altari in majus nondum consecrata deferuntur sacra Munera?*

3. *Quam ob causam infundunt in sacrum Calicem ferventem aquam?*

Joan. 9.

4. *Cum dicunt, quando nondum est Corpus Christi;* „ Unus autem militum lancea latus ejus aperuit, & „ continuo exivit sanguis & aqua?

5. *Quare dicunt:* Et ecce stella venit & stetit supra ubi erat puer?

Matth. 2.

6. *Quare Episcopi non inungant sacro Chrismate, sed Sacerdotes, cum hoc Pontificibus sit datum?*

7. *Quare mortuos ante sepulturam inungant oleo?*

8. *Cur Sacerdotes & Episcopi Sacrum facturi non prius confessionem emittant?*

Matth. 19.

9. *Quare non contenti sunt Domini verbis*, Accipite & comedite; *Sed postea ajunt:* „ Et fac panem quidem „ hunc pretiosum Corpus Christi tui: &, transmutans „ ea Spiritu Sancto tuo, Amen, Amen, Amen?

Marc. 10.

10. *Quare conjugia dirimunt, dicente Domino:* „ Quos Deus conjunxit, homo non separet?

11. *Cur Florentiæ Patriarcham eligere nollent, sed abire vellent sine Capite?*

XVII. Hæc a Latinis objecta Mitylenensis Archipræsul *Canonice omnia, legitimeque dissolvit, præterquam duo, de quibus Papa significavit Imperatori cur scilicet Matrimonia dirimantur, & Patriarcha non eligatur*. Post aliquot dierum intervallum, Summus Pontifex Orientales omnes Præsules ad se vocavit, & cum nonnulli ex iis ad ejus Sanctitatem profecti essent, sic ipsos allocutus est: „ Nos, Fratres, Dei beneficio su„ mus fide conjuncti. Quoniam ergo arcanis Dei ju„ diciis ego sum inter vos membra Caput; debeoque „ qualitercumque admonere, & consiliis instruere ad „ ea quæ videntur pietatem & Ecclesiam nostram con„ stabilire; Propono vobis aliqua ut Fratribus, ut mem„ bris, ut Ecclesiarum Doctoribus. Et primo dico: „ Omnes conqueri de separatione Matrimoniorum: id„ que correctione indiget. Secundo; de Ephesio: Nam „ necesse est rationem reddat, cur se a Synodo nostra „ sejungat: Neque enim est nobis omnibus sapientior: „ Quia scimus ipsum in disputationibus hæsisse, nec „ valuisse respondere ad ea quæ Frater Joannes ab il„ lo quærebat. Tertio quoniam Sanctissimus Patriar„ cha Constantinopolitanus in æterna receptus est ta„ bernacula, opus est Ecclesiæ Patriarcha, qui hic „ sufficiatur, ubi adsum & ego: Non ut corporeum „ quid lucrifaciam: argentum & aurum non quæro, „ immo vero suppeditabo, & suffectum confirmabo, „ eumque qui a me ordinatur, removebo, & Ecclesiæ „ illi auxilium præstabo. Responderunt Græcorum Deputati, æquissima esse & sapientissima, quæ proponebat Summus Pontifex, sed ad hæc perfectam responsionem se dare non posse inconsulto Imperatore, cæterisque Præsulibus. Privatis vero nominibus responderunt, non esse hæc præsentis temporis, esto justa & necessaria essent. *Nam* (inquiunt,) *matrimonia dirimimus, non sine justis causis. Ephesius quoque dicet causam. Patriarcha hic non fiet: Moris enim nostri est eum Constantinopoli ab universa nostra Provincia eligi, & in majori nostra Templo consecrari; nec Imperator noster aliud faciet, cui notn est Ecclesiæ nostræ consuetudo*. Ad hæc cum Græci utcumque respondissent, omniaque Imperatori renuntiassent, nullum ille de his ulterius fieri verbum passus est. Constant ista ex Actis Synodi.

ARTICULUS III.

Decretum de Armenorum institutione, quod incipit:
EXULTATE DEO ADJUTORI NOSTRO,
non est Oecumenicæ Synodi.

Cum Fidei definitio seu Decretum unionis editum fuisset, omniumque Florentinæ Synodi Patrum, cum Latinæ, tum Græcæ Ecclesiæ subscriptionibus munitum ac in Sessione publica Synodali solemniter promulgatum pridie nonas Julii, & die vigesima & vigesima prima ejusdem mensis, Græci quinque definitionis ejusdem exemplaribus subscripsissent, post aliquot dies advenere Apocrisiarii Patriarchæ Armenorum, quærentes & ipsi unionem cum Ecclesia Romana, Fideique rectitudinem. Qui Pontificem venerati, Græcorum etiam Imperatorem salutarunt, consiliumque suum ejus Majestati exposuerunt, rogantes ut ipsos auxilio prudentiaque sua juvaret. Respondit Imperator, Sibi gratissimam esse eorum voluntatem, & Deum pro eorum unione precari, quæ si conficeretur, se quoque ipsis in omnibus adjutorem fore pollicitus est. Mox Græci Florentia exeuntes, *Venetias* petierunt, indeque domum sunt reversi, ut habent Acta Synodi. Post illorum vero discessum, sæpe cum Armenorum Oratoribus de facta unione contulit *Eugenius IV.* virosque omnium Ordinum, divini ac humani Juris peritissimos deputavit, qui omni cura, studio, diligentia, rem istam cum ipsis Oratoribus pertractarunt: ab eis accurate inquirentes de eorum fide, tam circa divinæ unitatem essentiæ, & divinarum Personarum Trinitatem, quam Domini nostri Jesu Christi humanitatem, & septem Ecclesiæ Sacramenta, aliaque ad Fidem Orthodoxam & Ritus universalis Ecclesiæ pertinentia. Multis itaque adhibitis disputationibus, collocutionibus, & tractatibus, expedire judicavit *Eugenius* (ut ipse ait) ne ulla in futurum de fidei veritate apud Armenos esset hæsitatio, atque idem per omnia saperent cum Sede Apostolica, unioque ipsa stabilis & perpetua perseveraret, Orthodoxæ Fidei veritatem, quam super præmissis Romana profitetur Ecclesia compendio tradere. Quod hocce, de quo agimus, Decreto præstitit, dato decimo Kalendas Decembris, anno 1439. quatuor post Græcorum discessum mensibus. Tunc vero, qui cum *Eugenio* supererant Florentiæ Episcopi, Synodum Œcumenicam non constituebant, quæ universalem Ecclesiam repræsentaret. Aberat siquidem Ecclesiæ pars altera, nimirum Orientalis. Sane Patriarcharum omnium per se vel per Legatos præsentiam, cum Catholici sunt, ad Synodum Œcumenicam esse necessariam, ne ipsa quidem *Bellarminus* Lib. 1. *De Conciliis & Ecclesia*, cap. 17. diffitetur. Unde in VIII. Synodo Actione 9. cum *Joseph* Monachus & Archidiaconus ac Legatus Alexandrini Patriarchæ advenisset, Sancta Synodus dixit: *Glorificamus Deum, qui quod deerat universali Synodo supplevit*. Et septima Synodus Constantinopolitanam Iconomachorum sub *Constantino Copronymo*, Œcumenicam non fuisse probat, quia *consentientes sibi non habuit Patriarchas Orientis, Alexandriæ scilicet, Antiochiæ, & Sanctæ Civitatis, vel Comministros & Summos Sacerdotes, qui cum ipsis essent*. Hinc *Eugenius* ipse in Florentinæ Synodi exordio ajebat (ut habetur in Actis) *Ubi ego sum cum Imperatore, & Patriarcha, ibi est universa Christianorum Synodus; præsertim cum adsunt Patriarchæ omnes & Cardinales nostri*. Quæ quamvis nova & antea inaudita sit universalis Concilii Definitio, nostro tamen proposito conducibilis est, ut notum fiat omnibus ad *Eugenii* quidem mentem, Decretum de Armenorum institutione ab Œcumenica Synodo editum dici posse, cum tunc Imperator, & Patriarchæ omnes Orientis, eorumve Legati in Græciam remeassent. Id confirmatur ex Decreti inscriptione & exordio, cum titulo & initio Decreti unionis Græcorum comparato. Istud enim inscribitur, *Definitio Sanctæ Oecumenicæ Florentinæ Synodi*: Illud vero pro Armenis, *Decretum Eugenii Papæ Quarti*. Istud sic incipit: *Eugenius Episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam, consentiente ad infra scripta charissimo in Christo filio nostro Joanne Palæologo Romanorum Imperatore Illustri, & locum tenentibus Venerabilium Fratrum nostrorum Patriarcharum, & cæteris Orientalem Ecclesiam repræsentantibus*. Illud vero sic incipit: *Eugenius Episcopus Servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam*. Nullam

lam

lam Orientalis Ecclesiæ mentionem facit. Denique Græci Rituum suorum retinentissimi, ut ex Actis Florentinæ Synodi liquet, huic Decreto non subscripsissent, quod Sacramentorum Ritus, & materias etiam quasdam, formasque in Ecclesia Græca non usurpatas nec receptas tradit, præsertim Sacramentorum Confirmationis & Ordinis; ut omnibus eorum Euchologia legentibus, & aliquam Antiquitatis Ecclesiasticæ notitiam habentibus compertum est. Et etiamnum in Scholis disputatur an traditio instrumentorum, scilicet Calicis pleni vel vacui, libri Evangeliorum vel Epistolarum, &c. & verba hujusmodi traditioni respondentia, sint essentialis materia & forma Sacramenti Ordinis: idque doctissimi Theologi negant, quamvis ex Romanæ Ecclesiæ ritu absolute necessaria fateantur: qua de re legi potest vir doctissimus *Joannes Morinus* in Exercitationibus *De Sacris Ordinationibus*. De materia etiam & forma Confirmationis disputant, ac Manuum impositionem & Orationem pro materia & forma essentiali istius Sacramenti assignant plerique Theologi, non Chrisma, & verba ab *Eugenio* præscripta, *Signo te signo Crucis, & confirmo te chrismate salutis*: quamvis & hæc necessario adhibenda, & usurpanda, censeant a Latinis Episcopis ex Ecclesiæ Romanæ Ritu. In forma & ritu Unctionis Extremæ administrandæ non minor est in Ecclesia Græca & Latina varietas, ut demonstravit *Joannes Launojus* Theologus Parisiensis in Libro quem de hoc Sacramento scripsit. Non admisissent pariter Græci illud quod de Matrimonio recte docet Eugenius: *Quamvis ex causa fornicationis liceat thori separationem facere, non tamen aliud Matrimonium contrahere fas est*: cum alii sint Ecclesiæ Græcæ mores, ipsique Græci post unionem ab eodem Pontifice hac de re interrogati respondissent: *Matrimonia dirimimus non sine justis causis*. Quo usu non obstante, *Eugenius* his verbis illos compellabat: *Nos fratres, Dei beneficio sumus Fide conjuncti*. Tandem doctissimi Sacræ Facultatis Parisiensis Magistri ac Professores, hoc de Armenis Decretum ad Florentinam Synodum Œcumenicam pertinere negant, & *Eugenii IV. Decretum* simpliciter vocant.

II. Objicies *Eugenii* verba, Catholicæ Fidei veritatem sub quodam brevi compendio Armenis se tradere dicentis *per hoc Decretum, sacro hoc approbante Florentino Concilio*. Item, se ipsis tradere *Decretum unionis cum Græcis consummatæ pridem in hoc Sacro Oecumenico Concilio promulgatum, cujus tenor talis est*: EUGENIUS, &c. LÆTENTUR CŒLI, &c. Tertio, Decretum istud scribi, *Datum Florentiæ in publica Sessione Synodali, solemniter in Ecclesia Majori celebrata*. Denique, Tom. 1. Actorum Concilii Tridentini sub *Paulo* III. quæ in Arce S. Angeli asservantur, haberi, quod die 26. Februarii 1547. „ Cum Episcopus Clodiensis in Congregatione Generali excitaret difficultatem de Bulla unionis Jacobitarum „ quasi ea non pertineret ad Concilium Florentinum, „ & probaret hoc ipsum ex data Bullæ 1441. cum „ Concilium terminatum sit anno 1439. quo anno consignata est Bulla unionis Græcorum Cardinalis *A Monte* dixit: " Hallucinari eos qui putant finem Concilii Florentini fuisse unionem Græcorum, cum longe post, per tres scilicet fere annos perduraverit „ usque videlicet ad annum Domini 1442. quo anno „ 6. Kalendas Maji celebrata Sessione, Romam translatum fuit. Patere id ex diversis Constitutionibus „ medio illo tempore editis, quæ in Actis Concilii „ habentur, & annotantur in Summario Concilii „ Basileensis per Augustinum Patricium Canonicum „ Senensem ". Ita refert *Horatius Justinianus* 3. P. Actorum Florentini Concilii.

III. Respondeo, Concilium quidem aliquod Florentiæ mansisse post Græcorum discessum, idem nomine, sed non idem Auctoritate, cum Œcumenicum non fuerit, alioqui Concilia omnia Romæ, vel alibi a Romanis Pontificibus, vel eorum Legatis olim celebrata, Generalia dicenda essent. Ab *Eugenio* itaque, approbante Synodo Nationali edita fateor Decreta de Unione Armenorum & Jacobitarum, non a Synodo Œcumenica. Si vero *Eugenius*, & postea Cardinalis *A Monte*, & alii senserint, aut dixerint, Synodum Florentinam tum Œcumenicam adhuc perseverasse, cum hujusmodi Decreta edita sunt, *Eugenii* sententiam non sequimur, quod ipse pugnantia loqui videatur cum notione Generalis Concilii a seipso tradita; & Cardinalis *De Monte*, vel aliorum privatorum Theologorum auctoritas firmissimis rationibus, quibus nostram confirmavimus sententiam, prævalere non debet. Vel, Œcumenicæ Synodo hoc Decretum eo sensu tribuerit *Eugenius*, quod Græcæ etiam Ecclesiæ Patres, quorum ante discessum Armeni advenerant, eorum de unione cum Ecclesia Romana voluntatem approbassent, sanctique hujus operis curam & consummationem Summo Pontifici & Latinæ Ecclesiæ Patribus cum eo Florentiæ in Synodo remanentibus reliquissent. Unde & huic Armenorum unioni, ac Decreto de ea edito, spiritu interfuisse dici possunt, illud approbatum in his quæ Fidei Catholicæ summam spectant; permissuri vero ut Armeni Ritus Ecclesiæ Romanæ in Sacramentorum Administratione amplecterentur, modo Ecclesiæ Græcæ suis semper Ritibus eadem conficere, celebrare, administrare, suisque moribus vivere integrum esset, ut Lugdunense Concilium, ipsaque Synodus Florentina permiserat.

SCHOLION I.

Dissertationis hujus Articulum primum, Num. 6. pag. 630. perstringit hæc Indiculi Censorii animadversio: *Nota quæ sibi arrogat Gallicana Ecclesia, cui a Regibus impeditur accessus ad Concilia, quæ Oecumenica non habentur, nisi ab ipsa acceptentur*.

R. Hæc in ista Dissertatione, aut alibi in Operibus meis non leguntur. Eo loci ita scripsi, „ Gallicanis „ quidem Præsulibus a Christianissimo Rege prohibitis, Ferrariam ac Florentiam proficisci non licuit; „ sicut nec ad secundam Synodum Nicænam illis proficisci permiserat Carolus Magnus; sed illis Fidei „ Capitibus definiendis ac declarandis, & utriusque „ Ecclesiæ unioni sanciendæ, spiritu & consensione „ adfuerunt: Hæc ego. Quod porro scripsi, Gallicanis Præsulibus a Rege prohibitis, Florentiam proficisci ad Concilium non licuisse, de facto locutus sum, non de jure. Quid juris sit pronuntiare & explicare, Historiæ Ecclesiasticæ Scriptori non semper necessarium, sæpe etiam periculosum est. Sentio tamen cum S. Ludovico, & Gallicanis Episcopis, quorum consilia sequebatur, ad Fridericum II. Imperatorem scribente: *Vos unitatem pacis & concordiæ disrumpentes*, PRÆLATOS REGNI NOSTRI AD SEDEM APOSTOLICAM ACCEDENTES, CUI TAM EX FIDE, QUAM EX OBEDIENTIA TENEBANTUR, NEC EJUS POTERANT RECUSARE MANDATA, *in mari, quod moleste ferimus, capi fecistis, & ipsos sub gravi custodia detinetis*. Hanc S. Ludovici Epistolam refert Guillelmus de Nangiaco in ejus Vita, ex quo & illam descripsi Dissertatione V. in Historiam Ecclesiasticam Sæculorum XIII. & XIV. Artic. 1. Num. 5. Cæterum excusandos Episcopos, qui a Romano Pontifice vocati Romam vel alio non proficiscuntur, cum per eos non stat, ne vocanti pareant; sed *ex præcepto Regis alteri negotio incumbunt*, aut a Rege *detinentur* ne e Regno exeant, & ex eorum profectione contra Regis prohibitionem graviora mala *consecutura sunt*, fatetur Auctor Anonymus Tractatus *De Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ*, contra Clerum Gallicanum, & Libertatum illarum Defensores Leodii editi anno 1684. Libro 10. Cap. 7.

SCHOLION II.

Eumdem Articulum, pag. 633. Censorius Indiculus his verbis perstringit: *Nota quid sit Concilium Generale*.

R. Quam trado Concilii generalis notio sumpta est ex Gelasii I. Epistola ad Episcopos Dardaniæ, ex Synodo Œcumenica 7. ex Concilio Senonensi, ex Sacræ Facultatis Parisiensis Articulis adversus Lutherum, ex Cardinali De Turrecremata, Melchiore Cano, & Clemente Moniliano: ex eaque notione colligo, Florentinam Synodum Œcumenicam esse, ac dici debere.

SCHOLION III.

In eodem Articulo, Num. 6. pag. 639. Religiosi Censores hanc Propositionem notant: „ Mirum quod „ Clemens VII. sit secutus errorem Secretarii in Schismate educati, vocantis Florentinam Synodum octavam Oecumenicam; sed non omnia vident aut sentiunt Pontifices Romani.

R. Notarium obrepere posse Pontifici falsa inscriptione; Pontifices non omnia videre aut scire; Florentinam Synodum falso Œcumenicam octavam a *Bartholomæo Abrahamo Cretensi* primo ejus Editore, & a Clemente VII. in Editionis Privilegio appellari, cer-

certissimum est. Fallor, si justa Congregatione S.R.E. Cardinalium & Eruditorum Theologorum, contrarias Propositiones approbet, scilicet:

Florentina Synodus est Oecumenica Octava.
Pontifices omnia vident & sciunt.
Ipsis abrepere Notarii non possunt.

SCHOLION IV.

Articulo 3. Dissertationis ejusdem, pag. 693. Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Eugenii sententiam non sequimur, quod ipse pugnantia loquatur cum actione Concilii Generalis ab ipso indicta, quæ prævalere non debet iis, quæ firmissimis rationibus alias ostendimus.*

R. Pontificem pugnantia loqui posse in iis quæ Fidem non spectant, nemo negaverit. Quod vero scripsi, *prævalere non debet iis &c.* Non refertur ad Eugenium IV. sed ad Cardinalem De Monte, & privatos alios Theologos. *Cardinalis de Monte (inquam) vel aliorum privatorum Theologorum auctoritas firmissimis rationibus, quibus nostram firmavimus sententiam, prævalere non debet.*

Nota.

MEminisse oportet in Animadversionibus ad Concilium Basileense me adnotasse Eugenium quidem consensisse in ipsius continuatione; non vero ejusdem decreta approbasse ut supponit P. Natalis in superiori Dissertatione *art. 1. n. 2.*

Alias etiam adnotavi Epistolam Cardinalis Lotharingi, de qua P. Natalis *art. 1. n. 6.* ab aliquibus commentitiam haberi, quia in ea Synodus Florentina ab œcumenicarum numero expungitur; nam ita de ea aliquando sensisse Ecclesiam Gallicanam, ex ipsius etiam Scriptoribus difficillime ostendetur.

In supracitatis Animadversionibus §. 3. dixi juxta P. Natalis principia Synodum Florentinam etiam post discessum Græcorum fuisse œcumenicam. Et quidem illi libertime discedendo voluere a Præsulibus Latinis cætera esse peragenda, nec hi pauci erant, ipsisque Summus Pontifex præsidebat.

DISSERTATIO XI.

DE SYNODO LATERANENSI V. DEQUE PRAGMATICA SANCTIONE ET CONCORDATIS.

ARTICULUS I.

Pragmatica Sanctio in Generali Ecclesiæ Gallicanæ Conventu anno 1438. condita, statim a Romanis Pontificibus improbata & impugnata est. Altas tamen in Galliis radices egit Carolo VII. Regnante.

Pragmatica Sanctio a quo & ubi condita?

CUM Synodus Basileensis plurima Decreta pro Reformatione Ecclesiæ in Capite & in membris & Ecclesiasticæ Disciplinæ restauratione edidisset, præsertim quoad Provisionem Beneficiorum, & Judicia causarum, Legatos suos ad Regem Christianissimum *Carolum* VII. & ad Ecclesiam Gallicanam misit effecturos ut ea Decreta susciperentur, promulgarentur, & observarentur in Galliis, Rege cum Ecclesia Regni sui conspirante. Rex vero ex Magni Consilii sui Sententia, Archiepiscopos, Episcopos, Insignia Capitula, Abbates, Decanos, Præpositos, & alios Prælatos Ecclesiasticos, Doctoresque in Jure divino & humano aliasque personas Regni & Delphinatus in magno numero congregavit Avarici Biturigum anno millesimo quadringentesimo trigesimo octavo. Congregationis locus electus est Capitulum Sanctæ Capellæ Bituricensis. Conventui præsidebat Rex Christianissimus, assidentibus ejus Majestati Primogenito ejus Filio *Ludovico* Delphino Viennensi, Duce Borbonio, aliisque Proceribus, & Comitibus Consistorianis rerum Ecclesiasticarum & Sæcularium experientissimis ut ipse Rex testatur in Proœmio Sanctionis illius celeberrimæ: „ In qua quidem „ solemni Congregatione in Capitulo S. Capellæ no„ stræ Bituricensis celebrata Præsidentes, assistentibus „ nobis] Primogenito nostro charissimo Ludovico Del„ phino Viennensi, Carolo Duce Borbonii, Carolo de „ Andegavia Cenomaniæ, Petro de Britannia Nepote, „ Bernardo Comite Marchiæ, nec-non Ludovico Vin„ docinii, & Guillelmo Tancarvilla Comitibus, consan„ guineis nostris, pluribusque Magnatibus, Proceribus, „ & Viris peritissimis Ecclesiasticis & Sæcularibus de „ Magno nostro Consilio“. In ea congregatione auditi sunt a Rege cum Synodi Basileensis, tum *Eugenii Quarti* Legati, quorum causam, a diversis Doctoribus coram sua Majestate examinari jussit. Post cujus discussionem, Præsules, aliique Viri Ecclesiastici Gallicanam Ecclesiam repræsentantes exposuerunt quanta perturbatio & confusio in Politiam Ecclesiasticam introducta esset, cui, ut ipsi censebant, opportuna remedia adhiberent Decreta Concilii Basileensis; Ideoque consentire se acceptationi & promulgationi horum Decretorum, e quibus nonnulla prout concepta erant, cætera cum additis modificationibus suscepta. Quæ quidem modificationes non ea mente sunt adhibitæ, quasi Concilii Basileensis Auctoritas in dubium revocaretur, sed quod ita publica utilitas & Ecclesiæ Gallicanæ mores postularent, ut *Carolus* VII. testatur. *Memorata ipsius Sacræ Basileensis Synodi Decreta, Ordinationes & statuta, aliqua simpliciter ut jacent, alia vero cum certis modificationibus & formis, non hesitatione potestatis & Auctoritatis condentis & promulgantis, ipsius scilicet Sacræ Basileensis Synodi; sed quatenus commoditatibus, temporibus, & moribus regionum, & personarum sæpe factarum nostrorum Regni & Delphinatus congruere convenireque conspexerunt, prout inferius annotatur & inseritur, illico & indilate recipienda censuerunt, & acceptanda deliberaverunt.* Constat Pragmatica Sanctio Titulis 23. Edita est a *Cosma Guimerio* cum Notis eruditis. Habetur etiam Tom. 2. Commentariorum Cleri Gallicani, & alibi. Ejus & Concordatorum Historiam illustravit *Pinsonius* Advocatus Parisiensis.

II. Episcopi aliique Viri Ecclesiastici Ecclesiam Gallicanam repræsentantes humiliter Regi supplicarunt, ut res in Congregatione decretas Regio consensu firmaret, earumque executionem Curiæ Parlamenti, & aliis Magistratibus imperaret. Ille vero deliberatione habita cum Principibus, Magnatibus, Virisque gravissimis, tum Ecclesiasticis, cum Laicis Magni sui Consilii, considerans, *Quod sicut Sacerdotes debitores sunt, ut veritatem quam audierunt a Christo, libere prædicent; sic Princeps debitor est ut veritatem quam audivit a Sacerdotibus, approbatam quidem Scripturis, defendat fiducialiter, & efficaciter exequatur*; Clerique Gallicani supplicationem & postulationem justam & rationabilem, & SS. Patrum Decretis consentaneam, omnique æquitate subnixam agnoscens, prædictas deliberationes & conclusiones gratas & acceptas habuit, eisque consensum & auctoritatem suam adjunxit, præcipiens ut in toto Regno ac Delphinatu observentur, & Regias inter Constitutiones describantur. Tum Curiæ Parlamenti aliisque Magistratibus præcepit, ut eas a Personis Ecclesiasticis & Sæcularibus observari curarent gravi pœna rebellibus irrogata, ut ex ipsius Sanctionis conclusione patet. Promulgata autem est in Senatu Parisiensi die 13. Julii, anno millesimo quadringentesimo trigesimo-nono.

III. Hanc vehementer improbavit *Eugenius* IV. ut constat ex ejus literis ad *Carolum* VII. Regem Christianissimum datis, quas descripsit *Odericus Raynaldus* ad annum 1439. Num. 37. Firmas nihilominus in Galliis radices egit spatio annorum circiter viginti, donec *Æneas Sylvius* Cardinalis Senensis, qui ipsam acriter impugnaverat Libro *de Moribus Germanorum*, sub *Calixto* III. Pontificatu edito, ad Summum Pontificatum assumptus est anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo octavo sub nomine *Pii* II. Is indicto habitoque Mantuæ Conventu anno sequenti, ad ineundam rationem belli Turcici inferendi, Regis Christianissimi *Caroli* VII. Oratores primo quidem aditu peramanter accepit; sed paulo post motum animi adversus Regem Regnumque, ob Pragmaticæ Sanctionis observationem dissimulare non potuit: orationeque minis intermixta, innuit se ab omni sacro commercio cum Gallis abstenturum; ac durioribus verbis Pragmaticam ipsam, & Supremam Parlamenti Curiam perstrinxit. *Cæterum*, inquit, *quia Pragmatica Sanctionis superius incidit mentio, cujus secreta magis pulsavimus, quam aperuimus, urget nos congruentia, imma vera charitas, qua Genti vestræ debitores sumus, de ea aliquid libare, ne taciturnitas nostra indulgentia reputetur, & quod sanabile vulnus est, fiat mortale; & nos a consortio vestro oporteat abstinere, quoniam, sicut in Veteri Lege sanctitum est:* „ Supra omnem a„ nimam quæ mortua est, non ingredietur Pontifex: *Quod, teste Hieronymo, perinde accipiendum est ac* „ *si dicat: Ubicumque peccatum est, & in peccato mors, illuc Pontifex non accedet. Cupimus Sanctam esse Francorum Gentem & omni carere macula, &*

Pii II. minis & oratio adversus Pragmaticam Sanctionem.

cum

cum Apostolo dicere : Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo : „ At hoc fieri non potest, nisi hæc Sanctionis macula seu ruga deponatur : quæ quomodo introducta sit, ipsi nescitis. Certe non Auctoritate Generalis Synodi, nec Romanorum Decretis Pontificum recepta est : quamvis de causis Ecclesiasticis tractatus absque placito Romanæ Sedis stare non possit. Ferunt aliqui idcirco ei initium datum, quia nimis onerarent Romani Pontifices Regnum Franciæ, nimiasque pecunias corraderent. Mirum si hæc ratio Carolum movit quem Prædecessoris sui Magni Caroli decebat imitatorem esse, cujus hæc verba leguntur : " In memoriam B. Petri Apostoli, honoremus Sanctam Romanam Ecclesiam & Apostolicam Sedem : ut quæ nobis Sacerdotalis Mater est dignitatis, esse debeat Ecclesiasticæ Magistra rationis. Quare servanda est cum mansuetudine humilitas; & licet vix ferendum ab illa Sancta Sede imponatur jugum, tamen feramus, & pia devotione toleremus. „ Non est credibile Carolum, qui modo regnat, suo sensu hanc Pragmaticam introduxisse. Deceptum putamus, & piæ menti suggesta fuisse non vera. Nam quo pacto Religiosus Princeps ea servari sciviset, quorum prætextu Summa Sedis Apostolicæ Auctoritas læditur, Religionis nostræ vires enervantur, unitasque Ecclesiæ & libertas perimitur? Verbum durum, durius factum. Audite patienter, hortamur. Vulnera quæ putrescunt, non olei lenitate, sed vini potius austeritate sanantur. Non ponderamus causarum auditionem, non Beneficiorum collationem, non alia multa quæ curare putamur. Hoc nos angit, quod animarum perditionem ruinamque cernimus, & Nobilissimi Regni gloriam labefactari. Nam quo pacto tolerandum est, Clericorum Judices Laicos esse factos, Pastorum causas oves cognoscere? Siccine Regale genus & Sacerdotale sumus? Non explicabimus honoris causa, quantum diminuta est in Gallia Sacerdotalis Auctoritas; & melius norunt, qui pro nutu sæcularis Potestatis spiritualem gladium nunc exercent, nunc excludunt. Præsul vero Romanus, cujus Parochia orbis est, cujus Provincia nec Oceano clauditur, in Regno Franciæ tantum Jurisdictionis habebit, quantum placet Parlamento. Non sacrilegum parricidam, non hæreticum punire, permittitur, quamvis Ecclesiasticum, nisi Parlamenti consensus adsit : cujus tantam esse auctoritatem nonnulli existimant, ut Censuris etiam nostris præcludere aditum possit ... Verendum est ne prope adsit, quod ad Thessalonicenses significare videtur Apostolus, *Quia post discessionem homo peccati*. Adventum quippe Antichristi solicitant qui discessionem a Romana Ecclesia quærunt : qualem præ se ferre videntur, quæ sub obtentu Pragmaticæ Sanctionis fieri dicuntur. "

1. Thess. 2.

Oratorum Caroli VII. Regis Christianissimi Responsio.

IV. His prout officii sui ratio postulabat, responderunt Christianissimi Regis Oratores, Regisque & Regni innocentiam, honorem, famam pro virili tuiti sunt. Pragmaticam Sanctionem nihil aliud continere dixerunt, quam Decreta Concilii Generalis Basileensis, quod ex institutione duorum præcedentium Conciliorum Constantiensis & Senensis, necnon duorum Romanorum Pontificum *Martini V. & Eugenii IV.* ad Reformationem Ecclesiæ in Capite & in membris fuerat convocatum. Regem Christianissimum hæc Decreta intellexisse ab Archiepiscopis, Episcopis aliisque Viris Ecclesiam Gallicanam repræsentantibus majestati suæ oblata, „ Sacris Canonibus antiquorum Conciliorum, ac Decretis Summorum Pontificum confirmari. Propter quæ, sicut devotus Ecclesiæ filius, sicut Princeps Catholicus & Christianissimus, eadem Decreta cum aliquibus additionibus, quæ Sedi Apostolicæ nequaquam derogare videbantur, acceptare duxit. Nec in acceptatione prædicta, ullatenus præjudicium Privilegiis Apostolicæ Sedis afferre putavit, quam semper & venerari & honorare decrevit. Quin etiam ab illo tempore ad Summum Pontificem subditi Regni illius, sicut ad Christi Vicarium, & Pastorem Summum recursum semper habuerunt. Nec aliquis de scitu ipsius Christianissimi Regis in Regno suo sibi quidpiam eorum usurpare præsumpsit, quæ ad solum Summum Pontificem pertinere noscuntur. " Regem præterea, & Prælatos, Legatis & Nuntiis ab Apostolica Sede missis paratam semper exhibuisse voluntatem faciendi & inconcusse observandi, quod Canonibus & rationi consentaneum videretur. „ Venerabilem Curiam *Parlamenti Parisiensis* ex Ecclesiasticis & Sæcularibus Viris Juris peritiam habentibus constitutam, usque ad numerum octoginta Personarum, absque duodecim Paribus Ecclesiasticis & Sæcularibus, & octo Magistris Hospitii Regis, qui omnes de corpore ipsius Curiæ existunt, quamplurimum necessariam esse ad conservationem Ecclesiarum, & Jurium suorum, & de quibuscumque ad eos querimonia defertur, sive de Officiariis Regis, sive de quibuscumque aliis in ipso Regno quantumcumque potentibus, per ipsam Justitiam ministrari. Quod si ita per omnes regiones Orbis Christiani fieret, non ita in multis Patrimonia Ecclesiarum direpta & dilapsa forent. Tantamque ab antiquo famam esse illius Curiæ, quod nedum subditi aliorum Regnorum Christianorum in causis privatis ad Judicium illius Curiæ recurrere voluerunt prout & adhuc multi faciunt, sed etiam Infideles interdum hoc idem fecisse. Nec esse verisimile quod tam solemnis Curia aliquid sinistrum agere vellet, quod sibi ad culpam & notam imputandum esse videretur. " Super his tamen omnibus Christianissimum Regem, pleniore deliberatione habita, & consultis viris divini humanique juris peritissimis, quorum in Regno suo ingens numerus est, maturius & sanctius decernere posse quid agendum sit. Edita hæc Responsio est *Spicilegii Dacheriani* Tomo 9.

Regii Cognitoris in Senatu Parisiensi protestatio & Appellatio Regis nomine.

V. De his *Pii II.* motibus & consiliis certior factus *Carolus VII.* ex deliberatione matura Principum, Prælatorum, Nobilium, sapientum Virorum plurimorum Regni sui, jussit *M. Joanni Dauvet*, Procuratori suo Generali in Senatu Parisiensi, ut de his *Pii II.* cœptis, minisque ad Generale Concilium provocaret. In Appellationis Instrumento, quod die 10. Februarii anno 1460. confectum est, habetur, Ex his quæ *Pius II.* in Mantuano Conventu palam dixit, verisimiliter æstimari, Ipsum velle Regem, ejus Dominia, & universos qui Sacros Canones observarint, vel eorum observantiam promoverint, a suo consortio separare & abstrudere. Cogi itaque Regiam providentiam tanto scandalo Ecclesiæ, prout juris fuerit & rationis, obviare, *Salva in omnibus Sanctæ Sedis Apostolicæ reverentia, & illa, quæ Summo Pontifici juxta sententias SS. Patrum debetur, obedientia.* Inprimis autem Summum Pontificem filiali hortatur affectu, ut priusquam ad scissionem tantæ portionis tantæque multitudinis Christianorum in gravissimam deplorationem Status Ecclesiæ de facto prorumpat, rem ipsam maturius digerat & consulat, ut cum Sacris Generalibus Conciliis pacem foveat; ut Concilium Generale, secundum Synodi Constantiensis Decretum, congreget in loco tuto & libero; cujus certe Statutis Rex pro sua pietate acquiescet. Quod fertur, suam Sanctitatem Concilium Generale in Laterano celebrare velle, stare non posse, cum locus ille omnibus fere Nationibus Christianis accessu difficilis sit, & frequenter pestilentiæ obnoxius, *Stanteque contradictione qua Summus Pontifex adversus Canones Conciliorum agere videtur, non illic esset plena deliberandi libertas* : attento maxime Fœdere adversus *Renatum* Serenissimum Siciliæ Regem, ejusque hæredes inito, quod ipse Pontifex aperte fovet. Tum Constitutione, *Execrabilis*, qua Appellationes ad futurum Concilium sub pœna Anathematis prohibentur, mitiorem in sensum explicata, declarat Regem Christianissimum sub expectatione Plenarii Concilii & justorum Judiciorum ejus, quousque illud actu celebrari contingat, *Sanctas Leges Conciliorum hactenus celebratorum, & Sacros eorum Canones* in suis Dominiis observari curaturum. Quia vero Rex intellexit Summum Pontificem de sua Parlamenti Curia conquestum, ejus Majestatem omnibus notum esse velle; „ Quod ipsa Curia ex solemnibus Viris Ecclesiasticis & Sæcularibus usque ad numerum centenarium a diebus antiquis instituta, eas solum causas pertractat, de quibus olim, & a vetero tempore cujus memoria in contrarium non existit, consuevit cognoscere, ut quantum ipsa Curia pro Ecclesiarum Juribus tuendis & defendendis necessaria sit, universi agnoscere possint. " Ubi vero Summus Pontifex, cui Potestas data est in ædificationem, non in destructionem, evertere vellet ipsum Regem, aut Viros Ecclesiasticos, vel etiam sæculares, in ipsius Dominiis constitutos, ejusque subditos *propter Observationem Canonum* gravare & vexare, protestatur idem Regius Procurator Catholicus, Regis Christianissimi nomine, de talium Sententiarum ac Censurarum nullitate, *juxta Canonicas Sanctiones*, quæ in pluribus casibus Sententias, & Censuras Pastorum & Judicum nullas esse decernunt, subjiciendo tamen omnia judicio Generalis Concilii, quod appellat.

pellat. Quod si Pontifex congregare recuset aut nimium differat, Regem, qui vult, quantum in ipso erit, *necessitati Fidei Ortodoxæ, & universæ Ecclesiæ succurrere*, daturum operam ut alii Principes Christiani omnes unanimiter universalem Ecclesiam in Plenario Concilio congregari curent. Hujus Appellationis tabulæ inter Probationes Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, cap. 13. editæ sunt.

ARTICULUS II.

Pragmaticam Sanctionem LUDOVICUS XI. Rex Christianissimus PIO II. suadente abrogavit, magna Romanæ Curiæ lætitia, repugnante Senatu, Academia Parisiensi intercedente & appellante.

I. CArolo VII. defuncto *Pius secundus* per *Joannem* Episcopum Attrebatensem, *Gothofridum* Albiensem, *Joannem Ballue* Ebroicensem, quos spe Cardinalitiarum Insularum allectaverat, *Ludovici XI* erga Patris memoriam & Constitutiones non recte affecti animum occupavit, & ad Sanctionem Pragmaticam abrogandam facile pertraxit. Regis voluntatem cum *Pio secundo* aperuisses Episcopus Attrebatensis, ad filialem obedientiam Majestatis ejus nomine Pontifici exhibendam missus, gratulatorias literas ea de re *Pius* ad Regem scripsit die 26. Octobris anno 1461. quibus ipsum *Constantino* Imperatori, duobus *Theodosiis*, *Carolo Magno*, & summis quibusque Francorum Regibus comparat, ipsique nominis immortalitatem, & Sedis Apostolicæ perpetuam dilectionem, si Pragmaticam abroget, pollicetur. Ipsum commendat quod absque multorum consilio eam antiquare decreverit: in eo se Regem Magnum ostendere ait, qui non regatur, sed regat: Consiliorum maturitatem in paucis magis quam in multis reperiri: confusioni subditam esse consulentium multitudinem, neque bene rem se habere, ubi suffragia numerantur, non ponderantur: sæpe enim fieri ut major pars meliorem vincat. Regem facere quæ ipsum decent: qui *sciens Pragmaticam esse absque Deo*, eam de Regno suo eliminare decreverit: Ipsius voluntatem commendat, hortaturque ut cito promissa exequatur, siquidem *Hilarem datorem diligit Deus*, & quæ justa & honesta sunt, nolunt moras. Se Gallicum nomen & gentem honorare & diligere, nec umquam Regi Regnoque negaturum, quæ ratio & honestas postulabunt. Æquum certe se fatari, ut Romanus Pontifex Fratribus suis Episcopis in multis deferat, eosque honoret, pariterque viris doctis, & qui docti esse cupiunt in Christianis Academiis, subvenire: *Ab his enim catholica Fides defenditur, & doctrinæ lumen propagatur.*

II. His blanditiis promissisque delinitus *Ludovicus Undecimus*, Literas edidit pro abrogatione Pragmaticæ Sanctionis *Pio II.* inscriptas die 27. Novembris ejusdem anni 1461. quæ Sessione 4. Synodi Lateranensis 5. leguntur, quas ab ipsomet *Pio* compositas & ad Regem missas, viri eruditi conjiciunt. In iis ita de Pragmatica loquitur: *Omnibus itaque victimis potiorem obedientiam intelligentes, assensi sumus his quæ tuo nomine nobis aperta sunt: Ipsam scilicet Pragmaticam Sanctionem Tibi tuæque Sedi esse infensam, utpote quæ in seditione, & Schismatis tempore, atque per seditionem, scissionisque a tua Sede figuram nata sit; & quæ dum Tibi a quo Sacræ Leges oriuntur & manant quantamlibet eripit Auctoritatem, omne Jus & omnem Legem dissolvit. Illud enim exoritur quod idem Consiliarius noster nomine tuæ Sanctitatis adstruxit: ut dum per Pragmaticam ipsam summa in Ecclesia tuæ sedis Auctoritas minuitur, in Regno nostro quoddam licentiæ templum per illam præstruitur; dum congruens unitas ad alia Regna, conformitasque tolli videtur, abroganda sit ipsa Pragmatica, pellendaque a Regno nostro: Quippe quæ adversus tuam Sedem, omnium Ecclesiarum Matrem, ab inferioribus Prælatis lata sit, tamquam, ut Scriptura loquitur, Quomodo si elevetur virga contra levantem se, aut baculus qui utique lignum est. Quidquid Beatissime Pater, licet plerique docti homines confutare niterentur, multaque Nos dehortarentur abrogare Sanctionem ipsam; Te tamen Principem totius Ecclesiæ, Antistitem Sacrorum, Te Dominici gregis Pastorem profitemur & scimus, Teque jubentem sequimur, Tibi & Beatissimi Petri Cathedræ consentimus & jungimur. Itaque, sicut mandasti, Pragmaticam ipsam a Regno nostro, nostroque Viennensi Delphinatu, & omni Ditione nostra per præsentes, pellimus, dejicimus, stirpitusque*

Ludovici XI ad Pium II. Literæ de abrogatione Pragmaticæ Sanctionis.

Isaia 10. 15.

abrogamus, & quam, qualemve ante Pragmaticæ ipsius editionem, circa Ecclesiarum, Beneficiorum, aliarumque rerum spiritualium dispositionem, censuram, moderationem in Regno nostro, omnique Ditione nostra, tui Prædecessores Martinus V. & Eugenius IV. Romani Pontifices habebant & exercebant, talem eamdemque nostro adjutorio Beatissimo Petro, Tibique ipsius Successori reddimus, præstamus & restituimus, cum judicio libero, cum potestate non coarctata.

III. Solemnem Legationem protinus ad Summum Pontificem misit *Ludovicus XI.* cujus capita fuere *Richardus* Constantiensis, & *Joannes* Attrebatensis, Cardinales. Posterior ille ob navatam in abrogatione Pragmaticæ procuranda operam recens in Sacrum Collegium cooptatus fuerat. *Pius II.* ob faustum de abrogata Sanctione Pragmatica nuntium lætitia incredibili affectus, "Indixit triduo justitium, & supplicationes per omnia Templa fieri, & pompas Sacrorum per Urbem duci. Dimisso Consistorio, universa Curia & Urbis populus exultavit: ad noctem lucere ignes, canere tubæ, campanæ resonare omnes, saltare Juvenes, choros ducere, cantare viri, ac Senes inter se gloriari, qui priusquam morerentur, sublatam Pragmaticam vidissent: laudare Pontificem, cujus tempore id donum datum esset; Regem extollere, cujus mentem tanta incessisset pietas; Tanto res videri dignior atque admirabilior, quanto minus sperata fuisset. Neque quisquam erat qui post quatuor & viginti annos inveteratum Pragmaticæ morbum sub Pio Pontifice auferri posse consideret: satis consultum iri Apostolicæ Sedi existimabant omnes, si malum non ingravesceret." Ita refert *Gobelinus* Commentariorum Lib. 7. Qua de re & *Jacobi* Cardinalis Papiensis Epistola decima-octava ad *Ludovicum* Regem Christianissimum legenda est.

IV. Regem pœnituit abrogatæ Sanctionis, cum *Pius secundus* promissis non staret, nec Andegavensi Domui ad Regni Siciliæ consecutionem faveret. *Pio* defuncto, Suprema Senatus Parisiensis Curia Defensionem pro Libertate Ecclesiæ Gallicanæ adversus Romanam Aulam *Ludovico XI.* obtulit, qua Pragmaticam Sanctionem retinendam suadebat ac vindicandam. Hanc ad annum 1461. perperam refert Historia Conciliorum Generalium sub *Richerii* nomine edita Lib. 4. Parte 1. pag. 34. Post quadriennium namque, id est, anno 1465. editam, colligitur ex Cap. 17. ejusdem defensionis: *Ejus* (inquit) *Sanctionis observatio ad tres & viginti annos stetit, agiturque nunc quadriennium ex quo ea in usu esse desiit.* Ostendit autem in eo scripto Illustrissima Curia ex ejus abrogatione innumera incommoda oriri, quæ ad quatuor capita revocari possunt. Primum est *totius Ordinis Ecclesiastici confusio*. Secundum, *patriæ desolatio ac desertio*. Tertium est, *pecuniarum Regni exinanitio*. Quartum, *Ecclesiarum ruina & subversio*. Antequam vero ad eorum incommodorum probationes veniat, hanc Protestationem præmittit; "Ante omnia protestatur Curia, se nolle Sanctitati, Dignitati, Honori & Auctoritati Pontificis ac Sanctæ Sedis Apostolicæ quidquam detrahere: quin potius omnem honorem, reverentiam, & obedientiam quam unusquisque pius & fidelis Summo Ecclesiæ Pastori debet, exhibere parata est; & si quid emendatione dignum exciderit, Ecclesiæ determinationi, quæ errare non potest, subjicere se non recusat, *Cap.* A recta, 24. Quæst. 1." Hanc Defensionem a se latine redditam edidit *Franciscus Duarenus* celebris Jurisconsultus Lib. 5. Commentariorum in Jus Pontificium, & post ipsum *Laurentius Bochellus* Lib. 4. Decretorum Ecclesiæ Gallicanæ Tit. 21. Cap. 10.

Suprema Curia Senatus Parisiensis studia pro Sanctionis Pragmaticæ Defensione & conservatione.

V. Anno millesimo quadringentesimo sexagesimo septimo, *Paulus II.* Pontifex Maximus, qui in *Pii II.* Sedem studiaque successerat, Legatum in *Gallias* misit *Joannem* Cardinalem Attrebatensem, ut Sanctionis Pragmaticæ abrogationem in Senatu promulgari & Senatusconsulto confirmari impetraret. Is adjuncto *Joanne* Cardinali *Balneo*, statarum feriarum Parlamenti mense Octobri tempus aucupatus, Regias abrogationis Literas ad Civile Prætorium primum detulit, ubi intercedente nemine promulgatæ fuerunt, & in Tabulas relatæ. Idem in Suprema Parlamenti Curia cum tentasset, repulsam passus est, intercedente *Joanne a Sancto Romano*, Regio Procuratore Catholico. Quin & Academia Parisiensis Legatum adiens, ab eo, & omni Literarum prædictarum effectu ad futurum Concilium appellavit.

VI. Anno millesimo quadringentesimo octogesimo tertio, *Carolo VIII.* post *Ludovici XI.* obitum Regnum ineunte, Conventus trium Regni Ordinum Tu-

Regni Ordines Pragmaticæ Sanctionis con-

ronibus

servationem a Rege postulant.

ronibus habiti sunt: ubi *M. Joannes de Rety*, Doctor Sorbonicus, & insignis Ecclesiæ Parisiensis Canonicus publico nomine supplex a Rege postulavit, ne Romanum Pontificem aliquid in Pragmaticæ Sanctionis detrimentum, contra Ecclesiæ Gallicanæ Libertates, Jura Regia, & Canones Synodi Constantiensis, & Basileensis moliri vel agere permitteret. Si quid in ejusdem Sanctionis Decretis grave ac molestum Auctoritati Pontificiæ videretur, tres Ordines Regni ea de re Judicium Concilii Generalis proxime celebrandi lubenter subituros. Cujus quidem Concilii celebrationem ardentioribus studiis optavit, ac promovere decrevit Rex idem Christianissimus anno millesimo quadringentesimo nonagesimo-septimo, cum *Alexandro VI.* in Cathedra *S. Petri* sedente, Ecclesia Reformatione in Capite & in membris quam maxime indigeret. Quamobrem Sacram Facultatem Parisiensem Rex Christianissimus consuluit, rogavitque primo, num Summus Pontifex quolibet decennio, & in præsenti, considerata Ecclesiæ deformatione in Capite, & in membris, Concilium Generale congregare teneretur; Secundo, num eo recusante, Principes tam Ecclesiastici quam Sæculares, & insignes partes Ecclesiæ, ad Concilium Oecumenicum absque Pontificis voluntate & cooperatione concurrere possent? Tertio, utrum tempore urgentis necessitatis, vel post decennium ab ultimi Concilii celebratione, postquam magna pars ac notabilis Christianitatis, ut Regnum Franciæ, vel Rex Christianissimus ipsius vices gerens, monuerit, rogaverit, & adhortatus fuerit Summum Pontificem, cæterasque partes Ecclesiæ de Concilio congregando, ut Ecclesiæ necessitati provideatur, ipse vero Pontifex, vel particularium Ecclesiarum aliquæ, ad Concilium convenire recusaverint, neglexerint, vel distulerint: nihilominus illi qui aderunt & comparebunt, Concilium absque aliis celebrare, & Ecclesiæ necessitati providere possint? Ad tria hæcce Capita per duodecim Magistros e gremio suo deputatos diligenter examinata, deinde ab universo Ordine Theologico mature & accurate discussa, Sacra Facultas Parisiensis affirmate respondit, die undecimo Januarii ejusdem anni.

Sacra Facultatis Parisiensis Doctrinale Responsum ad quæstiones a Rege propositas.

JOANNIS DOMINICI MANSI

Nota.

QUanto gaudio exceperit Pius II. abrogationem Pragmaticæ Sanctionis a Ludovico XI. factam, demonstravit ipse Pontifex non tantum Literis, in collectione literarum ejus evulgatis, sed & luculenta Oratione qua Regios Legatos, ad se ea de re missos, excepit. Orationem hanc ego ex MS. Lucensi Codice evulgavi. Sed & ante me dederunt Cll. auctores Codicum MSS. Athenei Taurinensis tom. II. pag. 377. Quod vero Pius non steterit promissis, favendi scilicet Renato Andegavensi, rationes suas luculenter exposuit idem Pontifex Oratoribus Renati Regis, quam ego pariter ex MS. Lucensi Cod. evulgavi in Collectione Orationum Pii II. tom. II. pag. 158. Quamquam non satis castigate asserit hic P. Alexander, Pontificem non stetisse promissis; ex tota enim illa Oratione eruo Gallos, nullam inivisse cum Pontifice pactionem, ut illi quidem renunciarent Pragmaticæ; ipse vero Pontifex Renato assisteret in dissidio pro Regno Neapolitano. Gallici Legati exposuerunt Pontifici nomine Regia sui abrogatam a se esse Pragmaticam Sanctionem; id vero unice petere uttantum vellet Renato favere. At Pontifex in suo illo Responso gratias quidem solemnes agit; sed de Romano nihil reponit.

In Commentariis Felini Sandel, celebris Canonistæ, succurrit me legisse exhibitum ab eo fuisse Alexandro VI. folium, continens rationes Sedis Apostolicæ pro rejicienda petitione Concilii, quod Rex idem vi & precibus urgebat.

ARTICULUS III.

Ortum inter Julium II. Romanum Pontificem, & Ludovicum XII. *Regem Christianissimum dissidium, Turonensi Ecclesiæ Gallicanæ Conventui, Pisanæque contra ipsum Julium Synodo occasionem dedit: cujus exponitur historia.*

I. CUm *Julius* II. imperiosissimus, & inquietissimus Pontifex Regem Christianissimum *Ludovicum* XII. Ducatu Mediolanensi & Comitatu Astensi, quod avitum erat Majestatis ejus patrimonium, spoliare decrevisset, nec-non etiam protectione Genuæ, totaque Italia expellere: Fœdusque cum Hispaniæ & Angliæ Regibus, Venetis, & Helvetiis in Regis perniciem sancivisset: beneficia præterea quædam Ecclesiæ Gallicanæ contra jus Sacrarum electionum, & Pragmaticam Sanctionem, exteris hominibus contulisset: denique Patrem se esse oblitus, Regi, ac Regno apertas denuntiasset inimicitias, ut *Guicciardinus*, & nostrates Historici fuse referunt; *Ludovicus* Rex armis & consilio adversus *Julium* se tueri decrevit. Imprimis vero Ecclesiæ Gallicanæ cœtum in urbem Turonensem congregavit anno millesimo quingentesimo decimo; in quo Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum, Doctorum, cæterorumque Virorum Ecclesiasticorum, eamdem Ecclesiam repræsentantium sententiam rogavit super sequentibus Articulis.

Cleri Gallicani Comitia Turonensia.

1. *An liceat Papæ bellum inferre Principibus temporalibus, in terris quæ non sunt de Patrimonio vel Dominio Ecclesiæ, &c.* Conclusum autem fuit *unanimiter* per Concilium: *Papam nec posse, nec debere.*

2. *An liceat Principi defendenti se & sua, non solum propulsare armis hujusmodi injuriam, sed etiam invadere terras Ecclesiæ possessas a Papa notorio hoste suo: non tamen ea intentione ut illas retineat, sed tantum ut impediat, ne per eas Papa ille fortior & potentior fit ad offendendum dictum Principem & suos?* Conclusum est per Concilium; *Principem hoc posse sub conditionibus & qualitatibus in Articulo propositis.*

Articuli Episcopis & Doctoribus a Rege propositi, eorumque Responsum.

3. *An ob tale odium notorium & aggressionem injustam, liceat Principi subtrahere se ab obedientia hujusmodi Principis, attento etiam quod Pontifex concitavit alios quosdam principes & communitates; immo & tentavit cogere ad invadendas Terras & Dominia ejusdem Principis, qui potius benevolentia Sedis Apostolicæ dignus fuit?* Conclusum est per Concilium: *Principem posse ab obedientia talis Papæ se subducere ac subtrahere: non tamen in totum & indistincte, sed pro tuitione tantum ac defensione jurium suorum temporalium.*

4. *Tali subtractione licite facta, quid agendum sit tum Principi ipsi ac subditis ejus, tum etiam Prælatis & Ecclesiasticis personis Regni sui, in rebus de quibus ad Sedem Apostolicam antea recurri solebat?* Conclusum est per Concilium: *Servandum esse Jus commune antiquum, & Pragmaticam Sanctionem Regni, ex Decretis Sacrosancti Concilii Basileensis desumptam.*

5. *An liceat hujusmodi Principi Christiano tueri ac defendere alium principem sibi confœderatum, & cujus protectionem legitime suscepit?* Conclusum fuit per Concilium, *Licere.*

6. *Si quod Jus talis Pontifex ad se pertinere contendat, ut patrimonii Sanctæ Romanæ Ecclesiæ partem, contra Principes Imperii vel Juris sui esse dicat, & de ea controversia paratus sit & offerat stare arbitrio vel judicio bonorum virorum per compromissum, prout de jure: An eo casu liceat Pontifici absque alia causæ cognitione bellum inferre dicto Principi; & si fecerit, an liceat Principi armis resistere, & aliis etiam Principibus in hujusmodi dissidio ei adesse, eumque defendere, maxime illis qui ei cognatione vel affinitate conjuncti sunt, cum etiam per centum annos proximos Ecclesia Romana in ejus Juris controversi possessione non fuerit?* Conclusum est per Concilium; *Licere Principi hoc casu resistere de facto, & aliis ei adesse in jure suo tuendo.*

7. *Quod si Papa nolit acceptare, quod Princeps juridice & honeste offert, sed contra, non observato Juris ordine, contra talem Principem pronuntiet sententiam aliquam, an ei obtemperandum sit: maxime cum non est integrum ac tutum tali Principi ad Sedem Romanam ire vel mittere, & Jus suum via Juris Civilis & rationibus defendere?* Conclusum est per Concilium: *Non teneri talem Principem parere tali Sententiæ.*

8. *Si Pontifex injuste ordine Juris non servato procedens de facto & manu armata, pronuntiet ac publicet aliquas Censuras contra Principes sibi resistentes, eorumque subditos & confœderatos, an eis parendum sit & quod remedium adhibendum?* Conclusum est *unanimiter* per Concilium: *Talem Sententiam nullam esse; nec de jure vel alio quocumque modo ligare.*

Visum est tamen Concilio, ante omnia mittendos ab Ecclesia Gallicana Legatos ad D. Papam JULIUM; qui fraterna charitate, secundum Evangelicam correctionem eum admoneant, ut a cœptis desistere velit, pacem & concordiam Principum amplecti. Quod si nolit Legatos in hoc audire, interpelletur de convocando Concilio libero, juxta Sacrosancti Basileensis Decreta.

Et hoc facto, responsoque ejus accepto, providebitur prout jus erit. Hoc Monumentum habetur apud *Joannem Bouchetum* in Annalibus Aquitaniæ, *Laurentium Bochellum* Libro 3. Decretorum Ecclesiæ Gallicanæ, Tit. 5. Cap. 5. & alios.

Novem Cardinalium a Julio II. secessio.

II. Infausto illo dissidio fervente belloque *Julium* II. inter & *Ludovicum* Regem flagrante, *Bernardinus Carvajal*, Titulo S. Crucis, Hispanus; *Franciscus Borgia*, Titulo S. Cæciliæ, Archiepiscopus Consentinus, pariter Hispanus; *Renatus de Prie*, Titulo S. Sabinæ, Bajocensis Episcopus; *Guillelmus Brissonetus*, Narbonensis Archiepiscopus. *Philippus de Lucemburgo*, Tusculanus Episcopus, Galli, ac *Fridericus Sanseverinus*, Titulo S. Angeli, Mediolanensis, *Hadrianus* Tit. S. Chrysostomi, *de Corneto*; *Carolus* Titulo S. Viti *de Finario*, & *Hipolitus* S. Luciæ in Silice *Estensis*, Romanæ Ecclesiæ Cardinales a *Julio* II. secessione facta, *Maximiliani* Imperatoris & *Ludovici* XII. Francorum Regis auctoritate fulti, Concilium Oecumenicum (ut ajebant) Pisis celebrandum indixerunt. Concilii quidem necessariam celebrationem contendebant, Constantiensis, & Basileensis Decretis freti quibus Generalis Concilii celebratio decennio quolibet imperatur: tum quod Ecclesiæ in Capite & in membris deformatio id postularet. Jus autem illud convocandi ad se devolutum asserebant, id recusante *Julio* Summo Pontifice, cum ipse Cardinalesque cæteri in Conclavi ante electionem suam, & iterum postquam electus est Pontifex, promisissent, vovissent ac jurassent inter alia Capita:

Pisanus Conventus sub titulo Concilii Generalis.

„ Generalem Concilium intra biennium a
„ Creatione sua indicere, & eum effectu incipere in
„ loco libero & tuto determinando per eum, & duas
„ partes Reverendissimorum Dominorum Cardinalium
„ per calculos, &c. *Quod ni faceret*, tamquam transgressor
„ voti ac fidei præstitæ, ac perjurus, tamquam
„ etiam perturbator ac scandalizator Ecclesiæ & totius
„ Christianitatis haberetur & reputaretur. *Et ex*
„ *tunc dedisset & concessisset* facultatem & potestatem
„ duabus partibus Collegii, congregandi Concilium
„ Generale, " cujus *Sententiæ* & correctioni, propter prædictorum publicum & libertatem Sacri Collegii respicientium transgressionem se subjiciebat, ut constat ex publicis Titulis ea de re confectis, & ab *Odorico Raynaldo* Tom. 20. Annalium Ecclesiasticorum, ad annum 1503. relatis.

Pisani Conventus Acta.

III. Prima Sessio hujus Conventus habita est die Mercurii 5. Novembris, anno 1511. Præside Cardinali S. Crucis, in qua decretum est ipsum Conventum esse Generalem Synodum legitime congregatam. Deinde omnia a Summo Pontifice vel alia, contra Cardinales, aliosque Concilium componentes, in odium convocationis, & rerum secutarum, annexarum & dependentium decreta vel facta, attentata, vel attentanda, sive per Censuras, sive per Sententias privationis vel inhabilitationis, etiam Consistoriales nulla & irrita esse. Sancitum etiam est, juxta Concilii Constantiensis Decretum, ut Beneficiati in Concilio existentes Beneficiorum suorum fructus perciperent. Concilii demum Officiarii creati sunt.

IV. Sessione secunda, die Veneris septima ejusdem mensis & anni celebrata, Canon Toletanus de modestia in Conciliis servanda repetitus & confirmatus est. Statutum præterea ex quorumvis Prælatorum recessu Concilium nequaquam dissolutum iri. Tertio deputati Judices ad causas in Concilio audiendas. Quarto decretum ut Concilii membra ob quamvis causam, Litem, Quæstionem, & Controversiam motam vel movendam, quavis occasione ad Romanam seu aliam Curiam trahi non possent. Quinto, de sigillo Synodi provisum est.

V. Sessione tertia, die Mercurii 12. ejusdem mensis celebrata, Decretum est Synodum non posse dissolvi quousque universalis Ecclesia in fide & moribus tam in Capite quam in membris esset reformata, hæresesque ac surgentia schismata extinguerentur, & imminentia bella inter Christianos Principes sopirentur. Item, Decreta Sessionis quintæ Concilii Constantiensis de Conciliorum Generalium Auctoritate, renovarunt & confirmarunt. Item, Synodum Pisis Mediolanum transtulerunt absque illius dissolutione, quod Pisani hujusmodi Cœtui non faverent, immo seditio adversus Conciliares excitata esset.

VI. Mediolanum accessere die 7. Decembris, Ordinationis *S. Ambrosii* memoria solemni. Ibi quarta Sessio celebrata die 4. Januarii 1512. Actum de Concordia cum *Julio* II. Pontifice Maximo ineunda. Missa ad eum Legatio; oblata ipsi optio unius ex his civitatibus pro loco Generalis Concilii, scilicet in Italia, Vercellarum, Taurini, Casali, Montisferrati, & Veronæ: extra Italiam, Gebennæ, Constantiæ, Bisurtii, Metis, Avenionis, & Lugduni. Si nulla ex his placeret, data ipsi facultas est totidem civitates in Italia nominandi, quæ nec temporali ipsius, nec Venetorum Jurisdictioni subditæ essent. Ab illo præterea & a Collegio Cardinalium illi adhærentium postulatum est ut res Bononiensium, & Ferrariensium, & aliæ quælibet Sanctam Romanam Ecclesiam spectantes, sine armis & effusione Christiani sanguinis tractarentur. Cum vero ad Synodum relatum esset, Oratores ad Summum Pontificem destinatos, Literas liberi commeatus ab illo obtinere non potuisse, nec ad ipsum tutum accessum patere, triginta dierum spatium ad eligendum seu nominandum locum Concilii eidem ampliatum est. Monuerunt etiam Pontificem & Christianos Principes ut a bello cessarent; causasque bellorum Concilii arbitrio permitterent. Irrita declararunt juramenta, quibus se nonnulli Summo Pontifici obstrinxerant, quod ad Concilium non venerint. Item prohibuerunt sub pœna excommunicationis, ne quis Conciliarium Beneficia, vi Sententiarum a Summo Pontifice latarum aut ferendarum impetret vel acceptet. Item, ne ratione Monitorii a Pontifice emissi, Domestici & Familiares Conciliarium discedant absque licentia Dominorum suorum.

VII. Sessione quinta, die undecima Februarii celebrata, renovata est Synodi Constantiensis Constitutio contra invasores seu spoliatores accedentium & recedentium a Concilio. Secundo, Legatio Bononiensis *Friderico* Cardinali *Sanseverino* commissa est.

VIII. Sessione sexta, die Mercurii 24. Martii celebrata, *Julius* II. Romanus Pontifex accusatus est contumaciæ, plurima Decreta Reformationis proposita sunt & promulgata, eorumque observantia omnibus & singulis Concilii membris imperata est. Item modus procedendi per Deputationes, Congregationes & Sessiones constitutus. Item declaratum est, indictionem & congregationem Concilii fuisse & esse legitimam. Tertio, Concilium Romanum a *Julio* II. convocatum, nullum esse ac illegitimum, cum Pisana Synodus jure præventionis Apostolica Auctoritate firmatæ legitima sit, & duo Concilia Generalia eodem tempore simul esse non possint. Quarto declaratum est, loci pro continuando Concilio nominationem aut electionem ad Summum Pontificem ulterius non pertinere, sed in Concilio totam residere. Quinto, Imperator & Rex Christianissimus sub Concilii Protectione sunt recepti. Sexto, Monitorium contra Pontificem publicatum est, ut intra dies 24. attentata contra Synodum rescinderet.

IX. Septima Sessione die 19. Aprilis celebrata, rursus accusata est *Julii* II. contumacia, quod impedimenta Synodo apposita statuto tempore non sustulisset. Secundo, Deputationum, Congregationum, & Sessionum ordo descriptus est.

X. Octava Sessione, die 21. Aprilis celebrata, *Julium* II. contumaciæ tertio accusatum, ab omni Pontificatus administratione tam in spiritualibus quam in temporalibus suspenderunt.

His peractis, Conciliares, nec Mediolani tuti, Lugdunum profugere compulsi sunt, ubi tamen nihil præterea sub nomine Synodi gestum legitur. Pro Synodo illa Pisana scripsit *Philippus Decius* Jurisconsultus Mediolanensis, vir doctissimus, cujus ea de re *Consilium* editum est inter ejus Opera. Quatuor Quæstiones in eo tractat. 1. An Papa accusari possit, si pertinaciter in crimine perseveret, ex quo Religio Christiana offensionem patiatur. 2. An Papa efficaciter obligetur ad id quod cum voto & juramento promisit, ita quod se ipsum absolvere non possit? 3. Utrum in his & similibus casibus Concilium Generale sit Judex contra Papam? 4. De modo & forma congregandi Concilium in hujusmodi casibus. Ad tres priores Quæstiones affirmate respondet. In quarta, licet nonnihil hæsitet, concludit tamen, minorem Cardinalium numerum convocare posse Concilium Generale, quando major pars adhæret Summo Pontifici, in casu quo Pontifex accusari, & judicari debet. *Consilium* suum altera disputatione confirmavit, qua probandum suscepit, Synodum Pisanam legitime indictam fuisse. Contra vero scripsit pro Summi Pontificis Auctoritate supra Concilium *Thomas de Vio Cajetanus*, Ordinis FF. Prædicatorum Generalis Magister, & postea S. R. E. Cardinalis, cujus Librum confutandum ad Parisiensem Academiam

Pisa-

Pisani Conventus Cardinales & Præsules misere. *Cajetano* vero respondit *Jacobus Almainus* in Sacra Facultate Parisiensi Doctor Theologus, Libro *De Auctoritate Ecclesiæ*. Scripsit etiam Apologeticum pro *Julio II.* Pontifice ad S. R. E. Cardinales *Angelus* Vallis Umbrosæ Anachoreta, contra *Philippum Decium*, majore tamen sui jactantia, & Adversarii depressione, quam solida causæ defensione, ut observat *Spondanus* ad annum 1511.

ARTICULUS IV.

Pisanus ille Conventus Generalis vel legitimi Concilii nomen obtinere non potuit; cui Synodum Lateranensem V. apposuit JULIUS II.

Pisani Conventus tumultuaria convocatio.

MUltis rationibus conficitur, Conventum illum Generalis vel legitimi Concilii nomen & auctoritatem obtinere non potuisse. Primo ex tumultuaria convocatione a pauciori numero Cardinalium *Julio secundo* legitimo Pontifici infensorum facta, eo repugnante, cum nulla talis urgeret Ecclesiæ necessitas, quæ Concilium invito Pontifice congregari postularet, ad quem *regulariter* petinet hujusmodi Congregatio, præsidentia, & Moderatio Synodosum Generalium, ut *Gersonius* ipse docet.

Julius II. negligentia & contumacia convinci non poterat,

Secundo, ex eo quod *Julius secundus* negligentiæ & contumaciæ hac in causa convinci liquido non posset; cum perturbatis temporibus ipsi congregare Concilium Generale minime licuisset; neque recusasset præstito ea de re juramento satisfacere, sed distulisset; ut & ipse profitetur in Literis Synodi Lateranensis convocatoriis. „ Quis enim, *inquit*, tanti erroris particeps est, qui nos de negligentia erga convocationem Concilii redarguere possit, cum nihil nobis per ultimos undecim annos, quibus Cardinalatus officio functi fuimus, magis cordi fuerit, quam celebrari videre Generale Concilium, & Ecclesiæ Romanæ statum in melius reformari? Quid enim felicis recordationis Alexandro VI. Romano Pontifici Prædecessori nostro magis nos odiosos fecit, nisi studium & cura Generalis Concilii celebrandi? Quid nos terra marique jactavit, cum nobis idem Alexander Prædecessor esset infensus? Quid toties Alpes transcendere, transalpinas Gallias peragrare per æstus, nives & glacies compulit, nisi quod nitebamur, ut a Romano Pontifice Concilium indiceretur, convocaretur, & celebraretur? Nota recensemus, & Principibus Christianis apertissima, immo illis ipsis qui Nos & Fratrum nostrorum Collegium criminantur, dudum pleneque comperta. Quare si ante actæ vitæ ratio apud prudentes de præsenti & futuro vitæ rationem facit, nulla subest ratio, cur dicti Cardinales, qui a nobis recesserunt, desperent Nos facturos, quod tam longo tempore, tam ardenter, & non sine vitæ discrimine, fieri desideravimus, & studuimus. *Et infra*: Nonne omnes Principes Christianos, qui ad obedientiam ex more præstandam miserunt Oratores, admonuimus de celebrando Generali Concilio, deque Expeditione in perfidos Turcas conciliariter decernenda, assumenda, & prosequenda? Non-ne primo Pontificatus nostri toto biennio Christianos Potentatus pacare studuimus, ut conciliatis animis Concilium iniretur? Novit ipse Cardinalis, qui Edicti seu Indictionis hujusmodi & contentorum in ea se aurigam profitetur, & clavi moderatorem prædicat, quid a nobis habuerit in Mandatis, cum ad Romanorum Imperatorem electum per universam Germaniam illum nostrum & Sanctæ Sedis Apostolicæ Legatum misimus: communicet illa Fratribus suis qui cum illo sentire videntur: proferat Monita in scriptis illi tradita: certo certius & luce meridiana clarius erit, hanc indictionis desperationem de celebrando a Nobis Concilio, nedum levem & inanem, sed falsam, irrationabilem, impossibilemque fuisse. Nulla nostra culpa, neque Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, dilata est Generalis Concilii indictio, convocatio, & celebratio. Distulit hæc infelicitas temporum, quæ sub eodem Alexandro Prædecessore nostro vexare cœpit Italiam, & adhuc vexare non cessat; & instans necessitas recuperandi Terras & Jura ejusdem Romanæ Ecclesiæ. Nam propositum nostrum semper ad Concilii celebrationam promptissimum atque intentissimum fuit.

Pisanus Conventus Ecclesiam universalem non repræsentabat.

Tertio, Pisanus ille Conventus Ecclesiam universalem repræsentare non poterat, cum neque Italiæ Episcopi adessent, præter quosdam e Principatu Mediolanensi, qui tunc *Ludovico* XII. Francorum Regi parebat, neque Rex Catholicus suos Hispanos Antistites eo misisset; neque *Maximilianus* Cæsar, uti promiserat, Germanos; immo permisisset Conventum Præsulum Germanorum Augustæ habitum ferre suffragium contra Pisanum Concilium, tamquam Schismaticum; & ex Galliis duo tantum Archiepiscopi, Lugdonensis & Senonensis adessent, quatuordecim Episcopi, nonnulli Abbates, Doctores & Procuratores Academiarum. Porro tam exiguo numero, a legitimo Capite avulso, universalem Ecclesiam repræsentari, quis cordatus dixerit?

Ecclesiæ necessitati satis consulebat Julius II. indicto Lateranensi Concilio.

Quarto, si Concilium congregari postulabat Ecclesiæ necessitas, illi necessitati satis superque consulebat *Julius secundus* per Concilium a se convocatum ad decimam nonam Aprilis diem anni millesimi quingentesimi duodecimi, in Basilica Lateranensi celebrandum. Quo quidem Concilio legitime & canonice indicto Pisanum stare non poterat, maxime cum a legitimo Pontifice, Romanaque Ecclesia cæterarum matre & magistra, & aliis populosissimis Christiani orbis Ecclesiis reprobatum esset. Literæ porro Convocationis Concilii *Lateranensis quinti* quæ incipiunt, *Sacrosanctæ*, extant ejusdem Concilii sessione 1. Falso vero negabant Pisani conventus fautores, esse amplius in potestate Pontificis Concilium congregare, quod jam ipsi præoccupassent: perperamque asserebant, Pontificem adesse debêre ipsorum Concilio, quo fuerat ab ipsis citatus; facultatem enim non habuerant congregandi Concilii, quæ duabus dumtaxat partibus Sacri Collegii vi pactorum in conclavi concordatorum & a *Julio* II. curatorum concessa erat, posito quod absque evidentissimo impedimento illius Concilii indictionem neglexisset. Evidens autem impedimentum fuisse demonstrabat *Julius*, temporum scilicet infelicitatem, bellorum perturbationem, & urgentem necessitatem recuperandi Terras & Jura Romanæ Ecclesiæ. Constitutionem Concilii Constantiensis, quæ incipit *Frequens* allegabant: sed respondebat *Julius*, Se legitimis de causis eam non observasse, non se primum in eam commisisse, sed suos decessores, qui ab annis octoginta eam non observaverant, quibus tamen propterea negotium facessitum non fuerat. *Quod vero attinet* (inquit) *ad constitutionem Concilii Constantiensis, quæ incipit* Frequens, *ea ad octoginta annos servata non fuit; & si servata fuisset, teste pia memoria Eugenio Papa IV. etiam Prædecessore, ac Sacrorum Canonum sanctionibus, ex causis prædictis licuit nobis transgredi; & quod fortius est, stante legitimo impedimento, de quo supra, eam locum non habere certe certius est.* Voti & Juramenti vinculum ipsi objiciebant. Respondebat ille, causas legitimas ipsum ab executione voti & juramenti præscripto tempore dispensasse, legitimo impedimento detentum illa observare non potuisse; æquum esse ut in hac materia, canonica purgatio moræ admittatur. *Votum autem & juramentum* (inquit) *quod ex prædictis causis de jura nobis transgredi licuisset, & transgressi non sumus, quandoquidem legitimo impedimento detenti non potuimus observare; & quia votum & juramentum, quantum ad hanc materiam attinet, in foro conscientiæ versantur, de æquitate canonica purgatio moræ semper admittitur.* Ostendit præterea, illos morem antiquum convocandi & celebrandi Concilia generalia, traditionemque & Leges a Patribus ea de re editas non fuisse secutos. *Revolvant* (inquit) *Sanctorum Patrum & Romanorum Vitas Pontificum, & antiquum morem indicendi & convocandi & celebrandi Concilium: Traditiones & Leges super his editas a Patribus inspiciant; videbunt, hujusmodi Concilia a solis Romanis Pontificibus esse indicta, & aliter indicta, rata non fuisse.* Ex actis Concilii Constantiensis constare, *Joannem vigesimum-tertium* de cujus causa potissimum agebatur, idem Concilium indixisse. Obtendebant illi, Lateranum locum tutum non esse, nec libertati Concilii accommodatum. Respondet ille; Romam communem esse omnium patriam, ubi Christus *Petri* Sedem collocari voluit, nec posse in dubium revocari, quin Lateranum locus sit aptissimus & tutissimus, ubi tot olim Concilia celebrata sunt. Contra vero Pisas urbem quatuordecim pene annorum obsidione vastatam, ad quam non est tutus accessus, nec secura in ea mansio propter bellum quo Tuscia conflagrat universa, locum non esse Concilio generali celebrando idoneum. Addit, segreges Cardinales in literis indictionis Concilii sui Pisani, trium dumtaxat mensium & quatuordecim dierum tempus pro termino congregationis assignasse; quod sane ad œcumenicum Concilium congregandum non sufficit, cum tam brevi tem-

po-

poris intervallo Diœcesanæ & Metropolitanæ Synodi convocari, celebrari, & perfici non possent; & qui venturi decernerentur, ad tantum iter necessaria conquirere; nec Principes accedere volentes, populis sibi subditis, & Status sui securitati bene consulere, aut Oratores plene informatos mittere.

Ecclesiæ particulares, Regna, Principes qui Pisano Conventui adhæserunt illum ejurarunt & Concilio Lateranensi adhæserunt.

Quinto, Christiani Principes, Regna Catholica & Ecclesiæ particulares, illi etiam Reges qui Pisano Conventui adhæserant, illum quasi Conciliabulum ejurarunt, & Synodo Lateranensi velut legitimæ adhæserunt. *Ferdinandus* Rex Aragonum & Siciliæ, suo & *Joannæ* Castellæ Reginæ, cujus Ditionum Administrator erat, nomine Mandata dedit amplissima *Hieronymo de Vich* suo in Romana Curia Oratori, ut iisdem nominibus operam daret, ne *Pisanum Conciliabulum* longius procederet, sed *tamquam injuria, perperam & inique congregatum dissolveretur & evanesceret, & perniciosissimum Schisma tolleretur*: utque Concilii Lateranensis celebrationem promoveret, ac illi interesset. Hæc Mandata inserta sunt Sessioni secundæ. *Maximilianus* Imperator similia Mandata dedit *Matthæo* Episcopo Gurcensi ac Principi, quæ Sessione 3. habentur secundum quæ Gurgensis Pisanum Conventum reprobavit, & Concilio Lateranensi adhæsit sub hac formula: „ Ego vigore dicti Mandati Cæsareæ Majestatis, ad „ abolendum omne Schisma quod in Ecclesia oriri pos„ set, & etiam pro executione Capitulorum concluso„ rum coram Sanctissimo Domino nostro, revoco quod„ cumque Mandatum qualitercumque concessum Con„ ciliabulo Pisano, & Procuratores quoscumque, qui „ in dicto Conciliabulo intervenerunt, & omnia acta „ & agenda per illud Conciliabulum, quæ declaro ir„ rita & nulla, nomine præfatæ Cæsareæ Majestatis; „ & adhæreo Sacro & Canonico Lateranensi Conci„ lio, Ecclesiam universalem repræsentanti, rite & „ legitime congregato. Declaro etiam Majestatem Cæ„ saream numquam dedisse Mandatum ad præfatum „ Conciliabulum.“ Adhæsit etiam Lateranensi Concilio *Leonardus Lauredanus* Dux Venetorum, & Serenissima Respublica, ut patet ex ejus Mandatis *Francisco Foscaro* Patricio Veneto datis, & Sessione 4. lectis. Adhæsit eidem Concilio *Sigismundus* Rex Poloniæ, cujus Literæ Sessione 7. habentur. Item *Emmanuel* Rex Lusitaniæ, Lucensium ac Florentinorum Respublicæ, Dux Mediolanensis, Marchio Mantuæ, Marchiones Brandeburgensis & Montisferrati; Sabaudiæ Dux aliique Principes consensum suum adiunxerunt. Denique *Ludovicus* XII. Rex Christianissimus per Oratores suos *Fridericum* Cardinalem *De Sancto Severino*, *Claudium de Seysello*, Massiliensem Episcopum electum, & *Ludovicum Forbin* Dominum *De Soleriis* Mandatis legitimis instructos, *a prætenso Pisano Concilio penitus discessit, illique plenarie renuntiavit, ac puro, libero, & simpliciter Sacrosancto Lateranensi Concilio, tamquam vero, unico, & legitimo adhæsit*. Promisit insuper se nullum deinceps favorem, nullamque assistentiam *Prætenso Concilio Pisano* quoquomodo præstiturum; quinimmo quoscumque in civitate Lugdunensi, aut alibi in Regno, terris, & Dominiis suis, *sub nomine dicti prætensi Concilii Pisani* persistentes, infra mensem dimissurum; & pertinaciter resistentes de facto expulsurum, & *pro Schismaticis* habiturum, & contra eos velut tales, ad omne mandatum Pontificis, manu etiam armata, si opus fuerit, processurum. Promisit præterea se effecturum ut sex Prælati, & quatuor Doctores, seu Graduati ex honoratioribus, qui dicto prætenso Concilio Pisano interfuerant, cum legitimo ejusdem Conventus Mandato se sisterent ad proximas Kalendas Januarii coram Summo Pontifice *Leone X.* suo & aliorum omnium Conciliarium nomine, dicto Concilio Pisano pure & simpliciter renunciaturi, illudque abjuraturi, & veniam atque Absolutionem a sua Sanctitate humiliter in forma convenienti & suæ Sanctitati accepta, postulaturi; & Concilio Lateranensi tamquam vero, unico, indubitatoque adhæsuri. Promisit denique se, quamprimum fieri commode posset, curaturum ut aliqui Prælati & insignes Viri *nomine totius Ecclesiæ Gallicanæ* mitterentur cum sufficienti mandato, qui dicto Concilio Lateranensi adhærerent, *quemadmodum cæteræ Nationes*. Id autem præstitit Rex Christianissimus, „ Considerans quanti „ sit in his & cæteris rebus omnibus Summi Pontifi„ cis Auctoritas, quam præsertim vitæ munditia at„ que innocentia comitatur, paternis suæ Sanctitatis „ monitis & suasionibus abunde permotus, quippe „ qui illius Auctoritati & Sententiæ, potius quam al„ terius cujusque mortalium, sanctius & securius sem„ per stare judicavit, præsertim ubi scandalum Ec„ clesiæ imminet & scissura pro singulari *erga Summum Pontificem* & Sanctam Sedem Apostolicam de„ votione, vestigia Christianissimorum Franciæ Re„ gum Prædecessorum suorum non solum imitari, ve„ rum etiam, *si fieri posset*, anteire cupiens, animad„ vertens præsertim quod per mortem Julii II. omnis „ odii & suspicionis materia erat extincta.“ Id constat ex Regis Mandatis, & Instrumento publico Sessioni octavæ inserto.

Itineri se commiserunt *Joannes* Lexoviensis, *Antonius* Engolismensis, *Franciscus* Ambianensis, *Joannes* Cabilonensis, *Symphorianus* Laudunensis, Episcopi; *Joannes Eclamiensis* & *Antonius Lescurre* in Theologia Magistri, *Joannes de Franno* Tolosanus & *Guillelmus de Nossai* Lexoviensis, Archidiaconi, in Jure Doctores, Legali & Procuratores cæterorum Prælatorum Doctorum, & Virorum Ecclesiasticorum, qui Concilio Pisano interfuerant & adhæserant, ut suo & aliorum nomine ad pedes *Leonis X.* Pontificis Maximi Pisanum Concilium ejurarent, & Lateranensi adhærerent: sed *Maximiliano Sfortia* Ducatus Mediolanensis detentore, liberum commeatum negante; in Cœnobio Ulciensi Ordinis *S. Augustini*, Taurinensis Diœcesis, quatuor pene mensium spatio substiterunt, quibus elapsis, de Salvo conductu recipiendo desperantes, coram ordinario Judice ejusdem loci Protonotariis, & Notariis Apostolicis, virisque spectatissimis Protestationem edidere, quæ juridico Instrumento expressa, ad *Leonem X.* ab ipsis missa est cum literis humillimæ obedientiæ significationem continentibus. Profitentur porro suam erga Sedem Apostolicam voluntatem talem hactenus fuisse, ut „ ab illius unitate numquam „ voluerint, minusque in futurum velint ullo pacto „ discedere, sed illius Mandatis perpetuo obtempera„ re, neque Schismaticos umquam fuisse, sed unam „ Ecclesiam Catholicam sub uno Pontifice Maximo „ coluisse, & observasse: quidquid ab inimicis verita„ tis & Christianissimi Regis & Regni ex adverso „ dictum fuerit. *Dum* renuntiant Congregationi Pisa„ næ jamdudum dissolutæ, & adhærent, *seque adhæ„ suros in futurum promittunt Concilio Lateranensi*. Et „ si forsan occasione dictæ Congregationis Pisanæ, & „ gestorum in ea, aliquas Censuras juris aut hominis, „ aut alias quascumque pœnas de jure aut de facto „ incurrerint, præstito prius juramento de parendo Man„ datis Ecclesiæ, & Sanctissimi Domini Leonis Papæ „ X. cum illa humilitate qua possunt & debent, usque „ ad prostrationem & pedum oscula, Absolutionem „ sibi dari & quamcumque aliam juris pœnam seu ma„ culam aboleri postulant.“ Hæc habentur Sessione 9.

Cardinales contumaces purpura exuti.

Sexto, Cardinales *Julio II.* contumaces, Purpura ab eo exuti; ideoque a Pontificiis Comitiis exclusi, ad *Leonis X.* benignitatem confugere, ac supplices veste non Senatoria, sed privata, in Pontificio Consistorio detestati solemniter Pisanum Concilium uti spurium, seque reos fassi, veniam ac pristinam Dignitatem impetrarunt.

ARTICULUS V.

De præcipuis Gestis Lateranensis Concilii Quinti.

Lateranense Concilium Sessionibus duodecim absolutum est. Quinque priores sub *Julio II.* septem reliquæ sub *Leone X.* celebratæ sunt. Quatuor primis præfuit *Julius* Pontifex Maximus, quintæ *Raphael* Cardinalis Episcopus Ostiensis, *Julio II.* lethali ægritudine decumbente, reliquis *Leo X.* Adfuerunt centum & quatuordecim Episcopi pene omnes Itali. *Prima Sessione* die decima Maji anno 1512. celebrata, post Orationem *Ægidii Viterbiensis*, Ordinis Eremitarum *S. Augustini* Moderatoris Supremi, & *Julii II.* Sermonem, lectum est Diploma Indictionis Concilii ad Schismatis extinctionem, Ecclesiæ Reformationem, Christianorum Principum concordiam & pacem, expeditionem contra Turcas promovendam.

Secunda Sessione, in qua *Thomas de Vio Cajetanus*, Ordinis Prædicatorum Generalis Magister; & *Sessione tertia*, in qua *Alexius*, Melfitanus Episcopus perorarunt, Pisana Synodus, omniaque ejus Acta Pontificio Diplomate in irritum missa sunt, Sacro approbante Lateranensi Concilio. *Quarta Sessione*, decima die Decembris celebrata, Monitorium contra Pragmaticam Sanctionem, & ejus Assertores promulgatum est.

Sessione quinta, die 16. Februarii anno 1513. celebrata, Diploma Pontificium *Julii II.* promulgatum & a Concilio approbatum est, quo Simoniaca Pravitas in Romani Pontificis electione damnatur; electio,

quæ

quæ simoniace fieret, irrita pronuntiatur, Cardinales sic eligentes, & quicumque consilio vel auxilio electionem illam promovissent, pœnis Canonicis subjiciuntur.

Sessione sexta, *Leo X.* post obitum *Julii II.* Summus Pontifex creatus, Generale Concilium esse *præcipuam agri Dominici culturam* persuasus, Concilii continuatione declarata & promulgata, 14. Prælatos a Concilio eligi voluit, in tres Deputationes cum Selectis Cardinalibus distribuendos, quarum una pacis universalis inter Reges ac Principes Christianos componendæ: Altera Generalis Reformationis, etiam curiæ Romanæ: Tertia, discussionis & abrogationis *Pragmaticæ Sanctionis*, & rerum orthodoxam fidem spectantium, peculiarem curam haberent.

Cardinales restituti.

Sessione septima, *Bernardinus Carvajal*, *& Fridericus de Sancto Severino* S. R. E. Cardinales, ejurato Schismate sub formula sibi a Summo Pontifice præscripta, in pristinam restituti sunt Dignitatem. *Leo X.* Diploma promulgavit Sacro approbante Concilio pro reformatione Romanæ Curiæ. *Balthasar del Rio*, Scholasticus Myndoniensis, Apostolicæ Sedis Protonotarius, Orationem habuit. *Sessione octava*, Summus Pontifex Sacro approbante Concilio damnavit & reprobavit omnes asserentes Animam intellectivam mortalem esse, aut unicam in cunctis hominibus, & hæc in dubium vertentes. Secundo, Legatos ad Reges & Principes mittere decrevit, ad pacem inter eos conciliandam, ut deinde adversus Turcarum Tyrannum arma viresque conjunctim converterent. Tertio, Diploma Reformationis Officialium Romanæ Curiæ editum est. Orationem vero habuit *Baptista Gargha*, Hierosolymitanus Eques.

Error de unica in cunctis hominibus Anima, eaque mortali, damnatus.

Sessione nona, Constitutio de Reformatione Curiæ promulgata est, qua statuitur ut *Cardinales vitæ munditia ac virtutum splendore cunctis præfulgeant*: sint omnes vigiles, *ac divinis Officiis Missarumque celebrationibus intenti*: In domibus, familia, mensa, supellectili, sint *Modestiæ & frugalitatis speculum*: *Ministerium indecorum Episcoporum Prælatorumque in domibus non habeant*, sed eos honorifice ut fratres, ac juxta eorum statum & dignitatem tractent. *Ne partialitatem suscipiant aliquam, neque Principum aut Communitatum, vel quorumcumque aliorum contra quemquam nisi quantum justitia & æquitas postulat, eorumque dignitas & conditio requirit, Promotores aut Defensores fiant*; sed ab omni privato affectu semoti *sedandis & componendis inter quoscumque litibus omni diligentia vacent, incumbantque*; *Principum & quorumcumque aliorum, ac præsertim pauperum & religiosorum justa negotia pio promoveant affectu*. Ut *Ecclesiarum bona temere non effundant*, &c. Deinde pœnæ in Clericos & Laicos blasphemos decernuntur. Si munus publicum vel Magistratum gesserint, emolumentis trium mensium hujusmodi Officii, mulctentur prima & altera vice; tertia Officio priventur. Clerici vel Sacerdotes, Beneficiorum fructibus per annum mulctentur prima vice: secunda, Beneficio priventur, si unicum habuerint, vel si plura possideant, id amittant quod Ordinario placuerit: tertia, Dignitatibus & Beneficiis omnibus eo ipso sint privati. Laicus vero si Nobilis fuerit pœna viginti-quinque Ducatorum mulctetur: secunda vice quinquaginta, fabricæ Basilicæ Principis Apostolorum applicandis; tertia vice nobilitate excidat. Si vero ignobilis ac plebeius, in carcerem detrudatur. Si ultra duas vices publice blasphemans deprehensus fuerit, mitra infami per integram diem ante fores Ecclesiæ Principalis mitratus stare cogatur. Si pluries in hoc peccatum lapsus fuerit, ad perpetuos carceres vel ad triremes damnetur. *In foro autem conscientiæ nemo blasphemiæ reus absque gravissima pœnitentia severi Confessoris arbitrio injuncta possit absolvi.* Sæculares vero Judices, qui contra blasphemos non animadverterint quasi eidem sceleri obnoxii, eisdem quoque pœnis subjiciantur. Nefarii etiam criminis reos, & concubinarios, tam Clericos, quam Laicos, nec-non Simoniacos, Pontifex & Synodus Canonicæ cauterio severitatis ad sanitatem revocare curarunt. Statuerunt insuper, *Ut quilibet habens Beneficium cum cura vel sine cura, si post sex menses ab obtento Beneficio Divinum Officium non dixerit, legitimo impedimento cessante, Beneficiorum suorum fructus suos non faciat, pro rata omissionis recitationis officii, & temporis, sed eos tamquam injuste perceptos, in fabricas hujusmodi Beneficiorum vel pauperum eleemosynas erogare teneatur. Si vero ultra dictum tempus in simili negligentia contumaciter contempserit, legitima monitione præcedente, Beneficio ipso privetur, cum propter officium detur Beneficium.* Prohibent præterea Pontifex & Synodus, ne fructus vel reditus & proventus Ecclesiarum Cathedralium, Monasteriorum, ac Beneficiorum Sæcularibus Principibus, aut ab aliis de eorum mandato sequestrentur, occupentur, vel detineantur specie fabricæ, instaurationis, eleemosynarum, aut quovis alio colore vel fuco, sine expressa Romani Pontificis licentia. Ad hæc innovant Constitutiones *Bonifacii Octavi & Clementis V.* in favorem Ecclesiasticæ libertatis, & contra ejus violatores. In ea Sessione Orationem habuit *Antonius Puccius*, Cameræ Appostolicæ Clericus.

Decreta de reformatione Curiæ.

DD. Cardinalium officia.

Blasphemorum pœnæ.

Divini Officii recitatio, Beneficiatorum non recitantium pœna.

Sessione X. celebrata die quarta Maii, anno 1515. *Leo X.* Diplomate quod incipit, *inter multiplices* declaravit & definivit Sacro approbante Concilio, *montes pietatis* per Respublicas institutos, & Auctoritate Sedis Apostolicæ hactenus probatos & confirmatos, in quibus *pro eorum impensis & indemnitate aliquid moderatum ad solas Ministrorum impensas, & aliarum rerum ad illorum conservationem pertinentium, pro eorum indemnitate dumtaxat, ultra sortem absque lucro eorumdem Montium accipitur, neque speciem mali præferre, nec peccandi incentivum præstare, neque ullo pacto improbari, quin immo meritorium esse & laudari ac probari debere tale mutuum, & minime usurarium putari, licereque illorum pietatem & misericordiam populis prædicare, etiam cum Indulgentiis*. Et qui contra hanc declarationem verbo vel scriptis disputare ausi fuerint, Excommunicationis latæ sententiæ pœna percelluntur. Promulgata est in eadem Sessione Constitutio, quæ incipit, *Regimini*, de conservatione libertatis & jurium Ecclesiæ, & Exemptorum punitione. Item altera, quæ incipit: *Inter sollicitudines* qua cavetur, ne liber ullus typis mandetur, nisi ab Episcopo vel ab ipso deputatis, & hæreticæ pravitatis Inquisitore examinatus & approbatus, sub pœna Excommunicationis. Tandem peremptorie moniti sunt Pragmaticæ Sanctionis defensores & fautores, ut ad Kalendas Octobris coram Sacro Concilio & Romano Pontifice comparerent. Gallicanæ Ecclesiæ Prælatos excusavit *D. Ludovicus Solier* Christianissimi Regis Orator, ex periculis itineris & insidiis a Gallici nominis hostibus instructis. Ea in Sessione Orationem habuit *Stephanus* Archiepiscopus Patracensis & Episcopus Torcellanus.

Montes pietatis approbati.

Sessione undecima, Constitutio quæ incipit, *Supernæ Majestatis*, concionatores spectans, promulgata est, qua statuitur ut nullus tam Clericus sæcularis, quam cujuscumque etiam Mendicantium Ordinis regularis ad hujusmodi officium exercendum admittatur, nisi prius per superiorem suum respective diligenter examinatus, *ac morum honestate, ætate, doctrina, probitate, prudentia, & vitæ exemplaritate*, ad illud aptus & idoneus reperiatur; & quocumque Conciones habiturus accesserit, literas proferat authenticas approbationis hujus fidem facientes. Iisdem jubetur ut Evangelicam veritatem & Sacram Scripturam juxta declarationem & interpretationem Doctorum, quos Ecclesia vel usus diuturnus approbavit, legendoque hactenus recepit, & in posterum recipiet, prædicent & explanent. Tempus futurorum malorum, vel adventus Antichristi, aut certum diem supremi Judicii prædicare vel asserere non præsumant. Prælatorum statui vel personis ne detrahant, vel obloquantur, nec eos coram laicis *incaute & intemperanter* reprehendant.

Constitutio de Concionatoribus.

In eadem sessione Pragmaticæ Sanctionis abolitio promulgata est, & Pacta Bononiæ concordata inter *Leonem X.* Pontificem Maximum, & *Franciscum I.* Regem Christianissimum ejus in locum substituta sunt, de quibus Articulo sequenti dicemus. Promulgata etiam est *Leonis X.* constitutio, quæ incipit, *Dum intra mentis arcana*; qua, Sacro approbante Concilio, Regularium præsertim Ordinum Mendicantium, privilegia temperantur & confirmantur, ea ratione, ut pax inter Episcopos & Religiosos Ordines foveatur, ac eorumdem Reverendissimorum Præsulum Jurisdictio sarta tecta maneat. „ Novimus (*inquit Pontifex*) Episcopos ipsos „ in partem sollicitudinis nostræ assumptos fuisse, quo- „ rum honor & sublimitas, teste Ambrosio, nullis po- „ test comparationibus adæquari. Religiosos etiam in „ agro dominico pro Christianæ Religionis defensione „ & ampliatione complura fecisse, ac uberes fructus „ protulisse, & in dies singulos proferre: ita ut eo- „ rumdem Episcoporum ac Religiosorum bonis Operi- „ bus Orthodoxam fidem incrementa sumpsisse, & per „ orbem terrarum undique dilatatam, Fidelium nullus „ ignoret. Et sicut ipsi sæpe numero vigilantissima & „ solerti cura Schismata in Dei Ecclesia extinguere, „ & Ecclesiæ unitatem reddere, & ut eidem Ecclesiæ „ pacis tranquillitas daretur, innumeros labores subire

Pragmaticæ Sanctionis abolitio.

Privilegia Regularium temperata & confirmata.

„ non

„ non dubitarunt ; Ita quoque par est eos inter se , „ nostris provisionibus, pacis vinculo, ac fraternacharitate & unitate conjungi , ut eorum concordi do„ ctrina & mutuis operibus uberiores in Ecclesia Dei „ fructus proveniant.

Constitutiones contra infestatores Cardinalium.

Sessione XII. celebrata die 16. Martii anno 1517. promulgata est Constitutio *Leonis X.* quæ incipit , *Temeritorierum*, qua, Sacro approbante Concilio renovat & confirmat *Honorii III.* & *Bonifacii octavi* Summorum Pontificum Constitutiones contra infectatorea Cardinalium, & qui eorum domos diripiunt , & bona invadunt. In eadem Sessione *Leo X.* speciali diplomate omnia & singula in sessionibus undecim hujus Synodi statuta & gesta confirmavit , prohibens sub pœna excommunicationis latæ sententiæ omnibus & singulis Christi Fidelibus, ne ea sine Sedis Apostolicæ licentia speciali interpretari præsumant . Expeditionem denique contra Turcas ad triennium remisit , facultate sibi servata , sacro approbante Concilio , decimas fructuum ex Ecclesiis & Monasteriis , ac aliis beneficiis in universo orbe consistentibus , imponendi ac exigendi , & omnia & singula ad hujusmodi expeditionem necessaria & in similibus expeditionibus fieri solita , faciendi. Ea in Sessione peroravit *Maximus Cervinas* Episcopus Isernienfis.

ARTICULUS VI.

Quæ per CONCORDATA inter LEONEM X. & FRANCISCUM I. Bononiæ conventa, & a Synodo Lateranensi confirmata , in Ecclesiæ disciplina facta mutatio est , utilitate Ecclesia postulante facta fuit.

Antiqua Ecclesiæ disciplina circa Electiones Episcoporum.

I. SAcras electiones Episcoporum a primis Ecclesiæ sæculis institutas & religiose celebratas, Patrum testimonia , Conciliorum atque Pontificum decreta , Historiæ Ecclesiasticæ monumenta testantur . A Clero & plebe fiebant, ita tamen ut præcipuæ partes ac suffragia essent Cleri , testimonium vero populi. Primum quidem ad Episcopos Provinciæ in Synodo convocatos jus electionum pertinebat , ut colligitur ex Epistola 68. *S. Cypriani* , ex Canone quarto Nicænæ Synodi , Antiochenæ decimo nono, Laodicenæ decimo tertio , ex Epistola encyclica Episcoporum Ægypti , quæ extat apud *S. Athanasium* Apologia 11. ex Canone V. Sardicensi , ex Canone quadragesimo Concilii tertii Carthaginensis , ex *S. Ambrosio* lib. 3. Epistola 22. Deinde arbitrio Cleri & populi Ecclesiæ vacantis permissæ sunt electiones, Judicio & confirmatione Metropolitano servatis: cujus disciplinæ testis est Epistola *Siricii ad Himeriam* Tarraconensem Episcopum . Cap. X. Epistola *Innocentii* I. ad *Victricium* Rothomagensem Episcopum, Epistolæ *Zosimi ad Patroclum* Arelatensem, & ad clerum, ordinem, & plebem Massiliensem ; *Cælestini* I. ad Episcopos per Narbonensem & Viennensem Provincias constitutos; *S. Leonis ad Anastasium* Thessalonicensem, ad *Rusticum* Narbonensem , & ad Episcopos per Viennensem provinciam constitutos. Quid *Hilarii , Gelasii , Symmachi , Hormisdæ , Gregorii Magni* , & aliorum Pontificum decreta id ipsum confirmantia, quid Canones omnes disciplinam illam supponentes , vel roborantes , commemorem, ac recenseam ? Id enim impræsentiarum minime necesse est. Non abs re tamen fuerit observare , *Justinianum* Imperatorem, Ecclesia non improbante, novam formam in Electionibus Orientalis Ecclesiæ induxisse novellis 123. & 137. nec non lege 42. C. *De Episcopis* , ut scilicet Clerus Ecclesiæ vacantis , cum civibus honoratis electionem peageret , quam Metropolitana Synodus antea celebrare consueverat ; ea lege tamen, ut trium personarum electionem scripto factam ad Metropolitanum transmitterent, in cujus arbitrio positum erat , e tribus, quem magis idoneum judicaret , Episcopum designare & ordinare. Lex tamen ista *Justiniani* nec in Oriente , nec in Occidente observata est ; Immo Synodi generales septima & octava universam sacrarum electionum potestatem Metropolitanis & Provincialibus Synodi permiserunt.

Quantum Regis Christianissimi in sacrarum Electionum negotio ex Ecclesiæ concessione vel permissione potuerint.

II. Gallicanis Canonibus Jus novum collatum fuisse Christianissimis Regibus , nempe ut eorum voluntas , assensus & approbatio requirerentur ad electionem Episcopi , constat ex Concilio Aurelianensi quinto, quod anno quinquagesimo quadragesimo nono celebratum est, Canone decimo, ex Historia *Gregorii Turonensi* , Lib. 3. cap. 2. Lib. 4. cap. 15. Lib. 5. cap. 47. Lib. 6. cap. 39. Lib. 8. cap. 23. ex Formulis *Marculfi* Monachi ; ex Vitis *SS. Audoeni* Rothomagensis, *Modoaldi* Treverensis ; *Theodardi* Trajectensis ; *Faronis* Meldensis ; *Leodegarii* Augustodunensis ; *Amati* Senonensis, *Projecti* Avernensis , *Ansberti* Rothomagensis, Episcoporum : Item ex *Flore* Magistro in Tractatu *De Electionibus* , cujus fragmentum *Papirius Massonas* edidit ; ex *Hincmaro* Archiepiscopo Remensi Epistola 11. in qua refert Decretum Synodi apud *Sanctam Macram* anno 881. celebratæ, & ex Admonitione ejusdem ad Episcopos pro *Carolomanno* Rege , qui *Ludovico* successerat . Item ex *Joannis Decimi* Pontificis Maximi Epistola ad *Hermannum* Coloniensem Archiepiscopum anno 921. quæ Tomo 3. Conciliorum Galliæ edita est: ex *Flodoardo* Lib. 3. Historiæ Remensis , ex Epistola 89. *Geberti* ad Vardunensem Ecclesiam, & ex aliis Monumentis. Hujus Disciplinæ rationes exponit doctissimus Archipræsul Parisiensis *Petrus de Marca* , lib. 8. *De Concordia Sacerdotii & Imperii* , cap. 9. „ Etenim (inquit) cum „ Populi consensus , Ordinis , & honoratorum necessarius esset ut Clericorum electio robur haberet , „ existimarunt Episcopi Gallicani , Principi quoque si„ mile Jus concedi posse in universis quæ in Regno „ fierent electionibus; quoniam Princeps erat populo„ rum & totius Regni caput. Quam rationem urget „ *Ivo Carnotensis* in quadam Epistola . Illud quoque „ Episcoporum libertati in administratione Ecclesiæ „ profuturum putarunt , cum Regis consensu promo„ tus expectare debeat faciliorem & procliviorem pu„ blicam tuitionem. Immo vero ipsius quoque electio„ nis negotium , quod *Potentium Patrocinia* perturba„ bant (ut docet Concilium Arvernense Canone 2. „ anno 535.) liberius futurum videbatur . Adde quod „ ipsa quoque Regum munificentia in dandis Ecclesiæ „ agris , ut factum a *Clodoveo* testatur Synodus Au„ relianensis I. Canone 5. & concedendis Immunitatibus, „ exigebat illam ab Episcopis grati animi significatio„ nem . Neque dissimulanda est potior, ut mihi vide„ tur, ratio , tum apud Reges , ut illud Beneficium „ per Canonum interpretationem exposcerent , tum apud „ Episcopos , ut illud sponte largirentur . Adhibitis „ quippe in Regum Consilia , & Regni cum reliquis „ Proceribus administrationem Episcopis , juxta moni„ tum quod *Remigius* Episcopus dederat *Clodoveo* Re„ gi , æquum erat ut invito & repugnante Princi„ pe non assumerentur ad eam Dignitatem , aut inco„ gniti, aut suspecti: sed potius qui essent illi & vi„ tæ meritis , prudentia ac fide undecumque probati , „ præcipue cum ex ministerio sibi commisso magnam „ in populos sibi subditos auctoritatem consequantur.

III. Reges assensum sæpius in imperium vertisse , & sublata a Clero & Populo electionum libertate , Rescriptis suis Episcopatus concessisse , varia exempla probant apud *Gregorium Turonensem* ; imprimis quod de *Valdone* in Burdegalensem Episcopum electo refert Lib. 8. Capite 23. *Cum muneribus & consensu Civium ad Regem properat: sed nihil obtinuit . Tunc Rex data Præceptione jussit Gundesigillum Santonicum Comitem, cognomento Dodonem , Episcopum ordinari , gestumque est ita.* Et quod Lib. 6. Cap. 39. de *Sulpitio* commemorat, quem reliquis Bituricensis Episcopatus Competitoribus Rex *Guntramnus* prætulit . *Nam cum multi munera afferrent , hæc Rex Episcopatum quærentibus respondisse fertur: non est Principatus nostri consuetudo Sacerdotium venundare sub pretio, sed nec vestrum cum præmiis comparare: ne & nos turpis lucri infamia notemur , & vos Mago Simoni comparemini . Sed juxta Dei præscientiam Sulpitius erit vobis Episcopus .* Tertio, quod Lib. 4. Cap. 11. narrat de *Catone* Arvenæ Ecclesiæ Presbytero , ad quem cum Cives Turonenses accessissent , ejus consensum pro suæ urbis Episcopatu postulaturi , ab illoque repulsam passi essent, reposuerunt illi : *Non enim te nostra voluntate expetivimus , sed Regis præceptione.* Et cum postea *Euphronium* peterent, respondit Rex : *Præceperam ut Cato Presbyter illic ordinaretur : Et cur est spreta Jussio nostra? Responderunt ei : Petivimus eum, sed noluit venire.* Etsi Principis voluntati ac mandatis non reluctarentur plerumque Clerus ac Populus vacantium Ecclesiarum quoad Episcopi ab ejus Majestate designati susceptionem , nec Metropolitani vel alii Antistites quoad ejus consecrationem ; Electionum tamen libertati Synodos consuluisse , minime dissimulandum est . Nam Parisiensis III. anno 556. Canone 8. vetuit ne *Principis Imperio* violaretur ; sanxitque ut qui *per Ordinationem Regiam* honoris istius culmen pervasisset , ab Episcopis Comprovincialibus non admitteretur . Rex *Clotarius* hoc insuperhabito Canone *Emeriam* Ecclesiæ Santonicæ desi-

designaverat Episcopum, jusseratque sine Metropolitani consilio, qui ab Aula absens erat, ut inaugurarent. *Leontius* Burdegalensis Metropolitanus congregata Synodo *Emeriam* ab Episcopatu depulit, asserens Canonice non fuisse hoc honore donatum, fretus nimirum Canone Concilii Parisiensis Tertii. *Heraclium* Presbyterum Burdegalensem elegerunt Comprovinciales Episcopi, electionisque Decretum ad Regem miserunt, ut ejus judicio & assensu probaretur. At Rex *Charibertus* injuriam sibi fieri causatus, quod se inconsulto Episcopum a Patre suo *Clotario* delectum & admissum expulissent, *Emeriam* Sedi suæ restituit, & ab Episcopis mulctam exegit, anno circiter 563. ut refert *Gregorius Turonensis* Lib. 4. cap. 26. Id ab Ecclesia pro bono pacis toleratum. Concilium Parisiense V. anno 615. 15. Kalendas Novembris celebratum, Sacrarum Electionum libertatem asseruit Canone 1. statuens, *Ut si quis potestate subrepat, & absque electione Metropolitani, Cleri consensu, vel civium, fuerit in Ecclesia intromissus, ordinatio ipsius, secundum Statuta Patrum irrita habeatur.* Assensus Regii necessitati non derogavit Synodus, ut patet ex Edicto *Clotarii II.* Regis in eadem Synodo: *A Clero* (inquit) *& populo eligatur, & si persona condigna fuerit, per ordinationem Principis ordinetur.* Immo consensit Ecclesia Gallicana, ut Palatini Clerici a Rege nominarentur, de consilio Episcoporum & Procerum, qui Majestatis ejus lateri adhærebant: quod sequentia Edicti verba significant, interprete Domino *De Marca* loco superius laudato: *Vel certe, si de Palatio eligitur, per meritum personæ & doctrinæ ordinetur.* Idque confirmatur ex formula quinta & sexta MARCULFI. *Carlomannus* & *Pippinus* Francorum Duces, pulsis Laicis ab Episcopatuum possessione, quos in summa rerum civilium perturbatione invaserant, Episcopos Ecclesiis præfecerunt *de consilio Sacerdotum & Optimatum suorum*, ut constat ex Synodo Liptinensi anno 743. & ex Suessionensi anno 744. quod *Zachariæ* Romani Pontificis consensu factum scribit *Lupus Ferrariensis* Epistola 81. *Carolum Magnum* Jus istud a *Pippino* Patre ad se transmissum exercuisse, liquido constat ex Capitulari Aquisgranensi *Ludovici Pii* edito anno 816. quo Episcoporum precibus exoratus, veterum usum electionum restituit. Sibi tamen servavit potestatem commendandi & designandi quos eligi vellet Episcopos, ut probat Vita *Friderici* Trajectensis Episcopi. De *Ricfridi* enim obitu certiorem factum *Ludovicum Pium* per Legatos suos *mandasse* narrat *Trajectensis Ecclesiæ Senioribus, ut Fridericum sibi Episcopum deligerent.* Ex Epistolis quoque Senonensis Ecclesiæ ad *Judith* Imperatricem, ad *Hilduinum* Archicappellanum, & *Einchardum*, editis a *Sirmondo*, in Appendice ad Tom. 2. Conciliorum Galliæ, Formula 10. & Tomo 2. Capitularium Editionis *Baluzii*, inter Formulas antiquas Promotionum Episcopalium num. 12. & 13. colligitur, *Ludovicum Pium* Ecclesiæ Senonensis, post obitum *Hieremiæ* Episcopi, concessisse facultatem alterius Præsulis e Clero suo eligendi; sed Electum sibi oblatum rejecisse: concessisse tamen beneficium secundæ electionis. At cum Electum Missi Dominici rejecissent, Senonensis Ecclesiæ Clericos *Judithæ* Imperatrici supplicasse, ut causa suspenderetur, donec Electus ad Imperatorem duceretur, & secundum ejus mandata discuteretur an *prodesse* Ecclesiæ & *servitio* Majestatis ejus aptus esse valeret. *Et qualiter jusseritis discutiatur, & probetur si nobis prodesse valeat, & in servitio vestro aptus esse possit, an minus.* Idipsum ab *Hilduino* Archicapellano postularunt: *Et siquidem* (inquiunt) *persona quam dicimus sufficere minusque poterit, dignationis vestræ Judicio aut suscipiatur, aut reprobetur.* Regis itaque beneficium erat, quod Clerus eligendi libertate frueretur, & Rex Arbiter erat electionis, qui Electum repellere justis de causis posset, Ecclesiæ vel Regni, servitiique sui utilitatem spectantibus. Quamobrem Concilium Parisiense VI. anno 829. celebratum, Lib. 3. cap. 22. quod refertur Additione 2. ad Capitularia cap. 26. *Ludovicum Pium* admonet, *ut deinceps in bonis Pastoribus Rectoribusque in Ecclesiis Dei constituendis magnum studium atque solertissimam adhibeat curam. Quia* (inquit) *si aliter factum fuerit, & Ordo Ecclesiasticus suam non habebit dignitatem, & Religio Christiana in multis labefactando damna detrimenti sui patietur, & Animæ vestræ, quod non optamus, periculum generabitur.* Rex *Carolus Calvus* Episcopos ex Palatinis Clericis nobilioribus Ecclesiis, Regum decessorum exemplo designabat, ut constat ex Epistola *Weniloni*s & *Geraldi* Comitis ad *Amulum* Archiepiscopum Lugdunensem, inter *Lupi Ferrariensis* Epistolas 81. qua dictum Archipræsulem, cujus Sedes erat in Regno *Lotharii*, exorant *Caroli* Regis nomine, ut *Brunum* ejus propinquum, & ab eo Augustodunensem Episcopum designatum, consecret; asserentes Nominationem Palatinorum Clericorum ad nobiliores Episcopatus a Rege non usurpari, sed ejus Majestati antiqua consuetudine competere. *Idque vestræ Prudentiæ* (inquiunt) *Dominus noster jussit suggerere, non esse novitium aut temerarium, quod ex Palatio honorabilioribus maxime Ecclesiis procurat Antistites.* Insuper *Godelsadum* Cabilonensem Episcopum a Rege designatum ab eodem Archipræsule consecrari petunt: *Godelsadum etiam, quem ex Palatio sua, more Prædecessorum Regum Majorum suoram, ut ante monstratum est, Cabilonensi Ecclesiæ præfici flagitat idem Rex, in hac Quadragesima non gravemini ordinare.* Clerus Parisiensis *Æneam* a *Carolo Calvo* Rege designatum post obitum *Ercaldi*, summo consensu elegit, ut constat ex Decreto hujus Electionis inter Formulas antiquas Promotionum Episcopalium a *Sirmondo* & *Baluzio* edito. *Ipse* (inquiunt) *in cujus manu cor Regis est, gloriosi Domini nostri Karoli, quemadmodum pleno confidimus, menti infudit, ut ejus nos regimini committeret, quem in divinis & humanis rebus sat fidissimum multis experimentis probasset. Igitur Dei prævenienti in nos amplectantes misericordiam, & Regis nostri piam suscipientes providentiam, Æneam cujus præconia præmisimus, concorditer omnes eligimus; Æneam Patrem, Æneam Pontificem habere optamus.*

IV. Ex his perspicuum est, quam varia fuerit Gallicanæ Ecclesiæ circa electiones Episcoporum Disciplina; quantum Reges in hoc electionum negotio potuerint, jure, consuetudine, ipsius Ecclesiæ indulgentia & connoventia. Hæc si diligentius considerentur, liquido constabit, Concordata tam enormem in veteri Ecclesiæ Gallicanæ disciplina mutationem quoad hoc caput non invexisse ac vulgo fingitur: quamvis novo Juri Sanctionis Pragmaticæ plene contraria fuerint.

Electionum abrogatio magnum Ecclesiæ Regnique utilitatis ... præsta ... est, substi[illegible] in Pragmaticæ Sanctionis locum Concordatis.

Sed magna Ecclesiæ Regnique utilitate hæc Electionum abrogatio comp[illegible] est. Namque sublata Pragmatica Sanctione, concordia Romanam inter & Gallicanam Ecclesias firmata est, magno utriusque bono: Deinde multis malis multisque corruptelis [illegible]bitum remedium, quæ Sacras Electiones ita infecerant ut sanari via possent, nisi electiones ipsæ abrogarentur, quæ per se quidem bonæ, hominum tamen vitio noxiæ magis quam utiles Ecclesiæ evaserant, ut *Leo X.* in Concordatis Tit. 4. testatur. „Et cum (in„*quit*) ex Electionibus, quæ in Ecclesiis Cathedra„libus & Metropolitanis, ac Monasteriis dicti Regni „a multis annis citra fiebant, grandia animarum pe„ricula provenirent, cum pleræque per abusum „sæcularis Potestatis; nonnullæ vero præcedentibus „illicitis simoniacis pactionibus; aliæ particulari amo„re & sanguinis affectione, & non sine perjurii rea„tu fierent: Cum Electores ipsi etiamsi ante electio„nem per eos faciendam, idoneiorem, & non eum „quem promissione aut datione alicujus rei tempora„lis, seu prece vel precibus per se vel alium inter„positis, electionem procurare didicissent, eligere spon„te jurarent, juramentum hujusmodi non servarent: „sed contra proprium hujusmodi juramentum in ani„mæ suæ præjudicium venirent, ut nobis notorie „constat ex crebris absolutionibus & rehabilitationi„bus a Nobis & Prædecessoribus nostris petitis & ob„tentis: Idem FRANCISCUS REX, nostris pater„nis monitis, tamquam verus obedientiæ filius, pa„rere volens, tam pro bono obedientiæ, in qua ma„gnum meritum vere consistit, quam pro communi „& publica Regni sui utilitate, in locum dictæ Prag„maticæ Sanctionis ac singulorum Capitulorum in ea „contentorum, Leges & Constitutiones infrascriptas „inaicem tractatas, & cum Fratribus nostris S. R. E. „Cardinalibus diligenter examinatas, & de eorum „consilio cum præfato Rege concordatas, per dilectum „filium ROGERIUM BARME, Regium Advoca„tum, Oratorem suum ad hoc ab eodem Francorum „Rege ad nos destinatum, habentem ad hoc specia„le & sufficiens Mandatum, acceptavit.

V. Quam vero necessaria fuerit & Gallicanæ Ecclesiæ ac Regno utilis Concordatorum in locum Pragmaticæ Sanctionis substitutio, patet ex eo quod ipsa Pragmatica contra Sedis Apostolicæ & Concilii Auctoritatem diutius absque gravi dissidio ac tumultu defendi non posset: Ipsa vero abrogata, futurum erat ut in eadem incommoda Ecclesia Gallicana relaberetur, quæ ipsam ante Pragmaticæ promulgationem pre-

premebant. Gretiarum scilicet Expectativarum & Reservationum Pontificiarum usus Ordinariis Collatoribus & Patronis gravissimus, virorum eruditorum neglectus in Beneficiorum collatione, exterorum indigenia posthabitis promotiones, sacrarum litium in Romana Curia disceptationes nostratibus incommodæ ac molestæ, aliaque mala postliminio revocanda metuebantur. Quamobrem Rex tempori serviendum duxit, rebusque suis & Ecclesiæ Gallicanæ periclitantibus consulendum, quod egregie se præstiturum non dubitavit, si imminentia detrimenta minore ac leviore dispendio redimeret. Id obtinuit substitutis loco Pragmaticæ Concordatis, quibus & Regibus Nominatio ac Prælaturas attributa est certis legibus & conditionibus adstricta, & pleraque Pragmaticæ Senctionis capita, post ejus abrogationem, Ecclesiæ Gallicanæ ac Regno firme rataque permanserunt, ut FRANCISCUS I. testatur in Regiis Literis ac Edicto promulgationis.

„ Cum non pridem (*inquit*) superstite adhuc LUDOVICO memoriæ commendabilis Rege, Socero nostro, Sacrum Lateranense Concilium sæpius editis Decretis eumdem Socerum nostrum ad ejusdem Concilii Conventum evocasset, cum eoque Regni nostri Curias summas, quas Parlamentarias vocamus, Ecclesiam insuper universam Gellicanam, cunctasque Regni nostri gentes, Delphinalisque nostri Potentatus, admonendosque censuisset, ut si quid auctoritatis priscæ afferre, si qua jura citare, si rationes consentaneas palam edisserere posse confiderent, quominus Sanctio Pragmatica ejusdem Concilii auctoritate ac Sententia antiquaretur, abrogaretur, induceretur, irritaque etiam, nulla pronuntiaretur & Schismatica, id infra diem dictis Decretis præfinam efficerent. Quo neglecto talis denique sacro approbanta Concilio decerneretur. Dudum autem statimque Nobis diadematico fastigio divina benignitate auctis Regnumque auspicato ineuntibus, cum rursus hujusmodi Edicta alia atque alia eadem ab Auctoritate manantia nobis innotuissent: Nobis etiam nostrisque Curiis, Ecclesiæ Gellicanæ, ac subditis Populis, Edicto novissimo ac causæ peremptorio spes omnis esset purgandæ moræ præcisa, ut si ulterius cunctari in animum induxissemus, futurum omnino videremus in hæc discrimina incidere, quæ ante dictæ Pragmaticæ Sanctionis Decretum in regno nostro, Patriaque Delphinali locum sibi vendicabant. Ideo Nos animo reputantes quanta olim ante illius Pragmaticæ Sanctionis promulgationem indignitas rerum ac deformitas in Regno nostro Patriaque Delphinali grassaretur, cum videlicet res nummaria (quibus veluti nervis Respublica subnixa est) ea maxime ac præcipua ratione exhauriretur, cum Præsulibus & Antistitibus Sacerdotiorum conferendorum libertas facultasque adimeretur. Cum peregrini & incolæ Sacerdotiis Gallicis, sæpe numero donarentur, cum Diplomatibus Apostolicis quas Expectativas nuncupabant, generatim sigillatimque superstitum hominum spirantiumque Sacerdotia electiva, mixta, ac collectiva, in diem mortis eorum conferrentur, qui eis fungebantur. Id quod tum bonis moribus non convenit, tum vero alieni fati votum habet adjunctum. Postremo cum Sacerdotiorum controversiæ litesque Sacræ in Curia Romana disceptarentur, ingenti nostrorum hominum dispendio & incommodo; ex quo sequi plerumque necesse erat, ut qui vel sumptibus suppeditare, vel labori sufficere nequirent, ii aut juri suo cedere aut causas deserere ac pro derelictis habere cogerentur. Simul ea accedebat deformitas ut literarum studiosi & liberalibus disciplinis incumbentes, aut Sacerdotia adipisci nequirent, aut qui adipisci cuperent, literarum studium abjicere, aut certe deponere cogerentur, passimque per urbes errabunde vagari, ut id periculum imminere videretur ne literarum tandem amor & scientia per incuriam exolescerent. Cum igitur summopere nobis videndum esse existimaremus, ne hujusmodi indignitas in Regno nostro exoriretur, id quod futurum intelligebamus, tempori utique inserviendum esse duximus, ac rebus nostris periclitantibus pro re nata consulendum, imminentiaque detrimenta minore ac leviore dispendio redimenda. Quare cum Bononiem cum omni comitatu nostro venissemus, exhibendæ gratia reverentiæ Sanctissimo Patri nostro Leoni X. Pontifici Summo, quam ei Franciæ Reges Majores nostros, ut primos ac maximos Sanctæ Ecclesiæ filios exhibuisse novimus, omnibus precibus ab eo contendimus, ut si Pragmaticæ nomen omnino esset abrogandum, saltem vice illius, bona sua Conciliique venia, certas nobis Leges conditionesque meditari comminiscique liceret, quibus Imperium nostrum supra dictum imposterum uteretur, quod ad ea quidem pertinet quæ Sanctione Pragmatica cavebantur. Quibus nostris precibus exorata Pontificis Sanctitas (Nam ei quoque cordi erat Regni nostri Ecclesiam recte atque ordine administrari) haud ægre Nobis indulsit ut Conventa quædam Nobis meditari commentarique liceret, Pragmaticæ Sanctionis vicem Regno ac Potentatui supradicto ubique præbitura, quæ ejusdem Concilii Auctoritate assensuque confirmarentur, cum irritante Decreto. Hujus commentationis curam cum tunc sua Sanctitas, & Nos mandavissemus Viris quibusdam Consultissimis, ita confecta temperataque sunt ea Conventa, ut pleraque Pragmaticæ Sanctionis capita firma Nobis posthac rataque futura sint. Qualia sunt ea, quæ de Reservationibus in universum aut sigillatim factis statuunt, de Collationibus, de Causis, de frustratoriis Appellationibus, de antiquatione Constitutionis Clementinæ, quam LITERIS vocant, de libere quieteque possidentibus, de Concubinariis, quædamque alia, quibus nihil iisquibusdam capitibus nonnulla interpretanda immutandave censuimus, quod ita referre utilitatis publicæ arbitraremur. Quod vero ad electiones pertinet, minime quod optabamus obtinere potuimus, causis in dictis Conventis latissime insertis. Ac nihilo secius tamen cum ab ejusdem Pontificis Sanctitate dilationem semestrem impetrassemus iis rebus transigendis, super iisque viros multos doctrina eximia, literarumque peritia præditos, usuque rerum callentissimos consuluissemus, tandem de eorum sententia, quando ita ferebat ratio difficultasque temporis, rerumque nos circumstantium necessitas, dicta Conventa in Regno nostro ac Delphinatu promulganda censuimus.

Objectio.

VI. Objiciet quispiam, Disciplinam Concordatis institutam, quoad Regiam Nominationem ad Prælaturas, Apostolicis, & Generalium Synodorum Canonibus ac Decretis aperte repugnare: Summum vero Pontificem omnino abrogare non posse Canones Conciliorum Generalium, quibus ipsum Superiorem non censet esse Ecclesia Gallicana. Propositionem suam probare conabitur ex Canone Apostolico 29. cujus hæc sunt verba: *Si quis Episcopus sæcularibus Principibus usus, per eos Ecclesiam adeptus sit, deponatur & segregetur, & omnes qui illi communicant*. Item ex Canone 3. Synodi Septimæ Generalis: *Si quis Episcopus sæcularibus Magistratibus usus, per eos Ecclesiam obtinuerit, deponatur & segregetur & omnes qui cum eo communicant. Oportet enim eum qui est promovendus ad Episcopatum, ab Episcopis eligi, quemadmodum a Sanctis Patribus Nicææ decretum est*. * Denique ex Canone quinto Synodi 8. quo ab Episcopatu depelluntur, qui ad eum honorem *Imperatoria Potestate* provecti fuerint.

* Can. 4.

Responsio.

VII. Respondetur, Canonibus quidem, tum iis qui Apostolorum nomine sunt inscripti, tum Septimæ & Octavæ Synodorum Generalium, prohiberi ne quis a Sæculi Potestatibus & Principibus per vim in Episcopatum intrudatur, opprimendo Ecclesiæ libertatem: unde contra hos Canones commisisset, qui e Palatio missus fuisset Episcopus, Militibus stipatus ad Clerum, civesque invitos, & sic Ecclesiæ regimen arripuisset. Hoc est quod ait Synodus Octava: *Multo magis vero hunc arcemus, si ad eum honorem ab Imperatoria Potestate intrudatur*. Verum non prohibetur Principibus, ne Episcopos Ecclesiis designent, si id ipsis Ecclesiæ concesserit, vel permiserit: quod quidem eo casu præstabunt non jure Imperii, sed Præsidii; non ad potentiam ostendendam, sed ad Ecclesiam juvandam; & Nominatio Regia vim electionis habebit, quatenus Rex ut *Ecclesiæ Defensor humilisque Adjutor*, quo nomine *Carolus Magnus* gloriabatur; & ut Populi Caput, seu ut persona inter Clerum & Laicos media, utrumque Ordinem in negotio electionis Episcoporum repræsentat, sive utriusque jura exercet, Ecclesia concedente. Licet vero Summus Pontifex Canones Conciliorum Generalium pro libito abrogare non possit; eos tamen temperare ac moderari potest, Ecclesiarum particularium necessitate vel utilitate postulante, cum sunt de his disciplinæ capitibus, quæ pro temporum & locorum varietate mutationem facile subeunt: immo Ecclesiarum consuetudines ac mores legem abrogant, vel in toto vel in parte. Sicut ergo Disciplina quarto Nicænæ Synodi Canone sancita,

qua

qua Sacrarum electionum jus ac potestas solis Episcopis tribuitur, vel contraria consuetudine, vel Pontificum Rescriptis, vel Regionalibus Conciliis mutata est aut temperata, ea potestate ad Clerum ac cives honoratos Ecclesiæ vacantis translata; & Gallicana Concilia, moresque hujus Ecclesiæ multum Regibus in eo negotio tribuerunt: sicut ipsis Canonibus Nicænis, de servandis Ecclesiarum Privilegiis, per alia Concilia in gratiam Sedis Constantinopolitanæ derogatum est: sicut alia veteris Disciplinæ capita Generalium Conciliorum Canonibus firmata, vel desuetudine, vel contrariis institutis abrogata sunt. Ita electiones in Ecclesia Gallicana abrogari potuerunt a Summo Pontifice, accedente Ecclesiæ consensu, seu Concilio approbante, ob ejusdem Ecclesiæ Gallicanæ bonum, & universalis Ecclesiæ ædificationem, ut scilicet ambitui & simoniæ aditus præcluderetur: quæ vitia Electiones horrendum in modum fœdaverant. Enimvero (ut scite observat *Ivo Carnotensis*, in Præfatione Decreti) præceptiones & prohibitiones aliæ immobiles, aliæ vero mobiles sunt. Primi generis sunt illæ *quas Lex divina sanxit, quæ observatæ salutem conferunt, non observatæ eamdem auferunt. Mobiles vero sunt, quas Lex æterna non sanxit, sed posteriorum diligentia ratione utilitatis invenit, non ad salutem principaliter obtinendam, sed eam tutius muniendam.* Cujus generis sunt Institutiones Canonicæ. *In his quibus observatis salus acquiritur, vel quibus neglectis mors indubitata consequitur, nulla est admittenda dispensatio: sed ita sunt omnia mandata vel interdicta servanda, sicut sunt æterna Lege sancita. In his vero quæ propter rigorem Disciplinæ, vel muniendam salutem, posteriorum sanxit diligentia; si honesta vel utilis sequatur compensatio, potest præcedere Auctoritate Præsidentium diligenter deliberata dispensatio.* Quod de dispensatione scribit *Ivo Carnotensis*, de Legis abrogatione & mutatione pari ratione dici potest. Cum itaque Conciliorum decreta Prælatorum electiones spectantia, sint de genere præceptionum mobilium, eas temperare, mutare, abrogare potuit Summus Pontifex approbante Concilio, siquidem *honesta & utilis compensatio* secuta est. Periculum quippe schismatis sublatum est, firmata Regni & Sacerdotii concordia seu Ecclesiæ Gallicanæ cum Romana, Sanctionis Pragmaticæ defensione turbata; Reservationum & Gratiarum expectativarum abolitio; ambitionis & simoniæ qua Canonicorum Electorum suffragia rogabantur, conciliabantur, a Principibus interdum extorquebantur, a privatis emebantur, exclusio; litium finis, quas in Romana Curia contestari necesse erat sumptibus immensis, ut electionum nullitas discuteretur, aliaque commoda Ecclesiæ Gallicanæ & Regni, secuta sunt ex novi Juris Concordatorum institutione & promulgatione. Sane Summus Pontifex Canones ac disciplinam non evertit, quoties præter Canones aliquid decernit aut permittit, Ecclesiæ necessitate vel utilitate postulante. Nam *Quod fit præter regulam, modo fit ex justa causa, non infringit regulam, quam sola pervicacia & antiquitatis contemptus lædit. Nam quamvis a Patribus statuta, diligenti observatione, & observanti diligentia sint custodienda; nihilominus propter aliquod bonum de rigore legis aliquid relaxatur; quod & ipsa lex cavisset, si prævidisset. Et sæpe crudele esset insistere legi, cum observantia ejus esse præjudiciabilis Ecclesiæ videtur.* Verba sunt *Symmachi* Papæ in Epistola ad *Avitum* Episcopum Viennensem, quæ Tomo 5. *Spicilegii* edita est. Nemo ergo recte dixerit *Leonem X.* Canones violasse, disciplinam evertisse, cum novum Jus Concordatorum pro Ecclesia Gallicana instituit, ex quo tot commoda secuta sunt.

Objectio altera.

VIII. Objicies, Supremum Senatum Parisiensem diu ac fortiter promulgationi Concordatorum restitisse, nec ea in Acta retulisse nisi ex *Ordinatione & de præcepto Regis iteratis vicibus facto* die 22. Martii 1517. Eorumdem promulgationi Parisiensem Academiam intercessisse, & ad futurum Concilium appellasse, Clerum Gallicanum ea improbasse nec usquam acceptasse, quod in Ecclesiæ Regnique ruinam vergerent. Relatio eorum quæ in hujus promulgationis negotio gesta sunt in Senatu annis 1516. & 1517. edita est Tomo 2. Commentariorum Cleri Gallicani Tit. 7. pag. 233. ex qua constat, Conscriptos curiæ Patres vi ac metu compulsos, promulgationem Concordatorum passos esse, quandoquidem Rex ita jubebat, sed eam liberis suffragiis non approbasse, immo de Pragmaticæ antiquatione a Lateranensi Concilio facta ad futurum Concilium appellasse. Relationis istius verba subjicio: „ Quocirca omnibus Curiis Parlamenti una congregatis, cum Patres ad istas ingentes minas & territationes, in quibus Princeps firmiter continuabat, attenderent, reputarent quoque, si diutius Regiæ voluntati adversarentur, futurum ut Parlamentum exscinderetur; idque decursu temporis toti Regno Gallicano, justitiæ, omnibusque Regni subditis, tam generatim quam privatim certissimam ruinam creaturum: cum insuper periculum omnibus & singulis Senatoribus impendens extimescerent, & valde timerent ne si forte bellum aliquod inter Regem & Romanum Pontificem exardesceret, ejus mali causa Patribus irrogaretur (cum præsertim Rex sæpe causatus fuisset, omnem Regni sui, & principatuum suorum Italicorum tranquillitatem ac securitatem ab una Concordatorum publicatione pendere) similiter formidarent, ne fœdera inita vel ineunda a Rege cum aliis Principibus Christianis impedirentur: Tum demum postquam omnia tentarunt, quæ publicationi Concordatorum obsistere poterant, coram & præsente Episcopo Lingonensi Pari Franciæ, illustri & authentica persona, tam generatim quam specialiter, divisim quam conjunctim, obtestati sunt atque obtestantur se suæ spontis non esse, & in causa Concordatorum libere Sententiam ferre non posse: ac proinde si quæ illorum recitatio aut publicatio fieret in Senatu, id neque suffragiis, neque voluntate, neque consensu aut decreto Patrum, sed solo Regis Imperio, & violentia paulo ante explicata committi. Demum Curiam Parlamenti numquam censuisse ut Concordata firmarentur, grata haberentur, aut aliquem sortirentur effectum: neque etiam ut Senatorius ordo, vel Judices Ordinarii, de litibus & causis inde manantibus cognoscerent aut judicarent: immo vero hoc unum semper in votis habuisse, & maximopere contendisse, ut Sacrosancti Conciliorum decreta, & Sanctio Pragmatica exactissime & integerrime observarentur, uti ante Concordatorum institutionem & publicationem servari consueverant: percupere similiter, intendere ac decernere, ut Senatusconsultum factum 24. Julii 1516. plenum atque integrum adipisceretur effectum, utque istiusmodi Concordatorum evulgatione nihil quidquam ei detraheretur aut derogaretur. Deinde quia Senatus pro rato & comperto habet, congregationem, quam Lateranense Concilium vocitant, omni ope ac studio moliri, quo Sanctionem Pragmaticam, & decreta in ea contenta exauctoret; certumque est Cognitorem Regium, statim atque ista Sanctionis Pragmaticæ abrogatio illi innotuit, tum suo, tum Senatus, & omnium Gallorum nomine, de illa antiquatione ad Concilium provocasse: idem Senatus amplius inhærendo dictæ appellationi, & in ea constanter perseverando, iterum provocavit, & quantum opus de integro provocat, propter causas & rationes in Actis prædictæ appellationis fuse expressas, ad Papam melius consultum, & futurum Concilium generale legitime congregandum, & ad illum vel illos, ad quem seu ad quos, petendo Apostolos instanter, instantius & instantissime, a Domino Michaele Boudet, Episcopo & Duce Lingonensi & Franciæ Pari, qui tum præsens aderat Parlamento. Quos quidem Apostolos dictus Episcopus Lingonensis, ad honorem Dei omnipotentis pro Ecclesiæ Gallicanæ, Regni ac Reipublicæ præsidio & conservatione concessit reverentiales, & quales de jure pro remedio opportuno, secundum temporis necessitatem concedere potest & debet. „ Hæc acta sunt die 19. Martii 1517. Die 22. ejusdem mensis, Concordata lecta & publicata fuerunt in Curia Parlamenti, præsente Domino *A Trimolia*. Die vero 24. omnes Decuriæ iterum coiverunt in Concilium, *cunctusque Senatus* de integro coram quatuor ejusdem supremæ Curiæ Notariis „ declaravit & obtestatus est, se nullo modo probare vel auctorare publicationem & recitationem Concordatorum factam in Senatu: Immo vero obtestationes & appellationes ante editas iterare; atque eis adhærendo, iterum atque iterum provocare, petendo Apostolos ab *Episcopo* & Duce Lingonensi Pari Franciæ, qui tum intererat Senatui: quare Apostolos similes prioribus concessit. Insuper vero, Patres declararunt, ob quæcumque Acta, quæ dehinc facient aut facere possent, nolle umquam a supra memoratis obtestationibus & provocationibus discedere: quinimmo in omnibus & singulis actis, quæ posthac in Senatu privatim fient, velle istiusmodi obtestationes & appellationes pro iteratis & nominatim expressis haberi.

Quæ gesta sunt in Suprema Curia Senatus Parisiensis in negotio promulgationis Concordatorum.

Academiæ Parisiensis intercessio & Appellatio.

Academia vero Parisiensis eodem mense & anno abrogationi Pragmaticæ Sanctionis, & promulgationi Concordatorum intercessit, cujus Appellationis Instrumentum extat apud *Bochellum* lib. 8. Decretorum Ecclesiæ Gallicanæ, Tit. 25. cap. 8. & Tom. 2. Commentariorum Cleri Gallicani, Tit. 7. in quo inter alia hæc habentur: „ Hujusmodi sic noviter editis Statutis jam „ dictus Dominus Leo Papa Serenissimum Principem „ nostrum Franciscum Regem Modernum, in partibus „ Italicis agentem, in maximo strepitu armorum consensum præbere quorumdam suasu coegit. Et ne „ promissionis infractor idem Princeps Illustris videretur, jam dicti Domini Papæ Monitis obtemperans, „ hæc quæ dicta sunt de novo edita Statuta (quæ „ CONCORDATA vocantur) ruinam Ecclesiæ totiusque Regni inde imminentem non attendens, nobis, dictaque Universitate, & aliis quorum interest, non vocatis nec auditis, publicanda esse imperavit; non dijudicans quam ei, dictoque Regno & „ Delphinatui ac subditis perniciosa esse viderentur. „ Ex quibus Nos Rector & Universitas, gravatos læsosque & oppressos esse sentientes, com per ea ad „ superius enarrata incommoda sensim deveniri posse „ prospiciamus, idcirco a Domino nostro Papa non recte consulto, & jam dicti Sacri Basileensis Concilii, & ei adhærentis PRAGMATICÆ SANCTIONIS Statutorum abrogatione, novorum Statutorum „ editione, consensus præstatione, ac attentata illorum „ quadam publicatione, & omnibus inde secutis & secuturis, ac futurum Concilium legitime ac in loco „ tuto, & quod libere & cum securitate Nos, eadem „ Universitas, vel a Nobis & ab ea Deputandi adire „ poterimus; & ad illud vel ad illa ad quod seu ad „ quæ de jure, privilegio, consuetudine, vel alias „ Nobis provocare & appellare licet, provocavimus „ & appellavimus, prout in his scriptis provocamus „ & appellamus instanter, instantius & instantissime. „ Protestantes hanc Appellationem per viam nullitatis, abusus, iniquitatis vel injustitiæ; & alias prout melius poterimus, optione nobis reservata (adstantibus in testimonium vocatis) addendi, diminuendi, mutandi, corrigendi & in melius reformandi, omnique alio Juris beneficio, nobis ac nostris „ adhærentibus & adhærere volentibus semper salvo.

Cleri Gallicani preces Regibus oblata pro Concordatorum abrogatione, & Electionum restitutione.

Clerus quoque Gallicanus Regibus Christianissimis sæpe supplicavit, ut Concordatis abrogatis, Electiones restituerent, scilicet, *Henrico* III. perorante *D. Petro d' Espinac* Archiepiscopo Lugdunensi die 30. Augusti anno 1579. Die tertia Octobris ejusdem anni, perorante *D. Nicolao Langelier* Episcopo Briocensi: Die 17. Julii 1581. perorante *D. Arnaldo de Beaune* Archiepiscopo Bituricensi: Die 14. Octobris 1585. perorante *D. Claudio d' Angennes*, Episcopo & Comite Noviodunensi: Die 19. Novembris ejusdem anni, iterum perorante *D. Nicolao Langelier* Episcopo Briocensi: *Henrico* IV. die 28. Septembris anno 1598. perorante *D. Francisco de la Guesle* Archiepiscopo Turonensi: Die 5. Decembris 1605. perorante *D. Hieronymo de Villars* Archiepiscopo & Comite Viennensi. Præterea Cœtus generalis Cleri Gallicani Parisiis annis 1635. & 1636. congregatus, declaravit, Editionem *Concordatorum* in Commentariis Cleri, in commodum tantum Virorum Ecclesiasticorum factam, non in majoris approbationis argumentum. *Genebrardus* in Sacra Facultate Parisiensi Doctor Theologus & Aquarum Sextiarum Archiepiscopus, librum *De Sacrarum Electionum Jure & necessitate ad Ecclesiæ Gallicanæ redintegrationem*, edidit, & Lib. 4. Chronologiæ ad annum 1517. *Concordata* vocat *Mysterium iniquitatis, quo perditam Ecclesiam Gallicanam ceraimus*. „ Et „ rursus: Anno (inquit) 1516. abrogata est in Gallus Pragmatica Sanctio, & Concordata, ut vocant, „ substituuntur, fremente universo Clero, Scholasticis, „ Populo, bonis denique & doctis omnibus. Unde & „ hi jactabantur maledici versiculi.

Maledici Versiculi.

Prata vorat mulier, fraudent Leo reddit utrumque;
Prata, Leo, Mulier sulphuris antra petunt.
Prata, Leo consorte carent, Mulierque marito
Cannabis hos jungas, Cerberus alter erunt.

„ Nam *Leo* Pontifex, Regina mater, & Cancellarius *A Prato* hujus facinoris habebantur Auctores. Provincialia etiam Concilia post Tridentinum celebrata, Rothomagense anno 1581. Remense & Burdigalense anno 1583. electionum restitutionem optarunt, & pro ea Regi supplicandum censuerunt.

Responsio ad Objectionem.

IX. Respondetur, Clerum Gallicanum, Amplissimum Senatum, Academiam, studio Sanctionis Pragmaticæ a qua divelli non poterant, novo Concordatorum Juri haud facile assuescere, nec statim concoquere potuisse illam disciplinæ mutationem: Quæ tametsi Gallicanæ Ecclesiæ Regnoque utilis & commoda, novitate tamen sua perturbavit animos Gallorum Pragmaticam velut Ecclesiasticæ Disciplinæ restauratricem pene adorantium: adeo ut in hac maxime causa locum habuerit aurea illa *S. Augustini* Sententia Epistola 119. *Ipsa mutatio consuetudinis etiam quæ adjuvat utilitate, novitate, perturbat*. Sed Sacer Ordo, Senatus, Virique Academici, Concordatorum commoda experti, tandem acquieverunt, & a multis annis nullum murmur adversus Jus illud auditum est, secundum quod & Gallicanæ Ecclesiæ Politia disponitur ac regitur, & lites de Sacerdotiis excitatæ in Magno Concilio & Senatu judicantur, & Viri Academici Beneficia postulant, mensibusque designatis consequuntur. Ideo vero Clerus Gallicanus *Henrico III. & Henrico IV.* Christianissimis Regibus Electionum restitutionem suggessit, ut eorum Majestatem excitaret ad providendum Ecclesiis vacantibus, & ad designandum Episcopos dignos tanto Munere, & idoneos ferendo oneri, quod Angelicis humeris formidandum est. Tunc enim, præcipue sub *Henrico III.* Episcopatus & Abbatiæ multos annos Prælatis destitutæ, Laicis titulo Oeconomatus a Rege dabantur. Cœterum, nullus erat Episcopus, ne quidem illi qui Electiones restitui postulabant, cum nomine Cleri apud Regem perorarent, cui scrupulum moveret Episcopatus Regia Nominatione acceptus; & Regis Judicio postulationes suas ac preces committebant, præsentemque disciplinam Ecclesiæ non incommodam fore fatebantur, modo Rex dignos Ecclesiis Prælatos præficeret. Quod & *Henricus Magnus* pace jam in Regno constituta, & *Ludovicus Justus* tanta Religione præstiterunt, nuncque tam prudenti quam religioso delectu *Ludovicus Magnus* gloriose, pie, juste, feliciter regnans exequitur, ut nullum esse debeat Electionum desiderium.

Quod *Genebrardum* spectat, vir quidem ille doctissimus fuit, sed turbarum & factionum, læsæque Majestatis accusatus, quo nomine in ipsum quæstio habita est in Supremo Provinciæ Senatu, jubente *Henrico Magno* anno 1696. convictusque, perpetuo exilio damnatus est, Regni aditus ipsi interdictus sub pœna capitis, bona ejus fisco addicta, Liber *De Sacrarum Electionum Jure*, lictoris manu combustus, ejusdemque editio ac venditio Typographis ac Bibliopolis omnibus sub pœna capitis prohibita, Senatusconsulto dato 26. Januarii 1596. quod inter Probationes Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ pag. 173. legere est: Quamobrem movere nos non debent quæ *Genebrardus* adversus Concordata inconsiderate scripsit.

Quæ de Concordatorum utilitate scripsi, qua electionum & Pragmaticæ Sanctionis abrogatio compensatur, confirmat doctissimus Archipræsul *Petrus de Marca* Libro 6. *De Concordia Sacerdotii & Imperii*, Cap. 9. Num. 13. „ Constat, *inquit*, Pragmaticam „ Sanctionem, quæ pravam Reservationum consuetudinem tollebat invitis iis quorum intererat. Gallos „ tamen in pari confusione reliquisse quoad statum „ hierarchicum Ecclesiæ; eo quod Summi Pontifices „ recusarent confirmationem electionum Metropolitanarum; & in aliis præterea Articulis acquiescere „ nollent. Quo fiebat ut cum in speciem bono Reformationis frueremur, Schismatis malo laboraremus, licet nulla nostra culpa esset. Animorum concordiam revocavere Concordata, quæ Reservationum abusum prorsus sustulerunt. Electiones sane Capitulorum ambitu fiebant; eisque persæpe vim inferebant Regum preces a Pragmatica Sanctione approbata; adeo ut Guillelmus Benedicti celeberrimus „ illa ætate Jurisconsultus, affirmet preces illas habuisse & habere debuisse vim imperii apud Canonicos electores. Concordata igitur abolent electiones, „ & in earum locum substituunt Jus Nominationis, „ quod Regi tribuunt; exemplo petito a Regibus „ primæ Stirpis, qui jure illo utebantur cum consensu Cleri. Quod jus viam præcludit ambitioni & simoniæ, quæ exercebatur ad emenda suffragia Canonicorum. Attamen Nominationis jus sic conceditur Principi, ut ad Summum Pontificem pertineat „ confirmatio electionum, qua potiebatur absque ulla „ controversia ante Pragmaticam Sanctionem editam. „ Verum incommodum hoc compensatur ingenti commodo, cum hoc pacto finis impositus sit litibus, „ quas in Romana Curia contestari receptum erat sum-

„ ptibus

„ ptibus immensis, ut electionum nullitas discuteretur. Quo fiebat, ut partes contendentes ad inopiam redigerentur, Regno incommoda importarentur, & Ecclesiæ ob id diu vacarent.

ARTICULUS VII.

CONCORDATA veri Contractus inter Summum Pontificem Sedemque Apostolicam, & Christianissimum Regem, Regnumque Francorum vim habent: Iidemque Reges ipsorum CONCORDATORUM Protectores, Defensores & Conservatores sunt constituti.

I. ROmanum Pontificem non minus quam Regem Christianissimum ad executionem omnium & & singulorum Capitum in Concordatis conventorum teneri; ita ut quemadmodum Rex personas iis conditionibus instructas, quæ in Concordatis exprimuntur, ad vacantes Ecclesias & Monasteria nominare debet infra sex menses a die vacationis computandos, sic Pontifex Maximus personarum ejusmodi a Rege designatarum & debite (ut loquuntur) qualificatarum Nominationem confirmare debeat, Bullasque ipsis concedere, probat ratio & natura mutui Contractus, cujus vim & obligationem habere Concordata LEO X. Sacro approbante Concilio Lateranensi declaravit, ut habetur in iisdem Concordatis Tit. 33. „ Et quia ad supra dictam Concordiam cum præfato FRANCISCO „ Rege, ob illius sinceram devotionem, quam erga „ Nos & Sedem prædictam exhibuit, cum ad præstan„ dam Nobis reverentiam & filialem obedientiam ad „ civitatem nostram Bononiæ personaliter venire di„ gnatus est, consentimus, illamque inviolabiliter ob„ servari desideramus: ILLAM VERI CONTRA„ CTUS ET OBLIGATIONIS INTER NOS ET SE„ DEM APOSTOLICAM PRÆDICTAM EX UNA, „ ET PRÆFATUM REGEM ET REGNUM SUUM „ EX ALTERA PARTIBUS LEGITIME INITI, „ VIM ET ROBUR OBTINERE, &c. NECNON „ IRRITUM ET INANE QUIDQUID SECUS SU„ PER HIS VEL EORUM ALIQUO A QUO QUAM „ QUAVIS AUCTORITATE, ETIAM PER NOS „ ET SUCCESSORES NOSTROS SCIENTER VEL „ IGNORANTER CONTIGERIT ATTENTARI, „ DECERNIMUS. Nulla itaque ratione Concordatis derogare Summi Pontifices possunt; aut conditiones de quibus inter Sedem Apostolicam, & Regem Christianissimum tam solemniter conventum est, sive in Regiarum Nominationum confirmatione, sive in cæteris ejusdem Pactionis & Contractus Capitibus, violare. Quod si contingeret, Rex Christianissimus viis omnibus juridicis Concordatorum executionem promovere, urgere ac procurare posset; ac secundum Juris Communis & Sacrorum Canonum præscripta, Ecclesiarum Regni sui necessitati & libertati consulere Sedis Apostolicæ reverentia & Auctoritate in omnibus & per omnia semper salvis. Siquidem Concordatorum protectio, defensio, & conservatio, illius Majestatis a Sede ipsa Apostolica demandata est.

Id vero evidens est ex *Leonis* X. Diplomate dato Romæ 17. Kalendas Julii, anno 1518. & a *Francisco* I. acceptato & promulgato Regiis Literis datis Bangiaci, die 25. Octobris ejusdem anni. *Nos*, inquit, *ea qua tanta maturitate, consilio, & Sacri tunc vigentis Lateranensis Concilii approbatione discussa, statuta, ordinata, facta & concessa sunt, ut inviolabiliter & inconcusse, prout par est, observentur, pro nostri Pastoralis officii debito providere volentes.... motu proprio, & ex nostra certa scientia, ac de Apostolicæ Potestatis plenitudine, cum deceat sæcularem Potestatem, præsertim magnam, Ecclesiasticam juvare Potestatem, in his præsertim quæ animarum salutem concernunt, MAJESTATEM TUAM, & pro tempore existentem FRANCORUM REGEM, Literarum prædictarum ac per eas editarum Constitutionum, & omnium ac singulorum in eis contentorum, LEGITIMOS PROTECTORES DEFENSORES ET CONSERVATORES; nec non quoruvis adversus illas & in eis contenta venire tentantium, cujuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, conditionis vel nobilitatis existentium, ac quacumque mundana dignitate fulgentium, invictissimos oppugnatores, Auctoritate Apostolica tenore præsentium constituimus & deputamus.*

SCHOLION I.

Dissertationis hujus Articulo primo, pag. 2. Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Rex in Magni Consilii sui sententia congregavit Ecclesiasticos Viros in magno numero ad agendum de Pragmatica Sanctione. Rex præsidebat.*

R. De Conventu Bituricensi & Comitiis Regni agitur, non de Concilio. Mera porro facti quæstio est, cujus veritas ex ipsius Pragmaticæ Sanctionis Procemio comperta.

SCHOLION II.

Pag. 3. hanc Propositionem notant; *Modificentur Decreta Concilii Basileensis ab Ecclesia Gallicana, non quod in dubium revocaretur auctoritas Concilii, sed quod ita publica utilitas & Ecclesiæ Gallicanæ mores postularent.*

R. Sic testatur Carolus VII. Pragmaticæ Sanctionis conditor, cujus verba eo loci refero. Mera facti quæstio est.

SCHOLION III.

In eodem Articulo, Num. 4. pag. 9. Religiosi Censores hanc propositionem notant: *Jussu Regis Procurator Generalis appellat ad futurum Concilium de minis Pii II.*

R. Et hæc mera facti questio; de jure non judico. Editæ sunt Appellationis tabulæ inter Probationes Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ.

SCHOLION IV.

Dissertationis ejusdem Articulo secundo, Num. 5. pag. 16. Religiosi Censores hanc Propositionem notant, meo quidem conceptam sensu, sed stylo verbisque suis expressam; *Academia Parisiensis appellat ad Concilium coram Legato, qui procurabat ut retractatio Pragmaticæ Sanctionis verificaretur in Parlamento.*

R. Mera facti quæstio.

SCHOLION V.

Dissertationis ejusdem Articulo 3. pag. 16. Religiosi Censores hæc verba notant: *Julius II. inquietissimus & imperiosissimus Pontifex.*

R. Hæc Julii II. indoles, a Paulo Jovio, & Guicciardino delineata. Id mollioribus quidem verbis, sed tamen idem significantibus exprimit Palavicinus Lib. 1. Historiæ Concilii Tridentini Cap. 1. *Fuit indolis tam præcelsæ* (inquit) *ut si profanum tenuisset dominatum, inter Heroes merito recenseretur. Sed ea est celsitudo virtutis, quam sibi vindicant nomen illud Sanctissimi, & auctoritas sequestris inter Cœlum ac terram, ut maculæ in cæteris hominibus inobservabiles evadant in ea luce monstruosæ... Erat Julius feroci animo atque iracundo... Indulsit ille quidem militia studiis supra quam opus fuit, & supra quam tanti Capitis sanctitatem deceret. Sed quis tam perfecte sui compos est in rebus gerendis, præsertim iis quæ citra æstum & impetum fieri nequeunt, qui numquam extra fines arctissimos honesti dilabatur?* Hæc Palavicinus. De eodem Pontifice Petrus Bizarrus in sua Senatus Populique Genuensis Historia scribit: *Fuit Julius incredibili quadam ambitione flagrans, cujus animus multarum quidem rerum capax, numquam ulla potentia vel gloria potuit exsatiari, & qui potius ad belli quam pacis artes tuendas & obeundas natus esse videretur. Nam si tantum operæ acuendis Regibus ad bellum in Turcam decernendum, quantum ad Imperia & Respublicas conturbandas & inquietandas contulisset, nemini dubium esse potest, quin Respublica Christiana ejus præsidiis fulmina, meliore loco & conditione diutius suo tempore stetisset ac floruisset.* Hæc Petrus Bizarrus. De eodem Augustinus Oldoinus Societatis Jesu, in Additionibus ad Ciaconium Romæ editis, ita scribit: *Julius appellari voluit, non quidem intuitu Julii retro Pontificis Romani, & miti ingenio viri ac pacifici, sed Julii Cæsaris ob virtutem bellicam præstantissimi Ducis, quem imitari egregius Bellator quæsivit.... Cum esset* ANIMI INQUIETI AC DIFFICILIS, *odiaque & simultates cum multis magnis viris exercuisset, magna fuit omnium mortalium admiratio, ut tanto consensu Pontificatum adeptus esset.*

SCHOLION VI.

Eumdem Articulum, pag. 19. petit hæc Indiculi Censorii nota: *Vide solutionem plurium dubiorum decisorum a Clero Gallicano in favorem Regis contra Papam.*

R. De

R. De Turonensi Ecclesiæ Gallicanæ Conventu anno 1510. ago. Illius responsa ad quæstiones a Ludovico XII. Rege Christianissimo propositas historice commemoro; de illorum veritate aut falsitate non pronuntio.

SCHOLION VII.

Dissertationis ejusdem Articulo sexto, pag. 48. Religiosi Censores hanc notam appingunt: *Quanta modestia loquitur de Regibus, qui imperabant electionem Episcoporum!*

R. Reges priscis temporibus assensum sæpius in imperium vertisse, & sublata a Clero & populo electionum libertate, Rescriptis suis Episcopatus concessisse, eo loci scripsi, idque variis exemplis probavi, quæ a Gregorio Turonensi in Francorum Historia referuntur. Nulla hic sermonis immodestia. Facta historica simpliciter referuntur.

SCHOLION VIII.

Ejusdem Articuli pag. 52. Religiosi Censores has Propositiones notant: *Regis beneficium erat quod Clerus frueretur libertate eligendi, & Rex arbiter ac Judex electionis erat.*

R. Jus electionis penes Clerum erat; sed quia sæpe Reges electionum usum interturbaverant, assensum in merum imperium vertere soliti, Ecclesia Gallicana his qui veterem electionum usum restituerant, ut Ludovico Pio, plurimum se debere profitebatur. Eorum certe beneficiorum erat asserta & vindicata sacrarum electionum libertas. Quia vero Regius assensus ex Ecclesiæ Gallicanæ concessione, Canonibus ac disciplina necessarius erat, & Rex justis de causis Ecclesiæ, vel Regni, servitiique sui utilitatem spectantibus Electum poterat repellere, quoad hoc tantum Rex Arbiter erat electionis ac Judex; quamvis Canonicum de electionibus judicium, & confirmatio ad Metropolitanum, vel ad Synodum Provinciæ pertineret, ut passim in totius Operis decursu observavi. Judicium autem illud & arbitrium aliquod electionis a me explicatum, asseritur ex antiquis Historiæ Ecclesiasticæ Francorum monumentis, & ex Formulis promotionum Episcopalium a Sirmondo & Baluzio editis perspicuum est. Nonne enimvero quoddam arbitrii ac judicii genus significant verba illa Ecclesiæ Senonicæ ad *Hilduinum* Archicapellanum & Regni Administrum sub Ludovico Pio scribentis? „ Fecimus & nunc „ secundam electionem, & invenimus hominem ex „ nostris a puero bene nobis notum, genere & mo„ ribus non infamem, docilem, ætate huic officio con„ gruum, &c. Quem cum obtulissemus, nullatenus „ putantes rejiciendum, ipsis Missis Dominicis impe„ dientibus, quod optavimus, non meruimus adipi„ sci. Propterea vestræ pietatis vestigiis animo provo„ luti flebiliter postulamus, ut tamdiu rem suspende„ re dignemini, quousque cum scripto homine ad ve„ stram Celsitudinem properantes, ipsi vobis melius „ nostram pandamus miseriam. Et si quidem ad hoc „ onus ferendum persona quam dicimus sufficere mi„ nusve poterit, DIGNATIONIS VESTRÆ JUDICIO, AUT SUSCIPIATUR, AUT REPROBETUR. Et in Epistola ad Juditham Imperatricem: „ Cum il„ lum, quem scitis, elegissemus, & a Serenitate Do„ mini Imperatoris non plene fuisset receptus, permis„ sum nobis est iterum, ut alium, si potuissemus, ex „ nobis huic officio congruum inveniremus. Sed cum „ esset inventus, ut credimus, in Dei & vero servi„ tio habilis, nescimus ob quam causam a Missis Do„ minicis non est plena benevolentia susceptus. Unde „ vestram oramus benignitatem ut ex hoc nobis in „ adjutorium esse dignemini, quatenus causa suspen„ datur, donec ipsum de quo dicimus, ad præsentiam „ Domini Imperatoris & vestram nos ipsi deducamus, ET QUALITER JUSSERITIS DISCUTIATUR ET PROBETUR, SI NOBIS PRODESSE VALEAT, ET IN SERVITIO VESTRO APTUS ESSE POSSIT, AN MINUS. Cæterum hæc meræ Disciplinæ res est, quam in variis Ecclesiis variam fuisse, Eruditorum nemo nescit.

SCHOLION IX.

In eodem Articulo, n. 4. pag. 53. Religiosi Censores hæc velut verba mea notant: „ *Quantam auctoritatem habeant Reges in electionibus Episcoporum, jure, consuetudine, Ecclesiæ indulgentia.*

R. De veteri disciplina & moribus antiquis Ecclesiæ Gallicanæ loquor, non de hodiernis. En verba mea: „ Ex his perspicuum est, quam varia fuerit „ Gallicanæ Ecclesiæ circa electiones Episcoporum di„ sciplina, quantum Reges in hoc electionum negotio „ potuerint jure, consuetudine, ipsius Ecclesiæ indul„ gentia & conniventia". De jure loquor ex Ecclesiæ concessione quæsito, ut explicui num. 2. pag. 46. Edit. primæ: „ Gallicanis Canonibus jus novum col„ latum fuisse Christianissimis Regibus, nempe ut eo„ rum voluntas, assensus & approbatio requirerentur „ ad electionem Episcopi, constat ex Concilio Aure„ lianensi V. Canone X. &c." Cæterum nominatio ad Episcopatus nunc Regibus Christianissimis convenit jure Concordatorum.

SCHOLION X.

Eumdem Articulum, n. 5. pag. 55. nota illa censoria perstringit: *Quam modeste loquitur de Regibus, etiam dum de spiritualibus tractant!*

R. Neque hic de spiritualium tractatione a Regibus agitur, neque ulla sermonis immodestia notari potest. En verba mea: „ Rex tempori serviendum du„ xit, rebusque suis & Ecclesiæ Gallicanæ periclitan„ tibus consulendum, quod egregie se præstiturum „ non dubitavit, si imminentia detrimenta minore ac „ leviore dispendio redimeret substitutis loco Pragma„ ticæ Concordatis, &c." Historiæ res est.

SCHOLION XI.

In eodem articulo, Num. 7. pagina 60. Religiosi Censores hanc propositionem notant: „ Papa Cano„ nes Conciliorum Generalium pro libito abrogare „ non potest; sed pro communi utilitate temperare „ potest.

R. Gallicanæ Ecclesiæ sententia est, veterum Pontificum Romanorum testimoniis firmata, & perpetua Ecclesiæ praxi. Sacra etiam Facultas Parisiensis hanc olim propositionem damnavit: *Papa posset totum jus Canonicum destruere, & novum instituere.* Ipsam, inquam, damnavit, ut *scandalosam, erroneam, blasphemam, & notorie hæreticam.* Auctor Anonymus Tractatus *De Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ*, Leodii editi anno 1684. adversus Cleri Gallicani Declarationem, & earumdem Libertatum Defensores, hanc Censuram expendens Lib. 9. c. 7. num. 16. de illa ita censet; „ Revera propositio complexe accepta est scandalosa: „ Quatenus etiam in jure Canonico plurima continen„ tur quæ sunt Juris divini, est blasphematoria, hæ„ retica, & erronea. Sed salva est Summo Pontifici „ auctoritas dispensandi super iis quæ sunt de jure po„ sitivo dumtaxat, & etiam ea abrogandi, DUM JU„ STA CAUSA INTERCEDIT, &c. *Quid aliud hæc* „ *verba mea significant*, Licet Summus Pontifex Ca„ nones Conciliorum Generalium PRO LIBITO a„ brogare non possit: eos tamen temperare ac mode„ rari potest, Ecclesiarum particularium necessitate „ vel utilitate postulante, cum sunt de his Disciplinæ „ capitibus, quæ pro temporum & locorum varietate „ mutationem facile habeant. *Et infra*: Disciplina „ (*inquam*) quarto Nicænæ Synodi Canone sancita, „ quæ sacrarum electionum jus ac potestas solis Episco„ pis tribuitur, vel contraria consuetudine, VEL „ PONTIFICUM RESCRIPTIS, vel Regionalibus „ Conciliis mutata est, aut temperata &c." Hæc ego eo loci.

SCHOLION XII.

In eodem Articulo, pag. 61. & 62. Religiosi Censores hanc propositionem notant: „ Electiones in Ec„ clesia Gallicana abrogari potuerunt a Summo Pon„ tifice, accedente Ecclesiæ consensu, seu approbante „ Concilio.

R. Quid hic censoria animadversione dignum? Nonne abrogatæ sunt Electiones, & Concordata promulgata sunt, SACRO APPROBANTE CONCILIO LATERANENSI? An aliter abrogari potuerint, necne, hic non quæro. De Summi Pontificis potestate non disputo; illam a Christo immediate, non a Conciliis acceptam, Constitutiones ac Decreta Summorum Pontificum ob Ecclesiæ necessitatem, utilitatem ac bonum edita, valere ac robur habere agnosco ac fateor, absque Concilii Generalis approbatione & confirmatione, quod pro quibuslibet rebus & quavis occasione congregari non potest.

b SCHO-

SCHOLION XIII.

In eodem Articulo, pag. 62. Religiosi Censores hanc propositionem notant: *Quod Papa facit præter Canones, non est eversio Canonum.*

R. Hæc mea propositio est: *Summus Pontifex Canones ac disciplinam non evertit, quoties præter Canones aliquid decernit aut permittit, Ecclesiæ necessitate aut utilitate postulante.* Hæc propositio vera est, & Summi Pontificis auctoritatem maximam, agendique rationem vindicat. Adeo vera, ut contrariam damnandam non dubitem ut erroneam ab Apostolica Sede, si ad illam deferretur, scilicet: *Summus Pontifex Canones ac Disciplinam evertit, quoties præter Canones aliquid decernit aut permittit, Ecclesiæ necessitate aut utilitate postulante.* Hæc (inquam) propositio ut erronea merito damnaretur.

SCHOLION XIV.

Eumdem Articulum his verbis perstringunt Religiosi Censores: *A fol. 64. ad 69. refert plures Protestationes & Appellationes Gallorum contra Concordata pro restitutione electionum.*

Hæc ad Historiam Concordatorum pertinent, & a me propterea historice referuntur, sicut edita sunt in Commentariis Cleri Gallicani Tom. 2. & alibi.

SCHOLION XV.

Eumdem Articulum spectat Censoria ille animadversio: „ Contemnit Genebrardum, qui scripsit con-
„ tra Concordata, quia homo tumultuarius erat, cujus
„ liber combustus est manu lictoris.

R. Quæ de Genebrardo, & libri ejus forte scripsi eo loci, vera sunt, & facta mare Historica. Adversus Concordata Sedis Apostolicæ auctoritate firmata, & Concilio approbata, ipsum inconsiderate scripsisse, certum est. Verum doctissimum & ob præclaras dotes laude dignum non contemno, sed in hoc non laudo, immo vehementer improbo.

SCHOLION XVI.

Articulo 6. ejusdem Dissertationis, pag. 72. & 73. Religiosi Censores has propositiones notant: „ Papa
„ tenetur confirmare Nominatos a Rege Galliarum, si
„ sint Episcopatu digni . . . Non potest Papa Concor-
„ datis derogare.

R. Id probat ratio & natura mutui contractus, cujus vim & obligationem habere Concordata *Leo X.* sacro approbante Concilio declaravit. Sicut Rex nominare debet ad Episcopatus Clericos iis instructos dotibus, quæ in Concordatis exprimuntur, & infra tempus constitutum; Ita Summus Pontifex dignos debitisque dotibus ornatos, & quibus nullæ conditiones Canonicæ desunt, confirmare debet. Id justitiæ leges postulant. Id Auctor Anonymus Tractatus *De Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ* Leodii editi an. 1684. contra Cleri Gallicani Declarationem, & istarum Libertatum Defensores, fatetur libro sexto, c. 3. N. 6. „ De-
„ bent quidem, *inquit*, Summi Pontifices, ut sæpe no-
„ tavimus, Canones præsertim Conciliorum Oecume-
„ nicorum, quorum sunt custodes, & exequi, & exe-
„ quendos curare: Nec Pastoribus greges suos sacte
„ administrantibus obstare, aut in eorum Regimen sine
„ necessitate sese ingerere debent, CONCORDATA
„ SERVARE, ac quæcumque pacis sunt, sectari. Si
„ secus fecerint, humiliter monendi sunt, immo &
„ libere si opus sit: non tamen idcirco debita officia
„ prætermittenda.

Notæ.

I. SIcut aliquando etiam Imperatores Conciliis præfuisse leguntur, non quia de rebus Ecclesiæ disponendi potestate potirentur, sed ut Concilia tuerentur, concordiam foverent, atque ipsorum etiam consiliis Ecclesiæ utilitas promoveretur, eadem ratione & Reges Galliæ Ecclesiasticorum Conventibus præsedisse conveniens est judicare.

II. Nullo in pretio habita fuisse in Conventu Bituricensi Basileensia Decreta adnotare ex Spondano non omisi in Animadversionibus ad Concilium Basileense §. ultimo, quapropter veluti superiorem Conventus ille haberet auctoritatem, eadem decreta truncavit, mutilavit, eaque ad sua commoda redigere non omisit.

III. Quædam de Julio II. adnotavi supra, ubi P. Natalis ipsius gesta describit.

IV. Reges primo precibus Episcopatus postulasse, deinde preces in imperium mutasse, conqueritur non semel Thomassinus Veterem, Novamque Ecclesiæ Disciplinam expendendo: unde hanc Disciplinæ variationem operæ pretium fuit alias explicare. Cum pariter Regum auctoritas in Episcoporum electionibus se immiscuerit, Illos etiam repellendo, quos Electores Pontificali Cathedra dignos reputaverant, non prætermisi monere ex eodem Thomassino quam ægre id tulerit Ecclesia.

V. Romanos Pontifices non subesse ex vi coactiva Sacris Canonibus sæpius necesse fuit adnotare, atque hanc Ecclesiæ Capitis prærogativam adversus ipsius Impugnatores tueri. Quamvis autem sacris non ligentur Canonibus, quatenus ab Inferiori Conciliorum potestate dimanant, illis subesse possunt, quatenus continent quæ jure naturali, & divino præcipiuntur; qua ratione ipsis Canonibus ab ipsis parendum nemo diffitetur.

VI. Electiones Episcoporum etiam in Gallia a sole Romani Pontificis aliquando pependisse voluntate, historiæ monumenta demonstrant; ac proinde ita de illarum etiam abrogatione, dicere necesse est. Ubi vero modo statutum sit ad Episcopi electionem abrogandam, rescindendamque, etiam Ecclesiæ, seu Concilii consensum desiderari, penitus ignoro.

DISSERTATIO XII.

DE SACRA SYNODO TRIDENTINA.

QUA ILLIUS HISTORIA EXPONITUR: P. SUAVIS POLANI, CAROLI MOLINÆI, ET INNOCENTII GENTILETI OBJECTIONIBUS ADVERSUS SACROSANCTAM ET OECUMENICAM EJUS AUCTORITATEM RESPONDETUR.

Tridentum, Trente urbs in Rhætia, proprio subest Episcopo, sub Clientela Imperatoris atque Comitis Tirolis Episcopatus ad Provinciam Ulmonsem pertinet, sed tamen Episcopus S. J. R. Princeps Romano Pontifici immediate subjicitur.

ARTICULUS I.

De illius convocatione, Præsidibus, variis Statibus, & ordine in agendis.

I. GRassante in Germania Lutherana Hæresi, *Clemens Septimus* Pontifex Maximus considerans Conventus a *Carolo Quinto* Imperatore celebratos, ac præsertim Augustanum, ad Hæreticos ab erroribus dimovendos nihil contulisse, de Concilii Generalis celebratione cum eodem Imperatore, aliisque Principibus Christianis consilia agitare cœpit: quod post errorem *Lutheri* damnationem a *Leone X.* factam, unicum illud remedium ad eorum vincendam seu domandam pertinaciam superesset, ut scribit idem Pontifex in literis ad *Franciscum* I. Regem Christianissimum datis die secunda Januarii, anno 1533. „ Superiore bien-
„ nio (*inquit*) sicut tua Majestas recordari potest,
„ cum Serenissimum Cæsarem, quamquam pro sua in-
„ clyta pietate omnia conatum, tamen in Conventu
„ Augustano nihil remedii ad hæresim Lutheranam
„ in Germania tollendam, pro illorum obstinationa
„ afferre potuisse eudiremus. Solumque Concilii Ge-
„ neralis remedium e nostris Prædecessoribus in casu
„ simili usitatum, & ab ipsis Lutheranis postulatum
„ superesse videremus: Habita super hoc cum venera-
„ bilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ
„ Cardinalibus matura deliberatione, ad ipsius Concilii
„ Generalis indictionem in Italia & loco ad hoc commo-
„ diora celebrandi devenire intendentes, id tuæ Maje-
„ stati, sicut Cæsari & cæteris Principibus significandum
„ communicandumque duximus, eamque nostris literis
„ fuimus hortati, ut tam sancto & necessario operi pro
„ tua pietate & Christianissimi titulo, proque tuorum
„ Majorum perpetua consuetudine favere, causamque
„ sanctæ Fidei cum tua, si fieri possit, præsentia, aut
„ saltem Oratoribus tuis, tuique Regni Prælatis ad-
„ juvare & tueri; & in hoc te & illos interim præ-
„ parare pro communi officio velles. Postea vero ea
„ actione nostra per apparatus Turcarum primo per-
„ turbata, & deinde per eorum in Hungariam & Ger-
„ maniam irruptionem prorsus interrupta, suspensisque
„ propterea omnium Principum Christianorum animis,
„ toto hoc interjecto tempore de ea re silere coacti
„ fuimus. Nunc autem ipsis hostibus Dei benignitate
„ repulsis, cum Serenissimus Cæsar nobiscum Bononiæ
„ congressus inter cætera publice salutaria hoc quoque de
„ indicendo Generali Concilio nobiscum egerit, illudque
„ non

„ non solum a Lutheranis, ut antea, sed a cæteris „ Germaniæ Principibus & civitatibus in proximo Ratisponensi Conventu flagitatum; seque omnem operam suam eam apud Nos tum apud Reges & Potentatus cæteros ad id pollicitum fuisse dixerit: Nos sane non solum Christiana charitate, sed etiam nostri debito muneris, quod a Deo omnipotente accepimus adstricti, ne tot animas in illa Hæresi periclitari, quantum a nobis præstari potarit, ulterius sinamus, nostras partes nostrumque officium in Principibus omnibus ad ipsum Concilium adhortandis tunc susceptum, a nobis, terrore immanissimi hostis interruptum, resumere continuandum censuimus, ut sanctæ Religionis tantis erroribus illic implicitæ succurramus, & cum vetere pietate tranquillitatem & quietem illi inclytæ Nationi, tam valido Christianitatis membro restituamus.

Concilii Tridentini convocatio.

II. Defuncto *Clemente* VII. die 25. Septembris 1534. *Paulus* III. die 13. Octobris in ejus locum electus, curas ipsius de Concilii conventione suscepit. Id Mantuæ primum indixit; deinde, apposito obice a *Friderico* Mantuæ Duce, Vicentiæ celebrandum decrevit, misitque illuc Legatos, sed nova emergente necessitate, Synodi celebratio prorogata est. Tandem Tridentum est convocata, urbem Germaniæ conterminam, in Alpibus sitam prope Athesim, a Germanis in Spirensi Conventu acceptatam, omnibus Oratoribus Christianis opportunam. Indictionis Diploma, quod incipit, *Initio*, Romæ datum est undecimo Kalendas Junii, anno 1742. & solemni Principis Apostolorum die promulgatum. Kalendæ Novembris inchoando Concilio designatæ. Convocationis causas exprimit Pontifex his verbis: „ Quo melius atque commodius quæ ad integritatem & veritatem Christianæ Religionis, quæ ad bonorum morum reductionem, emendationemque malorum, quæ ad Christianorum inter se tam Principum quam populorum pacem, unitatem concordiamque pertineant, & quæ ad repellendos impetus Barbarorum & Infidelium quibus illi universam Christianitatem obruere moliuntur, sint necessaria, Deo nostris Consultationibus præeunte, & lumen sapientiæ suæ ac veritatis mentibus nostris præferente, agi in dicto Sacro Oecumenico Concilio, & conspirante omnium charitate consuli, tractari, confici, ad optatosque exitus deduci quamprimum & quam optime possint.

Varii Concilii Tridentini status.

III. Cœpta Synodus est sub *Paulo* III. Pontifice Maximo die 13. Decembris, anno 1545. continuata sub *Julio* III. absoluta sub *Pio* IV. die quarta Decembris anno 1563. Sub *Paulo tertio* Sessiones undecim celebratæ, octo Tridenti, tres Bononiæ, quo translatum est Concilium Auctoritate Pontificia Legatis demandata, frequentioribusque Patrum suffragiis, anno 1547. ob contagiosum morbum qui Tridenti grassabatur. Cæsari, ac Hispanis Episcopis translatio non placuit, nihilominus Tridenti remanentibus, Oratoribusque Cæsaris adversus Bononiensem (ut vocabant) Conventum protestantibus. Cujus dissidii ratione suspensum est Concilium, *Paulo tertio* Tridentinos ac Bononienses Præsules ad Ecclesiæ disciplinam componendam Romam evocante an. 1549. Quo anno cum *Paulus tertius* obiisset die decima Novembris, *Julius tertius* ipsius Successor Synodum Tridentum reduxit Diplomate dato 8. Kalendas Decembris, an. 1550. quod incipit, *Cum ad tollenda*. Continuationis vocabulum in Pontificio Diplomate adhiberi Cæsar optaverat, sed illud repudiatum est, quod translationi legitimæ præjudicare videretur, voxque, *resumere & prosequi*, usurpata; *Ad ipsum Concilium in eo, in quo nunc reperitur statu resumendum & prosequendum, &c.* Nihilominus ita verba temperavit, ut ejusdem Concilii continuatio, non novi indictio fieri intelligeretur, & Decretis antea cum in causa Fidei tum Reformationis editis suum robur ac auctoritas constaret, velut Synodi Generalis Oraculis & irretractabilibus Constitutis. Ait enim, ad tollenda Religionis nostræ dissidia opportunum videri, *Ut Sacrum Oecumenicum Generale Concilium a Paulo tertio* Decessore suo indictum, & ejus Legatis Præsidentibus *inceptum, ordinatum, & continuatum, in quo plures publicæ & solemnes habitæ fuerunt Sessiones, pluraque tam in causa Fidei quam Reformationis promulgata Decreta, multaque etiam ad utramque causam pertinentia examinata & discussa, ad Civitatem Tridentinam reducatur*. Resumpta sub *Julio* Synodus est Kalendis Maii anni 1551. Eo Pontifice Quinque Sessiones celebratæ 12. 13. 14. 15. & 16. qua suspensio Concilii frequentioribus Patrum suffragiis decreta est die 28. Aprilis anno 1552. ob belli tempestatem. Suspensionem in cœtu Purpuratorum Patrum die 15. *Julius tertius* decreverat, sed Legati consultius duxerunt Pontificum Diploma non depromere, sed curare ut ipsa Synodus id consilii per se susciperet, ne Patres contra suspensionem absque ulla auctoritate ac voluntate Concilii indictam niterentur, uti refert *Palavicinus* Lib. 13. Cap. 3. Suspensio ad biennium duntaxat decreta, si obstacula interim desiissent, nimirum inter Christianos Principes discordiæ, toto decennio perduravit. *Pius Quartus*, Pontifex Maximus Concilium Tridentinum revocavit Diplomate dato Kalendis Decembris anno 1560. quod incipit; *Ad Ecclesiæ regimen*. A *continuationis* vocabulo eo in Diplomate Pontifex prudenter abstinuit, ne Protestantium animos exacerbaret: verbis tamen æquivalentibus usus est dicens, Tridenti ac prius ætate *Pauli* ac deinde in postrema Synodi redintegratione a *Julio* habita, fuisse stabilita complura Decreta, ac postea suspensionem subsecutam, quæ nunc tollebatur. Quod enim suspensum erat sublata suspensione non retrocedit, sed motum prosequitur & continuat ab eodem loco ubi antea suspensum substitit. Priorum igitur Sessionum sub *Paulo* III. & *Julio* III. celebratarum Decretis & Canonibus eamdem inesse vim non obscure significabat, quam habent Decreta Oecumenici Concilii adhuc durantis. *Sacrum* (inquit) *Oecumenicum & Generale Concilium, ex Auctoritate ejusdem Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum, quas Nos quoque in terris fungimur, freti & subnixi, in civitate Tridentina ad Sacratissimam diem Resurrectionis Dominicæ proxime futurum indicimus, & ibi celebrandum SUBLATA SUSPENSIONE QUACUMQUE, statuimus atque decrevimus*. Hæc vero clausula *sublata suspensione*, difficultatem facessivit Gallis, Germanis, Hispanisque; & antequam Synodus aperiretur, quod ante decimam octavam diem Januarii anni 1562. factum non est, Granatensis Archiepiscopus suo ac reliquorum Hispanorum Præsulum nomine declarari postulavit, an nova hæc Synodus esset, an antiquæ continuatio. Concordia inita est acceptis quatuor conditionibus ab Hispanis propositis, nimirum: Ut in aperienda Synodo nullum proferretur verbum continuationi contrarium; Ut Synodus secundum Pontificii Diplomatis tenorem aperiretur; Ut continuaretur cum primum opportunitas obveniret; Ut in fine Pontifex confirmaret cuncta Synodi Tridentinæ Acta, tum jam habita, tum habenda. Novem Sessiones reliquæ sub *Pio IV.* celebratæ sunt. Totum Concilium Sessiones 25. complectitur.

IV. Concilio Tridentino sub *Paulo* III. ejusdem Pontificis nomine præfuerunt *Joannes Maria de Monte* Prænestinus Episcopus, *Marcellus Cervinus*, & *Reginaldus Polus*, S. R. E. Cardinales & Sedis Apostolicæ Legati. Hæc ipsis missa mandata: 1. Religionis Articulos ante cætera esse agitandos. 2. In illis non Auctores, sed sententias damnandas; Id autem jussum, ne factorum quæstionibus & probationibus Synodus implicaretur ac tempus tereret; tum quo mitius in eo ageretur, relicta singulis adeundi ac se purgandi facultate. 3. Proscribendas non solum magis generales, sed peculiares etiam propositiones quæ per ora tunc & per scripta volitabant, & quibus novæ Hæreses nitebantur. 4. De reformandis moribus, nec ante Dogmata neque simul cum ipsis agendum quippe ea minus præcipua & secundaria Synodi causa. Postea tamen annuit ut simul cum definitione dogmatum Reformationis negotium procederet, ut videbimus. 5. Audienda libenter, quæ adversus Romanam Aulam objicerentur, & Patrum Nationumque consilia, ut facta de iis ad Summum Pontificem relatione, opportunius ille remedium adhiberet, ut apud se statuerat. 6. Literis cæterisque Commentariis, Actis & instrumentis Concilii nomine conscribendis præfigendum trium Legatorum tamquam Præsidum nomen, ac Pontificis, cujus personam gerebant. Quod in Actis est observatum per singulas Sessiones, hunc in modum: *Sacrosancta Oecumenica & Generalis Tridentina Synodus in Spiritu Sancto legitime congregata, Præsidentibus in ea Apostolicæ Sedis Legatis, &c.* Sub *Julio Tertio* ejus vice præfuerunt *Marcellus* Cardinalis *Crescentius* Legatus Apostolicus; *Sebastianus Pighinus*, Sipontinus Archiepiscopus; & *Aloysius Lippomanus*, Veronensis Episcopus. Sub *Pio* IV. ejus locum in Synodo tenuerunt *Hercules Gonzaga* Cardinalis Mantuanus, *Jacobus* Cardinalis *Puteus*, *Stanislaus* Cardinalis *Osius*, Warmiensis in Polonia Episcopus, *Hieronymus* Cardinalis *Seripandus*, *Ludovicus* Cardinalis *Simonetta* & *Marcus Siticus* Cardinalis *Altempsius*, Apostolici de Latere Legati. Cardinalis

dinali Mantuano demortuo in Legati Præsidisque munere suffectus est *Joannes* Cardinalis *Moronus*, Prænestinus Episcopus: in defuncti vero *Seripandi* locum *Bernardus* Cardinalis *Navagerius* substitutus est.

Difficultas circa Concilii inscriptionem exorta.

V. Pontificii Legati prærogativa suffragii potiti cuncta proponebant, quæ in deliberationem mittebantur. Sed cum decima septima Sessione quæ sub *Pio IV.* prima fuit, particula, *Proponentibus Legatis*, Decreto fuisset apposita, magnas eas contentiones excitavit, ex parte præsertim Hispanorum Antistitum qui eam ob novitatem impugnabant, & quod calumniæ pateret, ac violatæ vel certe imminutæ libertatis Concilii augmentum videri Hæreticis posset. Unde illius inductionem acriter postulabant, ut refert *Palavicinus* Lib. 15. Cap. 16. Lib. 16. Cap. 6. Sed ea tamen a Synodo cum totius Decreti tenore approbata, quatuor dumtaxat Patribus dissentientibus retenta est. Non minor fuit de titulo Synodi concertatio; Nam *Baccius Marcellus* Episcopus *Fesulanus* & alii quamplurimi, singulorum Decretorum titulo addi volebant hæc verba *Universalem Ecclesiam repræsentans* a Conciliis Constantiensi & Basileensi usurpata. Obstiterunt Legati aliique Patres speciosis rationibus. 1. Quod titulus ille novus esset, nec ab antiquioribus Conciliis usurpatus ante Constantiense, quod eam inscriptionem peculiari quadam ratione adhibuerat ad tollendum dubium quod moveri potuisset, an Ecclesia diuturno Schismate discissa, integra repræsentaretur a Concilio, adeoque vim haberet, qua per sua Decreta rursus ad unitatem ipsam reduceret. Nec in ipsa quidem Synodo Constantiensi hanc inscriptionem fuisse omnibus Decretis appositam, sed iis dumtaxat, quibus majoris momenti confecta negotia; cum scilicet in contendentes de Pontificatu actum est ac pronunciatum, & novæ Hæreses proscriptæ. 2. Quod ea inscriptio supervacanea esset, cum idem significarent hæc verba, *Universalis & Oecumenica Synodus*. 3. Quod ea inscriptio Lutheranorum obtrectationibus exponeretur, adeoque illi tempori non esset opportuna, maximeque Synodi initiis adhuc Patrum numero infrequentis, & Principum Oratoribus destitutæ. 4. Quod Summi Pontificis modestiam Synodum imitari deceret, qui magnificis titulis omissis, humiliorem elegit *Servi Servorum Dei*. Potissima autem ratio ob quam Legati eam inscriptionem rejecerunt, ea fuit, quam in Synodicis quidem Congregationibus dissimulavere, sed quam aperuere Pontifici, ut constat ex *Farnesii* literis quinta Januarii 1546. datis, quod scilicet metuerent, ne hac Epigraphe admissa plurimi Patrum ea quoque verba addi postularent, quæ in Synodis Basileensi & Constantiensi illi fuerunt adjecta: *Quæ Synodus a Christo immediate potestatem habet; cui quilibet cujuscumque status vel dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire tenetur.* Opinionum certamen componere conatus est *Seripandus* Ordinis Augustiniani Prior Generalis, non agi, inquiens, an esset perpetuo excludenda illa inscriptio, sed an seponenda ad commodiora tempora, ad florentiorem Concilii statum, & ad Sanctiones adeo præcelsas, ut earum frontem illius epigraphes majestas deceret. Nec tamen ita sedata est illa contentio, ut non identidem usque ad extrema Concilii tempora redintegrata sit.

Ordo agendorum in Concilio.

VI. Res decernendæ, sive Fidem, sive Reformationem spectarent, in privatis primum Patrum & Theologorum Coetibus discutiebantur, disceptabantur, & Decreta, Canonesque præformabantur, deinde in Congregatione Generali Patrum universorum ad examen revocabantur, omnibus libere suffragantibus, & quod videretur objicientibus, emendabantur, si res ita postularet, ac in eam formam redigebantur, quæ omnibus, aut certe frequentioribus placeret; Tandem in publica & solemni Sessione, consuetis cæremoniis Patribusque viritim suffragantibus comprobabantur ac promulgabantur. Primis in congressionibus disputatum acriter fuit, an a Dogmatum examine ac diffinitione inchoandum esset, an vero a Reformatione. Postremum illud optabat Imperator, quippe identidem a Germania, & ab ipsis Hæreticis postulatum, quorum exulcerarentur animi, si a Decretis Fidei inciperetur. Legati vero Pontificii, & qui ipsis adhærebant a dogmatum tractatione inchoandum censebant, his rationibus freti: Quod prioribus Conciliis hæc observata sit consuetudo: quod primus locus argumentis dignioribus debeatur, qualis est Fides collata cum Virtutibus Moralibus, ad quas spectat morum emendatio: Quod salutis fundamentum sit Fides, & a fundamento, non a tecto ædificium sit inchoandum: Quod urbe ab hostibus obsessa, hostes prius profligandi sint, quam cives corripiendi, ne eadem ipsa brachia verberentur, quorum nervis dimicandum est: Quod stultum videatur actorem se reum sponte constituere, relictis interim perduellibus, eorum tamquam Judicum censuræ se submittere: Quod denique publicæ incolumitatis studio non ducuntur, qui morbis levioribus curandis intenti, pestem grassari sinunt cum immedicabili populorum pernicie. Germani vero, & qui in ipsorum sententiam iverunt Antistites hac ratione potissimum afficiebantur, quod hæc agendi ratio revocandis in Ecclesiæ gremium errantibus fratribus conducibilior esset, aut certe eorum calumniis in Ecclesiam Catholicam refellendis: Nec ullum librum ad convincendos Hæreticos aptiorem existimarent illo, in quo Lex Christi legeretur operum characteribus scripta in ipsis Catholicæ Religionis Custodibus. At præcipua ratio quæ Pontificem & Legatos ad protrahendam reformationem movebant, metus erat ne Sacra Synodus hanc ab Aula Romana inchoaret, & potestatem suam supra Pontificem efferret, ut fuse *Palavicinus* exponit lib. 6. cap. 7. Tandem Patres inter & Legatos convenit, ut fidei ac reformationis tractatio conjungeretur. Huic sententiæ magnum pondus addidit *Thomæ Campegii* Feltriensis Episcopi auctoritas & suffragium. Displicuit primum Pontifici, qui graviter succensuit Legatis, quod mandata ipsis tradita de reformatione postponenda prætergressi essent; sed tandem hanc agendi rationem probavit, Legatorum audita defensione.

Jus suffragii Religiosorum Ordinum summis Moderatoribus concessum.

VII. Post Episcopos jus suffragii Religiosorum ordinum Præfecti habuerunt. Id privilegii ipsis servatum est, quibusdam Episcopis repugnantibus. Religiosis favebat antiqua possessio in Lateranensibus Conciliis, Lugdunensibus, Constantiensi, Basileensi, Florentino, usu firmata. Favebat & Septimæ Synodi generalis exemplum, cujus in secunda Actione Monachi pariter ad suam sententiam proferendam vocati sunt; & in Actione quarta Archimandritæ & Hegumeni una cum Episcopis sua nomina decretis Fidei subscripserunt; Ideo consuetudo obtinuit, ut Abbates, cum inaugurantur, sese jurejurando obstringant, ut Concilio intersint, ubi a Pontifice advocantur. Et *Paulus tertius* Diplomate suo convocaverat *omnes ex omnibus locis tam Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, & Abbates, quam alios quascumque, quibus jure aut privilegio in Conciliis generalibus residendi, & sententias in eis dicendi permissa potestas est.* Synodo tamen visum est, ut trium Casinensium Abbatum concors sententia unius dumtaxat suffragii vim haberet, quippe unius integri Ordinis personam gerentium.

P. Laines Societatis Jesu Præpositus Generalis a calumnia vindicatur.

P. Didacus Lainius Societatis Jesu Præpositus generalis, in Synodum sub *Pio quarto* admissus est anno 1562. Quod se invitis Patribus in conventum intruserit, simulque conatus fuerit Summis Monasticorum Ordinum Præsulibus anteire, putida calumnia est. „ Ingressus enim est ad „ ferendum suffragium in generali coetu, nemine ob„ sistente, & potius rogantibus Patribus, & jussu Pon„ tificis, & pro eo quod ex veteri consuetudine de„ bebatur Supremis Religiosorum Ordinum moderato„ ribus. Dubitatum quidem fuit de loco, qui a ma„ gistro cæremoniarum ipsi tribuendus esset, nimirum, „ an infra reliquos Generales Ordinum moderatores, „ cum illius Ordo esset omnium novissimus; an su„ pra, quia esset Ordo Clericorum qui Monachis præ„ feruntur. Cupivit dumtaxat ut Societas Jesu tamquam „ Ordo Clericorum agnosceretur: cæterum modestiæ „ pacisque studio animum præ se tulit extremi sub„ selli cupidum, & reipsa extremum locum petiit. „ Sed a Legatis, cum alicujus ante acti Concilii e„ xemplum non suppeteret, quippe quod hic Regu„ larium Clericorum Ordo, qui latissime jam per Chri„ stianorum Ethnicorumque Provincias cum uberrimo „ animarum fructu protendebatur, post ultimum La„ teranense ortus fuisset; locus illi extra ordinem se„ junctus a reliquis Religiosis Præsulibus datus est, „ quo ibi post illos absque Clericorum præjudicio sen„ tentiam diceret. „ Id constat ex legitimis tabulis, quibus & Legati, & qui Concilio a Secretis erat, subscripsere Kalendis Novembris anno 1562. & ex literis Cardinalis *Borromæi* ad Legatos diebus 20. Augusti, & 1. Septembris ejusdem anni datis, & a *Palavicino* laudatis libro 19. cap. 2. nec non ex *Actis Paleotti*. Ex quibus *Petri Suavis Polani* calumnia in religiosissimum doctissimumque Virum refellitur ac dissipatur. Episcoporum absentium Procuratoribus Jus suffragii datum non fuit, quamvis Pontifex Germanorum Præsulum Procuratoribus id suo diplomate indulsisset, sed visum non est Legatis illud promulgare, ne aliarum regionum Antistites ad æmulationem excitarentur.

tur. Id in causa fuit *Dominico Soto* Ordinis FF. Prædicatorum Theologo Hispano, qui ab Ordinis nostri Generali Vicario domesticis comitiis alibi detento suffectus erat, suffragandi facultas concessa non fuerit, quamvis ob insignem viri pietatem & eruditionem ad privilegium istud ipsi impertiendum Legati maxime propenderent.

ARTICULUS II.

De Gestis Sessione 1. 2. 3. & 4. Sacræ Synodi Tridentinæ.

Acta Sessionis primo.

I. SAcris ritibus, solemnique Supplicatione præmissa, habitaque oratione a *Cornelio Mosso* ex FF. Minorum Ordine Episcopo Bituntino, de qua *P. Suavis & Palavicinus* lib. 5. cap. 18. pro suo quisque studio, ille acerbius, hic indulgentius, judicant; apertum est Concilium, Dominica tertia Adventus Domini, die 13. Decembris *S. Luciæ* Virgini & Martyri sacra anno 1545. In primo illo consessu lecta est admonitio atque adhortatio Legatorum Sedis Apostolicæ ad Patres, ut habetur in Actis editis, quamvis *Palavicinus* eam ad alteram Sessionem habitam die septima Januarii anni 1546. referat.

Acta Sessionis secunda.

II. Secunda illa Sessione, Sacris operatus est Episcopus Castelli-Maris: Concionem habuit Episcopus *S. Marci*. Decretum editum est de modo vivendi, & aliis in Concilio servandis. Declaratum est, ea qualicumque sedendi seu ferendi suffragium ordine aut forma, nihil cuique Juris accessurum aut detractum iri. Decretum ab omnibus comprobatum, cum hac exceptione, quam *Guillelmus a Prato* Claromontanus Episcopus petiit, ut eo loco, quo preces pro Imperatore cæterisque Principibus generatim injungebantur, Rex Galliæ expresse nominaretur, quemadmodum in Pontificiis literis de Synodo nominatim appellatus fuerat, cæteris Principibus in communi tantum designatis. Id tamen Patres non concessere, ad aliorum Principum, ac præsertim Regis Romanorum æmulationem vitandam: Et plurimum valuit ad Gallos ab incepto dimovendos communis Ecclesiæ consuetudo, quæ Sacro Parasceves die nullum sæcularem Principem in publicis precibus præter Imperatorem nominat.

Acta Sessionis tertia.

III. Sessione tertia, die quarta Februarii celebrata, cum Panormitanus Archiepiscopus Sacris operatus esset, Orationem habuisset Magister *Ambrosius Catharinus* Ordinis FF. Prædicatorum, Legatis visum est Fidei, morumque Sanctiones protrahendas, donec frequentior esset Synodus: sed ne nihil actum videretur, Symbolum Fidei velut rerum diffiniendarum *principium*, in quo omnes qui fidem Christi profitentur *necessario conveniunt: & fundamentum firmum & unicum, contra quod portæ inferi nunquam prævalebunt*, totidem verbis quibus in omnibus Ecclesiis legitur, Sacra Synodus expressit, Toletanarum, aliarumque Synodorum exempla secuta. Hujus Decreti de Symbolo Fidei præmittendo auctor fuit *Petrus Bertanus* Phanensis Episcopus ex Ordine FF. Prædicatorum assumptus, postea ob eximiam doctrinam & virtutem Cardinalitiis Infulis ornatus.

Acta Sessionis quarto.

Decretum de Libris Canonicis & Traditionibus.

IV. Sessione quarta, die octava Aprilis celebrata, cum Sacris operatus esset *Salvator Alexius*, Turritanus Archiepiscopus, Generalis Ordinis Servorum Præses Orationem habuisset, Decretum de Libris Canonicis, & Traditionibus editum est. *Omnes Libros tam Veteris quam Novi Testamenti, nec non Traditiones ipsas, tum ad Fidem, tum ad Mores pertinentes, tamquam vel ore tenus a Christo, vel a Spiritu Sancto dictatas, & continua successione in Ecclesia Catholica conservatas, pari pietatis affectu ac reverentia* Sacra Synodus se suscipere ac venerari declaravit. Adscripsit eidem Decreto Sacrorum Librorum Indicem: Tum singulis recensitis juxta Concilii Carthaginensis III. Canonem 47. *Innocentii I.* Epistola 3. *S. Augustini* Lib. 15. De Civitate Dei & Lib. 2. De Doctrina Christiana, Cap. 8. *Gelasii* I. in Romana Synodo Indices, adjectum est Anathema hunc in modum: *Si quis autem Libros ipsos, cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, & in veteri vulgata Editione Latina habentur, pro Sacris & Canonicis non susceperit, & Traditiones prædictas prudens & sciens contempserit, Anathema sit.*

In Privatis Cœtibus disceptatum fuit an per novum examen fieri deberet Sacrorum utriusque Testamenti Librorum comprobatio. Cardinalis *A Monte* Legatus, Cardinalis *Pacecus*, & alii novum examen repudiabant, res a prioribus Conciliis definitas retractandas non esse asserentes, secundum *S. Leonis* & *Gelasii I.* Summorum Pontificum documentum: nec præbendam esse Lutheranis occasionem gloriandi, quod suis argumentationibus suspectas falsitatis superiorum Conciliorum definitiones Catholicis reddidissent. *Cervinus* Cardinalis S. Crucis, & *Polus* Cardinalis Tridentinus, & alii novam discussionem postulabant, non ad quærendam, de qua nemo Catholicorum dubitabat, sed ad confirmandam, & tuendam ab Hæreticorum objectionibus veritatem. Existimationis enim plurimum Concilii Decretis accessurum censebant, ubi universæ Nationes audirent Hæreticorum rationes ab eo discussas & confutatas. Alioquin eam quam Patres appellarent venerationem antiquitatis, ab aliis vocatum iri responsionis inscitiam ac impotentiam. Vicit posterior illa sententia.

In Sacrorum Librorum Indice Librum *Baruch* nominatim recensuit Sacra Synodus, quamvis a Laodiceno & Carthaginensi Conciliis, Romanisque Pontificibus *Innocentio* I. & *Gelasio* I. cæteris connumeratus non fuisset. Non tamen ob eam dumtaxat rationem in Librorum Canonicorum Indice conscriptus est, quod in Ecclesia ex eo Lectiones recitentur, ut scribit *P. Suavius*, sed quod Synodi Florentinæ Latini Patres cum *Eugenio* IV. post Græcorum discessum Florentiæ manentes, in Sacrorum Voluminum Syllabo Librum *Baruch* reposuissent, freti veterum Patrum auctoritate, qui illum tamquam sacrum, unumque Opus cum Prophetia *Jeremiæ*, cujus Amanuensis erat, agnoverunt, scilicet *Clementis Alexandrini* Lib. 1. Pædagogi cap. 10. *S. Basilii* Lib. 4. contra Eunomium, *Joannis Chrysostomi* Oratione *Quod Christus sit Deus*, & ex Latinis *S. Cypriani* Libro de Oratione Dominica, & Lib. 2. contra Judæos, cap. 5. & aliorum. Necessarium porro visum est Tridentinis Patribus Librum illum nominatim recensere, quod ab aliquo etiam Catholicorum in dubium revocaretur, scilicet a *Joanne Driedone*, Lib. 1. De Scripturis & Dogmatibus Ecclesiasticis, cap. ultimo.

Quod Traditiones spectat, difficultatem passi sunt Patrum nonnulli, circa illa Decreti verba: quibus Scripturas Sacras ac Traditiones *æquali pietatis ac reverentia affectu* recipiendas declarator. *Bertanus* Phanensis Episcopus hanc æquationem non probabat ante solemnem Sessionem. Quamquam enim (inquiebat) a Deo ambæ procedant, quod cuique veritati commune est, non sequitur quod pari veneratione excipiendæ sint: alias sequeretur quæcumque vera sunt, perinde ac Sacras Literas veneranda esse. Addebat, noluisse Deum tantam impertiri Traditionibus firmitatem, cum aliquæ desierint, adeoque nec tantam pariter venerationem. Respondit Bituntinus, cui major pars Patrum consensit: Quamcumque veritatem a Deo revera procedere, non tamen quodcumque verum esse Dei verbum; proinde pari cultu cum verbo Dei habendum non esse. At vero tam Traditiones quam Scripturas Sacras esse Dei verbum, ac prima Fidei principia, sed solum secundaria quadam conditione distincta, quod istæ in codicibus scriptæ permanserint, illæ vero tantum in cordibus: istarum, illarumque veritatem esse immutabilem; sed e converso Leges esse æque mutabiles; in utrisque, ut apparet in Circumcisione & aliis ritibus Veteris Testamenti: Ideo Decreti verbis parem illam Fidelium erga utrasque reverentiam restringi ad Traditiones *continua successione in Ecclesia Catholica conservatas*. Acerbius in hujusmodi æqualitatem invectus est *Nacluntas* Clodiensis Episcopus, dixitque eam sibi impiam videri; nec obstare Decretum quod proferebatur velut Florentinæ Synodi, quod nihil ad eam spectat; cum postrema ipsius Sessio habita fuerit anno 1439. Decretum vero sit editum Februarii anno 1441. Id per horrorem admirationemque Patrum auditum. Pacensis & Britinoriensis Antistites dictum audacius execrati sunt; atque ut puniretur postularunt. Primus Legatorum advocandos Theologos dixit, qui audito Decreto, & Clodiensis Episcopi rationibus, ea de re Judicium ferrent. Tum Clodiensis reposuit, Se Decretum integrum impietatis non accusasse, sed aliquas dumtaxat ipsius voces, impii nomine haud hæreticum intellexisse, sed inhumanum, quatenus nimis ponderosum onus nobis imponat. Denique rationibus victus, omniumque vocibus objurgatus, professus est se reverenter consensurum Decreto, quod tanti Cœtus auctoritas comprobasset; & in Sessione solemni, cum Patrum suffragia rogarentur, non est usus voce consueta, *Placet*, sed, *Obediam*. Ita refert *Palavicinus* Lib. 6. Cap. 16.

A ple-

Inanis ac temeraria P. Suavis observatio.

A plerisqoe observatum refert *P. Suavis*, Decretum illud quateous Traditiones spectat, nec magni esse momenti, nec strictæ admodum obligationis. Quorsum enim (inquiebant) recipiendas esse Traditiones statuitur, si non declaretur, quænam illæ sint, nec regula proponatur qua dignosci possint? Quod Synodus non præstitit. Præterea, illi solum Anathema dixit Synodus, *qui Traditiones prædictas sciens & prudens contempserit*. Itaque Legi minime refragaretur (inquiebant) qui reverentar eas omnes rejiceret. Verum observatio illa quam *Suavis* cumprobat, inanis ac temeraria est. Dum enim Sacra Synodus pronuntiaverit, *Omnem salutarem veritatem, & morum disciplinam contineri in Scripturis Sanctis, & sine scripto Traditionibus*, & utrasque *pari pietatis affectu ac reverentia suscipiendas ac venerandas*, tam non possunt salva reverentia, quæ ipsis debetur ullo modo rejici Traditiones, quam Libri Veteris aut Novi Testamenti. At cum Traditionum pleræque ritus aut morum disciplinam spectent, in quas interdum ex ignorantia vel imbecillitate peccatur absque sacrarum hujusmodi Legum & observantiarum contemptu, noluit Synodus quoscumque earum violatores Anathemate ferire, sed tantum protervos contemptores, qui se ad eas servandas minime obstringi profitentur, & qui eas velut humanas adinventiones, aut superstitiosas observantias abjiciunt & conculcant, cujusmodi sunt Hæretici: Sicut graviori pœna plectuntur perduelles, qui Leges Principum conculcant, & fideles subditi, qui Leges ipsas, quas reverentur interdum ex imbecillitate violant. Traditiones porro singulatim enumerare in hocce Decreto, neque tempus, neque opportunitas patiebantur, sed Ecclesiæ judicio in his dignoscendis standum esse Sacra Synodus supponebat. Decretum itaque Septimæ Synodi Œcumenicæ imitata est, quo Traditiones generatim acceptæ sunt & commendatæ, non particulatim recensitæ & explicatæ.

Abusus circa Sacras Literas emendati.

V. In eadem Sessione de Reformationis negotio agi cœptum. A Sacrarum Literarum corruptelis & abusibus ductum est exordium. Quatuor circa illas abusus præcipue observati. Primus erat tanta Versionum varietas, qua divini verbi veritas reddebatur incerta. Huic malo remedium adhibitum est, unica ex cunctis Versionibus Latinis tamquam legitima constituta, quæ maximam obtinebat auctoritatem ex Ecclesiæ usu communi. Statuit itaque Sacra Synodus & declarat, *Ut Vetus & Vulgata Editio, quæ longo tot sæculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus, & expositionibus, pro authentica habeatur, ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat vel præsumat*.

Vulgata Versio Latina authentica.

Quo Decreto cum Textu Hebraico vel Græco Veteris aut Novi Testamenti, aut cum Versione Græca 70. Interpretum, Vulgata non comparatur, nec illi auctoritatem derogat his verbis Sancta Synodus; nec ea ratione pronuntiat authenticam, quasi nulla ex parte mendosa sit, aut ex ipsis Fontibus emendari non possint leviora quæ in ipsa occurrunt menda. Sed quod nullis erroribus ad Fidem aut Mores pertinentibus contaminata sit, ac præterea in eadem nec fraus, nec aperta sit a primitivo Textu in præcipuis saltem illis capitibus discrepantia, nec ulla secum ipsa repugnantia; ac proinde reliquis *Editionibus* seu Versionibus *Latinis* anteponenda sit. Nihil aliud voluisse Patres, testatur *Andreas Vega* ex Ordine Minorum Theologus doctissimus, qui Concilio adfuit inter Theologos Consultores, & hoc sibi fuisse a Cardinali S. Crucis *Marcello Cervino* altero ex Legatis & Præsidibus Concilii significatum, quod eo adhuc vivente idem *Vega* vulgavit Lib. 15. *De Justificatione* Cap. 9. Idem asserunt *Melchior Canus* Canariensis Episcopus, qui paucis post annis adfuit Concilio sub *Julio* III. Lib. 2. *De Locis Theologicis*, Cap. 13. Conclusione 5. & *Didacus Payva ab Andrada*, qui sub *Pio* IV. ibidem adfuit, in Defensione Vulgatæ, Lib. 4. & utrique sciscitati licuit a pluribus Patrum qui Decreto condendo sub *Paulo* III. interfuerant, quænam mens illorum Synodique fuisset. Idem licuit *Genebrardo*, qui eadem ætate vixit, & eodem modo Decretum interpretatur, Præfatione in Opera *Origenis* ad *Carolum* IX. Regem Christianissimum. Sed ea de re plura legi possunt in Dissertatione nostra De Vulgata Versione, & in ejusdem Apologia. Nec tamen dissimulandum, Theologos Romæ degentes, quibus Pontifex in tractandis argumentis Concilium spectantibus utebatur, cum mentem variis objectionibus sæpius auditis, seu lectis, adversus varios Vulgatæ Versionis locos occupatam gererent, nec Theologorum Tridentinorum rationes accepissent, aut sensum hujus Decreti exploratum haberent, illud acriter initio improbasse, objicientes multa Vulgatæ menda, nec Amanuensibus, neque Typographis adscribi posse: ac certe debuisse in Decreto denuntiari eam esse recognoscendam, & emendandam: Tantumque ea de re obmurmuratum est, ut deliberatum fuerit de illius Decreti Editione tantisper retardanda, dum nonnullis adjectis emendaretur: quod tamen elevaturum esse existimationem Synodi, & ansam Hæreticorum irrisionibus præbiturum conclamabant. Id constat ex Literis *Farnesii* Cardinalis ad Legatos 17. Aprilis 1546. & *Massei* qui a Secretis erat Pontifici, ad Cardinalem S. Crucis *Cervinum*, Legatum alterum, eadem die scriptis, aliisque laudatis a *Palavicino Lib. 6. cap. 17.* quibus a Legatis responsum est, & abunde factum satis.

Sacrorum Bibliorum editio.

VI. Alter abusus erat mendorum copia, quæ Sacra Biblia tam Latina, quam Græca & Hebraica deformaverat. Cui Synodus occurrit, decernendo, *Ut post hac Sacra Scriptura, potissimum vero hæc ipsa vetus & Vulgata Editio, quam emendatissime imprimatur*.

Leges Typographis imposita.

VII. Tertius abusus erat, Typographorum vitium, qui Sacras Scripturas ex corruptis exemplaribus edebant, & pravas interpretationes adjiciebant. Huic vitio Synodus remedium adhibuit, Sacrorum Librorum editione Typographis interdicta, nisi obtenta ab Ordinariis facultate, Auctorumque nomine Libris apposito, Anathemate, mulcta pecuniaria, aliisque ad arbitrio pœnis in hujus Decreti violatores sancitis. Hujusce generis mulctam improbarunt Archiepiscopus Panormitanus, & Asturiensis Episcopus, causati, Ecclesiæ non licere Laicis pecuniæ mulctam irrogare, proinde infligendas pœnas animis solum puniandis accommodatas, ut Anathemata: sed quoniam postrema Synodus Lateranensis mulctam similem in simili specie irrogaverat, & ita ferebat in plerisque locis Ecclesiæ Consuetudo; & inductio mulctæ in pios usus expendendæ ad pœnarum canonicarum ordinem revocari posse videbatur, non minus quam carcer, flagella, jejunia: nec dubium erat quin Ecclesia hominibus ditioni suæ temporali subditis mulctas pecuniarias, aliasque pœnas temporales irrogare posset; in aliis vero plerisque locis ex consuetudine id Juris haberet Ecclesia, non invidentibus Principibus Laicis; Concilio visum est, ut mulcta pecuniaria, quam avari Typographi magis interdum timarent quam Excommunicationem, ipsis tamquam frænum imponeretur, quo a Bibliorum corruptorum, aut Interpretationum, vel Notarum pravarum, Auctorumque nomen non præferentium, & quorum, quarumve editionem Ordinarii non permisissent, editione aut publicatione prohiberentur. Id constat ex Actis *Massarelli*, qui Synodo fuit a Secretis, ejusque Diario Cœtus peculiaris coram *Cervino* Legato die 13. Martii, ut refert *Palavicinus* Lib. 6. Cap. 12.

Regula de Sacra Scriptura interpretatione.

VIII. Quartus abusus erat, quod suo quisque sensu & arbitratu Divinas Scripturas interpretaretur, & in alienos pravosque sensus frequenter detorqueret. Quamobrem Synodus *Ad coercenda petulantia ingenia decernit, ut nemo suæ prudentiæ innixus, in rebus fidei & morum ad ædificationem Doctrinæ Christianæ pertinentium, Sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum quem tenuit & tenet Sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu & interpretatione Scripturarum Sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam interpretari audeat, etiamsi hujusmodi interpretationes nullo umquam tempore in lucem edendæ forent: Qui contravenerint, per Ordinarios declarentur, & pœnis a Jure statutis puniantur*. Haud nova est lex illa Tridentinæ Synodi, sed solum illius explicatio quod ex natura Fidei Christianæ seipsum intrinsecus nefas est. Secuta enim est Synodum Toletanam decimam quintam dicentem: *Quidquid creditur contra SS. Patres, intelligitur aberrare a recta Regula Fidei*. Secuta est *Vincentium Lirinensem*, qui multa in eam sententiam differit in Commonitorio adversus Hæreses & inter alia hæc habet: *Invecti sumus in Nostoris sceleratam præsumptionem, quod Sacram Scripturam se primum & solum intelligere, & omnes eos ignorasse jactaret, quicumque ante se Magisterii munere præditi Divina Eloquia tractavissent: totam postremo etiam nunc errare & semper errasse Ecclesiam, quæ (ut ipsi videbatur) ignaros erroneosque Doctores & secuta esset, & sequeretur*. Institit & S. *Augustini* vestigiis, Lib. 2.

adversus *Julianum* scribentis: *Qui Sancta rejecit, fatetur se universam Christi Ecclesiam rejicere*. Nec tamen libertatem hoc Decreto Synodus ademit Viris Eruditis novas Scripturæ Sacræ expositiones depromendi, modo Ecclesiæ sensui, & Patrum universitati atque consensioni non repugnent, in rebus tum Fidei, tum Morum. Neque aliud voluit *Cajetanus* Cardinalis initio suorum Commentariorum in Genesim scribens: *Non enim alligavit Deus expositionem Scripturarum Sacrarum priscorum Doctorum sensibus, sed Scripturæ ipsi integræ sub Ecclesiæ Catholicæ Censura: alioqui spes nobis & posteris tolleretur exponendi Scripturam Sacram, nisi transferendo (ut ajunt) de libro in quinternum*. Quæ ad *P. Suavis* objectiones refellendas observare operæ pretium fuit, asserentis a Concilio fuisse præscriptam & coarctatam rationem intelligendi Dei verbum, & in Confessibus occasionem aliter loquendi fuisse datam a *Cajetani* doctrina, qui asseruit, Novos Scripturæ sensus repudiandos non esse, ubi cum illius locutione concordant, nec alieni sunt a Fidei dogmatibus, Morumque disciplina.

P. Suavis objectio confutata.

IX. Postremus abusus erat, quo nonnulli Sacrarum Scripturarum verba & sententias *ad profana quæque* detorquebant, *ad scurrilia scilicet, fabulosa, vana, adulationes, detractiones, superstitiones, impias & diabolicas incantationes, divinationes, sortes, libellos etiam famosos*. Ad hanc autem irreverentiam tollendam prohibet Sacra Synodus, ne quisquam deinceps *quomodolibet verba Scripturæ Sacræ ad hæc & similia audeat usurpare*, atque hujusmodi *temeratores & violatores verbi Dei juris & arbitrii pœnis per Episcopos coerceantur*.

X. Objicit *Gentiletus*: Decreto Sessionis tertiæ, quo Symbolum Nicænum recitatum est, & in Acta Concilii relatum, Religionis quam Reformatam falso vocant, Professores se tueri posse adversus eos, qui ipsis hæreseos crimen impingunt. *Negamus enim* (inquit) *posse Nos pro Hæreticis haberi, ex ejus Decreti Sententia, cum recipiamus & credamus omnes Articulos illius Symboli*.

Respondetur objectionibus Gentileti adversus Decreta Sessionis Quartæ.

Respondetur, Hanc rationem ineptissimam esse, ex qua sequeretur, neque Pelagianos, neque Nestorianos neque Eutychianos, neque Monothelitas Hæreticos fuisse, cum Nicænum Symbolum ultro reciperent, & Anabaptistas, Independentes, Arminianos non posse pro Hæreticis haberi, quos tamen ipsæ Religionis Pseudo-Reformatæ Synodi ut hæreticos damnarunt; siquidem & veteres illi, & novi Sectarii Nicænum Symbolum se recipere, & omnes illius Articulos se credere profitebantur, & profitentur. Sequitur secundo, Romanæ Communionis homines Hæreticos non esse, siquidem & ipsi Nicænum Symbolum profitentur: nullumque de Articulis Fidei in eo firmis & comprehensis inter nos, segregesque Calvinianæ Superstitionis fratres controversia est, ut istius Partis doctissimi quique viri fassi sunt, & scriptis consignarunt. A Schismate ergo non possunt se purgare qui ab Ecclesia Catholica secesserint, nec ab Hæresi, in quam Schisma pertinax semper degenerat. Tertio, si Nicænum Symbolum unica sufficiensque tessera est, qua Fideles ab Hæreticis dignoscantur, cur ipsi novam fidei Confessionem ediderunt? Quarto, si Catholici sunt habendi, qui Nicænum Symbolum profitentur, qualitercumque de aliis dogmatibus sentiant, quidquid a Deo Ecclesiæ revelatum est, quidquid a Christo prædicatum hominibus, quidquid in Libris Canonicis scriptum, non pertinet ad Fidem, cum Symbolum Nicænum hæc omnia non complectatur, sed præcipua dumtaxat & primaria Fidei capita, non omnia & singula. Denique ostendant Calviniani suæ Confessionis Articulos omnes singillatim in Symbolo Nicæno.

XI. Objicit idem Auctor, Tridentinos Patres Sessione 4. omnes Traditiones & Cæremonias in Ecclesia Romana receptas, & observatas Scripturæ Sacræ auctoritati exæquare. Sed, inquit, si B. Augustino fides adhiberetur, non tanti fierent. Ille enim asserit, *In Sacra Scriptura perspicue contineri quidquid ad Fidem & ad Mores recte vivendi pertinet*, (lib. 2. De Doctrina Christiana, cap. 9.)

Respondetur id esse falsissimum. Non enim de cæremoniis omnibus in Ecclesia usurpatis, & ad divini cultus ornatum atque majestatem spectantibus loquitur Sacra Synodus in Decreto Sessionis 4. sed de illis dumtaxat, *quæ ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis, Spiritu Sancto dictante, quasi per manus traditæ, ad nos usque pervenerunt*: de Traditionibus, inquam, *tum ad fidem, tum ad mores pertinentibus, quas tanquam vel ore tenus a Christo, vel a Spiritu Sancto dictatas, & continua successione in Ecclesia Catholica conservatas, pari pietatis affectu ac reverentia, ac sacros omnes Libros Veteris & Novi Testamenti suscipit ac veneratur*. Locum vero *S. Augustini* a *Gentileto* & aliis Scriptoribus Heterodoxis laudatum, nihil adversus Traditionum auctoritatem a Tridentina Synodo assertam conficere, ostendimus Dissertatione 16. in Historiam Ecclesiasticam Sæculi 11. §. 15. & in tota passim Dissertatione Apostolicæ Catholicæ Romanæ Ecclesiæ dogma de necessitate & auctoritate Traditionum ex *S. Augustino* & aliis Patribus vindicamus.

At, inquit *Gentiletus*, veteres Canones postulant ut multæ res concurrant, antequam probetur aut recipiatur aliqua Traditio. Primum, ut ab universo orbe Christiano ab initio primitivæ Ecclesiæ, recepta & probata fuerit, secundum regulam ex *S. Augustino* desumptam, & relatam Canone *Illa autem*. Dist. 12. cujus in eam sententiam verba sunt: *Quæ non scripta, sed tradita custodimos, quæ quidem toto terrarum orbe observantur, datur intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel ex Plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata atque statuta retineri; sicut id quod Domini Passio & Resurrectio, & Ascensio ad Cœlum, & Adventus Spiritus Sancti anniversaria solemnitate celebrantur; & si quid aliud tale occurrerit, quod servatur ab universa quacumque se diffundit Ecclesia. Alia vero quæ per loca terrarum, regionesque variantur, totum hoc genus rerum liberas habet observationes*. Deinde ut approbetur aliqua Traditio, necesse est ut nulli loco Sacræ Scripturæ repugnet, ut habetur in alio Canone, cujus hæc est sententia: *Scit Sancta Romana Ecclesia, quod nihil obsunt saluti credentium diversæ pro loco & tempore Constitutiones; si illis Canonica non obsistat Auctoritas*.

Respondeo, Hos Canones non admittere, hasque Regulas discernendi veras Traditiones a falsis Ecclesiam agnoscere & sequi; proinde nihil ex iis colligi posse contra Synodi Tridentinæ Decretum.

XII. Adversus Decretum de Versionis Vulgatæ Latinæ auctoritate objicit idem Auctor Canonem, *Locutio*, Dist. 38. cujus hæc sunt verba, *Locutio divinarum Scripturarum secundum cujuslibet linguæ proprietatem accipienda est. Habet enim omnis lingua quædam propria locutionum genera, quæ cum in alia transferuntur, videantur absurda*. Addit, eumdem celebrem Doctorem docere, plurimum ad Sacrarum Scripturarum notitiam multarum Versionum collationem facere, ut meliori adhæreamus. (Lib. 2. *De Doctrina Christiana*, Cap. 12.)

Respondetur, Concilii Decreto hunc non obesse Canonem, illudque Decretum a *Gentileto* mala fide referri, quasi unicam Vulgatam versionem Bibliorum esse probandam, & citra controversiam admittendam sanxerit, rejectis fontibus, id est, Textu Hebraico Veteris, & Græco Novi Testamenti, & prohibita Doctoribus Versionum cæterarum collatione. At non ea est Synodi sententia. Vulgatam cæteris dumtaxat Latinis Editionibus anteponit, & authenticam, id est, Textui primitivo consonam declarat, & ab omni errore in iis quæ fidem & morum disciplinam spectant, immunem, ad fidei controversias finiendas idoneam, quam nemo rejicere quovis prætextu audeat, vel præsumat. *Insuper eadem Sacrosancta Synodus considerans non parum utilitatis accedere posse Ecclesiæ Dei, si ex omnibus Latinis editionibus quæ circumferuntur, Sacrorum librorum, quænam pro authentica habenda sit, innotescat; statuit & declarat, ut hæc ipsa vetus, & vulgata editio, quæ longo tot sæculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus & expositionibus pro authentica habeatur; & ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat, vel præsumat*. Legatur Dissertatio nostra *De Vulgatæ Scripturæ Sacræ* versione, & Anticritica pro ejus defensione adversus R. P. C. F. Theologum Parisiensem.

Objicit idem Auctor adversus Decretum de regula & modo interpretandi Scripturam Sacram, Canonem *Relatum*, dist. 37. cujus hæc sunt verba; *Multa sunt verba in Scripturis Divinis, quæ possunt trahi ad eum sensum: quem sibi unusquisque sponte præsumpserit, sed non oportet. Non enim sensum extrinsecus alienum & extraneum debetis quærere, ut quoquo modo ipsum ex Scripturarum auctoritate confirmetis, sed ex ipsis Scripturis sensum capere veritatis oportet*.

Respondetur, huic Canoni plane consentaneum esse Tridentinæ Synodi decretum, *ad coercenda petulantia ingenia* editum, ut constat ex ipsomet Canone quem laudavit, ac interpolavit, seu mala fide

setu-

retulit *Gentiletus* suppressis nonnullis verbis quæ ejus causæ incommodabant, ut hæreticorum mos est. *Non enim*, inquit Canon, *sensum*, *quem extrinsecus adulteratis*, *alienum & extraneum debetis quærere aut quoquo modo ipsum Scripturarum auctoritate confirmare*, *sed ex ipsis Scripturis sensum capere veritatis*. *Et ideo oportet ab eo intelligentiam discere Scripturarum*, *qui eam a majoribus secundum veritatem sibi traditam servavit*, *ut ipse possit ea quæ recte suscepit competenter asserere*.

Objicit idem *Gentiletus* in decretum de Libris Canonicis, Synodum Tridentinam quosdam omnino apocryphos in eorum albo adscripsisse, *Ecclesiasticum* namque, *&* *Sapientiæ* librum, *Judith*, *Tobiam*, *Baruch*, *& Machabæos*, qui in Canonicorum numero ab Origene, & a Laodiceno Concilio non referuntur.

Respondetur, Etsi semper hi libri ab omnibus Ecclesiis in Canonicorum albo non sint conscripti, eo quod in Canone Hebræorum non extarent, ut ex *Melitonis & Origenis* indicibus ab *Eusebio* relatis historiæ Ecclesiasticæ Lib. 3. Cap. vigesimo quinto Lib. 4. Cap. vigesimo octavo & lib. 6. cap. 25. compertum est, ex *S. Gregorio Nazianzeno* Jambico 3. ad Seleucum, *Cyrillo Hierosolymitano* in catechesibus, ex Concilio Laodiceno, ex *S. Epiphanio* in Ancorato hæresi 8. & lib. de mensuris & ponderibus cap. 58. *S. Hilario* præfatione in Psalmos, *S. Joanne Damasceno* lib. 4. De fide ortodoxa, cap. 18. semper tamen ab Ecclesia Romana, & ab Africana, aliisque, ac tandem ab omni Ecclesia recepti sunt; ut constat ex *S. Hieronymo*, *S. Augustino*, *Innocentio I.* ex Concilio Carthaginensi 3. ex decreto Synodi Romanæ sub Gelasio & ex *Eugenio IV.* & Synodo post recessum Græcorum Florentiæ cum ipso superstite, quos Tridentina Synodus secuta est. Sane Canonem librorum Sacrorum Veteris & Novi Testamenti a Sacra Synodo Tridentina conscriptum, & ab Ecclesia Romana, cæterisque omnibus fide & communione cum ipsa confœderatis receptum, ab omnibus Catholicis recipiendum esse, probat præclara illa *S. Augustini* Regula lib. 2. “ De Doctrina Christiana, *cap.* 12. Erit igitur Divinarum Scripturarum solertissimus indagator qui primo totas legerit, notasque habuerit, & si nondum intellectu, jam tamen lectione, dumtaxat eas quæ appellantur Canonicæ . . . . . In Canonicis autem Scripturis Ecclesiarum Catholicarum quamplurium auctoritatem sequatur, inter quas sane illæ sint, quæ Apostolicas Sedes habere, & Epistolas accipere meruerunt. Tenebit igitur hunc modum in scripturis Canonicis, ut eas quæ ab omnibus accipiuntur Ecclesiis Catholicis, præponat eis quas plures graviores que accipiunt, eis quas pauciores minorisque auctoritatis Ecclesiæ tenent. Si autem alias invenerit a pluribus, alias a gravioribus haberi, quamquam hoc facile invenire non possit, æqualis tamen auctoritatis eas habendas puto. *Juxta hanc regulam subjicit Scripturarum canonem*, *cui Synodi Tridentinæ Decretum consentaneum est*. Totus autem Canon Scripturarum, in quo istam considerationem versandam dicimus, his libris continetur: Quinque Moysis, id est, Genesi, Exodo, Levitico, Numeris, Deuteronomio, & uno libro Jesu Nave, uno Judicum, uno libello qui appellatur Ruth, qui magis ad Regnorum principium videtur pertinere; deinde quatuor Regnorum, & duobus Paralipomenon, non consequentibus, sed quasi a latere adjunctis simulque pergentibus. Hæc est historia quæ sibimet annexa tempora continet, atque ordinem rerum: Sunt aliæ tamquam ex diverso ordine, quæ neque huic Ordini, neque inter se connectuntur, sicut est Job, & Tobias, & Esther, & Judith, & Machabæorum libri duo, & Esdræ duo, qui magis subsequi videntur ordinatam illam Historiam usque ad Regnorum vel Paralipomenon terminatam. Deinde Prophetæ, in quibus David unus liber Psalmorum, & Salomonis tres, Proverbiorum, Cantica Canticorum, & Ecclesiastes. Nam illi duo libri, unus qui Sapientia & alius qui Ecclesiasticus inscribitur, de quadam similitudine Salomonis esse dicuntur: Nam Jesus Sirach eos conscripsisse constantissime perhibetur, qui tamen quoniam in auctoritatem recipi meruerunt, inter Propheticos numerandi sunt. Reliqui sunt eorum *libri* qui proprie Prophetæ appellantur, duodecim Prophetarum libri singuli, qui connexi sibimet, quoniam numquam sejuncti sunt, pro uno habentur: quorum Prophetarum nomina sunt hæc, Osee, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Michæas, Nahum, Abacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias. Deinde quatuor Prophetæ sunt majorum voluminum, Isaias, Jeremias, Daniel, Ezechiel. His quadraginta quatuor libris Testamenti Veteris terminatur auctoritas: Novi autem, quatuor libris Evangelii, secundum Matthæum, secundum Marcum, secundum Lucam, secundum Joannem; quatuordecim Epistolis Pauli Apostoli, ad Romanos, ad Corinthios duabus, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Thessalonicenses duabus, ad Colossenses, ad Timotheum duabus, ad Titum, ad Philemonem, ad Hæbræos; Petri duabus; tribus Joannis; una Judæ, & una Jacobi, Actibus Apostolorum libro uno, & Apocalypsi Joannis libro uno. In his omnibus libris timentes Deum & pietate mansueti quærunt voluntatem Dei.

SCHOLION.

In hoc Articulo, Num. 1. pag. 89. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc velut meam propositionem notant: *Suavis & Palavicinus de Tridentino*, *ille acerbius*, *iste indulgentius judicant*.

R. Hæc propositio non est mea; de Concilio Tridentino id non scripsi, sed de Oratione a quodam Episcopo habita. En verba mea: *Sacris ritibus*, *solemnique supplicatione præmissa*, *habitaque Oratione a Cornelio Musso Episcopo Bituntino de qua P. Suavis & Pallavicinus pro suo quisque studio ille acerbius*, *hic indulgentius judicant*, *apertum est Concilium*.

ARTICULUS III.

De Gestis Sessione 5. Tridentinæ Synodi.

SEssione quinta, die 17. Junii anni 1545. celebrata, cum Sacris operatus esset *Alexander Piccolomineus* Pientinus Antistes, *Marcus Laureus* Ordinis Prædicatorum Theologus pro Concione dixisset, decretum de Originali peccato editum est, quod quinque Canones complectitur. Primus Anathema dicit eis, qui primum hominem Adam per transgressionem divini mandati „ totum secundum corpus & animam in deterius commutatum fuisse non confitentur. *Alter Anathemate percellit eos*, *qui Adæ prævaricationem ipsi soli*, *& non ejus propagini nocuisse asserunt*, *aut* Mortem dumtaxat & pœnas corporis in omne genus humanum transfudisse, non autem & peccatum. *Tertius damnat eos qui* Adami *peccatum*, quod origine unum est, & propagatione, non imitatione transfusum omnibus inest unicuique proprium *vel* per humanæ naturæ vires, *vel* per aliud remedium asserunt tolli, quam per meritum unius Mediatoris Domini nostri Jesu Christi: *aut negant* ipsum Jesu Christi meritum per Baptismi Sacramentum in forma Ecclesiæ rite collatum; tam adultis quam parvulis applicari. *Quartus damnat eos*, qui parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos *negant*, etiamsi fuerint a baptizatis parentibus orti: *Aut dicunt*, In remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati quod regenerationis lavacro necesse sit expiari ad vitam æternam consequendam. *Quintus damnat eos qui per* Jesu Christi gratiam, quæ in Baptismate confertur reatum originalis peccati remitti *negant aut asserunt*, non tolli totum id quod veram & propriam peccati rationem habet: sed illud tantum radi aut non imputari: *Et qui sentiat*, concupiscentiam *ideo* peccatum *ab Apostolo appellari*, quod vere & proprie in renatis peccatum sit. *Hanc* nocere non consentientibus, & viriliter per Jesu Christi gratiam repugnantibus, non valere, *Sacra Synodus declarat*: & in renatis nihil odisse Deum.

Decretum de originali peccato.

Hanc postremam Propositionem fortiter impugnavit *Seripandus* Ordinis Augustiniani doctissimus Theologus & Prior Generalis, ex multis *S. Augustini* locis ostendere satagens concupiscentiam Deo displicere; esse *malum* illud a quo liberari flagitant Sancti per Orationem Dominicam; bellatricem esse quæ omnes peccato victorias pariat, cum *adversus spiritum* continuo decertet, proindeque non sit a Deo, qui non potest non odisse, quod ab ipso non est. Decreti sententiam defendit *Bertanus* Phanensis Episcopus ex Ordine FF. Prædicatorum, ostenditque odium *inimicitiæ* Decreti verbis non obscure significari, non odium *displicentiæ*. Hominem in Christo renatum per Baptisma,

ptisma, & Filium Dei adoptivum effectum, esse revera non posse prioris odii objectum, dicente Apostolo, ad Romanos 8. *Nihil est damnationis iis qui sunt in Christo Jesu, qui non secundum carnem ambulant.* At in homine sic renato labes aliquas esse posse, quas Deus eo aversetur odio, quod *displicentiæ* nuncupatur. Concupiscentiam malum esse, quia *ex peccato est, & ad peccatum inclinat*; adversus spiritum pugnare, ideoque & Sanctos rogare ut ab ipsa liberentur, quod nisi in cœlesti Regia non obtinebunt; & Deo displicere. Cæterum non consentientibus pleno ac deliberato consensu minime nocere, quoad divinæ gratiæ jacturam, æternumque damnum; quamvis cunctis alioquin noceat aliquo pacto, ut quæ pulverem levicrum noxarum inspergat; & omnes subitis ejus motibus aliqua ratione consentiant, imperfecta & quasi subreptitia consensione. Nihil itaque in forma Decreti mutandum Patribus visum est.

Synodus in suis Definitionibus a supervacaneis articulis abstinuit.

II. Sacra Synodus in his de peccato originali diffinitionibus, nec-non in aliorum dogmatum declaratione, a supervacaneis Articulis abstinuit, ab illis nimirum, qui inter diversarum Scholarum Catholicos Theologos salva Fide disceptantur. Nam utrilibet parti quis adhæreat, nihil Scripturæ Sacræ, vel Traditioni, aut ante actorum Conciliorum Oraculis derogatur: Idcirco ingeniorum libertati permitti possunt absque ullo animarum detrimento. Ideo nec de natura ipsa peccati originalis, nec de propagationis modo, nec de conceptione immaculata Deiparæ Virginis aliquid sancitum est: quia Synodus ad hæreses profligandas, non ad opiniones Theologorum Catholicorum judicandas congregata erat: neque bella inter domesticos excitare prudentiæ fuisset, cum hostes communibus viribus erant debellandi. Cardinalis *Pacecus* vehementer instabat ut *Pia* declararetur opinio de Beatæ Virginis immunitate a peccato originali: at Episcopis Theologisque Dominicanis intercedentibus, & Cardinali *Cervino* Legatorum altero, qui eorum opinionem fovebat, agente, Decretum his verbis conceptum est, quæ neutri sententiæ detrahant. Declarat scilicet sancta Synodus, *Non esse suæ intentionis, comprehendere in hoc Decreto, ubi de peccato originali agitur, Beatam & Immaculatam Virginem Mariam Dei Genitricem, sed observandas esse Constitutiones Sixti IV.* Nec prætermittendum, *Cornelium Mussum* ex FF. Minorum Ordine Bituntinum Episcopum, Theologum doctissimum & facundissimum, causæ publicæ quam privatæ controversiæ studiosiorem, censuisse nihil esse decernendum quod suæ faveret, de Virginis Deiparæ Conceptione, ut refert *Palavicinus* Lib. 7. Cap. 10.

Cum primum Decretum de peccato originali a selectis ad id Patribus Theologisque compositum est, Canone 1. dicebatur, *Adamum* ob transgressionem amisisse sanctitatem in qua fuerat *creatus*. Sed eum in Congregatione generali ad examen revocatum est, Cardinalis *Pacecus* monuit, non esse citra controversiam inter Catholicos Theologos, an *Adamus* in primo quo creatus fuit momento, gratiam sanctificantem habuerit. Quamobrem vox illa, *creatus*, commutata est in *constitutus*. Expuncta est etiam ea Decreto periodus, qua dicebatur non improbari a Synodo novam illam Scholasticorum assertionem, manere post Baptismum *partem materialem originalis peccati*, non *formalem*: tum quod nollet Sacra Synodus auctoritatem suam intermiscere Scholasticis litibus: tum quod consecratis Veterum Patrum vocabulis Definitiones concipi convenientius esset, quam Scholasticis & salebrosis recentiorum Theologorum locutionibus.

Decretum Sessionis V. de Reformatione.

III. In eadem Sessione Decretum de Reformatione editum est, Capitibus duobus comprehensum. Primum est de lectione Scripturæ Sacræ in Metropolitanis & Cathedralibus Ecclesiis instituenda, nec-non in Collegiatis insignium oppidorum, si Clerus ibi numerosus fuerit, utque Præbenda seu præstimonium, aut stipendium Theologo instituendo, vel instituto designetur. In Ecclesiis vero tenuioribus, locorumque in quibus Clerus Populusque haud ita frequens, Magistrum ab Episcopo cum consilio Capituli deligendum, & condigno stipendio donandum statuit, qui Clericos, aliosque pauperes adolescentes, Grammaticam gratis doceat.

Verbi Dei prædicatio.

Caput alterum spectat verbi Dei Concionatores, & eleemosynarum Quæstores. Sancta Synodus declarat Episcopos *teneri per se ipsos*, nisi legitime fuerint impediti, *ad prædicandum Jesu Christi Evangelium*. Si legitime fuerint impediti, statuit ut viros idoneos ad id munus assumant: alioqui *districtæ subjaceant ultioni*. Ne pœna Decreto adjiceretur, frustra Cardinalis *Pacecus* intercessit, Contemptores usque ad abrogationem Sedis plecti posse, *Bertanus* Phanensis Episcopus propugnavit. Archipresbyteris & Curionibus pariter injunctum est, ut diebus saltem Dominicis & Festis solemnibus plebes sibi commissas *pascant salutaribus verbis, docendo ea quæ scire omnibus est necessarium ad salutem.*

Decreti reliqua pars Regulares spectat, quibus interdicitur ne in Ecclesiis etiam suorum Ordinum conciones habeant, nisi a Superioribus suis de vita, moribus, & scientia examinati, ac petita ab Episcopis Benedictione: in aliis vero Ecclesiis sine licentia Episcoporum ne concionentur: qui sacro munere ipsis interdicent, si errores aut scandala in populum disseminaverint, ubicumque conciones habeant. Fesulanus Episcopus adversus Regularium Privilegia quibus absque Episcoporum licentia in Ordinum suorum Ecclesiis ipsis prædicare liceret, acerbius declamavit. *Thomas Casellius* Britinonensis Antistes, ex Ordine Dominicano, Regularium causam acriter tuitus est. Episcoporum socordiam effecisse ait, ut Regulares Privilegia a Sede Apostolica impetrarent, quia illi concionandi munus non explebant; proinde Regularibus gratias habere debere, non acerbas querimonias in eos effundere, qui totum Episcopalis Ministerii pondus sustinerent, dum proventibus illius & honoribus Antistites fruebantur. Legatorum primus Fesulanum perstrinxit, aitque, si familiæ adeo de Ecclesia bene meritæ Privilegiis exuerentur, illas continuo concionandi laborem deserturas cum ingenti Fidelium detrimento. Altera vice cum acerbius in Regularium Privilegia Fesulanus invectus esset, a Legatis severe objurgatus est: quos tamen non solum pupugit intemperans & probrosa in Regulares declamatio, sed provocatio ad Dei Tribunal, quæ Concilii Auctoritati derogare videbatur. Deinde quod Episcopos Christi vicem in terris gerere asseruisset, quod nonnulli ad Pontificiæ Auctoritatis imminutionem dictam perperam interpretabantur. Provocationem ad divinum Tribunal excusavit Fesulanus; id a se dictum non esse contestatus est ad auctoritatem Synodi elevandam, quasi injusta esset, sed eorum more locutum, qui coram Deo conscientiam suam exonerant ob res ab aliis gestas sibi non probatas. In Assertione propositionis alterius, qua Episcopos Christi Vicarios dixerat, firmus constansque mansit, plurimosque suffragatores habuit ac defensores. Pontificem consuluerant Legati qua ratione in Fesulanum animadvertendum esset. Respondit Pontifex, In præsentia satius esse ad alia remedia non progredi, sed hominem verbis tantummodo castigandum, ne loquendi libertas adimi Patribus censeretur. Declamationes tamen illæ in Regularium Privilegia, quæ concionandi munus spectant, plurimos permoverunt, ut *Adriani VI.* Constitutionem innovandam censerent, qua omnes injussu Ordinarii concionari vetabantur. Et qui Decretum in privatis Cœtibus digesserant, illud reformarunt, adempta Regularibus in suorum etiam Ordinum Ecclesiis concionandi potestate sine Episcopi venia. Sed eam reformati Decreti partem graviter improbavit Cardinalis *Pacecus*. Absurdam sibi videri dixit, cum maxime Regularium opera necessaria foret; tunc cos possessiones Privilegiorum, & antiquis Juribus spoliari: vereri se ne hoc pacto præpediretur divini verbi prædicatio, ad Religionem servandam pernecessaria: Proinde suam esse sententiam, Viennensis Concilii Constitutionem in Clementina, *Dudum*, Tit. *De Sepulturis*, esse omnino retinendam. Quatuordecim dumtaxat ex quinquaginta partim Episcopis, partim Archiepiscopis in sententiam suam traxit *Pacecus*: reliqui Decretum Regularibus incommodum comprobabant, cum *Seripandus* Ordinis Augustiniani Supremus Moderator tanta efficacia, tanta modestia, tanta erga Episcopos reverentiæ significatione Religiosorum Ordinum causam egit, ut Patrum delinivent animos, & ad temperandum Decretum, eo quo habetur modo, permoverit. Hæc ex Actis prolixius refert *Palavicinus* Lib. 7. cap. 4. & 5.

De Regularium privilegiis, actum.

Gentilletus mala fide.

IV. Mala fide *Gentiletus* Sacram Synodum carpit, quod Episcopis permiserit per Vicarios concionari, id est (ut ipse commentatur) munere suo per Procuratorem fungi; & hunc abusum Canone 24. Concilii Constantinopolitani IV. & Canone 4. Concilii Vasensis damnatum ait. Dissimulat enim quod Tridentina Synodus declaravit, *Omnes Episcopos, Archiepiscopos, Primates, & omnes alios Ecclesiarum Prælatos teneri per se ipsos, si legitime impediti non fuerint, ad prædicandum Sanctum Jesu Christi Evangelium; si vero contigerit eos legitimo detineri impedimento, teneri juxta formam Concilii Generalis Latera-*

teranensis *vires idoneas assumere ad hujusmodi prædicationis officium salubriter exequendum*. Hinc autem speciem legitimi impedimenti Vasense Concilium non spectat quod Diaconis ipsis permittit, ut Presbyteris morbo impeditis, Diaconi SS. Patrum Homilias populo prælegant. Neque Constantinopolitanum Concilium Œcumenicum VIII. quod Metropolitanos dumtaxat perstringit, qui *in extremam negligentiam & desidiam lapsi, Ecclesiæ propria Divina Officia, & cuncta omnino Sacra quæ ad se pertinent Ministeria*, Suffraganeis suis committunt, *quæ per semet alacriter agere debuerint*: dum ipsi, *præter Ecclesiasticas Leges, sæcularibus curis atque dispositionibus* implicantur.

ARTICULUS IV.

De Gestis Sessionis Sextæ.

I. Ante Sessionem sextam Tridentum advenere Christianissimi Regis Oratores *Claudius Durfe* Forensium Præfectus, *Jacobus a Ligneris* in Senatu Parisiensi Tertiæ Judicum Decuriæ Præses, & *Petrus Danesius* Suæssnarum Præpositus, ad finem mensis Junii anno 1546. A Concilio honorificentissime sunt suscepti. Locus illis post Cæsaris Oratores datus. *Danesius* gravissimam Orationem ad Patres habuit, de qua legi potest *Palavicinus* lib. 8. cap. 3.

Catholica de justificatione doctrina.

II. Sessio sexta celebrata est die 13. Januarii 1547. Solemne Sacrum celebravit *Andreas Cornaro* Spalatensis Archiepiscopus: Concionem habuit *Thomas Stella* Salpensis Episcopus. Catholica de Justificatione doctrina Capitibus sexdecim in Decreto Fidei stabilita & explicata est: Errores Hæreticorum Canonibus triginta-tribus damnati, quorum summam exhiberem, nisi Tridentina Synodus in manibus omnium versaretur. Non minus ad Fidem pertinet Capitum doctrina, quam Canonum, ut ex Proœmio Decreti liquet: *Sacrosancta Oecumenica & Generalis Tridentina Synodus in Spiritu Sancto legitime congregata, exponere intendit omnibus Christi Fidelibus veram, sanamque doctrinam ipsius Justificationis, quam Sol Justitiæ Christus Jesus Fidei nostræ auctor & consummator docuit; Apostoli tradiderunt, & Catholica Ecclesia Spiritu Sancto suggerente perpetuo retinuit; districtius inhibendo ne deinceps audeat quisquam aliter credere, prædicare, aut docere quam præsenti Decreto statuitur ac declaratur*. Idem confirmatur ex fine Decreti: *Post hanc Catholicam de Justificatione doctrinam, quam nisi quisque fideliter firmiterque receperit, justificari non poterit; placuit Sanctæ Synodo hos Canones subjungere, ut omnes sciant non solum quid tenere & sequi, sed etiam quid vitare & fugere debeant.*

III. Capite septimo, quo justificationis causæ explicantur, docet Sacra Synodus, *Unicam formalem justificationis causam esse justitiam Dei, non qua ipse Justus est, sed qua nos justos facit, qua videlicet ab eo donati renovamur spiritu mentis nostræ, & non modo reputamur, sed vere justi nominamur & sumus, justitiam in nobis recipientes unusquisque suam, secundum mensuram quam Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult, & secundum propriam cujusque dispositionem & cooperationem*. Quo decreto non modo *Lutheri* errores damnantur, qui negabat interiorem formam justitiæ, veramque peccatorum deletionem, asserebatque hominem, tametsi numquam justus evadat, reputari talem, eo quod exterior Christi justitia ipsi imputatur: sed etiam singularis *Seripandi* reprobatur opinio, qui existimaverat exteriorem Christi justitiam includi in forma qua homo justus fit. Duplicem quippe justitiam *Seripandus* statuebat; partem quidem nobis intimam, quam pariter bifariam dividebat; ex his aiebat alteram ab initio efficere, ut a statu peccatorum gradum faciamus ad statum filiorum Dei; & hanc censebat nobis donari cum gratia per Sacramentum infusa, seu id re, seu voto suscipiatur: Partem alteram esse, qua dicitur homo juste vivere; & hanc collocabat in actibus virtutum ab eadem gratia productis. Secundam justitiam extra nos sitam volebat; nempe justitiam ac merita Redemptoris, quæ ex divina commiseratione nobis imputentur quasi nostra; non quidem integro, sed secundum eum gradum & ad ea efficienda quæ Deo placuissent. Primam justitiam, secundum utramque partem, absque altera imperfectam asserebat, nec satis esse ut per eam æterna gaudia consequamur; tum quia ceu pannus menstruatæ nostris quotidianis peccatis contaminatur; tum quia quantum ad gratiam infusam, nulla creatæ dotis qualitas perfecte dignos divina visione nos efficit; & quantum ad opera, *Non sunt condignæ* (ut ait Apostolus) *passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*. Hoc posito principio, explicabat qua ratione verum esset justificationem esse per Fidem, non per opera. Dicebat enim: si sermo sit de prima justificatione, quæ transitus quidam est ex inimicorum conditione ad statum filiorum Dei, eam operum præmium non esse, sed meram Dei misericordiam a Fide nobis impetratam, non autem per Pœnitentiæ meritum tributam, tametsi hæc Pœnitentia exigatur; Siquidem Pœnitentia Justificationem antecedens, cum sit opus ab inimico Dei profectum, quidquam promereri non valet: Ea vero pœnitentia quæ subsequitur, jam reperit deletum peccatum, adeoque æternum supplicium remissum. Si justificatio consideretur secundum alteram significationem, prout ea hominis justi vita est, vere ad ipsam necessaria esse opera asserebat, & hoc sensu dixisse Apostolum, In Christo Jesu valere *Fidem quæ per dilectionem operatur*: Tamen hujusmodi justitiam solis operibus non tribui, sed simul Fidei, quatenus opera, quantumvis necessaria, non sufficerent, nisi per Fidem applicaretur Christi justitia, qua quod nobis desit expletur. In singularis illius opinionis patrocinium advocabat *Seripandus Cajetanum*, *Pigbium*, *Flugium & Gropperum*. Ita sententiam *Seripandi* refert ex illius Monumentis ac Scriptis *Palavicinus* Lib. 8. Hanc sententiam multis Lutheranorum erroribus consonare demonstravit *Catharinus*, quos quidem *Seripandus* se detestari professus est; sed opinionem suam nihil eum illis consentire contendebat. Ipsi tamen e tanto Theologorum conciliarium numero quinque dumtaxat suffragati sunt, quorum tres erant ejusdem Ordinis alumni. Unde a Synodo etiam rejecta atque damnata est, *Seripando* mentem in obsequium Fidei captivante.

Seripandi singularis opinio de significatione, reprobata.

IV. Capite nono, quo Lutheri error proscriptus est asserentis, certa de remissione peccatorum fiducia Christi Redemptoris merita nobis applicari, justosque nos reddi, & neminem a peccatis absolvi ac justificari, nisi eum qui certo credat se absolutum ac [illegible]tum esse, atque hac sola fide absolutionem & justificationem perfici: Sacra Synodus definivit, *Nullum scire valere certitudine Fidei cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum*. Contrariam huic doctrinæ sententiam propugnare quibusdam visus est *Ambrosius Catharinus*, Minoriensis tunc Episcopus, adeoque ex Theologorum subselliis in Patrum consessum translatus. Geminam scilicet Fidem ille distinguebat: alteram catholicam hoc est Universalem; quæ Articulos ab Ecclesia definitos complectatur, iisque assentiatur; & rebus hac Fide creditis asserebat, non posse falsum subesse; quia signa a Deo exhibita promissionis suæ, qua se certo adfuturum Ecclesiæ promisit, hujusmodi sunt, ut omnipotentiæ suæ vim in hæc signa impendere nequaquam potuerit, si hæc promissio vere a se facta non esset, adeoque si posset Ecclesia decipi. Alterum Fidei genus esse posse censebat *Catharinus*, non pendentis a sola Ecclesiæ propositione, sed profectæ vel a Deo privatim revelante, vel ex universali Ecclesiæ pronuntiato, simulque ex peculiari quadam veritate aliunde cognita a certo quodam homine. Exempli gratia, docet Ecclesia, cuicumque homini baptismo initiato remissum esse peccatum originis: Sacerdos experimento certo scit hunc infantem a se baptizatum; hinc ad fide credendum adducitur, hunc infantem esse a peccato originali expiatum; accommodata illi peculiariter generali Ecclesiæ definitione: tametsi nihil illa de hoc vel illo infantulo singulatim explicet. Hæc porro Fides non est Catholica, cunctisque Fidelibus communis, quorum plurimi nesciunt hunc infantem baptizatum. Ac proinde quamvis Sacerdoti a quo baptizatus est, ex evidentia morali quam habet suscepti ab illo Baptismatis liceat ipsum comprehendere sub universali Dei revelantis dicto, quo docemur ac certo credere tenemur, omnem hominem rite baptizatum a peccato liberum esse: quamvis (inquam) Sacerdos ille credere possit hunc infantem a peccato liberum esse: tamen hoc ipsum natura sua falsitati obnoxium est: siquidem contingere potuisset, liquorem illum, quo infans ablutus est, quamvis aqua videretur, succum tamen esse aliunde expressum, ac proinde non idoneam Baptismo materiam: quod si ita esset, generalis Dei revelantis assertio hunc infantem non com-

Catharini sententia de certa propria justificationis notitia non est a Synodo [illegible].

complecteretur; ideoque habitus Fidei nullam vim impenderet in illum falsæ persuasionis actum, quem elicit Sacerdos. Idem asserebat *Catharinus* evenire in iis quæ privatim revelantur. Nam cum Angelus tenebrarum se in Angelum lucis interdum transfiguret, accidere potest ut ea species, quæ ad actum Fidei quempiam impellat, mendax sit, adeoque huic generi fidei subesse falsitas possit. Non quod actus idem a fide infusa elicitus possit unquam falli, neque quod res per eum credita falsa unquam esse possit, ubi Deus ipsam revelaverit: sed quia posito omni eo quo quis sibi persuadet esse rem illam a Deo revelatam, possit adhuc contingere minime veram esse: quod Articulis Fidei Catholicæ accidere numquam potest. Ita *Catharini* sententiam alioqui satis obscuram dilucide quidem ac vere *Palavicinus* explicat lib. 8. cap. 12.

Theologi omnes ipseque *Catharinus*, altero decreti sententiam complexi sunt, quo definitum ac declaratum est de propria justificatione fidem haberi non posse adeo certam, ut falsitati non sit obnoxia. At promulgato decreto, gravis inter *Dominicum Soto* & *Catharinum* statim excitata altercatio est, contendente *Soto* sententiam *Catharini* fuisse a Concilio damnatam, *Catharino* vero id negante, & eamdem edita Apologia constanter propugnante. Sic arguebat *Soto*; Sacra Synodus definivit hominem scire posse neminem *certitudine fidei, cui non possit subesse falsum*, se gratiam Dei esse consecutum. Id igitur fide infusa credi non potest, cum cuicumque fidei infusæ eadem certi ratio insit. Etenim (inquiebat) si spectetur vel ipsius actus fidei, vel Divini verbi a falsitate immunitas, quæcumque fides infusa hanc immunitatem obtinet: si vero præterea exigatur ut res credita suapte natura falsa esse non possit; id certe ne ipsa quidem Fides universalis & Catholica postulat, cum plura etiam contingentia credat. Ad hæc respondebat *Catharinus*, peculiari quodam modo certas esse res creditas in articulis catholicæ fidei, adeo ut nulli falsitati seu dubitationi subjaceant, dum Fides ipsa & Ecclesiæ proponentis auctoritas nos certissimos reddunt eos articulos a Deo fuisse revelatos, qui nec fallere, nec falli potest. Hanc autem certitudinem a Lutheranis etiam poni in sua fiducia, seu privata fide; cum illi duplicem fidem non distinguant, nec Ecclesiam visibilem agnoscant, nec aliam fidem nisi privatam. Ita certam notitiam nemini mortalium de sua justificatione inesse posse, *Catharinus* fatebatur, & adversus sententiam suam nihil confici contendebat, ex antecedentibus illius decreti verbis a *Soto* objectis, quæ sic habent: *Quilibet dum seipsum, suamque propriam infirmitatem & indispositionem respicit, de sua gratia dubitare ac timere potest*. His enim verbis tantum significari ajebat, licere cuique de sua justificatione dubitare spectatis fallaciis, quibus fucari possunt rationes & argumenta nobis persuadentia, universalem Ecclesiæ definitionem illi peculiari rei & sub his conditionibus positæ accommodari; adeoque Christianum hominem non adigi ad Martyrium subeundum, quo veritatem illam tueatur; idque satis esse Concilii proposito, id contra Lutheranorum doctrinam definientis, a quovis homine justo hujusmodi certæ fidei firmitatem de suscepta justitia postulantium. Minime tamen inde colligi non licere, positis jam legitimis rei credendæ argumentis, illi rei nominatim accommodare id quod Ecclesia universa definit.

Hanc porro *Catharini* opinionem licet prorsus falsam, a Concilio tamen damnatam non esse probat *Palavicinus* loco laudato, his rationibus. Primo, si ea opinio fuisset proscripta, *Catharino* permissum non fuisset, ut eodem manente Concilio, iisdem Legatis, iisdem Episcopis intelligentibus, videntibus, ab eo typis edita propugnaretur. Præterea in Congregationibus tum 17. Aug. tum 27. Dec. habitis, sancitum fuit hunc Articulum, prout inter Catholicos disputabatur, esse prætermittendum: qua de re in secunda Congregatione convenere triginta-tres ex Patribus, sexdecim tantummodo contradicentibus, & sex dubitantibus. Non est igitur verisimile, conspirasse paulo post in illius damnationem sententiæ, cui faverant in Concilio plures eximii Theologi & inter Consiliarios, & inter Judices. Tertio hæc ipsa Sanctio pro certa habita est in quodam Theologorum & Præsulum cœtu coram Cardinali Sanctæ Crucis Legatorum altero die Octava Januarii, & ad eam componendam quædam verborum forma proposita: Patres vero usque ad diem posteram deliberandi spatium petiere, demum die nona Januarii Decretum confirmarunt. Cumque jam de re ipsa convenissent, solum dubitatum est, an addendum esset nomen *Catholicæ* illi *Fidei*, quam universe damnabant in homine de propria justificatione: At Cardinalis *Sanctæ Crucis* monuit, stabiliendum hoc decretum, ut confirmaretur censura Sacræ Facultatis Parisiensis de *Lutheri* doctrina; a *Luthero* autem non affirmari eam Fidem esse Catholicam & universalem, cum inter homines alteri non innotescat, quid alter in sinu recondat; unde per illius vocis additionem minime proscribi errorem in *Luthero* a Theologis Parisiensibus damnatam. Hinc factum est ut loco *Catholica* hæc verba proponerentur *certitudine Fidei, cui non potest subesse falsum*: quæ ab omnibus summo consensu comprobata sunt. Qua vero ratione id fieri potuisset, si his verbis altera ex duabus opinionibus damnaretur, cui tot Patres tam ardenter patrocinati fuerant, & de qua nihil esse definiendum pridie inter illos convenerat! Denique in ipsa sessione, Justificationis decreto Patribus exposito, *Vigerius* Senogalliensis Episcopus per Schedulam significavit placere sibi Decretum, dummodo in hoc Articulo soli hæretici proscriberentur, cunctæque Catholicorum sententiæ starent illæsæ. Quæ conditio a viro tam erudito apposita non fuisset, si habuisset exploratum *Catharini* opinionem a Synodo damnari; sed tunc Decretum ipsum vel reformari postulasset, vel absolute comprobasset.

V. In Decretis & Canonibus de Justificatione, ubi agitur de forma qua homo fit justus, Patres data opera nunc *Gratiæ*, nunc *Charitatis*, nunc utriusque voces adhibuerunt, ne variis Scholasticorum opinionibus de distinctione vel identitate gratiæ & charitatis derogarent, aut uni magis quam alteri favere viderentur.

P. Suavis objectiones adversus Tridentina Decreta de Justificatione.

VI. Objicit *P. Suavis Polanus*, Omnis generis & literaturæ homines in Decretis de Justificatione aliquid castigandum observasse, Grammaticos, Theologos, Historiæ Ecclesiasticæ peritos & Politicos. Grammaticos irrisisse ait eam loquendi formulam Cap. 5. *Ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem*, NEQUE HOMO IPSE NIHIL OMNINO AGAT, *inspirationem illam recipiens*: Id vero quia ea formula duas negationes continet, quæ ob interjectam particulam, *omnino*, in unam affirmationem resolvi non possunt. Opposuisse Theologos ait; posita definitione quod homo possit divinæ inspirationi dissentire, haud amplius Ecclesiæ licere usum publicæ veterisque precationis. *Ad te nostras etiam rebelles compelle propitius voluntates*. Objecisse præterea, non amplius nobis licere cum *Paulo* dicere: Ab homine non proficisci id quod vasa iræ a vasis divinæ misericordiæ separat; cum id quod separat, sit illud *non nihil omnino*, hoc est, ex parte hominis. Objecisse tertio, Hanc sententiam Capitis septimi pugnantia involvere: *Unamquemque justitiam recipere, secundum mensuram quam Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult, & secundum propriam cujusque dispositionem & cooperationem*. Hæc duo scilicet vera simul esse non posse, quia si Deo placeret majorem ei largiri gratiam, qui minus esset dispositus, non reciperetur secundum propriam illius dispositionem; si vero justitia secundum recipientis dispositionem semper conferatur, ratio semper aliqua ex parte hominis est Deum ad operandum movens, nec partitur gratiam singulis prout vult. Quarto, Theologis hæc duo pugnare visa (inquit *Suavis*) quod hic definiat Synodus, posse quemlibet hominem justum divina præcepta servare, & antea in secundæ Sessionis Decreto cunctos Fideles in civitate Tridentina congregatos adhortetur, *Ut præcepta Dominica, quantum quisque poterit, adimplere velint*: Quæ limitatio fuisset impia, si possunt illa absolute servare. Historiæ Ecclesiasticæ peritos idem *Suavis* objecisse ait: A cunctis simul Conciliis tot Articulos non fuisse decretos, quot in hac unica Sessione sunt definiti: ac bonam hujusce rei partem Aristoteli referendam: qui nisi causarum genera solerter distinxisset, multa nobis fidei dogmata defuissent. Dein Politicos in scenam *Suavis* introducit, objicientes; Quod Canone vigesimo declaretur, Justum etiam obligari ad implenda Dei Ecclesiæque præcepta, & præceptorum sæcularis potestatis mentio nulla fiat. Idque factum ait Virorum Ecclesiasticorum arte, persuadere satagentium, obsequium sæcularibus Principibus exhibendum, ut tantummodo pœna temporaria vitetur; at obedientiam ipsis Ecclesiasticis exhibitam, esse viam unicam qua ad cœlum ascenditur. Objicit tandem, Ne ipsis quidem horum Decretorum Auctoribus satis exploratum fuisse eorum sensum; siquidem *Soto & Catharinus* de sensu noni Decreti tam acriter contenderunt,

VII.

Responsio.

VII. Respondet *Palavicinus*, Futiles esse ac inanes objectiones a *Suavi* alienis nominibus in hæc Sessionis sextæ Sacrosancta Decreta factas. Grammaticorum imprimis objectionem nulla ratione niti ostendit; tum quia hæc loquendi formula, *Ita ut neque homo ipse nihil omnino agat*, contradictorie opponitur huic *Lutheri* Propositioni, quam Synodus damnare volebat, *Homo divinam inspirationem recipiens, nihil omnino agit*: Ut autem huic Propositioni contradictoria esset, præponenda erat negatio, & dicendum, quod in Decreto dicitur: *Neque homo divinam inspirationem recipiens, nihil omnino agit*; Tum etiam, quia similem hanc loquendi formolam usurpavit Cicero in Dialogo de Claris Oratoribus: *Neque Sulpitio, neque Cottæ dicere possumus, neque cuiquam bono Oratori, rem ullam ex illis quinque partibus plane atque omnino defuisse*.

Nec melius fundatæ sunt Suavianorum Theologorum objectiones, verius dixerim cavillationes. Quod enim primam spectat, optime cohæret cum assertione Concilii definientis, *Liberum arbitrium a Deo motum & excitatum posse dissentire, si velit*, publica illa & vetus Ecclesiæ Oratio, *Ad te nostras etiam rebelles compelle propitius voluntates*. Nam vox illa, *compelle*, coactionem aut violentam actionem non significat, sed efficacem operationem, aut etiam persuasionem, ut in Evangelica Parabola hominis illius, qui fecit cœnam magnam, & accepta a prius invitatis repulsa, servum jussit per vicos & plateas cæcos & claudos quærere, & adjecit, *Compelle eos intrare*: quibus verbis non præcepit servo ut vim illis inferret, adeo ut nullo pacto dissentire illis integrum esset. Certe verbum, *compelle*, in Ecclesiæ Orationibus eo sensu intelligendum est, quo verbum, *trahere*, in Evangelio, ubi Christus ait: *Cum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum*. Et *nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*. Porro verbum, *trahere*, prout a Christo usurpatum est, violentam actionem non significat: igitur nec verbum, *compelle*, ut accipitur ab Ecclesia. *S. Augustinum* si consuluisset *Suavis*, istam objectionem haud magni fecisset. *Magna gratiæ commendatio* (inquit ille Tractatu 26. in Joannem) *Nemo venit nisi tractus* . . . . . . *Nondum traheris, ora ut traharis. Quid hic dicimus, fratres? Si trahimur ad Christum, ergo inviti credimus; ergo violentia adhibetur, non voluntas excitatur. Noli cogitare te invitum trahi: trahitur animus & amore. Nec dicas, Quomodo voluntate credo, si trahor? Ego dico: Parum est voluntate ire, etiam traheris voluptate* . . . . *Porro si Poetæ dicere licuit*: Trahit sua quemque voluptas; *Non necessitas, sed voluptas; non obligatio, sed delectatio: quanto fortius nos dicere debemus, Trahi hominem ad Christum, qui delectatur beatitudine, delectatur justitia, delectatur sempiterna vita, quod totum Christus est? Da amantem, & sentit quod dico*.

Æque futilis est objectio altera; Quod enim vasa iræ a vasis divinæ misericordiæ separat, gratia est, *electio* est *secundum propositum*, non *illud nonnihil omnino*, hoc est, aliquid ex parte hominis, qui seipsum non discernit, cum nihil habeat quod non acceperit; & illud ipsum *nonnihil omnino*, Dei beneficium sit, qui *Voluit esse merita nostra, quæ sunt ipsius dona*; ut ait Sancta Synodus post Beatum *Augustinum*.

Tertia objectio non minus levis est: propria enim cujusque dispositio cum sit a gratia, quæ *voluntatem hominis & præparat adjuvandam, & adjuvat præparatam*, ut ait *S. Augustinus*, ad Divinum illud Oraculum attendens: *Præparatur voluntas a Domino*: optime ista duo cohærent, quod unusquisque justitiam recipiat *secundum mensuram quam Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult, & secundum propriam dispositionem*.

Quarta objectio hominis est Theologiæ rudis: quamvis enim divina præcepta absolute servare unusquisque possit; eamdem tamen servare perfecte & citra omnem teporem, ac lapsum in venialia peccata, ne ipsi quidem Justi possunt, sicut Sacra Synodus declarat; unde *S. Augustinus* ab ea laudatus ait: *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet & facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat ut possis*. Quidni igitur Sacra Synodus adhortari Fideles potuit ut præcepta Dominica adimpleant *quantum possunt*; & nihilominus præcepta cunctis possibilia asserere? Equidem si Sacra Synodus Fideles hortaretur, ut divina servarent præcepta *quæ possent*, aut *quotiescumque possent*, id pugnaret cum altera ejusdem Synodi sententia, qua Dei Præcepta homini justificato ad observandum non esse impossibilia, definitur: sed cum eos hortetur ut illa impleant *quantum quisque poterit*, nulla contradictio in illis verbis est aut sententia. Neminem enim adhortamur ad agendum quantum potest, nisi in iis quæ sunt ipsi absolute possibilia. Quis enim cæco dixerit, Aspice quantum potes? Aut Paralytico aut pedibus mutilato, Ambula quantum potes?

Miram visam esse Sacræ Historiæ Peritis quis credat Decretorum & Canonum istius Sessionis multitudinem; qui ipsis omnia pene ab Africanis & Arausicana II. Synodis de gratiæ necessitate ac arbitrii libertate stabilita principia partim confirmari, partim per legitimas consecutiones explicari noverant, paucis additis Articulis, qui non implicite saltem fuerint per Synodos superiores definiti? Et quis miretur quod pro venenorum varietate, diversa pharmaca conficiantur? Tot hæreses *Lutherus*, aliique ejusdem ætatis Hæretici protulerant, ut paucis Decretis configi ac damnari non possent. Insulsum vero est illud *Suavis* ludibrium, bonam horum Decretorum partem esse Aristotelis Philosophiæ referendam, quod Philosophicis notionibus & loquendi formulis usa sit Sacra Synodus ad seriem justificationis, illiusque causas explicandas. Quasi vero idem objici Conciliis Ephesino & Chalcedonensi non posset, in quorum Decretis e Philosophia petitæ loquendi formulæ usurpantur, substantiæ, naturæ, personæ, hypostasis discrimen jam subtiliter explicantes. Sanctorum *Athanasii*, *Basilii*, *Gregorii* utriusque *Nazianzeni & Nysseni*, *Cyrilli Alexandrini*, *Maximi*, *Joannis Damasceni*, & aliorum Patrum, Philosophiæ documenta, & loquendi rationem contra Hæreticos ad Fidem Catholicam explicandam ac tuendam usurpantium, studia, labores, Opera nemo sapiens improbaverit, ac despexerit. Theologiæ ac Fidei Philosophiæ aliæque Disciplinæ famulantur; & sicut Grammatica uti Synodus necesse est ad Decreta sua componenda, Fideique doctrinam tradendam, ac declarandam, nec tamen quis recte dixerit magnam horum Decretorum partem esse Grammaticis referendam: ita Philosophiæ documentis & locutionibus ipsas interdum uti oportet ad hæreses damnandas, id exigente materia, nec tamen absque vecordia & temeritate dici potest, hæc Decreta Aristoteli accepta referri, qui nisi philosophatus fuisset, & causarum genera, vel res alias solerter distinxisset, multa nobis Fidei dogmata defuissent.

Politicorum, vel *Suavis* potius eorum personam agentis, næ injustæ prorsus querimoniæ, næ putida plane calumnia! Ubinam Viri Ecclesiastici persuadere nituntur obsequium Principibus exhibendum ut pœnæ dumtaxat temporariæ vitentur? Non-ne Theologi pene omnes hanc sententiam vel erroneam ac prope vel omnino hæreticam rejiciunt? Non ne illud Apostoli oraculum opponunt? *Qui resistit Potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt*. Et illud? *Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam*. Non ergo propterea Synodus Laicæ Potestatis præcepta reticuit, quod iis conscientiam non ligari existimaret; sed quod observantia Mandatorum Dei & Ecclesiæ, ad quam hominem justificatum & quantumlibet perfectum obligari definit, obsequium Principibus & Magistratibus necessario exhibendum complectatur.

Rom. 13. 2.

Quod tandem postremo loco *Suavis* objicit de contentione *Dominici Soto & Catharini*, non probat Decretorum sententiam ipsos eorum Auctores latuisse, sed consecutiones ex iis deducendas. Sic nomi Decreti de Justificatione sententia omnibus Patribus & Theologis Concilii plane explorata erat, scilicet, *Neminem scire valere certitudine fidei cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum*. Sed consecutiones alias ex eo Decreto *Catharinus*, alias *Soto* colligebat, quas Patres non intenderant.

Mitto *Gentileti* Objectiones, quibus Canones Arausicanos Tridentinis opponit. Nullus enim est vel mediocriter eruditus, illarum imbecillitatem ac falsitatem qui non videat; omnibusque Canones illos Sessionis 6. cum Arausicanæ, vel Africanarum Synodorum contra Pelagianos habitarum, & cum *SS. Augustini* & *Prosperi* locis ad marginem adnotatis, conferentibus perspectum erit atque exploratum; Tridentinos Patres non solum istarum Synodorum ac Patrum doctrinam de gratia & justificatione secutos, sed ipsis eorum verbis plerosque suorum Canonum conscripsisse.

Decretum Sessionis 6. de Reformatione.

VIII. Decretis de Fide, & Canonibus, subjunctum est Sessione sexta Decretum de Reformatione, quinque capita continens. Primo Prælatorum in suis Ecclesiis Residentia sancitur, juris antiqui pœnæ in non residen-

residentes innovantur, novæque decernuntur. Capite secundo statuitur de secundi Ordinis Sacerdotibus, quævis Beneficia Ecclesiastica, personalem Residentiam de jure sive consuetudine exigentia, in titulum sivo commendam obtinentibus, ad mansionem cogendis per eorum Ordinarios. Tertium, Sæcularium Clericorum & Regularium extra Monasteria degentium crimina Ordinarii Censuræ & correctioni subjicit. Quartum, Capitula Cathedralium & aliarum Majorum Ecclesiarum, eorumque Personas, visitationi & correctioni suorum Episcoporum, & aliorum Majorum Prælatorum subdi declarat, nullis Exemptionibus, Consuetudinibus, Sententiis, Juramentis, & Concordatis obstantibus, quæ suos tantum obligent Auctores, non etiam Successores. Capite 5. prohibetur Episcopis ne in aliena Diœcesi Pontificalia exerceant, nisi de Ordinarii expressa licentia: alioqui Episcopus ab exercitio Pontificalium, & sic ordinati ab executione Ordinum sint ipso jure suspensi. De impedimentis dumtaxat Residentiæ removendis ea in Sessione actum est explicatione juris quo præcepta est residentia, an scilicet Divino, vel Ecclesiastico tantum Jure, in aliud tempus dilata, volentibus Legatis, quibus injunctum erat a Summo Pontifice ut hancce quæstionem declinarent.

Objectio Gentileti in Decretum de Residentia.

IX. Decretum de Residentia Episcoporum hac sessione editum *Gentiletus* velut *Frigidam & vanum* sugillat. „ Ad quid enim, inquit, Pastoris in sua Diœcesi commoratio prodest, nisi Evangelium prædicet, & munus suum quo in loco oportet, exerceat? „ Præterea, pœna, quæ indicitur, jacturæ quartæ „ partis reditus Beneficii, remissior est & levior; ma„ xime cum ex illius Decreti sententia in eam inci„ dere nemo possit, qui integro semestri non absue„ rit. Adeo ut ad eludendam hujusmodi pœnam, sa„ tis sit vel diem unum illius semestris in uno aliquo „ suæ Diœcesis loco commorari. Nam hoc pacto se„ mestris illa absentia non adimpleretur, sed inter„ rumperetur, pœnaque eluderetur. Adde quod hoc „ Decretum legitimam occupationis exceptionem ha„ bet, ideoque nullus unquam excusandi sui prætex„ tus illis deesse potest, quoties voluerint.

Responsio.

Respondetur criminationes illas *Gentileti* calumniæ convinci Decreto Sessionis 22. quo Sacra Synodus priorem illam suam de Residentia Sanctionem explicat. Non enim meram in Diœcesi mansionem Episcopis, aliisque animarum Rectoribus imperatam significat, sed sacrarum functionum executionem. *Cum præcepto*, inquit, *divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre, verbique divini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, & in cætera Munera Pastoralia incumbere: quæ omnia nequaquam ab iis præstari & impleri possunt, qui gregi suo non invigilant, neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt; Sacrosancta Synodus eos admonet & hortatur, ut divinorum præceptorum memores, factique forma gregis, in judicio & veritate pascant & regant.* Excludit etiam Sacra Synodus falsum illum sensum quem ejus Decreto *Gentiletus* affingit. *Ne vero*, inquit, *ea quæ de Residentia sancta & utiliter jam antea sub felicis recordationis Paulo III. sancita fuerunt, in sensus a Sacrosanctæ Synodi mente alienos trahantur, ac si vigore illius Decreti quinque mensibus continuis abesse liceat; illis inhærendo declarat Sacrosancta Synodus, Omnes Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis, ac Cathedralibus Ecclesiis quibuscumque, quocumque nomine & titulo præfectos, etiamsi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales sint, obligari ad personalem in sua Ecclesia vel Diœcesi Residentiam; ubi injuncto sibi officio defungi teneantur; neque abesse posse, nisi ex causis & modis infra scriptis.* Ostendit insuper falsum esse, quod nullus umquam illis absentiæ prætextus deesse possit, cum legitimas absentiæ causas declarat, & ad quatuor capita coercet. *Nam*, inquit, *cum Christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, ac evidens Ecclesiæ vel Reipublicæ utilitas aliquos nonnumquam abesse postulant, & exigant; decernit eadem Sacrosancta Synodus, has legitimæ absentiæ causas a Beatissimo Romano Pontifice, aut a Metropolitano, vel eo absente, Suffraganeo Episcopo antiquiori residente, qui idem Metropolitani absentiam probare debebit, in scriptis esse approbandas, &c.* Pœnas denique Decreto Sessionis 6. constitutas aggravat. *Si quis autem quod utinam numquam eveniat! contra hujus decreti dispositionem abfuerit, statuit Sacrosancta Synodus, præter alias pœnas adversus non residentes sub Paulo tertio impositas & innovatas, ac mortalis peccati reatum, quem incurrit, eum pro rata temporis absentiæ fructus suos non facere, nec tuta conscientia, alia etiam declaratione non secuta, illos sibi detinere posse, sed fabricæ Ecclesiarum aut pauperibus loci erogandos esse.*

Altera Gentileti objectio contra Decretum de Jurisdictione Episcopali.

X. Decretum 3. ejusdem Sessionis 6. De Reforma„ tione carpit *Gentiletus*, quo generalis potestas Præ„ sulibus, tamquam Romani Pontificis Legatis conce„ ditur, corripiendi castigandique excessus Clericorum „ Sæcularium, nec non Regularium extra Monasteria „ sua vagantium. „ Quod, inquit, Regiæ Auctoritati repugnat. Regi enim jus est per suos Magistratus Clericos coercere in multis criminum generibus, qui *Privilegiati Casus* nuncupantur. Adde quod jus exercendæ alterius quam suæ ordinariæ jurisdictionis non habent, nisi Regis permissu, Curiarumque Supremarum approbatione.

Responsio.

Respondetur: Concilii decretum de criminibus Ecclesiasticis intelligendum, quorum censura ad Episcopos jure communi pertinet, non de criminibus sæcularibus, quæ legibus Principum perstringuntur, & ad Magistratuum cognitionem spectant. Pœnarum etenim Canonicarum inflictionem suæ potestatis non esse agnoscunt, secundum illa *Justiniani* Imperatoris verba Novella 83. *Si vero Ecclesiasticum sit delictum, egens castigatione Ecclesiastica & mulcta; Deo amabilis Episcopus hoc discernat, nihil communicantibus, clarissimis Provinciæ Judicibus. Neque enim volumus talia negotia omnino scire civiles Judices: cum oporteat talia Ecclesiastice examinari, & emendari animas delinquentium per Ecclesiasticam mulctam secundum Sacras & Divinas regulas, quas etiam nostræ sequi non dedignantur leges.* Cæteros Episcopos Jurisdictionem illam, quam in Monachos vagos & extra claustra delinquentes, ipsis ut Sedis Apostolicæ Delegatis Tridentina Synodus tribuit, Christianissimi Reges & Magistratus exercere in causis Ecclesiasticis & Regularem disciplinam spectantibus non solum probant, sed auctoritate sua ipsos juvant, si necesse fit, ut Canonum protectores ac vindices. Nec delegatio illa est ingrata Principibus, cum Episcopis nihil tribuatur, quod secundum jus commune ipsis non competat, id est, seclusis exemptionibus, quibus his in causis ob disciplinæ bonum derogatur: nec aliquid tenetur contra Canones, aut Libertates Regni.

Nota.

CLericos immonitate gaudere etiam quoad crimina secularia dixi alibi.

ARTICULUS V.

De Gestis ac Decretis Sessionis Septimæ.

Canones de Sacramentis in genere, de Baptismate & confirmatione.

I. SEssio septima, die tertia Maji anni 1547. celebrata est. Sacris operatus est Archiepiscopus Corcyrensis. Sacra Synodus *Sanctarum Scripturarum Doctrinæ, Apostolicis Traditionibus, atque aliorum Conciliorum & Patrum consensui inhærendo*, tredecim Canones de Sacramentis in genere, quatuordecim de Baptismo, tres de Confirmatione, contra recentes hæreses edidit. *P. Suavis* argutias & cavillationes circa hæc decreta facile solvet, quisquis Tractatum de Sacramentis tenuerit. In hac, ut in superioribus sessionibus, Concilium noluit sententiæ cuipiam officere, cui nobilis aliqua e scholis catholicis militaret. Hinc abstinuit ab iis quæstionibus, An Sacramenta sint causæ physicæ, vel morales? In quo posita sit ratio Characteris? An ad efficaciam Sacramenti sufficiat intentio ritus exterioris serio exercendi, quem exercet Ecclesia, an vero necessaria sit intentio ipsius effectus & finis quem Ecclesia intendit? &c. Priorem illam intentionem sufficere *Catharinus* asserebat, cujus sententiam a Synodo Tridentina damnatam non fuisse certissimum est, quam & sedente adhuc Concilio defendit edito Opusculo *De intentione Ministri*, eamque Concilii Decretis non contradicere asserit, nemine ex Patribus repugnante. Immo cum excitata fuisset literaria contentio inter ipsum *Catharinum* & Sacri Palatii Magistrum, editisque hinc inde Libellis litigaretur, rogatus est a Legatis Summus Pontifex, Palatii sui Magistrum moneret, ut ab inferenda alteri molestia temperaret, affirmantibus vitam & doctrinam *Catharini* ab omnibus commendari. Unde conficitur, opiniones a *Catharino* defensas, Patribus haud suspectas fuisse, nec illis fuisse in animo eas proscribere. Porro si res ita se haberet,

Opinionem Catharini de intentione Ministri Sacramentorum Tridentina Synodus non damnavit.

ret, numquam commisissent, ut per communes acclamationes ad Episcopatum promoveretur; neque is qui tunc Synodo præerat, *Marcellus Cervinus* Cardinalis S. Crucis, postea Pontifex Maximus ipsum ad Compsanum Archiepiscopatum evexisset. Sententia itaque a Synodo Tridentina proscripta Canone undecimo Sessionis septimæ, eadem est quam *Leo X.* in sua contra *Lutherum* & ejus errores Constitutione damnavit, videlicet ita fuisse a Christo institutum Sacramentum, ut etiamsi Minister per manifestam irrisionem ac ludibrium illud perageret, effectum consequatur. Unde cum Articulus *Lutheri* ex illius Libro *De Captivitate Babylonica* excerptus, proponeretur Concilio damnandus, ubi ait: *Quidquid credimus nos recepturos, vere recipere, quidquid faciat vel non faciat, simulet vel jocetur Minister*: Articulus Censuræ expositus his verbis conceptus est: *Non requiri Ministri intentionem ad valorem Sacramenti*. Sed quidam ex Theologis censuerunt, damnandum non esse sine aliquo additamento, cum variæ de hujusmodi intentione circumferantur sententiæ; ac præsertim cum putarent complures, sufficere si Minister id intendat exequi, quod efficere intendit Ecclesia; aliique communiter ajebant, id in Concilio Florentino damnatum; & *Seripandus* illud damnandum affirmabat, quia sumebatur in sensu *Lutheri*, qui soli Fidei suscipientis Sacramentum adscribit omnia, ipsi vero Sacramento nihil, adeoque nihil pariter Ministro Sacramentum conferenti, quod Doctrinæ Catholicæ adversatur; relinquendum vero Theologorum disputationibus, cujusmodi esse debeat hæc Ministri voluntas, ut ipse conficiat & conferat Sacramentum. Ita refert *Palavicinus* Lib. 9. Cap. 6. Sane *Catharino* in illius opinionis assertione præiverunt *Robertus Pullus*, *Petrus Cantor*, *Præpositivus*, *Petrus Paludanus*, & *Sylvester Prieras*, plurimosque assectatores habuit, & etiamnum habet, qui eidem sententiæ favere *S. Thomam* contendunt III. P. Quæst. 64. Art. 8. id ex Ecclesiæ praxi & consuetudine confirmant, quæ numquam baptizandos aut ordinandos censuit ac decrevit eos, qui baptizati vel ordinati fuissent a Ministris, quos Ritum exteriorem Sacramenti serio perfecisse, id est, materiam formamque legitimam adhibuisse constaret, quamvis postea se intentionem non habuisse dicerent faciendi quod faciat Ecclesia Romana; vel intentionem ipsam esse necessariam negarent, ut Lutherani & Calvinistæ. A quibus tamen baptizatos cum nonnulli Sacerdotes post Synodum Tridentinam sub conditione saltem rebaptizarent; id prohibuit Concilium Rothomagense sub *Carolo* Cardinali *Borbonio* anno 1581. Cap. De Sacramentis; Remense sub *Ludovico* Cardinali *Guisio* anno 1583. Cap. De Baptismo: Aquense sub *Alexandro Cangiano* Archiepiscopo anno 1585. Cap. de Baptismi Sacramento; Tolosanum sub *Francisco* Cardinali *A Joyosa* anno 1590. P. 2. Cap. 1. De Baptismo; & Narbonense sub *Ludovico de Vervins* Archiepiscopo anno 1609. Cap. 14. De Baptismi Sacramento.

Quæstio de Sacramentorum institutione statim post Adami lapsum intacta.

II. Præter definita dogmata, alia duo hac in Sessione in Disputationem adducta sunt: alterum fuit *Lutheri* pronuntiatum, quod in Disputatione ab illo habita anno 1520. continebatur, videlicet, *Statim post Adami lapsum fuisse Sacramenta gratiam conferentia*. Id Theologi complures minime damnandum putarunt, tum ob multorum sententiam de Matrimonio, tum multo magis ob *S. Augustini* doctrinam, credibile esse affirmantis, quovis tempore institutum a Deo fuisse remedium aliquod Infantibus, ne omnes qui per eam ætatem morerentur inevitabili damnatione perirent. Quod remedium cum ex divina institutione ac promissione certum omnino esset, nec eorumdem infantium merito deberetur; simulque de multorum sententia, ritum aliquem subjectum sensibus exigeret, propriam Sacramenti rationem obtinere videbatur, & pro Sacramento a variis Scholasticis habitum est. Quamobrem consultius visum est Sacræ Synodo eam quæstionem intactam relinquere.

Cajetani opinio de remedio infantium in utero matris obeuntium, cur damnata non fuit a Synodo?

Ad examen etiam vocata est sententia *Cajetani*, qui aliquid auxilii suppetere Christianis putavit, quo infantibus in utero matris obeuntibus succurreretur. Ac proinde quamquam timide meliorisque judicii correptioni se subdens, hæc scripsit in Commentariis III. Partis S. Thomæ: *Caute & irreprehensibiliter ageratur, si periclitantibus in utero pueris ob maternam ægritudinem, vel partus difficultatem, benedictio in nomine Trinitatis daretur, & causæ discussio deinde divino reservaretur Tribunali. Quis scit si divina misericordia hujusmodi Baptismum in voto parentum acceptet, ubi nulla incuria, sed sola impossibilitas excepto-nem Sacramenti excusat?* Ut hanc opinionem a Censura vindicaret, rationes quasdam attulit *Seripandus*, non veras illas quidem, sed tamen verisimiles. Idcirco Patres Articulum illum damnandum non putarunt. Cujus rei causam adducebant (ut ex Actis refert *Palavicinus* Lib. 6. Cap. 8.) quoniam is ad Baptismi doctrinam non spectabat, adeoque posset omitti, nec tamen propterea tolerandus declararetur. Hanc vero Assertionem postea *Dominicus Soto* hæresis notavit, & *Pius V.* Pontifex Maximus ex *Cajetani* commentariis expungi jussit.

Decreta Sessionis VII. de Reformatione.

III. In eadem Sessione Sacra Synodus Decretum de Reformatione edidit, Capita quindecim continens, *Salva semper in omnibus Sedis Apostolicæ Auctoritate*. Inter ea, præcipua observatione digna sunt, Secundum quo ex singulis Prælatis ablata est possessio plurium quam unius Ecclesiæ Cathedralis, quocumque tandem nomine obtinerentur. Quartum quo plurium Beneficiorum Curatorum aut alias incompatibilium, id est, quæ suapte natura mansionem exigunt, possessores, sive per viam unionis ad vitam, seu Commendæ perpetuæ, aut alio quocumque nomine & titulo contra formam Sacrorum Canonum, & præsertim Constitutionis *Innocentii Tertii* quæ incipit; *De multa*, iisdem Beneficiis privantur. Quintum, quo statutum est, ut qui dispensationes ad plura hujusmodi Beneficia retinenda impetrarunt, eas exhibeant Episcopis, juxta Synodi Lugdunensis præscriptum: A quibus nihilominus idonei Vicarii constituantur, attributa proventuum parte congruente. Sextum, quo sancitum est, si hæ Beneficiorum conjunctiones perpetuæ essent, ut Episcopi cunctas earum concessiones a quadraginta annis habitas in examen revocarent, & per subreptionem obtentas, irritas declararent. Quæ vero infra quadraginta annos concessæ fuerant, aut in posterum concederentur, ab Ordinariis pariter examinarentur, vocatis iis quorum interesset atque ubi legitimis causis minime niterentur, tamquam dolo obtentæ rejicerentur.

SCHOLION.

Hunc Articulum perstringunt Religiosi Censores his verbis: *Propugnat opinionem de intentione Ministri volentis solum facere opus externum & ritum Sacramenti.*

R. De hac opinione dogmatice non ago, sed historice. Varias ea de re Theologorum opiniones in Tridentino Concilio ex Palavicino refero. Intentio Ministri sincere volentis opus externum & Ritum Sacramenti peragere, qui in materiæ formæque a Christo institutæ debita applicatione, prout fit ab Ecclesia, positus est, & sacrum illum Ritum serio peragentis, est intentio faciendi quod facit Ecclesia. Exterior licet dicatur interdum a Theologis, quia ritum dumtaxat externum & sacrum intendit, interior tamen revera intentio est, siquidem actus est voluntatis.

ARTICULUS VI.

De Gestis Sessionis VIII. IX. & X.

Concilii translatio Bononiam.

I. CUm morbus contagiosus in urbe agroque Tridentino grassari incipiens, gravioris luis periculum minitaretur, *Balduini Bargensis*, & *Hieronymi Fracastorii* celeberrimorum Medicorum testimonio, jamque duodecim Episcopi, alii non petita, alii non obtenta licentia abiissent, ac dissolutio vel captivitas Concilii timeretur: dissolutio quidem ex profectione Patrum, captivitas ex commercio undique cum Tridentina Civitate & in ea degentibus interdicendo; Concilii translatio Bononiam decreta est octava Sessione habita die 11. Martii anno 1547. Ex quinquaginta sex Patribus qui tunc aderant, triginta octo translationem sine exceptione comprobarunt, quatuordecim noluerunt, iique omnes, præter Fesulanum Antistitem, Imperatori addicti, duo dubitanter, duo per conditionem locuti sunt. Verum præter triginta octo, quibus translatio placuit, nonnulli ex refragantibus affirmarunt se illi consensuros, ubi voluntas Pontificis accessisset. Quibus ut fieret satis, Legati Diploma Pontificium, quo facultas transferendi Concilii sibi Legationis initio indulta erat, protulerunt, hactenus a se consulto reconditum, ne Patres sententiam se rogatos putarent de re non ipsorum, sed Præsidum potestati commissa. Translatio Cæsari probata non fuit, ac Tridenti substitere; qui migrationis Decreto repugnaverant Patres, Legati, cæterique Bononiam commigra-

migrarunt. *Thomas Campeggius* Feltrensis Episcopus Translationis Apologiam edidit.

Sessio IX.

II. Sessio nona Bononiæ die 21. Aprilis celebrata est, in Ecclesia Deo in memoriam S. *Petronii* dicata, Sacris operatus est *Sebastianus Leccavella* Noxiensis Archiepiscopus; peroravit *Ambrosius Catharinus* Episcopus Minoritanus. Decretum editum est de Sessionis prorogatione ad diem Jovis infra Octavam Pentecostes, quod non ea Prælatorum frequentia, quam Sancta Synodus optabat, peculiarium Sacramentorum & Reformationis materiæ examinari & discuti potuissent.

Sessio X.

III. Parata jam erant Decreta de Eucharistiæ Sacramento, nihilque præter promulgationem deerat, cum Sessio decima habita est die secunda Junii, in qua Sacrificio peracto ab *Olao Magno* Archiepiscopo Upsalensi, Patribus visum est Sessionem ad diem 15. Septembris prorogare, quod singularis quædam Imperatoris ratio habenda esset, qui adhuc translationem rite factam negabat, & non modo reliquos suæ Ditionis Antistites Bononiam non mittebat, sed Tridentinos ipsorum Collegas eo se conferre vitabat: Habenda pariter esset novi Galliæ Regis *Henrici II.* ratio, cujus ibi nec Episcopi nec Oratores aderant. Quamobrem suspensa est Decretorum promulgatio: ita tamen ut interim Doctrinæ ac Reformationis opus continuaretur.

Translationem Concilii Bononiam factam comprobavit *Henricus* II. Rex Christianissimus singularibus Mandatis ea de re datis *Francisco de Rohan* Domino *De Gie* suæ Majestatis consanguineo & apud Romanum Pontificem Oratori, & ad eamdem Synodum Oratores suos, *Claudium Durfeum*, & *Michaelem Hospitalium* in Curia Parisiensis Parlamenti Senatorem, misit, adjuncto ipsis *Claudio Espenseo*, in Sacra Facultate Parisiensi Doctore. Regis Mandata Oratoribus data, & Facultatem comprobandi Concilium suo nomine datam Domino *de Rohan* suo ad *Paulum* III. Oratori, legere est in Commentariis Concilii Tridentini a Clarissimo *Puteano* editis. Generalis Cœtus die 14. Septembris habitus est in quo expositas a Legatis prorogandæ ad incertum diem Sessionis causas Patres omnes comprobarunt. Pontifex selectos ex Bononiensi & Tridentino Conventu Patres Romam venire jussit, ut ex ipsorum sententia Disciplinæ Leges statueret; Synodumque interea suspendit, datis ea de re ad Cardinalem *De Monte* Legatum Literis. Hic vero Concilii suspensionem denuntiavit die 17. Septembris anno 1549. uti constat ex Actis & Diariis a *Palavicino* laudatis Lib. 11. Cap. 4. Ex quibus refellitur *Suavis*, scribens Concilium usque ad obitum *Pauli* III. Bononiæ perdurasse.

ARTICULUS VII.

De Gestis ac Decretis Sessionum XI. & XII.

I. SYnodo a *Julio* III. Pontifice Maximo Tridenti restituta, anno 1551. Sessio undecima Kalendis Maii celebrata est. Sacris operatus est *Marcellus* Cardinalis *Crescentius* Sedis Apostolicæ Legatus. Latinam Concionem habuit *Sigismundus Federus* Franciscanus. *Massarellus* Concilio a Secretis, duo Pontificis Diplomata recitavit; alterum de resumendo Tridenti Concilio, alterum de Præsidum electione; tum Archiepiscopus Turritanus inchoationis Decretum legit, quod concorditer acceptum est.

Sessio XI.

II. Sessio duodecima Kalendis Septembris celebrata est. Solemne Sacrum fecit *Balthasar Eredia* Archiepiscopus Turritanus, Concione tunc omissa, *Massarellus* Præsidum nomine brevem Parænesim de vivendi ratione recitavit: Prolata comprobataque sunt Oratorum *Caroli* V. Imperatoris & *Ferdinandi* Regis Romanorum Mandata; Sancitumque est ut in proxima Sessione de Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, nec-non, quod ad Reformationem attinet, de reliquis, quæ ad faciliorem & commodiorem Prælatorum Residentiam pertinent, ageretur.

Sessio XII.

Adfuit deinde *Jacobus Amiotus* Bellozanus Abbas a Rege Christianissimo *Henrico II.* missus cum Literis inscriptis: *Sanctissimis in Christo & observandis summopere Patribus Tridentini Conventus*. De iis suscipiendis plurimum disceptatum est, Hispanis Episcopis conclamantibus, non esse recipiendas, quod *Conventum*, non *Concilium* appellasset. Post multum rumorem, re seorsim in Sacrario discussa, renunciatum est *Amioto*, Placere Synodo ut Regis Literæ legerentur, quod vocem *Conventus* in malam partem ab eo non accipi existimaret; alioqui eas pro non scriptis habere. Extat in Commentariis res Concilii Tridentini spectantibus, a *Puteano* collectis & editis, Epistola *Amioti* Abbatis ad *D. Morvillierum* Libellorum Supplicum Magistrum scripta, qua rationem reddens hujusce negotiationis suæ, inter alia refert, cum, ita ut diximus, tumultuarentur Hispani, Mogontinum Electorem dixisse: *Si vos non vultis audire Literas Regis, quomodo audietis Protestantes Germanos, qui nos appellant Concilium Malignantium?* Et Comitem *A Monteforti* Cæsaris Oratorem dixisse, Contestaturum se nomine Cæsaris, nisi Regis Christianissimi Literæ legerentur, & Abbas audiretur. Resignatæ igitur lectæque sunt Literæ, quarum hæc erat sententia: Existimasse Regem decere singularem observantiam suam, Majorumque suorum erga Ecclesiam, suumque egregium studium in Patrum Ordinem, eisdem significare, quam justis ac necessariis causis adductus, impulsus & coactus, nullum suæ Ditionis Episcopum Tridentum mitteret ad Conventum a *Julio* Pontifice Maximo Concilii nomine indictum. Pro certo habere Regem, Patres ab omni partium studio alienos fore. Proinde se ipsis uti velle tamquam honorariis arbitris, eosque amanter obtestari, ut quæ significabat, non tamquam ab alieno aut adversario profecta exciperent, sed tanquam a primogenito Ecclesiæ Filio; in qua appellatione & tuenda & promerenda se ipsis polliceri, divinæque confisum beneficientiæ certo credere, se numquam defuturum. Alacri paratoque animo ferri ad Majorum suorum virtutem imitandam. Verumtamen dum oppressis opem ferebat, injuriamque propulsabat, nolle se charitatem in Ecclesiam, eorumque observationem quæ decerent, negligere. Lectis Literis *Amiotus* Abbas Libellum contestationis recitavit, quam Rex Christianissimus post susceptum agri Parmensis patrocinium, postque intestini belli metum excitatum, jusserat denuntiari cum *Julio* Pontifici, tum Sacro Cardinalium Collegio, per *Paulum* a *Thermis* Oratorem suum. Ejus summa erat; Regem justis rationibus adductum & impulsum ad suscipiendum agri Parmensis patrocinium, quas nisi Pontifex admitteret, palam significabat, si proinde Italia, atque adeo universa Europa bello implicaretur, ex quo Ecclesiæ Disciplina Fidesque in ultimum discrimen adduceretur, & Concilii solutio sequeretur, hæc mala Regi non imputatum iri, qui ad illa avertenda omnes conditiones honestas non solum ferre, verum etiam accipere voluisset. Videri Summum Pontificem hæc omnia minime curare, immo se bello immiscendo, aditus ad Concilium omnes præcludere maluisse, eamque suspicionem inducere voluisse, istam ipsam Concilii Tridentini indictionem, non communis universæ Ecclesiæ utilitatis gratia repetitam, sed facta conditione cum iis, quorum privatis commodis illic serviretur. Quamobrem Regem contestari, Se non posse Gallicanos Episcopos Tridentum mittere, quibus nec liber nec tutus eo pateret accessus neque ipsum Concilium a quo excluderetur invitus, pro Generali habere; nec ejus Decretis aut ipsius Majestatem, aut Ecclesiæ Gallicanæ Prælatos, populumque adstrictum iri; quinimo ad eadem remedia ac præsidia progressurum, si necesse foret, quibus Majores sui Francorum Reges in re causaque consimili uti consuevissent: Non quidem ut observantiæ Sedi Apostolicæ debitæ quidquam detraheret, sed ut melioribus eam temporibus servaret, quibus arma parum honeste in se sumpta deponerentur, & motum animorum componerentur. Synodus per Promotorem suum respondit; Se gratam habere Regis moderationem, quam suis in Literis præ se tulisset. *Amioti* vero Abbatis personam, nisi quatenus legitima esset non acceptare; sed illum monere ut ad diem undecimam Octobris, proximæ Sessionis destinatam adesset, Responsum ad Regis Literas accepturus.

Cur Rex Christianissimus Henricus II. Gallicanos Episcopos ad Concilium non miserit.

SCHOLION.

In hoc Articulo pag. 149. Edit. 1. Religiosi Censores hanc narrationem notant: *Protestatur Rex Galliæ se Episcopos suos ad Concilium mittere non posse, quia nec iter tutum adeoque Concilium ab ipso pro generali non habendum.*

R. Facti veritas est. Refert *Palavicinus* Lib. 11. Historiæ Concilii Tridentini, cap. 16.

A R-

ARTICULUS VIII.

De Sessionis XIII. Decretis.

De Triente Catholica de Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento.

I. SEssio XIII. celebrata est die undecima Octobris anni 1551. Sacris operatus est *Joannes Baptista Campeggius* Episcopus Majoricensis; Latinam Concionem de laudibus Eucharistiæ habuit Archiepiscopus Turritanus. Doctrina Fidei de Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento tradita & explicata est octo Capitibus: Hæreticorum errores circa idem Sacramentum Canonibus undecim confixi. In eorum examine hæc Theologis dicendarum sententiarum ratio præscripta fuerat: Ut illæ e Sacris Literis, ex Apostolicis Traditionibus ex Conciliis approbatis, ex Constitutionibus Summorum Pontificum, ex SS. Patrum auctoritate, ex communi Ecclesiæ Catholicæ consensu colligerentur. Circa nonum Canonem, quo dicitur Anathema neganti, *Omnes & singulos Christi Fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis saltem in Paschate ad communicandum, juxta præceptum sanctæ Ecclesiæ.* Censuit *Joannes ab Ortega* Franciscanus, Hispaniensis Theologus a *Carolo V.* missus adjiciendam esse explicationem aliquam; quandoquidem præceptum non Divinum, sed Ecclesiasticum erat. *Ambrosius Pelargus* Dominicanus, Trevirensis Electoris Theologus, ob eamdem rationem censuit, oppositum Articulum esse potius Schismaticum, quam Hæreticum: sed reliquus Consessus Anathemate damnandum putavit, in quod postea omnes convenere: Quod negans Christi Fideles hoc Ecclesiæ præcepto obligari, neget consequenter traditam Ecclesiæ a Christo potestatem Leges condendi ad Fidelium salutem promovendam: quod certe hæreticum est.

Scholasticæ quæstiones omissæ.

II. Scholasticas quæstiones Patribus omitti placuit. Hinc ab illa quæstione definienda temperavit Synodus, æqualisne an major gratia impertiretur sumenti Eucharistiam sub utraque specie, quam sub una solum, propterea quod Theologi complures inæqualitatem propugnabant, & Concilio satis erat hæreses proscribere, in quo plurimum adhuc operæ supererat. Majorem gratiam conferri sub utraque specie communicantibus, propugnabant *Melchior Canus* Ordinis FF. Prædicatorum eximius Theologus, *Antonius Ugloa* & *Sigismundus Fedrius*, Hispani etiam Theologi. Ordinis FF. Minorum. Cum tertius Canon ita fuisset conceptus: *Si quis dixerit, sub qualibet specie, & sub qualibet ipsius parte non contineri totum Christum, Anathema sit:* auctor fuit *Joannes Æmilianus* Tudætanus Antistes, Hispanus, ut adderetur, *facta separatione*: Siquidem variabant Theologorum sententiæ circa hanc quæstionem, an Christus esset sub qualibet particula Hostiæ integræ; atque ita effectum est. Et quamvis Turritanus Archipræsul opponeret, per has voces indicari, id ante separationem verum non esse; ac proinde ut illæ delerentur deposcerent Constantiensis ac Stabiensis Episcopi, & Lancianensis vellet ut amplians particula, *etiam*, apponeretur. His tamen omnibus restitit Bituntinus, qui unus e selectis Patribus erat ad conscribendos Canones; admonuitque solas hæreses esse damnandas, non item Scholasticorum sententias definiendas.

De Confessione Sacramentali Eucharistiæ sumptioni præmittenda.

III. Circa septimi Capitis & Canonis undecimi doctrinam de Confessione Sacramentali ad dignam Eucharistiæ sumptionem necessario præmittenda, ubi esset conscientia peccati mortalis, variæ fuerunt Theologorum Patrumque sententiæ. Quidam enim dicebant, Confessionem non esse necessariam, sed sufficere contritionem cum voto Confessionis faciendæ tempore suo; & ideo hanc sententiam non esse damnandam. Alii Confessionem simpliciter necessariam asserebant, adeoque contrariam opinionem, ut hæreticam damnandam. Alii at erroneam, scandalosam ad manifestum animarum interitum perducentem, ac indignæ sumptioni Eucharistiæ ostium aperientem eam proscribendam asserebant. Ne tamquam hæretica damnaretur, obstitit *Melchior Canus*, hanc doctrinam traditam fuisse referens a *Cajetano*, ab *Adriano Sexto*, & a *Joanne Roffensi* in Articulo 6. adversus *Lutherum*, a *Petro Paludano*, a *Richardo* in 4. Sententiarum Dist. 16. a *Theophylacto* in primæ ad Corinthios c. 11. a *S. Joanne Chrysostomo* Homilia 18. in Cap. 10. ejusdem Epistolæ, & a *Panormitano*, in Cap. *De Ordine*, Tit. *De celebratione Missarum.* Professus est tamen *Canus*, se in ea sententia non esse, quam testimonio *Eusebii* Lib. 6. Historiæ Ecclesiasticæ Cap. 15. *Sancti Cypriani* Lib. de Lapsis, *Gennadii* Lib. De Dogmatibus Ecclesiasticis Cap. 13. *Hugonis a Sancto Victore* Lib. 2. De Sacramentis, optimisque rationibus in Scriptura Sacra fundatis refelli noverat. *Martinus Olavius* Augustani Cardinalis Procurator censuit, præmittendam esse peccatorum Confessionem, ob varios abusus qui oriebantur ex licentia, quam oppositæ sententiæ Sectatores sibi arrogabant; id tamen cau necessarium statuendum non esse. *Ambrosius Pelargus* Ordinis FF. Prædicatorum Theologus, addendum censuit, *habita Confessarii copia.* Opinionem *Cajetani* defendit *Reginaldus a Genua* ejusdem Ordinis. *Franciscus Villarva* Hieronymitanus Hispanus, Granatensis Archiepiscopi Theologus, dixit, hujusmodi obligationem non ex divino mandato, sed ex laudabili Ecclesiæ consuetudine profectam. Legatus Concilii Præses in Generali Congregatione monuit: cum utrimque gravissimi Scriptores starent, opinionem quæ Confessionem non esse necessario præmittendam negabat, non esse quidem damnandam ut hæreticam, sed simpliciter rejiciendam, declarandamque, omnes qui peccati mortalis conscientiam haberent, obligari omnino ad peccatorum Confessionem antequam Eucharistiam sumant; quia ubi aliter fieret, salutis periculum adiretur. Archiepiscopus Turritanus censuit Canoni adjiciendam hanc exceptionem: *Nisi adsit urgens necessitas.* Stabiensis hanc postulavit; *Quando scandalum non oritur.* Alii alias restrictiones optabant. *Jacobus Naclantus* Clodiensis Episcopus, ex Ordine FF. Prædicatorum, vocem *Sacerdotis* in vocem *Confessarii* permutari obtinuit, propterea quod non inest cuilibet Sacerdoti Confessionis audiendæ potestas. Et hæc ratio fuit cur crederetur huic obligationi locus non esse, quando adesset Sacerdos ad excipiendas Confessiones non approbatus. Hac itaque forma Canon conditus ac promulgatus est in Sessione solemni: *Si quis dixerit, solam Fidem esse sufficientem præparationem ad sumendum Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, Anathema sit. Et ne tantum Sacramentum indigne, atque ideo in mortem & condemnationem sumatur, statuit, atque declarat ipsa Sancta Synodus, illis quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritos existiment, habita copia Confessoris necessario præmittendam esse Confessionem Sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publica disputando defendere præsumpserit, eo ipso excommunicatus existat.*

Objectionibus P. Suavis contra Tridentina Decreta de Sacramento Eucharistiæ respondetur.

IV. In Capitis tertii doctrinam objicit *P. Suavis Polanus*, sive ab aliis objectum refert; Non satis probari adesse Christum in Eucharistia, ante usum, ratione a Synodo allata, nimirum quia Christus dum eam porrigeret, cum eam de manu ejus nondum Apostoli suscepissent, vere affirmavit corpus suum esse quod præbebat, siquidem ipsa porrectio actio quædam est spectans ad usum.

Verum levissima est hæc objectio. Etenim si nomine usus omnes actiones prævias intelligas, quæ ad usum diriguntur, ita ut dum Eucharistia porrigitur, & antequam suscipiatur, jam adsit sub illis speciebus Corpus Christi, contingere potest, ut is cui porrigatur, eam non suscipiat; adeoque verum sit Christi Corpus ibi extra usum fuisse, cum vere dici non possit, hominem qui Eucharistiam non sumpsit, ea usum fuisse. Præterea non satis exploratum est a quanam actione hic usus omnino inchoetur, & quando status hujusce usus esse desinat: adeoque incertum esset quando ibi adorandum sit Corpus Christi, quando ab ea adoratione abstinendum. Varius ea in re definienda fuit *Lutherus* ac tandem scripsit ad *Simonem Wolfertaam*: Manere ibi Corpus Christi ab initio Orationis Dominicæ, per totum tempus quo Fideles commode sumere Sacramentum possunt.

V. Objicit idem *Polanus*, seu a Germanis objectum ait, Sibi ipsi contradicere Concilium, dum ex una parte, ait, conversionem panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi vix posse verbis exprimi. *Ea* (inquit) *existendi ratione, quam etsi verbis exprimere vix possumus, &c.* ex altera vero *proprie & convenienter* appellat *Transubstantiationem.*

Sed hæc objectio non minus levis est. Quamvis enim ratio ipsa Mysterii nec humanæ mentis intelligentia comprehendi, nec verbis adæquatam, plenam claramque illius notionem parientibus possit exprimi; voces tamen habemus, quibus id exprimere possumus, quod de Mysteriis mens nostra fide illustrata concipit; & ipsis nomina quædam Scriptura vel Patres tribuerunt. Sic Æterni Verbi Processio ineffabilis est; & tamen convenienter & proprie generatio Filii

Dei

Dei nominatur, sic vinculum quo Christi humanitas cum Deo copulatur, ineffabile est, & tamen unio hypostatica aptissime appellatur. Sic Deus ineffabilis est, & tamen multa ipsi nomina tribuuntur. Quidni ergo ratio existendi Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia, etsi ineffabilis, proprie tamen & apte *Transubstantiatio* appelletur? Nam quemadmodum dicitur Transfiguratio, cum corpus ab una in alteram figuram transit; *transformatio*, cum eadem materia ab una in alteram formam migrat: ita unius totius substantiæ in alteram totam conversio, nulla communi materia remanente, sed iisdem superstitibus accidentibus, apte nuncupatur *Transubstantiatio*. Quæ vox a nonnullis Auctoribus Ecclesiasticis ante Concilium Lateranense usurpata, ab ea demum Synodo consecrata est, & in totius Ecclesiæ usum transcripta, ad antiquam & perpetuam illius de Eucharistia fidem explicandam: sicut olim vocem *Consubstantialis*, ad perpetuam de Verbi Æterni divinitate fidem exprimendam, & contra Arianos defendendam Ecclesia in Synodo Nicæna consecravit. Hujus itaque vocabuli usum in Ecclesia invenere Tridentini Patres, quem & religiose retinuerunt, sicut prisci Patres nomina *Consubstantialis, Ingeniti, unionis personalis, Deiparæ, duarum in Christo naturarum & voluntatum, &c.* quæ Ecclesiæ usu consecrata invenerunt, velut Sacrum Depositum servarunt, & ad posteros cum Doctrina Fidei transmiserunt.

De verbis consecrationis.

VI. Objicit idem *Polanus*, alieno licet nomine, Concilium cap. 1. hujus Sessionis statuisse adversus omnes Theologos, & Romanæ Ecclesiæ opinionem verba consecrationis non esse illa, *Hoc est Corpus meum*: Siquidem affirmat post benedictionem Christi, quæ vim consecrationis habuit, fuisse dicta. *Hoc Sacramentum* (inquit) *Redemptorem nostrum instituisse, cum post panis vinique benedictionem, se suum ipsius Corpus illis præbere, ac suum Sanguinem, disertis ac perspicuis verbis testatus est.*

Respondetur, Varias de re fuisse Theologorum opiniones. Quidam Christum qua pollebat excellentiæ potestate, absque omni forma verborum, virtute divina, panem & vinum consecrasse & in Corpus ac Sanguinem suum transmutasse senserunt, & postea formam expressisse, qua Sacerdotes ab ipso instituti consecrarent. Hanc sententiam probabilem existimavit ac secutus est *Innocentius tertius* lib. 4. *De Mysteriis Missæ* cap. 6. & 16. *Archidiaconus* in Canonem *Timorem*, Tit. *De Consecratione*, item *Odo* Cameracensis Episcopus in Canonem Missæ, *Guillelmus Durandus* lib. 4. Divinorum Officiorum, *Franciscus Mayronis*, *Titelmanus* in eumdem Canonem; *Petrus Ortiz* Hispanus, in Sacra facultate Parisiensi Doctor Theologus, in qua publice hanc Sententiam defendit; *&* *Ambrosius Catharinus* in Tractatu, cui titulus est, *Quibus Verbis Eucharistiæ Sacramentum consecrerit*: Eamdem probabilem existimarunt *Armacanus* lib. 9. Quæstionum Armenorum Cap. 5. *Petrus de Alliaco* in 4. Sententiarum Quæst. 5. Art. 1. *Gabriel Biel* in Canonem Missæ Lectione 6. Quidam dixerunt, Christum consecrasse, non illis verbis, *Hoc est Corpus meum*, sed aliis nobis ignotis, quibus etiam benedixit. Alii, Salvatorem eadem verborum formula, qua nunc utimur, consecrasse, ea tamen bis protulisse, primum quidem secreto, quando consecravit, deinde publice post consecrationem, quando panem & vinum consecratum discipulis porrexit. Duarum istarum opinionum meminit *S. Thomas* 3. P. Quæst. 78. Art. 1. in responsione ad primum, sed ipsarum Auctores non laudat. Alii benedictionem a Christo adhibitam supra panem ac vinus aliam non fuisse præter verba consecrationis existimarunt, scilicet *S. Thomas* loco mox laudato, *Alexander Alensis*, quarta parte, Quæstione decima, Memb. 4. Articulo secundo, §. 2. *Durandus* in 4. Sententiarum Dist. 8. Quæst. 2. *Morsilius* in 4. Quæst. 6. Art. 1. *Gabriel Biel* Lectione 36. in Canonem Missæ. Pro ea etiam opinione laudantur *Hugo a Sancto Caro*, *Nicolaus Lyranus*, Theologi qui Catechismum Romanum jussu *Pii V.* composuerunt, *Petrus Soto* lib. *De Instructione Sacerdotum*, Lectione 2. *De Eucharistia*. Theologorum opinionibus præjudicare noluit Sacra Synodus, sed iis in medio relictis, Ritum institutionis Eucharistiæ eo refert ordine, quo ab Evangelistis & Apostolo describitur Matthæi 26. Marci 14 Lucæ 22. & 1. ad Corinthios 11. & ex Christi verbis colligit ac definit realem Christi in Sacramento Eucharistiæ præsentiam post panis & vini consecrationem. „ Ita (*in-„ quit*) Majores nostri omnes, quotquot in vera Ec-„ clesia fuerunt, qui de Sanctissimo hoc Sacramento „ disseruerunt, apertissime professi sunt hoc tam admi-„ rabile Sacramentum in ultima Cœna Redemptorem „ nostrum instituisse, cum post panis vinique benedi-„ ctionem, se suum ipsius Corpus in illis præbere, ac „ suum Sanguinem, discretis, ac perspicuis verbis te-„ status est. Quæ verba a SS. Evangelistis commemora-„ ta, a Divo Paulo postea repetita, cum propriam il-„ lam & apertissimam significationem præferant, secun-„ dum quam a Patribus intellecta sunt, indignissimum „ sane flagitium est, ea a quibusdam contentiosis & „ pravis hominibus ad fictitios & imaginarios tropos, „ quibus veritas Carnis & Sanguinis Christi negatur, „ contra universum Ecclesiæ sensum detorqueri. " Magis tamen communi Theologorum Sententiæ asserenti consecrationem Eucharistiæ fieri his Christi verbis, *Hoc est Corpus meum*, & *Hic est Sanguis meus*, *&c.* Tridentinam Synodum favisse, quam aliis opinionibus (quamvis eam finire & ut dogma Fidei tradere, Spiritui Sancto, & Patribus visum non fuerit) facile colligi potest, cum ex loco mox laudato, tum ex Cap. 4. in quo hæc habentur: *Quoniam Christus Redemptor noster Corpus suum id quod sub specie panis offerebat vere esse dixit: ideo persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, idque nunc denuo Sancta hæc Synodus declarat, per consecrationem panis & vini, conversionem fieri totius substantiæ panis in substantiam totius Corporis Christi Domini nostri, & totius substantiæ vini in substantiam Sanguinis ejus.* Tum denique ex Catechismo Concilii, parte 2. Cap. 4. num. 19. Ex quibus omnibus vanitas ac falsitas objectionis *Suaviana* liquido apparet.

Decretum Sessionis XIII. de Reformatione.

VII. In eadem Sessione Decretum de Reformatione conditum ac promulgatum est octo constans capitibus, quæ jurisdictionem Episcoporum spectant, & appellationibus modum imponunt. Statuit imprimis Sancta Synodus, „ Ut in causis Visitationis & correctionis, ha-„ bilitatis, & inhabilitatis, nec non criminalibus, ab „ Episcopo seu ab illius Vicario generali ante definiti-„ vam Sententiam, ab interlocutoria, vel alio quocum-„ que gravamine non appelletur: neque Episcopus aut „ Vicarius appellationi hujusmodi, tamquam frivolæ „ deferre teneatur; nisi gravamen hujusmodi per defi-„ nitivam sententiam reparari, vel ab ipsa definitiva „ appellari non possit. " Statuit insuper ut Episcopus in Ecclesia sua residens, gratiam super absolutione alicujus publici criminis de quo inquirere cœperat, aut remissione pœnæ, ad quam reus per eum condemnatus fuerat, falsis precibus impetratam, per seipsum, tamquam Sedis Apostolicæ Delegatus, etiam summarie cognoscat, eamque postquam de subreptione constiterit, *non admittat*. Statuit præterea de modo accusationis Episcoporum, & qualitate testium adversus eos audiendorum, utque ipsorum causæ *coram Pontifice Maximo referantur, ac per ipsum terminentur*. Quod de prima causæ cognitione intellectum, vel ubi nulla interjicitur appellatio; non est receptum in Galliis, utpote contrarium antiquo Juri, & Canonibus Sardicensibus, Concordatis, Libertatibus & Moribus Ecclesiæ Gallicanæ.

Salvus conductus Protestantibus datus.

VIII. Quatuor Articulorum definitio, super quibus audiri Protestantes postulabant, prorogata est, eisque propterea securitas fide publica data fuit. Hi porro erant Articuli: 1. *An necessarium sit ad salutem, & Divino Jure præceptum, ut singuli Christi Fideles sub utraque specie ipsum Venerabile Sacramentum accipiant?* 2. *Num minus sumat qui sub altera, quam qui sub utraque communicat?* 3. *An erraverit Sancta Mater Ecclesia, Laicos & non celebrantes Sacerdotes, sub panis specie dumtaxat communicando?* 4. *An parvuli etiam communicandi sint?* Immerito vero *Suavis* objicit, Salvi-conductus formam visam fuisse admodum captiosam; cum in ea dicat Synodus hunc a se concedi, quoad se pertinet. Nam promittere non poterat Synodus, nisi quod penes se erat, nec sibi arrogare absolutam in aliena ditione potestatem. Cum igitur fieri posset, ut ii quibus securitas concedebatur, crimen aliquod Tridenti patrarent, cujus puniendi facultas legitima pertineret vel ad Tridentinum Episcopum, qui & Beneficiarius Princeps erat, vel ad *Ferdinandum* Regem, qui supremo jure Tridento dominabatur: prudenter Synodus hanc restrictionem apposuit, *quoad se pertinet*, ne alieno juri derogare videretur: non (ut calumniatur *Suavis*) ad aperiendum aditum Romano Pontifici, quo posset incolumi sua Synodique dignitate agere quidquid utrinsque commodo conduxisset.

P. Suavis calumnia refellitur.

IX. Objicit *Gentiletus* Lib. 3. adversus Canonem secundum Sessionis 13. qui Anathemate feritur qui dixerit, *In Sacrosancto Eucharistiæ Sacramento remanere substantiam panis & vini, negaveritque con-*

verso-

versionem totius substantiæ in Corpus & Sanguinem Domini nostri Jesu Christi, manentibus dumtaxat speciebus panis & vini: Plures veteres Canones Tridentino huic opponi: Imprimis Canonem *Dupliciter*, *De Consecratione* Dist. 2. ex *S. Hieronymo* desumptum, in hæc verba: *Dupliciter intelligitur Caro Christi & Sanguis, vel spiritualis illa atque divina, de qua ipse ait*, „ Caro mea vere est cibus, & Sanguis meus vere est „ potus; & , Nisi manducaveritis Carnem meam, & „ biberitis Sanguinem meum, non habebitis vitam æ„ ternam. *Vel Caro quæ crucifixa est & Sanguis qui militis effusus est lancea.* Tum Canonem, *Prima quidem*. Canonem, *Non hoc Corpus*. Canonem, *Ut quid paras?* Canonem, *Qui manducant*. Canonem, *Credere*. Canonem *Qui discordat*, tamquam huic dogmati contrarios profert. Glossam denique in cap. *Quia Corpus*, eadem Distinctione, diserte negare ait, in Sacramento ullam esse omnino Transsubstantiationem, idque duabus manifestissimis rationibus arguere, quarum prima hæc est: *Quod si panis transsubstantiaretur in Corpus Christi, illud Corpus tantum, tamque ingens acciperet incrementum, ut justam corporis humani dimensionem excederet. Quod esset Christum vera sua humanitate spoliare.* Altera, *Quod ex eo consequeretur, Christi Corporis partem quamdam, eam nempe quæ ex hujusmodi incrementa succrevisset, ex Sancta Virgine non esse natam, quæque esset inanimis, cum hæc verba*, Hoc est enim Corpus meum, *ad Christi Corpus, non etiam ad animam referantur. Indeque consequens esset, Corpus Christi partim esse animatum partim vero inanime, quod esse non potest.*

Fran. 6.

Responsio.

Respondetur, Canones illos imperite a *Gentileto* objici, & Catholico Transsubstantiationis dogmati nullatenus incommodare. Canonem, *Dupliciter*, solum distinguere duplicem statum carnis Christi, passibilem unum, secundum quem crucifixa est; spiritalem alterum, gloriosumque, secundum quem & in Cœlo sedet ad dexteram Patris, & reipsa ac substantialiter præsens est in Eucharistia, modo quidem spiritali, id est, invisibili. Canon, *Prima quidem*, Capharnaitarum hæresim dumtaxat excludit, qui Christum sui Corporis manducationem imperare putabant in eadem specie, sensibili & carnali modo, dividendo illam in partes, sicut manducantur carnes animalium, quæ in macello væneunt. Unde ait: *Caro non prodest quidquam: sed quomodo illi intellexerunt: quomodo in cadavere venditur, aut in macello dilaniatur.* Verba sunt ipsius Canonis ex *S. Augustino* desumpti. Canon, *Non hoc Corpus*, eodem modo intelligendus, ut ex ipsius verbis patet: *Non hoc Corpus quod videtis, manducaturi estis, & bibituri illum Sanguinem, quem fusuri sunt illi qui me crucifigent: Ipsum quidem, & non ipsum: Ipsum invisibiliter, & non ipsum visibiliter. Unde & subditur: Et si necesse est illud visibiliter celebrari, necesse est tamen illud invisibiliter intelligi.* Alii Canones manducationem spiritalem commendant, orali manducationi necessario adjungendam docent; Sacramentalem item sine spiritali, quæ fide per dilectionem operante consummatur, ad salutem non proficere. Cæterum, si *Gentiletus* bona fide scripsisset, ab his objectionibus temperasset, cum dogma Transsubstantiationis Canonibus hujus ipsius Distinctionis quam laudat, luculenter & evidenter efferatur, scilicet Canone, *Ego Berengarius*, Canone, *Nos autem*, Canone, *Forte dicas*; & Canone, *Quia Corpus*. Æque male fide Glossam citat, adulteratque. Non enim Transsubstantiationem negat, ut ipse inverecunde comminiscitur, sed certum quemdam Transsubstantiationis modum, quo scilicet nova substantia Corpori Christi accrescat, vel in eo generetur. Atque hanc locutionem, *Panis fit Corpus Christi*, non ita probandam propterea dicit; sed potius dicendum, Panis transit in Corpus Christi, vel transsubstantiatur in Corpus Christi. *Ad prolationem*, inquit, *istius*, *Hoc est Corpus*, *&c. transsubstantiatur panis in Corpus; & ad prolationem istius*, *Hic est Sanguis*, *vinum convertitur in Sanguinem*. Et infra: *Bene dicit:* Convertuntur, *vel transmeant; sed non fiunt, nec incipiunt. Nihil enim fit vel incipit esse Corpus Christi. Potest tamen concedi, quod de pane conficiatur vel fiat Corpus Christi, sicut de aqua fit crystallus, non tamen est crystallus: sed securius non conceditur hoc; & ubicumque invenitur*, Panis, vel, *De pane fit*, *vel conficitur Corpus Christi*, *sic intelligitur, id est, transit in Corpus Christi*, in eadem, *Cap.* Panis. *Vel expone sic, id est sub specie panis vel latet, vel incipit esse, vel latere Corpus Christi, ubi ante consecrationem non erat. Si enim panis Corpus Christi fieret, singulis diebus ei adderetur aliquid quod prius non erat, & sic semper augmentaretur. Item qualiter uniretur divinitati iste panis & ille?* &c. *Non intelligas ergo, quod aliquod augmentum sumat ex tali conversione, nec eo modo, quo cibus convertitur in carnem; sed est ibi corruptio, id est, desinit ibi esse substantia panis, & vini, nulla tamen generatio. Unde non potest dici quod fit ibi vera transsubstantiatio quantum ad hoc, ut nova essentia ibi generetur.* Modum illum loquendi Glossatoris, Scholasticis Theologis accuratius expendendum relinquo. Satis sit *Gentiletum* falsi convicisse. Cæterum de præsentia reali Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia, & de Transsubstantiatione panis & vini in Christi Corpus & Sanguinem legi potest Dissertatio nostra XII. in Historiam Ecclesiasticam Sæculi XI. & XII.

Objectionibus Gentileti adversus Decreta Reformationis Sessione 13. edita respondetur.

X. Decreta de Reformatione carpit *Gentiletus*, illudque imprimis quo constitutum est „ In omnibus cau„ sis visitationis, correctionis, habilitatis, quin etiam „ in capitalibus, a Sententiis interlocutoriis Episcopo„ rum, aut eorum Vicariorum, provocandi jus non „ esse, nisi quando gravamen definitiva Sententia re„ parari non posset, aut ubi a definitiva nullus esset „ provocandi locus. Id Pragmatico stylo, in omnibus Gallicis Curiis recepto, Jurique Canonico innixo, aperte repugnare *Gentiletus* ait, quo Jure ab omni gravamine tam levi quam gravi provocare licet. Et hoc quidem privilegium peculiariter ad Judices Regios pertinere, non etiam ad alios, ut possint ulterius progredi, nulla ab interlocutoria impediente provocatione.

Respondetur, Jure quidem Canonico veteri licuisse in judicio ante definitivam Sententiam appellare, servatis regulis ab eodem Jure præscriptis; sed Œcumenicam Synodum, penes quam Legum ferendarum & Juris antiqui emendandi, postulante Ecclesiæ necessitate vel utilitate, potestas est, prudenter statuisse ut ab interlocutoria Sententia nefas esset appellare, & Jus Canonicum in hoc Juri civili exæquasse. Animadvertit scilicet, reos criminum plerumque ad evitandas pœnas, & subterfugienda Judicia Episcoporum, gravamina simulare, & Appellationis diffugio Judicis processum impedire. Ne itaque remedio ad innocentiæ præsidium instituto, ad iniquitatis defensionem abutantur, Appellationes ab interlocutoria illegitimas ac nullas deinceps fore statuit, nisi gravamen per definitivam Sententiam reparari, vel ab ipsa definitiva appellari non possit. De his legi potest *Prosper Fagnaeus* in 2. Decretalium *De Appellationibus*, Cap. *Super eo*.

XI. Quartum ejusdem Sessionis Decretum vellicat *Gentiletus*, quo constitutum est, „ ut in criminibus „ adversus Ecclesiasticum reum, Episcopus, aut ejus „ Vicarius judicet adscitis Assessoribus Episcopis; & „ ubi deerunt Episcopi, Abbatibus ad quos mitræ pe„ dique gestandi potestas pertineat, si qui in tota Diœ„ cesi sint: Sin minus adscitis aliis Ecclesiasticis ma„ turæ jam ætatis viris, Jurisque peritis. Quod certe perabsurdum est, inquit *Gentiletus*, communique juri contrarium: Oportuerat enim Jurisperitos anteponi Episcopis & Abbatibus.

Respondetur. De gravioribus criminibus hic agi, ob quæ Clerici ritu solemni Sacris exauctorari debent quod ante Synodum Tridentinam certis in casibus exequi non poterat Episcopus absque aliorum Episcoporum præsentia in numero a Canonibus definito. Ne autem Juris executio differatur, prudentissime statuit Synodus, ut si numerus Episcoporum deficiat, adhibeantur Abbates, quos, sicut & Episcopos, Juris Canonici peritos eligi vel nominari supponit. Quocirca Sessione 22. Cap. 2. De Reformatione, de assumendo ad Episcopatum ita statuit: *Scientia vero præter hæc hujusmodi polleat, ut muneris sibi injungendi necessitati possit satisfacere: ideoque antea in Universitate Studiorum Magister sive Doctor aut Licentiatus in Sacra Theologia, vel Jure Canonico merito sit promotus, aut publico alicujus Academiæ testimonio idoneus ad alios docendos ostendatur.* Nec enim minus doctos eligi vel nominari, aut ordinari Episcopos & Presbyteros postulat Ecclesia, quam olim *Carolo Magno* regnante, cujus in Capitulari anni 794. sancitum est, *Ut nulli Episcoporum & Sacerdotum liceat Sacros Canones ignorare.*

XII. Quintum Decretum perperam quoque *Gentiletus* reprehendit, quo statutum est, „ Ut Episco„ po, tamquam Delegato Pontificio, liceat de obre„ ptione & surreptione venialium Romani Pontificis „ Codicillorum sibi oblatorum cognoscere. Id repugnare

gnare ajt supremæ Regis auctoritati & Imperio penes quem unum in Gallia veniæ dandæ, criminumque abolendorum potestas est.

Respondetur, Mirum fuisse *Gentileti* stuporem vel obstinatam fallendi voluntatem, qui nescierit vel dissimulaverit, hic agi de criminum Ecclesiasticorum venia Canonica, quæ penes Ecclesiam est & Prælatos, atque imprimis penes Pastorum omnium unum Summumque Pastorem Romanum Pontificem: non de venia sæcularium criminum, seu de pœnarum Legibus constitutarum condonatione, quæ penes unum Regem est.

XIII. Sextum Decretum arguit *Gentiletus*, quo constitutum est, ne Episcopus criminis reus in jus vocetur, quo se præsentem sistat nisi tanti criminis reus esse comperiatur, ut ob id pœna submotionis a suo Episcopatu jure coerceri possit, non autem si levioribus criminibus urgeatur. Quod (inquit) & veteribus Canonibus, & ipsi quoque rationi manifeste repugnat. Quanto enim sublimiorem Dignitatis gradum tenet Episcopus præ aliis inferioribus hominibus Ecclesiasticis, eo magis accusandus & coercendus est, si quid peccet, nec ei magis suffragari, quam infimis quibusque par est. Nam in Judiciis nulla debet esse personarum acceptio. Videntur ergo Tridentini Patres laxasse potius, quam cohibuisse vitiorum noxarumqua babenas iis, qui prælucere, & bono exemplo præire debeant. Tum laudat Canonem *Quia Sanctitas* Distinctione L. & Canonem, *Purgabit*, eadem Distinctione, qui Judicium a Domo Domini incipere debere declarant, & eos majori plectendos vindicta, quorum major est culpa; crimen autem illorum gravius esse qui cæteros honore præcedunt.

Respondetur; Tridentinos Patres Episcopo immunitatem a pœnis Canonicis non concessisse, sed cavisse dumtaxat ne ab inferioribus per calumniam vexetur, quod facile contingeret, si cujusvis delicti accusatus, in jusque vocatus, sistere se deberet, ac personaliter, ut ajunt, comparere. Cum enim inferiorum corrigens crimina, eorum odia in se plerumque concitet, & tamquam injuria affecti, falsa illi crimina objicere soleant, ut quoquo pacto possit, molestiam ei exhibeant, vexationis hujusmodi timor sæpe illum ad inquirenda & punienda eorum delicta segniorem redderet; idcirco ne sine magno suo & Ecclesiæ incommodo gregem sibi creditum relinquere, ac non sine Episcopalis Dignitatis diminutione vagari cogatur, statuit & decrevit Sancta Synodus, ut Episcopus, nisi ob causam ex qua deponendus sive privandos veniet, ut personaliter compareat, nequaquam citetur vel moneatur.

SCHOLION.

In hoc Articulo, pag. 160. Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Gallia non recipit Canonem de causis Episcoporum agendis in Curia in primo cognitione, vel ante Appellationem, quia contra Canones.*

R. Tridentina Synodus Sessione 13. *de Reformatione* Cap. 9. statuit ut *causæ Episcoporum, cum pro criminis objecti qualitate comparere debeant*, CORAM PONTIFICE MAXIMO REFERANTUR, AC PER IPSUM TERMINENTUR. Scite observavi, id de prima cognitione seu prima istantia (ut Pragmatici loquuntur) intellectum, vel ubi nulla interjicitur Appellatio, non esse receptum in Galliis, utpote contrarium antiquo Juri, & Canonibus Sardicensibus, Concordatis, Libertatibus & Moribus Ecclesiæ Gallicanæ. Disciplinæ res est ex intercessione & protestatione Cardinalis a Lotharingia, & Oratorum Regis Christianissimi adversus Cap. *Causæ Criminales*, Sessione 24. confirmata. Hæc Ecclesiæ Gallicanæ & Sacræ Facultatis Parisiensis sententia est. Hæc autem a me scripta sunt *Relatoris fide potius, quam Auctoris præsumptione*, (ut cum Vincentio Lirinensi loquar in Commonitorii Præfatione.)

Nota.

AN ex vi Concordatorum causæ Episcoporum in prima etiam instantia coram Pontifice essent judicandæ, dixi alibi.

ARTICULUS IX.

De Sessionis XIV. Decretis.

Doctrina Catholica de Pœnitentia & Extrema Unctione.

I. SEssio decima-quarta celebrata est die vigesima-quinta Novembris, *S. Catharinæ* Virgini ac Martyri sacra, Missam solemnem celebravit *Franciscus Moariquez*, Auriensis Episcopus. Latine peroravit Episcopus *S. Marci*. Post prolixum & accuratum Articulorum ex Hæreticorum libris circa Pœnitentiæ & Extremæ-Unctionis Sacramenta excerptorum examen ex Scripturis Sacris, Traditionibus Apostolicis, Conciliis, Constitutionibus Romanorum Pontificum, SS. Patrum auctoritate, & Ecclesiæ consensione; doctrina Catholica duodecim Capitibus, novem scilicet de Pœnitentia, tribus de Extrema Unctione tradita est; Hæreticorum errores novemdecim Canonibus proscripti. Quindecim priores Pœnitentiæ, quatuor postremi Unctionis Extremæ spectant Sacramentum.

Sacra Synodus Theologorum variis opinionibus de Contritione præjudicare noluit.

II. Capite quarto *De Contritione*, Sacra Synodus Scholasticorum opiniones non attigit, quorum alii contritionem charitate formatam necessariam esse Sacramenti Pœnitentiæ partem, alii non necessariam; sed attritionem quæ charitatis expers sit, Sacramenti partem esse idoneam affirmabant; sed utramque in eodem statu reliquit quo antea erat. Unum ergo *Lutheri* damnavit errorem asserentis, *Imperfectam contritionem, quæ attritio dicitur, hominem facere hypocritam & magis peccatorem*. Etenim cum *Magister Sententiarum*, *Alexander Alensis*, *S. Bonaventura*, *Okam*, *Major*, *Biel*, aliique magni numinis Theologi primam sententiam propugnaverint de necessitate contritionis charitate formatæ, reliqua Theologorum cohors alteram de attritionis sufficientia, ad quam tamen alii amorem Dei inchoatum & imperfectum, alii nullum postularunt; Synodus quæ in hæresum dumtaxat damnationem & definitionem Catholicorum dogmatum incumbebat, non in quæstionum mere Scholasticarum censuram ac judicium, his Catholicorum Theologorum opinionibus præjudicare noluit. Testis est *Palavicinus* Lib. 12. Cap. 10. Historiæ Concilii a I. B. *Giattino* ejusdem Societatis Professore Latine redditæ: *Didacus Lainius* (inquit) qui primo loco inter minores Theologos sermonem habebat, damnans posteriorem secundi Articuli partem dixit: „ Sacramento esse necessaria pœnitentiam, timorem, dilectionem, contritionem, absolutionem. Dilectionem pariter tamquam necessariam enumeravit *Jacobus Ferrasius*, Hispanus, Segoviensis Episcopi Theologus, & per hoc eumdem Articulum improbavit, causatus solis terroribus minime contineri dilectionem, quæ absolute necessaria est; cum Christus pronuntiaverit: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*; & *dilexit*, inquit, per præteritum, quia dilectio remissionem antecessit. Aliisque momentis eam confirmavit sententiam. *Melchior Avomesdianus*, Pacensis Episcopi Theologus dixit, prius nos propter pœnæ metum dolere, dein propter Deum; postea vero, ajebat, peccata confitemur. *Bernardus Colonsdus* Dominicanus, Foroliviensis Episcopi Theologus, tamquam necessaria enumeravit timorem, detestationem, ac fidem, ex qua spes oriatur, & ab hac dilectio. Ejusdem sententiæ fuit *Franciscus Contreras* ex Ordine Minorum Observantium. *Et revera* (inquit Palavicinus) *quantum ex Actis conjicio, Theologorum mens erat, ut error Hæreticorum damnaretur tamquam inhonestum improbantium pœnæ timorem; non item ut ferrent sententiam de Scholastica Quæstione, an hujusmodi timor non solum absque Contritione animi perfecta (de quo controversia via fuit) sed etiam absque eo quod aliud excitetur amor imperfectius, sufficiat ad peccatorum remissionem in Sacramento. Id vero clare liquet ex ipsa probatione Concilii, quæ hujus Articuli doctrinam firmat capite quarto, nimirum Ninivitarum pœnitentiam ex timore profectam ipsis profuisse; cum certum esset eo tempore, quo Sacramentum Pœnitentiæ adhuc non extabat; eam formidolosam pœnitentiam minime suffecisse per se ipsam ad peccatum delendum; sed vim tantummodo habuisse ad impetrandam novam gratiam, cujus ope adjiceretur charitatis affectus, quem omnes necessarium fuisse fatentur ante Novam Legem ad justitiam excipiendam.* Addit idem Historicus, in conventu Patrum paucos id attigisse. Aliquod dumtaxat apparere vestigium opinionis negantis necessitatem amoris, in iis quæ Granatensis Archiepiscopus disputavit. *Joannem Æmilianum* Tudertanum Antistitem, asseruisse opus esse contritione perfecta; nec tamen hinc argui,

gui, per Sacramentum peccata non remitti, siquidem illa delet contritio virtute Sacramenti, cujus votum in ea continetur. Narrat præterea *Palavicinus*, Decretum de Contritione ita delineatum fuisse: *Illam contritionem, quam Theologi attritionem vocant, quod imperfecta sit & solum vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu, qui servilis timor dicitur, si voluntatem peccandi excludat, & dolorem qualemcumque de commissis delictis exprimat, statuit hæc Sancta Synodus & declarat, non solum non facere hominem hypocritam & magis peccatorem (ut quidam blasphemare non verentur) verum etiam sufficere ad Sacramenti hujus constitutionem, ac donum Dei esse, Spiritus Sancti impulsum verissimum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo pœnitens adjutus, cum sine aliquo dilectionis in Deum motu esse vix queat, viam sibi ad justitiam muniat, & per eum ad Dei gratiam facilius impetrandam disponitur.* Sed Granatensis Archiepiscopus monuit, falso dici hujusmodi dolorem sine amore vix umquam concipi posse: Quo autem hæc Attritio satis esset Sacramento constituendo, ita ut homini attriti peccata deleantur vi subsequentis Absolutionis; variare Auctorum sententias, adeoque mentionem illam dilectionis esse tollendam. Quamobrem Decretum, sicuti nunc extat, reformatum ac promulgatum est. De hoc argumento legi etiam potest *Joannis Launoji* Theologi Parisiensis Liber *De Mente Concilii Tridentini circa contritionem & Attritionem in pœnitentiæ Sacramento.*

Respondetur P. Suavis objectioni de reservatione casuum.

III. Refert *Polanus*, Lovanienses, & Colonienses Theologos nequaquam consensisse ut Fidei dogma declararetur Jus reservandi peccata quædam superiori Tribunali, objicientes, a SS. Patribus ea de re nullam fieri mentionem: *Durandum*, qui fuerat pœnitentiarius, *Gersonem* Parisiensem Cancellarium, & *Cajetanum* Cardinalem, omnes docuisse, non peccata, sed censuras esse Romano Pontifici reservatas, apud veteres Scriptores nihil haberi de reservandis nisi publicis delictis: ab Hæreticis dici, illam reservationem ad aucupium pecuniæ inventam, perinde ac etiam in sua morum emendatione *Campeggius* affirmaverat: ex eoque illis ansam dari ea objiciendi, quæ nec diluissent Theologi, nec diluere potuissent.

Reservationis casuum vetus Disciplina.

Respondetur, id merum esse *Suavis* commentum, nullum hujus rei indicium in Actis haberi teste *Palavicino* Cap. 11. Libri duodecimi, sed solum Abbates Casinates monuisse, hac de re varias esse opiniones: posse jure peccata reservari, sed absque ulla solutione pecuniæ. Verisimile non est quod Theologi doctissimi pro comperto sumpserint, veteres Patres numquam reservationis casuum meminisse, cum hujusmodi reservatio ex *S. Cypriani* Epistolis 9. 10. 11. & 28. diserte probetur, nec-non ex veteri Pœnitentiæ publicæ Administratione, & ex Pœnitentiarii in Ecclesia Constantinopolitana instituti, & a Nectario depositi historia. Concilia, Remense sub *Innocentio* II. anno 1131. & Lateranense II. sub eodem Pontifice anno 1139. Canonibus 19. & 20. Clericorum percussores & incendiarios ab Episcopis & Archiepiscopis absolvi prohibent, donec in Sacris Expeditionibus Hierosolymis aut in Hispania per annum militaverint. *Si quis autem Archiepiscopus vel Episcopus hoc relaxaverit, damnum restituat, & per annum ab Episcopali Officio abstineat.* Quod decretum supponit hujusmodi crimina Episcopis fuisse ex Ecclesiæ Disciplina reservata, Perjuros & Censurarum Ecclesiasticarum contemptores a Summo Pontifice dumtaxat absolvendos statuit Concilium Avenionense anno 1209. ab Episcopis quatuor Provinciarum & Sedis Apostolicæ Legatis celebratum. Canone 13. *Ildebertus* Cenomanensis Episcopus, Presbyterum qui furem ad necem sibi inferendam comparatum ictu lapidis occiderat, ad Sedem Apostolicam remittendum censuit, Epistola 60. *Guillelmus* Autisiodorensis Episcopus anno 1206. electus, Viros quosdam Nobiles qui adversus ipsum conjuraverant, ad Summum Pontificem absolvendos remisit, ut legitur in Bibliotheca MSS. Librorum *P. Labbé* S. J. Tom. 1. pag. 486. in Historia Episcoporum Autisiodorensium. Episcopos, gravissimorum criminum reos ad Sedem Apostolicam mittere solitos Pœnitentiæ & absolutionis accipiendæ gratia, constat ex Concilio Lemovicensi II. anno 1032. celebrato. *Martinus V.* Pontifex Maximus, Cantuariensem Archiepiscopum anno 1425. severe objurgavit, quod Plenaria Indulgentia Ecclesiam suam visitantibus concessa, Pœnitentiarios instituisset, qui confluentes ad eos generaliter ab omnibus peccatis absolverent. Londinense Concilium anno 1011. libidinum contra naturam absolutionem Episcopis reservavit. *Stephanus* Parisiensis Episcopus anno 1230. singulari Mandato sibi reservavit absolutionem eorum, qui *Thomam* Priorem *S. Victoris* Parisiensis occiderant. Concilium Eboracense anno 1194. perjurii reos ad Episcopum vel Generalem Diœcesis Confessorem, seu Majorem Pœnitentiarium remittendos sanxit. Concilium Londinense anno 1220. sortilegos, perjuros, incendiarios, fures, raptores, nisi ab Episcopo Diœcesano, vel ejus auctoritate, vetat absolvi. *Odo de Soliaco* Parisiensis Episcopus, in Statutis Synodalibus an. 1220. Sacerdotes monet *ut Majora Majoribus reservent in Confessionibus, sicut homicidia, sacrilegia, peccata contra naturam, incestus, & stupra Virginum, injectiones manuum in Parentes, vota fracta & hujusmodi.* Reservationis casuum pariter meminerunt Concilia Santonense anno 1280. Nemausense anno 1284. Lambethense in Anglia 1281. Canone 8. quo *Absolutionem ab homicidio voluntario tam publice quam occulto, solis Episcopis, extra necessitatis articulum* reservat. Ravennatense item Concilium anno 1286. Canone octavo, quo casus Episcopis reservatos *de Consuetudine generali vel speciali* commemorat. Concilium Avenionense anno 1326. Canone 22. distinguit casus Episcopis reservatos *A Jure, Consuetudine, vel Statuto Provinciali vel Synodali.* Eadem Disciplina confirmatur ex Concilio Arelatensi anno 1275. Canone 11. ubi de graviorum, quæ recenset, criminum reis statuit, ut *Transmittantur absolvendi per Episcopos, si id eis Jure competit: alioqui cum eorum literis ad Sedem Apostolicam transmittantur.* Item ex Nicosiensi anno 1298. Salzburgensi 1420. Canone 11. Dertusano 1429. Canone 17. & ex *Innocentio III. C. Cum olim, De Præscriptionibus.* Casuum ergo reservatio longe ante Concilium Tridentinum generali Ecclesiæ disciplina stabilita erat. Unde verisimile non est quod Theologi Lovanienses & Colonienses Jus illud adeo exploratum, & in ipsis Christi verbis, *Quæcumque alligaveritis super terram, &c.* fundatum, dogma Fidei esse negaverint, ac ut tale definiri a Sancta Synodo Cap. 7. & Canone 11. ægre tulerint. Esto *Durandus*, *Gersonius*, & *Cajetanus*, Censuras dumtaxat, seu noxas quibus sunt annexæ Censuræ, Summo Pontifici reservatas affirment, de facto loquuntur, non de Jure: Potestatem namque reservandi casus in Romano Pontifice & Episcopis agnoscunt; Legantur Opuscula duo *Gersonis* Tom. 2. p. 332. & 334. Publica quidem peccata dumtaxat reservari Piissimus Cancellarius optabat in certis peccatorum generibus, sed non universim; Prudentiam & moderationem postulabat, non negabat potestatem. „ Pastoralis Auctoritas (*inquit*) in casibus „ reservandis quoad forum conscientiæ sicut & alia „ quælibet potestas, data est Prælatis in ædificationem „ Ecclesiæ, non in destructionem; sicut dicit Apostolus, & in favorem populi Christiani, pro salute, „ non pro quæstu aut simili commodo consequendo. „ Constat autem certissime per plures expertos in confessionibus audiendis tempore isto, quod Reservatio „ stricta quorumdam casuum, præsertim in gravioribus & occultis speciebus peccati carnalis, retrahit „ innumeros a confessione talium peccatorum, sicut „ sunt pueri & puellæ & mulieres verecundissimæ, & „ rurales idiotæ, a quibus vix potest extrahi confessio „ talium peccatorum, quantumcumque Confessor sit „ solicitus, humilis, morosus, & discretus. Quod si „ remittantur ad Prælatum vel Pœnitentiarium, de „ longinquo, vel in publico, refugiunt & horrent. „ Expertumque est millies quod vadunt: sed nec ducenti, nec trecenti, immo nec mille Pœnitentiarii „ sufficerent aliquando in una diœcesi ad tales casus „ plene audiendos, absolvendosque. Denique quid prodest, & certe obest plurimum, addere verecundiam, „ super verecundiam, onera gravia super onera, & „ difficultatem confitendi talia peccata super difficultatem quæ tanta est ut vix credi posset? Et hoc præcipue quando peccatum secretum est, & tale quod „ auctor perpetuo celabit ipsum, si velit, ut nec Episcopus, nec alius inde punitionem vel notionem inveniat. „ Denique calumnia hæreticorum, reservationem aucupium pecuniæ appellantium, prohibere Sanctam Synodum non debuit ab eorum errore damnando, & definienda fidei veritate: sicut nec eorum calumniæ contra Missæ Sacrificium, contra Purgatorium, contra Indulgentias, quæ pecuniæ aucupia pariter appellabant, prohibuere quominus hæc ut Fidei dogmata definirentur. Cardinalis autem *Campeggius*, dum potestatem reservandi casus Episcopis respectu Laicorum moderatur, & occulta peccata reservari deinceps vetat, homicidium & hæresim excipit, nihilque quoad Clericos

eos vult lonovari: nec potestatem jusque hujusmodi Reservationis negat, sed abusum reformat, ne hæreticorum calumniis ansa detur. Sic enim statuit cap. 9. Constitutionis suæ ad Cleri Germanici reformationem anno 1524. Ratisbonæ editæ: *Porro ne & ipsi videantur pecuniæ aucupium magis quam salutis animarum studium amplecti, dum laicos graviora delicta confessos hinc inde remittunt non sine famæ rerumque dispendio; constituimus & ordinavimus, ut deinceps quilibet Confessor absolvere possit Laicos contritos & confessos a quibuscumque peccatis occultis, quantumcumque gravibus & enormibus, quæ Ordinarii suæ auctoritati reservaverant, exceptis dumtaxat homicidis, hæreticis, & excommunicatis, ad Episcopum vel ejus Vicarium mittendis. Quod autem ad Clericos, nihil, quoad hoc statutum, intelligatur innovatum. Pro condonatione autem & remissione peccatorum, quam absolutionem vocant, nihil omnino ab invito exigant.*

IV. Comminiscitor secundo *Polanus*, Colonienses Theologos improbasse damnationem interpretationis verborum Christi, *Quæcumque ligaveritis &c.* factam Canone 15. cum ea sit *Theophylacti*; ut proinde Adversariis gaudio futura esset.

P. Suavis Polani commenta refelluntur.

Respondetur, *Theophylacti* haud tantom esse in Ecclesia nomen, nec auctoritatem tantam, ut damnata ipsius sententia gaudio Hæreticos effecisset, cum & junior sit, ut qui ad finem vergente sæculo duodecimo vixerit, & Schismaticus fuerit, cum in c. 3. *S. Joannis* contumeliosis verbis invectus sit in Latinam Ecclesiam, docentem, Spiritum Sanctum a Patre & Filio procedere. Nihilominus falsum est quod interpretatio verborum Christi a Synodo proscripta Canone X. sit *Theophylacti*. Damnat quippe Sacra Synodus eum qui dixerit: *Non solos Sacerdotes esse ministros absolutionis, sed omnibus & singulis Christi Fidelibus esse dictum* Quæcumque ligaveritis &c. Quorum remiseritis peccata &c. *Quorum verborum virtute quilibet absolvere possit peccata, publica quidem per correptionem dumtaxat, si correptus acquieverit; secreta vero per spontaneam Confessionem.* Quid vero *Theophylactus*? Nonne hanc solis Sacerdotibus tribuit potestatem? Nam ubi hæc verba, *Quæcumque alligaveritis &c.* de venia explicuit, per quam privatas injurias homo quilibet condonare potest, quæ interpretatio suimus propria est, pergit proxima verba interpretari, *Quoties peccabit in me frater meus, & remittam ei?* Et ea sic expendit: *Addidit, In me si peccaverit. In Deum enim si peccaverit, non ego qui idiotes & privatus sum, possum ei remittere, nisi forte Dei Ordinem habens Sacerdos.* Et in Cap. 20. *S. Joannis* ita disserit: *Dicendum autem, quod & potestatem quamdam & donum spirituale dedit eis non ut mortuos suscitent, & virtutes faciant, sed ut remittant peccata. Ideo & subdit:* Quorum remiseritis peccata: *Ostendens quod genus spiritualium donorum eis dederit, remissionem videlicet peccatorum.* Et infra: *Vide insuper Sacerdotum dignitatem, quod divina sit: Dei enim est remittere peccata. Sic igitur illi honorandi sunt ut Deus. Nam quamvis indigni sint, quid hoc? Divinorum donorum Ministri sunt, & gratia operatur per eos.* Non est ergo verisimile quod Theologi Colonienses objecerint, interpretationem *Theophylacti* a Concilio esse damnatam.

Matth. 18. Joann. 20.

V. Comminiscitur tertio *Polanus*, Colonienses Theologos contra Canonem decimum quintum objecisse, potestatem ligandi non intelligi ab antiquis Patribus potestatem imponendi pœnas peccata confitentibus, sed imperandi ut a Sacramentis abstinerent; & præterea iisdem Theologis visum esse aliquid de Pœnitentia publica dicendum fuisse, quam *S. Gregorius Magnus* Juris Divini asserit, quæ nisi in usum revocaretur, saltem respectu hæreticorum, & poblice delinquentium, numquam Germaniam liberatum iri.

In quo posita ligandi potestas Sacerdotibus a Christo concessa.

Sed quis sibi persuadeat viros doctissimos id objecisse, quibus (ut alia momenta sileam) comperta erat illa *S. Leonis* Sententia ad *Theodorum* Forojuliensem Episcopum scribentis: *Mediator Dei & hominum homo Christus Jesus hanc Præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut & confitentibus actionem Pœnitentiæ darent, & eosdem salubri satisfactione purgatos, ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent. Cui utique operi incessabiliter ipse Salvator intervenit, nec umquam ab his abest, quæ Ministris suis exequenda commisit.* Et illa *S. Cypriani* Lib. De Lapsis: *Contra Evangelii vigorem, contra Domini ac Dei legem, temeritate quorumdam laxatur incautis communicatio, irrita & falsa pax, periculosa dantibus, nihil accipientibus profutura: non quærunt sanitatis pœnitentiam, nec verum de satisfactione medicinam.* Utriumque ergo a Sacerdotibus imponebatur pœnæ genus, & abstentio ab usu Sacramentorum, & satisfactionis expletio, ex Ecclesiæ veteris disciplina. Nec etiam Colonienses objicere potuerunt, publicam Pœnitentiam a *S. Gregorio Magno* creditam esse juris divini, quasi Ecclesia ad eam semper imponendam obstringatur; quamvis Ecclesiam jure divino potestatem habere illam imponendi cum opportunum censet, *S. Gregorius* existimaverit.

Concilium Tridentinum publicam pœnitentiam improbasse aut evertisse falsum est.

Quod Pœnitentiam poblicam spectat, optavit Sancta Synodus ut ejus usus pro publicis peccatis revocaretur, idque omnino sanxit Sessione 24. cap. 8. de Reformatione, nisi Episcopo magis expedire videatur publicæ hoc pœnitentiæ genus in aliud secretum commutare: sed in præsenti Sessione satis fuit Sacræ Synodo præcipere Sacerdotibus, ut „ quantum Spiritus & „ prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœ„nitentium facultate salutares & convenientes satis„factiones injungant: ne, si forte peccatis conniveant, „ & indulgentius cum pœnitentibus agant, levissima „ quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, „ alienorum peccatorum participes efficiantur. „ Quod vero *Suavis* ait: Concilium publicam Pœnitentiam improbasse ac evertisse cap. 5. falsissimum est. Publicam quidem Confessionem secretorum peccatorum lege aliqua inconsulto præceptum iri censuit, sed non publicam Pœnitentiam, quæ peccata in specie non detegeret, sicut Confessio publica, adeoque famam pœnitentis non destrueret. „ Et si Christus (*inquit*) non ve„tuerit, quin aliquis in vindictam suorum scelerum, „ & sui humiliationem, cum ob aliorum exemplum, „ tum ob Ecclesiæ offensæ ædificationem, delicta sua „ publice confiteri possit; non est tamen hoc divino „ præcepto mandatum, nec satis consulte humana ali„qua lege præciperetur, ut delicta, præsertim secre„ta, publica essent Confessione aperienda. „ Sacra Synodus *S. Leonis* exemplum secuta est, qui Confessionem Publicam, non vero Pœnitentiæ publicæ disciplinam submoveri statuit Epistola ad Episcopos per Campaniam, Samnium & Picenum constitutos, cujus hæc sunt verba: „ Illam etiam contra Apostolicam „ Regulam præsumptionem, quam nuper agnovi a qui„busdam illicita usurpatione committi, modis omni„bus constituo submoveri: ne videlicet de singulorum „ peccatorum genere, libello scripta professio publice„tur: cum reatus conscientiarum sufficiat solis Sacer„dotibus indicari Confessione secreta. Quamvis enim „ plenitudo Fidei videatur esse laudabilis, quæ propter „ Dei timorem apud homines erubescere non veretur: „ tamen quia non omnium hujusmodi sunt peccata, „ ut ea, qui Pœnitentiam poscunt, non timeant pu„blicare; removeatur tam improbabilis consuetudo: „ ne multi a Pœnitentiæ remediis arceantur, dum aut „ erubescunt, aut metuunt inimicis suis sua facta re„ferari, quibus possint Legum Constitutione percelli. „ Sufficit enim Confessio, quæ primum Deo offertur, „ tum etiam Sacerdoti, qui pro delictis Pœnitentium „ precator accedit. Tunc enim demum plures ad Pœ„nitentiam poterunt provocari, si populi auribus „ non publicetur conscientia confitentis.

VI. Fingit quinto *Suavis*, Colonienses Theologos desiderasse, ut signum aliquod externus pro certa Pœnitentiæ materia designaretur. Quasi vero Confessio peccatorum voce vel signis edita, certæ materiæ rationem non haberet, quam, utpote a Christo institutam, mutare Concilio integrum non fuit.

P. Suavis commenta de Franciscanorum Theologorum objectionibus contra Decretum de Pœnitentia.

VII. Franciscanis Theologis duo displicuisse *Suavis* asserit, primum quod Synodus Contritionem, Confessionem, & satisfactionem pro materia Sacramenti assignaverit, cum ipsis videretur materiam esse debere elementum sensibile externus admotum suscipienti, non ipsam suscipientis operationem. Contritionem non minus esse necessariam Baptismo quam Pœnitentiæ: Confessionem in Ecclesia primitiva ante Baptismum imperatam; nec tamen contritionem aut Confessionem Baptismi partes ac materiam affirmari: Æquam igitur non fore damnationem opinionis ab antiquis Ordinis Minorum Theologis assertæ. Alterum de quo Franciscanos Theologos conquestos fingit *Suavis*, est Concilii definitio, qua asseritur, * A Sacerdote vere pœnitentem absolvi, & non potius declarari absolutum ex vi antegressæ contritionis: cum tamen hanc sententiam *S. Hieronymus*, *Magister Sententiarum*, *S. Bonaventura*, & omnes pene Scholastici defenderent.

** Cap. 6. & Cap. 9.*

Respondetur, Franciscanis Theologis displicere non potuisse primum illud Caput, cum Sacra Synodus Contritionem, Confessionem & satisfactionem, Pœnitentiæ materiam non appellaverit, sed *quasi materiam*, quæ

loquen-

loquendi ratio sententiæ *Scoti* non repugnat. Hos pœnitentis actus Sacramenti partes Synodus appellat, quos *Scotus* necessarias quidem dispositiones, non partes esse voluit: At solis vocibus a communi sententia discrepat *Scoti* opinio, ut *Andreas Vega* ejusdem Ordinis Theologus testatur in erudito Opere *De Justificatione*, ad Sessionem sextam Tridentini Concilii. Solum enim inficiatus est Doctor Subtilis, hos actus esse partes Sacramenti naturam constituentes, admisit esse partes integrales. At nihil aliud Synodus asseruit, quæ Cap. 3. & Canone 4. hos actus non Sacramenti, sed Pœnitentiæ partes appellat, & eatenus Pœnitentiæ partes appellari docet, *quatenus in pœnitentes ad integritatem Sacramenti, ad plenamque & perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur*. Licet porro Contritio ad Baptismum necessaria sit dispositio in adultis, qui voluntarie peccaverunt, & aliquando Catechumenis imperata sit peccatorum Confessio, hi tamen actus Baptismi partes pariter dici non possunt, cum per se & ex Christi institutione ad ejus integritatem non desiderentur, sicut in infantium Baptismo videre est.

Quod caput spectat alterum, verisimile non est Franciscanos ægre tulisse damnationem opinionis, a qua prorsus aliena erat Doctoris Subtilis Schola quam Doctor ille impugnavit, quam ipse *S. Bonaventura* non docuit. Quamvis enim perfectam contritionem ad remissionem peccatorum esse necessariam docuerit, non tamen censuit *Absolutionem Sacerdotis esse nudum ministerium pronuntiandi & declarandi remissa esse peccata confitenti, modo tantum credat se esse absolutum; aut Sacerdos non serio, sed joco absolvat, aut non requiri Confessionem pœnitentis, ut Sacerdos eum absolvere possit*: vel Absolutionem ipsam *non esse actum judicialem*: qui *Lutheri* fuerunt errores a Concilio proscripti; sed Confessionem Pœnitentis esse necessariam censet *S. Bonaventura*, ut eum Sacerdos absolvere valeat, quia remissionem peccatorum Absolutioni præviam soli contritioni non tribuit, sed & voto quod in contritione includitur hujus Sacramenti suscipiendi, & Confessionis apud Sacerdotem faciendæ. Asserit præterea idem S. Doctor, in ipso Absolutionis actu remitti aliquod debitum eo usque perseverans, hoc est, partem pœnæ temporariæ, quæ post condonationem æternæ adhuc debetur, & gratiam sanctitatis infundi. Id cum exploratum esset Theologis Franciscanis, nullamque sententiæ *Magistri*, *S. Bonaventuræ* & aliorum quorumdam Theologorum affinitatem esse cum errore a Sacra Synodo damnato Cap. 6. & Canone 9. probe intelligerent, figmentum est quod ipsis Concilii definitio displicuerit. Nec etiam *S. Hieronymum* assertorem fuisse doctrinæ a Concilio damnatæ, viri eruditi objicere potuerunt, cum in Commentario Capitis 16. *S. Matthæi*, quod *Suavis* spectat, nihil aliud velit, quam Sacerdotes pro arbitrio peccatores absolvere non posse vel ligare, sed ipsorum dispositione considerata, quia nec *insontes ligare* nec *solvere noxios*, id est, affectum peccati non deponentes, novæ vitæ inchoationem præ se non ferentes, vereque ad Deum non conversos, nullatenus possunt. Et quoad hoc Episcopos & Presbyteros *S. Hieronymus* comparat cum Sacerdotibus Veteris Legis, qui leprosos vel mundos non faciebant; sed habebant notitiam leprosi, & non leprosi, & poterant discernere qui mundus, quive immundus esset. *Apud Deum* itaque *non sententia Sacerdotum, sed reorum vita quæritur* (inquit *S. Hieronymus*) id est nulla habetur in cœlis ratio Absolutionis a Sacerdote datæ, nisi peccator vitam emendaverit. Cæterum Absolutionem Sacramentalem Sacerdotis esse actum judicialem *S. Hieronymus* docuit, ut constat ex ipsius Epistola ad Heliodorum. *Absit* (inquit) *ut de his quidquam sinistrum loquar, qui Apostolico gradui succedentes, Christi Corpus sacro ore conficiunt, per quos & nos Christiani sumus: qui claves Regni Cælorum habentes, quodammodo ante judicii diem judicant*. . . . Quodammodo, quia *in remissionem peccatorum ministerium suum exhibent, non jus potestatis alicujus exercent. Neque enim in suo, sed in Patris, & Filii & Spiritus Sancti nomine peccata dimittuntur*. Ipsi onera removent delictorum, Christus resuscitat, & educit de sepulchris exutos vinculis, ut ait *S. Ambrosius*. Potestatem ergo Ministerii dumtaxat, non potestatem absolutam ac supremam solvendi & ligandi in Sacerdotibus *S. Hieronymus* agnovit. Hinc in illos Presbyteros invehitur, *qui aliquid sibi de Pharisæorum supercilio assumunt, ut vel damnent innocentes, vel solvere se noxios arbitrentur*. At *S. Hieronymus* ab aliis Patribus non dissensit, qui Sacerdotes Novæ Legis vere purgare peccata docuerunt, sicuti *S. Chrysostomus* Lib. 3. De Sacerdotio: *Corporis lepram* (inquit) *purgare, seu ut verius dicam, haud purgare quidem, sed purgatos probare, Judæorum Sacerdotibus solis licebat. At vero nostris Sacerdotibus non corporis lepram, verum animæ sordes, non dico purgatas probare, sed purgare prorsus concessum est*.

S. Hieronymus censet Absolutionem Sacramentalem actum esse judicialem Sacerdotis.

VIII. Narrat *Suavis*, Electoris Trevirensis Theologum, *F. Ambrosium Pelargum*, Dominicanum, monuisse hæc Domini verba, *Quorum remiseritis peccata, remittentur eis &c.* a nullo fortasse Patrum exponi de institutione Sacramenti Pœnitentiæ, sed ab aliis de Baptismo, ab aliis de condonatione peccatorum, quocumque tandem modo suscipiatur: Proinde si ad solam Sacramenti Pœnitentiæ institutionem restringerentur, proscriptis tamquam Hæreticis iis qui aliter exponerent, calumniandi occasio Adversariis daretur, & dicendi, antiquam Ecclesiæ Doctrinam a Concilio damnatam.

Alterum Suavis commentum.

Tam eruditum virum id dixisse, merum commentum est. Non nosse enim non poterat SS. *Cyprianum*, *Basilium*, *Chrysostomum*, *Ambrosium*, *Pacianum*, *Augustinum*, *Gregorium*, & alios Patres, quorum testimonia sacrarum controversiarum Tractatores diligenter referunt, hæc Domini verba de Sacramento Pœnitentiæ fuisse interpretatos. Ignorare etiam non poterat, Sacram Synodum laudata Domini verba ita de institutione Sacramenti Pœnitentiæ interpretari, ut alias explicationes huic minime repugnantes non damnet aut rejiciat; sed ei tantum Anathema dicere, qui negaverit *esse intelligenda de Potestate remittendi & retinendi peccata in Sacramento Pœnitentiæ, sicut Ecclesia Catholica ab initio semper intellexit, & detorserit contra institutionem hujus Sacramenti, ad auctoritatem prædicandi Evangelium*.

IX. Circa primum Caput de Unctione Extrema, narrat *Suavis*, primum in Decreto scriptum fuisse, hoc Sacramentum fuisse a Christo institutum *Marci* VI. sed postea quemdam ex Theologis observasse, Apostolos id temporis nondum fuisse Sacerdotes, adeoque id cohærere non posse cum definitione qua Synodus declarabat, hujus Sacramenti Ministrum esse Sacerdotem. Quamobrem placuit, ut vox, *institutum*, in vocem *insinuatam* commutaretur.

Suavis circa Caput de Unctione Extrema falsi convincitur.

Verum hanc narrationem falsi convincit *Palavicinus*, Lib. 12. Cap. 14. ex eo quod in Congregationibus minorum Theologorum habitis diebus 21. & 22. Octobris, adeoque integro fere mense antequam Canones & Decreta formarentur, quod opus nonnisi post initium Novembris inchoatum est, non unus dumtaxat, sed plures ex Theologis observarunt, hujusmodi Sacramentum non institutum, sed adumbratum atque insinuatum fuisse per ea quæ habentur in sexto Capite *S. Marci*, sicuti Synodus declaravit. Hi vero præsertim fuere *Jodocus Ravestein*, Lovaniensis Theologus, a *Maria* Regina missus, & *Sigismundus Fedrius a Dirata*, Ordinis FF. Minorum, Tridentini Cardinalis Theologus. In prima itaque forma Patribus proposita die 16. Novembris hæc verba legebantur: *Docet Sancta Synodus Extremam hanc infirmorum Unctionem vere & proprie Novi Testamenti esse Sacramentum, a Christo quidem Domino institutum; per Apostolos vero, qui (ut apud Marcum legitur) oleo ungebant ægrotos, & sanabantur, delineatum & insinuatum; per Jacobum autem Apostolum Domini fratrem, Cap. 5. suæ Canonicæ Epistolæ, Fidelibus commendatum atque promulgatum fuisse*. Addit *Palavicinus*, incredibile id sua sponte videri vel iis, qui de re ipsa edocti intime non essent; quia etsi quidam ex Patribus non admodum antiquis, & pauci etiam ex Theologis, censuissent unctionem, cujus *S. Marcus* Cap. 6. & *S. Jacobus* Cap. 5. meminerunt, ejusdem esse naturæ, nihilominus discrimen utriusque animadverterunt *Hugo a S. Victore*, *Magister Sententiarum*, *Alexander Alensis*, *S. Bonaventura*, *S. Thomas*, & alii Scholastici veteres, qui nullum ad hoc Sacramentum probandum argumentum ex Evangelio traxerunt. Quamobrem verisimile non est voluisse Concilium, nulla Patrum insignium auctoritate fultum, contra communem Scholasticorum sententiam, definire Sacramentum Extremæ Unctionis a Christo fuisse institutum *S. Marci* Cap. 6. & unius tantum Theologi admonitione Decretum ea de re præformatum immutasse.

P. Suavis objectiones contra Decreta Sessionis 14. nomine Germanorum Protestantium.

X. Germanorum nomine plurima *Suavis* objicit adversus Decreta Fidei in hac Sessione edita; Primum cum reliqua Sacramenta per aliquam Veteris Testamenti figuram fuissent adumbrata, mirum visum fuisse Confessionem Sacramentalem a Christo fuisse institutam, cujus nullum exemplum præcesserit, nullum in Lege vestigium appareat. Secundo, formam Sacra-

menti Pœnitentiæ potius exprimendam fuiffe per verbum *Remitte*, quam per verbum *Abfolvo*, fiquidem ejus inftitutionem Concilium fundat in his verbis: *Quorum remiferitis peccata*, *&c.* Tertio, fi hæc verba *Abfolvo te*, Sacramentum faciunt pro illis qui a peccatis folvuntur; hæc pariter, *Lego te*, aliud efficere pro illis qui ligantur, cum utraque poteftas a Chrifto collata Sacerdotibus credatur. Si ergo ad abfolvendum neceffaria hæc formula eft, *Abfolvo te*, ita ad ligandum neceffariam effe illam formulam, *Lego te*, ut hæc verba Chrifti, *Quæcumque ligaveritis &c. Quorum remiferitis &c.* executioni mandentur. Quarto, obligationem omnia peccata diftincte confitendi, & cum omnibus circumftantiis fpeciem immutantibus, non recte colligi ex judiciaria poteftate quam Chriftus tradidit ea remittendi & retinendi: fiquidem ab eo diftincta non funt duo genera peccatorum, alterum quod remittendum, alterum quod retinendum effet; fed folum duæ hominum claffes, dicendo, *quorum & quorum*, una pœnitentium, quibus cuncta peccata remittuntur, altera non pœnitentium, quibus cuncta retinentur. Quinto, Apoftolos, eorumque Difcipulos, rerum divinarum peritiffimos, humanarum vero fubtilitatum minime curiofos, ignoraffe circumftantias illas quibus peccatorum fpecies variari dicuntur; eofque forte adhuc hominum genus ignoraturum, nifi *Ariftoteles* hujufmodi fpeculationes inveniffet. Grave igitur videri, Articulum Fidei ad falutem neceffarium inde confectum effe. Sexto, inconftantiæ vel ignorantiæ effe, eos damnare qui dicerent, Abfolutionem effe nudum minifterium declarandi remiffa effe peccata, & nihilominus perfonam Judicum in Sacerdotibus agnofcere, fiquidem non aliud munus eft Judicis, quam pronuntiare infontem hominem, vel reum, qui talis eft. At vero Judicis metaphoram non pari, ut dicatur, fontem ab eo juftum reddi: aptiorem fore ad id fignificandum metaphoram Principis, qui pœnam reo condonet, illumque in priftinum ftatum reftituit: Septimo, falfam effe rationem a Synodo allatam, cur declaratio peccatorum, figillatim & in fpecie neceffaria fit, ut nimirum Sacerdotes æquitatem in pœnis injungendis fervare poffint: tum quia reipfa leves pœnæ pro graviffimis peccatis imponuntur: tum quia Synodus declaravit, fatisfieri Deo poffe *non folum pœnis a nobis fponte fufceptis, aut Sacerdotis arbitrio pro menfura delicti impofitis, fed etiam temporalibus flagellis a Deo inflictis, & a nobis patienter toleratis*. Tum denique, quia Confeffarius æquabiliter metiri non poteft debitum pœnarum in Purgatorio ob hoc vel illud peccatum luendarum.

Refponfio. Has objectiones refellere operæ pretium non erit. Ad primam refpondetur, In veteri Teftamento infignem præceffiffe figuram confeffionis & Abfolutionis in eo quod Sacerdotes inter lepram & lepram judicabant, & mundos ab immundis fecernebant; quam figuram in Mofaica lege adumbratam & *S. Chryfoftomus*, lib. 3. *De Sacerdotio* explicuit, & *Joannes Fonfeca*, Stapienfis Epifcopus, in Concilio ea de re verba faciens obfervavit.

Ad fecundam refpondetur, Ecclefiam in Abfolutionis formula, quam Chriftus in genere dumtaxat inftituit, utrumque verbum perinde ufurpare potuiffe, *Remitto*, aut *Abfolvo*, fed poftremum elegiffe, quia inftitutionem Sacramenti agnofcit, non folum in illis verbis *Joannis XX Quorum remiferitis peccata &c.* fed & in illis Matthæi 18. *Quæcumque alligaveritis fuper terram, &c. & Quæcumque folveritis, &c.* & verbum *folvendi* aut *abfolvendi* fignificantius exprimit Judicialem actionem, quæ in hoc Sacramento exercetur. Unde & in Refurrectione *Lazari* quæ typus fuit fpiritualis refurrectionis peccatoris, cum e monumento Chrifto jubente prodiiffet qui fuerat mortuus, ligatus manus & pedes inftitis, Chriftus Difcipulis dixit: *Solvite illum, & finite abire*.

Ad tertiam refpondetur, Unius & ejufdem Sacramenti adminiftratione exerceri poteftatem ligandi atque folvendi. Ligandi enim actio vel eft denegatio Abfolutionis, vel interdictio Communionis Euchariftiæ, vel pœnæ falutaris impofitio, quæ Pœnitentiæ pars eft, & ad judicium etiam pertinet, ficut Abfolutio Pœnitentis, ut ex Chrifti verbis, & tota retro Traditione conftat. At ligatio cum non fit hujus Sacramenti præcipuus effectus, fed quid tantum concomitans & adjunctum, folemni formula non enunciatur, ficut Abfolutio; quia nullam Ecclefia determinate præfcripfit, fed verbis arbitrariis pœnitenti fignificat Sacerdos, in Pœnitentiæ tribunali fedens, vel Euchariftiæ interdictionem, vel pœnæ falutaris impofitionem.

Ad quartam refpondetur, Satis aperte duo genera peccatorum, quorum unum remittendum, alterum retinendum fit, a Chrifto Domino fignificari his verbis: *Quæcumque ligaveritis fuper terram, erunt ligata in Cælis; & quæcumque folveritis fuper terram, erunt foluta in Cælis*. Verum etfi nulla effet alia diftinctio, nifi pœnitentium & non pœnitentium, quam Chriftus his verbis, *quorum & quorum*, fignificavit, nihilominus neceffe foret peccata in fpecie & figillatim confiteri & explicare Sacerdoti, qui alioqui cognofcere non poffent animum pœnitentis, an affectum peccati depofuerit, an ad proximas occafiones vitandas fit paratus, an ad falubrem fatisfactionis medicinam a Sacerdote accipiendam difpofitus.

Ad quintam refpondetur, Rudem quamdam notionem notabilis difcriminis inter crimina in his vel illis conditionibus patrata naturæ vi in omnium animis infculptam effe, verbi gratia, inter fimplex homicidium & parricidium, inter mendacium fine perjurio, & cum perjurio, furtum rei profanæ aut facræ, cædem privati civis aut Principis, concubitum cum aliena aut cum filia. Porro mens Concilii non fuit, ut exquifitam quamdam Philofophantium fubtilitatem pœnitentes adhiberent ad exprimenda peccatorum difcrimina; fed folum ut eas exponerent conditiones, quæ pro communi hominum exiftimatione efficiunt, ut peccatum alterius naturæ, feu malitiæ gravioris cenfeatur. Quod fi mentis adeo craffæ & obtufæ fint, ut id explicare non valeant, nihil aliud ab ipfis exigitur, nifi ut explicent id quod norunt, a Confeffario adjuti. Quamobrem Sancta Synodus *impium effe* declarat, *confeffionem, quæ hac ratione fieri præcipitur, impoffibilem dicere, aut carnificinam illam confcientiarum appellare. Conftat enim nihil aliud a Pœnitentibus in Ecclefia exigi, quam ut poftquam quifque diligentius fe excufferit, & confcientiæ fuæ finus omnes & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus fe Dominum & Deum fuum mortaliter offendiffe meminerit: reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in univerfum eadem Confeffione inclufa intelliguntur, pro quibus fideliter cum Propheta dicitur:* * *Ab occultis meis munda me Domine*.

* Pf. 18. 13.

Ad fextam refpondetur, Munus Judicis a Principe delegati cum auctoritate fumma ad venias, relaxationes, aliaque hujufmodi beneficia concedenda, cum caufæ cognitione, non effe dumtaxat pronuntiare hominem infontem vel reum, qui talis eft: fed cognitis conditionibus, quas Princeps exigit, Sententiam ferre, fimulque beneficium impertiri. In hoc Judicum genere funt Sacerdotes, quos Sacra Synodus Chriftum *fui ipfius Vicarios reliquiffe* docet, *tamquam Præfides & Judices*. Porro Præfidum, & Vicariorum Principis, five Proregum munus non folum eft reos, vel infontes pronuntiare, qui tales funt, fed gratias a Principe directas recognofcere, & eas caufa cognita impertiri, aut non impertiri, pro facti conditionibus, quæ concedentis voluntati, ftatutifque ab ipfo legibus confonent. Quod autem Sacerdotes meram declarandi functionem non exerceant, fed auctoritatem conftituendi homines reconciliatos Deo, colligit Concilium ex Chrifti verbis *Matthæi* 18. & *Joannis* 20. nam *folvere & remittere*, merum declarandi minifterium non fignificant, fed actum judicialem quo Sententia abfolutionis & remiffionis cum cognitione caufæ pronuntiatur; quod & totius retro Traditionis teftimonia confirmant. Suam itaque prodit ignorantiam ac impetitatem *Suavis*, cum Sacram Synodum inconftantiæ vel ignorantiæ temere accufat.

Ad feptimam refpondetur, Si qui Sacerdotes reipfa leves pœnas pro graviffimis criminibus imponant, eorum lenitatem ab Ecclefia & Sacra Synodo non probari, quæ fatisfactiones pro gravitate noxarum imponi jubet; quæ quidem ut a Sacerdote in Sacramento injunctæ, peculiarem vim ad expungenda pœnarum debita peccatis contracta obtinent ob merita Redemptoris, & ex *opere operato* (ut Theologi de Schola loquuntur) adeoque multo amplius per ea opera fatisfit, quam per alia fimilia a Pœnitente fponte fufcepta; quamvis & pœnis a Deo inflictis & patienter toleratis, & fponte a nobis fufceptis, divinæ juftitiæ fatisfiat. Nec propterea menfura quafi geometrica opus eft, ut nofcatur quantitas pœnæ cuilibet peccato in Purgatorio debitæ, fed fatis eft ut fecundum prudentiæ normam gravior pœna pro gravioribus delictis infligatur, quantum patiuntur vires & conditio pœnitentis. Ea omnino mens eft Concilii cap. 10. cujus hæc funt verba: „ Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum Spiritus &
„ pru-

„ prudentia ſuggeſſerit, pro qualitate criminum & pœ-
„ nitentium ſacultata, ſalutares, & convenientes ſa-
„ tisfactiones injungere; ne ſi forte peccatis connivent,
„ & indolgentius cum Pœnitentibus agant, leviſſima
„ quædam opera pro graviſſimis delictis injungendo,
„ alienorom peccatorum participes efficiantur. Habeant
„ autem præ oculis ut ſatisfactio quam imponunt, non
„ ſit tantum ad novæ vitæ cuſtodiam, & infirmitatis
„ medicamentum, ſed etiam ad præteritorum peccato-
„ tom vindictam & caſtigationem. Nam claves Sacer-
„ dotum non ad ſolvendum duntaxat, ſed & ad li-
„ gandum concaſſas, etiam antiqui Patres & credunt
„ & docent. “

Quæ adverſus Seſſionis iſtios Canones de Confeſſione præſertim & ſatisfactione *Goatiletus* objicit, non refero, com a Theologis noſtris Polemicis abunde diluantur. Legi poteſt & noſtra Diſſertatio *De Sacramentali Confeſſione*, & ſecuoda noſtrarum Diſſertationum in Hiſtoriam Eccleſiaſticam Sæcoli 3. Propoſitione 2. ubi multa de Satisfactionis oeceſſitate. Tum quæ Diſſertationi 45. in Hiſtoriam 4. Sæculi, quæ eſt *De Purgatorio*, paſſim eo de argomento ſunt ioſerta.

Decretum Seſſione 14. De Reformatione.

XI. In eadem Seſſione Decretum de Reformatione editum eſt, tredecim conſtans Capitibus. Primum cavet, ne ad Sacros Ordines aſcendant, quibus id a ſuis Præpoſitis *ex quacumque cauſa, etiam ob occultum crimen, quomodolibet, etiam extrajudicialiter* interdictum eſt, aut qui a ſois Ordinibus, vel dignitatibus Eccleſiaſticis ſunt ſoſpenſi. Secundum prohibet ne quis Epiſcopus Ordines conſerat ſibi non ſubditis, etiam familiaribus, ſine expreſſo proprii Prælati conſenſu, aut literis dimiſſoriis: alioquin ab eaercitio Pontificalium per annum, ſic vero promotus ab Ordinum ſuſceptorum execotione, donec ſuo Prælato viſum fueſit, ipſo jore ſiot ſuſpenſi. Hule Decreto occaſionem dederunt Epiſcopi in partibus Infidelium Clero & Popolo Chriſtiano carentes, qui cum ſe Pontificalia Officia in aliena Diœceſi, niſi de Ordinarii expreſſa licentia, & in Perſonas eidem Ordinario ſubjectas tantom exercere prohibitos viderent, io legis fraudem & contemptum, quaſi Epiſcopalem Cathedram in loco nullius Diœceſis temere eligebant, & quoſcumque ad ſe venientes, etiamſi ſuorum Epiſcoporum literas commendatitias non haberent, ad Ordines promovebant. Caput tertiom Epiſcopo concedit ot Clericos ſuos abſque ſua licentia *quacumque Auctoritate* ordinatos, ſi ad divina Officia celebranda, vel Sacramenta miniſtranda minus idoneos repererit, ad tempus ſuſpendere poſſit. Quarto ſtatuitur, Clericorum ſæcularium neminem, quocumque modo exemptorum, vi & intuitu, cujuslibet Privilegii, ſubduci correptioni Epiſcopi, etiam extra Viſitationem. Quintom Caput Conſervatorum a Sede Apoſtolica conceſſorum Juriſdictionis certis finibus concludit; ſtatuitque Conſervatorias literas nemini ſuffragari ot coram ſuo Epiſcopo, ſive alio Superiore Ordinario in cauſis criminalibus, & mixtis accuſari & conveniri, & contra eum inquiri ac procedi non poſſit; aut quominus, ſi qua jura ei ea ceſſione competant, ſuper illis libere valeat coram Ordinario Judice conveniri; vel etiam ut in civilibus cauſis, ſi ipſe actor exiſtat, aliquem apud ſuos Conſervatores in Judicium trahere poſſit. Capite ſexto, pœnæ decernuntur in Clericos, qui io Sacris conſtituti, aut Eccleſiaſtica Beneficia obtinentes, veſtibus Ordini ſuo non congruentibus utuntur. Cap. 7. Voluntarii homicidii, etiam occulti, reos a Sacris Ordinibus & omni Beneficio Eccleſiaſtico in perpetuum arcet. Eorum vero qui homicidium caſu, aut vim vi repellendo, ut ſe a morte defenderent, commiſerunt, venia loci Ordinario, vel ea cauſa, Metropolitano, ſeu viciniori Epiſcopo committatur, qui nonniſi cauſa cognita, & probatis precibus narrationiſque veritate, indulgeat ut Sacris Ordinibus initiari, & Eccleſiaſtica Beneficia obtinere poſſint. Capite octavo Synodus vetat, ne quis Epiſcopus quovis nixus Privilegio alienos Clericos punire valeat, niſi cum proprii ipſorum Epiſcopi, ſi in Eccleſia ſua manſerit, aut perſonæ ab ipſo deputandæ interventu. Capite nono Beneficia unius Diœceſis qoacumque de cauſa, Beneficiis alterius uniri prohibet. Capite decimo, „ Regularia Beneficia Regu-
„ laribus Profeſſis in titulum conferri conſueta, *ubi va-*
„ *caverint*, Religioſis tantom illius Ordinis, vel his qui
„ habitum omnino ſuſcipere, & Profeſſionem emittere
„ teneantur, & non aliis, „ conferri decernit. Beneficiorum etiam Regularium Commendationes ſæcularibus Clericis factas non revocavit aut improbavit Sacra Synodus, quoniam id maximam in Eccleſia perturbationem excitaſſet, multique Cardinalium & Epiſcoporom hujoſmodi Beneficia poſſidebant, nec facile erat Principes qui jus babent nominandi ad hujuſmodi Sacerdotia ad eam conditionem adducere, ut Regulares dumtaxat viros ad Abbatias jam olim in Commendam conferri ſolitas nominarent. Nec vero per ſe & intrinſecus deformes ſunt Monaſterium Commendationes ſæcularibus Clericis bene meritis factæ; immo in Eccleſiæ bonom cedunt, ſi Abbates Commendatarii Eccleſiaſticis reditibus ut fideles diſpenſatores utantur, non ut domini, ſi credita ſibi Monaſteria tueantur, ſi res ipſorum cum ſpirituales, tom temporales pro viribus promoveant, ſi ut Patres ac Protectores Monachorum ſe gerant, ſi ædificia collabi, ſi peſſumdari diſciplinam, ſi debitom numerom Monachorum ad Officia divina rite celebranda imminui non ſinant, ſi eleemoſynas erogent, hoſpitalitatem exerceant, vel ut bæc Chriſtianæ juſtitiæ ac pietatis officia impleantur a Monachis, ex ſua redituum portione aliquid delibent & conſerant. Hanc enim eſſe Eccleſiæ mentem Beneficia commeodantis certiſſimum eſt. Undecimo Capite decernit ut Regulares ad alium Ordinem tranſlati in Clauſtro ſub Obedientia maneant, & Beneficiorum ſæculariom, etiam Curatorum incapaces exiſtant. Duodecimo, Jus Patronatus obtineri non poſſe ſtatuit, niſi fundationis aut dotationis ratione. Decimo-tertio, prohibetor Patronis, ne cujuſvis Privilegii obtentu aliquem ad Beneficia ſui Juris Patronatus præſentent, niſi Epiſcopo loci Ordinario, ad quem Proviſio ſeu Inſtitutio, ceſſante Privilegio, jure pertineret.

Quænam Eccleſia Beneficia commendantis? Quo commendatariorum Abbatum officia?

ARTICULUS X.

De Seſſionibus XV. XVI. XVII. XVIII. XIX. & XX.

Seſſio 15.

I. SEſſio 15. habita eſt die 25. Januarii anni 1552. Sacrificium ſolemne peregit *Nicolaus Maria Caracciolus* Catanenſis Antiſtes: Latine concionatus eſt *Joannes Baptiſta Campeggius*, Majoricenſis Epiſcopus. Duo Decreta edita ſunt: unum de Prorogatione Seſſionis ad diem 19. Martii, ut expectarentur Theologi Proteſtantium, quorum nomine poſtulatum id fuerat a Vuittembergenſis Saxoniæque Ducum Oratoribus: alterom de publicæ ſecuritatis libello ſeu Salvo-Conducto iiſdem Proteſtantibus dando, ad ejus normam, quem Bohemis Concilium Baſileenſe dederat.

Seſſio 16.

II. Seſſio 16. celebrata eſt die 28. Aprilis, in qua rem ſacram fecit *Michael a Turre* Cenetenſis Epiſcopus. In ea Decretum ſuſpenſionis Concilii promulgatum eſt, Patribus omnibus conſentientibus, præter doodecim ex Hiſpanis, qoi ſolemnem conteſtationem illi oppoſuere.

Seſſio 17.

III. Inſtaurato *Pii IV.* auctoritate Concilio, anno 1562. Seſſio 17. die decima-octava Januarii celebrata eſt. Sacris operatus eſt Legatorum Princeps: Latinam Concionem habuit *Gaſpar a Foſſo* Regienſis Archiepiſcopus ea Ordine Minimorum aſſumptus. Decretum editum eſt de Synodo, quacumque ſublata ſuſpenſione, celebranda, joxta literas Romani Pontificis, ac tractandis in ea, debito ſervato ordine, quæ *Proponentibus Legatis ac Præſidentibus*, ad ſedandas de Religione controverſias, depravatorum morum abuſus corrigendos, Eccleſiæ veram atque Chriſtianam pacem conciliandam, apta & idonea ipſi Sanctæ Synodo viderentur. Granatenſis Archiepiſcopus Schedam dedit in hanc ſententiam: *Ea verba, proponentibus Legatis, & præſidentibus mihi non placent, utpote nova & non neceſſaria, nec opportuna, præſertim his temporibus. Idcirco peto, ut Concilii Scriba meam hanc ſententiam referat in Acta ſimul cum Decreto, & authenticas mihi tabulas tradat.* Epiſcopus Aurienſis *Franciſcus Blancus* Schedulam protulit adverſus eadem Decreti verba, & tamquam ſonantia reſtrictionem indecoram Conciliis Oecumenicis, & tamquam non poſita in Diplomate, cui aperiendæ Synodi Decretum erat conſormandum. *Andreas a Cueſta* Legionenſis, & *Antonius Corromerus* Almerienſis Epiſcopus dixerunt, *Sibi placere Decretum, modo Legati id proponerent, quod Concilio viſum eſſet dignum ut proponeretur.*

Seſſio 18.

IV. Seſſio decima-octava celebrata eſt die vigeſima-ſexta Februarii. Sacris operatus eſt Hieroſolymitanus Patriarcha: Latine dixit pro Concione *Antonius Caucus* Patrarum Archiepiſcopus & Electus Corcyrenſis. Duplex Decretum editum eſt; primum de Librorum delectu, quo ſtatuit Synodus ut delecti ad hanc diſquiſitionem Patres de Cenſuris libriſque quid facto eſſet opus deliberarent, atque etiam ad eamdem Synodum ſoo tempore referrent. Altero Decreto ſtatutum eſt, fidem publicam in Congregatione generali concedi poſſe

Pro-

Protestantibus, & eamdem vim habituram, ejusdemque momenti ac roboris futuram, acsi in publica Sessione data & decreta fuisset. Securitas illis amplissima concessa est, desumptis formulis ex Salvo-conductu, quem Bohemis Concilium Basileense impertiverat.

Sessio 19. V. Sessio decima-nona babita est die decima-quarta Maii. Sacris solemniter operatus est *Trivigianus* Venetus Patriarcha: e suggestu Latine dixit *Beroaldus* Episcopus S. Agathæ. Prorogatio promulgationis Decretorum sancita est, quod *Lansacus* Oratorum Christianissimi Regis unus per literas postulaverat, donec ipse cum Collegis, & Gallicanæ Ecclesiæ Episcopi ad Concilium advenirent. Advenere dicti Oratores, *Lansacus* Regii Ordinis, *Eques Arnaldus Ferrerius* in Senatu Parisiensi Præses, & *Guido Faber* Judex Major Tolosæ. In publico Cœtu die 26. Maii sunt excepti: Orationem habuit elegantem *Faber*, quam in Commentariis rerum ad Synodum Tridentinam spectantium legere est, pag. 192. Patres hortatur ad curandum ut omnes intelligant: *Spiritum Sanctum non aliunde evocari aut acciri quam a cælo, hic adesse, hic præsidere... Hanc Synodum non eam esse, quæ primum a Paulo III. Pontifice Maximo indicta & inchoata fuit, tum postea a Julio III. turbulentissimis temporibus medias inter Gallorum & Hispanorum acies continuata, nullo præclare facinora dissiluit: hanc esse novam, nunc vere primum radictam more Majorum &c.* Refert *Palavicinus* ex Actis *Paleotti*, Gallos Oratores ad abstergendam ab animis diffusam amaritiem, Patrum oculis exhibuisse Orationem alteram longe modestiorem ea, qua eorum aures læserant simulantes illam eamdem esse; quapropter pacis ac mansuetudinis gratia decretum esse in Conventu die tertia Junii, tametsi non sine aliqua sententiarum discrepantia, ut res haberetur pro infecta, mitisque illis redderetur responsio die postero in Sessione. Hispani vehementer efflagitabant ut Synodi continuatio declararetur, obstabant Cæsaris & Christianissimi Regis Oratores: Pontifex Mandata misit ad Legatos ut Regis Hispaniæ desiderio fieret satis, Conciliique continuatio declararetur, sed Legatorum Apostolicorum prudenti cunctatione, melioribusque consiliis inflexus, priora illa Mandata jussit obtegi silentio, & continuationis vocem non usurpari consensit, quæ non solum gravissima dissidia, sed ipsam Concilii dissolutionem peperisset, Cæsareis & Gallis Oratoribus proculdubio abituris. Continuationem tamen legati ac Patres omnino exercuerunt, consentientibus omnibus Principibus Catholicis, siquidem ad ea definienda & facienda tum quoad Dogmata, tum quoad Reformationem, progressi sunt, quæ conficienda supererant, cum Synodus *Julio III.* sedente suspensa est, cæteris quæ jam definita erant nullatenus retractatis.

G. Fabri Regis Christianissimi Oratoris ad Synodum Tridentinam Oratio.

Sessio 20. VI. Die quarto Junii, Sessio vigesima celebrata est. Rem divinam solemniter fecit Episcopus Salmanticensis; Latine concionatus est *Hieronymus Ragazzonus* Nazianzenus & postea Famagustæ Episcopus. Decretum de prorogatione Sessionis editum ac promulgatum est, propter varias difficultates ex diversis causis exortas, atque etiam ut congruentius majorique cum deliberatione omnia procederent, nempe ut dogmata, cum iis quæ ad reformationem spectabant, simul tractarentur & sancirentur. Plurimi, præsertim Hispani, sub conditione consenserunt, ut de Residentia statim postea ageretur, & quo jure præcepta sit, definiretur.

SCHOLION.

Hunc Articulum Religiosi Censores his verbis perstringunt: *Nota verba Oratoris Galli dicentis Spiritum Sanctum non aliunde evocari quam e cælo, alludentis quod e Roma expectaretur.*

R. Res ipsa constat ex Oratione Guidonis Fabri Christianissimi Regis ad Tridentinam Synodum Oratoris, edita in Libro Gallico cui titulus est, *Memoires pour le Concile de Trente*, & in altero libro edito Ripæ Tridenti anno 1562. Nec diffitetur *Palavicinus* Lib. 16. Cap. 11. De allusione aculeata, ne verbum quidem habeo.

ARTICULUS XI.

De Sessionis XXI. Decretis.

I. SEssio vigesima-prima celebrata est die decima-sexta Julii. Solemne Sacrum celebravit *Marcus Cornelius* Archiepiscopus Spalatensis: Concionatus est *Andreas Dudithius Sbardellatus* Episcopus Thiniensis. Quæ ad Communionem sub utraque specie & parvulorum pertinent, quatuor capitibus exposita sunt, contrariique hæreticorum errores totidem Canonibus damnati. Capite primo, quo definitum est Laicos & Clericos non conficientes non adstringi jure divino ad Communionem sub utraque specie; cum ad illius dogmatis probationem Christi sententiæ ex sexto Capite *S. Joannis* afferrentur, manducationem carnis cum potu sanguinis conjungentes, & nihilominus vitam æternam unius etiam corporis manducationi promissam significantes, *Qui manducat hunc panem vivet in æternum*: Granatensis Archiepiscopus & Episcopus Vivariensis opposuerunt, In illo capite *S. Joannis* intelligi a multis Patribus non esum & potum sacramentalem, sed spiritualem Carnis & Sanguinis Christi: proinde contrariam interpretationem non esse a Concilio statuendam. Respondit Cardinalis *Seripandus* Legatorum unus: Duas esse de illo *S. Joannis* Capite controversias; alteram cum hæreticis, An ibi ex divino præcepto, & ex necessitate salutis Fidelibus præscribatur Eucharistiæ sumptio sub utraque specie: alteram inter Catholicos, An ibi sermo sit de Communione Sacramentali, an de sola spirituali. Decretum paratum priorem controversiam dirimere, & declarare, quo pacto, etiamsi ponatur ibi locutum fuisse *S. Joannem* de ipsa sumptione Sacramenti, falso tamen inde colligant Hæretici absolutam necessitatem Calicis ad salutem. Posteriorem controversiam non attingi, deque illa nihil in Decreto statui. Tandem ne alicui Patrum interpretationi derogari videretur, Decreto definienti ex sermone Christi, sexto *S. Joannis* Capite, *non recte colligi utriusque speciei Communionem, a Domino præceptam esse*; additum est: *Utcumque juxta varias Sanctorum Patrum & Doctorum interpretationes intelligatur.*

Doctrina Catholica de Communione sub unica vel utraque specie & parvulorum.

II. In secundo Capite, quod est de Ecclesiæ potestate circa dispositionem Sacramenti Eucharistiæ, narrat *Suavis*, positum fuisse in parato Decreto, *Licuisse Ecclesiæ usum calicis mutare*, exemplo mutatæ formæ in Baptismo; & Episcopum Aliphanum assurgentem dixisse, Hoc esse blasphemiam: Baptismi formam mutari non posse, & super iis quæ Sacramenta constituunt, cujusmodi sunt forma & materia, nullam inesse potestatem in Ecclesia: de quo habitis utrimque multis sermonibus, tandem statutum fuisse ut ea particula tolleretur.

Commentum P. Suavis refellitur.

Respondet *Palavicinus*, secundi capitis doctrinam fuisse confirmatam exemplo Baptismi, sed quod spectabat ad ritum, non autem ad formam, sicque primum exemplum Decreti conceptum fuisse: „ Tametsi „ Sacramenta instituta fuerint, Christo eorum Au- „ ctore; tamen modus utendi illis Ecclesiæ reserva- „ tur, quæ in Sacramentis administrandis consilio ac „ ratione agens, ipsorum ritum variat, sicuti sibi re- „ ctum videtur. Ostenditur hoc a Baptismi Sacramen- „ to toties in suo ritu variari: nam cum is aliquo „ tempore per tres immersiones celebraretur, unicam „ etiam admisit: similiter immersio, aspersio, & ef- „ fusio suum ritum mutarunt.

III. Circa tertium caput, narrat *Suavis* fuisse obnoxiam Criticorum reprehensioni illam clausulam: *Nulla gratia necessaria ad salutem eos defraudari, qui unam speciem solam accipiunt.* Ex quo sequitur, gratiam amitti minime necessariam. Hic vero dubitabatur an humana auctoritas divinam gratiam superabundantem minimeque necessariam impedire possit; & ubi id posset, an charitatis esset hujus boni consecutionem prohibere.

Objectio Suavis.

Respondetur, non recte inferri: Fideles Eucharistiam sub una specie sumentes nulla gratia necessaria ad salutem defraudantur; ergo defraudantur gratia minime necessaria. Satis fuit Synodo primam propositionem contra Hæreticos definire; alteram attingere noluit, propter varias Theologorum de gratiæ æqualitate vel inæqualitate opiniones: quamvis plerique Patrum æqualem gratiam sub una specie, ac sub utraque communicantibus conferri censerent. Sed nec abundantiorem gratiam procurare Fidelibus tenetur Ecclesia, sub quacumque rerum conditione, maxime vero ubi Sacramenti veneratio in periculum veniret, aut illius dignitati satis consultum non esset,

Responsio.

ſet. Alioqui contra charitatem interdictum eſſet ab Eccleſia, ne pluſquam ſemel eodem die Euchariſtia ſumatur, neque poſt ſumptum cibum, iis ſaltem quibus ad eam uſque horam naturale jejunium valetudo non permittit; & ne Sacerdotes pluries diebus ſingulis Sacrum faciant; & ne præbeatur Euchariſtia ægrotis vomitum patientibus; ne quiſpiam Euchariſtiam ſumat niſi de manu Sacerdotis; & ne ſexta feria ſanctioris hebdomadæ ſinguli Sacerdotes celebrare, & quilibet Fidelis Euchariſtiam ſumere valeat: hæc enim omnia aliqua exuberante gratia hominem privarent. Præterea, ſi vera eſt quorumdam Theologorum ſententia, affirmantium, ab Euchariſtia gratiam augeri, non ſolum quo tempore ea ſuſcipitur, ſed etiam quo perdurat in ſtomacho, revocari poſſet in dubium, ſecundum ratiocinium *Suavis* an egerit Eccleſia aut ultra poteſtatem, aut certe contra charitatem, præſcribendo, ut diſtribuantur Fidelibus ſpecies panis tam tenui ac ſubtili forma. Gravibus autem & juſtis de cauſis venerationem Sanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti ſpectantibus interdictus laicis eſt ab Eccleſia Calicis uſus. A charitate igitur profectum eſt illud interdictum, ac proinde non pugnat contra charitatem.

Altera Suavis objectio.

IV. Objicit *Suavis*, Synodum ſecundo Canone, quo hæreticus declaratur, qui dixerit, *Non juſtis cauſis & rationibus Eccleſiam adductum fuiſſe, ut Laicos atque etiam Clericos non conficientes ſub panis tantummodo ſpecie communicaret, aut in eo erraſſe*: fundaſſe Fidei dogma in humano facto; mirumque viſum fuiſſe plurimis, hominem nonniſi humano jure teneri ad obſervandum Decretum, ſed jure divino cogi ad credendum illud eſſe juſtum, & quod ſtatuerentur tamquam Fidei dogmata res quæ mutantur in dies.

Reſponſio.

Reſpondetur, Sacram Synodum non fundaſſe Fidei dogma in humano facto, ſed in illo principio prorſus inconcuſſo, quod Catholicæ Fidei dogma eſt, Eccleſiam in rebus ſeu Fidei, ſeu morum errare non poſſe, quippe quæ regitur a Spiritu Sancto, ex quo certe conſequens eſt, eamdem ad ferendas Leges de Sacramentorum diſpenſatione non poſſe abſque juſtis cauſis moveri. Quæ Leges, quamvis variabiles ſint, invariabilis tamen eſt Fides, qua creditur Legis convenientia & obligatio pro eo tempore quo illa perdurat. Sane Divinæ etiam Leges Cæremoniarum & Judiciorum variabiles fuerunt, & ad tempus; & tamen dogma Fidei eſt ambas fuiſſe juſtas, & rationi conſentaneas.

Reſpondetur objectioni Gentileti.

V. Canoni de Communione Laicorum ſub unica ſpecie *Gentiletus* opponit Canonem, *Comperimus* ex *Gelaſio I.* Papa relatum Diſt. 2. *De Conſecratione*, cujus hæc ſunt verba: „ Comperimus autem, quod quidam ſumpta tantummodo Corporis Sacri portione, „ a Calice Sacri cruoris abſtineant. Qui proculdubio „ (quoniam neſcio qua ſuperſtitione docentur obſtringi) „ aut integra ſacramenta percipiant, aut ab integris „ arceantur; Quia diviſio unius ejuſdemque Myſterii „ ſine grandi ſacrilegio non poteſt provenire. „ At Canon iſte cum Tridentino minime pugnat: Cum *Gelaſius* de Sacerdotibus Euchariſtiam conficientibus & Sacrificium offerentibus loquatur; Tridentina Synodus de Laicis, vel Clericis non Sacerdotibus, & Presbyteris ipſis non conficientibus. Gloſſa, quam etiam *Gentiletus* laudat, id ipſum docuit, quod diſſimulare voluit, ſtipitibus ſe ſcribere putans. „ Erant quidam Sacerdotes, „ qui Ordine debito conſecrabant Corpus & Sanguinem „ Chriſti: Corpus ſumebant, ſed a Sanguine abſtinebant, de quo miratur Gelaſius, & dicit ſe neſcire „ qua ſuperſtitione hoc faciebant; & præcipit ut aut „ ambo Sacramenta, ſicut conſecrant, & accipiant, „ aut ab utriſque ceſſent; quia in Sacrificante unum „ ſine altero accipere, ſacrilegium eſt.

Objectio P. Suavis

VI. Caput quartum ejuſdem Seſſionis *Suavis* perſtringit, quod Synodus injunxerit obligationem credendi veteres Patres numquam exiſtimaſſe Euchariſtiæ ſumptionem Infantibus neceſſariam: cum tamen *S. Auguſtinus* novem in locis affirmaverit, neceſſariam eſſe Parvulis Euchariſtiam, & in duobus ex illis ejus neceſſitatem Baptiſmi neceſſitati æquaverit; & definitam ab Eccleſia Romana dixerit, tamquam neceſſariam ad Parvulorum ſalutem, adducto in eam rem *Innocentio I.* Pontifice, cujus Epiſtola adhuc extat, quæ perſpicue ea de re loquitur.

Reſponſio.

Reſpondetur, Synodum de opinione veterum Patrum in præbenda Infantibus Euchariſtia nihil ſtatuiſſe, ſed docuiſſe hoc ipſum non eſſe neceſſarium ad ſalutem. *Ut Sanctiſſimi illi Patres* (inquit) *ſui facti probabilem cauſam pro illius temporis ratione habuerunt: ita certe eos nulla ſalutis neceſſitate id feciſſe, ſine controverſia credendum eſt.* Id confirmatur teſtimonio *Claudii Sanctesii* Ebroicenſis Epiſcopi, qui cum ad Concilium inter Theologos Regios veniſſet, paucis menſibus poſt ea promulgata Decreta, eorum ſententiam omnino exploratam habuit. Et tamen in libro quem inſcripſit, *Repetitiones Rerum Excogitatarum de Euchariſtia*, Repetitione 6. aſſerere non dubitavit memoratam conſuetudinem aliquorum ex Antiquis Patribus, præbendæ Infantibus Euchariſtiæ, ortam fuiſſe ex dubitatione ac religionis ſenſu, quod illa etiam parvulis eſſet neceſſaria, adeoque ipſos voluiſſe illorum ſalutem in tuto collocare. Sanctus quidam *Auguſtinus* pluribus in locis, & *Innocentius I.* agnoſcunt ac tuentur contra Pelagianos: Infantes non poſſe Corpori Chriſti conjungi, adeoque nec vitam æternam poſſidere abſque Baptiſmo, ſed non aſſeruerunt, id non poſſe conſequi ſine ſuſceptione Euchariſtiæ in re. Unde poſtquam *S. Auguſtinus* lib. 3. *De Peccatorum Meritis & Remiſſione*, cap. 4. præceptum Chriſti protulit: *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, non habebitis vitam*; concludit: *Nonne veritas ſine ulla ambiguitate proclamat, non ſolum in Regnum Dei non baptizatos parvulos ingredi non poſſe; ſed nec vitam æternam poſſe habere præter Chriſti Corpus, cui ut incorporentur, Sacramento Baptiſmatis imbuuntur.* Nulla certe concipi poterat opinio magis remota ab *Auguſtini* principiis, quam ex qua ſequeretur, ſive non remitti ſtatim peccatum originale Baptiſmo: ſive poſtquam remiſſum eſt, redire parvulos in divinam inimicitiam abſque ipſorum culpa, ubi contingeret quod ante mortem Euchariſtiam non ſuſcepiſſent; ex quibus alterum concedere cogeretur, qui parvulis neceſſariam eſſe ad ſalutem Euchariſtiæ ſumptionem aſſereret. Quamobrem hac unica ratione Concilium hujuſmodi neceſſitatem excludit. *Eadem Sancta Synodus docet, Parvulos uſu rationis carentes, nulla obligari neceſſitate ad Sacramentalem Euchariſtiæ Communionem. Si quidem per Baptiſmi lavacrum regenerati & Chriſto incorporati, adeptam jam filiorum Dei gratiam in illa ætate amittere non poſſunt.* Nec alius eſt *Innocentii I.* quam *S. Auguſtini* ſenſus, ut conſtat ex ejus Epiſtola 26. ad Synodi Milevitanæ Patres, ubi de Pelagianis ſic loquitur: *Illud vero quod ab illis veſtra Fraternitas aſſerit prædicari, parvulos æternæ vitæ præmiis etiam ſine Baptiſmatis gratia poſſe donari, perfatuum eſt: Niſi enim manducaverint carnem Filii hominis, & biberint ſanguinem ejus, non habebunt vitam in ſemetipſis. Qui autem hoc eis ſine regeneratione defendunt, videntur mihi ipſum Baptiſmum velle caſſare, cum prædicant hos habere, quod in eos creditur nonniſi Baptiſmate conferendum.* Laudat *Palavicinus* lib. 17. cap. 12. Epiſcopi Mutinenſis literas ad *Moronum*, qui ſignificaverat, *S. Auguſtini* & *Innocentii I.* teſtimonia fuiſſe objecta Decretis doctrinæ Romam delatis, in quibus is narrat, ea fuiſſe Tridentini diſcuſſa diligentia non mediocri, & hunc eſſe ſcribit legitimum eorum ſenſum.

SS. Auguſtini & Innocentii I. ſententia de Euchariſtia neceſſitate reſpectu infantium diſcuſſa.

Decretum Seſſionis 21. De Reformatione.

VII. In eadem Seſſione Decretum Reformationis editum eſt, novem conſtans capitibus. Primo ſtatutum eſt, ut Epiſcopi nihil pro collatione quorumcumque Ordinum, nec pro Literis dimiſſoriis aut teſtimonialibus, nec pro ſigillo, quovis prætextu, aliquid *etiam ſponte oblatam* accipiant. Notarii vero pro ſingulis Literis dimiſſoriis aut teſtimonialibus decimam tantum unius aurei partem accipere poſſint, dummodo eis nullum ſalarium ſit conſtitutum pro officio exercendo; nec Epiſcopis ex Notarii commodis aliquod emolumentum ex eiſdem Ordinum collationibus directe vel indirecte provenire poſſit; idque in his tantum locis, *in quibus non viget laudabilis conſuetudo nihil accipiendi*: quæ clauſula addita eſt Gallis petentibus, ac dicentibus, laudabilem illam conſuetudinem in Galliis vigere.

Secundo ſtatutum eſt, ut ad Sacros Ordines non admittantur, qui non habent unde vivere poſſint, ſeu ex Beneficio Eccleſiaſtico, ſeu ex patrimonio. Tertio, partem tertiam fructuum & quorumcumque proventuum, tam Dignitatum, quam Canonicatuum, in diſtributiones quotidianas converti ſtatutum eſt in Eccleſiis Cathedralibus & Collegiatis, in quibus nullæ ſunt, aut ita tenues ut veriſimiliter negligantur. Quarto, ut Parochialium Eccleſiarum Rectores, qui adminiſtrandis Sacramentis, & cultui divino peragendo non ſufficiunt, tot ſibi Sacerdotes adjungere cogantur ab Epiſcopo, quot ipſi neceſſarii videbuntur. Novas etiam Parochias erigendi ratio tradita. Quinto, Beneficiorum Curatorum vel non Curatorum cum Curatis conjunctio perpetua, propter Eccleſiarum Parochialium paupertatem, & in cæteris caſibus a Ju-

re

ce permissis, Episcoporum potestati permittitur, etiamsi hujusmodi Beneficia generatim vel speciatim reservata essent, aut qualitercumque affecta. Sexto, sancitur, ut imperitis Ecclesiarum Parochialium Rectoribus Vicarii ab Episcopis deputentur, parte fructuum eisdem pro sufficienti victu assignata; turpiter vero & cum scandalo viventes, ac in turpitudine & publica offensione perseverantes, Beneficiis privari possint. Septimo, ut Episcopi Beneficia simplicia ex Ecclesiis, quæ vetustate vel alias collapsæ sunt, & ob eorum inopiam nequeunt restaurari, in Matrices, aut alias eorum seu vicinorum locorum Ecclesias, cum omnibus emolumentis & oneribus transferant; Parochiales vero Ecclesias ita collapsas instaurari procurent. Octavo ut Monasteria commendata, in quibus non viget observantia Regularis, & Beneficia quæcumque, annis singulis ab Episcopis visitentur. Si vero in eis vigeat observantia Regularis, admoneantur paterne eorum Superiores ab iisdem Præsulibus: si vero sex post admonitionem mensibus illi negligenter se gerant, tunc Episcopi ea Monasteria visitare possint, & Monachos vel Canonicos Regulares corrigere, & ad ea præstanda compellere, ad quæ proprii Instituti legibus tenentur. Nono, Quæstorum nomen & munus extinctum est, qui promulgare solebant Indulgentias & colligere a populis eleemosynas ad extruendam *S. Petri* Basilicam, aut alia pia opera conficienda. Ipsorum fraudes exquisitæ, quibus a simplicis plebis pietate pecunias emungebant, Decretis Concilii Lateranensis IV, Lugdunensis ac Viennensis occasionem dederant: sed cum illorum hominum nequitia inutilia evasissent, tam infame ministerium suggestione Summi Pontificis, Patrumque Sententia sublatum est, translata in Ordinarium facultate promulgandi Indulgentias, aut alias Sedis Apostolicæ gratias, cum duobus de Capitulo, qui etiam eleemosynas & oblata in pios usus subsidia, sine ulla mercede colligerent.

Duos Articulos concessionem Calicis pro aliquibus regionibus postularam spectantes, Synodus in aliud tempus, oblata sibi quamprimum occasione examinandus atque definiendos reservavit. Christianissimi Regis Oratores postularunt, ut si in quatuor supra dictis Canonibus aliquid mutaretur, nullum fieret præjudicium auctoritati & prærogativæ Regis Christianissimi, qui die Inaugurationis suæ Eucharistiam sub utraque specie sumit; & quorumdam Monasteriorum in Galliis vetustissimæ consuetudini, in quibus Monachi * etiam non celebrantes statis quibusdam anni diebus sub utraque specie communicant. Oratorum Monitum legere est in Commentariis rerum ad Synodum Tridentinam spectantium a Clarissimo *Puteano* editis, pag. 203.

** Ordinis Cisterciensis.*

ARTICULUS XII.

De Sessionis 22. Decretis.

Doctrina Catholica de sacrificio Missæ.

I. DIE decimo-septimo Septembris, Sessio vigesima-secunda celebrata est. Sacrum fecit *Petrus Antonius Capuanus*, Archiepiscopus Hydruntinus, Latinam Concionem habuit *Carolus Vicecomes*, Episcopus Vintimiliensis. Doctrina Catholica de Sacrificio Missæ octo Decretis explicata & declarata est, Hæreticorum errores novem Canonibus damnati. Decretum de observandis & evitandis in celebratione Missæ additum est, ad reformandos, qui irrepserant, abusus.

Discussa quæstio, an Christus seipsum obtulerit sacrificium Patri in Cœna vel solum in Cruce.

II. Circa primum doctrinæ caput, quod institutionem Sacrosancti Missæ Sacrificii spectat, observandum est, hac excitata quæstione, An Christus seipsum Patri obtulerit Sacrificium in Cœna, an solum in Cruce, Theologos ac Patres in varias sententias abiisse. Has in quatuor classes dividit *Palavicinus*, & præcipuos cujusque partis suffragatores nominat. Quidam affirmarunt, Christum pro nobis se ipsum in Cœna sacrificasse, id Scripturæ Sacræ oraculis ac Patrum testimoniis confirmantes, maximeque ex his Christi verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*: quæ loquendi ratio pro certo ponit rem quamdam consimilem rei præceptæ antea peractam, & postea indicatam cum id pronomine, *hoc*, omnino significetur. Cum igitur Christus præceperit Apostolis, & in ipsis Sacerdotibus, ut Sacrificium offerrent pro nobis, & nostris peccatis; consequens esse quod Christus in Actione quam nobis imitandam proposuit, obtulerit Sacrificium propitiatorium. Alii opinabantur, Christum quidem in Cœna Sacrificium obtulisse, sed mere Eucharisticum, hoc est, laudis & gratiarum actionis & ex[ce]ptionis, veriti ne aliter Sacrificio Crucis derogaretur; ac *Oecumenii* auctoritate nitebantur. Plurimi pon[e]ndum in Decreto censebant, Christum se Patri obtulisse in Cœna, sed minime dicendum, hac illave ratione id peractum, cum id in quæstione versaretur, nec ullum evidens Scripturæ testimonium hanc dirimeret controversiam. Alii duas partes opinamento medio concordabant. Tandem post multas disputationes, fere omnes in primam sententiam abiere, etiam qui acerrime illi restiterant, ut refert *Palavicinus* ex literis Archiepiscopi Jadrensis.

Difficultas proposita circa secundum Canonem.

III. Circa secundum Canonem, non una fuit Patrum omnium sententia. Nam *Guerrero* Archiepiscopo Granatensi, aliisque nonnullis non probabatur quod eo Canone definitum est, *Illis verbis*, Hoc facite in meam commemorationem, *Christum instituisse Apostolos Sacerdotes*. Afferebant in medium pro opposita sententia *Nicolaum Cabasilam*, Lib. De Missæ Sacrificio qui opinatus est hujusmodi potestatem Apostolis fuisse collatam die sacro Pentecostes, & cum eo *S. Germanum Isychium* Presbyterum Lib. 1. Commentariorum in Leviticum; *Armacanum*, arbitratum, quo tempore fuerant constituti Apostoli, fuisse eodem Sacerdotium illis collatum, *S. Thomam & Scotum* qui putant executionem illis fuisse concessam Cap. 20. *S. Joannis*, ita ut potestatem Eucharistiæ conficiendæ offerendique Sacrificii in Cœna obtinuissent, sed illius potestatis usum postquam Spiritum Sanctum accepissent. Magna fuit Granatensis in illo Canone oppugnando pertinacia, cum in Congregatione generali, tum in solemni Sessione. Bracarensis Archiepiscopus, & Episcopi Segoviensis & Almeriensis, hunc Articulum in proximam Sessionem differendum censebant. At Spiritui Sancto ac Sacræ Synodo visum est, ut Canon iis quibus conceptus est verbis promulgaretur.

Objectiones Suavis adversus quintum & octavum Decretum, nomine Germanorum Protestantium.

IV. In Decretum octavum de Missa vulgari lingua passim non celebranda, & quintum quo laudatur Ecclesiæ institutio de quibusdam submissa voce, aliis altiore in Missa pronuntiandis, *Suavis* nomine Protestantium objicit. Hæc pugnare cum altero Synodi pronuntiato, quo dicitur, *Missam magnam continere populi Fidelis eruditionem*: & cum ejusdem mandato, quo præcipit Pastoribus, *Ut frequenter inter Missarum celebrationem ex iis, quæ in Missa leguntur aliquid exponant, atque inter cætera Sanctissimi hujus Sacrificii Mysterium aliquod declarent*. Nam cum præcipitur Pastoribus ut ex his quæ leguntur, aliquid exponant, nec quid exponendum sit indicatur, periculum est ne forte explicent, quod auribus vulgi minime credendum est, aut sileant quod edocendum. Addit, cuncta idiomata fuisse olim vulgaria, adeoque Missam vulgari lingua fuisse celebratam. Ex lectione Capitis 14. Epistolæ primæ ad Corinthios perspicuum esse quo idiomate res sanctæ tractari debeant, *Si venero ad vos linguis loquens* (inquit Apostolus) *quid vobis prodero? Si incertam vocem det tuba, quis parabit se ad bellum? Ita & vos per linguam nisi manifestum Sermonem dederitis, quomodo scietur id quod dicitur? ...Si ergo nesciero virtutem vocis, ero ei, cui loquar barbarus. Et qui loquitur mihi barbarus*. Ecclesiæ Romanæ veterem ea de re sententiam ex Epistola *Joannis VIII.* Pontificis Maximi ad *Sfentum Palchrum*, in Dalmatia Principem, liquere, in qua affirmat, non adversari Fidei sacræque Doctrinæ quod Missa & Canonicæ Preces lingua populari Illyrica recitentur: Idem quippe Deus, qui Linguam Hebræam, Græcam, & Latinam edidit, reliqua pariter ad suam gloriam constituit. Huic addendam ait *Suavis* Epistolam *Gregorii VII.* ad *Uratislaum* Bohemiæ Ducem, in qua ita scribit: *Quia vero Nobilitas tua postulavit, quod secundum Sclavonicam Linguam apud vos Divinum celebrari annueremus Officium, scias Nos huic petitioni tuæ nequaquam posse favere: ex hoc enim sæpe volventibus Sacram Scripturam liquet, non immerito omnipotenti Deo placuisse, quibusdam locis esse occultam, ne si ad liquidum cunctis pateret, forte vilesceret, & subjaceret despectui, aut prave intellecta a mediocribus, in errorem induceret*. Et adjicit, tolerantiam permissionemque alias habitam minime ad id sufficere, *Cum primitiva Ecclesia multa dissimulaverit, quæ a Sanctis Patribus postmodum firmata Christianitate & Religione crescente subtili examinatione correcta sunt*. Ex quibus apparere ait *Suavis* optimas institutiones, quasi corruptelas sugillari, & ab antiquitate tantummodo toleratas; abusus vero postea inductos reformationis nomine collaudari.

Epist. 1. Lib. 7.

Ref-

Respondetur, Nullam esse in Concilii Decretis contradictionem, Missam quidem magnam continere Populi Fidelis eruditionem: ideo Sacram Synodum præcipere Pastoribus ut ex iis quæ in Missa leguntur aliquid exponant, id nimirum quod ipsorum capiti magis attemperatum, quod ipsorum saluti ac spiritali profectui magis utile judicaverint. Cuncta quidem idiomata fuerunt olim vulgaria, & illis temporibus Missam lingua vulgari celebratam non inficiamur; nec veterem illum usum Synodus damnavit, sed anathemate confixit asserentes, *Lingua tantum vulgari Missam celebrari debere: declaravitque quod non expedire visum est Patribus, ut vulgari lingua passim celebraretur*. Et merito quidem id minime expedire visum est, posita inter homines tanta varietate ac mutatione idiomatum, idque tres præsertim ob causas. Prima est quoniam non raro ab uno idiomate alterius sententia exprimi omnino non potest: unde si variis in regionibus, aut in eadem variis temporibus, variis etiam idiomatibus celebrandum esset, difficile foret eamdem prorsus sententiam retinere, adeoque unitatem Ecclesiæ. Secunda ratio petitur ex Sacerdotum per diversas Provincias communicatione. Etenim si suo quisque idiomate celebraret, Sacerdotes extra patrium solum facile celebrare non possent. Tertia respicit hæreses novissimas quæ concitant idiotarum multitudinem ad ferendam de rebus divinis sententiam. Quamobrem prudenter Ecclesia prohibuit, ne fidei nostræ mysteria quotidie communi sermone auribus vulgi exederentur, nisi pro illius captu a concionatoribus per congruam explicationem temperata. Nec vero contrarium ex Apostolo 1. ad Corinthios cap. 14. colligi potest. Ibi enim loquitur Apostolus partim de exhortatione, partim de spiritualibus canticis quæ primi Christiani ad mutuam consolationem & ædificationem in Sacris collationibus & conventibus, post mysticas preces, prout Spiritus Sanctus dabat, proferebant: de quibus Apostolus idem, ad Ephesios 5. *Implemini Spiritu Sancto, loquentes, vobismetipsis in Psalmis & Hymnis & Canticis spiritualibus*. Et ad Colossenses 3. *Verbum Christi habitet in vobis abundanter, in omni sapientia docentes & commonentes vosmetipsos Psalmis, Hymnis, & Canticis spiritualibus*. Exhortationes itaque & spiritualia hujusmodi Cantica, lingua peregrina fieri ac pronuntiari non debere ab eis qui dono linguarum in Ecclesia præditi sunt, Apostolus eo loci docet, ut ex totius Capitis contextu, & Veterum interpretatione compertum est: sed de Missa non loquitur, quam tunc lingua vulgari, Græca scilicet, qua & Scriptura Sacra legebatur, Corinthi celebratam fatemur, ipsique Hæretici agnoscunt. Sane cum in Missa Sermonem ad populum non dirigat Sacerdos, sed ad Deum, haud necesse est ut a populo intelligatur. Fidei non adversari fatemur, quod Missæ & Canonicæ preces lingua vulgari celebrentur; id ad disciplinam pertinere concedimus, in qua Sedes Apostolica ob Ecclesiæ bonum & animarum salutem dispensare potest, sicuti dispensavit *Joannes octavus* cum Dalmatis; ut ibi Fidei nostræ dogmata disseminarentur ac radices agerent, quod *Methodius* illius Provinciæ Apostolus ad ipsum retulisset illic non sufficere numerum ministrorum qui Latinum idioma callerent. Sed hinc patet id tunc diverse & sine Romani Pontificis concessione licitum non fuisse. *Gregorius* denique *septimus* non repugnat *Joanni VIII*. & cum utroque Pontifice convenit Tridentina Synodus. Scripsit enim *Gregorius* id ab Ecclesia toleratum alias fuisse, quæ tamen nusquam in Sacris Actionibus tolerat aut permittit quod pravum est. Synodus vero capite 8. solum ait: *Non tantum expedire visum est Patribus, ut vulgari lingua passim celebraretur*. Quod morem illum Sclavonica lingua celebrandi toleratum innuit *Gregorius VII*. quem emendare oporteat, sicut multa a primitiva Ecclesia dissimulata, postmodum crescente Religione correcta sunt, non significat morem illum fuisse per se malum & illicitum, sed morem contrarium esse meliorem. Ecclesia enim (ut diximus) in Sacris Actibus aliquid per se malum non tolerat aut permittit. Sic manet confutata *Suavis* objectio.

Missa lingua vulgari non passim celebranda.

Gentileti observatio contra Missæ Sacrificium confutatur.

V. In his quæ contra Canonem 3. de Missæ Sacrificio *Gentiletus* objicit, Examinis sui Libro 5. refellendis immorari haud necesse est, cum satis confutata sint 14. nostrarum Dissertationum in Historiam Ecclesiasticam 13. & 14 Sæculi & penitus diruta Libris tribus doctissimi viri Dom. *Joannis Mabillonii De Liturgia Gallicana*, in quibus veteris Missæ, quæ ante annos mille apud Gallos in usu erat, formam ritumque ex tribus Missalibus Gallicanis antiquissimis eruit, ac explicuit, Fidemque Ecclesiæ Catholicæ de Sacrosancto Missæ Sacrificio his aliisque veteribus Monumentis egregie illustravit & confirmavit. His (inquam) funditus diruitur Observatio *Gentileti*, audacia incredibili affirmantis, *Missæ nomine cultum divinum olim significatum; sed Theologiam posteriorum sæculorum natam & enutritam in Logicorum Scholis, hoc Missæ nomine retento, rem aliam longe diversam ejus significatione complexam esse. Voluisse enim, Missam esse actionem qua Sacerdos ipsum Corpus Domini nostri Jesu Christi sacrificet, immoletque Deo Patri ad viventium & mortuorum propitiationem*. Num enim Theologia posteriorum sæculorum excogitavit, quod *Vigilius* Romanus Pontifex testimonio suo confirmat ad *Profuturum* Bracarensem Episcopum scribens, Cap. 5. *Ordinem quoque precum in celebritate Missarum nullo nos tempore, nulla festivitate significamus habere divisum; sed semper eodem tenore oblata Deo munera consecrare. Quoties vero Paschalis, aut Ascensionis Domini, vel Pentecostes & Epiphaniæ, Sanctorumque Dei fuerit agenda Solemnitas; singula Capitula diebus apta subjungimus, quibus commemorationem Sanctæ Solemnitatis, aut eorum facimus, quorum Natalitia celebramus; cætera vero ordine consueto prosequimur. Quapropter & ipsius Canonicæ Precis* (id est Canonis Missæ) *textum direximus subter adjectum, quem Deo propitio ex Apostolica Traditione accepimus*: De quo ritu Missam celebrandi Concilium secundum Bracarense anni 563. Canone 4. præcipit; *Ut eodem ordine Missæ celebrentur ab omnibus, quem Profuturus quondam hujus Metropolitanæ Ecclesiæ Episcopus ab ipsa Apostolicæ Sedis auctoritate accepit scriptum*. Num Theologia posteriorum sæculorum peperit, quod legitur in Sermone *S. Cæsarii* Arelatensis ad populum habito, ut ab Ecclesia non recederet, donec Sacra peracta essent? *Si diligenter attenderitis*, inquit, *cognoscetis, quia non tunc fiunt Missæ, quando divinæ lectiones in Ecclesia recitantur, sed quando munera offeruntur, & Corpus vel Sanguis Domini consecratur. Nam lectiones sive Apostolicas, sive Evangelicas etiam in domibus vestris aut ipsi legere, aut alios legentes audire potestis; Consecrationem vero Corporis & Sanguinis Domini non alibi, nisi in Domo Dei, audire vel videre poteritis*. Num posteriorum sæculorum Theologia invexit, quod *S. Isidorus Hispalensis*, & post eum *Ætherius & Beatus* Lib. 1. contra *Elipandum* scripserunt? *Ordo Missæ vel Orationum, quibus oblata Deo Sacrificia consecrantur, primo a S. Petro est institutus: cujus celebrationem uno eodemque modo universus peragit orbis*. Num posteriorum sæculorum Theologia invenit, quod legitur in Capitulari *Caroli Magni* anno 801. *Ut nullus Sacerdos in domibus vel in aliis locis, nisi in Ecclesiis dedicatis celebrare Missas audeat*. Et quod *Hilduinus* in Epistola ad *Ludovicum Augustum* Areopagiticis præfixa commemorat *Antiquissimos, & nimia pene vetustate consumptos Missales libros, continentes Ordinem Missæ more Gallico, qui ab initio recepta Fidei usu in hac Occidentali plaga est habitus, usquequo tenorem, quo nunc utitur, Romanum susceperit*. Num posteriorum sæculorum Theologia invenit, quod *S. Gregorius Turonensis* sub prima Regum nostrorum Dynastia scribebat Cap. 17. De Vitis Patrum ubi agit de *Nicetio* Episcopo Trevirensi? *Advenit dies Dominicus, & ecce Rex cum his qui ob hoc Sacerdote Communione abesse jussi fuerant, Ecclesiam est ingressus. Lectis igitur lectionibus, quas Canon sanxit antiquus, oblatis muneribus super Altare Dei, ait Sacerdos: Non hic hodie Missarum solemnia consummabuntur, nisi Communione privati prius abscedant*. Et Lib. 1. De Gloria Martyrum, Cap. 86. *Tempus ad Sacrificium offerendum advenit; acceptaque turre Diaconus, in qua Ministerium Dominici corporis habebatur, ferre cœpit ad ostium; ingressusque Templum ut eam Altari superponeret, &c.* Et Lib. de Gloria Confessorum, Cap. 65. ubi mulieris cujusdam meminit, quæ *per annum integrum assidue orationi vacabat, celebrans quotidie Missarum solemnia, & offerens oblationem pro anima viri, non diffisa de Domini misericordia, quod haberet defunctus requiem; in die qua Domino oblationem pro ejus anima delibasset: semper sextarium Gazeti vini præbuit in Sacrificium Basilicæ Sanctæ*. An Theologia posteriorum sæculorum invexit, quod *S. Leo* scribebat ad *Dioscorum* Alexandrinum Episcopum Epistola 11. Edit *P. Quesnel*. Cap. 11. *Ut autem in omnibus observantia nostra concordet, illud quoque volumus custodiri: ut cum solemnior quæque festivitas conventum Populi numerosioris indixerit, & ea Fidelium multitudo convenerit, quam recipere Basilica simul una non possit, Sacrific*

oblatio indubitanter iteretur ; ut bis tantum admissi ad hanc devotionum, qui primi advenerint, videantur hi, qui postmodum confluxerint, non recepti ; cum plenum pietatis atque rationis sit, ut quoties Basilicam, in qua agitur, præsentia nova plebis impleverit; toties Sacrificium subsequens offeratur. Necesse est autem, ut quædam pars populi sua devotione privetur, si antas tantum Missæ more servato, Sacrificium offerre non possint, nisi qui prima diei parte convenerint. Studiose ergo dilectionem tuam & familiariter admonemus ; ut quod nostræ consuetudini ex forma paternæ Traditionis insedit, tua quoque cura non negligat: ut per omnia nobis & fide & actibus congruamus. Au posteriorum sæculorum Theologia invexit, quod legitur apud S. Augustinum Sermone 227. novæ Editionis PP. Benedictinorum, qui ast quartus in die Paschæ ad Infantes, *De Sacramentis*, id est, *De Mensæ Dominicæ Sacramento*; uti ipse initio Sermonis explicat ? *Hodie incipit Liber ipse legi*, nempe de Actibus Apostolorum. *Tenetis Sacramenta ordine suo. Primo post Orationem admonemini sursum habere cor. Ideo enim cum dicitur*, SURSUM COR, *respondetis*, HABEMUS AD DOMINUM. *Sequitur Episcopus vel Presbyter qui offert, & dicit*, GRATIAS AGAMUS DOMINO DEO NOSTRO; *& vos attestamini*, DIGNUM ET JUSTUM EST. *Deinde post* SANCTIFICATIONEM SACRIFICII, *dicimus Orationem Dominicam. Post ipsam dicitur*, PAX VOBISCUM, *& osculantur se christiani in osculo sancto.* Mitto cætera, quæ ad *Gentileti* Observationem refellendam ex Dissertatione nostra superius indicata repeti possunt.

Decretum Sessionis 22. de Reformatione.

VI. Decretum de Reformatione in eadem Sessione 22. editum est, undecim constans Capitibus. Primum veteres Canones de vita & honestate Clericorum innovat. Secundum, assumendorum ad Ecclesias Cathedrales conditiones præscribit. Tertium, de quotidianis distributionibus viritim inter Canonicos præsentes & qui divinis Officiis intersunt, dividendis. Quartum statuit ut Canonici Majoribus Ordinibus necdum initiati vocem in Capitulo non habeant, & infra annum ad Ordines, quorum Officia suis Præbendis sunt annexa, promoveri teneantur. Quintum, ut Episcopis dispensationum extra Curiam concessarum examen committatur. Sextum, ut iisdem ultimarum commutatio voluntatum velut Sedis Apostolicæ Delegatis demandetur. Hanc auctoritatem ultimas voluntates commutandi, *Suavis Polanus*, *& Gentiletus* Ecclesiæ negant & ad solos Principes & Magistratus Laicos coarctant. Sed falluntur: quamvis enim Principes normam præscribere possint subditorum aut viventium, aut defunctorum donationibus, quatenus ad politicum ordinem spectant; potest nihilominus Ecclesia, quæ Fidelium opera in finem vitæ æternæ dirigit, commutare ultimas defunctorum voluntates ad eum finem tendentes, cujusmodi sunt omnes piæ largitiones, easque in alia opera melius ad idem conducentia transferre ; maxime cum Fideles pro sua pietate donationes illas Ecclesiæ arbitrio ac moderationi subjecisse censeantur. Septimum Caput, *Innocentii Quarti* Decretum de Appellationibus innovat. Octavum Episcopis, casibus a jure concessis, omnium piarum dispositionum tam in ultima voluntate, quam inter vivos, executionem tamquam Sedis Apostolicæ Delegatis committit. Nec-non piorum quorumcumque locorum visitationem, non tamen eorum, *quæ sub immediata Regum protectione sunt, sine eorum licentia.* Caput nonum statuit, ut piorum quorumcumque locorum Administratores singulis annis rationem administrationis Ordinario reddere teneantur, nisi aliter in fundatione sit cautum. Decimum, ut Notarii Episcoporum examini subjaceant, qui non idoneis, & in Officio delinquentibus, Officii ejusdem in causis Ecclesiasticis exercendi usum perpetuo aut ad tempus prohibere possint. Undecimum bonorum cujuscumque Ecclesiæ aut pii loci usurpatores ac detentores Anathemate ferit, cujus vinculo a solo Romano Pontifice solvi possint : & si Patroni fuerint, Jure Patronatus privat. Clericos nefandæ fraudis & usurpationis conscios Beneficiis privat omnibus, ad alia quæcumque possidenda inhabiles declarat, & ab Ordinum executione, etiam post integram satisfactionem & absolutionem, arbitrio sui Ordinarii suspendendos.

Suavis & Gentiletus castigantur.

Gentileti objectio in Decretum undecimum.

VII. In Decretum Sessionis hujusce de Reformatione undecimum objicit *Gentiletus*, id esse magni periculosique momenti, ex quo nimirum consequatur, Regem vacantium Beneficiorum Jure Regaliæ possessionem apprehendere non posse, neque Beneficia vacantia & controversa a sequestro possidere jubere. Adeo ut Patres Tridentini veterem Pontificis *Bonifacii VIII.* Regisque *Philippi Pulchri* querelam, ante annos ducentos & octoginta exagitatam, renovare velle videantur. Sic habet Decretum „ Si quem Clericorum, vel „ Laicorum, quacumque is Dignitate, etiam Imperiali aut Regali præfulgeat, in tantum malorum omnium radix cupiditas occupaverit, ut alicujus Ecclesiæ, seu cujusvis Sæcularis vel Regularis Beneficii, Montium Pietatis, aliorumque piorum locorum, „ Jurisdictiones, bona, census, ac jura, etiam feudalia, & emphyteutica, fructus, emolumenta, seu „ quascumque obventiones, quæ in Ministrorum & „ pauperum necessitates converti debent, per se vel „ alios, vi vel timore incusso, seu etiam per suppositas personas Clericorum, aut Laicorum, seu quacumque arte, aut quocumque quæsito colore in proprios usus convertere, illosque usurpare præsumpserit, seu impedire, ne ab eis, ad quos jure pertinent, „ percipiantur, is Anathemati tamdiu subjaceat, quamdiu Jurisdictiones, bona, res, jura, fructus, quos „ occupaverit, vel qui ad eum quomodocumque, etiam ex donatione suppositæ personæ, pervenerint, „ Ecclesiæ, ejusque Administratori, sive Beneficiato „ integre restituerit ac deinde a Romano Pontifice „ Absolutionem obtinuerit. Quod si ejusdem Ecclesiæ „ Patronatus fuerit, etiam Jure Patronatus, ultra prædictas pœnas, eo ipso privatus existat.

Responsio.

Respondetur, Nec Regaliæ Juri, nec similibus Juribus Regiis, hoc Decreto vulnus ullum infligi, sed invasiones dumtaxat Ecclesiarum, Beneficiorum, piorum locorum, Jurisdictionum, bonorum, censuum jurium, ac fructuum eorumdem prohiberi. Unde citra calumniam dici non potest, Tridentinam Synodum veterem *Bonifacii VIII.* & Regis *Philippi Pulchri* querelam revocare voluisse. Istud sane Concilii Tridentini Decretum non magis Regia Juribus adversatur, quam illud *Caroli Magni* in Capitularibus „ Omnia quæ „ Domino offeruntur, proculdubio & consecrantur: Et „ non solum Sacrificia quæ a Sacerdotibus super Altare Domino consecrantur, oblationes Fidelium dicuntur, sed quidquid ei a Fidelibus offertur, sive in „ mancipiis, sive in agris, vineis, silvis, pratis, aquis, „ aquarumve decursibus, artificiis, libris, utensilibus, „ petris, ædificiis, vestimentis, pellibus, lanificiis, pecoribus, pascuis, membranis, mobilibus & immobilibus, vel quæcumque de his rebus ad laudem Dei „ fiunt, vel supplementum Sanctæ Ecclesiæ, ejusque „ Sacerdotibus, atque ornatum præstare possunt, Deo, „ Ecclesiæque suæ a quibuscumque ultro offeruntur, „ Domino indubitanter consecrantur, & ad jus pertinent Sacerdotum. Et quia Christum & Ecclesiam „ unam personam esse veraciter agnoscimus, quæcumque Ecclesiæ sunt, Christi sunt, & quæ Ecclesiæ vel „ in supradictis vel in quibuscumque speciebus, sive „ pollicitationibus, sive pignoribus, sive scriptis, sive „ corporalibus rebus offeruntur, Christo offeruntur. Et „ quæ ab Ecclesia ejus quocumque commento alienantur vel tolluntur, sive alienando, sive vastando, sive invadendo, sive minorando, sive diripiendo, Christo tolluntur. Et si ab amico quidpiam rapere, furtum est, præcipue Christo Domino nostro aliquid „ auferre vel alienare, vel subripere, vel vastare sacrilegium est. Omnes namque Ecclesiæ prædones manifestissime sunt sacrilegi. Et nullus sacrilegus nisi „ per puram probatamque atque publicam Pœnitentiam, „ & per Ecclesiæ satisfactionam, Episcoporumque per „ manus impositionem juxta Canonicas Sanctiones reconciliationem, Regnum Dei possidebit; & non solum a Regno Dei fit alienus, sed etiam a liminibus „ Sanctæ Ecclesiæ, & præcipue ab illius quam læsit, „ usque ad prædictam satisfactionem extorris efficitur. „ Talium vero scelerum Patratoribus, nisi post prædictam satisfactionem, vivis nec mortuis communicare „ debemus. Quia qui rapit pecuniam proximi sui, iniquitatem facit, qui autem pecuniam Ecclesiæ abstulerit, sacrilegium facit: Qui non solum sacrilegi, sed „ etiam fures sacrilegi & lupi atque homicidæ, pauperumque necatores sunt, & insuper Anathematis vinculo damnati coram Deo & Sanctis ejus efficiuntur.

Tom. I. Edit. Baluz. p. 520

Articulus de concessione Calicis ad Summum Pontificem Synodus retulit.

VIII. De duobus tandem Articulis alias propositis, & Superiori Sessione a Sacra Synodo in aliud tempus reservatis actum est; videlicet, An rationes quibus Sancta Catholica Ecclesia adducta fuit, ut Eucharistiam Laicis atque etiam non celebrantibus Sacerdotibus sub una panis specie distribueret, ita retinendæ essent, ut nulla ratione Calicis usus cuiquam esset permittendus; &, An si honestis & Christianæ charitati consentaneis rationibus concedendus alicui vel Nationi vel Regno

Cali-

Calicis usus videatur, sub aliquibus conditionibus concedendus sit, & quænam sint illæ? Varias Patrum in genarali Conventu ea de re sententias refert *Palavicinus* lib. 18. Cap. 4. Concessionem Calicis acriter postulabant Cæsaris Oratores. Collectis Patrum suffragiis, sexaginta novem numerata suns concessioni propria, septuaginta novem illi adversantia, & quatuor dubia: atque intar priora non pauca erant, quæ concessionem tam arduis conditionibus obstringebant, ut potius repulsa videretur. Res tandem in Summo Pontifice reposita est, conditumque Decretum Auctore Mantuano Cardinali, bis verbis: *Sacrosancta Synodus .. Nunc eorum pro quibus petitur, saluti optime consultum volens, decrevit integrum negotium ad Sanctissimum Dominum nostrum esse referendum, prout præsenti Decreto refert: qui pro sua singulari prudentia id efficiat, quod utile Reipublicæ Christianæ & salutare petentibus usum Calicis fore judicaverit.* Id Synodo injuriosum censuit *Gaspar Cervantes* Hispanus, Archiepiscopus Messanensis. *Eustachius Bellajus* Parisiensis Episcopus declaravit, Malle conscientiæ suæ quam reliquis rebus consulere, ideoque non assentiri Decreto. Illud pariter rejecerunt *Antonius Augustinus* Episcopus Ilerdensis, *Joannes Carolus Bovius* Episcopus Ostunensis, *Philippus Maria Campeggius* Episcopus Feltrensis. *Martinus de Cordaba* Dominicanus, Episcopus Dertusensis, Scholasticis usus vocabulis, dixit: Decretum sibi displicere secundum conscientiam, placere secundum homines quasi involuntarium mixtum. *Ægidius Falcatta* Episcopus Caurolensis dixit: Velle se protestari de nullitate, & abire a Concilio, si hujusmodi Decretum admitteretur. *Simonetta* Cardinalis, Legatorum unus, Patres adhortatus est, ut sententiam pacate quisque diceret, quam dignitati Synodi, & Ecclesiæ utilitati profuturam putaret; Dictis tranquille sententiis, octo supra nonaginta Decreto consenserunt, triginta-octo dissenserunt. Id in Cœtu generali gestum 16. Septembris, refert *Palavicinus* Lib. 18. Cap. 8. Quamobrem Decretum in solemni Sessione promulgatum est. In eadem lecta est Professio Fidei ab *Abdisu* Syriæ Orientalis Patriarcha Romæ edita coram Summo Pontifice, & obedientia ab eodem promissa cunctis Synodis Generalibus, ac etiam Tridentinæ cujus rei legitimas tabulas *Pii IV.* jussu ad Legatos miserat *Amulius* Cardinalis.

ARTICULUS XIII.

De Sessionis XXIII. Decretis.

Gallicanorum Episcoporum & Theologorum Tridentum adventus.

I. CArdinalis *A Lotharingia* cum Gallicanis Episcopis & Theologis Tridentum advenit die 13. Novembris anni 1562. Die 23. in generali cœtu exceptus, oblatis Christianissimi Regis *Caroli IX.* literis, de sua missione & causis ejus, elegantem ad Patres Orationem habuit, quæ in Commentariis rerum ad Synodum Tridentinam spectantium a *Puteano* editis habetur p. 322. Interfuit deinceps congregationibus, & in sententiis dicendis magnam doctrinæ, eloquentiæ & zeli laudem adeptus est sicut & cæteri Galliæ Præsules, quamquam non sine invidia multorum tam Romæ quam Tridenti existentium, quibus eorum propositiones, postulata, sententiæ, cum de reformatione Curiæ & abusibus tollendis, cum de variis aliis rebus, anxietatem quamdam pariebant. Ortas inde suspiciones, variaque consilia, politicas artes, molitiones ad hæc vitanda aut impedienda adhibitas a diversis, tum Romæ, tum Tridenti, qui nosse cupit, uti & progressum controversiæ de loci prærogativa inter Gallicos & Hispanos Oratores, legat Commentarios rerum ad Tridentinam Synodum spectantium a *Puteano* editos & *Palavicinum* Lib. 19. 20. & 21. Triginta-quatuor Postulata a Gallis Oratoribus Regis nomine Legatis tradita, quæ tamen Rex Concilii arbitrio ac Judicio subjiciebat, die tertia Januarii anni 1563. in laudatis Commentariis habentur p. 268. & apud *Palavicinum* lib. 19. cap. 11. apud *Thuanum* lib. 35. Historiæ, *Natalem Comitem* lib. 14. &c. eorumque summam *Spondanus* exhibet ad hunc annum. Alia *Ferdinandi* Imperatoris nomine ab ejus Oratoribus exhibita sunt Reformationis capita, quæ legi possunt apud *Goldastum Tom.* 11. *Constitutionum Imperalium pag.* 375. Cardinalis *Borromæus* ad Legatos scripsit, permittere Pontificem, ut cuncta Gallorum postulata proponerent, ubi aliter illis satisfieri non posset, sed in eo casu idem agendum de postulatis Cæsaria, ne inter utrumque discrimen poneretur. Aliis nihilominus literis Pontifex addidit; siquidem Cæsar consentiebat prætermissioni quarumdam ex petitionibus suis, hæ vero ab ipsis rationi dissentaneæ putabantur, satius esse illas omitti.

Regis Christianissimi postulata.

Catholica Doctrina de Sacramento Ordinis.

II. Sessio vigesima-tertia celebrata est die 23. Julii, anni 1563. Sacris operatus est Episcopus Parisiensis: Latine concionatus est Episcopus Alphanus, Hispanus. Catholica de Sacramento Ordinis Doctrina quatuor Capitibus tradita & explicata est. Errores Hæreticorum octo Canonibus damnati. Disciplina Ecclesiastica octodecim Capitibus sancita, quorum primum Residentiam spectat. In privatis Theologorum, & generalibus Patrum Cœtibus, diu multum, acriterque de tribus præsertim quæstionibus disceptatum est. Prima erat, An Episcopi Jure Divino in Ecclesia sint instituti? Altera, quo Jure in suis Ecclesiis residere teneantur? Tertia, quibus verbis explicanda ac definienda esset Romani Pontificis Auctoritas? Episcoporum Institutionem ac Residentiam, Juris esse Divini, Hispani, Gallique Præsules propugnabant. Itali pro contraria sententia tamquam pro aris & focis certabant, Romani Pontificis Auctoritatem imminui falso arbitrati, nisi Episcopi sacram Potestatem ac Jurisdictionem ab Apostolica Sede precario obtineant, sintque non Christi, sed Summi Pontificis Vicarii: veritique ne Summus Pontifex dispensare de residentia non posset, si Juris Divini definiretur. Theologos inter *Petrus Soto* Dominicanus institutionem de Residentia Episcoporum Juris esse Divini ad obitum usque defendit, ac lethali ægritudine Tridenti decumbens, gravem ac luculentam pro utriusque dogmatis confirmatione ad *Pium IV.* scripsit Epistolam. *Didacus Lainius* Societatis Jesu Supremus Moderator, Institutionem Episcoporum non esse juris Divini prolixa Dissertatione ostendere aggressus est, cujus summam exhibet *Palavicinus* Lib. 18. Cap. 15. Vehementer displicebat Italis plerisque Hispanorum, ac Gallicanorum Episcoporum in dicendis circa istas quæstiones sententiis libertas ac sinceritas, & ex ea gente nonnulli suarum opinionum præjudiciis occupati, in vocem *Anathema*, & consimiles contumelias proruperunt. Fuit qui dixit: Plus molestiæ nobis infertur ab istis Hispanis, qui Catholicos agunt, quam ab ipsis Hæreticis. Fuit, qui per indignum dictum procaciter dixit: *En Hispanica scabie decidimus in morbum Gallum.* Demum agente Cardinali Lotharingo, pluribus vicibus, reconcinnati Canones septimus & octavus sub ea promulgati sunt forma, qua nunc habentur; seposita scilicet illa quæstione, de qua variabant Catholicorum sententiæ, An Episcoporum Auctoritas & Jurisdictio Juris esset Divini, Hæreticorum errores dumtaxat damnati sunt, asserentium, *Episcopos non esse Presbyteris superiores; & Episcopos, qui Auctoritate Romani Pontificis assumuntur, non esse legitimos ac veros Episcopos, sed figmentum humanum.* In explicatione vero Catholicæ Doctrinæ Sacra Synodus declaravit, *Episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad Hierarchicum Ordinem præcipue pertinere, & positos, sicut Apostolus ait, a Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei &c.*

An Episcopi Jure divino sint instituti, & quo jure residere teneantur disceptatum est.

Act. 20.

III. De Residentia vero visum est Sanctæ Synodo definiendum non esse quo jure ad eam Pastores tenerentur, propterea quod complures, haud probe callentes Jurisdictionem interpretandi hujusmodi jus, ansam inde arripuissent damnandi res antea gestas, & justam absentiam Episcoporum, ut scripsit Cardinalis *Lotharingus* in Literis ad *Britonem* Secretarium suum cum Romano Pontifice communicandis. Sic porro incipit Decretum: *Cum præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas cognoscere &c.* His verbis conceptum Decretum est, quibus veritati, Conciliique existimationi consultum esset. Ubique enim conclamabatur, Patres *jam non posse ferre Jus Divinum, sed ne quidem audire* (inquit Cardinalis Lotharingus in Literis ad *Britonem* Secretarium suum, & rerum suarum in Romana Curia Procuratorem) additque: „ Quod quantum scandalum „ afferre possit his nostris calamitosis temporibus, quis „ non audit? Hac via in hæresi sua confirmantur Hæ„ retici, qui nos ajunt reliquisse mandata Dei propter „ traditiones hominum, qui de oppresso per nos verbo „ Dei perpetuo conqueruntur: scandalizantur Catho„ lici, qui hoc ne verum sit nunc maxime verebun„ tur. Itaque ut illi calumniæ obviaremus, & pusillos „ non scandalizaremus, deputati ad reformandum De„ cretum de Ordine, censuimus incipiendum Decretum „ a Divino Mandato, ut ex eo functiones nobis in„ junctæ elicerentur, & abstineremus postea ab expres„ sione ea, quæ ab aliquibus exposcebatur, ut dicere„ mus Residentiam esse de Jure Divino. „ Haud plures quam sex aut septem in dicendis sententiis ita exorbitalle

Synodus non definivit quo jure Pastores ad Residentiam teneantur.

bitasse testatur, ut dicerent, Episcopos Jure tantum positivo & Canonicis Constitutionibus ad Residentiam obligari. Ut primum Decretum conditum fuit, quosdam qui videri volebant *Columnæ Ecclesiæ & Sedis Apostolicæ*, contradicendi libidine abreptos, clamare cœpisse: *Cardinalis Lotharingus transit in sententiam Hispanorum, asserit Residentiam esse de Jure Divino. Falsum: Immo Cardinali Lotharingo semper id fuit commune cum Hispanis ut idem crederet; sed tantum abest ut id expressa definiri per Synodum cum Hispanis voluerit, ut Hispani in ejus sententiam venerint, id amplius non passuri, nisi forte aliis eam statuere solo præcepta humano volentibus, una omnes consensu petere cogantur, & disputari, & omnimode definiri, ne tanta blasphemia impune tolerata audiatur.* Sed & plures ejusdem Decreti, eo, quo editum est, tenore, voces frigidis cavillationibus quosdam Italos impugnasse, ex eadem Epistola discimus.

Canon de Romani Pontificis Auctoritate omissus propter difficultates.

IV. Canon octavus de Summi Pontificis Auctoritate sub hac forma paratus fuerat: „ Anathema sit, si quis „ dixerit, B. Petrum per institutionem Christi non „ fuisse primum inter Apostolos, & ejus Vicarium in „ terra, vel necesse non esse, ut sit in Ecclesia unus „ Pontifex Petri Successor, eique æqualis in Auctoritate regiminis: atque in Romana Sede legitimos ejus „ Successores ad hoc usque tempus non habuisse jus „ Principatus in Ecclesia, nec fuisse Patres, Pastores, „ & Doctores omnium Christianorum, nec fuisse ipsis „ traditam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem pascendi, regendi & gubernandi Ecclesiam „ universalem. Hæc verba quamvis pene ad verbum exscripta ex Florentino Concilio maximas difficultates & oppositiones pepererunt. Episcopi enim Theologique Galli admittere noluerunt has postremas voces, quibus exprimebatur, traditam esse a Christo potestatem Romano Pontifici, pascendi, regendi & gubernandi Ecclesiam universalem, quod sententiæ Gallicanæ Ecclesiæ asserentis, Concilium generale superius esse Romano Pontifice, officere viderentur; ac proinde loco horum verborum, *Ecclesiam universalem* poni volebant, *omnes fideles*, *omnes Ecclesias*. Christianissimi Regis Oratores intercessarunt, ne verbum ullum in doctrinæ Decretis & Canonibus poneretur, quod Ecclesiæ Gallicanæ & Sacræ Facultatis Parisiensis Sententiæ ac Religioni de Concilii supra Romanum Pontificem auctoritate, repugnaret; idque se in mandatis habere, Pontificiis Legatis significarunt. Cardinalis *Lotharingus* se verba illa admittere non posse contestatus est absque Regni perturbatione, famæ suæ dispendio, & damnationis periculo. Pro Sedis Apostolicæ auctoritate totum se profusurum Sanguinem, salvis tamen juribus veritatis, & conscientiæ officio, quam Ecclesiæ auctoritati ac definitioni semper erat subjecturus. Hæc Summo Pontifici & Cardinali *Borromæo* nomine suo dicenda *Britoni* Secretario suo præscripsit. Aliis, parati Canonis formam ac tenorem Romæ propugnantibus, respondit: „ Major est orbis urbe. Præterea meliorem & perfectiorem orbem & habitationem inquirimus, & per „ misericordiam Dei expectamus. Parum tandem profuerint, qui verbum unum aut alterum ad gloriam „ & auctoritatem Sedis Apostolicæ adjecerint, quæ „ non ab hominibus pendet, sed a Deo fundata est „ super firmam petram; & interim nobilissimum Regnum, aut etiam Regna ab obedientia alienaverint. „ Ego plus existimo reipsa prodesse Sedi Apostolicæ, „ si in fide & obedientia Regnum Galliæ perseveret, „ quam si duo verba meo sensu attulerim, & eas disputationes excitaverim, quæ ad subversionem tantummodo nunc prosunt. Ego neminem volo judicare; sed qui me judicat, Dominus est; & me etiam „ suus Vicarius Dominus meus Beatissimus Papa judicet, pro cujus semper Auctoritate tuenda, mortem „ non detrectabo. „ Scribit in eadem Epistola Cardinalis *Lotharingus*, Se Gallum, & in Academia Parisiensi institutum profiteri, in qua Auctoritas Concilii supra Romanum Pontificem propugnatur, & contrarium sentiantes ut *hæretici* damnantur. Gallos potius mortem oppetituros, quam in contrariam opinionem abeant. Se ad Summi Pontificis pedes provolvi, ipsum obsecrare per viscera misericordiæ Dei, ut modo ab his vocibus & disputationibus abstineatur. Afflicto Regno non esse dandam afflictionem; Hæreticos jam exacerbatos, Catholicos a Theologis dirigi, qui ad Cœlum usque clamores extollent: Regni privilegia hac veritate mixa, Propositionem hujusmodi ad subversionem audientium, ad Regni separationem ejusque desolationem tendere. Insanum esse sibi persuadere quod aliquis Gallicanæ Ecclesiæ Præsul huic sententiæ assen-

Nimia exaggeratio Cardinalis a Lotharingia.

sum præbeat: Christianissimi Regis Oratores intercessuros, & protestationem oblaturos, id Schismatis initium futurum: Libros ab utraque parte scriptum iri, & Sedis Apostolicæ auctoritatem in dubiam revocandam. Rescripsit Cardinalis *Borromæus* ad Legatos, & speciatim ad Mantuanum, Pontificio nomine; universalis Ecclesiæ regimen Summo Pontifici haud juste negari, cum eamdem in illo prærogativam altera Synodus œcumenica, scilicet Lugdunensis II. agnovisset, & in vetustissimis Diplomatibus appareret præsens consuetudo appellandi Romanum Pontificem *Episcopum Ecclesiæ Catholicæ*, quod tantum sonat, quantum *Universalis*. Verumtamen addebat, ne cum alieni animi duritie decertaretur, posse loco dictarum vocum has poni: *Regere universum Domini gregem*: quo pacto loquitur *Innocentius IV.* Cap. 5. *De Schismaticis lib. 6. Decretalium*, aut etiam posse illic relinqui simplicem vocem, *Ecclesiæ Dei*, omissa, *universalis*, dummodo alia quæpiam vox mutaretur ex usurpatis a Concilio Florentino, ne in hac tantummodo mutatio deprehenderetur. Pontifex vero dum quadam die Sacrum faceret, ea disputatione fervente, observavit, jussitque significari Legatis, cunctos Sacerdotes Catholicos ex tribus Orationibus quæ ad cœlestem opem Romano Pontifici implorandam ad Altare funduntur, ter iterare, Deum voluisse, *ut præs præsit ipsius Ecclesiæ*, adeoque id sibi ab ullo Fidelium negari non posse. Sed subdebat *Borromæus*, ubi difficultas in eo quoque offenderetur sine dissidio insuperabilis, satis futurum Pontifici, si nec de sua, nec de Episcoporum potestate quidquam exprimeretur, illis tantum editis definitionibus, in quas Patres unanimi consensu conspirarent. Denique modo Sedis Apostolicæ Auctoritati nullum vulnus inferretur, ea Præsides agerent, quæ in obsequium Dei, & Ecclesiæ utilitatem cessura existimarent. Salebrosa igitur quæstio, consentiente Pontifice, & *Ferdinando* Imperatore favente, omissa est, & Canon de auctoritate Romani Pontificis suppressus, cum ejus Primatum novo canone definiri opus non esset, quem in ipsa Synodo œcumenica exercebat, & inextricabiles controversias inter Catholicos excitare periculosum, & Christianæ rei exitiale videretur. Ista constant ex Historia *Palavicini*, & ex Commentariis rerum ad Synodum Tridentinam spectantium a *Pateano* editis.

De Morum emendatione agitur.

V. Circa morum emendationem plura hac in Sessione optata sunt quam conclusa. De Aulæ Romanæ Reformatione plurimi a Patribus libere sententiam dixere, & inter alios *Nicolaus Psaulmeus* Benedictinus, Episcopus Virdunensis cum libertate Episcopali dissereret, *Sebastianus Vantius* Urbevetanus Antistes, ad proximos sibi conversus, impudenter dixit: *Nimium cantat is Gallus*. Quo audito, *Pateas Danesius* Episcopus Vaurensis apposite respondit; *Utinam ad hujus Galli cantum excitaretur Petrus & fleret amare!* Contra Episcopos ex mero titulo Cardinalis *Lotharingus*, aliique Patres acriter sunt invecti. Observarunt, illos perinde ac cæteros, jurejurando se obstringere in sua Consecratione, ad concionandum populo sibi commisso; in quo Spiritui Sancto mentiuntur quippe contrarium propositum habentes: idcirco consecrandos non esse aut mittendos ad suas Diœceses, quamvis Infidelibus Dominis subjectas; cum Episcoporum sit paratum animum gerere ad Martyrium pro suo grege tolerandum, quemadmodum egerant Apostolicorum temporum Episcopi; ideo hujusmodi larvas ab Ecclesia esse removendas. Ita refert *Palavicinus* libro 20. cap. 56. *Melchior* Avosmedianus Episcopus Guadixensis, Illos arte mali dæmonis, & Præsulum socordia in Ecclesiam inductos fuisse dixit; non modo in posterum id prohibendum, sed jam promotos in Monasteriis ad agendum pœnitentiam includendos: addidit tamen ad emolliendam dicti asperitatem, eorum nonnullis, qui promererentur, Episcopatum cum Clero ac Populo conferendum. In Immunitates, Dispensationes frequentes, ac Reservationes, vocabula veteri Ecclesiæ (ut ajebant) ignota, Granatensis Episcopus, aliique declamarunt, & modum his a Synodo adhiberi postulavere. *Joannes Antonius Fachinettus* Episcopus Neocastrensis, sanciri optavit, ut Episcopi communi cum suis Canonicis mensa uterentur. *Antonius Augustinus* Episcopus Ilerdensis, aulæa & peristromata, omnemque pretiosam suppellectilem ab Episcopis abjiciendam suggessit, ejusque pretium pauperibus erogandum. Episcopos omnes severo examini subjiciendos; & eos qui minus idonei comperti fuissent deponendos. *Martinus Cordubensis* Ordinis Prædicatorum, Episcopus Dertusanus, consuetis cunctis formulis eligendi Summum

Contra Episcopos ex mero titulo Patres invehuntur.

mum

mum atiam Pontificem rejectis, affirmavit sibi optimam formam videri, qua Episcopi suum sibi successorem eligerent; sicut *Petrus*, ajebat ille, *Clementem* elegit. Adeo verum est (inquit *Paluvicinus* Lib. 21. Cap. 4. hæc referens) quemadmodum apud Æthiopes vultus niger pulchrior est albo, & quibusdam animantibus cibus gratus cicuta, ita nihil esse tam universe repudiatum tamquam pessimum, quod alicujus ingenio non optimum videatur. Ex his porro liquet, quanta esset Episcoporum & in suffragando, & in proponendo, dum sententiam dicerent, in Sacrosancto Cœtu libertas.

Suavis objectionibus adversus Decreta Sessionis 23. respondetur.

VI. Sexto Cannni objectum fuisse in Germania narrat *Suavis*, quod *Hierarchiam* fidei dogma constituat, vocem (inquit) ac significationem alienam a divinis effatis, & veteris Ecclesiæ consuetudine; vocem a quodam inventam, qui etsi alicujus antiquitatis, quisnam & quando extiterit, non satis constat; qui alioqui Scriptor est hyperbolicus, & quem in usu illius vocis, aliarumqua quas ipse excogitavit, nemo ex Antiquis imitatus est. At vero si sequendus erat modus agendi ac loquendi Christi Domini nostri, Sanctorumque Apostolorum, ac Ecclesiæ primævæ, oportuisse non *Hierarchiam*, sed *Hierodiaconiam*, aut *Hierodulism* statuare.

Respondetur, Hanc vocem, ejusque significationem in Ecclesia novam non fuisse, sed usu diuturno consecratam: Usurpatam a *S. Dionysio*, Auctore celebris Operis *De Ecclesiastica Hierarchia*, quem *S. Gregorius* Homilia 34. *Antiquum ac venerabilem Patrem* appellat; *S. Maximum* Martyrem eos Libros ceu *Dionysii Areopagitæ* reverirum & interpretatum, *Sanctum Thomam* Commentarium in eosdem scripsisse, cæteros Scholasticos aam vocam usurpasse: vocabula *Homousion*, *Persona divina*, *Deipara*, *peccatum originale*, & alia, quamvis in Sacris Literis non eastantia, oihilominus Ecclesiam in suis definitionibus adhibuissa quod rebus definiendis apprime convenirent, & ad Hæreticorum errores damnandos aptissima judicarentur: Voces *Hierodiaconia* & *Hierodulia*, in usu non fuisse, nec vim habera ad exprimendam Auctoritatem, & inæqaalem dignitatem Graduum Ecclesiasticorum, ordinem inter se habentium, quod Sexto Canone Synodus intendebat. Id aptius explicari non potuisse quam per vocem *Sacrum Principatum*, significantem, Patriarcharum, Episcoporum, Præpositurum nomina dignitatem sonantia, in usu veteris Ecclesiæ fuisse; hunç versum Psalmi, *Constitues eos Principes super omnem terram*, Apostolis ab Ecclesia applicari: Diaconorum nomen tertio Ecclesiæ Ordini ab Apostolorum tamporibus attribatum, adeoque Canunem ad modum loquendi primævæ Ecclesiæ haud conformatum iri, si diceretur, Esse in Ecclesia *Hierodiaconiam*, conflatam ex Episcopis, Presbyteris, & Diaconis, postrema parte cum ipso toto confusa.

Ps. 44. 17.

VII. Movisse plurimis admirationem refert *Suavis*, quod definitum fuisset, Ordines inferiores aliud non esse nisi gradus ad superiores, cunctos vero esse gradus ad Sacerdotium: cum apud Antiquos legatur, plerosque Clericorum persistere in hujusmodi Ordinibus; ad Sacerdotium numquam progressos, & e convarso, quosdam per eos Ordines minime transeuntes consecrati Sacerdotes.

Respondetur, Hanc definitionem falso affingi Synodo, quæ secundo Canone affirmavit quidem *Præter Sacerdotium esse in Ecclesia Catholica alios Ordines, & Maiores & Minores, per quos velut per gradus quosdam in Sacerdotium tenditur*. Sed meros esse gradus ad Sacardotium non dixit, nequa id ex eo Canone colligi potest; sicut ex hoc quod in Republica multi sunt Magistratus, quorum unus ad alterum gradus est, non sequitur minorem non nisi gradum esse ad majorem, multosque homines non posse remanere in primo, aut aliquos ad secundum repente non provehi.

VIII. Improbatam a pluribus ait *Suavis*, quod Synodus Cap. 14. de Reformatione, statuat iis dumtaxat conferri Sacerdotium, qui *ad populum docendum idonei* comprobentur; siquidem animarum cura a Sacerdotio sejungi potest.

Respondetur, Etsi animarum cura sejungi possit a Sacerdotio, conveniens tamen essa, ut tales assumantur Sacerdotes, quorum opera Episcopi sive perpetuo sive ad tempus, in populis erudiendis uti possint. Sicut enim civili Militiæ non est adscribendus, qui ad bellum extra gerendum aptus non est, quamvis plures ax his militibus ad bellum postea non mittantur: Ita non est ad Sacerdotium assumendus, qui non est idoneus ad populum docendam ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, ac administranda Sacramenta; quamvis omnibus animarum procurario non committatur, siquidem scientia Sacerdotibus necessaria dos est, secundum illum *Malachiæ* secundo Cap. *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & Legem requirent ex ore ejus: quia Angelus Domini exercituum est*. Et illad *Oseæ* 4. *Quia tu scientiam repulisti, repellam te ne Sacerdotio fungaris mihi*.

IX. In Caput decimum-septimum de disciplina *Suavis* objicit, illud contradictionem involvere, quod scilicet Minoram Ordinum functiones ab iis tantum exerceantur, qui his Ordinibus sunt initiati, & Episcopis præcipiatur at ea Ministeria restituant, quantum possibile erit. Ut enim Decretum istud accurate observetur, necesse est eas functiones negligi in locis, in quibus desunt Clerici ad eas obeundas: si vero Laicorum opera suppleri possunt, supervacaneam illud Decretum est.

Respondetur, Nullam esse in eo Decreto contradictioois umbram. Statuere namque Synodum ut Ordinum Diaconatu inferiorum Ministeria, nonnisi per constitutos in dictis Ordinibus exerceantur; quod ut mandetur executioni, singulis Ecclesiarum Prælatis præcipit, ut quantum fieri commode poterit, in Ecclesiis Cathedralibus, Collegiatis, & Parochialibus suæ Diœcesis, si populus frequens, & Ecclesiæ proventus id ferre queant, hujusmodi functiones curent restituendas. At si desint hujusmodi Ordinibus initiati, palam est ea Ministeria interim per operam Laicorum esse supplenda, donec aliqui sint iis Ordinibus initiati.

Cap. 11.

X. Objicit Suavis. Exigere in suscipientibus Minores Ordines Latinæ linguæ intelligentiam, perinde fuisse ae declarare Synodum illam non esse Oecumenicam, cum eo Decreto non possent obstringi Asia, Africa, & Magna pars Europæ, ubi Latinus sermo in Scholis communiter non addiscitur.

Respondetur, Necesse non essa ut Synodus Oecumenica censeatur, ut Leges omnes de Disciplina ab ea latæ cunctas orbis Christiani regiones spectent, sad partem maximam ac potissimam. Potissima autem & maxima Ecclesiæ per Synodum Tridentinam repræsentatæ pars erat aa, in qua frequens est Latini Sermonis in Scholis usus. Cæterum Cardinalium Congregatio Concilii interpretationi præposita, declaravit ex illius mente in Illyrico Latinæ linguæ intelligentiam a peritia Illyricæ linguæ literalis in suscipientibus Ordines eacusari, ut refert *Palavicinus* lib. 21. cap. 13.

Gentileti objectionibus respondetur.

XI. Multa contra Sessionis hujusce doctrinam objicit *Gentiletus*. Primo contra Canonem quo Episcopi superiores Presbyteris asseruntur, upponit, *S. Hieronymum* testari antiquitus e contra usitatum fuisse, tantum abest ut id a Deo constitutum essa crederet. Extare ea de ra Canones luculentissimos scilicet Canones *Legimus*, Dist. 93. & Canonem, *Olim* Dist. 95. quorum alter ex *S. Hieronymo* desumptus est.

Cujus in Objectionis falsitate ac vanitate demonstranda, non est cur immorer impræsentiarum cum id confecerim in Dissertatione Polemica, *De Episcoporum supra Presbyteros Eminentia Divino Jure instituta*, qua Librum *Davidis Blondelli* Calvinistæ, inscriptum, *Apologia S. Hieronymi*, confutavi.

Nunc est 44. Dissertatio in Historiam Sæculi Quarti.

„ Ait deinde *Gentiletus*, inter Episcopos Romæ
„ & Constantinopolis excitatam controversiam quæ
„ tum Synodis, tum aliquot Imperatorum Consti-
„ tutionibus pro Romano Episcopo decisa ac termi-
„ nata est, eique Prima Sedes tributa, utque Pri-
„ mæ Sedis Episcopus appellaretur, pronuntiatum ast:
„ Constantinopolitano autem secunda Sedes & Patri-
„ archæ nuncupatio concessa. Hujus tamen altercatio-
„ nis judicio, inquit, non major priorem Sedam ha-
„ benti auctoritas, imperiumve ullum in posteriorem
„ tribuebatur, quam quæ in Curia aliqua Parlamenti
„ Consiliario competat in Collegas, quibus præire,
„ præque sedere jus habeat.

Huic *Gentileti* figmento & Hæreticæ Assertioni opponimus verba Christi ad *S. Petrum* (Matth. 16.) *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Et tibi dabo Claves Regni Cælorum, & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cælis; & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Cælis*. Et Joannis 21. *Pasce agnos meos, pasce oves meas*. Opponimus totam retro Traditionem hæc oracula da *S. Petri* & Successorum ejus Primatu jura divino instituto explicantem: opponimus

nimus Ecclesiasticæ Historiæ monumenta; quibus hujusce Primatus Auctoritatis & Jurisdictionis Romani Pontificis in omnes & singulas totius Orbis Ecclesias jam inde a primis sæculis Dogma usûsque confirmatur. Quod vel una rerum gestarum in controversia de celebratione Paschatis inter *Victorem* Pontificem Maximum & Asiaticos Episcopos, ut ab *Eusebio* narratur Lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ Cap. 24. Historia evincit. Legatur quarta Dissertationum nostrarum in Historiam Ecclesiasticam Sæculi I. qua *S. Petri*, & Romanorum Pontificum ipsius Successorum Primatum Jure Divino institutum propugnamus.

„ Ait præterea *Gentiletus*, dignitatem & Hierarchi- „ cam Romani Pontificis magnificentiam potissimum „ inniti falsæ Constantini Donationi.

Id vero longe falsissimum est. Illam enim Donationem pseudepigrapham censent Eruditi quique Romanæ Communionis Viri, qui tamen cum universa Ecclesia Catholica dogma Fidei esse censent, quod Summus Pontifex Jure Divino Primatum habeat, non honoris tantum, sed Potestatis & Auctoritatis super omnes & singulas totius orbis Ecclesias.

„ Pergit *Gentiletus*: Duo Supremi utriusque imperii „ gladii, quos sibi Romanus Pontifex vindicat, inde- „ que se jactitat Regibus & Supremis Principibus supe- „ riorem, sibique potestatem eos de Regnis & Ditio- „ nibus suis deturbandi, easque in alios transferendi „ competere profitetur, fictitii sunt: hoc totum inni- „ titur ambitiosæ & inflatæ Constitutioni *Bonifacii* „ *VIII.* Romani Pontificis.

Sed advertere debuerat Delphinensis ille Jurisconsultus, quæstionem illam de Romani Pontificis potestate in temporalia Regum, fidei summam non spectare: Tridentinam Synodum, Professionemque Fidei in Romana Ecclesia receptam, hanc & alias de Ecclesiastica Potestate, & de Pontificiæ Auctoritatis usu quæstiones non attingere: Primatum Romani Pontificis Jure Divino institutum, eique debitam ab omnibus Christianis filialem & Canonicam obedientiam optime cohærere cum improbatione opinionis, quam *Gregorius VII.* de potestate Pontificum in Regum temporalia invexit; & quam alii quidam Pontifices, ac præ cæteris *Bonifacius VIII.* sectati sunt. Gallicanam Ecclesiam, cum Romana Fide & Communione conjunctam, exotica illa opinamenta de indirecta Romani Pontificis & Ecclesiæ potestate in temporalia Regum, & de Pontificis ejusdem supra Concilium Oecumenicum auctoritate, improbare, ac rejicere ut contraria Scripturæ Sacræ ac Traditioni; & tamen Summi Pontificis Primatum credere ac revereri.

Hierarchicam istam Potestatem in Ecclesia Primitiva Romano Pontifici minime tributam *Gentiletus* asserit, quod Nicæna Synodus Episcopum Romanum & Alexandrinum æquales potestate & dignitate fecerit. Sicut enim, inquit, Episcopus Alexandrinus Primas erat & Patriarcha omnium Ægypti, Lybiæ, & Pentapoleos Episcoporum, sic etiam Episcopus Romanus omnium sui Patriarchatus Episcoporum. Profert verba Concilii Nicæni Canone 6. relata in Decreto *Gratiani*, Canone, *Mos antiquus*, Dist. 65.

Verum esto, Nicæna Synodus Alexandrinum Episcopum cum Romano quoad Jura Patriarchica composuerit; non tamen secundum Primatus auctoritatem in oves omnes & Pastores gregis Christi, adeoque in cæteros etiam Patriarchas, ab ipso Christo *S. Petro* & ejus Successoribus Pontificibus Maximis collatum. Hanc enim uni Pontifici Romano, non item Alexandrino convenire; atque a Nicænis Patribus in ipso agnitam Veteres intellexerunt, argumentisque luculentis probatur. Qua de re legi potest 59. Dissertationum nostrarum in Historiam Ecclesiasticam Sæculi 4.

Romanos Pontifices Jus Appellationum, & Jurisdictionem Supremam sibi asseruisse *Gentiletus* ait, easque Appellationes ad Romanam Sedem ab Africana Ecclesia sub Anathematis periculo prohibitas, ut patet ex Canone, *Presbyteri*, 2. Quæst. 3.

Sed fallitur Jurisconsultus Delphinensis. Jus enim Appellationum si in radice sua spectetur, id est, si ratio ipsa consideretur ob quam a cæterorum Episcoporum, Patriarcharumque Sententiis, & ab eorum Synodis, ad Romanum Pontificem appellari potest; jus (inquam) illud in Romani Pontificis Primatu fundatur, ejusque appendix quædam est; quamvis Appellationum usus ac disciplina, Sardicensis Concilii Canonibus approbata, Ecclesiæ praxi ac moribus confirmata sit. Unde falsissimum est, Summos Pontifices jus illud usurpasse. Jus enim quod a Plenaria Synodo Romano Pontifici asseritur, ab eoque universa Ecclesia consentiente & approbante exercetur, usurpatum citra calumniam dici non potest. Sed Jus Appellationum a Plenaria Synodo Sardicensi Romano Pontifici assertum, ab eoque Ecclesia consentiente & approbante, a primis Ecclesiæ sæculis, exercetur. Id itaque Juris usurpatum a Romano Pontifice citra calumniam dici non potest. Hujus probatio doctrinæ repetenda est ex 27. Dissertationum nostrarum in Historiam Ecclesiasticam Sæculi 4. ubi & controversiam Ecclesiæ Africanæ cum Romanis Pontificibus *Zozimo*, *Cœlestino*, & *Bonifacio* explicuimus.

Ecclesiam Romanam aliarum Ecclesiarum Matrem dici non debere, *Gentiletus* contendit, etsi Canones & Constitutiones Romanorum Pontificum id illi nomen tribuant. Etenim, inquit, ex Actis Apostolorum, aut aliis Ecclesiasticis Historiis clarissime patet, quamplurimas Ecclesias in Judæa, Samaria, Asia Minori, & Græcia ab Apostolis, maxime vero a *D. Petro* Antiochenam, ante Romanam Ecclesiam, fuisse plantatas & institutas. Cum igitur Romana fuerit plantata & fata post illas Græcas & Orientales Ecclesias, nequaquam earum Mater dici potest.

Non attendit Jurisconsultus Delphinensis, Ecclesiam Romanam cæterarum *Matrem & Magistram* appellari ratione dignitatis, auctoritatis, & *Potentioris Principalitatis*, propter quam omnem Ecclesiam & eos, qui sunt undique Fideles, ad eam convenire necesse est (ut loquitur *S. Irenæus*) non ratione originis, antiquitatis, & fundationis; siquidem Hierosolymitana, & Antiochena, prius fundatæ sunt quam Romana. Quamvis & ista omnium Occidentis Ecclesiarum utraque ratione Mater sit & appelletur. Similem quæstionem a Constantinopolitano Patriarcha propositam ita solvit *Innocentius* III. Epistola 209. Lib. 2. Editionis Baluzii. *Quæsivisti etiam* (inquit) *cum David de Hierusalem dicat in Psalmis mutatinis*, (Ps. 86. 5.) Sion dicet, Homo & homo factus est in ea, *utpote in qua Christus dignatus est conversari, prædicare pariter & docere ac nostram operari salutem; in ea nostræ poneat fidei fundamenta propter quod Mater debet merito nuncupari, cum ea ea doctrina processerit salutaris, cur mater omnium Ecclesiarum Ecclesia Romana dicatur, quæ ab Hierosolymitana Ecclesia Orthodoxæ Fidei sacramenta recepit, cum Apostolus etiam inquiens se usque ad Illyricum Evangelium prædicasse, quod quasi a Hierusalem inceperit, evidenter ostendat. Licet autem ex præmissis intelligatur & huic inquisitioni responsum, cum Ecclesia Romana Mater dicatur, non ratione temporis, sed ratione potius dignitatis: (Nam etsi secundum Joannem Andreas prius venerit ad fidem quam Petrus, prælatus est tamen Petrus Andreæ, cum & in Apostolorum catalogo semper primus quasi præcipuus præmittatur, non quod Petrus sit prior tempore, sed potior dignitate) ad omnem tamen dubietatem tollendam tua Fraternitas debet distinguere secundum diversas nominis rationes inter Romanam & Hierosolymitanam Ecclesias, quod illa dicenda sit Mater Fidei, ista vero dicenda sit Mater Fidelium, quoniam privilegio dignitatis universis Fidelibus est prælata. Sicut enim Synagoga dicitur Mater Ecclesiæ, quoniam & ipsa præcessit Ecclesiam, & Ecclesia processit ab ipsa: Nihilominus tamen Ecclesia Mater est generalis, quæ novo semper fœtu fœcunda concipit, parit & nutrit; concipit catechizando, quos instruit; parit baptizando, quos abluit; nutrit communicando, quos reficit.*

SCHOLION I.

Hoc in Articulo pag. 229. Religiosi Censores narrationem istam sibi displicere significant: *Fama doctrinæ Gallorum non sine invidia multorum tum Romæ quam Tridenti existentium, quibus eorum propositiones, postulata, sententiæ tum de reformatione Curiæ & abusibus tollendis, cum de variis aliis rebus, anxietatem quamdam pariebant.*

R. Facti veritas est, ex ipso *Palavicino* comperta Lib. 18. Cap. 7. & 13.

SCHOLION II.

Eumdem Articulum, pag. 231. Edit. primæ, censoria hæc nota perstringit: *Plura de Gallis & Hispanis contra Italos, qui sentiebant institutionem Episcoporum non esse de jure divino, ne minueretur Papæ auctoritas.... Admirabilis libertas & sinceritas Gallorum & Hispanorum*, &c.

R. Mere historica sunt, quæ eo loci habentur, nihil refertur præter historiæ fidem.

SCHO-

SCHOLION III.

Eodem in Articulo, pag. 223. Religiosi Censores hæc reprehendunt: *Quidam qui videri volebant columnæ Ecclesiæ, & Sedis Apostolicæ, contradicendi libidina abrepti clamarunt*, &c.

R. Facti veritas est. Verba sunt Cardinalis a Lotharingia in literis ad *Britonem* Eminentiæ suæ a Secretis, & Romæ in rebus Agentem.

SCHOLION IV.

In eodem Articulo pag. 237. Edit. primæ, hæc narratio Religiosis Censoribus displicet: *Dicenti cuidam: Nimium cantat iste Gallus (loquens de Reformatione Curiæ) alius respondit: Utinam ad hujus galli cantum excitaretur Petrus, & fleret.*

R. Ita refert *Palavicinus* Libro 20. Cap. 8. Acumen illud fuit *Petri Danesii* Vaurensis Episcopi, & *Pii quarti* Legatos ad studium Reformationis incitavit, ut idem Historicus Concilii testatur.

SCHOLION V.

In eodem Articulo, pag. 235. Religiosi Censores hanc velut meam Propositionem notant: *Galli consent, hæreticum esse dicere, PAPAM supra Concilium... Mortem potius oppeterent, quam in contrariam sententiam abirent.*

R. Non mea, sed Cardinalis a Lotharingia verba sunt in Epistola ab *Britonem* Secretarium suum & Romæ in rebus Agentem, quam cum Pio Quarto Pontifice Maximo communicari jussit. Quæ ab Auctore historice dumtaxat referuntur, ipsi imputari non debent. Literas illas & Commonitorium Cardinalis a Lotharingia rem ultra exaggerare, & vere Catholicos esse ac haberi ab Ecclesia Gallicana, & a Sacra Facultate Parisiensi, qui contrariam opinionem propugnant, scilicet Romanum Pontificem superiorem esse Concilio generali, observavi Tomo superiori, Dissertatione VIII. eamdemque observationem hic addidi libenter ad marginem, ut Censoribus Religiosis satisfaciam.

SCHOLION VI.

In eodem Articulo, pag. 246. Religiosi Censores hanc propositionem notant: *Exotica ornamenta de auctoritate indirecta Romani Pontificis in temporalia Regum, & supra Concilium improbat, & rejicit Ecclesia Gallicana.*

R. Ecclesiam Gallicanam, cum Romana fida & communione conjunctam, peregrinas illas opiniones rejicere & tamen Summi Pontificis primatum credere ac revereri, facti veritas est.

Nota.

NOn prætereundum aliquos Doctores Gallos nimio studio proprias tuendi opiniones, facillime censuris eas inurere, quæ sibi adversantur. Id videre est dum Cardinalis a Lotharingia tam a veritate aberravit, quando hæreticam dixit sententiam, Concilia Papæ subjicientem; quapropter sanguinem insipientissime quis effunderet pro Conciliis supra Papam evehendis. Ægerrime etiam ferunt Episcoporum jurisdictionem e Papa immediate derivari, quod quam consonum sit veritati, videas in Animadversionibus tom. 3. hac de re habitis. Numquam etiam Natalis indirectam Pontificis in temporalia Principum commemorat potestatem, quin tamquam S. Sacræ Scripturæ, & Divinæ Traditioni adversam execretur, aliisque illam deprimat, ac odio dignam repræsentet. Quousque inter Catholicos innoxie aliqua sententia propugnatur, impugnaturque, optandum sane est particulares Doctores a quacumque censura temperare.

ARTICULUS XIV.

De Sessionis XXIV. Decretis.

Decreta & Canones de Sacramento Matrimonii.

I. SEssio vigesima-quarta celebrata est die undecima Novembris anno 1563. Sacris operatus est *Georgius Cornelius* Episcopus Tarvisinus: Latine peroravit *Franciscus Richardotus* Episcopus Attrebatensis. Duodecim Canones promulgati sunt, cum Decreto Reformationis Matrimonii, decem Capitibus constante. De Clandestinis Matrimoniis irritis reddendis, secundum Gallorum postulata, & de Matrimoniis liberorum absque parentum consensu, diu multumque disputatum est. Varias Patrum de his duobus capitibus sententias refert *Palavicinus* libro 22. cap. 4. & cap. 8. Decreta de clandestinis Matrimoniis, & de filiis familias absque parentum consensu contrahentibus, sæpius reconcinnata sunt, ac sub ea tandem forma promulgata, qua nunc habentur. Major pars his Decretis & Canonibus universis assensa est, sed contrariæ de quibusdam fuerunt sententiæ, gravesque dissensiones. *Moronus* Cardinalis & Legatus dixit, In Canone duodecimo, ubi definitum erat, causas Matrimonium spectantes, ad Ecclesiasticum Judicem pertinere, sibi non probari Anathema, in quo nonnullos asseclas habuit. De clandestino Schedulam hujusmodi tradidit: *Quod spectat ad irrita efficienda Matrimonia clandestina, sequor id quod approbaverit aut improbaverit Sanctissimus Dominus noster, cum de hoc sententias contrarias doctissimorum virorum audierim, & simul noverim, dictum fuisse S. Petro ejusque Successoribus: Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua.* Legatorum alter *Stanislaus Osius* a Sessione absens ob morbum ex quo decumbebat, postridie ad Synodi Notarios hujusmodi scriptum misit: *De Matrimoniis clandestinis sentire sed id, quod hactenus Ecclesia senserat, ea quamvis illicita, non irrita existimata sunt. Eam igitur novitatem sibi non placere, adversantem doctrinæ quam ad id usque temporis acceperat ab Ecclesia, nec novam causam conspici: Si aliter visum fuisset Pontifici, cui petebat ut ea causa committeretur, suum a se judicium subjici Pontificis Judicio. Præterea, novum Canonem a se comprobari, modo intelligeretur secundum Synodi mentem, qua non fuerat ut definiretur, Legem cælibatus esse Legem Ecclesiasticam, de quo ne disputatum quidem fuerat, sed solum ut damnaretur error Lutheri, cum iisdem ipsius verbis, quæ erant: Non obstantibus Lege Ecclesiastica & voto.* Cardinalis *Simonetta* dixit, A se cuncta comprobari excepto decreto de irritis reddendis Matrimoniis clandestinis, cui ex sua conscientia non poterat acquiescere, nisi aliter videretur Pontifici. *Lotharinga* Cardinali displicuit Anathema sexti Canonis, ubi dicitur, Per solemnem vitæ religiosæ professionem solvi Matrimonium non consummatum. Similiter in nono eidem displicuerunt illa verba, *Lege Ecclesiastica*; ea tamen comprobavit, ubi majori parti probarentur, sed secundum veram Concilii mentem, & complures habuit sententiæ suæ quoad utrumque caput suffragatores. Cardinalis *Madruccius* Canoni quarto & sexto dissensit: de nono convenit cum *Lotharinga*: Noluit ut irrita fierent Matrimonia clandestina; Decretum in raptores improbavit. Hierosolymitanus Patriarcha impugnavit acriter quod irrita redderentur Matrimonia clandestina, affirmavitque, propter complurium Patrum repugnantiam, & propter probationum ab ipsis prolatarum evidentiam, id definiri non posse: verumtamen se rem Sedis Apostolicæ judicio remittere. Plures alii, e quibus præcipuos *Palavicinus* Lib. 23. Cap. 9. nominat, Decreto de clandestinis Matrimoniis repugnarunt. Collectis suffragiis, Primus Legatorum elata voce pronuntiavit. *Doctrina & Canones de Sacramento Matrimonii comprobati sunt ab omnibus, sed quidam optarent ut aliquid adderetur aut demeretur. Decretum de clandestinis placuit majori parti Patrum, displicuit plusquam quinquaginta Patribus, inter quos Illustrissimus Cardinalis Simonetta. Sedis Apostolicæ Legatus, Decretum non approbat, se tamen remittens Sanctissimo Domino nostro. Ego etiam Sedis Apostolicæ Legatus Decretum approbo, si a Sanctissimo Domino nostro comprobabitur.*

II. Narrat *Suavis*, Complures capere non potuisse qua ratione definiretur Matrimonia clandestina fuisse vera Sacramenta, & tamen Ecclesiam ea semper fuisse detestatam, cum fieri non possit ut Ecclesia Sacramenta detestetur.

Suavis objectioni respondetur.

Respondetur primo, Numquam declarasse Concilium ea fuisse Sacramenta, adeo ut graves etiamnum Theologi id negent. Secundo, Non posse quidem Ecclesiam detestari Sacramenta per se spectata secundum naturam Sacramenti, sed ex illicitis conditionibus. Sicut si quis Eucharistiam consecraret extra Altare, & sine Ritibus ab Ecclesia præscriptis, conficeretur verum Sacramentum, & tamen facinus detestabile patraretur. Et si quis simplici voto castitatis obstrictus Matrimonium contrahit, conjunctio illa verum Sacramentum est, & nihilominus peccatum est, Ecclesiæ detestabile, quæ cuncta peccata dete-

detestatur, Nihil ergo repugnat, quominus Ecclesia clandestina Matrimonia, quæ semper illicita fuerunt, detestata sit, quamvis Sacramenta fuissent.

Damnati non sunt ut hæretici qui matrimonia ob adulterium ipso dissolvi asserebant.

III. Septimus Canon paratus fuerat cum Anathemate in eum qui diceret, Matrimonia consummata ob adulterium dissolvi; sed Oratores Veneti exposuerunt Patribus, Canone ita concepto inferri posse non modicam offensionem Græcis in subjectis Reipublicæ locis degentibus, scilicet in Insulis Cretæ, Cypri, Corcyræ, Zacintho, Cephaleniæ, &c. qui quamvis ritu suo viverent, tamen Præsulibus a Romano Pontifice assumptis obtemperarent, Satis enim constare, id in more apud Græcos positum, ut uxorem adulteram deserant, & aliam ducant, nec propterea illos damnatos, aut Anathemate percussos ab ulla Synodo Œcumenica, non a Lugdunensi 2. non a Florentina, etiamsi Romanæ & Catholicæ Ecclesiæ mos hujusmodi liquido innotuisset. Quamobrem Canon ita lenitus est, ut notam hæresis opinioni contrariæ, quam Græci sectabantur, non inureret, sed Anathema dumtaxat infligeret iis, qui Ecclesiam temere in eo vituperarent, quæ optimis suis fundamentis eam doctrinam, tametsi non tamquam Fidei dogma, tradit. Hoc itaque verborum tenore Canon prolatus est: *Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum docuit & docet juxta Evangelium & Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum Matrimonii vinculum non posse dissolvi, & utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse altero conjuge vivente aliud Matrimonium contrahere, mœcharique eum, qui dimissa adultera aliam duxerit, & eam quæ dimisso adultero alii nupserit, Anathema sit.* Refert, *Palavicinus* Libro 22. c. 4. ex Actis Arcis Æliæ, ex Actis *Paleotti*, & Salmanticensis Episcopi.

Gentileti objectionibus adversus Canones Sessionis 24. respondetur.

IV. Hanc Sessionem objectionibus nonnullis perstringit *Gentiletus*, & in primis Canonem 3. quo Anathema impingitur ei qui dixerit, *Eos tantum consanguinitatis & affinitatis gradus, qui in Levitico exprimuntur, posse impedire Matrimonium contrahendum & dirimere contractum, nec posse Ecclesiam in nonnullis dispensare, aut constituere, ut plures impediant & dirimant.* Hoc Canone, inquit, Tridentini Patres Ecclesiæ, hoc est, Papæ & Sedi Romanæ, potestatem tribuunt a Juris Divini observatione solvendi; jusque suæ illius potestatis supra Deum ipsum extendendæ.

Levit, 18.

Respondetur, Leges de Matrimoniis, Judæorum populo in Levitico latas Christianos non obligare, nisi vel in Evangelio renovatæ sint, vel Juris esse naturalis probentur, vel ab Ecclesia aut Principibus de novo sint conditæ. Siquidem Lex Mosaica antiquata est & abolita, non solum ratione Ceremonialium & Judicialium, sed & Moralium Præceptorum, quæ ipsius propria erant, non autem Lege naturali sancita. Porro Leviticæ Leges de gradibus consanguinitatis & affinitatis respectu Matrimonii contrahendi prohibitiæ, non sunt in Evangelica Lege renovatæ, nec ad naturæ Legem spectant omnes. Non obligant igitur Christianos quatenus Matrimonia inter consanguineos in quocumque gradu ibi expresse prohibent, verbi gratia, cum relicta fratris. Id igitur Matrimonii impedimentum dirimens est, quia Ecclesiæ Lege positum, non quia in Levitico præscriptum: Porro Ecclesia de Legibus a se latis dispensare potest. Plura de hoc argumento legi possunt apud *Franciscum Victoria* Theologum Parisiensem, & in Academia Salmanticensi Professorem Primarium, Relectione 7. *de Matrimonio*. Frustra vero Tridentino Canoni *Gentiletus* opponit Canonem *Conjunctione* 35. Quæst. 2. ex quo quidem probatur illicitas esse conjunctiones consanguineorum in certis gradibus quos vel lex ipsa naturæ prohibet, vel Ecclesia, quin & sæculi Principes prohibuerunt: Sed ex iis quædam sunt illicitæ, quia ex se & ab intrinseco sunt ita inhonestæ, & naturæ Legi repugnantes, ut nullo casu, nullaque circumstantia posita, licitæ & honestæ fieri possint, uti nec adulterium & fornicatio, verbi gratia, conjunctio & matrimonium filii cum matre aut patris cum filia, vel fratrum cum sororibus post primam generis humani propagationem. Quædam vero sunt ita illicitæ, ut tamen naturæ Legi per se non repugnent, & gravissimis causis concurrentibus honestæ evadere queant, majorique bono compensari, adeoque ab Ecclesia, cujus est & jus Divinum interpretari & de Juris Canonici Sanctionibus dispensare, cognita causa permitti, extra primum gradum consanguinitatis & affinitatis; quamquam hujusmodi dispensationes raro concedi voluerit Tridentina Synodus. „ In contrahendis (inquit) Matrimoniis vel nul„ la omnino detur dispensatio, vel raro; idque ex „ causa, & gratis concedatur. In secundo gradu „ nunquam dispensetur, nisi inter magnos Principes, „ & ob publicam causam, Unde cum Jure antiquo Matrimonia consanguineorum usque ad septimum gradum prohibita essent, *S. Gregorius* cum Anglis recens ad Fidem per *Augustinum* Episcopum Sanctissimum conversis dispensavit, ut in quarta vel quinta generatione copularentur; & tandem Concilium Oecumenicum Lateranense IV. sub *Innocentio III.* prohibitionem conjugii ad quartum consanguinitatis & affinitatis gradum restrinxit, ut constat ex Cap. *Non debet*, Extra, *De Consanguinitate & Affinitate*.

V. Canonem VII. impugnat subinde *Gentiletus* quo Anathemate confinguntur, qui dixerint, „ Ecclesiam „ errare, cum docet, juxta Evangelicam & Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius con„ jugum Matrimonii vinculum non posse dissolvi & „ utrumque vel etiam innocentem qui causam adulte„ rio non dedit, non posse, altero conjuge vivente, a„ liud Matrimonium contrahere. Hunc Canonem manifeste repugnare ait non modo Jesu Christi Evangelicæ Legi, qua diserte adulterii causa divortium fieri posse sancitum est, sed vetustissimo etiam Canoni, Concilii 1. Arelatensis, quo docetur, persuasione quidem utendum, sed non prohibitione, apud eum, qui uxorem in adulterio deprehenderit, ne alteram ducat.

Cap. 10.

Respondetur, Canonem illum Tridentinum Evangelicæ & Apostolicæ Legi plane consonum esse ut constat ex verbis Christi Matthæi 5. & 19. cum Marci 10. Lucæ 16. & 1. ad Corinthios cap. 7. collatis. Sic enim Matthæi 5. „ Dictum est autem: Quicum„ que dimiserit uxorem suam, det ei libellum repu„ dii. Ego autem dico vobis. Quia omnis qui dimi„ serit uxorem suam, excepta fornicationis causa, „ facit eum mœchari; & qui dimissam duxerit, a„ dulterat, *Matthæi* 19. Accesserunt ad eum Phari„ sæi tentantes eum, & dicentes: Si licet homini di„ mittere uxorem suam, quacumque ex causa? Qui „ respondens ait: Non legistis, quia qui fecit homi„ nem ab initio, masculum & fœminam fecit eos, & „ dixit: Propter hoc dimittet homo patrem & ma„ trem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in „ carne una, Itaque jam non sunt duo, sed una ca„ ro, Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet. „ Dicunt illi: Quid ergo Moyses mandavit dare li„ bellum repudii & dimittere? Ait illis, Quoniam „ Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis di„ mittere uxores vestras, ab initio autem non fuit „ sic. Dico autem vobis quia quicumque dimiserit u„ xorem suam nisi ob fornicationem & aliam duxe„ rit, mœchatur, Quæ quidem exceptio, *Nisi ob fornicationem*, ad solam dimissionem uxoris refertur, ut scilicet ob fornicationem dumtaxat liceat absolute & in perpetuum uxorem a se dimittere, atque ex thoro & domo ejicere: Non autem ad conjugium cum altera, quasi licitum sit, cum prior ob adulterium dimissa est. Hunc locum sic intelligendum patet, ex locis parallelis, Marci 10. ubi Christus absolute pronuntiat: „ Quicumque dimiserit uxorem suam, & aliam du„ xerit, adulterium committit super eam, Et si uxor „ dimiserit virum suum, & alii nupserit, mœchatur. „ *Et Lucæ* 16. Omnis qui dimittit uxorem suam, & „ alteram ducit, mœchatur; & qui dimissam a viro „ ducit, mœchatur: *Tum Apostolus Evangelicam Le„ gem exponens* 1. *ad Corinthios* 7. Iis autem, *ait*, „ qui Matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed „ Dominus, uxorem a viro non discedere: quod si „ discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconci„ liari. Et vir uxorem non dimittat. *Et infra*: Mu„ lier alligata est Legi quanto tempore vir ejus vi„ vit, Quod si dormivit vir ejus, liberata est, cui „ vult nubat, tantum in Domino. Atque ita Christi sententiam explicant *Clemens Alexandrinus* Lib. 2. Stromatum in fine, *Origenes* Tom. 14. Commentariorum in Matthæum ad Cap. 19. pag. 363. Edit. Rothomag. Doctissimi *D. Huetii* nunc Illustrissimi Abrincensium Episcopi. *S. Chrysostomus* Homilia 17. in Matthæum, & Homilia 19. in 1. ad Corinthios, *S. Hieronymus* in Cap. 19. S. Matthæi, & in Epitaphio Fabiolæ. *S. Augustinus* passim, Lib. 1. & 2. *De Adulterinis Conjugiis*, Lib. *De Bono conjugali*, Cap. 7. & Lib. 1. *De Sermone Domini in Monte*, Cap. 14. & 16. *Innocentius I.* Epistola 3. ad Exuperium, Concilium Milevitanum Canone 17. &c. Quamvis autem difficillima illa quæstione nondum plane eliquata, varia disciplina fuerit, cujus varietatis vestigium, & Arelatensis Concilii Canone, & in aliis sublucet, Græcique etiam cum

Roma-

Romana Ecclesia Fide & communione conjuncti morem solvendi conjugia propter fornicationem retinuerint; Qua de causa Tridentina Synodus Anathemate non confixit eos qui conjugia propter fornicationem dirimerent, sed qui dicerent Ecclesiam errare, cum docet juxta Evangelicam & Apostolicam Legem non esse dirimenda: Nihilominus Evangelicæ Legi plane consona est Concilii Tridentini Doctrina, & Ecclesiæ Disciplina, & Tridentini Patres Canonem suum condiderunt ad exemplum Synodi Milevitanæ, cujus Canon 17. in Codice Canonum Ecclesiæ Africanæ, cap. 102. descriptus, & relatus C. *Placuit* 37. Quæst. 7. his verbis conceptus est: *Placuit, ut secundum Evangelicum & Apostolicam Disciplinam, neque dimissus ab uxore, neque dimissa a marito, alteri conjungantur; sed ita maneant, aut sibimet reconcilientur. Quod si contempserint, ad Pœnitentiam redigantur. In qua causa Legem Imperialem petendam promulgari.*

VI. Canonem IX. impugnat *Gentiletus*, quo Anathemate configitur, qui dixerit, *Clericos in Sacris Ordinibus constitutos, & Regulares castitatem solemniter professos, posse Matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante Lege Ecclesiastica*. Historiam *Paphnutii*, aliaque leviora contra cœlibatum Sacrorum Ministeriorum objicit; in quibus refellendis non immoror, cum eorum confutatio peti possit ex Dissertatione nostra *De Historia Paphnutii cum Nicæno Canone III, conciliando, & de Sacrorum Ministrorum cœlibatu* (in Libro cui titulus est, *Dissertationum Ecclesiasticarum Trias.*) Quæ contra Decreta de Reformatione Matrimonii *Gentiletus* objicis, leviora sunt, faciléque diluuntur, illa cum antiquis Canonibus conferendo.

Nunc Dissertatio est 19. in Historiam Sæculi 4.

VII. Decreto de Matrimonii Reformatione confecto, Synodus generalis emendationis materiam prosecuta, capitibus uno & viginti disciplinam sanxit. Eorum summam hic non exhibemus, tum quia Concilium Tridentinum in manibus omnium versatur, tum quia in Synopsi, Cap. de Politia Ecclesiastica, data occasione aliqua delibavimus. Hic solum aliqua commemoranda, quæ ad Historiam pertinent.

Decreta Sessionis 24. de Reformatione.

Cum de Reformatione Principum Articuli propositi fuissent, *Ferdinandus* Imperator & *Carolus IX.* Rex Christianissimus intercessere. Ad *Moronum* Legatorum Principem scripsit Cæsar, Se numquam assensurum, ut in Concilio verba fierent de Reformanda Regum Jurisdictione vel de auferenda ipsis Auctoritate, qua auxilia & contributiones a Clero obtinerent; magnamque malorum Germaniæ partem in Virorum Ecclesiasticorum oppressiones contra populos & Principes tentatas, velut in causam refundebat. Rex autem Christianissimus Oratoribus suis significavit, Sibi perspectum esse, Legatus iis Articulis omnem Auctoritatem, omniaque jura & prærogativas Regibus ac Principibus auferre velle, & per Anathematismos & Excommunicationes occasionem populis præbere defectionis ac rebellionis. Porro manifestum esse omnibus, potestatem Patrum & Concilii nonnisi ad reformationem Ordinis Ecclesiastici, a quo prodierant scandala, ob quæ Novatores ab Ecclesia Romana defecerant, pertinere, quam nihilominus Synodus leviter attingebat, non vero ad Status ac Jurisdictionis sæcularis Reformationem, quæ ab Ecclesiastica prorsus distincta est, & in temporalibus independens. Quamobrem iisdem Oratoribus dedit in Mandatis, ut de his Patres commonerent, hortarenturque ut ab istiusmodi conatibus cessarent, in maximum dissidium erupturis. Tum intercessione facta omnibus circa propositos de Reformatione Principum Articulos decernendis, Venetias sese reciperent: ac nihilominus Gallicanis Præsulibus denuntiarent, ut si quid in deliberationem adduceretur, quod Juribus, Privilegiis, & Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ adversaretur, continuo discederent, non expectato rerum propositarum judicio. Id cum Legatis significassent Christianissimi Regis Oratores, rumorque per Concilium sparsus esset, centum circiter Episcopi Legatos convenerunt, urgentes ut Articuli de Reformatione Principum proponerentur; protestati se aliis de rebus non dicturos sententiam, nisi de his pariter deliberaretur, Romam interim profecto Cardinali *Lotharingo*, cum in Congregatione habita 22. Septembris quidam Patrum de Reformatione Principum verba fecisset, utque hanc spectantes Articuli proponerentur, postulasset, *Ferrerius* ad exequenda Regis Mandata gravem ac vehementem ad Synodum Orationem habuit, qua Gallicanæ Ecclesiæ Libertatibus, Moribus, Legibus commendatis ac vindicatis, Regem duo mirari dixit: Primum, Tridentinos Patres, quorum Ecclesiasticam in ministerio Dei potestatem maximam agnoscebat, colebat, suscipiebat, quique tantum restituendæ Disciplinæ Ecclesiasticæ causa convenerant, re infecta, ad eos, quibus etiam dyscolis obediendum, & pro illis semper orandum est, studia sua transtulisse. Alterum, quod Reges & Principes qui qualescumque sint, & a Deo sunt, & a Deo hominibus dantur, primo quoque tempore, ac sine ulla præcedenti monitione, possint vel debeant excommunicari, aut anathematizari. Itaque a Patribus Regem petere, ut nihil contra Majorum suorum Leges, nihil contra suam Auctoritatem, Gallicanæque Ecclesiæ Libertatem decernerent. Si contra niteretur, jussisse Oratores suos intercedere, uti nunc intercedebant. Sin placeret, omissis Regibus, in id tantum serio incumbere, cujus causa convenerant, quodque totus orbis Christianus ab ipsis expectabat, id sibi gratissimum fore, jubereque ut iidem Oratores eorum studia & conatus juvarent. Hæc *Ferrerii* Oratio, quæ maximum fragorem excitavit, cum ejusdem Apologia, edita est in Commentariis Rerum ad Synodum Tridentinam spectantium a *Puteano* collectis, p. 490. & sequentibus. Cæterum Oratoris sui Intercessionem Rex Christianissimus comprobavit, & laudavit, ut constat ex Majestatis ejus Literis ad Cardinalem *Lotharingum*, & ad suos Oratores, & ex Literis ejusdem Cardinalis ad Regem & Reginam Matrem ibidem editis. Illos autem Articulos de Reformatione Principum propositos, sed non admissos neque decretos, legere potes in laudatis Commentariis *Puteani*, p. 580.

Articuli de Reformatione Principum propositi, non decreti vel dimissi.

VIII. Cum de Reformatione ferrentur suffragia, *Bartholomæus de Martyribus* Archiepiscopus Bracarensis ex Ordine FF. Prædicatorum assumptus, paulo antea reversus Roma, *Pium IV.* Pontificem Maximum, Sanctissimumque ejus Nepotem *Borromæum* Cardinalem, summopere commendavit, eorumque summum disciplinæ reparandæ studium laudibus extulit. Quod pariter præstitit *Lotharingus* Cardinalis. Hic vero, promulgatis Decretis, hanc suo, omniumque Gallicanorum Præsulum nomine Contestationem edidit. *Cum audiusterius meam de Reformationis Articulis dicerem sententiam, præfatus sum etiam me valde cupere, ut prisca illa Ecclesiastica restitueretur Disciplina: sed cum his corruptissimis temporibus & moribus intelligam non posse ea, quibus maxime opus est, protinus adhiberi remedia, interim assentiri & probare ea quæ nunc sunt decreta: Non quod ea judicem satis esse ad integram ægrotatis Reipublicæ Christianæ curationem, sed quod sperem his prius lenioribus fomentis adhibitis, cum graviora medicamenta pati poterit Ecclesia, Pontificem Maximum, & maxime Sanctissimum Dominum nostrum PIUM, pro sua insigni pietate & prudentia diligenter curaturum, ut ea, quæ desunt, implens, & efficaciora inveniens remedia, in usum vetera, jamdiu abolitis, revocatis Canonibus, & maxime quatuor veterum illorum Conciliorum, quæ, quantum fieri poterit, observanda censeo; vel, si expedire videbitur, frequentiori Oecumenicorum Conciliorum celebratione, morbum ab Ecclesia propulsans, eam suæ pristinæ restituat sanitati. Hanc autem meam mentem & sententiam, tum meo, tum omnium Galliæ Episcoporum nomine in Acta referri volo, & ut id fiat a Notariis peto & postulo.*

Protestationes Cardinalis a Lotharingia.

Ad Caput quintum de criminosis Episcoporum caussis a solo Summo Pontifice cognoscendis & finiendis dixit: *Si habita ratione temporum hoc Decretum placet Patribus, id mihi quoque hoc nomine magis placet, quod cum eis in Congregatione heri habita visum sit Privilegiis Principum non esse derogandum, hoc ita est conceptum, ut Christianissimi Franciæ Regni Privilegiis, Juribus, & Sacris Constitutionibus nihil præjudicii afferat. Quod quidem mihi placere lubens profiteor, & tum meo, tum Episcoporum Franciæ nomine a Notariis peto & postulo ut in Acta referatur.*

Ad vigesimum de ratione tractandi causas ad Forum Ecclesiasticum pertinentes, dixit: „ Placet quidem ut
„ iis Nationibus, quibus nondum fuerat concessum,
„ concedatur ut apud eas prima terminetur instantia;
„ maxime cum id nihil præjudicii afferat iis Nationi-
„ bus, quæ eo Privilegio, & aliis majoribus longis-
„ simo abhinc tempore sunt usæ, & maxime Chri-
„ stianissimo Franciæ Regno: quod quidem omnibus
„ testatum esse volo, & tum meo, tum omnium
„ Franciæ Episcoporum nomine, a Notariis peto &
„ postulo ut in Acta referatur. „ Hæ Declarationes & Protestationes editæ sunt in *Puteani* Commentariis, pag. 571.

IX. Leguntur ibidem pag. 573. & sequentibus Observationes atque Animadversiones Oratorum Regis Christianissimi in Articulos Reformationis in eadem Sessione conditos, in quibus de duobus Capitibus, quæ

Observationes Oratorum Regis Christianissimi ad Articulos Reformationis Sessione 24. editos.

Contestatione sua perstringis *Lotharingus* Cardinalis, hæc habentur: *Caput quod incipit*, CAUSÆ CRIMINALES, *non placet. Adversatur enim antiquissimo Juri Regis, & Ecclesiæ Gallicanæ Privilegiis quibus cavetur, ne quis, etiam volens, extra Regnum in quoquam eu quacumque causa in Jus vocari, nedum condemnari possit.* Et infra: *Quod de Judiciis Beneficiorum & aliarum causarum hic traditur, non possumus probare: pugnat siquidem cum Jure Regis, & Privilegiis Ecclesiæ Gallicanæ, quibus tuetur illarum causarum possessorium a Judicibus Regis, petitorium autem ab Ecclesiasticis, non alibi tamen quam in ipso Regno judicetur.*

IX. Sextum Caput Reformationis propositum & conscriptum fuerat de Capitulorum Immunitatibus abrogandis, aus certe moderandis, cujus eaemplar in laudatis Commentariis *Pateani* legere est pag. 577. Idque ab Hispanis Episcopis & bonis omnibus vehementer efflagitatum ex ea tantum causa rejectum narrat *Pibracus* Christianissimi Regis in Synodo Orator, quod non placuit Exemptiones a Romanis Pontificibus Canonicorum Collegiis concessas, etsi ex iis maxima incommoda proficiscantur, ab alio quam a Romano Pontifice tolli aut minui posse. Verum hac in Sessione Decretum illud non omnino rejectum est, sed in sequentem remissum, in qua summa concordia receptum est.

Particula, Proponentibus Legatis, explicata.

X. Particula, *Proponentibus Legatis*, quæ tantum fragurem excitaverat, postulantibus identidem Hispanis, & Cæsare per Oratores urgente ut deleretur, vel explicaretur, Capite 21. exposita est. Declaravit nempe Sancta Synodus, *Mentis suæ non fuisse, ut ea prædictis verbis solita ratio tractandi negotia in Generalibus Conciliis ulla ex parte immutaretur, neque novi quidquam, præter id quod a Sacris Canonibus, vel Generalium Synodorum forma hactenus statutum est, cuiquam adderetur, vel detraheretur.* Qua Declaratione Imperatori, & Principum Oratoribus factum est satis, & Patrum Oratorumque libertati, quæ in hac Synodo maxima fuerat, in futuris Conciliis prospectum est, ut quemadmodum Tridenti, hac particula non obstante, a proponendi Jure omnino exclusi non fuerant, ita in Synodis deinceps celebrandis ab eo jure non excluderentur, servato tamen ordine a Sacris Canonibus & forma Generalium Synodorum præscripto. Unde perperam *Suavis* hoc Decretum sugillat.

SCHOLION I.

Hunc Articulum pag. 255. perstringit Censoria illa Animadversio: *Innuit Principes posse reddere illicitas quasdam conjunctiones Matrimoniorum.*

R. Quamvis innuam Principes illicitas reddere posse quasdam conjunctiones Matrimoniorum, non tamen invalidas; nec absque Ecclesiæ eorum Leges approbantis ac suscipientis auctoritate. Sane quod ab Ecclesia vetitum est, suis etiam Constitutionibus Principes prohibere possunt; & ita duplici nomine illicitum erit, primo quia prohibitum est ab Ecclesia; secundo quia prohibitum est a Principe.

SCHOLION II.

Eumdem Articulum, pag. 262. Religiosi Censores perstringunt his verbis: *Vide quæ dicit de Jure proponendi in Concilio Legatis concesso.*

R. Quidquid eo loci legitur, res est Historiæ, præter cujus fidem ac leges nihil refero.

SCHOLION III.

Pag. 264. Hæc narratio Religiosis Censoribus displicet: *Articuli de Reformatione Principum sunt propositi, non admissi, neque decreti: quia Galli voluerunt ut Concilium solum tractaret de Reformatione Ecclesiæ.*

R. Et Cæsaris, & Christianissimi Regis Oratorum intercessio effecit, ne propositi de Reformatione Principum Articuli admitterentur. Facti veritas est quam & *Palavicinus* ipse in Historia Concilii Tridentini confirmat.

Nota.

Quid Principes decernere valeant circa matrimonia celebranda, expendi alibi. Possunt etiam, expostulante Ecclesia ipsorum auxilium, propriis legibus Ecclesiæ decreta communire, ut ita Ecclesiastica Disciplina sarta tectaque servetur: Primum autem leges, quæ Ecclesiæ sunt, decernentes, ex eo robur habere dicit Natalis in primo Scholio, quia eas sua auctoritate approbat; ac suscipit Ecclesia.

ARTICULUS XV.

De Sessionis XXV. Decretis, & Concilii fine.

I. Sessio vigesima-quinta celebrata est die quarta Decembris anni 1663. Sacris operatus est *Zambeccarus* Sulmonensis Episcopus, Latine concionatus est *Hieronymus Ragazzonus* Venetus, Episcopus Nazianzenus, & Coadjutor Salaminensis. Decreta de Purgatorio, de invocatione, veneratione, & Reliquiis Sanctorum, ac Sacris Imaginibus edita sunt.

Hæc, Objectiunculis suis *Gentiletus* perstringit, suamque in rebus Theologicis prodit ignorantiam ac temeritatem, calumniandique libidinem, cum, verbi gratia, Romanæ Communionis Theologis affingit, quod *Peccata quælibet, seu levia, seu immania, in Purgatorio expiari contendant, & pro singulis peccatis mortalibus diluendis per septem annos cruciatus & tormenta Purgatorii esse ferenda*; & falso Glossam citat in Canonem, *Sunt plures de Pœnitentia*, Dist. 3. quæ nihil hujusmodi habet, sed septennem pœnitentiam in hac pro mortalibus peccatis infligendam solum ait. *S. Augustinum* Purgatorium asseruisse fatetur *Gentiletus*, & hanc sententiam jam tum multos habuisse applausores; sed in hoc sibi ab ejus sententia recedere integrum esse procaciter ait, ut quæ verbo Dei non innitatur. Inter humanæ labilitatis notas in *B. Augustino* esse duas audacter asserit; istam de Purgatorio & alteram qua asseruit infantes sine Baptismo vita functos æternæ damnationi immersos esse. Sed summæ cæcitatis est inter notas humanæ labilitatis recensere doctrinam, quam ante *S. Augustinum* Ecclesia ceu dogma Fidei ab Apostolis traditum semper habuit, prædicavit, propugnavit, sententia, quæ Purgatorium negaret in *Aerio* hæresos universali consensu damnata; ut constat ex *S. Epiphanio* Hæresi 75. & quam contra Pelagianos defendit, & Synodis suis ubique Christianarum gentium receptis eadem firmavit Ecclesia, notam hæreseos huic eorum assertioni inurens, Quod Infantes absque Baptismo defuncti vitam æternam habituri nihilominus essent. Cætera quæ Delphinensis ille Jurisconsultus contra Decreta Concilii, de invocatione Sanctorum, de veneratione Reliquiarum & Sacrarum Imaginum, de ciborum delectu, & jejuniorum disciplina objicit, facile dilui possunt ex Dissertationibus nostris scilicet ex 44. in Historiam Ecclesiasticam Sæculi 4. quæ dogma Catholicum de Purgatorio defendit adversus *Aerium*. Ex Dissertatione ad. seu 5. τῆς ΠΑΝΟΠΛΙΑΣ adversus Hæreses Sæculi V. adversus hæresim *Vigilantii* qua etiam recentiorum Hagiomachorum errores *Joannis Dallæi* præsertim libris *De Religioso cultus objecto*, defensi, refelluntur & evertuntur: Sacrarum Reliquiarum veneratio, Sanctorum cultus & invocatio propugnantur. Ex dissertatione 6. *De Imaginibus, adversus veteres novosque Iconomachos*, ac præsertim contra libros quatuor *Joannis Dallæi* Calvinistæ ministri, (in Panoplia adversus Hæreses 8. Sæculi) & Dissertatione 4. in Historiam Ecclesiasticam Sæculi 11. *De Jejuniis Montanistarum & Catholicorum, adversus librum Joannis Dallæi, de Jejuniis & Quadragesima.*

Decreta de disciplina Regularium.

II. Post Decreta Dogmatica, Sanctiones viginti duæ de Regularium disciplina promulgatæ. *Lotharingus* Cardinalis Regulares in Synodo laudibus extulit, testatus tria Regularium millia in Gallia paucorum mensium spatio crudele martyrium passos fuisse, quod obedientiam Romano Pontifici debitam abjurare noluissent. Quapropter uti cæterorum Clericorum immunitatem ab Episcopis plurimum improbabas, ita Regularium Privilegia illæsa præstarent, Patres hortabatur. Refert *Palavicinus* ex Actis Concilii, Lib. 24. Cap. 3. Paratus fuerat Canon, quo vetaretur Professionem Religiosam ante annum decimum octavum emittere, sed Pragensis Archiepiscopus Patres ab eo consilio abduxit, satius esse asserens ut probationis tempus ad duos annos produceretur; ita tamen ut fas esset anno decimo sexto vota solemni ritu Deo nuncupare

pare. Aliud incommodum exposuerat Archiepiscopus Granatensis. Nimirum cum fas esset puellæ anno duodecimo nubere si postea ante Matrimonium consummatum vellet Religiosam vitam profiteri, necessarium fore ut vir sex annos cœlibem vitam agat, & aliam uxorem non ducat, cum hujusmodi conjugium solemni dumtaxat voto dissolvi possit. Quare tum illis, tum aliis juri communi standum videbatur, nec ulla novitas inducenda. Sed tandem in illud temperamentum conventum est, ut Professio Religiosa non fieret ante decimum sextum annum expletum. Decreta de generali Reformatione viginti & unum promulgata sunt: Decretum de Principibus in eam formam redactum est, quæ nemini displiceret, cum solam admonitionem & adhortationem erga ipsos Synodus adhiberet. His quippe verbis conceptum est: „ Cupiens Sancta Synodus Ecclesiasticam Disciplinam in Christiano Populo non solum restitui, sed etiam perpetuo sartam tectam a quibuscumque impedimentis conservari; præter ea quæ de Ecclesiasticis personis constituit, sæculares quoque Principes officii sui admonendos censuit, confidens eos, ut Catholicos, quos Deus SANCTÆ FIDEI ECCLESIÆQUE PROTECTORES ESSE VOLUIT, jus suum Ecclesiæ restitui, non tantum esse concessuros, sed etiam subditos suos omnes ad debitam erga Clerum, Parochos, & Superiores Ordines reverentiam revocaturos; nec permissuros ut Officiales aut inferiores Magistratus, Ecclesiæ & Personarum Ecclesiasticarum immunitatem, Dei ordinatione & Canonicis Sanctionibus constitutam aliquo cupiditatis studio seu inconsideratione aliqua violent; sed una cum ipsis Principibus debitam Sacris Summorum Pontificum & Conciliorum Constitutionibus observantiam præstent. Decernit itaque & præcipit, Sacros Canones & Concilia Generalia omnia, necnon alias Apostolicas Sanctiones, in favorem Ecclesiasticarum Personarum, libertatis Ecclesiasticæ, & contra ejus violatores editas, quæ omnia præsenti etiam Decreto innovat, exacte ab omnibus observari debere. Propterea que admonet, Imperatorem, Reges, Respublicas, & Principes, & omnes & singulos cujuscumque status & dignitatis extiterint, ut quo largius bonis temporalibus atque in alios potestate sunt ornati, eo sanctius, quæ Ecclesiastici Juris sunt, tamquam Dei præcipua, ejusque patrocinio tecta venerentur; nec ab ullis Baronibus, Domicellis, Rectoribus, aliisve Dominis temporalibus seu Magistratibus, maximeque Ministris ipsorum Principum, lædi patiantur; sed severe in eos, qui illius libertatem, Immunitatem atque Jurisdictionem impediunt, animadvertant: quibus etiam ipsimet exemplo, ad pietatem, Religionem, Ecclesiarumque protectionem existant; imitantes anteriores optimos Religiosissimosque Principes, qui res Ecclesiæ sua imprimis auctoritate ac magnificentia auxerunt, nedum ab aliorum injuria vindicarunt. Adeoque ea in re quisque officium suum sedulo præstet: quo cultus divinus devote exerceri, cæterique Clerici in residentiis & Officiis suis quieti, & sine impedimentis, cum fructu & ædificatione Populi permanere valeant. „ Id Decretum duo e Patribus improbarunt tamquam inefficax, & speciosis tantummodo verbis contextum, ut refert *Palavicinus* Lib. 24. Cap. 7.

Admonitio Principum.

Addita est in fine horum Decretorum declaratio, qua denuntiatur, „ Omnia & singula sub quibuscumque clausulis & verbis, quæ de morum Reformatione, atque Ecclesiastica Disciplina, tam sub Paulo III. ac Julio III. quam Pio IV. Pontificibus Maximis in hoc Sacro Concilio statuta sunt, ita decreta fuisse, UT IN HIS SALVA SEMPER AUCTORITAS SEDIS APOSTOLICÆ ET SIT, ET ESSE INTELLIGATUR. „ Quæ declaratio duobus tantum Patribus non placuit, quorum alter diversas voces istarum loco postulabat, alter eam esse supervacaneam opponebat, quippe sua natura in omni Decreto intellectam, & idcirco in præteritis Conciliis haud usurpatam.

Auctoritas Sedis Apostolicæ in omnibus Decretis semper salva.

III. Ejusdem Sessionis prorogatio in posterum diem 4. Decembris indicta est, quo solemne sacrificium obtulit *Nicolaus Maria Caracciolus* Catanensis Episcopus. „ Decretum de Indulgentiis promulgatum est, „ quo Sacra Synodus illarum usum Christiano Populo „ maxime salutarem, & Sacrorum Conciliorum Auctoritate probatum, in Ecclesia retinendum esse docet & præcipit: Eosque Anathemate damnat, qui aut inutiles asserunt, vel eas in Ecclesia concedendi potestatem esse negant. In his tamen concedendis moderationem, juxta veterem & probatam in Ecclesia consuetudinem, adhiberi, cupit; ne nimia facilitate Disciplina Ecclesiastica enervetur. „ Cæterum Indulgentias a nobis definiri Thesaurum ex Sanguine & meritis Domini nostri Jesu Christi, Martyrum sanguini permixto conflatum, *Gentiletus* comminiscitur. De Indulgentiis nihil hujusmodi tradit Catholicæ Fidei professio, nihil habet Tridentina Synodus. Hunc Thesaurum (siquidem id nomen in Scholis invaluit) solo Christi Sanguine, sola ejus satisfactione & meritis quoad pretium redemptionis, quoad vim & efficaciam solutionis pro peccatis nostris, pœnisque ipsis divino judicio debitis constare docemus; sanctorum merita & satisfactiones in eo Thesauro includi, ut vim habentia commendationis, & suffragii ad impetrandam nobis Sanguinis Christi, & satisfactionis ejus applicationem, non per modum pretii, ac solutionis, quasi cum Sanguine Christi pretium nostrum componant; aut ad cumulum satisfactionis ejus pro peccatis nostris accedant. Atque illam ipsam impetrandi vim hauriunt ex Christi Sanguine & quatenus eorum satisfactiones, ipsius satisfactioni ac meritis innituntur. Quam Doctrinam *S. Leonis* insigni testimonio confirmamus, Epistola 134. Editionis postremæ, ad *Leonem Augustum* data. „ Effusio enim, *inquit*, pro „ injustis Sanguinis Christi tam fuit dives ad pretium, „ ut si universitas captivorum in Redemptorem suum „ crederet, nullum diaboli vincula retinerent, quoniam sicut Apostolus ait: *Ubi abundavit peccatum, superabundavit & gratia*, . . . *Quis est*, ut ait Apostolus, *qui tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostia Deo in odorem suavitatis*? Aut quod umquam Sacrificium sacratius fuit, quam quod verus & æternus Pontifex altari crucis per immolationem suæ carnis imposuit? Quamvis enim multorum Sanctorum in conspectu Domini pretiosa mors fuerit, nullius tamen insontis occisio redemptio fuit mundi. Acceperunt Justi, non dederunt coronas; & de fortitudine Fidelium exempla nata sunt patientiæ, non dona justitiæ. Singulares quippe in singulis mores fuerunt, nec alterius quisquam debitum suo fine persolvit.

Decretum de Indulgentiis.

Gentiletus refellitur.

Rom. 5.
Ephes. 5.

IV. Decreto de Indulgentiis aliud a Sacra Synodo additum est, quo per speciem Legis confirmantur Consuetudines ac Sanctiones Ecclesiæ, quæ ab Hæreticis impugnantur, de ciborum delectu, jejuniis, & diebus festis. Tertium, de Indice Librorum, Catechismo, Breviario & Missali; Quartum, de loco Oratorum, quorum, & Imperatoris, Regum, Rerumpublicarum, ac Principum jura & prærogativas illæsas & salvas esse Concilium declarat, in eodemque statu permanere, quo ante Synodum reperiebantur. Quintum, de Synodi executione. Sextum, de legendis omnibus Decretis, quæ tum *Paulo*, tum *Julio* Pontifice condita fuerant, & ad dogmata & ad mores spectantia: quod universe placuit Patribus, & peractum est. Septimum de finienda Synodo, omniumque Definitionum ac Decretorum in ea sub tribus Pontificibus editorum confirmatione, ejusdem nomine per Apostolicæ Sedis Legatos & Concilii Præsides a Summo Pontifice postulanda. Granatensis Archiepiscopus petitioni confirmationis contradixit, ut ex Actis in Arce Ælia servatis refert *Palavicinus*. Festas Acclamationes edidit Cardinalis *Lotharingus*. Summo Pontifici hunc in modum acclamavit: *Beatissimo Pio Papa & Domino nostro, Sanctæ UNIVERSALIS ECCLESIÆ Pontifici, multi anni & æterna memoria*. Quibus verbis nonnullis perperam visum est, ipsisque *Suavi & Palavicino*, æmulis Historicis, illum tribuisse Romano Pontifici prærogativam supra Ecclesiam universalem, quæ ab eodem Cardinali & a Gallis fuerat impugnata. Nam ipsum sententiæ Concilia Generalia supra Pontifices extollentis, quam Ecclesia Gallicana & Sacra Facultas Parisiensis tuebantur, ut etiamnum tuentur, fuisse tenacissimum, probat ejus ad *Britonem* Secretarium suum Epistola cum *Pio IV.* communicata, quam superius laudavi. Quis enim sibi persuadeat, doctissimum & prudentissimum Principem eam opinionem amplexum fuisse, quam paulo ante Hæreseos notaverat, & Gallos omnes sanguinem potius profusuros, quam illam comprobarent, scripserat? Non alius ergo est Acclamationis illius sensus, quam Summum Pontificem habere *Primatum super omnes Ecclesias particulares*, vel habere *Supremam Auctoritatem in Ecclesia Dei*, ut Concilium Constantiense loquitur. Cardinali vitio datum, quod in Acclamationibus, ubi *Carolo V.* bene precatus est, & Serenissimis Regibus qui Concilium promoverant, & protexerant, *Franciscum I.* & *Henricum II.*

Alia Decreta.

Reges Christianissimos non nominaverit, cum tamen *Paulus III.* in Diplomate Indictionis Concilii *Franciscum I.* non minus quam *Carolum V.* nominasset; & quod *Ferdinando* Imperatori, & omnibus Regibus, Rebus publicis, & Principibus multos annos adprecatus, *Caroli Noni* Christianissimi Regis nomen omisisset. Decretis subscripsere quatuor Sedis Apostolicæ Legati Synodi Præsides, alii duo Cardinales, tres Patriarchæ, viginti quinque Archiepiscopi, triginta novem Procuratores Prælatorum absentium, septem Abbates, & totidem Religiosorum Ordinum Supremi Moderatores.

SCHOLION.

In hoc Articalo, pag. 273. Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Thesaurus Ecclesiæ ex solo Christi sanguine conflatur.*

R. Propositionam meam Religiosi Viri mutilarunt. Hæc Propositio, seclusa explicatione quam adjunxi, mes non est. En verba mea: *Hunc Thesaurum sola Christi Sanguine, solo ejus satisfactione ac meritis; quoad pretium redemptionis, quoad vim & efficaciam solutionis pro peccatis nostris, pœnisque ipsis divino judicio debitis, constare docemus: Sanctorum merita & satisfactiones in eo includi, ut vim habentia commendationis & suffragii, ad impetrandam nobis Sanguinis Christi & satisfactionis ejus applicationem, &c.*

Nota.

De Ecclesiæ Thesauro vide quæ dixi alibi.

ARTICULUS XVI.

Sacram Concilium Tridentinum ceu legitimum & œcumenicam ab omnibus Orthodoxis habendum, colendam, & suscipiendum est.

I. ID ex eo probatur, quod non minus repræsentatio fuerit totius nominis Christiani, quam priora illa Concilia, quæ ab omnibus pro œcumenicis habensur, & quæ *S. Gregorius Magnus* se *ut quatuor Evangelia* venerari profitetur: Cum ad illud ex omnibus Orbis Catholici regionibus ac Provinciis convocati fuerint & convenerint Antistites ingenti numero; causa pro qua convocatum est, generalis fuerit, omnesque spectans, scilicet hæresum damnatio, Catholicæ Fidei assertio & declaratio, generalis morum Reformatio, ac disciplinæ reparatio. Deinde quod omnes legitimæ & œcumenicæ Synodi conditiones a *Gelasio I.* Pontifice Maximo recensitæ in Epistola ad Dardaniæ Episcopos, Tridentinæ conveniant, ubi *bene gestam Synodum* definit, quæ gesta ast *secundum Scripturas, secundum Traditionem Patrum, secundum Ecclesiasticas regulas, pro Fide Catholica & Communione prolata, quam cuncta recèpit Ecclesia, quam maxime Sedes Apostolica comprobavit*; ideoque *nova Synodo nullatenus immutandam*. Secundum Scripturas, secundum Traditionem, secundum Ecclesiasticas regulas gestam esse, ex Actis luculentar probaretur, si in lucem edita essent, quod aliquando præstandum spes est, in ædificationem catholicæ fidei, destructionem hæresum, confusionem Hæreticorum, solatium Fidelium, commodum & ornamentum Ecclesiæ ut etiam Eruditorum omnium voto satisfiat, eum opportunum tempus Romano Pontifici visum fuerit. Interim autem id ostendi potest, Decreta & Canones ejusdem Sacri Concilii conferendo eum Scripturis Sacris, cum Traditione, cum veterum Conciliorum Canonibus. Idque luculentes probarunt catholici scriptores, qui Decreta illa Sacrosancta ab Hæreticorum impugnationibus vindicanda susceperunt. Cunctam Ecclesiam definitionas fidei a Tridentina Synodo editas suscipera, constat ex omnium particularium Ecclesiarum, Cathedræ *Sancti Petri* & Romanæ Ecclesiæ communione conjunctarum, in damnatione errorum ab eadem Synodo proscriptorum, & confessione dogmatum ab ea definitorum summo consensu. Cui Cathedræ & Ecclesiæ, * *ex qua unitas Sacerdotalis exorta est* * qui communiona non consociatur, *alienus est*; *qui extra hanc Domum agnum comederit, profanus est, qui extra hanc Arcam fuerit, peribit regnante diluvio*. Et quicumque cum Romano Pontifice *non colligit, spargit*.

* *S. Cyprianus.* * *S. Hieronymus.*

Tridentina Synodus a Primariis [margin]

Tridentinam Synodum suscepere Catholicæ Germaniæ Regiones, & Provinciæ Austriacæ familiæ hereditariæ, in Synodo Augustana ab *Othone* Cardinali *Truchsesse* celebrata anno 1657. & Salisburgensi anno 1569. Hispania & Sicilia, cæteræque Catholici Regis ditiones suscepere, PHILIPPO Rege id per Edictum imperante datum secundo Julii 1564. Suscepit Lusitania, *Sebastiano* Religiosissimo Rege agente, ut probant ejus literæ ad *Pium Quartum* scriptæ die secunda Octobris anno 1564. quas ea Archivio Vaticano refert *Palavicinus* lib. 24. Cap. 9. Excepit Polonia in Regni Comitiis eodem, anno celebratis, ut narratur in Vita & Literis Cardinalis *Commendoni*, qui tunc Nuntium Apostolicum apud *Sigismundum* Regem agebat. Suscepit Serenissima Venetorum Respublica, promulgarique jussit inter Sacrificii solemnia in Basilica *S. Marci* teste *Morosino* libro 8. Historiæ Venetæ. Susceperunt primariæ Regnorum Catholicorum Ecclesiæ in Synodis Provincialibus congregatæ.

Regnorum Catholicorum Ecclesiis in Conciliis Provincialibus recepta. [margin]

II. Mediolanensis in Concilio 1. Provinciali, Præside *S. Carolo* Cardinali *Borromæo* Archiepiscopo, anno 1565. P. 1. Cap. 1. de Fide Catholica: „ Sacri igitur Tridentini Concilii Auctoritate innixi, mandamus, ut „ omnes ii qui Beneficia Ecclesiastica obtinent vel imposterum obtinebunt; & qui in Synodum diœcesanam convenire debent, in ea Synodo, quæ primo „ quoque tempore celabrabitur, omnia & singula a „ Sancto Concilio Tridentino definita & statuta palam recipiant; veram obedientiam Summo Romano „ Pontifici spondeant; simulque hæreses omnes publice detestentur, & anathematizent; Fidem profitentes eisdem verbis, quibus ex Formula a Sanctissimo Domino nostro Pio IV. Pontifice Maximo præscripta, Nos & Coepiscopi initio hujus Sanctæ Synodi, jurati præstitimus, professi sumus, etiamsi antea in Diœcesana Synodo id officium, ad exequendum jussu Tridentini Concilii, quacumque ratione & „ modo obierint.

III. Ecclesia Remensis, in Concilio Provinciali, anno 1564. Præside *Carolo* Cardinali *A Lotharingia* ejusdem Ecclesiæ Archiepiscopo Statuto 2. „ Nostrorum hominum desideriis non opinamur melius satisfieri posse, quam si a Tridentina Synodo conscriptam de Religione Catholica doctrinam, nostrarum „ Parœciarum Curiones legant, & ad ejus normam „ Conciones suas afformens, populumque instituant. „ De omnibus enim fera nostrorum temporum controversiis illa brevissime definivit, & perspicua tradidit „ Fidem Patrum & Christianarum Nationum, ante „ hæreses nostra tempestate exortas, quas etiam ipsa „ dilucide, ut cavari possint & discerni, damnavit. „ Itaque Sancta Synodus officii sui esse arbitratur, si „ eam doctrinam, quæ universi orbis Christiani legitimis Antistitibus, & nobis ipsis placuis, Diœcesi nostræ proponimus. Jubemus nostrarum Ecclesiarum „ Rectores, infra Natalem Tridentinam Synodum, sive Latine, sive Gallice comparara, in aaqua tamquam in speculo inspicere omnium propemodum contentionum, quæ Christianos divexarant, veritatem, „ ac ipsam sincera ac pacifice suis gregibus commendate; contrarias vero opiniones ut hæreses detestari „ ac fugere. In eadam Synodo, Congregatione quarta, quæ die 29. Novembris habita est, Reverendissimus Archipræsul Concilii Præses, Episcopi, Abbates, cæterique Viri Conciliares, Fidei Professionem emiserunt bis verbis conceptam: „ Ante omnia credimus „ & confitemur, Canonicas utriusque Testamenti Scripturas Sacrosanctas esse & divinitus inspiratas: Itidem Articulos Fidei in Apostolorum ac Nicæni & „ Constantinopolitani 1. Symbolis contentos: Nec non „ omnia quæ de Fide superioribus Oecumenicis Conciliis & novissime in Sancta Generali Synodo Tridentina sunt definita, firmissima Fide complectimur „ & tenemus &c. Insuper de septem Ecclesiæ Sacramentis, imprimis autem de Augustissimo Eucharistiæ „ Sacramento, & Missæ Sacrificio, cæterisque dogmatibus adversus hæreses iis temporibus exortas, sentimus & credimus eum eadem Sancta Synodo, damnantes & detestantes omnem hæresim, quam eadem „ Sancta Synodus damnavit & anathematizavit. „ Concilium Tridentinum quo ad Fidei Decreta, & pleraque etiam Reformationis Capita suscepit altara Synodus Remensis anno 1583. Præside *Ludovico* Cardinali *A Guisa* Archiepiscopo.

IV. Ecclesia Cameracensis in Provinciali Concilio celebrata anno 1565. Præside *Maximiliano a Bolgis* Archiepiscopo & Duce Cameracensi in Professione Fidei, cujus hæc sunt verba: „ Quæcumque præterea de Fide & doctrina a *Sacris* Oecumenicis Conciliis sunt „ definita & tradita; maximeque a Sancto Generali „ Tridentino Concilio, nulla hæsitatione complecti-

„ mur

mur.... Septem Ecclesiæ Sacramenta, quæque de ipsis idem Sanctum Concilium Tridentinum mandavit ac tradidit, ea omnia firmissime tenemus. Quæcumque voro statuit adversus omnes hujus sæculi Hæreses, ea omnia rec[illegible]mus: simulque detestamur & anathematizamus quid[illegible] idem Sanctum Concilium Tridentinum anathemate damnat & detestatur. Et Tit. 14. cap. 10. Cæterum, cum saerum Tridentinum Concilium alia multa decrevit, quorum nulla Provincialis hujus Synodi Decretis fit mentio, quia satis expressa ac explicata sit: ea omnia, sive ad Doctrinam, sive ad Ecclesiasticam Reformationem & morum correctionem pertineant, Sancta Synodus plane atque integre servari debere, vimque & auctoritatem inviolabilem habere declarat.

V. Ecclesia Toletana, in Concilio Provinciali anno 1565. Præside *Christophoro Rogio de Sandoval* Episcopo Cordubensi, in Professione Fidei: „ Cætera item omnia, quæ a Sacris Canonibus & Oecumenicis Conciliis, ac præcipue ab eadem Sacrosancta Tridentina Synodo diffinita sunt, tam in his quæ ad extirpandas Hæreses, quam in iis quæ ad morum Reformationem pertinent, ejusdem sanctæ Synodi Decretum secuta, recipit, & omnino recipienda ad omnibus esse deceroit, Hæresesque omnes ab iisdem sacris Canonibus, & Generalibus Conciliis, & præsertim ab eadem sancta Synodo Tridentina damnatas, detestatur & anathematizat.

VI. Ecclesia Mechliniensia in Synodo Provinciali anno 1570. eelebrata, Præside *Martino Rythovio* Episcopo Yprensi, nomine & loco *Antonii* Cardinalis Granvellani, Archiepiscopi Mechliniensis, „ Imprimis ordinat & præcipit, nt omnes & singuli, qui ad hanc Synodum convenerunt, simpliciter & sine ulla protestatione ea omnia & singula, quæ a Sancta Synodo Tridentina definita & statuta sunt, palam recipiant: nec-non veram obedientiam Summo Romano Pontifici spondeant & profiteantur, simulque omnes hæreses a Sacris Canonibus, præsertimque ab eadem Synodo Tridentina damnatas detestentur & anathematizent secundum tenorem schedulæ sequentis.

„ Ego N. omnia & singula, quæ a Sancta Synodo Tridentina statuta & definita sunt, palam recipio: nec-non veram obedientiam Summo Romano Pontifici sponden & profiteor, simulque hæreses omnea a Sacris Canonibus & Generalibos Conciliis, præsertim ab eadem Synodo Tridentina damnstas detestor & anathematizo.

VII. Ecclesia Rothomagensis, in Concilio Provinciali 1581. Præside *Carolo* Cardinali *Borbonio* Sedis Apostolicæ Legato, & ejusdem Ecclesiæ Archiepiscopo, quod in Præfatione sic habet: „ Nostra hæc Synodus unanimi consensu ipsum Christianissimum Regem nostrum, ut pro sua singulari pietate Tridentinum Concilium (quo labenti Reipublicæ Christianæ accuratissime subvenitur) sicut non ita pridem hujus Regni Ordines sive Status Blesis, & Clerus nuper Meloduni congregatus factitarunt, promulgari juberet, humillimis precibus folicitaro decrevit. Verum quoniam multa visa sunt, quæ dilatione non indigent, ordinanda, de Fratrum nostrorum Coepiscoporum consensu, eorumque qui huic Synodo interfuerunt consilio, dum hujusmodi promulgationem speramus & expectamus, quæ sequuntur, pro temporum necessitate & Provinciæ nostræ statu....... ad Dei laudem statuere duximus. Cap. 5. Ecclesia universa errare non potest, quæ regitur Spiritu veritatis secum manente in æternum. Ejus itaque doctrinæ & Fidei inhærentes, quam postremo pro necessitate hæreseon & temporum edidit veritatis Confessionem in Generali Synodo amplectimur & profitemur; & ex ea, tamquam ex Fidei regula, probari & internosci in nostris Ecclesiis statuimus veros Fideles a quibuscumque hæreticis, atque a fictis & simulatis in Fide Catholica & Religione Christianis. Propterea eamdem Confessionem statuimus exigi & signari ab omnibus promovendis ad Sacros Ordines & ad quæcumque Beneficia, &c. „ Subjicitur Formula professionis Fidei *Pii IV.* Diplomate præscripta, In qua hæc habentur: „ Cætera item omnia a Sacris Canonibus & œcumenicis Conciliis, ac præcipue a Sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita & declarata indubitanter recipio atque profiteor; simulque contraria omnia, atque hæreses quascumque ab Ecclesia damnatas & rejectas & anathematizatas, ego pariter damno, rejicio, & anathematizo.

VIII. Ecclesia Burdigalensis in Synodo Provinciali anno 1583. Præside *Antonio Prævotie Sansaco*, Archiepiscopo, Fidei Professionem edidit a *Pio IV.* præscriptam, qua decreta Fidei & Canones Tridentini Concilii pariter recipiuntur; subditque: „ Hanc autem Fidei Professionem a Nobis, & Reverendissimis Coepiscopis nostris præsentibus, cæterisque ad hanc Synodum Delegatis, palam, ac publice dum in ipsa celebratione Sacrorum versaremur, in Ecclesia nostra Metropolitana factam, rituque solemni juratam, reliquis imposterum Conciliis, tam Provincialibus, quam quæ in singulis Diœcesibus habebuntur, ad verbum sequendam decernimus: itidemque universos, quibus ad Episcopale Munus, aliasque majores minoresve Dignitates provehi, aut in Canonicorum Collegium adscribi, aut ad quæcumque Beneficia & Gradus Ecclesiasticos promoveri, aut Sacris demum initiari contigerit, in hanc Fidei formulam plene ac integre juraturos statuimus. „ Ecclesiasticam etiam Disciplinam *ex ejusdem potissimum Tridentini Concilii præscripto* reformavit, ut declarat Burdigalensis Archipræsul in ejusdem Synodi Provincialis publicatione.

IX. Ecclesia Turonensis, in Synodo Provinciali partim Turoni, partim Andegavi eodem anno 1583. celebrata, Præside *Simone a Maille* Archiepiscopo, Tridentini quoque Concilii Decreta Fidem spectantia suscepit, & secundum ea Fidei professionem edidit: Disciplinam ex ejusdem Concilii Decretis emendavit, ut scribit idem Archipræsul ad Gregorium XIII. „ Habebit ergo tua Sanctitas tuorum humillimorum servorum Turonensis Provinciæ Patrum Decreta, e Tridentino tuo Oecumenico excerpta Concilio, pro temporis instantis usu, conditione, & necessitate. „ Tridentini denique Concilii promulgationem a Christianissimo Rege *Henrico Tertio* postulavit bis verbis: „ Cum Tridentini Oecumenici Concilii ad Fidei Catholicæ conservationem promulgatio, & Juris Episcopos & Abbates eligendi dudum ab Ecclesiis Franciæ distracti & obtiti restitutio, sint pernecessariæ, suam Majestatem impense rogat Synodus, ut dignetur jubere, Concilium Tridentinum publicari; nec-non ipsis Ecclesiasticis permittere, ut Episcopos & Abbates sibi deligere valeant.

X. Ecclesia Bituricensis, in Synodo Provinciali anno 1583. celebrata, Præside *Reginaldo de Beaulne* Patriarcha & Archiepiscopo Bituricensi, Aquitaniæ Primate, Fidei Professionem secundum Sacrosanctam Tridentinam Synodum edidit, & Disciplinam secundum ejusdem Decreta reformavit. Reverendissimus Archipræsul in istius Indictione Synodi sic de Concilio Tridentina loquitur: „ Cum Sancta universalis Ecclesia ex omnibus in universo orbe particularibus Ecclesiis, omnibusque membris suis visibilibus nuper Tridenti in Spiritu Sancto collecta, & congregata multa pia & præclara Decreta ediderit, quæ cuivis Christiano abunde satisfacere possint, & contumaces vi & efficacia verbi Dei ad causas Ecclesiæ reducere, nisi resistentes Spiritui Sancto sibi ipsis iram Dei accerserent; tamen quia multa quotidie in Ecclesiis particularibus emergunt, quædam adhuc latent, quædam jam in lucem venerunt, quæ ampliori explicatione aut novo tractatu indigent; ut novis morbis nova remedia, novis negotiis novæ leges imponi solent: pio & prudenter universalis Tridentina Synodus, priscæ legis & consuetudinis memor, providit, statuit, ut Provinciales Synodi celebrentur: non ut diversa, aut (quod Deus avertat) contraria proponantur, aut tractentur, sed ut eodem Spiritu ducti & Pastores & Episcopi Ecclesiarum simul congregati, ea quæ ab universali Synodo statuta sunt arctius amplectantur, observent, explicent, suisque observanda proponant.

XI. Ecclesia Acquensis, in Synodo Provinciali 1585. celebrata, Præside *Alexandro Canigiano*, Archiepiscopo, Regi Christianissimo pro Concilii Tridentini promulgatione supplicandum decrevit, ut in Præfatione habetur: *Illud imprimis ab hac Synodo unanimi consensu decretum fuit ut ab ipso Christianissimo Rege nostro humillimis precibus afflagitaremus, ut pro sua singulari pietate Tridentinum Concilium, quo labenti Reipublicæ Christianæ accuratissime subvenitur, promulgari juberet. Interim vero dum hujusmodi promulgationem speramus & expectamus, de Fratrum nostrorum Coepiscoporum consensu, eorumque, qui huic Synodo interfuerunt, consilio, tum quod Episcopi ipsi in sua quisque*

quo Diœcesi, pro sua conscientiæ exoneratione, omnia, quoad ejus fieri potest, ad ipsius Concilii Decretorum præscriptum dirigant & moderentur: tum hæc quæ sequuntur, pro temporum necessitate, & Provinciæ nostræ statu, ad Dei laudem & Ecclesiæ amplificationem in nomine Sanctissimæ & individuæ Trinitatis statuere duximus. Professionem Fidei secundum Tridentinæ Synodi Definitiones emisit, ac in Synodis Diœcesanis emitti statuit, Disciplinam denique secundum ejusdem Synodi Decreta reparavit.

XII. Ecclesia Mexicana, in Synodo Provinciali anno 1585. celebrata, Præside *Petro Moya de Contreras* ejusdem Ecclesiæ Archiepiscopo Tridentinam Synodum tam quoad Fidei, quam Disciplinæ Decreta suscepit, ac executioni mandari jussit.

XIII. Ecclesia Tolosana, in Synodo Provinciali celebrata anno 1590. Præside *Francisco* Cardinali *A Josa* ejusdem Ecclesiæ Archiepiscopo, Tit. *De Professione Fidei*, hæc habet: *Imprimis, & divinis Ecclesiæ Legibus & Sacrosanctis Conciliorum Decretis, qua decet veneratione parentes, ea omnia & singula, quæ a Sancta Tridentina Synodo definita & statuta sunt, palam recipimus; veram obedientiam Summo Romano Pontifici spondemus & profitemur: simulque hæreses omnes ab eadem Synodo damnatas publice detestamur & anathematizamus.*

XIV. His adde Ecclesiam Avenionensem, in Synodo Provinciali celebrata anno Christi 1594. Præside *Francisco Maria* Archiepiscopo: Aquilejensem, in Synodo anni 1595. Præside *Francisco Barbaro*, Patriarcha Aquilejensi: Narbonensem in Synodo anni 1609. Præside *Ludovico de Vervins* Archiepiscopo & Primate, &c.

Cleri Gallicani preces Regibus Christianissimis oblata pro Concilii Tridentini promulgatione.

XV. Illustrissimus ac Reverendissimus Clerus Gallicanus pro Concilii Tridentini, in Ecclesia Gallicana promulgatione Christianissimis Regibus non semel supplicavit, illudque se recipere, salvis Ecclesiæ Gallicanæ Libertatibus professus est, tum quoad Dogmata, tum quoad Disciplinam. Preces pro ista promulgatione *Henrico III.* Clerus Religiosissimus porrexit in Blesensibus Comitiis. Idem in Generali Conventu habito Meloduni anno 1579. de Concilio Tridentino sic loquitur: „ Quod in aliud tempus dilata in Ecclesia
„ Gallicana sanctæ Tridentinæ Synodi promulgatione
„ (etsi variis ac maximis supplicationibus postulata)
„ cum taciti contemplaremur, quam parum de restituendo Ecclesiæ Gallicanæ splendore superesset spei:
„ optimum fore duximus, piorum corda, Conventus
„ hujus non vulgaris, non parvis sumptibus, nec sine
„ gravissimis laboribus, & singulorum convocatorum
„ incommodis coacti, exitum felicem quemdam optantium, & omnibus votis cupientium, sua non prorsus fraudari debere expectatione. Iterum ergo atque
„ iterum per Sacra quæque rogamus, ut non alio jure quam charitatis & studii unitatis Fidei, illius Oecumenicæ & Universalis Synodi, quoad fieri poterit, sacri Canones, tam ad Fidei unitatem conservandam, quam ad morum pravitatem in melius emendandam accommodati ab omnibus nobis Christiane & Catholica, & quantum locorum, congregationum, & personarum patietur qualitas, & temporum ipsa exigit necessitas, diligentissime observentur. Hac enim via, eademque sola, dabimus
„ operam, ne Ecclesiæ Gallicanæ (Hæc enim sola
„ nusquam monstra peperisse cognoscitur) nota Schismatis inuratur.

Idem Clerus Meloduni congregatus, Regi Christianissimo supplicavit pro Concilii Tridentini promulgatione, perorante *Arnaldo de Pontac* Episcopo Vasatensi, cujus hæc sunt verba: *Le Clergé a choisi de toutes les Regles de Reformation & Discipline, celles qui ont été par le Saint Esprit dictées & écrites au Saint & Universel Concile de Trente; parce qu'il ne s'en trouve point qui soient plus austeres & rigoureuses, ny plus propres à l'indisposition & maladie presente de tous les membres du corps Ecclesiastique, mais particulierement parce qu'ils sont liez & astraints aux loix ainsi faites par l'Eglise Universelle, sur peine d'estre tenus pour Schismatiques, envers l'Eglise Catholique, Apostolique, & Romaine & d'encourir envers Dieu anathéme & perpetuelle damnation .... Le Clergé donc Vous supplie tres-humblement vouloir ordonner que les Saints du saint & sacré Concile de Trente soient publiez generalement en votre Royaume, pour etre par eux observez inviolablement. C'est chose dont il Vous a requis plusieurs fois, & meme en l'Assemblée generale des Etats tenus à Blois. Il pleure & lamente ce mauvais conseil de ceux qui vous en ont diverty jusque icy; d'autant qu'ils ne vous sçauroient bailler conseil plus dangereux à votre ame, ny plus pernicieux à votre Etat & au bien de vos affaires: car jamais ne fust (c'est chose trop verifiée) que Royaume se depratist ou refusest les Constitutions de l'Eglise Catholique, qui ne fust Schismatique.*

Eamdem Supplicationem iteravit idem Clerus Parisiis congregatus die 14. Octobris 1585. perorante *Claudio d'Angenes*, Episcopo & Comite Noviodunensi, quod tamen fieri optavit illæsis Ecclesiæ Gallicanæ Libertatibus. *Comme aussi n'entendons prejudicier par cette publication aux Immunitez & Franchises de l'Eglise Gallicane, lesquelles nous promettons & asseurons que le Saint Pere en ayant été supplié, sera bien content maintenir & conserver: ces reservations ayant été faites ja par deux fois à la publication de ce Concile; à sçavoir aux Etats de Blois, & par l'Assemblée du Clergé tenue à Melun, nous pesons ne nous en devoir departir. Et de peur que Votre Majesté ne pensast, comme aucuns de ceux qui ne l'entendent pas nous blament, que veuillons en quelque chose nous penser plus sages que ces Saints Peres, ou meme que le Saint Esprit; nous vous dirons en passant, que ces Reservations ne touchent point au principal de la Reformation & saints Reglemens établis au Concile; mais sont seulement quelques formalitez pour la Jurisdiction, ou graces & privileges accordez, soit aux particuliers, soit au general, que nous desirons bien conserver sous l'Authorité du saint Pere & la Votre.* Iterum in eumdem finem a Clero supplicatum est die tertia Junii 1586. perorante *Petro de Villars* Archiepiscopo Viennensi. Item *Henrico Magno* die vigesima-quarta Januarii 1596. perorante *Claudio d'Angennes de Rambouillet* Episcopo Cenomanensi. Item anno 1598. perorante *Francisco de la Guesle* Archiepiscopo Turonensi. Item anno 1605. die quinta Decembris, perorante *Hieronymo de Villars* Archiepiscopo Viennensi. Item anno 1608. perorante *Andrea Fremiot* Archiepiscopo Bituricensi. *Ludovico XII.* eædem preces iteratæ sunt a Clero in Comitiis Parisiensibus Ordinum Regni congregato die 23. Februarii anno 1615. perorante *Armando du Plessis* Episcopo Lucionensi, postea S. R. E. Cardinali *Richelio*, qui *Justum* Regem multis rationibus Concilii Tridentini promulgationem adhortatus est. „ Primo ex ipsius rei bonitate, cum nihil sit in
„ eo nisi sanctum. Secundo, ex auctoritate causæ, cum
„ ab Ecclesia universali celebratum fuerit, cujus tanta est auctoritas, ut absque ea se non crediturum
„ Evangelio profiteatur *S. Augustinus*. Tertio, ex sanctitate finis, qui non est alius quam Religionis
„ conservatio, & veræ Disciplinæ in Ecclesia instauratio. Quarto, ex fructu, qui ex illius Concilii
„ Decretis derivatur; siquidem in omnibus regionibus, quæ illud observant, Ecclesiæ ordo recte constitutus ac dispositus subsistit. Quinto, ex detrimento quod promulgationis istius prorogatio Gallicano infert nomini: siquidem ea de causa multi de
„ Gallorum Fide male judicant, falso existimantes
„ Concilii Tridentini doctrinam ab illis rejici, quam
„ profiteri tenentur, nisi hæretici haberi velint.
„ Sexto, ab exemplo cæterorum Principum Christianorum siquidem Hispania, Italia, Polonia,
„ Belgium, & Germaniæ maxima pars illud suscepere. Septimo, a verbo & promisso *Henrici Magni* Regis ipsius *Ludovici Justi* Patris, qui ejusdem
„ Concilii promulgationem solemniter pollicitus est,
„ cum Absolutionem ab hæresi a Sede Apostolica obtinuit. Si quæ tamen sint ejusdem Concilii Capita
„ antiquis Regni moribus repugnantia, ad Romanum
„ Pontificem rogandum ut ea temperet, Clerus Gallicanus se obstringit. Ordines Regni conjunctis studiis Regi pro Concilii promulgatione supplicarunt.

Concilium Tridentinum ab Ecclesia Gallicana receptum, salvis ejusdem Ecclesiæ Libertatibus Regnique juribus.

Illud tandem Gallicani Præsules, cæterique Viri Ecclesiastici Gallicanam Ecclesiam repræsentantes in frequentissimis Comitiis eodem anno Parisiis celebratis subscriptione sua ac juramento receperunt, ac se recipere declararunt; atque in Conciliis Provincialibus solemni ritu recipiendum & comprobandum decreverunt; salvis Regni Juribus, & privatorum rationibus, quorum gratia Summus Pontifex rogaretur a Clero, ut quædam ejusdem Synodi capita temperaret. Id constat ex Oratione quam Ordinis Illustrissimi nomine ad Regem habuit die octavo Augusti *Franciscus Harlæus* Augustopolitanae Archiepiscopus, & Rothomagensis Archiepiscopi Coadjutor. Hæ porro, quas laudavi, Orationes editæ sunt Tom. 5. Commentariorum Cleri Gallicani.

XVI.

XVI. Postrema tandem conditio bene gestæ Synodi, quam postulat *Golasius*, ut scilicet a Sede Apostolica sit confirmata, Tridentinæ Synodo convenit, quam *Pius Quartus* Pontifex Maximus confirmavit 7. Kalendas Februarii, anno 1564. Diploma Confirmationis incipit: *Benedictus Deus*.

Caroli Molinæi objectionibus adversus Oecumenicam Tridentini Concilii auctoritatem respondetur.

XVII. Objicit 1. *Carolus Molinæus* in *Consilio super Actis Concilii Tridentini*; Synodum Tridentinam præter morem antiquum indictam, fuisque coneitam subnixamque Romani Pontificis auctoritate, nullam prorsus fuisse, nec eam teneri ullum quemquam hominem. Nam qui indixit, qui in eo Judex præfuit, qui jus ad nutum dixit Romanus Pontifex, eum non Judicem esse decebat in hoc Reformationis negotio, utpote cujus res agebatur præcipue: Appellabatur enim is, postulabaturque de multis morum sanctiorisque disciplinæ corruptelis. Porro Judicis personam partisque disceptatricis in eadem causa unum sustinere, non ferendum; repugnat enim naturæ, reclamant jura tum divina tum humana. Addit, olim indicta Concilia solo jussu Imperatorum, & nusquam reperiri Romanum Pontificem obtinuisse locum primarium, aut ibi jus dixisse, sed jus illi dictum; quod tamen cum secus factum sit Tridenti, novum est, Conciliumque nullum reddit. Eamdem nullitatis rationem objicit *Gentiletus* Lib. 5. Examinis Concilii Tridentini.

Concilium Tridentinum more veterum Conciliorum indictum ac celebratum est.

Respondetur Synodi Generalis convocationem semper ad Romanum Pontificem velut ad Ecclesiæ visibile Caput ac ministeriale pertinuisse, quamvis ipsis Pontificibus postulantibus aut consentientibus sacros illos Conventus Imperatores coegerint, dum Concilia in Oriente celebrata sunt. Unum sit instar omnium monumentum Epistola Synodica Concilii Constantinopolitani 1. ad *S. Damasum* Pontificem Maximum. *Jam vero quoniam Vos, quo fraternam vestram erga Nos charitatem declararetis, Concilio voluntate ac nutu Dei Romæ coacto nos velut membra propria, per Dei amantissimi Imperatoris literas accersivistis.....est certe nobis omnibus in optatis, si posset fieri, Ecclesiis confertim relictis vestro desiderio, aut necessario potius Ecclesiæ negotio inservire.....Verum quoniam hoc modo Ecclesiæ nuper renovatæ denudarentur, & res a plerisque fieri omnino non queat: Nam Constantinopolim convenêramus mandato literarum superiore anno a vestra Reverentia post Concilium Aquilejense ad Dei amantissimum Imperatorem Theodosium missarum: ad iter duntaxat Constantinopolim usque faciendum præmeditati, atque de hoc uno Concilio celebrando consensum Episcoporum qui in Provinciis manserunt, una nobiscum asse rati: longiore autem itinere opus esse nec expectantes, neque omnino accipientes, quam Constantinopoli in unum conventum esset.* Concilium Orientalium Episcoporum, quod Eusebiani Antiochiæ coegerant, & quod in *S. Athanasii* Sedem *Georgium* Cappadocem intruserat, vel eo nomine nullum fuisse probat *Socrates* lib. 2. cap. 8. Editionis Valesii, quod *Julius* Episcopus Romanus nec per se, nec per Legatos interfuisset. *Cum Canon Ecclesiasticus jubeat, non oportere absque sententia Episcopi Romani Decreta Ecclesiis sancire.* Et in ejusdem facti narratione *Sozomenus* lib. 3. cap. 10. refert *Julium* cum Orientalibus expostulasse, *Quod contra Leges Ecclesiæ ipsum ad Synodum non vocassent. Nam Legem esse Sacerdotalem, quæ pronuntiat, Acta illa irrita esse, quæ absque sententia Episcopi Romani constituantur.* Hanc prærogativam agnovit Concilium Romanum ex Episcopis Italiæ & Galliæ sub *S. Damaso* Romæ celebratum; quod Ariminense Concilium ea eo elevat inter cætera quod Episcopus Romanus illi non interfuisset, cujus præcipue erat expectanda sententia: *Siquidem* (inquit) *numerus Episcoporum, qui erant Arimini in unum congregati præjudicii vim habere non debet; præsertim cum Formula illa composita sit, neque Episcopo Romano, cujus sententia præ cæteris omnibus expectanda erat, neque aliis eidem consentientibus.* Romanos Pontifices Œcumenicis Conciliis Ephesino, Chalcedonensi, Constantinopolitano 3. contra Monothelitas, quæ aliquo in pretio sunt ad Heterodoxos, præfuisse, & suffragii prærogativam exercuisse, certum est. Secundum Sententiæ a *Cælestino I.* latæ tenorem damnatus est *Nestorius*; secundum tenorem dogmaticæ *S. Leonis* Epistolæ ad *Flavianum* hæresis Eutychiana proscripta est, secundum *Agathonis* Literas, & Romanam sub *Martino I.* Synodum, Monothelitæ cum suis erroribus Anathemate confixi. In aliis pariter Synodis Œcumenicis cum in Oriente, tum in Occidente celebratis, præcipuæ fuerunt Romani Pontificis partes, isque Primatum in sacris illis totius nominis Christiani Conventibus nemine reclamante exercuit: adeo ut ignorantiam suam *Molinæus* in Historia Sacra prodiderit, qui id inficiari ausus est. Concilium itaque Tridentinum more veterum Conciliorum indictum ac celebratum fuit. Ipsius etiam convocationem a Romanis Pontificibus *Clemente VII.* & *Paulo III.* non semel postularunt *Carolus Quintus* Imperator, *Ferdinandus* Romanorum Rex *Franciscus I.* Rex Christianissimus, ut *Sleidanus* etiam adversæ communionis Historicus testatur.

Concil. Rom. in Epist. ad Illyricos, apud Theodoretum, L. 2. C. 22.

Quod vero *Molinæus* & *Gentiletus* objiciunt, eumdem non potuisse personam sustinere Judicis & partis disceptatricis; Pontificem autem Romanum partem fuisse, utpote de multis Fidei sanctiorisque Disciplinæ corruptelis postulatum, prorsus frivolum est. Non enim Romani Pontificis, sed Religionis & Fidei causa agebatur, cujus ille pro sui Primatus officio conservator & custos; & si locum haberet illa objectio, nullus violator Legum, nullus Reipublicæ perturbator, nullus Majestatis reus a Principe, vel a Judicibus ejus auctoritate constitutis in judicium vocari ac damnari posset, quia rei excipere possent, ipsius causam agi, & æquitati repugnare ut Judicis & partis disceptatricis personam idem sustineat. Nullus Novator, nemo Hæresiarcha, & cujuscumque Sectæ perfidæ Auctor damnari umquam legitime potuisset: Quis enim *Arius*, *Macedonius*, *Nestorius*, *Eutyches*, quis postremis temporibus *Servetus* & *Socinus* expostulare non potuit adversus Ecclesiam concilia, Pontifices vel alios quoscumque suis erroribus infestos, ipsos Judices legitimos in eorum causa esse non posse, cum Ecclesiam, quæ ipsos damnavit, novitatis & corruptelæ circa Fidem pariter postularent? Id certe inique objici a *Molinæo*, *Gentileto*, & aliis Protestantium & Calvinianorum Patronis, probat invictissimæ Dordrectanæ Synodi exemplum, cui parere *Arminianos* debere, & in ejus acquiescere Judicio, tota Reformatorum falsi nominis Religio, Sectæ Ministri, Synodique omnes declaravere: quamquam opponerent *Arminiani*, Synodum illam ex *Gomaristis* adversariis suis esse conflatam, quos falsæ doctrinæ ac depravatæ Fidei vicissim accusabant, & ab illis accusabantur. Ab Ecclesiæ origine ad Tridentinam usque Synodum revolvantur ac repetantur omnium hæresum & Hæreticorum ac Schismaticorum Historiæ, exploratum erit Hæreticos & Schismaticos omnes ab Ecclesia damnatos fuisse, cujus doctrinam impugnarunt, vel a cujus communione discesserunt. Et vero quis in causa Potestantium & Reformatorum Judex legitimus esse potuisset? An ipsimet ob hæresim in Jus vocati? Id rationi & Juri cum naturali, tum scripto repugnat. An Imperator, vel Reges & Principes? At adversus Imperatorem, Regem Christianissimum, cæterosque Principes Catholicæ & Romanæ Communionis idem objicere potuissent, quod Romano Pontifici & Episcopis ejus Auctoritate in Concilio congregatis objiciebant, Rem illorum agi, illos Judicum & partium personam sustinere non posse. Præterea, Principes controversias Fidei dirimere non possunt. Unde *Theodosius* Imperator ad Synodum Ephesinam scribebat: *Candidianum ad sacram vestram Synodum abire jussimus; sed ea lege & conditione, ut cum quæstionibus & controversiis quæ circa Fidei dogmata incidunt, nihil quidquam commune habeat. Nefas est enim, qui sanctissimorum Episcoporum catalogo adscriptus non est, illum Ecclesiasticis negotiis & consultationibus sese immiscere.* Et ante ipsum *Valentinianus* Imperator, cum ad Synodum indicendam sollicitatus esset ab Episcopis Orientis anno 364. pro restauranda Consubstantialitatis Fide, quæ a *Constantio* pessumdata erat, respondit: *Sibi, qui unus e Laicorum numero erat, non licere se ejusmodi negotiis interponere. Et ideo Sacerdotes & Episcopi, inquit, quibus hæc cura sunt, seorsum per se, ubicumque ipsis libitum fuerit, in unum conveniant.* Ita refert *Sozomenus* Lib. 6. Cap. 7. Quod verbo testatus fuerat *Valentinianus*, Rescripto declaravit, nempe Fidei causas a Sacerdotibus judicandas. Cujus Legis exceptione usus est *S. Ambrosius*, recusans de Fide cum *Auxentio* Arianarum partium Episcopo in Consistorio Principis disputare. Sic enim ad Valentinianum Juniorem scribit Lib. 2. Epistola 13. *Nec quisquam contumacem me judicare debet, hoc cum asseram, quod augustæ memoriæ Pater tuus non solum sermone respondit, sed etiam Legibus suis sanxit:* „In „ causa Fidei vel Ecclesiastici alicujus Ordinis, eum „ judicare debere, qui nec munere impar sit, nec „ jure dissimilis. *Hæc enim verba Rescripti sunt. Hoc est, Sacerdotes de Sacerdotibus voluit judicare.*

...*Cer-*

. . . *Certe si vel Scripturarum seriem divinarum, vel vestra tempora retractemus; quis est qui abnuat in causa Fidei Episcopos solere de Imperatoribus Christianis, non Imperatores de Episcopis judicare?* Lege Honorii & Theodosii Imperatorum Tit. *De Sacrosanctis Ecclesiis*, Lib. 1. Codicis, ita sancitum est: *Omni innovatione cessante vetustatem & Canones pristinos Ecclesiasticos, qui usque nunc tenuerunt, etiam per omnes Illyrici Provincias servari præcipimus; ut si quid dubitatis emerserit, Conventui Sacerdotali, Sanctoque Judicio reservetur.* Alia plurima in eamdem sententiam congeri possent, sed ista sufficiunt contra *Molinæum* & *Gentiletum*.

XVIII. Objicit *Gentiletus* rationem alteram nullitatis, nimirum, quod Tridentina Synodis in loco idoneo habita non sit. Nam adversus Germaniæ Protestantes indicta est, quos Pontifex hæreseos accusabat, quorumque dogma jam præjudicio *Leonis* X. pro hæresi damnatum fuerat. Cum igitur Romanus ipse Pontifex accusatoris partes sustineret, Concilium in Germania haberi debuit, ut ex multorum antiquorum Canonum testimonio constat, quibus præcipitur, ut accusati in sua Provincia, non extra, lite pulsentur & audiantur.

Tridentina Synodus loco idoneo celebrata.

Respondetur, Romanum Pontificem Accusatoris partes adversus Protestantes non sustinuisse, sed Judicis legitimi; cui ligandi solvendique super terram potestas, & pascendi Christi oves auctoritas in *S. Petro* collata a Christo est; & cui Sacerdotii apicem in Ecclesia tenenti, ac Episcopis communione cum ipso conjunctis, convenit, excellentiori longe ratione quod de veteris Legis Sacerdotibus a Deo dictum est, Ezechielis 44. *Sacerdotes populum meum docebunt: quid sit inter sanctum & pollutum, & inter mundum & immundum ostendent eis: Et cum fuerit controversia, stabunt in Judiciis meis, & judicabunt Leges meas & præcepta mea.* Licet porro in privatis causis, in quibus de aliis criminibus agitur, & de personis dumtaxat puniendis vel absolvendis, prima cognitio in Provincia institui debeat secundum Canones; id tamen fieri Canones non præcipiunt in causis communibus, seu in quæstionibus Fidei, præsertim cum Œcumenica Synodus ad earum examen ac judicium congregatur. Unde *Ariana* hæresis Alexandriæ ab *Ario* Presbytero excitata, non in Ægypto, sed Nicææ in Bithynia damnata est a Nicæno Concilio. Nestoriana hæresis a *Nestorio* Constantinopolitano Episcopo prædicata, non Constantinopoli, ubi eruperat, vel in Thracia, sed Ephesi damnata est. Donatistarum hæresis in Africa nata, in Concilio Romano sub *Melchiade* Papa, & in Arelatensi, in Galliis proscripta est. *Pelagius* natione Britanus damnatus est in Diospolitana Synodo, & ab Africanis Conciliis. Quot hæreses a Summis Pontificibus Romæ damnatæ? Pelagiana ipsa, Nestoriana, Eutychiana, Monothelitarum, &c. Quot Hæretici proscripti, qui tamen non solum in Italia, sed ne quidem in Occidente perversæ ac impiæ doctrinæ virus diffuderant? Jure ergo potuit indici ac celebrari Synodus Œcumenica Tridenti contra Protestantium errores. Locus erat plane idoneus, urbs Germaniæ contermina, non Romano Pontifici, sed *Ferdinando* Regi beneficiaria, Germanis commoda, Nationibus cæteris non suspecta, in qua Concilium haberi Germani Principes propterea consenserunt in Spirensi Conventu anno 1542. Concidit itaque illa *Gentileti* Objectio.

XIX. *Molinæus*, idemque *Gentiletus* objiciunt, non interfuisse Tridentino Concilio civitates Germaniæ provocatrices, & Principes Augustanæ Confessionis, neque his ut adessent, legitime significatum; immo eos ab ista coitione Tridentina fuisse penitus exclusos, ad quam nemo est admissus, qui prius non juraverit in verba Romani Pontificis: Nullum porro esse Judicium, quod fertur non vocata nec audita parte disceptatrice. Addunt, Eos omnes, quibus jus datum est deliberativæ sententiæ, aperte odia cum his exercuisse, qui profitebantur Confessionem Augustanam, aut qui provocarant a Pontifice, & Jus persequebantur Legis emendatricis. Constat autem inimicorum præjudicia nullo jure umquam censeri.

Protestantes ad Concilium vocati & invitati.

Respondetur, Indictum fuisse ritu solemni Concilium; ejusque indictionem Augustanæ Confessionis Principibus, ac cæteris Protestantibus fuisse notissimam, qui & ad illud sunt invitati, datis publicæ fidei literis Sessionibus 13. 15. & 18. & libera facultate *Tridentum veniendi, ibidemque manendi, standi, morandi, proponendi, loquendi, una cum ipsa Synodo de quibuscumque negotiis tractandi, examinandi, discutiendi, ac omnia quæcumque ipsis libuerit, ac Articulos qualibet, tam scripto quam verbo libere offerendi, propalandi, eosque Scripturis Sacris & Beatorum Patrum verbis, sententiis & rationibus declarandi, adstruendi, & persuadendi, & si opus fuerit, etiam ad objecta Concilii Generalis respondendi, & cum iis qui a Concilio delecti fuerint, disputandi, &c.* Quæ securitas ad reliquarum Nationum homines a Romanæ Ecclesiæ Communione alienos ampliata est his verbis: *Eadem Sacrosancta Synodus, in Spiritu Sancto legitime congregata Præsidentibus in ea ejusdem Apostolicæ Sedis de Latere Legatis, omnibus & singulis aliis, qui nobiscum in iis quæ sunt Fidei Communionem non habent, & quibuscumque Regnis, Nationibus, Provinciis, civitatibus ac locis, in quibus publice & impune prædicatur, vel docetur, sive creditur contrarium jus, quod Sancta Romana sentit Ecclesia, dat Fidem publicam, sive Salvum-conductum, sub eadem forma, & eisdem verbis quibus datur Germanis.* Non sunt itaque audiendæ Protestantium, & eorum qui ipsis patrocinantur, contra Sacram Synodum Tridentinam objectiones; cum a Synodo vocati & invitati, ne ipsam quidem pro Judice legitimo agnoscere voluerint. Non enim contumaces in non comparendo vel defendendo, si tamen aliquam defensionem se habere putarent, audiendi sunt Sententiam impugnantes, ut constat ex Legibus a *Gregorio Tolosano* laudatis in Responsione ad Concilium Molinæi, scilicet ex *L. Si eo, C. De Remiss. Pign. L. fin. C. De usur. Pupill. L. 1. §. Quæritur. De Curator. bonor. dand. L. Sed etsi per Prætorem §. Sed etsi dum Decreto, ff. Ex quibus.* Falsissimum etiam est, quod inimici fuerint Protestantium Pontifex, & Episcopi qui ad Concilium convenerunt: Immo Protestantes ipsi inimici erant Fidei Catholicæ, quam impugnabant; Ecclesiæ Romanæ, a qua nefario Schismate divulsi erant; Pontificis & Episcoporum, quorum Sacram Auctoritatem spernebant. Nec magis admittenda est illa Protestantium & Reformatorum adversus Tridentinam Synodum expostulatio, quam Arianorum adversus Nicænam, Macedonianorum adversus Constantinopolitanam primam, Nestorianorum adversus Ephesinam, Eutychianorum adversus Chalcedonensem, Monothelitarum contra Constantinopolitanam tertiam, sive sextam Œcumenicam. Ac multo minus hæc eorum valet objectio, quam objectio similis Arminianorum adversus Dordrectanam Reformatarum falsi nominis Ecclesiarum Synodum; *Servetianorum* vel *Socinianorum* quos ut *Hæreticos* nobiscum execrantur, adversus Ecclesiam Romanam, vel Partem Calvinianam aut Lutheranam. Hi enim omnes Hæretici, eos a quibus damnati sunt, aut damnantur, inimicos esse suos dixerunt vel dicunt. Nemo enim Hæresim damnat, qui non ab Hæreticis ut inimicus habeatur: cum tamen hoc illis nomen respectu Fidei & Ecclesiæ Catholicæ conveniat, ipsisque cum *Tertulliano* dicere merito possimus, Lib. De Præscriptionibus Hæreticorum: „ Qui estis? Quando & „ unde venistis? Quid in meo agitis non mei? Quo „ denique (*Lutherane*) jure sylvam meam cædis? „ Qua licentia (*Calvinista*) fontes meos transvertis? „ Qua potestate limites meos commoves? Mea est pos„ sessio. Quid hic cæteri ad voluntatem vestram se„ minatis & pascitis? Mea est possessio, olim possideo, „ prior possideo, habeo origines firmas ab ipsis Aucto„ ribus quorum fuit res. Ego sum heres Apostolorum, „ sicut caverunt testamento suo, sicut fidei commise„ runt, sicut adjuraverunt, ita teneo. Vos certe ex„ heredaverunt semper & abdicaverunt, ut extraneos, „ ut inimicos. Unde autem extranei & inimici Apo„ stolis Hæretici, nisi ex diversitate doctrinæ, quam „ unusquisque de suo arbitrio, adversus Apostolos aut „ protulit, aut recepit?

Pontifex & Episcopi non erant inimici Protestantium.

XX. Objiciunt, Controversa dogmata non satis diligenter fuisse discussa, nec Protestantium fundamenta (ut par erat) examinata fuisse. Edita præterea Decreta, sancitosque Canones de Fide, cum interdum Patres magno numero dissentirent; adeoque universali Ecclesiæ tribui non posse quæcumque in Synodo Tridentina definita sunt.

Controversa dogmata accuratissime discussa fuerunt.

Respondetur, Hæc objecta meram esse calumniam, quæ testium oculatorum relationibus dissipatur. Unus omnium instar sit *Dydacus Payva* Theologus Lusitanus Lib. 1. Defensionis Tridentinæ Fidei, ubi *Kemnitium* his verbis compellat: „ An dubitas te ac tuos Tridentinum Concilium tuto adire, confidenter alloqui, & „ libere in eo versari potuisse? Testari certe ipse pos„ sum, nihil fuisse a Patribus magis exoptatum, a „ Legatisve vigilantius procuratum, quam ut nihil in „ eo non libere, non pacate atque legitime fieri cer-

tissimis

,, tiſſimis argumentis conſtaret. Aut exiſtimat communem Eccleſiæ cauſam deſerendam a nobis fuiſſe, illius neceſſitates negligendas, vulnera non fuiſſe obliganda, quia vos venire in Concilium nolebatis, & veſtrum iſtud commentitium Evangalium, non argumentorum vi, non orationis gravitate, ſed ſcelere &; contumacia tueri conabamini? Aut debuit Chriſtianæ Reipublicæ ſalus ex veſtra iſta obſtinatione pendere? Ne varo quidqaam in Concilio temere aut parum conſiderate factum fuiſſe exiſtimes, rem ut geſta eſt jam auſculta. Cum nihil fuerit Patribus antiquius, quam ut apud univerſum terrarum orbem teſtatum relinquerent, facta omnia in Concilio integerrime & incorruptiſſime fuiſſe, optarentque ideo vehementer, ut fundamenta quibus portentoſum iſtud Evangelium eſt conſtitutum, omnibus eſſent Patribus maxime nota (& explorata: poſtquam adventus veſtri ſpem, in quam Cæſaris literis fuerant magna omnium noſtrorum exultatione ingreſſi, prorſus abjecerunt, & veſtra tergiverſatione intelleximus non veritatem vos, ſed erroribus excuſationem captare, diligentiſſime procurarunt ut eorum Libri, qui ſe nuper ab Eccleſia Romana totos abalienarant, & Lutheri hominis impuri, aliorumque ſimilium perfidiæ adjuncerant, Tridentum undique comportarentur (quos qui adetamus, certatim & comparavimus, & perlegimus) ut cauſam a vobis callide & veteratorie deſertam, ſcriptis ſaltem, coram tanto Conſeſſu defenderetis & tueremini. Neque enim puto plura a vobis coram dici potuiſſe, quam veſtris ſint ſcriptis comprehenſa. Atque fuiſſe non ſæpius ab integerrimis Legatis familiariter admonitos omni aſſeveratione affirmare poſſum, ne minori diligentia veſtras quam SS. Patrum lucubrationes evolveremus. Eo enim dicebant veritatem a Patribus facilius reperiri, & enucleatius definiri, quo magis veſtra illis Argumenta cognita eſſent atque perſpecta: Meque Reverendiſſimus Cardinalis Seripandus vir & eruditione & maximarum virtutum laude ſpectatiſſimus, cujus fuit ſemper in Concilio ſumma auctoritas, ſæpius admonuit, ut meam operam Eccleſiæ navarem, in veſtrorum argumentis maxima fide & diligentia colligendis: Neque præclarius de Concilio mereri eos dicebat, qui veſtra Argumenta ſtrenue enervabant, quam qui fideliter & accurate explicabant, ingenio illuſtrabant, orationeque amplificabant, quia veritatem firmius hac ratione conſtitui, & veſtræ calliditatis fibras evelli exiſtimabat. Agedum videamus quid fuerit a Patribus Tridentinis prætermiſſum, ut non temere, ſed ſumma fide & æquitate cauſam ab illa veſtram judicatam atque damnatam fuiſſe declararent. Veſtrum adventum vehementer exoptarunt, diligentiſſimeque procurarunt cum Cæſare non modo ipſi, ſed Romanus etiam Pontifex, & per Legatos ſæpe & literas frequenter egit ut vos ad veniendum induceret. Adventum mendaciis & cavillationibus differentes diutiſſime expectarunt, ex veſtris aut clam aut palam adventantes benigne ac liberaliter exceperunt, humaniſſimeque tractarunt, illos ut cauſam palam & confidenter tuerentur valde obnixe rogarunt, tuas ac tuorum lucubrationes venales exponi curarunt, legendaſque illis tradiderunt, qui de veſtra Fide aut diſceptare, aut judicare debuiſſent: & ne veſtræ ſententiæ damnari prius quam expendi viderentur, non minori diligentia veſtra Argumenta illuminari a nobis quam refelli, explicari, quam dilui curarunt, ut quod a vobis impetrare precibus numquam potuerunt, a nobis ſtudio ac diligentia præſtaretur.

Calumniam alteram de dogmatum definitione pleriſque Patrum diſſentientibus, idem Auctor refellit. ,, Quamvis, *inquit*, in legibus rogandis quæ pro temporum viciſſitudine tolli ac mutari poſſunt, & quæ Summi Pontificis moderationi ſubjiciuntur, illud (re prius diligenter examinata, & inter Patres diu ac multum ventilata) tandem ſtatuatur, ad quod major Concilii pars inclinaverit: tamen cum de Religione quæſtio exiſtit tam avide Theologi primum, deinde Patres ſacra oracula atque veterum placita inveſtigant, tam accurate, diligenter & ſtudioſe veritatem indagant, tam candide & ſimpliciter adverſariorum ſententias referunt, eorumque argumenta exquiſite expendunt, ut neque tantam diligentiam quidpiam latere, neque adverſarios pro ſe quidquam amplius dicere potuiſſe videatur. Quare cum Tridenti ipſe in Concilio verſarer, ſæpe dicere ſolebam, Quod quamvis nullis Chriſti promiſſionibus

Conciliorum auctoritas firmata eſſet & conſtituta; ille certe perſcrutandi veritatem tam accurata ratione coactus illorum facile definitionibus aſſentirer. Qua tamen veritatis tam diligenti ac ſeria diſquiſitione tranſacta nihil conficitur, quamdiu graves aliquot ac ſpectati viri a majori parte diſſentiunt. Aderant in Concilio Tridentino non minus quam ducenti triginta Patres, cum quæſtio gravis atque difficilis de Evangelicis verbis, *Hoc facite in meam commemorationem*, a Romani Pontificis Legatis propoſita eſt; & cum Patrum pars maxima ſentiret Apoſtolos illis fuiſſe Sacerdotes initiatos, quindecim fere aut viginti dubitare ſe ajebant. Ne vero quidquam præter Conciliorum vetuſtum morem concluderetur, horum paucorum dubitatio plurimorum impetum retardavit, atque effecit ut res in aliam Seſſionem dilata omnium fere calculis tandem definiretur. Ducenti jam & nonaginta Patres Concilio intererant, cum de Matrimoniis, quæ clam ac furtim iniri ſolebant, irritis faciendis magna contentione diſceptare cœpimus. Nam pauci quidam exiſtimabant Juris Eccleſiæ non eſſe novam ineundi Matrimonii rationem præſcribere: Alii id quidam in poteſtate Eccleſiæ eſſe affirmabant, at vero expedire prorſus negabant. Maxima pars utrumque ajebat; & cum Principum ac Rerumpublicarum Oratores prope ſuo jure poſtularent, ut id ſtatueretur in quod Concilii maxima pars conſpirabat, res tamen tamdiu prorogata eſt, crebriſque diſputationibus agitata, quamdiu illi, qui de Eccleſiæ poteſtate dubitabant, in ſententia perſtiterunt, quippe quia non tam de lege ferenda, quam de Sacramenti ratione tunc agebatur: Patreſque illud crebris ſermonibus uſurpabant, Religionis Myſteria a Conciliis nonniſi ſumma Patrum conſenſione ediſſeri. Poſtquam vero nemo (duos aut tres tantum excipio, quorum ratio in tanta multitudine habenda non fuit) de ſumma Eccleſiæ ea in re Poteſtate dubitavit, ſed ſola Canonis, quia clandeſtina Matrimonia e medio tollit, æquitas in conſultationem controverſiamque venit, non potuit non æquiſſima Lex facile rogari, cum ducenti fere quadraginta Patres ad Reipublicæ pacem tuendam imprimis neceſſarium eſſe ducerent, quamvis eorum qui expedire dubitabant, multi a ſententia nondum diſceſſiſſent. Illa enim quæ magis ad mores hominum inſtituendos, quam ad fidem informandam pertinent, minori (ut diximus) Synodi conſenſione interdum firmantur.

XXI. Objicit *Molinæus*, Conſtantienſi & Baſileenſi Conciliis ſancitum fuiſſe & aſſertum, Romanum Pontificem ſubjici Conciliis generalibus, qui ſecus ſentiret, Hæreticum atque Schiſmaticum cenſendum: Tridenti vero contrarium decretum, eſſe uti patet in in ejus Concilii Actis, quibus Pontifici ſummum attributum eſt Imperium, ſummaque Potentia, & ſupra Leges quidem Conciliorum.

Tridentina Synodus nihil tribuit Romano Pontifici, quod ſuperiora Concilia jure ad ipſum pertinere non agnoverint.

Reſpondetur. Falſum eſſe quod Tridentina Synodus decreverit, definiverit, vel declaraverit Papam eſſe Superiorem Concilio: Nec minus falſum eſſe quod Synodus Conſtantienſis & Baſileenſis, qua parte ab Eccleſia recepta eſt, eos qui ita ſentirent, ut Hæreticos vel Schiſmaticos damnaverit. In Eccleſiaſtica Antiquitate hoſpitem ſe ac peregrinum probat *Molinæus*, cum a Concilio Tridentino aliquid attributum Summo Pontifici calumniatur, quod ſpectat diſpenſationes, confirmationem Decretorum, declarationem eorum, &c. quod ſuperiora Concilia ad ipſum jure pertinere non agnoverint. Enimvero cum Generale Concilium haud ſemper ſit congregatum, ſummam eſſe in Eccleſia poteſtatem neceſſe eſt, quæ Conciliorum Decreta pro negotiis occurrentibus interpretetur, ac moderetur ubi poſtulat neceſſitas, vel Eccleſiæ utilitas: Qua de re *Gelaſius I.* ad Epiſcopos Lucaniæ ſcribebat: *Neceſſaria rerum diſpenſatione conſtringimur, & Apoſtolicæ Sedis moderamine convenimur, ſic Canonum paternorum Decreta librare, & retro Præſulum Deceſſorumque noſtrorum præcepta metiri, ut quæ præſentium neceſſitas temporum reſtaurandis Eccleſiis relaxanda depoſcit, adhibita conſideratione diligenti, quoad fieri poteſt, temperemus.* De hac diſpenſandi per Eccleſiam univerſam de obſervantia Canonum Auctoritate Romano Pontifici concredita, *S. Bernardus ad Eugenium III.* ſcribit Lib. 3. De conſideratione: *Quid*, inquit, *prohibes diſpenſare? Non, ſed diſſipare. Non ſum tamen rudis ut ignorem poſitos vos diſpenſatores, ſed in ædificationem, non in deſtructionem. Deinde quæritur inter diſpenſatores, ut fidelis quis inveniatur. Ubi neceſſitas urget, excuſabilis diſpenſatio*

fatio eſt. Ubi utilitas provocat, diſpenſatio laudabilis eſt: utilitas dico communis, non propria. Nam cum nihil horum eſt, non plane fidelis diſpenſatio, ſed crudelis diſſipatio eſt. Has eaſdem Regulas ſacra Synodus obſervari juſſit Seſſione 24. in Decreto de Reformatione Matrimonii Cap. 5. *In contrahendis* (inquit) *Matrimoniis vel nulla omnino detur diſpenſatio, vel raro, idque ex cauſa & gratis concedatur. In ſecundo gradu numquam diſpenſetur, niſi inter magnos Principes, & ob publicam cauſam.* Nec certe aliud ſpectat eadem ſacra Synodus quam univerſalem interpretandi ac declarandi Canones Auctoritatem Romano Pontifici concreditam, cum *Omnia & ſingula ſub quibuſcumque clauſulis & verbis, quæ de morum Reformatione, atque Eccleſiaſtica Diſciplina in ea ſtatuta ſunt, ita decreta fuiſſe declarat, ut in his ſalva ſemper Sedis Apoſtolicæ Auctoritas & ſit & eſſe intelligatur.* Quæ verba Synodi reverentiam erga Sedem Apoſtolicam exprimunt non jus ipſi novum, aut poteſtatem abrogandi Decreta Spiritu Dei condita attribuunt.

XXII. Objicit *Molinæus*, Tridentinam Synodum morte *Pauli Tertii* totam concidiſſe, peſſumque iviſſe, ut quæ ſolo illius adſcitu imperioque niteretur. Nam voluntas nutuſque omnis, uti dictant Leges & Civiles & Pontificiæ, morte finiuntur *l. 4. ff. locat. C. Ex literis in fi. Ext. de Conſtitution. C. Si gratioſe. De Reſcriptis, in Sexto.* Addit *Molinæus*, *Henricum II.* Tridentini Concilii renovationem a *Julio Tertio* factam adeo improbaſſe, ut neque illuc allegarit quemquam, neque ulli qui in Gallia, aut in Provincia, aut apud Allobroges Antiſtitem gereret, dederit veniam illo commeandi; quin etiam per publicos Codicillos miſſos tum Tridentum, tum in Germaniam, conteſtatus eſt ſeſe Conventum illum pro legitimo minime agnoſcere.

Tridentinum Concilium Pauli III. morte non concidit.

Reſpondetur, Concilium Tridentinum a *Paulo Tertio* ſuſpenſum, non diſſolutum fuiſſe, ac proinde poſt ejus obitum eodem in ſtatu manſiſſe. Nam cum a Prælato nomine Eccleſiæ conceditur vel impetratur Mandatum, tunc morte mandantis non finitur, ut colligitur ex *Gloſſ. in C. Dilecti, De foro competenti*; Idem enim eſt judicium, etſi mutetur perſona judicantis. Neque innovantur coram prædeceſſore Judice geſta, ſed continuantur coram ſucceſſore, ut conſtat ex *L. Proponebatur, & L. mortuo Judice. ff. De Judic. §. Et hoc jubemus.* Dignitas enim non moritur, ut notat *Gloſ.* in *C. Qui Abbas De Officio & Poteſtate Judicis delegati.* Nec mandatum finitur morte Mandantis, ſi res non ſit integra, ſed cœpta, *L. Si quis mancipiis. §. Ejus, ff. De Inſtit. actio. L. Arbitr, L. mandatum. Cod. mand. §. Item ſi adhuc, eodem* Tit. apud *Juſtinianum*. Cum itaque Tridentinum Concilium *Pauli III.* Paſtoris Eccleſiæ univerſæ Mandato congregatum fuiſſet, ac decem Præſidentibus ipſius Legatis, celebratæ Seſſiones, morte ipſius non concidit. Et quamvis omnino diſſolutum fuiſſet, nihilominus Concilium pariter œcumenicum in eadem orbe convocare potuiſſent *Julius III.* & *Pius IV.* propter eaſdem cauſas, & cœptam in Concilio *Pauli* Dogmatum Fidei declarationem, errorum damnationem, morum emendationem continuare ac perficere. Nam tametſi duo vel tria eſſent Concilia, paris tamen eſſent Auctoritatis, & cunctæ illorum definitiones fidei dogmata eſſent, cuncta illorum decreta Sacroſancta, perinde ac ſi unicum eſſet. Unde *Ferdinandus* Imperator anno 1563. a ſuis Oratoribus interrogatus, quid ipſi acturi eſſent, ſi ruſſus oriretur controverſia inter Hiſpanos & Gallos, eſſet ne ea Synodus continuatio, an nova convocatio; illis injunxit, ut Patres qua par erat modeſtia hortarentur, ne inutilem hujuſmodi Articulum declararent: Quod ſi tamen ejus habenda eſſet declaratio, majoris partis auctoritatem ſequerentur. Id ex literis Cæſaris ad Oratores die 19. Novembris datis refert *Palavicinus* lib. 24. cap. 8. Porro *Henricus II.* contra Synodum Tridentinam conteſtationem non emiſit, quaſi legitima auctoritate Tridenti reſtituta non eſſet, ſed quod ſuſcepto Parmæ patrocinio, *Julium III.* cum *Carolo V.* confœderatum hoſtem expertus, belloque implicitus, Concilii rebus attendere non poſſet, nec Gallicanos Epiſcopos ad illud mittere, in eamque neceſſitatem ipſum adduceret Pontifex bellum fovens. Cæterum profeſſus eſt Rex Chriſtianiſſimus, conteſtationem illam a ſe non fieri, *Quaſi aut cogitaret ullo modo, aut haberet in animo meritam ac debitam a ſe Sanctæ Sedi Apoſtolicæ obſervantiam & obediendi conditionem aut exuere, aut diminuere, quin contra operam daturum eſſe, ut magis ac magis in dies ſe dignum probaret, Chriſtianiſſimi Regis cognomine, hocque maximo Primogeniti Eccleſiæ Filii ac Fidei protectoris elogio. Animi hujus ſui ac ſtudii propenſionem ad feliciora meliora que tempora reſervari, cum ſcilicet hoc humano generi, ac præcipue Reipublicæ Chriſtianæ, ſummis ipſius ac totius Populi Gallici votis Dei Optimi Maximi gratia tribuiſſet, ut honeſte depoſitis armis, quæ eſſent parum modeſte illata, & motiones animi componerentur, & hoc modo pax ipſo conveniret.* Conſenſum igitur celebrationi Concilii ac Decretis in eo edendis non negavit *Henricus II.* ſed ſuſpendit, dum Pontifex bellum contra ipſum foveret, neque Concilium a *Julio* legitime indictum non agnovit; ſed conteſtatus eſt, *Concilii quod nuper indictum eſſet, ſolutionem (quam ſi ad arma itetur, neceſſe erat conſequi) ſibi minime aſſignari poſſe. Videri Summi Pontificis Sanctitatem ſe excludere ac fructu optatiſſimi Concilii privare voluiſſe: id rerum initia, progreſſus, exitus conſiliorum Sanctitatis ejus videri declaraſſe, cum illo de cauſa nec hoc tempore, nec hoc auctore, aut bellum tam perniciofum tanto Reipublicæ periculo ſuſcipi, aut tanta ejuſdem jactura & calamitate geri debuerit. Conſtituendam fuiſſe aut revocandam magis exemplo Sanctitatis illius, Concilio ipſo jam indicto, veteris Eccleſiæ ſeniorem diſciplinam ac ſpeciem, non labefactandam aut deformandam . . . nec ſpargenda Chriſtianis Principibus odiorum ſemina, &c.* Profitetur item Rex Chriſtianiſſimus, Se Eccleſiæ Catholicæ charitatem deponere non poſſe, ſed ſuſcepturum *Quidquid ob ea pertractatum, decretum, conſtitutum fuerit, quomodo quidem ab illo pertractari, decerni, & conſtitui par eſt, dum nequid interea ſincero atque integro ob Hæreticorum vecordia Principi immerenti atque innocenti, aut captioſum comparetur aut contumelioſum ſit.* Harum proteſtationum exemplaria edita ſunt in Commentariis rerum ad Synodum Tridentinam ſpectantium a *Puteano* collectis, pag. 21. & ſequentibus. Ex ejuſdem Regis mandatis, *Franciſco de Rohan* ſuæ Majeſtatis Oratori apud Summum Pontificem datis, quæ in eodem Volumine pag. 19. leguntur, conſtat ejus Majeſtatem Concilii Tridentini celebrationi ac Decretis ſub *Paulo III.* & Bononiam translationi conſenſiſſe. *Cum*, inquit, *ſacrum generale & œcumenicum Concilium antea fuerit Tridentini indictum, in quo pleræque Seſſiones, atque in iis plurima Decreta ad doctrinam Fidei ac morum ſpectantia concluſa & publicata fuerint, aſſiſtentibus ibidem Oratoribus noſtris & nonnullis Regni noſtri Epiſcopis: ac poſtmodum fuerit dictum Concilium Patrum ibidem agentium conſenſu atque auctoritate Bononiam translatum, &c. Confidentes de fide & prudentia dilecti ac chariſſimi conſanguinei noſtri Franciſci de Rohan, apud Sanctiſſimum Dominum noſtrum Papam Oratoris noſtri, eumdem facimus, conſtituimus, & deputamus Procuratorem, Actorem, Mandatarium noſtrum ſpecialiter & expreſſe, ad noſtri Regni ac Dominiorum noſtrorum, ac Eccleſiæ Gallicanæ nomine declarandum ſolemniter, tum in dicto Concilio Bononienſi, quam coram Sanctiſſimo Domino noſtro Papa, & Collegio Cardinalium, velle adhærere dicto Concilio Bononienſi tamquam Sacro, œcumenico, & legitime tranſlato.* Denique *Carolus IX.* qui *Henrico* ſucceſſit, Oratores ſuos & Gallicanos Epiſcopos ad Concilium miſit ſub *Pio IV.* qua in concione cuncta ſub *Paulo III. Julio III.* & ipſo *Pio* condita Decreta, recitata, & approbata ſunt Seſſione 25.

XXIII. Objiciunt *Molinæus*, & *Gentiletus*, cum de Reſidentia Epiſcoporum Jure Divino ſancienda diſceptaretur, ex quo conſequens erat Summum Pontificem quemquam ea lege ſolvere non poſſe; & Patrum pars maxima, præſertimque Hiſpani Antiſtites in eam irent ſententiam, Legatos cum ſeſe legi illi non poſſe intercedere cernerent, rem omnem ſignificaſſe Pontifici, qui ex Apulia & Sicilia quadraginta circiter ſemiſſes quidem atque exigui admodum peculii Epiſcopos tranſmiſit; quibus ad contrariam Divino Reſidentiæ Juri ſententiam accedentibus, factum eſt ut eluderetur lex illa quæ Adminiſtris Eccleſiæ manſionem perſonalem injungeret ceu Divino Jure præceptam, qua nulla ſanctior poterat promulgari.

Summus Pontifex plenam ſuffragandi circa jus Reſidentiæ Epiſcoporum Libertatem Patribus reliquit.

Reſpondetur, Summum Pontificem, ejuſque Legatos non interceſſiſſe ne Reſidentia Juris Divini declararetur, ſed pleniſſimam ſuffragandi libertatem Patribus reliquiſſe. Porro cum varias in ſententias abirent, Viris doctiſſimis ac religioſiſſimis ab utraque parte ſtantibus, neque convenire poſſent, conſultius viſum eſt ab ea quæſtione finienda temperare, quam in tanto opinionum diſſidio & diſſenſione Patrum judicari ac declarari decorum Synodo non fuiſſet. Declaratum nihilominus eſt, Epiſcopos ad manſionem

tene-

teneri, eamque obligationem esse ex *præcepto Divino* consequentem, quo *mandatum est omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre, verbique divini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium exemplo pascere, pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, & in cætera munia Pastoralia incumbere; quæ omnia nequaquam ab iis præstari & impleri possunt, qui gregi suo non invigilant neque adsistunt, sed mercenariorum more deserunt*. Atque ad hujus impletionem præcepti decretis in transgressores pœnis ipsos compulit Sacra Synodus, nullasque agnovit legitimæ absentiæ causas præter *Christianam charitatem, urgentem necessitatem, debitam obedientiam, ac evidentem Ecclesiæ vel Reipublicæ utilitatem*. Quod vero *Molinæus* addit de Apulis & Siculis Episcopis, ad Concilium propterea missis a Pontifice ut pars illa suffragiorum numero vinceret, quæ Residentiam Juris esse Divini negat, calumnia est. Triginta & unum Episcopos Italos severissimæ sententiæ de Residentia adhæsisse, ut nimirum Juris Divini declararetur, *Palavicinus* commemorat ex Actis *Paleoti*, variisque literis, Lib. 17. Cap. 8. & 13. Ipsos, cum apud ad Summum Pontificem insimulati essent quasi parum addicti Sedi Apostolicæ, & ad ejus abjectionem conspirantes, scripta ad ejus Sanctitatem Epistola se purgasse: Pontificem ipsis rescripsisse, sibi probari pium ipsorum animum Sedi Apostolicæ addictum. Quod spectabat ad declarationem, quam ipsi promovendam studio tam ardenti susceperant, cujusnam esset Juris Pastorum Residentia, certum sibi esse pro sua quamque conscientia disseruisse: id sibi minime displicere; quin velle se summam cuique in Concilio libertatem servari; sed illos ad concordiam ac moderationem paterne cohortari. Quæ cum ad *Molinæi* confutationem sufficiant, plura congerere non opus.

XXIV. Objicit *Molinæus*, Sessione 23. Tridentini Concilii Capite quarto sancitum esse, In præficiendis Ministris Ecclesiæ, instituendisque Episcopis aut Presbyteris, nullam habendam Laicorum voluntatis, aut civilis Magistratus rationem, ac ne hoc quidem ea de re vel tantillum rogandos vel appellandos, uti aut consentiant, aut suam interponant Auctoritatem. Huic Tridentino Decreto reclamare Jura Veterum, & maxime *Caroli Magni & Ludovici Pii* Capitularia; repugnare *Caroli Noni* in Conventu Ordinum Aurelianensi Constitutionem anno 1560. promulgatam in Senatu, & in Acta transcriptam Idibus Septembris, eodem anno, qua sancitum est, ut in Episcoporum Electione duodecim a Nobilium Ordine, totidem e reliquo populo selecti cives, tres Regi nominent Candidatos; Rex vero eum aligat qui ipsi ad Sacrum Munus magis idoneus videbitur. Cum itaque contrarium sanxerit Tridentinum Concilium, id nullatenus recipi debere.

Tridentina Synodus Decretis suis de Ordinatione & institutione Episcoporum nulliusque jus læsit.

Respondetur, Sacram Synodum nullam veteris disciplinæ partem, quæ in Episcoporum Electionibus varia fuit, hoc suo Decreto improbasse, nec prohibuisse ut etiam Laicorum consensus, testimonium, voluntas exquireretur, aut Nominationis Principum ratio haberetur, ubi id sive Jure sive Privilegio, aut moribus ab Ecclesia probatis institutum esset, sed definivisse dumtaxat, *In Ordinatione Episcoporum, Sacerdotum, & cæterorum Ordinum, nec Populi, nec cujusvis sæcularis Potestatis & Magistratus consensum sive vocationem, sive auctoritatem ita requiri, ut sine ea irrita sit Ordinatio*; quin potius decrevisse: *Eos qui tantummodo a populo aut sæculari Potestate ac Magistratu vocati & instituti ad hæc ministeria exercenda ascendunt, & qui ea propria temeritate sibi sumunt, omnes non Ecclesiæ Ministros, sed fures & latrones, per ostium non ingressos, habendos esse*. Quod Scripturæ Sacræ, Traditioni, veterumque Conciliorum Decretis omnino consonum facile probari potest. De Ordinatione igitur & Institutione Episcoporum, non de Nominatione ac designatione, Concilium Tridentinum statuit, ac proinde nec veteri disciplinæ, Regumque nostrorum Capitularibus, quoad ea quæ spectant Electiones ante Synodum Tridentinam antiquatis, neque *Caroli IX.* in Conventu Ordinum Aureliæ habito Sanctioni, nusquam ad usum revocatæ, adversatur.

XXV. Objicit *Molinæus*, Eadem Sessione in Decreto Reformationis cap. 12. cautum promulgatumque, licere cuique vigesimo quinto ætatis anno esse Sacerdotem, quod Aurelianensi Sanctioni contrarium est, quæ triginta annos Sacerdotio præstituit, hac in-

Clem. L. 1. Tit. 6. C. 3.

ra cum antiquis Canonibus magis conveniens. Ex quo infert, Synodum Tridentinam in Gallia recipi non debere.

Respondetur, Christianissimum Regem in Comitiis Aurelianensibus id secundum veteres Canones sanxisse, quibus Viennensis & Tridentina Synodus derogare potuerunt, cum *Plenaria Concilia priora sæpe a posterioribus corrigantur, ut S. Augustinus* ait, quod spectat ad disciplinam, quæ *Lege Fidei manente, admittit novitatem correctionis, operante scilicet & proficiente usque in finem gratia Dei* (ut *Tertullianus* loquitur lib. De *Virginibus Velandis*, cap. 1.) Reges Christianissimos Constitutiones suas de hujusmodi rebus Ecclesiæ judicio subjecisse, religio ipsorum pietasque probant. Unde quemadmodum Judices a Marciano Augusto ad Synodum Chalcedonensem missi, quædam Rescripta canonibus contraria ejusdem Principis Auctoritate in irritum miserunt, Sancta Synodo acclamante: *Contra Regulas Pragmaticum nihil valebit. Universa Pragmatica cessabunt: Regulæ teneant; & hoc a vobis fiat*: Ita post Synodum Tridentinam, Sanctio Blesensis Aurelianensem, quoad Articulum supradictum de Ordinandorum ætate abrogavit, & Synodi Tridentinæ Decreto se accommodavit. Mitto quod Cardinalis *A Lotharingia* in Synodo sua Provinciali Remensi anno 1564. Congregatione nona dixit: „ Comitia Aurelianensia cujusmodi fuerunt, nolo hic „ dicere: constat certe in iis multa fuisse constituta, „ quæ cum Jure Ecclesiastico pugnant ex diametro, „ & magnum afferunt detrimentum & præjudicium: „ cur ergo eorum Decretis esse standum judicabit Ecclesia? *Et Congregatione 10. dixit*: Quod attinet ad „ ætatem Presbyterorum, videndum esse ne nimis pro- „ vectæ ætatis ordinentur: fuisse quidem in illis Co- „ mitiis Aurelianensibus speciosas factas Leges, cujus- „ modi est qua cavetur, ne ordinetur Sacerdos qui non „ sit triginta aut quadraginta annos natus, & ne pro „ celebranda Re divina dentur Sacerdoti plusquam duo „ solidi & dimidius; sed eæ non aliud spectabant, „ quam ne amplius ordinarentur Presbyteri.

Christianissimi Reges de Rebus Ecclesiasticis Constitutiones Ecclesiæ judicio subjecerunt.

XXVI. Objicit Molinæus, Nonnulla Decreta in Concilio Tridentino edita quibus sartis tectis Templorum admodum officitur: jubentur siquidem Præsules & Antistites, aut non vetantur ex obventionibus ædificiis sacris attributis quam visum fuerit partem decerpere, transferreque alio: quod est (inquit) contra bonos mores, & adversus eorum, qui bona illa in id erogarunt, voluntatem, quam nefas est infringi. Præterea, Regis inde Jurisdictioni derogatur, & Magni Eleemosynarii Franciæ Præfectura suo Jure minuitur, Judicumque Regiorum convellitur Auctoritas. Constat enim cognitionem disceptationemque causarum, quæ sarta tecta Templorum spectant non ad Ecclesiasticos, sed ad Regios Judices pertinere. Quod ex 4. Regum Cap. 12. & 1. Paralipomenon, Cap. 24. confirmatur. Ex his porro colligit, Concilium Tridentinum in Galliis recipiendum non esse. Idem argumentum urget *Gentilletus* ad Sessionem 7. Num. 8. Quod vero, inquit, ad 15. hujus Sessionis Decretum attinet, & ad 8. vigesimæ quintæ, quibus administratio Xenodochiorum, Ptochotrophiorumque, Ordinariis, hoc est, Episcopis tribuitur, hoc Edicto & Constitutionibus Regiis repugnat, quibus hæc provincia demandatur civitatum Majoribus, consulibus & civibus, ordinariisque Judicibus controversiarum, quæ ex ea administratione nascantur, cognitio.

Concilii Tridentini Decreta de sartis tectis Templorum defenduntur.

Respondetur, Potestatem transferendi alio, quæ sartis tectis Templorum attributa sunt, Episcopis a Concilio Tridentino non concedi nisi in eo dumtaxat casu, quo Ecclesiæ collapsæ sunt, & nequeunt ob earumdem inopiam instaurari. Decernit autem ut in Matrices aut alias Ecclesias eorumdem locorum aut vicinorum transferantur, idque fiat vocatis quorum interest. Quod Decretum pietati non officit, quinimo ad eam promovendam editum est; nec repugnat voluntati eorum qui bona illa erogarunt, immo ejus executionem juvat meliori, quo fieri potest, modo, ut fatebitur quisquis Decretum legerit Sessione 21. cap. 7. cujus hæc sunt verba: „ Cum illud valde curandum „ sit, ne ea, quæ Sacris Ministeriis dicata sunt, tem- „ porum injuria obsolescant, & ex hominum memoria „ excidant; Episcopi etiam tamquam Sedis Apostoli- „ cæ delegati transferre possint Beneficia simplicia (et- „ iam Juris-Patronatus) ex Ecclesiis, quæ vetusta- „ te vel alias collapsæ sint, & ob eorum inopiam „ nequeant instaurari, vocatis iis quorum interest, in „ Matrices aut alias Ecclesias locorum eorumdem, „ seu vicinorum arbitrio suo; atque in eisdem Eccle-

„ fiis erigant Altaria val Capellas sub eisdem invocationibus, vel in jam erecta Altaria vel Capellas transferant, cum omnibus emolumentis & oneribus Prioribus Ecclesiis impositis. „ Quod vero causarum quæ sarta tecta Templorum, & Hospitalium Administrationem spectant, cognitio Episcopis attribura sit Sessione 7. cap. 15. de Reformatione, consonum est Concilii Vieunensis Decreto seu Clementinæ, *Quia contigit*. Tit. *Da Religiasis Domibus*. Nec Regiæ Jurisdictioni derogat, quia Regiæ Sanctiones vel Senatusconsulta; causarum illarum cognitionem Regiis Judicibus tribuunt propter Fundatorum, Patrooorum, Episcoporum, seu aliorum Prælaturum in iis rebus curandis negligentiam; sicut & hujusmodi curam Ordinariis locorum demandat Concilium Viennense in casu oegligentiæ vel defectus Fundatorum, aut Administratorum. Præterea, Consuetudines, Privilegia, aut Sanctiones Regiæ sive Senatusconsulta integra servantur a Synodo Trideotina, sicut & fundationum Tabulæ; solum decernitur ut audiendis rationibus Administratorum sacræ cujusvis fabricæ, aliis ad id Deputatis adjungatur Episcopus. Sic enim habet c. 9. Decieti de Reformatione, Sessione 22. „ Administratores tam Ecclesiastici quam Laici fabricæ cujusvis Ecclesiæ, etiam Cathedralis, Hospitalis, Confraternitatis, Eleemosynæ, Montis pietatis, & quorumcumque piorum locorum, singulis annis teneantur reddere rationem Administrationis Ordinario, consuetudinibus, & privilegiis quibuscumque in contrarium sublatis: Nisi secus forte institutione & ordinatione talis Ecclesiæ seu fabricæ expresse cautum esset. Quod si ex consuetudine, aut privilegio, aut constitutione aliqua loci, aliis ad id Deputatis ratio reddenda esset, tunc cum iis adhibeatur etiam Ordinarius. „ Quæ Decreta Synodus Rothomagensis, sub *Carolo* Cardinali *Barbonio* Archiepiscopo, anoo 1581. recipit ac executioni mandari jussit. Excipiuntur etiam ab Episcoporum Visitatione & Ordinatione pia loca omnia, *quæ sub Regum immediata Protectione sunt*, nisi eorum licentia habeatur. Quamobrem nulla Regiæ Jurisdictioni fit injuria. Denique 4. Regum c. 12. formam habemus, qua Sacerdotes pecuniam ad sarta tecta Templi instauranda expendebant, ipsis vero negligentibus Rex edixit, ut Pontifex fabricam Templi curaret, pecuniaque numeraretur, & expenderetur, & rationes reddesentur adjuncto Regis Notario: „ Dixitque Joas ad Sacerdotes: Omnem pecuniam Sanctorum, quæ illata fuerit in Templum Domini a prætereuntibus, quæ offertur pro pretio animæ, & quam sponte & arbitrio cordis sui inferunt in Templum Domini, accipiant illam Sacerdotes juxta ordinem suum, & instaurent sarta tecta Domus, si quid necessarium viderint instauratione. Igitur usque ad vigesimum tertium annum Regis Joas, non instauraverunt Sacerdotes sarta tecta Templi; vocavitque Rex Joas Joiadam Pontificem & Sacerdotes, dicens eis: Quare sarta tecta non instauratis Templi? Nolite ergo amplius accipere pecuniam juxta ordinem vestrum, sed ad instaurationem Templi reddite eam. Prohibitique sunt Sacerdotes ultra accipere pecuniam a populo & instaurare sarta tecta Domus. Et tulit Jojada Pontifex gazophylacium unum, aperuitque foramen desuper, & posuit illud juxta Altare ad dexteram ingredientium Domum Domini, mittebantque in eo Sacerdotes, qui custodiebant ostia omnem pecuniam quæ deferebatur ad templum Domini. Cumque viderent nimiam pecuniam esse in gazophylacio, ascendebat Scriba Regis & Pontifex, effundebantque & numerabant pecuniam, quæ inveniebatur in Domo Domini; & dabant eam juxta numerum atque mensuram in manu eorum qui præerant cœmentariis Domus Domini, &c. „ Hanc formam Concilium secutum est Sessionis 22. Cap. 9. cum in audiendis rationibus Administratorum sacræ cujusvis Fabricæ aliis ad id Deputatis ex consuetudine, privilegio, vel constitutione loci, addi sanxit Ordinarium. Denique Constitutionibus *Caroli IX.* anno 1571. *Henrici III.* 1582. *Henrici IV.* 1609. *Ludovici XIII.* 1619. Episcopis, Archidiaconis, & Officialibus, Ecclesias & quævis loca pia visitantibus injunctum est, ut rationes seu computa, census, ac proventus Fabricarum examinarent, causasque circa illarum Administrationem ortas judicarent, harum rarum cognitione Judicibus Regiis interdicta.

XXVII. Objicit *Molinæus*, Synodum Tridentinam Sessione vigesima quarta de Reformatione Matrimonii Cap. 1. connubia non reformare, sed plane deformare, siquidem approbat, nuptias, in quas non habito etiam parentum consensu convenerint filii & filiæ familias quod veteres Leges improbarunt, abhorret publica honestas, dissuadent ac damnant Jurisconsulti omnes. Addit *Molinæus*: Illud Decretum quod irrita declarat connubia, in quibus non adfuerit Romanæ Ecclesiæ Sacerdos, adversari Edictis Pacificationis, ea non improbantis, quæ apud Ecclesiæ Reformatæ Ministros sunt contracta. Ex quibus infert, Hanc Synodum in Galliis non esse recipiendam.

Concilii Tridentini Decretum de Matrimonio a canonibus [illegible] dicuntur.

Respondetur ad primum objectionis Caput, illam esse prorsus calumniosam. Falsum enim est quod Synodus Matrimonia filiorum-familias invitis parentibus approbaverit, quinimmo declaravit ea esse illicita, & *Sanctam Dei Ecclesiam ex justissimis causis illa semper detestatam esse atque prohibuisse*. At rata nihilominus therita dixit, quia Matrimonium solo contrahentium consensu firmum & validum effici, adjunctis conditionibus quas Ecclesia præscripsit, nullisque positis impedimentis, Canones docent. Ita *Nicolaus I.* ad Consulta Bulgarorum, Cap. 3. ut refertur Cap. *Sufficiat*, Causa 27. Q. 2. *Alexander III.* ad Salernitanum Archiepiscopum rescribens, Extra, *De Sponsa duorum* Cap. *Licet*: ac *Innocentius II.* Cap. *Cum apud*. *De Sponsalibus & Matrimonio*: & Cap. *Tuæ fraternitati*. Quibus addendus est *S. Ambrosius* Epistola 68. ad *Sisinnium*, qua ipsi gratulatur ob veniam concessam filio, qui illo inconsulto uxorem acceperat. Nec tamen Sacra Synodus prohibuit quin Principes jure suo uterentur, Matrimonia si contracta in irritum mittendo quoad effectus civiles, seu pœnam exheredationis decernendo in filios familias, qui invitis vel inconsultis parentibus nuberent: quod *Henricus II.* Parisiensis, 1559. *Henricus III.* Blesensi Sanctione præstiterunt. Ex his solvitur & *Gentiliti* objectio Lib. 5. Examinis, p. 261.

Quod Caput spectat alterum, Matrimonia clandestina Sanctione Blesensi, cui Galli Calvinistæ obedientiam debebant, ac Pacificationis Edictis prohibita fuot ipsis etiam novæ Religioois hominibus; non item Sacerdotis præsentia ipsis imperata, sed aliæ præscriptæ Leges, quibus servatis, ratum erat eorum Matrimonium in ratione civilis contractus. Adde, hujusmodi Edictis, quæ Calviniana Factio perturbatis temporibus, a Regibus Christianissimis non tam impetravit, quam armata manu extorsit, approbatam non esse Reformatam falsi nominis Religionem, sed toleratam dumtaxat, adeoque nec approbata ipsorum connubia quasi Sacramenta, sed quasi legitimos contractus.

XXVIII. Objicit *Molinæus*, Synodum Tridentinam eadem Sessione, in Decreto generalis Reformationis, Cap. 1. Episcoporum auctoramenta ad Romanum Pontificem referre, ut per suæ Provisionis Diplomata inauguret Sedibus Pontificalibus. Huic vero Decreto reclamare priscos Canones, & Principum nostrorum Edicta.

Tridentina Synodus jus Regiæ Nominationis adhuc ficta illæsum servavit.

Respondetur, Nihil novi Sacram Synodum statuisse, cum Pactis inter *Leonem X.* & *Franciscum I.* Concordatis id sancitum esset ac receptum: jusque Regiæ Nominationis illæsum servasse his verbis: „ Omnes vero & singulos, qui ad Promotionem proficiendorum quodcumque jus quacumque ratione a Sede Apostolica habent, aut alioquin operam suam præstant; nihil in eis pro præsenti temporum ratione innovando, hortatur & monet, ut imprimis meminerint, nihil se ad Dei gloriam & populorum salutem utilius posse facere, quam si bonos Pastores, & Ecclesiæ gubernandæ idoneos promoveri studeant, eosque alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium suggestionibus, sed eorum exigentibus meritis, præfici diligenter curaverint.

XXIX. Objicit *Molinæus*, Aurelianensem Sanctionem Jus tribuere Episcopis & Præsulibus Ordinariis visitandi Exemptos, in eorumque facta inquirendi ac animadvertendi, nulla habita provocationis ratione, si quæ interponatur: Porro Tridentinam Legem ad Jus Papale conniventem adhærentemque, nihil minus quam hoc ipsum Episcopis tribuere: vult siquidem suos exemptos & immunes, sui semper ut olim esse juris & eadem immunitate frui.

Respondetur, *Molinæum* perperam calumniari. Nam Concilium Tridentinum potestatem visitandi & corrigendi Exemptos non uno in loco attribuit Episcopis Sess. 7. Cap. 8. De Reformatione: „ Locorum Ordinarii Ecclesias quascumque quomodolibet exemptas, Auctoritate Apostolica singulis annis visitare teneantur, & opportunis Juris remediis providere, ut quæ reparatione indigent, reparentur, & cura minime de- „ frau-

„ fraudentur, appellationibus, privilegiis, consuetudinibus etiam ab immemorabili tempore præscriptis, „ Judicum deputationibus, & illorum inhibitionibus penitus exclusis. " Sessione 21. Cap. 8. „ Commendata Monasteria, etiam Abbatiæ, Prioratus, & Præposituræ nuncupatæ, in quibus non viget Regularis „ observantia, nec-non Beneficia tam Curata quam „ non Curata, Sæcularia & Regularia, qualitercumque commendata, etiam exempta, ab Episcopis, etiam tamquam Apostolicæ Sedis delegatis, annis singulis visitentur, &c. Et si in eis vigeret observantia „ regularis, provideant Episcopi paternis admonitionibus, ut eorum Regularium Superiores, juxta eorum „ Regularia Instituta, debitam vivendi rationem observent & observari faciant, & sibi subditos in officio „ contineant ac moderentur. Quod si admoniti intra sex „ menses eos non visitaverint, vel correxerint; tunc „ iidem Episcopi, etiam ut delegati Sedis Apostolicæ, „ eos visitare possint, & corrigere prout ipsi Superiores possent, juxta eorum instituta; quibuscumque „ appellationibus, privilegiis & exemptionibus penitus „ remotis, & non obstantibus. " Sessione 24. in Decreto de Reformatione, cap. 10. „ Episcopi in omnibus „ quæ ad Visitationem ac morum correctionem subditorum suorum spectant, jus & potestatem habeant „ etiam tamquam Sedis Apostolicæ Delegati, ea ordinandi, moderandi, puniendi, & exequendi, juxta „ Canonum Sanctiones, quæ illis ex prudentia sua, „ pro subditorum emendatione, ac Diœcesis suæ utilitate necessaria videbuntur. Nec in his ubi de Visitatione aut morum correctione agitur, exemptio, „ aut ulla inhibitio, appellatio, seu querela, etiam „ ad Sedem Apostolicam interposita, executionem eorum, quæ ab his mandata, decreta, aut judicata „ fuerint, quoquomodo impediat aut suspendat.

Potestatem visitandi & corrigendi Exemptos quomodo Episcopis tribuat Synodus Tridentina.

XXX. Objicit *Molinæus*, Prisca Canonum lege, tum & Sanctionibus Sardicensis Concilii statutum esse, ut si quis Episcopus arcessitur expostulaturque ullius noxæ, & quidem capitalis, vel etiam hæreseos, ita ut in discrimen veniat exauctorationis, totum id constituendum judicium, causamque disceptandam apud Episcopos Provinciæ, non ad Pontificium Tribunal, in prima saltem causæ disceptatione. Tridentina vero Synodus Sessione 24. Cap. 5. Decreti de Reformatione, hæc omnia convelli, ut Pontificiam Jurisdictionem amplificet; ait enim sancitque tales omnes disceptationes protinus quidem, hoc est, in prima causæ actione, ad Summum Pontificem deferendas, atque bujus rei cognitione omnibus aliis Judicibus ordinariis interdicit, nedum Synodo cuivis Provinciali. Nec solum antiquis Canonibus, & Libertatibus moribusque Gallicanæ Ecclesiæ, lex illa Tridentina adversatur (inquit ille) verum etiam Regiæ Jurisdictioni & Auctoritati, qua Rex etiam in Sacerdotes perduellionis vel læsæ Majestatis reos summo jure suo animadvertere potest, criminisque convictos a Metropolitano & Comprovincialibus Episcopis exauctorandos curare. Idem argumentum urget *Gentiletus* Lib. 3. ad Sessionem 13. n. 8.

Cap. Concilii Tridentini, quod incipit, Causæ Criminales, in Galliis non est receptum.

Respondetur, Id quidem Caput antiquam Judiciorum Episcopalium formam mutare, ac propterea in Galliis receptum non esse: et in ipso Concilio intercessisse (quantum opus esset) Cardinalem *A Lotharingia*; Christianissimi Regis Oratores ipsum nominatim improbasse, ut observavi Articulo 14. Eminentissimum illum Cardinalem in suæ Intercessionis Instrumento testari, Decretum de causis criminalibus Episcoporum ita conceptum fuisse in Congregatione diei superioris, *Ut Christianissimi Franciæ Regni Privilegiis, Juribus, & Sacris Constitutionibus nihil præjudicii afferat*. Senatum Parisiensem paulo post Concilium, anno scilicet 1569. intactas illius legibus Gallicanæ Ecclesiæ Libertates ostendisse, æquissimo in Cardinalem *Castellionæum*, hæreseos accusatum, Judicio, quem ob delictum communem ad Superiorem suum, id est, ad Archiepiscopum Remensem ejus Metropolitanum judicandum remisit. Bellovacensem Episcopum in Conventu Ordinum Regni habito Parisiis anno 1614. Cleri nomine de Concilii Tridentini acceptatione agentem apud Plebeium Ordinem, asserere non dubitasse, Statuta Concilii, quæ Gallicanæ Ecclesiæ Juribus contraria videbantur, posita non fuisse Gallis, sed Italis & Hispanis; allatoque Inquisitionis exemplo, non absimilem esse dixisse rationem cæterorum. Ut ut est, hoc Decretum, & alia nonnulla Regni Juribus, Gallicanæ Ecclesiæ Libertatibus ac moribus forte repugnantia, eoque nomine hoc in Regno non recepta, non probant Concilium Tridentinum Œcumenicum non esse, & in Galliis quoad dogmatum definitionem cæteraque Disciplinæ ac Reformationis capita, a Clero non approbatum. Quis enim Catholicus Concilia Constantinopolitanum I. & Chalcedonense, legitima & Generalia esse negaverit, quamvis Romana Ecclesia aliquos ipsorum Canones Sedis Constantinopolitanæ Privilegia spectantes non receperit, ac *S. Leo* Chalcedonensis Gestis, *in sua Fidei causa*, se assensum præbuisse non semel declaraverit? Certe Gallicanus Clerus frequenter ac perseveranter Synodi Tridentinæ promulgationem a Christianissimis Regibus rogavit, sed eas semper exceptiones jure adhibuit, quæ salvas Ecclesię Gallicanæ Libertates præstarent, ut supra observavi.

XXXI. Objicit *Molinæus*, Tridentinam Synodum cap. 13. ejusdem Sessionis declarasse, Pontifici Romano fas esse simplicia Beneficia ad Episcopatus attexere, copulareque, & altera unire adglutinareque alteris: id porro Concilii Basileensis Decretis, Pragmaticæ Sanctioni, & Concordatorum fœderi repugnare.

Tridentina Synodus uniones dumtaxat reales Beneficiorum, non personales approbavit.

Respondetur, Concilium Basileense, Pragmaticam Sanctionem & Concordata, personales Beneficiorum uniones, seu in gratiam personarum factas, prohibere, utpote Reservationes eorumdem Beneficiorum includentes, quæ sublatæ sunt ut Sacrarum Electionum libertati consulerent: non vero uniones reales, sive in gratiam Beneficiorum factas, ob ipsorum tenuitatem & insufficientiam, ad subministrandos sumptus Pastorum sustentationi necessarios. Sic explicat *Gaimerius* Vir Jurisconsultissimus in Commentario Sanctionis Pragmaticæ, Tit. *De Reservationibus*, ad verbum, *Excepti*. Concilium porro Tridentinum uniones dumtaxat reales approbat propter Ecclesiarum necessitatem ac utilitatem; adeoque Constantiensi & Basileensi Conciliis, Pragmaticæ Sanctioni, aut Concordatis, non adversatur. Neque novam Romano Pontifici Auctoritatem contulit, aut jus novum quoad hoc induxit Synodus, ut constat ex cap. *Sicut unire*, quod est *Cœlestini III. Tit. De Excessibus Prælatorum*, cujus hæc sunt verba: *Sicut unire Episcopatus, atque potestati subjicere alienæ, ad Summum Pontificem pertinere dignoscitur: ita Episcopi est Ecclesiarum suæ Diœcesis unio*. Unde & Synodus Rothomagensis anno 1582. celebrata, Tit. *De Episcoporum Officiis*, cap. 32. decernit, ut *Ad pauperiorum Curatorum subventionem & favorem Residentiæ, liceat Episcopis, vel plures Parœcias in unam redigere, vel eis Beneficia simplicia unire, aut Pensiones, aut partem congruam de Decimis in earum Parœcia constitutis attribuere.. Omnia vero juxta formam Decretorum Concilii Tridentini peragantur.*

XXXII. Objicit *Molinæus*, Synodum Tridentinam cap. 19. ejusdem Sessionis abrogare prærogationes Ecclesiasticorum Beneficiorum, Mandataque impertita petente Rege, Summis Curiis Regni, Collegiisque & Academiis, denique cuivis alii homini, nulla habita commendationis Regiæ ratione, pugnat cum jure Sanctionis Pragmaticæ & Concordatorum, quibus nominatim firma rataque mansit Mandatorum hujusce generis adeptio atque impetratio.

Scholastica vel Indultaria Nominationi ad Beneficia Synodus Tridentina non derogat.

Respondetur, istud Synodi Tridentinæ Decretum Concilio Basileensi, & Sanctioni Pragmaticæ prorsus consonum esse, quæ Mandata illa de providendo Beneficiis vacaturis & Gratias Expectativas pessumdederunt ob justissimas rationes, utpote antiquis Canonibus & puriori Ecclesiæ Disciplinæ contrarias, ambitum foventes, mortis alienæ votis occasionem dantes. Concordata certam Mandatorum formam præscripsisse non quo velut necessaria aut utilia Ecclesiæ probarentur, sed ut eorum concessioni modus adhiberetur, cum *Odia restringi* conveniat. Tunc certe penes Summum Pontificem erat nulla hujusmodi mandata concedere. Ut aliqua, modo sub forma præscripta, impertiretur consensit Rex Christianissimus, ut Romanum Pontificem promereretur, ejusque Auctoritati, & in hoc plurimum tribueret. Sed Concilium, Summusque Pontifex, qui illud approbavit, *Mandata* illa *de providendo & Gratias Expectativas* sustulerunt, nullo Gallicanæ Ecclesiæ detrimento, immo magni commodi accessione: siquidem eo Decreto Collatoribus ordinariis plenior ac liberior accrescit vacantia Beneficia conferendi facultas. Scholasticæ tamen Nominationi in gratiam Academiarum a Concilio Basileensi & Sanctione Pragmatica institutæ, & meliorem in formam per Concorda-

cordata Bononiensia immutatæ; vel Indultariæ Nominationi a *Paulo III.* Supremo Senatui concessæ, nullatenus derogat Synodi Tridentinæ Decretum. Præterea Sanctio Blesensis Reservationes nullas & irritas declaravit secundum quam ipsas omnino abrogari, *Henrico III.* Regi Christianissimo supplicavit Concilium Provinciale Turonense anno 1583. celebratum, cap. 12. cujus hæc sunt verba. *Gratias omnes, quæ expectativæ dicuntur, cum Sacri Canones abhorreant, illæ etenim non modo ambiendi Sacerdotia sed mortis captandæ votum præbent: omnibus Episcopis, Abbatibus, Capitulis & aliis quibuscumque Beneficiorum Collatoribus & Patronis cum Ecclesiasticis tum Laicis, cujoscumque gradus, qualitatis & ordinis existant, quibusvis personis prima Beneficia vocatura promittere prohibet hæc Synodus, ac Christianissimo & Generosissimo Domino nostro Regi, quam potest humillime supplicari, ut qui suo Edicto ad Trium Ordinum Regni Blesis congregatorum supplicem libellum promulgato, Episcopatuum, Abbatiorum, & Prioratuum, quas antea mandaverat, Reservationes nullas declaravit, Gratiarum hujusmodi sive Indultorum revocationem, quarum occasione latior in dies & facilior confidentiæ & simoniæ via aperitur, & multa Beneficia debitis frauduntur obsequiis, illorumque ædes potissimum sacræ multas ruinas patiuntur, gratam habere, ac earumdem usum omnino abrogare, illoque omnibus interdicere velit. Quam revocationem si certis de causis omnino totam habere non dignetur sua Majestas, indolta dumtaxat illa his edicat profutura, qui fortis sint Ecclesiasticæ, idque ad ea solam Beneficia, quorum vel qualitatis vel Pontificiæ dispensationis Privilegio capaces erunt; adeo ut si Clerici tantum seu sæculares existant, in vim illorum Indultorum Regularia obtinere non valeant.*

XXXIII. Objicit *Molinæus*, In Decreto Reformationis Regularium interdici quidem Regularibus personis omni testamenti factione, omnique alia donatione aut transcriptione peculii, quod sibi quæsiverint, conseceriotque, aut eis aliunde obvenerint, seu sit suppellex, seu quævis res alia prædiata & non movens, eaque omnia cujuscumque tandem sint generis, voluisse indistincte Tridentinum Concilium statim parta constataque Cœnobiis censeri. Secus vero de hisce statuisse Comitia Aurelianensia, Articulo 19. censuisse enim in hanc sententiam: Qui adolescens ante vigesimum-quintum, aut quæ adolescentula ante vigesimum ætatis annum, Monasticam Religionem professi fuerint, utrique de obventitiæ hæreditatis parte statuendi ut voluerit, relinquendique cui visum fuerit consanguineo cognatoque jus esto; non porro addicenda bona illa Monasterio.

Tridentinum Decretum de Reformatione Regularium defenditur.

Respondetur, Concilium Tridentinum loqui de bonis quæ libere, pure, sine controversia & prohibitione Legis Regularibus Personis obvenerint, aut obventura sunt post Monasticam Professionem, quæ ipsos a peculii possidendi, condendique testamenti jure dejicit, secundum Canones: Aurelianensem vero Sanctionem loqui de bonis obvenientibus aut obventuris ante Monasticam Professionem, quam ante vigesimum-quintum ætatis annum a viris, ante vigesimum a fœminis fieri vetat. Rex itaque, de Ordinum Consilio, cavere volens ne fraude accelerarentur Professio, utque maturiori consilio fieret, libertatem ademit Monachis & Sanctimonialibus, disponendi de bonis suis in gratiam Monasterii ante constitutam ætatem. Principi quoque liberum est subditorum bonis certas Leges imponere, justis de causis, quæ ipsis potestatem auferant de ipsis disponendi; sicut prodigis Leges bonis interdicunt (*L. 1. De Curatore furios. in ff. & L. Is cui bonis. De verborum obligatione.*) Cæterum Aurelianensis Sanctio, quam Blesensis quoad tempus Professionis Religiosæ emendavit, eam decimo-sexto ætatis anno cum ab adolescentibus tum a puellis legitime fieri posse declarans, quod Tridentina Synodus edixerat, non permittit proprietatem Monachis, sicut nec ipsum Concilium Cap. laudato, cujus hæc sunt verba: *Nemini Regularium, tam virorum quam mulierum, liceat bona immobilia, vel mobilia, cujuscumque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquisita, tamquam propria, aut etiam nomine Conventus possidere vel tenere, sed statim ea Superiori tradantur, Conventuique incorporentur.* Nec tamen Tridentinum Decretum derogat Canoni, *Constitit*, quod a *Gratiano* Causa 16. Quæst. 1. & ante ipsum ab *Ivone Carnotensi* & *Burchardo* velut ex Concilio Moguntino profertur, cum sit Cabilonensis II. Cap. 7. cujus hæc sunt verba: *Constituit sacer iste Conventus, ut Episcopi sive Abbates, qui non in fructum animarum, sed in avaritiam & turpe lucrum inhiantes, quoslibet homines circumveniendo totonderunt, & res eorum tali persuasione surripuerunt, Pœnitentiæ Canonicæ, utpote turpis lucri spectatores subjaceant. Hi vero qui illecti comam deposuerunt, in eo, quod cœperunt, perseverare cogantur; res vero eorum hæredibus reddantur.*

XXXIV. Objicit *Molinæus*, Cap. 3. ejusdem Decreti, liberum relinqui quatuor Mendicantium Ordinibus agros, terrasque, domos, & prædia, & alias id genus statarias obventiones sibi quærere, obtinereque & possidere: quod veteribus Senatusconsultis adversatur; ideoque in Galliis recipi non posse.

Respondetur, Senatusconsulta a *Molinæo* laudata contra Mendicantes pronuntiata esse, quibus Regulæ vel Constitutiones bonorum immobilium possessionem, etiam in communi prohibentur, nec id ullo concessum erat Privilegio. Porro Tridentina Synodus id licere illis deinceps voluit Jure communi, exceptis FF. Capuccinis & Minoribus de Observantia. Omnes autem Mendicantium Ordines bonorum immobilium possessione per suas Regulas & Constitutiones minime prohibentur, immo sunt nonnulli quibus nec Regula id vetat, & qui cum bonis immobilibus a Sede Apostolica fuere confirmati, ut Ordo Prædicatorum inter alios; cujus propterea Cœnobia bona immobilia ante Concilium Tridentinum possidebant, ex Regum etiam Christianissimorum beneficentia, vel licentia. Quamquam enim paulo post Ordinem institutum possessiones ejurassent, ipsos tamen postea, refrigescente Fidelium charitate, Summi Pontifices * in pristinam libertatem possidendi prædia, latifundia, domos, & quæcumque bona immobilia, restituerant, illis Constitutionibus abrogatis, quas post institutum & confirmatum Ordinem in Generalibus Comitiis sibi imposuerunt, *Sancto Dominico Auctore.*

** Clemente IV. Bonifac. VIII. Innoc. VI. Bonifac. IX. Sixtus IV. Innoc. VIII. &c.*

XXXV. Objicit *Molinæus*, Concilium Tridentinum permittere ut Excommunicationum fulmina vibrentur ad recuperanda quæ amissa sunt, aut interversa, aut dolo furtoque sublata: quod pleraque Senatusconsulta tamquam iniquum novumque prohibuerunt.

Concilii Tridentini Decretum de Excommunicatione defenditur.

Respondetur, Senatusconsultis Amplissimæ Curiæ de Ecclesia & Catholica Religione optime meritæ, prohibitum esse dumtaxat abusum Excommunicationum pro causis levioribus forte latarum, quem damnat pariter Sacra Synodus, improbavitque semper Ecclesia. Sed non prohibuit usquam neque prohibere se posse putavit, ne ferretur Excommunicatio in criminis lethalis reos, quales sunt fures, & eorum conscii, rerumque furto raptarum receptores ac detentores; cum grave futurum est, damnumque non vulgare proximo illatum. Cujus rei judicium penes Episcopum esto. *Quamvis* (inquit Concilium) *Excommunicationis gladius nervus sit Ecclesiasticæ Disciplinæ, & ad continendos in officio populos valde salutaris, sobrie tamen magnoque circumspectione exercendus est, cum experientia doceat, si temere, aut levibus ex rebus incutiatur, magis contemni quam formidari, & perniciem potius parere quam salutem. Quapropter Excommunicationes illæ, quæ Monitionibus præmissis, ad finem revelationis (ut ajunt) aut pro deperditis seu subtractis rebus ferri solent, a nemine prorsus, præterquam ab Episcopo decernantur, & tunc non alias quam ex re non vulgari, causaque diligenter ac magna maturitate per Episcopum examinata, quæ ejus animum moveat, nec ad eas concedendas cujusvis sæcularis, etiam Magistratus, Auctoritate adducatur, sed totum hoc in ejus arbitrio & conscientia sit positum, quando ipse pro re, loco, persona, aut tempore, eas decernendas esse judicaverit.* Quod Decretum a Synodo Rothomagensi an. 1581. receptum est.

XXXVI. Objicit *Molinæus*, Ferri non posse quod eodem Decreto Concilium Jus tribuat Pontificiis & Ecclesiasticis Judicibus, manus injiciendi in laicos homines, eosque mulctandi, tum executionis lege per suos apparitores accensosque & præcones, atque per alios in eos agendi, idque ipsum vi Sententiæ, quam vel per seipsos, vel per suos Magistratus tulerint.

Respondetur, Concilium loqui, de illis dumtaxat causis, in quibus *executio realis vel personalis propria Auctoritate a Judicibus Ecclesiasticis fieri potest.* In his enim causis, mulctis pecuniariis piis locis applicandis, pignorum captione, carcere coerceri potius reos decernit, quam Censuris Ecclesiasticis feriri, ne vilescant Censuræ, si pro causis quibuscumque distringuantur. Hunc porro Canonem innovavit ac executioni mandari jussit Synodus Provincialis Aquensis an. 1585. celebrata, Tit. *De Excommunicatione.*

XXXVII.

XXXVII. Objicit *Molinæus*, Caput nonum ejusdem Decreti fraudi esse plane damnoque Patronatui Laicorum, quem obterit & imminuit, quantum potest. Exigit enim a Laicis, ut Jus illud Patronatus suum probent per efficaces Nominationum, Præsentationumque Codicillos, jugi quinquaginta annorum spatio, de quo etiam ex Literis obsignatisque fide eximia Monumentis liqueat; nisi vero Jus suum hoc pacto probent, causa Patronatus exturbat. Quod cum Tridentina Synodus statuit, falcem misit in messem alienam; Siquidem Jus Patronatus Laicorum Civili ac Regiæ Jurisdictioni obnoxius semper fuit, non spirituali & Ecclesiasticæ. Idem objicit *Gentiletus* Lib. 3. in Examine Sessionis 14. Num. 6.

Tridentina Synodus Jus Patronatus legitimum non convellit.

Respondetur, Legitima Patronatuum jura hoc Decreto non tolli, sed caveri ne Jus Patronatus a laicis usurpetur; meritoque ex illo dejici, qui nullo titulo, nullis literis ac Monumentis fulciuntur, nec diuturna possessione juvantur. In qualibet enim præscriptione, cum bona fide & possessione, requiritur etiam titulus probatus, ut colligitur ex *L. Nullo justo C. De rei vendicatione*, & Ex Cap. *Si diligenti. De foro competenti*. Quod præcipue locum habet in causa servitutis, quæ odiosa est; cum res omnes jure naturæ præsumantur liberæ ut constat ex *L. Altius de Servit. C. L. Servitates*. Patronatus porro cum servitutibus affinitatem quamdam habet. Juste ergo Tridentini Patres hoc Decretum ediderunt: *Sicut legitima Patronatuum jura tollere, piasque Fidelium voluntates in eorum institutione violare æquum non est, sic etiam ut hoc colore Beneficia Ecclesiastica in servitutem, quod a multis impudenter fit, redigantur, non est permittendum. Ut igitur debita in omnibus ratio observetur, decernit Sancta Synodus ut titulus Juris Patronatus sit ex fundatione vel dotatione; qui ex authentico Documento, & aliis a jure requisitis ostendatur: sive etiam ex multiplicatis Præsentationibus per antiquissimum temporis cursum qui hominum memoriam excedat, aliasve secundum Juris dispositionem. In iis vero Personis seu Communitatibus, vel Universitatibus in quibus id Jus plerumque ex usurpatione potius quæsitum præsumi solet, plenior & exactior probatio ad docendum verum titulum requiratur; nec immemorabilis temporis probatio aliter eis suffragetur, quam si, præter reliqua ad eam necessaria, Præsentationes etiam continuatæ, non minori saltem quam quinquaginta annorum spatio, quæ omnes effectum sortitæ sint, authenticis Scripturis probentur.* Reliquos Patronatus omnes in Beneficiis tam Sæcularibus, quam Regularibus, seu facultates & Privilegia concessa, tam in vim Patronatus, quam alio quocumque jure, nominandi, eligendi, præsentandi ad ea cum vacant, prorsus abrogat Concilium, *Exceptis Patronatibus super Cathedralibus Ecclesiis competentibus, & aliis, quæ ad Imperatorem, & Reges, seu Regna possidentes, aliosque sublimes ac supremos Principes, Jura Imperii in Dominiis suis habentes, pertinent, & quæ in favorem Studiorum Generalium concessa sunt.* Licet porro causas Juris Patronatus, Ordinariorum, uti Sedis Apostolicæ delegatorum, cognitioni Concilium reservet, quos nullius facultatibus aut Privilegiis in earum examine ac judicio vult prohiberi; Gallicani tamen Regni moribus, quibus hujusmodi ac similes controversiæ, ratione possessorii, quoad Jus Patronatus Ecclesiasticum; ratione etiam petitorii, quoad Laicum, in Senatu disceptantur ac dirimuntur, præjudicare voluisse haud censendum est. Et si quis Concilii verba absque exceptione esse intelligenda contenderet: id inter illa capita Disciplinæ ac Politiæ Ecclesiasticæ referendum est, quæ in Galliis non sunt recepta, quamvis Concilium ipsum ut legitimum & Œcumenicum ab omnibus Catholicis in Gallia & ubicumque gentium habeatur.

Pœna Privationis Jurisdictionis & Dominii in Decreta de Duello, Feudatarios dumtaxat Ecclesiæ spectant.

XXXVIII. Objicit *Molinæus*, Cap. 19. ejusdem Decreti, Synodum singularia certamina prohibere ea lege quæ de Majestate est, ac interminari Regibus Principibusque abrogationem Ditionis Potentatusque in quo duellum fieri permiserint. Quamobrem si Concilium recipimus, sequitur situm esse in Pontifice Romano Regem nostrum omni sua Ditione, Potestateque & Jurisdictione ejicere.

Respondetur, Synodum interminari Regibus & Principibus privationem Jurisdictionis & Dominii civitatis Castri & loci, in quo duellum fieri permiserint, si illud dominium clientelari ac fiduciario jure ab Ecclesia obtineant; adeoque Reges Christianissimos non spectare, quorum Dominia Ecclesiæ in temporalibus non sunt obnoxia. Ita respondet *Gregorius Tolosanus*, Vir Jurisconsultissimus, idque verba ipsa Decreti manifeste probant, *Detestabilis*, inquit, *duellorum usus fabricante diabolo introductus, ut cruenta corporum morte animarum etiam perniciem lucretur, ex Christiano orbe penitus exterminetur. Imperator, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, & quocumque alio nomine Domini temporales, qui locum ad Monomachiam in terris suis inter Christianos concesserint, eo ipso sint excommunicati, ac Jurisdictione & Dominio Civitatis, Castri aut loci, in quo vel apud quem duellum fieri permiserint, QUOD AB ECCLESIA OBTINENT, privati intelligantur, & SI FEUDALIA SINT, directis Dominis statim acquirantur.*

XXXIX. Objicit *Molinæus*, Synodum Tridentinam cap. vigesimo ejusdem Decreti jubere cuivis Principi, Regi & Summo Domino, ut Decreta Pontificia omnis generis observet, ac quidquid legitur usquam decretum, dictum, sancitum in gratiam Cleri, quidquid per Concilia attributum Ecclesiasticæ Jurisdictioni, id ut ubivis gentium obtineat, & solicite custodiatur. Igitur quidquid sibi umquam adversus Principum Imperia sumpsere Pontifices, hoc Tridentino Decreto renovatur.

Respondetur, Hanc objectionem puram putam esse calumniam. Concilium enim de quibuscumque Legibus Ecclesiasticis non loquitur, sed de iis quæ in favorem Ecclesiasticæ Libertatis editæ sunt. Hæ vero Christianissimis Regibus non incommodant, qui Ecclesiæ immunitatem ac libertatem semper protexere, ut ex eorum Capitularibus, & Sanctionibus, & ex Conciliis in Gallia celebratis, ab ipsisque comprobatis certum est. Concilii verba ad calumniam difflandam subjicio: *Decernit itaque & præcipit, Sacros Canones, & Concilia generalia omnia, nec non alias Apostolicas Sanctiones, in favorem Ecclesiasticarum Personarum Libertatis Ecclesiasticæ, & contra ejus violatores editas, quæ omnia præsenti etiam Decreto innovat, exacte ab omnibus observari debere. Præterea admonet Imperatorem, Reges, Respublicas, Principes & omnes & singulos cujuscumque status & dignitatis extiterint, ut quo largius bonis temporalibus, atque in alios potestate sunt ornati, eo sanctius quæ Ecclesiastici Juris sunt, tamquam Dei præcipua, ejusque patrocinio tecta venerentur, nec ab ullis Baronibus, Domicellis, Rectoribus, aliisve Dominis temporalibus, seu Magistratibus, maximeque ministris ipsorum Principum lædi patiantur; sed severe in eos qui illius libertatem, immunitatem, atque Jurisdictionem impediunt, animadvertant. Quibus etiam ipsimet exemplo ad pietatem, Religionem, Ecclesiarumque protectionem existant; imitantes anteriores optimos religiosissimosque Principes, qui res Ecclesiæ sua imprimis auctoritate ac munificentia auxerunt, nedum ab aliorum injuria vindicarunt.* Quæ autem in Regum & Supremorum Principum Imperia moliti sunt Pontifices nonnulli, Canonum ac Legum Ecclesiasticarum loco non sunt censenda, cum Ecclesiæ consensu recepta non sint & comprobata.

XL. Objicit *Molinæus*, Quidquid in Concilio Tridentino actum, conclusum, ac definitum est, id omne postremo Decreto ad arbitrium Romani Pontificis deferri, cujus auctoritati & suffragationi subjicit omnia. Diruat ille, ædificet, mutet (quod ajunt) quadrata rotundis, illi ac ejus Successoribus omne in tempus quidquid lubebit agendi, decernendi, figendi, refigendique in Ecclesia potestatem dat Tridentinum Concilium. Hoc autem non est errores emendare, sed in deteriorem partem omnia vertere.

Tridentina Synodus nihil novi tribuit Romano Pontifici.

Respondetur, Calumniosam esse objectionem. Cum enim declarat Synodus omnia, quæ in ea statuta sunt, ita decreta fuisse, *Ut in his salva semper Sedis Apostolicæ Auctoritas & sit, & esse intelligatur*, nihil ipsi tribuit, nisi quod a jure concessum est, scilicet potestatem interpretandi ac temperandi Canones, cum aliqua orta fuerit difficultas, vel cum necessitas aut utilitas major Ecclesiæ eorum relaxationem postulaverint. Ac de interpretatione & declaratione quidem æquissimum est Concilii Decretum his verbis conceptum: *Quod si in his recipiendis aliqua difficultas oriatur, aut aliqua inciderint, quæ Declarationem (quod non credit) aut definitionem postulent; præter alia remedia in hoc Concilio instituta, confidit sancta Synodus Beatissimum Romanum Pontificem curaturum, ut vel evocatis, ex illis præsertim Provinciis, unde difficultas orta fuerit, iis quos eidem negotio tractando viderit expedire, vel etiam Concilii generalis celebratione, si necessarium judicaverit, vel commodiore quacumque ratione ei visum fuerit, Provinciarum necessitatibus pro Dei Gloria & Ecclesiæ tran-*

quil-

quillitati consulatur. In dispensationibus vero concedendis prudentiam ac moderationem postulat maximam, tantum abest ut Romani Pontificis voluntati omnia permittat. *Sicuti*, inquit, *publice expedit Legis vinculum quandoque relaxare, ut plenius evenientibus casibus & necessitatibus pro communi utilitate satisfiat; sic frequentius Legem solvere, exemploque potius quam certo personarum rerumque delectu petentibus indulgere, nil aliud est quam unicuique ad Leges transgrediendas aditum aperire. Quapropter sciant universi Sacratissimos Canones exacte ab omnibus, & quoad ejus fieri poterit, indistincte observandos. Quod si urgens justaque ratio, & major quandoque utilitas postulaverint cum aliquibus dispensandum esse, id causa cognita, ac summa maturitate, atque gratis, a quibuscumque ad quos dispensatio pertinebit, erit præstandum; aliterque facta dispensatio subreptitia censeatur.* Qua Tridentini Concilii Lege tenentur & ipsi Romani Pontifices.

Suavis & Gentileti objectioni respondetur.

XLI. *Suavis Polanus*, & Auctor Anonymus *Revisionis Concilii Tridentini* editæ anno 1600. objiciunt, Concilium Episcopalem Auctoritatem deprimere, dum Episcopos veluti Romani Pontificis Vicarios traducit, jurisdictionem ipsis tribuendo ut *Sedis Apostolicæ Delegatis*, quam divino jure ipsos habere constat. Addidit *Gentiletus*, Delegationes hujusmodi Regiæ Auctoritati ejusque Curiis Parlamenti repugnare, quoniam in Galliis hujusmodi extraordinaria Imperia numquam tolerata fuerunt citra Regis consensum, Parlamentorumque approbationem.

Cur Episcopis Jurisdictionem in Exemptos Tridentina Synodus multis in causis concessit tamquam Sedis Apostolicæ Delegatis?

Respondetur, Episcopos Divino quidem Jure Auctoritatem & Jurisdictionem in Diœceses suas ac subditos habere, eamque a Christo immediate, non a Summo Pontifice accipere: sed Diœcesum divisio, subditorumque designatio a Romano Pontifice pendet: qui & justis de causis immunitates ac privilegia Ecclesiis vel Monasteriis concedere potest, quibus ab Ordinarii Jurisdictione solvantur & eximantur. In concedendis hujusmodi privilegiis & immunitatibus modum olim excesserant Romani Pontifices. A *S. Bernardi* temporibus, gemitus, lachrymas, querimonias piis omnibus excusserat abusus Exemptionum. Episcoporum pars maxima illas penitus aboleri postulabat a Tridentina Synodo. Insignia Capitula, Monasteria, aliaque pia loca, & populosi Religiosorum hominum Ordines, quorum opera Concilio utilis fuerat, privilegia sua intacta manere rogabant. Favebant Episcopi plerique ex illis Ordinibus assumpti. Pontifex ad eorum abrogationem haud certe propendebat, plurima hujusmodi privilegia ad preces Regum vel Principum, vel ad Feudatorum petitionem concessa non ignorans, nec rescindere volens, quod a suis Decessoribus, quandoque publicæ utilitatis respectu, vel observantiæ Regularis promovendæ studio, vel ob eximia quorumdam Ordinum ac Monasteriorum in Romanam & universalem Ecclesiam merita, vel devotionis erga Sedem Apostolicam fovendæ causa, matura deliberatione concessum existimabat. Quamobrem id initum temperamentum est, quod Jurisdictionem perinde atque ordinaria foret, Episcopi obtinerent in homines ab illorum foro per Pontificia Privilegia subductos; simul etiam in iis qui per Privilegia eximebantur, titulus ac veritas Exemptionis intacta persisteret; concessa cunctis Episcopis facultate generali ac perpetua, in certis quibusdam causis Jurisdictionis exercendæ, tamquam speciatim a Sede Apostolica delegatis. Ita Sessione 5. in Decreto de Reformatione, Cap. 1. statuit Sacra Synodus, *Ut in Monasteriis Monachorum, ubi commode fieri queat, etiam Lectio Sacræ Scripturæ habeatur: qua in re si Abbates negligentes fuerint, Episcopi locorum in hoc, ut Sedis Apostolicæ delegati, eos ad id opportunis remediis compellant.* Et Cap. 2. de verbo Dei a Parochialium Ecclesiarum Rectoribus diebus saltem Dominicis & Festis solemnibus prædicando, ita statuit: *Si quæ vero Parochiales Ecclesiæ reperiantur subjectæ Monasteriis in nulla Diœcesi existentibus, si Abbates & Regulares Prælati in prædictis negligentes fuerint, a Metropolitanis, in quorum Provinciis Diœceses ipsæ sitæ sunt, tamquam quoad hoc Sedis Apostolicæ delegatis, compellantur.* Et infra, de Regularibus hominibus errores inter concionandum seminantibus sic decernit. *Quod si hæreses prædicaverit, contra eum, secundum Juris dispositionem aut loci consuetudinem procedat, etiamsi Prædicator ipse generali vel speciali Privilegio Exemptum se esse prætenderet: quo casu Episcopus Auctoritate Apostolica, & tamquam Sedis Apostolicæ delegatus procedat.*

Hac formula Episcoporum Auctoritas, non est imminuta, sed firmata vel amplificata.

Sessione 6. Cap. 2. ubi de secundi Ordinis Sacerdotibus ad personalem in Beneficiis Residentiam compellendis decernitur: „Nullique Privilegia seu Indulta „perpetua de non residendo, aut de fructibus in absentia percipiendis suffragentur: Indulgentiis vero & „dispensationibus temporalibus, ex veris & rationalibus causis tantum concessis, & coram Ordinario legitime probandis in suo robore permansuris: quibus „casibus nihilominus Officium sit Episcoporum, tamquam in hac parte a Sede Apostolica delegatorum „providere, ut per deputationem idoneorum Vicariorum, & congruæ portionis fructuum assignationem, „cura animarum nullatenus negligatur, nemini, „quoad hoc, Privilegio seu Exemptione quacumque „suffragante. *Et Cap. 3.* Nemo Sæcularis Clericus, „cujusvis personalis, vel Regularis extra Monasterium „degens, etiam sui Ordinis Privilegii prætextu tutus „censeatur, quominus, si deliquerit, ab Ordinario „loci, tamquam super hoc a Sede Apostolica delegato, secundum Canonicas Sanctiones visitari, puniri, & corrigi valeat.

Sessio VII. in Decreto de Reformatione, Cap. 8. „Locorum Ordinarii Ecclesias quascumque quomodolibet Exemptas, Auctoritate Apostolica singulis annis visitare teneantur, &c. *Et Cap. 14.* In civilibus „causis mercedum & miserabilium personarum, Clerici Sæculares, aut Regulares extra Monasterium „degentes quomodolibet Exempti . . . . coram locorum Ordinariis, tamquam in hoc ab ipsa Sede „delegatis, conveniri, & jure medio ad solvendum „debitum cogi & compelli possint; Privilegiis, Exemptionibus, Conservatorum deputationibus, & „eorum inhibitionibus, adversus præmissa nequaquam „valituris.

Sessione XIII. In Decreto de Reformatione, c. 5. „Episcopus apud Ecclesiam suam residens, de subreptione & obreptione gratiæ, quæ super Absolutione alicujus publici criminis vel delicti, de quo ipse „inquirere cœperat, aut remissione pœnæ, ad quam „criminosus per eum condemnatus fuerit, falsis precibus impetratur, per se ipsum, tamquam Sedis Apostolicæ delegatus, etiam summarie cognoscat, ipsamque gratiam postquam per falsi narrationem, „aut veri taciturnitatem obtentam esse legitime constiterit, non admittat. Cum Sedes Apostolica retractare non gravetur quod fuerit *fraude elicitum, non veritate promeritum*; quia *de mendacio nemo debet lucrari, præsertim apud primam & Summam Sedem*: Non minimam Episcopis Auctoritatem tribuit Sacra Synodus, cum ipsis ut Sedis Apostolicæ delegatis defert examen gratiarum & remissionum ab Apostolica Sede reis publici alicujus criminis concessarum, easque rejiciendi facultatem, si falsi narratione, aut veri dissimulatione obtentæ comprobentur.

Sessione XIV. In Decreto de Reformatione cap. 4. „Omnes Ecclesiarum Prælati . . . . si in Ecclesiis suis „resederint, quoscumque Sæculares Clericos, qualitercumque Exemptos, qui alias suæ Jurisdictioni „subessent, de eorum excessibus, criminibus & delictis quoties, & quando opus fuerit, etiam extra Visitationem, tamquam ad hoc Sedis Apostolicæ delegati, corrigendi & castigandi facultatem habeant: „quibuscumque Exemptionibus, Declarationibus, Consuetudinibus &c. minime suffragantibus.

Sessione XXI. In Decreto de Reformatione, c. 4. „Episcopi, etiam tamquam Apostolicæ Sedis delegati „in omnibus Ecclesiis Parochialibus vel Baptismalibus, in quibus populus ita numerosus sit, ut unus „Rector non possit sufficere Ecclesiasticis Sacramentis „ministrandis, & cultui divino peragendo, cogant „Rectores, vel alios, ad quos pertinet, sibi tot Sacerdotes ad hoc munus adjungere, quot sufficiant ad „Sacramenta exhibenda, & cultum divinum celebrandum. *Et c. 5.* Possint Episcopi etiam tamquam Apostolicæ Sedis delegati, juxta formam Juris, facere „uniones perpetuas quarumcumque Ecclesiarum Parochialium . . . . propter earum paupertatem, & in „cæteris casibus a Jure permissis, etiamsi dictæ Ecclesiæ vel Beneficia essent generaliter vel specialiter „reservata, aut qualitercumque affecta. Hujusmodi uniones ab Episcopis Auctoritate propria & ordinaria fieri possunt, sed accedit Sedis Apostolicæ delegatio ex abundanti, ceu novus titulus ob Beneficia, quorum collatio generatim aut speciatim Romano Pontifici reservata est, necessarius. Et c. 6. „Quia illiterati & „imperiti Parochialium Ecclesiarum Rectores sacris „minus apti sunt Officiis . . . . Episcopi, tamquam „Sedis

Sedis Apostolicæ delegati, eisdam, si alias honestæ vitæ sint, Coadjutores aut Vicarios pro tempore deputare, partemque fructuum eisdem pro sufficienti victu assignare, vel aliter providere possint quacumque Appellatione & Exemptione remota. *Et c.* 8. Commendata Monasteria, etiam Abbatiæ, Prioratus, & Præposituræ nuncupatæ, in quibus non viget Regularis Observantia, nec-non Beneficia tam Curata, quam non Curata, Sæcularia & Regularia qualitercumque commendata, etiam exempta, ab Episcopis, etiam tamquam Apostolicæ Sedis delegatis, annis singulis visitentur.

Sessione XXII. c. 3. „ Episcopi, etiam tamquam delegati Apostolici, ex fructibus & proventibus quibuscumque omnium Dignitatum, Personatuum, & Officiorum in Ecclesiis Cathedralibus, vel Collegiatis existentium, tertiam partem in distributionet, eorum arbitrio assignandas, dividere possint . . . . . Non obstantibut consuetudinibus, etiam immemorabilibua, exemptionibus, & constitutionibus, etiam juramento & quavis auctoritate firmatis. *Et c.* 5. Dispensationes quacumque auctoritate concedendæ, si extra Romanam Curiam committendæ erunt, committantur Ordinariis illorum, qui eas impetraverint. Eæ vero quæ gratiose concedentur, suum non sortiantur effectum, nisi prius ab eisdem, tamquam Delegatis Apostolicis, summarie tantom & extrajudicialiter cognoscatur, expressas preces subreptionis vel obreptionis vitio non subjacere. *Cap.* 6. In commutationibus ultimarum voluntatum, quæ nonnisi ex justa & necessaria causa fieri debent, Episcopi, tamquam delegati Sedis Apostolicæ summarie & extrajudicialiter cognoscant nibil in precibus, tacita veritate, vel suggesta falsitate fuisse narratum, priusquam commutationes prædictæ executioni demandentur. „ Quæ jure novo, aut præscripta & probata consuetudine, Sedi Apostolicæ reservata sunt, ea committi non possunt Episcopis, nisi tamquam Sedis Apostolicæ delegatis in hujusmodi negotiis, illo Jure & consuetudine stantibus. Qua delegatione non imminuitur certe, sed ampliatur Episcoporum Auctoritas. „ *Cap.* 8. Episcopi, etiam tamquam Sedis Apostolicæ delegati, in casibus a Jure concessis, omnium piarum dispositionum, tam in ultima voluntate, quam inter vivos, sint executores, &c. Non obstantibus quacumque consuetudine, etiam immemorabili, Privilegio, aut Statuto. „ Ut Episcopi jurisdictionem & Auctoritatem Jure communi sibi competentem facilius & absque oppositione exerceant, ipsis præterea Sedis Apostolicæ vices in certis quibusdam negotiis committuntur: quæ certe Episcopalis Jurisdictionis imminutio non est, sed novæ potestatis accessio: nec illis per hanc delegationem fit injuria, quia (ut habet Regula Juris) *Quæ abundant non vitiant*. Hic interdum verborum illorum sensus: *Episcopi, etiam tamquam Sedis Apostolicæ delegati, &c.*

„ *Cap.* 10. Cum ex Notariorum imperitia plurima damna, & multarum occasio litium oriatur, possit Episcopus quoscumque Notarios, etiamsi Apostolica, Imperiali, aut Regia Auctoritate creati fuerint, etiam tamquam delegatus Sedis Apostolicæ examinatione adhibita, eorum sufficientiam scrutari; illisque non idoneis repertis, aut quandocumque in Officio delinquentibus, Officii ejus in negotiis, litibus, & causis Ecclesiasticis & spiritualibus exercendi usum perpetuo aut ad tempus prohibere. „ De iis dumtaxat Notariis Concilium statuit, qui in litibus & causis Ecclesiasticis & Spiritualibus ministerium suum ex officio præstare solent: Illorum enim qui in causis dumtaxat profanis id Officii exercent, quos Regios Notarios appellamus, a Notariis Apostolicis negotiorum, causarumque genere discretos, & rerum sæcularium finibus circumscriptos, examen, interdictio, abrogatio, punitio ad Ecclesiam non spectat, sed ad Regios Magistratus, neque hanc Episcopis Concilium tribuit. Atque hunc esse Concilii Trid. sensum probatur ex collatione hujus Decreti cum altero Concilii Provincialis Rothomagensis anno 1581 celebrati, Titulo *De Episcoporum Officiis*, cap. 25. Cujus hæc sunt verba: „ In Beneficiorum Resignationibus, & aliis Cessionibus, multæ fraudes a Notariis Apostolicis committuntur, quibus ut obsistatur, præcipimus, ut in omnibus Diœcesibus, qui se dicunt Notarios, se præsentent Episcopo intra tres menses cum sua Notariatus Promotione & Immatriculatione. Scrutetur autem Episcopus eorum sufficientiam & fidelitatem, & quos idoneos non judicaverit, aut quomodocumque in Officio delinquentes, ipsis Officii exercendi in negotiis, litibus, & causis Ecclesiasticis & spiritualibus perpetuo aut ad tempus usum prohibeat. Omnes vero ad legitimum numerum ex Edicto Regio redigat. Cæterum quia Notarii Apostolici, aut nulli aut rari admodum nunc creantur a Sede Romana cum potestate alios creandi, cum jam in nostris Diœcesibus deficiat legitimus numerus, ac periculum sit, ne tandem nulli veri inveniantur; supplicandum Sanctissimo Domino nostro Papæ judicamus, ut Episcopis largiatur facultatem creandi Notarios Apostolicos tantum pro sua Diœcesi necessarios, &c. „ Quod observare operæ pretium erat, ad *Molinæi*, *Gratileti*, & Anonymi Auctoris Heterodoxi *Revisionis Concilii Tridentini* calumniam in istud Decretum diluendam.

Sessio XXIV. Cap. 20. „ Episcopi, in omnibus his, quæ ad visitationem ac morum correctionem subditorum suorum spectant, jus & potestatem habeant etiam tamquam Sedis Apostolicæ delegati, ea ordinandi, moderandi, puniendi, & exequendi juxta Canonum Sanctiones, quæ illis ex prudentia sua pro subditorum emendatione, ac Diœcesis suæ utilitate necessaria videbuntur. Nec in his, ubi de visitatione aut morum correctione agitur, exemptio, aut ulla inhibitio, appellatio seu querela, etiam ad Sedem Apostolicam interposita, executionem eorum, quæ ab his mandata, decreta, aut judicata fuerint, quoquo modo impediat aut suspendat. „ Episcoporum Jurisdictionem hoc Decreto non minui, sed juvari manifestum est. Quamobrem Synodus Rothomagensis anno 1581. celebrata, Tit. *De Episcoporum Officiis*, cap. 29. hoc Decretum laudat. „ Nec ullis (*inquit*) ubi de visitatione aut morum correctione agitur exemptio aut appellatio debet patrocinari, aut executionem eorum, quæ judicata fuerunt, suspendere. In his enim Episcopus censetur saltem Sedis Apostolicæ auctoritate & delegatione defungi, sicut a Generalibus Conciliis præsertim Tridentino statuitur. *Et cap.* 30. Quoniam vero in aliquibus Hospitalibus aut Leprosariis sunt Viri & Mulieres Regulari Observantiæ addicti, sed ut plurimum valde corrupti, ad eorum Reformationem saltem Auctoritate Apostolica sibi in Visitatione etiam contra exemptos concessa, procedat Episcopus ex Decreto Concilii Tridentini; quem ad hoc etiam specialiter committi, supplicandum duximus Christianissimo nostro Regi & Magno ejus Eleemosynario, ne per defectum visitantium, clamor pauperum & flagitiorum enormitas ascendant in Cœlum coram Deo.

Sessione XXV. Cap. 9. Synodus statuit ut Ecclesiæ Sæculares nullius Diœcesis ab Episcopo viciniori *tamquam Sedis Apostolicæ Delegato*, visitentur. Cap. 15. decernit honorariis titulis, aut particularibus Privilegiis, „ Nihil Ordinariis detractum intelligi, quominus iis, quibus etiam concessa sunt, vel imposterum concedi contigerit, ipsis Ordinariis, tamquam Sedis Apostolicæ delegatis, plene in omnibus subjecti existant.

Cap. XVI. Quo abolitio consuetudinum, simoniacæ labis aut sordidæ avaritiæ suspicionem habentium Episcopo commendatur; „ Eos vero, qui adversus hæc in præsenti Decreto comprehensa, quavis ratione commiserint, pœnis contra simoniacos editis, Sacris Canonibus, & variis Summorum Pontificum Constitutionibus, quas omnes innovat, teneri decernit; non obstantibus quibuscumque Statutis, Constitutionibus, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, etiam Apostolica Auctoritate confirmatis, de quarum subreptione, obreptione, & intentionis defectu, Episcopus, tamquam Apostolicæ Sedis delegatus cognoscere possit.

Sessione XXV. in Decreto Reformationis Regularium, Cap. 5. „ Bonifacii VIII. Constitutionem quæ incipit, PERICULOSA, renovans Sancta Synodus, universis Episcopis, sub obtestatione divini judicii, & interminatione maledictionis æternæ, præcipit, ut in omnibus Monasteriis sibi subjectis ordinaria, in aliis vero Sedis Apostolicæ Auctoritate, Clausuram Sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter restitui, & ubi violata non est, conservari maxime procurent. *Cap.* 8. Monasteria omnia quæ Generalibus Capitulis aut Episcopis non subsunt, nec suus habent Ordinarios Regulares Visitatores, sed sub immediata Sedis Apostolicæ protectione ac di-

„ rectione segi consueverunt, teneantur infra annum a fine præsentis Concilii, & deinde quolibet triennio sese in Congregationes redigere &c. Quod si in his negligentes fuarint, liceat Metropolitano, in cujus Provincia prædicta Monasteria sunt, tamquam Sedis Apostolicæ delegato, eos pro prædictis causis convocara . . . . . Quod si etiam Metropolitano instante, prædicta exequi non cataverint, Episcopis, in quorum Diœcesibas loca prædicta sita sunt, tamquam Sedis Apostolicæ delegatis subdantar. *Cap. 9.* Monasteria Sanctimonialium, Sanctæ Sedi Apostolicæ immediate subjecta, ab Episcopis, tamquam dictæ Sedis delegatis gubernentur, non obstantibus quibuscumque.

In Decreto generalis Reformationis, cap. 9. De accessionibus Beneficroram liberorum ad Ecclesias Jurispatronatus per viam unionis factos, decernitur, ut „ Quæ a quadraginta annis citra factæ, effectum & plensm incorporationem sunt consecuta, hæ nihilominus ab Ordinariis tamquam a Sede Apostolica delegatis, revideantur, & exominentor; ec quæ per subreptionem val obreptionam obtentæ fuerint, simul cum unionibas irrita declarentur, ac Beneficia ipsa separentar, & aliis conferantur. Similiter Patronatas quicumque in Ecclesiis, & quibuscumque aliis Beneficiis, etism dignitatibus, antea liberis, acquisiti a quadraginta annis citra, & in futurum acquirendi, seu ea augmento dotis, seu ex nova constiuctione, vel alia simili causa, etiom Auctoritate Sedis Apostolicæ ab iisdem Ordinariis, uti delegatis, ut supra, qui nullius in his facultatibus aut privilegiis impediantur, diligenter cognoscantur, & qaos non reperarint ob maxime evidentem Ecclesiæ, val Beneficii sea Dignitatis necessitatem legitima constitator esse, in totum revocent atque Beneficia hujusmodi sine damno illi possidentium, & restituto Patronis eo qaod ab eis idcirco datum ast, in pristinam libertatis statom reducant; non obstantibus Privilegiis, Constitationibus, & consuetudinibus, etiam immemorabilibos. „ His certe delegationibus nec Romanorum Pontificum Auctoritatem ampliari, nec Episcoporam Jurisdictionem minui, sed extendi ac juvari serebitur, qui hæc omnia Decreta consideratius expenderit. Unde Synodus Provincialis Aquensis anno 1585. celebrata, hæc omnia Decreta repetit ac promulgat sub hoc titulo: *De his in quibus Episcopus ex Sacro Concilio Tridentino, etiam tamquam Apostolicæ Sedis Delegatas, procedere debet & potest:* qua dictione, *etiam*, significatur potios excitata Jurisdictio prius competens, quam nova concessa. Etenim illa dictio implicat Episcopam cognoscera posse etiam jure ordinario, *L. Conventicula C. De Episc. & Cler. L. Etiam ff. D. verboram significatione*, Clementiona *Religiosus*, & ibi Cardinalis, in primo Notab. *De Procarat*. Hæc delegandi Episcopis formula in Pontificum Rescriptis ante Synodum Tridentinam legitur. Sic *Bonifacius octavus* in Constitutione *Periculoso*, Monialium examptarom clausuram Episcopis committit: „ In Monasteriis Monialium sibi ordinario jura sabjectis, suo, in iis vero quæ ad Romanam immediate spectaot Ecclesiam, Apostolicæ Sedis Auctoritate. *Sic* Innocentius tertius *Cap.* Irrefragabili, De Officio Judicis Ordioarii, *Lib. 1. Decretalium:* Cæterum si Canonici absque manifesta rationabili causa (maxima in contemptam Episcopi) cessaverint a Divinis, Episcopus, si voluerit, nihilominus celebret in Ecclesia Cathedrali, & Metropolitanus ad querelam ipsius, tamquam super hoc delegatus a nobis, taliter eor per Ceosuram Ecclesiasticam cognita veritate castiget, quod meta pœnæ talia de cætero non præsumant. *Sic* Lucias tertius *Cap.* Ad abolendam, De hæreticis *Lib. 5. Decretalium:* Si qui vero fuerint, qui a Lega Diœcesanæ Jurisdictionis exempti, soli subjaceant Sedis Apostolicæ potestati; nihilominus in his quæ sant contra Hæreticos instituta, Episcoporum subeaot judicium: & eis in hac parte, tamquam a Sede Apostolica delegatis (non obstantibus libertatis suæ Privilegiis) obsequantur. *Sic* Nicolaus secundus in *Epistola ad* Gervasium, *Rhemensem Archiepiscopum:* Audivimus relatione multorum, quod Belvacensis Episcopus contra Statuta Canonum, sine vobis, & sine vestro assensu fuerit consecratus, & quod pejas est ad Episcopatum sublimatus. Accingimini igitar, & fultas hac nostra Auctoritate, ex parte omnipotentis Dei, Auctoritate Beati Apostoli Petri, omne Episcopale Officium sibi asque dum ad Romanum Synodum, in tertia septimana post Pascha, ante nos custodiendus veniat, interdicite. „ Bellovacensis Episcopi Metropolitanus erat *Gervasius* Remensis Archiepiscopus; ipsi jure suo interdicare poterat omni functione Episcopali qood sine suo assensu consecratas fuisset: Apostolica nihiluminas Auctoritate Ordinariam Metropolitani Jurisdictionem *Nicolaus II.* hac in causa cumulare voluit. Hæc itaqua ratio demandandi Canonum executionem Episcopis, etiam ut Sedis Apostolicæ delegatis, ad extraordinaria illa imperia non pertinet, quæ citra Regis consensom, & Parlamentorum approbationem in Galliis exerceri Ecclesiæ Gallicanæ Libertates, Moresqoa antiqui non permittunt; sed in jus commune transiit, cum ea demandentar Episcopis, quæ secundum antiqaos Canones, ad eorum Jurisdictionem maxima ea parte pertinebant. Quamobrem *Gentileti* corruit objectio ad nauseam usqua repetita & inculcata.

Apud Dacherium Tom. 4. p. 199.

XLII. Objiciunt *Suavis Polanus*, *Molinæus*, *Gentiletus*, & Auctor Anonymus *Revisionis Concilii Tridentini*, Synodum istam liberam non fuisse. Legati tamque Pontificii rerum proponendaram arbitrium ad se solos traxerunt, idque in Concilio exprimi curarunt formulo, *Proponentibus Legatis*, adversaa quam ad finem asque, constanter a plerisque Patrum, præsertim ob Hispanis Episcopis reclamatum est. Nihil vero proponebant, nisi quod Romano Pontifici placuisset. Unde popolare illud scomma increbuit: *Spiritum Sanctum Roma Tridentum in mantica deferri.*

Summa libertas Patribus in Concilio Tridentino servata.

Respondetur „ Calamniosas esse de adempta Patribus libertate querimonias. Patres liberrime in omnibus & singulis Conventibur atque Sessionibus, sententiom dixisse, super iis etiam rebus, quæ Legatos & Summum ipsum Pontificem spectabant. In Conciliis omnibus proponendarum retum Auctoritatem fuisse panes Romanum Pontificem, vel ejus Legatos, vel penes Præsidem, cam nec Pontifex, nec Legati ejus adfuere. Id omnino fuisse necessariam ad vitandam confusionem, quæ sana maxima fuisset, si penes omnes potestas fuisset proponendi & in deliberationem mittendi extra ordinem quidquid ipsis in mentem venisset. Et id quidem in Ephesina, Chalcedonensi, Constantinopalitana 3. Nicæna 2. Constantinopolitana 4. aliisqua Conciliis Oecumenicis servatum est, ut Legoti Pontificii, vel Pontifex ipse, rerum proponendorum asient arbitri, suffragii prærogativa potirentur, iisque auctoribus cuncta decernerentur: Quod *Marcianus* Augustus ad *S. Leonem* scribens his verbis exprimebat: *Ut ad quemdam dissitum locum, ubi nobis placuerit, omnes Sanctissimi Episcopi debeant convenire, & qua Christianorum Religioni atque Catholicæ Fidei profiet, sicut Sanctitas tua secundum Ecclesiasticas Regulas definiverit, sua dispositione declarent*. Et *Pulcheria* Augusta ad eumdem Pontificem scribebat: *Facto Concilio, & de Catholica Confessione, & de his Episcopis, qui ante hoc segregati sunt sicut Fides & Christiana pietas exigit, TE AUCTORE DECERNANT*. Sic *Celestinus I.* ferendæ in *Nestorium* Sententiæ auctor fuit, cujus executionem *S. Cyrillo* primum, dainde *Arcadio* & *Projecto* Episcopis, ac *Philippo* Presbytero commisit, ut constat ea ejusdem Pontificis literis ad *S. Cyrillum* & ad *Theodosium* Augustum, nec-non ex sententia Synodi, quæ ad Hæresiarcham damnandum coactam se diait *per Sacros Canones, & Epistolam Celestini*. Sic auctore *S. Leone* Synodus Chalcedonensis Eutychianom hæresim, ipsumqua *Eutychetem* & *Dioscorum* damnavit. Quidquid in causa Fidei eo in Concilio gestum ac definitum fuit, totum id ad normam Epistolæ *S. Leonis* ad *S. Flavianam* exactum est: Et cum verba aliqua Epistolæ illius admirandæ ab iis qui formulam Diffinitionis Fidei perscripserant, dissimulata fuissent, in has voces arupere Legati: *Si non consentiunt Epistolæ Apostolici & beatissimi viri Papa Leonis, jubeto nobis Rescripta dari ut revertamur & ibi Synodus celebretur*. Legatorum Princeps *Paschasinus*, ex Auctoritate *S. Leonis* in *Dioscorum* Sententiam talit, iis verbis: *Sanctus Beatissimus Papa Caput universalis Ecclesiæ Leo, per nos ut Legatos suos, Sancta Synodo consentiente, Petri Apostoli præditus dignitate, qui Ecclesiæ fundamentum, & Petra Fidei, & Cœlestis Regni Janitor nuncupatur, Episcopali eum Dignitate nudavit, & ab omni Sacerdotali opere fecit extorrem. Quare super his congregata venerabilis Synodus Canonicam contra prædictum Dioscorum proferat justitia suadente Sententiam*. Sic *Agathone* Papa auctore, secundum ejus & Concilii

Occi-

Occidentalis Definitionem, Sexta Synodus Oecumenica Monothelitarum hæresim, ejusque Sectæ duces & sectatores Anathemate damnavit, & *Petrum per Agathonem locutum* professa est. Nemo tamen ita impie desipuit, ut propterea effutierit Spiritum Sanctum Ephesum, Chalcedonem, Constantinopolim, in mantica missum a *Cœlestino*, *Leone*, *Agathone* Pontificibus Maximis, vel ademptam Ephesinæ, Chalcedonensis, & Sextæ Synodi Patribus suffragiorum libertatem. Adde, quod Legati proponere non renuebant, & in deliberationem mittere, quod Patres suggessissent, ac Principum Oratorum Dominorum suorum nomine postulassent; & præterea singulis proponere licebat, quæ necessaria vel utilia publicæ rei videbantur per opportunitatem suæ proferendæ sententiæ de alio argumento; eaque libertatis forma servata semper in Concilio fuit, ut constat ex Actis & literis a *Palavicino* in ejusdem Historia passim prolatis.

Apud Palavicinum Lib. 8. C. 22.

Ad hæc, Romanos Pontifices, etsi Concilium suis interdum consiliis juvarent, summam Patribus reliquisse libertatem, constat ex Epistola Cardinalis *Farnesii* ad Legatos sub *Paulo III.* data die vigesima quinta Maii 1546. Refert ille, cum Legati Summo Pontifici indicassent, quod statuendum Sessione quinta de Prælectionibus Concionibusque parabatur; idque Romanæ trutinæ fuisset commissum, & varii varia super eo, uti solet, animadvertissent; ea omnia Pontificem cum Legatis communicasse: sed hac addita declaratione: *Id agi, non ut imperaret, sed admoneret, & quo complurium judicio perspecto, possent quid optimum esset statuere.* Idem probat Epistola Cardinalis *Borromæi* ad Legatos *Pii IV.* nomine scribentis anno 1563. *Cum emendationis argumenta sint ea quæ Principes urgent supra reliqua, optat Pontifex ut in hæc nervis omnibus insumant operam, cuncta honesta in his indulgentes Principibus, quæcumque ipsi cupierint; cum omnino statutum Pontifici sit, velle & plusquam velle hanc emendationem ea ratione, quæ ad obsequium Dei, & universale bonum expedire vobis videbitur. Quod mihi placuit hic dicere, non modo quo rectam Pontificis mentem testificarer, de qua compertum mihi est vos esse certissimos; sed ne tempus teratis amplius in petendo hinc consilio, eoque citius expedire vobis liceat id quod superest, & ad gloriam ac laudem Dei cœptui canere.*

Denique per hanc formulam, *Proponentibus Legatis, ac Præsidentibus*, consuetam in Generalibus Conciliis tractandi negotia rationem Tridentina Synodus immutare non intendit, nec revera immutavit, ut declaratum est Sessione 24. in Decreto de Reformatione, Cap. 21. his verbis: *Cupiens Sancta Synodus, ut ex Decretis ab ea editis nulla umquam futuris temporibus dubitandi occasio oriatur, verba illa posita in Decreto publicato Sessione prima sub Beatissimo Domino nostro Pio Quarto videlicet, QUÆ proponentibus Legatis ac Præsidentibus ad horum temporum levandas calamitates, sedandas de Religione controversias, coercendas linguas dolosas, depravatorum morum abusus corrigendos, Ecclesiæ veram & Christianam pacem conciliandam, apta & idonea ipsi Sanctæ Synodo videbuntur, explicando declarat mentis suæ non fuisse, ut ex prædictis verbis solita ratio tractandi negotia in Generalibus Conciliis ulla ex parte immutaretur, neque novi quidquam præter id quod a Sacris Canonibus, vel Generalium Synodorum forma hactenus statutum est, cuiquam adderetur vel detraheretur.*

Pragmaticorum objectionibus respondetur.

XLIII. Objiciunt Pragmatici, Plurima Concilii Tridentini Decreta contra Regiam Jurisdictionem, & Ecclesiæ Gallicanæ libertatem pugnare, quorum excerptum legere est apud *L. Bochellum*, lib. 5. decretorum Ecclesiæ Gallicanæ Tit. 20. cap. 45. pag. 916.

Respondetur, Quæ contra Regiam Jurisdictionem & Ecclesiæ Galicanæ Libertates pugnant, vel pro Galliis statuta non esse, ut dixit Bellovacensis Episcopus in Conventu Trium Regni Ordinum Parisiis anno 1614. habito ad Tertium Ordinem Cleri nomine perorans; nec enim Regiæ Jurisdictioni, nec Ecclesiæ Gallicanæ veris ac legitimis Libertatibus derogare Sacram Synodum voluisse, pie credendum est, memorem Decreti quo Sancta Synodus Oecumenica Ephesina Actione 7. Ecclesiarum Cypri & uniuscujusque Provinciæ *pura & inviolata, quæ jam inde ab initio habuit Jura, servari, juxta veterem consuetudinem,* sanxit: *ne sub Sacerdotii prætextu mundanæ Potestatis fastus irrepat; ne clam paulatim libertas amittatur, quam nobis donavit sanguine suo Dominus noster Jesus Christus omnium hominum liberator.* Vel pauca illa De-

Oecumenico Concilii Tridentini auctoritati non derogat quod nonnulla ejus Decreta disciplinam spectantia in Galliis recepta non sint.

creta Gallicana Ecclesia non recepit; immo illa excepta voluit, quoties Christianissimis Regibus supplicavit pro Concilii Tridentini promulgatione, & cum illud tandem recepit in Generalibus Cleri Comitiis illam repræsentantibus, anno millesimo sexcentesimo decimo quinto Lutetiæ Parisiorum celebratis. Quod tamen non impedit, quin idem Concilium, tum quoad decreta Fidei, tum quoad reliqua Disciplinam Ecclesiasticam ac morum emendationem spectantia, ab eadem Ecclesia recipiatur ac observetur, vereque Oecumenicum & Sacrosanctum ab omnibus Catholicis habeatur. De singulis Articulis, in quibus Tridentina Decreta Sanctionibus Regiis & Gallicanis Libertatibus adversari Pragmatici contendunt, particulatim disserere non juvat, cum de Jurisdictionis utriusque finibus decernere difficile sit ac periculi plenum. Non prætermittam tamen Synodi Rothomagensis Provincialis anno 1581. sub Cardinali *Borbonio* celebratæ conatus, ad Ecclesiasticæ Jurisdictionis amplitudinem conservandam vel restituendam, quam nec Regiis Constitutionibus, nec Ecclesiæ Gallicanæ Libertatibus repugnare existimavit. *Cum* (inquit) *Canonicis & Regiis Constitutionibus Jurisdictio Ecclesiastica semper sejuncta fuerit a seculari, tam in personalibus, civilibus, quam in criminalibus causis; ita ut nec a sæcularibus Judicibus Ecclesiastici debeant compelli ad debita solvenda, nec ab his puniri, si quid animadversione dignum commiserint, sed ad Judices Ecclesiasticos debeant remitti in casibus præscriptis a Sacris Canonibus: Monemus in Domino dictos Judices sæculares, ut dictis Canonibus pareant, nec falcem in messem alienam mittant. Quod si moniti non paruerint, Excommunicationis vinculo se noverint subjacere. Præcipitur vero omnibus Ecclesiasticis sub pœna Excommunicationis, ne coram Judicibus Laicis litigent, neve voluntario se eorum Jurisdictioni subjiciant in casibus ad Judices Ecclesiasticos pertinentibus, sive actores, sive rei sint. Quod si Sententiam Excommunicationis non veriti fuerint, aliis Canonicis pœnis gravissime puniantur.* Istud tamen Decretum Regii Judices non admittunt, nec se falcem mittere in messem alienam arbitrantur, cum Viros Ecclesiasticos ad solvenda debita jure compellunt, aut alias de causis eorum profanis judicant, secundum Leges, Regias Constitutiones, & Consuetudinem Regni. Generalioribus verbis & invidiæ minus obnoxiis conceptum est Synodi Provincialis Burdigalensis anno 1583. ea de re Decretum Cap. 35. *Sacrarum Literarum monumentis duplicem a Deo institutam esse potestatem & Jurisdictionem constet, Sæcularem nimirum & Ecclesiasticam. Quando igitur Jurisdictio Ecclesiastica sejuncta est a Potestate sæculari, cavere debent Clerici ne sæcularibus se immisceant causis: sicut Judices & Magistratus civiles monemus & obtestamur in Domino, ut Sacris Canonibus parentes, non mittant falcem in segetem alienam, neque cognitionem & judicium personarum vel rerum Ecclesiasticarum sibi arrogent, ne, si quod alienum est, usurpent, tandem etiam quod suum est, justo Dei judicio amittant, formidabilem interim Excommunicationis Sententiam a Jure in eos statutam incurrentes. Omnibus vero Clericis & hominibus Ecclesiasticis, sub Excommunicationis pœna interdicimus, ne forum sæculare adeant, neve Laicorum Judicium, sive sint actores, sive rei, in iis quorum cognitio ad Ecclesiam pertinet, sponte subeant.*

Mirum porro videri non debet, quod omnia Fidei Decreta ab aliqua Synodo Œcumenica edita, non item Leges omnes Disciplinam aut Politiam Ecclesiasticam spectantes, ab omnibus Ecclesiis receptæ sint salva ejus reverentia & auctoritate. Alia enim est Fidei ratio, cujus in controversiis finiendis errare Concilia non possunt, cum ejus Definitiones Spiritus Sanctus ministerio Episcoporum proferat & condat, ut Christi Domini promissa impleantur, qui Spiritum veritatis Ecclesiæ suæ promisit, qui doceat eam omnem veritatem; qui in medio eorum se esse asseruit, qui in suo nomine congregati essent; cum Ecclesia usque ad consummationem sæculi esse, ipsique se jugiter adesse, ut eam illustret, ac dirigat, ne adversus ipsam inferorum portæ umquam prævaleant; atque successores Apostolorum Episcopi in Conciliis universalem Ecclesiam, quæ est *columna & firmamentum veritatis*, repræsentantibus congregati, pariter cum ipsis in Concilio Hierosolymitano congregatis dicere possint: *Visum est Spiritui Sancto & nobis.* Alia est ratio legum ad Ecclesiam componendam latarum, *in quibus errare nonnumquam possunt Concilia, neque semper illa statuunt, quæ Ecclesiæ sunt salubriora, & ad vitia coercenda magis necessaria*; ut observat *Didacus Payva Dandrada*,

ds, Lusitanus unus ex Concilii Tridentini Theologis, in Defensione Tridentinæ Fidei Lib. 1. *De Conciliorum Generalium Auctoritate*: ubi etiam observat triplex esse genus Canonum Ecclesiasticorum. „ Unum genus est eorum qui Christianæ Reipublicæ usque adeo sunt necessarii, ut sine ipsis optimus illius status neque collocari, neque retineri possit. Alterum, quod in rebus levioribus versatur, & quæ Ecclesiæ venustati, & gubernationi utilie esse videntur. Tertium, quod positum est in præceptis, non universæ Christianæ Reipublicæ, sed particularibus quibusdam Ecclesiis aut personis accomodatis. In Prioris generis Canonibus, Conciliorum judicium non minus est certum, integrum, & incorruptum, quam in fidei dogmatibus explicandis; cum ad sempiternem felicitetem consequendam, ad quam nos Concilia recta dirigunt, non minus sanctæ & castæ leges, quam vera & integra fides sint necessariæ. Esset namque cœlestis Spiritus procuratio mutila & imperfecta, si quos in Religionis Mysteriis aperiendis sempiterno Numine fovet, in necessariis legibus sanciendis desereret, & Concilie, quæ ejus afflatu vera dogmata e falsis secernunt, Ecclesiæ integritatem perniciosis legibus corrumperent, & contaminarent... In eo vero Canonum genere, quos diximus minime esse Ecclesiæ saluti necessarios quamvis ipsius decori cumprimis apti & convenientes sint, hallucinari & errare Concilia Generalia posse, non invitus annuo: haud ita sane, ut statuere quicquam possint divinæ le is æquitati repugnans; sed quia dum severa nimium aut humana, austera aut indulgentia esse volunt, a prudentiæ moderatione atque temperatione deflectere fortasse queunt. Nihil vero Conciliorum dignitati detrahimus, si dum illorum in divinis Mysteriis explicandis integerrimam fidem, in Christiana Republica moderenda ardentissimum studium, in necesseriis Legibus ferendis summam æquitetem, in vitiorum licentia comprimenda admirabilem integritetem demiramur, in levioribus rebus & communi saluti minime necessariis aliquantulum prudentiæ desideremus, atque in exornanda nonnumquem ab illis Ecclesia plus fortasse studii quam modi eluceat. In tertio autem Canonum genere, quod in particularibus Ecclesiis aut personis moderandis versari diximus, errare item Concilie posse, ex Chalcedonensi Synodo omnium consensu celeberrime didicimus, dum Constantinopolitanam Ecclesiam Alexandrinæ & Antiochenæ, antiquitatis gloria nobilissimis.... præferendam duxit. Quare Leo Pontifex Sanctissimus reliqua illius Acta approbavit, hanc unam Legem Nicæni Concilii Sanctionibus pugnantem rescidit, atque refixit. Nam cum ejusmodi scita rumoris aure, quæ plerumque inanis, hominumque opinionibus, quæ sæpe fallaces sunt, innitantur, mirari nemo debet, si parum firma sint, quæ tem debilibus fundamentis sunt constitute, hallucinentorque Concilie illis in rebus in quibus non Spiritus Sancti certissimum afflatum, sed forensem famam consectantur. Cum igitur in duobus hisce Canonum gradibus labi facile Concilia Generalia possint, admirabili sane Dei consilio fuit institutum, ne prius leges ab illis rogatæ populum tenerent, quem Summi Antistitis fuissent consensione epprobatæ atque sancitæ.

Addendum, hujus generis leges non prius Ecclesias particuleres tenere, quam forte moribus, & libertatibus repugnant, quam fiet eb iisdem receptæ. „ Fieri enim nullo modo potest (*inquit idem Theologus*) ut omnes Ecclesiasticæ Sanctiones, in tanta morum dissimilitudine, Nationum ac linguarum varietate, humanarumque rerum inconstentie & temeritate, omnibus mortalibus semper accommodatæ, semperque salutares sint. Nam quamvis Justitie nequaquam flexibilis sit & commutabilis; tempora tamen (ut ait Augustinus) quibus ille præsidet, non pariter eunt, tempora enim sunt: sed quæ sunt quibusdam salutaria, aliis perniciosa fiunt. „ Non mirum itaque quod Tridentina Synodus, quoad leges aliquas secundi & tertii generis, a Gallis recepte non fuerit, & nihilominus quoad omnia & singula Decreta Fidei, Canonesque de controversis doctrinæ capitibus conditos, ubique Christianarum & Catholicarum Gentium recepta sit, & ab omnibus pro Œcumenica habeatur. Quamobrem Lutheranis & Calvinianis, aut aliis cujusvis generis hominibus, qui Christianorum nomine gloriantur, ea ad examen revocare non licet, nec dubitare utrum verbo Dei prorsus consona sint dogmata, quæ ab ea, Spiritu Sancto Auctore definita sunt. Quod igitur *Valentinianus & Marcianus* Imperatores de Synodi Chalcedonensis Definitionibus Edicto suo sanxerunt, id de Tridentinæ Sacrosanctis Decretis & Canonibus Fidem spectantibus necessario sentiendum, prædicandum, & executioni mandandum est. „ E diversis Provinciis Religiosissimi Sacerdotes *Tridentum* venerunt, & quid observari in Religione debeat, perspicua Definitione docuerunt. Cesset igitur jam profana contentio. Nam vere impius atque sacrilegus est, qui post tot Sacerdotum sententiam opinioni suæ aliquid tractandum relinquit: Extremæ quippe dementiæ est, in medio & perpetuo die commentitium lumen inquirere. Quisquis enim post veritatem repertam aliquid ulterius discutit, mendacium quærit... Nam injuriam facit Judicio Religiosissimæ Synodi, si quis semel judicate ac recte disposita revolvere & publice disputare contendit; cum ea quæ nunc de Christiane Fide statuta sunt, juxta Apostolicas expositiones, & Statute SS. Patrum definita esse noscantur. *Et cum S.* Leone *Epistola* 88. *seu* 122. *Editionis* Quenellii, *ad* Leonem Augustum *data concludendum*: Detestandum ergo nobis est, perseveranterque vitandum, quod fraus hæretice nititur obtinare, nec in aliquam disceptationem pie & plene definita revocanda sunt, ne ad arbitrium damnatorum ipsi de his videamur ambigere, quæ manifestum est per omnia Propheticis & Evangelicis & Apostolicis Auctoritatibus consonare. Unde si qui sunt, qui ab his quæ cœlitus sunt constituta dissentiunt, suis opinionibus relinquantur; & ab unitate Ecclesiæ cum ea quam elegerunt perversitate discedant. Nam nullo modo fieri potest, ut qui divinis audent contradicere Sacramentis aliqua nobis communione socientur. Jactent se in sui eloquii veritate, & de argumentationum suarum versutie, quæ inimica est fidei, glorientur: Nobis placet Apostoli obedire præceptis, dicentis: *Videte ne quis vos decipiat per Philosophiam & inanem seductionem hominum*. Nam secundum eumdem Apostolum, *Si quæ destruxi hæc ædifico: prævaricatorem me constituo*, & eis me ultionum conditionibus subdo, quas non solum Auctoritas beatæ memoriæ Principis Marciani, sed etiam ego mea consensione confirmavi. Quia, sicut sancte veraciterque dixistis, *Perfectio incrementum, & adjectionem plenitudo non recipit*... De rebus apud Nicæam, & apud Chalcedonem, sicut Deo placuit, definitis nullum audemus inire tractatum, tamquam dubia vel infirma sint, quæ tanta per Spiritum Sanctum fixit Auctoritas. *Et in altera ad eumdem Augustum Epistola*: Agnosce igitur, Auguste & Venerabilis Imperator, in quantum totius Mundi præsidium divinæ sis providentiæ præparatus, & quid auxilii Matri tuæ Ecclesiæ debeas, quæ te filio maxime gloriatur, intellige. Non sinantur contra dexteræ omnipotentis triumphos redivivis exsurgere motibus extincte certamina; præsertim cum id damnatis jamdudum Hæreticorum ausibus omnino non liceat; & hic fructus piis laboribus debeatur, ut omnis Ecclesiæ plenitudo in suæ unitatis soliditate secura permaneat, nihilque prorsus de bene compositis retractetur: Quia post legitimas & divinitus inspiratas constitutiones velle confligere, non pacifici est animi sed rebellis, dicente Apostolo; *Verbis enim contendere, ad nihil est utile, nisi ad subversionem audientium*. Nam si humanis persuasionibus semper disceptare sit liberum, numquam deesse poterunt, qui veritati audeant resultare, & de humanæ sapientæ loquacitate confidere.

Coloss. 2. 8. Galat. 2. 18.

2. Tim. 2. 14.

SCHOLION I.

In hoc Articulo, num. 15. pag. 289. Religiosi Censores hanc propositionem notant: *Clerus Gallicanus recipit Tridentinum Concilium salvis Ecclesiæ Gallicanæ libertatibus*.

R. Facti veritas est ex Commentariis Cleri Gallicani ibidem & sequentibus paginis probata.

SCHOLION II.

In eodem Articulo, pag. 290. Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Sola Gallicana Ecclesia numquam monstra peperisse cognoscitur*.

R. Verba sunt Cleri Gallicani in Comitiis generalibus Meloduni congregati: & jam olim S. Hieronymus adversus Vigilantium scribens: *Sola Gallia*, in-

inquit, *monstra non hubuit, sed viris semper fortissimis & eloquentissimis abundavit.*

SCHOLION III.

In eodem Articulo, pag. 293. Religiosi Censores hanc velut meam Propositionem notant : Si quæ sunt in „ Tridentino Concilio pugnantia cum moribus Ecclesiæ Gallicanæ, per Pontifices moderanda sunt.

R. Hæc Propositio non est mea. De Tridentino Concilio eo loci ita scripsi : „ Illud tandem Gallicani Præ„ sules, ceterique Viri Ecclesiastici Gallicanam Eccle„ siam repræsentantes in freqaentissimis Comitiis eo„ dem an. 1615. celebratis, subscriptione sua ac jura„ mento receperunt ac se recipere declararunt ; atqae „ in Conciliis Provincialibus solemni ritu recipiendum „ & comprobandum decreverunt ; salvis Ragni Juri„ bus, & Privatorum rationibus, quorum gratia SUM„ MUS PONTIFEX ROGARETUR A CLERO „ UT QUÆPIAM EJUSDEM SYNODI CAPITA „ TEMPERARET". Facti veritas est, ex Actis Comitiorum Cleri Gallicani probata. Nemo non videt quantum sit discriminis inter dicta mea, & quæ mihi affinguntur.

SCHOLION IV.

In eodem Articuln, Num. 21. pag. 309. Religiosi Censores hanc Propositionem notant : „ Falsum est „ Concilium Tridentinum determinasse Concilio Pa„ pam esse superiorem.

R. Ne quidem Canon ullus de Romani Pontificis auctoritate in Concilio Tridemino conditus est. Disceptata quidem quæstio, an Summus Pontifea Ecclesiæ universali præiret, sed minime finita. Illam scilicet omitti consultius duait Pius Quartus Pontifex Maximus, Gallis Episcopis, Theologis & Oratoribus constanter propugnantibus sententiam de Concilii supra Romanum Pontificem eminentia, ceu Constantiensis Concilii anctoritate firmatam, & intercedentibus ne verbum ullum Canonibus vel Decretis insereretur, quod isti eorum doctrinæ opponeretur. Ita refert *Pa-lavicinus* in Historia Concilii Tridentini Lib. 19. Cap. 6. Num. 4. & 5. Cap. 12. Num. 10. & seqq. Cap. 13. Num. 2. & seq. Cap. 15. Num. 3. Cap. 16. Num. 2. 5. 9. 10. 11. Lib. 20. Cap. 3. N. 2. Cap. 9. N. 11. Lib. 21. Cap. 4. N. 5. 8. 12. & seq. Cap. 11. N. 12. & 13. & Cap. 13. N. 4.

SCHOLION V.

In eodem Articulo, Num. 21. pag. 311. Religiosis Censoribus hæc displicent : *Verba Synodi* SALVA SEDIS APOSTOLICÆ AUCTORITATE, *reveroatiam erga Sedem Apostolicam exprimunt, non jus ipsi novum, aut potestatem abrogandi Decreta Spiritu Dei condita attribuunt.*

R. Revera Sacra Synodus nihil aliud his verbis significat, quem universalem ac summam interpretandi, ac declarandi Canones Spiritu Dei conditos, de illisque dispensandi auctoritatem Romano Pontifici Divino Jure concreditam, in ipsoque Primatu fundatam : Quod certe Jus novum esse nemo Catholicus dixerit.

SCHOLION VI.

In eodem Articulo, N. 27. Religiosi Censores hanc propositionem notant, pag. 325. *Rex Galliæ potest mittere Matrimonia in irritum quoad effectus civiles.*

Qui sint effectus civiles, considerent, precor, Viri Religiosi. Civiles effectus sunt jus administrationis in marito circa bona uxoris ; in uxore jus dotationis ex bonis viri ; in liberis jus hæreditatis & successionis in nomen, bona, & stemmata parentum. Constitutiones Principum impedire posse ne hujusmodi effectus consequantur ea Matrimonio filiorum-familias invitis parentibus contracto, cum præscriptam ætatem non attigerunt, nemo negaverit. Recte itaque scripsi : *Falsum est quod Synodus Tridentina Matrimonia filiorum-familias invitis parentibus approbarit, quin-immo declarovit ea esse illicita . . . Nec tamen prohibuit quin Principes jure suo uterentur, Matrimonia sic contracta in irritum mittendo quoad effectus civiles, seu pœnam exhæredationis decernendo in filios-familios, qui invitis vel inconsultis parentibus nuberent : Quod Henricus II. Parisiensis, 1559. Henricus III. Blesensi Sanctione præstiterunt.* Ceterum Matrimonium ut Sacramentum est, vel Contractus ad Sacramenti dignitatem evectus, irritum Legibus Principum fieri non posse censeo.

SCHOLION VII.

In eodem Articulo, Num. 30. pag. 329. Religiosi Censores hanc Propositionem notant : *Statuta Concilii Tridentini contraria Gallicanæ Ecclesiæ Juribus posita sunt Italis & Hispanis, non Gallis ; idee causæ depositionis Episcoporum in prima instantia judicari debent in Gallia.*

R. Primam causarum Episcopalium disceptationem & cognitionem apud Episcopos Provinciæ fieri debere secundum Canones Sardicenses, certum est. Caput 5. Decreti de Reformatione Sessionis 24. Concilii Tridentini, quod antiquam Judiciorum Episcopalium formam immutat, in Gallis non esse receptum facti veritas est non minus certa & explorata. Id a me satis probatum eo loci. Statuta quædam Concilii Tridentini, quæ Gallicanæ Ecclesiæ Juribus contraria videbantur, posita non fuisse Gallis, sed Italis & Hispanis, dixit Bellovacensis Episcopus in Conventu Ordinum Regni habito Parisiis anno 1614. Id Historice dumtaxat refero.

SCHOLION VIII.

In eodem Articulo Num. 37. pag. 340. Religiosi Censores hæc improbant : *Capita nonnulla Disciplinæ & Politiæ Ecclesiasticæ in Galliis non sunt recepta quamvis Concilium ipsum ut legitimum & Oecumenicum ab omnibus Catholicis in Gallia & abique genitam haboatur.*

R. Facti veritas est, de qua Palavicinus ipse Libro 24. Historiæ, Cap. 10. N. 15. ita scribit : *Satis in comperto mihi est, per universam Christianam Rempublicam, per Galliam præsertim, summam de Concilio Tridentino existimationem fuisse diffusam : Ac primo quidem Decreta Doctrinæ illic adorata fuere tamquam Sacrosancta ab universis Catholicis : Dein quomquam Disciplinæ Decreta in difficultatem offenderent, propterea quod aliqui ex Concilio & ex Senatu ea quasi detrimentosa Privilegiis Regis & Ecclesię Gallicanæ depinxeront : tamen Episcopi in Synodis Provincialibus illa pro virili sunt imitati ; & per hanc imitationem Ecclesia in Gallia ultra modum meliorem in formam redacta est.* Hæc Palavicinus. Idem constat ea Commentariis Cleri Gallicani, locis hac in Dissertatione & Articulo, Num. 15. citatis & descriptis.

SCHOLION IX.

In eodem Articulo, n. 38. pag. 341. Religiosi Censores hanc velut meam propositionem notant : *Decretum de Duello non coercet Reges Galliæ, quorum Dominia non sunt Ecclesiæ obnoxia.*

R. Decretum quo detestabilis duellorum usus prohibetur, quoad pœnas spirituales, Christianissimos etiam Reges spectare, non negavi : sed quatenus interminatur Regibus & Principibus privationem Jurisdictionis & Dominii Civitatis, Castri, vel loci, in quo duellum fieri permiserint, illud Reges nostros non spectare, *quorum Dominia Ecclesiæ in temporalibus non sunt obnoxia*, ex ipsis Decreti verbis probavi.

SCHOLION X.

In eodem Articulo, n. 39. pag. 343. Religiosi Censores hanc propositionem notant : *Quæ in Regum imperia moliti sunt Pontifices nonnulli, loco Canonum non sunt excipienda, quia Ecclesiæ consensu recepta non sunt.*

R. Sententia est Sacræ Facultatis Parisiensis, & Ecclesiæ Gallicanæ.

SCHOLION XI.

In eodem Articulo, n. 40. pag. 344. Religiosi Censores hanc propositionem notant : *Lege Concilii Tridentini tenentur etiam Romani Pontifices.*

R. De qua lege id dixerim, dissimulandum non erat. *In dispensationibus* (inquam) *concedendis prudentiam ac moderationem postulat maximam* Sacra Synodus, *tantum abest ut Romani Pontificis voluntati omnia permittat*. Tum descriptis Decreti verbis, addidi : *Quia Tridentini Concilii Lege tenentur & ipsi Pontifices*. Tenentur certe prudentiam, moderatio-

nem, æquitatem in dispensationibus concedendis servare; alioqui coram Deo rei sunt. Summam Pontificem ab observantia Canonum Spiritu Dei in Concilio Œcumenico, sua etiam auctoritate concurrente conditorum & firmatorum, solutum non esse, *quantum ad Dei judicium, & quantum ad vim directivam*, nemo Theologus negaverit. Aliud eo loci non dixi.

SCHOLION XII.

In eodem Articulo, n. 41. pag. 345. Religiosi Censores hanc propositionem notant: *Episcopi immediate a Christo accipiant potestatem.*

R. Doctrina est Sacræ Facultatis Parisiensis, in Scripturis Sacris & Traditione fundata: *Sed tamen Diœcesam divisio, subditorumque designatio* (ut dixi) *a Romano Pontifice dependet*. Propositionem nostram non solum Galli, sed etiam Hispani Episcopi & Theologi in Concilio Tridentino constanter propugnarunt, teste Palavicino libro 21. c. 4. „ Majorem, *inquit*, Legatis „ solicitudinem incutiebant disputationes & quæstio„ nes, quæ Synodum in æquales quasi partes divi„ sam, adeoque suspensam atque immotam tenebant. „ Quæstio, de qua maximum certamen erat, Ordinis „ doctrinam complectebatur, ob contrarias firmasque „ sententias trium amplissimarum Nationum. Galli vo„ cem quamlibet recusabant, quæ Summi Pontificis „ prærogativam supra Concilium sonaret, quæque aut „ Florentinum comprobaret, aut officeret Basileensi. „ Hispani tum de legitima Florentini firmitate, tum „ de prærogativa Pontificis supra Concilia consentie„ bant; sed contendebant ut aperte definiretur, Epis„ coporum institutionem, eorumque Jurisdictionem esse „ Juris Divini, tametsi a Romano Pontifice depen„ dentem. Itali fere universi, & pauci quidam ex me„ moratis Nationibus, aliisque Præsulum frequentia ibi „ carentibus, sententiam magis propitiam Pontifici in „ singulis illis capitibus tuebantur ". Hæc *Pallavicinus*. Illæ Quæstiones in Concilio finitæ non fuerunt; consensit Pontifex ut omitterentur, unicuique in suo sensu circa illas abundare permissum.

SCHOLION XIII.

Ad eumdem Articulum, Numerum, & paginam refertur hæc Religiosorum Censorum nota: *Quam male paucis verbis loquitur de Exemptionibus!*

R. Scripsi eo loci, *Summum Pontificem justis de causis Immunitates ac Privilegia Ecclesiis vel Monasteriis concedere posse, quibus ab Ordinarii Jurisdictione solvantur & eximantur*. Hoccine est de Exemptionibus male loqui? Addidi, Summos Pontifices in con„ cedendis hujusmodi Privilegiis modum olim exces„ sisse. A S. Bernardi temporibus gemitus, lacrymas, „ querimonias piis omnibus excussisse abusus Exem„ ptionum. Episcoporum partem maximam illarum a„ bolitionem a Tridentina Synodo postulasse. Hæ sunt „ veritates facti & Historiæ.

SCHOLION XIV.

In eodem Articulo, n. 43. pag. 364. Religiosis Censoribus hæc propositio displicet: „ Regii Judices non „ censentur mittere falcem in messem alienam, cum „ causas profanas Ecclesiasticorum Virorum judicant.

R. Regios Judices de causis civilibus & profanis Clericorum, secundum Leges, Regias Constitutiones, & Regni consuetudinem judicare posse, certum est, nec falcem mittere in messem alienam, cum illos ad solutionem debitorum cogunt. Id Juri ac Legibus Imperatorum consentaneum est, scilicet Constitutioni Valentiniani, Theodosii & Arcadii, L. 3. *Graviter*, quæ est ultima Codicis Theodosiani, *De Episcopali Judicio*, & refertur a Gratiano Causa 11. Quæst. 1. cap. *Continua*. Cum enim causas dumtaxat Ecclesiasticas Auctoritati Episcopali permittat, consequens est causas civiles Clericorum ad Episcopale Tribunal non pertinere. En verba Legis: „ Continua Lege sancimus, „ nomen Episcoporum, vel eorum qui Ecclesiæ ne„ cessitatibus serviunt, ne ad Judicia ordinariorum sive „ extraordinariorum Judicum pertrahantur. Habent illi „ suos Judices, nec quidquam his publicis commune cum „ Legibus. *QUANTUM AD CAUSAS TAMEN ECCLESIASTICAS PERTINENT, QUA DECET EPISCOPALI AUCTORITATE DECIDI*. Quibus„ cumque igitur mota fuerit Quæstio, quæ ad Chri„ stianam pertineat sanctitatem, eos decebit sub eo „ Judice litigare, qui Præsul est omnium in suis par„ tibus Sacerdotum. Quæ Lex solas causas Ecclesiasticas Clericorum Episcopali cognitioni ac Judicio tribuit, causas eorumdem civiles & profanas Civili ac Sæculari Magistratui permittit.

Et L. 1. Codicis Theodosiani De Religione: „ Quo„ ties de Religione agitur, Episcopos convenit agita„ re; cæteras vero causas, quæ ad Ordinarios Cogni„ tores, vel ad usum publici Juris pertinent, Legibus „ oportet audiri.

Valentinianus III. in Novella *De Episcopali Judicio* ita sanxit: „ De Episcopali Judicio diversorum sæpe „ causatio est: Ne ulterius querela procedat, necesse „ est præsenti Lege sanciri. Itaque cum inter Clericos „ jurgium vertitur, & ipsis litigatoribus convenit, ha„ beat Episcopus licentiam judicandi, præeunte tamen „ vinculo compromissi, quod & de Laicis si consen„ tiant, Auctoritas nostra permittit: Aliter eos Judi„ ces esse non patimur, nisi voluntas jurgantium, in„ terposita, sicut dictum est, conditione præcedat; „ Quoniam constat Episcopos & Presbyteros forum Le„ gibus non habere, *NEC DE ALIIS CAUSIS*, secun„ dum Arcadii & Honorii divalia constituta, quæ Theo„ dosianum Corpus ostendit, *PRÆTER RELIGIO„ NEM POSSE COGNOSCERE*. Si ambo ejusdem „ officii litigatores nolint, vel alteruter, *AGUNT LE„ GIBUS PUBLICIS ET JURE COMMUNI*. Magistratuum igitur Sæcularium Jurisdictio in profanas & civiles Clericorum causas, fundamentum habet Jus commune; sed in causis Ecclesiasticis uni Ecclesiæ foro subduntur. Unde S. Hilarius ad Constantium Imperatorem scribebat: „ Provideat & decernat Clementia tua, „ ut omnes se ubique Judices, quibus Provinciarum ad„ ministrationes creditæ sunt, ad quos sola causa & „ solicitudo publicorum negotiorum pertinere debet, e „ religiosa se observantia abstineant; neque posthac „ præsumant atque usurpent, & putent se causas co„ gnoscere Clericorum ". Id confirmat Valentiniani Imperatoris Rescriptum a S. Ambrosio relatum, quo statuit: „ In causa Fidei vel Ecclesiastici alicujus Or„ dinis eum judicare debere, qui nec munere impar „ sit, nec jure dissimilis: hoc est, Sacerdotes de Sacer„ dotibus judicare oportere ". Idem confirmat Basilius Augustus in Allocutione ad Patres octavi Concilii Generalis, Actione 10. ubi de Laicis Judicibus ait: „ Quam„ quam non datum sit istis secundum Canonem judi„ cendi quidquam penitus de Ecclesiasticis causis: opus „ enim hoc Pontificum & Sacerdotum est.

SCHOLION XV.

Hanc denique Propositionem pag. 365. Religiosi Censores reprehendunt: *Concilia in dogmatibus Fidei non possunt errare: circa Leges ad Ecclesiam componendam latas*, (id est, circa Leges Disciplinæ & Politiæ Ecclesiasticæ, nec Fidem nec Moralem Christianam spectantes) *possunt errare, & non semper salubriora statuunt.*

R. Sic loquitur *Dydacus Payva* Lusitanus, unus ex Concilii Tridentini Theologis, in Defensione Tridentinæ Fidei; Libro 1. De Conciliorum Generalium Auctoritate. Istius sententiæ majorem explicationem affero ex eodem Theologo, ad quam Religiosos censores attendere decebat. Istius Theologi doctrinam & Opera, quæ Tridentini Concilii Patres magni fecerunt, Religiosi Censores improbare ac notare verebuntur, si rem diligentius expendant. Pallavicini de illo judicium temperare mihi non possum quin proferam lib. 24. Historiæ Concilii Tridentini, cap. 10. „ Hispano, *inquit*, „ Lusitanum associabo, nec minus doctum, nec minoris „ auctoritatis. Dydacus Payva Regis Sebastiani Theo„ logus, ob suorum Operum præstantiam a nobis va„ riis in locis commendatus in Libro primo de Gene„ ralium Conciliorum Auctoritate hæc habet; &c.

Nota.

I. Quomodo se habuerit Ecclesia Gallicana in recipienda Synodo Tridentina alias adnotavi, sed juvat hic denuo recensere decretum Cleri Gallicani quod exhibet Puteanus *cap.* 14. *num.* 3. atque etiam habetur *Tom.* 1. *Act. Cler.* Illud ergo ita se habet: *Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi, Prælati & alii Ecclesiastici Viri repræsentantes Clerum universum Franciæ congregati, annuente Rege in Conventu Augustinianorum, post maturam de publicatione Concilii Tridentini, deliberationem, unanimi consensu agnoverunt & declararunt, agnoscunt & declarant, se obligari pro suo officio, & conscientia ad recipiendum sicut re ipsa receperunt & recipiunt ipsum Concilium, & spondent se illud observaturos, quantum per functionem suam, & au-*

& auctoritatem spiritualem & pastoralem possuat. Prodiit hoc decretum an. 1625. ac singulorum subscriptionibus ac juramento ad S. Evangelia fuit confirmatum. Acceptarunt igitur Tridentinum quia agnoverunt Superiorum leges vim obligationis inducendæ habere, neque in hoc ab inferiorum arbitrio pendere. Non acceptavit vero Aula ex duabus potissimum rationibus, ut apud Pallavicinum in Historia Concilii Tridentini *l.* 24. *cap.* 11. n. 4. Prima fuit quia Tridentinum vetaverat beneficia regularia tradere in Commendam, atque vita hujusmodi Commendis prohibebatur Rex multos Primates sibi devincire. Altera fuit quia Tridentinum acceptando verendum videbatur ne Calvinistæ semper pejora molirentur, cum idem Concilium toties illos anathemate percussisset.

II. Si Gallia Jansenianæ hæresis Parentem non peperit, multos illud monstrum fovisse tot ex Gallia Scriptores catholici collacrymantur; cum maxime viderint verbis contumeliosis, irrisionibus, aliisque felle amarioribus dicteriis Constitutiones Pontificias proscindi, definitiones nihili haberi, ac ad Oecumenicum Concilium appellando hujus teterrimi monstri interitum impediri.

III. Concilium Tridentinum Papæ supra Concilium eminentiam re vera suis decretis non communivit. Cum vero hujusmodi determinationi unice Galli sese opposuerint, eisque nullatenus cæteræ Nationes suffragatæ sint, apparuit communem Ecclesiæ sensum fuisse, ut sicut Pontifex Romanus, tamquam Pastor, & Paterfamilias universæ fuit præpositus Ecclesiæ, ita illam, adeoque & Concilia suprema regat potestate.

IV. De superiori Pontificis potestate, cujus gratia non subditur Sacris Canonibus, tam sæpe actum est, ut tempus terere sit, vel verbum pro hac materia elucidanda addere.

V. Quas Principes pœnas decreverint adversus contrahentes matrimonia, & quas leges de ipso tamquam simplici contractu promulgare valeant, adnotavi *alibi*.

VI. Cum nulli dubitare fas sit de suprema Oecumenicorum Conciliorum in universam Ecclesiam potestate, omnes norunt decreta Tridentini vim etiam Gallos obligandi obtinuisse. Sicut etiam non innoxie sine causa respuerentur leges a superiore indictæ potestate; ita dum jam obtentis privilegiis adversantur, vel difficillime moribus populorum aptantur, ipsi supremi Legislatores patienter ferunt a populis non acceptari, cum leges non in incommodum præcipue conscientiarum, sed in publicam ferantur utilitatem.

VII. Leges a Tridentino latæ ne in concedendis dispensationibus passim abusus introducantur, non quantum ad coactivam, sed quantum ad vim directivam ab ipsis Pontificibus inspiciendas, dubio procul est. Quoad vero servandam prudentiam, moderationem, & æquitatem, quas jus naturale in concedendis dispensationibus exposcit, omnimode & ipse Pontifex parere tenetur, cum indubium sit a tali jure ligari.

VIII. Episcopos immediate a Deo propriam accipere potestatem minus esse Traditioni, & Rationi consentaneum, explicavi in Animadversionibus de Episcoporum potestate *alibi*.

IX. Exemptiones Regularibus concessas, quibus ab Episcoporum jurisdictione extrahebantur, Episcopis molestissimas fuisse, dixi *alibi*.

X. Quamquam olim causæ civiles Clericorum Judicibus Laicis permitterentur, alia certe fuit postea in Ecclesia disciplina, ut dixi *alibi*. Modo etiam, saltem fere in omni Ecclesia Catholica, mos invaluit ut apud Episcopi Tribunal, sive pro solvendo ære alieno, sive pro alia quacumque etiam profana causa Clerici advocentur.

TRO-

TROPHÆUM ADVERSUS HÆRESES SÆCULI XV. ET XVI.

PAnopliam adversus novissimorum istorum Sæculorum hæreses non instruo, ut in Superioribus Sæculis præstiti, tum quod multitudo Controversiarum tanta sit, ut singulari Operi sufficiat, tum quod superiorum Sæculorum Panoplia ad præcipuos recentiorum Sectarum errores debellandos & profligandos arma subministret, ut exploratum erit omnibus qui loca inferius ad marginem adnotanda consulent: tum quod vela mihi contrahenda sunt ad portum festinanti, & finem longo, difficili, ac molesto Operi tandem imponere volenti, Trophæum autem ut erigam Panopliæ loco, florentissimus in Gallia Religionis Catholicæ status invitat; cum Regis Christianissimi, Invictissimi, Sapientissimi, Piissimi, LUDOVICI MAGNI Imperio, fortiter ac suaviter quæ Dei gloriam, Fidei propagationem, & subditorum suorum temporalem, ac sempiternam felicitatem spectant disponente; ac Edicto Nannetensi, aliisque Calvinianæ Sectæ professionem publicam permittentibus, ejus Auctoritate abrogatis ac rescissis, Regia constitutione data Fontanobliaudi mense Octobris hujus anni 1685. quindecies centena hominum millia in Provinciis Calviniana tabe infectæ ex hæresis & Schismatis veterno Dei aspirante gratia excitata, ejuratis erroribus, ad Ecclesiæ gremium convolarunt: eum eversis omnibus impiæ superstitionis Templis hæretici homines in Ecclesiæ templa Dei vivi fieri gestiunt, Regis adhortationibus obsecuti, qui (a) *contentissima voce, tamquam interpres summi omnium moderatoris Dei inclamans, omnes qui ipsius curæ commissi sunt, ad veri Dei cognitionem vocat*; ut de *Constantino Magno* dicebat olim *Eusebius*. Quantis ob erectum Christo, & Ecclesiæ tam nobilem Trophæum in Cœlum efferendus laudibus est, quot acclamationibus prosequendus, quot benedictionibus cumulandus REX, non rerum dumtaxat bello ac pace fortiter, sapienter, justeque gestarum gloria MAGNUS, sed Religione ac Pietate MAXIMUS LUDOVICUS? Dignus cujus in laudem perennibus incidatur monumentis, quod de *Josaphat* Rege Piissimo sacra tradit historia (b) *Confirmavit Dominus Regnum in manu ejus: factæque sunt ei infinitæ divitiæ, & multa gloria. Cumque sumpsisset cor ejus audaciam propter vias Domini, etiam excelsa & lucos de Juda abstulit. Tertio autem anno* (c) *Regni sui misit de Principibus suis . . . ut docerent in civitatibus Juda, & cum eis Levitas & Sacerdotes, docebantque populum in Juda, habentes librum Legis Domini, & circuibant cunctas urbes Juda, atque erudiebant populum*. Dignus cujus pietas omni tempore & loco celebretur iis verbis, quibus *Ezechiam* Regem Religiosissimum eadem sacra commendat Historia: (d) *Misit Ezechias ad omnem Israel & Judam; scripsitque Epistolas ad Ephraim & Manassen, ut venirent ad domum Domini in Jerusalem, & facerent Phase Domino Deo Israel . . . . Perrexeruntque cursores cum Epistolis, ex Regis Imperio & Principum ejus, in universum Israel & Judam, juxta id quod Rex jusserat, prædicantes; Filii Israel revertimini ad Dominum Deum Abraham, & Isaac, & Israel . . . . Nolite fieri sicut patres vestri, & fratres, qui recesserant a Domino Deo patrum suorum, qui tradidit eos in interitum . . . Nolite indurare cervices vestras, sicut patres vestri: Tradite manus Domino, & venite ad sanctuarium ejus, quod sanctificavit in æternum . . . In Juda vero facta est manus Domini, ut daret eis cor unum, ut facerent, juxta præceptum Regis & Principum, verbum Domini. Congregatique sunt in Jerusalem populi multi*. Dignus Rex noster elogio, quod Jesus filius Sirach, suggerente Spiritu sancto, *Josiæ* Regi scripsit: (e) *Memoria Josiæ in*

(a) In Orat. De Laudibus Constantini.
(b) Paralipom. lib. 2. C. 17.
(c) Ibidem.
(d) Paralip. II. C. 30.
(e) Ecclesiastici 49.
(f) Ep. 92.
(g) Epist. 301.
(h) Epist. 105.
(i) Lib. 7. Ep. 126. quam olim Carolus Calvus ad se missam ab Hincmaro

compositionem odoris facta opus pigmentarii. In omni ore quasi mel indulcabitur ejus memoria, & ut musica in convivio vini. Ipse est directus divinitus in pœnitentiam gentis, & tulit abominationes impietatis. Et gubernavit ad dominum cor ipsius, & in diebus peccatorum corroboravit pietatem. Dignus certe LUDOVICUS præconiis, quibus *Marcianum* Augustum *S. Leo Magnus* ornavit: (f) *Quod ergo in Provinciis plebes Dei ad unitatem sunt Fidei revocatæ, & compressis errantium motibus ad Evangelicam Apostolicamque Doctrinam omnium corda directa sunt, vestræ fidei opus, vestræ Pietatis est fructus . . .* (g) *Vestræ mansuetudini hæc palma servatur, ut vobis omnium, qui ad Christum Dominum nostrum per Catholicam Fidem revocantur aut redeunt, sanitas debeatur . . . .* (h) *Quod sæpissime jam experimenta docuerunt, sanctum Pietatis vestræ studium circa Religionem Christianam gloriosis perseverat & crescit augmentis; & hæc Fides Clementiæ vestræ non solum me, sed & omnes Domini Sacerdotes consolatur & roborat, dum in Christianissimo Principe Sacerdotalem experimur affectum*. Dignus cui Christianæ Religionis Antistites *S. Gregorii Magni* verbis ad *Reccharedum* Regem de Gothorum conversione scribentis gratulentur. (i) *Audita novi diebus nostris virtute miraculi, quod per Excellentiam tuam cuncta G. gens ab errore hæresees in Fidei soliditatem translata est exclamare cum Propheta libet*: Hæc est mutatio dexteræ Excelsi. *Cujus enim vel saxeum pectus audito hoc opere cogni te non statim in omnipotentis Dei laudibus, atque in tuæ Excellentiæ amore mollescat? Hæc me, fateor, quæ per Vos facta sunt, sæpe convenientibus filiis meis dicere, sæpe cum eis pariter admirari delectat; hæc me plerumque etiam contra me excitant: Quod piger ego & inutilis tunc inertia torpeo, quando in Animarum congregationibus pro lucro cœlestis Patriæ Reges elaborant. Quid itaque ego in illo tremendo examine Judici venienti dicturus sum, si tunc illuc vacuus venero, ubi tua excellentia greges post se Fidelium ducet, quos modo ad veræ Fidei gratiam per studiosam & continuam prædicationem traxit? Sed est mihi hoc ex Dei munere in magna consolatione, quia opus sanctum quod in me non habeo, diligo in te, cumque de tuis actibus magna exultatione gaudeo, ea quæ per laborem tua sunt, mea per charitatem fiunt*. Dignus cui Pii omnes *Alcuini* verbis *Carolo Magno* ob conversionem Saxonum gratulantis applaudant: (k) *Gloria & laus Deo Patri, & Domino nostro Jesu Christo, qui in gratia Sancti Spiritus, per devotionem & ministerium sanctæ Fidei, & bonæ voluntatis vestræ, Christianitatis Regnum atque agnitionem veri Dei dilatavit, & plurimos longe lateque Populos ab erroribus impietatis in viam veritatis reduxit. Qualis erit tibi gloria, o Beatissime Rex, in die æternæ retributionis, quando hi omnes, qui per tuam felicitudinem ad Deum conversi sunt, Te ante tribunal Domini nostri Jesu Christi in beata sorte stantem sequentur, & ex his omnibus perpetuæ beatitudinis merces augebitur? Ecce quanta devotione & benignitate pro dilatatione nominis Christi duritiam infelicis populi per vera salutis consilium emollire laborasti*. Dignus ad cujus gloriam in Annalibus Ecclesiasticis scribatur: *Ut Albigensis Hæresis, Calvinianæ Mater, a LUDOVICO IX. Rege Sanctissimo; ita Calviniana a LUDOVICO MAGNO; salvis Hæreticis, & ad Fidem Communionemque Sanctæ Catholicæ, & Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ operante Deo revocatis, in Galliis extincta ac penitus exterminata est, Anno salutis millesimo sexcentesimo octogesimo-quinto, Regni ejus gloriosissimi quadragesimo-tertio*. Tam gloriosum opus dum consummare pergit REX MAGNUS, missis Regio sumptu in Provincias Prædicatoribus & Doctoribus qui Novos Catholicos doceant, & in veræ Religionis Ecclesiæque amore ac obedientia confirment,

postulavit ejusdemque Hincmari Opusc. 11. ad eundem Regem inserta Tom. 2. pag. 34.
(k) Ep. 7.
(l) S. Leo Ep. 6. ad Aquilejensem Episcopum, de Palagianis in Communionem recipiendis, absque propriis damnatione erroris: Damnent apertis Professionibus sui superbi erroris Auctores, & quidquid in doctrina eorum universalis Ecclesia exhorruit, detestentur, omniaque Decreta Synodalia quæ ad excisionem hujus hæreseos Apostolicæ Sedis confirmavit auctoritas, amplecti se, & in omnibus approbare, plenis & apertis, ac propria manu subscriptis Professionibus eloquantur.
(m) S. Hieronymus Apolog. 1 adv. Ruffin. Fidem suam quam vocat? Eam ne qua Romana pollet Ecclesia? An illam quæ in Origenis voluminibus

ment, paucorum in hæresi manentium pertinaciam convincere, sanitatemque procurare satagant, Fidei Catholicæ Professionem, cujus unius absolutissima subscriptione (*l*) absolvi ab Hæresi, & in Ecclesiæ gremiom legitime atqoe canonice recipi possunt ac debent, ipsis exponendo, ot ab omnibus præjudiciis liberi, ipsam diligant & amplectantur: Hanc ceu Trophæum quod LUDOVICUS MAGNUS eversis & complanatis Calvinianæ superstitionis Templis, ejusdem Sectæ publica Professione Edicto in perpetuum interdicta, pulsis e Regno Ministris in Hæresi pertinacibus, ad Dei gloriam erexit, ut *Constantinus* olim Crucis Trophæum, dirutis falsorum Numinum Templis, Idolisque; Hanc (inqoam) Fidei Professionem, velut Christi & Ecclesiæ adversus novissimorum sæculorum Hæreses magnificum Trophæum, in fine hujus Operis velut in Ecclesiastici Edificii, Deo adjovante, cui soli honor & gloria, & gratiarum actio in sæcula sæculorum, & a mea posillitate tandem absoluti, culmine duxi collocandam.

„ Ego F. NATALIS ALEXANDER, firma fide „ credo & profiteor omnia & singula, quæ continen„ tur in Symbolo Fidei, quo Sancta Romana (*m*) „ Ecclesia utitur, videlicet:

„ CREDO in unum Deum Patrem omnipotentem, „ factorem cœli & terræ, visibilium omnium, & in„ visibilium: & in unum Dominum Jesum Christum, „ Filium Dei (*n*) unigenitum; & ex Patre natum „ ante omnia sæcula, Deum de Deo, lumen de lu„ mine, Deum verom de Deo vero; genitum non „ factum, consubstantialem (*o*) Patri, per quem om„ nia facta sunt. Qui propter nos homines, & pro„ pter nostram salutem descendit de cœlis; & incar„ natus est de Spiritu Sancto ex Maria (*p*) Virgine, „ & homo factus est: (*q*) Crucifixus etiam pro no„ bis sub Pontio Pilato, passus, & sepultus est: & „ resurrexit tertia die secundum Scripturas & ascen„ dit in cœlum, sedet ad dexteram Patris: & iterum „ venturus est cum gloria judicare vivos & mortoos: „ cujus Regni non erit finis: Et in Spiritum Sanctum „ (*r*) Dominum & vivificantem, qui ex Patre (*s*) Fi„ lioque procedit: Qui com Patre & Filio simul ado„ rator & conglorificatur, Qui locutus est per Prophe„ tas: Et unam Sanctam, Catholicam, & Apostoli„ cam (*t*) Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in „ remissionem peccatorum, & expecto Resurrectionem „ (*u*) mortuorum, & vitam (*x*) venturi sæculi. Amen. „ Apostolicas & Ecclesiasticas (*y*) Traditiones, reli„ quasque ejusdem Ecclesiæ Observationes & constitu„ tiones firmissime admitto & amplector. Item Sacram „ Scripturam juxta eum sensum, quem tenuit & te„ net Sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de ve„ ro sensu & interpretatione Sacrarum Scripturarum „ (*z*) admitto: Nec eam umquam nisi juxta unani„ mem consensum (*a*) Patrom accipiam & interpre„ tabor. Profiteor quoque septem esse vere & proprie „ Sacramenta Novæ Legis, a Jesu Christo Domino „ nostro instituta, atque ad salutem humani generis, „ licet non omnia singulis necessaria, scilicet Baptis„ mum, Confirmationem (*b*), Eucharistiam, Pœni„ tentiam (*c*), Extremam-Unctionem, Ordinem, &

continuatur? Si Romanam responderit, ergo Catholici sumus.
(*n*) *Panoplia adv. Hæres. Sæculi 5. Dissert. 3. Art. 8. & Dissert. 7. in Histor. Sæc. 8.*
(*o*) *Dissert. 26 in Hist. 1. Sæc. & 39. Sæc. 4.*
(*p*) *Pan. adv. Hæres. Sæc. 5. Dissert. 3. Art. 12.*
(*q*) *Ibid. Dissert. 4.*
(*r*) *Dissert. 42. Sæc. 4.*
(*s*) *Diss. 18. in Hist. Sæc. 9. & 10.*
(*t*) *Dissert. 38. Sæc. 4.*
(*u*) *Dissert. 25. Sæc. 1. Art. 10.*
(*x*) *Ibid. Dissert. 26. Art. 11.*
(*y*) *Dissert. 26. Sæc. 11.*
(*z*) *Ibid.*
(*a*) *Ibid.*
(*b*) *Dissert. 10. Sæc. 1.*
(*c*) *Dissert. 22. Sæc. 3. & Dissert. singularis de Sacram. Confess. pune 34. Sæc. 13. & 24.*
(*d*) *Panop. Sæc. 5. Dissert. 1.*
(*e*) *Dissert. 13. in Sæc. 13. & 14.*
(*f*) *Dissert. 22. in Histor. Sæc. 11. & 12.*
(*g*) *Ibid.*
(*h*) *Dissert.*

„ Matrimonium, illaque gratiam conferre; & ex his „ Baptismum Confirmationem, & Ordinem, sine sa„ crilegio reiterari non posse. Receptos quoque & ap„ probatos Ecclesiæ Catholicæ Ritus in supradictorum „ omniom Sacramentorom solemni administratione re„ cipio & admitto. Omnia & singula quæ de pecca„ to (*d*) originali, & de Justificatione in Sacrosan„ cta Tridentina Synodo definita & declarata fueruut „ amplector & recipio. Profiteor pariter in Missa of„ feri Deo verum, proprium, & propitiatorium (*e*) „ Sacrificium pro vivis & defunctis: Atque in Sanctis„ simo Eucharistiæ Sacramento esse vere, realiter, & „ substantialiter (*f*) Corpus & Sanguinem, una cum „ anima & Divinitate Domini nostri Jesu Christi, fie„ rique conversionem totius substantiæ panis in Cor„ pus, & totius substantiæ vini in Sangoinem, quam „ conversionem Catholica Ecclesia Transubstantiatio„ nem (*g*) appellat. Fateor etiam sub altera tantum „ specie totum atque integrum Christum, verumque „ Sacramentum sumi. Constanter teneo Purgatorium „ esse, (*h*) Animasque ibi detentas Fidelium suffra„ giis juvari. Similiter & Sanctos una cum Christo re„ gnantes, venerandos (*i*) atque invocandos esse, eos„ que orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum „ Reliquias (*k*) esse venerandas. Firmissime assero „ Imagines (*l*) Christi, ac Deiparæ semper Virginis, „ nec non aliorum Sanctorum, habendas & retinendas „ esse, atque eis debitum honorem & venerationem „ impertiendam. Indulgentiarum (*m*) etiam potesta„ tem a Christo in Ecclesia relictam fuisse; illarum„ que usum Christiano Populo maxime salutarem es„ se affirmo. Sanctam, Catholicam, & Apostolicam „ Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum Matrem „ & Magistram agnosco: Romanoque Pontifici Beati „ Petri Apostolorum Principis Successori, ac Jesu Chri„ sti Vicario, (*n*) veram obedientiam spondeo ac ju„ ro. Cætera item omnia a Sacris Canonibus & œcu„ menicis Conciliis, ac præcipue a Sacrosancta Triden„ tina Synodo tradita, definita & declarata indubi„ tanter recipio, atque profiteor: simulque contraria „ omnia, atque hæreses quascumque ab Ecclesia dam„ natas, rejectas, & anathematizatas (*o*) ego pariter „ damno, rejicio, & anathematizo. Hanc veram Ca„ tholicam Fidem, extra quam nemo salvos esse po„ test quam in præsenti sponte profiteor, ac veraciter „ teneo, eamdem integram & inviolatam usque ad „ extremum vitæ spiritum constantissime (Deo ad„ juvante) retineri & confiteri, atque a meis subdi„ tis, vel illis quorum cura ad me in munere meo „ spectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in „ me erit, curaturum, ego idem F. N. A. spondeo, „ voveo, ac juro. Sic me Deus adjuvet.

HANC FIDEM, quam in corde meo digito tuo, id est, Spiritu Sancto tuo scripsisti, eodem operante confirma & adauge, Deus meus: ipsam charitate vivifica, informa & accende: Fac ut absoluta præteritorum Sæculorum Ecclesiastica Historia, cogitem dies antiquos, & annos æternos in mente habeam: Fac in ea fide & charitate moriar, tuaque misericordia expiatus, æternum Te diligam, infinita Bonitas! Amen.

41. Sæc. 4.
(*i*) *Panop. Sæc. 5. Dissert. 3. Q. 11. Art. 1. & 2.*
(*k*) *Ibid. Q. 1.*
(*l*) *Panop. Sæc. 8.*
(*m*) *Sæc. 3. Dissert. 3. & Dissert. 9. Proposit. 4. 5. 6. & 7.*
(*n*) *Dissert. 4. Sæc. 2.*
(*o*) *S. Gregor. M. Lib. 1. Ep. 24. Sicut Evangelii quatuor libros, sic quatuor Concilia suscipere & venerari me fateor. Quintum quoque Concilium pariter veneror. Cuncta vero quas præfata veneranda Concilia personas respuunt, respuo, quas venerantur amplector: quia dum universali sunt consensu constituta, se & non illa destruit, quisquis præsumit aut solvere quos ligant aut ligare quos solvunt. Quisquis ergo aliter sapit, Anathema sit.*

INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM
Quæ in hoc Volumine continentur.

A

Aqui-

B

C

Catha-

au-

D

E

F

G

sicum

I

Ju-

K

L

Pla-

M

N

O

P

Prai-

Q

R

S

Ser-

T

V

San-

X

Z

INDEX RERUM PRÆCIPUARUM

Quæ in Notis, & Animadversionibus continentur.

Pau-

P

R

S

T

V

Z

INDEX
NOTARUM
JOANNIS DOMINICI MANSI

Quæ in Lucensi Editione continentur, nec non earum ejusdem Auctoris, quæ in hac novissima exhibentur.

F I N I S.